


SCOTUS ACADEMICUS,

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS Theologica dogmata,

QVÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM ACADEMIÆ Parisiensis docendi methodum concinnavit: selectissimis SS. Patrum oraculis firmavit, & illustravit: Nec-non explanatione graviorum Controversiarum, quæ nunc temporis in Scholis agitari solent, ditavit & ampliavit.

R. P. CLAUDIUS FRASSEN, Peronensis, Sacræ Theologiæ Parisiensis Doctor, & ejusdem, in majori Conventu Parisiensi Fratrum Minorum de Observantia sancti Francisci, Professor.

TOMUS IV.

Complectens tres Tractatus: quorum primus explicat Sacramenta instituta & ordinata in remedium peccati. Secundus agit de Sacramentis ordinatis ad firmandam animæ sanctitatem. Tertius continet Sacramenta quibus hominum sanctitas propagatur.



PARISIIS,
Apud EDMUNDUM COUTEROT, viâ Iacobæâ, ad insigne boni Pastoris.
M. DC. LXXVII.
Cum Approbationibus & Privilegio Regis.

ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE DOMINO D.

JOANNI JACOBO DE MESMES,

REGI A SANCTIORIBUS CONSILIIS,

COMITI D'AVAUX, DE NEUCHASTEL

DOMINO DE CRAMAYEL, &c.

REGIORUM ORDINUM EQUITI ET PRÆFECTO,

MAJORI SENATVS PRÆSIDI,

FRATRVM MINORVM DE OBSERVANTIA S. FRANCISCI IN GALLIA, MAGNIQUE CONVENTUS PARISIENSIS PROTECTORI.

GLORIOSAM coronidem ambit Scotus noster Academicus (PRÆSES ILLVSTRISSIME) *dum in hac postrema sui parte clarissimi tui Nominis splendore irradiari gestit, ut publicam in lucem prodeat auspicatiùs, & tantò perfusus lumine, securiùs per orbem excurrat. Nec majus certè fœliciusvè poterat sibi conciliare auspicium, quàm si ejus*

fronti insideret clarum MEMMIORUM *Nominis sidus, quod mirum in modum prioribus retrò sæculis, etiam apud exteras Gentes, ad Imperii Gallici fœlicitatem illuxit.*

Enimverò, ne (instar Doctissimi Lambini & aliorum Scriptorum qui suas lucubrationes Majoribus tuis nuncupavêre,) retexam veteres illos MEMMIOS, *non minùs eloquentiâ, quàm Senatoriâ dignitate apud Romanos illustres; nève tot famosos Heroas, quot Majores annumeras, commemorem: Eos, inquam, quos cum splendidissimis quibusque hujus Regni familijs communes habes: recensere delectaret Illustrissimum illum* MEMMIUM *sanctissimi Galliarum Regis Ludovici primarium Capellanum, & ipsius divinarum precum eximij Codicis, (pretiosissimi certè thesauri) suis in posteris perpetuum hæredem; nec-non & eos omnes, qui non ita pridem in augusto Parisiensium Senatu præsidialibus Infulis celebres, potentesque consiliis, Regijs Legationibus frequentes, & Reipublicæ negotiorum pondere invicti, hujus Regni toties nutantem pene fortunam, summâ animi fortitudine ac solertiâ fœliciter fixerunt; nisi eos omnes, geminatô gloriæ fœnore etiamnum in Te spirantes liceret intueri.*

Sive enim demiremur in eis eximias animi dotes, scientiarum Encyclopædiam, virtutum omnium concentum, & peritam in rebus arduis præponderandis

dexteritatem, quibus, veluti tot meritorum gradibus, ad ſupremum Togatæ dignitatis faſtigium evolârunt; quis ire poſſit inficias eos iterum in te ſoboleſcere, ac Solis inſtar in obverſo ſpeculo multiplicatô lumine, ſplendidiùs coruſcare? Nemo namque eſt qui non ſuſpiciat immenſam illam Ingenij tui perſpicacitatem, quæ infinitis propemodum negotijs par eſt: in implicatiſſimis ludit, & in periculoſiſſimis eſt ſecura; digna certè quæ ſummarum Rerum adminiſtratione occupetur.

Immenſæ tuorum Avorum ſapientiæ, ac effuſæ in Doctos omnes liberalitatis encomia celebrantem Leſnovium audierunt Poloni, Vlſſeldum Sueci, Sarmatæ Sarbevium, Grotium & Gronovium Batavi, Germani Barlæum, Galli Paſſeratum, Lambinum, Borbonium, Ogerium, &c. At quantò copioſiùs ac fœliciùs Scriptores illi, ac cæteri quique in variarum diſciplinarum, quibus illuſtraris, texendis laudibus certatim luderent, & excurrerent? Nihil quippe in Græcis litteris urbanioris elegantiæ, nihil in Latinis ſolidioris eruditionis, nihil denique in ſacra ac civili Republica ſanctionis & conſtitutionis eſt, quod capaciſſimâ mente non hauſeris. Et quod rarum, tanta tibi memoria eſt, ut ab ea nihil excidat unquam; & fœliciùs ac elegantiùs pro voto ac nutu ſingula proferres, quàm quis legeret ex codice: omnium Conciliorum oracula ſic profers, quaſi interfuiſſes: omnium Principum Conſtitutiones ſic habes in promptu; quaſi ſanxiſſes. Nulla te fugit hiſtoriarum ac

legum particula; hinc de rebus etiam gravioribus statuis ex tempore, & quoties in Conventu Senatorum ac Magnatum, aut coram Rege Christianissimo verba facere necesse est, castigatissimâ, doctissimâ, & omnibus suis numeris absolutâ oratione sic perfundis Auditores, ut omnes etiam invitos in tuam sententiam pellicias.

Sublimia sunt hæc, fateor (PRÆSES ILLUSTRISSIME) *quæ Scotum nostrum in tui admirationem raperent, nisi majora in Te deprehenderet, quæ miretur, & extollat. Pudet enim veritatis Magistrum, summi viri celsitudinem non à suprema, sed infima sui parte metiri.*

Novit ille profectò, novit conspirantium in te virtutum omnium concentum, & absolutissimam perfectionem, quibus Magistratum reverà Christianum omni laude coronandum exhibes. Summam equidem moderationem ac gravitatem exigit honoris amplitudo, quam obtines: At quis te moderatior sine indulgentia? quis sine supercilio gravior? Prudentiam singularem requirunt diversa, ac propemodum infinita, quæ tractas, negotia. Verùm quis te prudentior sine calliditate? quis sine ulla fraude cautior? Æquitatem postulat amplissimi muneris dignitas; nullus autem favorem unquam vehementiùs exagitavit, & constantiùs omnes injustitiæ motus repressit, quàm inexorabilis & invicta tua Integritas, quæ id habet sanè laudis & gloriæ, ut ubi jus liquet, per eam salvum sit, nec ab illo tantillum te

dimoveant imperiosæ Magnatum aut Amicorum preces.

Constantem animi fortitudinem ad sui claritatem exoptant Præsidiales infulæ, ut nec moveantur blanditijs, nec timore dejiciantur: At quis dignè celebret singularem animi tui constantiam ac moderationem, quâ nec blandienti fortunæ nimis indulgendo, nec interdum sævienti nimis cedendo, utrâque te majorem semper ostendis.

Hæc sunt (ILLVSTRISSIME PRÆSES) *cæteris etiam stupenda, quæ in te suspicit ac demiratur noster Scotus Academicus. Est tamen in te divinius aliquid, quod ipsum magis in tui admirationem pelliciat, quod delectet. Novit quippe virtutes omnes sine Charitate nec pretium habere, nec meritum: At quantò Tuus erga Deum & proximum Charitatis ardore æstuet Animus, etiam exploratum habet & compertum: Id namque palam in dies obtestatur in terris, quæ tui juris sunt ingens Egenorum turba, quorum ærumnas largissimis eleemosynis levas. Testantur quotquot sunt probi iniquis impiorum motibus exagitati, qui in domum tuam velut ad Iustitiæ Templum & Sacrarium convolant, ut sub umbra tui Patrocinii tutò quiescant: Testamur & nos pauperis Parentis pauperrimi Filij, quorum commodis totus invigilas, rationibus consulis, rebus provides, ut familiaribus, ut Tuis.*

Patere itaque (ILLVSTRISSIME PRÆSES) *ut prò tot ac tantis beneficiis, quibus Ordinem Seraphicum*

in dies cumulas, Scotus noster Tui conspectum subeat, qualemcumque gratiarum actionem omnium nomine repensurus. Me quoque ipsius Comitem, pro ea, quâ foves omnes qui te colunt, singulari humanitate, ac paternô amore complectere, ita enixè precatur.

ILLVSTRISSIMÆ TVÆ DOMINATIONIS,

Humillimus ac obsequentissimus
Servus, F. CLAUDIUS FRASSEN.

INDEX

DISPVTATIONVM, ARTICVLORVM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM, QVÆ IN HOC QVARTO TOMO CONTINENTVR.

DISPUTATIO PROOEMIALIS.

TRACTATVS PRIMVS.

DISPUTATIO PRIMA.

DISPUTATIO SECUNDA.

DISPUTATIO TERTIA.

TRACTATVS SECVNDVS.

DISPUTATIO PRIMA.

DISPUTATIO SECUNDA.

TRACTATUS TERTIUS.

De duobus postremis Sacramentis, Ordine videlicet, & Matrimonio, quibus hominum sanctitas propagatur.

DISPUTATIO PRIMA.

DISPUTATIO ULTIMA.

FINIS.

Approbatio Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis.

ITerum è tenebris emergit SCOTUS, facem præferente *Rev. admodum Patre Claudio Frassen, Ordinis Seraphici, sacræ Theologiæ Parisiensis Doctore, & apud suos Professore.* Ut cunctis gratior in publicum prodiret Scriptor doctrinæ, non minùs quàm subtilitatis profundæ; non passus est Vir meritissimus, duplicem amplius in eo desiderari cultum, dictionis atque dispositionis. Nitorem igitur sermonis & ordinem adjecit methodicæ tractationi; atque duplicibus ita vestitum & cultiorem, è *Subtili* fecit *Academicum*: eò magis, sicuti meritò speratur, Academicis omnibus profuturum, quòd Christianæ fidei, castisque moribus omninò consentiat. Ita censemus & testamur ex animo Nos infrà-scripti Societatis Sorbonicæ Doctores in sacra Facultate Parisiensi, die 25. Maii, anno 1672.

G. LESTOCQ,
Regius in Sorbona sacræ
Theologiæ Professor.

A. CHEVILLIER.

Mandatum Obedientiæ & Permissio Reverendissimi Patris Generalis.

FRater Franciscus Maria Rhini de Politio, totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici Patris nostri Francisci Minister Generalis & servus, ac in Regno Galliarum super omnes Provincias nobis subjectas Commissarius Apostolicus, &c. Dilecto nobis in Christo *Patri ac Fratri Claudio Frassen, Provinciæ nostræ magnæ Franciæ Alumno, sacræ Theologiæ Doctori Parisiensi, ejusdemque in majori nostro Conventu Parisiensi Professori.* Salutem in Domino sempiternam.

CUM (sicut accepimus) Opus à te editum sit, cujus titulus *Scotus Academicus, &c.* ac illud ad majorem Dei gloriam, Scoticæ doctrinæ exaltationem, Ordinisque nostri decus imprimi cupias: Nos omnia prædicta quantùm in Domino possumus, promovere cupientes, & intelligentes tuum Librum iis omnibus non modicùm profuturum: Harum nostrarum vigore, facultatem tibi elargimur cum merito salutaris obedientiæ, quatenus præviis examine, & approbatione ejusdem Operis à RR. PP. nostri Ordinis Theologorum emeritis, & sacræ Parisiensis Facultatis Doctoribus, Fratre Claudio Domart hujus magni Conventûs Guardiano, Fratre Andrea Houbereau, & Fratre Carolo Miguet faciendis, ac servatis in reliquiis sanctionibus Apostolicis, & Constitutionibus nostris, ipsum Typis mandare possis, & valeas. DATUM in Conventu nostro magno Parisiensi, die vigesima Aprilis, sub Chirographo sigilloque majori officii nostri, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

FRATER F. MARIA RHINI DE POLITIO, Minister Generalis.

De mandato Reverendissimæ Paternitatis.

FRATER A. E. DE LOSSADA, Secretarius Generalis Ordinis.

Approbatio & permissio R. admodum Patris Petri Buisson, Doctoris Parisiensis, Lectoris Jubilati, nec-non magni Conventûs, Fratrum Minorum Parisiensium iterùm Guardiani.

ECCE SCOTUS noster è *subtili* redditus ACADEMICUS *per R. P. Claudium Frassen, Doctorem Parisiensem & magni nostri Conventûs Fratrum Minorum Parisiensium Lectorem Generalem.* Opus quidem tantâ Methodô atque nitore sermonis perpolitum; ut in eo nihil redundet, nihilque adversum vel fidei, vel etiam bonis moribus contineatur. Hinc illud, ut prælo mandetur, nedum permittimus, sed ut in publicam edatur utilitatem, & nostrorum studiosorum Theologiæ manibus teratur, judicamus. DATUM in magno Conventu nostro Parisiensi hâc die octavâ mensis Februarii, Anno reparatæ salutis 1676.

F. P. BUISSON.
Guardianus.

Approbatio & Permissio R. admodum Patris Claudii Domart, Doctoris Parisiensis & majoris Conventûs FF. Minorum de Observantia S. Francisci Ex-Guardiani, & in eodem sacræ Theologiæ nunc Lectoris.

VIsis prioribus quum *Philosophicis*, tum *vitæ spiritualis* lucubrationibus, non possumus non sperare, quin cum omni Theologorum applausu in lucem prodeat *Reverendi Patris Claudii Frassen, Doctoris Parisiensis & magni nostri Conventûs Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Lectoris Generalis* SCOTUS ACADEMICUS: Quapropter, non modò ut prælo mandetur permittimus, verùm inquantùm hoc Opus perutile publico judicamus, ex animo optamus. DATUM in dicto Conventu Parisiensi die Aprilis decima, anni Domini millesimi sexcentesimi, septuagesimi primi.

FRATER C. DOMART,
magni Conventûs Observantiæ
humilis Guardianus.

Approbatio Reverendi admodum Patris Caroli Miguet, Doctoris Parisiensis & in magno Conventu FF. Minorum de Observantia Ex-Guardiani.

DIu tandem desideratum Opus & perutilem Methodum Scholæ nostræ ad nitidam & solidam Doctoris Subtilis enucleandam Doctrinam, præsertim in quartum Sententiarum, me infrà scriptum perlegisse fidem facio: cui verè titulus est SCOTUS ACADEMICUS: Scoticæ siquidem disciplinæ validissimum & lucidissimum extabit ornamentum, Seraphicæ nostræ familiæ decus, & Theologorum ad divinam Sapientiam facilis via. Hinc est quod parum dixisse arbitror prælo dignum; verùm etiam Authorem *R. P. Claudium Frassen* Doctoris Subtilis subtilitatis se legitimum probare hæredem, nec-non ejus doctrinæ Interpretem, sicut & in Philosophicis exhibere fidelissimum: Quare ut Typis exaretur publico profuturum, & in singularem nostræ erga Authorem amicitiæ tesseram, maximè peropto. DATUM Parisiis in magno Conventu FF. Minorum decima quinta Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

FRATER CAROLUS MIGUET,
in Theologia Doctor, & Lector Generalis.

Approbatio Reverendi admodum Patris Andreæ Houbereau Doctoris Parisiensis, Ex-Definitoris Generalis, & Provinciæ Turoniæ Majoris Ex-Provincialis.

EGo infrà scriptus in Vniversitate Parisiensi Doctor Theologus, Librum cui titulus est SCOTUS ACADEMICUS, à *R. P. Claudio Frassen*, nostri Ordinis in eadem Vniversitate Doctore & Professore compositum, legi & pervolvi: quem singulari Doctrinâ, ordine & methodo elaboratum reperi: in eo enim altissima fidei mysteria, abstrusiores Theologiæ difficultates, & profundæ ipsius Scoti doctrinæ Thesauri absconditi, tam dilucidè, luculenter & nervosè aperiuntur, tantâque argumentorum & rationum densitate cumulantur, ut nullus hucusque alius eruditos ita enodârit: Vnde Lectores quoslibet piorumque hominum animos pondere ipso, dulci quâdam violentiâ in suam sententiam pertrahere videtur. Quamobrem, cùm hoc magnum Opus fundatissimam in Scripturis, Conciliis, Patribus, gravioribusque Theologis doctrinam contineat, nihilque in eo omnino non sanctum, nihil non pium, nihil alienum à mente Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, nihilque non redolens insignem Authoris eruditionem pari cum pietate conjunctam; dignissimum censeo quòd in lucem prodeat, ut in omnes Christianas regiones vulgetur, ad Dei gloriam publicamque utilitatem. Parisiis in magno Franciscanorum Conventu, vigesimâ Septembris, anno supra millesimum sexcentesimo septuagesimo primo.

FRATER ANDREAS HOUBEREAU,
Ex-Definitor Generalis & Provinciæ
Turoniæ Ex-Provincialis.

Approbatio Reverendi admodum Patris Pinault, sacræ Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, majoris Conventûs Ex-Guardiani, & in eodem sacræ Theologiæ Professoris Generalis.

HUnc Scoticæ Theologiæ cursum per *R. P. Claudium Frassen*, *sacræ Theologiæ Doctorem, & in almo Conventu Fratrum Minorum Parisiensium, Lectorem Generalem*, concinnatum sub hoc verborum titulo, SCOTUS ACADEMICUS, ita luce dignum judico, ut fore summæ utilitatis, non solis Theologiæ candidatis, sed etiam de illa bene meritis censeam. Nihil ejus subtilitate profundius, Subtilis sanè digna Doctoris; nec quidquam tanta cum subtilitate clariùs Auctoris adumbrans ingenii fœlicitatem: Sententias Patrum illustrans, profundiores Theologos exornat, sacra Religionis arcana profundè rimatur & patefacit; succeditque fœliciter *Cursui Philosophico* ab eodem Authore nuper Typis mandato, nec unquam satis expetito, ut qui talem ac tantum experti fuimus ex primo in formandis Philosophis progressum, ampliorem ex secundo in Theologis instituendis, fovendis, oblectandis certiorem habeamus. Sic sentit & testatur hâc die 28. Maii, anni 1672.

Fr. B. PINAULT,
Doctor, & in Theologia
Professor Generalis.

SVMMA PRIVILEGII PER REGEM Christianissimum concessi.

LUDOVICUS XIV. Galliarum & Navarræ Rex Christianissimus suo Diplomate sanxit, ne quis Librum cui titulus est, *Scotus Academicus: seu Universa Doctoris Subtilis Theologica dogmata, &c. Authore R.P. ac F.* CLAUDIO FRASSEN, *sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & in majori Conventu FF. Minorum de Observantia S. Francisci Professore Generali*, ab EDMUNDO COUTEROT Bibliopola Parisiensi in lucem editum, præter ipsius EDMUNDI COUTEROT facultatem intra decennium imprimat, aut alibi terrarum impressum in Galliarum Regis ditiones importet. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur; ut patet fusiùs in Privilegio Regio. DATO Versalliis die vigesima octava Martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi secundi. Signatum PEPIN.

Inscriptum Registro Societatis Bibliopolarum Parisiensium juxta decretum Senatûs die 8. Aprilis anni 1653. ac signatum die 25. Aprilis 1672.

Signatum D. THIERRY, *Syndicus.*

Editio præsens Tomi quarti *Scoti Academici, &c.* perfecta est die 30. Junii 1677.

IN QVARTUM

IN QUARTUM LIBRUM SENTENTIARUM.

PRÆFATIO.

ETSI vastissimum ac omnino salebrosum stadium jam fuerimus emensi; grandis tamen adhuc nobis restat via, & propter varias hæreticorum infestationes tot obsita periculis, tot spinetis ac vepribus hirsuta, ut ab incundo rursus itinere jam pene fractus animus detrectaret, nisi imponenda operi suscepto corona, & summa rerum ventilandarum utilitas ac voluptas ingratum laborem deliniret. Enimverò si liceat unquam, maximè in hac postrema Theologiæ parte Christum Dominum juvat audire monentem, Venite ad me omnes [In Procemio ad 4. libr.] qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: *Hîc namque, ait perbellè subtilis Doctor, adorandus ille Salvator verum se, piissimum, ac divinâ charitate „ flagrantem Samaritanum exhibet, qui spoliatum videns hominem & atrociter „ sauciatum, miserationis affectu compatiens, medicinam attulit efficacem, quâ cu- „ ratis ipsius vulneribus, ac plenâ redditâ sanitate, in sui principium, à quo des- „ cendens ab Jerusalem deviaverat, finaliter reducatur.* „

Sacramenta namque perfecta medicamenta sunt, ait seraphicus Doctor, & [In Præf. ad 4. lib.] *ideo optanda magis ac in pretio ac votis habenda, quòd pigmenta odorifera sunt, „ & unguenta salutifera: Sed unguenta salutifera sunt respectu ægroti curandi; & „ pigmenta odorifera respectu Dei placandi. Inde præclarissimè elucet divini nostri Medici ac piissimi Samaritani charitas & sapientia, quòd (non eorum instar, quorum medicamenta vera tormenta sunt, quibus priùs cruciari debent corpora quàm sanari) medicinam proferat, non solùm curandis omnibus animæ vulneribus salutarem, sed etiam cælesti dulcedine ac odore fragrantem, ut de ipso verè fue-* [Eccli. 38.] *rit vaticinatus Ecclesiasticus,* Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis.

Tunc certè cœlestis ille pigmentarius confecit pigmenta suavitatis, cùm dilexit nos, & tradidit semetipsum oblationem & hostiam Deo, in odo- [Ad Ephes. 5.] rem suavitatis, *ut odoriferô sui sanguinis balsamô Patris temperaret iram, clementiam provocaret, & hominem innumeris peccatorum plagis cruentatum blandiente medicamentorum fragrantiâ jucundè sanaret. Nec ei fuit satis, salutarem hanc ac suavem nobis in cruce parasse Medicinam; voluit ultro ut per Sacramentorum effluvium in nos ubertim exundaret, ut aquas salientes in vitam* [Isayæ 12.] *æternam* hauriremus in gaudio de fontibus Salvatoris.

Non erit igitur ingratum nec injucundum juxta hæc amœnissima Gratiarum fluenta tantillum exspatiari; quod ut fiat securiori pede, præsentem Librum sicut

Hujus libri in Tractatus distributio.

& præcedentes, tres in Tractatus distribuemus: quorum PRIMUS *expendet Sacramenta quibus sanitas animæ restituitur, ac evacuatur morbus peccati, nempe originalis per* Baptismum; *mortalis actualis per* Pœnitentiam; *& venialis per* Unctionem-extremam. SECUNDUS *declarabit Sacramenta quibus sanctitas propagatur, putà* Matrimonium, *&* Ordinem. TERTIUS *tandem explanabit mirandam virtutem eorum Sacramentorum quibus animæ sanitas ac sanctitas roboratur ac firmatur, nempe* Confirmationem *&* Eucharistiam. *Verùm, ut planior ac plenior rerum dicendarum habeatur ratio, præmittenda est sequens Disputatio in qua omnia quæ singulis Sacramentis communia sunt expendemus.*

DISPUTATIO PROŒMIALIS.

De Sacramentis in communi.

I. *Sacramenti nomen quatuor modis accipitur.*

SACRAMENTI nomen deducitur à sacro propter ordinem, quem habet ad rem sacram: quâ ratione varias, sed maximè quatuor significationes habet apud Authores tam sacros, quàm profanos, quæ præclarè nostris Sacramentis conveniunt.

1. Pro pignore.

Primò namque Sacramentum significat *pignus* à litigantibus, in loco sacro apud Pontificem deponi solitum, ut qui finitâ lite vinceret, pignus reciperet; qui autem causâ caderet, mulctaretur jacturâ pecuniæ suæ, illaque cederet ærario publico, in pœnam injustæ litigationis. Sic observat Varro lib. 4. de lingua Latina. Quæ utique acceptio nostris Sacramentis optimè quadrat; sunt enim pignora, quibus nos obstringimus ac devovemus in Dei cultum & obsequium, Deusque vicissim nobis suam gratiam spondet & oppignerat.

2. Pro juramento.

Secundò, Sacramentum usurpatur interdum pro juramento, quia in jusjurando rei sacræ authoritas interponitur, Deumque in affirmatæ veritatis testem invocamus; sic Sacramentum usurpat Tertullianus lib. de Idololatria cap. 19. ubi cùm quæsivisset *an fidelis ad militiam converti possit, & an militia ad fidem admitti*: respondet, *Non convenit Sacramento divino & humano, signo Christi & signo diaboli, castris lucis & castris tenebrarum: non potest una anima duobus deberi, Deo & Cæsari, &c.* Alludit autem ad juramentum quô milites spondebant se suis Ducibus in omnibus obtemperaturos, & rei militari fidelem operam navaturos. Sic pariter Sacramentum usurpatur in jure Canonico 22. quæst. 4. cap. *Parvuli.*

Porrò hæc acceptio egregiè nostris Sacramentis convenit; sunt enim veluti signacula, quibus Deus spondet homini salutem; & homo Religionem Deo; per ea namque veluti per solemnem obtestationem & nos Deo mancipamus, & vicissim Deum tenemus quodammodo debitorem.

3. Pro re secreta.

Tertiò, Sacramentum in Scriptura sancta plerumque significat rem secretam & arcanam. Sic Tob. 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*; id est, Regis arcanum & secretum, quô sensu Sacramentum idem est ac *mysterium*: Hinc Apocal. 12. ubi de muliere sedente super bestiam dictum est: *Et in fronte ejus nomen scriptum, Mysterium*; statim subdit Angelus Joannem alloquens: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris & bestiæ*; id est, rem secretam & arcanam quam mulier & bestia designant. Hæc pariter acceptio ritè nostris Sacramentis quadrat; nam sub rerum corporalium involucro spiritualia dona occultant, sacramenta enim sunt signa rei sacræ; nempe gratiæ sanctificantis & divinitùs infusæ.

4. Pro cæremonia sacra.

Quartò tandem Sacramenti nomen significat cæremoniam, quâ homines initiantur sacris, seu signum aliquod sensibile, conferens aliquam sanctificationem ex institutione divina; quô sensu sacramenti vocabulum usurpari solet non solùm à Theologis, sed etiam à SS. Patribus. Sic sanctus Cyprianus sacramenti vocabulum usurpat pluribi, maximè epist. ad Stephanum, ubi ait: *Tunc enim demum plenè sanctificati, & esse filii Dei possunt, si sacramentò utròque nascantur.* Vocat autem utrumque Sacramentum baptismum & manuum impositionem, quæ est Confirmatio. Ipsi præiverat sanctus Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia, & Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 16. ubi ait: *Ipsas quoque res sacramentorum divinorum, in idolorum mysteriis diabolus æmulatur: tingit & ipse quosdam, signat in frontibus milites suos.* Quibus significat Baptismum & Confirmationem quæ pro cæremonia sacra ac sanctificante usurpat. Eadem est aliorum SS. Patrum de nomine sacramenti sententia.

Imò quicquid Zuinglius & Carolostadius reclament, vocabolum istud prout hîc usurpatur, agiographum est, hoc est è sacris litteris deductum: nam Apostolus ad Ephes. 5. cùm sermonem fecisset de conjunctione viri cum uxore per matrimonium, statim subdit: *Sacramentum hoc magnum est, dico in Christo & in Ecclesia.* Quod utique maximè verum est de matrimonio contracto inter Christianos; nam si ad alios referas, sacramentum hâc ratione non significabit cæremoniam sacram, sed rem secretam & mysticam.

Cæterùm hoc vocabulum in postrema hac quarta acceptione duntaxat usurpabimus; maximè in disputatione præsenti, quam pro instituto nostro ac ordine, tres in articulos distribuemus: quorum

Primus aperiet Sacramentorum eſſentiam, neceſſitatem ſeu exiſtentiam, & numerum: *Secundus* eorum cauſas, virtutem, & effectus: *Tertius* illorum ſubjectum, prævias diſpoſitiones, & præcellentias explicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

De eſſentia, exiſtentia, & numero Sacramentorum.

II.
Cur priùs de eſſentia quàm de exiſtentia Sacramenti diſputetur.

QUAMVIS ordo doctrinæ poſtulet, iſtudque religioſè hactenus à nobis fuerit obſervatum, ut priùs reſolvatur an res ſit, quàm quid ſit, illiuſque exiſtentia prior quàm eſſentia appareat; nihilominus quoniam ſtabiliri vix poteſt Sacramenti neceſſitas & exiſtentia, quin priùs affulgeat eſſentialis ipſius ratio; inde meritò Theologiæ Principes Sacramenti eſſentiam priùs inquirunt, quàm illius exiſtentiam ſeu neceſſitatem aperiant ac ſtabiliant: Quibus ut morem geramus, præſentem articulum auſpicabimur ab inveſtigatione eſſentiæ Sacramenti, ac poſtmodum ad aperiendam illius exiſtentiam, & ſtabiliendum Sacramentorum numerum, gradum faciemus.

QUÆSTIO PRIMA.

De natura, ſeu eſſentia Sacramenti.

II.
Duplex eſt Sacramenti natura.

CUM ea ſit rerum corporearum ac ſenſibilium ratio, ut naturâ duplici, phyſicâ nempe ac metaphyſicâ conſtare videantur; ſic enim homo metaphyſicè ſpectatus conſtituitur ex genere & differentia; phyſicè autem componitur ex materia & forma, animâ videlicet & corpore: inde fit quòd Sacramentum ratione pari conſiderari ſoleat à Theologis ſecundùm conſtitutionem vel metaphyſicam, prout genere ac differentiâ conſtat; vel phyſicam, quatenus ex materia & forma ſibi convenienre integratur. De priori Sacramenti inſtitutione ſermo erit in quæſtione præſenti, de poſteriori verò diſceptabitur in ſequenti.

Notandum primò. Theologos invicem convenire ſacramentum habere rationem ſigni; cùm autem varia ſit ac multiplex ſigni ratio ac diſtributio, non concordant invicem quænam ex eis Sacramento quadret. Quid autem cum ſubtili Doctore veriùs cenſendum ſit, ut evidenter appareat, repetendum eſt ex Philoſophia, ſignum in genere eſſe id, *quod aliud à ſe potentiæ cognoſcenti repræſentat*; ſeu, ut loquitur S. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 1. *Signum eſt res quæ præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Quæ utique definitio convenit ex æquo vocibus, actionibus & rebus; voces enim, ſive ſoni, aliquid aliud interdum ſignificant, ſic gemitus & ſingultus ſunt ſigna doloris. Actiones pariter ſunt ſigna: *nam*, inquit S. Auguſtinus mox laudatus cap. 3. *Hiſtriones omnium membrorum motibus dant ſigna quædam ſcientibus, & cum oculis eorum quaſi fabulantur.* Res tandem ipſæ interdum ſigni rationem obtinent; fumus enim ſignificat ignem latentem, &c.

IV.
Quid ſit ſignum.

Convenit ſonis, vocibus, & rebus.

V.
Dividitur in *formale*.

Notandum ſecundò, ſignum eſſe multiplex; aliud enim eſt formale, aliud inſtrumentale. *Formale* dicitur quod licèt incognitum alterius cognitionem parit: ſic ſpecies intelligibiles & ſenſibiles,

A licèt ignotæ, ducunt in cognitionem objectorum, quæ ſentiuntur, aut intelliguntur. *Inſtrumentale* eſt illud quod priùs cognitum in cognitionem alterius deducit, ut loquela quæ priùs cognoſci debet, quàm conceptus per eam expreſſus notificetur. Hinc Apoſtolus 1. Corinth. 14. *Si neſciero virtutem vocis, ero cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.*

Et inſtrumentale.

Inſtrumentale dividitur in naturale & arbitrarium. Primum eſt quod ex natura ſua & independenter ab hominum inſtituto vim habet idem ſignificandi apud omnes nationes: ſic gemitus ſunt ſigna latentis doloris, riſus ſignum lætitiæ, &c. Secundum eſt quod ex ſolo hominum inſtituto B vim habet aliquid ſignificandi; ſic pulſus campanæ, eſt ſignum futuræ lectionis, orationis, prandii, &c.

Rurſus in *naturale & ex inſtituto.*

Tertiò, ſignum rurſus dividitur in *practicum & ſpeculativum*: Primum eſt quod habet vim efficiendi id quod ſignificat, ſic nubes gravida & opaca, eſt ſignum pluviæ quam diffundit. Secundum eſt quod rem quidem ſignificat, eam verò non efficit: ſic lumen eſt ſignum præſentiæ Solis. Inſuper utrumque hoc ſignum dividitur in *Demonſtrativum, Rememorativum & Prognoſticum*: Primum eſt, quod rem præſentem, ſecundum quod rem præteritam, tertium quod rem futuram indigitat: ſic adorandum Euchariſtiæ ſacra- C mentum tria hæc complectitur, ut de ipſo canit Eccleſia: *Primò* enim recolitur memória Paſſionis Chriſti. *Secundò* mens impletur gratiâ nutritivâ, quæ per ſpecies panis & vini ſignificatur. *Tertiò* futuræ gloriæ pignus datur.

Inſuper in *practicum & ſpeculativum.*

Denique in Demonſtrativum, Rememorativum, & Prognoſticum.

Notandum tertiò, certum eſſe quòd Sacramentum non ſit ſignum formale; cùm enim neceſſariò debeat eſſe ſenſibile, ut mox dicemus, etiam priùs cognoſci debet, quàm nos in alterius notitiam deducat; ac ſubinde non poteſt eſſe ſignum formale, quod incognitum aliud notificat.

VI.
Sacramentum non eſt ſignum formale.

Certum eſt pariter quòd non ſit ſignum naturale: *Tum quia* gratia quam ſignum iſtud repræſentat, eſt ordinis ſupernaturalis; res autem naturalis ex ſua conditione nudè ſpectata, non po- D teſt repræſentare rem ſupernaturalem: *Tum quia* ſi Sacramentum eſſet ſignum naturale, ejus ſignificatio omnibus eſſet nota; nam gemitus apud omnes ſignum eſt triſtitiæ; quemadmodum riſus ſignum lætitiæ: ſed apertè conſtat ſignificationem Sacramenti, non eſſe omnibus notam. *Tum denique quia* naturale ſignum habet aliquam conjunctionem naturalem ad rem ſignificatam, ut fumus ad ignem, radius ad ſolem, veſtigium ad pedem: at Sacramentum non habet ordinem naturalem ad gratiam quam ſignificat; quippe cùm hæc non ſit illius effectus, nec proprietas naturalis: igitur dici non poteſt ſignum naturale. Ha- E bet tamen aliquam analogiam & ſimilitudinem cum effectu quem repræſentat: *Si enim*, inquit ſanctus Auguſtinus epiſt. 23. *Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, non haberent, omnino ſacramenta non eſſent.*

Neque naturale.

Reſtat igitur determinandum; *Primò*, utrum ſacramenta ſint ſigna. *Secundò*, an ſenſibilia: *Tertiò*, utrum ſint duntaxat ſpeculativa, vel practica: *Quartò*, an Sacramentum poſſit definiri, & quænam ſit genuina ſacramenti definitio, quæ in ſequentibus Concluſionibus expendemus.

Conclusio Prima.

VII. *Sacramenta sunt signa.*

SACRAMENTUM *est formaliter signum.* Probatur primò ex SS. Patribus, qui unanimi calculô Sacramentum appellant signum & symbolum. Sic S. Dionysius lib. de cœlesti hierarchia cap. 2. *Sensibilia sacramenta*, inquit, *simulacra sunt intelligibilium, ad quæ manu ducunt, ac viam sternunt*: Sic pariter S. Augustinus epist. 5. ad Marcellinum; *Signa*, inquit, *cùm ad res divinas pertinent, appellantur Sacramenta.* Quam utique veritatem luculenter expendit S. Bernardus ser. 1. in cœna Domini, nu. 2. *Sacramentum*, inquit, *dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum; multa siquidem sunt propter se tantùm; alia verò propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt. Vt enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad investiendam de hæreditate aliqua, & signum est; ita ut jam dicere possit qui accipit: annulus non valet quidquam, sed hæreditas est quam quærebam; in hunc itaque modum appropinquans Passioni Dominus, de gratia sua investiri curavit suos, ut invisibilis gratia signô aliquô visibili præparetur: ad hoc autem instituta sunt sacramenta.*

Confirmari potest hæc veritas ab enumeratione: Nullum enim est Sacramentum, cui ratio signi non conveniat. Sic *Circumcisio*, Genes. 17. dicitur signum fœderis inter Deum & Abraham: & Rom. 4. vocatur *signaculum justitiæ fidei.* Sic Rom. 6. *Baptismus* dicitur significare Christi mortem, sepulturam & Resurrectionem: *Quicunque*, (inquit Apostolus) *baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Sic pariter *Eucharistia* celebratur ut signum rememorativum Passionis Christi, juxta illud Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* Idem dicendum de cæteris, &c.

Dices primò: Quod habet rationem veræ causæ respectu alicujus effectûs, non potest habere rationem signi respectu ejusdem: sed sacramenta habent rationem causæ respectu sanctitatis, cujus dicerentur signa: igitur, &c. Major constat. Minor verò probatur; Sacramentum enim dicitur à sacrando, sicut medicamentum à medicando: sed medicamentum habet rationem causæ respectu sanitatis, quam efficit; non autem signi: ergo & Sacramentum.

VIII. *Discrimen Sacramenti à medicamento.*

Distinguo minorem: habent rationem causæ physicæ nego; moralis concedo: Unde ad probationem nego paritatem: medicamentum enim dicitur à medicina; medicina autem se habet, ut causa effectiva sanitatis; inde fit ut medicamentum, quod ab ea denominatur, importet aliquam causalitatem physicam: at verò sanctitas à qua Sacramentum nominatur, non habet se per modum causæ efficientis physicæ, sed per modum causæ formalis vel finalis; est enim forma rei sacræ, forma sanctificans, & efficiens hominem sacrum ac sanctum: & sacramenta novæ legis sunt finis omnium Sacramentorum legis antiquæ: quapropter Sacramentum, quod ab ea denominatur, potius obtinet rationem signi, quàm causæ.

Instabis: Sacramenta denominantur ab eo, quod magis spectat ad eorum quidditatem & rationem genericam: sed ratio causæ magis spectat ad quidditatem, & rationem genericam sacramenti, quàm ratio signi. Probatur, quia illud magis pertinet ad quidditatem & rationem genericam sacramenti, quod est in eo perfectius: sed perfectius est esse causam gratiæ, quàm duntaxat illius signum: igitur esse causam gratiæ potius est de essentia & ratione generica sacramenti, quàm esse illius signum.

IX. *Sacramenta potius habent rationem signi quàm causæ.*

Respondeo, concessâ majore, negando minorem; ad cujus probationem nego majorem; siquidem in homine justo gratia sanctificans est id, quod in eo perfectius est; siquidem nulla res creata illam qualitatem supernaturalem potest in excellentia & dignitate æquare; non est tamen verum quòd homo justus constituatur essentialiter per gratiam; quippe cùm sit illius accidens. Adde quòd sacramenta veteris legis non habebant veram causalitatem respectu gratiæ sanctificantis; non enim illam causabant, sed duntaxat conferebant quandam sanctitatem legalem; veram autem sanctitatem tantùm significabant ac præfigurabant, per sacramenta novæ legis conferendam.

Dices secundò: Sacramentum significat quid occultum, Ephes. 3. *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo*: sed esse absconditum, est contra rationem signi: quia signum ex S. Augustino, præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid in cognitionem venire.

X. *Quâ ratione Sacramentum significet aliquid occultum, aut aliquid manifestum.*

Distinguo majorem: Si sumatur latiùs, ut idem est ac sacrum Arcanum, concedo: quia secundùm Antiquos sacra, sancta, vel sacro-sancta dicebantur, quæ violare non licebat; quales erant muri civitatum, magistratus, aut aliæ personæ in dignitatibus constitutæ, Imperatorum epistolæ, & similia: si propriè sumantur, ut hîc à nobis, nego.

Dices tertiò: Juramentum aliquando Sacramentum appellatur. 22. quæst. 3. cap. parvuli: *Qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit posteà, nec ad Sacramentum, id est, ad juramentum accedat*: at juramentum non est in genere signi; nam est confirmatio veritatis, seu contestatio per aliquid sacrum.

Et differat à juramento.

Nego minorem: Quia juramentum habet aliquam habitudinem ad res sacras, licèt aliam quàm Sacramenta, de quibus agimus. Unde Sacramentum non dicitur univocè de sacro arcano, juramento, & ritu seu signo rei sacræ: nec tamen æquivocè, sed analogicè; quia significat proportionem, quam habent ea tria ad unam sanctitatis formam, secundùm varios respectus.

Dices quartò: Genus & species, putà animal & homo sunt in eodem prædicamento: sed species Sacramentorum, ut Baptismus & Confirmatio, non sunt in eodem prædicamento ac signum; nam signum est quid relativum: Baptismus & Confirmatio sunt actiones aut passiones; Baptismus enim est ablutio, Confirmatio est unctio. Ergo, &c.

XI. *Sacramenta formaliter spectata sunt in eo ordine quô signa; non verò ut materialiter considerantur.*

Distinguo minorem: Secundùm suas naturales substantias & entitates, concedo: secundùm rationem formæ, nego: nam eorum forma, ut Sacramenta sunt, est significare gratiam cum certis effectibus, unde sunt eatenus in genere signi: ut statua ratione substantiæ naturalis est in genere substantiæ; nam est lignum aut lapis: ratione formæ artificiosæ, est in genere qualitatis, nam est figura, aut imago; sed ratione repræsentationis, & similitudinis, est in genere relatorum. Adde quòd

ratio formalis signi cùm sit relatio rationis, non reponatur in prædicamento.

Dices quintò: Si signum est de integritate Sacramenti: ergo quod non signat non est Sacramentum, & quod non signat huic, ei, cui non signat, non est Sacramentum: sed Sacramentum Baptismi nihil significat parvulo: ergo parvulo non est Sacramentum: ergo dum parvulus recipit Baptismum, non recipit Sacramentum: sed hoc est absurdum: ergo signum non est de integritate Sacramenti.

XII. Sacramentum non debet esse necessariò signum respectu suscipientis.

Respondet Seraphicus Doctor in 4. dist. 1. q. 2. Quòd Sacramentum non signat parvulo, dicendum quòd signum duplicem habet comparationem, & ad illud, quod signat, & ad id, cui signat: & prima est essentialis, & habet ipsam semper in actu, secundam autem habet in habitu, & à prima dicitur signum, non à secunda: unde circulus super tabernam semper est signum, etiamsi nullus aspiciat: sic Sacramentum semper est signum, quamvis nullus cognoscat. Sed tamen adhuc non solvitur; quia quamvis sit signum non tamen signat huic. Ideo dicendum, quòd sicut parvulo sufficit fides aliena, ita sufficit quòd significetur ipsi parvulo: unde quamvis non significet ei in se, significat tamen in alio.

CONCLUSIO SECUNDA.

XIII. Est signum sensibile.

SACRAMENTUM *est signum visibile, seu sensibus patens, sive per se, sive ratione alicujus adjuncti.* Hæc est pariter communis apud Theologos, & probatur. *Primò* quidem ex decreto Eugenii ad finem Concilii Florentini in quo decernitur Sacramenta constare rebus & verbis, tanquam materiâ & formâ: rebus, inquam & verbis corporeis, & à sensibus perceptibilibus. Id pariter constat ex Concilio Trident. totâ sess. 7.

Ut optimè probant SS. Patres.

Idem docent SS. Patres: imprimis S. Dionysius lib. de Ecclesiastica hierarchia cap. 1. *Nostra,* inquit, *Sacramenta, ordinandi ritus symbolicus existit, sensibilibus signis opus habens, ad divinorum nostri ex illis ad intelligibilia sublimationem.* Subscribit S. Chrysostomus pluribi; maximè verò homil. 60. ad populum Antiochenum, ubi loquens de adorando Eucharistiæ Sacramento, ait: *Quoniam Verbum dicit: Hoc est corpus meum: & assentiamur, & credamus, & intellectualibus ipsum oculis intueamur. Nihil enim in sensibile nobis Christus tradidit: sed sensibilibus quidem rebus, at omnia intelligibilia. Idem & in baptismate, per rem, nempe sensibilem aquam, donum confertur: intelligibile verò quod perficitur, generatio & renovatio. Si enim incorporeus esses, nuda & incorporea tibi dedisset ipse dona: sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.* Idem docet S. Augustinus tract. 8. in Joan. dum ait: *Accedit verbum ad elementum & sic fit Sacramentum:* Illud autem elementum est res sensibilis, nimirum aqua Baptismi, de qua loquitur igitur, &c.

XIV. Et Theologi.

1. Quia sunt cæremoniæ ac signacula Religionis.

Suadetur etiam ratione multiplici: *Primò* quidem: Sacramenta sunt cæremoniæ Religionis, seu sacri ritus, quibus homines in unum corpus mysticum coalescentes invicem adunantur ad Dei cultum & obsequium: sed ex S. Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum coagulari possunt homines, nisi aliquâ Sacramentorum, vel signorum visibilium consortio colligentur.* Qualiter enim (addit Guillelmus Parisiensis lib. de Sacramentis in genere cap. 2. circa medium:) se invicem socios habebunt, si se non noverint esse socios? qualiter autem hoc cognoscent, nisi communione visibili, à signo aliquo, quod non potest esse nisi visibile: igitur sacramenta debent esse sensibilia.

XV. 2. Manuducunt hominem ad notitiam intelligibilium.

Secundò. Quod inducit hominem in cognitionem intelligibilium & spiritualium, est res sensibilis; Deus enim, sicut cæteris rebus, ita etiam homini providet secundùm ejus conditionem & statum: nam Sap. 8. *Disponit omnia suaviter.* Et Matth. 25. *Dedit unicuique secundùm propriam virtutem.* Est autem homini connaturale, ut per sensibilia veniat in notitiam intelligibilium & spiritualium: Unde spiritualia describuntur in Scriptura sacra, per similitudines sensibilium, ut officia vitæ, & fidei mysteria per Parabolas & alias figuras: at sacramenta manuducunt hominem in notitiam spiritualium, nempe gratiæ sanctificantis: igitur debuerunt esse signa sensibilia.

XVI. 3. Quia debent assimilari suo principio.

Tertiò, Instrumenta debent esse proportionata causæ principi: at causa princeps & universalis nostræ salutis, est Verbum Incarnatum; instrumenta autem, quibus virtus talis causæ ad nos pervenit, sunt sacramenta: igitur ut hæc aliquam similitudinem haberent cum sua causa principe, conveniens fuit, ut essent visibilia signa, sub quibus divina virtus salutem nostram operaretur.

XVII. 4. Quia sunt in remedium peccati.

Quartò, inquit Seraphicus Doctor *in breviloquio parte 6. cap. 1.* Homo ægrotans est, non tantùm spiritus, nec tantùm caro; sed spiritus in carne mortali. Morbus autem est originalis culpa, quæ per ignorantiam inficit mentem, & per concupiscentiam inficit carnem. Origo autem hujus culpæ, licèt principaliter fuerit ex consensu rationis; occasionem tamen sumpsit carnis. Ad hoc ergo, quòd medicina correspondens esset omnibus suprà dictis, oportuit, quòd non tantùm esset spiritualis, verùm etiam aliquid haberet de sensibilibus signis: ut sicut hæc sensibilia fuerunt animæ occasio labendi, ita ei essent occasio resurgendi. Quoniam igitur signa sensibilia, quantùm est de se, non habent efficacem ordinationem ad gratiam, licèt habeant longinquam repræsentationem de sui natura; hinc est quòd oportuit, quòd ab Authore gratiæ instituerentur ad significandum, & benedicerentur ad sanctificandum: ut sic essent ex naturali similitudine repræsentantia, ex adjuncta institutione significantia: ex superaddita benedictione sanctificantia, & ad gratiam præparantia, per quam curaretur & sanaretur anima nostra.

Rursus: Quoniam gratia curativa non datur elatis, incredulis, & fastidiosis; ideo oportuit hæc signa sensibilia divinitùs dari, quæ non solùm sanctificarent, & gratiam conferrent, ac per hoc sanarent; verùm etiam significatione audirent, & susceptione humiliarent, & diversificatione exercitarent: ut sic per exercitationem exclusâ acidiâ à concupiscibili: per eruditionem exclusâ ignorantiâ à rationali: per humiliationem exclusâ superbiâ ab irascibili, tota anima curabilis fieret à gratia Spiritûs sancti, quæ reformat nos secundùm has tres potentias, ad imaginem Trinitatis & Christi.

Dices primò: Sacramenta ordinantur ad Dei cultum & regnum; instituta sunt enim, ut homo Deum coleret, & ejus gloriam obtineret: atqui res sensibiles non pertinent ad Dei cultum & regnum; nam Joan. 4. *Spiritus est Deus; & eos qui*

adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare. Et Rom. 14. *Non eſt regnum Dei eſca & potus:* igitur ſignum ſacramentale non congruè dicitur eſſe ſenſibile.

XVIII. Quomodo res ſenſibiles ad Dei cultum ordinentur.

Diſtinguo minorem: Res ſenſibiles non ſpectant ad Dei cultum & regnum, ſi conſiderentur duntaxat ſecundùm ſuam naturam, ut ſunt in ſeipſis, concedo: ſi ſpectentur quatenus ordinantur ac ſignificandas res ſpirituales, in quibos cultus ac regnum Dei conſiſtit, nego: Nam, ut inquit Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt;* ſi nimirum non habeat ordinem ad ſpirituale. Enimverò quidnam prodeſt jejunium & abſtinentia, de quibus ſermonem inſtituit Apoſtolus, ſi ſpectentur duntaxat, ut corpus exercent? Modicum quidem conferunt ad ſalutem: ſed ad id plurimùm deſerviunt, quatenus ordinantur ad finem ſpiritualem; nam monebat idem Apoſtolus ad Rom. 12. *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.*

Præclarè docet Tertullianus.

Hinc Tertullianus mirum in modum Chriſtiani corporis impenſa Deo obſeqoia, & ad ſalutem animæ emolumenta ſic effert lib. de Reſurrect. Carnis cap 8. Videamus, inquit, nonc de propria etiam Chriſtiani nominis forma, quanta huic ſubſtantiæ frivolæ ac ſordidæ, apud Deum prærogativa ſit: & ſi ſufficeret illi quòd nulla omnino anima ſalutem poſſit adipiſci, niſi dum eſt in carne, crediderit: adeo caro ſalutis eſt cardo, de qua cùm anima Deo allegitur, ipſa eſt quæ efficit, ut anima allegi poſſit. Sed & caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut & anima muniatur. Caro manûs impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima Deô ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera conjongit: Nam & ſacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, & ſeras & aridas eſcas, & appendices hujus officii ſordes, caro de proprio ſuo incommodo inſtaurat. Virginitas quoqoe & viduitas, & modeſta in occulto matrimonii diſſimulatio, & una notitia ejos, de bonis carnis Deo adolentur.

Certum eſt igitur res ſenſibiles & corporeas plurimùm inſervire ad ſalutem inſtaurandam; ac ſubinde rectô ordine Chriſtum Dominum inſtituiſſe ſacramenta in rebus ſenſibilibus, ut eſſent ſigna gratiæ inviſibilis.

Et Bernardus.

Quam utique veritatem luculenter expendit S. Bernardus ſerm. 1. in Cœna Domini *num.* 2. Sacramentum, inquit, dicitur ſacrum ſignum ſive ſacrum ſecretum; multa ſiquidem fiunt propter ſe tantùm: alia verò propter alia deſignanda, & ipſa dicuntur ſigna, & ſunt. Ut enim de uſualibus ſumamus exemplum: dator annulus abſolutè propter annulum, & nulla eſt ſignificatio: datur ad inveſtiendum de hæreditate aliqua, & ſignum eſt: itaut jam dicere poſſit qoi accipit; annulus non valet quidquam, ſed hæreditas eſt quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans paſſioni Dominus, de gratia ſua inveſtire curavit ſuos, ut inviſibilis gratia ſignô aliquô viſibili præſtaretur: ad hoc inſtituta ſunt omnia ſacramenta, &c.

Dices ſecundò: S. Auguſtinus l. 2. de lib. arb. cap. 11. ait: *Species quorumlibet corporum, ſine quibus rectè vivi poteſt, minima bona ſunt.* Sed ſacramenta non ſunt minima bona, nec ſine illis rectè vivi poteſt: ergo non ſunt ſpecies corporum, ſeu res ſenſibiles.

XIX. Quomodo corporalia bona ſunt minima boaa.

Reſpondeo S. Auguſtinum nihil aliud ſignificare, quam quòd ſpecies corporum ut ſunt in ſua natura, ſeu ſpectata ſecundùm vim & proprietates naturæ ſuæ, ſunt equidem minima bona, concedo: ut aſſumuntur ad ſignificanda ſpiritualia, & inſerviunt iis aſſequendis, quæ ſunt maxima bona, nego.

Dices tertiò: Nicolaus ſummus Pontifex, ut refertur quæſt. 27. cap. 2. decrevit quòd ſufficiat ſecundùm legem ſolus conſenſus ad matrimonium, de quorum conjunctionibus agitur: ſed conſenſus non eſt quid ſenſibile: ergo ad ſacramentum matrimonii non requiritur aliquid ſenſibile.

XX. Quis conſenſus ad matrimonium ſufficiat.

Diſtingue majorem: Solus conſenſus partium contrahentium per aliquod ſignum externum declaratus ſufficit ad matrimonium etiamſi non adſit conſenſus parentum, nec carnalis copula; aut alia ejuſmodi, concedo: conſenſus ſolus nullô ſenſibili ſignô declaratus, nego: Et ſimiliter diſtinctâ minore, neganda eſt conſequentia; nam ad matrimonium requiritur, ut contrahentium, conſenſus exteriori ſignô manifeſtetur, putà verbis, actibus aut nutibus ſenſibilibus, ut conſtat ex cap. *Cùm apud, &c. de ſponſalibus.* Nec aliud certè voluit ſummus Pontifex, cùm ait quod conſenſus ſolus matrimonium efficiat: hæc enim profert, ut excludat neceſſitatem copulæ carnalis; quia, inquit, conſenſus cohabitandi, & individuam vitæ conſuetudinem retinendi interveniens conjuges facit.

Dices quartò: Contritio eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, & corpus Chriſti efficit ſacramentum Euchariſtiæ: ſed illa non ſunt ſenſibilia: igitur ſacramentum non neceſſariò debet eſſe ſenſibile.

Diſtinguo minorem: Iſta non ſunt ſenſibilia per ſe, concedo: per aliud, nego: nam per accuſationem peccatorum, per tunſionem pectoris, per lacrymas & gemitus, & alia ſimilia externa, contritio declaratur, ac manifeſtatur; quemadmodum corpus Chriſti manifeſtatur per conſecratas ſpecies Euchariſticas; ac proinde neganda eſt conſeqoentia.

XXI. Tria diſtinguuntur in Sacramento.

Confirmatur hæc reſponſio; quia tria in ſacramento diſtinguenda ſunt, nempe res tantùm, ſacramentum tantû, & res ac ſacramentum ſimul. Res tantùm ſignificatur & non ſignificat; ac ſubinde poteſt eſſe inſenſibilis, quæ per ſenſibilia manifeſtetur ac ſignificetur: ſignum tantùm eſt id quod aliud notificat, hocque neceſſariò debet eſſe ſenſibile: ex his autem duobus integrum perficitur ſacramentum; non quidem integritate ſignificationis, quod ſolùm pertineat ad materiam & formam ſenſibilem; ſed integritate perfectionis; quia ſignum non habet completam ac perfectam ſignificationem, quando non adeſt res ſignificata.

XXII. Deus poteſt inſtituere rem ſpiritualem pro ſigno efficaci gratiæ: ſed non foret Sacramentum.

Non diffiteor tamen Deum ſtatuere potuiſſe aliquid merè ſpirituale, putà ſolam mentalem Chriſti Domini paſſionis meditationem, piam cogitationem, affectum mentis in Deum, internam delictorum deteſtationem, in peccati remedium, & efficax gratiæ conferendæ ſignum. Verùm dico quòd iſta non forent propriè dicta ſacramenta; hæc enim non ſolùm ſunt peccati remedia: ſed etiam Religionis cæremoniæ, divinæ voluntatis erga nos dilectionis argumentum, & noſtri cultûs erga Deum pignora. Undehîc nobis non eſt

ſermo de mediis, quæ Deus instituere potuiſſet ad gratiam Angelis impertiendam, ſed de mediis à Deo præſcriptis ad restituendam, & cooferendam homioibus gratiam.

Conclusio Tertia.

XXIII. *Sacramentum est ſignum practicum ſanctitatis.*

SACRAMENTUM *eſt ſignum practicum Sanctitatis, non legalis & externa: ſed interna: non futura, ſed præſentis & in ipſo ſuſcipiente.* Hæc concluſio tres habet partes, quarum *prima* communis eſt apud Theologos, nempe quòd Sacramentum ſit ſignum practicum, id eſt, effectivum ſive moraliter, ſive phyſicè illius gratiæ quam ſignificat; eſtque definita in Concilio Florentino in decreto unionis, ubi hoc ſtatuitur diſcrimen inter ſacramenta veteris & novæ legis, quòd *illa non cauſabant gratiam, ſed eam ſolam per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; hæc verò noſtra & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Similiter Concilium Trident. ſeſſ. 7. can. 6. ita decernit: *Si quis dixerit ſacramenta nova legis non continere gratiam quam ſignificant, & gratiam iſtam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantùm externa ſint, acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quadam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.*

Ut definitur in Conciliis.

Quam utique veritatem ex Scripturæ ſacræ, & SS. Patrum oraculis confirmare licet: nam paſſim aſſeritur Sacramentum novæ legis habere vim cauſandi gratiam, & remittendi peccata. Sic Joan. 3. Chriſtus D. ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei*, ubi regeneratio ſpiritualis quæ fit per gratiam, baptiſmo & Spirituiſancto, tanquam cauſæ tribuitur; Spiritui ſancto quidem, tanquam cauſæ principali, baptiſmo verò tanquam inſtrumentali; unde ſanctus Auguſtinus tract. 80. in Joan. *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat?* Cui ſubſcribit S. Leo ſerm. 4. de Nativitate, ubi ait: *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis inſtar eſt uteri Virginalis, eòdem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem; ut peccatum quod ibi evacuavit ſacra Conceptio, hîc ſolvat ablutio.* Idem dicendum de aliis Sacramentis, ut fuſiùs probabimus infrà, dum Sacramentorum efficacitatem expendemus.

Colligitur ex S. Scriptura.

Et SS. Patribus.

XXIV. *Non quidem ſanctitatis legalis & externæ, ſed internæ.*

Secunda pars, nempe quòd Sacramentum propriè dictum conferre debeat ſanctitatem internam, Probatur contra quoſdam Theologos *vel* negantes cum *Cano* in relectione de Sacrament. part. 1. eſſe de ratione ſacramenti, quòd conferat ſanctitatem internam, ſed ſufficere quòd conferat aliquam ſanctitatem, ſub disjunctione nempe, aut legalem & externam; aut Evangelicam & internam: *vel* aſſerentes cum *Suare* diſp. 1. ſect. 2. quòd ad rationem ſacramenti requiratur ut conferat aliquam ſanctitatem ſaltem legalem, & ſignificet veram & Evangelicam juſtitiam. Probatur inquam *Primò*, quia ad rationem Sacramenti requiritur ſignificatio, quæ ipſum diſtinguat ab eo omni quod non eſt ſacramentum: ſed ſanctitas legalis & imperfecta non diſtinguit ſacramentum ab omnibus quæ non ſunt ſacramenta: igitur ſacramentum non poteſt ſignificare ſanctitatem legalem & externam. Major eſt evidens: ſacramentum enim debet eſſentialiter differre ab eis, cum quibus convenit in ratiooe ſignificandi rem ſacram, quæ tamen non ſunt ſacramenta. Minor verò probatur: nam in veteri lege plurima erant, quæ legalem ſanctificationem cauſabant & ſignificabant, nec tamen erant ſacramenta, ut colligitur ex illo ad Hebr. 9. ubi Apoſtolus loquens de veteri lege, ait: *Juxta quam munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodò in cibis & in potibus, & in variis baptiſmatibus & juſtitiis carnis ad tempus correctionis*: nemo autem dixerit omnes illas cæremonias, ablutiones & juſtitias carnis, fuiſſe ſacramenta; ac proinde ratio ſacramenti non poteſt conſiſtere in ſola ſignificatione ſanctitatis legalis. *Secundò*, etiam in lege gratiæ plurima ſunt, quæ habent rationem cæremoniæ ſacræ, nec tamen ſunt ſacramenta; enimverò *Prima tonſura* eſt cæremonia ſacra, per quam homo cultui divino mancipatur, quæ proinde aliquam ſanctitatem confert & ſignificat, nec tamen eſt ſacramentum. Similiter *aqua luſtralis* & *ſignum crucis* cùm ſint cæremoniæ ſacræ, conferunt ſuſcipienti ſanctitatem aliquam, delent enim peccata venialia, & inſerviunt ad abigendas infeſtationes dæmonum ab anima; nec tamen ſunt ſacramenta: igitur ad rationem formalem ſacramenti non ſufficit, quòd ſignificet & conferat aliquam ſanctitatem in genere, ſed requiritur quòd conferat aliquam ſanctitatem internam in eo qui ſacramentum ſuſcipit. Unde

Probatur tertia pars contra quoſdam Thomiſtas docentes ad rationem ſacramenti ſufficere, quòd ſignificet ſanctitatem aliquam de facto collatam per ſacramentum, dummodò præfiguret ac præſignet veram ſanctitatem per aliud conferendam. Quâ ratione contendunt ſacramenta Veteris legis veram habuiſſe rationem ſacramenti, & univocè cum ſacramentis Novæ legis convenire; quia illa ſignificabant gratiam per Chriſtum conferendam.

XXV. *Nec ſolùm ſanctitatis futuræ, ſed præſentis.*

Probatur, inquam, primò (inquit Gonetus) ex S. Thoma q. 60. a. 2. docente quòd *ſacramentum eſt ſignum rei ſacræ, in quantùm eſt ſanctificans homines*, nempe ſuſcipientes ſacramentum, ut colligitur ex ſolut. ad 2. ergo cenſet de ratione ſacramenti eſſe quòd ſignificet perfectam ſanctitatem in actuali uſu & ſuſceptione ſacramenti ſuſcipienti conferendam. Unde in 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtione.* 1. *ad* 3. docet ſerpentem æneum à Moïſe in deſerto juſſu Dei elevatum non fuiſſe ſacramentum; & rationem aſſignat dicens: *Quamvis ſerpens æneus eſſet ſignum rei ſacræ ſacrantis, non tamen in quantùm ſacrans eſt actus: quia non ad hoc adhibebatur, ut aliquis ſanctificationis effectus perciperetur.*

Ut etiam docet S. Thomas.

Probatur ſecundò ex variis definitionibus, quas SS. Patres ac ſacri Doctores proferunt de ſacramentis; nam S. Iſidorus lib. 6. etymologiarum, ſacramentum ſic definit: *Sacramentum eſt, per quod ſub tegumento rerum viſibilium divina virtus ſecretiùs ſalutem operatur.* Quam utique definitionem Gratianus 1. quæſt. 1. cap. *Multi ſæculariùm*, &c. tribuit S. Gregorio; illam verò ſanctus Thomas in 4. diſt. 1. quæſt. 1. attribuit S. Auguſtino. Reipsà quidem utriuſque dici poteſt, licèt quoad formam verborum ſit S. Iſidori: at divina virtus per ſacramenta ſeſe effuodens & explicans, ſalutem non operatur, niſi quatenus hæc gratiam ſanctificantem reverà ſignificant: igitur, &c. Idem conſtat ex definitione quam tradit Hugo Victorinus lib. 1. de ſacramentis part. 9. cap. 2. ubi ait: *Sacramentum eſt corporale elementum foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſan-*

Et colligitur ex variis definitionibus ſacramenti.

Maximè S. Iſidori,

Hugonis Victorini.

ctificatione continens invisibilem & spiritualem gratiam, &c.

Ad idem conspirat definitio quam tradit Magister in 4. dist. 1. ubi ait: *Sacramentum est invisibilis gratia visibilis forma, ejusdem gratiæ similitudinem gerens, & causa existens.* Unde concludit: Non ergo significandi tantùm gratiâ sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi; quæ enim significandi gratiâ tantùm instituta sunt, solùm sunt signa & non sacramenta: sicut fuerunt sacrificia carnalia, & observantiæ cæremoniales veteris legis, quæ nunquam poterant justos facere offerentes; quia, ut ait Apostolus Hebr. 9. Sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, non animæ.

Ac S. Pii V.

Tandem id etiam patet ex definitione Catechismi S. Pii V. ubi dicitur: *Sacramentum est invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram justificationem institutum.* Constat igitur ex his definitionibus, quòd sacramentum debeat formaliter significare sanctitatem veram in suscipiente; vera autem sanctitas ea est quæ per gratiam confertur: igitur, &c.

XXVI. 2. Quia plura fuerunt signa gratiæ per Christum D. conferendæ quæ non fuerũt sacramenta.

Probatur insuper: Nam (inquit Hiquæus in Commentario ad præfatum locum Doctoris:) Omnia quæ in lege veteri fiebant, significabant gratiam per Christum conferendam, quia 1. *ad Corinth. 2. omnia ipsis in figura contingebant.* & ad Coloss. 2. ait Paulus *legem fuisse umbram futurorum*: illa autem omnia non fuerunt sacramenta: ergo significare sanctitatem per aliud conferendam, non est ratio constitutiva sacramenti.

Confirmatur, Agnus Paschalis, & manna significabant Eucharistiam, transitus maris rubri erat figura gratiæ baptismalis, serpens æneus passionis Christi, & Redemptionis humanæ: *Omnes*, inquit Apostolus, *in Moisè baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt.* Item omnia sacrificia, oblationes, expiationes legis, significabant gratiam sacramentalem per Christum conferendam, ut docent Florent. *in decreto unionis*, Trident. *sess. 7. de Sacramentis in genere*, non fuerunt tamen sacramenta: sic sacrificium Abel, Abraham & Melchisedech, conjugium primorum parentum, missio columbæ super Christum baptizato, significabant Spiritum sanctum; sicut & ignis descendens super Apostolos. Idem patet de cruce & multis aliis cæremoniis in lege nova institutis, quæ tamen non sunt sacramenta, ut omnes admittunt.

XXVII. Ad rationẽ sacramenti non sufficit quòd instituatur ad cultum Religionis.

Reponunt, sufficere ad sacramentum, quòd instituatur ad cultum Religionis, & significet veram sanctitatem.

Contra primò, sacrificia legis naturæ totum hoc habebant, non fuerunt tamen sacramenta, ut ipsi concedunt. Antecedens patet de sacrificio Abel, qui sicut gessit figuram Christi, ita etiam sacrificium ipsius, quod fuit placitum Deo, figura fuit sacrificii Christi. Idem patet de oblatione Isaac, & vervecis, quem Deus substituit, in quibus passio Christi figurabatur.

Secundò; Crux, & multæ cæremoniæ legis novæ, ut exorcismus, insufflationes, significant gratiam per Christum collatam, & victoriam contra dæmonem, sunt etiam instituta in cultum: ergo in his duobus etiam conjunctim sumptis non consistit ratio specialis sacramenti.

XXVIII. Res materialis aliter usurpatur ad cultum Dei per sacrificium.

Tertiò, Sacramentum eatenus spectat ad cultum Dei, quà est usus rei materialis & externæ assumptus ad effectum ipsius cultûs quem significat: sed effectus cultûs divini, ad quem significandum assumitur sacramentum, est hominis significatio: igitur, &c. Major constat. Minor vero probatur: Triplex in genere est usus rei materialis assumptus ad effectum cultûs Dei significandum. *Primus* est, quando offertur Deo immediatè vel mediatè in attestationem excellentiæ suæ, & subjectionis creaturæ ad ipsum, ut sunt oblationes, sacrificia, templa, altaria, decimæ & hujusmodi. *Secundus* est, quando assumitur aliquid divinum in nostrum usum, in quo subjicit se homo Deo: sic ordinariè contingit in juramento, quando assumitur Dei nomen ad confirmandam veritatem, & sic subjicitur homo Deo, tanquam primæ regulæ veritatis, ex cujus reverentia operatur. *Tertius* modus contingit, quando assumitur aliquid divinum ad nostram sanctificationem, ut homo magis dispositus & idoneus reddatur, ut ei serviat, & hic usus est sacramentorum: ergo sacramenta eatenus faciunt ad usum Religionis, quatenus sanctificant hominem: sed non sanctificarent hominem, nisi causarent sanctitatem in ipso: ergo hanc causare spectat ad essentiam sacramenti, quatenus ex sua institutione facit ad cultum Religionis, & secundùm hanc rationem tantùm est diversus usus eorum, & particularis, ut distinguuntur à sacrificio, & aliis quæ instituta sunt in cultum Religionis.

Aliter per juramentum.

Et aliter per sacramentum.

Reponunt secundò, de ratione sacramenti esse, ut quidem significet sanctitatem veram & simpliciter; & saltem causet sanctitatem secundùm quid, nempe legalem.

XXIX. Legalia conferebãt duntaxat sanctitatem externam.

Contra, Sanctitas legalis est tantùm sanctitas exterior corporis, quam conferebant legalia, ut sanctificati possent ingredi templum, & admitti ad sacrificium, ut ex sancto Augustino observat Magister sentent. dist. 1. his verbis: *Nihil aliud intelligo per inquinationem, quam lex mundat, nisi contactum mortui hominis, quem qui tetigerat, immundus erat septem diebus, sed purificabatur secundùm legem die 3. & 7. & ita mundus erat, ut jam intraret in templum*: igitur in ordine ad talem sanctitatem legalem non desumitur ratio sacramenti; sacramentum enim ex nominis ethymologia dicitur, quasi *sacrans mentem*, seu *sacratio mentis*: sacrificia autem veteris legis nullatenus sacrabant mentem: sed duntaxat corpus mundabant, ut docet S. Paulus ad Hebr. 9. his verbis: *Si sanguis hircorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi qui per Spiritum sanctum, semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis? &c.* Quibus verbis Apostolus discrimen statuit inter sacramenta veteris & novæ legis, quòd illa tantùm conferebant sanctitatem corporis, hæc verò animæ. Unde immunditia legalis non habuit alium effectum, quam eum quem habet excommunicatio, & aliæ irregularitates, quibus quis excluditur à sacramentorum perceptione, administratione, Ecclesiæ ingressu, &c. ac proinde absolutio ab illis non est verum sacramentum.

Dices: Concilium Florentinum & Tridentinum, nec-non & plurimi è SS. Patribus, sacramenta veteris legis appellant sacramenta sine ulla limitatione aut distractione: ergo supponunt illa veram habuisse rationem sacramenti, ac univocè cum sacramentis novæ legis convenire.

Nego antecedens: Nam sufficienter SS. Patres

ac

ac Concilia hanc limitationem declarant, cùm aiunt ſacramenta veteris legis nun cauſare gratiam ſanctificantem: ſic enim ſufficienter notificant illa ſacramenta non habuiſſe veram rationem ſacramenti, nec univocè, ſed duntaxat æquivocè cum noſtris ſacramentis convenire.

Dices ſecundo: Plurima ſunt ſigna practica gratiæ, quæ non ſunt ſacramenta: igitor ſacramentum non habet id peculiare qoòd ſit ſignum practicum gratiæ. Probatur antecedens: *Lignum vitæ* in Paradiſo ſignificabat gratiam; nam ex S. Aug. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 21. *Myſticâ demonſtrabat ſignificatione, quid per ſapientiam, cujus figuram geſtabat, conferretur animæ rationali, ut alimentô ejus vivificata, nequaquam in labem, mortemque nequitiæ verteretur*: atqui lignum vitæ non erat ſacramentum propriè dictum. *Item* immolatio Iſâac ſignificabat Paſſionem Chriſti. *Similiter* columba in caput Chriſti deſcendens, ſignificabar præſentiam Spiritûs ſancti: ſed hæc non erant ſacramenta: igitur id non debet cenſeri ſacramentum, quod eſt ſignum practicum gratiæ.

XXX. Plura ſignificant gratiã præſentem, nec tamen ſunt Sacramenta.

Nego conſequentiam: Nam differentia ſacramenti propriè dicti, de qua agimus, non eſt quælibet ſignificatio gratiæ ſanctificantis, ſed gratiæ ſanctificantis hominibus applicatæ, dum uſus externi ſigni applicatur; qualia non erant præfata ſigna, quæ ſignificabant gratiam per uſum externi ſigni quibuſlibet hominibus, non autem uni duntaxat applicandum.

Vrgebis: Sunt etiam aliqua ſigna practica gratiæ, quæ illam præſentem ſignificant per uſum ſigni applicatam; nec tamen ſunt ſacramenta: igitur, &c. Patet antecedens ex verbis, quibus uſus eſt Chtiſtus D. cùm Lucæ 7. Magdalenæ ait: *Remittuntur tibi peccata tua*. Similiter cùm Joan. 20. dixit Apoſtolis: *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* Verba enim illa ſignificabant gratiam præſentem, quæ conferebatur ex vi ſignificationis verborum.

Respondeo negando antecedens; illa enim verba, non ſignificabant gratiam practicè, ſed tantùm demonſtrativè; maximè ea quibus Chriſtus Magdalenam allocutus eſt; illa enim non erant ſigna practica, ſed demonſtrativa gratiæ per pœnitentiam, & amorem perfectum cauſatæ: itaut ad ejus gratiæ productionem neceſſarium non fuerit uti aliô mediô extraordinariô, quàm fidei & pœnitentiæ; quod indicant verba ſubſequentia: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*, &c. Unde S. Gregorius homil. 25. in Evangelia, ait: *Amando veritatem, lavit lacrymis maculas criminis, & vox veritatis impletur quâ dicitur: dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multùm*, &c. Ad ſecundum dico revera quidem, quando Chriſtus Joan. 20. illa verba protulit, conceſſum fuiſſe Apoſtolis Spiritum ſanctum; nihilominus verba iſta non fuiſſe ſacramentalia; nam ad rationem ſacramenti non ſufficit qoòd ſignificet gratiam practicè, reſpectu quorundam duntaxat & tranſitoriè: ſed neceſſum eſt ut iſtud ſignificet permanenter reſpectu totius communitatis & ſocietatis, in cujus ſacram confœderationem inſtitutum eſt, & cujus uſus fiat per determinatum miniſtrum in ipſa ſocietate. Quod utique præfatis verbis non convenit; ſemel enim duntaxat dicta ſunt, idque tantùm à Chriſto D. & directa ad ſolos Apoſtolos.

Conclusio Quarta.

XXXI. Expenditur Sacramenti definitio.

SACRAMENTUM rectè definitur, *ſignum ſenſibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris*. Ita Doctor *diſt*. 1. *q*. 2. *num*. 9. cujos quidem definitionis veritas apparebit ex ſingularum illius particularum explicatione.

Primò itaque dicitur *ſignum*, in qoo convenit non ſolùm cum ſacrificiis, ſed etiam cum aliis omnibus rebos determinatis ad aliud ſignificandum. *Secundò*, additur *ſenſibile*, hoc eſt, in materia ſenſibili inſtitutum propter rationes in ſecunda concluſione aſſignatas. Sequitur *ex inſtitutione divina*; cùm enim res, quæ ad ſacramentum uſurpantur, non ſint ſigna naturalia, nec naturalem habeant connexionem cum gratia quam ſignificant, neceſſum eſt quòd ad id uſurpentur ab eo, qui poteſt ad illorum ſignorum poſitionem & præſentiam, gratiam producere, qualis eſt ſolus Deus, aut Deus homo Chriſtos D. Subditur, *efficaciter ſignificans*, per quod à vera ratione ſacramenti arcentur non ſolùm ſacramentalia, quales ſunt cæremoniæ ſacræ, nec-non & aqua benedicta, &c. ſed etiam ſacramenta veteris legis, quæ gratiam non conferebant ſuſcipientibus, ſed tantùm figurabant. Additur, *aut effectum Dei gratuitum*, ut nempe ſacra Euchariſtia comprehendatur ſub ſacramentis; convenit enim Euchariſtia cum reliquis ſacramentis in eo quòd ſit ſignum rei ſacræ, ſive gratiæ inviſibilis, prout hæc ſignificat bonum aliquod naturæ ſuperadditum inſtitutum ad hominis ſalutem, ſive ſanctificationem; differt autem in principali ſignificato, quia cætera ſacramenta ſignificant gratiam accidentalem animæ inhærentem; hoc verò ſignificat gratiam ſubſtantialem & gratiarum omnium Authorem & fontem. Inſuper cætera ſacramenta conſiſtunt in uſu, Euchariſtia autem, etiam dum actualiter non ſumitur, conſervat rationem ſacramenti, ut docet Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. his verbis: *Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, cum cæteris ſacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem: verùm illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quòd reliqua ſacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur, at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis Author ante uſum eſt*.

Fateor tamen particulas iſtas, *gratuitus effectus*, ſaluâ definitionis bonitate omitti poſſe; nam per *gratiam* poteſt intelligi tum accidentalis, quum ſubſtantialis gratia: licèt majoris claritatis causâ Doctor ſubtilis utramque gratiam diſtinctè expreſſerit; quia vocabulum *gratia* à Theologis uſurpari ſolet ad ſignificandam gratiam accidentalem.

Ad ſolius hominis viatoris ſalutem ordinata.

Tandem dicitur ordinatl ad ſalutem hominis viatoris: ſacramenta namque medecinæ ſunt. Sicut ergo medicina mortuis eſt inutilis, ſanis ac ritè valentibus ſuperflua, ſolis ægris neceſſaria: Illa pariter nihil proſunt damnatis, quibus nulla reſtat ſperanda ſalus; quippe cùm in inferno nulla ſit futura redemptio: Beatis eſſent ſuperflua, nulla ſiquidem in eis eſt curanda nec pertimeſcenda infirmitas: ſed neceſſaria ſunt omnibus viatoribus, quorum nullus eſt mundus à ſorde, nullus pariter qui ad æternam beatitudinem dum vivit, non ordinetur.

Dices. Eucharistiæ sacramentum suscipi & Missæ sacrificium celebrari potest pro defunctis. *Distinguo:* Per modum suffragii, concedo; sacramenti, nego: licèt enim per Missæ sacrificium & Eucharistiæ susceptionem possit viator compensare injuriam Deo à defuncto dum viveret irrogatam, sicque pro eo debitum solvere, & à pœnis eximere, nullus tamen eis valet aliqua sacramenta ministrare; & si ministrarentur animæ in assumpto corpore apparenti, nihil prodessent, quippe cùm sit in termino, nec capax ullius amplius meritorii operis, qualis est sacramentorum susceptio, dicente Dominô: Ubi ceciderit arbor, ibi manebit. Et licèt non sint in termino statûs; sunt tamen in termino meriti ac demeriti per mortem; dicente Dominô: Operamini dum lucem (id est vitam) habetis, venit enim nox (mors) in qua nemo potest operari.

Dices: Illud non potest definiri quod non est unum per se: at sacramentum non est unum per se, sed per accidens: igitur nullatenus est definibile.

XXXII. Sacramentum non potest definiri physicè, sed tantùm Logicè; id est, non propriè, sed impropriè.

Distinguo majorem. Quod non est unum per se, nec physicè, nec metaphysicè: nec logicè, hoc est, quod non constituitur ex materia & forma, nec ex genere & differentia, nec aliquid in se complectitur, quod concipiatur per modum generis & differentiæ, concedo: secus, nego. Unde ad minorem dico, sacramentum equidem non esse unum per se physicè aut metaphysicè, *sed* duntaxat logicè; nam, ut ait Doctor suprà laudatus *num.* 7. Quemadmodum relatio est definibilis, licèt involvat fundamentum & terminum: sic & sacramentum definibile est, licèt dicat relationem » signi ad significatum: Ita enim, *inquit*, est iste conceptus per se unus apud intellectum, signum ad placitum efficax, sicut est conceptus paternitatis: & sicut paternitas posset definiri propriè non obstante non unitate per se subjecti, si paternitas esset in duobus subjectis, & illa subjecta ponerentur in definitione ut additamenta; poneretur etiam correlativum paternitatis: ita in proposito.

Habet enim unitatem, si non rei, saltem conceptûs.

» *Unde subdit:* Restringendo ergo definitionem ad *quid* propriè dictum extra animam, ista definitio non exprimit *quid* sacramenti: ergo non potest esse definitio, eô modô, quô est ratio entis completi extra animam: sed eô modô quô definitio exprimit unum conceptum per se in intellectu, sive ille conceptus sit rei extra, sive rationis, bene potest definiri: & hôc modô tantùm definiuntur omnes intentiones Logicales: non enim signant quidditates extra animam, sed tantummodò conceptus in anima, sed per se unos. Et sic habere definitionem sufficit ad scientiam propriè dictam; alioquin Logica non esset scientia. In talibus definitionibus etiam invenitur genus, differentia & proprium, eô modô, quô Logicus loquitur de genere, differentia & proprio: quia invenitur prædicatum in *quid*, & in *quale essentiale*, & in *quale accidentale*, convertibile; & sic in ratione prædicta ponitur *signum* ut genus: *ex institutione & efficax*, ut differentia: *sensibile* verò, ut fundamentum relationis; *gratia* verò vel *effectus Dei gratuitus* ut correlativum.

Fatetur ergo Doctor quòd sacramentum non possit propriè definiri definitione reali physicâ aut metaphysicâ, quæ supponat unum ens per se reale constans vel materiâ & formâ, vel genere & differentiâ, hâc enim ratione sacramentum non est unum; sed duntaxat definitione intentionali seu Logicâ, quæ fiat per aliquid se habens ad modum generis & differentiæ.

Vel, habet unitatem non materialem, sed formalem.

Vel aliter *distinguo minorem:* Sacramentum non est unum per se, si spectetur physicè, ratione naturalis entitatis, & materialiter, concedo: si moraliter, ut instrumentum artificiale divinum, & supernaturale medium ad homines sanctificandos institutum à Deo, nego. Nam etsi constet pluribus divisis & diversi generis materialiter; est tamen unum per se formaliter: quia formam unam habet, putà significationem gratiæ sanctificantis: sicut etsi domus constet multis entibus diversi generis, lapidibus, ferro, lignis, materialiter; est tamen unum artefactum per se; quia formam unam habet, figuram habitationi commodam: ut etiam familia, Respublica, Civitas & similia.

Dices secundò: Quod non est reale, non definitur propriè: sacramentum ratione formæ non est reale quid; ea quippe forma solùm est significatio ex instituto, quæ relatio rationis est, ut docet Doctor locô suprà laudatô.

XXXIII. Est etiam reale fundamentaliter, si non formaliter.

Distinguo majorem: Si non sit reale fundamentaliter, concedo: si non sit reale formaliter, nego: civitas enim etsi formam non habeat realem, non desinit esse reale quid quod definiri potest: quia fundamentum ejus est reale. Idem dicas de sacramento, cujus relatio signi ad significatum licet non sit realis; quia est signum ex instituto, tamen cùm res & verba ex quibus constat sint realia, hac ratione potest definiri.

Dices tertiò: Quod potest definiri, dicitur reponi in aliqua categoria: atqui nulla potest assignari categoria, in qua reponi possit sacramentum: ergo, &c.

Licèt non possit in cathegoria reponi.

Respondeo distinguendo majorem: Si sit ens per se, nempe substantia, vel aliud absolutum: concedo: si sit ens per accidens, subdistinguo: ens per accidens quod componitur ex subjecto, & accidente, transeat; de hoc enim controvertunt Philosophi: ens per accidens artificiosum, quod constituitur ex diversis entibus, sive realiter, sive intentione tantùm unitis, nego. *Deinde*, concessâ minore, neganda esset consequentia, quia sacramentum est ens artificiosum, quod constituitur ex pluribus entibus intentione tantùm unitis.

COROLLARIUM.

XXXIV. Rejicitur definitio Carolostadii & Sacramentariorum.

EX his apparet inanes esse ac omnino rejiciendas omnes definitiones quas hæretici tradere solent ac propugnare, maximè Sacramentarii, Lutherani, Anabaptistæ, & Calvinistæ.

Sacramentarii quorum princeps videtur Carolostadius quondam Vuitembergæ Archidiaconus, à quo Lutherus lauream doctoralem acceperat; qui partes & doctrinam Lutheri initiô quidem propugnavit, sed impatienter ferens sibi anteponi Lutherum, ab eo prorsus defecit, & novæ sectæ parens dici voluit, nempe Sacramentariorum. Is autem sacramenta nihil aliud esse vult, quàm signa & notas Christianæ professionis, quibus à Judæis & Paganis discernimur; ut olim toga Romanos à Græcis palliatis discernebat; & jam varia vestium genera non solùm distinguunt varias nationes, sed & varios Civium ac Religiosorum Ordines, sicut tesseræ & vexilla milites.

Verum refelluntur, quia iste secundarius est, non verò primarius sacramentorum effectus; unde Scriptura non assignat eum Eucharistiæ,

Baptiſmo, alteriſve ſacramentis effectum, ut diſtinguant Chriſtianos, ſed quòd juſtificent, mundent, ſalvent & vitam æternam ac immortalem tribuant. *Secundò*, ſi ſacramenta ſolùm eſſent notæ diſtinctionis Chriſtianorum, ad ea ſufficeret hominum inſtitutio, nec opus eſſet Chriſti paſſione; ſed hâc opus fuit. Ideo dicuntur à Patribus è perfoſſo Chriſti latere ſub ſanguinis & aquæ figura profluxiſſe. Unde S. Auguſtinus tract. 126. in Joannem ſignanter obſervat Evangeliſtam Chriſti lateris transfixionem non abſque myſterio ſic expreſſiſſe: *Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit*; nam, inquit ſanctus Auguſtinus: *vigilanti verbò uſus eſt Evangeliſta, ut non diceret, latus ejus percuſſit, aut vulneravit, aut quid aliud; ſed aperuit, ut illîc quodammodò vitæ oſtium panderetur, unde ſacramenta Eccleſiæ manârunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera vita eſt, non intratur.* Tertiò tandem, ſi ſacramenta nihil aliud eſſent, quàm ſigna quibus ab infidelibus diſcernimur, ſequeretur Symbolum fidei poſſe dici ſacramentum; ſiquidem per ejuſmodi fidei profeſſionem à Judæis & Paganis diſtinguimur.

XXXV. Lutheranorum.

Lutherani cum Luthero lib. de captivitate Babylonica cap. ultim. dicunt quòd *Sacramentum eſt divina promiſſio exteriori ſignô annexa*; vel, ut aiunt in Confeſſione Auguſtana art. 13. *Sacramenta dicuntur ſigna voluntatis Dei erga nos ad excitandam in ſuſcipientibus fidem, ut credant promiſſionibus quæ per ſacramenta exhibentur.*

Verùm, utraque definitio rejicitur: Prima quidem, quia ſacramenta ſecundùm SS. Patres ſunt ſigna & ſymbola alicujus effectûs per ejuſmodi ſigna collati; & qui ſacramentum recipit, dicitur recipere ſignum, non verò promiſſionem Dei: & ſubinde ſacramenta non ſunt ipſæ Dei promiſſiones, aut res à Deo promiſſæ, ſed potiùs externa ſigna promiſſionem habent gratiæ annexam.

Deinde. Si in ea promiſſione annexa ſigno externo conſtituenda eſſet ratio ſacramenti, excluderentur à ratione ſacramenti, tum Baptiſmus, tum Euchariſtia; nam in his verbis: *Ego te baptizo, &c.* nulla habetur gratiæ promiſſio, ſicut nec in his verbis, *Hoc eſt corpus meum.* Secunda pariter reſpuitur; nam ſi ſacramenta ſint ſigna ad excitandam fidem prærequiſita in ſuſcipientibus, ut credant promiſſionibus quæ per ſacramenta exhibentur, ſequitur quòd fruſtra baptiſarentur infantes & amentes, quia non poſſunt actum fidei producere; attamen Lutherani adverſus Anabaptiſtas infantium baptiſma propugnant.

XXXVI. Melanctonis.

Melanctonis etiam definitio reſpuitur, qui in examine eorum quæ audiuntur ante ritum publicæ ordinationis tit. de ſacramentis, ait: *Sacramentum in novo Teſtamento, ut Eccleſia loquitur, eſt ritus divinitus inſtitutus additus promiſſioni Evangeliò traditæ, ut ſit teſtimonium & pignus adhibitæ & applicatæ promiſſionis gratiæ*: Vel ut breviùs definit in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, *Sacramenta ſunt ritus, qui Dei mandatum habent, & quibus addita eſt promiſſio gratiæ.* Refellitur, inquam, hæc definitio. Primò, quia vult Melancton, Dei mandatum ad ſacramenta neceſſarium, haberi in Scripturis: illud autem eſt falſum, quia Circunciſio, Baptiſmus & Euchariſtia, quæ hæretici vera ſacramenta admittunt, inſtituta fuerunt longè priùs, quàm ſcriptis mandarentur.

Deinde, Si ſacramentorum neceſſariò deberet eſſe teſtimonium & pignus exhibitæ & applicatæ promiſſionis gratiæ, ſequeretur ejuſmodi teſtimonia ſæpe eſſe mendacia; nam ad Baptiſmum poſſet quis fictè accedere, & Chriſti corpus indignè accipere, in quibus caſibus non poteſt dici gratiæ promiſſio ipſi applicata. Inſuper docent Lutherani, hæc teſtimonia dari ad confirmandam, vel excitandam fidem: conſtat autem quòd etſi parvuli ſint capaces ſacramentorum, nondum tamen poſſunt uti aliquibus teſtimoniis, ut eorum fides excitetur vel confirmetur.

XXXVII. Anabaptiſtarum.

Anabaptiſtæ contendunt ſacramenta nihil aliud eſſe, quàm *allegorias, ſigna & figuras virtutum & bonorum operum, Chriſtianæ vitæ, & inſtituti ſpiritualis.* Sic baptiſmus, inquiunt, eſt tantùm figura ſignificans Chriſtianos debere dura & adverſa ſuſtinere pro Chriſto, quaſi merſio Baptiſmi ſignificet tantùm mortem quâ peccato & mundo mori debemus; emerſio autem ex aqua Reſurrectionem, quia S. Spiritûs ope reſurgere debemus ad novam omninò vitam: Euchariſtia autem nos admoneat ſolùm concordiæ inter fideles ſervandæ, juxta illud 1. Cor. 10. *Sumus unum corpus, qui de uno pane participamus.*

Refellitur autem hæc definitio: iſte enim ſacramentorum uſus non eſt præcipuus, nec primarius, qui poteſt ex hominum inſtitutione procedere.

Deinde, Si ſacramenta eſſent tantùm figuræ bonorum operum & morum, conſequens eſſet, quòd forent duntaxat ſigna futurorum, non verò præteritorum & præſentium: ſed hoc falſum eſt; baptiſmus enim eſt ſignum præteritæ Chriſti mortis, ſepulturæ & Reſurrectionis, ut legimus ad Rom. 9. eſt etiam ſignum præſentis peccatorum ablutionis, juxta illud Act. 12. *Baptizare & ablue peccata tua.* Pari ratione Euchariſtia eſt ſignum rememorativum Paſſionis Chriſti, juxta illud 1. Cor. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* Eſt etiam ſignum demonſtrativum inhabitationis ſpiritualis Chriſti in nobis, nam ipſe Joan. ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

XXXVIII. Calviniſtarum.

Tandem *Calvinus* lib. 4. Inſtitut. cap. 14. ſect. 1. definit ſacramentum duobus modis: Primò quidem latiùs ſic; *Sacramentum eſt ſymbolum externum, quô benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientiis noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem: & quô nos viciſſim pietatem erga Deum noſtram tam coram eo & Angelis, quàm apud homines teſtamur.* Breviorem autem definitionem mox ſubjicit, cùm ait: *Sacramentum eſt divinæ in nos gratiæ teſtimonium externô ſignô confirmatum, cum mutua noſtræ erga ipſum pietatis teſtificatione.*

Verùm refellitur utraque hæc definitio: *Primò*, quia inde ſequeretur quòd Eccleſiæ miniſter neminem baptizare poſſet abſque periculo profanationis Baptiſmi; quia nemo poteſt adhibere ſigillum promiſſionum Dei, niſi certò ei conſtet cui factæ ſint illæ promiſſiones; quemadmodum nullus poteſt juramentô aliquid affirmare, niſi de eo certus ſit: ſed Eccleſiæ miniſtri non poſſunt eſſe certi cuinam factæ ſint promiſſiones æternæ Prædeſtinationis, quarum ſigillum Calvinus ait eſſe ſacramentum, nullus enim abſque ſpeciali revelatione poteſt eſſe certus de ſua vel alterius prædeſtinatione.

Secundò, Calvinus admittit legitimum baptiſmum in Eccleſia Romana, in qua tamen negat ullos eſſe prædeſtinatos. *Inſuper* illa Calvini aſſertio pluribus falſis propoſitionibus innititur: Primò quòd per gratiam promiſſam intelligatur gratia prædeſtinationis: tum quia falſum eſt gratiam

illam prædeſtinationis in Scripturis cuiquam promitti, cùm nullus ſciat utrum amore vel odiô dignus ſit: tum quia ſequeretur ſacramentum numquam recipi quantùm ad gratiam, niſi in Electis; cùm tamen certiſſimum ſit plures juſtos excidere à gratia in ſacramentis recepta & damnari. Deinde falſum eſt quòd talis gratia prædeſtinationis apprehendatur per fidem; ſequeretur enim parvulos in baptiſmo nunquam juſtificari, cùm habere non poſſent fidem per quam talem promiſſionem gratiæ apprehendant. Denique, falſum eſt quòd ſacramentorum effectus locum habeant tantùm in Electis. Certum eſt enim quòd etiam reprobi interdum per receptionem ſacramentorum juſtifieentur.

Alias ſimiles Hæreticorum definitiones ſuperfluum judico hîc referre & refellere; quippe cùm ex dictis ſufficienter poſſint expugnari.

Quæstio Secunda.

An, qua, & qualis ſit materia Sacramentorum.

I. Pauliciani à Sacramentis rejecerunt res: Calviniſtæ verba: Catholici utrumque admittunt.

Notandum primò, veteres quoſdam hæreticos extitiſſe nomine *Paulicianos*, qui omnem à ſacramentis materiam eliminabant, affirmantes eorum virtutem duntaxat conſiſtere in verbis Christi D. Hinc dicebant eos baptizari, qui reciperent Evangelium, eò quòd Dominus in Evangelio dixerit: *Ego ſum aqua viva*: unde apud ipſos (ut refert Euthymius part. 2. Panopliæ, tit. 21.) qui ſacerdotum ordinem obtinebant, non *Sacerdotes*, ſed *Notarii* vocabantur. Ipſis è diametro opponuntur quidam ex recentioribus hæreticis, maximè Lutherani & Calviniſtæ, qui rationem omnem, aut ſaltem præcipuam ſacramentorum efficaciam in materia reponendam eſſe exiſtimant.

Verùm utrumque vitioſum hoc extremum declinantes Catholici Doctores, affirmant ſacramenta novæ legis reverà conſtare rebus ut materiâ, & verbis ut formâ, ſed non omnes conveniunt invicem, quid per res & verba propriè ſit intelligendum. Aliqui enim volunt iſta in rigore ſermonis & juxta proprietatem vocum accipi; itaut per rem intelligeretur aliquid materiale, quod tangi & videri poſſet: Per verbum autem intelligeretur id quod exprimitur per organa vocalia, & auditu percipitur. Cujus ſententiæ præcipuus aſſertor videtur Durandus in 4. diſt. 1. quæſt. 3. ubi quamvis concedat omnia ſacramenta habere aliquam materiam; negat tamen illa omnia habere res ſenſibiles pro materia, maximè pœnitentiam & matrimonium. Alii verò Theologi cenſent nomine rerum, intelligendum eſſe id quod magis confusè ſignificat, ſive illud res ſit, propriè dicta, ſive non; nomiue autem verborum intelligendum eſſe id quod magis diſtinctè eandem gratiam ſignificat.

II. Materia & verba Sacramentorum ſumi poſſunt dupliciter.

Cui ſententiæ imprimis adſtipulatur ſubtilis Doctor in 4. diſt. 3. quæſt. 2. num. 3. ubi cùm dixiſſet: Advertendum eſt, quòd propriè loquendo de forma, prout eſt altera pars compoſiti, forma ſacramenti eſt ipſa relatio ſigni, quâ formaliter eſt tale ſaeramentum; & materia eſt totum fundamentum ipſius relationis, *ſtatim ſubdit*: Verùmtamen ſi in fundamento iſto ſint plura, ex quibus aliquô modô ſit unum ſacramentum, quæ non æqualiter ſe habent, ſed alterutrum ſit quaſi prævium & determinabile; alterum quaſi poſterius & determinatio præcedentis: Primum poteſt dici quaſi materia, per quandam ſimilitudinem ad materiam, & alterum forma; materiæ enim eſt præcedere ſecundùm originem & determinari; formæ autem ſequi & determinare. Similiter illud quod principalius & actualius poteſt dici forma reſpectu potentialioris: ſimiliter quod eſt ſpiritualius, poteſt dici forma reſpectu ejus quod eſt minùs ſpirituale. Ita Doctor. Ex quibus ſequitur, quòd in ſacramentis ubi duo occurrunt eandem rem conjunctim ſignificantia, illud quod minùs perfectè, minúſque diſtinctè ſignificat, dicitur ſignificare ut res; ſivè interim ſit res ſenſibilis aut viſibilis propriè dicta ſive non: quod autem perfectiùs & diſtinctiùs ſignificat, dicitur ſignificare ut verbum, ſive ſit verbum propriè dictum, ſive non.

III.

Notandum ſecundò, quòd etſi Deus potuerit pro libito quaſlibet res ſenſibiles, imò & ſpirituales pro ſacramenti materia deſignare, itaut penes hominum libertatem relinqueret quodlibet voluiſſent ſignum adhibere ad conciliandam ſibi repromiſſam gratiam per applicationem alicujus exterioris ſigni ad eum finem aſſumpti & applicati: nihilominus ex ſapienti ordinatione decrevit res certas ac determinatas ad confectionem & adminiſtrationem ſacramenti uſurpari. Unde hæc determinatio rerum ſacramentalium concipi poteſt facta duobus modis, nimirum vel *confusè*, ſeu minùs diſtinctè; ita quòd determinatum fuerit authoritate divinâ, ut aſſumeretur aliquod ſignum in genere; nullum autem ſignum in particulari deſignaretur: Vel magis *diſtinctè*, ſi nempe determinaretur in particulari, quòd talis vel talis res aſſumeretur ad confectionem ſacramenti.

Materia Sacramentorum determinari poteſt *vel* confuſè *vel* diſtinctè.

Quod utique fieri poteſt duobus modis, nempe vel ſecundùm genus, putà ſi aqua eſſet determinata pro materia baptiſmi; non tamen deſignata fuiſſet infima ſpecies aquæ, putà roſacea, & artificialis aut naturalis: vel ſecundùm ſpeciem infimam, putà ſi pro materia baptiſmi deſignata ſit non quidem aqua in genere, ſed aqua naturalis.

Idque *vel* ſecundùm genus, *vel* ſecundùm ſpeciem.

Rurſus materia determinata in ſpecie, conſiderari poteſt in duplici differentia; alia enim eſt purè phyſica, qualis eſt materia ſacramentorum, quæ habent rem aliquam phyſicam & naturalem, ut baptiſmus aquam, confirmatio chriſma ex oleo & balſamo, Euchariſtia panem triticeum, & vinum vitigineum, Extrema-Unctio oleum. Alia verò ſunt quæ in ſua materia includunt eſſentialiter aliquid morale dependens ab hominum inſtitutione; itaut morale illud ſit fundamentum & ratio propter quam ejuſmodi materia ſenſibilis & phyſica aſſumatur ad ſacramentum conficiendum. Quæritur ergo utrum materia ſacramentorum novæ legis ita diſtinctè ſit à Chriſto D. determinata in particulari, ut nemini liceat illam immutare: quod ut percipiatur diſtinctiùs;

Idque *vel* phyſicè *vel* moraliter.

IV. Duplex in Sacramentis poteſt eſſe mutatio.

Notandum tertiò, mutationem in ſacramentorum materia diſtingui poſſe duplicem: unam quidem *ſubſtantialem* & eſſentialem, qualis fieret, ſi nempe locô unius rei phyſicæ à Chriſto D. deſignatæ in materiam ſacramenti, aliquis aliam materiam genere vel ſpecie diſtinctam aſſumeret, nempe ſi ex eo quòd Chriſtus D. inſtituit baptiſmum per modum ablutionis fieri in aqua naturali; hâc occaſione aliquis aſſumere præſumeret quemlibet alium liquorem, qui deſervire poſſet ad ablutionem, ſicut docebant olim *Aquarii*, qui

in ſacramento altaris non vinum; ſed aquam duntaxat adhibebant: quemadmodum etiam Beza epiſt. 2. ad Tillium contendit quòd deficiente pane vel vinô, ad celebrandam cœnam aſſumi poſſit quidquid ex uſu communi & ratione temporis habet rationem panis & vini. Item ſi materia uſurpari ſolita ita eſſet alterata ut ex communi uſu ac modo loquendi non cenſeretur amplius eadem, nec vocaretur eodem nomine, putà ſi vinum ita aceſcat, ut non amplius vinum, ſed acetum cenſeatur & appelletur. *Secunda* verò mutatio dicitur *accidentalis*, quando videlicet aſſumitur quidem ſubſtantia materiæ à Chriſto deſignatæ, ſed non ſecundùm eadem accidentia, quæ ex Chriſti fortè intentione haberet illa materia, putà ſi quis aquam naturalem aſſumeret quidem ad baptiſandum, non tamen claram & limpidam, ſed turbidam ac cœnoſam.

His ita præmiſſis, tria veniunt hîc determinanda: *Primum*, utrum ſacramenta novæ legis conſtare debeant materiâ & formâ: *Secundum* utrum ſacramentorum materia deſignata ac determinata fuerit à Chriſto D. in ſpecie: *Tertium*, utrum liceat aliquando aliam ſubſtantialem aſſumere materiam, quàm Chriſtus deſignaverit.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Sacramenta conſtant materiâ & formâ.

REVERA *ſacramenta nova legis conſtare ac perfici debent materiâ & formâ.* Hæc eſt communis apud Catholicos, & probatur *primò*, ex decreto unionis in Concilio Florentino, ubi habetur quòd ſacramenta novæ legis *tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & perſonâ Miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi id quod facit Eccleſia, quorum ſi deſit aliquid, non perficitur ſacramentum.*

Sic enim congruè Chriſtus D. ordinavit.

Cujus quidem veritatis alia non ſubeſt ratio, quàm voluntas Chriſti D. qui ut eſt omnium gratiarum fons & rivulus, eas ubertim in omnes derivans, etiam voluit ut gratia illa novi Teſtamenti perfectiſſimis ſignis omnibus innoteſceret: Perfectiora autem ſigna non ſunt quam res quæ videntur, & verba quæ audiuntur; viſus enim & auditus ſenſus ſunt maximè ad intelligentiam & notitiam deſervientes.

Adde quòd ordine congruô Chriſtus D. voluerit nos manu-ducere ad percipiendas res ſpirituales per receptionem rerum corporearum, aliquam ſimilitudinem habentium cum ipſis rebus ſpiritualibus: nam, ut præclarè docet S. Auguſtinus epiſt. 119. cap. 11. *Ipſe animæ motus, quandiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigriùs inflammatur: ſi verò feratur ad ſimilitudines corporales, & inde feratur ad ſpiritualia, quæ illis ſimilitudinibus figurantur, ipsô quaſi tranſitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad requiem & quietem.*

VI. Quare res viſibiles habeant rationê materiæ & verba rationê formæ.

Quòd autem *res viſibiles* habeant rationem materiæ; *verba* autem potiſſimùm rationem formæ obtineant, facilè probatur: Illud enim habet rationem materiæ quod eſt determinabile; illud verò rationem formæ quod determinat; at in ſacramentis res viſibiles ſunt determinabiles & indifferentes ex ſe ad varias ſignificationes; per verba autem determinantur ad eum effectum quem ſignificare debent: igitur, &c. Major patet. Sicut enim lignum, lapides, &c. dicuntur materia ex qua Architectus, vel quivis alius artifex domos, ſtatuas aut alias res efficit; figura verò, ſeu partium ordinatio, quâ conſtituuntur artefactum, eſt artis forma; & ſicut in Logicis genus dicitur reſpondere materiæ, differentia verò formæ, quia genus eſt indifferens ad plures differentias & ſpecies; differentia verò determinat ipſum ad ſpeciem: ita in ſacramentis res quæ aſſumuntur, indifferentes ſunt ad varias ſignificationes & effectus: nam aqua eſt indifferens & indeterminata ad humectandum & refrigerandum & abluendum; oleum ad leniendum dolorem, ſanandum vulnus, fovendas & confirmandas vires; indiſtinctè etiam & confusè tantùm ſignificant varios effectus gratiæ: determinantur autem per verba ad unum aut alterum effectum gratiæ. Nam elementum ante verbum eſt indifferens, ut ſit ſacramentum: *Accedit autem verbum ad elementum, & fit ſacramentum*, inquit S. Auguſtinus tract. 80. in Joan. quare ſacramentorum determinatio præcipuè fit à verbo.

Nam ut idem S. Auguſtinus explicans illud Joan. *Iam vos mundi eſtis, ſed non omnes*; ait: *Quanam eſt tanta virtus aqua, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbô?*

Hinc exterior ablutio corporis ſeorſim à verbis inchoatè tantùm & remotè ſignificat ablutionem animæ: perficitur autem à verbis: *Ego te baptizo*, ut eam proximè & diſtinctè ſignificet; ipſa verò verba diſtinctiùs & expreſſiùs ablutionem animæ ſignificant; non tamen perfectè, niſi jungantur ablutioni corporeæ: quia ſeorſim ab illa falſa ſunt. Indiviſibilis enim eſt perfecta & completa gratiæ ſignificatio, reſpectu materiæ & formæ ſacramenti: quia materia ſeu res ſenſibiles nequeunt ullum gratiæ gradum proximè & completè ſignificare ſine verbo: nec verbum ſeu forma ſine rebus ipſis; diviſibilis eſt tamen imperfecta ſignificatio ratione ſubjecti: quia res ſeorſim à verbo gratiam indiſtinctè ſignificant, verbum ſeorſim à rebus magis diſtinctè.

VII. Res & verba ſignificant conjunctim.

Dices primò: Una & eadem res non poteſt habere plures formas: ſed ſignificatio gratiæ propria cuilibet ſacramento, eſt forma ſacramenti; eſt enim habitus ſeu perfectio conſtituens rem in ratione ſigni; forma enim ſigni eſt ſignificatio: igitur ſacramenta non conſtant verbis tanquam formis.

Reſpondeo, Sacramentum ſumi duobus modis, nempe materialiter, vel formaliter; materialiter eſt aliquod ens morale conſtans rebus & verbis; formaliter verò eſt ſignum gratiæ: quô præſuppoſitô, diſtinguo minorem: ſignificatio eſt forma ſacramenti formaliter ſumpti, & ut ſignum eſt, concedo: materialiter conſiderati, nego: ut ſic enim ſacramentum conſtat materiâ ſenſibili, & verbis tanquam formâ. *Adde quòd*, ut docet S. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſt. cap. 3. *Verba inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi*; ac proindequamquam res & verba ſimul ſignificent, tamen potiſſima vis ſignificandi tribuitur verbis.

Quamquam potior ſignificandi virtus tribuatur verbis.

Dices ſecundò: Materia & forma in eodem compoſito ſunt ejoſdem generis; ſed res ſenſibiles & verba ſacramenti non ſunt ejuſdem generis, ut conſtat: igitur, &c.

Diſtinguo majorem: Materia & forma ſunt ejuſdem generis in compoſito phyſico & naturali, concedo: in morali & artificioſo, nego: Ad minorem dico ſacramenta eſſe compoſita non phyſica, ſed moralia & artificioſa.

Dices tertiò: Eucharistia poſt prolata conſecrationis verba remanet ſacramentum: ergo non conſtat verbis ut formâ.

VIII. Cur Eucharistia conficiatur verbis, non verò eis constet.

Distinguo consequens: Si spectetur in facto esse, seu quoad esse permanens, concedo: si in fieri, nego. Differt enim ab aliis sacramentis, quòd ea sint in actione transeunte solùm, & usu, ut baptismus in ablutione, nec habeant esse permanens: Eucharistia verò habeat esse permanens à sui productione, seu consecratione, & à suscipientium usu distinctum.

Dices quartò: Sacramentum pœnitentiæ constat solis verbis, putà vocali confessione, & absolutionis formâ: ergo non constat rebus ut materiâ.

IX. Quomodo pœnitentia constet rebus.

Nego antecedens: Ipsa quippe peccata signis exterioribus à pœnitente declarata, contritio de peccatis, nutu, verbô, vel aliô exteriori signô Sacerdoti manifestata, vocalis etiam confessio sunt res, seu materia saltem circa quam versatur absolutio, prout res opponitur verbo. Nam ista minùs distinctè significant gratiam peccati remissivam sacramento pœnitentiæ propriam: absolutionis verbum expressiùs ac distinctiùs; hinc dicitur forma pœnitentiæ, licèt non sit omnino simul cùm re sensibili, putà contritione pœnitentis, & confessione, ut eùm absolutio differtur, quia pœnitentiæ sacramentum est compositum artificiale, seu morale physicum: unde satis est si forma sit simul cum materia moraliter, id autem occurrit. Nam etsi confessio physicè desierit, quando profertur absolutio, moraliter manet, & adhuc est præsens, saltem in memoria Sacerdotis: quia quæ parùm distant, moraliter non distare videntur.

Dices quintò: Matrimonium contrahi potest solis nutibus & litteris, absque vocibus: ergo non constat verbis ut formâ.

X. Quâ ratione matrimonium dicatur constare verbis.

Distinguo consequens: Verbis formaliter & propriè sumptis, concedo: non constat verbis analogicis & æquivalenter sumptis, nego: quia litteræ, nutus & alia cogitationum & affectuum animi signa, quibus sponsi suum sibi mutuò consensum significant, sunt verba quædam; nam ut ait S. Augustinus 2. de doctrina Christiana. cap. 3. *Signa quibus homines sensa sua communicant, etsi pertineant ad oculorum sensum, aut ad alios sensus verba dicuntur: & motus membrorum, quibus histriones cum oculis quasi fabulantur; & vexilla, draconesque militares quæ per oculos voluntatem Ducum insinuant, & nutus quibus significamus aspicientium oculis quæ volumus, sunt quasi verba quædam visibilia, quia verba quæ pertinent ad aures, significandi principatum inter homines obtinuerunt.* Sacramentum matrimonii tamen non perficitur solis verbis vocalibus aut analogicis, quibus contrahentes suum exprimunt consensum. Nam & eorum corpora ac supposita sunt res sensibiles & materia sacramenti: imò signa consensûs nutibus, litteris, aut vocibus expressa dicuntur materia, prout indicant traditionem corporum & suppositorum, ut imperfecta & veluti suspensa, antequam acceptetur: ut autem significant acceptationem mutuam Conjugum, quæ traditionem illam perficit & complet, sunt matrimonii forma.

XI. Res & verba in sacramentis debent esse simul simultate morali, non verò physicâ.

Dices sextò: Materia & forma debent esse simul in eis quæ componuntur ex eis: sed in sacramentis novæ legis res & verba non debent necessariò esse simul, nam in sacramento baptismi potest interdum fieri ablutio priusquam proferantur verba.

Distinguo majorem: Debent esse simul vel simultate physicâ vel morali, concedo: physicâ semper, nego: Similiter distinguo minorem: in sacramentis novæ legis res & verba non debent necessariò esse simul simultate physicâ, concedo: morali, nego: Porrò hæc moralis simultas sufficit ad validitatem sacramenti, quemadmodum contingit in pluribus aliis rebus successivis, & artificialibus: propositio enim componitur ex subjecto & prædicato, tanquam ex materia & forma, quæ tamen non sunt simul, ita ut eodem temporis momento proferantur, sed quia immediatè post subjectum sequitur prædicatum in propositione.

Conclusio Secunda.

XII. Res debuerunt determinari à Deo ut fierent sacramenta.

Conveniens fuit ut sacramenta novæ legis haberent res distinctè determinatas: non fuit tamen necesse, ut in singulis sacramentis res determinarentur à Christo Domino in specie infima. Hæc conclusio duabus partibus constat: quarum probatur prima. Sacramentum est signum sensibile, ab hominibus assumptum ut certò significetur & producatur gratia: at nulla creatura potest certò significare gratiam productam nisi ex institutione & determinatione divina: igitur congruum fuit, ut res illæ quæ in sacramentis inserviunt, essent à Deo determinatæ.

Confirmatur, quia in sacramentis novæ legis duo possunt considerari, nimirum cultus divinus & nostra sanctificatio: quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum; secundum verò spectat ad Deum per ordinem ad homines: Licèt autem homines potuissent determinare materias sacramentorum quatenus sunt res determinatæ ad cultum divinum, quia cultus Dei est in hominis potestate; non tamen id præstare potuerunt quatenus sacramenta ordinantur ad sanctificationem: sicut enim solus Deus sanctificare potest, ita ad Deum solum pertinet determinare res quibus homo possit sanctificari.

Secunda pars etiam patet: sacramenta enim sunt in duplici differentia, nam aliqua constant rebus physicis, alia verò rebus moralibus, pendentque ex actibus humanis & liberè ab hominibus elicitis, putà matrimonium quod ex mutuo contrahentium consensu constare ac confici debet. Porrò quæ ex physicis rebus fiunt, habent res à Christo Domino determinatas, saltem in specie communi, & aliqua in specie infima; quæ verò conficiuntur ex actibus humanis, & spectant ad mores, verisimile est quòd Deus voluerit ut eorum materiæ determinatio, etiam ab hominum institutione penderet.

Dices: Materia quæcumque determinari potest sufficienter per verba: igitur non opus fuit ut illa designaretur à Christo. Patet antecedens; quia solis verbis expressè declarari & significari potest effectus sacramenti; perinde enim est ad significandum aliquem reverà mundari à peccatis per baptismum, quod adhibeatur à baptisante aqua aut quivis alius liquor, dummodò liquorem infundendo verba ad baptismum requisita proferat.

XIII. Res aliquando efficaciùs suadent ac stimulant quàm verba.

Nego antecedens: Quanquam enim, ut suprà diximus, potissima significandi vis insit verbis; nihilominus conveniens est ut materia habeat aliquam analogiam & similitudinem cum effectu ad quem significandum & efficiendum sacramentum assumitur. Nam, inquit sanctus Augustinus epistola 119. cap. 11. *Ad ipsum ignem amoris nutriendum, & inflammandum quodammodo, quò tanquam pondere sursum vel introrsum feramur ad requiem,*

hac omnia pertinent qua insinuantur nobis figuratè, plus enim movent & accendunt amorem quàm si nuda & sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere; sed tamen ita se habet, & aliquid per allegoricam significationem insinuatum plus movet, plus delectat, plus honoratur, quàm si verbis propriis diceretur apertissimè.

Dices: Agens sapientissimum non debet quidquam instituere absque ratione: at nulla occurrit legitima ratio ob quam Deus in quibusdam sacramentis res determinaverit in specie infima, potius quàm in aliis: igitur, &c.

Distinguo majorem: Non potest aliquid facere absque ratione, quæ sit sibi nota, concedo: quæ nobis semper innotescat, nego: nam, ut dicit sanctus Augustinus epist. 3. quæ est ad Volusianum: *Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

Vel *negari potest minor:* Nam, ut mox diximus, sacramenta quæ pendent ex moralibus & liberis hominum actibus, voluit Deus, ut potius ab ipsis hominibus quàm à seipso eorum materia designaretur.

Conclusio Tertia.

XIV. Mutatio essentialis materiæ sacramentum irritat.

Mutatio essentialis rerum determinatarum invalidum reddit sacramentum; non verò mutatio accidentalis: illud tamen aliquando efficit illicitum. Hæc conclusio tres habet partes: quarum prima

Probatur. Non potest validum esse sacramentum, nisi res prout est à Deo determinata adhibeatur, quippe cùm virtus omnis sacramentorum, sive in significando, sive in operando pendeat ab institutione Dei; atqui si mutatio sit essentialis, non adhibebitur eadem res quæ est ordinata à Deo: igitur quemadmodum mutatâ hominis materiâ desinit esse homo, ita si quis in baptisando v. g. adhiberet aquam non naturalem, sed rosaceam, irritus foret baptismus. Quod utique fusiùs patebit & confirmabitur efficaciùs agendo de immutabilitate cujusvis sacramenti in particulari.

Secunda pars etiam est evidens, nempe quòd mutatio accidentalis non reddat invalidum sacramentum: tunc enim valet sacramentum quando perficitur rebus à Deo institutis: at licèt mutatio fiat accidentalis, tamen remanent res à Deo institutæ, sicut per morbum mutato hominis calore, nihilominus censetur permanere idem homo: igitur, &c.

XV. Mutatio accidentalis non irritat sacramentum.

Tertia denique pars apertè colligitur ex praxi Ecclesiæ: unusquisque enim Ecclesiæ minister tenetur se gerere juxta praxim & usum communem receptum in Ecclesia: atqui mutatio accidentalis aliquando fit contra praxim & usum communem receptũ in Ecclesia: v. g. quia sacerdotes Ecclesiæ Latinæ consecrare solent in azimis, illicitè quis eorum consecraret in fermentato: unde capite *Litteras* de consecratione Missarum, Honorius summus Pontifex mandat Orixiensi Episcopo, ut officio & beneficio in perpetuum privet Sacerdotem, qui in fermentato pane celebrare præsumpserat.

Dixi *aliquando*: fieri enim potest ut mutatio accidentalis interdum non sit illicita, quando videlicet non fit in contemptum, nec ut introducatur usus oppositus communi Ecclesiæ praxi: unde non illicitè quis baptisaret si rigente hyemis frigore adhiberet aquam calidam, quod fieri non assolet.

XVI. Ecclesia non mutavit substantiam sacramenti matrimonii, sed tantùm circunstantias.

Dices primò: Ecclesia de facto mutavit materiam sacramenti matrimonii in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 10. de Reformatione. Nam ante Concilii decretum, consensus viri ac mulieris verbis aut nutibus sensibiliter expressus, sive interim publicè, sive occultè fieret, erat materia sufficiens & proxima sacramenti: Concilium verò statuit quòd *qui aliter quàm præsente parocho seu Ordinarii licentia & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt: eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat:* igitur fieri potest mutatio essentialis materiæ sacramenti absque eo quòd illud censeatur invalidum.

Respondeo distinguendo majorem: Mutavit materiam secundùm illius substantiam, ita ut loco materiæ designatæ à Christo aliam omnino specie distinctam substituerit, nego: mutavit eam secundùm aliquas illius circunstantias, concedo: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam. Certum enim est, quòd cùm matrimonium sit contractus aliquis & civilis qui fit mediante consensu utriusque conjugis; dum Christus consecravit contractum istum, illum sublimando ad sacramenti dignitatem, non aliam determinavit hujus contractûs materiam, quàm mutuum illum conjugum consensum; non determinando quòd exprimeretur hôc aut illô modô; nec etiam auferendo à republica potestatem quam habebat super hujusmodi contractum, sed relinquendo in ejus dispositione ut pro diversitate temporum & circunstantiarum posset illis addere certas conditiones, sine quibus esset nullus, & consequenter non esset sacramenti materia. Unde quando statuit præfatum decretum, non mutavit materiam matrimonii, ut erat à Christo determinata, secundùm substantiam; quia semper consensus legitimus est materia matrimonii: sed mutavit duntaxat materialiter & accidentaliter; efficiendo scilicet, ut consensus clam expressus, non esset amplius ad contrahendum legitimus, quia ita postulabat ratio temporis propter varia inconvenientia quæ ex clandestinis matrimoniis emergebant.

Dices secundò: In nascentis Ecclesiæ primordiis sacramentum Ordinis, maximè sacerdotii, conferebatur duntaxat per manuum impositionem tanquam per legitimam materiam: quod etiam nunc in usu est apud Græcos non solùm schismaticos, sed etiam Catholicos & Romanæ communionis: sed Ecclesia Latina eundem Ordinem confert per traditionem panis in patena & vini in calice, in quibus censet consistere materiam hujus sacramenti: igitur licitè fieri potest mutatio materiæ essentialis sacramenti.

XVII. Græci non aliam substantialiter materiam usurpant sacramenti ordinis quã Latini, sed tantùm accidentariò.

Respondeo hanc difficultatem in disputatione de Sacramento Ordinis, fusiùs esse discutiendam: Interim breviter respondeo primò, vel quod Christus Dominus non determinaverit in individuo materiam & formam sacramenti Ordinis, sed solùm voluisse quòd conferretur Ordo per aliquod signum sensibile declarativum, ac significativum potestatis quæ traditur, & per verba hoc ipsum exprimentia, quodcumque tandem illud signum foret; cujus determinationem penes Ecclesiæ potestatem reliquit. Ita docet Ruardus Tapper articulo 17. contra Lutherum, & Petrus Soto in Insti-

tutione Sacerdotum, de Sacramento Ordinis sectione quartâ.

Vel dico secundò, cum Estio in 4. dist. 24. quòd cùm in ordinatinne non sit necessarius contactus physicus materiæ, sed sufficiat moralis, id est, illius exhibitio vel ostensio dum traditur potestas consecrandi, inde fit quòd eadem materia Latino & Græco Sacerdoti in susceptione Ordinis tradatur: cum hoc tamen discrimine quòd Græcus Sacerdos initiandus tangat duntaxat illam materiam moraliter & mediatè, dum videlicet tangit altare, Latinus verò illam tangat physicè & immediatè. Quòd verò Presbyteri Græci dum initiantur tangant altare, probatur ex Euchologio Græco, ubi dicitur: » Qui verò ordinatus fuerit, incumbens sacræ aræ, utrumque genu » flectit, Diacono verò elatâ voce dicente: Attendamus: statim Pontifex impositâ manu unâ cum » pallio, elatâ voce enunciat: Divina gratia quæ » semper infirma curat & quæ desunt supplet, » promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum, &c. quibus verbis significat quòd dum » manus Sacerdoti initiando à Pontifice imponitur, » Sacerdos ille altare tangit.

Quæstio Tertia.

Utrùm & quæ verba requirantur in Sacramentis?

Status quæstionis.

TRIA maximè hîc occurrunt statuenda. Primum, utrum verba determinata ita requirantur necessariò in confectione Sacramentorum, ut salvô sacramentô alia subjici non possint ad sacramenti valorem. 2. Quænam verborum mutatio sacramentum irritum efficeret. 3. Denique, qualia sint ista verba, an concionatoria, aut promissoria, aut consecratoria.

I. Duplex esse potest determinatio in verbis Sacramentorum.

Notandum primò, duplicem concipi posse determinationem in verbis; alia enim potest esse materialis, & secundùm sonum vocis, ut si in confectione sacramentorum assumenda essent verba Hebraica aut Latina, nec possent adhiberi Gallica, quanquam eundem sensum haberent. Alia formalis, quæ fit secundùm significationem verborum, quocumque tandem idiomate proferantur.

II. Et significatio triplex.

Porrò in verbis triplex significatio potest attendi: *Prima* est, quæ repetitur ex proprietate verborum, quando scilicet illa adhibentur significandis rebus, propter quas sunt instituta, sicut nomine superioris, significatur ille qui cæteris præest: *Secunda* est quæ repetitur ex usu communi, quando nempe usurpantur ad aliud significandum, quàm id ad quod ex primaria institutione imposita fuerant, sicut nomine tyranni nunc significatur princeps iniquus, cùm tamen primitùs esset nomen honestum: *Tertia* denique ea est quæ repetitur ex accommodatione usûs communis, cùm verba quæ non significabant aliquid ex prima sua institutione, posteà ex recepti usûs consuetudine usurpantur, ut si quis in baptizando Rege uteretur his verbis: *Ego baptizo vestram majestatem*, &c. Nam ex accommodatione usûs, regia persona sufficienter intelligeretur, nomine Majestatis.

III. Et octuplex mutatio.

Notandum secundò, mutationem verborum in sacramentis distingui posse duplicem, sicut & rerum: alia enim est substantialis, quando videlicet usurpantur verba oppositum omnino significantia ejus quod Christus D. in sacramentorum institutione intendit, ut si quis aliquem baptizando usurparet alia nomina, quàm ea quæ significant tres divinas personas; alia verò est accidentalis, quando nimirum verba aliter proferuntur, quàm proferri debent secundùm Ecclesiæ consuetudinem. Porrò hæc utraque mutatio contingere potest variis modis; maximè verò octo sequentibus. *Primò* quidem per mutationem idiomatis unius linguæ in aliam, v. g. Græcæ in Latinam, aut Latinæ in Græcam. *Secundò*, per mutationem unius vocis locô alterius, putà si locô verbi *baptizo* dicatur *abluo*. *Tertiò*, per transpositionem unius vocis vel plurium: v. g. si dicitur: *In nomine Patris te ego baptizo*. *Quartò*, per interpolationem, sive interruptionem vocum, sive quiescendo per aliquod tempus absque aliorum verborum formæ prolatione, sive interim aliquid aliud proferat, sive non, ut si quis post hæc verba *Ego te baptizo*, quiescat per aliquod tempus, deinde adjiciat alia verba, *In nomine Patris*, &c. *Quintò*, per mutationem verborum in Scripturam, ut si quis baptizando non proferret verba Evangelica, sed aquam infundendo eas scriberet. *Sextò*, per additionem unius vocis vel plurium, v. g. si quis baptizando, tribus divinis personis adderet nomen B. Virginis. *Septimò*, per detractionem alicujus vocis vel plurium, ut si quis baptizando omitteret, *Ego te*. *Octavò* denique per corruptionem vocis vel plurium, ut si quis ob defectum linguæ Latinæ baptizando diceret: *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia*.

IV. Triplex distinguitur verbum in Sacramentis.

Notandum tertiò, triplex verbum in sacramentis distingui posse, scilicet promissorium, concionale & consecratorium: *Promissorium* dicitur, quod exprimit & declarat promissionem gratiæ divinæ: *Concionale* verò, per quod tum qui sacramentum suscipit, tum qui præsentes adsunt, edocentur & instruuntur de promissione gratiæ divinæ: *Consecratorium* tandem, quô materia sacramenti benedicitur, & sanctô ritu consecratur.

Consecratorium respuunt hæretici Calvinistæ.

Affirmat Calvinus lib. 3. institutionum cap. 14. §. 4. verbum sacramentale non esse consecratorium: *Verba*, inquit, *intelligere debemus, non quòd sive sensu & fide insusurratum solô strepitu veluti magicâ incantatione consecrandi elementi vim habeat: sed quòd prædicatum intelligere nos facit, quid visibile signum sibi velit*. Unde ibidem subdit: *Concludimus verbum sacramentale esse promissionem, quæ clarâ voce à ministro prædicata, plebem eò manu ducit, quò signum tendit ac nos dirigit.* Quibus verbis significat verbum sacramentale esse quidem promissorium & concionale, non verò consecratorium.

Et aliqui Lutherani.

Ipsi subscribunt plurimi Lutherani, maximè Kemnitius in examine secundæ partis decretorum Concilii Tridentini: quanquam, ut ibidem observat, Lutherani hac in parte tres in sententias scindantur, maximè circa confectionem Eucharistiæ; *aliqui* enim concionem tantùm seu instructionem præmittunt, verba autem consecratoria non proferunt: *Nonnulli* autem verba institutionis proferunt, at non ad consecrandum, sed per modum historiæ, ut astantes doceant: *Quidam* denique verba institutionis proferunt, & quidem animô consecrandi, quam sententiam ut suam commendat ipse Kemnitius. *Vetus*, inquit, *Ecclesia, licèt aliis etiam exhortationibus & precationibus in administratione Eucharistiæ usa sit; simpliciter tamen & rectè sensit per sermonem Christi, hoc est, verbis institutionis divinæ, fieri benedictionem, seu consecrationem Eucharistiæ.*

Conclusio

Conclusio Prima.

V. Sacramenta novæ Legis debent constare verbis.

SACRAMENTA *nova legis perficiantur verbis propriè, vel impropriè sumptis, eisque determinatis.* Hæc conclusio duabus potissimùm partibus constat, quarum probatur prima, idque primò ex Scriptura sacra, quæ expressè significat verba requiri in tribus sacramentis, nempe Baptismo, Eucharistia & Extrema-Unctione. In Baptismo quidem: nam Matthæi 28. Christus delegans Apostolos in orbem terrarum, ait: *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Hinc Apostolus ad Ephes. 5. *Christus,* inquit, *dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro illa, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacrô aqua in verbo vita.* Hoc est, in verbo sacramentali, ut interpretatur S. August. Idem constat de Eucharistia; nam Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Cor. 11. legimus quòd *Iesus accepit panem & benedixit ac fregit, dicens: Hoc est corpus meum.* Panis est res seu materia; quæ autem dixit, sunt verba seu forma. Similiter de Extrema-Unctione scribitur Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleô in nomine Domini: & oratio fidei alleviabit infirmum.* Unctio est res, oratio autem sunt verba; ac subinde sacramenta novæ legis constare debent rebus & verbis. Idem patet ex decreto Eugenii in Concilio Florentino, ubi decernitur omnia sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri.

(Ut docet S. Scriptura.)

VI. Tradunt SS. Patres.

Patet etiam hæc veritas, authoritate SS. Patrum, qui unanimi calculô fatentur res & verba desiderari in confectione sacramentorum. Sic S. Ambrosius lib. de initiandis cap. 9. ubi agit de Eucharistia: *Quòd si,* inquit, *tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur; quòd si tantùm valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit sermo Christi, ut mutet species elementorum?* Similiter in caput 4. 1. ad Timoth. ait: *Manûs impositiones verba sunt mystica, quibus accipit authoritatem Sacerdos, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.* Ei præiverat Tertullianus cap. 2. de baptismo: *Homo,* inquit, *in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus,* &c. Plurima sunt alia Patrum testimonia, quæ in hujus operis decursu referentur, quibus declaratur sacramenta novæ legis perfici rebus & verbis.

VII. Ratio Theologica confirmat.

Probari etiam solet hæc assertio ratione Theologicâ; quia sacramenta adhibentur ad hominum sanctificationem, quatenus sunt signa: conveniens autem fuit, ut rebus sensibilibus ordinatis ad sacramentum constituendum adhiberentur verba: nam signa sacramentalia spectari possunt tripliciter: *Primò* quidem ex parte causæ sanctificantis: *Secundò* ex parte hominis, qui sanctificatur: *Tertiò* tandem ex parte significationis ipsius sacramentalis: sed ex hac triplici consideratione convenientissimum fuit, ut in sacramentis verba rebus adjungerentur: *Primò* quidem ex parte causæ sanctificantis, nempe Verbi Incarnati, quia sacramentum aliquâ ratione illi conformari debet: unde sicut Christus constat ex Verbo spirituali, & ex carne visibili, etiam erat conveniens, ut sacramenta fierent per res sensibiles, & verba quodammodò spiritualia; quatenus à ratione procedunt, & conceptus mentis ac rationis significant.

(Quia id fuit conveniens ex parte instituentis Sacramenta.)

Similiter idem congruum fuit ex parte hominis qui sanctificatur: sacramenta enim sunt medicina, ac medicinalem gratiam efficientia, ac subinde conveniens fuit, ut proportionarentur ægroto: sed homo constat ex corpore & anima: igitur ut sacramentum esset homini proportionatum, congruum fuit, ut fierent ex rebus quæ corpus tangant, & verbis quæ anima credat & percipiat; unde S. Augustinus in caput 15. Joannis explicans illa verba: *Iam vos mundi estis propter sermonem, &c.* ait: " Unde est tanta virtus " aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente " verbô, non quia dicitur, sed quia creditur.

(2. Ex parte suscipientis.)

Tertiò tandem ex parte significationis sacramentalis: nam ex S. Augustino lib. 2. de doctrina Christiana cap. 3. verba inter homines obtinuerunt significandi principatum: ergo cùm sacramenta novæ legis perfectè ac distinctè gratiam sanctificantem significare debeant; hâc ratione debuerunt constare verbis. Maximè cùm materia ex se sit indifferens ad multa significanda; nam aqua baptismalis, v. g. potest significare & ablutionem animæ ob suam humiditatem, & refrigerium animæ propter suam frigiditatem; unde ut determinaretur ad significandam mundationem animæ à peccatis, debuit ad id determinari per hæc verba: *Ego te baptizo.*

(3. Ex parte significationis Sacramenti.)

Dices: Ex sancto Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 16. *Nihil sunt aliud corporalia quædam sacramenta, nisi verba quædam visibilia:* at superfluum est addere verba verbis: igitur sacramenta non debent constare verbis.

VIII. Quomodo res Sacramentales sint verba analogicè.

Distinguo majorem: Sunt verba impropriè & analogicè, concedo: propriè & univocè, nego: res enim sacramentorum visibiles, dicuntur quidem verba analogicè, propter quandam similitudinem, quæ principaliter, reperitur in verbis; unde verba non superfluè rebus ipsis adjiciuntur, ut eorum significatio sit magis determinata.

Instabis. Ex eodem ibidem Sacramenta novæ legis successerunt sacramentis veteris legis, his enim ablatis, alia sunt instituta: sed in sacramentis veteris legis verba non erant necessaria: ergo nec in sacramentis novæ legis.

IX. Sacramenta novæ legis clariùs significant quàm veteris.

Distinguo majorem: Successerunt quoad aliqua, concedo: quoad omnia, nego: nam ex S. Augustino ibidem, *alia debent esse sacramenta rei præsentis; alia verò rei futuræ:* rem enim præsentem clariùs manifestamus, quàm futuram: sacramenta autem veteris legis prænontia erant Christi venturi: quare non ita distinctè significabant Christum, sicut novæ, quæ ab ipso Christo fuerunt instituta: unde quanquam nulla fuissent in antiquis, non sequitur quòd etiam in novis debeant reperiri. Quia, ut ait S. Paulus ad Heb. 1. *Loquebatur olim Deus Patribus in Prophetis: novissimè autem locutus est nobis in Filio.* Locutio autem Prophetica obscurior est, quàm revelatio quæ fit per Filium, qui dicitur lux mundi, & lux vera quæ illuminat omnem hominem. Unde sacramenta veteris legis, quasi sub umbra mussitabant, quòd nostra sacramenta distinctè manifestant.

X. Quare verba debeant esse determinata in Sacramentis.

Ex his colligitur *secunda pars,* nempe quòd sacramenta debeant constare verbis determinatis: Tum quia Christus D. determinata verba protulit in Eucharistiæ consecratione, dicens, *Hoc est corpus meum:* & mandavit Discipulis, ut sub determinata verborum forma baptizarent; unde

sanctus Augustinus lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 29. ait: *Certa illa Evangelica verba, sine quibus baptismus non potest consecrari, tantùm valent, ut per illa sic evacuentur, quæ contra fidei regulam in prece vitiosa dicuntur, ut dæmonium Christi nomine excludatur:* Tum quia Ecclesia semper irritum habuit baptismum, qui verbis à Christo designatis non esset administratus: sic respuit baptismum *Cataphrigarum* in Concilio Laodiceno, Can. 8, *Paulianistarum* in Nycæno Can. 19. & in Arelatensi primo Can. 8. *Ariani* redeuntes ad Ecclesiam interrogari jubentur, quâ formâ sint baptizati, ut nempe cognoscatur an susceperint baptisma in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti.

Dices primò: Sacramenta sunt eadem apud omnes nationes: sed eædem voces, eademque verba non sunt determinata apud omnes nationes ad idem significandum: igitur verba determinata non requiruntur in sacramentis.

XI. Quomodo verba sacramētalia eadem sint apud omnes nationes.

Distinguo minorem: Non sunt determinata determinatione morali, quoad exteriorem sonum syllabarum & litterarum; unde provenit diversum idioma, diversaque loquela, concedo: non sunt determinata determinatione formali, hoc est, quantùm ad significationem & sensum, quem Christus ordinavit, & Ecclesia in praxi habet, nego: Hinc quôcunque idiomate proferatur forma sacramenti, reverà perficitur sacramentum; nam, ut suprà diximus ex S. August. verbum operatur in sacramentis, non quia dicitur, sed quia creditur, id est, non secundùm exteriorem vocis sonum, qui labiis profertur, sed secundùm sensum, qui fide tenetur.

Dices secundò: Idcirco verba determinata videntur desiderari in sacramentis, quia propriè significare debent effectum sacramenti: sed ita non est; verba enim determinata ideo videntur requiri in baptismate, ut significent animam ablui à peccatis: sed verbum *baptizo* propriè non significat abluere; barbarè enim & impropriè loqueretur qui diceret, baptiza sudarium: igitur, &c.

XII. Quare Ecclesia in forma baptismi utatur verbo Græco *Baptizo*.

Nego minorem, & ad illius probationem dico revera quidem verbum *baptizo* non significare in lingua Latina idem ac abluo; est enim verbum græcum, quod Ecclesia Latina usurpavit ad significandam ablutionem sacramentalem; unde etiam hôc vocabulô diversis licèt idiomatibus expressô utuntur pene omnes nationes, ut significetur unitas fidei, quæ maximè per unitatem baptismi declaratur & conservatur, juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma.* Potius autem ad id declarandum, vocabulum græcum usurpavit Ecclesia, quàm Latinum aut aliud; quia lingua græca latissimè vigebat, quando Evangelium promolgari cœpit.

Dices tertiò: Non sunt aliter conficienda & ministranda sacramenta, quàm Christus & instituit & ministrari mandavit: sed Christus instituendo sacramenta, non mandavit, ut adjicerentur verba: non enim cùm instituit Eucharistiam dixit: *Dicite quæ dixi*, sed *hoc facite in meam commemorationem:* similiter cùm baptizatum misit Apostolos, non præcepit ut baptizantes dicerent: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* ergo non requiruntur in sacramentis verba determinata.

XIII. Christus D. instituit verba sacramentalia implicitè.

Distinguo majorem: Ministrari mandavit implicitè, vel explicitè, concedo: explicitè tantùm, nego. *Ad minorem* dico quòd quando Christus dixit: *Hoc facite, &c.* istud retulit ad totam actionem quam implebat, etiam ut verba complectitur. Idem dicendum de baptismate: nam implicitè saltem significavit in conferendo baptismate adjiciendam esse invocationem sanctissimæ Trinitatis, dum ait: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.*

Explicitè verò colliguntur ex traditione & praxi Ecclesiæ.

Fateor tamen divinum istud Christi mandatum de adhibendis verborum formulis in sacramentorum administratione, non posse efficaciter elici ex ipsismet Christi Domini oraculis, nisi adhibeatur Ecclesiæ traditio & praxis; non enim ait Dominus: Dum baptizaveritis, dicite, Baptizo te: hinc satis ad baptismum videri posset alicui, si aquam infundendo tantùm proferret, In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti: imò etiam ei videri posset non opus esse voces ullas proferre, sed tantùm aquam adhiberi. Quemadmodum enim cùm dicitur Marci ultim. *In nomine meo dæmonia ejicient*, Christus non jubet, ut Discipuli ejicientes dæmonia, dicant; Ego te ejicio in nomine Christi: sed solùm ut fide respiciant Christum, & ad ejus efficacitatem attendant: Pari ratione quis existimare posset, ad baptisma sufficere, quòd infundendo aquam, quis fide apprehendat Christi efficacitatem & virtutem in remittendis peccatis. Unde meritò dixi verba sacramentalia duntaxat implicitè fuisse à Christo designata: explicitè verò esse repetenda ex traditione & praxi Ecclesiæ, quæ ejusmodi verba in conferendis sacramentis perpetuô & invariabili ritu usurpavit.

Dices ultimò: Si verba essent determinata in conficiendis sacramentis, sequeretur quòd eorum variatio & mutatio irritum ac nullum sacramentum efficeret: sed ita non est; alioqui vix sacramenta validè conficerentur ab eis qui impedimentô linguæ, vel ignorantiâ latinitatis laborant, quales sunt balbi & nonnulli sacerdotes minùs eruditi: ergo verba determinata non requiruntur in sacramentis.

Distinguo majorem: Si illa mutatio & variatio locutionis sensum evertat, concedo: secùs, nego: quando autem variatio ista sensum omnino evertat; quando verò non, aperiet

Conclusio Secunda.

Sacramentum non fit irritum & invalidum per quamlibet verborum mutationem: sed duntaxat per eam quæ sensum variat, & alienum efficit. Patebit hujus conclusionis veritas, expendendo singulos illos modos in secundo notabili assignatos, quibus accidere potest mutatio verborum in sacramentis.

XIV. Mutatio idiomatis non facit irritum sacramentum.

Primò namque, idiomatis mutatio non infert mutationem substantialem sensûs sacramenti; quia tunc invalidum redditur sacramentum, quando mutatur verborum sensus: atqui mutatô idiomate non mutatur verborum sensus, sed tantùm sonus; alioqui sequeretur omnes sacramentorum ministros uti debere idiomate Hebraïcô vel Syriacô; quippe Christus Dominus sacramenta instituendo, alterutrô hôc idiomate usus est.

At mutatio quæ sensum corrumpit sacramentū efficit invalidum.

Secundò, mutatio unius vocis vel plurium, quæ sensum omnino diversum efficiunt, invalidum sacramentum efficit: secus verò si usurpentur verba synonima; quia invalidum aut validum censetur sacramentum, in quantùm illius forma mutatur, vel servatur integra: sed dum voces mutantur in alias diversam significationē efficientes, non remanet integra forma sacramenti, nempe verborum significatio; secus verò accidit, dum

illa perseverat. Hinc sanctus Irenæus lib. 1. cap. 18. refert quòd baptisma Gnosticorum idcirco reprobatum fuerit, quòd baptizarent *In nomine Patris omnium, in nomine Matris omnium & in nomine descendentis Iesu ad unctionem, redemptionem, aut communionem virtutum*: E contra verò Ecclesia approbat baptisma Græcorum in Decreto Eugenii, iis verbis baptizantium: *Baptizetur manibus meis N. in nomine Patris, &c.* quapropter invalidum foret baptisma, si quis aquam in baptizandum infundendo, hâc formâ uteretur: *Ego te refrigero in nomine Patris, &c.* Validum autem foret, siquis baptizando diceret, Ego te abluo, vel ego te lavo in nomine Patris, &c.

XV. Quomodo verborum transpositio officiat sacramentis.

Tertiò, quando transpositio non variat sensum verborum, irritum non facit sacramentum; dum autem variat, efficit invalidum. Patet hæc veritas ex mox dictis; hinc validum foret baptisma collatum hâc formâ: *Baptizo te in nomine Filii & Patris & Spiritûs sancti*; quia sufficiens fit designatio baptizandi, & invocatio sanctissimæ Trinitatis: invalidum autem foret, siquis verba hôc inversô ordine proferret, *In nomine Patris te Filii baptizo & Spiritûs sancti*; quia hæc verborum transpositio aut nullum sensum efficeret, aut omnino alienum à sacramentali.

XVI. Et interruptio.

Quartè, verborum interpolatio sive intermissio, quando tanta est, ut communi sensu non judicetur esse una oratio, tunc irritum facit sacramentum, ut siquis Sacerdos privatim Missam celebrans, cùm jam protulisset hæc verba consecrationis, *Hoc est*: recordaretur se eam Breviarii partem non recitasse, quam sacro celebrando præmittere debuerat, eis duntaxat duobus consecrationis verbis prolatis, illam absolveret & postmodum cætera consecrationis verba proferret, nempe *corpus meum, &c.* irritum certè foret sacramentum, quia non esset ejusdem formæ sacramentalis significatio. Secus verò fieret, si interruptio illa neque intentionem proferentis, neque seosum verborum variaret, ut si postquam Sacerdos dixit, *Hoc est*, sternutet, tussiat aut brevem mentis evagationem & distractionem patiatur: tum subjiciat, *corpus meum*, non desinit valere sacramentum: quia judicatur semper eadem esse oratio, & illius sensus unicus.

XVII. Et commutatio verborum in alia signa.

Quintò, mutatio verborum in alia signa, quæ idem repræsentarent, non efficeret invalidum sacramentum matrimonii & pœnitentiæ; secus verò circa cætera sacramenta. Prima pars constat: Enimverò in sacramento matrimonii maximè requiritur, ut conjugum consensus exprimatur: sed hic declarari potest vel per nutus, vel per scripta, vel per verba; ac subinde mutatio verborum in alia signa consensum declarantia non officit sacramento matrimonii: Idem dicendum de sacramento pœnitentiæ; maximè in materia circa quam versatur sacramentalis absolutio, nempe actus pœnitentis; pœnitens enim elinguis & mutus potest vel per nutus, vel per scripturam peccata sua, & conceptum de eis dolorem Sacerdoti præsenti ita apertè declarare & exprimere, ut Sacerdos facilè judicet an sit absolutione dignus, necne. Quòd autem similis mutatio in aliis sacramentis non sit admittenda; sufficienter constat ex praxi universæ Ecclesiæ, quam ad illorum sacramentorum confectionem semper adhibuit.

XVIII. Additio verborum potest esse vel intrinseca vel extrinseca,

Sextò, additio verborum in forma sacramenti fieri potest dupliciter: Primò quidem *intrinsecè*, cùm formæ sacramentorum admiscetur verbum, quod videtur esse quasi prædicatum seu proprietas eorum verborum quæ in forma sacramenti adhiberi solent, ut siquis baptizando diceret: *Baptizo te in nomine Patris omnipotentis, & Filii sapientis, & Spiritus sancti divini amoris & Paracleti.* Secundò *extrinsecè*, quando videlicet additamentum istud est extra formam sacramenti, & ei adjungitur dum est completè prolata. Utraque additio duplex esse potest, nempe vera, quæ aliquid verum enuntiat, ut in consecratione panis, dum prolatis verbis consecratoriis additur, *Quod pro vobis tradetur*: Falsa verò quæ falsum enuntiat: quæ iterum fit dupliciter; nam aliqua additio falsa, est corruptiva formæ sacramenti, ac immutativa sensûs illius; qualis erat hæc aliquorũ Arianorum baptizantium additio; *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris, de non extantibus formati, &c.* altera verò est quæ non corrumpit formam sacramenti, nec evertit legitimum ejus sensum, ut si Græcus consecrando Eucharistiam dicat: *Hoc est corpus meum in fermentato pane consecratum*; licèt enim id falsum sit: quia Christus non in fermentato, sed in azimo consecravit, tamen illa non destruit sensum.

Eaque vel vera vel falsa.

XVIII. Falsa autem est vel corruptiva sensûs: vel non.

Dico autem, quòd ubi additio falsa, est corruptiva formæ sacramenti, tunc sacramentum irritum efficit, quia non est legitima forma quæ aliud significat, quàm id ad quod Christus eam instituit: atqui mutatô & falsificatô sensu, forma non significat amplius id ad quod Christus D. illam instituit; proindeque additio formæ collectiva facit invalidum sacramentum.

Hinc nulla erat Marcionistarum consecratio Eucharistiæ, cùm dicebant: Hoc est corpus meum phantasticum, quia corpus phantasticum non est corpus Christi ad quod terminari debet consecratio.

XIX. Additio corruptiva solùm colligi potest interdum tantùm ex intentione ministri.

Observandum autem quòd verborum additio falsa non possit interdum colligi, nisi ex intentione Ministri, maximè cùm additio est externa; v. g. siquis uteretur hâc formâ: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritûs S. & B. Virginis Dei genitricis*; talis baptismus posset esse validus aut invalidus ex diversa ministri intentione. Esset quidem invalidus, si minister intenderet baptizare in nomine, hoc est, in authoritate B. Virginis, sicut baptizat in nomine & authoritate Patris, Filii, & Spiritûs sancti: quod utique erroneum esset; non possumus enim baptizare in nomine alicujus puræ creaturæ; unde S. Paulus 1. ad Cor. 1. dicebat: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Hinc egregiè observat S. Augustinus lib. 5. de Baptismo cap. 14. Invenimus dictum ab Apostolo: *Et gloriam meam, & ministerium meum, & prudentiam meam, & Evangelium meum: baptismus autem meus, nemo Apostolorum dixerit.*

Posset nihilominus idem baptismus esse validus, si nempe minister per prædicta verba addita, intendat quòd intercessio B. Virginis prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem; nam suppositâ tali intentione, forma baptismi habet totam suam significationem essentialem completam, antequam illa prædicta verba adjiciantur.

XX. Quomodò detractio verborum officiat sacramento.

Dices: Error aut improbitas ministri non nocet suscipienti sacramentum, quando verba Evangelica proferuntur, quia sicut ait S. Augustinus lib. 2. contra epistolam Petiliani, *nascitur credens non ex ministri sterilitate, sed ex veritatis fœcunditate.*

Respondeo equidem quòd intentio prava purè interna ministri non officiat sacramento; secus

A autem si exteriùs declaretur: quemadmodum fit in prædicta hypothesi, quia in illa adduntur verba, quæ destruunt formam à Christo D. institutam.

Septimò. detractio alicujus vocis essentialis in forma sacramenti, irritum facit sacramentum; quia evertitur forma sacramentalis. Hinc *siquis* (ait Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, qui est inter opera S. Hieronymi) *ita baptizare conetur, ut unum de preceptis nominibus Patris, & Filii & Spiritûs sancti prætermittat, sine perfectione baptizavit.* Secus autem accidit, si vocabulum detractum non evertat significationem formæ, ut si in forma Eucharistiæ, *Hoc est enim corpus meum,* B detrahatur particula *enim*, non minùs fiet consecratio, quia dictio *enim* non tollit essentiam sacramenti, quia non est de substantia formæ, nec ejus sensum immutat.

XXI.
Corruptio verborum non semper invalidum efficit sacramentum.

Octavò tandem, corruptio verborum quæ locutionis sensum non aufert, nec intendit inducere errorem, non derogat integritati sacramenti, licèt enim mutetur sonus sensibilis, tamen manet idem sensus & eadem significatio; ideo Zacharias summus Pontifex, ut legitur cap. *Retulerunt* dist. 4. de consecratione, sic scribit: Retulerunt nuntii tui, quòd fuerit in eadem provincia Sacerdos, qui linguam latinam penitus ignoraret, & dum baptizaret nescius latini eloquii, infringens lin- C guam diceret; *Baptizo te in nomine Patria & Filia & Spiritûs sancta:* at per hoc tua reverenda fraternitas consideravit eos rebaptizare. Sed sanctissimè frater, si ille qui baptizabat non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infrigendo linguam, ut suprà fati sumus, baptizans dixisset; non possumus consentire, ut denuò rebaptizetur. Judicavit enim Zacharias ignarum illum Sacerdotem nihil in forma baptismi mutasse: quia corruptis vocibus idem significabat, quod alii solent integris. Nam etsi verba ea seorsim & per se prolata non significent Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tamen cum actione Baptismi & D his vocibus, *in nomine* conjuncta, idem significant ex usûs accommodatione, alioqnin nihil significarent: unde cùm credibile sit eum aliquid significare voluisse, putà quòd intendit Ecclesia, meritò baptismus ille judicatus est validus.

Hæc autem omnia quæ pauló longiùs declaravimus, paucioribus complectitur Doctor *d.* 3. *q.* 2. *n.* 7. ubi sermonem faciens de mutatione formæ sacramentorum ait: Ad hujus intellectum, advertendum est quòd secundùm Philosophum 5. *Physic.* quadruplex est mutatio, scilicet secundùm substantiam, qualitatem, quantitatem & ubi: sic se- E cundùm ista verba, potest fieri quadruplex variatio, scilicet *secundùm substantiam*, alia verba ponendo pro istis, vel aliud verbum pro isto; *secundùm quantitatem*, apponendo, vel subtrahendo,

Nota.

& si aponendo, vel anteponendo, vel post ponendo, vel interponendo; *secundùm qualitatem*, scilicet auferendo aliquam requisitam terminationem ad congruam locutionem: *secundùm ubi*, transponendo.

Et de quacunque istarum variationum, dico, quòd si varians intendit uti verbis quibus utitur tanquam formâ Ecclesiæ, præcisè non baptizat, quia deficit sibi intentio utendi verbis, quibus utitur, tanquam formâ Ecclesiæ: intendit enim uti illis verbis aliqualiter variatis, tanquam formâ præcisâ Baptismi.

CONCLUSIO TERTIA.

XXII.
Verbum sacramentale non est tantùm promissorum.

VErbum sacramentale non est verbum promissorium, neque concionale, sed consecratorium: Hæc conclusio tribus partibus constat: quarum

Prima probatur *primò*, ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 6. ubi dicitur anathema affirmantibus *sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, &c.* Patet etiam ex his quæ diximus in 1. *q. n.* 35. nempe quòd differentia constitutiva sacramenti novæ legis non sit obsignatio promissionis Dei; quia, ut dictum est, verbum essentiale sacramento novæ legis, & illius constitutivum ac distinctivum ab aliis sacramentis, debet reperiri in singulis novæ legis sacramentis: sed aliqua sunt sacramenta novæ legis, quæ per se non exhibent promissionem gratiæ, ut constat non solùm in Matrimonio & Ordine, sed etiam in Baptismo & Eucharistia; quæ duo ipsimet hæretici non inficiantur esse vera novæ legis sacramenta: nam in baptismo verbum *baptizo*, quod est essentiale illius formæ, non est idem ac *significo*, vel *denoto*: similiter in Eucharistia verba consecrationis specierum panis, nempe, *Hoc est corpus meum*, & consecrationis vini, scilicet, *Hic est calix sanguinis mei*, non important promissionem, sed denotant rem quæ fit, seu ipsammet actualem consecrationem, ut significat Apostolus 1. ad Cor. 10. sic dicens: *Calix benedictionis cui benedicimus, &c.*

Quia in verbis baptismi & Eucharistiæ nulla est promissio.

Dices primò: Verba sacramentalia Eucharistiæ non sunt tantùm ea quæ diximus, sed etiam ea quæ antecedunt & subsequuntur. Enimverò Christus Dominus ait: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur:* traditio autem promissa corporis Christi accidenter exhibet gratiam, sive peccatorum remissionem, quam Christus passione suâ nobis promeruit.

Respondeo primò, verbum sacramentale, quò conficitur Eucharistia, non esse aliud præter prædictum, *Hoc est corpus meum*; cætera enim absolutè non requiruntur ad constitutionem sacramenti, ut probabitur in disputatione de Eucharistia. *Secundò* dico, quòd etsi illa verba tam antecedentia, quàm consequentia spectarent ad essentiam formæ; nihilominus non exhiberent promissionem gratiæ in ipso usu sacramenti nobis applicandæ, sed tantùm illam designarent in sua causa præparatam, nempe in passione Christi.

XXIII.
Cur sacramenta dicantur signacula.

Dices secundò, Sacramenta appellantur *signacula & sigilla* à SS. Patribus: sed non ita dicuntur, nisi quia sunt duntaxat obsignationes promissionum gratiæ Dei: ergo sunt promissoria.

Nego minorem, nam appellantur signacula aliis de causis: *Primò*, quia per hujusmodi signa Christiani censentur peculiari ratione pertinere ad Deum, & esse sub ejus tutela: sicut à pastore ovibus, à Domino servis à duce militibus, notæ quædam inuruntur, quibus distingui valeant; quod maximè verum est de sacramentis quæ characterem imprimunt. *Secundò*, dici possunt signacula, quia claudunt & occultant res sacras; sic baptismus dicitur à Tertulliano lib. de Pœnitentia, obsignatio, & sigillum fidei. *Tertiò*, dicuntur signacula, quia per eorum susceptionem, professionis fidei nostræ publicum testimonium reddimus: quocirca baptismus sæpe à SS. Patribus signaculum justitiæ fidei appellatur.

XXIV. *Verbum sacramentale non est concionale.*

Probator secunda pars, nempe quòd *verbum sacramentale non sit concionale*, quia ut volunt hæretici, verbum istud *concionale*, non est necessarium sive ad essentiam, sive ad fructum sacramenti: *Primò*, quia in Scriptura nulla fit mentio ejusmodi concionis in institutione sive Eucharistiæ, sive baptismi; quæ duo sacramenta admittuntur ab adversarus. Verum est quidem quòd in ultima cœna Christus præclaram ad Discipulos habuit concionem, quam legere est Joan. 15. & 16. Verùm eam duntaxat habuit post institutionem & administrationem Eucharistiæ; ante eam verò nullam concionem ad Discipulos habuit. Verum est quidem quòd laverit eorum pedes, eisque dixerit: *Vos mundi estis, sed non omnes*: at verba ista non erant concionalia, quia juxta Calvinum in tertio notabili citatum cap. 14. sect. 4. verbum istud est concionale, quò significatio sacramentalis explicatur suscipienti, seu quod prædicatum facit suscipientem intelligere quid signum visibile denotet: nullum autem tale verbum tunc Christus præmisit.

Idem constat de institutione baptismatis; quanquam enim Christus Dominus Matth. ult. dixerit Apostolis: *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* attamen illis verbis non aliud significare voluit, quàm quòd adulti non debeant baptizari priusquam in fide instructi fuerint. Quod utique certissimum est: nam, ut docet S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 12. *Fides ac baptisma duo sunt modi comparandæ salutis inter se cognati ac inseparabiles; nam sicut fides perficitur per baptismum, ita baptismus fundamentò fidei nititur*: sed non inde sequitur quòd verbum concionale, quod ad illorum instructionem debet præmitti, idem sit cum verbo sacramentali, quò baptismus perficitur.

Confirmatur: quia si verbum concionale esset necessarium, maximè vel respectu ministrantis, vel adstantium, vel suscipientis: at ita non est quidem respectu ministrantis: nullus enim à seipso docendus est: non etiam respectu adstantium: nam validè confertur baptismus etiam quando præter ministrum & suscipientem nullus assistit: non denique respectu suscipientis; nam infantes & frenetici & amentes validè baptizantur, cùm tamen sint incapaces instructionis & verbi concionalis.

His adde quòd illi hæretici non rejiciant baptismum in Ecclesia Romana collatum, nec denuò baptizent eos, qui ab Ecclesiæ gremio ad eorum perduellia castra convolant, etsi prædicatio non præcedat: igitur, &c.

Objiciunt primò illud Matth. *Docete omnes Gentes baptizantes.* Hinc Apostoli in Actis, priùs semper docent & instruunt, quàm baptizent: Unde sanctus Hieronymus exponens illud Ephes. 5. *Mundans eam lavacrò aquæ in verbo vitæ*: per *verbum vitæ* intelligit doctrinam: igitur verbum concionale est necessarium ad sacramentum.

XXV. *Concio enim duntaxat requiritur in adultis ut dispositio.*

Distinguo consequens: Requiritur ut dispositio necessaria adultis ad baptismum cum fructu suscipiendum, concedo: nam adultorum justificatio fidem exigit, fides auditum verbi Dei; auditus ille prædicationem: nam quomodo credent sine prædicante? ait Apostolus. Ut pars essentialis baptismi, nego: quia seu præcedat instructio, seu cum baptismo jungatur, nihil baptismi validitati, vel efficaciæ detrahit. Unde Christus non præcepit Apostolis, ut baptizando docerent omnes Gentes nomen Patris & Filii & Spiritûs sancti, quod debuisset, si verbum instructionis adhibere præcepisset: sed jussit docere populos baptizantes eos in in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti: nam hæ voces, *In nomine Patris, &c.* respiciunt actum baptizandi, non docendi, qualem significant invocationem Trinitatis super ablutionem aquæ, non verò explicationem mysterii ad adstantes, in aliis enim Scripturæ textibus, illa particula *in nomine* non aliud quàm invocationem significat. Sic Marci ultim. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Actuum 3. *In nomine Jesu Christi surge & ambula.*

Neque aliud sensit S. Hieronymus.

Ad S. autem Hieronymum dico eum explicasse præfatum locum in sensu mystico & non litterali, ut ipsemet significat initiò explicationis contextûs; sic enim incipit: *Quia verò per tropologiam viros, animas, & uxores corpora dixeramus, &c.* Nec certè aliud sensit sanctus Hieronymus: nam explicans præfata verba; *Ite, docete baptizantes*, ait: Jussit Apostolis, ut primùm docerent universas Gentes, deinde sacramentò tingerent, & post fidem ac baptismum quæ essent observanda præciperent. *Subdit*: Non potest enim fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem. Quibus significat priùs adultos debere instrui de articulis fidei, quàm ad baptismum accedant: distinguit igitur sacramentum baptismi ab illa prævia instructione & doctrina.

Objicitur secundò, sanctum Ambrosium lib. de Initiandis cap. 3. ubi verbum quò perficitur baptisma, vocat prædicationem Dominicæ crucis, ait enim: *Marath fons amarissimus erat; misit in eum Moyses lignum, & dulcis factus est: aqua enim sine prædicatione divinæ crucis ad nullos usus futuræ salutis prodest ...... sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum: ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam.* Sed prædicatio crucis in mente sancti Ambrosii est verbum concionale: igitur ex mente sancti Ambrosii aqua non potest prodesse baptizando, nisi illuminetur doctrinâ & concione.

Nec S. Ambrosius.

Nego minorem: Nam prædicatio crucis duobus modis fieri potest: vel per verba, vel per opera; nec enim ille tantùm prædicat crucem, qui refert & explicat Christi passionem & tormenta, sed etiam qui vivit juxta regulam Evangelii, & carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigit. Unde in Baptismi administratione dici potest quòd prædicetur crux Dominica per ipsummet baptismi ritum: nam, inquit Apostolus ad Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Hôc autem posteriori modô, crucis prædicationem usurpat S. Ambrosius; quia ibi dicit, Sacerdotem mittere verbum istud (quod appellat prædicationem crucis) in ipsum fontem: at verbum instructionis non mittitur in rem insensibilem, cujusmodi est aqua, sed in creaturam rationalem: ergo per prædicationem crucis intelligit ritum quò confertur & ministratur baptismus, repræsentans mortem Christi, & per verbum sacramentale aquas consecrans; unde dicit verbum mitti ad fontem, eò modô, quò S. Augustinus dixit, verbum accedere ad elementum & fieri sacramentum.

Quæ utique explicatio confirmatur ex eodem S. Ambrosio, nam initiò capitis alloquens eum qui baptismi sacrarium ingressus est, ait: Quid vidisti? Aquas utique sed non solas. Levitas illic ministrantes, Sacerdotem interrogantem, & consecrantem: at non aliô consecrat instrumen-

„ rò, quàm verbô formæ baptiſmi. *Secundò*, ſcri-
„ bit: Marath fons amariſſimus erat, & Moïſes in
„ eum miſit lignum, ac dulcis factus eſt: ſic aqua
„ ſine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos uſus
„ ſalutis eſt: cùm verò fuerit crucis myſteriô con-
„ ſecrata, tunc ad uſum ſpiritalis lavacri, & ſalu-
„ taris poculi temperatur, & fit dulcis ad gratiam;
„ ea prædicatio eſt invocatio S. Trinitatis; nam
„ hæc ut applicatur baptiſmo, crucis efficacita-
„ tem commendat, & veluti præſentem facit ef-
„ fectum ejus applicando.

Quòd autem reverà cenſuerit S. Ambroſius baptiſmum perfici verbis conſecratoriis præter mox dicta, etiam iſtud declarat lib. 2. de ſacramentis cap. 5. ubi pro eo quod hîc dicit, Sacerdotem mittere prædicationem crucis in fontem aquæ, ait: *Sacerdos precem dicit ad fontem; invocat Patris nomen, præſentiam Filii, & Spiritûs ſancti; utitur verbis cœleſtibus: verba cœleſtia quæ ſunt? Quòd baptizemus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.*

Objiciunt tertiò illud S. Auguſtini tract. 80. in Joan. ubi ait: *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? niſi faciente verbò, non quia dicitur, ſed quia creditur: nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: quò corda mundantur & baptiſmus conſecratur*: Sed verbum quod creditur eſt concionale, ſeu prædicationis & doctrinæ; non poteſt enim eſſe creditum niſi priùs auditum & prædicatum; unde ibidem illud appellat *verbum fidei*: & poſtquam declaravit verbô ſacramentali mundari infantes, ut hoc verbum concionale eſſe declararet, ſic concludit: *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Iam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis*: igitur, &c.

Nego minorem: Nec enim ea eſt S. Auguſtini mens: ſolùm enim probare intendit ex præfatis verbis Chriſti: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis*; quòd omnis mundatio hominis repetatur ex verbo Dei, quod dicitur verbum fidei; quia nempe eſt fidei objectum: non autem duntaxat ex aqua; ibi enim inquirit, quare Chriſtus D. non dixerit: *Mundi eſtis propter baptiſmum, quô loti eſtis*; ſed ait: *Propter verbum quod locutus ſum vobis*; reſpondet: quia & in aqua verbum mundat: Unde enim tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi ſanctificante verbô, non quia dicitur, ſed quia creditur? Quaſi diceret: Nemo mirari debet, quare Chriſtus dixerit; Mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis, non verò propter baptiſmum; quia & ipſe baptiſmus conſecratur per ſermonem, quem locutus eſt; conſecratur enim per verba dominica, quæ debent ſpectari, non ut verba communia, ſed ut verba quæ Dominus locutus eſt, in quibus virtus eſt quædam manens & operans, quæ virtus non cadit niſi ſub fidem; unde ſtatim addit: *Nam in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus permanens.* Teſtimonia autem ſequentia ex Scripturis deprompta adduntur, ut probet in genere vim mundandi oriri ex verbo fidei, quod, ut dixi, ſuſceperat initiô probandum. Unde meritò concludit, quòd etiam verbum, per quod infantes mundantur ſit verbum de quo Dominus ait: *Iam vos mundi eſtis propter Sermonem*, &c. Cùm igitur ſanctus Auguſtinus cenſeat per verbum, de quo ſermonem inſtituit, juſtificari infantes, certum eſt non intelligere verbum concionale; quippe cùm infantes non poſſint credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.

Nec S. Auguſtinus.

XXVI. Verbum ſacramentale eſt conſecratorium.

Probatur denique TERTIA PARS, nempe quòd *verbum ſacramentale ſit conſecratorium*: Probatur, inquam, quia verba quibus conficiuntur ſacramenta, appellantur *ſanctificatio, benedictio, conſecratio, invocatio nominis Dei*; Sic S. Paulus 1. ad Corinth. 10. verba quibus conficitur Euchariſtia, appellat benedictionem: *Calix benedictionis*, inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?*

Similibus appellationibus donantur à SS. Patribus: nam S. Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. ait: *Porro ubi Pontifex ſacroſancta Dei munera collaudavit, diviniſſima conſecrat myſteria.* Et cap. vlt. ſacramentalia verba appellat, *conſecratorias invocationes.* Similiter S. Juſtinus Apolog. 2. *Super eo*, inquit, *qui renaſcendum eſſe per baptiſmum ſibi ſtatuerit, parentis rerum omnium Dei nomen nominatur, & iſtum ad lavacrum ducentes invocamus.* Item S. Ambroſius lib. 2. de ſacramentis cap. 5. ſuprà laudatô, & 4. de ſacramentis cap. 4. loquens de confectione Euchariſtiæ, ait: *Panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum; ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Quomodo poteſt panis corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio quibus verbis fit, & cujus ſermonibus? Domini Ieſu.* Pariter S. Auguſtinus lib. 6. contra Donatiſtas, cap. 25. *Deus*, inquit, *adeſt verbis Evangelicis ſuis, ſine quibus baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt, & ipſe ſanctificat ſacramentum ſuum.* Idem habent cæteri Patres, quos tædioſum eſſet hîc recenſere.

Objicit Calvinus: Verba conſecratoria ſuperſtitioſa videntur, & incantationi magicæ ſimilia; quippe cùm ſuper elementum mutum & inanime à miniſtro demurmurentur, abſque ullo ſenſu & fide aſtantium; quippe cùm ignotô idiomate, nempe linguâ Latinâ, coram imperitis proferri ſoleant? ergo, &c.

Non autem ſuperſtitioſa, aut magiam redolentia ut impudenter oblaterat Calvinus.

Nego antecedens: Verba enim proferre ſuper mutum & inanime elementum; maximè quando fit ex ordinatione divina, nullatenus magiam ſapit ac redolet: nam Num. 5. in ſacrificio Zelotypiæ, Sacerdos plurima verba maledictionis congerebat in aquam ad id deſtinatam, quæ potata mulieres adulteras interficeret, innocentibus verò non noceret. *Inſuper* Magi non ſolùm verbis, ſed etiam rebus utuntur in ſuis præſtigiis: at hæretici nihil magicum agnoſcunt in materiis ſacramentorum: ergo nec agnoſcere debent in verbis. *Denique* incantatio magica conſiſtit in eo quòd certæ res, figuræ, & voces aliunde per ſe inefficaces vim habeant aliquid efficiendi ex pacto tacito; vel expreſſo cum dæmone: at verba conſecratoria ſacramentorum non habent efficiendi cum ex ullo cum dæmone pacto, ſed ex inſtitutione Chriſti. Quare in ſacramentorum adminiſtratione ſunt aliqua verba, quæ debent ab omnibus intelligi, ut ea quæ proferuntur ad excitandam ſuſcipientium & adſtantium fidem, & pietatem, & ea debent eſſe vernacula plerumque; niſi ſuſcipientes & adſtantes Latinè intelligant: alia ad efficiendum, ut cùm Joſue locutus eſt ad Solem, qui non habebat auditum, & Chriſtus ventis imperavit. Ea cujuſcunque ſint idiomatis, idonea ſunt; ejuſmodi autem ſunt verba conſecratoria ſacramentorum.

QUÆSTIO QUARTA.

De necessitate & existentia Sacramentorum.

I. Duplex in moralibus necessitas: nempe præcepti & medii.

CUM Sacramentorum institutio ex mero Dei beneplacito, summaque ejus libertate ac liberalitate pendeat; eúmque compertum sit divinam illius providentiam, singulis rebus, juxta cujusque indigentiam & necessitatem opitulari, efficaciori ratione suaderi ac colligi non potest sacramentorum existentia, quàm ex comperta & probata eorum necessitate. Unde sapienti consiliô, ac justô libratôque ordine sacramentorum existentiam ab eorum summa hominibus quovis in statu degentibus necessitate scrutantur & investigant Theologi.

Notandum autem primò, duplicem in morali Christiana, quantùm ad præsens pertinet, solitò distingui necessitatem, quarum prima vocatur necessitas *medii*: secunda verò necessitas *præcepti*. *Necessitas medii* ea est quâ aliquid ita censetur necessarium ad finem aliquem comparandum, ut sine illius ope non possit obtineri: *necessitas* verò *præcepti ea* est quâ aliquid ex sua ratione intrinseca non ordinatur nec conducit ad alicujus finis assecutionem, sed duntaxat ad id requiritur ex ordinatione & præcepto superioris. Porrò necessitas medii duplex distinguitur, scilicet *intrinseca*, & ex intima connexione medii cum fine, quæ solitò vocatur necessitas *simpliciter*, quâ nimirum fit, ut finis non possit obtineri seclusô tali mediô: alia verò *extrinseca*, quæ oritur non quidem ex natura rei, sed ex institutione & ordinatione divina, & dicitur necessitas ad meliùs esse, seu potius est congruentia, quàm vera necessitas.

Hæc rursus duplex: una intrinseca, alia extrinseca.

Sacramenta non sunt necessaria necessitate intrinseca.

Certum est autem sacramenta non esse necessaria necessitate intrinsecâ & simpliciter: constat enim quòd Deus absolutè loquendo, humanam salutem operari potuerit absque ejusmodi signis sensibilibus. *Insuper*, nulla est ratio intrinseca & essentialis, cur sacramenta vim habeant producendi gratiam, & conferendi eos omnes effectus, quos Deus ad eorum signorum applicationem in subjectis debitè paratis infallibiliter producit: solùm itaque hîc inquirimus an suppositâ Dei ordinatione sacramenta fuerint necessaria in quovis hominum statu.

II. Triplex generatim status naturæ humanæ: nempe beatificus: innocens: lapsus.

Notandum secundò, triplicem generatim distingui posse statum humanæ naturæ: Primus est naturæ perfectissimæ, qualis est status beatitudinis: secundus *naturæ innocentis*; qualis extitit ante Adami lapsum: tertius est ejusdem naturæ vitiatæ per Adami peccatum. Qui rursus dividitur in tres alios status; nam alius est status hominis sub *lege naturæ*, hoc est ante legem scriptam, nimirum ab Adamo ad Moïsem: alius est sub *lege scripta*; putà ab eo tempore, quô populo Judaico lex præscripta fuit à Deo per Moisis ministerium, usque ad prædicationem Evangelii per Christum D. Tertius est sub *lege gratiæ*, qui à Christo D. ad mundi finem perseveraturus est. Quos utique tres status S. Augustinus epist. 19. appellat *ante legem, sub lege & sub gratia*. Certum est autem, quòd sacramenta nullâ ratione sint necessaria in statu naturæ perfectissimæ; quia ubi est veritas aperta, omnis signorum umbra eliminatur: unde præclarè S. Augustinus lib. de cataclismo cap. 4. *Comeditur agnus*, inquit, *post mortem hujus sæculi, ut cùm mane illud venerit, quod vesperam non habebit, non jam auferatur sacrificium imaginis Agni, sed ipsum Agnum, quem quotidie immolamus, comedimus, & cujus sanguinem bibimus, inveniamus illic eum Sacerdotem perfectum, quem constat hic pro nostra salute occisum.* Hinc Doctor in 4. disp. 1. quæst. 3. num. 7. ait: *Apparet quod in statu patriæ nullum congruit sacramentum, quia tunc non indiget homo sensibilibus, ut cognoscat intelligibilia pertinentia ad salutem suam: neque tunc indiget excitari ad quærendum pertinentia ad salutem, quia est perfectè consecutus salutem.* Unde difficultas remanet de quatuor cæteris humanæ naturæ statibus, nempe innocentiæ, legis naturæ, scriptæ & gratiæ.

Qui rursus est triplex.

III. Sacramenta considerari possunt tripliciter.

Notandum tertiò, Sacramenta posse considerari instituta & ordinata ob triplicem finem, juxta triplicem eorum considerationem; enimverò spectari possunt, vel quatenus sunt cæremoniæ sacræ ac celebres ritus, quibus homines in eandem religionem adunati, suum Deo ut supremo rerum omnium parenti & moderatori obsequium & cultum impendunt: nam, ut perbellè observat S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 16. *In nullum nomen Religionis verum aut falsum homines coadunari possunt, nisi aliquô signaculorum, seu sacramentorum visibilium consortiò colligentur. Secundò*, considerantur, quatenus sunt medicinæ, seu remedia ad resarciendam, vel conservandam, aut augendam hominis salutem. *Tertiò*, quatenus sunt media conducentia ad augendam hominis perfectionem per augmentum gratiæ illuminantis & sanctificantis.

CONCLUSIO PRIMA.

SACRAMENTA *non extiterunt in statu innocentiæ, nec ut remedia, nec ut animæ perfectiones, nec ut sacri ritus: imò nec extitissent si ille diu perseverasset.* Hæc conclusio quatuor partibus constat, quarum *prima* communis est apud Theologos, eamque Doctor approbat locô suprà laudatô, ubi ait: *Pro statu innocentiæ non fuit congruum institui sacramentum, sicut post lapsum, quia etsi tunc homo potuerit ex sensibilibus cognoscere intelligibilia: tamen nullum sensibile fuit necessarium tanquam conferens ad salutem, removendo aliquod impedimentum salutis, ut scilicet possit dici propriè medicina.*

IV. In statu innocentiæ nulla fuerunt sacramenta in remedium;

Probatur: Quia ubi nullus est morbus, ibi nulla requiritur medicina: sed durante primævâ innocentiâ nullus fuit morbus: igitur, &c. Major constat ex illo Matth. 9. *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus:* Unde præclarè S. August. *Tolle morbos, tolle vulnera & nulla erit medicinæ causa.* Minor etiam patet ex his quæ diximus in 2. volumine de felici innocentiæ statu.

Dices: Matrimonii sacramentum est in concupiscentiæ remedium: sed illud initum fuit inter Adamum & Evam durante statu innocentiæ: igitur in eo statu fuerunt sacramenta in remedium. Major constat ex S. Augustino in libris de Nuptiis, &c. Minor verò probatur ex illo Apostoli ad Ephes. 5. ubi loquens de matrimonio Adami cum Eva, ait: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Respondeo distinguendo minorem; Matrimonium illud fuit sacramentum secundùm latiorem significationem, & quatenus sacramentum est duntaxat signum rei sacræ, non verò sanctifican-

tis subjectum, in quo est tale signum, concedo: quatenus sacramentum accipitur in strictiori significatione pro signo rei sacræ sanctificantis, nego. Ad probationem dico Apostolum eatenus matrimonium Adami & Evæ, appellare sacramentum, quatenus præfigurabat conjunctionem Christi cum Ecclesia sponsa. Quòd autem tunc non fuerit propriè dictum sacramentum, sufficienter determinat Concilium Trident. cùm ait, sess. 14. can. 1. *Si quis dixerit matrimonium non esse verè ac propriè unum ex septem legis Evangelica sacramentis à Christo D. institutum.... anathema sit.*

V. Nec ad animam perficiendam.

Probatur secunda pars, nempe quòd in statu innocentiæ non fuerint necessaria sacramenta ad animæ perfectionem; quia in illo felici statu, superiora dominabantur inferioribus, & anima corpori, ratio sensui, facultates intellectuales sensitivis & naturalibus; id enim originalis justitia præstabat, ut quemadmodum anima perfectè erat subdita Deo, sic inferiores animæ vires naturales & sensitivæ rationi subjicerentur; ac proinde non erat conveniens, ut anima sanctitatem mutuaretur à rebus corporeis: igitur, &c.

Dices: Sacramenta necessaria sunt homini ad gratiam assequendam, perficiendam & servandam, contra repugnantes tentationum motus: sed in statu innocentiæ potuerunt ad hæc omnia prodesse; homo siquidem in eo statu debebat sibi novum in dies comparare gratiæ gradum, illam contra infestantes tentationes tueri: igitur, &c.

Nego minorem: Nam potuisset aliâ viâ, quàm per signa corporea gratiæ augmentum suscipere, nempe per exercitium virtutum, maximè divini amoris, ad quod quidem augmentum movebat originalis justitia, quæ mentem illustrando, etiam voluntatem in omne bonum inclinabat, & vegetabat.

Dices secundò: Sacramenta prosunt ad mentis illustrationem: at in statu innocentiæ debuisset illustrari mens hominis. Ergo ad id sacramenta erant necessaria.

Distinguo minorem: Per alia signa, concedo: per sacramenta, nego: quia perfectio mentis humanæ fuisset in eo statu ex divini numinis influxu, non ex phantasmatibus, sed ex speciebus: in eo tamen statu phantasmatis utebatur anima, sed ut corpore sibi subditô; cognitionis enim perfectionem habuisset ex infuso lumine: phantasmatis etiam utebatur, quia delectabilis est eorum experientia, quorum habemus scientiam. Quare experta fuisset naturæ vires, & actiones, ut eorum, quæ sciebat, supernaturalium & naturalium per scientiam quæ est infusa, experimentali cognitione perciperet: ore etiam confessa fuisset fidem ad salutem, & exterioribus signis Deo cultum exhibuisset, in gratiarum actione, & pietatis testificatione, & supremæ potestatis agnitione: at ea signa sacramenta non fuissent.

Dices tertiò. Ex S. Dionysio lib. de Ecclesiastica hierarchia cap. 1. Deus cœlestibus & beatis mentibus exhibet divina mysteria sine sensibilibus figuris, quia sunt immateriales: nobis autem ea tradere debuit per symbola sensibilia: quia materiali naturâ constamus: sed Adam & Eva in statu innocentiæ constabant materiali naturâ: igitur eis necessaria erant signa, & media corporea, quibus gratiam illuminantem possent assequi.

Respondeo distinguendo majorem: homines materiali naturâ constantes debent habere media corporea, quibus illustrentur, quandiu pars superior non habet omnimodè subditam sibi inferiorem, concedo: secus, nego: at in eo statu omnimodè inferior pars superiori obtemperabat, & aliunde quàm sensuum beneficiô habebat id omne, quod ad suæ mentis illustrationem conducebat: nam, inquit S. Bernardus serm. de Annuntiatione: *Ipsum misericordia custodiebat, docebat veritas: regebat justitia, pax fovebat.*

VI. Nec ad Deum colendum.

Probatur tertia pars, nempe quòd sacramenta non fuerunt in eo statu tanquam ritus & cæremoniæ sacræ: Tum quia hæc sacramentorum acceptio tantùm est impropria: Tum quia sacrificia, oblationes, aliique cultus externi abundè sufficiebant, ut homo debitum cultum Deo impenderet.

Dices: In statu innocentiæ fuissent sacrificia, ut concedimus; quia sunt præcipui actus publicæ Religionis: Unde docent Theologi sacrificium spectare ad jus naturæ, quia procedit ex naturali ratione, quòd homo rebus sensibilibus suam erga Deum subjectionem, & supremum in omnia Dei dominium agnoscat: sed sacrificia sunt sacramenta; sunt enim signa gratiæ: igitur, &c.

Respondeo primò, negari posse majorem; cùm enim brevissimô tempore steterit innocentiæ status, non videtur locum fuisse primis Parentibus sacrificium aliquod offerre: imò non abs re conjiciunt aliqui, idcirco Deum permisisse Adamum labi in peccatum, quoniam visus est ingratus erga tam munificum benefactorem, quem nullô sacrificiô in gratitudinis monimentum coluit.

Respondeo secundò, negando minorem; quia sacrificia sunt signa gratiæ per modum meriti, quando offeruntur in statu gratiæ sanctificantis; non verò per modum signi à Deo instituti ad gratiam efficaciter conferendam.

VII. Nec etiam extitissent si status ille perseverasset.

Probatur denique *quarta pars*, nempe quòd etiamsi perseverasset ille felix innocentiæ status, nullum propriè dictum institutum fuisset sacramentum: Tum quia sacramenta in eo statu fuissent inutilia; etenim ad tria præcipuè ordinantur, nempe vel ad gratiam recipiendam, vel ad illam conservandam, vel ad eam augendam: sed ad nullum ex his tribus indiguissent homines sacramentis in statu innocentiæ. Non quidem ad primum; quia quemadmodum Deus per propagationem naturalem, producit animam, ita produxisset in anima gratiam sanctificantem, veluti sacram hæreditatem à primo parente propagatam. Non etiam ad secundum, quia in illo felicissimo statu, nullis internis vel externis tentationibus agitari fuissent, aut saltem subjacuissent. Non denique tertium, quia gratiæ augmentum fieri debet modô statui convenienti: at non fuisset conveniens illi statui, ut homo per media corporea gratiam reciperet; ergo neque ut per eadem illam augeret.

Dices: In statu innocentiæ potuissent homines peccare: ergo conveniens erat, ut pro eluendo peccato & restituendâ gratiâ, sacramenta instituerentur. Antecedens patet: non enim melioris sortis forent Adami posteri, quàm ipsemet Adamus: at ille non obstantibus illis omnibus gratiis ac dotibus, quibus donatus fuerat, peccavit: ergo etiam illi peccare potuerunt. Consequentia verò probatur, quia prudens Medicus non solùm præsentibus morbis præbet remedia, sed etiam imminentibus & futuris parat antydota seu præservativa: sed Deus est prudentissimus

fimus animarum Medicus , peccata sunt mnrbi, A sacramenta verò antidnta & remedia : igitur, &c.

VIII. Deperditam enim gratiam aliô mediô quàm per sacramenta potuisset homo recuperare.

Respondeo primò, negari posse antecedens : nam; ut diximus in 2. volumine : *tract. 3. disp. 2. art. 3. quæst. 1. con. 3.* Si Adamus innocens stetisset , ipsius posteri confirmati fuissent in gratia sanctificante; nnn quidem ab initin suæ Nativitatis, sed ubi vicissent primò eis ingruentem tentationem.

Respondeo secundò, negando consequentiam, & ejus probationam distinguo : Si morbi contingant frequenter & ut plurimùm, concedo : si ra- B rò, negn : quanquam enim si perseverasset innocentiæ status, aliqui fortè hominum lapsi fuissent in peccatum, tamen istud tarò & in paucis accidisset : non fuisset autem congruum instituere sacramenta pro paucissimis illis hominibus , maximè cùm per alia media potuissent deperditam gratiam tecuperate, nempe per actus contritionis & amoris Dei, quos longè faciliùs ac perfectiùs quàm nos, propter minùs repugnantem sensualitatem, & præstantinta & efficaciora auxilia potuissent elicere.

IX. Fonè tamē aliqua fuissent instituta.

Non abnuerem tamen (ex hypothesi quòd etsi Adamus non peccasset Christus venisset) tunc instituenda forè illa sacramenta : quibus instituendis peccatum non fuit occasio, maximè vern Eu- C charistiam; *Tum* ut Incarnationis beneficium cæteris hominibus communicaret : Eucharistia enim est quædam Incarnationis extensin : *Tum* ad augendam gratiam ; siquidem ad illius augmentum primò & per se ordinatur : *Tum* ut præstantissimum esset pignus futuræ gloriæ : *Tum* denique, ut hnminibus præberet perfectum sacrificum laudis, & gratiarum actionis.

Maximè Eucharistia.

Enimverò status viæ cæteris perfectior quoad gratiam, congruè exigit institutinnem eorum mediorum, quibus gratia perfectiori modô augeatur : at status innocentiæ esset perfectissimus, ac subinde conveniens fuisset ut in illn statu homines D habuissent perfectissima media , quibus augmentum gratiæ possent cnmparare : nullum autem medium præstantius est, quàm ipsemet Dei & hnminum Mediator, qui in Eucharistia recipitur.

Deinde probabile fit, quòd Deus non minùs dilexisset homines innocentes, quàm per peccatum vitiatos; ac subinde quòd eos minori beneficiô non cumulasset : at nullum est præstantius hominibus à Deo cnncessum post Incarnationem, quàm Eucharistiæ sacramentum , *in quo*, inquit Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. *divitias divini sui erga homines amoris effudit* : igitur verisimile est homines in statu innncentiæ fore hôc præstantissimô beneficiô donandos.

Denique, perfectius est habere augmentum gra- E tiæ ex opere nperato & operantis simul , quàm duntaxat ex opere npetantis, ut constat in adultis, qui abundantiorem gratiam suscipiunt, dum baptizantur cum debita præparatione, quàm parvuli, qui absq; ejusmodi prævia dispositione suscipientes baptisma, minori gratiarum irriguo donantur. In statu autem innocentiæ gratia fuisset hominibus cnllata, modô omnium præstantissimô, ac subinde probabile fit, quòd in eo statu aliqua fuissent sacramenta , quibus hnmines gratiam consequi pnssent ex opere nperato , sicut & ex npere npetantis.

CONCLUSIO SECUNDA.

X. In lege naturæ erat determinatum sacramentum.

IN *lege natura erat aliquod determinatum remedium ac sacramentum, maximè pro elnendo originali peccato*, Hæc conclusio tribus partibus constat : Prima, quòd fuerit aliquod remedium: Secunda, quòd fuerit determinatum: Tertia, quòd fuerit verum sacramentum.

Prima pars cnmmunis est apud Theolngos, eamque expressè docet subtilis Doctor in 4. dist. 1. quæst. 7. ubi ait : " Nullô tempore dimisit " Deus cultores suos sine remedio necessario ad " salutem : sed omni tempore post lapsum fuit ne- " cessaria ad salutem deletio originalis : ergo qun- " cunque tempnre aliquod remedium efficax erat " ad hoc. Etsi potuit deleri in adultis per motum " bonum intrinsecum; tamen in parvulis, in qui- " bus talis motus est impossibilis, nnn potuit deleri " per actum suum proprium : ergo per aliquem " actum alintum circa ipsos , vel ad ipsos re- " latum. "

Quam utique veritatem nemo sanæ mentis potest inficiari ; *Absit enim* (inquit Innocentius III. relatus in capite majores de Baptismo (*ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem*.

Idem docet Author quisquis est de operibus Christi Cardinalibus apud sanctum Cyprianum. *Sanè*, inquit, *originale peccatum quod à primis parentibus in totam generis humani successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licèt vim plenam significandi non habuerint donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur volumine*.

Nec refert quòd illius remedii Scriptura non meminerit; inde enim nou est consequens, qund illud remedium non fuerit ordinatum; alioqui pari ratinne dicendnm esset, sexum muliebrem apud Israëlitas omni caruisse remediô, & mediô quô mundarentur ab nriginali peccato, & in populum Dei consignarentur ; quippe cùm Circumcisionis essent incapaces : qund tamen absurdissimum est, erant enim de fœdere Abraham, sicut & masculi, & offerri debebant in templo adhuc puerulæ ante usum ratinnis : nnn potuissent autem sacramentorum & cæremoniarum legis esse participes, nec credibile videtur Deum fuisse imperaturum earum nblatinnem in templo, si reverà fuissent naturâ filiæ iræ , sicut & cæteræ : igitur, &c.

XI. Cur potius sacramenta sint instituta pro parvulis in statu legis naturæ, quàm pro morientibus in utero materno.

Dices : Quamvis innumerabilis parvulnrum multitudn in utern matrum extinguatur , eis tamen nullum originalis peccati remedium à Deo provisum est, & nmnes quotquot parvuli ita sunt extincti, sive in lege naturæ , sive Mnysis, sive Christi, damnati sunt: ergo non cnngruè colligitur remedium fuisse divinitus institurum ex innumera multitudine parvulnrum, alioqui periturorum.

Nego consequentiam : Non enim eadem est paritas : Tum quia parvuli in utern morientes paucissimi sunt respectu aliorum : non est autem conveniens, ut Deus prn paucissimis hominibus sacramentum instituat : Tum qnia qui moriuntur in utero sunt incapaces remedii suscipiendi, quia per hnmines humanô modô non potest eis applicari, cùm non cadant sub hominum notitiam & administrationem, sicut ii qui nascuntur ; unde licèt Deus potuerit his negare remedinm nri-

ginalis peccati ſioe injuſtitia, tamen bonitatis ejus & providentiæ fuit id in omni lege concedere.

XII. Remedium legis naturæ erat verum ſacramentum.

Probatur secunda et tertia pars, nempe quòd remedium iſtud fuerit aliquod ſignum ſenſibile determinatum, & gratiæ ſanctificantis productivum ex opere operato. Probatur, inquam, primò authoritate ſancti Aoguſtini lib. 5. contra Julianum cap. 9. ubi ait: *Nec ideo tamen credendam eſt, & ante datam Circancifionem famulos Dei, quandoquidem in eis erat Mediatoris fides in carne venturi, nullô ſacramentô ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſais, quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluerit.*

1. Quia erat ſignũ gratiæ.

Quam utique ſententiam probat & ſequitur Doctor locô ſuprà laudatô, *ubi ſubdit*: Non poterat eſſe certus quòd actus alterius relatus ad parvulum ſufficeret ipſi, niſi hoc eſſet inſtitutum à Deo: nullus enim poteſt eſſe certus quòd per aliquid attingat ad ſalutem, niſi ſit certus quòd Deus acceptavit illud tanquam ſufficiens ad talem finem. Cùm ergo non ſolùm adultis cultoribus ſuis providerit Deus de remedia neceſſariis ad ſalutem, ſed etiam parvulis eorum (& hoc de remedio, de quo parentes poſſunt eſſe certi pro parvulis) ſequitur quòd tempore illius legis naturæ erat à Deo inſtitutum aliquod remedium, vel ſigoum certum, & efficax deletionis originalis peccati. Et magis probabile eſt quòd per aliquod ſignum ſenſibile, quàm per aliquod ſignum intelligibile tantùm; quia pro toto ſtatu naturæ lapſæ, congruunt homini ſigna ſenſibilia reſpectu ſpiritualium: ergo rationabile eſt aliquod ſacramentum, ſaltem contra originale fuiſſe in tempore legis naturæ.

2. Signum determinatum.

Quibus Doctor tria docet: Primum, quòd remedium iſtud fuerit aliquod ſignum determinatum: Secundùm, quòd fuerit ſenſibile: Tertium, quòd fuerit efficax: quæ tria totidem ſunt ſacramenti perfecti characteres. Quòd autem fuerit determinatum ſignum à Deo, conſtat, quia ſigna practica gratiæ nemo determinare poteſt præter Deum, quia cùm ſolus ſit gratiæ author, etiam ſolus poteſt illius productionem certò determinare ad alicujus ſigni præſentiam.

Deinde, Si ſignum illud peccati originalis remiſſivum relictum eſſet liberæ hominum determinationi, melior foret conditio parvulorum quoad ſalutem in lege naturæ, quàm in lege gratiæ, utpote cùm haberent medium generalius & facilius quàm ſit baptiſmus.

3. Senſibile.

Quòd autem iſtud remedium debuerit eſſe ſenſibile, probatur: Si remedium iſtud non fuiſſet aliquod ſignum ſenſibile, maximè fuiſſet (ut volunt aliqui) actus interior fidei: ſed ita non eſt, primò quia charitas longè præſtantior eſt & efficacior fide: ſed nullus juſtificari poteſt per actum charitatis alienæ: ergo multò minùs per actum alienæ fidei. Nec dicas idcirco fidem magis juſtificare, quàm charitatem, quia fides magis reſpicit Mediatorem, ut eſt alteri cauſa ſalutis, quàm charitas. Hæc enim reſpooſio prorſus eſſet evanida. Enimverò qoâ ratione actus fidei terminatur circa Mediatorem, eâdem ratione actus charitatis juſtificaret, quia ad ipſum Mediatorem terminaretur: ergo cùm nullus dixerit actum charitatis alienæ fuiſſe ſufficientem ad juſtificationem parvulorum, nec idem de actu fidei ſentire debet.

XIII. Non enim juſtificabantur pueri per actũ tantùm internum fidei alienæ.

Adde quòd non magis fidei actus conferat ad ſanctificationem alienam, quàm ad propriam: ſed actus fides in lege naturæ non erat ſufficiens ad juſtificationem propriam, qoia poterat quis habere fidem informem, id eſt, non perfectam charitate, quæ forma virturum eſt.

Deinde, Si ſolus fidei actus internus fuiſſet ſufficiens in parvulis ad eluendum originale peccatum in lege naturæ, potuiſſent per eum actum juſtificari parvuli, non ſolùm nati, ſed etiam concepti, & intra materoum uterum exiſtentes; nec ſolùm præſentes, ſed etiam abſentes; imò in caſu neceſſitatis potuiſſet actus ille ſufficere ad juſtificationem omnium parvulorum totius mundi, etiam in utero exiſtentium: quia mentis actus purè internus & intentionalis, æqoè poteſt dirigi ad pueros in utero ac extra uterum, abſentes ac præſeotes, erga plures ac erga unicum; ſicque remedium iſtud longè majoris eſſet efficacitatis, qoàm baptiſmus, quòd cùm redundet in injoriam legis gratiæ, concedere non poſſunt adverſarii, nec conſequenter admittere debent id unde conſequentia illa eruitur.

Denique, Id per quod infantuli fiebant Eccleſiæ membra, debet eſſe externum ac ſenſibile, conjunctio enim ad corpus ſenſibile, qualis eſt Eccleſia, debet eſſe ſenſibilis: Sed remedium iſtud, quô eluebatur originale peccatum, conſtituebat infantes Eccleſiæ membra, ſicut circuncifio in lege Moſaïca, & baptiſmus in Evangelica: igitur, &c.

XIV. Nec contrarium docent Patres.

Dices: Plurimi Eccleſiæ Doctores teſtantur ſolam fidem internam fuiſſe ſufficiens remedium in lege naturæ ad originalis peccati remiſſionem in infantibus: igitur ita eſt. Probatur antecedens ex Tertulliano lib. de Baptiſmo cap. 13. *Fuerit ſalus retro per fidem nudam ante Domini paſſionem & reſurrectionem: at ubi fides aucta eſt credendi in Nativitatem, paſſionem, reſurrectionem ejus, addita eſt ampliatio ſacramenti, obſignatio baptiſmi, veſtimentum quodammode fidei, qua retro erat nuda, nec poteſt jam ſine ſua lege, lex tingendi imperfecta eſt, & forma praſcripta.* Sed & ex S. Gregorio 4. Moral. cap. 3. *Qaod apud nos valet aqua baptiſmi, hoc egit apud Veteres, vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro his, qui ex Abraha ſtirpe prodierunt, myſterium Circunciſionis.* Ex S. Bernardo epiſt. 77. io Nationibus: *Quotquot inventi ſunt fideles, adultos quidem fide & ſacrificiis, credimus expiates: parvulis autem etiam ſolam fidem profuiſſe, imò ſuffeciſſe credimus.* Eis adſtipulatur Beda in Lucam cap. 8. dicens: *Qui vel ante Circunciſionis tempora, vel poſt datam Circunciſionem, de exteris Gentibus, extitere fideles, ut Iob & amici, liberique illius, ſive victimis hoſtiarum ſe ſuoſque ab originali peccato, ſeu certè ſolâ fide ſalvabant.*

Reſpondeo, eas omnes Patrum authoritates eô modô ſolvendas & explicandas, quomodo ſubtilis Doctor locô ſuprà laudatô, *num.* 3. ſolvit authoritatem ſancti Gregorii, dicens: Quòd ſanctus Gregorius non intelligit ſolam fidem pro ſolo habitu, nec fortè tantùm pro actu interiori: ſed pro actu exteriori ſenſibili proteſtante fidem: ille autem actus ſufficienter potuit habere rationem ſacramenti. Quâ ratione fidem juſtificativam etiam uſurpat ſanctus Augoſtinus lib. 2. de Nuptiis & Concupiſcentia cap. 11. ſcribens: Ex quo inſtituta eſt circunciſio in popolo Dei: qood erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei ad ſignificaodam purgationem valebat parvulis originalis veteriſque peccati, ut baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo inſtitutus eſt,

non quòd ante circuncisionem justitia fidei nulla erat: nam cùm adhuc esset in præputio, ex fide justificatus est ipse Abraham Pater gentium, quæ fidem ipsius erant sectaturi: Sed superioribus temporibus omni modô latoit sacramentum justificationis ex fide: eadem tamen fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis. Quibus verbis S. Augustinus fidem illam justificativam appellat sacramentum fidei, ac proinde censet illam non fuisse duntaxat actum internum, sed etiam aliqoô signô exteriori & sensibili declaratum. Quodnam autem fuerit illud sensibile signum, an videlicet sacrificium aliquod oblatum pro eluendo originali peccato, an ipsa pueri emaculandi oblatio coram Deo, nihil certi definiri porest, cùm istud Scriptura sacra tacuerit.

Conclusio Tertia.

XV. Plura erant in lege veteri Sacramenta.

In lege scripta seu Mosaïca, præter Circuncisionem, plura alia erant sacramenta. Hæc est pariter communis, & colligitur ex Concil. Florentino in decreto Eugenii, ubi post enumerata septem legis sacramenta, subdit: *Quæ multùm à sacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non causabant gratiam: sed solùm eam per Passionem Christi dandam figurabant: Hæc verò nostra & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt.* Item ex Concilio Trident. sess. 7. can. 2. *Si quis dixerit ea ipsa novæ legis sacramenta à sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.*

Probatur etiam authoritate sanctorum Patrum, maximè sancti Augustini lib. de vera Religione cap. 16. & lib. 19. contra Faustum cap. 17. ubi ait: Sacramenta veteris legis ablata sunt, quia impleta, & alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, & numerô pauciora.

Masimè triplicis generis.

Ratio etiam suffragatur, quia ex dictis, sacramentum est signum sensibile & permanens ex Dei ordinatione institutum ad significandam aliquam gratiam & sanctitatem: sed præter circumcisionem plures erant in veteri lege ritus & cæremoniæ, quibus talis definitio competit: igitur, &c. Major constat. Probatur minor; triplicis enim generis erant ejusmodi signa: alia namque erant *consecratoria*; alia *Eucharistica*, alia *Purificatoria*. Primi generis erant omnes Pontificum ac Sacerdotum inaugurationes, & sacri ritus, quibus destinabantur, & initiabantur aliqui homines, ut debitum Deo cultum impenderent, quales erant Sacerdotes & Levitæ, quorum consecrandorum ritus memorantur Exodi 28. & 29. *Secundi generis* erat agnus Paschalis, qui comedebatur in memoriam beneficiorum Dei, maximè verò liberationis à captivitate Ægyptiaca. *Tertii verò generis* erant omnes purificationes & expiationes, quæ maximè duplicis erant generis; aliæ enim erant expiationes ab immunditiis exterioribus & legalibus, quæ fiebant per aspersionem aquæ, vel per aliquod sacrificium ordinatum ad tollendum peccatum, quô immunditiæ illæ contractæ fuerunt. Expiationes verò à peccatis fiebant per sacrificia, quæ offerebantur, vel pro universo populo, vel pro peculiaribus personis.

Porrò omnia ista tum legis naturæ, tum scriptæ sacramenta figuræ fuerunt ac imagines veritatis & gratiæ quæ per sacramenta novæ legis debebat ubertim redundare, cum hoc tamen discrimine, ut notat Hugo Victorinus lib. 1. de sacramentis part. 11. cap. 6. *Quòd*, inquit, *prima sacramenta legis naturalis, quasi veritatis umbra: quæ verò tempore legis Moïsis, quasi quadam imago veritatis: quæ autem sub gratia novissimè consequuntur, jam non umbra, vel imago, sed ipsum corpus veritatis.*

XVI. Quæ tria tantùm ex nostris adumbrârunt.

Advertendum insuper, quòd ex omnibus sacramentis legis scriptæ, aliqua nostris correspondebant; circuncisio enim erat figura baptismatis; comestio agni Paschalis, & Panum propositionis Eucharistiæ; Purificationes pœnitentiæ; & consecrationes Sacerdotum, sacramenti Ordinis. Nullæ autem erant figuræ confirmationis, Extremæ-Unctionis & Matrimonii. Non quidem *Confirmationis*, quia hæc est sacramentum plenitudinis gratiæ, quæ tunc non fuerat ad homines derivata, nihil enim ad perfectum adducit lex: neque *Extremæ-Unctionis*, quia est immediata præparatio ad consequendam gloriam æternam, cujus possessio & aditus nondum patebat in veteri lege, quia nondum solutum erat nostræ redemptionis pretium. Non denique *Matrimonii*, licèt enim eô tempore verum fuerit matrimonium, non tamen erat verum sacramentum ex ea parte, qoâ confert gratiam, quia nondum facta fuerat Verbi divini cum humanitate conjunctio. Nec proinde erat signum indissolubilis conjunctionis Christi cum Ecclesia: unde S. Paulus loquens de matrimonio significante unionem Christi cum Ecclesia, non dicit: Sacramentum *magnum erat*, sed *magnum est*, ut nempe denotet tempus præsens, non verò præteritum.

Quæres, *Utrum circuncisio habuerit vim & efficaciam remittendi peccatum originale, & conferendi gratiam sanctificantem ex opere operato?*

XVII. Circuncisio conferebat gratiam ex opere operato.

Affirmat Doctor in 4. dist. 1. quæst. 6. num. 2. ubi ait: *Hic supponendum est tanquam certum, quod per circuncisionem peccatum originale delebatur, quod patet per authoritates SS.&c.* Porrò hæ Sanctorum authoritates hanc veritatem comprobantes potissimè petuntur ex S. Augustino, qui plurimis in locis apertè docet, Circuncisionem habuisse vim remittendi peccatum; & ex ejus necessitate, tanquam mediô efficacissimô plerumque utitur contra Pelagianos, ad probandam peccati originalis veritatem, & existentiam; maximè vero lib. 4. de Baptismo cap. 24. ubi sic ait: *Veraciter conjicere possumus, quid valeat in parvulis Baptismi sacramentum ex Circuncisione carnis, quam prior populus accepit:* Et infrà: *Cur ergo ei* (Abrahamo) *præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavô die circuncideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad justitiam, nisi quia & ipsum per seipsum sacramentum multum valebat?* Et lib. 3. contra Julianum cap. 18. sic eum compellat: *Responde, si potes, cur ipse Isaac, nisi Baptismatis Christi signô circuncisus octavô die fuisset, periisset anima ejus de populo suo? Explica, si potes, tantâ pœnâ, quâ meritò plecteretur, nisi ab hac illô sacramento liberaretur?* Et lib. 16. de civit. cap. 27. *Ac per hoc, quia Circuncisio signum regenerationis fuit, non immeritò parvulum propter originale peccatum, quò primum Dei dissipatum est testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet.* Tandem lib. 2. de nuptiis, & concupiscentia cap. 11.

Ut constanter docent S. Aug.

Ex quo, inquit, *instituta est circuncisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad significationem purgationis, valebat & parvulis ad remissionem originalis, veterisque peccati; sicut & Baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo institutus est.*

Ei subscribunt plures è SS. Patribus, maximè
S. Gregorius. S, Gregorius lib. 4. Moral. cap. 2. ubi ait, *Quòd apud nos valet aqua Baptismi; hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui de Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circuncisionis.* Similiter S.
S. Bernardus. Bernardus epist. 77. quæ est ad Hugonem de S. Victore. *Quia verò*, inquit, *& alia præter Baptismum contra originale peccatum remedia, antiquis non defuisse temporibus, Abrahæ quidem, & semini ejus Circuncisionis sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est; in nationibus verò, quotquot Fideles inventi sunt, adultos quidem fide, & sacrificiis credimus expiatos: parvulis etiam solam profuisse, & imò & sufficisse fidem parentum.* Et ser. 2. de Assumptione: *In Baptismo*, inquit, *sola gratia lavat hanc maculam, quam olim rasit petra Circuncisionis.*

Idem docent *S. Prosper* epist. quæ est 84. apud
Beda. S. Ambrosium. Et *Beda* in illud Lucæ: *Postquam consummati dies octo, ut circuncideretur puer*, ubi scribit: *Scire debet fraternitas vestra, quia idem salutifera curationis auxilium Circuncisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc Baptismus agere revelata gratia tempore consuevit; excepto quod Regni cœlestis januam necdum intrare poterant, donec adveniens, benedictionem daret, qui legem dedit.*

Ipsam quoque veritatem luculenter docuit In-
Innocentius III. nocentius III. ut refertur cap. *Majores* de Baptismo, ubi cùm dixisset Baptismum Circuncisioni successisse, & utriusque æqualem necessitatem probavisset, ex eo quòd Genes. 17. dicitur: *Masculus, cujus præputii caro*, &c. quemadmodum Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. utriusque tandem assignans differentiam, ait: *Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circuncisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cœlorum*, &c.

XVIII. Et probatur subtilis Doctor.

Probat Doctor eandem veritatem hac ratione: Ad hoc, *inquit*, est ratio congrua, quia Deus nullô tempore reliquit genus humanum sine remedio ad salutem; maximè illos, quibus ipse legem dedit, ut per ejus observantiam pertingerent ad salutem. Frustrà enim fuisset data talis lex sine remedio: ergo tempore legis Mosaïcæ dedit aliquod tale remedium, observantibus hujusmodi legem: non possunt autem attingere ad salutem, sine deletione originalis culpæ: ergo in illa lege instituit aliquod remedium contra illam culpam: istud, & non aliud videtur esse ibi institutum, tanquam tale remedium contra illam, juxta illud Genes. 17. *Masculus, cujus præputii caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum facit.*

Quam utique Doctoris rationem sic in forma proponere licet: Lex Mosaïca reverà hominibus, qui ad ejus observantiam tenebantur, subministrabat media necessaria ad salutem; ac subinde ad remissionem originalis peccati: sed ad ejusmodi peccati remissionem non erat tunc aliud remedium, quàm Circuncisio. Major patet; Nullus enim originali peccatô aut actuali fœdatus consequi potest vitam æternam in statu illius peccati; quia nihil inquinatum introibit in regnum cœlorum. Minorem vero probat Doctor ex illo Genes. cap. 17. *Masculus, cujus præputii caro*, &c. Quô pariter oraculô maximè nititur S. Augustinus, ut aparet ex dictis, præsertim ex lib. 16. de civit. cap. 27. ubi scribit: *Idem potest movere, quomodo intelligi poterat, quod hîc dictum est:* MASCULUS, QUI NON CIRCUNCIDETUR CARNE PRÆPUTII SUI OCTAVÔ DIE, INTERIBIT ANIMA ILLA DE GENERE SUO; QUIA TESTAMENTUM MEUM DISSIPAVIT. *Cùm hac nulla culpa sit parvuli, cujus dixit animam perituram, nec ipse dissipaverat Testamentum Dei; sed Majores, qui eum circuncidere non curârunt: nisi quia etiam parvuli non secundùm suæ vitæ proprietatem, sed secundùm communem generis humani originem, omnes in illo uno Testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt.... sed intelligenda sunt hæc divina verba, tanquam dictum sit: Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere ejus. quia Testamentum meum dissipavit, quando in Adam cum omnibus etiam peccavit.*

Repones: Illa verba (*octavô die*,) neque in He- XIX. Proponitur effugium.
braïco, neque in vulgato Textu haberi, adeoque cùm sancti Augustini & Doctoris argumentum, illis maximè verbis innitatur, infirmum est, & invalidum. *Insuper* verba illa, seu divina comminatio dirigitur ad eum, qui capax est præcepti, & pœnæ: at parvulus non est capax implendi præcepti; ac subinde illa comminatio dirigitur non ad parvulum, sed ad adultum, qui puniri debet morte temporali, quòd negligeret, vel circuncidi, vel filium suum circuncidere. Quod utique confirmatur: quia textus Hebraïcus & Græcus, imò & Chaldaïcus sic ferunt: *Masculus, qui non circunciderit carnem*, &c. ubi verbum *circuncido* sumitur activè, non autem passivè: quemadmodum etiam sanctus Ambrosius legit. *Præterea* eôdem capite, ubi præcipitur Circuncisio infantis octo dierum, nulla pœna indicitur ei, qui circuncisus non fuerit; sed absolutè statuitur: *Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Denique*, non rectè videtur colligere sanctus Augustinus, *pactum* illud, ob cujus transgressionem delenda est de populo Dei, esse divinum pactum initum cum Adamo: Nam pactum istud non aliud est, quàm de quo prior facta fuerat mentio, his verbis: *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te.* Hoc autem pactum aliud non est quàm præceptum frequentandæ Circuncisionis: nam statim subditur *circuncidetur in vobis omne masculinum*: igitur præfata ratio est nulla.

Respondeo, his omnibus nihil quidquam adver- Et præcluditur.
sus nostræ assertionis veritatem evinci: Primò namque vocabula *octavô die* habent 70. Interpretes etiam post emendationem *Sixti* V. Quam etiam lectionem habent Origenes lib. 2. in epist. ad Rom. cap. 2. Ambrosius epist. 33. &c. *Deinde*, sive vocabula *Octavô die* addantur, sive non, propositio illa generalis: *Masculus, cujus præputii caro*, extenditur etiam ad parvulos, de quibus paulò ante sermo fuerat, his verbis: *Infans octo dierum circuncidetur in vobis omne masculinum in generationibus vestris*, Unde existimo illa vocabula *octavô die* à 70. Interpretibus claritatis gratiâ fuisse addita, cùm aliunde rescirent eum esse sensum illius divinæ interminationis, divinique præcepti. Nam Genes. 21. Abraham filium suum Isaac circuncidit, *die octavô, sicut præcepit ei Dominus*. Et Levitici 12. *Die octavô circuncidetur infantulus.*

Adde quòd oportuit hæc verba fuisse usu recepta tempore sancti Augustini; cùm enim exinde maximè urgeret Pelagianos negantes peccatum originale, facile eis fuisset illius argumentum refellere, dicendo nempe, illum argumentari ab authoritate interpolata: Huic mirari satis non possum quô genio Lugo d. 5. sect. 4. ausus fuerit scribere *num. 66.* Augustinum illa verba Genesis intellexisse, quasi inducentia necessitatem Circuncisionis ad illum effectum; sed fundatur in falsa lectione illius Textûs, additis illis vocibus *octavô die*, quæ tamen in vera littera non reperiuntur. Quanquam enim sola editio vulgata jam sit indubitatæ authoritatis, inde non est consequens omnem aliam lectionem ei minimè contrariam, esse falsam.

Objicies primò varios Scripturæ Textus, quibus significari videtur, primò neminem ex legis operibus justificari: Sic ad *Rom.* 3. Ex lege tantùm cognitio peccati; quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo, &c. *Secundò,* Circuncisionem nihil prodesse, nec ullam habere efficaciam: Sic ad Galat. 5. *Neque Circuncisio aliquid valet.* Et 1. ad Corinth. 7. *Circuncisio nihil est.* *Tertiò*, idem Apostolus ad Rom. 3. referens omnes Circuncisionis utilitates, & prærogativas, non meminit illius efficaciæ ad delendum peccatum originale, & conferendam gratiam sanctificantem. *Quartò*, Sacramenta veteris legis appellantur ab eodem Apostolo ad Galat. 3. *Infirma & egena elementa:* igitur nec in se gratiam continebant, nec eam conferebant.

XX.
Quô sensu Apostolus dixerit Circuncisionem nihil aut parum prodesse.

Respondeo ad primum, in lege veteri tria fuisse operum genera, nempe moralium, cæremonialium, & judicialium. Moralia eadem fuerunt, quæ in lege Evangelica, putà decem præcepta Decalogi; judicialia autem omnino fuerunt abrogata, sicut & cæremonialia: Moralia autem erant meritoria, ac proinde conferebant gratiam ex opere operantis, quando fiebant ex fide in Christum venturum: Unde Apostolus ad Rom. 3. post præmissa in objectione verba, subdit: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio* (supple personarum) *Iudæi aut Græci*, &c. & ratio est: *omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei. Iustificati estis* (non ex merito scilicet naturæ, aut Circuncisionis, aut operum) *per redemptionem, quæ est in Christo, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ* (supple gratiæ, quæ intelligitur justitia, per quam justificamur) *propter remissionem præcedentium delictorum; ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.* Concludit: *Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei,* quia nempe tollit gloriationem hominis, sive per legem, sive per opera naturæ, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus: & rationem subdit: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. An & Iudæorum Deus tantùm? Imò & Gentium. Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat Circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Legem destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.*

Ad secundum dico, Apostolum nihil aliud intendere, quàm quòd per Christi Passionem evacuata fuerit omnis virtus Sacramentorum & sacrificiorum veteris legis; ac proinde Circuncisionem nullius amplius esse virtutis, & efficacitatis, currente lege Evangelicâ. Quòd autem Circuncisio plurimam utilitatem & efficacitatem habuerit, significat ipsemet Apostolus ad Rom. 2. ubi ait: *Circuncisio quidem prodest, si legem observes.* Et cap. 3. Quæ utilitas Circuncisionis? multùm per omnem modum.

Ad Tertium dico esse argumentum petitum ab authoritate negativa, ex qua nihil concludere licet. Adde quòd necesse non judicaverit Apostolus hanc Circuncisionis prærogativam referre, cùm illa jam apertè constaret ex Genes. cap. 17. neque id spectabat ad scopum ab eo intentum; siquidem ejus mens erat, retundere Judæorum vanam jactantiam & superbiam, quâ se Gentilibus ad fidem conversis præferri volebant, eo quòd illis credita fuissent eloquia & mysteria, ait enim ibidem: *Quid ergo præcellimus eos? Nequaquam, causati enim sumus; Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.* Unde concludit, *An Iudæorum Deus tantùm, nonne & Gentium? imò & Gentium; quoniam quidem unus est Deus, qui justificat Circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.*

Ad quartum dico, Apostolum per infirma, & egena elementa ibidem intelligere non sacramentum veteris legis, sed idola Gentium; siquidem versu præcedenti ait: *Tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui naturâ non sunt dii serviebatis.* Unde post verba in objectione allata, subdit: *Quibus denuò servire vultis, dies observatis, & menses, & tempora, & annos.* Quæ omnia Gentes facere consueverant.

Vrgebis: Si Circuncisio habuerit vim justificandi, maximè respectu Abrahæ, cui primùm à Deo præcepta est, sed ita non est; nam Apostolus ad Rom. 4. sic scribit: *Dicimus enim, quia reputata est. In Circuncisione, an in præputio? non in Circuncisione, sed in præputio: & signum accepit Circuncisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio*, &c.

Respondet Doctor *num.* 11. Circuncisionem equidem non contulisse Abrahæ gratiam: Quia, *inquit*, Abraham jam attigerat, vel transcenderat illum gradum, ad quem determinata fuerat Circuncisio. Et intelligo, nihil ei intus contulit, per modum Sacramenti, sine virtute operis operati: sed credo, quòd ei contulerit per modum meriti, sine virtute operis operantis: quia credo, quòd actus circuncidendi se ex obedientia Dei, & ex charitate procedens, ei fuit meritorius, sicut & immolatio Isaac.

Quare Circuncisio non contulerit gratiam Abrahæ.

Instabis: Exinde ergo sequitur Circuncisionem non contulisse gratiam ex opere operato.

Respondet Doctor, negando sequelam; nam significabat certitudinaliter gratiam vel fieri, si non adsit obex, vel jam inesse. Sicut si beata Virgo fuisset in Conceptione Filii in summa plenitudine gratiæ, ad quam Deus disposuit eam perventuram, si postea fuisset baptizata, nullam ibi gratiam recepisset de novo; tamen Baptismus non fuisset in ea signum falsum, vel incertum, quia gratiam significaret, vel tunc fieri, vel priùs datam tunc in esse.

Objicies secundò varias SS. Patrum authoritates, quibus insinuarut Circuncisionem nullam vim, aut utilitatem habuisse ad conferendam justitiam, & gratiam sanctificantem. Sic *Irenæus* lib. 4. cap. 3. asserit Circuncisionem datam, non ut consummationem justitiæ, sed ut cognoscibile perseveraret genus Abrahæ. Idem affirmant S. *Hieronymus* in caput 3. ad Galat. *Damascenus* libro 4. fidei orthodoxæ cap. 26. *Chrysostomus* homil. 27. in Genesim: nonnulli autem expressè

Objiciuntur plurimi SS. Patres.

dicunt illam non valuisse ad justitiam, sic *Tertullianus* lib. contra Judæos cap. 2. *Cyrillus* lib. 10. in Julianum. *Theodoretus* q. 7. in Genesim: quibus addere licet *Cyprianum* lib. 1. contra Judæos cap. 8. *Ambrosium* epist. 72. igitur nostra assertio militat in SS. Patrum doctrinam.

Sed explicantur.

Nego consequentiam, & ad antecedens respondet Doctor *quæst. 6. num.* 11. idcirco SS. Patres negare Circuncisionem, & alia Sacramenta veteris legis contulisse gratiam: *Vel* quia, inquit, parvam gratiam contulit Circuncisio respectu Baptismi: *Vel* quia non contulit gratiam, ut dispositionem immediatam ad gloriam; quia non aperuit januam: sed hoc non fuit ex defectu ejus; sed B quia fluxit tempore, quô pretium non fuit solutum: *Vel* quia non universaliter cuicunque suscipienti. Determinabatur autem fortè ex institutione sua ad certum gradum gratiæ; ita quod ultra illum gradum non posset, nec intendendo, nec inducendo: & ita si tantùm gradum inveniret in suscipiente, nihil ipsi conferret.

Ne igitur SS. Patres invicem committantur, & aliqui aliis repugnent, unô aut alterô ex illis tribus modis à Doctore assignatis explicandi sunt: & meritò quidem, nam aliqui, ut Irenæus, Tertullianus Hieronymus, Cyprianus dicunt Circuncisionem datam esse in signum, & non in ju- C stitiam; quia explicant effectum explicitum Circuncisionis, & magis notum; quia per eam genus Abrahæ distinguebatur à cæteris Gentibus: aliqui verò, ut Cyrillus, & Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 14. & Epiphanius Hæres. 8. loquuntur in genere de legalibus respectivè ad Sacramenta novæ legis, & sic Circuncisio in comparatione ad Baptismum, quasi nihil erat; sicut figura, & umbra respectu veritatis, quam significat, nihili reputatur, licèt reverà in se sit aliquid.

Objiciuntur Concilio.

Objicies tertiò Concilium Florentinum in decreto Eugenii sic pronuncians: *Sacramenta novæ legis multùm differunt à Sacramentis veteris legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per* D *passionem Christi dandam figurabant: hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Quæ utique doctrina confirmatur à Tridentino sess. 7. Can. 2. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit ea ipsa novæ legis Sacramenta, à Sacramentis antiquæ legis non differre; nisi quia cæremoniæ aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.*

Sed explicantur.

Respondeo primò, utramque illam authoritatem non excludere vim, & efficaciam Circuncisionis, quæ non potest comprehendi sub Sacramentis antiquæ legis; quippe cùm ante legem annis 400. instituta sit: unde Christus Dominus Joan. 7. Judæos alloquens, ait: *Moyses dedit vobis Circuncisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus.* E Quæ utique responsio eò debet majoris esse ponderis, quòd non sit verisimile Concilia voluisse decernere aliquid contra doctrinam S. Augustini, & aliorum SS. Patrum, nec-non & contra sententiam celebriorum Theologiæ Doctorum: igitur fatendum est, illa Concilia loqui stylô & verbis ipsius sancti Augustini, qui in Psal. 73. *Sacramenta novi Testamenti dant salutem*, inquit, *Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem, &c.* Epist. 19. ad S. Hieronymum: *Cur non dicam præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona esse, quia eis non justificantur homines? umbræ enim sunt prænuntiantes gratiam quâ* A *justificamur.* Item lib. 19. contra Faustum cap. 13. similia habet.

Sicut ergo sanctus Augustinus ipse loquitur de Sacramentis veteris legis, non comprehendendo Circuncisionem; ita etiam Tridentinum, & Florentinum de iisdem agunt, quæ erant propria veteris legis: alioquin non rectè Circuncisio sub ejusmodi comprehendebatur; quia etiam proderat aliis descendentibus ex Abraham, & viventibus extra Judæam, putà Idumæis, ac subinde non erat propriè Sacramentum legis antiquæ.

Objicies quartò, Remedium originalis peccati, sicut cætera media esse communia masculis & B fœminis: talis non erat Circuncisio: igitur, &c.

Deinde, Circuncisio fuit omissa in deserto 40. annis, ut habetur Josue 5. sed non est verisimile Moysem permisisse, ut tanto tempore Judæi carerent mediô conducente ad remissionem peccati originalis.

Denique, Remedium peccati originalis debuit quôlibet tempore applicari, maximè dum urget necessitas: sed Circuncisio non poterat applicari ante octavum diem: igitur, &c.

Respondeo ad primum, non omnia media salutis, debere esse masculis & fœminis communia: nam Sacramentum Ordinis, quod est medium salutis, licèt non necessarium, institutum est pro solis C masculis; unde Circuncisio tantùm erat necessaria viris, pro quibus fuerat præscripta: mulieribus verò, sicut & parvulis ante octavum diem, nec-non & Judæis tempore peregrinationis in deserto, opitulabatur remedium legis naturæ.

Conclusio Qarta.

XVII. Conveniens fuit institui sacramenta in nova lege.

Conveniens fuit, ut in Evangelica lege aliqua à Christo Domino instituerentur sacramenta, per quæ suam gratiam in homines derivaret.

Probatur quadruplici ratione petenda Primò ex parte Dei instituentis sacramenta: Secundò ex parte hominis suscipientis: Tertiò ex parte institutionis: Quartò denique ex parte ipsorum sa- D cramentorum.

1. Ex parte Dei.

Primò quidem id fuit conveniens *ex parte Dei*, ne videlicet Deus antiqua sive sacramenta, sive sacrificia, quasi sibi utilia & delectabilia imperare videretur: quapropter omnia illa tanquam inutilia, & sibi minùs grata reprobavit, ut docet S. Paulus ad Hebr. 9. & 10. Hanc rationem subjicit sanctus Augustinus lib. de Civitate Dei cap. 5. *Mutanda*, inquit, *erant opportunò, certôque jam tempore, ne ipsi Deo jam desiderabilia, vel certè in nobis acceptabilia, ac non potius quæ his significata sunt, crederentur.*

2. Ex parte hominis.

Ex *parte verò hominis*, qui cùm per Evangelicæ legis gratiam, novas acceperit vires, & abjectâ servili conditione in Dei filium fuerit adoptatus, E etiam perfectioribus sacramentis initiari debuit: unde præclarè sanctus Augustinus lib. de vera Religione cap. 17. *Pater familias*, inquit, *justissimum aliud imperat, iis quibus servitutem duriorem utilem judicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur.* Et ibidem. *Alia per ministros suos imbecillioribus, alia per semetipsum valentioribus præcepit. Nunquid*, ait idem in tit. Psal. 51. *quoniam puero dantur quædam puerilia ludicra, quibus puer illis annis avocetur propterea grandescenti non excutiuntur è manibus, ut aliquid jam utilius tractet?*

3. Ex parte temporis.

Tertiò, ex tempore institutionis, quia veteris legis sacramenta Christum duntaxat venturum

promittebant; nova autem præsentem exhibent; oportet autem aliis signis denotare futura, & aliis præsentia, unde præclarè sanctus Augustinus epist. 5. *Quispiam*, inquit, *expectet à nobis causas ipsius mutationis accipere, quod ipsi nosti quàm prolixi sit negotii: veruntamen breviter dici potest, quod homini acutiori fortasse sufficeret aliis sacramentis prænuntiare Christum, cùm venturus esset: aliis cùm venisset annuntiare oportuisse; sicut modò nos idipsum loquentes, diversitas rerum compulit etiam verba mutare.*

4. Ex parte sacramenti. *Quartò* denique, conveniens fuit alia sacramenta instituere *ex parte ipsorum Sacramentorum:* quoniam sacramenta veteris legis erant egena & vacua elementa, & umbræ futurorum: unde adveniente plenitudine gratiæ & veritatis, conveniens fuit, ut illa desinerent: *Ablata sunt*, inquit sanctus Augustinus in Psal. 39. *signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa; cùm enim lex esset vana, venit Christus ut eam impleret: implevit autem, cùm per nova sacramenta charitatem donavit; plenitudo enim legis est charitas.* Unde præclarè Tertullianus lib. de Oratione cap. 1. *Omnia*, inquit, *de carnalibus in spiritualia renovavit nova Dei gratia, expunctore totius retro vetustatis.*

Dices primò: Illa sacramenta non debuerunt mutari, quæ instituta sunt, ut durent in perpetuum: sed talia sunt sacramenta veteris legis; eadem quippe est ratio cæterorum, ac Agni Paschalis, & Sacerdotii Aaronici: at hæc instituta sunt, ut in perpetuum subsisterent: nam de Agno Paschali Levitici 12. præcipitur: *Custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum:* de Sacerdotio autem Aaronico cap. 14. *& functio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.*

XVIII. Quâ ratione aliqua veteris legis sacramenta fint perpetua. *Distinguo majorem:* Si instituta sint ut durent in perpetuum, tum ratione sui, tum ratione significati, concedo: si ratione tantùm significati, nego: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam; comestio enim Agni Paschalis erat figura Sacramenti Eucharistiæ, & Sacerdotium Aaronicum; imago & umbra Sacerdotii novæ legis in perpetuum conservandi.

Dices secundò: Adveniente gratiâ & veritate, cessare debet figura & umbra: sed gratia & veritas per Jesum Christum facta est: igitur cùm sacramenta sint veritatis umbra & figuræ gratiæ, nulla post Christum debent admitti ab ejus sectatoribus.

XIX. Quò sensu omnia sacramenta dicuntur umbræ veritatis. *Distinguo minorem:* Si veritas intuitivè & perfectè conspicienda exhibeatur, ut in futura gloria, concedo: Si tantùm imperfectè & abstractivè, ut in hac vita, etiam sub lege nova, nego; cùm enim, ut bellè observat sanctus Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. status novæ legis medius sit inter statum veteris legis, cujus figuræ implentur in nova, & statum gloriæ, ubi veritas omnis nudè & apertè manifestatur: Ideo nulla tunc erunt sacramenta; nunc autem quandio per speculum, & in ænigmate cognoscimus, necessum est ut per sensibilia sacramenta, spiritualem gratiam consequamur. Debent equidem cessare figuræ, quæ Christum futurum præsignabant; at non debent desinere signa passionis ejus rememorativa, & gloriæ Electis præparatæ prænuntia.

Nota: Unde Eusebius Emissenus homil. de Transfiguratione ex Hebr. 9. præclarè tria tabernacula distinguit. Primum est Synagoga in umbra & figura: Secundum est Ecclesia in figura & veritate: Tertium est cœlum in veritate sola. In primo ostenditur vita: In secundo datur: In tertio possidetur.

XX. Deum mutando sacramenta non fuisse mutatum, præclarè docet S. Augustinus. *Dices tertiò:* Apud Deum non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio, ut ait sanctus Jacobus 1. cap. sed esset aliqua mutatio, si alia subministraret sacramenta, quibus homines aliter sanctificarentur post quàm ante adventum Christi: igitur, &c.

Respondet sanctus Augustinus *Epist.* 5. quòd sicut non ideo mutabilis homo, quia manè aliud, aliud vespere: illud hôc mense, illud aliô: non hoc istô annô, quod illô: ita non ideo mutabilis Deus, quia universi sæculi priore volumine aliud, aliud posteriori sibi jussit offerri, quô convenienter significationes ad doctrinam Religionis saluberrimam pertinentes, per mutabilia tempora, sine ulla sui mutatione disponeret. *Quam utique veritatem prius exemplis confirmaverat*, *scribens:* Nonne hyemi æstas additô sensim calore succedit? Nonne diurnis tempora nocturna vertuntur? Quoties nostræ variantur ætates? Adolescentiæ pueritia, non reditura cedit; juventus adolescentiæ non mansura; succedit finiens juventutē senectus; senectus autem morte finitur. Hæc omnia mutantur, nec mutatur divinæ providentiæ ratio, quâ fit ut ista mutantur. Nonne autem opinor cùm agricola æstate aliud jusserit, quàm jusserat hyeme; ratio mutatur agriculturæ: & cùm manè surgit, qui ea nocte quiescebat, vitæ consilium non mutavit: aliud magister adolescenti, quàm puero solebat, imposuit? Doctrina igitur constans mutatô præceptô non mutat instructionem.

QUÆSTIO QUINTA.

Quot & quæ sint novæ legis Sacramenta?

I. Sibi non constant hæretici in assignando sacramentorum numero. **N**Otandum primò, Catholicos omnes invicem consentire, septem esse novæ legis sacramenta, nimirum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem & Matrimonium: at huic septenario Sacramentorum numero refragantur omnes quotquot sunt recentiores hæretici, qui in assignando novæ legis sacramentorum numero, non solùm invicem pugnant, sed tantâ animi inconstantiâ jactantur, ut author cujusque sectæ sibi ipsi non consentiat.

Lutherus enim, qui initiô libri *de captivitate Babylonica* dixerat tantùm tria esse admittenda, nimirum baptismum, pœnitentiam & panem: subdit: Quòd si Scripturæ usu loqui velimus, unicum duntaxat profitebimur sacramentum, & tria signa sacramentalia: Nam, inquit, Eucharistia & pœnitentia sunt rememorativa passionis & adoptionis Baptismi. Tandem circa finem libri asserit, duo tantùm ex proprietate sermonis admittenda esse sacramenta, nempe baptismum & panem; undefit, ut Lutherani invicem non conveniant de numero Sacramentorum: alii namque duo tantùm, putâ baptismum & Eucharistiam, alii verò tria admittunt, his duobus pœnitentiam adjungentes.

Calvinus autem agnoscit quidem tria, nempe baptismum, cœnam & impositionem manuum, quâ Ecclesiæ Ministri initiantur; licèt enim lib. 4. Instit. cap. 18. §. 19. duo tantùm esse dicat, nempe baptismum & cœnam; tamen cap. 14. §. 20. ait: *Duo sacramenta instituta sunt, quibus*

tunc Christiana Ecclesia utitur, baptismus, & cœna Domini; loquor autem de iis quæ in usum totius Ecclesiæ sunt instituta: nam impositionem manuum, quâ Ecclesiæ Ministri in suum munus initiantur, ut non invitus patior, numerari sacramentum; ita inter ordinaria sacramenta non numero: Melanchton verò totus hac in re videtur dubius; primò enim admisit duo tantùm cum Luthero, postmodum tria; sed tandem in locis Theologicis editis an. 1552. addit ordinationem seu vocationem ad Evangelii ministerium: tum locis editis an. 1558. propendet ut admittat matrimonium inter sacramenta; fatetur enim illud esse signum rei sacræ, divinum habens mandatum, & annexam
» promissionem: Unum tamen, *inquit*, abest ne sit
» sacramentum; eò quòd videlicet fuerit institutum
» ante Christi Incarnationem. Verùm quàm sit le-
» vis hæc ratio, nullus est qui non videat; quid
» enim obstat quominus Christus D. rem jam exi-
» stentem, ac suæ Incarnationis futuræ signum &
» vaticinium potuerit ad sacramenti dignitatem
» promoveri.

II. Tria maximè ad sacramenti novæ legis rationem requiruntur.

Notandum secundò, ad rationem sacramenti novæ legis, triâ potissimùm requiri, nimirum quòd sit signum divinitùs institutum, ordinatum ad conferendam homini sanctificationem internam; ac subinde quòd habeat vim & efficacitatem gratiæ justificantis conferendæ: & tandem quòd divinum adsit mandatum, divinaque institutio hoc signum frequentandi, ut obtineri possit effectus per illud designatus. Hinc plurima sunt signa rei sacræ, quæ licèt à SS. Patribus appellentur sacramenta, hanc tamen appellationem sibi propriè non vendicant, sed duntaxat impropriè, & in laxiori significatione. Sic S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 14. *Signum crucis* appellat sacramentum. Et lib. de Symbolo cap. 2. baptismi *caremonias & exorcismos*, & similes ritus sacramenta nuncupat. Et lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26. *Panem benedictum* Catechumenis dari solitum, sacramentum appellat; non quidem propriè & strictè; sed, ut dixi, latè & impropriè: quia sacramenta propriè dicta novæ legis habent gratiæ promissionem & efficacitatem, ac institutionem à Christo: prædicta autem non sunt ejusmodi: porrò hîc est sermo duntaxat de sacramentis propriè dictis.

III. Quis sit præsentis quæstionis scopus.

Notandum tertiò, tria potissimùm hac in quæstione occurrere ventilanda: *Primum*, utrum reverà Christus D. septem designaverit & instituerit signa sensibilia gratiæ sanctificantis efficaciter productiva, eorumque septenarius numerus ex verbo Dei scripto aut tradito apertè possit colligi: *Secundum*, utrum signa ista pauciora non sint, quàm septem; quemadmodum hæretici hujus temporis inficiantur, sicut præfatum est in primo notabili: *Tertium* tandem, utrum signa illa sacra plura non sint, quàm septem, sicut docuisse videntur nonnulli è SS. Patribus, dum sacramenti vim & efficaciam, alii pedum lotioni, alii aquæ benedictæ; nonnulli eulogiis, seu pani benedicto, sacramenti vim ac appellationem tribuere videntur. Quæ utique tria licèt in unum & idem collineent; attamen majoris claritatis, ac evidentioris dissertationis, & discussionis gratiâ placet sub tribus distinctis conclusionibus ventilare.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Septem esse novæ legis sacramenta colligitur.

REVERA *sunt septem novæ legis sacramenta.* Hæc conclusio colligitur ex Scriptura sacra, quod sic ostenditur: Sacramentum est signum sacrum, seu ritus sacer divinitùs institutus, cui annexa est gratiæ promissio, & vis sanctificandi à Deo indita: sed ex Scriptura sacra non obscurè colligitur septem esse ejusmodi ritus sacros, quibus indita est promissio virtutis ad conferendam gratiam: igitur, &c. Major constat. Minor verò probatur, primò quidem de *baptismo*: nam Marci ult. Christus D. delegans Apostolos ad Gentium conversionem, & Evangelii disseminationem, ait: *Ite docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Subdit autem: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Hinc sanctus Paulus ad Ephes. 5. expendens summam Christi D. erga suam Ecclesiam dilectionem, ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacrò aquæ in verbo vitæ.*

1. Ex sacrâ Scriptura.

De *Confirmatione* idem colligitur Actuum 8. v. 17. & 19. v. 6. ubi legimus per impositionem manuum Apostolorum infallibiliter collatum fuisse Spiritum sanctum, qui sanè effectus non fuisset infallibilis per ejusmodi signi applicationem, nisi Christus D. ita statuisset: neque constanter signum istud ad eum effectum usurpassent Apostoli, si ab amantissimo suo Præceptore & Magistro ita edocti non fuissent.

Eucharistiæ ritus apertè traditur Matth. 27. & 1. ad Cor. 11. *Accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite*, &c. Promissio verò gratiæ Joan. 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

Pœnitentiæ verò ritus, & gratiæ sanctificantis conferendæ vis habetur, Joan. 20. ubi Christus Discipulos alloquens, ait: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c.

Extremæ-Unctionis ritum, & gratiæ conferendæ virtutem aperit sanctus Jacobus cap. 5. cùm ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum in nomine Domini: & oratio fidei alleviabit infirmum.... & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.*

Sacramenti *Ordinis* institutionem, ritum, & gratiæ conferendæ vim tradit sanctus Paulus 1. ad Timoth. 4. his verbis: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyteri.* Et 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Tandem ritus Matrimonii habetur Matth. 19. his verbis: *Quod Deus conjunxit, homo non separet:* promissio autem gratiæ colligitur ex cap. 5. ad Ephes. ubi Apostolus loquens de matrimonio, ait: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quibus verbis significat matrimonium esse magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia, quatenus conjunctio viri cum muliere significat unionem Christi cum Ecclesia; ac proinde gratiam, quæ ad ejus præsentiam tribuitur: Duplicem conjunctionem Christus habet cum Ecclesia; unam quidem secundùm naturam, quæ utique facta est per Incarnationem, quâ Christus ut Ecclesiæ caput exteris membris in natura assimilatur; secundam verò per gratiam & charitatem, ratione cujus dicitur Ecclesiæ sponsus. Porro hanc utramque conjunctionem matrimonium significat; primam quidem, in quantùm est unio naturalis inter virum & mulierem: secundam verò, quatenus est spiritualis unio viri & mulieris per gratiam & charitatem, quæ in ipso matrimonio confertur.

V. 2. Ex traditione.

Eadem veritas colligitur ex verbo non scripto, seu ex traditione, quâ compertum habemus

ejus-

ejusmodi septenarium sacramentorum numerum ex divina institutione, & Apostolica doctrina ad nos usque perpetuâ & interruptâ nusquam observatione dimanasse; cùm enim non possit ostendi quando sacri ipsi ritus primùm in Ecclesia frequentari cœperint post Apostolos, necessariò fatendum est eos à Christo Domino & Apostolis fuisse derivatos; juxta hanc regulam S. Augustini lib. 4. de Baptismo, cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.*

VI. 5. Ex Conciliis.

Quam utique veritatem expresè definiunt Concilia, maximè Florentinum in decreto Eugenii, ubi inter cætera num. 5. statuitur: *Nova legis septem sunt sacramenta, videlicet baptismus, &c. qua multum à sacramentis differunt antiqua legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hac verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Similiter Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit sacramenta nova legis non fuisse à Domino nostro Iesu Christo instituta; aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet baptismum, &c. aut aliquod horum septem non esse verè & propriè sacramentum, anathema sit.*

VII. 4. Ex SS. Patribus.

Eandem doctrinam tradunt SS. Patres, & Ecclesiæ Doctores, quorum plurimi licèt septem Ecclesiæ Sacramentorum expressam fortè mentionem non fecerint; quia nulla necessitas urgebat, nec ulla præsens aderat occasio ista septem sacramenta numerandi, nihilominus non desunt ex antiquioribus, qui plurium ejusmodi sacramentorum meminerunt: imprimis enim *S. Dionysius* lib. de Ecclesiastica Hierarchia præter baptismum & Eucharistiam, de quibus plurimùm sermonem sparsim instituit: meminit etiam sacramenti Ordinis. Et epist. ad Demophilum declarat etiam pœnitentiæ sacramentum.

Prodit etiam Tertullianus, non obscurè lib. de Præscriptionibus cap. 40. ubi referens qualiter diabolus *ipsas quoque res sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis æmuletur*, ait: *Tinguis & ipse quosdam credentes & fideles suos, expiationem delictorum de lavacro repromittit;* quibus significatur baptismus & pœnitentia. *Celebrat & panis oblationem*, ut adumbret Eucharistiam. *Etiam summum Pontificem in unis nuptiis statuit*, quibus denotat imitationem sacramenti Ordinis, cujus summus gradus est Pontificatus, seu Episcopatus; cui præscribitur ab Apostolo Paulo Monogamia 1. ad Timoth. 3. his verbis: *Oportet unius uxoris esse virum.* Meminit etiam nuptiarum, seu *Matrimonii.* Addit etiam *curationem agrorum*, quibus denotat Extremam Unctionem.

Sedne longiorem in referendis veterum Doctorum sententiis hac de re sermonem protraham, unus pro cæteris sufficiet sanctus Augustinus; ille enim lib. 5. de Baptismo c. 20. ait: *Si adhoc valet quod dictum est in Evangelio, ut per peccatorem sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur, nimirumper reconciliationem?* Et lib. 2. contra litteras Petiliani c. 104. declarat Confirmationem his verbis: *In hoc unguento Sacramentum chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus:* Et lib. 2. contra litteras Parmeniani cap. 13. loquitur eôdem modô de Ordine ac de Baptismo: *Vtrumque*, inquit, *sacramentum est, & quâdam consecratione utrumque homini datur: illud cùm baptizatur: istud cùm ordinatur.* Et paulò post: *Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & istud amittitur? Neutri sacramento facienda injuria est.* Denique lib. de bono conjugali cap. 18. & 14. & lib. de nuptiis cap. 10. manifestè docet *matrimonium* in nova lege esse sacramentum.

Dices: Si reverà essent septem sacramenta; illum numerum Scriptura sacra designasset: at ita non est: igitur septem sacramenta non sunt asserenda.

Distinguo majorem: Illum numerum designasset explicitè, vel implicitè, concedo: explicitè tantùm, nego: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam: quanquam enim expressis verbis Scriptura sacra non indicet septem esse novæ legis sacramenta; attamen id implicitè saltem significat, cùm exprimit septem sacros ritus, quibus annexa est gratiæ promissio, ut suprà dictum est.

Deinde, Pari ratione foret consequens, neque duo esse sacramenta, neque tria, nec quatuor, neque omnino aliquem esse definitum eorum numerum, propterea quòd Scriptura sacra certum illum numerum non expresserit. Similiter non sequitur, Scriptura nullibi dicit quatuor esse Evangelia, aut quatuordecim Pauli epistolas, aut septem verba à Domino in cruce prolata: ergo non sunt totidem: ad id enim sufficit quòd in Scriptura res ipsæ numeratæ tradantur, nec requiritur quòd eorum numerus determinatè exprimatur.

Denique, Licèt non suppeterent Scripturarum testimonia, tamen ad id sufficientissima foret Ecclesiæ authoritas, sicut docet sanctus Hieronymus lib. contra Luciferianos, ubi disserens de manûs impositione ait: *Exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum; & etiamsi sacra Scriptura authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret.*

Dices secundò: Apocalyps. 17. Angelus spondet Joanni, se ei reseraturum sacramentum bestiæ, quæ habet septem capita: quâ figurâ significat, inquit Kemnitius, numerum septenarium sacramentorum spectare ad bestiam, hoc est, ad Ecclesiam Romanam, in qua sedet Antichristus.

Nego minorem; Blasphemum enim est sacramenta Christi designari per ipsa bestiæ capita; nam inter illa sunt baptismus & Eucharistia, quæ nec ipsi hæretici refragantur esse vera sacramenta: Unde per septem illa bestiæ capita nihil aliud mysticè designatur, quàm septem Reges, aut septem montes, in quibus infidelitas suam in Christi fideles tyrannidem maximè debebat exercere.

Septenarius numerus commendatur in Scriptura.

Si autem ex ex septenario numero à Scriptura memorato vellet quis septem novæ legis sacramenta colligere, plurima sunt, tam in novo, quàm in veteri Testamento huic assertioni suffragantia testimonia; sicut enim Deus septem dierum curriculô mundum: sic & Christus Dominus septem sacramentorum ordine recreationis ac renovationis mysterium operari voluit. Hinc præstantiora Dei opera in Scriptura septenariô numerô comprehenduntur; nam septem diebus præcepit comedi azima: septem lucernæ erant in Sanctuario, *Num.* 8. septem instituit tubas Jubilæi, *Iosue* 6. in septem capillis constituerat Samsonis

fortitudinem, *Judicum* 16. septem vicibus præcepit Elizæus Naam Syrum lavari in Jordane, & sanatus est, 2. *Reg.* Sapientia excidit sibi columnas septem, *Proverb.* 9. septem panibus Christus pavit 4000. hominum; & ne longiùs excurram, ipsemet S. Joan. *Apocal.* 1. septem candelabra aurea vidit, & *ibidem* septem stellas in dextera filii hominis: & *cap.* 5. septem sigilla quibus signatus est intus & foris liber quem tenet in dextera ille qoi sedet super thronum. Quibus omnibus oon incongruè designari possent septem novæ legis sacramenta.

VIII. Objiciuntur ac solvuntur SS. Patres qui pauciora quam septē videntur sacramenta asserere.

Dices tertiò: SS. Patres nusquam asserunt septem esse sacramenta; imò passim pauciora recensent: nam *S. Dionysius* Areopagita in lib. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, ubi de mysteriis, id est, sacramentis Ecclesiæ ex professo differit, oon plura quàm quioque pertractat, omissis videlicet Extremâ-Unctione & Matrimooiô. Similiter *S. Justinus* Apologiâ 2. commemorat solam Eucharistiam & Baptismum. Item *Irenæus* lib. 1. cap. 9. Eucharistiam, & cap. 13. Baptismum. *Cyprianus* serm. de ablutiooe pedum, numerat solùm Eucharistiam, Chrisma, Pœnitentiam & Ordinationem. *Cyrillus* Jerosolymitanus, qui cùm in sois catechesibus mystagogicis ex instituto de mysteriis seu sacramentis agat, non aliorum tamen meminit, quàm Baptismi, Chrismatis & Eucharistiæ. Neque plura apud *S. Gregorium* recensentur, refertur 1. quæst. 1. capite *Multi sæcularium*, *&c.* Isidorus in idem conspirat lib. 6. ethymologiarum cap. 19. Tandem *S. Ambrosius* lib. de Sacrament. solùm meminit Baptismi, Eucharistiæ & Confirmationis. Et *S. Augustinus* pluribi docet sacramenta novæ legis esse oumerô paucissima, maximè lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 9. igitur non erat ratum apod veteres septem esse novæ legis sacramenta.

Nego consequentiam: Quia neque etiam SS. Patres aiunt esse duo, vel tria, vel quatuor, aut quinque tantùm sacramenta, neque pariter negant esse numerô septem; sed duorum, aut trium, aut pauciorum meminerunt pro ratiooe argumenti, quod tractandum erat, ut patebit ex responsione ad præfatas eorum authoritates.

Imprimis enim *S. Dionysius* in illo opere, oon agit ex professo de sacramentis Ecclesiæ, sed de sacris officiis, seu functiooibus, quas vel Episcopi, vel Sacerdotes in mysteriis tum administrandis, tum conficiendis exercebant cum quadam consecratiooe: qoocirca neque de matrimonio, oeque de unctione infirmorum differendum ei fuit, tametsi obiter meminerit pœnitentiæ seu reconciliatioois.

Ad S. Justinum dico, ibi duntaxat duorum sacramentorum idcirco meminisse, quia respondet Ethnicis accusantibus Christianos, quòd essent athei, oec Deos colereot, qoodque oefaria plurima in suis ritibus patrarent, putà quòd vorarent humanas carnes; & ideo suos solùm ad eos ritus admitterent: Reponit autem Justinus Christianos noo esse atheos, utpote qui faterentur Deum unum in essentia, & trinum in personis; ideo autem soli Christiani admittebantur ad Synaxim, quia hæc solis baptizatis erat concedenda: exponit autem quid agebatur in synaxi diebus Dominicis, ut nempe levet criminationem, qoâ impetebantur Christiaoi, quòd io suis ritibus infantuli carnes vorarent: cætera autem sacramenta non attingit, quia Gentilibus erant ignota, & sic eorum calumniis non impetebantur.

Ad S. Irenæum dico, eum specialem disputationem non iostituere de sacramentis, sed occasione datâ modò meminit unius, modò alterius; nam lib. 1. cap. 2. *Pœnitentiæ*, & cap. 9. meminit *Eucharistiæ*, quia refellit deliria cujusdam Marci circa Eucharistiam. Similiter c. 18. memioit *Baptismi*, quia refellit errores plurium hæreticorum circa baptismi administrationem: tum lib. 3. cap. 4. refert *Confessionem*. & lib. 4. cap. 32. iterum meminit sacramenti & sacrificii Eucharistiæ: quia ibidem agit de sacrificiis legis antiquæ & novæ.

Ad S. Cyrillum Ierosolymitanum dico, eum idcirco trium illorum sacramentorum meminisse, quia Catechumenos ac recentes fideles instruebat de iis, qoæ solebant fieri baptismi tempore. Tria autem eôdem die conferebantur sacramenta, nempe Baptismus, Coofirmatio & Eucharistia, ut coostat ex Amphiloquio, qui in vita S. Basilii, sic scribit: *Maximus Episcopus baptizavit Basilium, & Eubulum, & ungens eos S. Chrismate, tradidit eis vivificam communionem.* Eadem est respoosio *ad Isidorum* seu potius *Gregorium*, qui Isidori nomine profertur.

Ad authoritatem *è Cypriano* petitam dico, sermonem istum non esse sancti Cypriani, sed alicujus Authoris posterioris: cujuscunque tamen sit, dico ibi tractatum non institui de sacramentis omnibus, sed tantùm de iis, quæ ad cardinalia Christi opera referri poterant; eô enim nomine opus illud sermooum ab Authore inscriptum est.

Ad S. Ambrosium dico, eum in illis libris non agere de omnibus sacramentis, sed de iis duntaxat, de quibus instruendi erant fideles recèns baptizati & confirmati, jamque admissi ad sacram synaxim: eô enim ordine, novelli fideles initiabantur, ut ipse testatur lib. 3. de sacramentis cap. 2. oude de his tribus tantùm sacramentis eo in opere instituenda erat illi tractatio, atque de iis dicit in fioe operis, eos plenissimè accepisse.

Ad S. Augustinum dico, illum librô de Doctrina Christiana, non dixisse tantùm esse duo sacramenta, sed agens ibi de sacramentis novæ legis ita loquitur, *quædam pauca pro multis, eademque facillima, & intellectu augustissima, ipse Dominus ex Apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Quæ profectò verba non sunt enumerantis omnia sacramenta, sed tantùm proferentis aliqua exempla.

Quòd autem plura, quàm duo sacramenta agnoverit sanctus Augustinus, patet ex Concione 1. in Psal. 13. ubi ait: *in Baptismo, Eucharistia & cæteris sacramentis Ecclesiæ esse munera.* Hinc epist. 118. ubi dixit *nos habere sacramenta numerô paucissima, signatione præstantissima, observatione facillima*, subjicit *sicut est baptismus & communicatio corporis & sanguinis Domini. Et si quid aliud in divinis litteris commendatur*: ubi particula (*si*) noo est oota dubitantis, infrà quippe recensitis aliquot Ecclesiæ festis, putà Passionis, Ascensionis, Resurrectionis Domini, & adventûs Spiritûs S. subjicit: *Et si quid aliud tale occurrerit, quod ab universa servetur Ecclesia.* Certum est autem Augustioi tempore festa Nativitatis; Epiphaniæ Domini, & similia celebrari solita.

Dices quartò: Ecclesia Græca non alia quàm duo sacramenta agnoscit, nempe Eucharistiam & Baptismom: ergo, &c. Probatur antecedens; nam Cyrillus Luparis Patriarcha Constantinopolita-

nus in Confess. fidei, Latinè primùm, deinde A Græcè edita, anoô 1633. cap. 15. de Sacramentis sic habet. *Credimus Evangelica sacramenta, esse ea quæ Dominus instituit in Evangelio, & ipsa esse duo, nempe baptismum & Eucharistiam, amplioris rem numerum sacramentorum non habemus*: ergo Institutor non plura edidit.

Respondeo concessô antecedente, negando consequentiam, Cyrillus enim iste descivit penitus à cæterarum Ecclesiarum Græcarum placitis, ut Calviniana dogmata amplecteretur, quod non negant adversarii; nam Casaubonus, qui talem Confessionem Londini excudi curavit annô 1675. cum utraque ejus censura tum Cyrilli Berroëosis, B tum Partenii Constantin. Patriarchæ, in præfatione ad Lectorem sic habet: *Ecclesiarum tamen Græcarum ant Orientis confessionem non fuisse*. Quod otique constantissimum apparet non solùm ex SS. Patribus Ecclesiæ Orientalis, ac ex omnibus Euchologiis & Ritualibus, sed etiam ex censura Cyrilli Berroëosis, qui præfato Cyrillo successit in Patriarchatu Constantinopolitano, eumque damnavit annô 1638. mense Septembri, hâc Synodali sententiâ: *Cyrillo dogmatizanti & credenti non esse septem sacramenta Ecclesiæ, id est, Baptisma, Chrisma Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinationem Sacerdotum, Extremam-Vnctionem, & Matrimonium, juxta constitutionem Christi, Apostolorum traditionem, atque consuetudinem Ecclesiæ, sed* C *mentienti non esse tradita à Christo in Evangelio, nisi solùm Baptismum & Eucharistiam, anathema*. Idem habet censura Synodalis Parthenii lata an. 1642. adversus eundem Cyrillum. *Idem*, inquit, *negat Ecclesiæ sacramenta quinque Sacerdotium, sacram Vnctionem, sacrum Oleum, Confessionem cum pœnitentia, & honorabiles Nuptias; quæ omnia ut sacramenta, & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit*. Hujus quoque Græcorum cum Latinis circa septenarium sacramentorum numerum consensûs primos habemus testes recentiores Græcos, non modò orthodoxos, sed etiam schismaticos. *Gregorium Protosincellum* Patriar- D cham Constantinopolitanum, in Apologia adversus Marcum Ephesium, *Simonem* Archiepiscopum Thessalonicensem lib. de septem Ecclesiæ sacramentis, *Jeremiam* Patriarcham Constantinopolitanum in triplici reponso adversus Vuitembergenses, & confessionem Augustanam *Emmanuëlem Calecam* lib. de Fide & principiis fidei Catholicæ c. 6. *Gabrielem Philadelphi Episcopum* tract. de sacris mysteriis, & plures alii quos refert Arcudius lib. 1. cap. 2.

Conclusio Secunda.

IX. Ordine congruo septem sunt instituta sacramenta.

Ratione & ordine congruenti instituta sunt septem, non autem pauciora nova legis sacramenta. Hujus conclusionis veritas non aliâ ratione à priori fulcitur, quàm Christi Domini voluntate, quæ cùm rectissima sit & ordinatissima, nil nisi quod decet & expedit, statuit ac præscribit; nihilominus à posteriori nonnullæ præscribi proferri rationes congruentes ejusmodi institutionis:

Ut optimè declarat Concilium Florentinum.

Quarum primam subministrat Concilium Florentinum suprà laudatum, ubi cùm dixisset septem esse novæ legis sacramenta, subdit: Quinque prima ad spiritualem unius cujusque hominis in seipso perfectionem: duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per *Baptismum* enim spiritualiter renascimur, per *Confirmationem* augemur in gratia, & roboramur in fide. Renati autem & roborati, nutrimur divinâ *Eucharistia* alimoniâ. Quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per *Pœnitentiam* spiritualiter sanamur: Spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per *Extremam-Vnctionem*. Per *Ordinem* verò Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter. Per *Matrimonium* corporaliter augetur.

Et subtilis Doctor.

Eandem rationem præclarè expendit subtilis Doctor in 4. dist. 2. quæst. 1. oum. 3. ubi declarans perfectionem sacramentorum novæ legis, maximè quantùm ad eorum extensionem, seu effectum, ad quem ordinantur, ait: Sicut in vita naturali, primum est generatio, deinde sequitur outritio, & corroboratio, & sanitatis perditæ reparatio; & hæc quatuor pertinent ad quamlibet personam singularem: præter hoc autem requiritur aliquod pertinens ad communitatem, quô aliquis constituitur in gradu necessario ad aliquem actum necessarium communitati: Ita spiritualiter ad completam perfectionem extensivè, oportet esse adjutorium aliquod pertinens ad generationem spiritualem; & secundò aliquid pertinens ad nutritionem, tertiò pertinens ad roborationem, quartò ad reparationem post lapsum. Præter hoc autem quintò requiritur aliquid esse, quô exiens finaliter præparetur: quia vita ista spiritualis quædam via est ordinans, ut bene vivens in ea, de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua præparatur. Hæc ergo quinque requiruntur tanquam adjutoria necessaria personæ cuicumque pro se.

Ad bonum autem communitatis observantis istam legem, est multiplicatio carnalis, quia ista præsupponitur bono spirituali, sicut natura gratiæ, & multiplicatio spiritualis aliquorum in ista lege: sic ergo congruum fuit septem adjutoria conferri observantibus legis Evangelicæ, in quibus esset perfectio, non tantùm intensiva, sed etiam extensiva & sufficiens ad omnia necessaria pro observantia hujus legis; hæc autem sunt (ut dicit Magister in littera) Baptismus pertinens ad generationem spiritualem: Eucharistia necessaria ad nutritionem: Confirmatio ad roborationem: Pœnitentia ad lapsi reparationem: Extrema-Unctio ad finalem præparationem: Matrimonium ad multiplicationem in esse naturæ, vel carnali: & Ordo ad multiplicationem in esse gratiæ, vel spirituali.

X. Et Seraphicus.

Alias similes congruas rationes affert Seraph. Doctor pluribi, maximè 3. p. *Centiloquii sect.* 47. ubi ait: Sufficientia sacramentorum sic accipitur: Sacramenta sunt *Medicamenta contra morbum*: Morbus autē est duplex, scilicet morbus *culpa*, & E morbus *pœnæ*. Morbus culpæ est duplex, scilicet originalis culpa, contra quam est baptismus: & actualis culpa contra quam est pœnitentia: Quædam actualis venialis, contra quam est Extrema-Unctio. Morbus pœnæ est quadruplex, scilicet ignorantia, contra quam est ordo: malitia contra quam est confirmatio: concupiscentia, contra quam est matrimonium.

Sacramenta sunt etiam *adjuvamenta*, quia sunt in adjutorium septem virtutum. In adjutorium fidei est Baptismus. In adjutorium spei est Extrema-Unctio. In adjutorium charitatis Eucharistia. In auxilium prudentiæ, Ordo. In auxilium temperantiæ Matrimonium. In auxilium fortitudinis Confirmatio. In auxilium justitiæ Pœnitentia.

Sunt quoque sacramenta *armamenta Ecclesiæ militantis*, quæ in Canticis dicitur: *Terribilis ut*

castrorum acies ordinata. Et quidem terribilis, quia fortis, munita per sacramentum Confirmationis. Acies, quia conjuncta & unita per sacramentum Eucharistiæ: ordinata per Ordinem. Ex hac acie quidam subtrahuntur per mortem, ad hos restaurandos est matrimonium: quidam prosternuntur per culpam, ad hos relevandos est pœnitentia. Hanc aciem quidam ingrediuntur, ut prælientur, & hoc per baptismum: quidam egrediuntur ut coronentur, & hoc per Extremam-Unctionem.

XI. Et Angelicus,

Addunt alii cum S. Thoma hunc septenarium numerum sacramentorum rectè colligi ex vita supernaturali animæ acquirenda & ad perfectionem deducenda, cum similitudine & analogia ad vitam corporalem. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: Primò quidem quoad personam propriam: Secundo quoad communitatem societatis, in qua vivit: homo enim est animal ad societatem natum. Respectu autem suiipsius homo dupliciter in vita corporali perficitur. *Primò* quidem, per se acquirendo aliquam vitæ perfectionem: *Secundò* per accidens, removendo nempe omnia vitæ impedimenta, scilicet morbos aut eorum reliquias. Vita autem corporea primò perficitur quantùm ad sui esse *per generationem*, per quam homo incipit esse & vivere: cui in vita spiritali correspondet baptismus, qui ab Apostolo ad Titum 3. vocatur lavacrum regenerationis; unde Christus Dominus Joan. 3. dicebat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. &c.*

Deinde, vita spiritalis perficitur per augmentum, quô perducitur ad perfectam quantitatem & virtutem: cui assimilatur Confirmatio, in qua datur Spiritus S. ad animi fortitudinem & constantiam; ideo Discipulis suis baptisatis dixit Christus: *Sedete hic donec induamini virtute ex alto.* Tertiò vita corporea, per quotidianum cibum est nutrienda, ac fovenda ne pereat: cujus vices in spiritali vita gerit Eucharistiæ sacramentum: nam, inquit Christus Dominus Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ...... caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

Quemadmodum autem vita temporalis hominis multis est miseriis & infirmitatibus obnoxia; unde duobus indiget tanquam remediis: Primò quidem medicinâ ad recuperandam sanitatem; & alterô ad removendum languorem ex infirmitate, quod fit per dietam & exercitium: ita in spirituali vita proportionaliter reperiri debent hæc duo: unô quidem tanquam spiritali medicinâ, scilicet pœnitentiâ, quæ sanitatem restituit & peccati morbum eliminat: & alterô ad reliquias morbi ejusque languorem amovendum; quod utique fit per Extremam-Unctionem, quæ removet peccatorum reliquias.

Cæterùm quia homo ordinatur ad societatem, ac in ordine ad illam dupliciter perficitur, nimirum vel suscipiendo potestatem administrandi aliqua officia in Republica, vel multiplicandi Rempub. priori correspondet sacramentum Ordinis: posteriori verò sacramentum Matrimonii: est enim simul officium naturæ, & gratiæ beneficium ac signum.

XII. Culpa & pœna est multiplex, ideo muliplex debet esse sacramentum.

Dices: Tot sunt sacramenta, quot peccati defectus; ordinantur enim contra peccati defectum: at duo sunt tantùm peccati defectus, culpa & pœna.

Nego minorem: Quia culpa & pœna diversitatem habent; & secundùm speciem, quia diversæ sunt species culparum & pœnarum; & secundùm diversos hominum status & diversas habitudines; unde sacramenta multiplicari oportuit.

Dices secundò: Tot sunt sacramenta, quot actiones Ecclesiasticæ Hierarchiæ; quia sacramenta pertinent ad eas actiones, ex S. Dionysio: sed tres tantùm sunt actiones Hierarchiæ, *purgatio, illuminatio, perfectio.*

XIII. Tria sunt in actionibus Hierarchicis;

Nego majorem: Quia tria considerantur in actionibus Hierarchicis, agentes, recipientes & actiones. *Agentes* sunt Ecclesiæ Ministri, ad quos pertinet Ordo; *Recipientes* sunt ii, qui accedunt ad sacramenta, qui producuntur per Matrimonium; *Actiones* sunt purgatio, illuminatio, perfectio: sola purgatio non est sacramentum novæ legis, quod gratiam confert; sed potius spectat ad sacramentalia, quæ sunt Catechismus & Exorcismus: purgatio autem & illuminatio simul Ecclesiasticæ Hierarchiæ pertinent ad baptismum, & propter remedium secundariò pertinent ad pœnitentiam & Extremam-Unctionem, at perfectio quoad virtutem, quæ est veluti formalis perfectio pertinet ad Confirmationem, quoad assecutionem finis ad Eucharistiam.

Conclusio Tertia.

NOn sunt plura sacramenta, quàm septem. Hæc sufficienter constat ex præcedentibus conclusionibus, & probatur: Si aliqua præter septem memorata essent novæ legis sacramenta, maximè aliqua eorum quæ à SS. Patribus nomine sacramenti donantur; nempe Lotio pedum, aqua benedicta, eulogiæ & martyrium: sed nulla horum censeri possunt propriè dicta sacramenta: igitur, &c. Major constat. Minor verò ut clariùs innotescat, sub distinctis §§. est probanda.

§. I.

Lotio pedum non est propriè dictum Sacramentum.

PRobatur primò, quia nulla Concilia, nullæ Ecclesiasticæ institutiones, nullæ preces, nullæque Catechisticæ doctrinæ, quibus maximè Apostolica traditio continetur & declaratur, ejusmodi cæremoniam sacramentis Evangelicis accensent.

XIV. Quare Lotio pedum non sit sacramentū.

Probatur secundò: Sacramentum novæ legis debet esse signum certum, divinitus institutum, cui annexa sit promissio gratiæ sanctificantis, & virtus eam conferendi ex divina institutione ab universa Ecclesia frequentandum: sed omnia hæc pedum Lotioni non conveniunt: *Primò* namque non habet certam promissionem gratiæ; illa namque promissio nusquam in Scriptura, seu traditione legitur: *Secundò*, non habet etiam efficacitatem gratiæ conferendæ; nam instituta fuit à Christo in signum purgationis faciendæ ante institutionem Eucharistiæ, & in signum humilitatis Christi; non verò ad conferendam gratiam.

Denique, Non habet mandatum aut institutionem hujus ritûs usurpandi; unde etiam nusquam frequentatum fuit ab universa Ecclesia, maximè Rom. ut observat sanctus Ambrosius lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. Et S. August. epist. 119. c. 18. de lavandis pedibus, hoc profert: *Cùm Dominus formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit, ut ipse consequenter exposuit, quæsitum est quônam tempore potissimùm re*

tanta etiam facta doceretur. Et in illint tempus occurrit, quò ipsa commendatio religiosins inhareret: sed ne ad ipsum baptismi sacramentum videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem pracipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt: aliqui autem ut hoc sacratiori tempore commendarent, & à baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium octavarum, quia ternarius numerus in multis sacramentis maximè excellit, vel etiam octavum, ut hoc facerent, elegerunt.

XV. Objiciuntur verba Christi D.

Dices: Tria sunt ad perfectum sacramentum desideranda: Primò ut sit signum sensibile a Christo ordinatum, & gratiæ sanctificantis significativum: Secundò, ut gratiam sanctificantem significatam reverà suscipientibus conferat: Tertio denique, ut præcepta sit illius frequentatio & susceptio: sed hæc tria occurrunt in lotione pedum a Christo facta: *Primò* namque erat signum sensibile; siquidem Christus D. misit aquam in pelvim, & lavit Discipulorum pedes, quæ ablutio non minùs sensibilis erat, quam ea quæ fit in baptismate: *Secundò*, gratiam significabat, & mundationem interiorem: nam ibidem Christus D. ait: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes laves, sed est mundus totus.* Quibus significat necessariam esse lotionem pedum ad expiationem, quæ secundùm sanctum Augustinum sunt veluti sordes pedibus, id est, humanis affectibus adhærentes, ob humanam conversationem, & contrectationem bonorum sensibilium: quemadmodum adhærent corporeis nostris pedibus, ex tactu & conculcatione terreni pulveris. *Tertiò* denique, eadem videtur obligatio, idemque mandatum hanc lotionem frequentandi, ac baptismalem; quemadmodum Christus dixit de baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non introibis in regnum cælorum:* ita Petro respuenti hanc lotionem dixit, *Si non lavero te, non habebis partem mecum.*

Et explicantur.

Nego minorem, Christus enim non idcirco lavit eorum pedes, ut lotio esset signum efficax gratiæ conferendæ, sed ut humilitatis præberet exemplũ & ad internam animi munditiam hortaretur, & ut Apostoli dignè fierent sui corporis in proximè instituenda Eucharistia participes, Nec Petro dixit *scies autem posteà*; ut per lotionem pedum enim gratiam excepturum assereret: sed ut præsignificaret quid erat facturus instituendo, & Petro donando Eucharistiam; siquidem cùm Petrus corpus & sanguinem Christi de manu illius accepit, tunc mysterium hujus lotionis & debitæ præparationis ad Eucharistiam per hanc lotionem designatæ intellexit.

Similiter cùm dixit *non habebis partem mecum*, noluit lotionem ad salutem esse necessariam exprimere, sed vel ut Petrum ad debitam obedientiam suâ comminatione sollicitaret, eumque propter contumacem inobedientiam ab æterna beatitudine arcendum commonefaceret, ut interpretatur S. Basilius in regulis breviùs disputatis resp. 60. & 33. *Vel* ut significaret eum non habiturum partem in mensa sua & cœna parata, nec in corpore suo quod in eadem cœna erat consecraturus, & aliis distributurus; cùm enim moris esset apud Judæos ad mensam non accedere, nisi priùs lotis manibus & pedibus, Christus eandem cæremoniam à Discipulis servari voluit; ipseque servare voluit eorum pedes lavando ut profundæ humilitatis consilium & Exemplum eis præberet: quâ ratione dixit ibidem: *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes: Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

XVI. Objiciuntur SS. Patres. S. Cyprianus.

Instabis: Hæc responsio militat in sanctos Patres. Nam S. Cyprianus sive alius author sermonis de ablutione pedum qui est inter illius opera reconditus, in principio hæc habet: *Ne quid consummationi doctrina deesset, inter fixa & immobilia pracepta, & ea qua moveri possunt & repeti, distinctionem posuit ut cateris immutabiliter semel statutis* (id est Baptismate, Confirmatione, & Ordine, quæ infra dicit esse initerabilia) *ultima lavacri species quotidianis expiationibus commodata, commendaretur fidelibus. Et sicut lex per singulas offensiones propria sacrificia requirebat, unum figuraretur fidei Christiana remedium, ad quod curreret quoties se cognosceret offendisse.* Et circa medium hæc habet. *Ait Dominus. Nisi lavero te, non habebis partem mecum. Paulatim mysteriis hujus declaratur necessitas quam conditio proposita inevitabilem reddit: & si cum Christo aliter partem habere non possumus, nisi ipse pedes nostros abluat, quandoquidem sic arctatur consensus, lavet & tergat, & sacramenti hujus nobis virtutem exponat. Suprà diximus lotos baptismate eodem lavacro non indigere; sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum.*

Solvitur.

Respondeo authorem illum quisquis sit, hanc lotionem idcirco sacramentum nominare, quòd ille pœnitentiæ lavacri figuram gerat. Eam enim per sensum accommodationis cum pœnitentiæ sacramento aut virtute confundere satis patet, tum ex præcedentibus verbis, quibus cùm asseruisset baptismum non esse iterabilem dixissetque: *Iram Dei iterum in eos exardescere, qui contemptâ baptismatis indulgentiâ, proprio abutuntur arbitrio & voluntate non necessitate ducuntur*; Addit nunc: *Contemptum suum non statim ulciscitur Deus, nec per singulas offensas judicantis ira discurrit, nec obstruxis fonti misericordia ostia meatusque multiplices, sed obviat fugientibus & cogit regredi desperatos, ostendens eis pænitentia viam, quâ nulla latior invenitur, & reversis dat ut iterum eis possint sacramenta injuriata prodesse: quorum si pænitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum. Propter hoc benignissime Domine pedes lavas Discipulis; quia post baptismum quem sui reverentia non patitur iterari, aliud lavacrum procurasti, quod nunquam debeat intermitti.* Tum subjicit prædicta verba in objectione posita, nam hæc habet. *Sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum, & jugis retractatio usque ad novissima veniens, omnia debet opera & cogitatus singulos perscrutari, & affectus per vitia discurrentes, vagam instabilemque animam per inania evehentes corrigere & lavare, nec quidquam in vita pratermittere, quod gemitibus & suspiriis non fuerit expiatum.*

XVII. S. Ambrosius.

Urgebis. S. Ambros. lib. [illegible] de sacrament. suo calculo prædictam in objectione sententiam firmat: nam ubi hæc præmisit Christi ad Petrum verba; *Nisi lavero te non habebis partem mecum;* subdit. *Non ignoramus quòd Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur & formam: Hanc tamen consuetudinem non habet ut pedes lavet. Vide autem ne fortè propter multitudinem declinàrit. Sunt tamen qui dicant & excusare conentur, quia hoc non in mysterio (id est sacramento) faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione, sed quasi hospiti pedes lavandi sunt. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est, & san-*

ctificatio. Nisi lavero te non habebis partem mecum. Hoc ideo dico non quòd alios reprehendam, sed ut mea officia ipse commendem: in omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus, ideo quod ibi rectiùs servatur, & nos rectè custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius inhæremus devotioni. Ad hoc Romana Ecclesia quid respondet? Utique ipse author est hujus assertionis Petrus Apostolus qui Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ. Ipse Petrus ait: Domine non solum pedes, sed & manus & caput.

Explicatur.

Respondeo, Ex eo non colligi S. Ambrosium absolute docere hanc lotionem esse sacramentum; quippe cùm fateatur eam non esse Ecclesiæ Romanæ fidem, quam in omnibus secuturum se profitetur: sed tantùm vult intermissam Romæ lotionem pedum, in sua servari Ecclesia, tum ut Christi ac Petri exemplô morem gerat: tum ut gratiam noo ratione lotionis, sed virture humilitatis ac Christi imitationis obtineat. Ideo dicit consuetudinem, quæ rectiùs servatur in Romana Ecclesia de non lavandis pedibus, in Mediolanensi Ecclesia de ipsis lavandis etiam rectè custodiri propter exemplum Christi ac Petri.

S. Bernardus.

Iostabis iterum. S. Bernardus serm. 1. in Cœna Domini evidentiùs prædictam tuetur sententiam his verbis. *Ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus ejus sacramentum pedum ablutionem. Quæris fortè unde sciam quòd sacramentum sit hujus remissionis?* (post pauca respondet) *Vis autem nosse quia pro sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum est, si non lavero te, &c. Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei.* Post pauca. *Et unde scimus quia ad diluenda peccata quæ non sunt ad mortem, & à quibus plenè cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo planè quod offerenti manus & caput pariter ad abluendum responsum est, Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet. Lotus est qui gravia peccata non habet; cujus caput, id est intentio; & manus id est operatio & conventio munda est. Sed pedes qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt; quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet cedat animus.*

Solvitur.

Respondeo S. Bernardum esse intelligendum de sacramento generaliter & impropriè oominato, quatenus est aliquod signum sacrum aliquid significans, noo verò de sacramento propriè dicto, id est pro signo efficaciter gratiam significante; sciebat namque Bernardus in Ecclesia Romana septem tantùm excipi & credi sacramenta: ecquid ergo cootrarium docuisset?

Nec refert, quòd asserat hanc pedum ablotionem esse ad salutem necessariam & peccatorum venialium remissivam: noo enim hanc necessitatem esse absolutam arbitratur, aliàs sibi ipsi contradiceret; quippe cùm doceat eam institutam ad sola venialia expiaoda, propter quæ sola certò certius est nullum a Christi & Dei regno esse arcendum. Idcirco autem dicit eam venialia expungere, quia est actio humilitatis & charitatis, ac proinde meritoria & venialium remissiva.

§. II.

Aqua benedicta non est etiam propriè dictum Sacramentum.

P*Robatur*, quia Ecclesia non habet potestatem & authoritatem instituendi signum aliquod, vel cæremoniam certam & determinatam, quæ vim infallibilem habeat gratiam sanctificantem conferendi, ac peccatorum remissiooem largiendi, cùm id sit solius Dei: sed consecratio, & usus aquæ benedictæ ooo à Christo D. sed ab Ecclesia suam habet institutiooem: igitur, &c. Major patet, si eoim id posset Ecclesia, eandem virtutem plurimis aliis cæremoniis conferret, quas proinde ex opere operato gratiam largiri fatendum esset: quod tamen nullus Theologorum aut SS. Patrum admittit. *Deinde*, si valeret aqua benedicta ad gratiæ sanctificantis largitiooem, & peccatorum venialium remissionem ex opere operato, simili ratiooe valeret ad alios effectus, ad quos ordinatur & consecratur, videlicet ad fugandos dæmones, eorumque tentationes repellendas, & alia ab eis inferenda nocumenta avertenda; eóqoe magis, quòd hæc in ejus benedictione exprimantur, remissionis autem venialium non fiat mentio, sicut nec gratiæ largitionis. Minor etiam patet: nam hojus sacri ritûs institutio revocatur ad Alexandrum I. summum Pontificem, qui bojus sacræ cæremoniæ author dicitur: nam hic summus Pootifex V. post S. Petrum, loquendo de ejusmodi aqua benedicta ait: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur. Quod & omnibus Sacerdotibus, faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mundabat; multò magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat. Et si sale aspersò per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quantò magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat atque mundat & purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & à phantasmatum versutiis homines defendit?* Quibus verbis præcipuos enumerat effectus aquæ benedictæ.

Nec obstat, quòd ei tribuat vim sanctificandi: hæc enim sanctificatio & mundatio per se ei non competit, ex opere operato; sed tantùm ratiooe actûs & affectûs assumentis ejusmodi aqoam; onde inter sacramentalia quidem refertur; oon verò inter sacramenta debet censeri.

§. III.

Martyrium habet quidem vim & efficacitatem sacramenti: non tamen est sacramentum propriè dictum.

P*Rima pars* constat: certo namque certius est martyrium pro Christi oomine passum ac consummatum habere vim gratiam sanctificaotem conferendi. Quod utique probabitur quæst. 2. sequentis disputationis, conclusione 2. ubi declarabimus martyrium supplere vicem Baptismi aquæ tam in parvulis, quàm in adultis.

Secunda pars verò ejusdem assertionis est evidens; Sacramentum enim propriè dictum debet esse certum signum & efficax gratiæ conferendæ, & habere determinatam materiam, & formam

tum debita intentione Ministri: sed martyrium nec est signum gratiæ conferendæ, à Christo D. ad id determinatum & institutum: quis enim dixerit actionem peccaminosam ex parte agentis, qualis est actio quâ vis infligitur martyri, esse signum divinitus ordinatum ad gratiam conferendam? Neque etiam determinatam habet materiam, & formam; cùm innumera fiot à dæmone, & tyrannis excogitata tormentorum genera ad Martyres torquendos, & necandos: nec etiam competentem Ministrum habet à Christo D. designatum; quis enim dixerit Christum D. instituisse lictores tanquam gratiæ ministros; eos maximè, quorum operatio fieri nequit absque gravissimo peccato mortali, utpotè cùm sit occisio hominis innocentis in odium Dei, & Christianæ Religionis? *Addit* Seraphicus Doctor in 4. dist. 4. part. 2. quæst. 3. *Quòd Baptismus sanguinis non est Sacramentum, quia ei deficiunt omnia ea, quæ sunt de integritate Sacramenti, scilicet repræsentatio ex similitudine, significatio ex institutione, sanctificatio ex verbi prolatione: quorum quodlibet deficit, ut in opponendo tactum est, & inspicienti patet; & ideo Sacramentum non est.*

§. IV.

Panis benedictus, & Eulogia non sunt Sacramentum propriè dictum.

Panis benedictus dicitur fermentum.

PAnis Benedicti in symbolum Catholicæ communionis fidelibus tradi soliti, primus omnium meminisse videtur Melchiades Papa, qui sedem Pontificiam tenuit ab aono Christi Domini 311. ad annum 314. Hic autem, ut refertur in libro de Romanis Pontificibus; *fecit ut oblationes consecrata per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Similia refert de Siricio, qui ab an. 387. ad ann. 397. summum Pontificatum admioistravit; is enim constituit, *ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet quod declaratur fermentum.* Similiter Innocentius I. qui ab anno 402. sedit ad annum 419. respondens ad interrogata Decentii Episcopi Eugubini hoc habet epist. 1. cap. 5. *De fermento verò, quod die Dominicô per Titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti: cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsô propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt; idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ne se à nostra communione, maximè illâ die judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta: nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, ut & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam.* Denique idem apparet ex antiquo Rituali Romano, in quo hæc habentur verba: *Quintâ Dominicâ in quadragesima datur fermentum, in Consistorio Lateranensi.*

Cæterùm quòd fermenti nomine nihil aliud significetur, quàm panis ab Episcopis vel Presbyteris benedici solitus, qui dividebatur fidelibus ad sacram Eucharistiam non accedentibus, ut ejusmodi fermenti & eulogiarum participatio symbolum esset Catholicæ communicationis, satis apertè colligi videtur ex antiquo Canone Pii Papæ & Martyris titulô inscriptô, qui habetur tomô primô Conciliorum his verbis: *Ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationibus, quæ supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, & convenienti, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias die Dominicô, & in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione priùs faciat.*

Duplici de causa.

Ejusmodi autem panis idcirco dicebatur *fermentum*, vel per accommodationem ad illam parabolam Evangelicam, quâ Dominus noster Jesus Christus Matth. 13. assimilat regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum; regnum namque Christi præsentis temporis, illud esse definitur, quod communicatione Catholicâ unius massæ coagmentatione constringitur; unde qui panem benedictum accipiebat, significabat eô symbolô se esse cum aliis Christi fidelibus fide, & charitate conjunctum. *Vel* potius idcirco dicebatur fermentum, ut distingueretur ab Eucharistia, quæ in azimis conficiebatur.

Ejus usus frequens erat in Orientali, sicut & in Occidentali Ecclesia.

Ejusmodi autem Catholicæ communicationis Symbolum non solùm frequentabatur Romæ, & in Occidentali Ecclesia, sed etiam in Orientali, ut declarari videtur in Concilio Laodiceno cap. 29. an quô dicitur: *Sanctas oblationes ad vicem Eulogiarum per festivitatem Paschalem ad alias Parochias mitti minimè oportere*; non aliâ, ut arbitror, ratione, quàm quòd eô die omnes fideles ad sacram Synaxim accederent; ac proinde eis non erat opus aliô communionis ac unitatis in fide symbolo: cæteris autem diebus Dominicis, ac Festivis licitum erat eulogias ministrare; imò & aliis diebus ferialibus, exceptô Quadragesimali tempore, ne videlicet jejunium frangeretur, ut colligitur ex eadem Synodo cap. 49. ubi statuitur: *Non oportet in quadragesima panem offerri, nisi Sabbatô & Dominicâ tantùm.* Non enim servabatur jejunium in Orientali Ecclesia de Sabbato, sicut nec in Occidentali feriâ quintâ, ut constituerat Melchiades summus Pontifex; nam de ipso legimus in libro Romanorum Pontificum. *Hic constituit, ne ullâ ratione die Dominicâ, aut quintâ feriâ jejunium quis fidelium ageret; quia eos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrabant.*

Eulogiæ erant duplicis generis.

Duplicis autem generis erant eulogiæ; aliæ quidem publicæ, quæ scilicet in publico Ecclesiæ mioisterio distribuebantur; aliæ verò privatæ, quas amici inter se ultrò citròque dare, atque accipere consueverant; cujus quidem antiqui usûs plora exempla suppetunt; inter alia verò sancti Paulini Nolæ Episcopi, epist. 1. ad Severum, hæc scribentis *Panem campanum de cellula nostra tibi pro eulogia misimus*: Et epist. ad sanctum Augustinum, *Panem unicum, quem unanimitatis indiciò misimus, charitati tuæ rogamus accipiendo benedicas.* Et ipsemet sanctus Augustinus epist. 34. ad eundem Paulinum eulogias mittens scribit: *Panis, quem misimus, uberior benedictio fiat dilectione accipientis benignitatis vestræ.*

Non erant sacramenta propriè dicta.

His omnibus constat, quòd etsi ejusmodi eulogiæ appellentur *Sacramenta*, non tamen perfecti Sacramenti vim & significationem habebant: sed tantùm Sacramenti nomen inditur, quod ejusmodi eulogiarum participatio symbolum esset Catholicæ communicationis fidelium inter se, ut nempe qui sacratissimâ Eucharistiâ minimè communicassent; saltem aliô communionis signô censerentur esse fideles. Quapropter Concilium Laodicenum, cap. 32. statuit: *Quòd non oporteat ab hæreti-*

eis eulogias accipere, quia sunt maledictiones potius, quàm benedictiones.

Nec obstat quòd fermentum illud, seu panem fermentatum *oblationes consecratas per Ecclesias, ex consensu Episcopi* appellent Melchiades summus Pontifex, nec-non & Syricius: apud eos enim idem est consecratio, quod bedenictio, & fermentum consecratum quod benedictum: Dicebantur autem oblationes; quia, ut notavimus ex Canone sancti Pii, ejusmodi panes à popolo offerebantur, ut Episcopali vel Sacerdotali benedictione accepta minutatim fidelibus erogarentur.

Ex iis igitur omnibus constat nihil aliud fuisse fermentum, quàm fermentatum panem benedictum, quem ob coommunicationis symbolum ab Episcopo acceptum impertirentur cuncti Parochiales Presbyteri, eundemque sub se coostitutis fidelibus distribuerent. Ipsum verò panem diversis nominibus fuisse appellatum, oimirum *fermentum*, ad distinctionem panis azimi, ex quo soleret confici Eucharistia, dictumque esse *Sacramentum*, ob sacræ tei sigoum, nempe Catholicæ unionis; & benedictione consignatum, ob idque *benedictionem* itidem, & *eulogias* dici consuevisse.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Sacramentorum institutione seu causa efficiente, virtute & effectu.

EXPLICATA Sacramentorum essentiâ, ac oecessitate, & assertô eorum numerô, jam investiganda est ipsorum origo, fœcunditas & effectus, in quibos maximè illorum dignitas & præstantia mirum in modum elucet. Quid enim illustrius, & ad commendationem oobilius & præclarius existimari potest, quàm quòd eorum nostræ salutis adminiculorum solus Deus Auctor & Institutor asseratur; nec creaturæ cujusvis præstantissimæ virtus ad illam institutionem & ordinationem quidquam conferre queat? Quid censeri posset hominum admiratione dignius, quàm quòd ejusmodi sigoorum, quantumvis aspectu exilium, tanta sit virtus, ut hominem peccatorum fæce deturpatum non emunder solùm, sed & cœlesti gratiæ sanctificantis luce ac decore perfundat; & quod stupendum magis, ipsum in Dei filium consecret, & hæredem constituat ac coosortem? Unde meritò dixit Tertullianus lib. de Baptismo cap. 1. *Nihil adeo est, quod obduret mentes hominum, quàm simplicitas divinorum operum, quæ in actu videntur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur: ut hîc quoque, quoniam tantâ simplicitate sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus, non multò vel nihilo mundior resurgit, eò incredibilis existimetur consecutio æternitatis, &c.*

Tria itaqoe hîc sunt determinanda: *Primum*, utrum solius Dei sit sacramenta instituere. *Secundum*, quænam sit eorum efficacitas respectu gratiæ producendæ: *Tertium*, quænam sacramenta characterem producant?

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum solius Dei sit Sacramenta instituere?

I. Quotuplex distingui possit potestas circa Sacramentorũ institutionem.

NOtandum primò, circa institutionem Sacramentorum, duplicem potestatem distingui posse; aliam quidem authoritatis, aliam verò ministerii. *Potestas authoritatis* dicitur, quæ est independens à quacunque alia, & per propriam virtutem quædam seligit signa, eisque gratiam producendi vim & efficaciam confert. *Potestas* verò *ministerii*, est illa delegata virtus à principali causa ad sacramentorum vel confectionem, vel administrationem. *Insuper* potestas ministerii duplex statuitur, una quidẽ *principalis & excellentiæ*; alia verò *communis*. Principalis excellentiæ ea est, quæ competit alicui cum singulari prærogativa supra cæteras causas, quæ ad sacramentorum vel designatiooem, vel confectiooẽ concurrere possunt: Potestas verò ministerii communiter dicti, ea est quæ competit cuilibet ministro, quatenus duntaxat minister est sacramentorum, hoc est administrator, & dispensator. Hinc duplex exorgit difficultas: *Prima*, utrum solus Deus conferre possit alicui creaturæ potestatem authoritatis instituendi sacramenta, putà humanitati Christi seu otrum Christus Dominus quatenus homo ex se virtutem habuerit instituendi sacramenta: *Secunda*, utrum saltem habuerit principalem potestatem excellentiæ.

II. Dupliciter concipi potest sacramentum institui.

Notandum secundò, ex Doctore in 4. dist. 1. quæst. 3. num. 4. quòd aliud sit signom practicum instituere ad producendam gratiam; aliud verò illud signum reddere certum & efficax ad eandem gratiam producendam: Possibile enim est, inquit Doctor, quandoque aliquem non veracem uti illô signô: signationem enim babet ex institutione; sed quòd sit certum, non habet nisi ex determinatione alicujus causæ cooperantis illi signo, ad causandum significatum: v. g. si ab aliqoo Legislatore instituatur in politia sua pro signo pacis tactus manûs, vel hujusmodi, etsi ex ista impositione habet istud signum, quod practicè significet pacem: tamen si alius oon verax potest uti istô signô, istud signum non est certum ex impositione Legislatoris; sed remanet æquivocum; quandoqoe scilicet verum, quando habet coocomitans signatum, quandoque falsum; falsus enim otitur istô signô sive signatô sicut oteretur signô speculativo sive signato, dicendo; *concede tibi dilectionem meam*, habens aliud, scilicet oppositum, in mente. *Hæc Doctor*, quibus significat duo esse in sacramentorum institutione distinguenda: *Primum* est signi sensibilis designatio ad gratiam significandam, & conferendam: *Secundum* est virtus & efficacitas illius signi, ratione cujus dicitue certò & infallibiliter gratiam significare & inferre, quantùm est io se: Primum autem se habet duntaxat incompletè & imperfectè ad institutionem sacramenti; quippe cùm de ipsius ratione sit, non solùm quòd sit signum gratiæ sanctificantis, sed quòd sit signum certum & efficax illius; quod utique obtinere oon potest, nisi ab eo qui babet virtutem pbysicam prodocendi gratiam, & eam productionem huic signo annectendi.

III. Sacramenta dici possunt instituta à Deo

Notandum tertiò, sacramenta duobus modis à Deo censeri posse instituta; nimirum vel *immediatè*, per seipsum; vel *mediatè*, per aliquem Angelum aut hominum. *Immediatè* quidem, putà si

Deus

vel immediatè, vel mediatè.

Deus designaret aliquod signum sensibile, ad cujus applicationem certò & infallibiliter produceret, & conferret gratiam. Quod utique fieri potest duobus modis: nempe vel immediatè à Deo, ut Deus est: vel à Deo quatenus est Deus-homo, id est, quatenus divina persona, quæ immediatè ea sacramenta instituit, in assumpta humanitate subsistit. Quod rursus concipi potest duobus modis: *Primò*, itaut illa designatio Sacramentalis signi, & vis ei annexa producendi gratiam, tota refundatur in personam divinam; sola autem illius manifestatio fieret per humanitatem assumptam; *vel* ut ipsa assumpta humanitas à divina persona communicatam habeat virtutem ejusmodi signa efficacia instituendi, quasi B sibi propria; itaut hujus institutionis censeatur causa princeps. *Similiter* Deus concipi potest instituere sacramenta mediatè duobus modis; nempe vel *incompletè*, si videlicet concederet alicui creaturæ facultatem designandi & assumendi aliquod signum sensibile, ad cujus præsentiam & positionem, ipse certò & infallibiliter gratiam produceret: vel *completè*, si nempe ipsi creaturæ, cui concedit facultatem signum instituendi, concederet etiam vim & efficaciam producendi gratiam.

Status quæstionis.

His ita præmonitis, tria supersunt statuenda: *Primum*, quòd solus Deus potestatem authoritatis ac principalem habeat instituendi sacramenta C propriè dicta, ita sibi propriam & peculiarem, ut nulli creaturæ possit eam delegare. *Secundum*, quòd Christus D. quatenus homo non sit causa princeps & physica, sed moralis institutionis sacramentorum. *Tertium*, quòd omnia sacramenta (quatenus est Deus) immediatè instituerit.

Conclusio Prima.

IV.
Solus Deus propriè & completè potest instituere sacramenta.

Solus *Deus completè & propriè potest instituere sacramenta*. Hæc est Doctoris locò supra laudatô num. 5. ubi ait:

> Quantùm ad signationem, possibile esset quòd ab aliqua creatura institueretur sacramentum, quia sicut posset homo D imponere signum speculativum effectûs Dei; ut patet de ista oratione: *Deus causat gratiam in anima*; ita posset imponere signum, quod practicè signaret Deum invisibiliter agere; sed non posset dare illi signo, quod esset regulariter certum: non enim potest dare certitudinem alicui signo practico, nisi in cujus potestate est posse causare signatum illius signi: solus autem Deus potest se determinare ad causandum effectum sibi proprium: ergo solus Deus potest dare certitudinem signo practico sui effectûs. Sic ergo patet, quòd à Deo solo potest institui sacramentum, quantùm ad signum certum. *Et infrà num. 6.* ibi: Quòd si hoc (signum certum) est de ratione sacramenti, uti videtur ex illa particula, *efficax*, sequitur, quòd de ratione ejus propriè dicta, à solo Deo possit institui. Si autem est de ratione ejus, &c.

Ut optimè probat Doctor.

Quibus verbis Doctor satis apertè docet solum Deum posse sacramentum instituere, quippe cùm solus virtutem habeat gratiam infallibiliter producendi ad applicationem & positionem alicujus signi, quanquàm posset committere puræ creaturæ designationem alicujus signi practici, ad cujus præsentiam ipse gratiam sanctificantem conferret: Hæc autem, ut diximus, designatio, esset duntaxat sacramentum imperfectum ex parte ipsius designantis; qui enim tale signum determi- A naret, ex se non haberet vim illud signum efficax & practicum efficiendi, sed id necessariò præstandum esset à Deo; ac subinde solus Deus potest authoritativè instituere sacramenta.

Quæ utique ratio sic formari potest. Ille tantùm authoritativè potest instituere sacramenta, qui potest virtutem sacramento tribuere, & significatum per illud effectum producere: Atqui solus Deus potest virtutem tribuere sacramento, & illius effectum, nempe gratiam sanctificantem, & peccati remissionem producere: Igitur, &c. Major constat. Minor probatur illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Deus asseritur solus gratiæ sanctificantis & justificationis author. Sic Job. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Et Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus, &c.*

Dices: Sacramenta legis naturæ erant signa pro arbitrio ab hominibus fidelibus ad suæ fidei obtestationem assumenda; sacramenta verò legis scriptæ sicut & ipsa lex Moysi consignata fuerant per Angelos: igitur sacramenta possunt institui à creaturis.

V.
Quâ ratione sacramenta legis naturæ dicantur ab hominibus instituta.

Respondeo ad primum, ex eo solùm inferri, quòd determinatio signorum sacramentalium fuerit ex voluntate humana, non verò quòd ab ea penderet sacramentorum institutio; Deus enim voluit, & immediatè per seipsum instituit, quòd homines tempore legis naturæ assumerent ad suam sanctificationem signa sensibilia, ad quorum positionem ipse gratiam produceret, non verò quòd homines illis signis tribuerent vim producendi gratiam.

Et sacramenta legis Mosaïcæ ab Angelis.

Ad secundum dico, legem & sacramenta legis Mosaicæ, ideo dici tradita per Angelos, non quòd legem istam condiderint, aut sacramenta illa instituerint propriâ authoritate; sed tantùm quòd eorum fuerint promulgatores.

Dices secundo: Qui potest producere effectus sacramenti, potest etiam instituere sacramentum: sed Ecclesiæ Ministri producere possunt effectus sacramentorum: igitur, &c. Major constat ex dictis. Minor verò probatur: Effectus sacramentorum est, ut homo purgetur à peccatis, illuminetur & perficiatur per gratiam: sed purgare, illuminare & perficere pertinet ad Ecclesiæ Ministros, ut docet S. Dionysius in lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 5. igitur, &c.

VI.
Purgare immediatè est effectus Sacramentorum, non verò solùm mediatè.

Nego minorem, & ejus probationem distinguo: Purgare, illuminare & perficere per se immediatè est effectus sacramentorum, concedo: mediatè tantùm, nego: Similiter distinctâ minore, neganda est consequentia: purgatio enim quæ attribuitur Ecclesiæ Ministris, non est immediata; illi namque idcirco purgare dicuntur, quia spiri- E tus immundos ejiciunt à cœtu fidelium, & catechismis ac sacris admonitionibus disponunt ad sacramentorum receptionem; similiter illuminant populum Dei, non quidem per se illuminando singulorum animas, aut gratiam infundendo, sed verbum Dei prædicando, & sacramenta subministrando.

Dices tertiò. Ex S. Augustino tract. 5. in Joan. circa medium: Baptismus Joannis erat baptismus hominis: sed baptismus Joannis erat verum sacramentum: igitur homo potest instituere verum sacramentum. Major est ipsius S. Augustini; ait enim: *Aliud est*, inquit, *baptizare per ministerium, aliud per potestatem; baptisma enim tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur: non qualis est ille per cujus ministerium datur: tale erat baptis-*

ma Ioannis, qualis Ioannes; baptisma tamen justi A *hominis, sed qui acceperat à Deo talem gratiam, ut dignus esset praire judicem: tale autem baptisma Domini, qualis Dominus, &c.*

Respondeo negando minorem; baptismus enim Joannis non habebat vim conferendi gratiam sanctificantem, nec remittendi peccata, ut probabimus agendo de baptismo.

Dices denique: Creatura potest designare aliquod signum, ad cujus præsentiam Deus infallibiliter produceret gratiam: sed hoc sufficit ad rationem sacramenti: igitur creatura potest instituere sacramentum. Probatur major authoritate sancti Augustini locô suprà laudatô, ubi ait, *Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice suâ, & transferre à se* B *baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo, & tantam vim dare baptismo, translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino, &c.*

VII. Quomodo sententia Doctoris cum sententia aliorum Theologiæ Principum possit accommodari.

Respondeo ad minorem cum Doctore *locô suprà laudatô num. 6.* quòd si hæc ad rationem sacramenti sufficiant, reverà quidem pura creatura poterit ex commissione Dei instituere sacramenta: & hâc ratione conciliari poterit sententia Doctoris cum opinione Doctorum Angelici & Seraphici, asserentium posse à Deo creaturæ committi virtutem & facultatem instituendi sacramenta; si nempe hæc *institutio sumatur* præcisè tantùm, ut *est designatio* formæ & materiæ C *sensibilis*, & ut præscindit à certitudine & efficacia respectu effectûs; quod utique patet, quia sic aliqui statuunt remedium legis naturæ fuisse institutum, ut in potestate cujuslibet esset assumere quamlibet rem ad potestatem fidei: Sic Christus per potestatem excellentiæ instituit sacramenta, quâ homo: & sicut Ecclesiæ data est potestas instituendi ritus, & solemnitates sacramentorum, ita potuit committi potestas designandi materiam & formam, tamen non inde sequeretur certitudo, & efficacia signi instituti, sed ex decreto Dei, quô determinaret concurrere infallibiliter ad productionem effectûs significati: D igitur signa sic instituta haberent quidem suam designationem à pura creatura, suum verò effectum à Deo, & sic creatura esset quidem auctrix institutionis signi, Deus verò esset author effectûs significati.

Nec aliud certè voluit sanctus Augustinus verbis in objectione laudatis, ut constat ex sequentibus: ait enim: *Hoc noluit ideo ut in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo. Ideo clamabat Apostolus, cùm videret homines volentes ponere spem in seipso; Numquid pro vobis Paulus crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Baptizavit ergo tanquam minister, non tanquam ipse potestas. Baptizaret autem Dominus tanquam potestas.* Qui- E bus patet sanctum Augustinum nolle eam potestatem primariam & absolutam interiùs per sacramenta sanctificandi potuisse communicari servo. Enimverò si talis concederetur, nihil prorsus sequeretur absurdi, si quis in eo spem collocaret: solùm itaque voluit potestatem sacramentalem conficiendi ac ministrandi nomine proprio conferentis, v. g. *Ego te baptizo in nomine Claudii*, vel *meum tibi confero baptisma*, potuisse quidem conferri servo, sed non fuisse conveniens, ne servus verbis ipsis deceptus in baptizante spem suam, non autem in Deo principali causa reponeret.

VIII. Quo sensu dixerit S. Augustinus Christum D. potuisse dare servo virtutem instituendi baptismum.

CONCLUSIO SECUNDA.

CHRISTUS *Dominus quatenus homo, est tantùm causa moralis & meritoria institutionis sacramentorum.* Probatur. Christus D. aliquam causalitatem habuit circa sacramentorum institutionem: sed non habuit physicam: Ergo moralem. Major patet quia, ut probabitur Concl. sequenti, ipse omnia sacramenta instituit. Minor verò probatur. Causalitas physica vel est principalis, vel instrumentalis: sed neutram habuit.

Non quidem principalem. Tum quia solus Deus est causa principalis justificationis, ut colligitur ex his Scripturæ textibus, *Iob. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Isayæ 43. & Oseæ 13. *Non est absque te Salvator.* Nec solvitur dicendo, eos textus solùm innuere Deum esse causam primam justificationis: siquidem licèt Deus sit causa prima calefactionis, ineptè tamen diceretur: Quis potest calorem facere? nonne tu qui solus es? cùm ignis pariter ad calorem efformandum concurrat.

Tum quia si Christi humanitas esset causa principalis gratiæ per sacramenta producendæ; maximè vel ex innatâ suâ virtute, vel divinitùs inditâ. Non primum: quippe cùm illius humanitas ejusdem sit speciei ac ordinis naturalis, cujus sunt cæteræ; gratia autem sit ordinis supernaturalis & cujusvis naturæ vires excedens. Non etiam secundum. Id enim haberet vel à gratia habituali, vel ab unione hypostatica. *Non primum;* aliàs quilibet justus talem habere posset fœcunditatem; quippe cùm habeat gratiam, Christi gratiæ in specie similem. Nec obstat major intensio gratiæ Christi: quia non mutat naturam & vim efficiendi; forma enim intensior id solùm habet ut intensiorem effectum possit edere; quem remissior non ederet ratione majoris resistentiæ in passo, quod in præsenti locum non habet.

Non etiam secundum, quia per illam unionem natura non mutatur substantialiter, ac proinde; nullam vim physicam accipit, quam ex se non haberet: Sed Deus ratione unionis ei tantùm assistit, quâ divinâ assistentiâ & unione fit ut humanitas sit causa moralis, meritoria & impetratoria gratiæ, quam alter justus ratione suorum operum & suæ gratiæ impetrare & obtinere non posset. Hæc autem moralis causalitas non debet immutare physicè Christi humanitatem: sed sufficit ut Deus per extrinsecum respectum eam dignam efficiat id obtinendi quod postulat; sicut regia dignitas non immutat physicè naturam Reginæ quæ aliquid à Rege obtinet ratione talis dignitatis, quod alteri non concederetur, v. g. Esther. Sic Christus *exauditus est pro sua reverentia*, inquit Apostolus; Ut autem esset causa secunda & physica efficiens ratione unionis hypostaticæ, oporteret ut aliquid reale & physicum in eam ab unione ipsa effunderetur, alioquin immutata manens physicè, nullam physicam activitatem ab unione obtineret.

Dices 1. Illa est causa principalis, cui per se assimilari debet effectus: Sed nostra justificatio in hoc consistit ut nos assimilet Christi humanitati, juxta illud ad Rom. 8. *Prædestinavit nos conformes fieri imagini* (id est humanitati) *filii sui.* Ergo, &c.

Nego majorem. Siquidem Deus uti potest tanquam instrumento gratiâ unius justi ad produ-

tendam gratiam in altero justo; & tunc effectus esset similis causæ illi morali, & in causa illa non esset principalis.

Dices 2. Quidquid est principium universale nostræ justificationis, est ejus causa principalis: Sed talis est Christus; de *plenitudine* enim *ejus omnes nos accepimus*. *Nego majorem*. Et ad minorem dico Christum ideo dici causam universalem justificationis, quia meruit ut homo omnem gratiam, quam ut Deus producit.

Vrgebis. Ex hoc plura sequuntur absurda. *Primò* enim sequitur Christum non differre à reliquis ministris, qui etiam sunt causæ instrumentariæ. *Secundò*, si solùm esset instrumentum morale, non deberet priùs esse justus & Deo gratus, instrumentum enim non debet habere formam quam in alio producit; quò fit ut etiam Sacerdos, licèt sit in peccato mortali, conferat gratiam & à peccatis solvat, quia tantùm est instrumentum. *Tertiò*, sequeretur nostram gratiam esse perfectiorem gratiâ & justificatione Christi: effectus enim semper est nobilior instrumento quô producitur.

Nego has omnes sequelas. *Primam* qoidem, quia licèt per instrumentariam virtutem non differat, differt tamen quia ipse per verum meritum de condigno impetrat à Deo gratiam; cæteri autem per nullum sui meritum, sed per sacramenti virtutem gratiam producunt. *Secundam* pariter, quia gratia & sanctitas verè prærequiritur in Christo ut verè imperret; secùs si tantùm ut Sacerdos ministraret ea ex quorum collatione gratia infallibiliter confertur. *Tertiam* denique: id enim verum est de instrumeutis physicis, non de moralibus & impetrativis; cùm enim dona iniquorum non probet Altissimus, nec peccatores exaudiat; hinc ut quis ab eo petita excipiat, justus & ei gratus esse debet.

Dices 3. Christus est justus per essentiam, habet enim sanctitatem ex propriis, non autem per participationem: Sed quod est tale per essentiam, est causa principalis cæterorum, quæ talia sunt per participationem.

Distinguo majorem. Quatenus Deus homo habet sanctitatem à se non ab alio emendicatam, concedo; quasi ejus humanitas haberet justitiam à se, non verò à divinitate mutuatam, nego. Similiter est distinguenda major. Quæ suâpte naturâ talia sunt, concedo; quæ tantùm ab alio, nego. Humanitas autem Christi suapte natura, sancta non est, sed per gratiam habitualem internam & per externam Dei assistentiam ab unione profluentem, quæ eam physicè non immutant, nec proinde aliquam efficacitatem physicam ei conferunt.

Non est etiam causa instrumentalis physica: Tum quia, ut dictum est, humanitas non habet physicam activitatem in gratiam. Tum quia, ut infrà dicetur fusiùs, nulla creatura habere potest efficacitatem naturalem erga gratiam, & ea quæ sunt ordinis supernaturalis. Restat itaque infereodum, Christum tantùm esse causam moralem & meritoriam. Meritoriam inquam; quippe cùm (inquit Doctor in 4. d. 2. quæst. 1. num. 7. ille sit causa meritoria sacramentorum, qui signis à se institutis meruit efficacitatem gratiæ producendæ: At Christus ut homo id meruit. Probatur. Deus ab hominibus offensus decreverat talem offensam non condonare, nec aliquod auxilium ad eam expiandam concedere, nisi priùs divinus honor resarciretur, justitiæque divinæ factum fuisset satis, per oblationem alicujus tantùm honoris Deo tribuentis quantùm hominis peccatum abstulerat: Sed id præstitit Christus, seipsum offerendo ut nos redimeret ab omni iniquitate; imò *ubi abundavit delictum superabundavit & gratia. ut copiosa apud eum esset redemptio*. Ergo, &c.

Confirmatur, nam omnis sacramentorum efficacitas provenit ex passione Christi: igitur est eorum causa meritoria.

IX. Efficacitas Sacramentorum provenit ex passione Christi.

Probatur antecedens ab eo sacrameuta habent suam efficacitatem, à quo habent quòd gratia ad eorum collationem regulariter & infallibiliter producatur: atqui id habent meritoriè à passione Christi. Major constat; siquidem non alia est sacramentorum efficacitas. Minor probatur. Omnis gratia hominibus conferenda, solùm confertur intuitu & virtute Christi meritorum. Unde S. Joannes: *Gratia & veritas per Iesum Christum*. Et rursus, *De cujus plenitudine omnes nos accepimus*. Ergo maximè ratione completorum Christi meritorum: Sed Christi merita non fuêre completa nisi per mortem & passionem, quæ fuit nedum vitæ passibilis terminus; sed & signaculum & complementum ejus meriti. Licèt enim nomen Jesu ei fuerit inditum in Circoncisioue & priùs ab Angelo prænuntiatum quàm nasceretur: Attamen in sola passione ejus nominis perfectam virtotem assecutus est, juxta illud Apostoli. *Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, &c.* Cùm ergo Salvatoris nomen nonnisi per mortem perfectè fuerit assecutus, inferendum est ab ejus morte nostræ salutis media, qualia sunt sacramenta, suam duxisse virtutem & originem. Idipsum indicant omnes illi sacri contextus, quibus Christus dicitur nos lavisse a peccatis nostris in sanguine suo; redemisse nos non corruptibilibus auro vel argento, sed pretiosissimo sanguine, &c.

Dices. Effectus in actu, non est nisi à causa in actu, ex Arist. 5. Metaph. 5. cap. 2. sed passio Christi non est in actu: ergu non potest tribuere efficaciam quam actu sacramenta obtinent.

Distinguit majorem Doctor. Causa efficiens & physica, concedit: moralis & meritoria, negat: Plura namque actu beneficia conferimus propter obsequia præterita, & quorum sola memoria perseverat.

Dices 2. Sacramenta haberent illam efficaciam à Christi passione vel præterita, vel futura. Non primum, aliàs Baptismus & Eucharistia non haberent illam efficaciam; quippe cùm ante passionem fuerint instituta. Non etiam secundum, alias sacramenta legis veteris parem habere potuissent efficaciam. Ergo, &c.

Respondet Doctor, habuisse à passione exhibita non quidem in actu exteriori sed interiori, quo Christus ab instanti Conceptionis se cruci & morti adjudicavit, juxta illud: *In capite libri scriptum est, &c.* Et illud. *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor donec perficiatur? &c. Resp.* 2. quòd si ministrata fuissent vivente Christo, minorem efficacitatem habuissent, tum quia cœlum non aperuissent suscipientibus; tum quia si ex tota Christi vita sit facta & integrata una oblatio ad nostram redemptionem, ex qua sacramenta nostra suam hauserunt efficaciam, certo certius est eam non ita fœcundam fuisse ex incompleta, quàm fuit ex completa per passionem oblatione.

Dices 3. Si Sacramenta haberent illam efficaciam à Christi passione, maximè vel tanquam à causa meritoria, vel tanquam à causa principali. Non

secundum; quia nihil potest esse causa principalis & efficiens sacramentorum, nisi quod potest esse causa effectûs signati per sacramenta: Sed solus Deus potest esse causa efficiens & principalis gratiæ. Neque etiam secundum; quia gratiæ nulla est causa meritoria, *si enim ex meritis, jam non est gratia*, ut arguit Paulus, Rom. 9.

Respondet Doctor esse causam meritoriam. Ad Apostolum dicit, gratiæ non esse quidem causam meritoriam de coodigno in eo qui ipsam suscipit, aliàs esset præmium, non gratia. Posse tamen in eo esse causam meritoriam de congruo; & alius pro illo qui suscipit potest mereri de coodigno; sic gratia nobis data non est gratia respectu Christi, *ei enim qui operatur merces non reputatur secundùm gratiam sed secundùm debitum*, ut loquitur Apostolus: sed est gratia respectu nostri, tum quia illius principium, nempe Christus, nobis datum est gratis, tum quia gratia ipsamet oobis gratis applicatur.

Instabis. Ergo absolutè non debet dici gratia licèt mihi coocedatur gratis, qoia est præmium alterius. *Resp*. Doctor, quòd si in rigore sumatur gratia, nullum opus Dei dici potest puræ gratiæ, nisi sola Incarnatio; quia omnia alia opera in homines à merito passionis effluont: Incarnatio verò fuit quidem accelerata, & in aliqua ratione ac persona operata propter meritum de congruo, vel Patriarcharum, vel B. Virginis; non fuit autem decreta, nisi ex pura misericordia.

Dices 4. Si sacramenta efficaciam exceperunt à Christi passione; maximè ex vulnerato ejus latere: dicit enim sanctus Aug. 15. de civit. cap. 26. *Ostium in latere arca Noë est vulnus lateris Christi ex quo sacramenta manârunt*: sed ab eo vulnere noo potuerunt habere efficaciam, quia vulnus illud inflictum fuit lateri Christi jam mortui, ac proinde incapacis meriti: igitur, &c.

Respondeo sacramenta non habere efficaciam à vulnere, sed ab operibus & passionibus Christi meritoriis dum viveret. *Vel* si à vulnere; non prout illatum est; sed prout illud prævidens Christus dum viveret, voluntariè acceptavit. Unde S. Aug. mysticè loquitur & per quandam similitudinem eorum quæ à Christi latere fluxerunt cum sacramentis; Sanguis eoim assimilatur speciei vini in Eucharistia, & aqoa quæ fluxit, assimilatur aquæ baptismali; unde dicit S. Augustinus hæc duo sacramenta ex Christi latere fluxisse.

CONCLOSIO TERTIA.

OMNIA *nova legis sacramenta sunt immediatè instituta à Christo Domino*. Hæc videtur esse de fide determinata in Concilio Tridentino sess. 7. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit sacramenta nova legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit*. Ubi quamvis particula *immediatè* expressè non habeatur; tamen Canonem de immediata institutione intelligendum esse, apertè colligitur: *Primò* quia aliàs Concilium hunc Canonem non edidisset, si ageretur solùm de institutione mediata; eam enim ultrò fatentor omnes; quippe cùm certum sit Ecclesiam nihil præscribere, maximè in iis quæ spectaot ad sacramentorum confectionem & administrationem, nisi per authoritatem sibi à Christo D. delegatam. *Secundò*, quia hic Canon additus est præsertim contra Lutheranos, qui contendebant sacramenta baptismi & Eucharistiæ tantùm esse à Christo D. instituta, ac subinde affirmabant cætera esse quidem sacros ritus ab Ecclesia ordinatos, sed negabant esse propriè dicta sacramenta. *Tertiò*, quia sess. 21. cap. 2. declarat S. Synodus hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, statueret vel mutaret ea, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret: at frustrà adderetur hæc exceptio, *salvâ illorum substantiâ*, si illa non à Christo, sed ab Ecclesia fuissent iostituta; enim verò si illa instituisset Ecclesia, illorum quoque substantiam mutare posset; ejusdem enim est potestas, & leges ferre & approbare. *Quartò* deniqoe, si difficultas foret de immediata institutione alicujus sacramenti à Christo D. maximè de Extrema-Unctione, quam à S. Jacobo institutam esse nonnulli contendunt, ex capite 4. [illegible]s epistolæ Canonicæ: sed Concilium Tridentinum sess. 14. Can. 1. de sacramento Extremæ-Unctionis, decernit: *Si quis dixerit Extremam-Unctionem non esse verè & propriè sacramentum, à Christo D. N. institutum & à B. Iacobo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

X. Christus D. omnia novæ legis sacramenta immediatè instituit.

Vt definitur in Concilio Trid.

Colligitur pariter hæc veritas è Scriptura sacra; nam S. Paulus 1. ad Cor. 4. ait: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, id est sacramentorum: sed si sacramenta quædam instituissent Apostoli, non essent tantùm dispensatores, sed etiam authores & institutores mysteriorum Dei: igitur, &c. *Deinde* Actor. 1. Christus D. dicitur post Resurrectionem, per dies quadraginta apparuisse Discipulis, cum eis conversatum, & locutum esse de regno Dei, id est de Ecclesia ædificanda, & administranda: sacramenta autem pertinent imprimis ad ædificationem & administrationem Ecclesiæ.

Colligitur ex Scriptura.

Unde præclarè S. Leo serm. 1. de Ascensione Domini, scribit: *Hi dies qui fluxerunt inter Domini Resurrectionem & Ascensionem, non otiosè transiere decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria.*

Hoc ipsum luculenter confirmat subtilis Doctor in 4. *d.* 2. *quæst.* 1. *num.* 4. obi ait: Omnia sacramenta instituta sunt à Christo vel à Deo pro tempore istius legis. Quod breviter ostendo hîc quia de singulis in locis eorum propriis pleniùs apparebit. De *Baptismo* patet quòd fuit iostitutus à Christo vivente: quia Discipuli baptizabant, ut patet *Ioan*. 3. & præceptum fuit ut publicè prædicaretur. Matth. ult. *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* De *Eucharistia* patet ejus prædicatio diffusa, *Ioan*. 6. sed institotio io Cœna. *Matth*. 6. De Confirmatione patet institutio. *Ioan*. 20. *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Vel in die Pentecostes, *Act*. 2.

Vt optimè demonstrat, subtilis Doctor.

De *Pœnitentia* dicitur quòd est instituta *Iacob*. 5. *Confitemini alterutrum, &c.* Sed hoc non videtur probabile ex processo litteræ, quia statim sequitur: *Orate pro invicem, &c* Manifestum est enim quòd per illud sequens non iotendebat aliquod sacramentum instituere, nec promulgare: nec etiam erat apud Jacobum authoritas instituendi aliquod sacramentum, sicut pòst tangetur in ratione ponenda ad istam conclusionem. *Melius* ergo est, ut dicatur institutam fuisse. *Ioan*. 22. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Et promissam. *Matth*. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque liga-*

veris, &c. Ista enim potestas non erat principaliter dimittendi peccata, quod est Dei proprium: sed arbitrandi de dimissione peccati, arbitriô à Deo approbatô, sic autem arbitrari, est in foro pœnitentiæ solvere vel ligare.

De *Extrema Unctione* dicitur quod *Iacob.* 5. *Infirmatur quis in vobis? &c.* Sed licèt ibi promulgaverit sacramentum, est melius dicere, quòd fuerit institutum à Christo. Legimus enim *Marci* 6. quòd Apostoli ungebant oleô multos infirmos, & sanabantur: constat autem quòd hoc non fecerunt, nisi in virtute Christi, qui instituerat illam unctionem virtuosam.

De *Matrimonio* apparet *Matth.* 19. *Non legistis* (ait Christus) *quia masculum & fœminam fecit eos*, supple Deus, & dixit, supple os Adæ. *Quamobrem relinquet homo? &c.* ubi Christus approbat & ratificat id quod Deus in statu innocentiæ, per os Adami publicavit.

De Ordine, *Matth.* 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et *Ioan.* 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Hæc enim duo pertinent ad Ordinem Sacerdotalem, scilicet potestas, respectu corporis Christi veri, & potestas respectu corporis Christi mystici, ut dicetur in materia de Ordine.

Quòd autem hæc omnia à solo Deo fuerint instituta, patet per illud, quod tactum est in generali de institutione sacramenti. Nulli enim competit signum instituere practicum, nisi vel respectu alicujus actûs sui proprii, vel respectu alicujus, qui subest sibi, quantùm ad illum actum; sacramentum autem est signum practicum respectu effectûs Dei propriè, & Deus non potest in actu sibi proprio, alicui alii subesse: Ergo, &c. *Hæc Doctor.*

Docetur à SS. Patribus. Eandem veritatem docent SS. Patres, maximè S. Dionysius, qui in Ecclesiast. Hierarchia cap. 1. ait: *Apostoli sacramentorum formas accepêre, non confinxêre:* Sed aliunde non potuerunt accipere, quam a Christo: igitur, &c.

Similiter S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis c. 4. ait: *Author sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus?* Et S. Augustinus lib. de vera Religione cap. 17. *Ubi*, inquit, *venit tempus gratiæ, ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, &c.*

Suadetur etiam triplici ratione, seu congruentiâ; decens enim erat, ut omnia sacramenta, quæ sunt efficacia media ad salutem consequendam, ab eo ortum ducerent, qui est reverà Mediator Dei & hominum, ne videlicet in alio, quàm in ipso Mediatore homines suam spem constituerent. *Ratione suadetur.* *Secundo* ne divisio & schisma in Ecclesia fieret, propter diversa sacramenta à diversis instituta; si enim facta fuerit inter fideles contentio, ex eo quòd qui baptizati fuerant ab Apostolis, se præferendos esse existimarent iis, qui duntaxat à Discipulis baptismum susceperant, ut observat Apostolus *1. ad Cor.* 1. objurgans eos, quòd dicerent, *Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo, ego verò Cephæ*, licèt omnes in Christi baptismate fuissent baptizati; at quantò magis fuissent invicem divisi, si à diversis diversa suscepissent baptismata? *Denique*, cùm ad caput Reipub. pertineat condere leges fundamentales, & quæ vim habeant in tota Repub. cujusmodi sunt leges sacramentales, eò ipsò quòd essent plures sacramentorum institutores, essent etiam plura capita in Ecclesia, quod utique absurdum & periculosum esset.

Dices primo: Christus D. *Ioan.* 20. Discipulos alloquens ait: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos:* atqui ille ita missus est à Patre, ut habuerit potestatem instituendi sacramenta: ergo eandem Apostolis delegavit.

XI. *Christus D. non omnem quam accepit à Patre potestatem dedit Apostolis.* *Distinguo majorem:* Quantùm ad aliquid, nempe quoad munus reconciliationis hominum, & extensionem remissionis peccatorum, concedo: quia ut dicebat S. Paulus, *Pro Christo legatione fungimur:* quantùm ad omnimodam authoritatis plenitudinem, nego: Alioquin sequeretur, quòd quemadmodum Christus D. potuit remittere peccata absque ulla sacramentorum interventione, ita etiam peccata sic remittere potuerint Apostoli.

Dices secundò: Author quisquis est sermonis in Cœna apud S. Cyprianum, agens de ablutione pedum, ait: *Ipse summus Sacerdos sui est sacramenti institutor & author, in cæteris homines Spiritum sanctum habuere Doctorem, & ut par est Spiritui S. & Christo divinitas, ita suis in institutis par est authoritas & potestas, nec minus ratum est, quod dictante Spiritu S. Apostoli tradidêre, quàm quod ipse Dominus tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit:* Ergo censet Christum D. solam Eucharistiam immediatè instituisse.

XII. *Quô sensu Christus D. dicatur sui sacramenti institutor.* *Respondeo primò* negando consequentiam: Christus enim ideo dicitur institutor & author Eucharistiæ præ cæteris sacramentis, quia priùs eam celebravit; nec tantùm instituit, sed etiam exhibuit & accepit: alia sacramenta non item. Hæc enim Apostoli jam à Christo instituta contulerunt & acceperunt.

Respondeo secundò, Authorem illum per *Sacramentum Christi* intelligere non solam Eucharistiam, sed etiam alia sacramenta; per *ly* verò *in cæteris*, intelligere cæremonialia, quæ non à Christo immediatè, sed ab Ecclesia fuêre instituta, ut explicant Bellarminus, Gravina & alii. Addo, præfatam authoritatem non favere hæreticis, cùm illi doceant, non solùm Eucharistiam, sed etiam baptismum à Christo immediatè fuisse institutum.

Dices tertiò: Ex S. Augustino epist. 118. *Christus levi suo jugo nos subdidit, & sarcina levi; unde sacramentis numerò paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, ut est baptismus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid in Scripturis Canonicis commendatur: illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ totò terrarum orbe servantur, intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata & statuta retineri:* *Nota.* Ergo Christus ea solùm instituit immediatè sacramenta, quæ commendantur in Scripturis, alia sunt ab Apostolis instituta.

XIII. *Quare sacramentorum forma & virtus non sint scripta.* *Nego consequentiam:* Omnia quippe sacramenta commendantur in Scripturis saltem implicitè. *Secundò*, multa de sacramentorum materia & forma Christus immediatè tradidit Apostolis, & ipsi suis Successoribus, quæ scribere noluerunt, ne vilescerent apud imperitos & profanos. Nam ex S. Augustino epist. 57. *Nosti in quo sacrificio dicatur: Gratias agamus Domino Deo nostro.* Ex 3. Hierarchiæ Ecclesiasticæ. *Vide ne Sancta Sanctorum enunties, sed venereris potius; nec ea minus perfecta tradas, sed cum iis solis, qui sacri sunt communices.* Et cap. 7. *Consecratorias invocationes nefas est seipsò interpretari, & arcanum earum sensum, virtutesque, quas in iis Deus operatur secretò,*

in publicum efferre. Quare quæ dicit S. Augustinus *Apostolis aut Conciliis statuta custodit*, sunt Ecclesiasticæ cæremoniæ, potà quòd Domini Passio, Resurrectio, Ascensio in cœlum, & adventus de cœlo S. Spiritûs anniversarià solemnitate celebrentur, etsi quid aliud universa servat Ecclesia.

Urgebis: Idem S. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 19. ait: Postquam resurrectione Christi manifestum nostræ libertatis indicium illuxit, ne eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi sumus onerati, sed pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica nobis tradidit disciplina: igitur ex ejus mente non solùm Christus, sed & Apostoli sacramenta tradiderunt, & instituerunt.

Distinguo majorem: Ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina, nempè Dominus instituendo, Apostolica autem disciplina commendando & dispensando quod Christus instituit; concedo: quasi Christus ipse duntaxat quædam sacramenta, Apostolica verò disciplina cætera instituerit, nego. Et similiter distinctâ minore, nego consequentiam.

XIV. Qua ratione aliqui Doctores negent omnia sacramenta à Christo D. instituta.

Dices quartò: Plurimi sunt Doctores Catholici, qui disertè asserunt aliqua sacramenta vel ab Apostolis, vel in Conciliis esse instituta. Nam Hugo Victorinus lib. 2. de sacramentis, p. 15. cap. 2. expressis verbis habet, Sacramentum Extremæ-Unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur; Jacobus enim Apostolus in epistola sua scribens sic ait: *Infirmatur quis in vobis? &c.* Idem de sacramentali Confessione censet S. Bonaventura in 4. dist. 17. art. 1. quæst. 3. Confessio, *inquit*, fuit à Domino insinuata, & ab Apostolis instituta, ab Episcopo Jerosolymitano sancto Jacobo promulgata in epist. sua cap. 5. ubi ait: *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Quam utique assertionem sic probat: Quia, *inquit*, confessio hominis est opus purè humanum: Unde non est data virtus sacramenti ipsi confessioni, sed absolutioni: ideo rectè hominibus puris institutio debuit reservari. Ex his quæ dicta sunt, quatuor possunt rationes elici, quare Dominus immediatè confessionem, & expressè non instituit. *Prima* quidem, quia non oportuit. *Secunda* verò, quia in hoc voluntariam esse debere docuit. *Tertia*, quia est sacramentum recidivantium. *Quarta*, quia quantùm est de se, est opus humanum. Unde credo, quòd per se non instituit: etsi dicatur instituisse, hoc est intelligendo, insinuando, & authoritatem dando.

Insuper Alensis noster quæst. de sacramento Confirmationis memb. 1. ait: Dicunt alii hoc sacramentum fuisse institutum à Domino, & collatum: ut pote quando manus super pueros imposuit. *Matth.* 19. Sed quia in illa impositione manuum non expressum est aliquid de forma verborum, vel de materia; quâ mediante hoc sacramentum exerceretur, patet quòd non fuit à Domino institutum.

Dicunt alii, quòd hoc sacramentum fuit institutum ab Apostolis, collatum & ministratum: quod non est verum: & hoc patet per hoc quod Apostoli confirmabant solâ impositione manuum sine inunctione, & sine forma verborum, quâ utitur Ecclesia.

Propter hoc sine præjudicio dicendum, quòd Dominus neque hoc sacramentum, ut est sacramentum, instituit, neque dispensavit, neque Apostoli. Intelligendum est igitur, quòd post Ascensionem Domini congruebat Apostolos confirmari, & illis Spiritum sanctum dari ad robur; Unde *Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Non, *inquam*, in plenitudine, vel ad robur, sed fuit datus die Pentecostes: unde Apostoli confirmati sunt à Spiritu S. immediatè sine ministerio & sacramento: & ipsi deinde confirmabant sine sacramento. Quare hoc? Infrà patebit. Sed postquam Apostoli, qui erant bases Ecclesiæ, qui à Domino erant prælati, & Spiritu sanctô confirmati, defecerunt: institutum fuit hoc sacramentum sancti Spiritûs instinctu, in Concilio Meldensi quantùm ad formam verborum, & materiam elementarem, cui etiam Spiritus S. contulit virtutem sanctificandi. *Idem* docet S. Bonaventura in 4. d. 7. quæst. 1.

Respondeo primò, nomine *institutionis* sacramentorum illos authores eorum promulgationem & ministrationem intellexisse; quod autem nonnulli de Confirmatione cum Alensi censent, illam in Concilio Meldensi celebrato annô 844. fuisse institutam, nullâ ratione firmari potest: cùm nequidem ullum verbum institutionis, vel promulgationis in Canonibus illius Concilii habeatur. Si enim spectemus Acta Concilii, prout referuntur tom. 3. Conciliorum Galliæ, duo tantùm Canones habentur de Chrismate, nempe 45. & 46. In *primo* prohibetur ne quis propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat: In *secundò*, ne quis sacrum chrisma, nisi in feria 5. majoris Septimanæ conficere præsumat. Si autem attendamus ad caput *ut Episcopi*, à Gratiano ex Concilio Meldensi citatum de consecratione, dist. 5. præcipitur tantum ut Episcopi, nonnisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant. Nulla autem fit mentio de institutione.

XV. In Concilio Meldensi non fit mentio institutæ Confirmationis.

Respondeo secundò, quòd olim respondebat S. Augustinus Donatistis objicientibus authoritatem sancti Cypriani de nullitate Baptismi ab hæreticis collati, libro 2. contra Cresconium cap. 30. *Non accipio*, inquit, *quod de baptizandis hæreticis & schismaticis B. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Quænam sit Sacramentorum efficacitas & virtus?

I.

NOtandum primò, circa sacramentorum efficacitatem ac producendi virtutem variè erratum esse tum à veteribus, quum à Recentioribus hæreticis. Refert enim sanctus Augustinus lib. de hæresibus hæresi 46. *Manichæos* negasse sacramentis vim justificandi; *Baptismum*, inquit, *in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant.* PAULICIANI quoque, teste Euthymio lib. 2. Panopliæ, cap. 21. docuerunt baptismum nullatenus animæ prodesse; quamvis aliquam utilitatem afferret corpori, *Liberos*, inquit, *suos ab Ecclesiæ Presbyteris salutari baptismo volunt aliquando lustrari; existimant enim crucem & baptismum corpori prodesse; quorum tamen vim ad animæ purgationem pervenire non putant, nec ullam aliam afferre activitatem.* Similiter *Massaliani* seu *Messaliani*, referente S. Damascenô lib. de centum hæresibus circa finem, emendationem animæ solis precibus aiebant fieri; nec baptismum homi-

Circa sacramentorum efficacitatem erraverunt Manichæi. Pauliciani. Messaliani.

nem perficere, neque divina sacramenta animi sordes expiare, sed ad id conferre solas preces, quæ ab homine funduntur; hinc *Euchytæ*, hoc est, *precatores* dicti sunt: quia ex Theodoreto lib. 4. hæreticarum fabularum cap. 11. salutis perfectionem solis precibus tribuebant, rati baptismum auferre solùm peccata novaculæ instar, non autem peccatorum radices, quas, aiebant, oratione solâ, funditus evelli; malumque dæmonem unicuique ab initio assignatum penitus ab animo expelli. Vocabantur etiam *Enthusiastæ*, quòd alicujus dæmonis in se vim admitterent, quam sancti Spiritûs præsentiam appellabant. Tandem *Armenii* distinguentes inter remissionem peccatorum, & gratiam, fatebantur per sacramenta remitti peccata, negabant tamen per ea gratiam, sive quodlibet aliud bonum justificans conferri, ut asserit Guido Carmelita lib. de hæresibus cap. 16.

Amenii.

Quantum autem ad recentiores hæreticos, non una eademque, sed multiplex fuit eorum circa Sacramentorum efficacitatem sententia: nam Sacramentarii & Anabaptistæ omnimodam eis gratiæ productionem denegant. Quod autem pertinet ad Lutherum & Calvinum, si eorum verba spectes, aliquando nobiscum consentire, aliquando verò dissentire videntur; reverà tamen à nobis penitus discrepant; neque enim aliam causalitatem astruunt in sacramentis, quàm vel obsignationis, vel rememorationis, non autem veræ productionis gratiæ; ita quòd velint quidem per sacramenta excitari & nutriri fidem, per quam homo divinas promissiones comprehendat; cujus apprehensionis beneficiô justificetur per fidem. Unde Melancthon in apolog. Confessionis Augustanæ circa articul. 5. & 13. audacter pronuntiat: *Damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent quòd sacramenta non ponentibus obicem conferunt gratiam ex opere operato sine bono motu utentis. Hæc simpliciter Judaïca est opinio, quòd per cæremonias justificamur sine bono motu cordis, hoc est sine fide, & tamen hæc impia & perniciosa opinio magnâ authoritate docetur in toto Regno Pontificio.* Qui quidem errores ut confutentur, & Catholica doctrina ab impia hac hæreticorum criminatione & calumnia vindicetur, tria hîc statuenda sunt: *Primum*, quòd sacramenta producant gratiam sanctificantem ex opere operato: *Secundum*, qualiter eam producant, utrum per physicam activitatem, an verò duntaxat per moralem: *Tertium*, qualem gratiam producant & conferant, quæ ut evidentiora fiant.

Anabaptistæ. Lutherani. Calvinistæ.

Status quæst.

II. Quid sit agere ex opere operato.

Notandum secundò, quòd cùm dicitur gratiam produci ex *opere operato*, nihil aliud significatur, quàm ipsam produci virtute operis externi eliciti; duplex enim humanum opus distingui potest, externum videlicet & internum; externum autem se habet veluti passivè, quia ab interno imperatur, & suum valorem ac meritum obtinet, unde Theologi sumpserunt ansam distinguendi duplicem operandi modum, nempe ex opere operantis, & ex opere operato. Tunc dicitur aliquis agere ex *opere operantis*, quando producit effectum ex vi & efficacia operis interioris, putà cùm quis gratiam sanctificantem obtinet virtute contritionis aut alterius dispositionis: dicitur verò agere ex *opere operato*, dum scilicet aliquem exercet actum exteriorem, virtute cujus producatur gratia, etiamsi nulla in suscipiente esset ad gratiæ susceptionem efficax dispositio, dummodò ex parte ipsius nullus adsit obex.

Itaque conferre gratiam ex opere operato, est eam conferre ratione operis exterioris, seu collationis sacramenti, non autem ratione actûs interioris suscipientis aut ministrantis: vel quod idem est, ipsam conferre non ratione meriti, sed ultra meritum suscipientis, & solùm ratione operis exterioris suscepti. Non quòd velimus sacramenta conferre gratiam adultis absque ulla eorum dispositione; quemadmodum nobis perperam imponunt Melancthon, & Calvinus lib. 4. Instit. c. 14. §. ubi fingit sensum hujus controversiæ esse. *Num sacramenta gratiam conferant sine fide, aut bono motu cordis, vel dispositione suscipientis?* Contrarium enim apertè tradit Concilium Tridentinum sess. 6. ubi docet ad gratiam sacramentalem percipiendam in adultis prærequiri fidem, pœnitentiam, devotionem, &c.

Neque est quòd Calvinus ibidem §. 14. irrideat hæc vocabula *ex opere operato*, eaque appellet monstra verborum, & nova commenta; si enim teste Horatio de arte Poëtica.

Multa renascentur, quæ jam cecidêre, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.

Et Cicerone scribente in Tusculanis: *Usus multa vocabula adinvenit, & inventa antiquavit.* Certè usus plusquam 400. annorum pro hac voce præscripsit; siquidem eam reperimus ab Innocentio III. usurpatam lib. 3. de mysterio Missæ cap. 5. ubi scribit. *Non ergo Sacerdotis iniquitas effectum impedit sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicinæ corrumpit; quamvis igitur opus operans aliquod sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.* Neque inusitatum est ac insolitum nova cudere verba, & contra Grammaticæ regulas, verbum deponens in passivum commutare: hujus enim praxis fundamentum habemus in epistola ad Hebræos cap. 3. his verbis: *Talibus hostiis promeretur Deus*, ubi verbum deponens *promeretur* passivè sumitur. Unde in simili S. Augustinus in Psal. 138. maluit dicere ossum ossi, quam *os ossis*, ut nempe faciliùs intelligeretur à populo: *Melius est enim*, inquit, *ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi.*

Quàm imperitè hæc vocabula irrideat Calvinus,

Notandum tertiò, duplicem distingui posse causam productivam alicujus rei: unam physicam, aliam moralem. *Physica* dicitur, quæ per actionem realem attingit ipsius rei entitatem & productionem; *Moralis* verò, quæ non attingit effectum per actionem suam, sed vel applicando activa passivis, sicut medicus dicitur causa sanitatis: vel inducendo agens ad agendum precibus, consiliis, imperiô, prohibitione, propositô præmiô & similibus. *Rursus* utraque causa est duplex, nempe principalis & instrumentaria: *Principalis* physica est, quæ per se effectum attingit, & independenter ab influxu alterius causæ, licèt aliam in effectûs producendi consortium admittat: *Moralis* verò principalis ea dicitur, quæ principaliùs & efficaciùs movet ad effectûs productionem: v. g. Princeps qui præcipit ærarii Præfecto, ut centum aureos alicui largiatur, dicitur causa principalis ejusmodi largitionis. Causa *Physica instrumentalis*, ea est quæ non operatur per virtutem formæ sibi inexistentis, sed solùm per motum, quô movetur à principali agente: *Moralis* verò instrumentalis dicitur organum quô principalis causa utitur ad effectum producendum: v. g. epistola regiâ manu scripta ad ærarii Præfectum, ut largiatur centum aureos, est causa moralis instrumentaria ejusmodi dona-

III. Duplex est causa productiva. Physica & Moralis.

Rursus alia principalis & instrumentaria.

tionis; quia est instrumentum quò utitur Princeps ad talem *effectum*; principalis autem moralis est voluntas Principis. Quæritur autem qualiter sacramenta producant gratiam: utrum videlicet per modum causæ physicæ aut moralis; principalis aut instrumentariæ: cùm autem sacramenta diversa sint, & alia aliis præstantiora, etiam statuendum est utrum majorem aut æqualem gratiam in subjectis æqualiter dispositis producant.

Conclusio Prima.

IV.
Sacramenta producere gratiam definitur in Conciliis,
Nicæno.
Florentino.

SACRAMENTA *novæ legis producunt gratiam ex opere operato, seu vi suâ, ut causa instrumentaria.* Hæc est de fide determinata in Conciliis; Primò quidem Nicæno ab Alphonso Pisano linguæ Latinæ reddito, ubi lib. 3. Constitutionis de S. Baptismate sic habetur: *Baptisma nostrum,* inquit, *non oculis corporeis considerandum est, sed mentis oculis; aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam; descendit qui baptizatur reus peccatorum, & ascendit liberatus ab hac servitute & peccato, factus filius Dei & hæres ejus gratia.* Idem expressè tradit Florentinum in decreto Eugenii, ubi decernitur septem esse novæ legis sacramenta, *quæ multùm differunt à sacramentis veteris legis; illa enim non causabant gratiam; sed solùm per passionem dandam esse significabant; hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.*

Et Tridentino.

Sed omnium clarissimè Tridentinum sess. 7. Can. 6. de Sacramentis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi & signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, & justitiæ, & notæ quædam Christianæ perfectionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Et Can. 7. *Si quis dixerit per ejusmodi sacramenta non dari gratiam semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ea ritè suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.* Et Can. 8. *Si quis dixerit per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed ipsam fidem solam divinæ promissionis ad gratiam conferendam sufficere, anathema sit.* Idem colligitur ex Symbolo Constantinopolitano & Nycæno, ubi definitur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.*

V.
Et colligitur ex Scriptura.

Probatur primò hæc veritas, ex iis omnibus Scripturæ textibus, quibus gratia per Sacramenta conferenda aut collata declaratur: *Primò* quidem, id constat de baptismate; scriptum est enim Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Quibus verbis regeneratio & nativitas spiritalis tribuuntur Spiritui sancto, tanquam causæ principali; aquæ verò tanquam causæ instrumentali; aqua enim conjungitur cum Spiritu sancto tanquam causa hujus regenerationis, quod maximè denotatur per particulam *ex*; illa namque causalitatem aliquam indicat, ut nôrunt Grammatici.

Præcluditur inanis Calvini evasio.

Respondet Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 16. num. 27. per aquam significari Spiritum sanctum: Aquam ergo, inquit, & Spiritum simpliciter accipio pro Spiritu, qui aqua est. Neque » hæc est nova locutio; prorsus enim cum illa, quæ » 3. Matth. cap. habetur convenit: Qui sequitur » me, ille est qui baptizat in Spiritu sancto & igne. » Quemadmodum ergo Spiritu sancto & igne ba» ptizare, est Spiritum sanctum conferre, qui in A regeneratione ignis officium naturamque habet: « ita renasci aquâ & Spiritu, nihil aliud est quàm « vim illam Spiritûs recipere, quæ in anima id facit, « quod aqua in corpore. «

Verùm, Hunnius Lutheranus lib. de Baptismo cap. 10. meritò hanc Calvini interpretationem vocat *profligatam temeritatem, & diaboli glossam contortam*; siquidem hæc directè militat in alios Scripturæ textus, quibus peccatorum remissio, & hominis justificatio ipsi baptismati tribuitur. Sic Act. 20. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi in remissionem peccatorum,* ubi particula *in* cum accusativo casu denotat in quem finem, & ad quem effectum & fructum ejusmodi B fiat ablutio, & prætereà denotat baptismum antecedens ad justificationem; ac proinde non est illius tantùm sigillum & signum connotativum, vult ut Calvinus.

Hinc Ananias aiebat Paulo Act. 22. *Baptizare, ablue peccata tua in nomine ejus.* Unde ipsemet sanctus Paulus ad Ephes. 5. Baptismi efficacitatem instrumentalem explicans, ait: *Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et ad Titum 3. *Per lavacrum regenerationis salvos nos fecit.* In quibus locis mundatio & salus assignantur ut effectus lavacri aquæ.

C Idem constat de Eucharistia; nam Joan. 6. scribitur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si autem Eucharistia solùm esset signum gratiæ, non autem illam conferret, non minùs absona & ridicula foret ista locutio, quam siquis diceret: Nisi quis biberit ex hedera vinum venale significante, non explebit sitim. Similiter 1. ad Cor. 10. Apostolus infert, fideles unum esse unitate charitatis; *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus*, si autem ejus ratio constitutiva unitatis corporis est participatio unius panis, manifestum est, quòd hæc unitas sit effectus talis participationis, proindeque charitas, per quam fit illa compago, D attribuitur sacramento corporis Christi, tanquam effectus causæ suæ.

Idem constat de cæteris sacramentis: nam de *Pœnitentia* legimus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De *Ordine* ad Titum 2. *Vt suscites gratiam quæ in te est per impositionem manuum mearum.* De *Extrema-Vnctione* Jacobi 5. *Oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* De *Matrimonio* autem, licèt non ita sit evidens & apertum testimonium, id tamen colligitur ex cap. 5. ad Ephes. ubi dicitur *Magnum sacramentum*, ut nempe denotetur eandem esse illius, ac cæterorum sacramentorum efficaciam.

VI.
Probatur etiam ratione.

Eandem similiter veritatem probare licet variis E argumentis petendis ex doctrina SS. Patrum: *Primò* quidem ex eo quòd asserant, nonnisi fide inveniri posse, ac intelligi, qualis quantaque sit sacramentorum operatio, quæ infirmiorem ingenii aciem naturalem superet. *Mirandum*, inquit Tertullianus lib. de Baptismo cap. 2. *& lavacrò dilui mortem, at quin eò magis credendum, si quia mirandum est, idcirco non creditur: qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus.* Similiter sanctus Chrysostomus homil. 24. in Joan. 4. *Quæ quotidiè videmus*, inquit, *ac tangimus, fide indigent, quantò magis arcana illa & spiritualia?* Hinc trita illa sancti Augustini exclamatio tract. 88. in Joan. *Vnde tanta virtus aquæ, ut*

1. Quia sunt mirandæ virtutis.

corpus

corpus tangat & cor abluat: At nisi aqua baptismalis concurreret ad gratiæ prodoctionem, sed ad ejus tantùm præsentiam homo de excitanda fide provocaretur, nihil in ea mirum, nihilque exclamatione dignum appareret: igitur, &c.

2. Quia baptismus vim habet efficiendi generationem spiritualem.

Secundo idem suadetur ex variis similitudinibus, quibus utuntur SS. Patres ad declarandam regenerationem, quæ fit per aquam baptismatis; nam S. Chrysostomus homil. 25. in Joan. eam assimilat utero materno: *Quod est*, inquit, *matrix embrioni, hoc est fidei aqua; siquidem in aqua gignitur & formatur.* Item ibidem baptismum comparat aquis, quibus initiô mundi jussit Deus, ut reptilia producerent: *Primum enim*, inquit, *dictum est: Producant aqua reptile animæ viventis: at ex quo Christus alveum Jordanis ingressus est, non amplius animarum viventium reptilia, sed animas rationales & spiritales aqua producit.* Sanctus autem Leo serm. 4. de Nativit. Domini, baptismum comparat utero B. Virginis: *Omni homini renascenti aqua*, inquit, *baptismatis, instar est uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem, ut peccatum, quod ibi vacuaverat sacra Conceptio, hic mystica tollat ablutio.* Unde etiam nonnulli è SS. Patribus dicunt, quòd quemadmodum Spiritus sanctus supervenit in Virginem, ut conciperet Christum Filium Dei, ita mysticè supervenit in aquas baptismatis, ut eis vim conferat producendi filios Dei adoptivos: *Supervenit* (inquit Tertullianus lib. de Baptismo cap. 40.) *Spiritus de cœlis statim, & aquis superanatat, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificata vim sanctificandi combibunt.* Idem docet S. Hieronymus, Dialog. adversus Luciferianos, non longè ab initio: *Prius*, inquit, *ipsa aqua lavatur ex Spiritu, ut alios lavare spiritualiter possit.* Et sanctus Cyrillus Alexandrinus, *Quemadmodum viribus igni intensius aqua calefacta, non aliter arit quàm ipse ignis, sic Spiritûs sancti operatione, aqua, quâ baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem & potentiam*; quæ certè omnes, & aliæ similes loquendi formulæ irritæ forent & nullæ, si Baptismi sacramentum nullâ ratione concurreret ad gratiam producendam.

3. Quia sanctificat infantes.

Tertiò, eadem veritas apertè constat ex eo quòd Baptismus infantibus collatus remittat peccatum originale, eis gratiam sanctificantem conferat, ipsosque si ante adeptum rationis usum ex hac vita migraverint, ad regnum cœlorum perducat, ut contra Pelagianos passim docet sanctus Augustinus: sed isti mirandi effectus non possunt tribui efficacitati fidei ipsorum infantium, ac subinde duntaxat sacramentorum virtuti.

Reponunt Lutherani & Calvinistæ, pro eo tempore, quô baptizantur parvuli, eis divinitus concedi usum rationis. *Verùm*, hæc responsio potius digna est risu, quàm impugnatione: quis enim credat Deum istud miraculum operari, cùm illius nec Scripturæ, nec SS. Patres ullatenus meminerint?

4. Quia eorum efficacitas à SS. Patribus commendatur.

Denique, eadem veritas apparet ex præclaris elogiis; quibus SS. Patres Baptismi efficaciam commendant: Sic sanctus Ambrosius lib. de Initiandis cap. 4. *In illo*, inquit, *mundi consepultus elemento; peccatô mortuus, est ad vitam ressuscitatus æternam.* Theodoretus in epitome divinorum decretorum cap. de Baptismo: *Donum baptismi non solum remissionem dat vestrorum peccatorum, sed spem etiam ingerit promissorum bonorum, mortisque dominicæ, & Resurrectionis efficit participes, & doni Spiritûs sancti participationem largitur, & filios Dei reddit, ac hæredes Dei, & cohæredes Christi; non enim, ut amentes Messaliani putant, novaculam tantùm imitatur auferens peccata.*

Reponunt hæretici, SS. Patres loqui de sacramentorum efficientia, per excitationem fidei.

Verùm contra, primò plerique scribunt Evangelica sacramenta è perfosso Christi latere fluxisse, Christumque baptizari voluisse, ut mundissimæ carnis suæ tactu mundandi vim aquis daret, ut Ambrosius lib. 2. in Lucam: At si tantùm excitando fidem, & non efficiendo gratiam influeret, ut concio seu tabella, repræsentando fidei mysteria, non rectè dicerentur è Christi latere fluxisse, ut nec concio, seu tabella dicitur indefluxisse; nec Christus magis dicitur aquæ vim ullam dedisse, carnis suæ tactu, quàm sacris concionibus. Non haberent etiam Evangelica sacramenta quid amplius, quàm Mosaïca in gratia conferenda: quia Mosaïca fidem etiam excitabant: at Patres nostra sacramenta distinguunt à veteribus, quòd nostra producant gratiam, quam antiqua significabant tantùm.

Ratio est, quia fides ex hæreticis, est verè causa salutis & gratiæ: sed ex Scriptura sacramenta novæ legis eódem modô causa gratiæ dicuntur ac fides: nam dicitur de fide Lucæ 7. *Fides tua te salvam facit.* Joan. 5. *Qui credit ei, qui me misit, habet vitam æternam.* Act. 7. *Fide purificans corda eorum.* Rom. 4. *Arbitramur hominem justificari per fidem.* Rom. 9. *Justificati ergo ex fide.* De sacramentis Baptismi & Eucharistiæ dicuntur eadem iisdem verbis 1. Petri 3. *Vos salvos facit baptisma.* Joan. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Tit. 3. *Salvos vos facit per lavacrum regenerationis.* Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.*

Objiciunt hæretici varios Scripturæ textus, quibus evincere conantur hominem non justificari per sacramenta suscepta, sed per fidem & devotionem suscipientis: Primò quidem, quia Abacuc 2. Rom. 1. & Hebr. 10. *Justus ex fide vivit:* non vivit autem ex sacramentis: ergo sacramenta dici non possunt justificare.

VII. Qualiter justus dicatur vivere ex fide.

Distinguo majorem: Justus ex fide vivit, id est, per fidem præstolatur & expectat vitam æternam sibi à Deo promissam, nec frangitur aut deficit, etsi eam retardari videat, ob fidem quam habet, concedo: hinc Abacuc ait: *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: Justus autem in fide sua vivet.* Apostolus similiter ad Hebr. 10. ait: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem: adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est, veniet, & non tardabit; justus autem meus ex fide vivit.* Id est, sola fides confert ad justitiæ vitam, nec ad eam per se quidquam conferunt sacramenta, nego: falsum enim est, quòd fides gratiam sanctificantem producat, & ad justificationem per se solam conferat, ut diximus disp. de fide.

VIII. Quid velit Apostolus per *verbum vitæ*.

Objiciunt secundò illud ad Ephes. 5. ubi Christus dicitur mundasse Ecclesiam *lavacrô aquæ in verbo vitæ:* sed per *verbum vitæ* nihil aliud intelligitur, quàm verbum, quod fide conceptum vitam producit, dum videlicet homo apprehendit per fidem divinas promissiones sibi factas, easque animô constanti expectat: igitur &c.

Nego minorem: Nam, ut diximus *art.* 1. per *verbum vitæ* intelligitur verbum consecratorium, nempe invocatio divinæ Trinitatis, cujus bene-

dictioue, & virtute aqua concipit vim regenerandi: & ita verbum illud dicitur verbum vitæ; quandoquidem Spiritu sancto replente fontem, aqua baptismalis vim recipit sanctificandi hominem, & eum perducendi ad vitam & salutem.

Objiciunt tertiò, illud 1. Petri, ubi dicuntur octo animæ salvæ factæ per aquam: *Quod & vos*, inquit, *nunc similis forma salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bona interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi*: Sed hæc interrogatio conscientiæ nihil aliud est, quàm excitatio fidei Resurrectionis Christi, quæ habet vim sanctificandi: ergo salus non est tribuenda aquæ baptismatis, sed bonæ conscientiæ, ac fidei virtuti.

Distinguo majorem: Salvos nos facit conscientiæ bonæ interrogatio, quatenus est dispositio & præparatio ad fructum baptismi utiliter percipiendum, concedo: tanquam causa sola productiva gratiæ & salutis, nego: *Ad minorem* dico ipsam *interrogationem conscientiæ*, nihil aliud esse, quàm mentis interiorem emundationem, quæ vocatur interrogatio conscientiæ bonæ in Deum per Resurrectionem Jesu Christi, ratione videlicet sui effectûs; hæc enim interrogatio est effectus ablutionis animæ; nam emundatio sordium animæ facit, ut conscientia nostra possit à Deo interrogari & probari, tanquam sincera & bona; nec-non Deum rogare, eique respondere, propterea quòd firmiter credat Resurrectionem Christi, ut in novitate vitæ ambulemus: nam, ut dicit Apostolus Rom. 4. *Christus resurrexit propter justificationem nostram.*

IX. Quid significet interrogatio conscientiæ bonæ.

Objiciunt tertiò, illud Lucæ 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Igitur homo per sacramenta non potest quidquam conferre ad peccatorum remissionem. *Confirmant* ex S. Hieronymo in 4. cap. Isaïæ, ubi ait: *Homo præbet aquam, Deus autem Spiritum sanctum, quò sordes animæ abluuntur, & peccata purgantur*: Ergo homo per sacramentorum ministrationem, nullatenus confert ad gratiam largiendam.

X. Solus Deus peccata remittit ut causa princeps sacramenta ut causæ instrumentales.

Distinguo antecedens: Solus Deus remittit peccata, ut causa princeps, concedo; ait enim *Isaia* 43. Ego sum ipse qui deleo iniquitates: ut causa ministerialis & instrumentalis, nego: Sic enim v. g. Christus D. restituit cœco nato visum ut causa princeps, tamen aqua Siloë, quâ ad Christi imperium usus est cœcus, contulit ad ejusmodi visûs restitutionem ut causa instrumentalis: Unde sanctus Augustinus lib. 3. quæstionum in Leviticum quæst. 84. *Et Moyses*, inquit, *sanctificabat & Dominus: sed Moyses visibilibus sacramentis per ministerium suum, Dominus invisibili gratiâ per Spiritum sanctum.*

Objiciunt quartò varias S. Augustini authoritates, quibus significare videtur, non aliter homines conferre ad justificationem per administrationem sacramentorum, quàm orando & deprecando: Sic maximè docet tractatu 6. in Joan. *Vidit*, inquit, *Simon Magus per impositionem manuum dari Spiritum sanctum, non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est*. Idem docet lib. 15. de Trinitate, cap. 17. *Quantus*, inquit, *Deus, & qui dat Deum; neque enim aliquis Discipulorum, ejus dedit Spiritum sanctum; orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis præpositis etiam servat Ecclesia*: At si Apostoli non conferebant Spiritum sanctum per manuum impositionem; neque etiam gratiam largiebantur: Nam, inquit Apostolus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

XI. Quâ ratione S Augustinus asserat Apostolos non dedisse Spiritum S.

Respondeo, S. Augustinum nihil aliud velle quàm quod Apostoli non dabant Spiritum sanctum, ut est divina persona; nec etiam largiebantur gratiam per modum causæ principalis, concedo: ut est donum Spiritûs sancti, nego: & sic neganda est consequentia; non enim alia est mens sancti Augustini, ibi enim probat Christum esse Deum, ex eo quòd dederit Spiritum sanctum die Pentecostes: ait enim: Quomodo Deus non est qui dat Spiritum sanctum; imò quantus Deus, qui dat Deum: nec enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum; quia nempe dat tantùm ab eo propriè potest, à quo procedit non procedit autem à Discipulis, ac subinde ab eis personaliter dari non poterat: Nihilominus ut Ministri Christi dabant ipsius Spiritûs sancti donum: Legimus enim Actor. 8. *Quòd per impositionem manûs dabatur Spiritus sanctus.*

Objiciunt quintò alias ejusdem S. Doctoris authoritates, quibus probare nituntur sacramenta duntaxat agere secundùm fidem & dispositionem suscipientis Sic serm. 3. de verbis Domini: *Baptisma quod semel adhibetur per fidem mundat*. Et lib. quæstionum veteris & novi Testamenti q. 59. *Qui baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis, nec donum cæleste poterit consequi, qui per se aquam, non per fidem immutari credat, aqua enim cernitur, sed qui non videtur Spiritus operatur, ut fides in eo sit*: Atqui si homo per fidem, non per aquam immutatur, salus est tribuenda fidei, non sacramento.

XII. Quô sensu dixit S. August. baptismum mundare per fidem.

Respondeo ad primum: Baptisma mundat per fidem, ut dispositionem præviam, concedo: ut mundationis causam efficientem, quam exciter baptismus, & ex qua mundandi vim habeat, nego: nam S. Augustinus explicat illud Lucæ 11. *Nunc vos Pharisæi, quod de foris est calicis, & catini mundatis. Quod autem intus est vestrum, plenum est rapinâ & iniquitate*; Unde Christus, arguit Pharisæos, qui quotidie ante prandium se lavabant aquâ; ac si ea lotio posset esse cordis mundatio, suosque Discipulos monet ne Justitiam esse putent in mundatione corporis: quia baptismus mundat adultos per fidem, ut per dispositionem necessariam: fides autem intus est, non foris; juxta illud Actor. 7. *Fide mundans corda eorum*: Pharisæi autem quod erat foris lavabant; intùs verò plurimis vitiis erant inquinati.

XIII. Lib. quæst. vet. & novi Test. non est S. Aug.

Ad secundum respondeo primò, hoc opus nullatenus esse S. Augustini, sicut pluribus argumentis probatur ab Erasmo in censura hujus libri, neque hujusce tractatûs fit mentio, sive in libris retractationum S. Augustini; sive in indice Possidii: inter cætera hic author cum doctrina S. Augustini pugnat: docet enim quòd per Spiritum Domini, qui ferabatur super aquas in origine mundi, non intelligatur Spiritus sanctus, sed spiritus materialibus substantiis præpositus. Item quòd Melchisedech non fuerit homo, sed Spiritus sanctus sit: & in quæst. 59. quæ nobis opponitur; hæc verba dominica, Joan. 5. *Spiritus ubi vult spirat, &c.* de vento non de Spiritu sancto exponit. Quæ omnia S. Augustino & veritati prorsus opposita sunt.

Respondeo secundò, hominem dici posse non per aquam, sed per fidem immutari: *Primò* quod non immutatur per aquam mundam, sed

per aquam, ad quam accedit invocatio Trinitatis; quia Trinitas est objectum fidei; & ita non per aquam, sed per fidem immutatur, sicut ex alibi dictis verbum mundat, non quia dicitur, sed quia creditur: *Secundò*, quia causa formalis immutationis non est aqua, sed fides formata; unde sicut antè diximus, justus ex fide vivit, quia per fidem formatam constituitur justus.

Objiciunt sextò: Si sacramenta novæ legis reverà concurrerent ad productionem gratiæ, essent diversæ efficacitatis & virtutis à sacramentis veteris legis: at contrarium docet S. Augustinus: igitur, &c. Major patet ex dictis. Minorem probat Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 14. num. 26. ex S. Augustino homil. 26. in Joan. ubi S. Doctor ait: *Sacramenta Iudæorum in signis fuisse diversa, in re quæ significatur paria: diversa specie visibili, paria virtute spirituali.* Et homil. 45. *In signis diversis eadem fides: sic in signis diversis, ut in verbis diversis: quia verba sonos mutant per tempora, & utique nihil aliud sunt verba, quàm signa. Bibebant Patres eundem spiritualem potum, nam corporalem non eundem.* Videte ergo, *fide manente, signa variata. Ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari ponitur. Et illi pro magno sacramento biberunt aquam profluentem è petra: nos quid bibamus, nôrunt fideles. Si visibilem speciem intendas, aliud est: si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt.* In Psal. 77. lib. 19. contra Faustum cap. 13. *Idem in mysterio cibus & potus illorum, qui noster: sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* Quanquam hac quoque in parte aliquid differentiæ esse concedimus. Utraque enim in Paternam Dei in Christo benevolentiam, ac Spiritûs sancti gratias nobis offerri testantur; sed nostra illustriùs ac luculentiùs. In utrisque Christi exhibitio: sed in his uberior ac plenior, nempe prout fert illud, de quo suprà disseruimus veteris & novi Testamenti discrimen: atque id est quod voluit idem Augustinus (quem ut optimum ex tota antiquitate, & fidelissimum testem sæpiùs citamus) cùm tradit, Christô revelatô, sacramenta fuisse instituta numerô pauciora, significatione augustiora, virtute præstantiora. Ita Calvinus.

XIV. Quantâ audaciâ Calvinus SS. Patrum authoritates interpoletur.

Respondeo primò, primam authoritatem mendaciter & corruptè à Calvino proferri; nusquam enim sanctus Augustinus dixit, sacramenta veteris & novæ legis esse paria virtute spirituali, sed virtute spirituali idem significare; ait enim: *Sacramenta illa in signis diversa sunt, sed in re quæ significatur, paria. Apostolum audi: Nolo enim vos ignorare, fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt... & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt: spiritualem utique eandem; nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud; spiritualem verò, eandem quam nos.* Et subdit: *Omnes eundem potum spiritualem biberunt, aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spirituali.* Quibus patet S. Augustinum non aliud significare, quàm quòd sacramenta veteris & novæ legis conveniant in virtute; non quidem efficiendi gratiam, sed eam significandi: cum hoc tamen discrimine quòd illa futuram solùm speculativè, hæc præsentem & practicè significent.

XV. Sacramentorum novæ legis duo sunt munia, nam instruunt significando: & sanctificant gratiam conferendo.

Respondeo secundò, sacramentorum novæ legis duo esse officia; unum quidem instruere, alterum mederi. Instruunt, cùm gratiam significant; medentur cùm eam conferunt: Per primum sunt signa protestativa fidei, per secundum sunt signa operativa salutis, ut observat S. Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Per sacratissimam istam mensam*, inquit, *& salvat & docet.* In priori officio conveniunt cum sacramentis veteris legis, quæ eandem fidem commendabant & docebant, solùmque discrepant in eo quòd sacramenta veteris legis objectum fidei futurum respiciebant, ac significabant: sacramenta autem novæ legis præteritum repræsentant, nempe Christi Incarnationem, vitam, mortem & alia ejus mysteria.

In posteriori autem officio sacramenta novæ legis omnino discrepant à sacramentis veteris legis; quamvis enim hæc eandem gratiam significarent; illam tamen nec continebant, nec conferebant, erant enim egena & vacua, inquit S. Paulus, & si quid haberent plenitudinis, non nisi umbris & figuris implebantur; omnia enim in figura contingebant illis.

XVI. Quare S. Aug. non expresserit in sermonibus discrimen sacrament. vet. & novæ legis.

Porrò hoc discrimen idcirco distinctè non annotavit præfatis in locis sanctus Augustinus: tum quia versabatur in Africa, ubi grassabatur hæresis Manichæorum, qui legem veterem damnabant; unde convenientius erat exprimere concordiam sacramentorum veteris & novæ legis, quàm earum discrepantiam prædicare: Tum quia Tractatus in Joann. & narrationes in Psalmos, homiliæ sunt & narrationes ad populum, quibus aderant Catechumeni & plerique infideles, quibus licitum non erat Ecclesiæ mysteria revelare. Unde etiam frequenter in eis sermonibus sanctus Augustinus ait: ut nôrunt fideles.

Objiciunt septimò: Qui docent sacramenta producere gratiam, non solùm homines distrahunt à Christi meritis, & divinam potentiam veluti sacramentis alligant; efficiunt enim ut homines recurrant ad rem corpoream, tanquam ad causam & originem suæ justificationis, quasi Deus non posset eos justificare, nisi dependenter ab ipsis exterioribus signis: sed consequens est absurdum: igitur & antecedens.

XVII. Sacramentorum efficacitas non derogat divinæ majestati aut potestati.

Nego majorem: Potius enim per hæc subsidia homines ad Deum & Christum promovent; quippe cùm fateantur sacramenta habere vim duntaxat à Christi meritis, & significatum per ea effectum efficienter à solo Deo produci, moraliter verò ab ejusmodi sacramentis. Unde quemadmodum qui curabantur à Christo per contactum ejus vestimenti, sicut mulier sanguine fluens, aut per lutum divinis ejus manibus impositum, ut cæcus natus, non collocabant spem suam in ejusmodi rebus materialibus, sed potius in ipso Christo D. à quo velut à fonte hæc sanativa virtus exundabat: sic nos spem nostram non reponimus in ipsis sacramentis, sed eam collocamus in Dei efficientia & Christi meritis, quod utique nullam absurditatem præ se fert; alioqui non debuisset Deus Israëlitas à morsu serpentium sanare, per aspectum ænei serpentis, aut mundare Naman Syrum per aquas Jordanis; nec debuisset etiam Dei Filius carnem assumere, ne magis homines adhærerent rei corporeæ, quàm Deo. Neque Deus per sacramenta justificans alligatur ipsis sacramentis: sed sacramenta Deo, quia Deus absque sacramentis justificare potest: sacramenta sine Deo non possunt. *Adde quòd* ipsi hæretici velint adultum, cui Christi sanguis applicatur, non justificari nisi per fidem, nec tamen volunt Deum alligari fidei, vel

sanguini Christi: igitur idem dicendum de sacramentis.

Objiciunt ultimò: Non potest creatura corporea producere rem spiritualem, & supernaturalem: atqui sacramentum est creatura corporea; gratia verò est res supernaturalis: ergò, &c.

Respondeo, distinguendo majorem: Non potest producere, ut causa principalis, concedo: ut instrumentalis, subdistinguo: physicè, concedo: moraliter, nego. Deinde concessâ minore, similiter distinguo consequens: sive autem physicè, sive moraliter producant gratiam, id sufficit ut obstruatur os adversariorum loquentium iniqua.

CONCLUSIO SECUNDA.

XVIII. SACRAMENTA *novæ legis non producunt gratiam physicè, sed duntaxat moraliter.* Ita subtilis Doctor in 4. dist. 1. quæst. 4. & 5. num. 12. ubi

Sacramēta novæ legis gratiam producunt tantùm moraliter.

» ait: Ad primam ergo quæstionem dico, quòd » cùm necessitas eorum, quæ sunt ad finem, suma» tur à fine: & secundùm omnes loquentes de sa» cramentis, finis sacramenti est gratia, vel aliquis » effectus Dei invisibilis disponens hominem ad sa» lutem: & iste finis possit sufficienter haberi, eò » modò quò habetur per sacramentum, absque » hoc quòd dicatur sacramentum habere aliquam » actionem propriè dictam, sive respectu gratiæ, » quam non potest attingere, cùm illa creetur; si» ve respectu dispositionis supernaturalis præviæ, » quia illa etiam crearetur; sequitur quòd non sit » ponenda talis actio, cùm nec ista plura sint ne» cessaria, nec manifestè ponibilia.

» In eandem sententiam propendent *S. Bonaventura* ibidem art. 1. qu. 4. *Alensis* 4. 3. p. qu. 5. memb. 3. art. 5. p. 3. 4. & 5. *Aureolus* q. 1. art. 4. *Durandus* qu. 1. *Vasquez* dist. 132. cap. 5. & illam probat Doctor; quia necessitas alicujus colligitur ex fine: finis autem institutionis sacramentorum est gratia sanctificans, aut effectus aliquis invisibilis supernaturalis: at effectus iste per sacramentum obtineri potest absque illo influxu physico: igitur, &c. Quæ utique Doctoris ratio efficacissima est, ex præsupposita impugnatione sententiæ affirmativæ, quam infra subjiciemus.

Ut cum Doctore sabt docēt Theologiæ Principes.

XIX. *Probatur* itaque conclusio. Primò quidem authoritate SS. Patrum, qui denegant veram efficientiam physicam sacramentis novæ legis: Sic S. Cyprianus serm. de baptismo Christi: *Remissio, inquit, peccatorum sive per baptismum, sive per alia sacramenta donetur, propria Spiritûs sancti est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet: verborum solemnitas, & sacri Invocatio nominis, & signa institutionis Apostolicis sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant sacramentum: rem verò sacramenti Spiritus sanctus format, & efficit.* Concordat Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 15. ubi sic ait: *Qui nobis vitam dispensat Dominus, baptismatis pactum nobis statuit: mortis quidem imaginem implente aquâ; Spiritu verò vita arrham præbente.* Ergo existimat Baptismum esse pactum, vel signum pacti: quò positò statuit Deus per se immediatè gratiam infundere.

Idque confirmant authoritate SS. Patrum.

Accedat Ambrosius lib. 7. de sacramentis cap. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio: Aliud opus, aliud operatio: aqua opus est, operatio Spiritus sancti est.* Denique S. Augustinus epistolâ 23. *Aqua, inquit, exhibens forinsecùs sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecùs beneficium gratiæ; solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerant hominem in uno Christo.* Ex quibus apparet qualiter sancti Patres denegent efficaciam physicam sacramentis, non autem moralem: nam alibi affirmant sacramenta producere gratiam. Ut ergo inter se concilientur, debet statui causalitas moralis, & negari physica. Sic in communi modo loquendi uni & eidem causæ attribuimus, & negamus effectum; v. g. si laudetur artificium alicujus Palatii, dicitur princeps non extruxisse, sed artifex: si verò sumptuositas, princeps; non artifex. Similiter Patres; quando in sacramentis explicant, quæ sit vis physicè producens gratiam, eam attribuunt soli Deo: quando verò explicant quid possint sacramenta ratione suæ institutionis & meritorum Christi, docent ea causare gratiam.

XX. *Probatur secundò* ratione. Eadem est causalitas aliorum sacramentorum, quæ baptismi: sed Baptismus non habet veram causalitatem & efficaciam physicam respectu gratiæ producendæ: igitur nec alia sacramenta. Major constat: Perfectior virtus causandi gratiam & justificationem non convenit Baptismo, quàm Christi D. humanitati: sed Christi D. humanitas solam habuit efficaciam moralem & meritoriam respectu gratiæ producendæ: igitur causalitas physica, quæ perfectior est non convenit Baptismo. Major patet; Baptismus enim & cætera sacramenta omnem suam efficaciam mutuantur ab operibus meritoriis Christi, quæ ipsis insunt & applicantur, ut docet sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 52. & Origenes, & Anselmus ex illo S. Pauli ad Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.*

2. Ratione.

Probatur minor ex Concilio Tridentino sess. 6. « cap. 7. ubi loquens de causis justificationis, ait: « Hujus causæ justificationis sunt, finis quidem « gloria Dei & Christi, & vita æterna; efficiens « verò, misericors Deus, qui gratuitò abluit & « sanctificat, signans & ungens Spiritu sancto pro- « missionis.... meritoria autem dilectissimus uni- « genitus suus D. noster Jesus-Christus, qui cùm « essemus inimici..... suâ sanctissimâ Passione in « ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro « nobis Patri satisfecit: Instrumentalis autem sa- « cramentum baptismi, quod est sacramentum fi- « dei, &c. Quibus verbis Concilium duplex genus causalitatis attribuit Christo, nempe finalis & meritoriæ; causalitatem autem causæ efficientis, quatenus ab instrumentali & meritoria distinguitur, soli Deo tribuit, idque fine ulla limitatione; quâ loquendi formulâ denotat efficientiam physicam, quæ est efficientia simpliciter: igitur mens Concilii est, illam efficientiam neque sacramento, neque Christo competere.

1. Quia sacramenta non habent majorem efficaciam quàm Christi humanitas.

Probatur consequentia: quia Concilium declarat Christi meritum maximè repetendum esse ex ejus passione, per quam debitam satisfactionem pro nobis Deo Patri exolvit. Sed meritum istud non potest habere veram efficientiam physicam, siquidem operari sequitur esse, ac subinde quod non existit realiter & physicè, non potest etiam physicè & realiter influere in alicujus rei productionem: sed Christi D. Passio, ejusque merita, neque in se, neque in aliquo suo effectu realiter existunt, sed tantùm in acceptatione divina: igitur non possunt habere efficientiam physicam.

Adde quòd Concilium tribuit duntaxat causalitatem Passioni Christi; quatenus habuit rationem satisfactionis & meriti; sic autem non habuit

aliud genus causalitatis, quàm moralis. Probatur, quia passio Christi non aliter influit in justificatos, ut exhibita, quàm ut exhibenda; Christus enim fuit uniformis Redemptor, & caput omnium, qui præcesserunt & subsecuti sunt, juxta illud Pauli: *Bibebant omnes de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus*: sed Christi passio non habuit rationem causæ influentis physicè respectu eorum, qui ejus Incarnationem præcesserunt; quippe nondum extabat: igitur neque etiam nunc agit physicè.

XXI.
2. Quia sacramenta dum concurrunt ad gratiæ productionem non existūt realiter.

Probatur tertiò, & præcedens ratio confirmatur: Quod physicè concurrit ad alicujus productionem, debet realiter existere, dum res fit, & habere aliquam activitatem, quâ physicè possit agere & producere: sed sacramenta nec sunt realiter dum producitur gratia, nec aliquam habent activitatem physicam, quâ possint concurrere ad illius productionem: igitur, &c. Major constat quoad primum membrum; quod enim non existit realiter, nequit aliquid magis realiter producere, quàm homo possibilis aut mortuus possit de facto & actu loqui aut ambulare; operari namque sequitur esse, ac proinde quod non est actu & realiter, nequit actu & realiter operari. Constat pariter quoad secundum membrum; si enim nullam activitatem habeat in actu primo circa aliquid, nusquam illud magis poterit edere quàm nigredo albificare, &c.

Probatur itaque minor *quoad primam partem*. Sacramentum, putà Baptismus, non existit realiter, nec secundùm se totum, nec secundùm aliquam sui partem, nec secundùm aliquid à se productum dum gratia producitur. Probo. Sacramentum non operatur nec gratiam producere potest, nisi sit perfectum & completum, tam secundùm materiam, quàm secundùm formam: si enim v. g. quis baptizando tantùm proferret vel per malitiam, vel per ignorantiam, vel per decessum baptizati: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs*, non autem adderet illam ultimam particulam, *sancti*, Baptismus nullus foret, ac proinde nullam gratiam ederet, quia sacramentum esset imperfectum, ut omnes fatentur: & si quis negaret, convinci posset ex eo quòd si deficiens unum verbum formæ non irritum faciat sacramentum, nec duo irritum facient, nec tria, & sic de cæteris; quia penultimum non magis est de essentia & integritate quàm sit ultimum, sicque omittendo vocabula *Spiritûs sancti*, validum nihilominus foret baptismus, quod tanquam hæreticum à Conciliis proscribitur. Itaque baptismus gratiam non producit, nisi dum perficitur per ultimæ syllabæ formæ prolationem. Sed nec ultima syllaba illius formæ est sacramentum, tum quia alioquin sola ad gratiam producendam sufficeret; tum quia gratia non producitur nisi eo instanti quô formaliter completur integra verborum necessariorum prolatio, & in quo verum est dicere, jam non est integra illa forma, sed immediatè ante fuit. Ergo eo instanti quô producitur gratia, sacramentum non est realiter neque secundùm se totum, neque secundùm aliquam sui partem.

Nec etiam remanet secundùm aliquid à se productum, quô mediante gratiam produceret, quia eadem quæ de gratia producenda recurreret difficultas; insuper nullus alius assignatur (à sacramentis caracterem non imprimentibus) effectus producendus, præter gratiam sanctificantem & quædam gratiæ auxilia.

Nec valet dicere cum quibusdam, sacramentum

A gratiam producere pro indeterminato tempore, vel determinato antequam perficiatur sacramentum: Vel cum aliis, quòd gratia producatur eodem instanti quô perficitur Sacramentum, tum quia omnis causa realis & physica saltem prioritate naturæ supponitur ad effectum. Ergo non potest producere antequam sit; tum quia dum forma perficitur & absolvitur, remanet tantùm in esse ultima syllaba, quæ non est sacramentum.

Nec valet pariter respondere: Per potentiam obedientialem Deum elevare illam postremam sacramenti partem; idque, sive per aliquam qualitatem supernaturalem, sicut elevatur intellectus per lumen gloriæ ad videndum Deum, & voluntas per Charitatem, ad amandum; sive per extra-

B ordinarium concursum quô creatura ratione potentiæ obedientialis ad effectum præter activitatem elevatur. Non, inquam, valet replica; tum quia illa pars sic elevata & physicè causans, non est sacramentum baptismi; eo quòd ad producendum gratiam per sacramentum baptismi, requiratur prolatio aliorum verborum & exterior ablutio quæ actu non existunt: tum quia si existant, id solùm moraliter: ergo si possint priora verba moraliter Deum movere ad elevandam illam particulam ut physicè producatur gratia; quidni integra verba sufficienter Deum movebunt ad gratiam producendam?

Reponunt non requiri existentiam realem totius

C causæ ut agat physicè, sed sufficere ut præteritis aliis partibus una remaneat quæ vice totius effectum edat: v. g. alteratio licèt successiva, concurrit secundùm se totam ad productionem caloris, licèt una pars tantùm illius existat dum calor producitur.

Contrà. Implicat ut aliquid dicatur quidquam producere physicè secundùm partem non existens, nisi illa pars dum existeret produxisset aliquid conducens ad productionem effectûs, aliàs esset causa & non causa. Nec una pars producere potest virtute aliarum partium, nisi priores partes aliquid edidissent quod mediante ultimâ aliquid exequi posset, quod se sola non exequeretur.

Neque urget exemplum de alteratione; quia vel calor producitur in instanti post motum, & sic

D non dicitur produci ab alteratione, nisi quatenus removet obstacula & præparat subjectum; sed producitur à corpore calefaciente; vel producitur per alterationem successivam, & sic quælibet pars motûs quamlibet partem caloris producit. Unde illud ad rem non proficit. Nam priora verba nec producunt partem gratiæ, tum quia non habent rationem sacramenti; tum quia si aliæ non proferrentur, homo non minùs diceretur justificari, quod implicat, & omnes negant: neque tollunt impedimentum, nec animam præparant, quia anima de se sufficienter est

E disposita ad gratiam recipiendam, & nullum esse potest aliud impedimentum quàm pertinax voluntas hominis in peccato, quæ non per priora formæ verba, sed per gratiam excitantem & cooperantem potest mutari: ergo, &c.

Objiciuntur 1. omnes Conciliorum & SS. Patrum authoritates in prima concl. laudatæ, quibus tribuitur sacramentis novæ legis vera causalitas respectu gratiæ.

XXXII.
Proponuntur authoritates Conciliorum & SS. Patrum.

Respondet Vasquez illam causalitatem optimè & melius salvari per causalitatem moralem quàm per physicam; *Tum quia* illa est facilior intellectu, & minores involvit solvendas difficultates:

ſanguini Chriſti: igitur idem dicendum de ſacramentis.

Objiciunt ultimò: Non poteſt creatura corporea producere rem ſpiritualem, & ſopernaturalem: atqui ſacramentum eſt creatura corporea; gratia verò eſt res ſupernaturalis: ergo, &c.

Reſpondeo, diſtinguendo majorem: Non poteſt producere, ut cauſa principalis, concedo: ut inſtrumentalis, ſubdiſtinguo: phyſicè, concedo: moraliter, nego. Deinde conceſsâ minore, ſimiliter diſtinguo conſequens: ſive autem phyſicè, ſive moraliter producant gratiam, id ſufficit ut obſtruatur os adverſariorum loquentium iniqua.

Conclusio Secunda.

XVIII. *Sacramẽta novæ legis gratiam producunt tantùm moraliter.*

SACRAMENTA *nova legis non producunt gratiam phyſicè, ſed duntaxat moraliter.* Ita ſubtilis Doctor in 4. diſt. 1. quæſt. 4. & 5. num. 12. ubi ait: Ad primam ergo quæſtionem dico, quòd cùm neceſſitas eorum, quæ ſunt ad finem, ſumatur à fine: & ſecundùm omnes loquentes de ſacramentis, finis ſacramenti eſt gratia, vel aliquis effectus Dei inviſibilis diſponens hominem ad ſalutem: & iſte finis poſſit ſufficienter haberi, eô modô quô habetur per ſacramentum, abſque hoc quod dicatur ſacramentum habere aliquam actionem propriè dictam, ſive reſpectu gratiæ, quam non poteſt attingere, cùm illa creetur; ſive reſpectu diſpoſitionis ſupernaturalis præviæ, quia illa etiam crearetur; ſequitur quòd non ſit ponenda talis actio, cùm nec iſta plura ſint neceſſaria, nec manifeſtè poſſibilia.

In eandem ſententiam propendent *S. Bonaventura* ibidem art. 1. qu. 4. *Alenſis* 4. 3. p. q. 5. memb. 3. art. 5. p. 3. 4. & 5. *Aureolus* q. 1. art. 4. *Durandus* qu. 1. *Vaſquez* diſt. 132. cap. 5. & illam probat Doctor; quia neceſſitas alicujus colligitur ex fine: finis autem inſtitutionis ſacramentorum eſt gratia ſanctificans, aut effectus aliquis inviſibilis ſupernaturalis: at effectus iſte per ſacramentum obtineri poteſt abſque illo influxu phyſico: igitur, &c. Quæ utique Doctoris ratio efficaciſſima eſt, ex præſuppoſita impugnatione ſententiæ affirmativæ, quam infrà ſubjiciemus.

Ut cum Doctore ſube docẽt Theologiæ Principes.

XIX. *Idque confirmant authoritate SS. Patrum.*

Probatur itaque concluſio. Primò quidem authoritate SS. Patrum, qui denegant veram efficientiam phyſicam ſacramentis novæ legis: Sic S. Cyprianus ſerm. de baptiſmo Chriſti: *Remiſſio*, inquit, *peccatorum ſive per baptiſmum, ſive per alia ſacramenta donetur, propria Spiritûs ſancti eſt, & ipſi ſoli hujus efficientia privilegium manet: verborum ſolemnitas, & ſacri Invocatio nominis, & ſigna inſtitutionis Apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant ſacramentum: rem verò ſacramenti Spiritus ſanctus format, & efficit.* Concordat Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 15. ubi ſic ait: *Qui nobis vitam diſpenſat Dominus, baptiſmatis pactum nobis ſtatuit; mortis quidem imaginem impleate aquâ; Spiritu verò vitæ arrham præbente.* Ergo exiſtimat Baptiſmum eſſe pactum, vel ſignum pacti: quô poſitô ſtatuit Deus per ſe immediatè gratiam infundere.

Accedat Ambroſios lib. 7. de ſacramentis cap. 5. *Aliud eſt elementum, aliud conſecratio: Aliud opus, aliud operatio: aqua opus eſt, operatio Spiritûs ſancti eſt.* Denique S. Auguſtinus epiſtolâ 23. *Aqua*, inquit, *exhibens forinſecùs ſacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinſecùs beneficium gratiæ; ſolvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerant hominem in uno Chriſto.* Ex quibus apparet qualiter ſancti Patres denegent efficaciam phyſicam ſacramentis, non autem moralem: nam alibi affirmant ſacramenta producere gratiam. Ut ergo inter ſe concilientur, debet ſtatui cauſalitas moralis, & negari phyſica. Sic in communi modo loquendi uni & eidem cauſæ attribuimus, & negamus effectum; v. g. ſi laudetur artificium alicujus Palatii, dicitur princeps non extruxiſſe, ſed artifex: ſi verò ſumptuoſitas, princeps; non artifex. Similiter Patres; quando in ſacramentis explicant, quæ ſit vis phyſicè producens gratiam, eam attribuunt ſoli Deo: quando vero explicant quid poſſint ſacramenta ratione ſuæ inſtitutionis & meritorum Chriſti, docent ea cauſare gratiam.

XX. *a. Ratione.*

Probatur ſecundo ratione. Eadem eſt cauſalitas aliorum ſacramentorum, quæ baptiſmi: ſed Baptiſmus non habet veram cauſalitatem & efficaciam phyſicam reſpectu gratiæ producendæ: igitur nec alia ſacramenta. Major conſtat: Perfectior virtus cauſandi gratiam & juſtificationem non convenit Baptiſmo, quàm Chriſti D. humanitati: ſed Chriſti D. humanitas ſolam habuit efficaciam moralem & meritoriam reſpectu gratiæ producendæ: igitur cauſalitas phyſica, quæ perfectior eſt non convenit Baptiſmo. Major patet; Baptiſmus enim & cætera ſacramenta omnem ſuam efficaciam mutuantur ab operibus meritoriis Chriſti, quæ ipſis inſunt & applicantur, ut docet ſanctus Auguſtinus in Enchiridio cap. 52. & Origenes, & Anſelmus ex illo S. Pauli ad Rom. 6. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus.*

1. Quia ſacramenta non habent majorem efficaciam quàm Chriſti humanitas.

Probatur minor ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. ubi loquens de cauſis juſtificationis, ait: Hujus cauſæ juſtificationis ſunt, finalis quidem gloria Dei & Chriſti, & vita æterna; efficiens verò, miſericors Deus, qui gratuitò abluit & ſanctificat, ſignans & ungens Spiritu ſancto promiſſionis.... meritoria autem dilectiſſimus unigenitus ſuus D. noſter Jeſus-Chriſtus, qui cùm eſſemus inimici..... ſuâ ſanctiſſimâ Paſſione in ligno crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Patri ſatisfecit: Inſtrumentalis autem ſacramentum baptiſmi, quod eſt ſacramentum fidei, &c. Quibus verbis Concilium duplex genus cauſalitatis attribuit Chriſto, nempe finalis & meritoriæ; cauſalitatem autem cauſæ efficientis, quatenus ab inſtrumentali & meritoria diſtinguitur, ſoli Deo tribuit, idque ſine ulla limitatione; quâ loquendi formulâ denotat efficientiam phyſicam, quæ eſt efficientia ſimpliciter: igitur mens Concilii eſt, illam efficientiam neque ſacramento, neque Chriſto competere.

Probatur conſequentia: quia Concilium declarat Chriſti meritum maximè repetendum eſſe ex ejus paſſione, per quam debitam ſatisfactionem pro nobis Deo Patri exolvit. Sed meritum iſtud non poteſt habere veram efficientiam phyſicam, ſiquidem operari ſequitur eſſe, ac ſubinde quod non exiſtit realiter & phyſicè, non poteſt etiam phyſicè & realiter influere in alicujus rei productionem: ſed Chriſti D. Paſſio, ejuſque merita, neque in ſe, neque in aliquo ſuo effectu realiter exiſtunt, ſed tantùm in acceptatione divina: igitur non poſſunt habere efficientiam phyſicam.

Adde quòd Concilium tribuit duntaxat cauſalitatem Paſſioni Chriſti; quatenus habuit rationem ſatisfactionis & meriti; ſic autem non habuit

aliud genus causalitatis, quàm moralis. Probatur, quia passio Christi non aliter influit in justificator, ut exhibita, quàm ut exhibenda; Christus enim fuit uniformis Redemptor, & caput omnium, qui præcesserunt & subsecuti sunt, juxta illud Pauli: *Bibebant omnes de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus*: sed Christi passio non habuit rationem causæ influentis physicè respectu eorum, qui ejus Incarnationem præcesserunt; quippe nondum extabat: igitur neque etiam nunc agit physicè.

XXI. 2. Quia sacramenta dum concurrunt ad gratiæ productionem non existũt realiter.

Probatur tertiò, & præcedens ratio confirmatur: Quod physicè concurrit ad alicujus productionem, debet realiter existere, dum res fit, & habere aliquam activitatem, quâ physicè possit agere & producere: sed sacramenta nec sunt realiter dum produeitur gratia, nec aliquam habent activitatem physicam, quâ possint concurrere ad illius productionem: igitur, &c. Major constat quoad primum membrum; quod enim non existit realiter, nequit aliquid magis realiter producere, quàm homo possibilis aut mortuus possit de facto & actu loqui aut ambulare; operari namque sequitur esse, ac proinde quod non est actu & realiter, nequit actu & realiter operari. Constat pariter quoad secundum membrum; si enim nullam activitatem habeat in actu primo circa aliquid, nusquam illud magis poterit edere quàm nigredo albificare, &c.

Probatur itaque minor *quoad primam partem*. Sacramentum, putà Baptismus, non existit realiter, nec secundùm se totum, nec secundùm aliquam sui partem, nec secundùm aliquid à se productum dum gratia producitur. Probo. Sacramentum non operatur nec gratiam producere potest, nisi sit perfectum & completum, tam secundùm materiam, quàm secundùm formam: si enim v. g. quis baptizando tantùm proferret vel per malitiam, vel per ignorantiam, vel per decessum baptizati: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs*, non autem adderet illam ultimam particulam, *sancti*. Baptismur nullus foret, ac proinde nullam gratiam ederet, quia sacramentum esset imperfectum, ut omnes fatentur: & si quis negaret, convinci posset ex eo quòd si deficiens unum verbum formæ non irritum faciat sacramentum, nec duo irritum facient, nec tria, & sic de cæteris; quia penultimum non magis est de essentia & integritate quàm sit ultimum, sicque omittendo vocabula *Spiritûs sancti*, validum nihilominus foret baptismus, quod tanquam hæreticum à Conciliis proscribitur. Itaque baptismus gratiam non producit, nisi dum perficitur per ultimæ syllabæ formæ prolationem. Sed nec ultima syllaba illius formæ est sacramentum, tum quia alioquin sola ad gratiam producendam sufficeret; tum quia gratia non producitur nisi eo instanti quô formaliter completur integra verborum necessariorum prolatio, & in quo verum est dicere, jam non est integra illa forma, sed immediatè ante fuit. Ergo eo instanti quô producitur gratia, sacramentum non est realiter neque secundùm se totum, neque secundùm aliquam sui partem.

Nec etiam remanet secundùm aliquid à se productum, quô mediante gratiam produceret, quia eadem quæ de gratia producenda recurreret difficultas; insuper nullus alius assignatur (à sacramentis caracterem non imprimentibus) effectus producendus, præter gratiam sanctificantem & quædam gratiæ auxilia.

Nec valet dicere cum quibusdam, sacramentum gratiam producere pro indeterminato tempore, vel determinato antequam perficiatur sacramentum: Vel cum aliis, quòd gratia producatur eodem instanti quô perficitur Sacramentum, tum quia omnis causa realis & physica saltem prioritate naturæ supponitur ad effectum. Ergo non potest producere antequam sit; tum quia dum forma perficitur & absolvitur, remanet tantùm in esse ultima syllaba, quæ non est sacramentum.

Nec valet pariter respondere: Per potentiam obedientialem Deum elevare illam postremam sacramenti partem; idque, sive per aliquam qualitatem supernaturalem, sicut elevatur intellectus per lumen gloriæ ad videndum Deum, & voluntas per Charitatem, ad amandum; sive per extraordinarium concursum quô creatura ratione potentiæ obedientialis ad effectum præter activitatem elevatur. Non, inquam, valet replica; tum quia illa pars sic elevata & physicè causans, non est sacramentum baptismi; eo quòd ad producendum gratiam per sacramentum baptismi, requiratur prolatio aliorum verborum & exterior ablutio quæ actu non existunt: tum quia si existant, id solùm moraliter: ergo si possint priora verba moraliter Deum movere ad elevandam illam particulam ut physicè producatur gratia; quidni integra verba sufficienter Deum movebunt ad gratiam producendam?

Reponunt non requiri existentiam realem totius causæ ut agat physicè, sed sufficere ut præteritis aliis partibus una remaneat quæ vice totius effectum edat: v. g. alteratio licèt successiva, concurrit secundùm se totam ad productionem caloris, licèt una pars tantùm illius existat dum calor producitur.

Contrà. Implicat ut aliquid dicatur quidquam producere physicè secundùm partem non existens, nisi illa pars dum existeret produxisset aliquid conducens ad productionem effectûs, aliàs esset causa & non causa. Nec una pars producere potest virtute aliarum partium, nisi priores partes aliquid edidissent quod mediante ultimâ aliquid exequi posset, quod se sola non exequeretur.

Neque urget exemplum de alteratione; quia vel calor producitur in instanti post motum, & sic non dicitur produci ab alteratione, nisi quatenus removet obstacula & præparat subjectum; sed producitur à corpore calefaciente; vel producitur per alterationem successivam, & sic quælibet pars motûs quamlibet partem caloris producit. Unde illud ad rem non proficit. Nam priora verba nec producunt partem gratiæ, tum quia non habent rationem sacramenti; tum quia si aliæ non proferrentur, homo non minùs diceretur justificari, quod implicat, & omnes negant: neque tollunt impedimentum, nec animam præparant, quia anima de se sufficienter est disposita ad gratiam recipiendam, & nullum esse potest aliud impedimentum quàm pertinax voluntas hominis in peccato, quæ non per priora formæ verba, sed per gratiam excitantem & cooperantem potest mutari: ergo, &c.

Objiciuntur 1. omnes Conciliorum & SS. Patrum authoritates in prima concl. laudatæ, quibus tribuitur sacramentis novæ legis vera causalitas respectu gratiæ.

XXXII. Proponuntur authoritates Conciliorum & SS. Patrum

Respondet Vasquez illam causalitatem optimè & melius salvari per causalitatem moralem quàm per physicam; *Tum quia* illa est facilior intellectu, & minores involvit solvendas difficultates:

Tum quia eo modo Patres, Concilia & Scripturæ testantur Christi mortem, sanguinem & passionem nos mundare, sanctificare, &c. quo modo id asserunt de sacramentis; attamen certum est Christi mortem non sanctificare nos physicè, sed tantùm moraliter & meritoriè: *Tum denique quia* Patres eodem modo loquuntur de efficacia sacramenti, dum diu peractum est, ac dum actu ministratur, ut in casu obicis positi gratiæ baptismali; nam S. Aug. 3. de Bapt. cap. 3. *Tunc*, inquit, *incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint, non ut jam remissa non retineantur, neque ut ille baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur, sed ut idem ipse, &c.*

Et solvuntur.

Objicit Isambertus 1. preces Ecclesiæ in benedictione aquæ baptismalis, in quibus inter alia similia hæc habentur: *Tu has simplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.* Et ubi immergitur cereus hæc dicuntur: *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritûs sancti.* Et insufflando in aquam: *Totamque hujus aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu.*

2. Preces quibus Episcopus Feriâ 5. in Cœna Domini utitur in consecrando oleo: *Clementiam tuam suppliciter deposcimus, ut huic unguento spiritualem gratiam largiendo plenitudinem sanctificationis infundas.*

3. Verba Catechismi Concilii Tridentini parte 2. cap. 1. num. 27. ubi aperiens modum quo gratia producitur, hæc habet. *Quo autem pacto tanta res & tam admirabilis per sacramentum efficiatur, ut quemadmodum sancti Augustini sententia celebratum est, aqua corpus tangat & cor abluat; id quidem humana ratione atque intelligentiâ comprehendi non potest: Constitutum enim esse debet nullam rem sensibilem suâpte naturâ ea vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat: at fidei lumine cognoscimus omnipotentis Dei virtutem sacramentis inesse quâ id efficiant, quod suâ vi res naturales præstare non possunt.*

Respondeo hæc nil urgere: *Tum quia* certum est per has preces aquam non accipere virtutem sanctificandi, quia quælibet alia aqua non benedicta sufficeret ad baptismum.

Insuper non soli aquæ, sed etiam verbis illa vis inesse deberet, cùm ex materia & forma conficiatur sacramentum: *Tum quia* per ea verba solùm intelligi potest sola moralis efficacitas, quam non habet quidem ex natura sua aqua vel oleum, sed ex ordinatione divina; & sicut Rex plura potest operari per authoritatem regiam, quæ secundùm vires naturales & physicas non posset exequi, ipsa tamen regia authoritas nihil physicum in eo constituit; ita sacramenta plura possunt ex ordinatione divina & per moralem efficaciam, quæ secundùm virtutem naturalem præstare non possent, ut loquitur Catechismus.

Instabis: Catechismus dicit illum operandi modum esse admirabilem & ineffabilem. Et sanctus Cyrillus lib. 4. in S. Joan. c. 14. loquens de Carne Christi, ubi cùm dixisset: *Non solummodo verbo atque imperio ut Deus utebatur, verùm etiam carnem suam, quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut reipsà ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi conjuncta est, vivificam esse.* Cap. 24. agens de efficacitate ejusdem carnis in Eucharistia, subdit: *Quomodo autem fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus; sed silentio atque firma fide suscipimus.* At si arbitratus fuisset id fieri per moralem efficaciam, id non diceret esse ineffabile; quid enim ea morali efficacia conceptu faciliùs?

Respondeo eam quidem moralem efficaciam physicâ longè esse conceptu faciliorem; nihilominus valde mirabilem in eo quòd ad talium signorum etiam ab indignissimo homine applicationem, infallibiliter Deus gratiam producat.

Dices. Sanctus Ambrosius 4. de Sacramentis cap. 4. comparat verba consecrationis & transubstantiationis cum verbis creationis: sed hæc habuerunt efficaciam physicam: ergo & illa.

Distinguo antecedens: Comparat ea quantùm ad veritatem effectûs ex parte loquentis, concedo: quantùm ad efficacitatem locutionis & verborum, nego. Intendit enim solùm ibi sanctus Ambrosius, quòd sicut Deus ex nihilo potuit verbo omnia creare, multò magis creata potuerit verbô transmutare: sive interim verba illa physicam efficacitatem habeant, sive moralem, perinde est, modò effectus sequatur.

Dices. Ex hoc sequeretur sacramenta non habere majorem efficaciam, quàm verba maleficorum ad operanda præstigia ope dæmonum. *Nego*; quia sacramenta habent efficaciam infallibilem, & à nulla causa impedibilem respectu gratiæ producendæ in subjecto disposito. Secus de maleficiis, &c.

CONCLUSIO TERTIA.

SACRAMENTA *conferunt æqualem gratiam subjectis æqualiter dispositis & inæqualem inæqualiter præparatis.* Ita expressè Tridentinum sess. 6. cap. 7. ubi inæqualitatem gratiæ, non solùm in Dei voluntatem, sed & in diversam suscipientium dispositionem refundit his verbis. *Veri justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipiendo, unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem.*

XXXIII. Æqualis in æqualiter major in meliùs dispositis gratia producitur.

Notandum autem per has particulas (*prout vult*) non intendere Concilium quòd Spiritus S. duobus eodem modo dispositis inæqualem interdum gratiam conferat, aliàs frustrà adderet, *& secundùm propriam cujusque dispositionem*: sed intelligit mensuram ex parte Dei esse illius voluntatem quâ in universum dona singulis partitur prout vult, sive in sacramentis, sive extra sacramenta.

Eandem doctrinam passim habent sancti Patres. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 10. *Quamvis*, inquit, *peccatorum remissio omnibus æquè per baptismum detur: Spiritus tamen gratiæ pro fidei ac præcedentis purgationis modulo ac ratione comparatur.* Sanctus Cyprianus Epistolâ 6. quæ nunc est 76. docet pluribus exemplis Scripturæ sacræ, effectum baptismi, ut baptismus est, sive per lotionem, sive per infusionem aut aspersionem morientibus detur, æqualem in omnibus gratiam operari; id inquam probat exemplo *Solis*, qui super omnes pari & æquali luce diffunditur: *Manna*, qui Exodi 16. sine discrimine sexûs vel ætatis ad mensuram Gomorà singulis colligebatur: *Seminis* quod in Evangelio æqualiter seminatur; *Denarii* quod Matth. 2. à Patre-familias per procuratorem æqualiter distribuitur: quibus addit; *Spiritus sanctus non de mensura datur, sed super credentes totus infunditur: Nam si dies æqualis omnibus nascitur, & si Sol super omnes pari & æquali*

luce diffunditur, quanto magis Christus sol & dies verus in Ecclesia sua lumen æternæ vitæ pari æqualitate largitur? Nec dicas ex hoc inferri S. Cyprianum velle æqualem semper gratiam per sacramenta communicari, non obstante diversâ suscipientium dispositiooe.

Respondeo enim eum ibi tantùm agere de sacramento baptismi secundùm se considerato, sive per lotionem, sive per aspersionem conferatur, contenditque utrumque valere & parem conferre gratiam quatenus sacramentum est secundùm suam efficacitatem; non verò per respectum ad subjectum.

Sacramentum enim considerari potest tribus modis: *Primò* per comparationem ad aliud specie diversum; v.g. comparando baptismum cum Eucharistia, &c. & sic eûm unum sit alio præstantius, ut decernit Concil. Trident. sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit hæc septem sacramenta esse virtute paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius, anathema sit*: certum est pariter præstantiorem gratiam edere. *Secundò* considerari potest in seipso solùm, & penes proprium illum effectum ad quem determinatè à Christo fuit institutum. *Tertiò* per habitudinem ad subjectum cui applicatur.

XXXIII. Æqualis in æqualiter major in meliùs dispositis gratia producitur.

Primò modò unum sacramentum præstantiorem gratiam producit quam aliud, nonobstante æquali dispositione: *Secundò modò* habet ut conferat gratiam sibi propriam in hoc & isto determinato gradu, & non in ampliori vel minori: V.g. dum parvulis confertur baptismus, cùm nullam in eis positivam dispositionem noo reperiat, sed solùm meram non repugnantiam quæ in omnibus est æqualis, habet etiam in illis omnibus æqualem gradum, quia nihil aliud habet quàm quod voluit Christus correspondere operi operato sacramenti, sine habitudine ad dispositionem subjecti.

Tertiò modò gratiam producit æqualem vel inæqualem pro diversa suscipientium dispositione, idque ex opere operato, tùm juxta Christi ordinationem, quæ nobis innotescit per Concil. Trid. suprà laudatum; *tum* ex analogia quam sacramenta habent cum causis naturalibus, quæ æqualem vel inæqualem effectum pro varia subjecti dispositione producunt: *tum* denique ex congrua & suavi providentiæ ordinatione, quâ major gratia meliùs disposito conferri debet, ut spe majoris illius fructûs, excitemur ad suscipienda sacramenta cum majori dispositione & reverentia. Ita solvendæ sunt omnes objiciendæ Patrum authoritates.

Id autem voluisse sanctum Cyprianum, constat ex assumptis ab eo exemplis; lux siquidem Solis licèt sit eadem, nihilominus major vel minor fit ratione majoris vel minoris perspicuitatis subjecti. Manna licèt idem, attamen diversas habebat suavitates pro diversa dispositione & desiderio manducantium. Immò & ipsemet expressè urgendo exemplum seminis, hæc habet: *In Evangelio dominicum semen æqualiter seminatur, sed pro varietate terræ aliud absumitur, aliud in multiformem copiam vel trigesimi, vel sexagesimi numeri fructu exuberante numeratur.*

Neque huic assertioni contradicit subtilis Doctor, ut nonnulli ipsi falsò imponunt, asserentes ipsum docere quòd de facto major datur gratia virtute sacramenti Prædestinatis, quàm reprobis, imò etiam inter Prædestinatos amplior gratia per baptismum conferatur ei, qui ad majorem gloriam est prædestinatus; imò contrarium apertè docet, quamquam id sentiat esse possibile; quod ut apertè constet, placet illius verba describere, ex lib. 4. dist. 4. quæst. 7. num. 3. ubi ait: Respondeo quòd cùm ad effectum baptismi, scilicet gratiam, concurrat causa principalis, scilicet Deus, & causa meritoria, ut Passio Christi, & ipse suscipiens baptismum: ex parte cujuslibet istorum posset attendi æqualitas vel inæqualitas. Quantùm ad Deum determinantem se cooperari isti signo per effectum significatum, & in hoc instituentem istud signum in ratione signi certi, aliquô modô potest esse differentia, aliquô modô non. Aliquam enim gratiam disposuit regulariter conferre cum isto signo; ita quòd nulli minorem: & ista dici potest conferri virtute baptismi; quia virtute veritatis hujus signi; & sicut determinatio illa universalis, quantùm ad istum gradum est uniformis, ita effectus æqualis. Ecce in terminis nostra conclusio.

Doctor subtilis docet sacramenta æqualiter dispositis inæqualem posse conferre gratiam; non autem quòd de facto conferant.

Pergit: Veruntamen quia Deus prædestinavit diversos Electos ad diversos gradus gloriæ, & hoc ante determinationem hujus signi, ad tantam vel tantam gratiam conferendam; & ordinationi ad majorem gloriam rationabiliter potest conferri major gratia: potest Deus in determinando veritatem, seu certitudinem hujus signi disponere conferre alicui suscipienti præcisè illam gratiam, quæ requiritur ad certitudinem signi, & alicui majorem, quem prædestinavit ad majorem gloriam; sed ille ulterior gradus non confertur virtute baptismi, sed de speciali benevolentia divina. Propter hoc dici potest, quòd ex parte causæ principalis, effectus est regulariter æqualis simpliciter, qui datur virtute baptismi: quia supponitur quòd de lege communi prima gratia non datur major absque omni differentia extra causam principalem. *Quid clarius? Adstruit possibilitatem inæqualitatis ex parte causæ principalis, sed negat actum de lege communi.*

Eòdem modò loquitur num. 4. de inæqualitate ex parte causæ meritoriæ, inquiens: De secundo potest dici, quòd illa causa meritoria potest efficaciùs operari ad gratiam in uno, quàm in alio: vel quia specialiùs pro uno, quantùm ad intentionem offerentis, quàm pro alio: vel quantùm ad executionem pro uno oblata in effectu, pro alio non, nisi in prævisione divina. Primô modô Christus ponitur communiter nosse omnia, quæ Deus novit, scientiâ visionis, & per consequens novit omnes Electos, & ad quem gradum gloriæ fuerunt electi. Potuit ergo pro Prædestinato ad majorem gloriam pleniùs offerre passionem suam, & præcipuè cùm se offerret pro genere humano, ad hoc ut de eis impleretur divinæ prædestinatio.

Secundô modô passio Christi efficaciùs cooperatur pro nobis, qui sumus in lege Evangelica, quàm pro Patribus in lege Moysis: quia obsequium præstitum ad majus bonum retribuendum, magis acceptatur quàm beneficium prævisum. Et illô secundô modô est inæqualitas in suscipientibus gratiam, per Circuncisionem & Baptismum, propter inæqualem applicationem causæ meritoriæ ad istos: & fortè etiam in baptizatis ante passionem, & post passionem. Si autem primô modô, scilicet propter specialem obligationem in voluntate Christi, sit inæqualitas gratiæ in aliquibus nunc baptizatis, dubium est de facto: sed possibilitas est ostensa. Huc usque Doctor: igitur non facilè quisquam credat Au-

thoribus citatoribus Doctorem pro aliqua sententia, nisi verba textûs legerit & expenderit, ne in ipso obtineat, quod dicitur *Eccli. 19. v. 4. Qui credit citò, levis corde est, & minorabitur.*

QUÆRES 1. *Utrùm sacramenta præter gratiam sanctificantem, aut illius augmentum conferant aliqua auxilia à virtutibus infusis, & donis Spiritûs sancti distincta.*

XXIV. Sacramenta præter gratiã sanctificantem producunt quædam auxilia. RESPONDEO id videri probabilius, ut communiter docent Theologi: *Tum quia* alioqui frustra plura & distincta sacramenta essent instituta; quippe cùm augmentum gratiæ haberi posset per frequentem ejusdem sacramenti repetitionem, potà per sacram communionem; verisimile enim est, quòd plus gratiæ habitualis conferatur per frequentationem Eucharistiæ, quàm per receptionem aliorum sacramentorum. Tum quia SS. Patres docent sacramenta Matrimonii & Ordinis esse instituta, ut per gratiam ejusmodi sacramentorum Ecclesiastica munia ritè possent perfici, & conjugii onera æquò animò sustineri; necnon & mutuus amor inter conjuges rependi, mutuaque servari fides, & proles piè educari. Docent pariter Confirmationem esse institutam ad conferendam gratiam, quà constanter, ubi necessum fuerit, fidem profiteamur adversus quoslibet illam impugnantes; etiam cum bonorum jactura, & vitæ dispendio. Idem dicendum de cæteris sacramentis, cùm enim Baptismus sit per se institutus ad spiritualem generationem hominis, & ad vitam gratiæ instaurandam, verisimile est quòd per ipsum conferantur auxilia quædam specialia, quibus illa vitæ novitas perficiatur ac servetur.

Similiter sacramentum Pœnitentiæ confert aliquod auxilium speciale ad efficaciùs detestanda peccata, & satisfaciendum pro commissis. Pariter Eucharistia, cùm sit instituta per modum alimenti spiritualis, confert auxilia, per quæ præservemur à morte spirituali, nempe mortali peccato. Idem constat de Extrema-Unctione, quæ cùm ordinata sit ad abstergendas peccatorum reliquias, & conferendum robur in illo vitæ discrimine, meritò credi potest, quòd specialia conferat quædam auxilia ad ejusmodi effectus.

Denique, ea distinguuntur, quorum effectus sunt diversi: atqui diversi sunt effectus gratiæ gratum facientis, & gratiæ sacramentalis; effectus enim gratiæ gratum facientis est tribuere aliquam similitudinem divinæ naturæ, juxta illud 2. Petri cap. 1. *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ:* effectus autem gratiæ sacramentalis, est conferre aliquod remedium contra defectus peccati: ejusmodi autem effectus sine dubio sunt diversi: igitur, &c.

Idem patet de gratia sacramentali respectivè ad virtutes & dona; gratia enim sacramentalis se habet ad gratiam virtutum & donorum, quemadmodum gratia virtutum & donorum se habet ad gratiam sanctificantem communiter sumptam.

XXV. Gratia sanctificans sumitur tripliciter. Quod ut percipiatur: *Advertendum* est gratiam sanctificantem tripliciter considerari: *Primò* quidem communiter, quatenus videlicet hominem facit Deo gratum, & divinæ naturæ consortem: *Secundò*, gratiæ virtutum & donorum addunt super ejusmodi gratiam sanctificantem auxilia quædam, quibus homo perficitur, & vegeratur, ad eliciendos actus conformes ipsis donis & virtutibus, maximè verò ad credendum, sperandum & diligendum Deum super omnia: gratia verò sacramentalis perficit hominem ad speciales sacramentorum effectus mox designatos.

Quòd autem reverà sacramentalis gratia addat aliquid super gratiam virtutum & donorum, sicut & supra gratiam habitualem, apertè colligitur; quia alias sacramenta frustrà conferrentur habentibus gratiam habitualem, ac virtutes & dona Spiritûs sancti; maximè cùm ejusmodi gratia faciliùs augeri posset virtutum & donorum exercitiò quàm sacramentorum ope.

Dices. Gratia sacramentalis ordinatur tantùm ad tollendos animæ defectus, qui ex peccatis oriuntur: sed ad id sufficit gratia virtutum & donorum; omnia quippe peccata excluduntur per ejusmodi virtutes; quia nullum est, quod alicui virtuti non opponatur: igitur, &c.

Distinguo minorem: Ad id sufficit generatim, concedo: speciatim, nego: nam habitualis gratia virtutum & donorum tollit quidem generalem defectum animæ, & generale vulnus potentiarum ejus, privationem virtutis & gratiæ; non tollit autem peculiares aliquos defectus, ad quos auferendos ordinatur gratia sacramentalis.

QUÆRES 2. *Quænam sit illa gratia Sacramentalis?*

RESPONDET Paludanus esse habitum aliquem peculiarem realiter distinctum ab habituali gratia, virtutibus & donis Spiritûs sancti, quem appellat regenerativum in Baptismo, corroborativum in Confirmatione, nutritivum in Eucharistia. Idem dicendum de cæteris. **XXVI. Quid sit gratia sacramentalis.**

Verùm refellitur, tum quia nulla est necessitas admittendi istius habitûs; actus enim ad quos juvat gratia sacramentalis, aut sunt communes & ordinarii ex deliberatâ voluntate eliciti; aut sunt extraordinarii, & ex solo speciali Spiritûs sancti motu, non autem ex propria deliberatione exerciti, quales fiunt interdum à viris sanctioribus: sed ad priores actus sufficit gratia habitualis, cum virtutibus supernaturalibus: ad posteriores verò sufficiunt dona Spiritûs sancti, quibus redduntur facilè mobiles ad sequendum ejusmodi divini Spiritûs impulsum. **Variant Auctores.**

Alii aliter sentiunt, sed omissis eorum sententiis, existimo dicendum gratiam sacramentalem addere supra gratiam habitualem & virtutes ac dona Spiritûs sancti, auxilia actualia, putà piam & sanctam cogitationem, motusve subitos voluntatis à Deo divinitus immissos, ad consequendum finem sacramentorum, ad quæ quidem auxilia jus habet, qui sacramenta suscipit; licèt enim quæcumque gratia habitualis exigat aliqua auxilia, sive gratias prævenientes ad resistendum tentationibus, & bene operandum: *Deus namque* (loquitur Tridentinum sess. 6. cap. 11.) *suâ gratiâ actuali semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.* Rationem præmiserat: *Quà* (inquiens) *fit, ut justi ipsi eò magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quò liberati jam à peccato, servi autem & amici facti Deo, sobriè, justè & piè viventes proficere possint per Christum Iesum*, quin diligentes se diligit, ditans eos specialibus favoribus & auxiliis, quibus faciliùs possint, si velint, mandata Dei servare; id quippe consentaneum est legibus amicitiæ, ut amicus juxta voluntatem amici operetur. Licèt quæcunque **XXVII. Quæ sit nostra sententia.**

quæcumque gratia habitualis sibi vendicet specialia auxilia necessaria ad sui conservationem; attamen potissimùm convenit gratiæ sacramentali, quæ de congruò postulat certa quædam auxilia, quibus obtineatur finis à Christo Domino per sacramentom specialiter intentus: qoemadmodum contingit apud homines, ut dum subditus aliquis meruit sui Principis amicitiam suis obsequiis in aliquo loco, maximè dignus est; ut ibidem præmiô donetur: v. g. dum urbem aliquam ex parte adversariorum ad deditionem compulit, dignus est, ut ejus urbis præfectus instituatur.

Dices: Idem habitus gratiæ non sufficit ad actus specie diversos: sed in sacramentis sunt actus specie diversi; matrimonium enim ordinat ad servandam conjugii fidem, ad Christianam liberorum educationem, & onera familiæ ferenda: ergo ad eos actus eliciendos concurrere debet alius habitus: sed ille alius esse non potest, qoàm gratia sacramentalis: ergo gratia sacramentalis non est auxilium actuale, sed habituale.

Nego majorem: Nam gratia sanctificans, quæ collata fuit in statu innocentiæ, & in veteri Testamento, non videtur specie diversa ab ea, quæ confertur hominibus justis in lege Evangelica, diversos tamen specie præstat effectus; nam gratia statûs innocentiæ coercebat effrenes motus sensitivæ partis, & corpus animæ, ac sensum rationi subjiciebat: quem utique effectum non præstat gratia sanctificans novi Testamenti: Hæc similiter longè efficacior est, quàm gratia veteris Testamenti; quippe cœlum hominibus priùs clausum aperit.

QUÆRES DENIQUE, *Quinam habeant jus ad illa auxilia sacramentalia?*

XXVIII. Quinam jus habeant ad gratiam sacramentalem.

RESPONDEO, probabiliùs videri, eos duntaxat jus illud sibi vendicare, qui gratiam sanctificantem in sacramenti receptione obtinent, & obtentam conservant: Unde qui gratiam Dei cum sacramento matrimonii non accipit; nec acquirit jus ad auxilia specialia, quæ sanctos conjuges ad educationem liberorum, & alia matrimonii onera ferenda juvant, & ita in aliis sacramentis.

Probatur, quia Autboris ex sermonis in cœna apud S. Cyprianum cap. *De ablutione pedum*, ait: *Deus reversis per pœnitentiam dat, ut iterum possint eis injuriata sacramenta prodesse; quorum si pœnitentia non subesset, nullò modò deinceps experiri possent effectum:* Hinc qui susceptô Confirmationis sacramento, gratiam per peccatum mortale amittit, & rursus ad Deum per pœnitentiam redit, haud dubiè plus recipit gratiæ, quā qui non acceptâ Confirmatione, cum æquali dispositione accedit ad Pœnitentiæ sacramentum; is enim animô promptiori paratus est ad subeunda quæque tormenta pro tuenda fide, quàm qui non susceptô Confirmationis sacramentô, simili ratione ad Pœnitentiam accederet: Hic autem animi vigor non confertur præcisè per Pœnitentiæ sacramentum; quia hoc gratiam confert pro mensura dispositionis suscipientis: oportet ergo ut proveniat ex vi susceptæ Confirmationis, cujus gratia reviviscit per pœnitentiam, quatenus removet impedimentum, nempe peccatum.

Dices: Actuale gratiæ auxilium non exigit statum gratiæ sanctificantis; siquidem istud Deus interdum largitur, etiam perditissimis hominibus, ut constat exemplô S. Pauli, Magdalenæ & aliorum peccatorum, qui divinô irradiante gratiarum lumine ad bonam frugem sese receperunt: igitur status gratiæ habitualis sanctificantis non est necessarius ad suscipienda auxilia per sacramenta.

Distinguo antecedens: Si gratia actualis detur ex mera liberalitate & misericordia, qualiter data est, tum S. Paulo, tum aliis illustribus pœnitentibus, concedo: si detur ex aliquo jure seu debito, quemadmodum dantur auxilia per sacramentorum collationem debita, nego.

Instabis: Gratia sacramentalis non habet majorem connexionem cum gratia sanctificante, quàm virtutes divinitus infusæ: sed hæ possunt esse sine gratia sanctificante; nam in peccatoribus possunt esse fides & spes, in quibus tamen gratia gratum faciens non resider.

Distinguo majorem: Non habet majorem connexionem, quàm virtutes, quæ ab ipsa gratia sanctificante profluunt, concedo: quàm virtutes quæ requiruntur ut dispositiones ad gratiam, nego: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam. Fateor enim gratiam sacramentalem non habere majorem connexionem cum gratia sanctificante, quam charitas, quæ ab ipsa profluit, esséque eadem realiter cum ipsa; secus autem est de virtutibus, quæ ab ipsa non profluunt, sed potius ad eam sunt dispositiones præviæ, quales sunt fides & spes.

QUÆSTIO III.

Vtrùm, qualem, & cui Sacramenta characterem imprimant?

I. Quid significetur nomine characteris.

NOtandum primò, ex Doctore in 4. dist. 6. quæst. 9. num. 3. nomine *characteris* hîc significari signum aliquod, quô assimilantur invicem ii, qui tali signô notantur, & ab aliis hominibus secernuntur: *χαρακτὴρ* enim Græcè, Latinè dicitur *forma, figura*, vel *imago*; *nota*, aut *signum* quoddam distinguens aliquos ab aliis: Hinc Heb. 1. Filius Dei dicitur Græcè *ὁ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, hoc est, figura & imago substantiæ ipsius Patris: Et Apoc. 13. dicuntur aliqui habere *characterem bestiæ*, seu figuram in frontibus & manibus, quò significetur eos pertinere ad familiam bestiæ. Quocirca figura, quæ candente ferrô pecoribus imprimitur, ut domini sui notam gerant, & discerni possint à pecudibus alterius domini, vulgari sermone *character* appellatur. Hôc modô etiam, inquit Doctor, dicimus characteres, figuras, quibus litteræ scribuntur; quâ ratione etiam figuræ quædam protractæ in incantationibus characteres solent appellari. Itaque nomine characteris, propriè significant Theologi *signum quoddam spirituale impressum à Deo suscipienti sacramentum non iterabile.*

II. Duo sunt diversi effectus characteris.

Notandum secundò, ex eodem *ibidem*, duas potissimùm hujus characteris distingui proprietates, duosque effectus: alium quidem physicum, alterum verò moralem; *Physicus* est, ut sit assimilatio subjecti habentis characterem ad aliud, quod similem formam obtinet, & distinctio ejusdem ab alio ita non signato: *Moralis* verò est, ut sit signum rememorativum sacramenti suscepti, conformativum Christo, cujus sacramentum suscipitur, & obligans suscipientem ad legem, &

fidem ſervandam, cujus eſt initiatio: tandem ut per illud ſignum ſuſcipiens ſacramentum deputetur ad aliquod munus; quemadmodum per aliquam notam peculiarem homines olim militiæ adſcribebantur. Inde colligit Doctor, characterem diſtingui ab alio effectu ſacramenti, nempe gratia, nec-non à virtutibus infuſis, fide, ſpe, & charitate: quia, inquit, tales virtutes non ſemper imprimuntur ſuſcipienti ſacramentum non iterabile, utpote fictè ſuſcipienti Ordinem, vel Confirmationem: character autem ſemper imprimitur. Hoc etiam apparet ex quadam alia conditione, quam communiter loquentes attribuunt characteri, ſcilicet quòd eſt indelebilis: virtutes autem iſtæ ſunt delebiles, ut patet de peccante mortaliter, in quo non remanent iſtæ virtutes.

Quomodo diſtinguatur à gratia à virtutibus infuſis.

III.

Notandum tertiò, recentiores hæreticos in dubium revocare, quòd per ſacramenta novæ legis ejuſmodi character imprimatur ſuſcipientibus; nam *Ioannes Vuiclef* lib. 4. trialogi cap. 15. ait: Multiplicant quidam in ordinibus à ſacramentis characteres; ſed iſtorum fundationem & fructum, nec in Scriptura ſacra, nec in ratione conſidero. *Lutherus* quoque lib. de captivitate Babylonica, cap. de Ordine, characterem ſic irridet. Effinxerunt, inquit, characteres, quos huic ſuo ſacramento tribuerunt, qui imprimerentur ordinatis; unde ergo tales cogitationes, quâ authoritate, quâ ratione ſtabiliuntur? Similiter *Calvinus* in Antidoto Canonis 9. ſeſſ. 7. Concilii Tridentini: Quod, inquit, de charactere indelebili fabulantur, ex eadem prodiit officina; nam in veteribus id totum ignotum fuit, & magis conſentaneum eſt incantationibus magicis, quàm ſanæ Evangelii doctrinæ: eâdem ergo facilitate repudiabitur, quâ excogitatum fuit.

Quinam hæretici characterem in dubium revocent.

His præmiſſis, quatuor potiſſimùm hac in quæſtione ſunt ſtatuenda: *Primum*, quòd reverà per aliqua duntaxat ſacramenta imprimatur character: *Secundum*, quòd ille non ſit aliqua relatio rationis, ut voluit Durandus, nec tantùm realis, ut quidam perperam fingunt Doctorem ſubtilem aſſeruiſſe; ſed qualitas quædam ſpiritualis. *Tertium*, utrum character ille immediatè ſubjectetur in animæ ſubſtantia, vel in aliqua ex ejus facultatibus. *Quartum* denique an ſit omnino indelebilis & inamiſſibilis.

Scopus quæſtionis.

Conclusio Prima.

IV.

Tria ſacramenta novæ legis, putà Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, imprimunt characterem ſpiritualem. Hæc eſt de fide, determinata in Conciliis, maximè Florentino in Decreto Eugenii, ubi legimus: *Inter hæc ſacramenta* (novæ legis) *tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt, ſpirituale ſignum à cæteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile*; unde in eadem perſona non reiterantur: reliqua autem quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt. Idem definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile; unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.*

Characterem imprimi per tria ſacramenta probatur 1. Ex Conciliis.

V.

Eandem veritatem perpetuâ traditione ab Eccleſiæ primordio acceptam luculenter expreſſit Inoocentius tertius, ut refertur in capite *Majores de baptiſmo*, ubi cùm quæreretur an dormientibus, & amentibus character ſacramenti imprimatur in Baptiſmo, ita ut excitati à ſomno, vel ab ægritudine non ſint denuò baptizandi, *reſpondet*: Sunt qui dicunt, quòd Baptiſmus & Ordo, non ſolùm dormientibus & amentibus, ſed invitis & contradicentibus, etſi non quoad rem, quoad characterem tamen conferuntur: alii non abſurdè diſtinguunt, quòd hic, qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit ſacramentum, ut & qui fictè ad Baptiſmum accedit, characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum. Qui verò penitus contradicit, & nunquam conſentit, nec rem, nec characterem ſuſcipit ſacramenti; dormientes autem & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, etſi ſic fuerint immerſi, characterem non ſuſcipiunt ſacramenti: ſecus autem, ſi priùs catechumeni fuiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi. Tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem.

2. Ex perpetua Eccleſiæ traditione.

Quibus verbis ſupponit Innocentius, doctrinam de charactere ſacramentali, eſſe in Eccleſia conſtantem, & à Majoribus acceptam; ut optimè notat ſubtilis Doctor laudatâ *quæſt. 9. num. 14.* ubi obſervat, quòd etſi dici poſſet priora hujus authoritatis verba nomine *characteris* ſignificare Baptiſmum; *tamen per poſteriora*, inquit, *quibus dicit quòd ſacramentalis operatio imprimit characterem, videtur expreſſè loqui de charactere, tanquam de aliquo impreſſo ipſi animæ, ſicut loquimur in propoſito.*

VI.

Non deſunt etiam Scripturæ teſtimonia huic veritati patrocinantia; imprimis enim proferri poteſt illud 2. ad Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus: qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris.* Quibus verbis Apoſtolus diſtinguit tres effectus Confirmationis, quorum *Primus* eſt gratia, quâ inſtar olei ungimur & roboramur; *Secundus* eſt character, quô conſecramur Deo, & conſignamur tanquam ſignô Chriſti ad cultum divinum, & aliquod officium: *Tertius* eſt Spiritus ſanctus, qui nobis reddit teſtimonium bonæ conſcientiæ, eſtque in nobis velut pignus futuræ gloriæ. Fateor tamen ex hac & ſimili Scripturæ authoritate non clarè & explicitè concludi poſſe ejuſmodi ſacramentalis characteris impreſſionem: aliquis enim reponere poſſet, ejuſmodi Scripturæ textus exponendos eſſe de gratia ſanctificante, quemadmodum Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. vocat illam promiſſionis Spiritum ſanctum, dicens: *Efficiens verò* (cauſa juſtificationis) *miſericors Deus, qui gratuitò abluit & ſanctificat, ſignans & ungens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ?* Et de hac intelligunt locum Apoſtoli 2. Corinth. 1. Chryſoſtomus; Oecumenius, & alii. Quamvis autem non omnes eam recipiant in ſuſceptione ſacramenti, tamen ipſum ſacramentum, quantùm eſt ex ſe, natum eſt illam conferre, quod ſufficit.

3. Colligi poteſt ex Scriptura ſacra.

VII.

Proferuntur etiam plures SS. Patrum authoritates, eandem veritatem inſinuantes; Primò quidem Cyrillus Hieroſolymitanus præfatione in ſuas Catecheſes: ubi ait. *Magnum eſt ſanè propoſitum Baptiſma captivitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum, ſanctum & indelebile*: Sed Baptiſmus non eſt indelebilis ratione gratiæ ſan-

Huic etiam veritati patrocinantur SS Patres.

ctificantis; hæc enim per quodlibet mortale peccatum deperditur: ergo talis dicitur ratione signaculi in baptizato manentis, quale nullum esse potest aliud, nisi character. Similiter S. Basilius homil. 13. ait: *Nisi signaculum in te agnoscat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodò, dices, Dei sum, signa Dei non ostendens? an ignoras quemadmodum signatas domos in Ægypto præteriit exterminator, in non signatis verò primogenita peremit? Thesaurus non obsignatus facilè patet furibus; ovis absque nota, protinus insidiis est obnoxia.* Item sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 40. *Baptismus*, inquit, *est sigillum, quia conservatio est, ac dominationis significatio: significat enim cujus Domini possessio simus.* Et infra, *Priùs signata non facilè insidiis appetitur, quæ non est signata facilè capitur à furibus.*

Sanctus Chrysostomus homil. 2. in epist. ad Ephesios: *Signati sunt Israëlitæ: sed nota circumcisionis, ut pecora; nos ut filii in diem redemptionis.* Unde homil. 14. ait: *Nos fecit gregem regalem.*

Idem habent alii S. Patres, ut Hieronymus ad Ephes. 4. *Deus imprimit animæ signaculum sancti Spiritûs.* Et sanctus Ambrosius 1. de Spiritusancto cap. 6. *Spiritu signamur, ut splendorem & imaginem ejus, & gratiam tenere possimus, quod est spirituale signaculum.* Sed omnium optimè huic veritati adstipulatur S. Augustinus pluribi, maximè verò lib. 6. de Baptismo, cap. 1. scribens: *Eduxit Pastoribus Ecclesia ovem, quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus foris acceperat venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, à vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea potius agnosci, quàm improbari, quandoquidem ipsum characterem multi lupis infigunt;* ille autem dominicus character, aut est ipsa Dei gratia, aut ipsum sacramentum, aut aliquod indelebile signaculum impressum animæ: sed non est ipsa gratia; hæc enim non infigitur lupis, id est malis hominibus in malitia sua permanentibus, nec agnoscitur in ove foris inter hæreticos errante. Non etiam est ipsum sacramentum; quia character ille, cujus meminit S. Augustinus, infigitur lupis: at exterius sacramentum dici non potest infigi; nam est actio transiens: igitur necessum est, quòd loquatur de charactere impresso animæ.

Advertendum nihilominus ut notat Doctor *num.* 14. hanc authoritatem posse intelligi de ipso Baptismo, non autem de effectu Baptismi. Unde fatetur, quòd neque hæc authoritas, nec aliæ suprà à nobis memoratæ sufficerent, ad astruendum istum characterem sacramentalem, nisi intercederet Ecclesiæ definitio. Unde ibidem Doctor præclarè colligit: *Propter ergo solam authoritatem Ecclesiæ, quantùm occurrit ad præsens, est ponendum characterem imprimi.* Unde præclarè Suarez disp. 11. sect. 1. postquam varia recensuisset SS. Patrum testimonia pro impressione characteris sacramentalis, subdit: Quoniam verò, inquit, hæc omnia testimonia non videntur cogere; ideo Scotus dist. 6. quæst. 9. dicit facilè exponi posse ipsum sacramentum Baptismi, v. g. esse characterem; & ideo concludit solâ authoritate Ecclesiæ nos cogi ad ponendum characterem. Sed quamvis verum sit Ecclesiæ authoritatem habere præcipuas partes in hoc negotio; tamen eâ suppositâ intelligimus mentem Sanctorum fuisse in eadem significatione de charactere loqui; & sine dubio multa ex dictis Sanctorum meliùs prædictô modô intelligentur. Quibus verbis optimè attigit scopum Doctoris, & mentem à nobis expositam.

VIII. Colligit etiam Doctor ex ratione congrua.

Tres nihilominùs pro asserendo ejusmodi charactere congruentias profert Doctor *num.* 15. ubi scribit: *Primò*, congruum est ad formam perfectam, poni aliquam dispositionem: gratia autem forma est supernaturalis, & perfecta: ergo congruit ad eam esse aliquam dispositionem præviam supernaturalem: talis est character. *Secundò:* congruit Deum non instituisse sacramenta vana, saltem pro nova lege, quæ perfecta est: ergo congruit, quòd sacramenta sua à nullo recipiantur verè, quin aliquem effectum habeant: sed non semper habent gratiam, sicut in ficto: ergo aliquem alium. *Tertiò*, congruit receptum in familiam Christi, distingui à non recepto per aliquid intrinsecum sibi: quia licèt Christus posset distinguere sine tali intrinseco, tamen perfectior est & in se, & in comparatione ad omnem Ecclesiam, militantem scilicet, & triumphantem, si fiat per aliquam formam intrinsecam manentem, quàm si non sic fiat. Tale distinctivum ejus, qui suscepit sacramentum, quô intratur in familiam Christi, ab eo, qui non suscepit, & immanens in suscepto, ponitur character.

Subdit autem quòd istarum congruentiarum tertia est magis rationabilis; quia est etiam specialis de Baptismo: duæ autem aliæ talem habent probabilitatem, quòd si ponatur character, tali modô ponetur, qualem illæ congruentiæ tangunt. Unde concludit: *Sic ergo breviter teneatur conclusio propter authoritatem Ecclesiæ priùs adductam, & duæ congruentiæ, una de susceptione in familiam Christi, & alia de dispositione conferenda, sunt probabiles.*

Ex quibus apparet Doctorem subtilem non revocare in dubium veritatem, & existentiam characteris sacramentalis ut quidam perperam ipsi imponunt: sed tantum quòd illa veritas probari non possit expressis & evidentibus Scripturæ sacræ, aut sanctorum Patrum sententiis; neque ulla efficaci ratione demonstrari, sed duntaxat quòd constet ex authoritate Ecclesiæ, cujus traditioni & definitioni suffragantur tum Scripturæ, tum sanctorum Patrum oracula.

IX. Unde perperam à nonnullis vellicatur.

Aliam hujus veritatis congruentiam subjicit Author sermonis de Cœna apud S. Cyprianum serm. nam agens de ablutione pedum, apertè significat Baptismum, Confirmationem & Ordinem iterari non posse, quia imprimunt characterem. *Baptismum repeti Ecclesiastica prohibent regula* (scilicet in Canonibus Apostolicis 46. & 68.) *Et semel sanctificatis nulla deinceps manu iterum consecrans præsumit accedere. Nemo sacros ordines semel datos renovat; nec sacro oleo linitos, iterum linit, & consecrat: Nemo impositioni manuum vel ministerio derogat Sacerdotum, quia contumelia esset Spiritûs sancti si evacuari posset quod ille sanctificat.* Reponunt hæretici 1. baptismum non iterari, quia est ingressus in Ecclesiam. *Contrà*, exinde sequeretur quòd ubi quis ab Ecclesia per apostasiam est egressus; iterum ad eam accedens deberet baptizari, quod militat adversus præfatorum Patrum & veterem Conciliorum doctrinam.

Reponunt 2. Ideo non iterari; quia est spiritualis regeneratio purgans animum ab originali peccato. *Contrà* dum quis cum affectu peccati mortalis baptizatur, nec regeneratur spiritualiter, nec

peccatum originale dimittitur; attamen iterum dum facti pœnitet non baptizatur.

Deinde regeneratio ſpiritualis fit etiam per contritionem excitatam per Evangelii prædicationem ut dicitur Apoc. 1. & ad Corinth. 4. *Per Evangelium ego vos genui*, nihilominus ſic geniti baptizantur. *Denique* toties homo regeneratur, quoties amiſſam ſpiritualem vitam recipit, non tamen toties baptizatur.

Reponunt 3. in probanda characteris exiſtentia fieri circulum vitioſum, ideirco enim dicimus tria ſacramenta imprimere characterem, quia non poſſunt iterari; & non poſſe iterari, quia characterem imprimunt: ſed hæc ratioeinatio nulla eſt, ut conſtat ex Ariſtotele. lib. priorum. Ergo, &c.

Nego majorem: Circulus enim vitioſus eſt dum fit in eodem genere cauſæ: ſecus hîc: nam impreſſio characteris eſt cauſa cur ſacramentum non iteretur, & non iteratio eſt effectus illius characteris: unde ſicut rationale ritè probatur à poſteriori per riſibile; & riſibile à priori demonſtratur per rationale, ita & character rectè infertur per negationem iterationis, & hæc per characteris impreſſionem.

Dices primò: Nulla apparet ſufficiens ratio propter quam videatur admittendus ſacramentalis character: igitur fruſtrà aſſeritur. Probatur antecedens. *Vel* enim admitteretur tanquam diſpoſitio ad gratiam, quod affirmari non poteſt, quia ſacramentum in voto ſuſceptum, confert gratiam independenter à charactere. Inſuper, inquit Doctor *num.* 16. cùm in quolibet ſacramento conferatur gratia, in quolibet requireretur impreſſio alicujus characteris ut eſſet diſpoſitio prævia ad cjuſmodi gratiam conferendam, quod falſum eſt: *Vel* admitteretur ut diſtingueret baptiſatum à non baptizato; at hoc videtur etiam inutile: tum reſpectu Dei, qui abſque ullo prorſus ſigno novit homines qui & quales ſiot; tum reſpectu Beatorum & Angelorum, quia in divina eſſentia clariſſimè vident ac diſcernunt baptizatum à non baptizato; tum reſpectu noſtri, quia cùm illud ſignum ſpirituale ſit, non poteſt à nobis percipi ſenſuum beneficiô; tum in comparatione ad dæmones & damnatos, eùm enim ſignum iſtud ſit ordinis ſupernaturalis; conſequens eſt quòd cognoſci non poſſit ab intellectu operante duntaxat ex naturæ viribus: tum denique per ordinem ad officia, & miniſteria ad quæ hujuſmodi ſacramenta ſuſcipientes, deputantur, ſiquidem illa deputatio fieri poteſt per ſolam denominationem extrinſecam; quemadmodum deputantur judices ad jus cuique dicendum.

X. Quos ob fines ille character admittatur.

Reſpondeo, characterem cenſeri poſſe hominibus collatum per ſacramenta propter omnes fines aſſignatos, ſiquidem Deus hominem charactere inſignitum ſibi ſpeciali jure vendicat: beati eum in ſpecialem cuſtodiam aſſumunt: viatores in ſocietatem fidei, & ſacramentorum aſſociant, & licèt in ſe non ſit ſenſibilis, tamen per cauſam, ſeu per ſacramentum ſemel collatum diſtinguit ab eo qui tale ſacramentum non ſuſcepit. Beati etiam
" inquit Doctor n. 9. & damnati, poſſuot cognoſ-
" cere hominem charactere inſignitum, quem non
" cognoſcerent eo modo, ſi tali charactere non nota-
" retur; etenim character in beatitudine ſubſiſtit ad
" majorem gloriam, & in damnatione ad majorem
" confuſionem. Denique ſicut qui deputantur ad
" diverſa officia in domo cujuſdam Principis, notari
" ſolent quibuſdam ſignis, quibus eorum munia
" noſcantur; ita homines qui per Baptiſmum recipiuntur in familiam Chriſti, per Confirmationem verò deſignantur tanquam milites ad profitendam fidem, & per Ordines donantur aliqua poteſtate circa corpus Chriſti verum & myſticum, congruum, inquam, fuit ot peculiari charactere ſacramentali ad eadem officia deſignarentur.

Dices ſecundò: SS. Patres nomine characteris, & myſtici Chriſti ſignaculi, ſeu ſigilli; nihil aliud intelligunt, quàm ipſum Baptiſmi ſacramentum: igitur ſacrameotalis character non eſt aliquis effectus ſacramenti.

XI. Quô ſenſu per characterem SS. Patres intelligunt baptiſmũ.

Diſtinguo antecedens: Nihil aliud intelligunt, quàm ſacramentum Baptiſmi, quod eſt ſignaculum cauſaliter & efficienter, ut animæ regeneratio, peccati mors, & remiſſio, concedo: formaliter, & per ſe, nego: nam illud ſignaculum dicitur imprimi, vel infigi credentibus, & ab eis portari, ut quid ſemper manens: at ſignum foris adhibitum non eſt ejuſmodi, ſed potius Baptiſmatis effectus: nam ex Cyrillo Catecheſ. 16. *Spiritus ſanctus obſignat animas in Baptiſmo.* Ex S. Ambroſio lib. 1. de Spiritu ſancto: *Signamur in corpore, veritate tamen in corde ſignamur, ut Spiritus ſanctus exprimat in nobis effigiem imaginis cæleſtis, ut ſciamus cordis noſtri magis hoc, quàm corporis eſſe ſignaculum.* Igitur illud ſignaculum in corde eſt quid internum, & à ſacramento diſtinctum.

Inſtabis: Character, de quo loquimur, eſt ſignaculum quoddam internom, & ſpirituale indelebiliter animæ impreſſum: ſed character, de quo loquontur SS. Patres, maximè verò ſanctus Auguſtinus, non eſt cjuſmodi, nihilque eſt aliud, qoàm invocatio ſanctiſſimæ Trinitatis, ut conſtat ex ſermone ſuper geſtis cum Emerito Cæſarienſi Donaſtitarum Epiſcopo: *Ego*, inquit, *quando venio ad fratrem meum, & corrigo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti; iſte eſt character Imperatoris mei, militibus, vel potius cum militibus ſuis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant, caſtris ejus, præcepit dicens: Ite, baptizate gentes.*

Maximè S. Auguſtinus

Confirmatur, quia ibidem ſanctus Auguſtinus docet, quòd ſi Donatus aut Paulus baptizaſſent in nomine ſuo, impreſſiſſent ſuum characterem: igitur nomine characteris impreſſi in Baptiſmate, nihil aliud intelligit ſanctus Auguſtinus, quàm ipſam invocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, in cujus nomine & virtute confertur Baptiſmi ſacramentum. Patet antecedens; ait enim ibidem: *Quid eſt*, inquit, *quòd dico? Deſertor characterem ſuum non fixit, Donatus non baptizavit in nomine Donati: nam ſi Donatus, quando ſchiſma fecit, in nomine Donati baptizaret, deſertoris characterem infigeret.* Et rurſus ait infrà: Quòd meritò Paulus prohibuerit eos, qui dicebant, *Ego ſum Pauli*; quia in ejus nomine baptizati non erant, & habebant alium characterem, nempe Patris & Filii & Spiritûs ſancti: *Quid vultis*, inquiebat, *eſſe mei, & non potius cujus ego ſum: agnoſcite, advertite characterem veſtrum, nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis?*

Reſpondeo, conceſsâ majore, diſtinguendo minorem: Baptiſmus eſt character imprimens, concedo: impreſſus, nego: nam, ut eadem imago Regis, idemque character eſt in ſigillo & cera; ſed in ſigillo eſt imprimens, in cera verò eſt impreſſus: ſic Baptiſmi ſacramentum, maximè ejus forma, eſt character imprimens; nam ejus nota ſpiritualis imprimitur animæ, quæ nota character impreſſus appellatur. Hinc ipſemet ſanctus Auguſtinus Epiſt. 23. ait: *Baptiſmi ſacramentum*

apud hæreticos valet ad consecrationem, non ad æternæ vitæ participationem. Nomine autem consecrationis non intelligit gratiam sanctificantem, hæc enim est vitæ æternæ participatio; neque Baptismum, qui præterit: ergo necessum est quòd intelligat characterem. Unde tract. 1. in 1. Joann. Epist. *Videat baptizatus quicumque, si habeat charitatem, & tunc dicat: Natus sum ex Deo: si autem illam non habeat, characterem impositum habet.* Character autem ille non est sacramentum ipsum; quippe cùm non maneat, neque gratia; quia hæc non requiritur absque charitate: igitur, &c.

Ad confirmationem dico, sensum verborum S. Augustini esse, quòd si Donatus, aut Paulus in nomine suo baptizasset, illa nominum ipsorum invocatio præ se tulisset speciem characteris imprimentis, reverà tamen non fuisset character imprimens, quia character fuisset desertoris, non Imperatoris, qui unum subinde attulisset affectũ; quocirca ait se deleturum, abjecturum, & anathematizaturum, si talem invenisset in homine ad unitatem accedente. Quemadmodum igitur in re monetaria, quando argentum vel aurum signatur Principis imagine, distinguendus est character imprimens in sigillo ferreo, & impressus in argento vel auro: ita etiam in re sacramentaria, quando anima in aliquo sacramento charactere signatur, distinguendus est character imprimens in invocatione sanctissimæ Trinitatis, & character impressus in anima suscipientis sacramentum.

Dices tertiò: Omnis character est signum: sed nullum in anima potest esse signum; omne enim signum debet esse sensibile: igitur in anima nullus potest esse character.

XII. Character est signum non propriè, sed analogicè.

Distinguo majorem: Est signum analogicè, & per aliquam similitudinem, quatenus videlicet id omne alicui configurat & assimilat, aut ab alio distinguit, appellatur imago, figura & signum; quemadmodum Filius dicitur character & figura substantiæ Patris, concedo: sacramenta enim Fideles invicem colligunt, Christo configurant, & eos ab infidelibus discernunt: est signum propriè dictum, rursus distinguo; ratione sui, & per se, nego: ut sic enim est aliquid insensibile: ratione sacramenti sensibilis, quod suscepit, concedo: novimus enim, & asserere possumus, aliquem insigniri charactere baptismali, quia compertum habemus, quòd aquâ sit ablutus in nomine sanctissimæ Trinitatis.

Petes: Quare duntaxat sint tria sacramenta characterem imprimentia?

XIII. Quare tantùm tria sacramenta characterẽ imprimant, optimè docet Doctor

Respondet subtilis Doctor in 4. dist. 6. qu. 10. num. 12. numerum characterum optimè colligi & declarari ex proportione, quam habet status legis Evangelicæ ad regimen politicum; secundùm quod in familia Principis servantur quidam speciales gradus dignitatis, qui omnibus non conveniunt: *Primus* est associatio in familiam, qui convenit quidem omnibus servis Principis, & per quem ab aliis distinguuntur: *Secundus* est militiæ; seu militum deputatorum ad custodiam Principis, & regni tutelam: *Tertius* est Ministrorum & dispensatorum, juxta varios suos gradus. Servatâ hâc autem proportione, Baptismus est, per quem quis recipitur in familiam, Confirmatio in militiam, Ordo in ministerium & dispensationem. Cætera sacramenta possunt esse communia omnibus aliis in Christiana familia existentibus, quæ ut fiant evidentia & planiora, Doctoris verba lubet hîc attexere.

Dico, *inquit*, quòd hoc potest patere per simile in politiis istis mundanis: nullus enim habet determinatum gradum in familia Regis, quia comedit vel bibit, nec quia post offensam dominus reconciliatur sibi, nec quia multiplicat personas in ista politia: nam isti actus communes esse possunt omnibus in quocunque gradu: sed alium gradum habet aliquis, quando recipitur in familiam domini; alium, quando ulteriùs proficit, & constituitur, miles ad defendendum Rempub. alium, quando constituitur ut supremus sub domino ad constituendos alios in gradibus determinatis in sua familia; utpote aliquis Senescallus generalis, ut immediatus sub Domino, cui commissa est authoritas universalis ad recipiendum aliquos in familiam Domini: & ideo si esset nomen impositum, quod significaret gradum in familia, vel baliviam, non diceretur gradum, vel dignitatẽ habere aliquis, quia accedens ad mensam, vel quia conjugatus, vel quia rediens ad gratiam post offensam: sed diceretur tantùm habere gradum, qui de populo esset assumptus in familiam domini: & ulteriorem gradum, qui in familia constitueretur ad defendendam domum, vel dominum; & ulteriorem, qui constitueretur tanquam præpositus ad recipiendum aliquos ad familiam, & instituendum inferiores.

Sic in proposito, tria sacramenta, scilicet Eucharistia ad nutritionem spiritualem: Matrimonium ad procreationem corporalem: Pænitentia ad reconciliationem annualem, in nullo certo gradu constituunt in Ecclesia, imò possunt esse communes omni membro, Ecclesiæ, in quocunque gradu. Sed *Primus* gradus Ecclesiæ, & quidem universalissimus, est recipi in familiam Christi, quod fit in baptismo. *Secundus specialis*, in militiam ad defensionem fidei Christianæ, quod fit in Confirmatione. *Tertius*, constitui in Patrem & Pastorem ad introducendum alios in Ecclesiam & ad dirigendum, & instituendum eos, quod fit in Ordine. Et sicut in politia illa non congruit illas tres dignitates iterari, scilicet receptionem in familiam, promotionem ad militiam, & prælationem ad doctrinam, bene tamen iterari possunt nutritio, & procreatio, & reconciliatio: ita in proposito, tria sacramenta non decet iterari, alia autem iterantur, & in non iterandis gradus iterabilis acquiritur, & character dicitur, in iterandis autem non.

Et Catechismus Concilii Tridentini.

His concinit Catechismus Tridentinus quæst. de Sacram. in communi, num. 30. ubi ait: Jam verò character hoc præstat, tum ut apti ad aliquid sacri suscipiendum, vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero internoscatur. Ac Baptismi quidem charactere utrumque consequimur, ut ad alia Sacramenta percipienda reddamur idonei, & eô prætereà fidelis populus à Gentibus, quæ fidem non colunt, distinguatur: Idem autem in charactere Confirmationis, & sacri Ordinis licet cognoscere: quorum alterô veluti Christi *licet cognoscere* milites ad ejus nominis publicam confessionem, & propugnationem, ac contra insitum nobis hostem; & spiritualia nequitiæ in cœlestibus armamur, atque instruimur, simulque ab iis, qui nuper baptizati, tanquam modò geniti infantes sunt, discernimur: alter verò tum potestatem Sacramenta conficiendi & ministrandi conjunctam habet, tum eorum, qui ejusmodi potestate præditi sunt, à reliquo fidelium cœtu distinctionem ostendit.

Concluſio Secunda.

XIV. Imperitè quidam exiſtimant Doctorem negare characterem eſſe formam abſolutam.

CHARACTER *ſacramentalis non eſt relatio rationis, nec realis, ſed forma realis abſoluta.* Hæc videtur probabilior ſubtilis Doctoris ſententia; quidquid nonnulli minùs modeſtè ipſi perperam affingant: quod ut appareat evidentiùs, placet Doctoris verba in 4. diſt. 6. qu. 10. nu. 13. exſcribere. Ait autem: Ad quæſtionem poteſt dici, quòd ſicut non poteſt probari aliquam formam realem imprimi in ſuſceptione Baptiſmi, aliam à gratia, & virtutibus, & hoc neque per rationem naturalem, neque etiam per rationem evidentem ex creditis manifeſtis: ita non poteſt (B) probari characterem, ſi ponatur forma realis, eſſe formam abſolutam realem, vel reſpectivam: quia utrumque ſalvari poteſt: quòd ſit, ſcilicet forma reſpectiva, ſic ut jam oſtenſum eſt, vel quòd ſit forma realis abſoluta. Si ponatur, non poteſt evidenter improbari: quædam enim ſunt ſatis rationabiliter concedenda de charactere, ſi ponatur eſſe, ut pote *quòd eſt forma ſpiritualis impreſſa à Deo cuicunque ſuſcipienti ſacramentum non iterabile.* Et quòd ex inſtitutione divina efficaciter ſignificat gratiam illam ſacramenti, & quòd diſponat ad eam, ſicut declaratum eſt in quæſtione præcedente, quia eſt in eodem ſuſceptivo, & ab eodem agente, & forma prior, & imperfectior: (C) & quòd ſit indelebilis, cùm non habeat cauſam meritoriam corruptivam. Et quòd ſit ſignum memorativum reſpectu ſuſceptionis ſacramenti, quæ præteriit, & ſignum configurativum, id eſt, ſignans obligationem animæ ad Chriſtum. Quòd etiam ſit forma aſſimilativa alteri ſuſcipienti ſacramentum, & ab alio diſtinctiva, qui non ſuſcipit.

Ex his apparet, quàm temerè ſubtili Doctori, quidam cum Vaſquezio 3. p. d. 134. cap. 2. obloquantur, & eum temeritatis inſimulent, quòd dixerit characterem eſſe relationem rationis: imò longè non minùs ab ejus ſententia recedunt, qui volunt ipſum aſſeruiſſe characterem eſſe relationem realem; nam ſi penitiùs à recto rerum æſtima- (D) tore & judice inſpiciatur Doctor, apparebit eum duntaxat docuiſſe, quòd utique propugnari poſſet ſententia affirmans characterem eſſe relationem realem; probabiliorem tamen judicat illam eſſe ſententiam, quæ contendit ipſum characterem eſſe formam abſolutam de genere qualitatis; quam utique ſententiam quaſi ſuam propriam, ut aſſolet, poſtremò locò aſſignat & propugnat. Unde illam etiam propugnant celebriores illius Diſcipuli, *Baſſolis* hic quæſt. 3. *Mayronius* diſt. 7. qu. 5. a. 10. *Rubioneus* quæſt. 2. a. 2. *Vorillon* diſt. 3. quæſt. 3. con. 1. Ut miſſos faciam omnes Modernos, qui cum doctiſſimo Scholiaſte *Cavello* (E) eandem aſſertionem tuentur.

XV. Concluſio ratione ſtabilitur.

Probatur itaque concluſio: In eo conſtituenda eſt characteris eſſentia, quod magis conducit ad illius dignitatem & efficacitatem: at ita eſt de ſententia, quæ affirmat illum conſiſtere in aliqua forma reali abſoluta: igitur, &c. Major patet; ſiquidem ſacramentorum effectus eâ majori commendatione celebrandi ſunt, quâ poſſunt abſque ulla contradictione & repugnantia; hoc enim maximè confert ad dignitatem Chriſtianæ Religionis, & Dei bonitatem erga homines celebrandam. Minor veró probatur: forma realis abſoluta eſt multò perfectior quàm quælibet reſpectiva, ut nôrunt Philoſophi: ſiquidem rela- (A) tiones ſunt exilioris ac tenuiſſimæ entitatis, magiſque dependent, quàm formæ accidentales abſolutæ; ſiquidem hæ duntaxat dependent a ſubjecto cui inhærent; illæ veró non ſolùm dependent à ſubjecto, ſed etiam à fundamento, & termino. Et inſuper, relationes extrinſecùs advenientes, inter quas aliqui volunt reponendum eſſe characterem, dependent etiam à conditionibus extrinſecis, ſine quibus non exiſterent.

Deinde, relatio per ſe non producitur, ſed reſultat ad alterius productionem, ut ſimilitudo inter duos parietes albos: at character per ſe primò producitur, ut dictum eſt in præcedenti concluſione, ubi probatum eſt quædam ſacramenta (B) producere, & imprimere characterem immediatè, in eo qui cum fictione, & tamen validè ſuſcipit ſacramentum aliquod imprimens characterem: non poteſt autem illius ſacramenti aſſignari alius terminus, aut effectus, quàm ipſe character; quandoquidem eo in caſu non producatur ſacramentalis gratia: igitur character eſt aliqua forma realis abſoluta.

XVI. Character non poteſt eſſe relatio rationis.

Denique, ſi eſſet relatio, maximè vel rationis, vel realis: ſed neutrum rectè poteſt affirmari. *Non primum*: Tum quia Concilia & SS. Patres aſſerunt characterem eſſe ſignum ſpirituale animæ impreſſum: ſed hæc de ente rationis verificari non poſſunt; utpote cùm non imprimatur animæ, ſed tantùm objectivè ſit in intellectu: *Tum quia* Deus (C) eſt præcipuus author ſacramentalis characteris: ſed Deus non eſt author entium rationis; abſit enim, ut dicamus Deum aliter concipere rem à parte rei, quàm ſit: *Tum quia* homo per characterem ſignatur, & reverà diſtinguitur ab alio, qui hujuſmodi charactere non inſignitur: ſed ita ſignari non poteſt per ens rationis; quomodo enim illa relatio rationis & extrinſeca denominatio poſſet eſſe ſignum, quô unus præ alio deputatur ad ſacras actiones, & facultatem habeat illas exercendi, cùm nihil ponat in homine, nec per ſe ſit cognoſcibilis? *Tum denique quia* character eſt indelebilis: at ens rationis non poteſt dici indelebile, cùm tantùm exiſtat per intel- (D) lectûs fictionem, quæ facillimè evaneſcit: igitur character non poteſt cenſeri relatio rationis.

XVII. Neque realis.

Probabilius eſt pariter illum non eſſe *relationem realem*, etenim eſſet vel intrinſecùs, vel extrinſecùs adveniens. Non quidem *prima*; hæc enim poſtulat fundamentum proximum, & terminum realiter exiſtentem: ſed character Baptiſmi & Ordinis v. g. impreſſus Apoſtolis, non habuit aliquando terminum actu exiſtentem, putà in triduo mortis, quando Chriſtus non erat. Nil etiam aſſignari poteſt, quod ſit illius fundamentum proximum; ſi quid enim eſſet, maximè actualis ſuſceptio ſacramenti: ſed hæc cenſeri non po- (E) teſt fundamentum proximum characteris; quia impoſſibile eſt relationem actu ſubſiſtere non ſubſiſtente amplius illius fundamentô proximô: ſed character ſubſiſtit, utpote cùm ſit indelebilis, etiam tranſactâ actuali ſuſceptione ſacramenti: igitur illa ſacramenti ſuſceptio non poteſt cenſeri fundamentum proximum illius characteris. Concludendum eſt ergo, quòd character ſit forma abſoluta.

Intrinſecùs.

Aut extrinſecùs adveniens.

Non etiam eſt *relatio extrinſecùs adveniens*; licèt enim in homine baptizato, ordinato & confirmato, ex actione ſacramentali, quâ baptizatus, confirmatus & ordinatus eſt, maneat relatio extrinſecùs adveniens ipſius hominis ad mi-

nistrum talium sacramentorum; hæc tamen relatio non potest dici character; alioqui ex actiooe aliorum sacramentorum, sequeretur etiam imprimi characterem; quippè cùm ex illa actione ejusmodi relatio exurgat. Quod utique probatur, quia illa relatio, quæ manet ex applicatione Baptismi, v. g. non est aliud, quam denominatio baptizati: atqui similis relatio, seu denominatio nutriti, absoluti, sanati & conjugati, manet ex applicatione Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, & Matrimonii: igitur, &c.

PETES, ad quam speciem qualitatis spectet character?

XVIII. Revocari potest ad potentiam.

Respondet Doctor, locô suprà laudatô num. 15. posse revocari ad primam, vel ad secundam speciem qualitatis, nempe vel ad habitum, vel ad potentiam: ait enim Doctor: *Respondeo ergo, quòd si (character) ponatur accidens absolutum, potest poni in secunda specie qualitatis, vel etiam in prima; nec alterum istorum potest evidenter improbari*; quod utique sic probat. Si character non posset reduci ad secundam speciem, maximè quia ad illam speciem solùm pertinent ea, quæ habent rationem potentiæ naturalis; ac proinde cùm character sit qualitas supernaturalis, non potest ad illam spectare, sed hæc ratio nulla est; quia, inquit Doctor, quanquam Philosophus complexus fuerit sub hoc membro solas qualitates naturaliter activas; *Tamen*, inquit, *potentia supernaturalis, si est absoluta, & accidentalis, & spiritualis, bene potest pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali.*

XIX. Vel ad habitum.

Similiter si revocetur ad primam speciem, nempe ad habitum, quia est difficilè mobilis, oon poterit improbari; si enim quid obesset, quominus character posset revocari ad habitum, maximè quia habitus datur ad faciliter operandum; character verò, cùm sit superoaturalis, datur ad simpliciter operandum; vel quia character est dispositio ad gratiam, ac subinde non est habitus; vel quia habitos est determinatus ad unum agendi modum bonum, aut malum; quia non possumus habitibus indifferenter uti; nullus enim uti potest malè virtutis habitu, nullus bene habitu vitii: character autem ad utrumlibet est indifferens, nempe ad bene & ad malè operandum; quidam enim utuntur charactere sacramentali bene, religiosè, & piè: nonnulli autem malè, sacrilegè & impiè: sed hæ rationes nullæ sunt.

Non quidem *prima*; quia, inquit Doctor num. 16. potest habitus supernaturalis, ut est forma supernaturalis, difficilè mobilis, esse principium agendi, vel resistendi corruptivo, & sic habere rationem potentiæ supernaturalis; unde licèt habitus naturalis dicat duntaxat facilitatem, non autem potentiam, tamen habitus supernaturalis, quatenus est forma spiritualis immobilis, potest habere rationem habitûs; prout verò est principium, quô possumus elicere actum supernaturalem, dici potest potentia.

Non etiam secunda: quia, inquit Doctor *ibidem*, bene potest esse unus habitus dispositio ad alium, sicut secundùm distinguentes habitum principii, ab habitu conclusionis, habitus principii disponit ad habitum conclusionis, nec tamen inde sequitur quod sit dispositio, quatenus hæc distinguitur contra habitum in prima specie qualitatis; hæc enim dispositio est qualitas facilè mobilis, & ut sic distinguitur ab habitu, quatenus est qualitas difficilè mobilis à subjecto, qualis est character.

Non etiam tertia: Quia, inquit *ibidem*, aliquis potest esse actus indifferens; sicut enim ex frequenter repetitis actibus benè agendi acquiritur habitus inclinans ad bene agendum, & ex frequentatis actibus malè agendi, comparatur habitus inclinans ad malè agendum; sic ex frequentibus actibus absolutè agendi, acquiritur habilitas ad eliciendum actum, qui nec sit bonus, nec malus. Quod utique probat hôc exemplô; *potest enim aliquis frequenter considerans Geometriam, habere facilitatem magnam ad considerandum conclusionem in illa scientia: at nec ibi est habitus bonus, vel malus, sicut nec actus ex quo generabatur: sic & in habitu supernaturali potest esse.*

CONCLUSIO TERTIA.

XX. Character est immediatè in voluntate.

PRobabilius est characterem immediatè & formaliter inesse voluntati, mediatè autem & realiter ipsi substantiæ animæ. Hæc est Doctoris in 4. d. 6. quæst. 10. num. 4. ubi ait: Dico ergo ad quæstionem, supponendo... de gratia, quod est « idem cum charitate; & per consequens est primò « in potentia, scilicet in voluntate; & ulteriùs « quòd ista dispositio ad formam est in eodem sus- « ceptivo cum forma; character autem, si ponatur « in esse, convenienter ponitur dispositio ad gra- « tiam sacramentalem.... ergo congruum est pone- « re characterem formaliter in voluntate. *Ita* « *Doctor*, in quibus verbis signanter dicit esse *congruum*; nam rationes, quas profert ad ejusmodi assertionem probandam, noo evincunt omnino necessitatem, sed solùm majorem quandam convenientiam.

1. Quia est dispositio ad gratiam.

Probat itaque primò: Convenientius est, quòd dispositio constituatur in eodem subjecto proximo; in quo recipitur forma, ad quam disponit: sed character est dispositio saltem moralis ad gratiam, quæ formaliter & immediatè in voluntate residet, ut probatum est in tractatu præcedenti: igitur, &c. Major videtur manifesta ex Physica; dispositio enim cùm debeat amovere obstacula, quæ obessent introductioni formæ, cúmque præparari debeat subjectum ad formæ receptionem, oportet quòd illa reperiatur in eodem subjecto, in quo forma est recipienda. Minorem supponit Doctor probatam, quæst. 9. num. 18 ubi loquendo de charactere & sibi objiciens, quòd dispositio potest esse ex parte passi vel agentis.

Respondeo *non agentis*, inquit, *quasi sit quoddam agens medium inter primum agens & passum: non enim pono characterem habere aliquam virtutem activam respectu gratiæ causandæ: sed Deum assistere illi, tanquam signum invisibile ad causandam gratiam, quam signat, recedente impedimentò, sive obice inhærente. Est ergo dispositio ex parte susceptivi, quia est forma prior, sine qua non recipitur forma posterior: non simpliciter necessariò, sed necessariò comparando ad potentiam ordinariam agentis causantis utramque formam.* Quibus Doctor significat, quòd etiamsi character & gratia non habeant ullam inter se necessariam connexionem ex natura rei, habent tamen in morali æstimatione; quia character ordinatur ad gratiam conferendam, tam per sacramentum per quod ipse imprimitur, quàm per alia sacramenta, maximè si loquamur de charactere baptismali: quia per illum capaces efficimur aliorum sacramentorum: non enim est ratio cur character esset indelebilis, & redderet sacramentum oon iterabile, nisi subordinaretur

gratiæ tanquam *forma* prior, neque propriè potest subsistere configuratio animæ, & imaginis, quæ principaliter fit per gratiam in solo charactere, nisi diceret aliquem ordinem ad gratiam: neque obligatio quæ sequitur ad talem configurationem ad Christum, potest abstrahere à mediis, per quæ debet impleri, nempe à gratia actuali, vel habituali: igitur necessum est, quòd habeat quandam connexionem saltem moralem cum gratia, ad quam est dispositio.

a. Quia inducit obligationem ad operandum moralitèr.

Probat secundò: Omnis obligatio ad opus morale spectat ad voluntatem, sed character baptismalis v. g. inducit obligationem animæ ad Christum, ut servet legem Christianam: hæc autem obligatio est necessitas moralis operandi; ac subinde inclinatio quædam ad ipsam operationem: B non secus ac lex seu præceptum, aut votum, quæ dicuntur inclinare ad operationem, quatenus opponuntur libertati operandi, vel non operandi, & faciendi hoc aut illud. Similiter character Confirmationis inducit obligationem militiæ, & confessionis fidei: *Item* character Ordinis est principium operandi; est enim potestas activa: omnis autem obligatio moralis maximè spectat ad ipsam voluntatem: igitur cùm character inducat obligationem moralem operandi, potius debet esse in voluntate immediatè, quàm in ipsa animæ substantia, quæ per se non est operativa, aut in intellectu, qui ex se non est capax *actionis* moralis.

Deinde, character est potestas, sive signum potestatis suscipiendi ea; vel tradendi, quæ pertinent ad cultum divinum: atqui ad virtutem Religionis, quæ est in voluntate, spectat ea expendere & peragere, quæ pertinent ad cultum divinum: igitur signum talis potestatis debet etiam reponi in voluntate.

Confirmatur, quia sacramenta spectant ad Religionem: ergo & effectus ille, qui deputat hominem ad cultum divinum, qualis est character, etiam spectare debet ad Religionem. Concludendum est ergo, quòd character immediatè, & formaliter sit in voluntate; realiter autem in ipsa animæ substantia, cum qua ipsa voluntas identificatur: quemadmodum gratia & charitas insunt ipsi voluntati, tanquam formæ illam afficientes & perficientes in ordine ad operationem: realiter autem insunt ipsi animæ substantiæ, à qua voluntas est indistincta realiter.

Non enim est tantùm ad ornatu m animæ.

Dices primò: Character non ordinatur ad operandum, sed duntaxat ad perficiendam & signandam animam: ergo potius inesse debet ipsi animæ substantiæ, quàm alicui facultati.

Distinguo antecedens: Non ordinatur per se, & effectivè, concedo: per aliud & dispositivè, nempe ratione gratiæ operativæ, ad quam disponit, seu ministerii & officii ad cujus impletionem obligat, nego.

Dices secundò: Substantia animæ est subjectum potentiæ cui videlicet facultates animæ inexsti- E tunt; potentia autem non potest esse subjectum alterius potentiæ: atqui, ut diximus, character revocari potest ad secundam speciem qualitatis, quæ est potentia: igitur non potest existere in aliqua facultate & potentia animæ.

Distinguo primam partem majoris: Substantia animæ est subjectum potentiæ naturalis, quæ ab ipsa fluit, veluti proprietas ipsi connaturalis & ipsi realiter identificata, concedo: potentiæ quæ sit accidens supernaturaliter ab ipsa anima realiter distinctum, nego: Similiter distinguo alteram partem ejusdem majoris: Potentia non est subje- A ctum alterius potentiæ substantialis, & realiter sibi identificatæ, concedo: accidentalis, & ab ea realiter distinctæ, nego. Et sic distinctâ minore, neganda est consequentia; alioqui sequeretur, nullum habitum virtutis esse reponendum in ipsa voluntate.

XXI. Quâ ratione character dicatur lumen.

Dices tertiò: Character est quoddam lumen spirituale: sed omne lumen spectat ad intellectum: igitur, & character. Major constat ex S. Dionysio lib. Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 2. ubi ait: *Divina beatitudo hominem adductum ad baptismum in sui participationem, seu communicationem recipit, & admittit, ac proprii luminis, instar signi cujusdam ipsum participem facit, intimum Deo reddens, & consortem munerum, ac ordinis sacri, quorum sacra est tessera summi Sacerdotis, datum accedenti signaculum, &c.* Hoc autem signaculum nihil est aliud, quàm character, quem lucem ac lumen appellat: igitur, &c.

Distinguo majorem; Character est lumen spirituale, ordinatum ad propriam illuminationem habentis characterem, nego: ad illuminationem aliorum, ut nempe per characterem cognoscant, me esse deputatum domesticum aut militem, vel ministrum Christi, concedo: tale autem lumen non debet esse in intellectu: sic enim characteres & insignia servorum alios illuminant, seu deducunt in notitiam, quòd sint servi talis, vel talis domini, nec tamen illæ servitutis notæ & chara- C cteres debent esse in intellectu.

CONCLUSIO QUARTA.

XXII. Quâ ratione character sit indelebilis.

CHaracter sacramentalis est indelebilis & inamissibilis. Hanc veritatem sic probat Doctor *dist. 6. quæst. 9. num. 20.* ubi ait: Licèt multipliciter dicatur de indeclinabilitate characteris, nec sit multùm utile recitare: breviter dico, quòd nulla forma potest esse in anima alia ab anima, quam non possit Deus de potentia absoluta delere, sicut posterius à priori: quia in hoc nulla potest inveniri contradictio. Sed character, si ponatur, hôc modô est indelebilis, nec potest deleri hôc modô; quia nec virtute alicujus creaturæ. Patet, quia est forma supernaturalis, nec potest virtute divinâ deleri de potentia ejus or- D dinata, quia ordinavit nullam formam supernaturalem delere, nisi propter aliquod demeritum inhærens animæ: respectu autem characteris delendi nulla potest esse causa demeritoria; cùm enim imprimitur in actu peccandi mortaliter, nihil potest demereri ipsum tolli. Quibus Doctor apertè significat, characterem sacramentalem de via ordinaria esse indelebilem; quam utique veritatem apertè tradunt Concilia Florentinum & Tridentinum, ut constat ex eorum decretis conclusione primâ laudatis, quibus significatur illum characterem indelibiliter inesse animæ.

Constat pariter ex SS. Patribus, qui appellant signaculum istud indissolubile, maximè ex sancto Augostino lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. ubi ait: *Non minùs hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis militiæ nota, quæ quondam imprimebatur carni ...... & sacramentorum sanctitas inviolabilis & impolluta manet in bonis ad præmium, in malis ad judicium.*

Suadetur etiam ratione congruâ; conveniens enim fuit, ut ille character esset omnino indelebilis, nec ullô peccatô posset evacuari; enimverò si potestas Ordinis, quæ significatur per characterem, posset deperdi per aliquod peccatum, consequens

consequens esset, quòd homines plerumque forent dubii, an validè sacramenta susciperent, cùm nullum habeant indicium, utrum Sacerdotes, à quibus suscipiunt sacramenta, sint in statu gratiæ, nec ne. Quod certè vergeret in magnum fidelium detrimentum.

Dices primò: Si aliquis character esset indelebilis, maximè Ordinis: at ille per peccata, & nefaria scelera deleri potest: igitur, &c. Major constat. Minor verò probatur. Character Ordinis est potestas administrandi, & gerendi ea, quæ peculiariter ad cultum divinum, Sacramentorum administrationem, & publicum Reipublicæ Christianæ regimen spectant: sed illa authoritas per peccatum ita amittitur, ut quidquid à Ministris nefariis gestum est, tanquam irritum, & nullum ab Ecclesia reprobetur: igitur, &c. Probatur minor ex plurimis actis, & exemplis; maximè verò *Photii* Constantinopolitanæ Sedis Episcopi, *Maximi Cynici* ejusdem urbis Antistitis, *Proculi* Massiliensis Præsulis, & *Ebbonis* Archiepiscopi Rhemensis; quorum ordinationes & Ecclesiastica munia prorsus irrita ac nulla declarata sunt.

XXIII. Characterem Ordinis esse delebilem probatur.

Primò quidem irritam, & nullam esse pravi Ecclesiæ Ministri authoritatem constat exemplô *Photii*, cujus ordinationes, & Ecclesiastica munia reprobantur, & irritantur. Ita enim cùm Bardæ Eunuchi artibus, à Gregorio Siracusano Episcopo jam excommunicato Constantinopolitanus Patriarcha esset consecratus, detrusô primùm in carcerem, & postmodum in exilium ejectô legitimô Episcopô Ignatiô, Synodus Romana coacta est à Nicolao I. summo Pontifice, in qua contra Photium hæc sententia lata fuit, *Sit omni Sacerdotii honore, & nomine alienus, & omni Clericatûs officiò exutus.* Et idem Pontifex hanc quoque sententiam adversus eum emisit; *Eos verò, quos Photius Neophitus, & Constantinopolitana sedis invasor in quolibet Ecclesiastico Ordine provexit, omni Clericali officiò privamus.* Alia his similia habes in ejusdem summi Pontificis epist. 7. Et epist. 9. quæ est ad Michaëlem Imperatorem, ubi scribit, quòd *nihil Photius à Gregorio accepit, nisi quantùm Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.* Idem etiam decrevit Adrianus II. summus Pontifex, ut legimus Act. 3. Synodi 8. Oecumenicæ, in qua de ordinatis à Photio sic habet: *Quos quidem Photius in gradu quolibet ordinasse putatus est, ab Episcoporum numero, & dignitate, quam usurpativè, & fictè dedit, meritò sequestramus:* cujus rei triplicem rationem subjungit: *Primò*, quòd Photius sit similis Maximo Cynico; qui, ut mox dicemus, nullam Episcopalem authoritatem habuit: *Secundò*, quòd ita decretum est, à Nicolao suo Prædecessore: *Tertiò*, quòd ordinatus est ab excommunicato, *qui nihil habuit, nihil dedit, nisi fortè damnationem, quam sequentibus propinavit.*

1. Exemplo Photii Constant. cujus Episcopalia munia declarantur nulla à Synodo Romana.

Nicolao I. summo Pontif.

Concilio IV. Constantinop.

Unde in Concilio IV. Constantin. Can. 4. hæc habentur: Amorem principatûs, utpote quandam malam radicem exortorum in Ecclesia scandalorum, radicitùs excidentes, eum, qui temerè, & prævaricatoriè, ac irregulariter veluti quidam gravis lupus, in Christi ovile insiliit, Photium scilicet, qui mille tumultibus, & turbationibus orbem terræ replevit, justô decretô damnamus, promulgantes nunquam fuisse priùs, aut nunc esse Episcopum; nec eos, qui in aliquo Sacerdotali gradu ab eo consecrati, vel promoti sunt, manere in eo, ad quod provecti sunt: insuper & eos, qui ab illo consuetas orationes ad præpositure promotionem susceperunt, ab ejusmodi patrocinio coërcemus, sed & Ecclesias, quas, ut putatur, tam Photius, quàm ii, qui ab ipso consecrati sunt, dedicaverunt; vel si commotas mensas stabiliant, rursus dedicari, & inthronizari, atque stabiliri decernimus; omnibus maximè, quæ in ipso, & ab ipso ad Sacerdotalis gradûs acceptionem, vel damnationem acta sunt, in irritum doctis. *Hac Concilium.* Sed si Photius non censeatur Episcopus, quia à Gregorio excommunicato fuit ordinatus, & si omnia, quæ gessit ipse Photius, irrita sint, quia intrusus fuerat in Sedem Constantinopolitanam, & postmodum excommunicatus, consequens est, quòd character, & authoritas Episcopalis in homine nefario, & excommunicato desinat: igitur, &c.

Idem constat exemplô Maximi Cynici, qui cùm à nonnullis Ægypti Episcopis pecuniâ corruptis furtivâ electione Episcopus Constantinopolitanus constitutus esset: ita de illo, & ejus ordinationibus pronuntiavit Concilium primum Constantinopolitanum Can. 6. his verbis: *De Maximo Cynico Philosopho propter indisciplinationis ejus doctrinam, qua Constantinopoli orta est, statutum est, ut neque Maximus fuisse, aut etiam esse putetur Episcopus; neque hi qui ab eo sunt ordinati, qualemcunque gradum Clericatûs obtineant, omnibus scilicet, quæ circa eum, vel ab eo gesta sunt, in irritum revocatis.*

2. Exemplo Maximi Cynici.

Tertiò eadem veritas apparet ex *Proculo Massiliensi*; cùm enim in Concilio Taurinensi, seu Taurinatensi celebrato annô 397. declaratum esset canone primô, quòd Proculus Massiliensis Episcopus Civitatis gereret se tanquam Metropolitanum Ecclesiis, quæ in secunda Provincia Narbonensi positæ videbantur: Zozimus summus Pontifex post 20. circiter annos, tale judicium Synodale irritavit, sicut constat ex variis ejus epistolis, maximè ex 6. ad Carthaginensem Episcopum, ubi Ordinationes duorum Episcoporum, nempe Universi & Terentij à Proculo factas, irritas declarat. Et epist. 9. ad Episcopum Arelatensem damnat Proculum, quòd talia esset aggressus. Cùm autem nec dum Proculus acquiesceret, scripsit epistolam 10. ad Massilienses, in qua inter cætera scribit. *Cùm ipse Proculus jam non sit Episcopus, quæ Episcoporum sunt, facit, & humanus largiter aliis se dicit posse præstare, quod datum sibi aliquando immeritò gerere non potuit, &c:* Sed si Episcopus damnatus desinit esse Episcopus, & Sacerdotes ab eo ordinati careant sacerdotiô; consequens est, quòd illius character, & authoritas desinat, ac subinde non est indelebilis.

3. Exemplô Proculi Massiliensis.

Constat quartò, exemplô *Ebbonis* quondam Rhemensis Archiepiscopi, qui cùm annô 835. tempore Gregorii Papæ quarti, in conventu Episcoporum in Theodonis villa habito, Episcopatu se abdicasset propter nonnulla crimina, de quibus accusabatur, maximè verò, quòd fuisset promotor depositionis Lodovici Pii Imperatoris; nihilominus autem post suam depositionem, regnante Lothariô Ludovici filiô in suam sedem restitutus esset per Synodum Episcoporum Provincialium, & plures in ea Ecclesia Clericos ordinasset; ab ea demum Caroli Regis auxilio, à Galliarum Episcopis amotus & depositus est, eique adhuc viventi Hincmarus fuit substitutus: cùm autem Hincmarus post obitum Ebbonis, quos ipse ordinaverat Sacerdotes & Clericos, nollet admittere, Galliarum Episcopi celebrârunt Concilium Suessionense annô 853. tempore Leonis Papæ, in quo damnârunt omnes ordinationes ab

4. Exemplô Ebbonis.

ipso Ebbone post depositionem factas, & eas irritas ae nullas declarârunt, ut refert Flodoardus lib. 3. Hist. Rhem. cap. 11. ubi fusiùs acta hujus Concilii enarrat: igitur his omnibus constat quòd Episcopalis character & authoritas non sit indelebilis & inamissibilis; quippe cùm per crimina aut depositionem Episcopi desinat.

XXXIV. *Solvitur objectio & declaratur ordinatos à Photio validè ordines suscepisse.*

Nego consequentiam, & ad primum exemplum dico, reverà ordinationes à Photio factas, fuisse validas; non tamen licitas, propterea quòd contra Ecclesiæ Canones Photius fuisset ordinatus; nam ut ait Nicetas apud Baronium ad an. 858. Photius » homo gloriæ appetentissimus, sex diebus ex laico » transformatus est in Patriarcham, nimirum pri- » mâ die ex laico factus est Monachus, secundò » efficitur Anagonostes, tertiò Subdiaconus, quartò » Diaconus, quintò Presbyter, sextò denique Pa- » triarcha sedem conscendens pacem populo an- » nuntiavit nihil pace dignum cogitans. Consecra- » tus est autem per Gregorium Syracusanum Epis- » copum Ignatii perduellem, excommunicatum, & » è throno ejectum; usus est autem comministris » Petrô Sardorum Episcopô, qui cognominabatur » miser, & Eulapio Apameæ Episcopo. At ista denotant quidem illicitam fuisse consecrationem Episcopalem Photii, non verò invalidam. Unde licèt ab eo ordinati nunquam potuerint licitè exercere munia suscepti ordinis, à cujus executione suspensi erant, quòd ordinem suscepissent ab eo, qui in aliena Diœcesi, & non sua sine Episcopi illius loci assensu, manûs impositionem dederat; tamen validè fuerunt ordinati, & ordinis characterem susceperunt.

Quòd autem Photii ordinatio fuerit valida, constat ex Epistola Joannis VIII. summi Pontificis ad Basilium & Alexandrum Imperatores, in quâ approbat restitutionem ipsius Photii in Sedem Constantinopolitanam mortuô Ignatiô: *Nos*, inquit, *statutis Apostolicis non præjudicantes, nec Beatorum Patrum regulas resolventes, eundem Photium satisfaciendo misericordiam coram Synodo secundùm consuetudinem postulantem in vera dilectione Fratrem, in Pontificali officio Comministrum, in pastorali magisterio Consacerdotem pro Ecclesiæ Dei pace, atque utilitate; amodò Christô favente recipimus, atque habemus.* Id autem fieri posse probat exemplis, tum Donatistarum, tum Bonosianorum, quos constat absque ulla reordinatione receptos fuisse in honoribus & muniis.

Nec obstat quòd à plurimis redarguatur Joannes, quòd ita facilem se præbuerit erga restitutionem Photii, qui postmodum Ecclesiæ Romanæ hostis infensissimus fuit, & author schismatis ac defectionis Græcorum à Latinis; nemo enim hactenus eum culpandum censuit, quòd eum judicaverit recipiendum absque reordinatione.

Idem dicendum de ordinationibus ab ipso factis: nam Formosus Papa scribens ad Stylianum Neocæsareæ Euphratesiæ Provinciæ Episcopum, qui supplicem se gerebat pro Photio, inter cætera scribit: *Cum his, qui à Photio fuerant ordinati, misericorditer nos gerentes, decernimus, ut oblatis libellis se deliquisse fateantur, & pœnitentiâ veniam deprecentur, pollicentes se, nunquam tale quid commissuros.* Quibus approbat eorum receptionem, cum pœnitentia quidem, sed absque nova ordinatione.

Idem constat de Maximo Cynico.

Idem dicendum ad exemplum de Maximo Cynico; quippe cùm Adrianus secundus Epist. ad Ignatium scribat, Photii ordinationem in omni- A bus esse simillimam ordinationi Maximi; utpote cùm utraque fuerit illicitè facta, licèt validè.

Nec obstat, quòd uterque dicatur *non Episcopus*; hæc enim dicta sunt ad communem vulgi intelligentiam, non ad doctrinæ rigorem: simili pene ratione, quâ veri Sacerdotes non dicuntur impii, & Sacerdotii suis actionibus violatores, non quòd Sacerdotii dignitatem, gravitatem, authoritatem, statum perfectionemque non assequantur, qui turpibus facinoribus conscientiam suam maculant: sed quòd Sacerdotii leges non servent: quomodo vulgò negantur esse consules, qui Reipublicæ non consulunt, medici qui aliis non medentur, Doctores qui docendis aliis nullam ope- B ram insumunt, Reges qui Regii munia aspernantur. Quas & similes phrases, imò & duriores ad vitiorum insectationem dici posse, nemo inficias ibit.

Et de Proculo Massiliensi.

Ad exemplum *Proculi* Massiliensis dico, eum idcirco à Zozimo dici non Episcopum, non quòd reverà non habuerit characterem, & authoritatem Episcopalem, sed quòd illicitè, & contra Canones illam præfecturam Metropolitani ambiret: quòd enim reverà hic semper verus fuerit Episcopus, apertè constat ex S. Hieronymo epist. 4. ad Rusticum, ubi scribit: *Habes istic sanctum & doctissimum Pontificem Proculum, qui vivâ &* C *præsenti voce nostras schedulas superet, quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat, &c.* Insuper reperitur cum sancto Ambrosio subscripsisse in Concilio Aquileiensi annô 381. Quando itaque Proculus dicitur *non esse Episcopus*, vel ordinati ab eo removentur à quocunque gradu Ecclesiastico, vel dicuntur carere Sacerdotiô: hæc omnia intelligenda sunt, non de privatione characteris in conferente ordines, aut suscipientibus: sed de privatione honorum, graduum, & officiorum.

Et de Ebbone.

Ad quartum dico, quidquid à Synodo Suessionensi instigante Hincmarô determinatum fuerat contra Clericos ab Ebbone ordinatos, id omne ab Apostolica sede fuisse damnatum, & repro- D batum, sicut apparet ex epistolis 46. & 47. Nicolai summi Pontificis. Ex quibus constat, quòd cùm Hincmarus pro confirmatione hujus Concilii iteratâ legatione egisset apud Leonem IV. nihilque ab eo impetrasset, Benedictum Leonis successorem falsis narrationibus induxerit, Synodique confirmationem subreptitiè obtinuerit, sed sub hac forma tantùm conditionata; *si ita est, &c.*

Refert ibidem Nicolaus Pontifex, quòd cùm Benedictus Papa per epistolam suam voluntati Hincmari non planè satisfecisset, ille quædam eidem epistolæ addiderit; quædam verò pro suo arbitratu ab ea sustulerit.

Adde, quòd idem Nicolaus ad calcem epistolæ 46. declaret quòd licèt omnia, quæ adversus Ebbonem proponebantur, essent vera; nihilominus E Clerici ab eo ordinati, cùm humilitatem & obedientiam exhiberent, cum suis honoribus essent recipiendi: Quia Ebbo, qualiscunque fuerit, nullum prorsus ipsis offendiculum intulit. Quod utique confirmat exemplô Maximi, qui licèt Neophitus & reprehensibiliter fuisset ordinatus, tamen S. Leo noluit eum ab Episcopali dignitate repelli. Et ex epistola Anastasii II. qui rescribens ad Anastasium Imperatorem, ait, quòd mali bona ministrando, sibi tantummodò noceant, nec Ecclesiæ sacramenta commaculent.

Tandem ex ipsius Concilii Suessionensis Actis, nec-non & ex iis, quæ postmodum pro eorum-

dem Clericorum ab Ebbone ordinatorum gesta sunt, evidenter constat, ejusmodi Clericos suis tantùm gradibus pulsos, & à suorum Ordinum ministratione suspensos. Constat, inquam, ex Concilio Suessionensi, confirmat enim, quod antè ab Hincmaro factum fuerat: quid autem illud sit, apparet ex petitione ejusmodi Clericorum, qui ex libello supplici oblato ejusmodi Concilio, inquiunt, Misericordiam petimus nobis à vestra paternitate impendi de administratione ordinum Ecclesiasticorum, ad quos à Domino Ebbone quondam provecti, à vestra autem authoritate suspensi sumus.

Et de Proculo Massiliensi.

Constat pariter ex gestis pro eorum restitutione. Nicolaus enim summus Pontifex, nihil aliud Hincmaro, & aliis Galliæ Episcopis præcipit, nisi ut tales Clerici in suis gradibus restituantur: Unde quando in eodem Concilio dicitur, *Actione quintâ decretum est, ut quidquid in ordinationibus Ecclesiasticis idem Ebbo post suam damnationem egerat præter sacrum baptisma, habeatur vacuum & irritum*: hoc intelligendum est, quantùm ad honorem, & gradum, à quo suspensi censebantur illi Clerici ab Ebbone ordinati. Eâdem ratione accipiendum est id quod subjicitur post actionem sextam, de Alduino qui dicitur Presbyteratum accepisse per saltum à Lupo Catalaunensi Episcopo, quia antea Diaconatum ab Ebbone acceperat; mens enim Concilii non est quòd Alduinus ille non fuerit reverà Diaconus, sed quòd recipiendo characterem Diaconatûs, non potuit accipere gradum & honorem illius ordinis; unde cum illo agitur eôdem modô quantùm ad executionem ministerii, ac si reverà per saltum fuisset promotus.

Et de Ebbone.

XXV. Objicitur Constantini Papæ degradatio.

Vrgebis: Ipsimet summi Pontifices aliquando improbârunt ordinationes à suis prædecessoribus factas, & ab eis ordinatos iterum ordinandos esse censuerunt: igitur non existimabant Sacramentum Ordinis imprimere characterem indelebilem. Probatur antecedens; *Primo* quidem exemplô Stephani IV. summi Pontificis, qui annô 769. convocatô Romæ Concilio ex selectissimis Galliæ, Germaniæ, & Italiæ Episcopis irritas declaravit omnes ordinationes factas à suo prædecessore *Constantino*. Quam utique irritationem ratam habuit Concilium, ut legitur in ejus Actis, quod etiam refert Anastasius Bibliothecarius, qui loquens de isto Concilio Romano: *In eodem*, inquit, *Concilio promulgatum est, ut qui Episcopi ex Presbyteris, sive Diaconis ab eo ordinati fuerant, in primum honoris sui gradum reverterentur; etsi placabile fuisset omni populo civitatis suæ, denuò decretô factô electionis, more solitô cum Clero & plebe ad Apostolicam venissent Sedem, ut ab eodem S. Stephano Papa benedictionis susciperent consecrationem.* Addit, idem statutum fuisse de Presbyteris & Diaconis; & statim subjungit: *Illicò Episcopi illi revertentes in primo honoris gradu, electi denuò à Clero & plebe, cum solito decreto ad Sedem Apostolicam properantes, ab eodem sanctissimo Papa consecrati sunt.* Et tandem concludit: *Ita enim in eodem Concilio statutum est, ut omnia quæ idem Constantinus in Ecclesiasticis sacramentis, ac divino cultu egit, iterari debuissent præter S. Baptisma, ac S. Chrisma.*

Et Formosi.

Constat secundò exemplô Stephani VI. cùm enim *Formosus* ejus Prædecessor plures ordinasset sive Episcopos, sive Presbyteros, Stephanus, congregatô Romæ Conciliô, non modò eos omnes deposuit, sed etiam iterum ordinavit, ut refert Luithprandus lib. 1. cap. 8. ubi scribit. *Cunctos, inquit, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit.* Tum, quod Formosus antea fuerat excommunicatus a Joanne VIII. Tum, quòd contra Canones relictâ propriâ uxore, id est, Episcopatu, ex Portuensi Episcopo Romanus Pontifex creatus esset: quòd utique decretum non solùm Concilium istud approbavit, sed etiam Sergius III. de eo namque idem Luithprandus scribit: *Sergius latenter Romam ingressus Papatum invasit, & Romanos minis, & terroribus pepulit, ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent.*

Et Leonis VIII.

Tertiò tandem, idipsum constat exemplô Joannis duodecimi, qui congregatô pariter Romæ Conciliô annô 904. *Leonis* vulgò dicti *octavi* summi Pontificis electionem anathematizavit: de ordinatis autem ab eo ita decretum est *Act.* 3. ejus Concilii; Eos verò, quos ipse Leo Neophitus, & invasor S. Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ, in quolibet Ecclesiastico Ordine provexit, Apostolicâ, atque Canonicâ authoritate, & Synodali decreto in primum revocamus gradum; quia qui ordinator eorum nihil sibi habuit, nihil illis dedit: Sicuti olim noster prædecessor piæ memoriæ Papa Stephanus sententiam tulit de iis, qui ordinati fuerant à Constantino quodam Neophito, & invasore Sedis Apostolicæ, & postmodum quidam eorum sibi placabiles Presbyteros, aut Diaconos consecravit: Igitur ex iis omnibus constat summos Pontifices existimasse Pontificiam, & Episcopalem authoritatem posse deperdi; & consequenter characterem illius non esse indelebilem.

XXVI. Ordinationes factæ à Constantino fuerunt validæ.

Nego antecedens, & ad primam illius probationem respondeo cum Baronio ad annum 769. n. 6. quòd Episcopi, qui dicuntur à Stephano IV. consecrati, non debeant censeri denuò ordines suscepisse, sed dicuntur consecrati, quia acceperunt more majorum benedictionem pontificiam, & ritus omnes servati solitos in reconciliandis schismaticis, vel hæreticis; quæ utique reconciliatio necessaria fuit eis, qui ab ipso Constantino fuerant ordinati: quoniam ille erat Pseudo-Pontifex, qui Tortoniæ Ducis Nepesinæ civitatis frater, & illius fratris potentiâ fretus, sedem Apostolicam invadens, unô ferè momentô, & nullis servatis interstitiis, tanquam ex scena prodiit Romanus Pontifex, ac per annum sedens, plures ordinavit Diaconos, Presbyteros, & Episcopos; qui cùm illius partes tuerentur, à Concilio, & Stephano legitimo summo Pontifice meritò à suis officiis, & ministeriis suspensi sunt, donec nova populi & Cleri eorum electione, seu potius approbatione interveniente, benedictionem Apostolicam acciperent, & suis gradibus, honoribus ac ministeriis redderentur.

Nec obstat, quòd Auxilius, lib. 2. cap. 4. affirmans Stephanum IV. iterum ordinasse ordinatos à Constantino; factum illud non aliter excusat, nisi quòd exemplum non sit sumendum à malis, uterque autem summus Pontifex, tum Constantinus, tum Stephanus quintus essent homines pravi: Constantinus quidem, utpote cùm Romanæ Sedis esset invasor, Stephanus verò, quia ejus jussu, & approbatione illius sequaces deprehensum fugientem Constantinum multis affectum plagis, ac semivivum relictum oculis privaverunt: Quod utique factum, inquit Auxilius, non Apostolicum, sed Apostaticum est. Hoc, inquam, non obstat; quia falsum est, quòd illa cruenta in Constantinum sævities imperante

Stephanô facta *sit*; nam Anastasius Bibliothecarius, qui *eôdem* sæculô floruit quô Auxilius, adscribit *illam* oculorum suffossionem Constantini, *non* ipsi Stephano, sed cuidam nomine Gratioso, qui insciô Stephanô militum catervâ stipatus, hanc sævitiem in Constantinum exercuit; unde idem Anastasius Stephanum nullius criminis accusat, imò pluribus laudibus eum celebrat, nec-non & Episcopos; qui cum ipso in Concilio Romano convenerant.

Si tamen malis stare sententiæ Auxilii, & existimare cum eo consecrationem à Stephano factam, veram fuisse reordinationem: Respondebo exinde non sequi, quòd Stephanus censuerit, vel per sacramentum Ordinis characterem non imprimi, vel illum esse amissibilem; sed tantùm quòd erraverit in facto, existimando nempe Constantinum non fuisse validum Episcopum; sicut illegitimus erat Pontifex: & sic existimare potuit omnia ipsius Pontificia munia prorsus irrita fuisse. Imò nequidem omnia irrita censuit; nam ut refert idem Anastasius, non solùm approbavit Baptismum à Constantino collatum, sed etiam chrismationem, nempe Confirmationem, quæ non nisi per verum Episcopum conferri solet.

Stephanus & Sergius videntur Pseudo-Pontifices.

Ad secundum respondeo item cum Baronio ad annum 817. primò *Stephanum* illum posse meritò reprobari è numero Pontificum Romanorum, sicut & *Sergium*; quippe cùm in periculosissimis illis Ecclesiæ temporibus factione Marchionum Tusculanorum in Romanam Sedem intrusi pellebantur ab intrusis: Non auderem, inquit Baronius num. 6. Stephanum inter Romanos Pontifices annumerare, nisi id à Majoribus factum accepissem. Et meritò quidem; ille enim Stephanus tor, ac tantis criminibus infamis fuit, ut Romani Pontificis nomine & appellatione omnino indignus sit: nam inter varia ipsius horrenda facinora, Formosum prædecessorem præcepit è sepulchro extrahi, atque in Sedem Romani Pontificatûs Sacerdotalibus vestimentis indutum collocari; demum & iisdem exutus, digitisque tribus abscissis, quibus populo benedicere solebat, in Tyberim ejus sic mutilatum corpus projici; ut narrat Luithprandus lib. 1. cap. 8. his verbis:

» Formosô defunctô, atque Arnulphô in propria
» reversô, is, qui post mortem Formosi constitu-
» tus est (*Bonifacius nimirum*) expellitur, Sergius-
» que Papa (*scribere debuit, Stephanus*) per Adel-
» bertum constituitur, quô constitutô, ut impius,
» doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum è
» sepulchro extrahi; atque in Sede Pontificatûs
» Sacerdotalibus vestimentis indutum collocari
» præcepit, cui & ait: Cùm Portuensis esses Epis-
» copus, cur ambitionis spiritu Romanam univer-
» salem Sedem usurpasti? His expletis, sacratis
» exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis in

Nota.

» Tyberim jactari præcepit, cunctosque quos ipse
» ordinaverat, gradu propriô depositos, iterum
» ordinavit. Quod quàm malè egerit, Pater sanctis-
» sime, animadvertere poteris: quoniam & hi, qui
» à Juda Domini nostri Jesu Christi proditore, ante
» probationem salutem, seu benedictionem Apo-
» stolicam perceperunt, eâ post proditionem, pro-
» priique corporis suspensionem non sunt privati;
» nisi quos improba fortè defœdârant flagitia.
» Benedictio siquidem, quæ Ministris Christi im-
» penditur, non per eum; qui videtur, Sacerdorem
» infunditur. Neque enim qui rigat est aliquid,
» neque plantat, sed qui incrementum dat Deus.
» Quantæ autem authoritatis, quantæque religio-
» nis papa Formosus fuerit, hinc colligere possu-
» mus, quoniam dum a piscatoribus postmodum
» esset inventus, atque ad B. Petri Apostolorum
» Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quæ-
» dam imagines hunc in loculo positum venerabi-
» liter salutârunt. Hoc namque à religiosissimis
» Romanæ urbis viris persæpè audivi.

Quia per tyrannidem Pontificatum adepti, omnia tyrannicè egerunt: maximè ea quæ spectant ad Formosum;

Addo tamen, quòd factum illud Stephani reordinantis à Formoso jam ordinatos, tyrannis fuerit in facto, non verò error in fide: quidquid enim à Stephano septimo, & Sergio tertio gestum, non nisi minis, & terroribus fuit peractum bonis reclamantibus, malis autem suô factô perterritis. Unde etiam postquam infelici exitu ex hac vita sublatus est Stephanus; nam anno 900. detrusus fuit in carcerem, ibidemque laqueô suffocatus, tres succedentes summi Pontifices, nempe Romanus, Theodorus, & Joannes nonus, Acta ejus omninò resciderunt, ut narrant Luithprandus de Romano, & Auxilius de Theodoro; Joannes autem nonus duobus celebratis Conciliis, primô quidem annô 904. Pseudo-Synodum à Stephano congregatam damnavit, his verbis.

Et ordinatos ab eo;

Episcopi, seu Presbyteri atque Diaconi, nec-non & Subdiaconi, cæterique alterius ordinis sanctæ Sedis Apostolicæ, qui ab eodem venerando Papa Formoso canonicè consecrati, & pro quorundam libitu temerè dejecti sunt in proprios ordines & gradus, communi S. Synodi consultu reducimus, perpetuôque robore, ac canonicâ censurâ stabilitos, Deo authore decernimus, &c.

Eodem similiter annô ab eodem Joanne celebrata est alia Synodus Ravennæ, cujus meminit Sigebertus, his verbis: *Hic etiam ad confirmandum Formosi Ordinem, quem Stephanus Papa deposuerat, Synodum 74. Episcoporum præsentibus Francorum Archiepiscopis, & Rege, apud Ravennam statuit, & coram eis combusta est Synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat.* Concludendum est ergo cum *Bellarmino* lib. 4. de summo Pontifice cap. 12. Stephanum & Sergium non edidisse aliquod decretum, quô decernerent ordinatos ab Episcopo degradato, vel nominatim à Formoso, tanquam degradato esse iterum ordinandos, sed solùm de facto jussisse iterum eos ordinari; quæ jussio non ex ignorantia aut hæresi, sed ex odio in Formosum procedebat, & non nisi per vim & tyrannidem executioni demandaretur.

Nec obstat, quòd decretum Stephani probatum fuerit à Romano Concilio ab eo celebrato annô Domini 897. nam id totum per tyrannidem, & metu incussô à probis, qui aderant, Episcopis factum est: unde quotquot illi Pseudo-Synodo interfuerunt, veniam admissi reatûs exorârunt in Concilio Romano, sub Joanne IX. sic enim in eo legimus: *Episcopi & Presbyteri, & reliquus Clerus, qui eidem Synodo interfuerunt; quia ipsi veniam petentes coactos se terroris metu, ac formidine interfuisse confessi sunt, prece sanctæ Synodi eis indulsimus.*

Quid actû sit contra ordinatos à Leone.

Ad tertium denique *respondeo*, nihil aliud in illo Concilio Romano gestum fuisse adversus ordinatos à Leone, nisi quòd fuerint gradu illô pulsi, ad quem evecti fuerant à Leone, & ad pristinum gradum revocati: nam Sigebertus, qui acta Synodalia hujus Concilii legisse visus est, sic ea summatim refert in chronico: *Ioannes Synodô collectâ Leonem deposuit, & ejus gesta cassavit: Statutum quoque est publicô omnium judiciô Synodum à Leone habitam, nec nominandam Synodum,*

sed Prostibulum favent adulteris (ita Leonem nominabat, quòd is Romanam Ecclesiam alteri desponsatam invasisset) *quicunque eò ordinante erant damnati, jussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta, hac continente verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit: & sic depositi remanserunt in illis gradibus, quot habuerant, non à Leone ordinati. Si qui autem digni judicantur, ut non acceptâ priùs consecratione ordinentur, indictô illis eôdem decretô, quod & damnato à Constantino Neophyto.* Hæc Sigebertus.

Objiciuntur Concilia,

Nec movere debent illa verba: *Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit, &c.* Intelligenda sunt enim, quantùm ad honorem, gradum, & ministerium; quemadmodum dictum est de ordinatis à Constantino Neophyto; quandoquidem Sigebertus asserit decretum illius Constantini illis fuisse intimatum.

Objicies tertiò varios Canones Conciliorum, quibus irritæ declarantur ordinationes factæ vel ab iis, qui non ordinant subditos, vel ab iis, qui sunt excommunicati, aut suspensi, aut degradati:

Nicænum.

Primò quidem, Canonem 16. Concilii Nicæni: *Si quis ad alium pertinentem audacter invadere, & in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopô, à quo discessit is, qui regula mancipatur; ordinatio hujusmodi irrita comprobetur.* De ordinationibus autem excommunicatorum sic habet Concilium *Quintilineburgense* celebratum annô 1085. tempore Gregorii Papæ septimi, ubi legimus: *In eadem Synodo ordinatio Vuenilionis Moguntini invasoris, & Sigefridi Augustensis, & Norberti Curiensis: imò omnes Ordinationes & Consecrationes excommunicatorum penitus irritæ judicata sunt, juxta Decreta SS. Patrum Innocentii, Leonis primi, Pelagii, atque ejus successoris Gregorii primi.* Idem decernitur de Ordinationibus Simoniacorum in Concilio Placentino sub Urbano II. ubi statuitur, *Ut si quidquid in sacris Ordinibus, & Ecclesiasticis rebus datâ & promissâ pecuniâ acquisitum simoniacè videtur, pro irrito habeatur:* Ergo semel acquisita authoritas conferendi sacros Ordines deperdi potest; ac proinde character non est inamissibilis.

Quintilineburgense.

Placentinum.

Sed explicantur.

Nego consequentiam, & ad præfatos Canones respondeo ejusmodi ordinationes dici irritas, non quantùm ad characteris impressionem, sed quantùm ad ministerii, & suscepti Ordinis suspensionem; quemadmodum definitur, in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 5. de reformatione, ubi statuitur. *Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantùm: si secus factum fuerit Episcopus ab exercitio Pontificalium; & sic Ordinati ab executione Ordinum sint ipsô jure suspensi.* Quòd autem nihil aliud prætendatur in præfatis Canonibus, maximè Quintilineburgensi, evidens est; quippe cùm proferat authoritatem Innocentii, Leonis primi, Pelagii, & Gregorii Magni, quos certum est approbasse Ordinationes factas à Neophytis, hæreticis, & excommunicatis, ut videbimus agendo de Ministro Sacramentorum.

QUÆRES, *Utrum character ille etiam post mortem subsistat, tam in Beatis, quàm in damnatis?*

XXIII. Character etiam post mortem perseverat tam in Beatis quàm in damnatis.

RESpondeo, id videri certum; quippe cùm Concilia & SS. Patres absolutè pronuntient hunc characterem esse indelebilem; quamquam enim non fuerit eorum mens determinare utrum subsisteret etiam post mortem, quia de hoc dubio non movebatur controversia cum hæreticis; attamen istud constans apparet ex praxi Ecclesiæ; quæ resuscitatum à mortuis non solet denuo baptizare, confirmare & ordinare, tamen permittit eum sacramenta suscipere ac ministrare, ut faciebat dum erat in vivis & ante mortem: Asserere autem quòd Deus de novo reproducat in eo characterem, quemadmodum reproducit vitam, est admittere miraculum sine ulla necessitate & ratione sufficienti: inferendum est ergo mentem Ecclesiæ esse, quòd character in eo subsistat.

Suadetur insuper hac ratione communi. Si character periret cum vita, maximè vel propter corruptionem subjecti, vel propter oppositionem contrarii, vel propter defectum conservationis: at nullô ex his tribus modis deleri potest. Non ex corruptione subjecti; nam anima, quæ est subjectum ejus, corrumpi non potest: non ex oppositione contrarii, quia nihil ei contrarium est: nec ex defectu conservationis, quia Deus eum conservat in Beatis ad ornatum, in damnatis ad supplicium & ignominiam. Cùm enim aliquid à Deo conservatur, Deus non intercipit influxum conservativum, nisi ratio quædam urgens & efficax id suadeat: sed character perseverat usque ad mortem, nec apparet ulla ratio, cur in morte pereat, aut cur Deus ipsi concursum conservativum deneget: quippe cùm spiritualis sit & à corpore independens.

Dices: Cessante fine, cessant ea quæ ordinantur ad finem; aliàs enim frustrà maneret; unde post generationem non subsistet matrimonium: quia cessabit generatio, ad quam illud ordinatur; sed cessabit etiam in morte finis characteris, nempe Dei cultus exterior; quippe nullus erit in inferno, nec etiam aliquis erit in patria; in ea siquidem nihil fiet in figura, nec in operta, sed in aperta ac nuda veritate.

Quamquam nullum ejus ab eis fieri possit exercitium.

Respondeo distinguendo majorem: Si finis omnino cesset, concedo: si cesset tantùm quoad aliquid, nego. Minorem similiter distinguo: Cessabit cultus exterior in patria, quantùm ad materiam exteriorem, concedo: quantùm ad finem, nego. Et similiter, nego consequentiam: nam in cultu divino duo possunt considerari, nempe materia cultûs, scilicet opera quædam externa; & finis cultûs, videlicet honor & gloria Dei, quæ per hæc opera externa ipsi exhibentur. Cessabunt quidem in patria externa illa opera, sed remanebit finis, nempe honor & gloria Dei; ac consequenter ipse etiam character perseverabit, in bonis quidem ad gloriam, in malis autem ad ignominiam: quemadmodum militaris character perseverat in militibus post adeptam victoriam, in his quidem qui vicerunt ad gloriam, in his autem qui victi sunt ad pœnam.

Instabis: Damnati indigni sunt omni dono supernaturali, ut testatur S. Dionysius lib. de divinis nominibus cap. 4. ubi dicit dæmones carere omnibus divinis donis, tam secundùm habitum, quàm secundùm operationem: sed cha-

racter est aliquod donum supernaturale: igitur non remanet in damnatis.

XXIV. Quomodo character remaneat in damnatis ad pœnæ augmentum. *Respondeo*, quòd etsi damnati indigni sint omni donô supernaturali, quod conducere posset ad eorum solatium; tamen non sunt indigni, immò summè digni eô omni, quod conferre potest ad illorum pœnam & supplicium, qualiter haud dubiè conferent illi characteres, quibus divinitùs sunt insigniti. Sicut enim summum dedecus, ac opprobrium est in Repub. civili militem fieri proditorem aut desertorem: œconomum commissi sibi boni fieri dissipatorem ac fraudatorem, & filium aut servum fieri degenerem, & in patrem aut dominum perduellem: ita in Repub. Ecclesiastica summè dedecorum est Christi fidelem, militem ac dispensatorem, tanquam perduellem, proditorem, ac dissipatorem damnari: quocirca tres illi characteres filiationis adeptæ per Baptismum, militiæ comparatæ per Confirmationem, & dispensationis bonorum Christi commissæ per Ordines, remanebunt in damnatis, in pœnam suæ perduellionis & defectionis.

ARTICULUS TERTIUS.

De legitimo Sacramentorum Ministro?

I. Variè erratum est circa Ministrum Sacramentorum. CERTUM est Sacramenta novæ legis tribus perfici, nempe rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conferentis Sacramentum, ut jam pluries dictum est: nec abs re quidem: cùm enim Sacramenta conficiantur ex rebus sensibilibus inanimatis, quæ non possunt per seipsas invicem conjungi, necessum est, quòd ad earum unionem, & applicationem interveniat alicujus ministerium, qui utrumque præstet. Verùm disceptatur, quis sit ille Sacramentorum idoneus Minister, an soli Fideles, & Justi; an verò etiam ad id conferre possint quicunque infideles, & peccatores: Circa quam controversiam, variè erratum est, non solùm ab hæreticis, sed etiam à viris aliunde Catholicis, antequam quid ex fide sentiendum esset, Ecclesia statuisset.

Maximè à Tertulliano. *Primò* namque Tertullianus nondum hæreticus circa finem primi sæculi censuit nullum esse Baptismum ab hæreticis collatum; nam lib. de Baptismo, cap. 17. ait: *Hæretici nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis: non debeo in illis agnoscere quod mihi est præceptum; quia non idem Deus & nobis, & illis, nec unus Christus ideo idem, ideoque nec Baptismus unus, quia non idem, quem cùm ritè non habeant, sine dubio non habent, &c.*

II. Deinde ab Agrippino. Hunc autem fortè à Tertulliano Gentili suo errorem accepit Agrippinus Carthaginensis Episcopus, qui prætextu pietatis statuit, hæreticorum Baptisma irritum esse, quasi quæcunque eorum essent, Ecclesia respuere deberet, & abominari. Unde circa annum 517. coactô in Africa Conciliô ex omnibus Numidiæ, atque Africæ Episcopis, illud idem confirmavit, ut testatur sanctus Cyprianus Epist. ad Jubaianum, ubi ait: *Non nova apud nos aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt: Atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in Provinciis nostris ad Ecclesiam conversi, non aspernati sunt neque cunctati; imò & rationabiliter & libenter amplexi sunt, ut lavacri vitalis & salutaris baptismi gratiam consequerentur.* Idipsum testatur Vincentius Lirinensis in commonitorio num. 46. ubi scribit: *Agrippinus Carthaginensis Episcopus, contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem atque institutionem Majorum rebaptizandum esse censuit.* Attamen non in omnibus Provinciis Africæ hæc consuetudo inoleverat ab Agrippino ad S. Cypriani tempora, ut præclarè demonstrat sanctus Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 12. *Cæterum*, inquit, *si permanebat ab Agrippino ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta sunt à Cypriano de hac re concilia? ut quid eidem Iubajano dicit non se rem novā facere aut repentinam, sed ab Agrippino institutam? Cur enim Iubajanus de novitate turbaretur ut eum per authoritatem Agrippini sanari oporteret, si ab Agrippino ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus collegæ in Concilio dixerunt, rationem & veritatem consuetudini esse præponendam; ac non potius dixerunt eos, quod aliud facere vellent, & contra veritatem & contra consuetudinem facere!*

Idem postmodum dogma circa annum 254. instauravit Novatus Episcopus qui ex Africa Romam veniens, adversus Cornelium summum Pontificem insurgens, suis fraudibus egit, ut Novatianus ex Presbytero crearetur Romanus Pseudo-Pontifex, à quo originem, & appellationem duxerunt.

III. Novatianis. Novatiani, seu Novatianenses, quorum inter varios errores hic unus erat, quòd accedentes ad se Catholicos rebaptizarent, ut constat ex Epistola sancti Cypriani ad Jubajanum: *Nec nos*, inquit, *movet, frater charissime, quod in litteris tuis complexus es, Novatianenses rebaptizare eos, quos à nobis sollicitant.* Unde Dionysius Alexandrinus apud Euseb. libro 11. Hist. cap. 11. dicit, quòd Novatus, seu Novatianus *sanctum Baptismatis lavacrum abrogaverit*, improbatô scilicet Baptismô Ecclesiæ Catholicæ, volebat denuò eos baptizari, qui ex Catholicis ad suam sectam deficiebant.

IV. Arianis. *Ariani* quidam eundem errorem sectati sunt, ut constat ex S. Ambrosio sermone de Basilicis non tradendis hæreticis, ubi ait: *Baptismum Ioannis non solverunt Iudæi: Auxentius solvit Baptismum Christi. Cur igitur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat baptizatos in nomine Trinitatis, cùm Apostolus dicat: una fides, unum Baptisma?* Idem docet sanctus Augustinus lib. de Hæresibus, Hæresi 49. ubi de Arianis ait: *Rebaptizari quoque ab his Catholicos novimus, utrum & non Catholicos non novimus.*

V. Ætianis. *Ætiani* ab Ætio Diacono postmodum Episcopo, qui etiam dicti sunt Anomæi; quia Filium Dei non solùm Patri consubstantialem, sed etiam similem negabant; rebaptizare etiam ausi sunt, ut refert sanctus Epiphanius Hæresi 76. *Ætii*, inquit, discipuli cum horum successore, qui Eunomius falsò nominatur ad hæc tempora supersunt, aliud quiddam sceleratum, ac nefarium committunt; siquidem eos, qui baptizati jam fuerunt, iterum baptizat Eunomius: non modò, qui à Catholicis, aut aliis sectis, sed etiam qui ab ipsis Arianis deficiunt.

VI. Hilarianis. Eos secutus est *Hilarius* quidam Diaconus, sectâ

Luciferianus, qui editis libellis propugnabat rebaptizandos esse, qui ab hæreticis Baptisma susceperant; ei tamen cæteri Luciferiani non adhæserunt: quippe cùm S. Augustinus lib. de agone Christiano, cap. 20. asserat Luciferianos potius schisma, quàm hæresim fecisse.

VII. Bogomiliani. Idem pestilens dogma inter alios errores instauravit Basilius quidam professione Medicus, qui *Bogomilus* appellari voluit, à voce *Bog*, quæ Bulgarorum linguâ Deum significat, & *milus*, quæ significat misereri; itaut Bogomilus idem sit apud eos, quod qui misericordiam Dei implorat: hic autem, ut refert Euthymius in Panopl. p. 2. accedentes ad se rebaptizabat, quòd nullum eorum Baptisma existimaret.

VIII. Petrobrusiani. Idem docuit *Petrus de Bruis*, cujus varios errores refert, & impugnat Petrus Cluniacensis in duabus epistolis contra *Petro-Brusianos* editis, in quarum pleniori non longè ab initio scribit: Novô & apud Christi-colas inauditô scelere, in partibus nostris populi rebaptizati, Ecclesiæ profanatæ, &c.

IX. Henriciani. Tempore S. Bernardi, hæretici quidam, *Henriciani*, qui se *Apostolicos* appellari volebant, quasi essent successores, & imitatores Apostolorum, etsi nullum Apostolatûs sui signum ostenderent, aiebant peccatores idoneos non esse Sacramentis dandis & suscipiendis, ut refert sanctus Bernardus serm. 66. in Cantica, cap. 11. *Iam verò*, inquit, *qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum si ordinibus Ecclesiæ detrahunt, si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, sunt Apostoli, Archiepiscopi, Presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis.* Quem utique errorem sic S. Bernardus perstringit: *Episcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Si negas Episcopum, arguet te testimonium Ioannis, qui eum in testimonium sui Pontificatûs etiam prophetasse refert; Apostolus erat Iudas, & licet avarus & sceleratus, electus à Domino. An tu de illius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit?* NONNE EGO, *inquit*, VOS DUODECIM ELEGI, ET UNUS EX VOBIS DIABOLUS EST? *Audis eundem electum Apostolum, & extitisse diabolum, & negas posse esse Episcopum, qui peccator est? Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, & qui non obedierunt eis tanquam Episcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum præcipientem, & dicentem:* QUÆ DICUNT FACITE, &c.

Plures sunt alii recentiores hæretici, qui circa idoneum sacramenti ministrum erraverunt; ut referemus seq. q. 2. num. 3. Cùm autem præ cæteris exorbitaverint Donatistæ, idcirco placet hîc sub distinctis titulis paucis expendere, ac referre, quis fuerit eorum hæresis, ac schismatis ortus & progressus?

Quæ fuerit origo Donatistarum?

X. Origo Donatistarum schismatis. CUm Mensurius Episcopus Carthaginensis, sæviente in Christianos persecutione; à tyranno Maxentio Romam evocatus sibi concreditis Ecclesiæ bonis consulere voluisset, cuncta vasa aurea & argentea senioribus Sacerdotibus consignavit, datô illorum indice seniori cuidam fideli aniculæ, quem subinde post illius obitum in manus sui successoris traderet. Mortuô igitur in itinere Mensuriô, & concessâ Ecclesiis ubique pace, convenerunt Episcopi Carthagini, ut in ejus locum aliquem eligerent, ac sufficerent. Electus est autem Cecilianus totius populi votis. At electionem ægrè tulit Lucilla fœmina Hispana præpotens & ambitiosa, quæ Carthagine versans reprehensa fuerat a Ceciliano tunc Ecclesiæ Carthaginensis diacono, quod ante Eucharistiæ sumptionem solita esset exosculari reliquias cujusdam quem Ecclesia nondum in album Sanctorum retulerat. Illa autem correctionis impatiens captabat occasionem ulciscendi se de Ceciliano, sicut & Botrus & Cœlesius qui Carthaginensem sedem ambiebant.

Occasione repetitionis sacrorum vasorum. Creatô igitur Cecilianô Episcopô, scriptum illud, quod *Commemoratorium* vocat Optatus, ut Mensurius jusserat, ei datur: quô acceptô Cecilianus ex officio repetit à senioribus vasa aurea, & argentea, quæ à Mensurio acceperant; hi autem ne ipsa restituere cogerentur, instigante Lucillâ, & conspirantibus Bottô ac Cœlesiô, non solùm se se, sed etiam sibi commissam plebem à Ceciliani communione subduxerunt: *Sic tribus convenientibus causis, & personis*, inquit Optatus, *factum est, ut malignitas haberet effectum, schisma igitur illô tempore confusa mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit.* Et Electionis Cæciliani.

Insuper ab his tribus personis contra Cecilianum causæ confictæ sunt, ut vitiosa ejus ordinatio diceretur. Mittunt itaque ad Secundum Tigisitanum Numidiæ Primatem, qui unà cum plurimis Episcopis traditoribus convenientes, qui paulò antè in Concilio Numidiæ confessi fuerant suum crimen, nempe quòd tradidissent, sacros libros infidelibus, ut mortem effugerent, & indulgentiam, & absolutionem sibi invicem tribuerant. Hi in urbem Chartaginem allecti se à Ceciliani communione separantes creaverunt Pseudo-Episcopum Carthaginensem Majorinum Lectorem Lucillæ domesticum, ipsâ suffragante, & ad id summam pecuniam largiente; quæ omnia narrat S. Augustinus lib. 1. contra Parmenianum, cap. 3. Legant qui volunt, *inquit*, quæ narret, & quibus documentis quàm multa persuadeat venerabilis memoriæ Milevitanus Episcopus Catholicæ communionis Optatus, sive de Lucilla pecuniosissima tunc & factiosissima fœmina, quam pro Ecclesiæ disciplina sanctus Cæcilianus adhuc Diaconus læserat: vel de cæteris factiosis ejus consortibus, sive furibus Ecclesiastici argenti, sive ad Episcopatum se non pervenisse dolentibus, & sibi prælatum Cæcilianum, insidiis, quibus poterant, insectantibus: sive de Numidis Episcopis, quos ista factio consecraverat ad perniciem Cæciliani, ut illô depositô, alter ex eis ordinaretur: qui venientes cum Primate suo tunc Secondo Tigisitano, & aliis quibus traditionis confessa crimina Secundus ipse donaverat, veluti pacem consulens (sicut Ecclesiastica gesta testantur) absentem Cæcilianum sine ulla dilatione diligentioris inquisitionis, nullô responsionis locô servatô, Traditorem esse censuerunt, ut ei videlicet obessent absenti traditionis crimina tantummodò objecta, cùm sibimetipsis præsentes confessa donaverint. Cui opponitur Majorinus à schismaticis.

X. Cogitur Concilium adversus Cæcilianum. Hoc igitur fuit Donatistarum schismatis enorme principium: *Non enim*, inquit Optatus Parmenianum alloquens lib. 1. *Cæcilianus exivit à Majorino avo tuo, sed Majorinus à Cæciliano: nec Cæcilianus recessit à cathedra Petri, vel Cypriani; sed Majorinus, cujus tu in cathedra sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat.* Cæterùm non fuit satis schismaticis Episcopis hæc contra

Cæcilianum egisse; sed coactô fermè 70. Episcoporum Carthagine Conciliô, Cæcilianum absentem vocatum, & non parentem damnârunt, *quòd* (inquit S. Augustinus in breviculo collationis diei tertiæ cap. 4.) *ad eos venire noluerit, tanquam à Traditoribus ordinatus, & quia cùm esset Diaconus, victum afferri Martyribus in custodia constitutis probibuisse dicebatur.* At quàm suppositstia fuerit & falsa hæc criminatio in Cæcilianum, apertè demonstrârunt Catholici, ut ibidem refert sanctus Augustinns, cap. 16. idque suô silentiô testati sunt Donatistæ, quos cùm interpellasset Cæcilianus, si esset, quod in eum probaretur, ,exiret accusator, & probaret: illô tempore, inquit Optatus, à tot inimicis nihil in illum potuit confingi: sed de ordinatore suo, nempe Felice Aptungitano Episcopo, quòd ab eis falsò traditor diceretur, metuit infamari.

XII. Quare & à quod dicti sunt Donatistæ.

Licèt autem schisma illud conflatum præcipuè fuerit à Botto & Cælestio, qui Carthaginensem sedem ambiebant, & à senioribus deposita Ecclesiæ ornamenta negantibus; auctumque fuerit à Secundo Episcopo Tigisitano Primate Numidiæ, & in creatione Majotini demonstratum, ac firmiter stabilitum; ab eis tamen suum nomen non sunt mutuati; sed à Donato non quidem Masculitano, aut Calamensi, qui cum aliis Traditoribus adversus Cæcilianum convenerant: sed maluerunt sic appellari ab alio Donato, qui post schismatis originem Majotino successerat in Pseudo-Episcopatu Carthaginensi, eò 'quòd ab omni labe purissimns ab eis habebatur; & insuper eloquentiâ, quâ pollebat hoc schisma unà cum hæresi confirmaverat. Unde S. Augustinus lib. de Hæresibus, cap. 69. sic scribit de Donatistis: *Hujus haresis principem accepimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cacilianum Christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Episcopnm: cui Majorino Donatus Episcopus alius in eadem divisione successit: qui eloquentiâ suâ sic confirmavit hanc haresim, ut multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari.* Refugiebant insuper sic denominari à priori Donato, quòd constaret eum à Melchiade Papa fuisse damnatum.

Quis fuerit schismatis, & haresis Donatistarum progressus?

XIII. Aliud cogitur Concilium adversus Cæcilianum.

CIrca annum Christi 308. *tempore Constantini Imperatoris.* Donatistæ adversus Cæcilianum Episcopum collegerunt Concilium Carthagini 170. Episcoporum, adjunctis ad eam factionem Numidis Episcopis, sollicitatisque Mauritanis, datis ubique litteris calumniis in Cæcilianum refertis, allectisque ad suam ipsorum communicarionem, etiam iis, qui in persecutione lapsi essent impiis Traditoribus. In quo qnidem Concilio, ut refert S. Augustinus epist. 48. per 75. dies postpositis omnibus præteritis, limata sententia atque decreta, *Ut Traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communicaretur.*

Cujus tamē non meminerunt Donatistæ.

Sed maximô studiô ejusmodi Synodi licèt numerosissimæ memoriam suppresserunt Donatistæ; Quod, inquit, S. Augustinus, eam Synodum ex Traditorum gregibus collectam esse novissent; sicque pateret eos, & traditionis labe, & Traditorum communione esse fœdatos, cùm nihilominus se ab illa macula immunes jactarent; atque in Cæcilianum, tanquam à Traditore ordinatum ex justitiæ amore insurgerent.

XIV. At Cæcilianus habet sibi patrocinantem summum Pontificem.

Intereà Cæcilianus tot hostium numerô circunseptus fidenter agebat, quòd sibi patrocinantem Romanam sedem baberet; quod utique sic declarat sanctus Augustinus epist. 162. *Posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret Romana Ecclesia, in qua semper Apostolica cathedra viguit principatus, & cunctis terris; unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum, &c.* Ipsi pariter patrocinabatur Constantinus Imperator; nam datis ad Analinum Proconsulem litteris, declarat Clericos Ecclesiæ Catholicæ, cui Cæcilianus præerat, immunes ab omnibus functionibus publicis conservari: Quam utiqne epistolam refert Eusebius lib. 10. cap. 17.

Et Imperatorem Constantinum.

Hæc cùm accepissent Donatistæ, animadvertentes Constantinum propensiorem esse erga Cæcilianum, nec sibi sperandnm Imperatore ei propitiô de sede Carthaginensi, quòd alias sæpe, sed frustrà tentassent, exturbare posse: interpellant eundem Anulinum, ut suos ea de re libellos duos mittat ad Imperatorem tunc in Galliis agentem, ut habetur in epistola Hipponensium ad Januarium primæ Sedis Numidiæ Episcopum Donatistam, quæ est inter Augustini Epistolas num. 68. quorum libellorum titulus hic unus erat: *Libellus Ecclesia Catholica criminum Caciliani traditus à parte Majorini.*

XV. Ab eo Judices postulant Donatistæ.

Delegant pariter aliquos Episcopos unà cum delatore litterarum, qui petierunt ab Imperatore, ut sibi daret Judices, non quidem ex Africa; quia, inquiebant, inter nos & alios Episcopos contentiones sunt: sed ex Gallia. Constantinus autem lectis epistolis, & auditis Episcopis, sapienter respondit (inquit Optatus lib. 1. contra Parmenianum.) *Petitis à me in saculo judicium, cùm ego ipse Christi judicium expectem.*

Nota.

Nihilominus eis Judices tres assignavit, Maternum ex Agrippina civitate, Rheticium ab Augustoduno, & Majunum Arelatensem. Sentiens verò posteà Imperator judicia Episcoporum absque primariæ sedis Antistite nefas esse cognosci, causam illam detulit ad Melchiadem Romanum Pontificem, qui præsentibns tribus illis, quos elegerat, aliisque Comprovincialibus in Italia Episcopis, illam controversiam dirimeret. Quod ut libratis omnibus fieret, & legitima judicii forma servaretur, nempe ut præsens adsit reus, qui suam causam dicat, præsentibus accusatoribus, Imperator scripsit ad Anulinum, mandans, nt Cæcilianum cum decem è suis, & ejus adversatios cum totidem Episcopis Romam venire præcipiat intra diem sextam Nonas Octobris.

XVI. Cæcilianus innocens pronuntiatur.

Paret utraque pars Imperatoris mandato, Romamque adveniunt omnes signatô die, conveniunt cum tribus Episcopis Gallis, & Melchiade quindecim alii Episcopi Judices: testes inducti à Donato fatentur se non habere quòd in Cæcilianum dicerent. Unde omnium suffragiis Cæcilianus innocens est pronuntiatus; ita sententiam snam ferente Melchiade summô Pontifice; *Cùm constiterit Cacilianum ab iis qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec à Donato convictum esse in aliqua parte constiterit: sua communioni Ecclesiastica integro statu retinendum meritò esse censeo.*

Cùm autem Cæcilianus à Donatistis accusatus esset, etiam Donatus, *à casis nigris* dictus, accusatus est à Catholicis, qui stabant à parte Cæciliani,

Cæciliani, quòd rebaptisasset, & Episcopis lapsis manum imposuisset; unde in ipsum hæc sententia lata est: *Quòd confessus sit rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est.* Nec durius in eum, quamvis totius mali principem, agere voluit summus Pontifex, spe sanitatis recuperandæ; imò paratus erat communicatorias litteras mittere etiam iis, quos à Majorino ordinatos esse constaret: Itaur quibuscunque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs altera regenda provideretur, ut refert S. Augustinus epist. 162. unde ibidem exclamat: *O virum optimum! ô Filium Christianæ pacis, & Patrem Christianæ plebis!*

Non ita Donatus.

Judicio non acquiescunt Donatistæ.

Verùm non idem fuit Donatistis pacificus animus; vix enim in patriam reversi, de Romani Concilii sententia ad Constantinum Imperatorem appellant: quod audiens Imperator sic exclamavit, ut refert Optatus. *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Quam etiam exclamationem repetiit in epistola ad Episcopos, quæ extat in Appendice ad Optatum editionis Parisiensis.

Nota.

XVII. Postulant aliud judicium.

Constantinus autem nimiâ ductus erga procacissimos & sceleratos facilitate, futurumque sperans, ut sic ad quietem demum se componerent, procurat novam & confluentium Episcoporum numerô ampliorem Synodum *Arelatis* congregari. Sed quia in ipsa causa jam dudum in catholica duorum videbantur laborare personæ; nempe ordinati & ordinatoris, hoc est Cæciliani, & Felicis Aptungitani, quem fuisse sacrorum librorum traditorem Donatistæ calumniabantur; ut rebus utrinque libratis æquior sententia in Arelatensi Synodo emergeret, Constantinus ad Ælianum Proconsulem scripsit, ut de vita Felicis Aptungitani inquireret, utrum tempore persecutionis, ut mortem effugeret, sacros libros igne cremandos infidelibus tradidisset. Re itaque disquisitâ, & advocatis testibus, qui cum Felice sub persecutione vixerant, responsis omnium nihil tale inventum est, quod vitam Felicis Episcopi sordidare potuisset. Unum fuit, quod obiicerent Donatistæ, nempe epistolam Cæciliani ad Felicem, quâ mandare videbatur Cæcilianus, ut Felix assumptâ clavi, quos invenisset in cathedra libros, & sacros codices, eos tolleret, & infidelibus traderet. Verùm cùm Cæcilianus contestaretur interpolatam fuisse suam epistolam, advocatus est Ingentius Officialis & Scriba publicus, qui à Donatistis subornatus hanc epistolam protulerat, qui cùm pependisset sub metu imminentium tormentorum, ut veritatem fateretur, confessus est se reverà hæc addidisse epistolæ Cæciliani.

Causam librat Proconsul.

Denuò absolvitur Cæcilianus.

Quapropter exceptâ Judicum sententiâ Proconsul pronuntiavit *Felicem Episcopum religiosum esse; & liberum ab exustione instrumentorum Deificorum.* Quam sententiam misit ad Imperatorem, reservatô in carcere Ingentio, quem Imperator mandavit ad se mitti, quô adversarii Cæciliani, qui à lata Proconsulis sententia pro Felice ad Imperatorem appellavarant, confutari possent ipsius Ingentii confessione, qui fraudem Donatistarum, & quam eis sollicitantibus interpolationem fecerat, eis publicè objiceret.

XVIII. Cogitur Synodus Arelatensis.

Intereà cogitur Concilium Arelatense, mandante Constantinô, & approbante Sylvestrô summô Pontifice, qui in demortui Melchiadis locum successerat annô 314. Conveniunt plurimi Episcopi ex Gallia, Hispania, Britannia, Italia, Africa; interfuêre quoque summi Pontificis Legati, Claudianus & Avitus Presbyteri, Eugenius & Quiriacus Diaconi. Adest etiam Constantinus Imperator: adsunt pariter tres illi Gallicani Episcopi, quos Imperator delegaverat Judices, ut cum Melchiade Pontifice Romana Cæciliani causam agerent. Denuò exactissimè Cæciliani & Felicis causa discutitur; & uterque innocens declaratur, ac Donatistæ condemnantur; quò fit ut plurimi ex Donatistis in concordiam cum Cæciliano redierint: at eorum plurimi pertinaciores facti à Concilii sententia rursus appellant ad Imperatorem, qui jubet eos servari in custodia, & Mediolanum duci ubi advocatus Cæcilianus, remotis omnibus arbitris rursus in causam inquirit Imperator, & Cæcilianum innocentissimum, illos verò improbissimos judicat: quam sententiam refert sanctus Augustinus lib. 2. contra Cresconium, cap. 7.

In qua innocens iterum Cæcilianus declaratus.

Idem paulò post pronuntiat Imperator.

His actis annô 1317. Schismatici in Africam reversi novas turbas excitant, convitianturque Imperatorem gratiâ corruptum, ut narrat sanctus Augustinus lib. 1. contra epistolas Parmeniani, *cap. 6.* Cujus rei causâ commotus Imperator jubet eorum aliquos ad campum, hoc est, ad supplicium duci, ut ibidem refert S. Doctor *cap. 8.* at indignationem subinde cohibens ab eorum sanguine abstinuit, illosque duntaxat exiliô mulctavit; à quo tandem eos revocavit annô 321. illorum furorem Deo vindici dimittendo, inquit S. Augustinus lib. ad Collatorem cap. 13.

XIX. Rursus tumultuantur Donatistæ.

Verùm cùm tandem aliquando quiescere deberent Donatistæ tot sententiis fracti, totque Imperatoris gratiis illecti, nihilominus nova in Catholicos odia exercent; tunc enim Donatô Carthaginensi Episcopo hortante, prodierunt quidam sectæ defensores, qui Circuncelliones dicti sunt, quòd circum cellas vagarentur, ut observat S. Augustinus in Psal. 132. & apud Donatistas *duces Sanctorum*, & publicæ Justitiæ vindices dicebantur.

XX. Pseudo-Pontificem Romanum sibi eligunt.

Ut autem huic sectæ Catholicum nomen non deesset, mittunt unum Episcopum è suis Romam, qui suis sectatoribus præesset, & Romanæ Ecclesiæ communionem ipsis vendicaret, ab eisque Romanus Pontifex appellabatur. Huic successivè quinque suffecti sunt Episcopi, qui vel ex Africa mittebantur ordinati; vel, ut scribit sanctus Augustinus lib. de hæresibus cap. 69. alii Episcopi Donatistæ ex Africa pergebant Romam, ad eos ordinandos. Quidquid sit, certum est eos omnes Episcopos Donatistas Afros fuisse, nullum autem Romanum, ut ipsis exprobrat Optatus lib. 2. Qui autem Romæ agebant, ab ipsa civitate exclusi in vicinorum montium speluncis sua conventicula celebrabant; unde *Montenses* appellati sunt, ut notat Optatus ibidem 3. & *Rupitæ*, atque *Rupitani*, ut observat sanctus Augustinus lib. de unitate Ecclesiæ cap. 3.

Quis fuerit Donatistarum successus post mortem Constantini.

XXI. Imperatoris clementiam spernunt.

MORITUR Constantinus annô 337. & orbis imperium inter se partiuntur tres ejus filii, Constantinus, Constantius, & Constans: cùm autem Constanti obvenisset Africa, & comperisset miserrimum illius Ecclesiæ statum, misit in Africam duos spectatissimos viros, Paulum &

Macharium, ut Africanam Ecclesiam eleemosynis sublevarent; sed eô præsertim consiliô, ut suppressô schismate omnes ad unitatem revocarent; unde *Operarii unitatis* appellabantur, inquit Optatus lib. 3.

At Donatus Carthaginensis Pseudo-Episcopus illis resistit, nec solùm oblatam ab illis pecuniam, & Ecclesiasticam supellectilem repudiat; sed litteras dirigit in Provincias singulas, ne suæ sectæ pauperes ab illis quidquam accipiant, utpote à sua communione alienis & peccatoribus. Quinimò in eos commovet Circumcellionum turbas: quapropter coguntur advocare armatos milites, qui à Circumcellionibus malè accepti, aliquos ex eis occiderunt; qui subinde pro Martyribus à Donatistis habiti sunt, ut refert Optatus lib. 3.

Quibus compertis, Imperator Constans Donatum Carthaginensem cum præcipuis ejus sectatoribus exiliô mulctat; quô factum est, ut plurimi è plebe ad Ecclesiæ unitatem redirent. Pertinaciores verò ex Donatistis circa illa tempora, quæ S. Augustinus appellat *Macariana*; alii verò *ex Legatis*, falsi martyrii cupiditate illecti percussores in sui perniciem conducebant; alii verò vel in aquas, vel ex altorum montium cacuminibus se se præcipites dabant; vel laqueô se suffocabant: Unde sanctus Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 49. sic eum interpellat: Vellem mihi diceres, Confessores illi vestri, quando seipsos præcipitant, cui dicant martyrium, utrum Christo, qui talia suggerentem diabolum repulit, an potius ipsi diabolo, qui talia Christo facienda suggessit? Duæ sunt maximè viles atque usitatæ mortes eorum, qui seipsos interimunt, laqueus & præcipitium. Tu certè dixisti in primis partibus hujus epistolæ, *Laqueô Traditor periit, laqueum talibus dereliquit:* hoc ad nos omninò non pertinet; neque enim veneramur nomine Martyrum eos, qui sibi collum ligaverunt; quantò autem probabilius in vos dicimus, Magister Traditoris diabolus præcipitium Christo suadere voluit, & repulsus est? Quid ergo dicendi sunt, quibus hoc suasit, & auditus est? Quid enim nisi inimici Christi, amici autem diaboli; Discipuli seductoris, condiscipuli traditoris, spontaneas enim mortes ab uno Magistro utrique didicerunt, ille laqueum, isti præcipitium.

XXII. Eorum aliqui ambiunt videri martyres.

Annô 362. cùm Constans occisus fuisset, & jam imperii habenas regeret Julianus, Donatistarum principes in exilium acti, Legationem ad eum mittunt, quâ petunt ab exilio liberari, & Basilicas sibi ademptas restitui. Annuit Imperator, & ab exilio reducti sæviunt in Catholicos, & in sacra omnia; itaut etiam aliqui ex eorum Episcopis (quod horrendum dictu) sacram Eucharistiam canibus objecerint, ut narrat Optatus lib. 2. Annô autem 368. mortuo Donato Carthaginensi Pseudo-Episcopo, suffectus est Parmenianus, qui in defensionem suæ sectæ scripsit amplissimam epistolam, quam Optatus Milevit. in Numidia Episcopus, & S. Augustinus, imò & Tyconius quidam Afer, doctissimè refutârunt.

Juliani Apostatæ permissu Sæviunt in Catholicos.

Vitâ functô Parmenianô circa annum 383. subrogatus Primianus multis criminibus reus, qui idcirco per Concilium Donatistarum coactum apud Cavernas Susis prope Carthaginem damnatus ac depositus est, ejusque damnatio & depositio approbata fuit in pleniori Donatistarum Concilio centum, vel amplius Episcoporum, qui Cebarsussi convenerant, ut refert S. Augustinus lib. 4. contra Cresconium, cap. 6. In illius autem Primiani locum electus est Maximianus Diaconus Carthaginensis, quem ipse Primianus antè damnaverat: at Primianus resumptis viribus Episcopos Numidiæ ad sui defensionem provocat, qui numerô 310. convenientes celebrant Bagaïense Concilium, restituuntque, & absolvunt Primianum; Maximianum verò absentem & inauditum damnant & destituunt. Hinc grande oritur schisma inter Donatistas, quamplurimi enim Primiano adhæserunt, alii autem Maximiano, ut ibidem narrat S. Augustinus. In hoc tamen, (quod hæreticis omnibus familiare est, consentiebant Donatistæ, ut in Catholicos, quâ possent arte, & sævitiâ grassarentur, ut eis exprobrat Optatus libro secundo, ubi ut cruentis morsibus pastos & Christianorum sanguine opimatos fuisse ostendat, commemorat ipsorum furorem & impietatem. Cùm pax alta, *inquit*, Ecclesiæ esset, imperante Constantinô, & duces Donatistarum merita relegassent sua; Julianus Apostata precibus Donatistarum rogatus, relegatos ire præcepit pro voto suo, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse venturos. Venerunt irati, membra laniantes Ecclesiæ, subtiles in seductionibus, in cordibus immanes. Felix Diabensis, & Januarius castellum Lemanense invaserunt, diripuerunt, & Diaconos Catholicos altare defendentes, plurimos tegulis cruentârunt, duos occiderunt. In Mauritaniæ civitatibus, Donatistis intrantibus, quassatio populi facta est. Mortui sunt in uteris matrum, qui fuerant nascituri. In Thipasa Cæsariensis Mauritaniæ civitate Catholica frequentia exturbata & cruentata, de sedibus suis expulsa est. Lacerati sunt viri, Tractæ sunt matronæ, infantes necati sunt, abacti sunt partus. Jusserunt Eucharistiam canibus infundi, non sine signo judicii divini. Nam iidem canes rabie accensi, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt.

Nota.

Ampullam chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt, & cùm casum juvaret abjectio, non defuit manus angelica, quæ ampullam spiritali subvectione deduceret, projecta casum sentire non potuit, illæsa inter saxa consedit. Urbanus Formensis, & Felix Idicrensis inde revertentes invenerunt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres.

Idem Felix vitiavit puellam, cui mitram ipse imposuerat, à qua paulò ante Pater vocabatur.

Idem Donatum annorum septuaginta Episcopum spoliare ausus est nomine, officiô, honore Episcopali, innocentem reus, Dei Sacerdotem sacrilegus, incestus castum, &c.

Nec potuit eorum pervicacia frangi, licèt variis, sed irritis conatibus fuerint sollicitati, ut ad Ecclesiæ gremium se se reciperent, donec summis S. Augustini laboribus, & assiduis scriptis ac disputationibus debilitati, tandem Honorii Imperatoris pœnalibus edictis domita est eorum sceleratorum protervia; ad id præcipuè agente Marcellino Tribuno, quem ad compescendam Donatistarum vesaniam Honorius cum amplissima potestate, & copiis militaribus in Africam delegaverat. Omissâ igitur ampliori relatione ac discussione schismatis Donatistarum, jam determinandum est, quis sit idoneus Sacramentorum

Ministet, & utrum in ipso desideretur, primò status hominis viatoris: secundò vitæ probitas; tertiò fides; quartò intentio: quod utique resolvetur in sequentibus quæstionibus.

Quæstio Prima.

Quis debeat esse Sacramentorum Minister?

I.
Duplex est Sacramentorum minister: ordinarius nempe & extraordinarius.

NOtandum primò, duplicem distingui posse Sacramentorum Ministrum: unum quidem *ordinarium*, alterum vero *extraordinarium*. Ordinarius ille dicitur, qui ex concessa sibi facultate potest quâlibet datâ occasione, & opportunitate ministrare sacramentum: extraordinarius autem, qui nonnisi ex delegata authoritate & commissione sacramenta ministrat, urgente necessitate propter absentiam & defectum ordinarii Ministri. Certum est autem homines ministros esse sacramentorum, dum à Christo Domino delegatam potestatem obtinent. Unde Apostolus 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Dixi, dum habent à Christo delegatam potestatem, ille enim omnis & solus est Minister Sacramentorum, quem Christus in sua institutione designavit. Quis autem sit singuli cujusque sacramenti peculiaris Minister à Christo designatus, resolvetur agendo de Sacramentis in particulari. Hîc autem duntaxat investigamus, quisnam in communi debeat esse ordinarius sacramentorum Minister, utrum homo, vel Angelus.

II.
Quàm impiè circa ministrum Sacramentorum erraverit Lutherus.

Notandum secundò, Lutherum eò non dicam erroris, sed etiam amentiæ progressum, ut in lib. de Missa privata, & unctione Sacerdotum, non solùm omnibus hominibus, sed etiam dæmonibus attribuat potestatem ministerialem omnium sacramentorum: *Ego*, inquit, *non dicam quòd Papista dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse: sed è contra dico, si diabolus ipse veniret, & ego posteà rescirem diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesia in specie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam, & absolvisse à peccatis, & tali munere functum esse, juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, veram absolutionem, verum sacramentum corporis & sanguinis Christi nos accepisse.*

Et Calvinus.

Verùm, ut hæresis in seipsam militat, ipsi Luthero extremè repugnat Calvinus, qui nequidem in necessitate concedit mulieribus facultatem baptizandi: nam in antidoto ad Can. 10. sessionis 7. ait: *Nemo sanus Christianos omnes in verbi sacramentorumque administratione pares facit; non solùm quia decenter & ordine geri omnia in Ecclesia decet, sed etiam quòd singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur Ministri.* Subdit autem: *Porro munus baptizandi, ubi mulierculis injunctum reperient, quemadmodum illi permittunt?*

At Ecclesia Catholica hoc utrumque erroris extremum declinans, fatetur solos homines viatores esse Ministros ordinarios sacramentorum: immò etiam omnes urgente necessitate posse Baptismum ministrare: quanquam concedat Angelos etiam per extraordinariam Dei delegationem, posse sacramenta ministrare.

III.
Tria requiruntur in sacramentorum administratione.

Notandum tertiò, ex Doctore in 4. dist. 6. q. 1. num. 2. quòd ad sacramentorum administrationem tria concurrere debent ex parte Ministri: *Primum* est actio exterior, quæ fit per motum localem, & potentiam motivam, per quam applicatur materia: *Secundum*, est prolatio sensibilis formæ per verba articulata: *Tertium*, est intentio faciendi quod facit Ecclesia: qui autem aliquo eorum caret, non potest sacramentum administrare; unde excluduntur ab hac administratione, qui carent manibus, loquelâ & ratione. Inde concludit Doctor nullum suppositum naturæ intellectualis simpliciter excludi à potestate baptizandi, nisi propter aliquem ex ejusmodi defectibus. Duo itaque hîc maximè sunt statuenda: *Primum*, quòd soli homines viatores sunt ordinarii ministri sacramentorum: *Secundum*, quòd Angeli non solùm boni, sed etiam mali, possint ad istud ministerium à Deo deputari extraordinariè.

Conclusio Prima.

SOli homines Viatores habent potestatem ordinariam ministrandi sacramenta.

IV.
Soli homines possunt esse ordinarii ministri sacramentorum.

PROBATUR PRIMA PARS: Sacramentorum administratio, sicut & efficacitas pendet ex Christi institutione & mandato, quod innotescit maximè per Scripturam sacram: sed ex ea constat facultatem ordinariam ministrandi sacramenta, non fuisse concessam Angelis, sed hominibus. Probatur per inductionem; siquidem de Eucharistia Lucæ 22. v. 19. non Angelis, sed Apostolis, qui erant homines viatores, dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*; & de Baptismo Matth. ultim. v. 19. *Baptizate omnes Gentes.* De Extrema-Unctione Jacobi 5. v. 14. *Inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super eum, ungentes eum, &c.* De Pœnitentia Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quantùm ad Sacramentum Ordinis, & Confirmationis, constat tum ex Scriptura, tum ex Traditione, eorum Ministrum necessariò debere esse Episcopum & Pontificem; qui, ut legimus Heb. 5. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum.* Quantùm verò ad Matrimonium res est evidens; non enim initur nisi inter homines, contrahentes qui videntur ministri, juxta illud Genes. 2. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea, &c.*

Ut colligitur ex Scriptura S.

Et ratione suadetur.

Hujus autem veritatis ratio est aperta; quatuor enim sunt in sacramentis, à quibus maximè æstimari debet Minister, nempe sacramentorum institutor, videlicet Christus Dominus, cujus ipse vices gerit, juxta illud S. Pauli 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Secundum est Ecclesia in cujus gratiam sacramenta instituta sunt, & cujus proinde ille est Minister. Tertium est suscipiens, inter quem & Christum Dominum qui ministrat medium locum tenet. Quartum denique est sacramentum, quod ministratur, sed ex hoc quadruplici capite Minister ordinarius sacramentorum necessariò debet esse homo, non autem Angelus; quia Christus institutor, cui debet assimilari, est verus homo, non autem Angelus. Similiter Ecclesia est cœtus visibilis hominum, non autem Angelorum. Item qui suscipiunt sacramenta sunt homines, non Angeli. Denique sacramentum ipsum non est merè spirituale, quemadmodum Angeli, sed partim conficitur ex spirituali & corporeo: spirituali quidem, nempe intentione Ministri; corporeo autem, scilicet materiâ & formâ: quod maximè convenit

hominibus partim ſpiritualibus, partim corporeis.

Quas utique rationes Doctor egregiè expendit ibidem num. 3. *Congruum eſt*, inquit, *ab homine viatore conferri baptiſmum, & non ab Angelo aliquo; tum quia Chriſtus, qui inſtituit, homo fuit: tum quia in Sacramento eſt aliquid ſenſibile, & aliquid ſpirituale; & per conſequens magis congruit Miniſtro, utenti ſenſu, & intellectu, quàm puri intellectuali: & tertio, quia per ſuſceptionem Baptiſmi adſcribitur aliquis, ut ſit membrum Eccleſiæ militantis: ergo congruum eſt hoc fieri, per aliquem in illa Eccleſia.*

V. Quare Angeli non poſſint efficere quidquid poſſũt homines.

Dices primo: Quidqoid poteſt Miniſter inferior, poteſt ſuperior; nam quidquid poteſt Diaconus, poteſt Sacerdos, non viciſſim; ſed Angeli in ordine Hierarchico ſuperiores ſunt hominibus quibuſvis, ex ſancto Dionyſio: igitur idem miniſterium exercere poſſunt, quod homines.

Diſtinguo majorem: Idem poteſt ſuperior diverſô modô, concedo: eodem modô, nego: quod enim homines operantur inferiori modô per ſenſibilia ſacramenta naturæ hominum proportionata, faciunt Angeli ut ſuperiores miniſtri ſuperiori modô inviſibiliter purgando, illuminando, perficiendo, non ſenſibiliter humanô modô per ſacramenta. Quare beati homines, qui in cœlo characterem habent indelebilem, quô ſacramenta miniſtrare poſſent, ſimiles ſunt Angelis, Matth. 22. ſed in participatione gloriæ, non in conditione naturæ, ſacramentorumque diſpenſatione.

VI. Membra diaboli aliquid poſſũt quod ipſe diabolus non poteſt efficere.

Dices ſecundò: Sacramenta poſſunt adminiſtrari per malos homines, qui ſunt membra diaboli: multò magis per diabolum, qui eſt eorum caput.

Nego conſequent: Nam homines mali non habent poteſtatem miniſtrandi ſacramenta, eò quòd per malitiam ſint membra diaboli, ſed eò quòd ſint inſtrumenta Chriſti rationabilia, quod Sathanæ, ſeu diabolo non competit.

VII. Soli viatores poſſunt miniſtrare ſacramenta

Probatur etiam ſecunda pars, nempe quòd ſacramentorum ordinarius Miniſter debeat eſſe viator. Probatur, inquam, primò ex illo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poſſet iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate, &c.* Sed ſolus homo viator eſt ejuſmodi: igitur, &c.

Deinde, Ille ſolus eſt ordinarius & legitimus Sacramentorum Miniſter, quem Chriſtus ſuâ inſtitutione deſignavit: ſed ad id deſignavit duntaxat homines viatores; etenim neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex Traditione conſtat hominem non viatorem à Chriſto aſſumptum & inſtitutum fuiſſe Miniſtrum ſacramentorum Eccleſiæ militantis: igitur, &c.

Denique, Ut ait Bellarminus lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 24. num. 3. Sacramenta data ſunt Eccleſiæ, ut miniſtrentur iis, qui ſunt intra Eccleſiam ab ipſa Eccleſia viſibili, per ſuos Miniſtros, quales non ſunt ii, qui jam ſunt extra mundum, & qui nullatenus ſubjacent directè vel indirectè ipſi Eccleſiæ; alioquin Epiſcopus damnatus cum corpore & anima, poſſet in odium Dei & Chriſti, alterum in corpore & anima etiam damnatum in Sacerdotem ordinare, & ille ordinatus Sacerdos, ſi haberet præſentem panem & vinum, poſſet Euchariſtiæ ſacramentum conficere; at hæc abſurda ſunt: igitur non eſt aſſerendum ſacramenta poſſe de via ordinaria ab aliis conferti, quàm à viatoribus.

VIII. An S. Thomas nunc ſacramenta conficiat & conferat.

Dices primò: Thomas Stapletonus in Collectaneis de S. Thoma Apoſtolo, refert, quòd annô 1120. Patriarcha quidam Indorum Joannes nomine, Romam venerit, ibique ſummo Pontifici, Calixto II. & Cardinalibus in conſiſtorio teſtatus fuerit S. Thomam Apoſtolum omni annô ſe viſibilem præſtare fidelibus ſibi ſubditis, & eos, quos ſacrâ ſynaxi dignos judicat, propriâ manu communicare; indignos verò à ſacra menſa arcere, & eis Euchariſtiam denegare.

Reſpondet Bellarminus *ibidem*, quidquid ſit de veritate illius hiſtoriæ, ex illa non haberi, quòd Apoſtolus Euchariſtiam conficeret, & conſecraret; ſed ſolùm, quòd conſecratam diſtribueret. *Verùm*, hæc reſponſio non videtur ſolvere objectionem; exinde enim ſaltem colligere liceret, Beatos poſſe dici Miniſtros ordinarios eorum ſacramentorum, quæ conſiſtunt in applicatione materiæ ſenſibilis, & prolatione verborum formæ, qualia ſunt Baptiſmus, Extrema-Unctio, Confirmatio, &c.

Unde *reſpondeo ſecundò*, quòd ſi verum ſit S. Thomam hæc præſtitiſſe, id non fecerit ex communi lege, ſed ex ſingulari Dei conceſſione, maximè cùm non poſſit conſtare Apoſtolum proprium corpus aſſumpſiſſe, totieſque repetitô miraculô reſurrexiſſe, & iterum fuiſſe mortuum, unde credibilius eſt, eum apparuiſſe duntaxat, & hæc præſtitiſſe in aëreo corpore.

Dices ſecundò: Eccleſia ſuis in orationibus petit à beatis Apoſtolis remiſſionem peccatorum, ut in Apoſtolorum hymno: *Qui cœlum verbô clauditis, ſeraſque ejus ſolvitis, nos à peccatis omnibus ſolvite juſſu quæſumus.* Et in hymno ſancti Petri: *Peccati vincula reſolve tibi poteſtate traditâ, quâ cunctis cœlum verbò claudis, aperis:* igitur Apoſtoli beati ſunt Sacramentorum Miniſtri.

IX. Quomodo fideles peccatorum ſolutionem à Beatis poſtulent.

Diſtinguo antecedens: Petit remiſſionem, per modum impetrationis, exhibendo beatis Apoſtolis poteſtatem eis commiſſam, dum in Eccleſia militante verſarentur, ut eos magis flectat, ſicut dicimus B. Virgini in ejus hymno, *Solve vincla reis*, concedo: per modum juriſdictionis, quaſi jus & miniſterium abſolutionis adhuc retineant, nego.

Dices tertiò: Si qui ſacerdotes aut Epiſcopi reſurgerent è mortuis, adhuc poſſent aliqua ſacramenta conficere: non ergo neceſſariò ſacramentorum miniſter eſt viator.

Nego conſequens: Id enim agerent è mortuis excitati, poteſtate quam accepiſſent viatores; unde poſſent ea ſacramenta validè conficere, quæ conficiebant ante mortem abſque juriſdictione, ut Baptiſmum, & Euchariſtiam; nam ea ſolùm egent charactere, ſtatuque debitô, non juriſdictione; ſed ea validè miniſtrare non poſſent, quæ juriſdictionem poſtulant, ut abſolutionem pœnitentium: quia juriſdictio ceſſat per mortem: at abſolutio ſacramentalis pœnitentium, eſt actio juriſdictionis, utpote verum judicium.

CONCLUSIO SECUNDA.

X. Angeli poſſunt extraordinariè miniſtrare ſacramenta

ANgeli poſſunt eſſe extraordinarii Sacramentorum Miniſtri. Hæc eſt communis apud utramque ſcholam, Angelicam & Subtilem. Enimverò Angelicus Doctor 3. part. quæſt. 64. art. 7. ait: *Secundum tamen, quòd ſicut Deus vir-*

Ut docet Doctor Angelicus. *tutem suam non allegavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesia Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni Angeli sunt Nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium à bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum; quia deberet constare hoc fieri voluntate divinâ; sicut quadam templa dicuntur Angelicò ministeriò consecrata.*

Et Subtilis. Similia habet subtilis Doctor *num.* 2. ubi cùm dixisset, omne suppositum naturæ intellectualis posse deputari in Ministrum sacramentorum, hanc rationem profert: *Quia*, inquit, *si bonus Angelus baptizaret in corpore assumpto, cum omnibus prædictis conditionibus, tunc supponendum esset verum esse ejus baptismum: quia non fieret, nisi de præcepta Dei, nec esset ille baptizatus ab Angelo iterum rebaptizandus: sicut Michael prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam suam in monta Gargana, asserens eam à se dedicatam fuisse.* Quibus verbis Doctor non contendit, Angelos habere potestatem ordinariam ministrandi sacramenta, ut plurimi perperam affirmant; sed tantùm, quòd ad illud munus possunt extraordinariè à Deo delegari.

Probatur autem conclusia: Si enim, ut legimus Actuum 7. & ad Galatas 3. Lex antiqua ordinata fuit per Angelos in manu Moysis Mediatoris, quidni per eosdem poterunt novæ legis sacramenta ministrari? non enim major est difficultas in apponenda materia sacramentali, & proferendis verbis formæ, quàm in exaranda lege super tabulam lapideam, & illa vivâ voce intonanda & promulganda.

XI. Ex S. Augustino. Hanc etiam veritatem luculenter docet sanctus Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 15. ubi cùm objiceret Parmenianus injustum non posse ministrare validè sacramenta, ut ibidem memorat sanctus Augustinus, his verbis. *Vt quid ergo Parmenianus inani jactantiâ exultat, & dicit: Nunquam divina legis censura patietur, ut vivificare quemquam mortuus possit, curare vulneratus, illuminare cacus, vestire nudus, & mundare pollutus, &c.* quibus asserebat injustum non posse tribuere Baptismum ad justitiam, & ad hujus confirmationem objiciebat cap. 15. illud Joan. 3. *Non potest accipere homo quidquam, nisi fuerit illi datum de cælo.* Cujus falsam interpretationem variis rationibus redarguens S. August. ejusque pravam intelligentiam Scripturæ, tandem concludit: *Nemo ergo*, inquit, *sine dante. sed quod pertinet ad Baptismi sanctitatem, adest Deus, qui det, & homo, qui accipiat; sive per seipsum donante Dea, sive per Angelum, sive per hominem sanctum, sive per Petrum, sive per Ioannem, sive per hominem iniquum, &c.* Quibus verbis luculenter significat Baptismum ministrari posse per Angelum.

Nec refert quòd dicat Deum aliquando per se conferre gratiam Baptismalem, hoc est, non mediante aliquô sacramentô, putà dum sanctificat vel puerum in utero, vel adultum per martyrium, quod nec est sacramentum, nec subordinatur sacramento; licèt, ut diximus, sacramenti vim habeat: hoc, inquam, non refert; quia hæc non officiunt, quominus asserat Angelum aut hominem justum, aut injustum conferre gratiam mediante sacramentô.

XII. Et colligitur ex facto Amphilochii. *Probatur* insuper ex Nicephoro lib. 11. historiæ c. 20. ubi refert, quomodo ad Amphilochium in locis desertis philosophantem, ob excellentem ejus vitam & doctrinam Deus misit Angelos, qui mysticâ ordinatione, & arcanâ benedictione Episcopali eum dignitate intellectuali modo consecrârunt, & Hierarcham Iconii renuntiârunt; ad quem cùm paulò post ordinandi Episcopi illius Provinciæ convenissent, ubi noverunt ex eo ipsum ab Angelis Dei consecrationem suscepisse, datâ Deo gloriâ, de tam sacra divinaque gratia, illum ut Pontificem Dei, Præconem Evangelii, defensorem fidei, cum timore reverenter admiserunt, & solita salutatione, ac osculo ei imposito, functiones Episcopales, ac omnia Pontificia munera, absque alia nova inauguratione palam exequi permiserunt.

XIII. Etiam ratione. *Probatur etiam ratione*; Primò, quia, ut mox dictum est, sicut Deus non alligavit virtutem suam sacramentis, sed potest pro libito, independenter à sacramentorum collatione, gratiam sanctificantem alicui infundere; ita nec sacramentorum administrationem sic hominibus delegavit, quin possit pro voluntate & nutu illud ministerium Angelis committere; maximè cùm omnes illi sint administratorii Spiritûs in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.

Deinde, Sacramentorum administratio non est difficilioris executionis, quàm consecratio templorum; quippe cùm utrumque istud munus hominibus fuerit delegatum: sed consecratio templorum fieri potest per Angelos, & aliquando reverà ab illis peracta est, ut constat de consecratione templi montis Gargani, quæ facta fuit per S. Michaëlem Archangelum.

Denique: tria, sicut notavimus cum Doctore, duntaxat requiruntur ad administrationem sacramenti; *Primò* quidem vis motiva, quâ baptizandum v. g. Minister abluat aquâ: *Secundâ* vox, quâ verba formæ proferat: *Tertiâ* rationis usus, quâ Christi D. & Ecclesiæ intentionem habeat: sed Angelus extraordinariâ Dei commissione in assumpto corpore, vel extra corpus omne, potest habere ea tria: nam potest aquam movere, & applicare baptizando; non est enim opus, ut Angelus baptizans applicet aquam per instrumentum conjunctum, ut sacerdos per manum: sufficit enim instrumentum separatum, aut nullum; potest etiam excitare verba, non vitaliter ut homo, sed distinctè significantia idem ac vitalia verba: cùm etiam intellectivâ facultate sit præditus, haud dubiè potest habere intentionem debitam. Itaque fatendum est, quòd si constaret sacramentum aliquod ab Angelis fuisse ministratum, deberet haberi ut ratum ac validum.

Dices primò: Ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex debet assumi ex hominibus, ut offerat dona, & sacrificia*; ac subinde hoc ministerium implere non possunt Angeli: igitur multò minùs poterunt sacramenta ministrare; quippe cùm per sacramenta conferatur gratia, non autem ordinariè per sacrificia ex opere operato.

Distinguo antecedens: Ita fit de lege ordinaria, concedo: ita fit necessariò, ut aliter fieri non posset, si ita Deus ordinaret, nego: nam consecratio Ecclesiæ, etiam est ministerium Ecclesiæ; quod Angelis commissum fuisse ex certa historia constat: ministrare Eucharistiam, est ministerium Ecclesiæ per Presbyteros & Diaconos; sed & hoc aliquando etiam Angeli præstiterunt ex speciali commissione, ut ex vitis Sanctorum probatis sæpiùs constat. Promulgatio legis divinæ est ministerium hominis, sed in monte Sinai id præstiterunt Angeli, ut Dei legati, *Act.* 7. Quidni ergo & baptismum possint etiam ex speciali Dei

commiſſione dare in corpote aſſumpto, ſervatâ ſubſtantiâ ſacramenti?

Dices ſecundò : Adminiſtratio ſacramenti eſt actus vitalis : ſed Angeli oon poſſunt exercere actus vitales in corpore aſſumpto : igitur nec miniſtrare ſacramenta.

XIV. Quænam ſacramenti adminiſtratio debeat eſſe vitalis.

Diſtinguo majorem : Adminiſtratio, quæ fit per Miniſtrum ordinarium, eſt actus vitalis, concedo : quæ fieret per Miniſtrum extraordinarium, neceſſariò deberet eſſe actus vitalis, nego : Nam abſolutè loquendo, ad validitatem ſacramenti, ſufficit quòd debita materia applicetur, & forma proferatur ſenſibiliter, & articulatè per corpus humanum, ſive verum, ſive apparens ; non enim aliud requiritur ſimpliciter ex parte formæ, quâ ſacramentalis eſt, quàm ut ſit ſignum practicum effectûs, tam in baptizato, quàm etiam reſpectu Eccleſiæ, cui debet conſtare de forma applicata: neque enim Eccleſia attendit modum formandi verba, ſed ſignificationem, quam habent ex inſtitutione divina, & communi hominum uſu; quemadmodum revelatio facta viris ſanctis per Angelos ſenſibiliter loquentes, non aliter attenditur, & accipitur ab eis, quàm ſi reverà vitalis eſſet: quia conſideratur non modus loquendi, ſed locutionis ſenſus.

XV. Quâ ratione diabolus poſſet etiã ſacramenta conferre.

Petes, an etiam dæmones poſſent validè ſacramenta conferre?

Affirmat Doctor ibidem, dicens: *Si etiam malus Angelus in corpore aſſumpto baptizet, & conſtet, quòd eſſet de præcepto Dei ; talis habendus eſſet pro baptizato : quia oportet malum Angelum etiam invitum obedire Deo. Sed non eſſet ſine certa revelatione ſuper hoc habitu credendum, quòd malus Angelus verè baptizaret ; tum quia Deus non miniſtrat ſacramenta per excluſos finaliter à ſalute : tum quia ſi non eſſet certus de præcepto divino ad oppoſitum ; ſupponendum eſt ſemper ipſum fraudulenter agere, nec completè facere ea, quæ eſſent neceſſaria ad ſalutem baptizati propter inimicitiam, quam habet ex invidia procedentem.* Quibus verbis Doctor non aſſerit diabolum validè miniſtrare ſacramenta, quaſi hoc ei competeret de lege ordinaria; quemadmodum nonnulli falsò exiſtimant, aſſerentes eandem ipſius, quæ poſtmodum Lutheri, eſſe ſententiam: contrarium enim apertè patet ex verbis mox expreſſis.

Dices : Si dæmon miniſtraret ſacramenta ex ordinatione Dei, cùm ſit in ſtatu peccati mortalis, committeret ſacrilegium ; cujus Deus eſſet author ; quippe cùm dæmonem ad iſtud miniſterium cogeret : ſed Deus non poteſt eſſe author alicujus peccati : igitur nec poteſt ordinare dæmoni, ut miniſtret aliquod ſacramentum.

Nec tamen Deus id imperans author eſſet peccati.

Diſtinguo minorem : Deus non poteſt eſſe author actûs peccaminoſi, quando malitia eſt conjuncta actui malitioſo ab intrinſeco, concedo: quando duntaxat conjuncta eſt ab extrinſeco, & ex malitia operantis, nego: ſic autem contingit in propoſito ; quia miniſterium ſacramenti abſolutè bonum eſt ; voluntas autem dæmonis cùm ſit perverſa, invitè duntaxat à Deo cogitur, quoties ad aliquid bonum præſtandum divinô urgente mandatô impellitur : nihilominus Deus hâc dæmonis perversâ voluntate uti poteſt in oſtenſionem ſuæ bonitatis, & potentiæ, per quam extorquet etiam obedientiam à diabolo quantumvis reluctante, in commodum & utilitatem alterius. Hinc præclarè S. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia cap. 10. *Saluberrimè,* inquit, *confitemur, quòd rectiſſimè credimus Deum, Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura eſſe praſcivit, & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala eſſe non ſinere ; &c.* Unde præclarè monet Doctor, quòd ſi diabolus ſacramenta miniſtraret in aſſumpto corpore, neceſſum eſſet, ut per revelationem divinam conſtaret, ad id à Deo fuiſſe motum & impulſum, ut nempe certum eſſet ſacramentum illud fuiſſe validè miniſtratum.

Quæstio Secunda.

Vtrum Miniſtri probitas, & vitæ ſanctitas neceſſaria ſit ad validè, & licitè conficiendum, & conferendum ſacramentum?

I. Duplex eſt ſacramentorum adminiſtratio.

NOtandum primò, tria hîc in quæſtionem venire ; *Primum,* utrum peccatores validè conficere ac miniſtrare poſſint ſacramenta. *Secundum,* utrum licitè, & citra novum peccatum : *Tertium,* an ab eis ſacramenta petere & accipere liceat. Quantùm autem ad primum, ſciendum eſt, duplicem diſtingui poſſe ſacramentorum adminiſtrationem : Unam quidem *validam,* ſed illicitam: alteram autem *validam & licitam :* Prima eſt, quâ ſacramentum ritè confectum, hoc eſt, adhibitâ materiâ, formâ, & prærequiſitâ intentione, confert quidem gratiam ſuſcipienti ; ſed illius confectio & adminiſtratio novum infert peccatum conferenti propter indignam & illegitimam rei ſacræ tractationem, & miniſtrationem: ſecunda verò, non ſolùm gratiam confert ſuſcipienti, ſed etiam conferenti, propter debitam utriuſque diſpoſitionem. Quæritur autem utrum Miniſter in peccato mortali exiſtens validè quidem, non autem licitè conficere poſſit, ac conferre ſacramenta. Quod utique intelligi poteſt, tam de Miniſtro conſecrato, cui videlicet ex officio incumbit ſacramentum miniſtrare, quàm de non conſecrato, qui videlicet duntaxat in caſu neceſſitatis ſacramentum miniſtrare poteſt.

II. Peccator eſt vel occultus vel manifeſtus.

Notandum ſecundò, ex Doctore ſubtili *diſt.* 5. *qu.* 2. *num.* 2. Miniſtrum peccatorem & improbum cenſeri talem, vel occultè, vel manifeſtè; ita quòd pravus appareat quidem coram Deo, talis autem non habeatur apud homines ; maximè apud eos, quibus miniſtrare debet ſacramentum. *Inſuper,* Miniſter occultè malus dici poteſt duobus modis ; vel quia peccatum ejus eſt occultum & ignotum ſuſcipienti ſacramentum ; vel quia, licèt ipſi ſit notum, non eſt tamen aliis notorium & manifeſtum. Similiter notoriè malus Miniſter vel eſt toleratus in Eccleſia, & ſcientibus Prælatis, nullô reclamante ſacramenta publicè miniſtrat ; vel non eſt toleratus, ſed ab omni Eccleſiaſtico munere per excommunicationem, degradationem, aut ſuſpenſionem, manifeſtè ſepoſitus ; ut declaravit Martinus V. in Concilio Conſtantienſi, qui cùm animadverteret graviſſima oriri ſcandala, & plurimos fideles revocari à frequentatione ſacramentorum, quòd neſcirent an quidam Miniſtri peccatores, vel aliquâ ſententiâ Eccleſiaſticâ innodati, poſſent validè, aut licitè conferre ſacramentum pœnitentiæ ; annô 1418. conſtitutionem edidit, his verbis : *Ad evitanda ſcandala, & multa pericula, ad ſubveniendum conſcientiis timoratis ; conſtituimus, ut nemo deinceps teneatur abſtinere, & ſeparare ſe, neque vitare communicationem alicujus, in adminiſtran-*

Quiſnam ſit miniſter malus à quo non licet petere

sacramenta.

do, vel recipiendo sacramento, aut in aliis divinis officiis, aut extra illa, ratione alicujus sententia, aut censura Ecclesiastica, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, aut jure generaliter promulgata: neque servari interdictum Ecclesiasticum, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, à Judice publicata vel denuntiata specialiter, aut expresse, aut si sit notorius Clerici percussor, &c. Quæ utique Constitutio innovata fuit in Concilio Basileensi sess. 20. & in Lateranensi, sub Leone undecimo, sess. 11. annô 1516.

III.
Quinam hæretici recentiores docuerint sacramenta non posse ministrari per peccatores.

Notandum tertiò, præter memoratos veteres hæreticos initiò præsentis articuli, qui asserebant, peccatores noo posse validè sacramenta conficere, aliquos Recentiores eundem errorem instaurasse; maximè verò *Vualdenses*, ita dictos à quodam homine Lugdunensi, nomine *Vualdo* circa annum 1106. qui cùm divitiis plurimis abundaret, paupertatem Evangelicam palam profiteri cœpit; unde illius Sectatores dicti sunt *Pauperes de Lugduno*, sicut colligitur ex Trithemio in Chronico Hirsaugiensi: nuncupati sunt etiam *Albigenses & Tholozates*: quia eorum pestilens doctrina in illis maximè provinciis grassata est, ac disseminata. Inter varia autem eorum capita, quæ promulgabant, accusabantur quòd assererent non modò per Sacerdotes, sed etiam Laïcos corpus Christi confici posse, dummodò justi ac probi censerentur: quia per malos etiam Sacerdotes, confici posse negabant, ut refert Rogerius in Annalibus Anglis.

1. Vualdenses.

2. Vvicleffus.

Verùm, nullus hunc errorem apertiùs & audaciùs professus est, quàm *Vviclef*: nam inter varios illius articulos in Concilio Constantiensi sess. 8. damnatos, hic quartus erat: *Si Episcopus, vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Nonnulli eundem errorem tribuerunt *Joanni Hus*, cujus errores pariter damnati sunt in eodem Concilio Constantiensi, sess. 15. Nec immeritò quidem, non solùm quia pestilentia Vviclefi dogmata propalabat, ac tuebatur in Bohemia; unde hic vigesimus articulus ejus erat, quòd condemnatio 45. articulorum Joannis Vviclef facta per Doctores, est irrationalis & iniqua, & malefacta; sed insuper in 22. articulo aiebat, *quòd Papa, vel Prælatus malus & præscitus est tantùm æquivocè Pastor, & verè fur & latro*, ac subinde censebat peccatorem non esse verum Pastorem, proindeque non posse conferre sacramenta, quæ per veros tantùm Pastores, ac Ecclesiæ Ministros conferri possunt.

3. Joannes Hus.

Status quæstionis.

Statuendum est igitur in præsenti quæstione; *Primò*, quòd Ministri, quantumvis peccatores, & pravi, possint validè conficere sacramenta: *Secundò*, quòd illicitè sacramenta conferant: *Tertiò*, quandonam ab eis liceat sacramenta petere & recipere.

Conclusio Prima.

IV.
Sacramenta confici ac ministrari possunt per malos ministros.

Sacramenta verè & validè confici ac conferri possunt per Ministros pravos & peccatores. Hæc est de fide determinata in variis Conciliis, tum universalibus, tum particularibus; maximè verò in tribus Conciliis *Romanis* sub Leone nono, annis 1409. & 1051. in quibus determinatum est, ut quicumque à Simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore, non ignorans Simoniacum, cui se obtulerat promovendum, 40. numerô dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret. Supponunt ergo hæc Concilia validè collatum esse Ordinem per Simoniacum Episcopum. *Idem* definitum est in Concilio *Gallicano* celebrato annô 1106. cujus acta describuntur à Rogerio in Annalibus Angliæ, ubi contra Tholozates & Albigenses definitum est, quòd sicut solis radius per cloacas maculam non contrahit, vel fœtorem, vel sicut aqua pura, & nitida transit ad areolas per canales luteos, aut sordidos, vel limosos; sic verba Dominica non sordidantur; nec meliùs, nec nitidiùs per bonum, quàm per malum proferuntur.

V.
Ut definitum est in Conciliis.

Idem definitum est in Concilio *Constantiensi* sess. 8. in quo damnati sunt articuli Vviclefi, & *Salsburgensi* annô 1420. Rubricâ *de summa Trinitate*, ubi definitur: Si aliquis Clericus, vel « Laicus... ausus sit prædicare aut occultè docere: « credere vel tenere, quòd Sacerdos in mortali « peccato existens, non possit conficere corpus « Christi; &c. pro hæretico, & incredulo habea- « tur. *Idem* apertè definit Concilium Tridentinom sess. 7. Can. 12. de sacramentis in genere: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum, anathema sit.*

VI.
1. Ex institutione Christi.

Rationem à priori Catholicæ veritatis assignat Doctor subtilis 4. *d. q.* 1. *nu.* 4. Veritas, inquit, « quæstionis patet ex authoritatibus multis, quòd « quâcumque malitiâ minister sit malus, sive hæ- « resis, sive schismatis, sive morum, salvâ unita- « te Ecclesiæ, si intendit facere, quod facit Eccle- « sia, & servet modum Ecclesiæ, verè confert Ba- « ptismum, & talis Baptismus verè habet effectum « in baptizato, non obstante malitiâ Ministri, nisi « obstet malitia suscipientis in hoc, quod recipit à « tali Ministro. Veritas autem istius solutionis non « habet, nisi rationem unam propter quid, scilicet « quia ita placuit Christo instituere, ut malitia « Ministri noo impediret sacramentum, nec ejus « effectum.

Quæ innotescit per Traditionem.

Porrò hoc Christi D. beneplacitum, maximè colligitur ex perpetua & constanti Ecclesiæ Traditione, quam contra S. Cypriani authoritatem à Donatistis objectam urgebat S. Augustinus lib. 2. de Baptismo, cap. 7. ubi ita scribit: *Nolite ergo nobis objicere authoritatem Cypriani, ad Baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem: Nondum enim erat diligenter Baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis, & hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata leguntur, &c.*

3. Ex SS. Patribus qui id suadent.

Idem constanti Traditione docent SS. Patres variis adductis exemplis. Sic Optatus Melevitanus lib. 3. contra Parmenianum circa medium: Quid interest, inquit, quales fuerint operarii, dummodò quod operatum est, bonum esse constet? nam & vinum à peccatoribus operariis, & calcatur & premitur; & sic inde Deo sacrificium offertur: oleum quoque à sordidis conficitur.... & tamen liquor in sapore, in lumine, etiam in

Exemplo vini, olei,

sacro chrismate simpliciter erogatur, &c.

Sigilli. *Similiter S.* Nazianzenus Orat. 40. comparat bonum vel malum ministrum sigillo aureo, vel ferreo, quod eundem habet effectum, sive aureum sit, sive ferreum. Sanctus autem Augustinus ad id etiam utitur exemplis, maximè lib. 3. contra Cresconium, cap. 8. ubi utitur exemplo *seminis*, cui perinde est, quòd sordidis aut lotis manibus seminetur; (Seminis.) modò enim ex se fructiferum sit, & terra idonea, ac fœcundante solis influxu germinabit, ac ubertim exurget: Tract. autem 5. in Joannem,: *Superbus Minister cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi, quia per illum purus fluvius transit & venit ad fertilem terram.* Et paulò post subdit: *Lapis ex aqua fructum ferre non potest, & si per lapideos canales transit ad areolas aqua, in canali lapideo nihil generatur, sed tamen hortis plurimum fructum affert:* (Aquæ.) *spiritualis enim virtus sacramenti, ut pura lux ab illuminandis excipitur, sed per immundos transiens non coinquinatur.* Idem lib. 1. de Baptismo, cap. 10. cùm dixisset: *Non est autem aqua profana, & adultera, super aquam nomen Dei invocatur, etiamsi à profanis, & adulteris invocetur; quin nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est: Baptismus verò Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici & immundi; quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene viventium, sive ad perniciem malè utentium.* Id confirmat exemplô: *An* (Et luminis.) *verò Solis*, inquit, *vel lucerna lux, cùm per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit; & Baptismus Christi potest cujusquam sceleribus inquinari? Si enim ad ipsas res visibiles, quibus Sacramenta tractantur, animum conferamus, quis nesciat eas esse corruptibiles? Si autem ad id, quod per illas agitur, quis non videat non posse corrumpi, quamvis homines per quos agitur, pro suis moribus vel præmia percipiant, vel pœnas luant?*

VIII. (4. Probatur optimè à Doctore subtili ratione triplici.) Eandem veritatem probat Doctor *num.* 4. & sequentibus triplici congruentiâ: Primam repetit ex fine sacramenti quidem, quia rationabile est Deum assistere suo signo practico ad causandum signatum ex determinatione voluntatis suæ præcedente omnem conditionem Ministri; ut sicut illa determinatio sua, quâ tribuit signo esse certum signum, est ab ipso immediatè omninò, & primò; ita assistentia consequens illam determinationem, ad comparandum, fit immediatè ab ipso. Quibus Doctor significat, quòd cùm sacramentum omnem suam efficacitatem habeat à

IX. (1 Ex parte Authoris sacramenti.) Deo, & Christo Domino illius institutore, illi non potest obesse Ministri pravitas. Quam utique rationem etiam profert sanctus Augustinus pluribi, sed maximè lib. 2. contra litteras Petiliani, c. 2. *Nec aquâ nostrâ inquinamur*, inquit, *nec vestrâ mundamur, sed aquâ Baptismi ..... cùm datur alicui, nec nostra nec vestra est, sed illius, de quo dictum est: Hic est qui baptizat.* Unde Tract. 5. in Joan. circa medium ait: *Baptisma tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est ille per cujus ministerium datur; unde quid tibi facis malus Minister, ubi bonus est Dominus? Quid te impedis malitiosus præco, ubi bonus est judex:*

X. (2. Ex parte finis.) Secundam rationem desumit Doctor ex fine ipsius sacramenti, videlicet ex parte salutis hominum, ob quorum gratiam sacramenta instituta sunt: si enim ad sacramenti valorem requireretur sanctitas & fides Ministri, vix ulla esset infidelibus securitas de sua salute; sicut enim semper essent incerti de bonitate Ministri: ita & de valore sacramenti ab eo collati. Nam ut præclarè Doctor ait: Si Baptismus non posset conferri, „ nisi à bono, non esset in magnum remedium via- „ toris, sed quasi communiter in detrimentum. „ Cùm enim quasi nullus possit esse certus de boni- „ tate propria, multò magis, nec de bonitate alte- „ rius: ergo si ex bonitate Ministri dependeret „ Baptismus, nunquam posset aliquis esse certus, „ se verè recepisse Baptismum, quod est inconve- „ niens. Et si objicias, quòd nec modò potest esse „ certus, quia nescit dispositionem suam propriam, „ hoc non obstat: quia satis potest nosse certitudi- „ naliter, sicut requiritur certitudo, quòd ipsemet „ intendit recipere per Baptismum: & hoc sufficit „ ex parte ejus. „

Si dicas quòd non potest esse certus de inten- „ tione Ministri: hoc non obstat, quia probabiliter „ præsumi potest, quòd ministri talem actum exer- „ centes, intendant facere illud, ad quod actus se- „ cundùm se ordinatus est: sed non ita posset ha- „ beri certitudo de bonitate, vel sanctitate Mini- „ stri. *Ita Doctor.*

Hanc rationem etiam indicat sanctus Augustinus lib. 1. contra litteras Petiliani c. 3. ubi ait: *Ergo baptizantur à bonis, ut possint fidem percipere, non reatum. Sed quomodo & de istis securi erunt, si conscientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi? ita secundùm eorumdem sententiam fit salus illa spiritualis incerta, dum contra Scripturas sanctas, quæ dicunt, Bonum est confidere in Domino quàm confidere in homine* (Ps. 117.) & : *Maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine* (Jerem. 17.) *spem baptizandorum auferunt à Domino Deo, & in homine ponendam esse persuadent.*

Tertiam rationem repetit Doctor ex parte suscipientis: Quia omnino injustum est, inquit, al- „ terum pro iniquitate alterius puniri, quando ille „ alter nullo modo communicat iniquitati alterius; „ (3. Ex parte suscipientis.) itaut possit sibi deputari: sed ille baptizandus „ disponit se ad gratiam, quantùm potest: si ergo „ malitia Ministri impediret, ille puniretur pro- „ pter culpam alienam nullô modô sibi imputan- „ dam. Quod utique argumentum urget sanctus „ Augustinus lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 6. *Si ex innocentia baptizantis*, inquit, *expectatur ut fiat innocentia baptizati, tantò erit quisque innocentior, quantò innocentiorem, à quo baptizetur, invenerit: & tantò ipse minus erit innocens, quantò & ille, à quo baptizatur.* At hoc dici non potest: *Quia*, inquit, *si Ministri innocentia sublevas, malitia ejus gravabit; & ita sæpe curretur ad Baptismum, non ut remittantur peccata propria, sed potiùs ut imponantur aliena.* Unde lib. de unitate Ecclesiæ cap. 18. *Quando Paulus dixit: Gratias Deo, quia neminem vestrum baptizavi nisi Chrispum & Caium, credendum esset invidisse hominibus meliorem sanctificationem, si quantò melior erat, tantò meliùs poterant baptizari, qui ab illo baptizarentur: immo verò ad hoc ipsum vigilavit cautissimi, & fidelissimi Dispensatoris intentio, ne quisquam ideo sanctus se baptizatum putaret, qui à Ministro sanctiore baptizaretur.*

Varia proponebantur à Donatistis contra præsentem Catholicam veritatem & assertionem, non solùm Scripturarum oracula, sed & plurima argumenta, tum ex authoritate, tum ex ratione petita; quæ omnia ut evidentiori ordine dissolvantur, placet ea sub distinctis titulis proponere, & refellere.

Propo-

Proponuntur & refelluntur authoritates Scripturæ, quas in sui patrocinium Donatistæ usurpabant.

OBjiciebant primò illud Exod. 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Nec-non & illud capitis 30. *Missâ aquâ, lavabunt in ea Aaron, & filii ejus manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur.* Et insuper Levitici 21. *Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.*

XII. Ministri pravitas ipsi officit; non autem suscipienti sacramentum.

Respondet sanctus Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani: *Primò* quidem hæc divina oracula significare non posse Dei Ministros in statu peccati mortalis absque gravissima culpa sacrum ministerium implere; ac subinde rei sacræ administratio multùm quidem officit ministranti, non autem suscipienti: Dicant ergo mihi, *(inquit S. Augustinus)* cui Sancto secundùm salutem spiritualem obfuerit, vel in Sacerdotibus, vel inter populos constituto malus aut maculatus Sacerdos? Ubi erat Moyses & Aaron, ibi murmuratores sacrilegi, quos Deus à facie sua semper perdere minabatur: ubi erat Caïphas, & cæteri tales, ibi Zacharias, ibi Simeon, & cæteri boni: ubi Saül, ibi David: ubi Hieremias, ubi Esaias, ubi Daniel, ubi Ezechiel; ibi Sacerdotes, & populi mali: sed sarcinam suam unusquisque portabat.

XIII. Quàm perperam Donatistæ negabant Ministros non posse validè conferre sacramentum.

Respondet secundò, retorquendo argumentum in Donatistas: Nullamne, *inquit*, habuit maculam, & vitium, non dico Optatus, sed ipse Parmenianus, aut ipse Donatus? Sed tanto isti amore hominum cæci sunt, & corde impudico adulteros mentis suæ, uni legitimo viro coæquare non dubitat, ut quod de solo D. Jesu Christo dici potuit, etiam in Donato perfectum fuisse contendat... Sed iterum attendat utrum saltem Optatus habuerit aliquam maculam, aut aliquod vitium. Non usque adeo cæci sunt, ut istius vitam omnino immaculatam, & omnino vitiô carentem fuisse respondeat. Cur ergo accedebat dona offerre Deo, & ab eo cæteri conjunctis manibus accipiebant, quod maculosus, & vitiosus obtulerat? Qui rectissimè sapiunt, intelligunt quemlibet hominum, quamvis jam pro consortio societatis humanæ, non absurdè dici possit justissimè vivere; non tamen posse esse sine aliquo vitio, quando caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, &c,

Objiciebant secundò illud Psalmi 49. *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras Justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum, &c.* Nec-non & illud Psal. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

Respondet sanctus Augustinus ibidem cap. 9. ad *primum* Ministro quidem nihil prodesse verba quæ ore pronuntiat, si, quod dicit ipse, non faciat; veruntamen aliis prodesse, qui etiam per malos audiunt, & faciunt: quod ipse Dominus docet in Evangelio, dicens de Pharisæis, *Super cathedram Moysi sedent; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite, dicunt enim & non faciunt.* Deinde retorquet argumentum in ipsos Donatistas, demonstratque omnia illius divinæ animadversionis jacula in ipsos Donatistas convenire. Quomodo enim, inquit, non projiciunt sermones Dei retrorsum, qui pronuntiant pacem, & non amant pacem? Quomodo non odio habent disciplinam, qui damnare audent verbum inauditum, &c.

XIV. Quid significet oleum peccatoris, cujus unctionem respuit David.

Ad secundum textum respondet cap. 10. per *oleum peccatoris* non intelligi sacramentalem Unctionem, ut perperam interpretabantur Donatistæ, sed blanditias adulatoris; quibus repudiatis, Vates regius eligit potius à justo emendari, & argui; ait enim: Corripiat me justus in misericordia; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Unde manifestum est, inquit S. Augustinus, oleô peccatoris blanditias adulatoris esse significatas, quibus repudiatis, & detestatis, eligit à justo emendari, & argui, quia hoc justus non fallaci lenitate adulationis, sed veraci asperitate objurgationis faciens, multò magis misericorditer facit; unde est & illud in Apocalypsi, cap. 3. *Ego quos amo, arguo & castigo.* Et illud apud Salomonem Proverb. 27. *Meliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.*

Objiciebant tertiò varia oracula petita ex his verbis libri Sapientiæ 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Et ex illis Eccli. 10. *Muscæ morientes perdunt odorem suam.* Et cap. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* Et ibidem: *Qui baptizatur à mortuo, quid prodest lavatio ejus?*

Respondet sanctus Augustinus ad primum textum lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 26. sensum bujus oraculi esse, quòd qui fictè ministrat, aut suscipit res divinas, non habeat Spiritum sanctum: licèt autem divinus ille Spiritus fugiat Ministri fallaciam, si tamen ille adhibeat necessaria ad confectionem Sacramenti, aderit Spiritus sanctus accipienti, veraci, & credenti: Utrumque simul præstans, nempe fugere ministrantem, & fovere accipientem; unde sequitur, Spiritum sanctum fugere quidem hominis fallaciam, non Sacramenti virtutem. Lib. autem 2. contra epist. Parmeniani, c. 10. sic retorquet in Donatistas, qui jactitabant neminem ex suis apertum esse peccatorem. Satis est nobis ad necessarium articulum bujus causæ, quòd fictos bonos, id est occultos malos, apud se esse negare non possunt. Per multos enim redarguuntur, qui cùm ibi perditis, & sceleratis motibus viverent, & per ipsam fictionem diu latuissent, aliquando proditi, expulsi sunt. Dicamus ergo: Si nolunt ibi adhuc esse aliquos tales, illi certè, qui ejecti sunt, si in eadem fictione laterent, & eos fugerent Spiritus sanctus, de quo scriptum est: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum; quomodo baptizare possunt? cur non recensentur saltem, qui vivunt, ut accipiant Baptismum, quem utique à fictis, quos deseruit Spiritus sanctus, accipere nequiverunt? Si autem dicunt, Spiritus quidem sanctus daturis fingentibus deerat justificandis, sed accepturis credentibus aderat abluendis per ineffabilem efficaciam potentiæ suæ, utrumque valens facere, illos fugere, istos fovere; illos culpare, istos mundare: quam pro se quæstionem solvunt, simul cernant solutam esse pro nobis.

XV. Quomodo Spiritus sanctus fugit fictionem ministri.

XVI. Quid significent muscæ morientes odorem fœdantes.

Ad secundum respondet S. Hieronymus per *muscas morientes* intelligi peccatores, qui brevi unius peccati stultitiâ fœdant & perdunt suavitatem gratiæ, & famæ. *Vel*, ut explicat S. Aug. l. 2. contra epist. Parmen. cap. 10. intelliguntur ii qui ad vomitum redeuntes perdunt suavitatem gratiæ sanctificantis, & exterminant bonum odo-

rem Christianorum, suis pravis exemplis suntque in causa cur blasphemetur nomen Dei, & homines à pietatis semita ad peccati declivia rapiantur: Oleum suavitatis, *inquit*, scilicet boonm odorem, id est, bonam famam Christianorum, illi exterminant, qui malè victuti, & ad mortem suatum iniquitatum redituri, magnâ moltitudine corrigunt, ut eis per Baptismum peccata donentur, & ad ea denuò revertantur: nam propter numetositatem museis arbitror esse comparatos: sed hi exterminaot oleum suavitatis, quooiam non ipsam Dei gratiam, sed hominum mores intuentur.

XVII. Quâ ratione immundus possit alium mundare.

Ad tertium otaculum dico, sensum illios quòd noo sit attendendum vanitati somniorum; ait enim ibidem Ecclesiasticus: *Ab immundo quis mundabitur, & à mendace quid verum dicetur? divinatio erroris, & auguria, mendacia, & somnium malefacientium vanitas est*. Quibus significat, quòd sicut immundus per se alium mondare nequit, sic veritas non est expectanda à mendace, ariolo, & somniorum interprete. Jam verò certum est, rem immundam per accidens, ac per aliud mundari posse, putà si manus immunda, vel scopam, vel lexivium rei mundandæ afficeet: igitur & Ministri immundi mundare possunt suscipientem, oon per propriam suam virtutem, sed per Sacramenta, quæ applicat.

XVIII. Quid sit baptizari frustrà à mortuo.

Ad quartum respondet S. Augustinus locô mox laudatô, per illa verba, *qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Paganorum Baptismata esse denotata, qui homines & à justitia, & ab ista vita mortuos colunt, in quotum nomine baptizantur. Quamvis enim & ipsi Sacerdotes per impietatem mortui dicaotur, non tamen proptet eos sic intelligitur, sed ptopter mortuos deos eorum, in quotum signatione dicitur; *Dominus Deus noster Deus vivus*. Quapropter etsi apud Christianos sint aliqui Præpositi, vel Ministri; qui per impietatem, & iniquitatem suam mortui sunt; vivit tamen ille, de quo dictum est in Evangelio: *Hic est qui baptizat*: quia sicut dicit Apostolus, *Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur*.

Eandem solutionem & expositionem profert lib. 1. contra litteras Petiliani cap. 9. unde cap. 15. sic retorquet argumentum in Donatistas. Si Maximianistæ mortui non sunt, cur in plenario suo concilio *(Donatistæ)* dicunt (de Maximianistis) quod *Ægyptiorum admodum exemplo pereuntium funeribus plena sunt littora, quibus in ipsa morte major est pœna, quòd post extortam aquis ultricibus animam, nec ipsam inveniunt sepulturam?* Si autem mortui sunt, unde venit baptisma quod dederunt?

Objiciebant quartò illud Hieremiæ 15. *Facta est plebs mea mihi sicut aqua mendax, non habens fidem*. Et illud Ezechielis 27. *Aspergam super vos aquam mundam*. Igitur aqua baptismalis, ut sit efficax ad remissionem peccati, priùs mundari & sanctificari debet à Sacerdote; quomodo autem, inquiebant, aquam mundat & sanctificat homicida, quomodo benedicunt oleum tenebræ; nempe peccatores? cùm Dominus dixerit Num. 19. *Quæcumque tetigerit immundus immunda erunt*.

Respondet ad primum S. Augustinus lib. 2. contra epist. Parmeniani circa medium; Aqua mendax non habens fidem, potest intelligi non falsum Baptisma sed populus mendax & infidelis, non annumeratus veracibus & fidelibus, sed his solis, qui infideles & mendaces suot... sic enim dicitur Joanoi, Apocal. 17. *Aquas, quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi, & tribus sunt, & gentes & linguæ*.

Ad secundum respondet lib. 5. de Baptismo, c. 20. per aquam illam mundam significari gratiam novi Testamenti, & abundantiam spiritualem, quæ habetur per Sacramenta: verùm hanc benedictionem noo dat ipse Minister ex se, per aquam baptismalem, cui confert mundandi virtutem: *Sed Deus*, inquit, *adest Sacramentis, & verbis suis, per quoslibet administrentur, & Sacramenta Dei ubique recta sunt, & mali homines, quibus nil prosunt, ubique perversi sunt*.

Objiciebant quintò illud Matth. 7. *Numquid de spinis colligunt uvas, aut de tribulis ficus?* Et ibidem: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*: igitur peccatores oon possunt quidquam ad alterius justificationem cooferre.

Nego consequentiam: Nam, ut præclarè respondet S. Augustinus lib. 2. contra epistolam Petiliani, cap. 6. Omnis homo, etiamsi non sit suis criminibus reus, alterum non facit innocentem, quia non est Deus; & alioquin si ex innocentia baptizantis expectatur, ut fiat innocentia baptizati, tantò erit quisqoe ionocentior, quantò innocentiorem, à quo baptizetur, invenerit: & tantò ipse minùs erit innocens, quantò & ille, à quo baptizetur. Et si fortè contra aliquem tenet odium qui baptizat, hoc & illi qui baptizatur imputabitur. Ut qoid ergo miser currit ad Baptismum? Ut ei dimittantur peccata sua, an ut imponantur aliena? An sicut navis mercatoris alia ponat, alia suscipiat? Arborem autem bonam, & fructum ejus bonum, & arborem malam, & fructum ejus malum, homines solemus intelligere, & opera eorum, sicut conseqoenter ostenditur in verbis, quæ tu qooque commemorasti: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala*. Cùm autem Dei verbum prædicat; non de suo si malus est, prædicat, aut ministrat, &c.

Unde lib. 1. cap. 8. sic retorquet argumentum in Donatistas, qui contendebant valere quidem Baptismum collatum ab occulto peccatore, non autem à manifesto: Si arbor bona, bonus baptizator est, or fructus ejus bonus sit ille quem baptizaverit: quisquis ab homine malo etiam non manifesto fuerit baptizatus, bonus esse non poterit: de mala quippe arbore exortus est; aliud est enim arbor bona, aliud arbor occulta, sed tamen mala. Aut si cùm occulta est arbor mala, quicumque fuerit ab illa baptizatus, noo de illa, sed de Christo nascitur, sanctiùs justificantur, qui baptizantur ab occultis malis, quàm qui baptizantur à manifestis bonis.

Objiciebant sextò illud Joan. 9. *Deus peccatores non audit: Sed siquis Deum colit, & facit voluntatem ejus, hunc audit*. Similiter & illud Matth. 12. *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit*.

Respondet S. Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 8. illa verba: Deus peccatores non audit, non esse dicta à Domino, sed ab illo, qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat; sed ei oculi cordis nondum patebant; unde ipsum Dominum adhuc Prophetam putabat; nam eum posteà cognitum Dei filium adoravit: Ipse autem Dominus, cùm in uno templo orarent Pharisæus & Publicanus, Publicanum confiteotem peccata sua, magis justificatum dicit,

quàm Pharisæum jactantem merita sua .... quanquam enim justificatus destiterit esse peccator, tamen ut justificaretur peccator; orabat, & peccator confitebatur, & exauditus justificatus est, ut desineret esse peccator: non utique desineret esse peccator, nisi priùs exaudiretur peccator. Quamobrem non quidem omnem peccatorem exaudiri; sed tamen non omnem peccatorem non exaudiri, veritas testis est. His adde quòd Baptismi efficacitas non pendat à meritò baptizantis, sed à meritis illius, cujus nomine Baptismus confertur.

Ad secundum respondet lib. 6. de Baptismo, cap. 31. illa Christi Domini verba potius in Donatistas, quàm in Catholicos posse retorqueri: Spargunt enim, *inquit*, oves Christi, qui eas ad morum suorum labem pravâ imitatione perducunt; unde constat super filios alienos, quòd omnes iniqui appellantur, & soboles Anti-Christi, quòd sunt omnes, qui Christo adversantur, Spiritum sanctum per manûs impositionem tantummodò non posse descendere, si cordis non adsit vera conversio, cùm manifestum sit iniquos, quandiù iniqui sunt, Baptisma quidem posse habere, sed salutem, cujus Sacramentum Baptisma est, habere non posse.

Objiciebant septimò illud Christi Domini oraculum Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Unde sic arguebant: Qui per Sacramenti collationem debet remittere peccatum, priùs ipse debet immunis fieri ab omni peccato, & habere in se Spiritum sanctum, ut ipsum aliis conferat: sed peccator non habet Spiritum sanctum: ergo nec potest eum alteri per Sacramentum conferre, nec ad alterius peccati remissionem quidquam præstare.

Respondet S. Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 11. quòd Spiritus S. in Ecclesiæ Præposito, vel Ministro sic inest, ut si fictus non est operetur per eum Spiritus sanctus, & ad ejus mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem; vel ædificationem, qui per eum sive consecrantur, sive evangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est; Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum: deest quidem saluti ejus, ut auferat se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu; ministerium tamen ejus non deserit, quô per eum salutem operatur aliorum

Proponuntur objectiones, quas vel ex SS. Patribus, vel ex ratione Theologica Donatistæ poterant objicere.

Objicies tertiò: Si debita forma, aut materia, aut intentio desit; non potest validè confici sacramentum: ergo à simili si desit debitus Minister, non poterit etiam perfici: sed ille censetur debitus & legitimus Minister, qui mundus est ab omni peccato, juxta illud Levitici 21. *Homo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus:* igitur, &c.

XIX. Ministri pravitas sacramento non officit.

Distinguo majorem: Si in materia, forma, & intentione, aut Ministro desit aliquid essentiale, concedo: si aliquid duntaxat accidentale, & requisitum solùm ex decentia & majori congruitate, nego: hoc autem posteriori modô, tantùm requiritur Ministri probitas, non autem priori; hinc præclarè sanctus Augustinus Tract. in Joan. Omnes dicimus, quia Justos oportet esse tanti Judicis Ministros: At si noluerint esse Justi, qui in cathedra Moysis sedent: securum me facit Magister meus, de quo Spiritus dixit: hic est, qui baptizat .... non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est qui baptizat .... dedit baptismum Judas, & non baptizatum est post Judam: Dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem; quia qui datus est à Juda, Baptismus Christi erat; qui datus est à Joanne, Joannis erat: Non Judam Joanni, sed Christi Baptismum, etiam per Judæ manus datum, Baptismo Joannis præcolimus. Quos baptizavit Joannes, Joannes baptizavit; quos baptizavit Judas, Christus baptizavit: sic ergo quos baptizavit ebriosus, adulter, homicida, si Baptisma Christi erat, Christus baptizavit, quod sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur.

Instabis: Idem S. Augustinus lib. 3. de Baptismo, cap. 18. *Mali ministri remissionem peccatorum non dant:* ergo nec gratiam.

XX. Nam gratia sanctificans conferri potest per peccatores.

Distinguo antecedens: Mali ministri non dant remissionem peccatorum impetratoriè, eam scilicet, quæ per orationem Sanctorum & columbæ, id est, Ecclesiæ gemitus, ac preces datur; concedo; illa enim remissio datur ex opere operantis, quatenus pii Ministri sacramentorum sanctis operibus, aut orationibus obtinent à Deo bonos motus gratiæ excitantis, & adjuvantis, quibus ad suscipientes Deum convertantur: non dant remissionē peccatorum, quæ confertur virtute sacramentorum, & ex opere operato, nego: nam, ut ipsemet sanctus Augustinus docet lib. 2. contra epistolam Parmeniani: Omnia sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus: unde dictum est Matth. 23. *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt nolite facere.*

Urgebis: Peccatorum remissio fit per gratiæ collationem, quæ per sacramenta confertur: sed illa remissio & gratia datur solùm per sanctos Ministros, non autem per improbos, ut docet ipsemet sanctus Augustinus pluribi, maximè verò lib. 3. de Baptismo cap. 18. affirmans illa Christi Domini verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, non esse dicta *raptoribus & fæneratoribus*. Et lib. 5. cap. 21. *Sacramentum gratiæ dat Deus, etiam per malos: ipsam verò gratiam, nonnisi per seipsum, vel Sanctos suos.*

Non quidē licitè, sed tamen validè.

Distinguo minorem: Remissio peccatorum, & gratiæ collatio non fit per improbos & malos, decenter & debitè, concedo: non fit validè & absolutè, nego: nam, ut ipsemet sanctus Augustinus docet lib. 6. de Baptismo, cap. 5. *Nihil infert ad Baptismi sanctitatem, quantò quisque pejor id habeat, & quantò pejor id tradat; potest tradere separatus, ut potest habere separatus: sed quàm perniciosè habere, tam perniciosè tradere: ille autem cui tradit, potest salubriter accipere, &c.*

Objicies tertiò S. Ambrosium lib. de Initiandis cap. 4. ubi ait: *Est in aliquibus aqua mendax, non sanat Baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* Et Innocentium I. ut refertur q. 1. Canone *qui perfectionem*, ubi legimus: *Qui perfectionem spiritûs, quàm acceperant, perdiderunt, non possunt ejus plenitudinem dare, quam per suam perfidiam perdiderunt: qui honorem non habuit, honorem dare non potuit, nec aliquid accepit, quia nihil in dante erat, sed damnationem, quam habuit, per pravam manûs impositionem dedit:* Igitur pravi ministri non conferunt gratiam per sacramenta.

XXI. Quinam mali ministri Sacramenta irrita faciant.

Nego consequentiam, & ad *primum* dico, sanctum Ambrosium non loqui de sacramentis ritè per malos ministros collatis, sed de hæreticis, qui Baptisma non in Ecclesiæ, sed in suæ perversitatis forma celebrabant. Ad secundum, *distinguo*, quando adultus sciens ac volens Ecclesiæ sacramenta suscipit citra necessitatem à ministris ab Ecclesia separatis, cùm posset à legitimis Ministris ea facilè suscipere, potius damnationem suscepit, quàm gratiam, propter Ecclesiæ despectum & contemptum, concedo: propter nullitatem, & irritationem sacramenti, nego.

Instabis: Pravi ministri sacramenta profanant, & inquinant: ergo per illa sanctificare non possunt.

Ea profanent.

Distinguo antecedens: Profanant, ratione sui, propter suam perversam voluntatem & malitiam, quâ fit ut rem sacram indignè tractantes, magis inquinentur, dum alios abluunt, concedo: ex parte sacramentorum & suscipientium, nego: nam ex Augustino 3. de Bapt. cap. 10. *Non est aqua profana, & adultera, super quam Dei nomen invocatur: ergo nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus Christi verbis Evangelicis consecratur, & per adulteros, & in adulteris sanctus est; quia sanctitas ejus tolli, & inquinari non potest, & sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem malè utentium; nam vera solis aut lucerna lux, cùm per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit; & Baptismus Christi non potest sceleribus inquinari.*

XXII. Sacramenta per malos Ministros nihil suæ sanctitatis deperdunt.

Et ex Nicolao I. ad consulta Bulgarorum, cap. 1. *Non potest aliquis, quantumcunque pollutus, sacramenta divina polluere; nec potest solis radius per cloacas transiens inde aliquid contaminationis attrahere. Proinde qualiscunque Sacerdos sanctum coinquinare non potest. Hinc ab eo Communio percipienda est, donec Episcoporum judiciò reprobetur: quoniam mali bona ministrantes, se tantummodò lædunt, ut cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris administrat.*

Conclusio Secunda.

M*inister consecratus mortaliter peccat, quoties sacramenta conficit, & ministrat in statu peccati mortalis.*

Probatur prima pars: Toties quis peccat, quoties divinum expressum mandatum transgreditur: at

XXIII. Novum peccatum est, sacramenta in statu peccati ministrare.

dum Minister consecratus sacramentum conficit, & Ministrat in statu mortalis peccati, divinum transgreditur mandatum: igitur, &c. Major constat: peccatum enim est transgressio & prævaricatio legis. Minor verò probatur illis omnibus Scripturæ textibus, quibus præcipit Deus, ut Dei Ministri sanctè sancta tractent; maximè verò ex 21. Levitici: *Sancti erunt Deo suo, & non pollúent nomen ejus: incensum nomen Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo Sancti erunt.* Et cap. 22. *Dic ad eos* (filios Aaron) *& ad posteros eorum: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Et Isaïæ 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Unde Ps. 49. Deus peccatorē objurgans, dixit: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam, &c.* Ex quibus inferri licet, quòd si summa puritas & munditia requirebatur in Ministris, veteris legis; & si peccator arguatur ex eo quòd

A Dei Testamentum, legis præcepta, & laudes audeat eloqui; quantò magis conscientiæ & animi puritas requiritur in ministris novæ legis, ut dignè accedant ad sacramenta tractanda, quæ ordinantur ad conferendam non solùm sanctitatem legalem, sed internam, & supernaturalem.

Probatur eadem veritas authoritate summorum Pontificum, & SS. Patrum; nam sanctus Gregorius lib. 1. Epistolarum epist. 24. *Necesse est*, inquit, *ut esse mundas studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tactu quæque deterius inquinet ..... scriptum namque est: Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Item ex Nicolao I. in responsis ad consulta Bulgarorum: *Mali*, inquit, *bona ministrando, se tantummodò lædunt, & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat: aliis verò lumen in tenebris administrat: & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet.* Urbanus II. epistolâ ad Lucium, *Decessores nostri Nicolaus & Gregorius VII. Missis Sacerdotum, quos ebriosos, vel adulteros esse constiterit, fideles abstinere decreverunt, ut hujusmodi ad digna Pœnitentiæ lamenta revocarent.* Gregorius IX. cap. ult. de Temporibus ordinationis, *removendos esse* ait *Sacerdotes singulos & sub interminatione divini Judicii obtestandos, si non pœnituerint, ut in susceptis ordinibus non ministrent.* Et cap. ult. de cohabitatione Clericorum ac mulierum, *Quemlibet Sacerdotem pro mortali peccato, quoad seipsum esse suspensum, non quòd speciali Ecclesiæ censurâ affectus sit, sed quia ratione sui statûs est impeditus, ne divina operetur*

Eandem veritatem docent SS. Patres, maximè sanctus Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 10. ubi ait, *Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.*

Suadet etiam ratio: Quia irreverentia Dei sacrorumque contaminatio, est peccatum ex genere suo mortale, utpote cùm sit sacrilegium: sed sacramentorum administratio, dum fit à Ministro qui est in peccato mortali, est quædam Dei irreverentia, & ipsorum sacramentorum contaminatio; illa namque Minister, quantùm est in se, polluit Deique præsentiâ se indignum præbet, dum se in ministerium sacrum ingerit in statu odioso Deo: igitur, &c.

Deinde, Ille in agendo peccat, qui operatur ut non oportet; sed qui sacramenta ministrat in statu peccati mortalis, non operatur ut oportet, quia Minister debet conformari Domino suo, juxta illud Ecclesiast. 10. *Secundùm Judicem populi, sic & Minister ejus:* Dominus autem sanctissimus est. Unde sanctus Augustinus tract. 5. in Joan. colligit: *Omnes dicimus, quia Justos esse oportet tanti Judicis Ministros, &c.*

Denique, Sacramentorum sanctitas, cùm sit res sacra, debet etiam sanctè tractari, non autem profanè, id est cum indignitate peccati mortalis, ut exercetur actio profana, sed dum administrantur sacramenta in statu peccati mortalis, talis actio ex parte Ministri, non discernitur à profana, cùm sit Deo odiosa & injuriosa: igitur, &c.

Dices: Peccatores non admittunt novum peccatum, dum exercent opera charitatis: sed sacramentorum administratio est opus charitatis: igitur peccator, qui illa administrat, non admittit novum peccatum.

XXVI. Licèt non peccet qui in statu peccati

Distinguo majorem: Qui exercet opera charitatis ex re non consecrata, & ad quæ non tenetur ex justitia, transeat: qui exercet opera charitatis ex re sacra, ad quæ exercenda tenetur ex

exercet opus charitatis.

motivo justitiæ, non peccat mortaliter, nego: & similiter distinctâ minore, neganda est consequentia; cùm enim sacramenta ex se sacra sint, & ea Minister ex officio teneatur conferre, in ipso prærequiritur vitæ probitas, ut sancta sanctè pertractet.

Instabis: Si sacramenta in statu peccati mortalis ministrare, mortale sit; maximè quia omnis rei sacræ administratio in statu peccati mortalis novum ingerit mortale peccatum: sed falsum consequens: ergo, &c. Major constat ex mox dictis: Minor verò probatur; Primò, quia si Episcopus in mortali conferat primam Tonsuram, conficiat chrisma, benedicat oleum, aut Ecclesiam consecret, rem sacram conficit: nec tamen mortaliter peccat. *Similiter* Diaconus, aut Subdiaconus, in mortali peccato ministrantes, rem sacram perficiunt, nec tamen admittunt novum mortale pecccatum. *Denique*, Concionatores Verbum Dei ex officio nuntiantes in statu peccati mortalis rem sacram administrant, nec tamen videntur peccare mortaliter: igitur nec qui sacramenta administrant.

XXV. *Nec Episcopus sacramentalia conferens in statu peccati:*

Nego minorem, & ad primam illius probationem dico, equidem non improbabile videri Episcopum præfata conficientem non peccare mortaliter: quia ista sunt tantùm sacramentalia quædam, quæ per se proximè non sunt instituta ad conferendam gratiam, neque in illis Minister se habet ut legatum Dei sanctificantis animam; ac proinde hæc peragendo in statu peccati mortalis, non videtur admittere novum peccatum: ad id enim requiritur non solùm, quod fiat res sacra, sed quòd illa actio sit per se consecrata, & ordinata ad conferendam proximè sanctitatem animæ; & insuper ad eam actionem sit deputatus ex officio: nollem tamen à peccato veniali immunem censere, qui hæc in mortali statu perageret: quia Ministri sacrorum tenentur habere sanctitatem præ cæteris hominibus: debent enim conformari Domino, cujus sunt Legati.

Quantùm ad Diaconum & Subdiaconum, in peccati mortalis statu sibi proprium ministerium peragentes, non videntur immones à novo peccato:

XXVI. *Peccant Diaconi & Subdiaconus in statu peccati suū ministerium implentes.*

Siquidem S. Paulus 1. ad Timoth. 3. monet, *Diaconos similiter esse pudicos, non bilingues, non multò vinò deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Hinc Alexander II. ut legimus dist. 32. cap. *præter*, statuit: » Qoicunque Sacerdos, Diaconus, Sub- » diaconus, post constitutum beatæ memoriæ præ- » decessoris nostri S. Papæ Leonis, ac Nicolai de » castitate Clericorum, concubinam palam duxe- » rit, vel ductam non reliquerit, ex parte omni- » potentis Dei, & authoritate beatorum Aposto- » lorum præcipimus, & omnino contradicimus, ut » Missas non cantet, nec Evangelium, aut Episto- » lam ad Missam legat, neque in Presbyterio ad » divina officio cum his, qui beatæ constitutioni » obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat. Quamquam autem solùm præscribat contra Diaconum & Subdiaconum concubinarios; idem tamen dicendum videtur de ipsis quôvis mortali peccatô reis, propterea quod rem sacram irreverenter, & indignè peragunt. Unde cap. *Quæsitum. de temporibus ordinationum* Gregorius nonus ait, *quòd non modo Sacerdotes, sed alii Clerici adulteri, homicidæ, perjuri, falsi testes sint monendi, ac sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis Ordinibus non ministrent, si non pœnituerint.*

Censeo tamen, minorum Ordinum actus exercere in peccato mortali, non esse mortale peccatum: Tum quia materia levis est: Tum quia actus illi non nisi remotè ad sacrificium & sacramentum ordinantur; neque omnino certum est illos minores Ordines habere rationem perfectam & completam sacramenti.

XXVII. *Sicut & Concionatores.*

Quantùm ad *Concionatores*, verisimile apparet suum ministerium in mortali peccato implentes, peccare mortaliter: quia rem justam & sanctam exequuntur injustè; quippe cùm exorbitent à sanctitate, tum Evangelii, tum Christi D. cujus vicem & ministerium obeunt. Unde etiam acriter eorum audaciam sic redarguit Deus his verbis Psalmi. *Quare tu enarras justitias meas? &c.*

CONCLUSIO TERTIA.

XXVIII. *In extremis quilibet Sacerdos sacramenta potest validè ministrare.*

Licet petere & accipere sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ à quocunque Ministro in casu necessitatis. Licet etiam accipere à quocumque malo Ministro, quando toleratur in Ecclesia, si aliqua necessitas urget; secus autem si præcisus sit, nec ulla adsit urgens necessitas. Hæc conclusio tribus partibus constat, quarum prima traditur in Concilio Trident. sess. 14. cap. 7. ubi legimus: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quotlibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt in extremo vitæ discrimine.* Idem statuitur in decreto Eugenii ad calcem Concilii Florentini, obi decernitur, quòd in casu necessitatis etiam Paganus & Hæreticus baptizare possint, dummodò formam servent Ecclesiæ, & facere intendant quod facit Ecclesia. Idem etiam docet S. Augustinus lib. 1. de Baptismo, cap. 2. ubi ait: *Si quidem fortè coegerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat non invenerit, & in animo pacem Catholicam custodiat, ut per aliquem extra unitatem Catholicam positum, acceperit quod erat in ipsa Catholica unitate accepturus, si statim eum de hac vita migrare contigerit, non eum, nisi Catholicum deputamus.*

Suffragatur etiam ratio: Nam jurisdictionis revocatio & sublatio, quantùm ad confectionem & ministrationem sacramentorum, non fit in pœnam fidelium sacramenta suscipientium, sed in pœnam ministrantium improborum. *Deinde*, inquit Doctor dist. 5. quæst. 2. num. 3. *Præceptum superioris plus obligat, quàm inferioris: Deus autem præcipit Baptismum suscipi, nec determinavit à quibus tempore necessitatis: Ecclesia autem prohibet communicare cum illo, quem præscindit: ergo magis obediendum est præcepto divino, quàm Ecclesiæ in casu illo.* Hoc est, quando obligatio juris Ecclesiastici concurrit cum obligatione juris divini; jus Ecclesiasticum divino cedit, & minus majori: sed obligatio suscipiendi sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ, est juris divini: prohibitio autem recipiendi sacramenta à Ministro ab Ecclesia separato, est juris solùm Ecclesiastici: igitur, &c.

Denique, inquit ibidem Doctor, plus tenetur excommunicatus vitare alios, quàm alii ejus consortium debeant fugere: quia vitare excommunicatum, est in pœnam illius propter suam contumaciam, magisque ipsum obliget vitare cæteros, quàm alios obliget ad ipsum vitandum: Sed (inquit Doctor) præcisus, vel excommunicatus « in casu illo, non tenetur: vitare alium; immò «

tenetur non vitare; si enim talis præcisus sciret parvulum aliquem non baptizatum statim moriturum, teneretur necessariò eum baptizare, & ita eum non vitare in actu baptizandi. Hoc probo, quia si inveniret eum expositum periculo vitæ corporalis propter famem, teneretur eum necessariò juvare ad salvandam vitam corporalem: magis autem tenetur diligere vitam ejus spiritualem, quàm corporalem: ergo quando parvulus expositus est periculo vitæ spiritualis, tenetur ille ipsi conferre remedium necessarium ad vitam spiritualem: ergo multò magis alius non tenetur vitare eundem, communicando cum eo in tali actu.

XXX.
Licitè etiā petuntur sacramenta à malo ministro non præciso.

Secunda pars probatur, nempe quòd sacramenta petere liceat à Ministro malo ab Ecclesia non præciso, sed tolerato, cui ex officio incumbit ministrare sacramentum. Probatur, inquam primò, ex decretis summorum Pontificum, maximè Nicolai primi, ut refertur qu. 8. cap. *Sciscitantibus*, ubi respondens ad consulta Bulgarorum, scribit: *Sciscitantibus vobis, si à Sacerdote, qui sive comprehensus in adulterio, sive de hoc famâ solâ respersus est, debeatis communionem suscipere, nec ne? Respondemus..... Ab eo donec Episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est.* Similiter Lucius tertius cap. *Vestra. de cohabitatione Clericorum & mulierum*, ubi legimus: *Alicubi dicitur: Nullus audiat Missam Sacerdotis, quem scit indubitanter concubinam habere. Alibi legitur: Non potest quantumcunque pollutus divina polluere sacramenta. Sumuntur ergo intrepidè ab omni Sacerdote Christi mysteria. Cæterum aliud discrimen notorium, aliud occultum.* Notorium definitur, de quo Presbyter canonicè condemnatur; occultum, quod ab Ecclesia toleratur; aliud est quando crimen notorium non diffitetur Presbyter, vel de ipso canonicè condemnatur. Item aliud est à talium officiis abstinere, ut peccandi licentia cæteris auferatur, & hujusmodi ad pœnitentiæ sacramentum trahantur. Aliud, si tanquam in fornicatione jacentium talia mysteria respuantur; sine dubitatione igitur tenearis quod à Clericis & Presbyteris tanquam fornicariis, quandiu tolerantur, nec habent operis essentiam licitè divina mysteria audiantur, & alia recipiantur Ecclesiastica sacramenta. *Et ibidem* Gregorius Nonus cap. *quæsitum est*, ait: Quæsitum est de Clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officium priusquam pœnituerint audiendum. *Verùm*, etsi quemliber pro mortali peccato, quoad seipsum constet esse suspensum, non debet tamen in officiis evitari; quia quantùm ad alios, jam in casu proposito suspensus non est, nisi peccatum hujusmodi sit notorium per sententiam, seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliquâ celari non possit.

Ut summi Pontifices declarant.

Hanc autem veritatem luculenter explicat Doctor dist. 5. quæst. 2. num. 5. ubi ait: Quantùm autem ad secundum membrum distinctionis, scilicet de malo non præciso ab Ecclesia, si est occultus malus; ita quòd vita ejus non sit scandalosa populo, satis conceditur quòd possit populus aliquis à tali; imò debeat recipere Baptismum, si aliàs debeat: quia propter peccatum, quod non est notorium, non debet aliquis in actibus notoriis vitare proximum.

Et optimè docet Doctor.

Si autem est publicè, vel notoriè malus, utpote publicè fornicarius, aut hujusmodi: aut incumbit sibi ex officio dispensare sacramentum Baptismi; utpote quia est Sacerdos, vel Curatus Parochialis: aut si non incumbit, tamen congruit ratione officii, utpote quia est Sacerdos aliquis datus, vel vocatus in adjutorium Curati: si primô modo, non peccat, qui recipit Baptismum pro se, vel pro parvulo suo: quia non peccat, qui à malo debitum petit: ille autem Curatus debitor est Parochiæ suæ in sacramentis istis ministrandis. Si secundô modô, si possit habere alium, cui incumbit ex officio baptizare: aut æquè malum, aut meliorem. Si meliorem, peccat qui ab illo recipit: quia non incumbit sibi sacramenta ministrare: & si æquè malum, debet recipere à suo. Sed si nullus alius possit haberi Curatus, vel Sacerdos, nisi æquè malus isti, possit tamen haberi bonus Laïcus: dubium est quis, cui sit præferendus in isto actu, an bonus Laïcus Sacerdoti publicè malo, an Sacerdos malus bono Laïco. Et breviter, quia officium ministrandi Sacramenta in Ecclesia competit Sacerdotibus: videtur dicendum, quòd quoad istum actum, magis est eligendus bonus quàm malus Sacerdos.

Dices primò. Ex Apostolo ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solùm qui ea* (peccata) *faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*: At qui sacramenta petit, aut recipit à malo Ministro, ei communicat in peccato, nempe in administratione sacrilega sacramenti, igitur, &c.

XXXI.
Neque enim exinde communicant peccato ministri.

Nego minorem; etenim qui sacramenta recipit à Ministro malo per Ecclesiam tolerato, non communicat illius improbi peccato, sed potius sanctitati Ecclesiæ, quæ Ministrum illum exhibet, aut tolerat ad res divinas peragendas, & inserviendum fidelium saluti.

Nec illum inducunt ad peccandum.

Instabis: Qui inducit alium in peccatum, ipse communicat ejus peccato: sed qui sacramentum petit à Ministro quem novit improbum, inducit eum ad peccandum, nempe ad committendum sacrilegium: igitur, &c.

Negat minorem Doctor locô suprà laudatô *num.* 9. ubi ait: Dico quòd ille, qui petit Baptismum à malo Sacerdote, non cooperatur illi directè ad peccatum mortale: petit enim ab eo actum debitum, & in hoc non delinquit: quia nullius malitia excusat eum à solvendo debitum, quô tenetur alteri. Ille etiam actus petitus posset solvi sine peccato, si baptizaturus converteretur. Unde quantùm est ex actu petentis, petens magis necessitat Sacerdotem ad pœnitendum, quàm ad actum peccandi. Si autem ille non pœniteat, nihil imputandum est ei, qui petit illum actum: quia non in quantùm est peccatum petit, sed in quantùm debitum est.

XXXII.
Quomodo agendum sit cum ministro simoniaco.

Petes, qualiter se gerere debeat quis erga Ministrum simoniacum, qui nollet sacramentum conferre absque accepto pretio?

Respondet Doctor num. 7. Dico, quòd si ille nullomodò vellet baptizare, nisi pro actu baptizandi recipiat pretium, & sic sit perfectè simoniacus, quia vendens sacramentum; nullomodò recipiendus est Baptismus ab eo, neque pro adulto, quia peccaret mortaliter, & non obligatur ad recipiendum sacramentum, quando non potest recipere sine peccato mortali: neque pro parvulo suo; esto etiam, quòd nullus esset qui vellet baptizare in Provincia.

Et si arguas, tunc exponit parvulum suum periculo damnationis?

Respondeo, baptizet ipse si possit, utpote si non est mancus, vel mutus, vel non possit invenire aliquem in baptizando parvulum suum, nisi emendo Baptismum, debet dimittere parvulum suum,

mori fine Baptismo: non sunt facienda mala, ut inde veniant bona, *ad Rom. cap.* 3. & quilibet magis debet diligere seipsum, quàm proximum: & per consequens magis in seipso vitare peccatum mortale, quàm in alio damnationem: tamen ille casus de difficili, vel nunquam contingeret, quin sine simonia committenda ex parte baptizandi, vel offerentis parvulum baptizandum, possit Baptismus haberi. Si enim ille Sacerdos vellet vendere aquam suam; & nullô modô aliter concederet eam, potest ipsa emi, esto etiam quòd sit consecrata; sed nullomodò habendo oculum ad consecrationem: quia tantùm valeret, quantùm non consecrata. Sic enim licet vendere calicem non consecratum, nullomodò oculum habendo ad emendum vel vendendum consecrationem.

Nota.

Si autem Sacerdos nitatur vendere actum baptizationis, potest ille, qui offert parvulum emere, non intendens actum illum emere, in quantùm est sacramentale, sed laborem Sacerdotis in illo actu. Sicut conducuntur hodie Sacerdotes ad celebrandum Missas, non ut ipsi vendant, & alii emant actum celebrationis, in quantùm est sacramentale, quòd absit: sed ipsi vendunt laborem, & alii emunt eum: quia oportet unumquemque de suo labore taliter qualiter victitare, & vitam acquirere.

XXXIII. Non licet petere sacramenta à Ministro præciso.

Probatur denique tertia pars, nempe quòd non liceat petere sacramenta à Ministro ab Ecclesia præciso: *Primò* quidem, ex Concilio Constantiensi, Basileensi, & Lateranensi suprà nominatis, in quibus decernitur pœna adversus eos, qui Ordinem aut alia sacramenta à prohibitis Ministris susceperunt. *Secundò*, ex summis Pontificibus, maximè Innocentio I. epist. 21. cap. 3. ubi scribit: *Dicimus ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manûs impositionem habere caput.* Sancto Gregorio lib. 3. Dialog. cap. 31. ubi refert & laudat generosam animi constantiam S. Hermenegildi, qui potius voluit cruentam patris imperiô illatam necem subire, quàm Eucharistiam ab Episcopis Arianis porrectam recipere.

Ut declarant summi Pontifices.

Similiter *Nicolaus I.* ad consulta Bulgarorum cap. 71. respondet: Qualiscunque Sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest, idcirco ab eo usquequò judiciô Episcoporum reprobetur, percipienda est Communio: ac subinde censet, non esse percipiendam ab his qui Episcopali sententiâ & judiciô ab Ecclesia præscinduntur.

Idem statuit *Gregorius VII.* lib. 2. epistolarum epist. 45. quæ est ad Rodulphum & Bertoldum: *Vos*, inquit, *officium eorum, quos aut simoniacè promotos & ordinatos, aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus percipiatis.* Tandem hanc veritatem luculenter tradit Urbanus II. epist. ad Lucium, ubi de sacramentis à notoriis peccatoribus ministrandis, hæc habet: *Proprias quidem habent virtutes & dignitates; sed agentibus, vel suscipientibus hæc eadem sacramenta contra præfatorum Pontificum instituta, nisi fortè solâ morte interveniente, ne sine Baptismate, vel Communione quilibet humanis rebus excedat: Iis*, inquam, *agentibus, & suscipientibus in tantùm obsunt, ut verè idololatra sint, cùm talibus & ordinationum & sacramentorum confectio, & aliter, quàm permissum est, & scienter susceptio, vehementer à sanctis Canonibus prohibeantur.*

SS. Patres docent.

Idem docent SS. Patres, maximè sanctus Ambrosius lib. de Initiandis, cap. 4. ubi ait: *Non sanat perfidorum Baptismus, non mundat, sed polluit.* Et S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, cap. 36. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sacramentum Baptismatis apud hæreticos esse posse, sed extra Ecclesiam Catholicam prodesse non posse.* Et lib. 1. de Baptismo, cap. 2. & alibi: *Separati*, inquit, *formam habere possunt: virtus in eis inesse non potest; quemadmodum sensus non sequitur membrum, quando amputatur à corpore.*

XXXIV. Quatuor regulæ quibus innotescit qualiter in petendis sacramentis quis sese gerere debeat.

Ex his omnibus sequuntur quatuor regulæ ex debito justitiæ, Religionis & Charitatis servandæ, quas tradit, & sic expendit noster Hiquæus in Commentario ad laudatam quæstionem Doctoris n. 13. *Prima* est: In casu extremæ necessitatis, sive proprio, sive infantis, Ministrum etiam præcisum, posse ministrare Baptismum, & hoc posse ab eo peti, & accipi: quia ille ex debito charitatis, ex debito etiam Religionis ratione Ordinis ad hoc obligatur extremè indigenti: & sic ex præcepto tam charitatis propriæ, quàm pueri, & ex debito Religionis tenetur petens amplecti sacramentum à quocunque datum: & hæc regula supponit præcisam necessitatem extremam, vel realem, vel moralem.

Secunda regula est: Sacerdotem toleratum, qui sit Parochus, ultra debitum charitatis & religionis habere etiam debitum justitiæ ministrandi sacramentum suis subditis extra necessitatem, quando alius non suppetit: & Parochianum licitè etiam ab eo petere Sacramentum, quando sine gravi damno non differretur. Grave damnum intelligo omissionem, quâ lex & consuetudo Ecclesiastica non impleretur, vel quando pateretur ex omissione ejus detrimentum notabile fructûs spiritualis, aut periculum peccati. Hujus ratio habetur ex præmissis: & regula hæc perinde currit in petitione sacramenti ab alio, qui potest illud ex concessione Parochi, aut alterius dare: non perinde tamen currit obligatio in Ministro, nisi sit ordinarius, aut certè ejus Vicarius, & coadjutor à superiore constitutus; in quo casu habet debitum ministrandi non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia, modò assumat Provinciam illam, & curam supplendi defectum Parochi.

Tertia regula est: Quando quis potest sine damno suo providere sibi aliter, sine damno spirituali sui Parochi, tenetur ex charitatis præcepto affirmativo, non petere sacramentum à Parocho improbo, quem novit non ministraturum nisi sacrilegè, qui ex frequentatione ministerii confirmatur in malo, & datus in reprobum sensum, contemnit conversionem; quam fortè subtrahentibus se aliis ab ejus communione non differret: quia plerumque festinantes in malum ex ipsa confusione subsistunt & convertuntur ad bonum. Et fortè Parochianus etiam ad idem tenetur præceptô religionis, & honoris divini, ac reverentiæ Sacramenti. Quid autem horum concurrat in particulari hîc & nunc, perpendendum est ex circunstantiis casûs, applicando has generales regulas, ex quibus singuli casus in particulari resolvi possunt, in quibus communicare potest Ministro notoriè malo, sive præciso, sive non præciso.

Quarta regula: Quoad Ministrum, qui occultè est malus, & publicè, & privatim debet ab eo petere sacramentum, si alius non occurrat, aut expectari non potest commodè; si sic servetur regula charitatis, quæ præmissa est de scandalo Pharisæorum, procurando ejus salutem, & reverentiam debitam sacramento, prout fieri commodè potest. Ita Hiquæus.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum Sacramenta validè conferantur ab Hæreticis?

I. Agripinus primus omnium decrevit nullum esse baptismum hæreticorum.

NOtandum primò, Agripinum Carthaginensem Episcopum, omnium primum censuisse ac definisse, rebaptizandos esse eos, qui ab hæreticis baptisma susceperant, ut jam præmonuimus in hujus articuli præludio. Quanquam enim ut ibi diximus Tertullianus idem dogma professus fuerit lib. de Baptismo cap. 17. ubi scribit: *Hæretici nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere, quod mihi est præceptum, quia non idem Deus est nobis, & illis; nec unus Christus, est idem: ideoque nec Baptismus unus: quia non idem: quem cùm ritè non habeant, sine dubio non habent, &c.* Attamen non est omnino probabile Tertullianum antiquiorem fuisse Agripinô: quia quô tempore vixerit Agripinus, & quandiu sederit, omnino incertum est: Unde non constat, an Agripinus à Tertulliano hunc de rebaptizandis hæreticis errorem hauserit: Nam ipse Tertullianus pauló antè dixerat, *Circa hæreticos sanè quid custodiendum sit, dignè quis retractet? Ad nos enim editum est.* Quibus verbis significat jam ab aliquo Ecclesiæ præsule definitum fuisse Baptisma ab hæreticis collatum prorsus esse invalidum. At certè ab alio definiri non potuit, quàm ab Agripino; si enim alius antiquior dogma istud tradidisset, haud dubiè laudaretur à S. Cypriano. Insuper si Agripinus id hausisset à Tertulliano, non tacuissent Augustinus, & alii defensores Baptismi collati ab hæreticis: Huic enim defensioni non modicùm favisset, ostendere Cypriani & Agripini sententiam depromptam fuisse à Tertulliano plurimis erroribus laburante.

Non enim certum est eum esse Tertulliano posteriorem.

II. Insuper ipse istud dogma stabilivit.

Sed quidquid sit, certum est Agripinum primum omnium de iterando ab hæreticis collatu baptismate sententiam tulisse. Hic enim quidam pietatis prætextu, ratus quòd quæcumque hæreticorum essent deberet Ecclesia Catholica abominari, collatum ab hæreticis baptismum convellere nisus est: ne autem solus id sentire videretur collegit Africæ atque Numidiæ Episcopos annô 217. & celebratô conciliô, ac omnium rogatâ sententiâ, de iterando hæreticorum baptismate canonem edidit; cujus constitutionis meminit S. Cyprianus epistulâ ad Quintum his verbis: *Quandoquidem & Agripinus bonæ memoriæ vir cum cæteris Coëpiscopis suis, qui in illo tempore in Provincia Africa & Numidia Ecclesiam Dei gubernabant, statuit; & librato consilii communis examine firmavit: quorum sententiam & religiosam & legitimam & salutarem fidei & Ecclesiæ Catholicæ congruentem nos etiam secuti sumus.*

Sed perperam.

Cæterum idne rectè fecerit Agripinus? Hæc Augustinus tractans *lib. 2. de Bapt. cap. 7.* aperit his verbis. *Hanc consuetudinem suscipiendi ab hæreticis baptizatos, credo ab Apostolica traditione venientem, sicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, Neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab Apostolis credita, & commendata creduntur. Hanc ergo saluberrimam consuetudinem dicit S. Cyprianus per Agripinum prædecessorem suum quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentiùs inquisita veritas docuit quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenariũ Concilii confirmationem perducta est, veriùs creditur per Agripinum corrumpi cœpisse, non corrigi.*

Ut optimè declarat S. August.

Similiter Vincentius Lirinensis D. Augustini contemporaneus in commonitorio cap. 6. eandem tractans contentionem hæc habet: *Quondam venerabilis memoriæ Agripinus, Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem ac instituta majorum, rebaptizandum esse censebat: quæ præsumptio tantùm mali invexit, ut non solùm hæreticis omnibus formam sacrilegii; sed etiam quibusdam* CATHOLICIS OCCASIONEM PRÆBUERIT ERRORIS.

Et Vincentius Lirinensis.

III. Quando S. Cyprianus electus fuerit Episcopus Carthaginens.

Notandum secundò, quod defunctô Donatô Episcopô Carthaginensi anno 250. & Fabiani Papæ 12. Carthaginensi Ecclesiæ præfectus fuit S. Cyprianus: is enim scribens ad Cornelium Papam epist. 55. anno secundo, ex quo ille sublatô per martyrium Fabianô factus fuerat Romanus Pontifex, quartum annum tunc elapsum sedis suæ testatur: cùm autem *Cornelius* Pontifex post biennium suæ sessionis martyrio fuisset coronatus sub Imperatoribus Balbo & Volusiano, ei suffectus fuit *Lucius*; qui similiter bienniô cùm sedisset, dum ad martyrium duceretur omnem Ecclesiæ potestatem dedit Archidiacono suo *Stephano*, qui ei in Pontificia sede successit. Eô autem sedente anno sui Pontificatûs II. redditâ Ecclesiæ pace per extinctos prænominatos errores, occasione Novatianorum & Kataphrigarum magna inter Catholicos præsules orta est contentio.

IV. Quâ occasione dogma Agripini restaurâvit.

Cùm enim *Novatiani* & ante eos *Kataphrygæ*, quos ab Ecclesia Catholica divulsissent, ut immundos denuò baptizare essent soliti: id provocavit ad æmulationem quosdam Episcopos in Africa potissimùm consistentes, eorumque Primatem sanctum Cyprianum, ut ipsi quos ex Novatianis ad Ecclesiam susciperent, tanquam hæretico baptismate potius maculatos, quàm mundatos denuò baptizarent; ne secus facientes, apud hæreticos vera sacramenta, proindeque veram Ecclesiam esse probare viderentur, neve liberam ansam præberent hæreticis Catholicis insultandi, si Catholici hæreticorum sacramenta probarent; à Catholicis verò collata ut immunditias hæretici aspernarentur. Iis accedebat, stimulumque adaugebat, quòd omnes propemodum Scripturæ divinæ tum ex veteri, tum ex novo Testamento petitæ in hanc ipsam sententiam conspirare viderentur, dum quæ ab impiis facta essent, quò sacratiora, eò execrabiliora Deus habeat ac improbet.

III. Quòd priùs fuerat innovatum in Oriente per Firmilianum.

At non primùm in Africa ejusmodi controversia cœpit agitari, sed primi tempestatis hujus fluctûs, moti sunt in Oriente, eâ nimirum occasione, quòd ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, aliisque vicinis regionibus Iconium convenientes Episcopi, statuerant nihil eorum quæ ab hæreticis facta essent, ab Ecclesia Catholica esse recipiendum, non ordinationes, non baptismum nec aliud quodvis sacrum. Meminit hujus Synodi Firmilianus epist. ad S. Cyprianum, his verbis priùs recitatis subjunctis. *Quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant qui etsi novos Prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem & Filium nobiscum nosse videntur, plurimi simul convenientes in Iconio diligentissimè tractavimus, & confirmavimus repudiandum esse omne omnino baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum.* Quibus verbis indicat hanc collectam Synodum fuisse adversus Kataphrigas, qui

qui Patrem qoidem & Filium, ut Catholici, affirmabant; Spiritum verò sanctum non alius præter Montanum suum Authorem affirmabant.

Verùm arbitrör dicendum, non solùm à Cataphrigis collatum baptisma repudiasse, sed etiam ab omnibus prorsus hæretieis; nullum siquidem Cathaprigarum baprisma ae irritum fuisse apertè colligitur ex Coocilio Niceno *Canone* 19. Si autem tantùm invalidum ab hæretieis collatum baptisma propter formæ defectum repudiassent, in eaque sententia repudiandum esse firmiter stetissent, qoid causæ fuisset Stephano, ut ens excommunicaret, uti fecit?

Nam Dionysius Alexandrinus Episcopus in epistola sua, quæ legitur apud Eusebium lib. 7. cap. 4. Stephanum Pontificem excommunicasse hos omnes Episeopos in ea sententia persistentes affirmat, his verbis. *Stephanus antea scripserat Epistolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Episcopis qui erant ex Cilicia, & Cappadocia & Galatia & ex omnibus Gentibus quæ erant finitimæ, quod neque enim iis quidem communicare vellet, nam illi* (inquit, *hæreticos rebaptizant.*

VI. Qua ea de causa excommunicatus fuit à S. Stephano summo Pontif. unà cum Episcopis suo dogmati faventibus.

Idque Stephanus ipse factô comprobavit. Nam cùm Orientales illi Patres qui hæc statuentes Apostolicæ sedis communione privati erant, Legatos Episcopos ad ipsum Stephanum Romam misissent reddituros rationem de iis, quæ in Synodo gesta erant, eos Legatos nec exeepit, nec ab aliquo excipi permisit Stephanus, ut queritur Firmilianus, qui cùm Apostolicâ communione fuisset intercceptus, plura Episcopo & viro Christiano indigna obloquitur in Stephanum Papam in laudata sua Epistola, ubi hæc per ironiam habet. *Quid eò humilius aut lenius, quàm cum tot Episcopis per mundum dissensisse; pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modò cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus; modò vobiscum qui in meridie estis, à quibus Legatos Episcopos patienter satis & leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii admitteret: adhuc insuper dilectionis & charitatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax & communio, sed tectum & hospitium negaretur.*

Hanc autem Iconii priùs celebratam fuisse Synodum, quàm quidquam hac de controversia io Africa definiretur, apertè testatur Dionysius laudatus apud Euseb. lib. 7. eap. 6. in fine. *Hoc tamen*, inquit, *didici quòd non Episcopi in Africa solùm istam consuetudinem de hæreticis rebaptizandis sanxerunt; verùm etiam longo tempore antè, Episcoporum memoria, qui antegressi sunt in Ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis fratrum, tum Iconii, tum aliis multis in locis convocatis, istud decretum fuit; quorum judicia & sententias condemnare non audeo.*

VII. Priusquàm hæc controversia in Africa moveretur.

Unde infero latam illam excommunicationis sententiam non in Africanos, sed in Orientales fuisse, spretosque legatos eos esse, non qui ex Africa post Synodum Carthaginensem, sed qui ex Oriente post absolutas illas Synodos Romam adibant compertum est.

Cæterùm dum Cyprianus Carthagine Synodum ex Coëpiscopis coëgisset anno 258. & Stephani a. rogatus fuit à quibusdam Numidiæ Episcopis, ut patet ex epistola, quam scripsit ad Januariom cæterosque Numidiæ Episcopos, quæ apud eum est 70. ut aperiret quid cum suis sentiret de baptismo ab hæreticis collato: ad quos ita scribit. *Cùm simul in Concilio essemus, fratres Charissimi, legimus litteras vestras quas ad nos fecistis, de iis qui apud hæreticos & schismaticos baptizati videntur, an ad Ecclesiam Catholicam, quæ una est, baptizari debeant. De qua re quamquam illic ipsi veritatem & firmitatem Catholicæ regulæ teneatis, tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimastis; sententiam nostram non novam promimus, sed jam pridem ab Antecessoribus nostris statutam, & à nobis observatam vobiscum pari consensione conjungimus, censentes scilicet, & pro certo tenentes neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cùm sit baptismum unum in sancta Ecclesia constitutum, &c.*

VIII. Quando-nam primùm huic dogmati publicè patrocinatus fuerit S. Cyprianus cum Episcopis suis Collegis.

Cùm autem animadverteret plures Episeopos quas acceperant ea de re majorum traditiones illibatas velle servare, eos errore seduci arbitratus Cyprianus, majori remedio conatus morbo (quod putabat) occurrere cupiens, novam, sed celebriorem Carthagini Synodum 71. Episeoporum cogit; cujus meminit ipse scribens ad Jubajanum epist. 78. his verbis. *Quid in Concilio cùm plures adessemus, decreverimus, quid item postea Quinto collegæ nostro de eadem re quærenti rescripserimus, & nunc quoque cùm in unum convenissemus, tam Provinciæ Africæ, quàm Numidiæ Episcopi numerò septuaginta unus, hoc item denuò sententiâ nostrâ firmavimus.* Ut autem quod in hoc pleniori Concilio omnium calculô fuerat stabilitum, hujusce controversiæ adhoe inscium Stephanum summum Pontificem certum faceret: omnia antè edita decreta, rescriptasque hac de re ad Numidiæ Episcopos, & ad Quintum epistolas, ad eum per emissos Romam legatos direxit; ut constat ex Epistola ad eundem Stephanum quæ est num. 72.

IX. Celebrat eâ de re secundam Synodū Carthaginens.

Scribit ad Stephanum summum Pontif.

Quid verò responderit & rescripserit Stephanus, licèt ipsius litteræ non extent: attamen facilè colligi potest ex iis, quæ ipse Cyprianus habet epist. 74. ad Pompeium Episc. Sabratensem in Africa, ubi ait. *Quia desiderasti in notitiam tuam perferri quæ mihi ad litteras nostras Stephanus frater noster rescripserit: misi tibi rescripti ejus exemplum; quo lecto magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum causam contra Christianos & contra Ecclesiam Dei asserere conatur: nam inter cætera vel superba: vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperitè atque improvidè scripsit; illud etiam adjunxit.* SI QUIS ERGO A QUACUMQUE HÆRESI VENERIT AD NOS, NIHIL INNOVETUR NISI QUOD TRADITUM EST, &c. Quam quidem rescriptionem pluribus objurgat & lacessit S. Cyprianus in ea epistola; quam paulò ardentius & minùs reverenter in Stephanum scriptam cùm Augustinus legisset, nec de singulis in Stephanum prolatis conviciis Cyprianum excusare posset, maluit eam obvolvere silentio, quàm ipsam nondum obductis cicatricibus refricare. Unde lib. 5. de baptis. cap. 25. meminit duntaxat prioris epist. S. Cypriani ad Stephanum, in qua nulla erant convitia.

X. Istud dogma reprobat & damnat Stephanus.

Quod acerbè tulit S. Cyprianus.

Cùm igitur Cyprianus obnitentem sibi Stephanum cerneret, haud cunctatus convocat ex Africa, Numidia, Mauritania, Episcopos 87. cum eisque Synodum tertiam Carthagini cogit; ubi exceptis omnium calculis statuitur ac confirmatur prior sententia de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis. Hujus autem Concilii acta integra habes apud eundem S. Cyprianum, & S. Aug. l. 6. & 7. de baptism. contra Donatistas, ubi singulas sententias apprimè refellit.

XI. Unde tertiam Synodum Carthag. cogit in qua suū dogma cōfirmat.

Hoc autem Concilium celebratum fuisse post

duo prædicta, exceptamque Stephani Epistolam exinde patet; 1. quod Cypriani ad Jubajanum & Episcopos Numidiæ, earumque ad Cyprianum Epistolæ initiô Concilii legantur, hæ autem post duo priora fuerant editæ. Tum quia commotus in Stephanum ejus animus satis apparet initiô ejus Concilii, ubi Stephanum tacito ejus nomine arguit, quòd se Episcopum Episcoporum nominaret. *Superest*, inquit, *ut de hac re singuli quid sentiamus aperiamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem si diversam senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum, Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad observandi necessitatem, collegas suos adigit.*

Quibus alludi videtur ad id, quod Stephanus more Majorum in suo decreto dixerat se *Episcopum Episcoporum*, & quod aliter, quàm quòd definierat, sentientibus excommunicationis pœnam erat acriter comminatus.

XII. Qui fuerint præcipui Donatistarum errores.

Notandum tertiò, post 45. annos à consummato Martyrio sancti Cypriani, qui passus est annô 261. ortum fuisse schisma *Donatistarum*, annô videlicet 306. quod postmodum in hæresim apertam declinavit: duo namque præcipui notantur Donatistarum errores: *Primus*, quòd dixerint Ecclesiam totô orbe terrarum contagione communionis cum Traditoribus esse extinctam, & tantùm in Africa penes Donati sectatores integram remansisse: *Secundus*, quòd adversus Ecclesiæ universæ definitionem restaurarent dogma de rebaptizandis, non solùm qui ab hæreticis baptizati fuerant, sed etiam à Catholicis: quos ut sacrorum codicum & vasorum traditiones infamabant: quanquam aiebant se non baptizare accedentes ad partes Donati, sed dare Baptisma, quod antea datum non erat: quia nullum esse apud Catholicos, ut nec aliud sacramentum existimabant: nam iterum ungebant, iterum manus imponebant, non solùm inferioribus Clericis, sed etiam Sacerdotibus & Episcopis, quorum nonnullos ad Laïcorum ordinem redigebant.

XIII. Quinam fuerint. *Maximianista.* *Primianistæ.* *Rogatistæ.* *Montenses.* *Campenses.* *Circumcelliones.*

Porro cùm instigante dissensionis principe, agitetur ac foveatur omnis hæresis, unitatem ac concordiam servare nequit: unde non mirum si, ut observat S. Augustinus hæresi 69. secta hæc Donatistarum varias in partes scissa fuerit, quibus etiam, ut diximus, diversa inerant nomina; nam alii dicti sunt *Maximianistæ*, à Maximiano Carthaginensi Pseudo-Episcopo; alii *Primianistæ* à Primianno ejusdem urbis Pseudo-Episcopo; nonnulli *Rogatistæ* à Rogato Episcopo in Mauritania Cæsariensi; cæteri *Montenses*, seu *Rupitani*, qui circa Romam in speluncis montium, & rupium hiatibus suos conventus agebant, dicuntur etiam *Campitæ* seu *Campenses*. Huic hæresi affinis fuit illa, quæ appellata est *Circumcellionum*, genus hominum aggreste, qui nedum in alios, sed & in seipsos insanâ feritate sæviebant; nam per varias mortes, maximè præcipitiorum, aquarum & ignium seipsos necabant, ut Martyres viderentur, & alios ad ejusmodi furorem provocabant. Cæterùm cùm illæ sectæ veram apud se duntaxat Ecclesiam subsistere jactitarent, accedentes ad se, etsi alibi baptizatos, iterum baptizabant, quòd cùm alios ut hæreticos haberent, collatum ab eis Baptisma ut irritum, & inane repudiabant: omnes autem perversum illud dogma fulciebant ac tuebantur authoritate doctrinæ S. Cypriani, quem universalis Ecclesia pro sanctissimo Martyre venerabatur.

His prælibatis, majoris claritatis gratiâ rerum dicendarum, unum superest, videlicet ut probemus fidem non esse conditionem requisitam in Ministro, ut validè sacramenta conferat, ac subinde collatum ab hæreticis Baptisma non esse repudiandum.

Conclusio Unica

Fides Ministri non est absolutè necessaria ad confectionem, & ministrationem sacramenti. Hæc est de fide determinata in variis Conciliis, maximè Arelatensi primo sub Sylvestro primo celebratô annô 314. Can. 8. ubi legimus *de Afris*, *quòd propriâ lege suâ utantur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliqui de hac hæresi venerint, interrogent eos nostra fidei Sacerdotes Symbolum: & si crediderint in Patre, Filio, & Spiritu sancto, manus eis imponatur, ut accipiant Spiritum: quòd si interrogati, non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.* Cujus quidem Canonis vim & sui erroris damnationem, ut declinarent Donatistæ, creduntur pro ea voce *de Afris*, supposuisse hanc *de Arianis*; quæ utique suppositio colligitur ex eo quòd Ariana hæresis, Occidentali Ecclesiæ nondum innotuerat annô 314. quô verisimilius est celebratum fuisse primum Arelatense Concilium, quàm annô 326. ut ferunt aliqua Acta ejusdem Concilii.

XIV. Baptisma collatum ab hæreticis esse validum definitur in Conciliis. Arelatensi.

Afri autem Cæciliano Carthaginensi Episcopo adversaores facti sunt schismatici, è schismaticis Anabaptistæ, ex Anabaptistis Trinitarii, qui paulò post orti dictique Ariani, qui idcirco jubentur rebaptizari, quòd in eorum baptismate servata non fuisset debita forma & Trinitatis invocatio. Ita enim constat ex prædictis verbis: *Si ad Ecclesiam aliqui de hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei Sacerdotes Symbolum, & si perviderint eos in Patre & Filio & Spiritu sancto esse baptizatos, manus eis tantùm imponatur ut accipiant: quod si interrogati non responderint hanc Trinitatem baptizentur.*

Nicæno.

Nicænum primum idem statuit; nam, referente sanctô Hieronymô in fine dialogi contra Luciferianos circa finem, prohibuit rebaptizare hæreticos, exceptis Paulinianistis; quia necessariam, & servari solitam formam non usurpabant; ita enim statuit Can. 19. *Siquis confugerit ad Ecclesiam Catholicam à Paulianistis, & Cataphrigis, statutum est eos rebaptizari debere: qui verò Clerici erant apud eos, si inculpati fuerint & irreprehensibiles, iterum etiam ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ.* Et Can. 8. *Si qui voluerint ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis venire, placuit, ut ordinentur, & sic maneant in Clero.* Non jubet autem Concilium ut iterum baptizentur; quoniam baptizabant in debita forma & materia.

Refert etiam *ibidem* sanctus Hieronymus, quòd Episcopi, qui cum sancto Cypriano in tribus præcedentibus Conciliis Carthaginensibus, senserant baptizatos ab hæreticis & schismaticis denuò esse baptizandos, ad antiquam Ecclesiæ consuetudinem reversi priorem sententiam deponentes, novum emiserunt decretum de ipsis hæreticis non rebaptizandis.

Carthag. 1.

Similiter in *Carthaginensi primo*, tempore Julii primi, cùm Episcopus Carthaginensis quæsivisset à suis Collegis, utrum in aqua semel tinctum iterum tingere liceat: Episcopi universi dixerunt: *Absit, illicitas sancimus esse rebaptizationes, & alienas à sincera fide & Catholica disciplina.*

Insuper in *Arelatensi* 2. celebrato annô 330. Arelat. 2.

Can. 16. decernitur *Photinianos, seu Paulianistas secundùm Patrum instituta baptizari oportet.* Can. autem 17. decernitur *Bonosianos autem ex eodem errore venientes, quos ut Arianos baptizare in Trinitate manifestum est, dum interrogati fidem nostram totô corde confessi fuerint, cum chrismate & impositione manûs in Ecclesia recipi sufficit.*

Capuensi.

Idem definitum est in Concilio *Capuensi*, seu Capuano celebrato circa annum 377. cujus fit mentio apud sanctum Ambrosium epistolarum lib. 1. epistolis 5. & 9. Similiter & in tertio Concilio Carthaginensi celebrato annô 397. præside Aurelio Carr. Episcop. Decernitur enim Can. 38. *Illud quoque suggerimus mandatum nobis, quod in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, non liceat fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes.*

Florentino, Et Tridentino.

Tandem hæc veritas definita est in Conciliis Florentino & Tridentino, Tridentinum sess. 7. Can. 4. de Baptismo sic definit: *Si quis dixerit Baptismum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum, anathema sit.*

XV. Probatur ex variis figuris veteris Testamenti.

Probatur primò hæc veritas à sancto Augustino, & Optato, ex variis figuris veteris Testamenti, quibus præsignatur sacramenta extra Ecclesiam valere. *Primo* namque Ecclesia figuratur per Paradisum terrestrem, & aqua baptismalis per famosum illum fontem & fluvium, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, & inde dividebatur in quatuor capita: nam, inquit sanctus Augustinus lib. 2. contra Cresconium, cap. 13. *Sicut aqua in aliquo ex illis memorabilibus, negari non potest quòd sit aqua paradisi, quamvis non sit in solo Paradiso, quæ etiam extra inde manavit: ita aqua Baptismatis, quamvis Ecclesiæ sit, tamen etiam foras profluit, cùm apud illos invenitur, qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.*

Secunda figura petitur ex aquis diluvii: nam, inquit sanctus Augustinus lib. 6. de Baptismo cap. 39. Aqua diluvii constitutis intra arcam salutaris fuit, extra arcam verò mortifera; eadem tamen fuit. Cur ergo, *inquit*, non suscipiunt aliquid cœleste, vel schismatici, vel hæretici? sicut spinæ, sive zizania pluviam, sicut ipsi, qui extra arcam fuerunt, aquam de cataractis cœli venientem susceperunt quidem ad perniciem, non ad salutem.

Tertia peti potest ex filiis Jacobi, quorum aliqui ex legitimis uxoribus, alii autem ex ancillis nati, ad eandem tamen hæreditatem vocati sunt: Unde sanctus Augustinus quæst. super gestis cum Emerito: *De Iacob*, inquit, *novimus in unam hæreditatem advocatos, simul numerati sunt omnes Patriarchæ duodecim: nullum ab altero uteri diversitas separavit: quia omnes charitas sociavit: quid interest ergo ubi Baptismum acceperis? Noli superbire, veni ad hæreditatem.*

Quarta petitur ex illo *Num.* 16. ubi legimus quòd cùm terra absorberet Core, Dathan, & Abiron cum aliis schismaticis adversus Moysem & Aaron rebellantibus; thuribula, quibus incensum Domino offerebant, non sunt absorpta, sed præcipiente Dominô ex eis ductæ sunt laminæ repositæ in angulis arcæ Testamenti. Quod utique signû est, quòd licèt reprobentur schismatici, non improbantur tamen collata àb eis sacramenta: unde Optatus lib. 6. Cùm, *inquit*, eosdem peccatores absorberet terra, remanserunt de manibus eorum excussa thuribula, & factæ sunt inde laminæ, & positæ in angulis arcæ Testamenti: quia nomen Dei illic invocatum fuerat; ita licèt reprobandi sint schismatici, non tamen sunt repudianda sacramenta ab eis collata, quia illic invocatum est nomen sanctissimæ Trinitatis.

Quinta denique peti potest ex Samaritanis, qui erant inter Judæos sicut hæretici & schismatici inter Christianos, & apud utrosque vigebat Circuncisio quemadmodum Baptismus viget apud nos: sed Circuncisio Samaritanorum non repetebatur, cùm aliquis ex eis accedebat ad Judæos: Nam, inquit sanctus Augustinus epist. 203. quæ est ad Maximinum Episcopum Donatistam; *si vellet Samaritanus, quem Samaritani circuncidérant, fieri Iudæus, vacaret certè iterationis audacia, & id quod apud hæresim factum erat, quod præceperat Deus, non repetere, sed approbare cogeremur.* Unde concludit: *Quòd si in carne circuncisi hominis, non invenirent locum, ubi circuncisionem repeterent, quia unum est illud membrum; multò minùs invenitur locus in uno corde, ubi Baptismus Christi repetatur: ideo qui duplicare Baptismum vultis, necesse est omnino, ut corda duplicia requiratis.*

XVI. Idem decernunt summi Pontifices Stephanus primus.

Probatur secundò, authoritate summorum Pontificum, qui veritatem illam docuerunt: imprimis verò ex Stephano primo in epistola, quam rescripsit ad sanctum Cyprianum, & collegas Episcopos Africanos, qui desinierant rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos: quanquam enim illius epistola integra non extet, tamen illius partem legimus apud Cyprianum in epistola ad Pompeium, ubi refert Stephanum scripsisse: *Si quis à quacunque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur, sed teneatur quod traditum est; ut manus illi imponatur in pœnitentiam: cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes, non baptizent, sed communicent tantùm.* Quam utique sanctionem sic egregiè commendat Vincentius Lirinensis cap. 9. ubi scribit: Cùm undique ad novitatem rei cuncti reclamarent (nempe rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos) atque omnes quaquaversum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tum beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ sedis Antistes cum cæteris quidem collegis; sed tamen præ cæteris restitit; dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret, quantùm authoritate superabat.

Denique in epistola, quæ tunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit: *Nihil novandum, nisi quod traditum est*: intelligebat enim vir sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quâ fide à Patribus suscepta forent, eâdem fide consignarentur filiis, nosque religionem, non quâ vellemus ducere, potius quà duceret illa sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus & solidus? Retenta est sacramenti antiquitas, & explosa novitas.

Siricius primus.

Idem statuerunt alii summi Pontifices, maximè *Siricius* primus epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 1. *Significasti*, inquit, *baptizatos ab Arianis plurimos ad fidem Catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris baptizare velle, quod non licet, cùm hoc fieri &*

Apostolus vetet, & Canones contradicant; & post Ariminense Concilium missa ad Provincias à Prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant; quod & nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, ut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritûs, Episcopalis manûs impositione Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit, à quo tramite vos quoque posthac minimè convenit deviare, si non vultis à nostro Collegio Synodali sententiâ separari.

Gregorius Magnus, &c.

Idem statuit *Innocentius I.* epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ cap. 4. *Leo Magnus* epist. 79 ad Nicetam cap. 7. *Anastasius II.* epist. ad Anastasium Imperatorem, cap. 7. & *Gregorius Magnus* lib. 9. epist. 61. ad Quirinum, & alios Hiberniæ Episcopos: Ab antiqua, *inquit*, Patrum institutione didicimos, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manûs, aut professione fidei revocentur. Unde *Arianos* per impositionem manuum Occidens, per unctionem sancti Chrismatis Oriens reformat ad ingressum Ecclesiæ: *Monophysitas*, & alios ex sola vera confessione recipit, qoia sanctum Baptisma, quod apud hæreticos consecuti sunt, tunc in eis vires mundationis recipit. Hæretici verò, qui non baptizantur in nomine Trinitatis, ut *Bonosiani*, & *Cataphryga*; quia illi, qui sunt, non credunt, & isti Spiritum sanctum perversô sensu quemdam esse pravum hominem Montanum credunt, & alii tales, cùm ad Ecclesiam veniunt, baptizantur; quia Baptisma non fuit, quod in Trinitatis nomine non acceperunt. *Nestoriani* verò, qui in sanctæ Trinitatis nomine baptizantur, sed eos Judaicæ perfidiæ similes, Incarnationem non credentes, hæreseos error obscurat; ideo venientes ad Ecclesiam, de fidei veritate, & confessione docendi sunt, &c.

XVII. Objiciuntur Canones Apostolorum.

Objicies primò varios Conciliorum Canones, quibus præcipitur hæreticos ad Ecclesiam accedentes esse baptizandos, & ordinandos, eorumque Baptismus, & Ordinatio reprobatur. Sic sanxerunt Apostoli Can. 26. his verbis: *Episcopum aut Presbyterum suscipientem hæreticorum Baptisma damnari præcipimus.* Et 47. *Episcopus aut Presbyter, si eum, qui secundùm veritatem habuerit Baptisma, denuò baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, ut deridens crucem, & mortem Domini; nec veros Sacerdotes à falsis discernens.* Et Can. 68. *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus secundam ordinationem susceperit ab aliquo, deponatur tam ipse, quàm qui ipsum ordinavit, nisi fortè constet eum ab hæreticis ordinationem habere: qui enim à talibus baptizati sunt, aut ordinati, nec fideles, nec Clerici esse possunt.*

Et Nicæni Concilii.

Similiter in Nicæno Can. 8. statuitur de his, qui se nominant *Cataros* i. e. *mundos*; Si qui venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manûs accipientes, sic in Clero permaneant; vel ut habet Editio secunda ejusdem Concilii: *Si qui venerint ad Ecclesiam ex Novatianis, placuit, ut ordinentur, & sic in Clero maneant:* igitur licèt eorum Baptisma admittat Ecclesia, tamen ordinationes ut illicitas, & irritas reprobat. Item ex Can. 95. sextæ Synodi in Trullo: *Venientes ad Ecclesiam ab hæresi baptizamus.* Denique, id sancitum fuit in Carthaginensi sub Agripino, & tribus Carthaginensibus sub S. Cypriano, nec non Iconiensi sub Firmiliano, constat decretum fuisse baptismum ab hæreticis collatum esse nullum.

Ex Sextæ Synodi.

Ex Conciliis Africanis.

Explicantur Canones Apostolorum.

Nego consequentiam, & ad Canones Apostolorum respondeo: Baptismus ab hæreticis collatus, qui non servant solitam Ecclesiæ formam, ut faciebant veteres hæretici, sicut refert S. Irenæus lib. 1. contra hæreses cap. 18. reprobatus est ut irritus & nullus, concedo: Baptismus collatus ab hæreticis in debita forma, & materia, nego: licèt enim Baptismus ille ab adulto susceptus, ministeriô hæreticorum, plerumque sit illicitus, & infructuosus, propter pravam suscipientis dispositionem, tamen est validus.

XVIII. Et Concilii Nicæni.

Ad Canonem Nicæni respondeo, per eam manûs impositionem, non intelligi ordinatoriam, sed confirmatoriam, quæ præscribebatur Clericis Novatianorum; quia Novatiani non sacrum Chrisma, proindeque nec Confirmationis sacramentum admittebant, ut refert Theodoretus lib. 3. hæreticarum fabularum.

Vel dico, illam manûs impositionem non fuisse consecratoriam, sed tantùm reconciliatoriam, scilicet benedictionem, per quam Clerici priùs ad Ecclesiastica munia inhabiles, ad eadem obeunda recipiebantur. Quæ utique explicatio verior apparet: *Tum quia* sic Canonem explicat sanctus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, qui negabant Arianos cum suis honoribus recipiendos esse; scribit enim: Nicæna Synodus omnes hæreticos suscipit, exceptis solis Samozateni Discipulis; quod jus majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus sit, Præbyterii gradum servat. *Tum quia* in Nicæna secunda *Act.* 1. cùm ambigeretur, utrum Episcopi Iconoclastæ recipi deberent, & lectus esset præfatus Canon Nicæni; Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus rogatus, quid per illam manûs impositionem intelligeret: respondit, *fortè benedictionem esse tantùm, non ordinationem*, ubi vox illa *fortè* videtur irrepsisse Interpretis incuriâ. *Tum denique*, quia in eadem Synodo & actione concluditur, ex sententiis SS. Patrum Clericos redeuntes ad Ecclesiam ab hæresi, recipiendos esse cum impositione manuum, & suis gradibus & honoribus restituendos; unde Episcopi Iconoclastæ, qui in Ephesino Conciliabulo imagines damnaverant cum aliis Patribus consederunt, datis priùs, & lectis suæ confessionis & fidei libellis.

XIX. Et Trullanæ Synodi.

Ad Canonem Trullanum respondeo, per eum duntaxat repudiari Baptismum collatum ab hæreticis in indebita forma; non verò quòd ab hæreticis sit acceptum; sic enim in eo Canone præscribitur: *Venientes ad Ecclesiam hæreticos suscipimus secundùm morem & ordinem antiquorum. Arianos, Macedonianos, & Novatianos, qui se puros vocant, TETRADISTAS, & APOLLINARISTAS, suscipimus, si libellos afferant, & execrentur quamvis hæresim. De PAULIANISTIS constitutio ab Ecclesia Catholica facta est, ut omnino rebaptizentur Eunomiani, qui sub una mersione baptizant, Montanistas, & Sabellianos, & reliquas pestes, qui è Galatarum regione profecti sunt, venientes ad Ecclesiam, non secus ac Gentiles suscipimus, & primò die ipsos facimus Christianos, secundò Catechumenos, tertiò ipsos anthoramus, postquam ter insufflavimus in faciem & aures, sic illos initiamus, facimusque ut in Ecclesia [...]merentur, & audiant Scripturas, & tunc illos baptizamus: Manichæos verò, Valentinianos, Marcionistas, & similes, libellos oportet facere, & execrari hæresim, & Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Severum, & reliquos hæ-*

resum principes, & ita participes esse sanctæ communionis. A

XX. Et Conciliorū Africanorum.

Ad cætera Concilia, nempe *Iconiense, & Carthaginensia*, respondet sanctus Augustinus lib. 2. de Baptismo, cap. 3. illa fuisse Concilia Provincialia, quæ postmodum per generale totius orbis Concilium proscripta sunt. *Ipsa*, inquit, *Concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflante cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana.* B

Adde quòd etiam ipsemet S. Cyprianus haud dubiè mutatâ sententiâ, Concilia illa damnasset, si eorum Decreta ab universali Concilio proscripta accepisset. Porrò plurima post ipsum Oecumenica Concilia approbaverunt Baptisma collatum ab hæreticis; ac subinde nulla vis est facienda in authoritate S. Cypriani hac de re, nec in Conciliis ab eo celebratis.

Unde sanctus Augustinus lib. 2. de Baptismô cap. 8. & 9. Cyprianus, *inquit*, in fine epistolæ ad Quintum, ostendit in quo, tanquam lectulo authoritatis, quasi fessus acquieverit: Quod, *inquit*, Agripinus cum cæteris Coepiscopis statuit, & librata Concilii communis examinatione firmavit, nos etiam securi sumus. Hâc attestatione satis ostendit, multò magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum esset, Nondum autem factum erat: quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hoc solum opponebatur inducere volentibus novitatem: posteà tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non solùm inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii authoritatem roburque producta post Cypriani passionem, sed antequàm nati essemus. C

XXI. Falsum est Anastasium divinitùs esse percussum quòd approbasset baptisma hæreticorum.

Objicies secundò: Anastasius summus Pontifex divinâ ultione percussus est, quòd admiserit baptizatos ab hæreticis; nam in Gratiano dist. 19. cap. 9. legimus: *Quia voluit occultè revocare Acacium, & non potuit, nutu divinò percussus est.* Adde & quia probavit sacramenta ab ipso collata, ut patet ibidem cap. præcedenti, ubi refertur idem Anastasius epist. 1. cap. 7. & 8. ad Anastasium Augustum ita scribens. *Secundum Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quòd nullum de his, quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, sive Levitas secundùm Canones ordinavit, ulla ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quò forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minùs firma videatur.* D

Respondeo, Gratianum deceptum esse occasione vitæ Anastasii excerptæ ex Pontificali Romano, unde hanc authoritatem deprompsit, & in quo legimus: *Anastasius secundus, natione Romanus, fuit temporibus Theodorici Regis; eò tempore multi Clerici & Presbyteri se ab ejus communione abegerunt, eò quòd communicasset sine consilio Episcoporum, vel Presbyterorum & Cleri Ecclesiæ Catholicæ Diacono Thessalonicensi, nomine Photinô, qui communicaverat Acacio, & quia occultè voluit revocare Acacium, & non potuit, nutu divinò percussus est:* Hæc autem narratio prorsus fabulosa est, & verum figmentum à schismaticis Laurentianis ad vitam Anastasii additum: quod vel inde satis ostenditur, ut notat Glossa ad præfatum caput, quia Anastasius dicitur voluisse revocare Acacium, qui longè antè obierat: nam ex Evagrio lib. 31. cap. 23. & Nicephoro lib. 16. cap. 12. Acacius obiit tempore Felicis tertii, qui ipsum excommunicaverat; Felici autem successit Gelasius, & Gelasio Anastasius. Quomodo ergo potuit Anastasius de eo revocando cogitare, quem jam sciebat mortuum? nam ipsemet in præfata epistola ad Anastasium scribit, *Acacium mortuum stare cum Felice ante Iudicem Christum.* E

Neque etiam culpandus apparet, quasi consenserit Anastasio Imperatori, cæterisque defensoribus Acacii, ut scribit Justinus Imperator epist. ad Hormisdam summum Pontificem: nam Symmachus Anastasii successor in suis litteris Apologeticis significat, hoc esse commentitium; ibidem enim ait, se conformiter agere suis decessoribus excommunicando defensores Acacii: quod certè non faceret, si illius prædecessor Anastasius eos fovisset.

Illius enim sententia & doctrina omnino fuit Catholica.

Neque tandem damnandus apparet; quòd probaverit sacramenta collata ab Acacio; id enim præstitit, quoniam sacramenta illa in legitima forma, & materia ministraverat Acacius; ac subinde non erant rejicienda: quod utique probat sex rationibus: *Primâ*, quia in sacramentis virtus Christi operatur, quæ omnem maculam repellit. *Secundâ*, de radiis solis, qui etsi transeant per loca fœtida, tamen non coinquinantur. *Tertiâ*, de Juda, qui licèt malus fuisset, multa tamen fecit, quæ rata sunt habita. *Quartâ*, de authoritate Domini, qui præcepit verba Scribarum, & Pharisæorum servanda, & implenda. *Quintâ* ratio, quòd omne bonum à quocumque fiat, fit à Deo. *Sexta* denique, quia in sacramentis, non est attendendum, qualis, vel quis conferat, sed quid conferat; quia incrementum solus Deus præbet. Hæc autem omnia Catholicam doctrinam continent, ac proinde est absurdum existimare Pontificem Anastasium propter illa divinitus fuisse percussum.

XXII. Objiciuntur decreta SS. Pontificum S. Leonis.

Objicies tertiò: Eâdem distinctione cap. 1. refertur authoritas sancti Leonis Magni petita ex epist. 37. ubi scribit: *Manifestum est per crudelissimam, insanissimamque sævitiam Dioscori, & aliorum Hæreticorum in Alexandrina cæde omne cœlestium sacramentorum lumen extinctum esse: intercepta est enim sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, & parricidis manibus impiorum, omnia se subtraxere mysteria:* Ergo censet penes hæreticos non remanere jus ministrandi, & conficiendi sacramenta.

Pelagii.

Similiter Pelagius Papa, ut ibidem cap. *Schisma* quæst. 1. ait: *Non est Christi corpus, quod schismaticus conficit, si veritate duce erigimur.* Præmiserat autem: *Qui spiritum non habent corporis Christi sacrificium habere non possunt.*

Innocentii primi.

Item ex Innocentio I. qui epist. 18. ad Alexandrum decernit, quòd etsi valeat baptisma Arianorum, tamen irritæ sint & nullæ eorum ordinationes. *Non videtur*, inquit, *Clericos Arianorum cum sacerdotio ministerii cujuspiam suscipere dignitatem, quoniam quibus solum baptismum ratum esse permittimus, prælationem spiritûs, quam acceperant, amiserunt, nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maximè in Ordinibus operatur.* Quam utique constitutionem ponderans Pertus Damianus Opusculo 6. cap. 22. scribit. *In quibus decretalibus verbis manifestè datur intelligi, quod in promotionibus*

Clericorum non immeritò fides ordinantis attenditur, ex qua videlicet pendet ut ordinatio ipsa sive rata, sive irrita judicetur.

Urbani II.

Denique 1. q. 7. cap. *Daïbertum*. Ex Urbano II. Daibertum à Nezelone licèt simoniaco, non simoniacè ejusdem confessione reperimus in Diaconum ordinatum, & beati Innocentii Papæ sententiâ constat declaratum Nezelonem ab hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit, nos tanti Pontificis authoritate firmati, & Damasi Papæ testimonio roborati, qui ait, *reiterari oportet quod malè actum est*: Daibertum ab hæreticis corpore & spiritu digressum ex integro Ecclesiæ necessitate ingruente Diaconum constituimus; quòd non reiterationem existimari censemus, sed integram Diaconii dationem; quia, ut diximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit: igitur ex sententia summorum Pontificum collatio sacramentorum ab hæreticis est invalida.

Solvuntur & explicantur.

S. Leo.

Nego consequentiam, & ad primum dico, S. Leonem loqui duntaxat de licita, non autem de valida Mysteriorum & sacramentorum administratione; cùm enim propter illam cædem omnes Præsules, qui Nestorio favebant, incurrissent excommunicationis sententiam, non licebat eis amplius divinis interesse ministeriis, ac mysteriis.

Pelagius.

Ad Pelagium autem dico, non est Christi corpus, quod schismaticus conficit, quantùm ad mysticam significationem, quâ sacramentum Eucharistiæ repræsentat unitatem Ecclesiæ membrorum, tam inter se, quàm cum suo capite, ex quibus fit unum corpus mysticum, quod est Ecclesia, juxta illud Apostoli, *Unus panis, unum corpus, multi sumus, qui de uno pane participamus*, concedo; nam hæc unitas cùm à schismatico scindatur, ac divellatur, non potest repræsentari per confectam ab illo Eucharistiam: non est Christi corpus, quantùm ad veritatem sacramenti, quasi schismaticus Sacerdos non haberet amplius authoritatem & virtutem conficiendæ Eucharistiæ, nego.

Innocentius.

Ad Innocentii authoritatem distinguo; solùm baptisma Arianorum ab eo validum habetur non autem ordinatio quantùm ad honorem & dignitatem, concedo; quia ab illis baptizati post peractam pœnitentiam recipiebantur in cœtum fidelium, & erant idonei ad alia sacramenta suscipienda etiam ad sacros Ordines; secus verò de iis qui ab eis fuerant ordinati, quibus honor non servabatur, sed redigebantur in ordinem Laicorum, neque post suam reconciliationem permittebantur fungi suis muneribus ac ministeriis: quantùm ad characterem, quasi imprimeretur in baptismate collato ab hæreticis, non autem in ordinationibus ab eis factis modô debitô, nego: nec aliud certè voluit Innocentius, ut constat ex Epist. 12. quæ est ad Episcopos Macedoniæ, cap. 4. ubi scribit: *Nostra lex est Ecclesia, venientibus ab hæreticis, si tamen illi baptizati sint, per manûs impositionem tantum Laicam tribuere communionem, nec ex iis aliquem in Clericatûs honorem vel exiguum subrogare.*

Eâdem solutione fit satis authoritati S. Petri Damiani. Ibi enim distinguit hæreticos duplicis ordinis, quorum aliqui peccabant in fidem, non tamen à fide recedebant, sicut Novatiani: alii autem recedebant à fide ut Ariani. De hæreticis primæ classis dicit eorum ratam esse ordinationem, & illos in Ecclesia recipi cum suis honoribus A & gradibus. De Arianis autem, dicit irritam esse illorum ordinationem, nec eos in Ecclesia cum suis honoribus admitti, quod utique probat authoritate præfatâ Innocentii.

Urbanus II.

Ad factum *Daiberti* ordinati à Nezelone Moguntino Archiepiscopo Simoniaco, ipsemet Urbanus II. qui eum ordinavit iterum, dicit priorem ordinationem æstimandam est ex sententia Innocentii Papæ, & testimonio Papæ Damasi. Porrò secundùm utriusque Papæ sententiam, hæreticorũ ordinatio legitimè facta, est non iteranda. Unde Daibertus ab Urbano reordinatus est, quia Nezelon eum vel in Ecclesiæ forma non ordinaverat; B vel non habuerat ordinandi potestatem; sicque illa ordinatio prorsus erat irrita, non defectu fidei, sed ordinis & characteris Episcopalis: quemadmodum statuit Damasus epist. 4. ubi decernit ordinatos ab hæreticis, iterum ordinandos, si præter Ecclesiæ formam & ritum, aut à non habentibus ordinandi potestatem fuerint ordinati; loquitur enim de iis, qui à Chorepiscopis quibusdam, qui non erant Episcopi, fuerant ordinati; unde circa finem reddit rationem, cur hi non potuerint ordinare: Quia, inquit, qui Pontificalem honorem non habuit, Pontificalia jura tribuere non potuit.

XXIII. Objiciuntur SS. Patres.

Objicies quartò aliquos è SS. Patribus, qui C videntur improbasse Baptismum ab hæreticis collatum: *Primò* quidem Dionysium Alexandrinæ urbis Episcopum; qui, ut testatur sanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Cypriani & Africanorum dogma consentiens, de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas in quibus hoc dogma tuebatur. *Item S.* Athan. serm. 3. contra Arianos videtur reprobare Baptisma ab Arianis collatum: *Ariani*, inquit, *in periculum veniunt, ne admittant integritatem mysterii: loquor autem de Baptismate, sic enim in nomine Patris & Filii, datur profutura initiatio: Patrem autem verum illi non pronuntiant, eò quod negent aliquid ex ipso existere, & simile esse illius sub*D*stantia: negant quoque verum filium, aliumque ex non entibus conditum sibi comminiscentes in Baptismate proferunt: quomodo igitur non planè vanum, ac inutile fuerit Baptisma, quod ab illis datur, cùm id nonnisi species sit, & inane simulachrum, ipsique eâ re nihil solida opis afferant ad pietatem?*

Dionysius Alexand.

S. Athanasius.

Cyrillus.

Deinde sanctus Cyrillus Jerosolymitanus in Præfatione ad suas Catecheses, ait: *Non licet bis aut ter hoc lavacro uti; unus enim Dominus & una fides, & unum baptisma; nam soli hæretici rebaptizantur.* Et Optatus Milevit. lib. 1. ante medium. *Scimus hæreticorum Ecclesias singulorum prostitutas* E *nullis legalibus sacramentis, & sine jure honesti matrimonii esse.* Et infrà: *Dixisti fieri non posse, ut falsò baptismate inquinatus abluat, &c.*

Optatus.

Tandem sanctus Bernardus serm. 66. in Cantica loquens de quibusdam hæreticis, negat eos habere potestatem conficiendi corpus Christi Domini: igitur SS. Patres censent nulla esse sacramenta ab hæreticis collata.

Fit satis authoritati S. Dionysii.

Nego conseq. & ad primum dico, S. Dionysium aliquandiu stetisse in ea sententia, quòd authoritatem Conciliorum Iconiensis, Synadensis, & similium damnare non auderet: At in illa sententia diu non stetit; quippe sequester & supplex accessit, & scripsit ad Stephanum summum Pontificem, pro reconciliandis ei Orientalibus Episcopis: quod utique signum est eum hac in re, non fuisse pertinaciter Stephano obluctatum.

A *His adde*, quòd ipſemet conſuluerit Sixtum Stephani ſucceſſorem, utrum rebaptizare deberet ſenem quemdam ab hæreticis baptizatum, qui eorum Baptiſma execratus à Catholicis baptizari poſtulabat, ut conſtat ex ejus epiſtola apud Euſebium lib. 7. Hiſtoriæ cap. 8. Sic autem non ſe geſſiſſet Dionyſius, niſi ſententiam Stephani fuiſſet amplexus, & opinionem Africanorum Epiſcoporum deſeruiſſet: nam alioqui incunctanter hunc hominem baptizaſſet, maximè cùm ex eo acciperet præter Eccleſiæ formam ab hæreticis fuiſſe baptizatum.

Athanaſii. *Ad ſecundum* diſtinguo majorem: Baptiſmus ab Arianis collatus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, vanus eſt & inutilis, quantùm ad primarium effectum, nempe gratiam, concedo: B quantùm ad ſecundum effectum, nempe characterem, nego: Quòd autem ſic exponendus ſit ſanctus Athanaſius, conſtat ex his verbis, *in periculum veniunt, ne amittant integritatem myſterii*; ſi enim reverà irritum eſſet eorum Baptiſma, quantùm ad omnes effectus, non dicerentur in periculum venire amittendæ integritatis myſterii, ſed abſque ulla dubitatione dicerentur talem integritatem amittere. *Vel dico* ipſum loqui de Arianis, qui licèt Patris & Filii nomen exprimerent, fortè eis addebant nomina Creatoris, & creaturæ, Factoris & facturæ; unde ſubdit: *Non in Patre & Filio tribuunt Baptiſma Ariani, ſed in Creatore, & creatura, in Factore & factura: ſicut* C *igitur creatura quiddam diverſum eſt à Filio, ita diverſum quiddam à vero Baptiſmate eſt, quod ab ipſis exiſtimatur dari.*

Et Cyrilli. Ad S. *Cyrillum*, & *Optatum* reſpondeo, quòd abſque ulla diſtinctione dicant, hæreticos eſſe extraneos à Catholicis ſacramentis, & eos eſſe rebaptizandos; quia priùs eorum baptiſma nullum erat: attamen cum diſtinctione ſunt intelligendi, nempe de hæreticis, quos exiſtimabant peccare in forma: Optatus enim lib. 5. apertè docet, poſt

Et Optati. Trinitatem non licere in Trinitate baptizare: *Quid*, inquit, *vobis viſum eſt, non poſt nos, ſed poſt Trinitatem baptiſma geminare? cujus de ſacramento non leve certamen innatum eſt, & dubitatur an poſt Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere: Vos dicitis, licet, nos dicimus, non licet: inter licet veſtrum, & non licet noſtrum, nutant animæ* D *populorum.*

Et S. Bernardi. *Ad S. Bernardum*: Dico eum ibi loqui de quibuſdam hæreticis, qui Apoſtolicos ſe nominabant, qui cùm non eſſent Sacerdotes ordinati, ut colligitur ex eo quòd nominet eos ruſticanos, idiotas, & prorſus contemptibiles, dicatque eos detrahere ordinibus Eccleſiæ, & æſtimare omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos & Presbyteros eſſe peccatores. Cùm, inquam, non eſſent ordinati, nihilominus Manichæorum hæreſim excitantes ciboſque communes aſpernantes ut immundos & indignos qui trajicerentur in Chriſtianum ſtoma- E chum, aſſerebant ſe poteſtatem habere quotidie in menſa ſua conſecrandi corporis Chriſti, ut ſe in corpus & membra Chriſti nutrirent & foverent.

Objicies quintò: Sententia de recipiendo ab hæreticis collato Baptiſmate, nullô legitimô fundamentô nititur: igitur non eſt alteri præferenda. Probatur antecedens: Eccleſiaſtica dogmata fundari debent, vel in Scriptura ſacra, vel in Evangelica, & Apoſtolica Traditione: at ita non eſt de hac ſententia; ſiquidem nullis Scripturæ teſtibus apertè declaratur: non etiam nititur legitimâ Traditione: omnis enim legitima Traditio, de Dominica, vel Apoſtolica authoritate deſcendit: at ita non eſt de illa Traditione, quam Stephanus Pontifex oſtendebat: nuſquam enim in Evangelio, aut Apoſtolorum Epiſtolis, vel Actibus habetur, ſuſcipiendos eſſe hæreticos baptizatos cum ſola manuum impoſitione: igitur humana duntaxat erat illa Traditio, cui propterea meritò reluctabatur ſanctus Cyprianus cum Africanis Epiſcopis.

Nego antecedens, & minorem illius probationis: Traditio enim illa eſt verè Apoſtolica; nam, ut præclarè docet ſanctus Auguſtinus *lib. 4. de Baptiſmo cap. 24.* Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolicâ traditum, certiſſimè creditur, ac rectè baptizatos, à quavis hæreſi venientes ad Eccleſiam, abſque novo Baptiſmate recipiendos, antiquiſſima conſuetudo ſemper & ubique tenuit ante Stephanum, & ea nulla ſancita Conciliô, ſed unanimi totius Eccleſiæ conſenſu; nam ipsô teſte Cyprianô, firma fuit ante Agripinum, & hic eam primus correxit, ſeu potius corrupit, neque novitas inducta per Agripinum ubique recepta fuit, nec ab Agripino viguit apud Africanos ad Cyprianum uſque, ſicuti ſupra diximus. *Et anteà cap. 6.* Non invenimus aliquem, cùm apud hæreticos baptizatus eſſet, in eo Baptiſmo admiſſum eſſe, & communicaſſe temporibus Apoſtolorum: at nec invenimus ab hæreticis aliquem venientem, qui fuerit apud illos baptizatus, ab Apoſtolis denuò baptizatus. *Et ibidem*: Quod accepimus ab Apoſtolis, quod Eccleſiæ conſuetudo ſemper tenuit, quod plenarium Concilium confirmavit, hoc ſequimur.

XXIV. Traditione Apoſtolica conſtat non eſſe rebaptizandos hæreticos.

Et 2. de Baptiſmo cap. 6. Nolite nobis objicere authoritatem Cypriani ad Baptiſmi repetitionem, ſed tenete nobiſcum exemplum Cypriani ad unitatis conſervationem; nondum erat diligenter illa Baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen celeberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia; in ipſis quoque ſchiſmaticis & hæreticis corrigere quod pravum eſt, non iterare, quod datum eſt; ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod ſanum eſt: quam conſuetudinem credo, ab Apoſtolica Traditione venientem.

Vi optimè demonſtrat S. Aug.

His adde, quòd tam Cyprianus ipſe, quàm ejus collegæ in Concilio apertè agnoverint conſuetudinem, & Traditionem Eccleſiaſticam ſibi adverſari; ſiquidem pluries inculcant conſuetudinem debere veritati cedere; nam ibi Liboſus Vagenſis Epiſcopus ſententiam ſuam ferens, ait: *In Evangelio Dominus, Ego ſum, inquit, veritas, non dixit, ego ſum conſuetudo; itaque veritate manifeſtatâ, cedat conſuetudo veritati.* Et Caſtus Sicenſis: *Qui contemptâ veritate præſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres invidus eſt, & malignus, quibus veritas revelatur: aut circa Deum ingratus eſt, cujus inſpiratione Eccleſia ejus inſtruitur.* Idem proferunt alii plurimi Epiſcopi in eodem Concilio, ut videre eſt apud ſanctum Auguſtinum lib. 3. de Baptiſmô, cap. 7. & ſequentibus.

Vrgebis: Illa traditio cenſeri non poteſt Apoſtolica, cujus contraria vigebat apud plurimas Eccleſias: ſed ita eſt: nam conſuetudini de recipiendis ab hæreſi venientibus abſque novo Baptiſmate contrariam conſuetudinem objicit Firmillianus Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus in ſua epiſt. ad ſanctum Cyprianum, ubi cùm dixiſſet

Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videmur opponere veritati, quis tam vanus sit, ut veritati consuetudinem præferat: aut quis perspectâ luce tenebras non derelinquat, nisi etsi Judæos Christô adveniante, id est, veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quòd relictâ novâ veritatis viâ, in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum, vos dicere Afri potestis, cognitâ veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse: statim subdit. *Cæterùm nos veritati & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initiô hoc tenentes, quod ab Apostolis nec meminimus hoc apud nos cœpisse; cùm semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus, & sanctum Baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus.*

XXV. Insuper S. Cyprianus epist. ad Jubajanum: *Non nova*, inquit, *apud nos aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt; quando multi jam anni sunt, & longa ætas, ex quo sub Agripino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt:* Igitur illa consuetudo, quâ nitebatur S. Stephanus Romanns Pontifex; non erat Apostolica, neque universalis.

Perperam consuetudinem & traditionẽ sibi patrocinari censebant SS. Firmilianus & Cyprianus.

Distinguo minorem: Objiciebat consuetudinem reverà ab Apostolis traditam de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati non fuerant in debita forma & materia, concedo: qui legitimâ formâ, & materiâ ab hæreticis Baptisma susceperant, nego.

XXVI. *Ad Firmilianum* autem dico, ipsum studiô partium, & animi livore percitum, quòd à Stephano summo Pontifice unà cum suis Collegis excommunicatione fulminatus esset, plura in ipsa epistola ad Cyprianum comminisci, quæ non solùm à veritate erant omnino aliena; sed etiam apertam rerum Ecclesiasticarum ignorantiam præ se ferebant. Nam *ibidem* asserit Hermogenem, Cerinthum, & Basilidem, post longam ætatem ab Apostolorum tempore vixisse; cùm tamen ex S. Ignatio epist. 5. ad Trallenses, & epist. 10. ad Smirnenses apertissimè constet, prædictos hæreticos fuisse Apostolis coævos. *Ibidem* etiam Romanam Ecclesiam damnat, quòd diversâ die celebraret Pascha ab ea, quam tradiderant Apostoli, quibus apertè Judæis, & Quartodecimanis jam antea ab Eccelia proscriptis favebat. Tandem falsò supponit Stephanum, & Ecclesiam Romanam approbare Baptisma quorumlibet hæreticorum, putà Cataphrygarum, & aliorum, qui non baptizabant etiam in legitima Ecclesiæ forma. Supponit pariter morem viguisse apud Orientales rebaptizandi omnes hæreticos ad Ecclesiam venientes, etiam eos, qui baptizati fuerant in debita forma, & materia; quod omnino erat alienum à veritate.

Plurima proveris falsa supponit Firmilianus.

XXVII. *Ad S. Cyprianum* respondet sanctus Augustinus lib. 3. de Baptismo, cap. 12. ejus sententiam cum proprio illius facto pugnare: Nam, inquit: *Si permanebat ab Agripino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta sunt à Cypriano de hac re Concilia? Ut quid eidem Juliano* DICIT, non se rem novam facere aut repentinam, sed ab Agripino institutam? *Cur enim Jubajanus de novitate turbaretur, ut eum per authoritatem Agripini sanari oporteret, si ab Agripino usque ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus collegæ in Concilio dixerunt rationem & veritatem consuetudini præponendam, ac non potius dixerunt eos, qui aliud facere vellent, & contra veritatem, & contra consuetudinem facere?*

Prætensam illam traditionem optimè refellit S. Aug.

Objiciet sextò. Ex S. Cyptiano: ille non potest valide baptizare, qui non potest dare remissionem peccatorum: sed hæretici non possunt dare remissinnem peccatorum.

XXVIII. *Respondet* S. Augustinus lib. 5. cap. 2. de Baptismo, distinguendo minorem: hæretici non possunt suis sectatoribus dare remissionem peccatorum propter defectum potestatis conferendi Baptismum, quâ remitterentur peccata, negat: propter defectum fidei & charitatis in suscipientibus, concedit: *Proinde*, inquit, *consentimus Cypriano, hæreticos remissionem dare non posse; Baptismum autem dare posse; quod quidem illis & dantibus, & accipientibus valeat ad perniciem, tanquam tantô munere Dei male utentibus: sicut etiam maligni & invidi, quos & intus esse ipse testatur, remissionem peccatorum dare non possunt; cùm eos tamen Baptismum dare posse omnes fateantur.*

Quomodo hæretici possint dare remissionem peccatorum.

Instabat S. Cyptianus: Illi non possunt dare remissionem peccatorum, qui non habent Spiritum sanctum; siquidem Christus D. Joannis XX. dixit: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; hoc cùm dixisset, insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. sed hæretici non habent Spiritum: igitur, &c.

Quamvis non habeant Spiritum sanctum.

Respondet S. Aug. lib. 2. contra epistolam Parmeniani, hoc oraculo significatum iri baptismum non solùm per hominem, sed etiam hominis, esse si posteaquam dixit: *Ecce ego mitto vos*, sobjecisset continuò; *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur: & si cui tenueritis, tenebuntur*; cùm verò interpositum est, hoc *cùm dixisset, insufflavit, & ait illis, Accipite Spiritum sanctum*, & deinde illatum, per eos *vel remissionem, vel retensionem fieri peccatorum*; satis ostenditur, non ipsos id agere, sed per eos utique Spiritum sanctum, sicut aliô locô dicitur: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus, qui in vobis est.* Spiritus autem sanctus in Ecclesiæ præposito, vel Ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur per eum Spiritus sanctus, & ad ejus mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem, vel ædificationem, qui per eum sive consecrantur, sive evangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*, deest quidem saluti ejus, *ut auferat se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*; ministerium tamen ejus non deserit, quô per eum salutem operatur aliorum.

Vrgebat S. Cyprianus: Ille non potest conferre remissionem peccatorum etiam homini bene disposito, qui peccatis inquinatur; etenim Deus peccatorem non audit, & nemo dat, quod non habet.

Respondet sanctus Augustinus ibidem cap. 20. Si ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, *Deus peccatorem non audit*, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidas, id est, per eos qui oderunt Fratres, etiam in ipsa intus Ecclesia. *Cùm dare nemo possit quod non habet*: quomodo dat homicida Spiritum sanctum? Et tamen ipse intus etiam baptizat: Deus ergo dat etiam ipsô baptizante Spiritum sanctum.

Nec utiliter oiens

Instat

Instat sanctus Cyprianus: Non potest spiritualia agere & conferre, qui amisit Spiritum sanctum: sed hæreticus amisit Spiritum sanctum: igitur, &c.

Respondet sanctus Augustinus ibidem cap. 21. Si quisquis sanctum Spiritum dare non potest, baptizare non potest, cur intus baptizat homicida? aut quomodo Spiritum sanctum habet homicida; cùm omnis, qui sanctum Spiritum habet, illuminatus sit; qui autem odit fratrem suum, in tenebris sit usque adhuc?

Objicit septimò S. Cyprianus epist. ad Jubaianum: Qui foris baptizatur, utique id accipit quod credidit; falsum autem credens verum accipere non potuit: sed potius adultera, & profana, secundùm quod credebat, accipit.

XXIX. Hæreticus potest recipere baptismi characterem non verò gratiam.

Respondet sanctus Augustinus lib. 3. de Baptismo, cap. 14. *Non interest cùm de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem: sicut fieri potest, ut integra teneat verba Symboli, & tamen non rectè credat, sive de ipsa Trinitate, sive de Resurrectione, vel aliquid aliud. Neque enim parva res est in ipsa intus Catholica tenere integram fidem; itaut omnino non de aliqua creatura, sed de ipso Deo nihil aliud credat, quàm veritas habet. Nunquid nam ergo si in ipsa Catholica baptizatus, posteà legendo, audiendo, & pacificè disserendo, ipso Domino revelante cognoveris aliter se antè credidisse, quàm debuit, denuò baptizandus est?* Quamobrem, ut rectè observat sanctus Augustinus lib. 6. cap. 1. B. Cyprianus cum suis sectatoribus non aliâ ratione censuit,

Unde error rebaptizantium.

non esse posse apud hæreticos, vel schismaticos Baptismum Christi, nisi quia non distinguebat Sacramentum ab effectu vel usu Sacramenti, & quia ejus effectus atque usus, in liberatione à peccatis & cordis rectitudine non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur.

Objicit octavò epistolâ ad Pompeium: Ecclesia & Spiritus sanctus, & Baptisma ab invicem non possunt separari; & ideò qui ab Ecclesia separati sunt, & à Spiritu sancto, etiam à Baptismo separatos esse oportet.

XXX. Baptismus potest esse validus sine collatione Spiritûs sancti.

Respondet sanctus Augustinus libro 5. de baptismo cap. 23. *Si ita est, cùm quisquis in Ecclesia Catholica Baptismum acceperit, tandiu in ea manet, quandiu in Ecclesia & ipse manet: Si autem inde discesserit, discessit à Baptismo, quod non ita est; nam ideo redeunti non redditur, quia cùm discessit, non amisit; quemadmodum autem Spiritum sanctum, sicut habent filii dilecti, non habent filii mali, qui & tamen Baptismum habent: sic & Ecclesiam sicut habent Catholici, non habent hæretici; & tamen Baptismum habent. Itaque sicut potest Baptisma esse, unde se aufert Spiritus sanctus, ita potest esse Baptisma, ubi non est Ecclesia.*

Objicit nonò S. Cyprianus: Non potest vis Baptismi major esse aut potior, quàm Confessio, quàm passio: sed confessio & passio, seu Baptismus sanguinis hæreticorum non prodest, quamvis Christum confessus extra Ecclesiam fuerit occisus: igitur nec Baptismus prodesse potest.

XXXI. Quare baptismus fluminis prodesse possit sine charitate, non verò baptismus sanguinis.

Respondet sanctus Augustinus lib. 4. de Baptismo, cap. 17. majorem esse veram, quantùm ad effectum sanctificationis; non verò quantùm ad veritatem Sacramenti: Hoc verissimum est, inquit; extra Ecclesiam quippe occisus charitatem non habuisse convincitur, de qua Apostolus dicit: Et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Quòd si propter hoc, quia charitas deest, passio nihil prodest, nec illis prodest, quos in invidia intus & malevolentia sine charitate vivere Paulus dixit, Cyprianus exponit: & tamen verum Baptisma possunt & accipere, & tradere.

Vrget sanctus Cyprianus: Salus extra Ecclesiam non est.

XXXII. Baptismus hæreticis collatus non prodest ad salutem.

Respondet S. Augustinus ibidem: *Quis negat? & ideo quæcunque ipsius Ecclesiæ habentur, extra Ecclesiam non valent ad salutem. Sed aliud est non habere, aliud non utiliter habere. Qui non habet, est baptizandus ut habeat: qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat corrigendus.*

Objicit decimò: Si hæreticorum Baptisma approbatur, hæretici exinde existimabunt se habere veram Ecclesiam, & idcirco ad Catholicam Ecclesiam se se recipere renuent; ait autem: Nec quisquam existimet hæreticos, eò quòd illis Baptisma apponitur, quasi secundi Baptismi vocabulô scandalizatos, ut ad Ecclesiam veniant retardari: immò verò hôc ipsô magis ad necessitatem veniendi testimoniô ostensæ sibi & probatæ veritatis adiguntur. Nam si viderint judiciô ac sententiâ nostrâ id decerni & statui, ut Baptisma justum & legitimum computetur, quô illic baptizantur; putabunt se Ecclesiam quoque, & cætera Ecclesiæ munera justè & legitimè possidere; nec erit causa veniendi ad nos, quando habentes Baptisma, habere videantur & cætera. Porro autem cùm cognoscunt Baptisma nullum foris esse, nec remissam peccatorum extra Ecclesiam dati posse, avidiùs ad nos, & promptiùs properant, & munera ac dona Ecclesiæ matris implorant; certi pervenire se omnino non posse ad veram divinæ gratiæ pollicitationem, nisi priùs venerint ad Ecclesiæ unitatem.

Simile argumentum urgebant Donatistæ, ut refert S. Augustinus lib. 1. de Baptismo, cap. 11. Quærunt etiam, *Vtrum peccata dimittantur per Baptismum in parte Donati:* ut si dixerimus dimitti, respondeant: Ergo est illic Spiritus sanctus, quia cùm insufflante Dominô datus esset Discipulis, tunc secutus est, & ait: Baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei; si cui tenueritis, tenebuntur. Et si ita est, inquiunt, communio nostra est Ecclesia Christi. Non enim præter Ecclesiam, dimissionem peccatorum Spiritus sanctus operatur. Et si nostra communio est Ecclesia Christi, non est Ecclesia Christi vestra communio. Una est enim, quæcunque illa sit, de qua dictum est: *Vna est columba mea, una est matri sua.* Nec possunt Ecclesiæ tot esse, quot schismata. Si autem dixerimus, non ibi dimitti peccata: ergo, inquiunt, non est illic verus Baptismus; & propterea quos à nobis suscipitis, vos baptizare debetis, quod quia non facitis, in Ecclesia Christi vos non esse faremini.

XXXIII. Quomodo S. Cyprianus admittat validum esse baptisma collatum ab hæreticis.

Respondet 1. S. Augustinus lib. 5. de Baptismo, cap. 2. S. Cyprianum ibidem fateri, ab hæreticis baptizatos reverà posse salvari; cùm enim sibi opposuisset S. Cyprianus: *Quid ergo fiet de his, qui in præteritum ad Ecclesiam de hæresi venientes sine Baptismo admissi sunt?* Respondet: *Potens est Dominus, misericordiâ suâ indulgentiam dare, & eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesia sua muneribus non separare.* Quæ verba sic expendit sanctus Augustinus;

Bene quidem præſumpſit, quòd charitas unitatis poſſit cooperire multitudinem peccatorum; quòd ſi habebant Baptiſmum, & de aliis non rectè ſentiebatur; qui eos denuò baptizandos eſſe cenſebant, id erratum cooperiebat unitatis charitas, quandiu inerat iſta non diabolica diſſenſio, ſed humana tentatio.

Argumentum autem ſic illud retorquet: His ita, *inquit*, reſiſtimus ſecundùm Scripturas, eos interrogantes, ut quod à nobis quærunt, ſibi ipſi reſpondeant. Quæro enim ut dicant, utrum dimittantur peccata, ubi charitas non eſt: peccata enim tenebræ animarum ſunt. Audimus quippe Joannem dicentem: *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt uſque adhuc.* Nulli autem ſchiſmata facerent, ſi fraternô odiô non excæcarentur. Si ergo dicimus, non ibi dimitti peccata, quomodo renaſcitur qui apud eos baptizatur? Quid eſt enim renaſci per Baptiſmum, niſi à vetuſtate, cui peccata præterita non dimittuntur? Quòd ſi renatus non eſt, nec Chriſtum induit, ex quo conficitur, ut denuò baptizandus videatur, quia dicit Apoſtolus: *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis:* quem ille ſi non induit, nec in Chriſto baptizatus habendus eſt. Porro quia in Chriſto dicimus baptizatum, fatemur eum Chriſtum induiſſe. Et ſi hoc fatemur, regeneratum fatemur. Quòd ſi ita eſt, & peccata dimiſſa ſunt.

XXXIV.
Quomodo Baptiſmus poſſit generare veros Eccleſiæ filios apud eos qui non ſunt in vera Eccleſia.

Inſtabant Donatiſtæ, ut refert ſanctus Auguſtinus ibidem, cap. 10. Baptiſmus Chriſti collatus ab hæreticis generat filios apud ipſos hæreticos, vel non generat: ſi generet: ergo illi habent Eccleſiam matrem, quæ filios potuit de Chriſti Baptiſmate generare: cùm autem oporteat unam eſſe Eccleſiam, conſequens eſt eos veram Eccleſiam habere: Si dixerimus, non generat, inquit S. Auguſtinus, ſtatim ſubſumunt: Cur ergo apud vos non renaſcuntur per Baptiſmum, qui tranſeunt à nobis ad vos, cùm apud nos fuerint baptizati, ſi nondum nati?

Reſpondet ſanctus Auguſtinus *ibidem*; Quaſi verò ex hoc generet, unde ſeparata eſt, & non ex hoc unde conjuncta eſt: Separata eſt enim à vinculo charitatis & pacis, ſed adjuncta eſt in uno Baptiſmate. Itaque eſt una Eccleſia, quæ ſola Catholica nominatur, & quidquid ſuum habet in communionibus diverſorum à ſua unitate ſeparatis, per hoc quod ſuum in eis habet, ipſa utique generat, non illæ; neque enim ſeparatio earum generat, ſed quod ſecum de iſta tenuerunt; quòd ſi & hoc dimittant, omnino non generant. Hæc itaque in omnibus generat, cujus Sacramenta retinentur; unde poſſit tale quid ubicunque generari: quamvis non omnes, quos generat, ad ejus pertineant unitatem; quæ uſque in finem perſeverantes ſalvat; neque enim hi ſoli ad eam non pertinent, qui ſeparationis apertô ſacrilegiô manifeſti ſunt, ſed etiam illi, qui in ejus unitate corporaliter mixti per vitam peſſimam ſeparantur: etenim Simonem Magum per Baptiſma ipſa pepererat; cui tamen dictum eſt, quòd non haberet partem in hæreditate Chriſti. Nunquid ei Baptiſmus, nunquid Evangelium, nunquid Sacramenta defuerunt? Sed quia ei charitas defuit, fruſtrà natus eſt, & ei expediebat fortaſſe non naſci.

Urgebant Donatiſtæ: *Si* Baptiſmum noſtrum acceptatis, quid minus habemus, ut nobis de veſtra communione conſulendum putetis?

Reſpondet ſanctus Auguſtinus, ibidem cap. 54. *Non Baptiſmum veſtrum acceptamus, quia eſt Baptiſmus ille hæreticorum, vel ſchiſmaticorum, ſed Dei, & ubicunque fuerit inventus, & quocunque tranſlatus. Veſtrum autem non eſt, niſi quod pravè ſentitis, & ſacrilegè agitis, & impiè ſeparamini.*

XXXV.
Cur iterum baptizati fuerint qui erant à S. Joanne Baptiſta tincti.

Objiciebat undecimò ſanctus Cyprianus: Apoſtoli, ut legimus Act. 19. Baptizârunt iterum eos, qui à S. Joanne Baptiſta tincti fuerant: ſed hæretici non ſunt meliores, aut majores Joanne Baptiſtâ: igitur nec potior eorum Baptiſmus; ac ſubinde multò magis, qui ab eis baptizati ſunt, iterum ſunt baptizandi.

Reſpondet ſanctus Auguſtinus lib. 5. cap. 9. non ob aliud à Joanne tinctos iterum fuiſſe baptizatos, quàm quia Joannis Baptiſmus non fuerit Chriſti Baptiſmus, ſed Joanni à Chriſto conceſſus: Ideo autem à Joanne baptizati iterum erant baptiſmô Chriſti initiandi; quia, ut ſubdit cap. 10. *Quanquam ita credam baptizaſſe Joannem in aqua Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata; reipſâ verò in Domini baptiſmo id fieret.* Unde in forma diſtingno minorem: Hæretici baptizantes non ſunt meliores Joanne Baptiſtâ, quantùm ad fidei integritatem, & vitæ ſanctimoniam, concedo: quantùm ad Baptiſmi dignitatem, & efficacitatem, nego: hæretici enim debitè baptizantes, conferunt Chriſti Baptiſmum, qui longè melior eſt, & præſtantior ipſo Joannis Baptiſmate.

Objiciebant tandem Donatiſtæ authoritatem S. Cypriani: Cyprianus, inquiunt (apud ſanctum Auguſtinum lib. 1. de Baptiſmo, cap. 1.) cujus tantum meritum novimus, tantamque doctrinam, cum multis Coëpiſcopis ſuis ſententias proprias conferentibus, in Concilio ſtatuit hæreticos, vel ſchiſmaticos, id eſt omnes qui extra unius Eccleſiæ Communionem ſunt, Baptiſmum non habere; & ideo quiſquis ab eis baptizatus ad Eccleſiam venerit, eſſe in Eccleſia baptizandum.

XXXVI.
Non officit huic veritati S. Cypriani ſententia.

Reſpondet ibidem ſanctus Auguſtinus: Non me terret authoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani. Magnum quidem meritum novimus Cypriani Epiſcopi, & Martyris. De quô idem Cyprianus in Epiſtola ad Quintum ita loquitur: Nam nec Petrus, *inquit*, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de Circunciſione diſceptaret, poſtmodum vendicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à novellis & poſteris, ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet, ſed Concilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicabat, facilè conſenſit, documentum ſcilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus, & collegis noſtris utiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potius noſtra ducamus. *Ex quibus infert ſanctus Auguſtinus:* Si ergo potuit Petrus contra veritatis regulam, quàm poſteà Eccleſia tenuit, cogere Gentes judaizare, cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam poſteà tota Eccleſia tenuit, cogere hæreticos, vel ſchiſmaticos denuò baptizari? Puto quòd ſine contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantùm attinet ad martyrii coronam. Cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam: quis enim neſcit illũ

» Apostolatûs principatum cuilibet Episcopatui A
» præferendum? Sed etsi distat cathedrarum gratia,
» una tamen est Martyrum gloria, &c.

QUÆRES I. *Vtrum pax & communio inter SS. Stephanum & Cyprianum in illa celebri de Baptismate controversia, soluta fuerit & extincta?*

XXXVII. Non fuit soluta pax & communio inter SS. Cyprianum & Stephanum.

RESPONDEO verisimilius esse salvâ pace, & vigente mutuâ charitate ac confœderatione, illam controversiam agitatam fuisse, nec inter B utrumque mutuæ communionis & charitatis vinculum fuisse solutum: *Tum quia* ipsemet sanctus Cyprianus mutuæ charitatis & concordiæ zelantissimus, pacem in omnibus semper sectandam prædicavit, ut constat ex omnibus eius epistolis de ejusmodi controversia scriptis: *Tum quia* ipse hâc occasione scripsit librum de Unitate, ut nempe omnes Coëpiscopos ad servandam pacem, & concordiam adhortetur: *Tum quia* in tertio Concilio Carthaginensi ab eo propter hanc controversiam celebrato, Coëpiscopos initiô Concilii sic alloquitur: *Superest*, inquit, *ut de hac re singuli, quid sentiamus, aperiamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Tum denique, quia nullibi legitur Stephanum summum Pontificem sanctum Cyprianum, aut ejus Coëpiscopos ab Ecclesiastica communione seposuisse. C

Cæterùm hanc veritatem plurimis momentis urget sanctus Augustinus contra Donatistas, schismaticos, & hæreticos; sic enim scribit lib. 1. de Baptismo, cap. 6. *Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros, & magnâ charitate præditos Patres Episcopos ita inter se compulit, salvâ pace disceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenariô totius orbis Conciliô, quod saluberrimè sanciebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Hinc lib. 5. D de Baptis. cap. 25. scriptam ad Pompeium Epistolam excusat, dicens:
» Stephanus abstinendos putaverat qui de suscipiendis hæreticis priscam con-
» suetudinem convellere conaretur: Iste autem
» (*Cyprianum dicit*) quæstionis difficultate com-
» motus & charitatis visceribus largissimè prædi-
» tus, in unitate censuit esse manendum cum eis
» qui diversa sentirent; ita quamvis commotius,
» sed tamen fraternè indignaretur; vicit tamen
» pax Christi in cordibus eorum, ut in tali discepta-
» tione nullum inter eos schisma oriretur.

Item l. 2. sæpe objurgat Donatistas, quòd Cypriani authoritatem pro suo schismate assumerent, & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuerent. Et
» eodem lib. cap. 5. sibi objiciens quomodo te-
» neant veritatem qui in rebus obscurioribus diver- E
» sa sentiunt; aut quomodo accipiant veritatem,
» cùm contra id quod sentiebant, declaratum esse
» cognoscunt? *Respondet*, quorum duorum manife-
» statum tenemus: unum in B. Cypriano, id est quo-
» modo tenuerit unitatem cum eis à quibus diver-
» sum sentiebat: ait enim (in principio tertii sui
» Concilii) Neminem judicantes, aut à jure com-
» munionis aliquem si diversum senserit amoven-
tes. Alterum autem quomodo accipere potuerit
» veritatem contra id quod sentiebat inventam?
» Et si litteræ tacent, merita clamant: si epistula
Nota. » non invenitur, corona testatur; si Concilium
» non indicat Episcoporum consortium, indicat An-
» gelorum. Non enim parvum documentum est pa-
A catissimæ animæ in ea unitate martyrium meruis- »
se, unde se diversum sen[...]s noluit sepa- »
rare. »

Insuper lib. de unico Baptismo cap. 14. contra Petilianum Donatistarum principem, qui sanctum Stephanum inter Romanos Pontifices annumerabat, & eum illibatè gessisse annuebat, sic eum carpit S. August. *Cum ergo Stephanus non solùm non rebaptizat hæreticos, verùm etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani* B *Epistola ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit: quid hic dicturi sunt?* Quibus constat indubitatum fuisse, tum apud Augustinum, tum apud Donatistas, Cyprianum nullatenus ab Ecclesiæ unitate per excommunicationem fuisse sejunctum.

Hujus autem veritatis assertor nedum est S. Augustinus, sed & Vincentius Lirinensis contra Hæreses c. 9. & S. Hieronymus Dialogô adversus Luciferianos, ubi loquens de tertio Concilio à Cypriano celebrato ait: *Sciant illum hæc non cum anathemate eorum, qui se sequi noluerant edidisse, siquidem in communione eorum permansit, qui sententia sua contraierant.*

C Insuper ibidem asserit, *Omnes prorsus Episcopos ad antiquam consuetudinem revolutos contrarium & novum emisisse decretum.* Cujus indicium evidentissimum est, quòd Firmilianus ipse cum Orientalibus excommunicatus, in celebri Antiochena Synodo adversus Paulum Samosatensem sederit, & eum in Ecclesiæ pace piè sanctéque defunctum Græci colunt, ut constat ex eorum Menologio die 28. Octobris.

XXXVIII. Firmilianus sententiam revocavit & sanctè obiit.

Imò S. Dionysius Episcopus Alexandrinus ipsis coævus, testatur apud Euseb. l. 7. cap. 3. & 4. S. Cyprianum à S. Stephano non descivisse unitate, sed sententiâ, atque se Mediatorem extitisse illius pacis, quæ tum ex Orientalibus tum ex Afris cum Stephano Pontifice anno sequenti, hoc est D 259. inita est, omnibus illis suam priorem sententiam rescindentibus, ut unà cum Stephano sentirent.

Nec valet objicere verba Firmiliani in laudata epistola: *in qua sæpe inculcat, Stephanum pacem cum singulis vario discordiarum genere rumpentem, modò cum Orientalibus ... modò vobiscum qui in meridie estis à quibus legatos, &c.* Enimverò suprà monui eum indignatione percitum plura contra veritatem ibi congerere, cùmque eum excommunicasset Stephanus ob eandem sententiam, putavit ex Cypriani in Stephanum querimoniis; idem actum à Stephano cum Afris: sed dispar erat causa: Orientales enim hujus controversiæ authores severiori animadversione erant digni, præsertim quòd nullâ habitâ ratione majorum decretum E contra antiquam consuetudinem calculo firmaverant. Cyprianus verò cùm sua decreta formavit, semper contestatus est se pacem ac unitatem servaturum.

Insuper spreti illi legati non erant ii quos miserat Cyprianus; quippe cùm nullibi de eo queratur; imò litteras à Stephano per nuntium recepit. Fateor quidem Stephanum fuisse comminatum excommunicationem, sed quòd eam non fulminaverit, patet ex dictis.

QUÆRES 2. *Utrùm S. Cyprianus suam mutaverit, & revocaverit sententiam ante passionem?*

XXXIX. Sicut & S. Cyprianus.

RESpondeo id probabilius videri: quia quanquam illa retractatio in ejus scriptis non appareat, tamen idipsum non levia argumenta suadent. *Primò*, quia certum est, non modò Orientales cum Firmiliano, & Dionysio Alexandrino, verùm etiam Episcopos, qui cum S. Cypriano tribus Conciliis Carthaginensibus interfuerant, suam sententiam revocasse, & adhæsisse communi Ecclesiæ Traditioni, quam propugnabat S. Stephanus Pontifex: sed non est verisimile S. Cyprianum solùm pertinaciter suæ opinioni adhærere voluisse contra sententiam ab omnibus fidelibus totô orbe propugnatam, & assertam: igitur, &c. Minorem nullus negabit, qui compertam sancti Cypriani humilitatem, & pietatem compertam habuerit: Quâ ratione enim vir sanctissimus absque manifesta culpa potuisset suum sensum privatum communi Ecclesiæ sententiæ opponere? Major verò constat; primò quidem de Orientalibus & Dionysio Alexandrino, ex ipsius Dionysii epistola ad Stephanum, quæ legitur apud Eusebium lib. 7. epist. 4. ubi mutatâ sententiâ, errorem vocat novam Novati pravitatem sententiam eorum, qui contendebant rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos. Idipsum etiam patet ex altera ejusdem epistola ad Sixtum Stephani successorem, in qua, ut supra diximus, eum consulit, utrum baptizare posset hominem ab hæreticis baptizatum. Constat etiam ex collegis S. Cypriani: Sic enim scribit sanctus Hieronymus dialog. contra Luciferanos: *Conatus est*, inquit, *B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena. & idcirco hæreticorum baptisma reprobans ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui à B. Petro vigesimus sextus erat, super hac re Africanam Synodum direxit, sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant; ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisêre decretum.* Idipsum testatur Vincentius Lirinensis in Commonitorio primo num. 54. *Postremò*, inquit, *ipsius Africani Concilii, sive decreti, quæ vires? Deô donante nulla, sed universa tanquam somnia, tanquam fabula, tanquam superflua, antiquata, abolita, calcata sunt.*

Utitestatur S. Dionysius. — Et S. Hieronymus. — Ac Vincentius Lirinensis.

Probatur secundò, ex S. Augustino, qui idipsum affirmat pluribus in locis, maximè epist. 48. quæ est ad Vincentium, ubi post medium ait: *Cyprianus sensisse aliter de Baptismo, quàm forma, & consuetudo habebat Ecclesia, non in Canonicis, sed in suis, & in Concilii litteris invenitur: correxisse autem istam sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quòd correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hôc errore nimium delectati sunt, & tantô velut patrociniô carere noluerunt. Quanquam non desint, qui hac Cyprianum prorsus non sensisse contendant: sed sub ejus nomine à præsumptoribus, atque mendacibus fuisse confictum: neque enim sic potuit integritas, atque notitia litterarum, unius quantumlibet illustris Episcopi custodiri: quemadmodum Scriptura Canonica, tot linguarum litteris, & ordine, & successione celebrationis Ecclesiastica custoditur: contra quam tamen non defuerunt, qui sub nominibus Apostolorum multa confingerent.... Nos tamen non negamus illud sensisse Cyprianum, quod & stylus ejus habet quandam propriam faciem, quâ possit agnosci.*

Et S. Aug.

XL. Dubitatum est an scripta quæ apud S Cyprianum favent rebaptizationi, reverà illius essent.

Idem apertè docet lib. 2. de Baptismo cap. 5. ubi sic loquitur *de Cypriano: Quomodo accipere potuerit veritatem contra id quod sentiebat inventam, & si littera tacent, merita clamant: epistola non invenitur, corona testatur: si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum; non enim parvum documentum est pacatissimæ animæ in ea unitate Martyrium meruisse; unde se diversa sentiens noluit separare. Homines enim sumus; unde aliquid aliter sapere, quàm se res habet, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, aut invidendo melioribus, usque ad præscindenda communionis, aut condendi schismatis, vel hæresis, sacrilegia pervenire, diabolica præsumptio est: in nullo autem aliter sapere, quàm res habet, Angelica perfectio est: quia itaque homines sumus, sed spe Angeli, quibus æquales erimus in Resurrectione, quandiu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem diaboli non habeamus.*

Dices: Sanctus Augustinus ibidem cap. 4. scribit se nescire, utrum sanctus Cyprianus suam mutaverit sententiam; ait enim, ipsum illam correcturum fuisse, si quis ei veritatem explicuisset, & consensum Ecclesiæ novisset: non autem ait, ipsum novisse consensum Ecclesiæ, aut aliquem hanc veritatem ei declarasse.

Distinguo: Non novit certô, & indubitatô aliquô testimoniô, concedo: non novit probabiliter, & ex vehementi conjectura, nego: ait enim: « Fortassè factum est, sed nescimus: neque enim omnia, quæ illô tempore gesta sunt inter Episcopos, memoriæ, litterisque mandari potuerunt; aut omnia quæ mandata sunt, novimus. Quomodo enim potuit ista res tantis altercationum nebulis impolluta, ad plenarii Concilii luculentam illustrationem, & confirmationem perduci, nisi primò diutiùs per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractata constaret? Hoc autem facit sanitas pacis, ut cùm diutiùs aliqua obscuriora quæruntur, & propter inveniendi difficultatem diversas faciunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum, & liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. » Ergo si uni verum demonstranti facilè Cyprianus cessisset, ex Augustino; multò magis ille cessit Africanorum, & Orientalium Conciliis, priora sua decreta rescindentibus, nova & contraria emittentibus, & Stephani Papæ definitioni acquiescentibus.

APPENDIX,

De CONCILIO PLENARIO, *in quo sanctus Augustinus pluries asserit fuisse definitum non esse rebaptizandos hæreticos.*

I. Varia de hoc Concilio Authorum sententia.

NON levis est inter Theologos hujus temporis controversia, quodnam Concilium intellexerit sanctus Augustinus, ubi proscriptum asserit dogma de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis. Quidam enim *Arelatense primum* esse conjiciunt; validissimis quidem, ut putant, freti momentis: alii *Bagaïense* ariolantur: quibusdam *Sardicense* placet: non paucis arridet *Capuanum:* Alii *Constantinopolitanum* adducunt in medium: nec

de sunt id *Alexandrino* tribuentes: alii denique contendunt non aliud, quàm *Nicanum* designari. Ut autem inter tot invicem pugnantes Authorum sententias, quid verius existimemus, apertè constet,

II. Concilium istud fuit universale & Oecumenicum.

Observandum imprimis Concilium istud, quodcunque tandem fuerit, vocari à S. Augustino aliquando *Concilium plenarium totius orbis*; sic lib. 1. de Baptismo adversus Donatistas cap. 7. *Quæstionis hujus obscuritas*, inquit, *prioribus Ecclesiæ temporibus magnos viros, & magnâ charitate præditos Patres Episcopos ita inter se compulis salvâ pace disceptare atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec* PLENARIO TOTIUS ORBIS CONCILIO, *quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Ut & cap. 8. *Restat ut hoc de Baptismo piè credamus, quod universa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit, in qua tamen si aliud alii, & aliud alii salvâ pace sentirent, donec* UNIVERSALI CONCILIO *unum aliquid eliquatum, syncerumque placuisset, humana infirmitatis errorem cooperires charitas unitatis.* Et paulò infrà, sic subjungit: *Antequam* PLENARII CONCILII *sententia quid in hac re sequendum esset,* TOTIUS ECCLESIÆ CONSENSIO *confirmasset, visum est ei* (Cypriano) *cum fermè* 80. *Episcopis*, &c.

Alias idem Concilium appellat *universæ Ecclesiæ concordissimam authoritatem*: Sic lib. 2. de Baptismo, cùm dixisset cap. 3. *Quis nesciat Episcoporum litteras per Concilia licere deprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est; & ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano sine ullis ambagibus cedere? Ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, dum aliquô experimentô rerum, aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, &c.* Subjicit cap. 4. *Cyprianus tantò excellentior, quantò humilior, satis ostendit facillimè se correcturum sententiam, si quis ei demonstraret Baptismum Christi sic dari posse ab iis, qui foras exierant: quemadmodum amitti non potuit cùm foras exirent: Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi* UNIVERSÆ ECCLESIÆ CONCORDISSIMA AUTHORITATE *firmati; cui & ipse sine dubio cederet, si jam illô tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per* PLENARIUM CONCILIUM *solidaretur: Si enim Petrum laudas ab uno posteriore Collega patienter, concorditerque correctum, quantò citiùs ipse cum Concilio Provinciæ suæ* UNIVERSI ORBIS AUTHORITATI *patefactâ veritate cessisset?* Iterumque paulò post: *Quomodo potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta ad* PLENARII CONCILII *luculentam illustrationem, confirmationemque perduci, nisi primò diutiùs per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret?*

Interdum verò illud appellat *Concilium cunctarum Gentium*, & *totius orbis Christiani*; Sic lib. 5. de Baptismo, cap. 17. ait: *Neque enim* (Cypriano) *placeo, si ejus ingenium, facultatemque sermonis, & doctrinæ ubertatem sancto Concilio* CUNCTARUM GENTIUM, *cui profectò interfuit per Spiritûs unitatem, præponere affectem.* Et paulò infra: *Neque illius huic sententia, in qua ei visum est aliter suscipiendos ab hæreticis venientes, quàm vel in præteritum suscipiebantur; sicut ipse testatur; vel nunc suscipiuntur, sicut* TOTIUS ORBIS CHRISTIANI PLENARIÔ CONCILIÔ *rationabilis consuetudo firmata est, meam prepono sententiam, sed Ecclesia sancta Catholica, quam sic ille dilexit, & diligit, &c.* Ex quibus apertè liquet Concilium illud; de quo sanctus Augustinus loquitur, reverà esse Concilium Oecumenicum, utpote cùm illud appellet, non solùm plenarium, sed totius orbis Christiani Concilium, *vel* universam Ecclesiæ quâcunque se diffundit authoritatem; *vel* Concilium ex universo orbe Christiano factum; *vel* Ecclesiæ universæ concordissimam authoritatem, & alia his similia, quæ passim reperies in ejus libris contra Donatistas; non enim Concilia Oecumenica aliter appellare solet S. Augustinus, quàm Concilia Ecclesiæ universæ, vel universi orbis. Sic lib. 4. ad Bonifacium, Pelagianorum superbiam arguit, quòd jam damnati in variis Conciliis Provincialibus, & nationalibus ambitent, ut propter illos *Orientis & Occidentis Synodus congregaretur*, & Catholicum orbem, quem pervertere non potuerant, commovere conarentur. Nec aliunde certè Oecumenici nomen desumitur, nisi quia ex universo Catholico terrarum orbe convocatum est, quale à S. Augustino plenarium Concilium, de quo loquitur, collectum esse significatur: Sic enim S. Leo epist. 49. ait: *Ut vocatis de cunctis Provinciis Sacerdotibus, verè possit esse universale Concilium*: quapropter septima Synodus actione 6. Constantinopolitanum Concilium, vel potius Conciliabulum contra cultum sacrarum imaginum habitum damnat; quia *non exiit sonus ejus in omnem terram.*

III. Fuit celebratum ante nativitatem S. Augustini.

Observandum secundò, Concilium illud plenarium celebratum fuisse ante nativitatem sancti Augustini; id quippe apertè significat lib. 2. de Baptismo, ubi cùm protulisset sententiam sancti Cypriani affirmantis se non aliud sapere, quàm quod decretum fuerat in Concilio celebrato ab Agripino, collectis ex Africa & Numidia Episcopis, subjicit: *Hâc attestatione satis ostendit, multò magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinium, vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hac sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Posteà tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non solùm inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii authoritatem, roburque perducta; post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus. Hanc autem fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ posteà multis discussis ambagibus patefactâ veritate plenariô Conciliô confirmata est. Satis ostenditur & ipsius Cypriani verbis in eadem ad Iubajanum epistola, quæ in Concilio lecta commemoratur.* Quibus verbis sanctus Augustinus apertè significat Concilium illud, in quo proscriptus fuit Donatistarum error, fuisse celebratum ante suam Nativitatem; natus est autem sanctus Augustinus secundùm aliquos annô 354. secundùm alios verò annô 357. Quibus ita prælibatis,

IV. Non fuit Arelatense.

Dico primò, non fuisse *Arelatense*; *Primò*, quia Concilium Arelatense nullam habet ex illis notis, quibus Concilium à se laudatum designat sanctus Augustinus; non enim est Concilium plenarium, nec cunctarum Gentium, nec totius orbis Christiani; quippe cùm huic Concilio legantur tantùm subscripsisse 26. Episcopi.

Ut apertè colligitur

Secundò, quia idem S. Doctor pluribi meminit Arelatensis Concilii, in quo testatur Donati-

ex S. Augustino.

ſtas victos, ac ſuperatos; nec tamen vocat illud plenarium Concilium, ſed duntaxat judicium Arelatenſe: *Sic* lib. 1. contra epiſtolam Parmeniani, cap. 6. ubi ait: *Fatetur quoque Parmenianus ad Arelatenſe oppidum, & EPISCOPOS JUDICES, & partes ex Africa conveniſſe, ubi omnia ſuis credidit, qui nihil victi potuerunt de JUDICIBUS conqueri: Nec tamen negat rurſus eos ad Conſtantinum veniſſe. Et quia ibi quoque ultimò JUDICIÔ ſuperati ſunt, etiam ipſum gratiâ corruptum eſſe criminatur.* En ſimpliciter Epiſcopos Judices apud oppidum Arelatenſe convocatos: En Conſtantini judicium ultimum appellatum, quod judicio Epiſcoporum ſupervenerit, ut cognitam ab illis cauſam iterum expenderet. En utriuſque judicii parem in abſolvendo Cæciliano conditionem inculcatam. Quibus ne leviter quidem plenarii Concilii meminit. Et lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 92. Pelagianos alloquens, ait: *Petentibus tum Majoribus veſtris Epiſcopale JUDICIUM dederat Conſtantinus, & apud Romam, & apud Arelatum, quorum primum apud eum accuſaſtis, ab altero ad eum appellaſtis.* Similia habet epiſt. 68. & lib. 4. contra Creſconium cap. 2. & in breviculo collationum cum Donatiſtis collatione tertiæ diei, cap. 5. 12. 19. & 21. & alibi ſæpè.

Tertiò, quia ſanctus Auguſtinus epiſt. 62. apertè teſtatur Arelatenſe Concilium non fuiſſe plenarium; ibi enim tedarguens Donatiſtas, quòd poſt Melchiadis judicium non apud Concilium plenarium, ſed apud Imperatorem, Judices ſuos accuſare auſi fuiſſent, quòd malè judicaſſent, & dicerent malos Judices ſe eſſe perpeſſos: *Quæ vox eſt*, inquit, *omnium malorum litigatorum, cùm fuerint etiam manifeſtiſſimâ veritate ſuperati.* Subdit: *Quaſi non eis ad hoc dici poſſet, & juſtiſſimè dici; Ecce putamus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos Iudices fuiſſe; reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis Iudicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi malè judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur. Quod utrum fecerint probent; nos enim non factum eſſe, facilè probamus, ex eo quòd totus orbis non eis communicat; aut ſi factum eſt, etiam ibi ſunt victi, quòd ipſa eorum ſeparatio manifeſtat: ſed tamen quid poſteà fecerint Imperatores, litteris ſufficientiſſimè oſtenditur: Iudices enim Eccleſiaſticos tantæ authoritatis Epiſcopos, quorum judiciò & Cæciliani innocentia, & eorundem improbitas declarata eſt, non apud alios Collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quòd malè judicarent. Dedit ille aliud Arelatenſe Iudicium aliorum Epiſcoporum, non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omnino cupiens tantam impudentiam prohibere.* Quibus verbis ſignificat Concilium Arelatenſe, non eſſe plenarium illud Concilium, cujus toties meminit; quippe dicit Donatiſtarum cauſam nondum eſſe in plenario Concilio eliquatam, ſed duntaxat in Arelatenſi. *Confirmatur* quia ubi ſanctus Auguſtinus agit de rebaptizandis hæreticis, nunquam mentionem facit Concilii Arelatenſis, ſed ſolùm ubi ſermo eſt de cauſa Cæciliani: igitur ſignum eſt manifeſtiſſimum, illum non exiſtimaſſe quæſtionem de rebaptizatione in Concilio Arelatenſi fuiſſe definitam. *Inſuper* aſſerit in illo Concilio rem poſt magnos dubitationis fluctus diſcuſſis ambagibus, remotis dubitationibus, totius Eccleſiæ concordiſſimâ authoritate firmatam, ſeu ultimo judicio generalis Eccleſiæ perſpicuè definitam fuiſſe: atqui hæc non poſſunt dici, nec ab Auguſtino intelligi de Synodo Arelatenſi, ut patet ex dictis.

V. *Ei non adfuit ſummus Pontifex.*

Denique, ut Concilium aliquod habeat veram, ac perfectam rationem Concilii plenarii, & Oecumenici, convocari debet authoritate, aut ſaltem conſenſu ſummi Pontificis quandiu indubitatum Eccleſiæ caput eſt, ut præclarè docet Perronius Cardinalis cap. 42. ad Regem Anglicanum; unde S. Leo epiſt. 61. quam Synodo Calcedonenſi ſcribit: *Propter fidei cauſam*, inquit, *generale Concilium, & ex præceptò Chriſtianorum Principum, & ex conſenſu Apoſtolicæ ſedis congregari placuit.* Quapropter Julius primus Orientales arguit, quòd Synodum univerſalem ſe inconſultò celebrare tentaſſent; *Cùm Ecclesiſticus Canon*, inquit, *prohibeat, ne præter ſententiam Romani Pontificis adminiſtrentur Eccleſiæ, &c.* Sed Concilium Arelatenſe primum ſine ulla Romani Pontificis participatione, vel conſenſu à Conſtantino ſolo Imperatore convocatum eſt, ut conſtat tum ex reſcripto Imperatoris, tum ex epiſtola Synodica Patrum ejuſmodi Concilii ad Silveſtrum ſummum Pontificem, ubi ita ſcribunt: *Ad Arelatenſium civitatem Piiſſimi Imperatoris voluntate adducti, inde te religioſiſſime Papa cum merita reverentia ſalutamus.* Et infrà: *Vtinam Frater dilectiſſime adhoc tantum ſpectaculum intereſſes: tanti feciſſes profectò credimus; quia in eo ſeverior fuiſſet ſententia prolata, & te pariter nobiſcum judicante, cœtus noſter majore lætitiâ exultaſſet, &c.* Non ergò huic Concilio aderat ſummus Pontifex, nedum per ſe, ſed nec per ſuos Legatos: igitur Concilium iſtud nullâ ratione cenſeri poteſt totius orbis Chriſtiani; quippe cùm ei ſummus Pontifex Eccleſiæ viſibile caput non adeſſet.

Dices primò: Concilium illud appellari poteſt ad mentem S. Auguſtini, Catholicum totius orbis atque cunctarum Gentium, ad quod ex omnibus mundi partibus Epiſcopi convocantur: atqui hàc ratione Concilium Arelatenſe dici poteſt Catholicum, ſeu Oecumenicum: nam S. Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ cap. 2. loquens de Synodo Arelatenſi, ſcribit: *Reſtabat atque ut Epiſcopi tranſmarini, quâ pars maxima diffundebatur Catholica Eccleſia de Afrorum collegarum diſſenſionibus congregarentur:* igitur, &c.

VI. *Nec omnes Epiſcopi ad id fuerunt convocati.*

Reſpondeo ad majorem, non ſufficere ad Concilium Oecumenicum, quòd aliqui Epiſcopi ex totius mundi partibus convocentur; ſed omnes quotquot ſunt in Chriſtiano orbe convocari debent: quemadmodum ſanctus Auguſtinus ſignificat lib. 2. de Baptiſmo, cap. 3. cùm ait: *Quis neſciat ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano ſine ambagibus cedere?* Ex quo infert S. Cyprianum conſenſurum univerſi orbis authoritati, ſi tale Coocilium plenarium ſuô tempore actum fuiſſet.

Reſpondeo ſecundò negando minorem; nam Concilium Arelatenſe non eſt coactum ex univerſi orbis partibus, ſed ex Occidente tantùm; imò ex aliquibus duntaxat Occidentis partibus, nempe Italia, Africa, Hiſpania, Britannia, Galliis; unde etiam 26. tantùm Epiſcopi ei Concilio ſubſcripſiſſe videntur; quanquam enim Ado ſexcentos recenſeat, ab omnibus rejicitur.

Ad S. Auguſtinum dico, ipſum per illud *Concilium Tranſmarinum*, non ſignificare aliquod

Concilium reipsâ celebratum, sed quòd Donatistæ potuissent postolare, quod tamen non fecerunt, aut se reverà Concilium istud illis datum est, quod tamen non admittit S. Aug. in eo damnati sunt; quippe cùm universus orbis com ipsis non cõmunicet. Unde post verba in objectione laudata, ait: *Hoc si factum non est, culpa eorum est, à quibus fieri debuit; non orbis terrarum, qui non ad se perlata nescivit. Si autem factum est, quid peccaverunt Ecclesiastici Iudices, qui crimina etiamsi vera, & ad se delata, sibi tamen non probata, damnare nullomodo debebant? Nunquid eos mali polluere poterant, qui eis manifestari non poterant? Si autem manifestati sunt eis, & aliquâ vel segnitiâ, vel cohibentiâ tales à communione removere noluerunt: & perversô judiciô pro eis etiam dixerunt sententias: quid peccavit orbis terrarum, qui causam illam malos Iudices habuisse nescivit, & eos malè judicasse non credidit, de quibus judicare non potuit?* Ex quibus apparet per transmarinum judicium non intellexisse S. Augustinum Synodum Arelatensem; etenim de illo transmarino judicio suspensus, ac fluctuans loquitur, & ex hypothesi quòd habitum fuerit: compertissimum autem erat sancto Augustino reipsâ coactum fuisse Arelatense Concilium, in quo toties testatur Cæcilianum fuisse absolutum, & Donatistas illius accusatores damnatos.

VII. *Quò sensu dicatur universale à S. Aug.*

Instabis: Concilium secundum Arelatense celebratum annô 330. ut vult Petrus Saxius, apertè significat Canone 18. in prima Synodo Arelatensi, sedisse Præsules ex omnibus mundi partibus collectos, ait enim; *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodum congregandam, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, sub S. Martini* (Marini) *tempore, legimus fuisse celebratum Concilium, atque conventum*, &c. igitur Arelatense primum reverà censeri debet Concilium plenarium totius orbis.

Et secundò Arelatensi.

Nego consequentiam: Illud enim Concilium coactum duntaxat fuit ex orbe Latino, imò etiam ex quadam orbis Latini parte; quod utique non solùm apparet ex dictis, sed maximè ex Epistola Episcoporum ejusmodi Concilii Arelatensis primi ad Sylvestrum summum Pontificem; non enim aiunt se congregatos ex omnibus mundi partibus, sed diversis: *Quàm diversæ*, inquiunt, *sint Provinciæ, ex quibus advenimus; ita & varia contingunt, quæ nos censemus observari debere.*

Nec obstat, quòd in Epistola Constantini ad Crescum Syracusanum Episcopum legamus secundùm versionem Valesii, *Ex locis diversis, & propè infinitis*; nam in alia versione, quæ extat in nupera editione Conciliorum legimus, *ex diversis compluribus locis.* Nec aliud certè inferre licet ex ipsamet Episcoporum epistola; sunt enim duntaxat num. 26. Episcopi, qui ejusmodi Synodicæ epistolæ subscripserunt.

Instabis. Sanctus Augustinus loquens de controversia exorta inter Primianum, & Maximianum Carthaginenses Pseudo-Episcopos, quorum primum centum Episcopi Donatistæ damnaverant, trecenti verò absolverant; conferens cum eis Cæcilianum Carthaginensem legitimum Antistitem scribit: *Quod si vos fortè numerus movet, ut ideo contra centum, à quibus damnatus est Primianus, valere arbitremini Bagainse Concilium, quia in eo trecenti & decem fuerunt; cur in majori numero Episcoporum orbis terrarum consentire non vultis.* Quibus significat causam Cæciliani libratam fuisse ab Episcopis ex toto terrarum orbe collectis, sed à numeroso Episcoporum cœtu non fuit alibi ventilata ac definita causa Cæciliani, quàm in Synodo Arelatensi: igitur reverà censet Synodum Arelatensem esse Concilium totius orbis terrarum.

Nego sequelam majoris: Non enim hunc majorem numerum Episcoporum sanctus Augustinus ad eos refert, qui judicârunt, sed qui judicantibus crediderunt, ac eis credentes censuerunt Cæcilianum reverà innocentem fuisse & immunem ab omnibus, de quibus a Donatistis accusatus fuerat; unde non ait: Cur majori numero Episcoporum consentire non vultis? sed cur in majori numero Episcoporum, qui nempe legitimè absolutum Cæcilianum credunt, consentire non vultis? Eô sensu, quô librô 2. contra Cresconium, cap. 61. dixit: *Omnes, qui tunc erant, vel in propinquis, vel in remotis terris tam longè latèque diffusi Catholici Christiani, ad quos fama de Cæciliano, & de collegis ejus potuit pervenire, non debuisse accusatoribus victis, sed Ecclesiasticis judicibus credere: quia ubi judices omnes esse non possumus, melius illis, qui esse potuerunt, Iudicibus credimus; quàm credendo litigatoribus victis, quorum esse Iudices non potuimus, de ipsis judicare Iudicibus audeamus.*

Urgebis: Si quid obesset quominus Concilium Arelatense diceretur non solùm universale, sed & œcumenicum totius orbis; maximè quia ex toto orbe Episcopi convocati ad ipsum non convenerant: sed hoc non efficit; siquidem Concilium Constantinopolitanum primum, solùm instituebant Orientales Episcopi; nec minùs tamen Oecumenicum & generale appellatur: Hâc ratione pariter Concilium Tridentinum non diceretur universale, & Oecumenicum, quia nullus ei ex Oriente adfuit, & magna pars defuit Occidentis: quid ni igitur Arelatense similiter, quamvis ex Occidente convocatis Episcopis celebratum, si non Oecumenicum, saltem universale censeri debeat?

Nego minorem, & ad ejus probationem dico Concilium Constantinopolitanum primum idcirco dici generale, & Oecumenicum, quòd junctum sit cum Romano eôdem tempore celebrato sub Damaso Papa, ex Occidentalibus Episcopis, qui Constantinopolitano interesse non voluerant, nec Orientales interesse Romano; nihilominus eadem utrique quantùm ad res fidei decrevissent, & quæ sancita fuerant Constantinopoli, Romæ fuissent probata.

Ad Concilium Tridentinum dico, non mirum videri debere si Orientalis Ecclesiæ Præsules ipsi non adfuerint; quia eo tempore habitum est, quô schismaticus Oriens erat; nec Episcopi tales erant, qui convocari possent, aut convocati vellent convenire; quia se à Papæ convocantis authoritate subduxerant; ac propterea plenarium non desinebat esse, etsi Orientales non adessent. Ex illis tamen adfuisse notantur decem nominatim, & inter illos Macharius Chiensis Græcus Archiepiscopus Thessalonicensis, factâ fidei professione, ac debitâ submissione cum Latinis admissus est.

IX. *Non fuit etiam Alexandrinum.*

Dico secundò: Concilium istud plenarium nec fuisse *Alexandrinum* celebratum annô 362. neque Constantinopolitanum celebratum annô 381. neque Capuense celebratum annô 377. vel, ut vult Baronius, annô 389. quia, ut diximus in secunda observatione, Concilium istud, in quo proscriptus est rebaptizantium error, celebratum est ante Nativitatem sancti Augustini; natus est

autem sanctus Augustinus annô 354. vel ad summum annô 357. ac subinde priusquam cogerentur præfata Concilia.

X. Nec Bagaiense.

Dico tertiò. Multò minùs nomine Concilii plenarii S. Augustinum intellexisse Concilium *Bagaïense* celebratum à 310. Episcopis Donatistis, ut ortum inter eos schisma sedaretur; quanquam enim pluribi sanctus Augustinus Concilium istud appellet nunc plenarium, nunc universale, maximè lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 3. ubi scribit: *Quid ergo ponunt, quod in ipsos detorqueri non possit, nisi fortè de ovis aspidum, quorum multò antè meminerat Dictator illius sententia plenarii Concilii 310. qui cum universis Provinciis Africa convenerant.* Et paulò infrà sic eos describit: *Trecenti decem plenarii Concilii ore veridico.* Et rursus; *quare in schismaticos suos Maximianistas per eandem plenarii Concilii sui sententiam, talia dixerunt?* Idem habet lib. 2. cap. 7. & alibi sæpe.

Licèt, inquam, plenarii appellationem isti Concilio assignet, non tamen appellat plenarium simpliciter, & absolutè; sed plenarium Donatistarum: sic nempe lib. 3. de Baptismo, cap. 2. ait: *Maximianistas plenariô Conciliô suô damnatos, &c.* Et contra epistolam Parmeniani lib. 2. cap. 3. *Plenarii Concilii sui sententiam dixerunt, &c.* Et contra litteras Petiliani lib. 2. cap. 15. *Testis est plenarii vestri Concilii sententia.*

Addere possum, quòd cùm Donatistæ præposterâ præsumptione assererent, Ecclesiam ubiquè terrarum periisse, & solùm remansisse integram penes suos Sectatores in Africa, volebantque de sua duntaxat Ecclesia intelligi illud Cantic. 1. ubi Ecclesia Christum suum divinum Sponsum mysticè alloquens, ait: *Indica mihi, ubi cubes, & ubi pascas in meridie?* quia nempe Africa meridiana mundi pars est. Cùm, inquam, Donatistæ ita desiperent, sanctus Augustinus non seriò, & ex proprio sensu, sed ex falsa Donatistarum imaginatione Concilium illud appellat universale, & plenarium, quia in eo convenerant omnes Donatistæ, qui suam Ecclesiam universalem plenariam appellabant. Sic enim lib. 4. contra Cresconium *cap.* 8. Cùm ergo dixerim si quæ essent vera vestra documenta, vos Ecclesiæ Catholicæ ea probare debuisse, ut vos intus essetis; illi autem, quos convinceretis, pellerentur foras, quid est quòd respondere voluisti, ideo separationem factam quod nos foras essemus propulsi; vestri autem in Ecclesia Plenaria & Catholica remanserunt? Et mox hanc ipsam Ecclesiæ illorum plenariæ præsumptam notionem irridens: Hoc si totidem verbis, *inquit*, vobis Maximianenses ipsi dicant, quid respondebis, nisi non refelli dignos, sed tantùm rideri, qui ECCLESIAM PLENARIAM cum Episcopis jam minùs quàm centum contra tantam numerositatem, ac multitudinem cui plusquam trecenti præsident, audeant affirmare? Cùm per omnes Africæ regiones, ubi Maximianenses sunt, non desit etiam communio Primiani; per alios autem multò plures, multòque latiores Africæ partes unum Maximianensem nemo reperiat, nisi fortè peregrinantem: Quô igitur ore contra Ecclesiam à Solis ortu usque ad occasum promissam voce veritatis, & redditam audes ECCLESIAM PLENARIAM dicere partem Donati? Cùm ipsa non sit nisi Africæ; illa verò cum tot Gentibus sit & Africæ. Ex his apparet qualiter PLENARIAM ECCLESIAM & CATHOLICAM Donatistæ non agnoscerent, nisi suam, tametsi solis Africanis terminis limitatam: Quid ergo mirum, si PLENARIUM CONCILIUM intelligerent suô sensu ad Ecclesiam universam pertinens, quam putabant, & contendebant impudenter suâ duntaxat parte contineri? hôc nempe sensu *Plenarium & Catholicum* Augustinus per ironiam supradictis omnibus locis juxta mentem illorum usurpavit; non quòd pro Concilio Provinciali; regionali, vel non Oecumenico plenarium putaret sumi posse; cùm alioqui suô sensu tot locis priùs recensitis hanc ipsam vocem de orbe toto, vel Ecclesia universa tam evidenter explicârit, ut contra litteras Petiliani lib. 1. cap. 22. *Ecclesia per tot Gentes diffusa* PLENARIAM & CATHOLICAM *unitatem* appellat.

XI. Neque Sardicense.

Dico quartò, per Concilium plenarium, sanctum Augustinum non intellexisse Concilium Sardicense. Tum quia inter Canones Sardicenses nullus legitur, quô prohibeatur iteratio Baptismi: Tum quia S. Augustinus non videtur aliud Sardicense Concilium agnovisse præter Conciliabulum Sardicense celebratum ab Arianis eôdem tempore, quô legitimum Sardis agebatur Concilium; sicut colligitur l. 3. contra Cresconium, cap. 34. Cùm enim Donatistæ gloriarentur, quòd in principio epistolæ Synodalis Concilii Sardicensis inscriptum esset nomen Donati Carthaginensis Episcopi; sicque Orientales Episcopi eis communicarent.

Respondet sanctus Augustinus: Disce ergo quod nescis, Sardicense Concilium Arianorum fuit, &c. Unde subdit causam cur Orientales quidam Episcopi communicarent Donatistis, nempe ait: Africanam hæresim, Orientalis hæresis sibi tentavit adjungere.

XII. Sed Nycænum.

Dico ultimò, nomine Concilii plenarii, sanctum Augustinum non aliud intellexisse, quàm Nycænum; quod utique tam apertum, tamque manifestum visum iis, qui S. Augustini editiones recensuerunt, ut ad marginem textûs quotiescumque *plenarium* exprimit, non aliud notarint, quàm *Nycænum*: ita evidens Maldonato, cùm de Sacramento Baptismi agit, ut ex multiplicibus S. Augustini testimoniis ab eo tantùm indicatis, necessariò colligendum asseruerit, quòd intelligi de Nycæno debeant, quæ in iis omnibus locis de plenario S. Doctor affirmat: ita demum evidens Bellarmino, ut nullam causam dubitandi subesse affirmârit; cùm Concilium orbis terræ ante nativitatem suam celebratum, expressè dicat, nec aliud Concilium esse potuerit, aut fingi possit quàm Nycænum, utrâque illâ tam insigni expressione designatum.

Probatur insuper primò, quia omnes notæ, quibus designat Concilium istud sanctus Augustinus, maximè quòd fuerit Concilium totius orbis Christiani, apprimè Nycæno conveniunt: siquidem sanctus Athanasius, Apolog. 2. Concilium Nycænum appellat magnam Synodum, & de eo scribit in Epistola, quam ad ipsos Africanos dirigit, quòd omnem terram habitabilem, sive orbem implebit universum, nec Indi tantùm illud, sed quotquot sunt apud alios quosque barbaros Christiani noverunt; quin & epistolâ Synodali de Arimini & Seleuciæ Synodis ad Constantinum Imperatorem, quam ipse habet, legimus de Concilio Nycæno, quòd illius doctrina in omnium aures, vel mentes penetravit, vel ut publicè, ubicumque terrarum penetrat promulgata: Non leve igitur indicium est, quòd in hoc universali Concilio non multùm diu post

excitatam

excitatam de hæreticis rebaptizandis controversiam, & post Synodum Arelatensem celebratam actum fuisse ea de controversia, quæ Africanos schismate tam horrendô, & tam perniciosô diviserat; cùm potissimùm Cæcilianus præsens esset, qui maximè tam gravis contentionis à Donatistis fingebatur occasio.

Secundò, idem S. Athanasius epistolâ ad Epictetum scribit in Nycæno Concilio omnes hæreses fuisse profligatas: *Existimabam*, inquit, *omnem omnium, quotquot fuerunt, aut sunt, hæreticorum vaniloquam garrulitatem Nycæno Concilio compressam esse, ac sepitam: nam fides, quæ secundùm Scripturas ibi à Patribus tradita est, sufficiens est ad quamlibet impietatem evertendam, & ejus quæ in Christo est fidei, stabiliendam pietatem*, Subdit paulò infrà: *Nulla in Catholica Ecclesia Synodus præter unam Nycænam æstimanda, quæ omnium hæresum profligatarum, atque imprimis Arianæ, trophæum habenda est:* Quomodo autem ad quamlibet hæresim evertendam, non Arianam tantùm sufficiens dicitur, si hæresim Donatistarum, seu rebaptizantium, de qua tot lites, totque tumultus non ita pridem excitati fuerant, non proscripsit? quomodo vaniloquentiam omnem hæreticorum quoruncumque confudit, omnem impietatem, & irreligionem evertit, piam omnem in Christo D. fidem solidavit; hæresum demum universarum generale trophæum fuit, si adversus aliquos, & præsertim adversus eos, putà rebaptizantes, nihil planè decrevit?

XII. Sed Nycænum.

Tertiò, Sanctus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, cap. 9. respondens ad interrogatum Luciferiani, quod expresserat, cap. 8. *Quare ab hæreticis baptizati suscipiuntur?* post prolixam responsionem in qua etiam meminit controversiæ inter SS. Stephanum & Cyprianum, tandem concludit: *Synodus quoque Nycæna, cujus paulò antè fecimus mentionem, omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samozateni Discipulis, &c.* Quomodo autem hæretici penitus omnes præter Pauli Samozateni discipulos, quia non in nomine Trinitatis Baptismum receperant, in illo Concilio recepti sunt, si de Baptismo Africanorum, & controversia Donatistarum nil prorsus actum est?

Denique, Concilium istud, quod plenarium appellat S. Augustinus, generale fuit, & Oecumenicum, ut jam diximus, ante ipsius S. Augustini nativitatem celebratum: sed antequam natus esset Augustinus, nullum aliud Concilium generale præter Nycænum, celebratum fuit, quod sancto Augustino notum esset: nam, ut dictum est, Sardicense legitimum prorsus ignoravit.

Dices: Sanctus Augustinus illud Concilium intellexit, cujus Canones noverat: sed Canones Nycæni Concilii sibi non erant noti ante sextum Carthaginense Concilium; cùm enim in eo orta esset contentio de appellatione ad summum Pontificem, quam licitam esse, ac probatam ferebatur in Concilio Nycæno, jussit Concilium Nycæni Canones disquiri ex primatiis sedibus; hoc est Alexandrina, & Constantinopolitana, ut quid in eo decretum esset, appareret: igitur S. Augustinus non noverat quid decretum fuerat in Nycæna Synodo.

XII. Quô sensu S. August. dicitur Canones Concilii Nicæni ignorasse.

Respondeo ad minorem, quòd si Augustinus non noverit quid decretum fuisset in Nycæna Synodo, antequam conquisiti fuissent illius Canones ex primariis sedibus, sequeretur, quòd non magis probè tenuisset, post inventos Canones, quid in ea Synodo decretum esset circa rebaptizationem hæreticorum; quia non plures, quàm qui circumferuntur Canones in prædictis Sedibus inventi sunt; attamen aliquid de ejusmodi controversia determinatum fuisse liquet ex his momentis, quæ statim protulimus. Potuit ergo S. Augustinus probè tenuisse, quid actum fuisset in Concilio Nycæno circa controversiam Donatistarum, vel ex fama per totum orbem pervagata juxta testimonium S. Athanasii, maximè verò per Africam, quippe cùm isti Concilio præsens fuerit Cæcilianus, qui noverat quòd in eo decretum quoad rem illam, quæ maximè ad Afros pertinebat, ut inde posset ad Augustini notitiam post aliquantum tempus, per aliorum traditionem pervenire, cùm in Africa ipse viveret. Adde quòd falsum appareat ipsum nescisse Canones Nycæni; quippe cùm in libro de hæresibus hæresi 44. scribat: *Pauliani à Paulo Samozateno Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium ex quo de Maria natus est asseverant, nec eum aliquid amplius, quàm hominem putant: Istos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica Nycænô Conciliô constitutum est: Unde credendum est eos regulam Baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cùm de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.* Quasi per oppositum virtualiter saltem & implicitè dicat visos non esse Conciliô rebaptizandos illos, qui Catholicam Baptismatis regulam in hæresi retentam semper observarent.

Objicies secundò SS. Patres, Epiphanium, & Basilium, qui non obscurè significant, nil præscriptum, ac definitum fuisse in Concilio Nycæno circa non rebaptizandos ab hæreticis baptizatos: *Primò* namque sanctus Epiphanius in Anacephaleosi post enumeratas hæreses num. 8. quosdam errores alios perstringens, sic habet: *Alii, qui audaciores videntur ex Catholicorum partibus privatâ sibi factione conflatâ præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra generalis Concilii decretum, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare nihil verentur, cùm nondum ea res, ut dixi, universali judiciô decisa sit, &c.* Sed nullâ ratione id assereret, si quæstio ista definita fuisset in Concilio Nycæno: nam S. Epiphanius scripsit istum librum annô 11. Valentiniani, & Valentis, ut ipsemet indicat in præfatione ejus operis, hoc est annô 374. Concilium autem Nycænum celebratum est annô 321. aut 25.

XIII. Quare Canonis Nycæni de non rebaptizandis ab hæreticis baptizatis, non meminerit S. Epiphanius.

Nec vales reponere, fortè Canones Concilii Nycæni latuisse S. Epiphanium: contrarium enim ipsemet revincit: nam hæresi 69. quæ est Arianorum p. 11. scribit: *Imperator Ecclesiæ consulens, Oecumenicam Synodum colligit 318. Episcoporum.... eadem in Synodo Canones quidam Ecclesiastici conditi sunt, nec-non & de Paschatis celebratione, &c.*

Deinde sanctus Basilius epist. 1. liberam facultatem admittit rebaptizandi vel non rebaptizandi baptizatos à Catharis, & Encratitis, & Hidroparastatis, &c. ait enim: *Antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano, eos omnes uni calculo subjicere, Catharos, Encratitas, &c. Quare eos, qui ab ipsis hæreticis baptizati erant... jusserunt ad Ecclesiam venientes verò Ecclesiæ Baptismô expurgari: sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter meritorum œconomiam & dispensationem eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.* Et infrà: *Existimo ergo, quòd quoniam nihil est de his, nempe Encratitis, apertè dictum, oportet nos eorum*

nataverint; donec plenariô totius orbis Conciliô, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.

Adde quòd etiamsi Donatistæ non adfuerint Concilio Nycæno, nihilominus eis absentibus disceptari potuit, ac utrinque librari eorum dogma à Catbolicis, absentium objectiones proponentibus, & solventibus, ut definitio fieret explicatior: quemadmodum licèt Lutherani, aut Calvinistæ in Concilio Tridentino disceptatores non fuerint, nihilominus utrinque agitatum est eorum dogma à Catholicis Theologis, ut inde Catholica veritas constantior effulgeret.

QUÆSTIO IV.

Vtrum, & qualis intentio requiratur in Ministro Sacramentorum?

I. Sicut duo sunt in sacramentis; signum & significatum.

NOtandum primò, ex Doctore in 4. *dist.* 6. *quæst.* 5. *num.* 2. quòd cùm in administratione sacramenti duo possint spectari, nempe sacramentum ipsum, & id quod sequitur sacramentum. Per *sacramentum* intelligo, signum sensibile rei sacræ, ordinatum ad hominis sanctificationem; per id autem quod sequitur sacramentum, intelligo finem, quem quisque minister, Sacramentum conferendo sibi proponere possit; putà, si quis conficiat Eucharistiam, vel propter lucrum inde capessendum, vel propter obtinendam aliquam gratiam, & superandas aliquas tentationes: ita duplex in Ministro potest intentio distingui; una quæ respicit sacramentum ipsum conficiendum & ministrandum modô debitô & validô; alia verò, quæ intendit finem assequendum per sacramentum: *Talis autem finis*, inquit Doctor num. 3. *est duplex, scilicet principalis, & remotus, utpote, quòd baptizatus fiat filius regni, qualis fieri non potest si non habeat gratiam, per quam est dignus vitâ. Alius est proximus, & minus principalis, ut scilicet baptizatus fiat Christianus, sive membrum Ecclesiæ militantis, & utrumque finem potest aliquis intendere in universali, vel in particulari.* Quæritur itaque quænam ex illis intentionibus requiratur ad validè conficiendum & ministrandum Sacramentum.

Ita duplex esse potest intentio in Ministro.

Quarum una tendat in sacramentū alia in, &c.

Notandum secundo, quòd cùm sacramentum possit spectari, vel materialiter, quatenus nempe constat rebus & verbis sensibilibus, physice & secundùm suam entitatem spectatis; vel formaliter, & moraliter, videlicet quatenus est signum rei sacræ ordinatæ ad hominis sanctificationem: ita etiam distingui potest duplex intentio Ministri, nempe interior, & exterior: *Exteriorem* appello, per quam aliquis intendit duntaxat administrare sacramentum materialiter spectatum, id est, adhibere res & verba, ex quibus sacramentum conficitur, & constat, nullâ factâ attentione ad ejus significationem, & efficacitatem moralem: *Interiorem* verò dico, per quam aliquis intendit administrare sacramentum formaliter sumptum, id est, sub ratione formali sacramenti: quatenus novit rem & verba quæ adhibet, ordinari ad hominis sanctificationem, & salutem.

II. Insuper alia est intentio *exterior*, & alia *interior*.

Interior alia est *indirecta*, & alia *directa*.

Insuper intentio interior, alia est directa, alia indirecta: *Indirecta* est, quâ per se res non intenditur, sed ratione alterius; talis est intentio homicidii in homine ebrio, qui per se quidem directè tantùm intendit largiorem vini potationem, ex qua nihilominùs prævidet futurum homicidium; quam etiam intentionem non nulli *interpretativam* appellant: *Directa* verò ea est, per quam res aliqua per se & directè intenditur; qualis esset intentio homicidii ab homine mentis & rationis compote.

III. Directa alia est *Habitualis*, alia *Virtualis*, alia *Actualis*.

Notandum tertiò, intentionem directam solitò distingui triplicem, nempe habitualem, virtualem, & actualem: *Habitualis* est illa facilitas, pronitas, & inclinatio Ministri ad conficiendum sacramentum, comparata ex frequenti ejus administratione: *Virtualis* ea est, per quam Minister censetur agere virtute prioris intentionis, quam actu formavit, nec eam retractavit, aut mutavit, quamvis de facto & actu non attendat ad id quod exequitur, nec cogitet de Sacramento conficiendo, & ministrando, quando de facto illud conficit aut ministrat: *Actualis* tandem ea est, per quam Minister actu, & de facto intendit sacramentum conficere, dum illud conficit, aut ministrat.

Actualis alia est *Absoluta*, alia *Conditionata*.

Rursus actualis & virtualis intentio duplex distingui potest; alia quidem absoluta; alia verò conditionata: *Absolutam* dico, quâ quis absolutè & efficaciter intendit alicui conferre sacramentum, & illius effectum: *Conditionatam* verò, quâ tantummodò id intendit sub conditione; idque vel sub conditione de futuro, vel de præterito, vel de præsenti: putà, si quis Sacerdos intenderet absolvere pœnitentem eâ duntaxat conditione, vel quòd debitè confessus fuerit, vel quòd reverà doleat de peccatis, & firmum propositum non peccandi de cætero habeat, vel quòd nullatenus peccet imposterùm.

Denique, Intentio absoluta duobus modis determinari potest: *Primò* quidem ad materiam, & subjectum præsens, abstrahendo ab eo quòd materia sit hæc materia, vel hoc subjectum: *Secundò*, ad hoc, aut illud subjectum, hanc, vel illam materiam in particulari.

IV. Quid de intentione Ministri censuerint Lutherus,

His ita præmissis, resolvendum est, utrum, & qualis intentio requiratur ad confectionem, & ministrationem sacramenti. Lutherus, & Calvinus, eorumque sectatores negant ullam intentionem esse necessariam ex parte Ministri, Lutherus enim in assertione articulorum damnatorum per Bullam Leonis X. *art.* 11. ait, quòd si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non seriò, sed jocô absolveret, si tamen credat se esse absolutum, verissimè est absolutus: quoniam, ut docet, sacramentum institutum est tantùm ad excitandum fidem de apprehendenda divina promissione, per quam fidem apprehensivam censet hominem justificari. Calvinus autem in antidoto Canonis sess. 7. de sacramentis Concilii Tridentini, aliam proferens rationem, ait: *Quod de intentione consecrandi garriunt Sophistæ, nullâ probabili ratione fuit proditum: nam si intentio Ministri esset necessaria, nemo est nostrùm, qui certum sui Baptismi se facere ausit, &c.* Unde subdit: *Ego verò sacro-sanctæ institutioni tantùm defero, ut si Epicureus quisquam inter totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mandato, & secundùm regulam à Deo datam, ritùque legitimò administret, non dubito panem & calicem illius manu porrecta, esse corporis & sanguinis Christi pignora: putidas istas nanias piget excutere, ut cùm dicunt, saltem facienti, quod facit Ecclesia, nempe Magistrorum suorum dictata retinunt.*

Et Calvinus.

Conclusio Prima.

V.
Intentionẽ Ministri esse necessariam definitum est in Conciliis.

REverà ad confectionem, & validam administrationem sacramenti, requiritur in Ministro intentio faciendi rem sacram. Hæc est de fide, determinata in Concilio Florentino, in decreto Eugenii, ubi legimus: *Omnia legis Evangelicæ sacramenta tribus perficiuntur, rebus ut materiâ; verbis, ut formâ; & personâ Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* Et ex Tridentino sess. 7. Can. 11. *Si quis dixerit in Ministris, dum sacramenta conficiunt, conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sessione 14. cap. 6. *Non debet Pœnitens ita sibi de sua ipsiusmet fide blandiri, ut etiam nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus seriò & verè absolvendi desit, ut tamen se propter suam solam fidem verè, & coram Deo esse absolutum credat; nec enim fides sine pœnitentia remissionem peccatorum præstaret: nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocô se absolventem cognosceret, & non alium seriò agentem sedulò requireret.* Et Can. 9. *Si quis dixerit absolutionem Sacerdotalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantùm credat se esse absolutum, aut Sacerdos seriò, sed jocô absolvat, anathema sit.*

Idem constat ex Bulla, quâ Martinus V. in fine Concilii Constantiensis damnat errores Hussitarum & Vviclefitarum, ubi suspectum interrogat, an credat quòd malus Sacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, verè conficiat, verè baptizet, verè absolvat, & alia denique sacramenta verè conficiat.

VI.
Et probatur ratione Doctoris.

Probat Doctor hanc veritatem in 4. dist. 6. q. 5. duplici ratione: *Prima* quidem, num. 4. ex eò quod omnis actus ex se indifferens ad significandam rem sacram, & profanam, debet determinari ab aliquo, ut sit sacer: sed quæ aguntur in sacramentis indifferentia sunt ad multa; possunt enim agi propter officia multa, multosque fines; & ablutio quæ fit in Baptismo, fieri potest ad munditiam corporalem, ad sanitatem corporis, ad ludum, & similia: nihil est autem per quod determinetur ad unum sacramentalem effectum, nisi sola ministrantis intentio: quia determinata verborum forma determinat materialem sacramenti actionem ad effectum proprium: at ipsa verborum forma sacramentalis determinari debet per intentionem Ministri: nam verba, quæ sunt indeterminata, ut in Baptismo hæc: *Ego te baptizo,* nisi determinentur intentione, quâ Minister vult facere quod Ecclesia facit; certum est quòd ablutionem aquæ non ordinarent ad animæ sanctificationem, unde non essent sacramenti forma: Baptizantis autem intentio significatur per verba Evangelica: *Ego te baptizo, &c.* Pariter & intentio Ministrorum in aliis sacramentis per verba eorum formæ.

Probat secundò, num. 3. ex eo quòd omnis actio sacramentalis debeat esse actus humanus, seu judicio deliberatus: nam, ut inquit, intentio re-
» quiritur in quocunque homine agente aliquid non
» fortuitè, vel exercente aliquem actum humanum
» propriè loquendo de actibus humanis, qui scili-
» cet causantur per intellectum & voluntatem ab
» homine: ille autem actus, quem Minister debet
A exercere, debet esse humanus in eo, & non ca- «
sualis vel fortuitus; quia super fortuita non ca- «
dit obligatio: ipsa etiam obligatio est, ut homo «
intendat illud, ad quod obligatur. *Ita Doctor.* «
Quasi diceret: Ministratio sacramentorum necessariò debet importare intentionem Ministri: Tum quia est actus humanus, quippe cùm Christus Dominus sacramenta commiserit Ministris, & dispensatoribus bonorum Ecclesiæ; actus autem humanus necessariò requirit intentionem, quâ dirigatur in proprium effectum; quia quæ fiunt absque intentione, casualia sunt & fortuita; ac proinde censeri non possunt fieri cum deliberatione, & humanô modò. Tum quia Minister, B cùm sit delegatus à Christo, debet agere eô modô, quô sibi demandatum est; & subinde debet intendere id exequi, quod est sibi delegatum, & præceptum: at actio præcepta debet fieri cum intentione; quia super fortuita non cadit obligatio: igitur, &c.

Dices primò: Si requireretur intentio in Ministro sacramenti; maximè, quia Deus non conferret effectum sacramenti, nisi juxta intentionem ministrantis: sed ita non est; plerumque enim Deus gratias, & beneficia divina confert præter intentionem Ministri, seu instrumenti, quô utitur ad illum effectum. Nam Genes. 17. Isaac præter intentionem benedixit Jacob, cùm Esaü be- C nedicere intenderet; quam tamen benedictionem Deus ratam habuit: ergo à simili, licèt Minister conferat sacramentum præter intentionem, non minùs suscipiens, effectum sacramenti consequetur.

VII.
Deus non confert beneficium præter intentionem Ministri.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico, exemplum propositum adversariorum causæ non patrocinari, imò ei adversari; siquidem Isaac reverà habebat intentionem benedicendi unum ex suis filiis, eumque primogenitum instituere, in domo sua, quanquam erraverit in persona: igitur licèt sacramenti Minister errarer in persona, modò reverà intendat sacramentum conferre, non minùs suscipiens effectum sacramenti conse- D quetur.

Dices secundò: Non magis requiritur intentio in ministrante sacramentum, quàm in prædicante Evangelium; siquidem Christus Dominus Matth. 20. eôdem modò delegat Apostolos ad baptizandum, & prædicandum, dicens: *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* sed non præcepit intentionem in docendo; siquidem Evangelii prædicatio, etiam non sincerè, & per invidiam facta proficit, ut docet S. Apostolus ad Philipp. 2. *Quidam quidem, & propter invidiam, & contentionem: quidam autem propter bonam voluntatem Christum prædicant: quidam ex E charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant, non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim dum omni modò, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur? Et in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Igitur ex ordinatione Christi Domini non etiam requiritur intentio in sacramentorum administratione.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, non omni modô, sed duntaxat secundùm quandam comparationem delegatam fuisse potestatem baptizandi & prædicandi; siquidem Baptismus dirigebatur ad omnes prorsus, etiam parvulos; prædicatio verò duntaxat ad adultos; unde licèt duo ista ministeria simul præcipiantur, non ta-

VIII.

Corporis intentio requiratur in conferente sacramenta quàm in prædicante.

men eôdem modô, sed accommodatè ad rem præceptam, & ad suscipientes. Hinc non est eadem prædicationis, & ministrationis sacramenti sors: nam verbum Evangelii proponit quidem res credendas, non autem creditas efficit; unde ex parte ministrantis tantùm est speculativum: verbum autem sacramentale est practicum, & efficax, adeoque ex parte ministrantis debet determinari ad eum effectum, ad quem ordinatur.

Dices tertiò: Sanctus Augustinus dubius hæret, nec quidquam certò definit circa necessitatem intentionis Ministri: igitur non fuit semper ratum, ac certum in Ecclesia Ministri intentionem esse necessariam.

Probatur antecedens ex eodem S. Augustino l.7. de Baptismo, cap. 53. ubi inter varias quæstiones, quas sibi proponit, etiam inquirens, an qui baptizat animô simulatô, vel jocô, vel ludô, reverà baptizet, cùm dixisset: *Nobis tutum est in ea non progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenariò Conciliò determinata sunt: id autem fiduciâ securæ vocis assererem, quod in gubernatione Domini nostri Iesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Subjicit: *Si quis tamen fortè me in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententiam sequi mallem, urgeret, ut dicerem, quid ipse sentirem: si eôdem modò affectus essem, quô eram, cùm hæc dictarem, nequaquam dubitarem eos habere Baptismum, qui ubicunque, & à quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent, quanquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, quâ Catholicæ insererentur Ecclesiæ, &c.* Quibus verbis significat, se non dubitare quin Baptismus administratus verbis Evangelicis sit validus, etiam absque ulla baptizantis intentione, probitate, & fine.

IX.

Dubius hæsit S. Aug. de necessitate intentionis ministri.

Nego antecedens: Sanctus enim Augustinus ibidem eade re dubitabat; quia nullum adhuc Concilium generale id definierat: nunc autem constat intentionis necessitatem in Ministro definitam fuisse in tribus Conciliis, Constantiensi, Florentino, & Tridentino; unde inferre licet, quòd si adhuc superstes esset sanctissimus ille Doctor, huic definitioni, ac veritati acquiesceret: dum autem ait, sibi certum esse, quòd valeat Baptismus Evangelicis verbis consecratus, solùm intendit significare Baptismum esse validum à quibuscunque Ministris, vel hæreticis, vel Catholicis conferatur; non autem quòd ad validitatem Baptismi duntaxat requiratur ablutio cum prolatione verborum formæ cum exclusione intentionis Ministri.

Quia id nondum erat ab Ecclesia definitum.

Instabis: Sanctus Augustinus censet, validum esse Baptismum ab hæreticis collatum: sed ex illius sententia hæretici non possunt habere legitimam intentionem in sacramentorum administratione: ergo reverà non existimat illam intentionem esse necessariam. Major constat ex dictis. Minor probatur ex præfatione in Psal. 32. ubi docet legitimam intentionem dirigi per fidem: hæretici autem non possunt habere fidem: ergo nec intentionem debitam.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico S. Augustinum ibidem non loqui de intentione requisita ad confectionem, & ministrationem sacramenti; sed tantùm de ea, quæ desideratur ad perficiendum bonum opus meritorium, ait enim:

A Nemo computet opera sua ante fidem; ubi fides « non erat, bonum opus non erat; bonum enim « opus intentio facit, intentionem fides dirigit: « non attendas valde quid homo faciat, sed quid « cùm facit, aspiciat, quò lacertos optimæ guber- « nationis dirigat. «

Vrgebis: Idem sanctus Augustinus tract. 5. in Joannem, dicit se non timere Ministrum ebrium baptizantem, sed tantùm attendere ad Christum, cujus nomine, & virtute Baptisma traditur: *Non timeo*, inquit, *adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat:* Sed ebrius non potest habere determinatam intentionem, cùm non sit B compos mentis, & rationis.

Respondet Doctor num. 10. S. Augustinum loqui de ebrioso, id est, de homine ad ebrietatem assueto, & proclivi, non verò de ebrio, & ratione orbato: ebriosus autem, sicut & adulter possunt cum perversa sua habitudine rectam habere baptizandi intentionem. Nec aliud certè intendebat sanctus Augustinus, nam eô loci agit de sacramentis per pravum Ministrum collatis, quæ affirmat esse valida.

X.

Ebriosus potest validè baptizare: non ita ebrius.

Dices quartò: SS. Patres, ut dictum est in quæstione præcedenti, constanter docent in sacramentorum administratione non esse attendendam dantis conscientiam; sed duntaxat virtutem Chri- C sti, cujus nomine, & authoritate sacramentum confertur; quia alioqui salus spiritualis esset incerta, ut ait sanctus Augustinus lib. 1. contra literas Petiliani cap. 3. atqui eadem incertitudo occurreret, si requireretur intentio Ministri: igitur sicut non requiritur in Ministro probitas, ita nec requiritur intentio.

Respondeo, concessâ majore, negando minorem; quamvis enim aliqua incertitudo occurrat, plurimùm tamen abest, ut tanta sit, quanta foret, si ad validam sacramenti confectionem Ministri probitas necessariò desideraretur: vix enim dari potest aliquis ita improbus, qui intentionem non habeat conferendi sacramentum; sæpius au- D tem occurrunt Ministri, qui mortali peccatô inficiuntur. *Adde quòd*, cùm intentio facilè possit haberi, & consequenter non haberi absque gravissima malitia, quam in Ecclesiæ Ministro suspicari facilè non licet; inde moraliter certi esse debemus eum talem intentionem habuisse, sicut habemus de pluribus aliis minùs evidentibus, putà quòd simus filii talis hominis, non verò alterius. *Denique* non major foret certitudo collati nobis veri sacramenti, si duntaxat requireretur materiæ & formæ sacramentalis applicatio: quis enim rescire potest veram, & naturalem aquam in suo Baptismate fuisse adhibitam, & integra formæ verba fuisse prolata?

XI.

Quare magis desideretur intentio quàm probitas Ministri.

Nec inde dubia sit suscipientis salus.

E *Dices quintò:* Sacramenta se habent respectu Ministri, sicut medicamenta respectu Medici; illa enim sunt animi remedia, sicut hæc sunt corporis: sed medicamenta corporum non egent intentione Medici ad suos effectus: ergo nec sacramenta intentione Ministri.

XII.

Differunt medicamenta spiritualia à corporeis.

Nego majorem: Sacramentorum enim collatio verè est actus humanus, qui tantùm operatur ex intentione divina; quare ne quidem esse possunt sine agentis intentione, nec agere ex opere operato; quippe cùm illa Ministri intentio contineatur in illo opere operato, cùm istud sit humanum opus.

Dices 6. Sacramenta sunt signa sensibilia ac proinde constare debent rebus sensibilibus: sed

intentio ministri non est quid sensibile : igitur nil confert ad valorem & integritatem sacramenti.

XIII. Quomodo ministri intentio spectet ad sacramentũ, cùm non sit sensibilis.

Distinguo majorem: Sunt signa sensibilia speculativè significantia, nego: practicè concedo. Ut autem significent practicè, oportet quòd annexam habeant intentionem operantis & ministri efficientis, quia actio sacramentalis fieri debet humanô modô, sic autem fieri nequit, ut diximus, absque deliberatione & intentione. *Vel aliter* distinguo cum Doctore *quæst. 5. num. 9.* Sacramenta constare debent rebus sensibilibus, si res illæ habeant rationem materiæ & formæ, concedo: si se habeant ut determinantes materiam & formam ad esse sacramentale, nego. Vel ut loquitur Doctor, Dico quòd ad baptismum pertinent aliqua tanquam intrinseca, & aliqua ut extrinseca: Et concedo quòd nihil intrinsecè pertinet ad ipsum vel ad fundamentum ejus, nisi sit sensibile: tamen sicut causa efficiens requiritur necessariò ad ipsum tanquam causa extrinseca, ita & illud quod est quasi principium agendi tali causæ effectivæ: Principium autem ultimatum determinans agens intellectuale ad agendum, est intentio; quia tale agens per imperium voluntatis est causa activa motiva aliarum potentiarum quæ subjacent imperio voluntatis. Quando ergo dicitur quod nihil pertinet ad sacramentum nisi sit aliquid sacramenti vel res ejus; verum est de eo quod est intrinsecum ipsius sacramenti, vel signati ipsius sacramenti: sed intentio neutrô modô est intrinsecum, requiritur tamen ex parte agentis. *Hæc Doctor*, quibus significat materiam & formam, quibus intrinsecè constare debet sacramentum, debere quidem esse sensibiles: secus autem de iis quæ sunt velut extrinseca & ex parte agentis concientis ac conferentis sacramentum.

Conclusio Secunda.

Sola intentio exterior non sufficit ad validitatem sacramenti, sed necessario requiritur etiam interior. vel faciendi quod facit Ecclesia: vel quod Christiani facere solent: vel quod Christus D. jussit: vel saltem faciendi Christianum eum, qui baptizatur. Ita Doctor locô supra laudatô, num. 4. ubi ait: Dico ergo quòd intentio finis ultimi nullo modò requiratur in baptizante, quia Paganus nullô modô intendit ordinare istum, quem baptizat, ad vitam æternam. Requiritur tamen intentio respectu finis proximi: & hoc vel in particulari, vel in generali: in particulari, ut si intendat istum intrare legem Christianorum servandam: in generali, si intendit facere circa istum, quod Christiani solent facere circa suos.

XIV. Non sufficit intentio tantùm exterior.

Probatur etiam conclusio iisdem momentis, quibus firmata fuit præcedens; Concilia namque ibi laudata apertè docent, ad validitatem sacramenti necessariò requiri intentionem in Ministro faciendi quod facit Ecclesia: hæc autem intentio non solùm est exterior, sed interior.

Confirmatur: Quia si tantùm exterior intentio requireretur, consequens esset, quòd si per ludum aut jocum aliquis baptizaret, aut absolveret, validum conferret sacramentum: at hoc falsum est, & directè militat in Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6. ubi ait: *Non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit Contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi, desit.* Subdit: *Nec is esset, nisi de sua salute negligentissimus, qui Sacerdotem jocò se absolventem cognosceret, & non alium serio agentem sedulò requireret.*

Nec valet reponere; Concilium loqui duntaxat de subsannatione exteriori, non veró duntaxat de sola interiori, quæ per externa signa non declararetur. Contrarium enim apparet: *Primò*, quia cum subsannatione exteriori potest æquè subsistere exterior intentio servandi ritus Ecclesiæ, sicut cum subsannatione interiori. *Secundò*, quia in rei veritate cum subsannatione exteriori potest quis validè baptizari, si in Ministro adsit interior intentio verè baptizandi, & consequenter subsannatio exterior non officit sacramento, nisi propter interiorem, ideoque si hæc non nocet, nec illa nocere potest.

Probatur secundò: Quia ad sacramenti perfectionem ea requiritur intentio, quâ Minister sese agenti principali conformet, & res, & verba ex se indifferentia determinet ad esse sacramentale: sed intentio faciendi quod facit Ecclesia, seu quod Christiani facere solent, est ea, per quam Minister se conformat Christo principali agenti, & materia ac forma applicata determinatur ad sacramenti constitutionem, cùm ex se sint indifferentia ad alium affectum, si talis desit intentio. Quod utique constat; nam posset aliquis puerum balneô lavare sanitatis causâ in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, quas divinas personas invocaret ad instaurandam pueri sanitatem; quamvis autem hæc ablutio haberet eandem materiam & formam, quæ solet adhiberi in conferendo sacramento Baptismatis; illa tamen non foret sacramentum: quia balneans, & abluens non haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit pro sacramento Baptismi: igitur, &c.

Dices primò: Minister se se habet ad sacramentum, ut instrumentum Christi, & Dei; non enim est agens præcipuum respectu effectûs sacramenti: sed actio non perficitur per intentionem instrumenti, sed per intentionem agentis præcipui: igitur sacramentum potest esse validum, etiamsi nulla adsit interior intentio Ministri.

Respondet Doctor quæst. laudatâ *num. 9.* ad majorem, quòd Minister est causa secunda respectu ablutionis, non tantùm ablutio est, sed ut sacramentalis; & ideo habet propriam intentionem, cùm sit agens voluntarium, & non naturale; illam scilicet, quæ pertinet ad cognoscentem: sed respectu principalis effectûs Baptismi, scilicet gratiæ, potest dici instrumentum respectu Dei, eô modô, quô agens dispositivum dicitur instrumentum respectu perficientis: & tale agens non habet intentionem respectu termini principalis agentis, sed respectu sui proprii termini; & ita concedo, quòd non est necesse baptizantem habere intentionem respectu ultimi finis Baptismi: sed respectu Baptismi. *Hæc Doctor*, quibus significat Ministrum esse causam secundam respectu sacramenti, sed respectu gratiæ esse duntaxat instrumentum dispositivum: non est autem necesse, quòd conferens Baptismum intendat producere gratiam, sed sufficit, quòd intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christiani facere solent. XV.

Unde in forma distinguo minorem: Actio non perficitur per intentionem instrumenti, quod est inanime, & rationis expers, qualis est penicillus,

qui solâ pictoris intentione, non autem propriâ movetur, concedo: ejusmodi enim instrumentum in tantùm confert ad effectum, in quantum movetur ab agente principali: si sit instrumentum animatum & rationale, qualis est aut servus in familia, aut præfectus & Judex à Rege delegatus, qui nomine Regis jus populis administret, nego: cùm enim Rex non eis determinet actiones particulares, sed eos relinquat in eorum arbitrio, hinc est, quòd egeant prudentiâ, quâ certas actiones exerceant ex intentione, & deliberatione: sacramentorum autem Minister est ejusmodi: non enim tantùm est instrumentum Dei, & Christi secundùm vim motricem; siquidem non solùm movetur, & agitur; sed etiam aliquô modô seipsum movet, & agit. Ejus enim prudentiæ Christus Dominus multa commisit in speciali & determinata sacramentorum administratione; Ministri namque sacramentorum sunt dispensatores mysteriorum Dei: sed ex 4. cap. 1. ad Cor. *Inter dispensatores quæritur, ut fidelis quis inveniatur*, ac proinde deliberatione, & intentione eget, ut debitè commissum ministerium impleat.

Et tamen actionem ex se indifferentem determinet.

Urgebis: Instrumentum etiam ratione præditum non requirit peculiarem intentionem, ut actio, ad quam assumitur, debitè fiat per causam principalem: igitur hac ratione non est opus intentione Ministri ad valorem sacramenti. Probatur antecedens: Quis enim potest ex alterius commissione emere aut vendere, nuptias cum absente sponsa contrahere, & alteri inservire per modum interpretis ad deponenda sua peccata coram Sacerdote: sed quovis animô id exequatur ille Minister, & sive actionem improbet, sive approbet, sive volens interius, sive nolens; actio, quam gerit, censetur valida: igitur, &c.

Respondeo, aliquid posse fieri per Ministrum duobus modis: *Primò*, ut referat tantùm mentem, & voluntatem hominis, qui cùm rei gerendæ interesse non possit, ipsum ut delegatum, internuntium, & interpretem assumit & constituit: *Secundò*, itaut ille delegatus domini sui personam sustineat, & vices agat; ex suo tamen arbitrio commissum sibi ministerium impleat, ut œconomus, aut dispensator rerum familiæ. Itaque *distinguo antecedens*: Instrumentum ratione præditum potest aliquid validè facere citra intentionem, quando rem non exequitur ex proprio arbitrio, nec illa res pendet ab ejus voluntate, sed habet duntaxat rationem internuntii, aut interpretis, concedo: secus, nego: Minister autem sacramenti habet partem in confectione sacramentorum, quorum est œconomus & dispensator, & illa dispensat, & administrat ex proprio nutu, & arbitrio: igitur neganda est consequentia.

XV.

Dices secundò: Non requiritur interior intentio faciendi quod facit Ecclesia si Baptismus per jocum & ludum collatus, censeatur validus: at ita est: igitur, &c. Major constat: qui enim mimicè tantùm, & ludicrè operatur, non aliam habet intentionem, quàm ludendi, & risum ac voluptatem aliis faciendi. Minor verò probatur ex facto S. Genesii Romani Martyris; nam, ut testatur Ado, in suo Martyrologio ad diem 25. Augusti: Cùm Genesius mimum ageret in Theatro coram Diocletiano, ut ludum exhiberet Imperatori, finxit se ægrotare, & proposuit baptizari; ideoque accersiti sunt alii duo Mimi, qui Presbyteri; & Exorcistæ personam gerentes, eum aquâ laverunt; ab eis autem interrogatus utrum crederet, respondit ex animo se credere, statimque vidit desuper manum cœlitus venientem, & Angelos Dei radiantes circa se stantes, qui omnia peccata ejus in ipsa aqua laverunt, unde tali visione mirum in modum confortatus, liberè, & constanter coram Imperatore professus est, se esse Christianum, & idolorum cultum cœpit execrari: quapropter variis tormentis laniatus, tandem capitis obtruncatione gloriosum martyrium subiit.

XVI. Non valet baptismus per iocum ministratus.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico *primò*, sanctum Genesium dici posse fuisse baptizatum non ministeriô hominis, sed Angeli cujusdam ex illis, qui circa illum steterunt. *Secundò*, quòd cùm repente mutatus esset, & Baptismum seriò postularet, potuit docere ipsum Pseudo-Presbyterum ritum legitimum administrandi Baptismum, adeoque licèt talis actio visa fuerit sedentibus in theatro, tanquam subsannatio; potuit tamen reverà censeri Baptismus seriò collatus. Unde in Martyrologio Rom. legimus: Cùm Genesius mysteriis Christianorum illuderet, inspiratus à Deo, repente conversus ad fidem, baptizatus est. *Tertiò* denique, dici posset non fuisse fortè verum Baptisma; licèt enim Genesius non fuerit denuò baptizatus, justificari tamen potuit per vivam illam fidem charitate formatam, quâ Catholicam Religionem animosè professus est, & martyrium subiit; unde fortè nonnisi specietenus baptizatus est Baptismô fluminis, reverà autem mundatus per Baptismum flaminis & sanguinis.

Explicatur factum S. Genesii.

Urgebis: Reverà Baptismus per jocum & ludum sine ulla intentione vera collatus, approbatus fuit ab Ecclesia: ergo præfata solutio nulla. Probatur antecedens: nam Baptismus ab Athanasio adhuc puero ludi gratiâ collatus aliis pueris, ratus habitus est, & validus ab Alexandro Episcopo Alexandrino, & ex Concilio Sacerdotum judicatum est pueros illos non esse rebaptizandos, ut constat ex Ruffino lib. 1. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 14. *Alexander*, inquit, *collocutus cum Concilio Clericorum statuisse dicitur, illis, quibus integris interrogationibus, & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari Baptismum non debere, sed adimpleri ea, quæ à Sacerdotibus ministrari mos est.* Idem testantur *Socrates* lib. 1. cap. 11. *Sozomenus* lib. 2. cap. 16. *Nicephorus* lib. 8. cap. 14. Quòd autem Baptismus ille collatus fuerit cum sola intentione exteriori, constat: quænam enim potuit esse alia intentio in puero cum pueris colludente, & Episcopum simulante? igitur, &c.

Respondeo primò, negari posse antecedens, & illius probationem; historia enim illa non ita videtur certa: Primò namque fuit à Ruffino scriptis mandata; ille autem eam dubiam habet, ut rem quæ aliorum narratione vulgaretur, unde illam referens, ait: *Ferunt, &c.* Secundò, Authores, qui prædictam historiam referunt, invicem non consentiunt: Socrates enim ait, quòd Alexander prætergrediens ludentem Athanasium contemplatus fuerit: Sozomenus eum animadvertisse, cùm Clericos convivas expectaret; Nicephorus autem, quòd in loco sublimiori sedens hunc ludum observaverit. Tertiò, idem Socrates ludum hunc puerilem narrans, prætermittit ea, quæ spectant ad Baptismum, neque ullum verbum facit de aliquibus pueris ab Athanasio baptizatis. Verùm, cùm Ruffinus memoret, se il-

XVII. Et S. Athanasii adhuc pueri per lusum pueros baptizantis.

lam bistoriam accepisse ab his, qui cum ipso Athanasio vixerunt; idcirco netot tantisque Authoribus fides denegetur, suppositâ ipsius rei veritate;

Respondeo secundò, Athanasium baptizando habuisse intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quod utique colligi potest, *Primò* ex eo quòd Athaoasius tunc temporis licèt dicatur puer, oihilominus non erat ætatis ita parùm provectæ, quin potuerit intentionem legitimam interiorem habere: Tum qnia de Athanasio speciatim Sozomenus tradit, quòd Alexander non ita diu post eum Convictorem suum, & scribam constituerit: Nicephorus addit, qoòd non ita longô post tempore illum in Diaconorũm ordinem evexerit.

Cui consentit Socrates, scribit enim: *Cùm jam adolevisset Athanasius, Alexander eum ordinavit Diaconum, Niceam duxit secum, ut ibi in Concilio sibi esset in disputando subsidio*; unde fit consequens Athanasium ad minimum fuisse 12. annorũ, cùm hunc Baptismum faceret; Alexander eoim eum sibi reliquit successorem in Episcopatu Alexandrino: testatur autem Baronius eum mortnum fuisse annô Domini 326. ludus autem ille, ut refert Ruffinus, contigit annô 311. ac subinde ad minus duodecennis puer erat Athanasius, qui cùm aliunde esset eximiâ ingenii sagacitate, ac solertiâ præditus, facilè potuit intelligere quæ necessaria erant ad Baptismum: Id confirmatur ex eo quòd Ruffinus ibidem dicat, pueros ab Athanasio baptizatos, fuisse Catechumenos; ac subinde jam de rebus fidei eruditos: ergo multò magis ipse Athanasius eas noverat.

Tum quia idem Ruffinus narrat, quòd cùm „Alexander hunc ludum puerorum inspexisset, vo„cavit ad se Clericos, & eis quid eminùs ipse vi„deret ostendit: Tum eos ire jubet, & compre„hensos omnes pueros, ad se perducere: eùm ad„essent pueri, quærit quis eis ludus, quid egissent „& quomodo: illi ut talis habet ætas, pavidi ne„gare primò: tum rem gestam ordine pandunt, & „baptizatos à se quosdam Catechumenos fatentur „per Athaoasium, qui puerilis ludi simulatus fue„rat Episcopus: Alexander diligenter ab iis, qui „baptizari dicebantur, qnid interrogati fuissent, „quid respondissent: simul & ab eo qui interroga„verat; ubi videt juxta Religioois nostræ ritum „omnia constare, statnit ex Concilio Clericorum, „iis quibus aqua fuerat infusa, Baptismum iterari „non debere, sed adimpleri ea, quæ solent à Sacerdotibus. *Hæc Ruffinus*: Sed Alexander non adhibuit hoc examen, nisi ut expenderet an baptizans habuisset intentionem faciendi, qnod viderat in Ecclesia fieri ab Episcopo baptizante: igitur, &c.

XVIII. Ludus dupliciter fieri potest.

Nec obstat, quòd Baptismus ille fuerit per ludum collatus; ludns enim & jocus distingui potest duplex. *Vnus* quô nullâ res seria intenditur, sed tantùm simulatio, fingendo videlicet facere, qood reverà tamen non fit, ut cùm in comedia qois fingit se manducare, & lugere, cùm tamen reverà non manducet, nec lugeat; alius verò, quô ludus intenditur, tanquam finis extrinsecus actionis, nihilominus serio geritur id quod fit, quemadmodum histriones solent in theatris interdum cœnam instruere ad celebrandas nuptias, ubi reverà bibunt, & comedunt, quanquam id præstent ad oblectandos spectatores: hôc autem posteriori modô ludendo baptizabat Athanasius, dirigebat enim baptizandi intentionem ad recreationem, & ludum: quemadmodum Ministri avari sacramenta conferunt propter comparandam pecuniam.

XIX. Pari ratione solvitur factum pueri Judæi à pueris Christianis baptizati.

Eâdem solutione solvitur factum, quod narrat Nicephorus lib. 3. cap. ult. ubi scribit: Christianorum pueris, *inquit*, Hebræus puer familiaris „erat, & cùm eos ad mare colentibus natandi in„cessisset cupiditas, coosecutus est eos Judæus, „tum per ludnm pueri, nudum ad mare stantem „baptizârunt, principiô non invitum: postea quàm „verò & tertiam divini numinis appellationem no„minârunt, & simul tertiam mersionem perege„runt, extremâ lineæ vestis texturâ discissâ ima„ginariô amictu factô in capite ejus arcanam my„sticamque galeam adumbrâruot: Deinde pro ce„reo dexteram lignô renui armantes, quæ ejus sa„cri ritûs sunt mysteria omnia absolverunt: po„stremò & circum vicinum templum psallentes „obambulârunt, ut verò etiam templum ingressi „sunt, sanctum munus receperuot: idem porro ex „æquo qui ita Baptismô initiatus erat, fecit. Quam „rem per diligentem inquisitionem cognitam, qui „ibi sacris præfuit, ad Ecclesiam Constantinopoli„tanam renunriavit: eò etiam puer est accitus, cùm „quidam Judæi, ne id fieret, multa molirentur; „atque ibi quoque deeretum, ot tantùm ab illo „quod deesset, juxta mysterii executionem com„pleretur. Et ita factum est; qui puer, ubi adju„stam ætatem pervenit, in sacerdotũ Ordinem est „allectus, & ædituus, seu Custos maximi templi „factus etiamnum ibi vivit.

Eadem, inquam, solotio, quæ præcedens recurrit; ex hac enim narratione colligitur, quòd isti pueri jam essent grandevi; quippe cùm natationi incumberent, & insuper quod suscipiens habuerit intentionem Baptisma reverà accipiendi; dicitur enim volens illud accepisse; ac subinde validus fuit ille Baptismus, cùm nec materia, nec intentio in suscipiente & conferente deesset.

Dices tertiò: Si in Ministro sacramenti requireretur interior intentio faciendi quod facit Ecclesia, maximè illa intentio dirigi deberet ad id, quod facit vera Ecclesia: sed Baptismus collatus ab eo qui non intendit facere quod facit vera Ecclesia, non minùs est validus: igitur ad validitatem sacramenti talis intentio non requiritur. Major constat. Minor probatur: Hæretici validè baptizant: sed non intendunt facere quod facit Ecclesia Romana, quæ sola est vera, sed Calvinistæ v. g. tantùm intendunt facere, quod fieri assolet in eorum secta & congregatione, quæ non est Ecclesia vera, sed potiùs synagoga Sathanæ: igitur, &c.

XX. Quare Calvinistæ verè baptizent quamvis erroneâ videantur habere intentionem.

Nego minorem, & ejus probationem distinguo: Calvinistæ non habent intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia Romana, quoad effectum sacramenti, putà impressionem characteris, gratiæ sanctificaotis infusionem, & realem peccatorum remissionem, concedo; non enim existimant hæc omnia per Baptismum fieri, & conferri: non intendunt facere, quod facit vera Ecclesia, quoad actum sacramentalem, institutum à Christo, quem vera Ecclesia ministrat, & celebrat, nego: quanquam enim Calvinistæ non credant Ecclesiam Romanam esse veram, nec in ministrando Baptismare intendant facere quod illa præstat, & consequenter habeant intentionem materialiter oppositam intentioni veræ Ecclesiæ; habent tamen intentionem ipsi formaliter conformem: illi siquidem intendunt facere quod Christus instituit, & fieri mandavit; hoc autem ipsum est, „quod Ecclesia

clesia Romana in ministrando Baptismate intendit. Quamobrem Calvinistæ, vel alii hæretici volunt facere, quod Ecclesia vera formaliter facit; volunt enim facere quod facit Ecclesia Christi, licèt in hoc errent, quòd existiment, illam Christi Ecclesiam non aliam esse, quàm suam Congregationem.

Instabis: Vera Ecclesia non tantùm intendit actum Baptismi, sed etiam ejus effectum, scilicet peccati remissionem, gratiæ sanctificantis infusionem: at hæretici istud non intendunt, ut concessum est: igitur non intendunt facere, quod facit vera Ecclesia.

Distinguo majorem: Vera Ecclesia id intendit primariò, & formaliter, nego: sic enim duntaxat intendit sacrum opus, actum & ritum sacramentalem: id intendit materialiter, consequenter, seu secundariò, concedo: & similiter distinctâ minore, neganda est consequentia; non enim est necessum, quòd Ecclesiæ Ministri distinctè, & directè intendant id omne, quod intendit Ecclesia; licèt hoc laudabile sit: Unde Baptismus à Pelagianis collatus, admissus fuit ab Ecclesia, quanquam ipsi in conferendo Baptismate, non intenderint remissionem peccati originalis, quod non agnoscebant.

CONCLUSIO TERTIA.

XXI. *Habitualis intentio non sufficit ad validam sacramenti administrationem; virtualis autem est sufficiens, actualis verò est perfectissima:* Hæc est communis apud Theologos, eamque tradit Subtilis Doctor in *4. dist. 6. num. 3.* ubi ait: Dico, quòd sola intentio habitualis non sufficit in Baptismate: quia propter istam non dicitur actus ejus, licèt sit conformis illi habitui actus humanus. Nam si aliquis habeat habitum inclinantem ad desiderium sanitatis, si curatur nullo modò intendens sanitatem, sed ad ludum, non dicitur consequi sanitatem per aliquem actum humanum, sed casualiter vel fortuitè, non magis, quàm si non habuisset intentionem ad sanitatem: ergo sola intentio habitualis non sufficit respectu finis actûs humani, ut humanus est. Nec requiritur in baptizante semper intentio actualis: quia non obligavit Deus hominem ad impossibile, vel nimis difficile, cujusmodi est non distrahi: quia secundùm Augustinum 3. de lib. arb. *Non est in potestate nostra, quin visis tangamur:* Nec etiam plus obligavit Ministrum in illo actu, quàm in exequendo actus aliorum Sacramentorum. In conficiendo autem Eucharistiam, quæ est excellentissimum sacramentum, non obligavit hominem ad non distrahi, quia priùs intendens celebrare, licèt in proferendo verba sacramentalia distractus sit; verè tamen conficit.

Insufficiens est intentio habitualis.

Actualis non est necessaria:

Ut optimè probat Doctor.

Ex his concludo, quòd sufficit in baptizante intentio virtualis, hoc est, quòd aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua descendit tunc verè actus baptizandi, sive in isto actu habeat intentionem actualem, vel aliquam ex ea descendentem; sive non. Intelligo autem, quòd descendit iste actus absque omni motu voluntatis contrario interveniente. Sicut si induens se ad Missam, intendens celebrare secundùm usum Romanæ Ecclesiæ, & ex isto procedat continuò fortè secundùm aliquem habitum derelictum in phantasia, cum magna distractione verò facit ea, quæ necessaria sunt ad istum actum sacramentalem, qui est conficere.

Virtualis sufficit.

Probatur autem conclusio: Quia (ut diximus) Minister in sacramentis debet operari humanô modô, hoc est, cum deliberatione, & judicio: sed res, quæ fit cum intentione tantùm habituali, non fit semper cum deliberatione, & judicio; ebrius enim, & furiosus multa potest exequi ex habitu aliunde comparato. *Deinde,* habitualis intentio est indifferens ad hunc, aut illum effectum, nec determinari potest ad unum potius, quàm ad alterum, nisi accedat quædam actualis advertentia mentis, & deliberatio voluntatis; si quis enim habitu misericordiæ præditus, nihil de eleemosyna cogitans projiciat pecuniam, quam pauper accipiat; illa pecuniæ projectio, & collectio non censetur actus misericordiæ: quia fit absque advertentia rationis, & deliberatione voluntatis; unde sequitur, quòd si quis dormiens, aut amens ex contracto habitu baptizaret, aut verba consecratoria proferret super debitam materiam, nullus esset Baptismus, nullaque consecratio, cùm ipse potius ageret ex impetu, & operaretur instar naturæ, non verò modô humanô, & voluntariô.

Dices: Intentio habitualis sufficit ad suscipiendum sacramentum: igitur & ad conferendum. Probatur antecedens: Si furiosus, aut amens per lucidum intervallum postulaverit Baptismum, deinde furore, aut amentiâ corripiatur, non tantùm non potest, sed etiam debet ei Baptismus conferri: quoniam ille censetur habere intentionem habitualem suscipiendi Baptismatis: igitur, &c.

Nego consequentiam: Plura namque requiruntur ad conferendum sacramentum, quàm ad suscipiendum; quia suscipiens se habet ad modum patientis, non agentis; ideo in eo solùm desideratur, quòd non ponat obicem per reluctantiam voluntatis: qui verò sacramentum ministrat, cùm habeat rationem agentis, idcirco tenetur per operationem humanam sacramentum administrare, & ejus materiam, & formam ad esse sacramenti determinare: id autem fieri nequit, nisi sit in eo voluntatis actus, cum actione sacramentali conjunctus, quô velit implicitè, vel explicitè facere quod facit vera Ecclesia; ac subinde necessum est quòd ejus actio vel habeat annexam illam intentionem, vel saltem ex ejus virtute procedat.

Dices secundò: Si quis ebrius ex habitu percutiat aliquem, ejus intentio sufficit, ut ei deputetur ad peccatum, & subjiciatur pœnæ: igitur pari ratione illa intentio habitualis sufficiet ad bonum aliquod opus præstandum, & consequenter ad validam sacramenti confectionem.

Nego consequentiam: Nam illa percussio non vertitur vitio, nec imputatur ad culpam, pro tempore, quô ebrius, aut amens eam elicit in amentia aut ebrietate; sed solùm propter pravam habitudinem, & voluntariam consuetudinem ac complacentiam: hæc autem de actione sacramentali dici non possunt: nam illa æstimari debet ex tempore, quô elicitur; quippe cùm ejus materia & forma ex se indifferentes, determinari debeant ad esse sacramenti per intentionem conferentis.

XXII. *Probatur secunda pars,* nempe quòd actualis intentio sit sufficientissima, & omnium optima; omnis enim intentio sufficiens ad sacramenti veritatem in actuali fundatur, & ab ea vim suam accipit: unde Minister eniti debet eam habere ministrando, quia tendere debet ad ministerii sui

Actualis intentio est omnium optima.

perfectionem. Hæc tamen non est omnino necessaria; Deus enim justior est, qoàm qui ad impossibilia obliger: at est impossibile Ministum habere semper actualem intentionem in administratione sacramenti; mentis enim evagatio probiberi non potest; nam bumanum ingenium adeo lubticumest, & inconstans, ut suam in una re cogitationem diu retinere non possit: in potestate nostra quippe oon est, ut variis sensibilibus objectis subinde non afficiamur, & ad diversa pbantasmata oon distrahamur.

Virtualis tamen sufficit.

Tertia pars denique constat, oempe quòd intentio virtualis sufficiat. Ut enim actio sacramentalis fiat debitô modô, sufficit quòd fiat cum ea deliberatione, quæ requiritur, ut actio sit moralis & humana: at ad id sufficiens est intentio virtualis, ut omnes fatentur, ac proinde etiam sufficit ad legitimam sacramenti ministrationem. Hanc veritatem probat Doctor eadem *dist.* 6. *quæst.* 6. *num.* 2. ubi ait: » Si aliquis intendit in principio Missæ, celebrare Missam, si posteà est distractus, non habet actualem intentionem, quando est distractus, patet; quia non intelligit tunc illud in actu: ergo nec vult illod in actu, nec habet tantùm inteotionem habitualem, quia talem habet dormiens: habet ergo se mediô modô: & hanc ejus dispositionem appello *intentionem virtualem*, quia scilicet virtute alicujus intentionis priùs habitæ actualiter, facit omnia quæ facit, ex illa tanquam ex radice: ita quòd illa intentio actualis fuit principium ordinatum ad omnes istos actus, & habet in se virtualiter intentionem propriam cuilibet istorum actuum, sicut intentio finis habet in se virtualiter intentionem propriam cujuscunque ordinati ad finem: & pro tanto manente intentione cujuscunque ad finem ordinati, maoet ista intentio actualis prima, virtualiter in omnibus istis.

» Hôc modô intendens ire ad sanctum Jacobum, ex intentione bujus finis, ordinat molta alia necessaria ad illum finem. Exequens autem illa ordinata, non semper cogitat de S. Jacobo, nec de reverentia ejus. Dico tamen, qood semper meretur, quia vel habet intentionem eorum, quæ sunt ad finem, cujus est illa prima intentio: vel habet actus aliquos seqoentes ex illis iotentionibus; licèt cum illis actibus concurrant aliqui actus distrahentes, & ab intentiooe illa prima, & ab intentionibus propriis eorum, quæ sunt ad illum finem, sicut declaratum est in 2. *lib. dist.* 14. *& in* 3. *dist.* 15. ubi dictum est, quòd fortè Martyres in actu sustinendi Martyrium, non habuerunt intentiooem, oisi istam virtualem: quia immensitas pœnarum absorbebat fortè usum rationis; ista tamen perpessio pœoatum erat quidam effectus derivatus ex intentione servandi fidem Dei: & ideo dum durabat passio, durabat semper ista intentio virtualiter, sicut in effectu.

XXIII. Requiritur intentio directa.

Ex his sequitur, ad valorem sacramenti requiri intentionem directam in Ministro, quâ velit actionem sacramentalem, & rem sacram ac religiosam perficere ac celebrare: oam Minister in sacramentis debet operari humanô modô; ac subinde cum deliberatione, & judicio; sed id qood fit cum intentiooe tantùm indirecta non censetur fieri bumanô modô: igitur qui vellet tantùm actionem sacramentalem in alia, putà Baptismum in largiore vini potu, quia videlicet experimentô compertum habet, se toties moveri ad baptizandum, quoties largiùs biberit, non baptizaret.

XXIV.

Sequitur secundò, aliqua sacramenta validè ministrati sub conditione de præsenti, vel de præterito; siquidem jus Canonicum decernit *cap.* 2. *de Baptismo* valere Baptismum conditionatum: nam de quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizaotur bis verbis præmissis, *Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.* Ratio autem hujus assertionis est, quia illa conditio de præsenti, vel de præterito transit in absolutam, juxta illud Instit. de Verb. oblig. 7. *Conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt.* Veluti, si Titius Coosul fuit, vel S. Mævius vivit, dare spondes? Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio: sin autem ita se habent, statim valet. Quæ enim per rerom naturam sunt certa, non morantur obligationem, licèt apud nos incerta sint. Ita jus civile, quô utitur Ecclesia, nisi sacris Canonibus contradicat, *cap.* 1. de novi operis nuntiatiooe ibi: Quia verò sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutiooibus adjuvantur.

Sub qua conditione possint interdum sacramenta ministrari.

Secus autem est de intentione conditionali pro futuro, maximè de ea conditione, quæ humanô modô cognosci non potest, putà si Sacerdos hâc conditione pœnitentem absolveret: Absolvo te, si es prædestinatus, vel si non sis denuò peccaturus: nam illæ conditiones suspendunt actum sacrameotalem: quod enim ut existat, pendet ab eventu alicujus effectûs ponendi, oon potest dici existere, quandiu suspenditur positio ejusmodi effectûs: sed ita est de ejusmodi intentione conditionali pro futoro contingenti: igitur, &c.

Nec refert, quòd conditio de futuro contingenti, non minùs sit in se certa, quàm quæ est de præterito & præsenti: oam conditio de futuro, quæcunque illa sit, suspendit intentionem; oec talis conditio potest dici efficax, quandiu non ponitur effectus: cooditio enim de futuro juxta communem concipiendi modum, apponitur ad sospendendum effectum, donec impleatur.

XXV. Intentio debet esse determinata circa subjectum saltem in specie:

Sequitur tertiò requiri quòd ministri iotentio sit determinata circa materiam ac subjectum, saltem in specie. Non tamen requiritur ot sit determinata ad subjectum vel personam in particulari, si matrimonii sacramentum excipias.

Prima pars constat, quia actio sacramentalis debet procedere ex intentione ministri; at ita ooo procederet nisi versaretur circa materiam determinatam & subjectum capax suscipiendæ illius actionis sacramentalis; aliàs enim actio illa esset omnino vaga & absque deliberatione & judicio.

Adde quòd formæ sacramentorum designent aliquod subjectum præsens, ut constat ex his verbis: *Ego te baptizo*, &c. *Absolvo te*, &c. *Hoc est Corpus*, &c. Nam illæ particulæ *te* & *hoc*, aliquam personam aut rem præsentem demonstrant. Hinc fit ut si sacerdos habeat præ manibus duas formulas, & unam duntaxat intendat consecrare, non determinando quænam illa sit, neutram consecrabit; quia intentio non est determinata sed vaga & indifferens. Si verò putet se unam habere præ manibus & reverà duas habeat, modò velit consecrare id quod habet præ manibus, otramqoe consecrabit.

Non autem in particulari.

Secunda pars, est etiam evidens, quia non potest meliùs colligi quæ debeat esse sacramētalis intentio quàm ex formis sacramentorum: atqui ex his non apparet quòd illa inteotio debeat esse deter-

minata in individuo; quia valida est illa forma circa quodlibet subjectum capax sacramenti suscipiendi. Unde si Paulus accedat ad deponenda sua peccata coram sacerdote, qui existimat illum esse Petrum; quamquam Sacerdos intendat absolvere eum quem existimat esse Petrum, non minùs valida erit absolutio.

Tertia pars tandem apparet: cùm enim in matrimonio conjuges sibi mutuò tradant potestatem suorum corporum in individuam vitæ societatem, ratio & æquitas humani contractûs postulat, ut determinatio intentionis feratur in subjectum in particulari: iniquum enim esset, ut quis arctissimo matrimonii vinculo usque ad propriam vel conjugis mortem, jungeretur ei personæ, cujus affectus & mores nullatenus novisset.

XXVI. Utrum reverà ordinentur qui cum fraude accedunt ordinandi.

Petes, an qui cum impedimento legitimo, putà defectu examinis prævii, irregularitatis, litterarum dimissoriarum, patrimonii aut beneficii, &c. accedunt ut ordinentur ab Episcopo, reverà ordines suscipiant, quando ut pluribi fieri assolet, Episcopus per Ministrum denuntiat publicè se non intendere eos ordinare.

Respondeo, quòd si illa intentio non sit tantùm comminatoria; sed absoluta, tales non suscipiunt ordines; quia intentio prærequisita ad valorem sacramenti, nempe actualis aut habitualis, hîc non occurrit. Non quidem actualis, quia circa illos Episcopus habet intentionem contrariam, nempe eos non ordinandi: non etiam virtualis, quia hæc fundatur in actuali præcedente non revocata; specialis enim intentio in individuo determinata, generali derogat: at intentio Episcopi de ordinandis his qui præsentes sistuntur, est tantùm generalis; intentio verò non ordinandi repulsos, est specialis, quæ Episcopum determinat ut hunc effectum determinatè nolit. Igitur eorum ordinatio censetur nulla.

Nec refert quod Episcopus exerceat eundem actum ordinationis imponendo manus, porrigendo instrumenta & formam proferendo tam circa repulsos, ac circa receptos: nam id exercet solùm materialiter, non autem formaliter; quemadmodum Sacerdos qui sacros Missæ ritus discit, eadem consecrationis verba profert super debitam præsentem materiam; nec tamen consecrat, quia non profert ea formaliter, seu cum formali intentione consecrandi: Idem enim potiori jure dicendum de Episcopo respectu eorum, quos non solùm non intendit ordinare, sed absolutè & positivè non vult eis ordines conferre.

Si autem requiras ex quo judicari possit an Episcopalis illa declaratio sit tantùm comminatoria vel absoluta. *Respondebo* istud esse maximè resciendum ab ipso Episcopo, si adhuc in vivis perseveret: si autem obierit, ejus intentio colligi debet ex verbis quibus suam mentem declaravit. Si autem ex eis illius mens certò colligi non possit, præfata ordinatio haberi debet ut dubia, & ordinatus tandiu cessare debet ab officio, donec sub conditione iterum ordinetur.

Mens mihi fuerat hîc resolvere quænam sit sacramentorum reviviscentia, quæve dispositiones ex parte suscipientis ad debitè accipiendum sacramentum desiderentur: verùm cùm diversa sit sacramentorum efficacitas, diversamque dispositionem requirere videantur; ideo convenientius duxi harum quæstionum enucleationem ad disputationes speciales de singulis sacramentis differre; ac subinde hæc de Sacramentis in communi dicta sufficiant.

TRACTATUS PRIMUS.

DE SACRAMENTIS INSTITUTIS ET ORDINATIS IN REMEDIUM PECCATI.

Ut servatam hactenus, in explicandis prioribus Sententiarum Libris, agendi, & tractandi rationem, hoc in postremo delineando constanter teneamus, ac servemus, placet illius elucidationem auspicari ab eorum Sacramentorum explicatione, quæ maximè conducunt ad expianda peccata. Quanquam enim omnia novæ legis Sacramenta (ut cum Seraphico Doctore præmonuimus in hujus operis Præfatione) ordinata sint, ac divinitùs instituta in curam, & medelam variarum infirmitatum, quibus in hoc miseriæ statu jactatur & premitur humana mortalitas; nihilominus tria sunt, nempe Baptismus, Pœnitentia, & Extrema-Unctio, quorum potissima virtus, & efficacia in peccati emaculationem exeritur: Baptismate namque diluuntur crimina intrantium in Ecclesiam; Pœnitentiâ verò in Ecclesia manentium, Extremâ autem Unctione ab Ecclesia militante in triumphantem migrantium. Baptismô, inquam eluuntur omnia in Ecclesiam intrantium peccata: Hæc enim est virtus Christi & Domini (*inquit S. Maximus homil. 1. de Eleemosyna*) ut quamvis peccator, qui ejus undâ se laverit, denuò in Virginem reparatus, non meminerit ante quod fecerit, & juventutis scelera non cognoscat; sitque Virgo fide Christi qui fuerat adulter corruptione peccati. *Quam utique mirandam efficaciam sic egregiè commendat Eusebius Emissenus homil. 7. de Paschate.* Ecce (*inquit*) quidquid iniquitatum sempiternus gehennæ ignis excoquere & expiare vix possit, subjecto sacro fonte submersum est, & de æternis debitis brevissimô lavacri compendiô cum indulgentissimo Creditore transactum est. *Nec certè minor prærogativa pœnitentiæ:* Hæc enim (*inquit Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 9.*) de periculi timore Dominum honorat, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat. *Unde lib. 2. adversus Marcionem cap. 2. inducens Adamum & Evam lugentes & pœnitentes appellat eos*, restitutionis candidatos, *nempe per pœnitentiam piè præsumebant in seipsis quasi resculpere justitiam originalem & fœlicem Innocentiæ statum sibi quasi restituere. Nec mirum, nam ait Petrus Damianus Serm. 56.* Consuevit Deus honorare pœnitentes magis quàm innocentes ..... Respectum Christi sequitur fletus Petri, & lacrymarum amaritudo, dulcedinem antiquæ dignitatis instaurat. *Idem de Unctionis Extremæ miranda efficacitate constabit ex dicendis.*

Nemini igitur mirum videri debet, quòd à frequentata apud Theologos tractan-

di methodo tantillum in hoc opere recedamus, alterô quàm illi, ordine Sacramentorum delineationem auspicantes: hoc enim non solùm exigit nostra tractandi ratio, sed etiam postulare videtur divina ipsa Sacramentorum Oeconomia, *quorum cùm primarius effectus sit ipsa restituenda homini sanitas, & integritas, ab eis potissimùm Disputationem ordiri juvat, quæ ad sananda, hominibus per peccatum inflicta vulnera, ordinantur.*

Hic igitur Tractatus tres in Disputationes distribuetur: quarum prima *Baptismi institutionem, naturam, Ministrum, & effectum aperiet:* Secunda *Pœnitentiam ut virtutem, & Sacramentum explicabit:* Tertia *tandem vim, & efficaciam Extremæ-Unctionis declarabit.*

DISPUTATIO PRIMA.

De Sacramento Baptismatis.

I. Quàm miranda sit Baptismi virtus.

TANTA est, tamque stupenda hujus divini Sacramenti virtus & præstantia, ut meritô jure illud omnium Dei beneficiorū præclarissimum, ac præstantissimum dixerit sanctus Gregorius Nazianzenus: *Baptismus* (inquit oratione in sanctum Baptisma) *est omnium Dei beneficiorum præclarissimum, & præstantissimum: hunc gratulantur cœli, hunc Angeli propter splendoris cognationem celebrant, hic futuræ beatitudinis imaginem gerit: hunc prædicare quidem, & laudibus ornare gestimus; verùm pro rei dignitate non possumus.* Quis enim dignis laudibus celebrare posset *felix aqua Sacramentum*, inquit Tertullianus lib. de Baptismo cap. 1. *quô ablutis delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur?* Unde cap. 5. Sacramentum istud assimilans piscinæ Bethsaidæ, ait: Figura ista medicinæ corporalis, spiritalem medicinam canebat; eâ formâ, quâ semper carnalia in figura spiritualium antecedunt. Proficiente itaque in operibus gratiâ Dei, plus aquis & Angelo accedit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant: qui unum semel annô liberabant, nunc quotidiè populos conservant, deletâ morte per ablutionem delictorum: exemptô scilicet reatu, eximitur & pœna. Ita restituitur homo ad similitudinem ejus, qui retrò ad imaginem Dei fuerat; imago in effigie, similitudo in æternitate censetur: recipit enim illum Dei spiritum quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum. *Hæc ille.* In tantùm etiam nonnulli è SS. Patribus Baptismi dignitatem efferunt, ut illum Incarnationis æmulum asserere non vereantur; nec abs re sanè, quemadmodum enim in illo divinorum operum omnium maximo tria stupenda relucent miracula: *Primum*, quòd divinus Spiritus in Virginem sit illapsus: *Secundum*, quòd eam tantâ fœcunditate donaverit, ut pareret Dei Filium: *Tertium* tandem, quòd Sanctum Sanctorum in utero recluderet, ut significaverat Angelus, hujus ineffabilis mysterii prænuntius, dicens *Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ita his non absimiles stupendos effectus in Baptismate mirantur SS. Patres: nam, inquit sanctus Leo serm. 4. de Nativitate Domini: *Omni homini renascenti, aqua Baptismatis instar est uteri Virginalis, eôdem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem.* Unde luculenter Eusebius Emissenus in homil. 2. de Symbolo sic Deum deprecatur: *Dilata, Domine, ac benedic sub instante regenerationis tempore sacræ sinus parentis: dic, Domine, Ecclesiæ tuæ, quod dixisti per Angelum Matri tuæ: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Iterum mater de Spiritu sancto concipiat, iterum Virgo parturiat, iterum homo Dei Filius efficiatur, iterum Virginitas fœcundetur.* Nec inanes sanè, & cassas Deus patitur has Ecclesiæ preces: *Supervenit enim* (inquit Tertullianus cap. 4.) *statim Spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificata vim sanctificandi combibunt.*

II. Æmulatur Incarnationem.

Unde per salutiferam Baptismatis lotionem homo ex vitiorum senio sibi resculpit infantiæ innocentiam, & in novum hominem recreatur, ut præclarè docet sanctus S. Maximus homil. de Juda proditore, ubi ait: *Baptismus Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur, & veteris hominis conscientiâ resolutâ in alteram nativitatem recidivâ infantiâ reparamur.*

Nota.

Majora his proferre audet sanctus Augustinus serm. 36. de Tempore, ubi Baptismi lavacrum uterô Virginali præferre vix dubitat: *Pene*, inquit, *majori munere, quàm Maria, unda ditata est: illa enim sibi tantùm meruit castitatem; ista nobis contulit sanctificationem: Illa meruit nè peccaret, ista ut peccata deleret: Illa propria delicta à se repudiat, ista in se per Dei gratiam aliena condonat: illi est collata Virginitas, isti est donata fœcunditas: illa unum procreavit & pura est: ista generavit plurimos & Virgo est: illa præter Christum nescit alium filium, ista cum Christo mater est populorum.*

De hoc ergo præstantissimo sacramento jam disserendum est tribus in sequentibus Articulis: quorum *Primus* Baptismi institutionem & naturam: *Secundus* illius Ministrum & suscipientem, seu subjectum: *Tertius* ejus effectus & ritus explicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Institutione & Natura Sacramenti Baptismatis.

III. *Baptismi nomen tris significat in Scriptura.*

BAPTISMA Græcè, Latinè idem est, ac *lotio, tinctio, ablutio*, & *immersio*, unde triplicem potissimùm in Scriptura significationem obtinet: *Primò* namque baptizare, idem significat ac lavare; unde Judith. cap. 12. de ipsa legitur: *Et exibat noctibus in valle Bethulia, & baptizabat se in fonte aquæ.* Et Marci 7. dicitur: *Pharisæi enim, & omnes Iudæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes Traditionem Seniorum, & à foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare Baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum.* *Secundò* denotat rei cujusque abundantiam, quâ homines ita implentur, ut eâ obrui ac immergi videantur; sic afflictio vehemens, quæ instar inundantis aquæ obruere, & absorbere solet hominem, appellatur etiam interdum Baptismus: Hinc Lucæ 12. Christus Dominus prænuntians omnes calamitatum fluctus, qui ingruente passione in ipsum exundare debebant, appellat Baptismum, dicens: *Baptismô habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur:* unde Marci 10. filios Zebedei alloquens ait: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & baptismo quo baptizor baptizari?* *Tertiò* tandem, Baptismus significat primum ex septem novæ legis Sacramentis, cujus plerumque mentio fit in sacra Scriptura: quam utique appellationem ab idiomate Græco derivatam, jam Sacramentum istud sibi vendicat, & in ea acceptione usurpari solet à Theologis.

IV. *Variis nominibus ac gloriæ titulis illustratur.*

Quo utique seorsu variis periphrasticis nominibus illustratur: Nam ratione materiæ dicitur *lavacrum aquæ salutaris; unda genitalis; sacrum, & vitale lavacrum, fluvius aquæ vitalis*, ut videre est apud sanctum Cyprianum, maximè epist. 2. Ratione formæ, dicitur sigillum & obsignatio fidei, à Tertulliano lib. de Pœnitentia cap. 6. quia per ipsum Deus signat fideles, velut oves pascuæ suæ, & eos in suos filios consecrat. Ab effectibus verò dicitur regeneratio, seu nativitas spiritualis, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* Vel illuminatio, quia per ipsum confertur fidei lumen; unde Græci festum Epiphaniæ appellabant *festum luminum*, quòd Christus eâ die baptizatus creditur. Sanctus autem Basilius oratione ad Baptizandos, nominat *tesseram militum Christi, amictum splendentem, &c.* Optatus autem Milevitanus vocat tunicam immutabilem, & cœlestes nuptias: *O tunica semper una, & immutabilis*, inquit, *quæ decenter vestiat, & omnes ætates & formas, nec in infantibus rugatur, nec in juvenibus tenditur, nec in fœminis mutatur. Aderit profectò ille dies, ut cœlestes nuptiæ incipiant celebrari.* Ac si anima à Baptismo puta, & Baptismalis gratiæ decore ornata, cùm Deo maritetur ad bonorum operum fœcunditatem; unde ibidem Baptismum dicit; *Virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium.*

Cur primò agatur de S. Joannis baptismate.

De hoc itaque mirando Sacramento, quæritur quando cœperit ejus institutio, & præceptum, quænam illius materia, quæve forma esse debeat. Quoniam autem Joannes non solùm innocentiæ, sed Baptismatis præcursor fuit: *Et nos*, inquit Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem cap. 23. *limitem quemdam agnoscimus Ioannem constitutum inter vetera, & nova, ad quem desineret Iudaismus, & à quo inciperet Christianismus*; idcirco, ut evidentiùs pateat, quæ de Christi Domini Baptismate sumus dicturi, priùs paucula sunt de Baptismate Joannis delibanda, juxta Doctoris methodum, qui ab eadem Quæstione Tractatam de Baptismo orditur.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Baptismus Ioannis idem fuerit cum Baptismo Christi, & vim habuerit remittendi peccata?

V. *Hæretici nolunt aliquod esse discrimen inter baptismum Ioannis & Christi.*

NOtandum primò, eam fuisse plurium tam veterum quàm recentium hæreticorum sententiam, quòd baptisma Joannis idem esset cum Christi Domini baptismate. Id enim imprimis affirmabat Petilianus Constantiniensis Episcopus Donatista: de eo namque scribit sanctus Augustinus librô secundô contra litteras Petiliani cap. 32. Licèt inquiebat unus sit baptismus, erat tamen tribus gradibus consecratus. *Dedit aquam Ioannes, sine nomine Trinitatis; sicut ipse professus est dicens, Ego vos baptizo in aqua, &c. Dedit Spiritum sanctum Christus, ipse ignis Paracletus crepitantibus flammis ardescens in Apostolis supervenit:* Quibus verbis solùm distinguit tria illa baptismata, in eo quòd Joannes aquam, Christus Dominus Spiritum sanctum, Paracletus verò ignem dederit. At Recentiores hæretici, maximè Zuinglius librô de vera & falsa religione cap. de Baptismo; Centuriatores Centuria 40. tituló de Baptismo & Calvinus librô 4. Institut. cap. 15. num. 7. audaciùs pronuntiant nullum om esse discrimen inter baptismum Joannis & C sti Domini. Ait enim Calvinus: *Certissim idem fuisse prorsus Ioannis ministerium. quod A lis postea delegatum est: non enim diversum baptismum faciunt diversæ manus quibus administratur; sed eundem esse eadem doctrina ostendit: in unam doctrinam Ioannes & Apostoli consenserunt, utrique in pœnitentiam, utrique in remissionem peccatorum, utrique in nomen Christi, à quo pœnitentia & remissio peccatorum esset, baptizârunt.* Et post pauca impudentissimè scribit: *Quare neminem perturbet quod alterum ab altero discernere Veteres contendunt? Quorum non tanti nobis esse debet calculus ut Scripturæ certitudinem quatefaciat: quis enim Chrysostome potius auscultet neganti in Ioannis baptismo fuisse comprehensam remissionem peccatorum quàm Lucæ contra asserenti Ioannem baptismum pœnitentiæ prædicasse in remissionem peccatorum. Nec recipienda est illa Augustini argutia, in spe dimissa fuisse peccata baptismô Ioannis, Christi baptismo reipsa dimitti, &c.* Verùm quis potius auscultet Calvino perversis expositionibus verum Scripturæ sensum interpolanti, quàm omnibus SS. Patribus, quos sicut

loquitur Concilium VIII. actione 1. Can. 1. *Deus tanquam inextinctas & illuminantes gressus nostro lampades sequendos nobis proposuit.*

VI. Baptismus Ioannis fuit præparatio ad baptismum Christi.

Notandam secundò, quòd quemadmodum Joannes erat Christi D. Præcursor, ut verbô & exemplô homines præpararet ad recipiendam gratiam per Verbum Incarnatum disseminandam, ita ejus Baptismus fuit præparativus, & dispositivos ad Baptismum Christi, ut docent SS. Patres; maximè Origenes tomô 8. in Joan. *Vt praparem*, inquit, *veluti populum instructum, ego veni, & ad praparandum locum resipisceatia per Baptismum post me venturo, &c.* Athanasius quæst. 134. *Baptisma Ioannis introductorium appellat:* Basilios exhortatione ad Baptismum, *initiatorium.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Joan. cap. 26. *praparativum:* & lib. 2. cap. 57. *introductorium:* sicut & Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ, *rudimentam*, &c. Denique Cyprianus de Baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis: *Preparabat viam Domino Ioannes, lavando exteriùs corpora, at pracederet exterius lavacram, secaturam Baptisma, in quo conferretar animarum ablutio, & peccatoram remissio, &c.* Augustinus in Enchiridio cap. 49. *Neu renascebantur, qui Baptismate Ioannis baptizabantur, &c. sed quodam pracursoriò illius ministeriò, qui dicebat: Parate viam Domini: huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur, &c.* Unde meritò colligit Doctor in 4. *d.* 2. *quæst.* 2. *num.* 2. Baptismum Joannis in hoc solùm hominibus profuisse, quòd homines disponerer ad Baptismum Christi, tum illos ad Baptismum Christi suscipiendum excitando per externam ablutiooem aquæ; tum etiam prædicando fidem & pœnitentiam, quibus digni fierent recipiendæ gratiæ novæ Legis.

VII. De materia baptismi Joannis convenit apud Authores, de forma verò disceptatur.

Notandum tertiò, ex eodem Doctore *ibidem*, certum esse, quòd *materia* Baptismi Joannis fuerit aqua, & ablutio; id enim babetur expressè Matth. 3. Lucæ 3. Marci 1. & Joan. 1. & 3. de *forma* verò non ita constat: quidam enim Doctores contendunt eum baptizasse in determinata forma, putà *in nomine Christi venturi*; ita *Hugo Victorinus* lib. 2. de sacramentis, parte 6. cap. 6. & *Magister sententiarum* dist. 2. quos sequuntur celebriores Ecclesiæ Principes, maximè *Alensis* 4. p. q. 6. memb. 3. art. 11. *S. Thomas* 3. p. q. 58. a. 6. ad 5. unde *Doctor* tanquam magis receptam sententiam priori loco statuit. Cui pariter sententiæ adstipulantur plurimi è SS. Patribus, maximè S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. ubi ait: *Ioannes qaidem, in advenientis Iesu, non in suo baptizabat nomine.* Sanctus Augustinus lib. quæstionum novi Testamenti quæst. 29. dicens, *Baptismum Ioannis non fuisse sine mentione Christi.* Idipsum tradit sanctus Hieronymus in illa verba Joelis: *Effundam de spiritu meo, &c.* Faveretiam illud Actor. 19. *Ioannes baptizavit Baptismô pœnitentia, dicens in eo, qui erat post ipsum, ut crederent.* Quod etiam inferri videtur ex illis verbis *Matthai* 3. Ubi sanctus Joannes Pharisæos, & Sadducæos alloquens, ait: *Ego quidem vos baptizo in aqua, in pœnitentiam: qui autem post me venturus est.... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.*

Nihilominus reclamant Durandus ibidem q. 3. Gabriel quæst. 2. & alii nonnulli existimaotes Joannem baptizasse absque ulla verborum forma, aut saltem non in ea, quam mox diximus. Tum, quia forma illa esset falsa; Christus enim jam venerat, cùm baptizaret Joannes, & id ipsum Joanni A erat notum, ac proinde non erat venturus. Tum, quia Joannes idem Baptisma Christo, ac aliis ministravit; non erat autem conveniens, ut baptizando Christum, uteretur hâc formâ. Nihilominus existimo priorem sententiam esse præferendam: Tum, quòd ipsi Patres adstipulentur: Tum, quòd facile dilui possint fundamenta oppositæ sententiæ; facilè enim ad primam rationem reponitur, vocabulum *venturi*, intelligi respectivè ad manifestationem Christi per prædicationem Evangelii, & munus baptizandi: Joannes enim baptizando disponebat homines ad Baptismum Christi suscipiendum. Secunda pariter ratio facilè eliditur; cùm enim Joannes per re-B velationem cognovisset Christum ad se venientem, ut baptizaretur; vel cum baptizando, nullam adhibuit formam, ut docet Paludanus; vel usus est aliâ formâ, ut vult Maironius.

His ita præmissis, determinandum restat, utrum Baptismus Joannis idem fuerit cum Baptismate Christi. *Secundò*, utrum vim habuerit remittendi peccata, & conferendi gratiam sanctificantem.

Conclusio Prima.

VIII. Baptismus Ioannis distinctus erat à baptismate Christi.

B*aptismus Ioannis diversus erat à Christi Baptismate.* Hæc est de fide determinata in C Concilio Tridentino sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit Baptismum Ioannis eandem vim habuisse cum Baptismo Christi, anathema sit.* Eadem fuit sententia Patrum Nicæni Concilii, nam in ejus Actis lib. 2. circa finem, Patres respondentes Philosopho per Machariom Jerosolymitanum, ita loquuntur de Christo: *Tunc ad Baptismum venit pradicante Ioanne Zacharia filiò ad populum Baptismum Pœnitentia, non autem Baptismam peccatorum, aut adoptionis filiorum Dei largiente; non enim erat Ioannis hoc dare, sed ipsius duntaxat inhumanati Verbi Dei.*

Ut definiit Concilia.

Eandem veritatem tuentur SS. Patres, quibus D præivit Tertullianus lib. de Baptismo cap. 10. ubi cùm dixisset, Baptismum Joannis divinum fuisse ratione mandati, humanum verò ratione conditionis, subdit: *Nihil enim cæleste præstabat, sed cœlestibus praministrabat, pœnitentia scilicet prapositus, qua est in hominis potestate.* Et infrà: *Adeo postea in Actis Apostolorum invenimus, quoniam qui Ioannis Baptismam habebant, non accepissent Spiritum sanctam, quem ne auditu quidem noverant: ergo non erat cœleste, quod cœlestia non exhibebat.* Postmodum concludit: *Agebatur itaque Baptismus pœnitentia, quasi candidatus remissionis, & sanctificationis in Christo subsecutura: nam quod pradicabat Baptismum pœnitentia in remissionem delictorum, in futuram remissionem Deo renuntiatum* E *est; siquidem Pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam praparare: Qui autem praparat, non idem perficit, sed alii perficiendum procurat.* Quibus verbis Tertullianus præclarè difficultatem propositam explicat.

IX. Patres docent.

Idem docet sanctus Chrysostomus homil. 10. in Matthæum, ut etiam fatetur ipse Calvinus, & S. Augustinus pluribi, maximè homil. 5. super Joannem, ubi ait: *Si quos baptizavit Ioannes, iterum sunt baptizandi: planè iterum, sed non iteratô Baptismô, quos enim Iudas baptizavit, & Christus: quos baptizavit Ioannes, non, &c.* Item lib. 5. de Baptismo cap. 9. Christus tali Baptismô mundat « Ecclesiam, quô acceptô alterum non erat neces- « sarium; Joannes autem tali Baptismô pertinge- «

bat, quò acceptò esset Baptisma Dominicum necessarium. *

X.
S. Augustinus probat.

Hanc veritatem idem S. Doctor probat variis argumentis deductis ex Scriptura sacra: *Primò*, quia Matth. 21. Baptismus Joannis dicitur Baptismus hominis; Christus enim inqoirit: *Baptismus Joannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus?* Atqui Baptismus Christi nulhbi dicitur Baptismus hominis: *Legimus*, inquit S. Augustinus lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 56. *Apostolum aliquibus locis dixisse, Evangelium meum, Baptismum autem meum nunquam dixit: sed nec cujusquam, per quem* B *ministratur. Nam solus ille Baptismus, quem dedit Joannes, dictus est Baptismus Ioannis.*

Probat secundò ex illo Joanois cap. 1. *Testimonium perhibuit Ioannes, dicens: quia vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cœlo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum, &c.* Quæ verba sic expendit sanctus Augustinus lib. 5. de Baptismo, cap. 3. *Secundùm aliquid sciebat*, se-
» cundùm aliquid adhuc nesciebat: sciebat spon-
» sum Filium Dei, de cujus plenitudine omnes ac-
» ciperent; sed quia ex ejus plenitudine ipse acce-
» perat baptizaodi potestatem, ut Joaonis Baptis-
» mus diceretur, nesciebat utrum sic esset daturus,
» & cæteris: at si Baptismus Joannis esset idem
» cum Baptismo Christi, ooo posset dici Joannes C
» eum nescisse: igitur, &c.

Probat tertiò, quia licèt *lex, & Propheta usque ad Ioannem*, tamen Joannes non erat finis legis: Nam, inquit Apostolus, *finis autem legis Christus ad justitiam omni credenti*: sed si Baptismus Joannis idem esset cum Baptismo Christi, Joannes dici posset aliquô modô finis legis: quia in illius Baptismo standum esset; onde S. Augustinus lib. 5. de Baptismo cap. 9. Si in Joanne finis esset, Christi Baptismate opus noo esset: sed qoia finis legis Christus ad justitiam omni credeoti, ab illo demonstratum est ad quem pergeretur, ad bunc cùm perventum fuerit, permaneretur. D

Probatur denique eadem veritas hâc ratione: Ille Baptismus est diversus, cujus forma diversa est, & effectus diversi: at forma & effectus Baptismi Christi fuerunt diversi à forma & effectibos Baptismi Joannis: igitur, &c. Major constat. Probatur minor quoad *primam partem*. Baptismos Christi fit in oomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: Taliter noo fiebat Joannis baptisma, ut colligitur evidenter ex Actorum 19. ubi cùm Paulus venisset Ephesium invenisserque ibi quosdam discipolos: *dixit ad eos, Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum, Sed neque si Spiritus sanctus sit audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? qui dixerunt: In Ioannis baptismate: Dixit autem Paulus,* E *Ioannes baptizavit populum dicens, In eum qui venturus esset post eum ut crederent, hoc est in Iesum. His autem auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu.*

Ex quibus duo licet inferre. *Primum*, Joannem non baptizasse in nomine trium personarum, cùm ab eo baptizati nec si Spiritus sanctus esset audivissent. *Secundum*, eum tantùm baptizasse in nomine Christi venturi.

Probatur eadem minor quoad efficaciæ diversitatem; tum ex illo *Matth.* 3. ubi Joannes ipse Judæis ita loquitur. *Ego quidem baptizo vos in aqua, in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Tum ex illo Joan. 3. ubi legimus discipulos

A sancti Joannis conqoeri, quòd Christus baptizaret: *Ecce hic baptizat & omnes veniunt ad eum.* Si enim baptismus Christi fuisset idem cum baptismo Joannis, hic facilè fecisset satis eorum querimoniæ dicendo Christi baptismum eundem esse cum suo, quoad efficaciam, ac proinde eis potius esse gloriandum quàm conquerendum, cùm sic Christus velut discipulus illum didicisset à Joanne: at contrarium facit, & insinuat quanta sit inter suum & Christi baptismum differentia per eminentem Christi dignitatem. *Respondit* B *Ioannes & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi ei datum fuerit è cœlo. Ipsi vos mihi testimonium perhibebitis quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum: qui habet sponsam sponsus est, &c.* Tum denique ex eo quod baptizati Joanois baptismate iterum Christi baptismo fueruot ab Apostolis baptizati: Ergo noo unum idemque erat baptisma.

XI.
Proponitur primũ hæreticorum fundamentum.

Objiciunt hæretici. Ubi est idem signum, eadem significatio, & idem ministerium, ibi est idem sacramentum: Sed in utroque baptismate hæc sunt eadem. Primò quidem aquæ ablutio, ut patet *Matthæi* 3. & *Marci* 1. idem ministerium quia oterqoe abluebat exteriùs; eadem pariter significatio, nempe peccatorum remissio. Nam C de baptismo sancti Joannis dicitur Marci 1. *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Similiter Matth. 3. *Exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.*

Et solvitur.

Concedo Majorem & duas priores partes minoris: sed distinguo posteriorem. In utroque baptismate eadem peccatorum remissio eodem modô & virtute sigoi exterioris applicati nego: diverso modo, & in uno ex opere operato, in alio ex opere operantis, concedo. Siquidem baptismus Joannis remittebat peccata tantùm virtute pœniten- D tiæ per signum illud & præviam prædicatioonem excitatæ. Unde non *simpliciter dicitur baptismus in remissionem peccatorum*; sed *baptismus pœnitentiæ in remissionem, &c.* At Christi baptismos, *Actuum* 2. absolutè dicitur à Petro: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*: Et in Symbolo Constantinopolitano; *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Unde Tertull. lib. de Baptismum cap. 10. dicit Baptismum sancti Joannis fuisse candidatum remissionis & sanctificationis in Christo subsequuturæ. *Nec refert* qoòd Petrus præfato loco Actuum dicat: *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum in, &c.* Ibi enim remissio peccatorum non conjungitur, cum pœnitentiam agite; sicut in baptismo Joannis: sed cum *baptizetur*: E Idcirco verò dicit esse agendam pœoitentiam, quia alloquitur adoltos qoi ut baptismum dignè susciperent, aliquem de peccatis dolorem efformare debebant.

Objiciunt secundò: Si Baptismus Joannis non esset idem cum Baptismo Christi, qui baptizati fuerant Joannis baptismate, debuissent iterum baptizari: sed id factum non fuit: quod utique Zuioglios lib. de vera & falsa Religione cap. de Baptismo probat tribus argumentis: *Primò*, quia S. Andreas fuit discipulus Joannis, & coosequenter illius Baptismate tinctus; quem tamen Christi discipulum posteà factum nullibi baptizatum legimus: *Secundò*, quia discipuli Joannis ad ipsum retuleruot, quòd Christus baptizaret, si autem baptizasset diversô Baptismô, id quoque nun-

XII.
Alia hæreticorum fundamenta proponuntur.

nuntiassent. *Tertiò*, quia Joan. 4. Discipuli Christi dicuntur baptizare, ac proinde baptizati fuerant eô Baptismô quem conferebant: non potest autem dici, quòd baptizati fuerint à Christo; cùm expressè ibidem dicatur, quòd Christus ipse non baptizaret; ideoque baptizati fuerant Baptismô Joannis: quem ipsi conferebant: igitur cùm Christus dicatur per Discipulos baptizasse, consequens est, quod Baptismus Christi idem esset cum Baptismo Joannis. *Quartò* tandem idipsum probari potest authoritate sanctorum Patrum: nam sanctus Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. docet baptizatos Joannis Baptismate fuisse in duplici differentia, quosdam quidem in nomine Christi baptizatos: quemadmodum, inquit, Joannes baptizare solebat; alios verò baptizatos ab ipsius Joannis Discipulis; neque in nomine Christi, neque in fide Spiritûs sancti: Priores negat fuisse iterum baptizatos: posteriores verò, dicit denuò Baptismum suscepisse: Illi, *inquit*, qui negaverunt se scire Spiritum sanctum, Act. 14. quoniam „ baptizatos se dicerent in Joannis Baptismate, ba„ptizati sunt postcà; quia Joannes in remissionem „ peccatorum, in advenientis Jesu, non in suo ba„ptizavit nomine: & ideo Spiritum nesciebant; „ quia nec baptismum in Christi nomine, sicut „ Joannes baptizare solebat, acceperant: Joan„nes enim licèt non baptizaret in Spiritu, tamen „ & Christum prædicabat, & Spiritum .... ergo „ isti, quia nec in Christi nomine, nec cum fide „ Spiritûs sancti baptizati fuerant, non potuerunt „ accipere Baptismi Sacramentum, Baptizati sunt „ itaque in nomine Jesu Christi: nec iteratum est in „ his baptisma; sed novatum, unum enim Baptis„ma.

Et Convelluntur.

Quam etiam sententiam amplectitur, & propugnat Eulogius part. 2. contra Novatianos, in Bibliotheca Photii, ubi duo probat: Primum, quòd baptizatus Joannis Baptismate, non indigeret aliô Baptismô: Secundum, quòd tale Baptisma mundos faceret, qui ad illud accederent: *Nullibi*, inquit, *legitur iterum baptizatos eos, qui ante Resurrectionem Christi à Ioanne essent baptizati, &c.*

Respondeo negando minorem: Nam baptizatos jam Joannis Baptismate, iterum Christi Baptismô fuisse inauguratos colligi potest: *Primò* ex Scriptura; siquidem Actuum 2. legimus tria millia hominum ab Apostolis, jubente Petro fuisse baptizatos in nomine Jesu Christi: ex eis autem plures jam tinctos esse Baptismô Joannis apparet ex illo Matth. 3. *Exibat ad eum Ierosolyma, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.* Paulus quoque *Actor.* 19. cùm cognovisset aliquos Discipulos baptizatos tantùm fuisse in Joannis Baptismate, jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu.

Insuper idem affirmant SS. Patres: Hieronymus epist. 83. ad Oceanum, & Dialog. adversus Luciferianos, ubi ait: *Ioannis Baptisma in tantum imperfectum fuit, ut constet posteà Christi Baptismate baptizatos, qui ab eo fuerunt baptizati.* Et S. Aug. tract. 4. in Joannem circa medium: *Ne*, inquit, *hoc ipsum, quod accepit à Ioanne Christus præponeretur Baptismati Christi, permissi sunt & alii: sed qui baptizati sunt à Ioanne, non his sufficit: baptizati sunt enim Baptismô Christi; quia Baptismus Ioannis non erat Baptismus Christi. Qui accipiunt Baptismum Christi, Baptismum Ioannis non quærunt: qui acceperunt Baptismum Ioannis, Baptismum Christi quæsierunt.*

Hinc facilè solvuntur momenta, quibus niti, & probari videtur minor à nobis negata: *Primò* namque, quâ ratione colligunt hæretici Andream fuisse baptizatum Baptismo Joannis, quia fuit ejus Discipulus: ita colligi debet eum baptizatum fuisse Baptismô Christi, quia secutus est Christum Dominum, & ejus factus est Discipulus: *Ad secundum*, dico contrarium potius exinde colligi: nam Discipuli Joannis non ei annuntiassent tanquam quid novum, quòd Christus Dominus baptizaret, nisi diversô à Joanne Baptismate eum baptizantem conspexissent. *Ad tertium* denique, dico pariter contrarium hæreticorum assertioni colligi; quô enim argumentô probare nituntur Apostolos tinctos Joannis Baptismate, quia Joannis Baptisma contulerunt; nos è converso probare possumus eos fuisse baptizatos Christi Baptismate: quia, ut docet sanctus Augustinus lib. 3. contra Petilianum cap. 55. *Non Ioannis, sed Christi Baptismum ministrârunt Apostoli.*

Non favent etiam hæreticis præfata Patrum testimonia; nam S. Ambrosius non videtur aliquô niti testimoniô in illa distinctione, quam profert de duplici baptismate Joannis, quorum unum sit ritè, & validè collatum in nomine Christi cum fide Spiritûs sancti: aliud autem, quod aliter collatum fuerit, quodque hac ratione debuerit iterari: hujus namque distinctionis nullum apparet vestigium nec in Scriptura sacra, nec in SS. Patribus, qui eum præcesserunt; unde etiam Magister sententiarum, qui eandem distinctionem adhibet in 4. dist. 2. ab omnibus Theologis hac in parte respuitur. *Neque* etiam ei suffragatur Eulogius; hic enim plusquam par esset, tribuit Baptismo Joannis, ut illum perfectum demonstraret contra communem SS. Patrum sententiam: unde post verba suprà citata subjungit: Cùm plurimi Patres ostendant Joannis Baptisma fuisse omninò imperfectum.

Conclusio Secunda.

XIII. Baptismus Joannis non conferebat gratiam sanctificantem.

Baptismus Ioannis non habebat vim remittendi peccata, nec conferendi gratiam. Hæc est communior apud Catholicos, & sequitur ex præcedenti; illamque Doctor probat locô suprà laudatô, ubi demonstrat, necessum fuisse baptizatos à Joanne iterum baptizari Baptismô Christi: Quia, „ *inquit*, medicinâ præparativâ susceptâ congruum est „ accipere medicinam curativam, dispositione etiam „ inductâ, congruum est adhuc induci formam „ principalem: sed ille Baptismus Joannis erat si„cut dispositio merè præparativa ad Baptismum „ Christi, ut per illam ablutionem faciliùs inclina„rentur homines ad suscipiendam ablutionem sibi „ salutarem: nec esset molestum ipsis jam ad simile „ exercitatis. Et hanc rationem innuit Joannes Ba„ptista, dicens Joan. 1. *Baptizo vos aquâ* (supple „ tantùm) *medius autem vestrum stetit, quem vos* „ *nescitis*; qui (supple) baptizat vos, non in aqua „ tantùm, sed in spiritu, & veritate. Hæc Doctor.

Objicies plures SS. Patres affirmantes Baptismum Joannis habuisse vim remittendi peccata. Sic sanctus Basilius homil. de Baptismo, cap. 2. ante medium: *Per gratiam*, inquit, *Dei, & Christi ipsius, simul atque accesserat quis, & peccata sua quantacunque, & qualiacunque fuissent, confessus fuerat, in Iordanis flumine baptizabatur, confestim peccatorum remissionem accipiebat.* Simili-

ter sanctus Augustinus lib. 5. de Baptismo cap. 10. *Tamen*, inquit, *ne quisquam contendat etiam in Baptismo Ioannis dimissa esse peccata, secundum aliquam ampliorem sanctificationem, eis quos jussit Paulus Apostolus denuò per Baptismum Christi baptizari, esse collatam, non ago pugnaciter.* Et S. Petrus Chrysologus serm. 137. dicit, quòd Baptisma Joannis culpam tollebat, non autem gratiam conferebat.

Explicantur SS. Patres qui huic assertioni videntur contrarii.

Respondeo S. Basilium posse exponi de remissione peccatorum, quam baptizatus consequeretur ex opere operantis per efficaciam, & meritum pœnitentiæ.

Ad S. Augustinum dico, quòd quamvis nolit pugnaciter agere cum eo, qui contenderet in Baptismo Joannis etipsâ dimissa fuisse peccata, inde non est consequens, quòd existimaverit illa fuisse dimissa ex opere operato, sed duntaxat ex opere operantis. Unde cùm per Baptismum Christi peccatorum remissionē consequerentur ex opere operato, longè majorem sanctificationē accipiebant.

Denique, Ad sanctum Petrum Chrysologum, dico, non ejus mentem esse, quòd per Baptismum Joannis peccata dimitterentur absque infusione gratiæ; hoc enim non fit de lege ordinaria, sed quòd fortè per illam ablutionem corporalem Judæi mundarentur ab illis legalibus inquinamentis; exponens enim illud Lucæ 3. *Venit in omnem regionem Iordanis, &c.* ait: *Venit ad Iordanem, quia Iudaicas sordes non poterat hydria jam lavare, sed flumen.*

Deinde, Exponens sequentia verba: *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* subdit: *Erat penes Ioannem venia, sed non sine pœnitentia: erat remissio, sed luctibus comparata: erat cura vulneris cum dolore: erat Baptisma, quod culpam tolleret, conscientiam non deleret. Et quid plura? Per Baptisma Ioannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam, &c.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid sit Baptismus, & quando institutus fuerit, ac sub præcepto esse cœperit?

I. NOtandum primò, extra controversiam esse apud Catholicos & hæreticos, Baptismum esse verum novæ legis Sacramentum; siquidem, qui Sacramenta aliqua legis Evangelicæ fatentur, Baptismum omnium primum deputant; unde subtilis Doctor censet hanc veritatem potius esse supponendam, quàm probandam, scribit enim in 4. dist. 3. quæst. 4. num. 2. *Quæstio supponit Baptismum institutum fuisse in lege nova, quod verum est & rationabile. Verùm, sicut patet ex multis auctoritatibus novi Testamenti, & Christi, & Apostolorum, in quibus probatur necessitas Baptismi; quod non esset, nisi esset institutus in lege illa legitimè.* Et infrà num. 3. *Istud etiam suppositum est rationabile; quia Sacramentum principale legis Evangelicæ, per quod scilicet juratur in ejus observantiam, debuit esse novum, & proprium illi legi...... debuit etiam istud sacramentum esse evidens in significatione; quia ista est lex veritatis evacuans umbram. Et debuit esse copiosum in gratiæ collatione; quia hæc est lex gratiæ.* Joan. 1. Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. *Debuit etiam esse facile*; quia Jugum Christi suave, & onus ejus leve. *Matth. 11. Item debuit esse commune, quia Deus ad legem Moysi elegit unum populum tantùm, sed ad novam legem totum mundum.* Io omnem terram exivit, &c. *Hæc quatuor inveniuntur in uno, scilicet in ablutione cum verbis; quia hoc evidenter significat mundationem animæ, quæ est effectus principalis: & dat gratiam copiosè, unde in Psal. dicitur aqua refectionis:* Super aquam refectionis educavit me. *Et facilis; quia nullomodo periculosa, sicut fuit Circumcisio: & communis omni sexui, & ætati.*

Centum est Baptismum esse Sacramentum novæ legis.

Conveniunt pariter Baptismum esse primum omnium Sacramentorum ratione institutionis, ut docet Concilium Florentinum in decreto Eugenii, his verbis. *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptismus.* Et ostendens de qua primitate loquatur, addit: *Quod vita spiritualis janua est, per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Et Doctor: *Per quod scilicet intratur in ejus* (Ecclesiæ) *observantiam.* Eodem modô loquitur Rit. Rom. titulô de Sacramento Baptismi in principio: *Sacrum*, inquit, *Baptisma Christianæ Religionis, & æternæ vitæ januam, quod inter alia nova legis Sacramenta à Christo instituta primum tenet locum, &c.* Hoc etiam ratio suadet; quia primum in una quaque re est ipsum esse rei: sed esse fidelem & Christianum datur per Baptismum: est enim *Sacramentum regenerationis*, Titi 3. & ex S. Dionysio Ecclesiastica Hierarch. 2. est ineffabilissima divini nostri status, aut esse fabricatio quædam, & divina nativitas; ut enim existere nos oportet in natura, priusquam operemur, aut recipiamus ea quæ naturalia sunt, motionem & alia: sic & priusquam ea quæ sunt divina patiamur, aut agamus, oportet nos habere quoddam esse divinum: at hoc fit per Baptismum; ut enim ait inclytus præceptor Hierothous: Prima mentis ad divina motio, est dilectio Dei: factæ dilectionis in sancta divinorum præceptorum observatione progressus primus, est ineffabilissima divini nostri status fabricatio: hæc autem fit per Baptismum; nam ex paraphrasi Pachimæri Baptismus est præceptum, introductio, via ad Dei familiaritatem, & cœlestem hæreditatem. Unde homo formatur ad meliorem, & salutarem habitudinem, & ad verborum, operumque Dei institutionem: efformat autem naturales nostros habitus, & effectus; inferens vim quandam formatricem figmento nostro, scilicet appetendi; sed cœlestia bona; movendi, sed ad omne bonum; ratiocinandi, seu cogitandi, sed quæ oculus non vidit, nec auris audivit; concupiscendi, sed meliora; irascendi, sed adversus nostræ salutis inimicos: Nam ea, quæ ex semine est nostri fabricatio, etsi ex Conditore Deo fit, est naturalis: at ea, quæ fit ex Baptismo, per quam divinum informamus statum, est divina: Joan. 1. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.*

Et primum omnium à Christo D. institutum.

Notandum secundò, omnes Catholicos Doctores invicem convenire, quòd Christus Dominus suum Baptisma non instituerit antequam ipsemet à Joanne baptizaretur in Jordane: quoniam non anteà cœpit Evangelium prædicare, & promulgare legem gratiæ: Conveniunt pariter ejusmodi institutionem factam fuisse antequam per triumphalem suam Ascensionem in cœlum reciperetur: sed invicem discordant quônam tempore intermediô inter baptizationem Christi & illius Ascensionem fuerit institutus. Circa quod triplex est capitalis sententia: *Prima* contendit institutionem Baptismi factam fuisse post Passionem Christi, illô videlicet tempore, quô in cœlum ascensurus dixit suis Discipulis: Docete II.

Triplex est sententia de tempore institutionis baptismi.

omnes Gentes, baptizantes eos, &c. Ita docuisse videntur Alensis noster 4. p. qu. 8. memb. 2. art. 3. & Albertus Magnus in 4. d. 3. quibus adstipulantur plurimi è SS. Patribus, maximè S. Chrysostomus homil. 28. in Joannem, scribens: *Vtrumque Baptisma Ioannis, & Discipulorum Christi similiter expers Spiritûs erat, & unam eandemque baptizandi causam habebat, ut nempe Christo conciliaret baptizatos, &c.* Idem S. Leo epist. 4. ad Episcopos Siciliæ cap. 3. ubi scribit: *Christus postquàm resurrexit à mortuis, Discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, & formam, & potestatem tradidit baptizandi, dicens:* Matth. 2. *Euntes docete omnes Gentes, &c. de qua utique eos ante Passionem potuisset instruere, nisi propriè voluisset intelligi Resurrectionis gratiam ex sua Resurrectione cœpisse.* Idem docet Tertullianus lib. de Baptismo cap. 11. ubi scribit: *Itaque tunc tingebant Discipuli ejus* (Christi) *ut Ministri, ut Ioannes antè præcursor eôdem Baptismô Ioannis, ne qui aliô putet, quia non extat alius, nisi posteà Christi, qui tunc utique à discentibus dari non poterat, utpote nondum adimpletâ gloriâ Domini, nec instructâ efficaciâ lavacri per Passionem, & Resurrectionem: quia nec mors nostra dissolvi posset, nisi Domini Passione, nec vita restitui sine surrectione ipsius.*

Secunda sententia eorum est, qui asserunt Christi Baptismum institutum fuisse, quando in Jordane ipse baptizatus est à Joanne: ita Magister sententiarum d. 3. S. Thomas q. 66. art. 2. & omnes illius Discipuli: *Tertia* verò sententia est subtilis Doctoris q. 4. n. 2. ubi rejectis duabus prioribus opinionibus, contendit *tempus institutionis Baptismi fuisse ante illud tempus, quô Discipuli Christi baptizabant; licet præcisè hora institutionis non legatur in Evangelio.*

III. Et totuplex de inceptione illius obligationis.

Notandum tertiò, quantùm ad tempus, quô Baptismus fuerit sub præcepto, & homines ad sui susceptionem, & frequentationem obligare cœperit, non levem etiam apud Theologos moveri controversiam: *Quidam* enim, quorum meminit S. Bernardus epist. 77. asserebant olim, quòd Baptismi præceptum ab eo tempore vim obligandi habuerit, quô Christus D. dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.*

Nonnulli verò existimant obligationem Baptismi viguisse statim post Christi Domini Passionem & Resurrectionem: quam sententiam præ cæteris tuetur S. Thomas. Suare, Vasquez, &c. *Cæteri* verò cum subtili Doctore censent Baptismum non fuisse sub præcepto usque ad sufficientem ac solemnem Evangelii promulgationem; quæ facta fuit in die Pentecostes: Duplex enim,
» *inquit* Doctor *qu.* 4. *nu.* 5. distingui potest hujus
» Sacramenti promulgatio; una per modum con-
» silii: alia per modum præcepti: Prior fuit ante
» mortem Christi D. congruum enim fuit pri-
» mùm Baptismum proponi per modum consilii:
» *Primò*, quia, inquit Doctor, lex Evangelica, quæ
» est perfectissima non debuit præcipitanter impo-
» ni, sed maturè debuit induci lex nova, quæ est
» perfectissima. *Secundò*, quia neque lex vetus,
» cùm non esset mala, sicut est idololatria, sed
» optima fuerat pro suo tempore, non debuit etiam
» cum præcipitatione abrogari, sed sensim, &
» suppositâ debitâ instructione, ejus virtute, &
» observantiâ. Unde debuit Synagoga cum ho-
» nore sepeliri, ut ostenderetur fuisse bona pro
» tempore. Tertiam rationem subjicere possumus;
nempe quòd non ita facilis erat transitus à lege Mosaïca ad Evangelicam, & à Circuncisione ad Baptismum, maximè quantùm ad Judæos, qui Patrum traditionibus tenaciùs inhærentes, non nisi magna cum difficultate ab eis poterant avelli; unde conveniens fuit, ut Baptismus priùs proponeretur sub consilio, ut posteà exercitatis imponi posset sub præcepto.

Conclusio Prima.

IV. Duplex traditur baptismi definitio.

Baptismus rectè definitur à Doctore *d. 3. q. 1. nu. 3.* alterutrô ex his duobus modis. Primò: *Baptismus est ablutio hominis aliqualiter consentientis, facta ab alio in aqua, simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione divina ablutionem animæ à peccato.* Secundô modô aliter definiri potest: *Baptismus est sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis.* Advertit autem Doctor ibidem *num.* 4. utramque hanc definitionem ut legitimam posse propugnari. *Nec enim*, inquit, *est differentia inter istas rationes, quia eadem secundùm utramque sint necessaria ad Baptismum: sed una ponit in definitione ejus solam ablutionem in recto: alia ponit & ablutionem & verba ex æquo ad eam rationem pertinere: quæ differentia consurgit ex diverso opinandi modo de fundamento hujus relationis, an sit sola ablutio circunstantionata, an simul ablutio, & verba.*

V. Quarum posterior magis probatur & expenditur.

Cæterùm judicarem posteriorem definitionem convenientiorem esse: *Tum, quia* datur per genus & differentiam; Sacramentum enim habet rationem generis; cætera verò denotant Baptismi distinctionem, tàm in materia, & forma; quàm in effectu ab aliis Sacramentis: *Tum, quia* hæc maximè convenit definitioni, quam tradit Catechismus Romanus titulô de Baptismo: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*; hoc est, per ablutionem aquæ, & invocationem sanctissimæ Trinitatis.

Hujus autem definitionis particulæ constabunt ex dicendis in præsenti disputatione, & facilè per se patent. *Primò* namque, dicitur *Sacramentum ablutionis*; licèt enim Baptismus secundùm primævam suam institutionem, idem significaret ac ablutio; nihilominus apud Scriptores Ecclesiasticos jam obtinuit, ut aliquid præter ablutionem denotaret; nempe invocationem sanctissimæ Trinitatis. *Secundò*, dicitur *ablutio animæ à peccato*, ut distinguatur à qualiber ablutione rerum corporearum, & ut denotetur præcipuus illius effectus; nempe emaculatio animæ ab omni prorsus peccato. *Tertiò*, dicitur *ablutio hominis aliqualiter consentientis*, hoc est, vel per actum propriæ suæ voluntatis, qualiter consentire debet adultus baptizandus: vel per actum voluntatis alienæ; quemadmodum paruuli censentur consentire per voluntatem eorum, quorum nutu & authoritate reguntur; quales sunt parentes, aut principes. Cæteræ particulæ indicant Ministrum illius Sacramenti, qui debet esse distinctus ab ipso baptizando, verba sacramentalia proferre, ablutionem ministrare cum debita intentione.

VI. Minùs probanda videtur defi-

Ex his sequitur definitionem Baptismatis, quam profert Apostolus ad Ephes. 5. dum appellat. *Lavacrum aquæ in verbo vitæ*; nec non & illam, quam tradit Magister sententiarum dist. 3.

nitio Magistri.

hi. verbis: *Ablutio corporis exterior facta sub præscripta verborum forma*; potius esse descriptionem per partes quasi physicas; nempe lavacrum aquæ, & verbum vitæ, quàm definitionem metaphysicam: non secus ac siquis definiret hominem per partes eum physicè constituentes dicendo: Homo est corpus & anima simul unita.

Et Hugonis Victorini.

Sequitur etiam definitionem, quam tradit Hugo Victorinus lib. 2. de sacramentis p. 6. cap. 2. his verbis. *Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei*, non esse pariter accuratam; sacramentum enim est signum sensibile gratiæ sanctificantis, ut sanctificans est: aqua autem quantumvis sanctificata non est ejusmodi signum; ac proinde illa definitio non congruit, nisi fortè sumatur in sensu causali; quatenus videlicet aqua confert ad ablutionem externam, quæ est signum ablutionis interioris animæ.

VII.
At omnino rejiciendæ sunt definitiones Hæreticorum.

Multò minùs probandæ sunt definitiones, quas tradunt hæretici, maximè Melancton in locis Theologicis anni 1559. ubi Baptismum definit: *Signum, quò Deus nobiscum agit, & nos in gratiam recipit.* Hæc enim definitio convenit omnibus Sacramentis; imò etiam & verbo Dei, quod non est Sacramentum. Repudianda pariter est illa, quam tradit Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 15. ubi ait: *Baptismus signum est initiationis, quò in Ecclesia cooptamur societatem, ut Christo insiti, inter Filios Dei censeamur.* Hæc enim definitio tantùm datur per effectum secundarium; nempe consignationem inter filios Dei, quæ fit duntaxat per gratiam sanctificantem, quæ est primarius & præstantior ipsius Baptismi effectus, quò justificamur, & regeneramur in Christo.

Conclusio Secunda.

VIII.
Baptismus fuit institutus ante Christi D. Passionem.

PRobabilius est Baptismum fuisse institutum ante Christi Passionem. Hæc est communior apud Doctores, eamque tradit Doctor in 4. *dist.* 3. *quæst.* 4. *num.* 2. ubi ait: Quando Baptismus primò fuit institutus, dubium est. Non quidem quando Christus baptizabatur à Joanne, quia ille non fuit Baptismus Christi, id est, in forma Christi, sed in forma Joannis: tamen Christus dedicavit tunc aquam, tanquam materiam idoneam suo Baptismo, ex contactu suæ mundissimæ carnis; quia in Legislatore confirmatus est usus aquæ, id est, ut ministerium. Nec etiam in illo verbo Joan. 3. dicto Nicodemo: *Nisi quis, &c.* quia non est verisimile tam necessarium Sacramentum in conclavi & coram persona privata institui, quæ non debuit esse præco institutionis illius. Neque etiam differebatur institui, usque ad tempus Ascensionis, *Matth. ult.* nam Discipuli Christi ante Passionem baptizabant baptismò Christi, *Joan.* 3. dicunt Discipuli Joan. ad ipsum: *Rabbi, cui testimonium perhibuisti, ecce ipse baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Convincitur ergo tempus institutionis fuisse ante illud tempus, quò Discipuli Christi baptizabant, licèt præcisè hora institutionis non legatur in Evangelio. *Hæc Doctor.*

Vt optimè probat subtilis Doctor.

Probatur itaque conclusio ratione, quam assignat Doctor: Christus D. unà cum suis Discipulis ante suam Passionem baptizavit: sed non baptizavit Baptismate Joannis: igitur baptizavit Baptismò à se institutò. Major constat ex Scriptura sacra; nam Joan. 3. legimus: *Post hæc venit Iesus, & Discipuli ejus in terram Iudæam: & illic demorabatur cum illis, & baptizabat.* Et infrà, A discipuli Joannis animadvertentes Christum baptizare unà cum suis Discipulis: *Venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Et cap. 4. *Vt ergo novit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quòd Iesus plures Discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes, quanquam Iesus non baptizaret, sed Discipuli ejus, reliquit Iudæam.*

IX.
1. Ex eo quòd Christus D. suo baptismate baptizavit; & ejus Discipuli.

Minor verò probatur. Primò quidem: Si Christus baptizasset Baptismò Joannis, non æmulati, vel conquesti fuissent Joannis Discipuli, quòd B Jesus baptizaret; Baptismus enim à Christo D. collatus, eis potius fuisset occasio gaudii & gratulationis, quàm æmulationis, & invidiæ, videntes quòd ipse, quem Joannes dixerat se majorem, & cujus non erat dignus, ut solveret corrigiam calceamenti, se tamen inter Joannis Discipulos veluti consignaret, illius Baptismum, & ministerium exequendo. *Deinde*, Christus ibidem dicitur baptizasse per suos Discipulos: sed si Discipuli Christi baptizassent Baptismò Joannis, aut aliò per Christum non institutô, Christus non diceretur per suos Discipulos baptizare, sed potius Joannes; aut alius ille Author Baptismi, quem ipsi ministrassent: igitur, &c. *Denique*, C Baptismus Joannis non conferebat Spiritum sanctum, nec remissionem peccatorum; sed præscribebat duntaxat pœnitentiam ad illam remissionem obtinendam: Baptismus autem, quò Christus baptizabat, utrumque istud beneficium conferebat; ut docet S. Joannes Baptista, *Ioan.* 1. his verbis: *Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.... hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Ubi non tantùm loquitur de futuro Christi Baptismate, sed etiam de præsenti, hoc est, brevi tempore instituendo & conferendo Baptismate à Christo D. unde Lucæ 3. respondit Joannes dicens omnibus: *Ego quidem aquâ baptizo vos; veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamen-* D *torum ejus, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.*

Quam utique rationem confirmat & urget S. Augustinus tract. 5. in Joan. *Dictum est*, inquit, *de Domino, antequam pateretur: Baptizabat plures, quàm Ioannes, quamvis ipse non baptizaret, sed Discipuli ejus. Adhuc erat ibi Iudas inter Discipulos; quos baptizavit Iudas, ii non sunt iterum baptizati; quos baptizavit Ioannes, iterum baptizati sunt: quia datus à Iuda Baptismus Christi erat; datus à Ioanne, Ioannis erat.* Et tract. 15. *Baptizabat Iesus plures, quàm Ioannes, quanquam Iesus non baptizaret, sed Discipuli ejus, an utrumque verum est, quia baptizabat, & non baptizabat? Baptizabat enim, quia ipsò mundabat, non baptizabat, quia non ipse tingebat, præbebant Dis-* E *cipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis.* Sed hoc adjutorium est gratia sanctificans, quàm Joannis Baptisma non conferebat: igitur, &c.

X.
2. Ex eo quòd baptismus sit primum omnium sacramentorum & Ecclesiæ janua.

Probatur secundò: Quia juxta legem à Christo D. præscriptam, Baptismus præsupponitur aliis Sacramentis; est enim Ecclesiæ janua, nec-non aditus ad participationem Sacramentorum, & omnium beneficiorum, quæ in Ecclesia conferuntur: sed Apostoli ante Christi Passionem incorporati sunt in Ecclesiæ membra, & susceperunt aliqua Sacramenta: Christus enim in ultima cœna suis Apostolis Eucharistiam exhibuit, & eos inauguravit Ordine Sacerdotali, ut definitur in

Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 1. igitur, &c. Quam utique rationem approbat S. Augustinus epist. 163. *Quomodo*, inquit, *poterant Eucharistiam accipere Apostoli nondum baptizati? Quomodo Petro nolenti, ut totum se lavaret Christus, respondit: Qui lotus est semel, non oportet eum iterum lavari, sed est mundus totus?* At perfecta mundatio non erat in Joannis Baptismo, sed in Baptismo Christi D. igitur, &c.

Objicies primò: Sacramentorum novæ Legis institutio, & efficacia, petitur ex ordinatione & mandaro Christi: sed Christus tantùm mandavit, & jussit Apostolis, ut ministrarent Baptismum post suam resurrectionem, quando videlicet *Matth.* 28. dixit: *Euntes, docete omnes Gentes, &c.* igitur, &c.

Nego minorem: Præceptum enim illud non continet primam Baptismi institutionem, sed ejus extensionem ad Gentes; ita quòd Apostoli, qui anteà solùm facultatem habebant conferendi Baptismum Christi Judæis, tunc deberent illum ministrare omnibus omninò nationibus, quibus erant Evangelium prædicaturi.

Objicies secundò: Per Baptismum Christi confertur Spiritus sanctus: at hic non fuit datus ante Christi Ascensionem, ut patet his verbis Joan. 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Et *Actor.* 1. Christus D. post suam Resurrectionem dixit Discipulis: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.*

XI. Spiritus S. datus erat modò invisibili ante Christi Passionem.

Distinguo minorem: Spiritus sanctus non erat datus absolutè, & modô invisibili: nego. Certum enim est ante Christi Passionem Apostolos, & eos omnes, quibus Christus dixit, eis esse remissa peccata, fuisse justificatos, & consequenter accepisse Spiritum sanctum, id est, gratiam sanctificantem: nondum erat datus modô visibili, ut factum est in die Pentecostes, concedo: illô enim die rursus baptizati sunt Discipuli Baptismô flaminis, repleti utique omnium charismatum donis; nam, ut ait S. Cyrillus Jerosolymitanus, *Vt is qui aquâ mergitur, & baptizatur, undique ab aqua circundatur, sic illi à Spiritu sancto sunt perfecti:* Nam, ut ait S. Gregorius homil. 30. in Evangelia: *Spiritus sanctus repentinô sonitu super Discipulos venit, mentesque carnalium in sui amorem permutavit; & foris apparentibus linguis igneis intus facta sunt corda flammantia: quia dum Deum in ignis visione susceperunt, per amorem suaviter arserunt.*

Objiciet tertiò: Si Christus suum instituisset Baptisma ante Passionem, præcepisset Apostolis, ut illud ministrarent, maximè quando Lucæ 9. *dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, ut languores curarent, & misit illos prædicare regnum Dei. & curare infirmos:* at ibi nulla fit mentio de conferendo Baptismate: igitur signum est illud tunc non fuisse institutum.

Respondeo ad minorem, mirum non debere videri, quòd ibi mentionem de Baptismate conferendo non fecerit Christus, cùm ea facultas Apostolis non esset nova, sed ipsam antea exercuissent.

Objicies quartò SS. Patres in secundo notabili laudatos, maximè verò S. Leonem, qoi docere videtur, Sacramentum Baptismatis non fuisse à Christo institutum, nisi post ejus Resurrectionem.

XII. Quid sentiendum sit de SS Patribus qui contrarium sentire videntur.

Respondeo, illos SS. Patres, solùm id obiter, & dum aliud agerent, dixisse, ac subinde non mirum, si in re levioris momenti non probetur eorum sententia; maximè quando occurrunt alii SS. Patres contrariam sententiam tuentes; sicuti plures nostræ assertioni adstipulantur cum S. Augustino. *Ad S. Leonem dico*, ipsum in ea epistola nihil definisse, sed tantùm doctrinaliter agere cum Episcopis Siciliæ, quibus intendit probare Baptismum non esse conferendum in die Epiphaniæ, sed differendum usque ad Resurrectionem, & Pentecosten.

Objicies quintò: Causa præcedit effectum: sed Christi Passio est causa Sacramentorum omnium novæ legis; operatur enim in his, & in Baptismo præcipuè: quia Rom 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus:* igitur illa debuit præcedere baptismum.

Distinguo minorem: Christi Domini Passio, ut peracta tantùm, nego: ut prævisa & à Deo ad id acceptata, concedo: unde neganda est consequentia: Baptismus enim etiam ante Christi Passionem habebat efficaciam à Christi Passione, quia præfigurabat eam: at aliter quàm Sacramenta Mosaica; nam hæc erant tantùm figuræ inefficaces: Baptismus erat efficax, quia justificandi vim habebat à Christo, per cujus virtutem ipsa quoque Passio de facto salutifera fuit. Qualiter autem meritum Passionis Christi potuerit vim suam refundere in eos, qui ejusmodi Passionem præcesserunt, explicat Doctor in 3. dist. 19. quæst. 1. num. 10. ubi scribit: Quòd meritum Christi prævidebatur ab æterno, & ut sic prævisum acceptum fuit, ut aliquid boni conferretur Electis, ratione illius antequam exhiberetur, ut scilicet eis, qui præcesserunt exhibitionem Passionis ejus, dimitteretur originale, & conferretur gratia. *Probat exemplô ex S. Anselmo lib. 2. cur Deus homo, cap. 16.* Esto, *inquit*, quòd multi offenderunt onum Regem, & pro offensa exulant; venit uous innocens de sanguine illorum, & promittit facere unum opus pro Rege placitum ei certô die statutô, ut Rex remittat eis offensam, & reconcilietur eis. Rex acceptando servitium promissum remittit offensam, & si aliquis eorum deliquerit, si satisfacere & pœnitere voluerit, promittit ei iterum offensam illam dimittere; protestando tamen, quòd nullus eorum, qui fuerunt inimici, intrabunt Palatium suum, quousque servitium innocentis impleatur. Sic hîc, Passio Christi hominis innocentis ab æterno prævisa, ut exhibenda in certo tempore, foit multum accepta Trinitati, & pro ista omnibus credentibus illam exhibendam in tempore remisit offensam, quam contraxerant ex Adam, & quam posteà commiserant, si pœnitere voluerunt; non tamen acceptavit eam tantùm, ut aliquis ingrederetur Palatium suum æternum, antequam Passio exhiberetur in effectu. Istô modô remisit Patribus offensam in Circuncisione, sicut nobis in Baptismo: sed nullus est ingressus Palatium ante passionem exhibitam.

XIII. Qualiter autē Christi D Passio tantùm prævisa, contulerit efficaciam baptismo, optimè declarat Doctor.

Conclusio Tertia.

Baptismus non fuit institutus, dum Christus baptizatus est in Iordane; neque in colloquio, quod habuit cum Nicodemo Ioan. 3. sed paulò post electionem Apostolorum. Ita Doctor, ut constat ex priori conclusione, cui subscribunt *Gabriel* dist. 3. q. unicâ art. 3. & *Richardus* art. 5. quæst. 1. dicentes Christum insinuavisse materiam Baptismi, dum baptizatus est in Jordane; & designasse formam

XIV. Baptismus non fuit institutus dum Christus D. in Iordane baptizatus est.

in colloquio cum Nicodemo; ſed tantùm inſtituiſſe poſt electionem & nominationem Apoſtolorum.

Quòd autem reverà Baptiſmum ſuum non inſtituerit, dum ipſe baptizatus eſt: Patet; quia inſtitutio Sacramentorum eſt actus Legiſlatoris: Chriſtus autem, dum baptizatus eſt, non gerebat perſonam Legiſlatoris, ſed potius pœnitentis; unde Eccleſia in feſto Epiphaniæ canit: *Hodie in Iordane à Ioanne Chriſtus baptizari voluit, ut ſalvaret nos*; hoc eſt, ut impleret munus pœnitentis, & ſatisfacientis pro nobis: quia nempe cauſam naturæ humanæ gerens, ac ſuſtinens; Baptiſmum pœnitentiæ ſuſcipere voluit. *Tum quia* Sacramentorum novæ legis inſtitutio fieri non debuit ante ipſam novam legem initiatam: at ipſa potiſſimùm initium duxit per Evangelii prædicationem: priùs enim lex promulgari debuit, quàm obligaret, & vim aliquam obtineret: igitur cùm Chriſtus Dominus dum baptizatus eſt, nondum promulgaſſet Evangelium; nec conſequenter novam legem fuiſſet auſpicatus, non debet etiam cenſeri inſtituiſſe Baptiſmum. *Tum denique*, quia eô modô Chriſtus Dominus cenſendus eſt inſtituiſſe ſuum baptiſma, quomodò voluit illud applicari & miniſtrari: ſed præcepit Apoſtolis, ut priuſquàm Baptiſmum miniſtrarent baptizando, inſtruerent & docerent fidei myſteria: igitur pari ratione priùs ipſe docuiſſe videtur, quàm Baptiſmum inſtitueret & miniſtraret.

XVI. Nec in colloquio cum Nicodemo.

Secunda & tertia pars, etiam eſt evidens, nempe quòd non inſtituerit Baptiſmum in colloquio Nicodemi; quia, ut optimè docet Doctor; non eſt veriſimile tam neceſſarium Sacramentum, & ordinatum pro omnibus omnino hominibus, inſtitutum fuiſſe, ac præceptum in conclavi, & cum homine privato. Convenientius enim erat, ut illa inſtitutio fieret publicè, maximè coram eis, qui ejuſmodi Sacramenti propalatores, ac miniſtri eſſe deberent; inſtitutio namque Sacramenti debet eſſe publica, & reſpectiva ad Eccleſiam: igitur probabilius apparet, Sacramentum iſtud duntaxat inſtitutum fuiſſe pauló poſt ſuſceptum Baptiſmum à Joanne, & Apoſtolorum vocationem.

XVII. Quo ſenſu plurimi Patres dixerint Baptiſmum accepiſſe vim ſanctificandi in Iordane.

Dices: Plurimi è SS. Patribus conſtanter aſſerunt, aquas Baptiſmi accepiſſe virtutem ſanctificandi, quando Chriſtus baptizatus eſt à Joanne in Jordane; ita maximè ſanctus Ambroſius lib. 2. in Lucam: *Baptizatus eſt Dominus*, inquit, *non mundari volens, ſed mundare aquas, ut abluta per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, Baptiſmatis jus haberent.* Nazianzenus Oratione 39. *Baptizat Ioannes, Ieſus accedit, fortaſſe ut ipſum quoque, à quo baptizatur, ſanctitate afficiat, procul dubio autem, ut totum veterem Adam in aqua ſepeliat.* Hilarius in Matth. Can. 2. *Chriſtus exempli ſui authoritate, ſalutis humanæ Sacramenta conſummat, hominem & aſſumptione ſanctificans, & lavacrô.* Hieronymus Dialogô contra Luciferianos: *Ieſus non tam mundatus eſt in lavacro, quàm lavacrô ſuô univerſas aquas mundavit.* Auguſt. ſermone 36. qui primus eſt de Baptiſmo Chriſti, ubi dixit Deum ita res Chriſti diſpoſuiſſe, ut in eodem anni tempore eſſet quaſi continuata feſtivitas, ſubdit: *Ut quemadmodum tunc eum miremur incorruptâ Matre progenitum: ita & nunc ſuſcipiamus eum purâ undâ ſubmerſum, & gloriemur in utroque facto, quia Filium genuit Mater & caſta eſt; & quia Chriſtum unda lavit & ſancta eſt. Nam ſicut poſt partum glorificata eſt Maria caſtificatio: ita poſt Baptiſmum aqua eſt purificatio comprobata: niſi quòd pæne majori munere quàm Maria unda ditata eſt, illa enim ſibi tantùm meruit Caſtitatem; iſta nobis contulit ſanctificationem: illa meruit ne peccaret, iſta ut peccata purgaret: illa propria delicta à ſe repudiat; iſta in ſe per Dei gratiam aliena condonat: Illi eſt collata virginitas; iſti donata fœcunditas: illa unum procreavit, & pura eſt; iſta generavit plures, & Virgo eſt: illa præter Chriſtum neſcit alium filium; iſta cum Chriſto mater eſt populorum*, Et poſteà: *Ex quo Salvator in aqua ſe merſit, ex eo omnium gurgitum tractatus cunctorumque fontium venas miniſteriô Baptiſmi conſecravit.* Et ſermone 37. de Tempore, qui creditur eſſe B. Maximi, non Auguſtini: *Quòd fluentis Iordanis baptizatur Ieſus, aquæ noſtro Baptiſmati conſecrantur.* Et poſteà: *Baptizatur Ieſus, non ſibi, ſed nobis; baptizatur non ut purificetur aquis, ſed ut aquas ipſe ſanctificet: baptizatur novus homo, ut novi Baptiſmatis Sacramentum inſtituat.*

Reſpondeo SS. Patres his omnibus ſolùm ſignificare, non quòd Chriſtus Dominus, in ſuſcipiendo Baptiſmate aliquam ſanctificativam virtutem indiderit aquis Jordanis; quæ fierent capaces producendæ gratiæ, & remiſſionis peccatorum, ut fit per Baptiſmum; alioquin in ſola Jordanis aqua Baptiſmus eſſet conferendus, quippe cùm illæ duntaxat ipſam virtutem ſanctificandi retinuiſſent: ſed ſolùm ſignificant tunc temporis aquam in Chriſti Domini Baptiſmate deſignatam eſſe, ut inſerviret hominibus ſanctificandis per Baptiſmum. Communis enim loquendi modus SS. Patrum eſt aquam deſtinatam per benedictionẽ Sacerdotis ad Baptiſmi Sacramentum, ſanctificari, & vim ſanctificandi combibere: ita enim loquitur S. Clemens lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 14 & Tertullianus lib. de Baptiſmo, cap. 4. ubi ait: *Omnes aquæ de priſtina originis prærogativa Sacramentum ſanctificationis conſequuntur invocatô Deô; ſupervenit enim ſtatim Spiritus de cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſô, & ita ſanctificata vim ſanctificandi combibunt, &c.* Cyprianus epiſt. 70. *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam priùs à Sacerdote, ut poſſit Baptiſmô ſuô peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Hæc tamen non ſic veniunt accipienda, quaſi aqua ſic benedicta per ſuum contactum habeat vim ſanctificandi, ſed quòd ordinetur ac deſtinetur ut materia apta ad Sacramenti confectionem. Idem proportione ſervatâ dicendum eſt de aqua Jordanis.

Figuratum ergo fuit myſticè Sacramentum Baptiſmi, in Baptiſmo Chriſti Domini à Joanne in Jordane ſuſcepto, tam quoad formam, quàm quoad materiam; utraque deſignata fuit de facto; forma quidem ex manifeſtatione trium divinarum perſonarum: Pater enim ſeipſum manifeſtavit in voce; Spiritus ſanctus in figura columbæ; Filius autem in aſſumpta humanitate. Materia ſimiliter, quia ex contactu carnis Chriſti aqua ſanctificata eſt, & deſignata, ut fieret materia Sacramenti. Hæc autem ſanctificatio aquæ rectè dicitur dediſſe jus mundandi à peccatis; non quòd tum fieret inſtitutio Sacramenti, ſed quod fuerit illius delineatio, & deſignatio.

Concluſio Quarta.

XVIII. S. Thomas negat Baptiſmum

B*aptiſmus fuit utilis, & ſufficiens pro expianda peccato originali ante Chriſti Domini Paſſionem.* Hæc eſt Doct. contra S. Thomam, qui 3. p.

fuisse sufficiens ante Passionem.

quæst. 66. art. 2. distinguit duo tempora Baptismi; *Primum*, quò fuit duntaxat sub consilio, nempe ab ejus institutione usque ad mortem Christi: *Secundum* verò tempus, in quo Baptismus fuit sub præcepto, videlicet statim à morte Christi. Tria pariter tempora statuit Circuncisionis. *Primum*, usque ad mortem Christi, quando videlicet Circuncisio fuit non solùm sub consilio, sed etiam sub præcepto; *quia* nondum abrogata fuerat lex Mosaica: *Secundum* tempus fuit, à Christi morte, usque ad solemnem promulgationem legis Evangelicæ, quæ facta est in die Pentecostes, quò tempore intermediò dicit licitam fuisse Circuncisionem, sed inutilem; quia omnis ejus virtus, sicut & aliorum Sacramentorum legis veteris vigere desierat in Christi Domini morte: *Tertium* denique tempus statuit ab ipsa solemni Evangelii prædicatione, postquàm Circuncisio non solùm inutilis, sed etiam prorsus erat illicita, & mortifera.

At rectius id propugnat subtilis Doctor.

Docet itaque Doctor *primò*, Baptismum statim ab ejus institutione fuisse sufficiens remedium ad salutem pro parvulis: *Si enim*, inquit, *unum præceptum impositum totaliter revocat aliud; consilium, seu monitio de uno, facit aliud non necessarium: quia cujus actûs præceptum, est alterius prohibitio, ejus actûe consilium, est licentia de non observando reliquum: ergo si præceptum de Baptismo erat prohibitio Circuncisionis, quantùm ad fructum: etiam consilium de Baptismo reddebat Circuncisionem non necessariam.* Hoc est, præceptum impositum de suscipiendo Baptismate evacuat Circuncisionem quantùm ad fructum, & obligationem: igitur consilium de Baptismo, etiam removet obligationem Circuncisionis. Antecedens admittitur ab omnibus. Consequentiam verò probat Doctor ratione morali petita ex natura legis, & præcepti; quia quoties una lex abrogat aliam legem de aliquo, etiam consilium de altero faciendo, quàm quod lex præcipit, tollit illius legis obligationem; ac subinde consilium de suscipiendo Baptismate, quod vim obtinuit ab illius institutione, evacuavit obligationem legis Circuncisionis; unde optimè colligit Doctor n. 8. *quòd si ante passionem aliquis Iudæus, ad prædicationem Christi. vel Petri parvulum suum baptizasset, & non circuncidisset; si parvulus fuisset mortuus, salvatus fuisset; quia recepisset gratiam in Baptismo: à prima enim institutione baptismus contulit gratiam.*

Reponunt adversarii, rationem Doctoris tantùm vigere, quando duo actus (quorum unus fieri debet ex præcepto, ratione legis id ordinantis; alter verò fieri potest ex consilio ratione Principis id suadentis) sunt talis naturæ, ut non possint simul subsistere: quemadmodum consilium de servanda Virginitate tollit præceptum de matrimonio ineundo; quia Virginitas & matrimonium consummatum simul stare non possunt: secus autem est de Circuncisione & Baptismo; quia utrumque simul subsistere potest: nam ante mortem Christi fatetur Doctor tam Circuncisionem, quàm Baptismum fuisse proficuum: igitur eorum actus non repugnabant, & consequenter consilium de suscipiendo Baptismate non removebat obligationem Circuncisionis.

XIX. *Contra*: Non magis præceptum de suscipiendo Baptismate inducit repugnantiam inter actus, quàm consilium de eodem: sed fatentur omnes præceptum de suscipiendo Baptismo sustulisse omnem obligationem Circuncisionis, quæ vigere desiit ab eo tempore, quò Baptismus fuit præceptus: ergo idem dicendum de consilin. Probatur major: quia præceptum de Baptismo suscipiendo per se non infert repugnantiam ullam cum præcepto Circuncisionis; neque enim in se formaliter, aut virtualiter continet illius revocationem: potuit enim utrumque præceptum simul vigere, si nempe Deus statuisset; ut Christiani adhuc post susceptum Baptismum tenerentur ex præcepto divino ad suscipiendam Circuncisionem: igitur Baptismi præceptum non aliunde habet vim removendi obligationem Circuncisionis, quàm ex Christi Domini Legislatoris voluntate, quâ nempe decrevit Baptismum succedere circuncisioni, quatenus Baptismus est professio legis novæ, & janua Ecclesiæ, in qua veritate illucescente, evanescere debebant umbræ figurarum legis veteris: sed id pariter sequitur ex voluntate Christi Baptismum instituentis, ac ministrantis, & ejus susceptionem consulentis, tanquam aditum, & transitum ad legem novam inchoandam: igitur quâ ratione præceptum Baptismi removet obligationem Circuncisionis, eâdem consilium de suscipiendo Baptismo pariter obligationem illam revocabat.

Unde qui baptizatus erat [illegible]terat salvus fieri etiam non suscepiâ Circuncisione.

Confirmatur: Qui vovit ingressum alicujus Religionis laxioris, voto ac obligationi facit satis ingrediendo Religionem aliquam strictiorem & perfectionem: ergo à simili Judæi, qui tenebantur ad servandam legem divinam ex præcepto, ipsi satisfaciebant profitendo fidem Evangelii, ac recipiendo media ordinata à Christo ad salutem. Consequentia patet: Tum quia lex Evangelica continet explicitè, & perfectè quidquid adumbratum erat in veteri, eâque est longè perfectior: Tum quia Judæi tenebantur recipere Christum promissum, & ejus doctrinam, ac legem sectari; nam, ut ait Joan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, &c.* igitur peccatum habuerunt, non recipiendo Christum, & doctrinam ejus sectando: Tum denique, quia quæ Christus Dominus docuit, & instituit, erant legis veteris complementum; ac proinde Baptismus erat adimpletio Circuncisionis: quemadmodum igitur, qui finem obtinet, non indiget amplius mediis conducentibus ad ipsius assecutionem; & consequenter, qui receperat Baptismum, non egebat amplius Circuncisione.

Dices: Lex Mosaïca viguit saltem usque ad Christi D. Passionem, ut constat ex variis Scripturæ locis: nam Christus D. dum viveret, dixit Matth. 5. *Noa veni legem solvere, sed adimplere:* Unde *Matth.* 23. dicebat: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi... quæcunque dixerint vobis, facite.* Unde Apostolus *ad Hebr.* 8. & 9. dicit vetus Testamentum consummatum fuisse in morte Christi: igitur omnia legis veteris præcepta, ac proinde etiam præceptum Circuncisionis viguit usque ad Christi Passionem; & consequenter Baptismus tunc temporis non erat medium sufficiens ad salutem. *Deinde* Doctor subtilis in Reportatis dist. 3. quæst. 4 5. nom. 2. ait: *Dupliciter fuit promulgatio facta Baptismi; unò modò per modum consilii, Christò veniente in carne, sed non per modum præcepti: aliò modò per modum præcepti, Primò modò non fuit necessarium recipere Baptismum: quia tunc imponebatur necessariò Iudæis Circuncisio usque ad Passionem Christi, & observatio legis Mosaïcæ; quod probant aliqui, quia Christus ante passionem suam comedit Agnum Paschalem, quod non fecisset, nisi necesse fuisset Iudæos adhuc*

servare legem Mosaïcam. Patet igitur, quòd ita est.

Distinguo antecedens: Lex Mosaïca viguit usque ad Christi Passionem in eis, quorum oppositum non consulebatur, concedo: secus, negor non enim necesse est, quòd lex maneat quoad omnia, & singula ejus præcepta, ad hoc ut ipsa vigere, & perseverare dicatur: potest enim fieri derogatio in aliquibus ejus præceptis, quando contrarium suadetur à principe; quemadmodum Christus suasit receptionem Baptismi ante suam passionem. Unde lex vetus non omnimodè consummata fuit in morte Christi; tandiu namque viguit, donec promulgata fuit publicè lex nova, ut statim dicemus; ac proinde tantùm desijsse dicenda est in morte Christi, quantùm ad vaticinia Prophetarum, quæ ejusmodi Passionem prænuntiabant; nec-non & quantùm ad sacrificia, & Sacramenta, quorum omnis virtus evacuata est per Christi mortem.

XX. Nihilominus Judæi tenebantur circuncidere suos pueros licet baptizatos.

Ad Doctorem dico ipsum illis verbis tantùm significare quod Circuncisio necessaria fuerit Judæis usque ad Passionem Christi necessitate præcepti, quia adhuc vigebat præceptum de illa suscipienda respectu Judæorum qui baptismum non susceperant; non autem censet eam fuisse necessariam necessitate medii, ita ut qui baptizatus fuerat, teneretur adhuc circuncidi, quia ut dixit supra, baptismus tunc erat medium sufficiens ad salutem. Non est igitur contradictio quòd Circuncisio ut medium necessarium, evacuata fuerit à tempore institutionis baptismi, & quòd simul perseveraverit esse necessaria necessitate præcepti adultis & parvulis in signum professionis legis Mosaïcæ, quæ nundum omnino vigere desierat.

Conciliantur duæ Doctoris sententiæ quæ pugnare videntur.

Quòd autem nil aliud voluerit Doctor, apparet ex his quæ subjicit *num.* 8. *in* 4. *d.* 3. ubi post verba à nobis suprà laudata num. 7. statim sibi objiciens, quòd equidem dici posset quòd baptismus fuisset quidem sufficiens parvulo; sed pater peccasset eum non circuncidendo; sic respondet. *Contra, quia ante octavum diem potuit baptizare parvulum, & ex quo ille habuit jam remedium contra originale. & hoc credidit pater (nam credidit Baptismum efficacem ad hoc) tunc videtur, quòd non tenebatur necessariò providere parvulo de alio remedio, scilicet contra originale.* Ubi non excusat patrem à peccato si octavô die non adhibuit Circuncisionem præceptam à lege in signum fœderis; sed vel ab omni delicto, si infans mortuus fuerit intra octavum diem; vel à solo peccato contra pietatem, quæ patrem obligat ad providendum filiis de remedio contra peccatum originale, quodcunque illud sit. Quod eisdem ferè verbis explicat, & inculcat in Reportatis locô jam citatô, num. 7. *Si Iudaus*, inquit, *fuisset baptizatus, & posteà baptizasset filium suum postea genitum, & ille puer fuisset mortuus ante Passionem Christi: certum est, quod fuisset salvatus: quia ejusdem efficacia fuit Baptismus tunc, sicuti nunc: igitur non fuit necesse istum puerum circuncidere.* supple ut salvaretur, & eximeretur à transgressione legis, quæ præcipiebat octavâ die circuncidere.

CONCLUSIO ULTIMA.

XXI. Baptismus non fuit

B*Aptismus non fuit necessarius necessitate præcepti statim post Christi D. mortem: sed tantùm post sufficientem Evangelii prædicationem, respectivè tum ad Iudaeos, tum ad Gentiles.* Ita Doctor locô fupta laudatô *n.* 11. ubi ait: Dico quòd in Baptismo non est distinguere, nisi duo tempora, scilicet tempus, quô erat sub consilio; & tempus, quô erat sub præcepto: & primum duravit à principio, ex quo prædicabatur Evangelium, vel Baptismus per Christum, vel per Apostolos, usque ad prædicationem solemnem, & authenticam ejusdem post Ascensionem Christi; ita quòd primum tempus nullam habet differentiam per mortem Christi, nec post eam, ex hoc solo, quòd aliter cucurrit Baptismus post, quàm ante. Secundum autem tempus, (ut credo) incepit in die Pentecostes, in Jerusalem, quia usque ad illum diem Apostoli non prædicaverunt publicè, juxta illud verbum Christi *Luca* 24. *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Sed in die Pentecostes missô Spiritu sanctô, solemniter prædicaverunt, & apposita sunt illô die circiter tria millia, & baptizati sunt. *Actor.* 2. Inde autem ad alias civitates, secundùm ordinem, cuilibet locô, vel Genti, erat tempus secundum, quando ibi publicè, & solemniter prædicabatur lex Evangelica; ita quòd tempus non incepit simul apud quoscunque; *Sed de Sion exibat lex, & verbum Domini de Ierusalem*, juxta Prophetiam Isaïæ: & quibusdam incepit tempus ad mensem post Pentecosten; & aliquibus ad annum; aliquibus ad decem annos, & sic deinceps, sicut eis prædicabatur.

sub præcepto statim post mortem Christi.

Sed pro Judæis à die Pentecostes.

Et successivè pro Gentilibus.

XXII. Quatuor distinguuntur tempora Circuncisionis.

Sed quantùm ad Circuncisionem, distinguo quatuor tempora: Pro primo erat necessaria: pro secundo utilis, non necessaria: pro tertio, nec utilis, nec necessaria, tamen licita: pro quarto omnino illicita, & mortifera.

Primum tempus Circuncisionis præcessit utrumque tempus Baptismi: *Secundum* tempus Circuncisionis comitabatur primum tempus Baptismi: nam sicut argutum fuit priùs, ex quo primò consulebatur Baptismus, non fuit Circuncisio necessaria volenti baptizari: sed tunc cucurrit utrumque sub disiunctione, ut Judæus eligeret quodcunque vellet. Licuit enim, & profuit sibi circuncidi si voluit (nec enim fuit tunc revocata, quantùm ad utile, nec quantùm ad licitum) licuit etiam sibi, imò laudabile fuit baptizari: & hoc etiam congruum fuit, quòd in tempore intermedio, inter duas leges, quando non subitò prima tollitur; nec secunda imponitur; illo inquam tempore simul currant ambæ sub disjunctione.

Tertium autem tempus Circuncisionis cucurrit cum secundo tempore Baptismi, & hoc quantùm ad Judæos, usque ad illud tempus Pauli, de quo argutum est priùs: imò verisimile est, quòd bene ultra; quia tempore purificationis Pauli videbantur Fratres in Jerosolymis approbare observantiam legis, & de ea consulere Paulo.

Sed quantùm ad Gentiles conversos ad fidem, secundum tempus Baptismi, & quartum Circuncisionis simul concurrerunt, saltem post quatuordecim annos à Passione Christi, vel circiter; quando scilicet Paulus ascendit Jerosolymam ad seniores, super illa quæstione consulens, de qua habetur Actuum cap. 15. ubi primò allegat Petrus factum Concilii, de quo habetur Actuum 10. Et deinde Jacobus tanquam Episcopus in Jerosolymis profert sententiam secundùm Magistrum sententiarum, dicens: *Ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum: sed*

scribere

„ *scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationi-* A
„ *bus, &c.* & de illis quatuor, duo, scilicet abstinere ab idololatris, & fornicatione, sunt necessaria. *Ita Doctor.* Ubi adverte hæc posteriora verba scripsisse solùm juxta mentem historici; nam ipsi Concilio præfuit S. Petrus: quod sentit etiam Doctor; siquidem infrà *num.* 15. dicit nuntios à Jacobo missos fuisse Petro subditos.

XXIII. Solvuntur Adversariorũ momenta.

Reponunt adversarii primò, Legem divinam non exigere promulgationem sui, ut habeat vim obligandi. *Verùm*, contrarium apertè docuimus in Tract. de legibus, & validissimis rationibus probavimus omnem legem, etiam divinam, necessariò promulgari debere; quia lex divina non potest B obligare ad impossibile: obligaret autem, si inferret necessitatem observandi ea, quæ sunt incognita; nec sufficienter manifestata: igitur, &c.

XXIV. Judæi non debebant repudiare legem Mosaïcam, donec eis appareret inutilis.

Reponunt secundò, legem veterem expirasse in morte Christi, ut etiam nos docuimus in tract. de legibus, agendo de lege Mosaïca: igitur lex nova debuit inferre obligationem, maximè respectu Baptismi, qui est aditus ad legem Evangelii. *Verùm*, respondeo negando consequentiam: quia nullus aliter tenetur ad legem servandam nunc, quàm anteà, nisi quia lex est ei aliter promulgata: sed Baptismus non fuit aliter promulgatus sub præcepto post mortem Christi usque ad diem Pentecostes, quàm fuerat ante Passionem: igitur tunc erat duntaxat sub consilio; quemadmodum & ante Christi mortem.

Confirmatur, quia non priùs vigere debuit obli- C gatio Baptismi suscipiendi, & amplectendæ novæ legis, maximè respectivè ad Judæos, antequam eis constaret revocatam fuisse legem Mosaïcam, ad quam servandam tenebantur: sed illa revocatio duntaxat facta est per solemnem illam novæ legis promulgationem in die Pentecostes: igitur ante illud tempus non vigebat adhuc obligatio novæ legis. Minor constat, quia sicut promulgatio legis se habet ad communicatem; ita & revocatio legis prioris per subsequentem legem: igitur sicut promulgatio legis Mosaïcæ fuit publica: ita debuit esse solemnis, & publica illius revocatio. Majorem verò probat Doctor *num.* 9. quia Judæi tenebantur servare legem Circuncisionis, D donec eis innotesceret eam esse prorsus inutilem & vanam, nec amplius necessariam sibi ad salutem: hoc autem constare debuit per publicam revocationem illius obligationis, quâ constaret Judæis legem Circuncisionis non amplius vigere: igitur, &c.

Dices: Christus D. moriendo dixit: *Consummatum est, Ioan.* 19. quibus significare voluit, consummatam esse & prorsus abrogatam omnem legem veterem. Quod utique confirmatur per Apostolum, *ad Rom.* 7. ubi ait: *Itaque Fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi*; ubi intelligendus est de corpore Christi crucifixo. E

XXV. Quid significaverit Christus D. dum dixit, *Consummatum est.*

Respondet Doctor ad primum *num.* 18. illis verbis, Christum D. duntaxat significare voluisse, vel quòd consummata essent, quæ prænuntiata erant de sua passione; sicut consummanda prædixit, *Luca* 18. dicens: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Vel*, inquit Doctor, si illud referatur ad antiquam legem, sic debet intelligi; quòd lex Mosaïca consummata fuerit, & abrogata in sua causa: nam mors Christi D. causa erat confirmationis legis Evangelicæ: sed illa non fuit confirmata tanquam necessaria ad observandum, ante prædicationem ejus publicam, quæ non incepit in Passione, sed in Pentecoste; tempore enim intermediò Discipuli sederunt in cœnaculo, nemini solemniter, vel publicè prædicantes.

XXVI. Quomodo lex Mosaïca extincta est in morte Christi.

Ad Apostolum dico, eum sic esse intelligendum, quòd nempe mortificati simus legi per corpus Christi: quia lex extincta est in sua causa per Christi D. crucifixionem; siquidem mors Christi D. fuit confirmatio legis Evangelicæ, & consequenter extinctionis, & revocationis legis Mosaïcæ. *Nec obstat*, quòd ibidem Apostolus utatur exemplò mulieris, quæ per mortem viri sui solvitur ab ejus lege: quia Apostolus ibi non comparat mortem Christi cum morte viri; & ideo non dixit: Mortificati estis legi *in morte*, aut corpore Christi, sed per *corpus Christi*: hoc, est per mortem & crucifixionem, quæ causa fuit, cur Mosaïca lex obligare desineret.

Quæstio Tertia.

Quotuplex sit Baptismus.

I. Triplex est baptismus.

Notandum primò, Baptismum à Theologis solitò distingui triplicem, nimirum fluminis, flaminis, & sanguinis: Baptismus *fluminis* ille est, qui confertur in aqua naturali cum expressa invocatione sanctissimæ Trinitatis: Baptismus verò *sanguinis* est martyrium; *flaminis* autem est Contritio cum proposito suscipiendi Baptismum aquæ. Porro hæc duo idcirco vocantur Baptismata, quòd quemadmodum Baptismô aquæ abluimur, ita & Martyr propriô sanguine perfunditur, & pœnitens propriis lacrymis irrigatur.

Fluminis.

Sanguinis.

Baptismum sanguinis designavit Christus D. *Marci* 10. cùm filios Zebedæi alloquens ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismò, quò ego baptizor, baptizari?* Quem Baptismum sic commendat *S. Cyprianus* epist. ad Jubajanum, ubi loquens de Catechumenis martyrium subeuntibus, dicit illos *non privari Baptismi Sacramentò, utpote qui baptizentur gloriosissimò & maximò sanguinis Baptismò, de quo & Dominus dicebat, habere se alio Baptismò baptizari. Sanguine autem suò baptizatos, & Passione sanctificatos consummari, & divinæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa Passione credentem, & confitentem loquitur, & quòd secum futurus sit in Paradisò pollicetur.*

Flaminis.

Baptismum verò flaminis pluries commendant SS. Patres, maximè verò S. Augustinus lib. 4. de Baptismo, cap. 21. ubi ait: *Catechumenum Catholicum divinâ charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere non dubito; sed etiam in ipsa intus Catholica bonum Catechumenum malo baptizato anteponimus, nec ideo tamen Sacramento Baptismatis, quò iste nondum, ille jam imbutus est, facimus injuriam: aut Catechumeni Sacramentum Sacramento Baptismi præferendum putamus, cum aliquem Catechumenũ aliquò baptizatò fideliorem, melioremque cognoscimus; melior enim Centurio Cornelius nondum baptizatus Simone Magò baptizatò: iste enim & ante Baptismum S. Spiritu repletus est; ille & post Baptismum immundò spiritu inflatus est.*

II. Baptismata sanguinis & flaminis non sunt sacramenta.

Notandum secundò, quòd etsi Baptismus sanguinis & flaminis a SS. Patribus (ut constat ex SS. Cypriano, & Augustino mox laudatis) appellentur Sacramenta; reverà tamen Sacramenti dignitatem, ac definitionem sibi non vendicant;

quoad signum, sed quoad effectum.

nec enim martyrium, nec Contritio sunt signa certa, & sensibilia divinitùs instituta ad gratiam efficaciter significandam, & conferendam, ut jam de martyrio dictum est, agendo de Sacramentorum numero: de Contritione verò dicemus disp. sequenti: sed appellantur Sacramenta propter eam, quam habent cum Baptismo aquæ analogiam, & maximè quoad illius effectum, quem supplere dicuntur. De Baptismo quidem flaminis apertissima est veritas in Scriptura sacra illis omnibus oraculis, quibus Deus spondet veniam & gratiam peccatori pœnitenti, ac divinam misericordiam postulanti: Sic Ezechiel 18. *Cum averterit se impius ab impietate sua, animam suam vivificabit.* Sic *Actor.* 10. *v.* 22. Cornelius Centurio nondum baptizatus Baptismô aquæ dicitur *Vir justus, & timens Deum.* Et ibidem cecidit Spiritus sanctus super Gentiles contritos, nondum baptizatos. Unde S. Petrus ait: *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos?* Hinc sanctus Ambrosius orat. in obitu Valentiniani junioris Imperatoris Catechumeni occisi, cùm nondum esset baptizatus, ait: *Baptismi gratiam, quia postulavit, accepit.*

Idque constantissimum est ex Concilio Tridentino, sess. 6. c. 4. ubi loquens de justificatione per baptismum dicit, quòd *justificatio est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Iesum Christum Salvatorem nostrum; quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, ejus voto fieri non potest.* Ubi per *votum* significat contritionem, quæ urgente necessitate sufficit ad consequendam Baptismi gratiam: Sic enim interpretatur hæc Christi D. verba: *Nisi quis renatus fuerit, &c.*

Quapropter optimè notavit sanctus Bernardus epist. 7[illegible]. quòd cùm Christus D. *Marci* 16. dixisset: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* non repetiit: *Qui vero non baptizatus fuerit*; sed tantùm: *Qui vero non crediderit, condemnabitur,* innuens solam interdum fidem charitate flagrantem ad salutem sufficere, ut optimè docet sanctus Augustinus l. 4. de Baptismo cap. 24. ubi cùm dixisset fidem formatam interdum justificare extra Sacramentum, idque probasset exemplô boni latronis, & Cornelii Centurionis, subdit: cap. 25. *Quibus rebus omnibus ostenditur, aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis: sed salutem hominis ex utroque compleri: nec si unum eorum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deô sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset, &c.* Sola itaque remanet difficultas de Baptismo sanguinis. Quapropter

Notandum tertiò, Baptismum sanguinis, seu *martyrium*, secundùm significationem idem esse ac *testimonium* quod datur Deo vel Christo per mortem: at secundùm rei veritatem, est *mors violenter illata pro fide Christi, aut vera virtute homini non resistenti.* Quibus verbis quatuor ad martyrium perfectum conditiones necessariæ declarantur: *Prima* est, quòd sit *mors illata*; requiritur enim ad completum & perfectum martyrium, quòd reverà animam quis pro fide, aut Religione ponat, ita quòd mors reverà

III. Quatuor ad perfectū martyrium desiderantur conditiones.

sequatur, aut saltem naturaliter sequeretur, nisi vita divinitùs servaretur, prout servata fuit tribus pueris in fornace Babylonica, nec-non & S. Joanni Evangelistæ misso in ferventis olei dolium, & pluribus aliis, qui ab Ecclesia inter Martyres computantur. Profectò, quòd mors divinitus impediatur, auget rationem martyrii: per hoc enim fit omnibus manifestum, quòd Deus hominis patientis causam approbet; unde acceptatio illa mortis est tam efficax fidei testimonium, quàm si reverà ipsa mors sequeretur. Quapropter Doctor subtilis in 4. dist. 4. qu. 6. n. 4. non dubitat asserere aliquem fieri posse pluries Martyrem; ait autem: *Quòd baptizatus Baptismô sanguinis, si postea est nobiscum viator, tenetur affectu, & pro loco, & tempore recipere effectu Sacramentum, id est Baptismum fluminis: hoc autem quod supponitur, est bene possibile, sicut de quibusdam legitur, quòd sunt facti bis Confessores, quia sustinuerunt bis pœnas pro fide, propter quas tamen non sunt mortui.*

1. Quòd mors inferatur.

IV. 2. Quòd inferatur violenter.

Secunda conditio est, quòd illa mors sit *violenter illata*, quamvis enim aliquis pro Dei gloria, & fratrum salute moreretur, non tamen proptereà perfectus Martyr esset censendus, unde qui pro fratribus animas ponunt, sive in obsequio pestiferorum, sive in justo bello, non sunt propriè dicendi Martyres. Hinc in Martyrologio ad diem 28. Februarii scriptum reperimus: *Commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, ac cæterorum Ministrorum, qui tempore Valentiniani, cùm pestis sævissima grassaretur, morbô laborantibus ministrantes libentissimè mortem oppetierunt, quos velut Martyres, religiosa Piorum fides venerari consuevit.* Dicuntur, *velut Martyres* coli, quamvis tales non sint; quia mortui quidem sunt pro fratribus, sed pro fratribus eis mors non est violenter illata; aliud autem est mori, & aliud mortem inferri pro fratribus, hoc enim ultimum desiderari videtur ex communi Ecclesiæ sensu ad propriè dictum martyrium.

V. 3. Quòd inferatur in odium fidei.

Tertia conditio est, quòd mors sit illata *in odium fidei, aut veræ virtutis*; Nam, inquit S. Augustinus in Psal. 38. *Martyrem non facit pœna, sed causa:* Hinc epist. 50. quæ est ad Bonifacium: *Veri Martyres*, inquit, *illi sunt, de quibus Dominus ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ unitatis impiam divisionem, sed qui propter justitiam persecutionem patiuntur, hi Martyres veri sunt.* Dixi, *aut veræ virtutis*; Ecclesia enim colit pro veris Martyribus, non solùm eos, qui mortem obeunt propter veræ fidei confessionem, sed etiam qui moriuntur propter aliquam violentiam; sic enim inter Martyres numerantur Thomas Cantuariensis occisus propter defensionem libertatis Ecclesiasticæ, & plures Virgines occisæ propter custodiam castitatis.

Aut veræ virtutis.

VI. 4. Quòd inferatur non resistenti.

Quarta tandem conditio ad verum martyrium, est quòd mors violenter inferatur homini non resistenti; unde commune illud effatum: *Martyr non pugnat, sed patitur*; siquidem conformari debet Christo D. qui testimonium perhibuit veritati, non contradicendo, sed patiendo: cùm enim pateretur, non comminabatur, sed tanquam ovis ad occisionem ductus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Unde licèt milites in bello ob defensionem fidei & religionis suscepto generosè occumbentes quamvis plurimùm mereantur, tamen censendi non possunt veri Martyres; milites enim ordinariè pugnant cum spe evadendi mortem; imò & occidendi invasorem: finis enim pugnæ victoria

est; ac proinde patiuntur mortem magis ex necessitate, quàm voluntate.

Status quæstionis.

His ita prælibatis, duo maximè supersunt hac in quæstione determinanda: *Primum*, utrum Baptismus fluminis ita sit unicus numerô, ut nullâ ratione possit iterari: *Secundum*, utrum Baptismus sanguinis reverà virtutem habeat delendi quodlibet peccatum & hominem justificandi.

Conclusio Prima.

VII. Baptismus non potest iterari & esse multiplex.

B*Aptismus ita est unicus numerò, ut semel validè collatus, nullâ ratione possit iterari.* Hæc est de fide determinata in illis omnibus Conciliis, in quibus strictè prohibetur, ne debitè ab hæreticis baptizati, iterum baptizentur; B expresse verò in Concilio Tridentino sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit, ritè collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam revertitur, anathema sit.*

Probant aliqui SS. Patres ex S. Scriptura.

Probant aliqui hanc veritatem ex illo ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Ita S. Leo epist. 37. cap. 1. *Scimus*, inquit, *expiabile esse facinus, quoties juxta hæreticorum damnata à SS. Patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis simul tributum est, bis subire, Apostolicâ reclamante doctrinâ, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in Baptismate Sacramentum.* Hinc epist. 79. cap. 7. scribit: *Hanc regulam (ut scitis)* C *servandam omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum, nulla iteratione violetur, dicente Apostolò: Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

At non efficaciter.

Verùm reponi posset hanc unitatem Baptismatis, de qua loquitur Apostolus, esse specificam, non verò numericam; quemadmodum sanctus Augustinus explicat unitatem fidei lib. 13. de Trinit. cap. 2 *Ita dicitur*, inquit, *ea credentium fides una, quemadmodum eadem volentium voluntas una; cùm & in ipsis, qui hoc idem volunt, sua voluntas sit cuique conspicua; alterius autem lateat, quamvis idem velit.*

Unde satius est asserere cum Doctore, non D aliam à priori hujusce veritatis proferri posse rationem, quàm ipsam voluntatem Christi sic Baptismum instituentis, ut circa eandem personam semel validè collatus, nullâ ratione posset iterari: quanquam aliquæ rationes congruentes id suadeant, saltem à posteriori, quas Doctor sic expendit in 4. dist. 6. q. 7. n. 3. ubi ait:

VIII. Melius colligitur ex voluntate Christi.

Dico quòd ratio initerabilitatis Baptismi, est institutio divina, cujus non est aliqua causa prior, nisi voluntas ejus: tamen ista institutio est rationabilis, tum ex morbo, contra quem principaliter instituitur; (istud remedium enim principaliter instituitur contra originale peccatum, quod non est nisi unicum: nec iterari potest) tum ex fine principali, ad quem est: habet enim plenam remissionem E pœnæ, & culpæ. Si autem posset homo habere frequenter talem remissionem plenam ab utroque, esset magnum incentivum delinquendi. Illud enim, quod est institutum in remedium relabentium, utpote Pœnitentia, non est sine magna pœna solvenda pro peccato. *Tum tertiò*, quia per istud Sacramentum; cùm sit principium, & janua, per quam intratur in legem Christianam, adscribitur aliquis familiæ Christi, & fit membrum ejus, & Ecclesiæ militantis. Licèt autem aliquis ingressus in Collegium, si offendat, postquam ingressus fuerit, possit reconciliari & Col- A legio, & capiti Collegii: non tamen frequenter in collegium intrat.

Quibus verbis Doctor significat non posse aliam assignari rationem à priori, cur Baptismus semel collatus non sit iterabilis; quam divinam voluntatem, quæ ita statuit ac ordinavit. Nihilominus à posteriori possunt aliquæ assignari rationes congruentes illius divinæ ordinationis: quarum *prima* petitur ex parte originalis peccati, ad quod eluendum Baptismus principaliter institutus est. Cùm autem hic morbus semel sanatus non reviviscat, etiam nec iterari debet illius remedium.

Secunda repeti potest ex parte effectûs, videlicet plenariæ remissionis peccati: quam ubi B semel quis assecutus est, conveniens fuit, ut iterum ipsi non proponeretur accipienda, ne videlicet præberet ansam sæpiùs delinquendi, si absque ullo prorsus labore ex parte sui, posset peccator plenariam suorum peccatorum indulgentiam consequi. Unde etiam sanctus Paulus ad Hebræos 6. ait: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam.* Quibus significat juxta communem Interpretum sententiam, semel acceptam plenariam peccatorum remissionem per Baptismum, non C posse obtineri absque satisfactione ex parte peccatoris; licèt obtineri possit per frequentem & laboriosam pœnitentiam.

Tertia tandem ratio est, quòd per Baptismum quis adscribatur familiæ Christi, & fiat membrum corporis ejus; unde sicut aliquis adscriptus in societatem alicujus regni, si offendat, poterit quidem reconciliari capiti, & membris; per hoc autem non dicetur eis inseri; quia peccando non amittit jura regni, aut civitatis, sed duntaxat fit reus legibus; ita baptizatus offendens Deum, per Pœnitentiam reconciliari poterit, non tamen poterit iterum fieri Christianus, quia jam talis esse supponitur.

IX. Nec non ex impressione Characteris.

Eandem veritatem probant alii Theologi, ex D eo quòd Sacramentum Baptismi characterem indelebilem imprimat; quò fit, ut nullâ ratione sit iterabilis: quâ utique ratione etiam utitur Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi loquens de Sacramentis novæ legis, ait: *Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spiritale quoddam signum à cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non iterantur.* Consonat Concilium Tridentinum sess. 7. can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine, [illegible] imprimi characterem in anima... unde ea ite[illegible] non possunt, anathema sit.* Quam utique rationem non E improbat Doctor, ut volunt aliqui; nam ipsam, ut veram supponit q. 9. sed tantùm q. 7. num. 2. dicit illam rationem non procedere ex notioribus; quia magis notum est Sacramentum non posse iterari, quàm quòd imprimat characterem: *Quia*, inquit, *à principio, ex quo Baptismus fuit institutus, fuit manifestum de eo, quòd non licuit eum iterari: quòd autem character imprimatur, non est notum ex prima ejus institutione: nec ex tota Scriptura, neque etiam ex multis authoritatibus Sanctorum.*

Igitur nulla alia efficacior hujus veritatis asserendæ proferri potest ratio, quàm constantissima,

& universalis Ecclesiæ praxis, quæ Baptismum non esse iterabile perpetuo docuit: cujus quidem traditionis imprimis testis est S. Clemens Romanus lib. 6. Constit. cap. 15. ibi: *Eô item modò ibi contenti sunt unô solô Baptismô, qui in Domini mortem traditur.... neque impiorum Baptismus recipitur, neque is, qui præter sanctos administratur, alterô Baptismô debet irritus effici: ut enim unus est Deus, & unus Christus, & Paracletus unus, sic unus est Baptismus, qui in ejus nomine datur.* Et paulò inferiùs. *Veruntamen initiatos Baptismate, iterum baptizare tentantes, crucifigunt Dominum, iterum eum interimunt, derident divina, eludunt sancta, insultant Spiritui, sanguinem sanctum velut communem contemnunt, peccant in mittentem, in passum, & in testificantem.* Concordat can. 47. Apostolorum: *Episcopus,* inquit, *aut Presbyter, si eum, qui secundum veritatem habebat Baptisma, denuò baptizavit, aut pollutum ab impiis,* hoc est, baptizatum ab hæreticis non servantibus synectam formam Baptismatis, *non baptizaverit, deponatur tanquam deridens crucem, & mortem Domini.* Ut quid hoc? Quia Baptismus repræsentat mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi, teste Apostolô ad Rom. 6. v. 3. 4. & 5. *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini ejus, simul & Resurrectionis erimus.* Unde sicuti Christus semel tantùm pro peccatis nostris mortuus est, & semel resurrexit: ita & nos per Baptismum eidem consepulti, & per eundem resurgentes, non possimus iteratò sepeliri, ne significemus Christum iteratò posse mori & sepeliri. Atque hæc est optima congruentia voluntatis instituentis.

X. Et ex Ecclesiæ traditione & praxi.

Objicit Doctor ibidem: Baptismus non est præstantius Sacramentum, quàm Eucharistia, & Pœnitentia; sed hæc sæpiùs iterantur: igitur etiam Baptismus iterari potest.

Respondet Doctor *num.* 3. quantùm ad Eucharistiam, paritatem in hoc solùm valere inter Eucharistiam, & Baptismum, quòd quemadmodum eadem hostia non potest pluries consecrari, ita nec eadem persona pluries baptizari. *Ad argumentum dico* inquit, *quod illa prolatio verborum, quibus Eucharistia consecratur, non est Sacramentum sed est consecratio sacramentalis, & illud non licet bis iterare super eandem materiam; & si secundo iteraretur, nihil fieret; quia prius factum est.... Licèt ergo eadem persona posset frequenter communicare, sive recipere Eucharistiam, non tamen super eandem materiam frequenter possunt proferri verba consecrationis Eucharistiæ: nec sic Eucharistia debet iterari, quod proprie aliqua materia hujus Sacramenti bis suscipiat formam ejus.* Ergo à simili non licet verba formæ Baptismi pluries super eandem personam proferre.

Conclusio Secunda.

XI. Martyriũ habet vim supplendi Baptismũ.

B*Aptismus sanguinis reverà habet vim supplendi vicem Baptismi fluminis ex opere operato.* Hæc est communior, & verior; & probatur primò illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Christus D. spondet vitam æternam ei, qui vitam temporalem pro Dei gloria perdiderit: Sic *Matth.* 16. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Vel, ut legitur apud Marcum cap. 8. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam.* Hinc *Matth.* 10. idem Christus D. testatur: *Qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Quæ propositiones non minùs generales sunt, quam illa Christi comminatio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Unde S. Augustinus lib. de civitate cap. 1. sic ratiocinatur: Tam certum est perfectum Martyrem suâ passione consequi gratiam, & remissionem omnium peccatorum; propter hoc Christi D. testimonium: Qui me confessus fuerit, &c. quàm certum est neminem sine Baptismo posse salvari, propter hæc verba: Nisi quis renatus, &c. sed hoc certum est: ergo & priùs. Quòd autem martyrium hunc effectum præstet, quasi ex opere operato, probatur ex sensu Ecclesiæ: *Quæ,* inquit sanctus Augustinus lib. 3. de libero arbitrio, cap. 23. *non frustra etiam infantes illos, qui cùm Dominus Iesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat.* Hinc de iisdem cantat Ecclesia in Collecta diei festi SS. Innocentium: *Deus cujus hodiernâ die præconium innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Et in Hymno: *Salvete flores Martyrum, quos lucis ipsô in limine, Christi insecutor sustulit, ceu turbo nascentes rosas.*

Nam SS. Innocentes suô sanguine sunt baptizati.

Nec valet reponere, eos duntaxat Martyres ab Ecclesia coli, qui priùs per Circuncisionem ab originali peccato mundati fuerant: Hæc, inquam responsio prorsus est futilis: Tum, quia sanctus Augustinus lib. de symb. ad Catechumenos, cap. 4. de ipsis infantibus generaliter pronuntiat, eos per Martyrium fuisse ab originali peccato mundatos: Ipsi, inquit, qui moriebantur, naturâ filii iræ erant, sicut & cæteri: sed quid eis præstitit gratia, nisi ut eos erueret à potestate tenebrarum. Præstitit eis Christus, ut pro Christo morerentur, præstitit ut suô sanguine ab originali peccato diluerentur, nati sunt ad mortem, sed continuò eos reddidit vitæ.

Ipsi consonat S. Leo Papa serm. 1. de Epiphania, cap. 3. *Quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit cælo, & quibus necdum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem.* Quis autem ambigat multos ex illis necdum fuisse justificatos à peccato originali? Etenim variæ erant proles infidelium Judæis permixtorum; plures quoque necdum erant octiduonari, adeoque nec circuncisi. *Deinde* esto fuissent omnes antea justificati, cur tamen magis, quàm alii parvuli in gratia decedentes, colerentur specialiter ab Ecclesia tanquam sancti, si ratione mortis illatæ specialem gratiam, aut sanctitatem non accepissent? Neque enim honorantur ob Circuncisionem, sed ob mortem toleratam pro Christo.

XII. Ut docent SS. Patres.

Porrò quæ SS. Innocentium, eadem est ratio aliorum parvulorum, si contingat illos pro fide Christi, aut verâ virtute occidi. Quid enim speciale potest in his excogitari, quod non aliis? Unde S. Leo serm. 2. in Epiphaniam. *Ita Christus ut nullum tempus ei esset absque miraculo, ante usum linguæ potestatem Verbi tacitùs exercebat, & quasi jam diceret:* Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum: *novâ gloria coronabat infantes, & de initiis suis parvulorum primordia consecrabat, ut disceretur nullum hominem incapacem esse divini Sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset apta martyrii.*

Hanc pariter martyrii efficaciam ut supplentis

vicem baptiſmi aquæ in adultis ſtatuunt ſancti Patres. Cyprianus in præfatione ſuæ exhortationis ad martyres, his verbis. *Nos tantum qui Domino permittente primum baptiſma credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præparemus, inſinuantes & docentes hoc eſſe baptiſma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius; baptiſma in quo Angeli baptizant; baptiſma in quo Deus & Chriſtus exultant: baptiſma poſt quod nemo jam peccat; baptiſma quod fidei noſtræ incrementa conſummat; baptiſma quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat.* Similiter ſanctus Ambroſius in Pſalmum 118. Octonario 3. circa medium diſtinguens triplex baptiſma; fluminis, flaminis, & ſanguinis; ait, *Vnum eſt baptiſma, quod hic tradit Eccleſia per aquam & Spiritum ſanctum, quo neceſſe eſt baptizari Catechumenos. Eſt aliud baptiſma de quo ait D. Ieſus: Baptiſmo habeo baptizari quod vos neſcitis: & utique jam baptizatus in Iordane fuerat, ſed ſit hoc baptiſma Paſſionis quo etiam ſanguine ſuo unuſquiſque mundatur.* Idem expreſſè probat prædictis citatis authoritatibus ſanctus Bernardus epiſt. 77. quæ eſt ad Magiſtrum Hugonem à ſancto Victore; ubi contrarium aſſerentes nominat, *novarum inventores aſſertionum & aſſertores inventionum.* (Atque.) *Ab his duobus columnis, Auguſtinum loquor & Ambroſium, difficillè avellor: cum his inquam me aut errare, aut ſapere fateor, credens & ipſe ſolâ fide hominem poſſe ſalvari cum deſiderio percipiendi ſacramentum.*

XIII. Quibus non refragatur S. Cyprianus.

Dices: Sanctus Cyprianus & Patres Africani Concilii, cùm priùs in quodam Concilio ſuo ſtatuiſſent, ut lapſi nonniſi diu pœnitentiâ actâ admitterentur ad pacem, niſi fortè periculum infirmitatis urgeret; jam novâ urgente perſecutione ſtatuerunt in alio Concilio, omnibus qui pœnitentiam egiſſent, pacem dandam, ut fortiores eſſent ad paſſionis prælium: ut conſtat ex eorum epiſtola quæ apud Cyprianum 54. locum obtinet, & ad Cornelium ſummum Pontificem dirigitur. In qua *num.* 16. hæc habentur. *Nec quiſquam dicat: qui martyrium tollit, ſanguine ſuo baptizatur, nec pax illi ab Epiſcopo neceſſaria eſt habituro Eccleſiæ pacem & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem.* Quaſi diceret martyrium non ſufficere lapſis, niſi priùs acceperint ab Epiſcopo pacem & peccatorum abſolutionem.

Reſpondeo, prædictos Patres ibi tantùm loqui de eo caſu in quo lapſi poſſunt accipere beneficium abſolutionis antequam martyrium ſubeant, quia (inquiunt ibidem) hæc omiſſio cenſetur eſſe ex parte lapſorum quædam præſumptio & contemptus abſolutionis: ex parte verò Prælatorum *quædam negligentia ſegnis & crudelis duritia, quæ* (inquiunt) *nobis aſcribetur in die judicii, quod creditas & commiſſas oves, nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare.* Ex quibus colligitur Patres nolle eos veniam non conſequi defectu martyrii, ſed prævæ diſpoſitionis; nam ſanctus Cyprianus quòd prodeſſet martyrium ſatis ſuperque ſuprà laudatus indicat.

Dices 2. In Concilio Braccharenſi can. 35. prohibetur ne fiat oblatio pro Catechumenis abſque baptiſmo morientibus; ergo cenſet eis nec martyrium, nec contritionem prodeſſe.

Nego conſequentiam; loquitur enim Concilium de eis ſolùm Catechumenis qui gravi baptiſmatis negligentiâ vel contemptu moriuntur; pro quibus ſuperfluum eſſet orare, cùm talis contemptus tanti remedii eos faciat veniâ indignos: eam autem eſſe mentem Concilii, colligitur ex eo quòd Canone præcedenti decernat non eſſe faciendam commemorationem in Miſſæ ſacrificio eorum, qui in ſtatu peccati mortalis obierunt.

XIV. Quomodo conferat gratiam infantibus.

Dices 3. Licèt martyrium ab adulto conſummatum, videatur poſſe remittere peccata, non tamen ita de parvulis aut dormientibus; cùm nec ſit actus alicujus virtutis aut charitatis, aut fortitudinis, aut religionis; quippe cùm actus virtutis debeat eſſe liber, & à libera voluntate elicitus; cujus conditionis non ſunt nec infantes, nec dormientes, nec pariter ſit ſacramentum. Ut conſtabit infrà.

Reſp. Martyrium præcisè ſumptum nihil aliud eſſe, quàm actualem mortem pro Dei gloria exceptam; qualiter præſcindit tam ab actu virtutis & à non actu virtutis. Id namque in ſpeciali & ratione ſubjecti duplex poteſt diſtingui; quatenus enim ab adultis voluntariè toleratur, eſt actus virtutis charitatis, aut fortitudinis, &c. quatenus verò eſt in infantibus, aut amentibus, aut dormientibus, eſt tantùm opus ſecundùm Dei ordinationem pro ejus gloria toleratum. Huic autem utrique Deus juſtificantem gratiam, aut ejus augmentum annexum eſſe voluit, ſicut Eccleſia teſtatur de Innocentibus in oratione & officio eorum ſolemnitatis. *Deus cujus hodiernâ die præconium innocentes Martyres, non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt, &c.*

Inſtabis. Hæc reſponſio militat in S. Bernardum. Is enim epiſtolâ 77. ſuprà laudatâ cùm dixiſſet imminente morte hominem per fidem & deſiderium ſuſcipiendi baptiſmatis, ſi de facto ſuſcipere non poſſit, nihilominus ſalvari; addit: *Vide etiam ne fortè id voluerit Salvator cùm diceret: Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit: cautè & vigilanter non repetierit, qui verò non baptizatus fuerit, ſed tantùm; qui verò* (inquit) *non crediderit, condemnabitur: nimirum innuens ſolam fidem interdùm ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil. Quapropter etſi martyrium vicem Baptiſmi poſſe implere conceditur, non planè hoc facit pœna, ſed fides, nam abſque ipſa quid eſt martyrium niſi pœna?*

XV. Et quem in Adultis affectum exigat.

Nego antecedens. S. enim Bernard. ibi tantùm loquitur de adultis & ratione utentibus, quos fateor debere conſentire, non verò invitè ſubire martyrium? Hic autem conſenſus & à fide & à charitate eſt eliciendus. Sanctus enim Bernardus ſerm. de ſanctis Innocentibus diſtribuit omnes Martyres in tres claſſes. In *prima* reponit illos qui voluntate & externo opere Martyrium conſummant. In *ſecunda* conſtituit eos qui voluntate ſolùm martyrium fecerunt; ut ſanctus Martinus & ſeraphicus Pater Franciſcus, quibus non martyrio voluntas, ſed voluntati martyrium defuit. In *tertia*, ordinat eos qui opere duntaxat externo ſunt martyres. Martyrium primi & ſecundi ordinis debet eſſe actus virtutis; alioquin eſſet fruſtraneum: poſterioris verò non ita. De prioribus loquitur Bernardus in dicta epiſtola, non de poſteriori, cùm ipſe Innocentes opere tantùm, nihilominùs veros martyres fuiſſe pronuntiet.

Vrgebis: Hæc reſponſio eſt contra doctrinam Apoſtoli dicentis & docentis 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt:* Ergo nullam efficacitatem habet martyrium, niſi à charitatis actu; ac proinde qui ſunt talis actûs eliciendi incapaces, erunt & percipiendæ gratiæ per martyrium conferendæ.

Nego antecedens, ſiquidem S. Paulus de ſeipſo

adulto, ac proinde qui poterat sese liberè ad martyrium determinare. Fateor enim adultum in peccato mortali existentem, qui nec martyrium desideravit, nec ad id sese determinavit, si dormiens occideretur in odium Christi, non propterea salvari, quia cùm peccatum mortale committitur propriâ voluntate, non potest absque proprio voluntaris motu deleri. Vel

XVI. Quomodo & quando gratia producatur per martyrium.

Distinguo. Martyrium sine charitate antecedente & comitante nihil prodest in eo qui vel antecedentem, vel consequentem habere potest, concedo: nihil prodest in eo qui neutram habere potest, cùm sit libertatis & rationis impos, nec in eo qui cùm præcedentem non habuerit, habet comitantem, nego. Implicat autem adultum fidelem velle pro Christo animam fundere & de facto exponere, absque eo quòd habeat charitatem. Dixi *fidelem*; quia si hæreticus circa unum fidei articulum, pro alio verò quem credit; occideretur, non esset martyr dicendus, eo quòd Christo nullatenus nec per charitatem, nec per fidem infusam uniretur. Dixi *pro Christo*, quia si pro vana gloria vel motivo præter Christum obiret, martyr non esset.

Dices 4. Si martyrium primam gratiam conferat, id erit vel ante mortem, vel in instanti mortis; vel post mortem. *Non primum*; tum quia cùm mors sit de formali ratione martyrii, sequeretur ipsum conferre gratiam antequam esset; ac proinde majoris esse efficacitatis quàm sacramenta; tum quia operari sequitur esse: Ergo priùs debet esset perfectum martyrium, quàm gratiam edat; tum denique quia plures ipsâ etiam morte instante in tormentis defecerunt à fide & gratia; ac proinde non sunt assecuri martyrii gratiam, à qua nollos excidit, cùm sit ultima ad gloriam dispositio.

Non etiam secundum, nec *tertium*; quia instans mortis est primum non esse hominis, ac proinde est extra statum viæ, & consequenter extra statum salutis. Ergo, &c.

Respondent communiter Doctores cum Vega & Isamberto; tum conferri primam gratiam, vel ejus augmentum per martyrium, quando martyr acceptô lethali vulnere ac tormentis eo in statu sistitur, ut ab eo nullâ causarum secundarum virtute nec vitam servare nec pristinam sanitatem iterum possit assequi; sive interim moriatur, sive per miraculum vitam tueatur sanitatemque recipiat; in cujus confirmationem Ecclesia ut martyres colit eos qui gravi accepto vulnere pro Christo in fide non defecerunt, licèt tormentis ac plagis inflictis supervixerint. Nec refert quòd physicè pro libertate possint adhuc peccare, ac proinde à gratia martyrii excidere; Nam *(inquiunt)* moraliter ita prævenitur eorum voluntas, ut nunquam sit à charitate defectura.

Respondeo quòd cùm Deus perspicacissimus sit cordium scrutator, tùm gratiam infundere adultis, cùm Martyris voluntas per actum liberum sese determinat ad tormenta mortemque constanter pro Christo subeundam; si verò mors non subsequatur, id non provenit defectu martyris qui jam voluntariè ad eam obeundam sese determinavit: sed defectu persecutoris ab inceptis tormentis & plagis desistentis: tunc enim martyr verè pro Christo animam suam ponit, eumque coram hominibus confitetur.

Instabis. Ex hoc sequitur eum qui verè martyrium desiderat seseque determinat ad id subeundum si persecutor adesset, verè dici martyrem ac martyrii gratiam consequi, licèt tamen nulla unquam tormenta patiatur. Falsum consequens, ergo & antecedens.

Nego sequelam, quia aliud est desiderare martyrium, aliud ad id sese determinare, cùm præsens instat occasio. Apostoli enim pro Christo mortem obire decreverant dùm dixerunt: Eamus & nos & moriamur cum illo; & tamen dum quærerent Christum Judæi, relicto eo omnes Apostoli fugerunt. Unde censeo martyrium quod dicitur (voluntatis) gratiam non operari quà martyrium est formaliter: sed quà præstantissimus est charitatis actus, quô quis Deum etiam usque ad propriæ vitæ contemptum diligit.

Vrgebis. Actus exterior non addit quidquam bonitatis actui interiori: Ergo si voluntas subeundi martyrii gratiam non operetur, nec ipsummet martyrium operabitur.

Distinguo. Actus exterior qui per se non præcipitur aut intenditur ac ordinatur ad effectum, transeat; secus, nego: baptismus enim & cætera sacramenta, cùm per se ordinentur ad gratiam, aliquid efficiunt, v. g. characterem & gratiam ex opere operato, quam actus interior seu sola voluntas non producit: Martyrium autem seu probatio voluntatis per tormenta, ex se ad gratiam ordinatur. Unde Christus ait, *Qui confitebitur me* (non solùm coram Deo per voluntatem) sed etiam *coram hominibus* (per tormentorum perpessionem) *confitebor & ego eum coram Patre meo.*

Quæres, *Vtrum Baptismus sanguinis sit dignior Baptismô fluminis?*

Quomodo Baptismus sanguinis est dignior Baptismo fluminis.

" Respondet Seraph. Doctor dist. 4. p. 2. art. 2.
" q. 2. quòd dignitatis præeminentia in his
" Baptismatibus conspicitur ex consideratione ef-
" fectuum eorundem. Utriusque autem effectus,
" scilicet sanguinis & fluminis, est & in liberando
" à malo, & in ordinando ad bonum, & utroque
" modô se habent sicut excedentia, & excessa. Nam
" major effectus, sive efficacia in liberando à malo
" potest esse vel extensivè, vel intensivè. Si extensi-
" vè, Baptismus aquæ excedit, quia plures personas
" liberat, & à pluribus morbis, quia a peccato mor-
" tali & veniali. Baptismus autem sanguinis liberat
" paucos, & solùm à veniali liberat, à mortali non,
" quia præsupponit charitatem, aliter nihil valeret
" ad salutem. Similiter in ordinando ad bonum
" major potest excessus attendi dupliciter, aut ex-
" tensivè, aut intensivè. Si extensivè, sic præcel-
" lit Baptismus aquæ, quia dat gratiam gratis da-
" tam, scilicet characterem, & gratiam gratum fa-
" cientem, quæ disponit ad gloriam, & præmium
" essentiale. Baptismus autem sanguinis gratiam
" gratum facientem non tribuit, sed consummat:
" nec tribuit characterem, per quem distinguitur
" anima, & præparatur ad gratiam. Utroque mo-
" dorum prædictorum Baptismus sanguinis excedit
" intensivè, sicut exceditur extensivè. Nam effi-
" caciùs & meliùs liberat à malo culpæ, & pœnæ,
" quia omnem resecat & secundùm potentiam, &
" secundùm actum. Similiter efficaciùs ordinat ad
" bonum, quia statim perducit ad gloriam: & per-
" fectionem, & gloriosiorem: hôc Baptismô bapti-
" zatus consequitur palmam.

QUÆSTIO QUARTA.

Quænam sit materia remota Baptismi fluminis.

I. Quid sit materia Sacramentalis.

NOtandum primò, ex Doctore *dist. 3. quæst. 3. num. 2.* Sacramentorum materiam dici analogicè & secundum quandam proportionem, quam res sensibiles confectioni Sacramentorum deservientes habent cum materia quæ est pars compositi Physici. *Sicut enim*, inquit, *in illo toto sensibili aliquid est principalius, ut ultimatè determinans, & ideo dicitur forma; ita aliquid est minus principale, vel determinabile, & illud dicitur materia.* Hoc est, quemadmodum in composito physico materia est ex se indifferens ad varias formas, & determinatur per formam particularem ad constitutionem alicujus specialis compositi: ita in compositô Sacramentali, illud materiæ rationem & appellationem obtinet, quod ex se indifferens est ad varias applicationes, & diversa munia: sed determinatur ad rem sacram significandam, & efficiendam per verba Sacramentalia, & intentionem Ministri conferentis Sacramentum.

II. Duplex est Sacramentorum materia.

Notandum secundò ex eodem *ibidem*, Sacramentorum quæ consistunt in usu rei sensibilis, & in actione Ministri, qualis est Baptismus, materiam esse duplicem, nempe proximam, & remotam. Remota, est res ipsa sensibilis, quæ sumitur in signum, & causam gratiæ ad Sacramentum conficiendum, ut chrisma in Confirmatione. Proxima verò, est ipsius rei sensibilis, usus & applicatio, ut unctio vel applicatio Baptismalis in fronte confirmandorum. Quærimus autem in præsenti, quænam sit materia remota Baptismi; de proxima autem sermonem faciemus in quæstione sequenti.

III. Quam variè errave rint hæretici circa materiam Baptismi.

Notandum tertiò, circa materiam remotam Sacramentorum variè erratum fuisse ab hæreticis; *Manichæi* namque, teste S. Augustinô hæresi 46. eùm existimarent, & assererent omnia elementa, & res corporeas à Deo malo esse conditas, etiam aiebant Baptismum in aqua nihil ad salutem conferre. Quapropter nullâ ratione aquam, aut aliquid id genus in baptizandis suis Sectatoribus adhibebant. Licèt autem *Marcionitæ* idem crederent de productione rerum corporearum à malo principio, nihilominus in suo Baptismate adhibebant aquam propter præceptum Christi D. ut refert Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum cap. de Marcione. *Seleuciani*, ac *Herminiani* Baptismum in aqua non accipiebant; pravè interpretantes illud Joannis Baptistæ: *Ego vos baptizo in aqua... Ipse autem vos baptizabit in Spiritu S. & igne*, ut refert S. Augustinus hæresi 59. Idem Joannis oraculum perversô sensu accipientes *Iacobitæ*, non adhibebant aquam in suo Baptismate, sed ferrô candente crucis formam impressô stigmate frontibus, vel genis parvulorum imprimebant, ut refert Sanderus lib. 3. de visibili Monarchia, hæresi 113. & Prateolus verbo Jacobitæ. Fuerunt etiam aliqui hæretici, *Flagellantes* dicti, qui turmatim per vicos, & plateas errantes, maximè in Germania, omnibus mundi divitiis spretis, paupertatem Evangelicam se se profiteri jactitabant, aiebantque Baptismum aquæ jam suô tempore desiisse, & omnes quotquot salvi fieri optarent, debere propriô cruore & sanguine baptizari per flagella, sanguinem ex corpore variis impressis stigmatibus eliciendo, ut refert Bernardus Lutzenburgensis, & ii omnes, qui veterum & recentiorum hæreticorum indicem texuerunt.

Verùm hi omnes, si penitiùs eorum errores inspiciantur, non tam videntur errasse circa ipsam Baptismi materiam, quàm circa Baptismum, quem ad salutem necessarium non esse censebant. Unde qui directè necessitatem aquæ in materia Baptismatis repudiârunt, fuerunt aliqui recentiores hæretici, maximè *Lutherus*, qui in *Symposiacis*, id est, colloquiis convivialibus cap. 17. rogatus an aquâ deficiente liceat in lacte, vino, aut cervisia baptizare; respondit primum id judicio Dei committendum, & reservandum esse; tum addidit, Aquâ deficiente quidquid balnei nomine nuncupari potest, ad Baptismum esse aptum & sufficiens. Idipsum *Beza* erroneè censuit epist. 2. ad Thomam Thilium: *Videtur*, inquit, *si desit aqua, & alicujus Baptisma cum ædificatione differri non possit, nec debeat, ego certè quôvis aliô liquore, non minus ritè, quàm aquâ baptizarem.*

Contra quos omnes Errores duo hîc stabilienda sunt. Primum, quòd aqua naturalis sit legitima baptismi materia: secundum, quòd omnis & sola aqua naturalis ad id sufficiat.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Aqua naturalis est sola legitima baptismi materia.

MAteria remota Baptismi, est aqua naturalis. Hæc est de fide expressè determinata in Conciliis, maximè Lateranensi sub Innocentio tertio, ubi decernitur: *Sacramentum Baptismi (quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quàm adultis, &c.* Concilio Florentino in decreto unionis sub Eugenio IV. quòd si inquit: *Materia hujus Sacramenti* (Baptismi) *est aqua vera & naturalis, nec refert frigida sit, an calida.* Novissimè Concilio Tridentino sess. 7. can. 2. de Baptismo: *Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sanctô, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Ut definitum est in Conciliis.

V. Apertè traditur Scriptura sacra.

Atenim *quod in Scripturis sanctis*, ait S. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. *perspicuè sonat, non est ad aliud referendum, quasi figuratè dictum sit.* Quid autem magis perspicuè sonat, quàm quod Actor. 8. v. 36. ait Eunuchus ad Philippum: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Sequitur v. 38. *Et jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* Idem luculenter indicant verba Petri, Actor. 10. *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum acceperunt, sicut & nos?* unde Apostolus ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Et ad Ephes. 5. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacrô aquæ in verbo vitæ.* Quod utique prædictum fuerat Ezechielis 36. ubi Judæis spondet Deus: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* SS. Patres constanter docent.

Confirmari potest hæc veritas ex perpetuo usu, & traditione universalis Ecclesiæ, nec non ex constanti omnium SS. Patrum doctrina, qui unanimi calculô docent aquam naturalem esse necessariam, ac legitimam Baptismi materiam. Sic *S. Clemens Romanus* epist. 4. *S. Iustinus* oratione ad Antoninum Pium. *S. Irenæus* lib. 3. contra hæreses cap. 19. *S. Nazianzenus* oratione 40. & om-

nes alii posteriores; unde *S. Cyprianus* epist. 65. & 76. varia profert, & expendit veteris Testamenti oracula in hujus veritatis assertionem. Et *S. Hieronymus* epist. 83. quæ est ad Oceanum, varia recenset mysteria, quæ primitus Deus in aquis celebravit, ut eas veluti jam consecraret, ac Baptismati devoveret.

VI. *Tertullianus luculenter explicat.*

Verùm, omnium luculentissimè hanc veritatem probat Tertullianus cap. 3. de Baptismo, & sequentibus, ubi *ait:* Habes homo in primis ætatem venerari aquarum quòd antiqua substantia; de hinc dignationem, quòd divini Spiritûs sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis. Nam & tenebræ adhuc totæ sine cultu siderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cœlum rude, solus liquor, semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subjiciebat. Quid quòd exinde dispositio mundi, modulatricibus quodammodò aquis Deo constitit? Nam, ut firmamentum cæleste suspenderet in medietate distinctis aquis fecit; & ut terram aridam suspenderet, segregatis aquis expedit: ordinatô de hinc per elementa mundô, cùm incolæ darentur primis aquis, præceptum est animas proferre. Primus liquor, quòd viveret edidit, ne mirum sit in Baptismo, si aquæ animare noverunt, nam ipsius quoque hominis figurandi opus sociantibus aquis absolutum est de terra materia, non tamen habili; nisi humecta, & succida, quam scilicet ante quartum diem segregatæ aquæ in stationem suam superstite humore limô temperârant. *Hinc capite 9. referens famosiora Dei prodigia, quæ in aquis patrata sunt, tum in veteri, tum in novo Testamento, scribit:* Quot igitur patrocinia naturæ, quot privilegia gratiæ, quot solemnia disciplinæ, figuræ, præstructiones, precationes Religionem aquæ ordinaverunt? Primò quidem cùm populus de Ægypto liberè expeditus, vim Regis Ægypti per aquam transgressus evadit, ipsum Regem cum totis copiis aqua extinxit. Quæ figura manifestior in Baptismi Sacramento? Liberantur de sæculo nationes per aquam scilicet, & diabolum dominatorem pristinum, in aqua oppressum derelinquunt. Item aqua de amaritudinis vitio in suum commodum suavitatis Mosci lignô remediatur. Lignum illud erat Christus venenatæ & amaræ retrò naturæ venas insaluberrimas, aquas Baptismi scilicet ex sese remedians. Hæc est aqua, quæ de comite petra populo diflucbat. Si enim petra Christus, sine dubio aqua in Christo Baptismum videmus benedici. Quanta aquæ gratia penes Deum & Christum ejus est ad Baptismi confirmationem? Nunquam sine aqua Christus; siquidem & ipse aquâ tingitur. Prima rudimenta potestatis suæ vocatus ad nuptias aqua auspicatur. Cùm sermonem facit, sitientes ad aquam suam invitat sempiternam. Cùm de Agape docet, quæ calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat. Apud puteum vires resumit; super aquam incedit libenter, transfretat; aquam discentibus ministrat; perseverat testimonium Baptismi usque ad passionem: cùm deditur in crucem, aqua intervenit, sciunt Pilati manus: cùm vulneratur, aqua de latere prorumpit, scit lancea militis, *&c.* Similia habet S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3.

VII. *Ratione congrua suadet subtilis Doctor.*

Hujus veritatis alia non subest efficax ratio, inquit Doctor *num.* 2. quàm Christi D. voluntas, quæ per Scripturarum oracula innotescit: *Quare autem sit institutum,* inquit, *sunt aperta congruentia: quia aqua est frigida, fluida, lucida, necessaria, & communis: quæ omnes proprietates conveniunt illi humori, in quo debet fieri Baptismus, qui est ad reprimendum æstum concupiscentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illustrandum claritatem fidei, ad introducendum in viam salutis: & hoc est commune omnibus, sicut lex ista, cujus hoc Sacramentum est initiatum, communis est omnibus ad salutem.*

Objicies primò: Aqua, quæ fluxit ex latere Christi pendentis in cruce, fuit symbolum, & pignus Sacramenti, ut docent *S. Cyprianus* serm. de Passione Christi, *sanctus Hieronymus* epist. ad Oceanum, *S. Augustinus* tract. 120. in Joannem, & alii: at ista aqua non erat vera, naturalis, & elementaris, sed humor quidam phlegmaticus, quia in corporibus mixtis, quale est corpus Christi, non reperitur pura, & elementaris aqua: igitur Baptismus absolutè conferri non debet in aqua naturali.

Respondet Doctor, num. 7. negando minorem: contrarium enim, inquit, apertè docet Innocentius III. in epistola ad Episcopum Ferrariensem, & habetur *Extravag. de celebratione Missarum, cap.* IN QUADAM, &c. ubi scribit. *Cæterum sicut fuit verus Spiritus, & verus sanguis, ita procul dubio vera aqua, cùm Christus sit veritas, & à veritate omnis fallacia sit penitus aliena: nam si non fuisset aqua, sed phlegma, quod de latere Salvatoris exivit,* ILLE QUI VIDIT, ET TESTIMONIUM VERITATI PERHIBUIT, *profectò non aquam, sed phlegma dixisset: nec in hoc verum regenerationis Sacramentum fuisset ostensum, cùm per Sacramentum Baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua: Neque per hoc posset verò argumentô probari, quod in Sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino, si de latere Christi non aqua, sed phlegma cum sanguine profluxisset. Sed nec vera fuisset figura, quæ super hac re præcessit in veteri Testamento, quando Moyses virgâ percussit silicem, & ex ea non phlegma, sed aqua manavit.*

VIII. *Vera aqua fluxit ex perfosso latere Christi D.*

Restat igitur, ut qualiscunque fuerit illa aqua, sive naturalis, sive miraculosa, sive de novo divinâ virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, procul dubio vera fuit: cùm naturaliter possit & compositum in componentia, & elementatum in elementa resolvi: quemadmodum verus extitit sudor ipsius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Hæc Innocentius.

Quibus, (inquit Doctor) probat aquam, quæ fluxit ex latere Salvatoris, fuisse reverà aquam naturalem, sive productam per resolutionem, sive de novo creatam. Probat, inquam, à priori per testimonium Evangelistæ, à posteriori verò per materiam Sacramenti Baptismi: *secundò* per aquam miscendam in Sacramento Eucharistiæ; *tertiò* per figuram, quæ præcessit in veteri Testamento, quando Muyses percussit silicem, & ex eo non phlegma, sed aqua manavit.

Confirmatur hæc responsio in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 7. ubi ait, *Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vinô in calice offerendo miscerent; tum, quod Christum D. ita fecisse credatur: tum etiam, quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hâc mixtione recolitur.*

Objicies secundò: Dum sanctus Joannes Baptista *Matth.* 3. de Christo D. loquens, ait: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne,* per ignem metaphoricè significat Spiritum sanctum, qui die Pentecostes in Apostolos visibiliter descendit, &

missione

missione invisibili etiam illabitur in baptizatos Christi Baptismate, quô denotatur discrimen inter Baptismum Christi, & Joannis: quia hic solùm erat in aqua, & Spiritum sanctum non conferebat: ille autem operabatur peccati consumptionem, mentis illuminationem, & cordis inflammationem, ad id, quod Dei gloriam, & salutem sapit, animosè præstandum: igitur pari ratione dum Christus D. ait Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ibi aquam non usurpat propriè, sed metaphoricè, nempe pro Spiritu sancto, quatenus per gratiam sanctificantem animam à peccati sorde abluit, &c.

IX.
Quid per Baptismum ignis intelligatur.

Respondeo primò, negari posse antecedens; Revera enim multi è SS. Patribus per *ignem* intelligunt verum ignem, nempe ignem illum sensibilem, qui Apostolis in forma linguarum illapsus est, & veluti Sacramentum erat, ac signum sacrum illius mystici ignis charitatis, quô per illapsum S. Spiritûs Discipulorum corda succendebantur; *Nam*, inquit S. Gregorius, *foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia.* Unde qui priùs torpebant animi imbecillitate & pusillanimitate, ab ea immunes, generosè Christi Domini gloriam & divinitatem propalâtunt; at; exponunt *S. Hieronymus* & *Beda* lib. 1. in Lucam cap. 9. & *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 3. *Vel* per ignem S. Joannes intelligit *ignem Purgatorii*, ut exponunt idem Hieronymus in cap. 3. Matth. & Beda locô mox laudatô: Quâ ratione, inquit S. Hieronymus, Apostolus 1. ad Corinth. 3. ait: *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit, &c.* Ubi sermo est de igne purgatorii; nec certè illa interpretatio aliena est à sententia S. Joannis Baptistæ: nam ibidem subjungit: *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igne inextinguibili.* Vel denique *per ignem* designabat effectum Baptismi, scilicet ferventem illam charitatem, quâ inardescebant nascentis Ecclesiæ filii, ubi Baptismum, & Confirmationem acceperant, ut interpretatur sanctus Chrysostomus homil. 11. in Matthæum.

Objicies tertiò: Narrat Nicephorus lib. 3. cap. 17. tempore Aurelii Imperatoris, Judæum quemdam in necessitate constitutum iter facientem repentinô morbô correptum, quô statim moriturus putabatur, Baptismum petiisse, & ob loci siccitatem aquâ deficiente, baptizatum fuisse solâ arenâ, invocatô nomine sanctissimæ Trinitatis, moxque è morbo convaluisse, quod signum erat Baptismum illum fuisse à Deo probatum. Cujus etiam historiæ meminit Cedrenus in compendio *num.* 97. igitur urgente necessitate, locô aquæ, licebit aliud ad baptizandum assumere.

X.
Judæus arenâ baptizatus, denuò fuit aquâ baptizatus.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, *primò* non satis constare de veritate hujus historiæ, cùm diversimodè ab illis Authoribus referatur, & Cedrenus asserat eam contigisse sub Antonino Pio; unde non omnimodam ei fidem facit Baronius ad annum Christi D. 181.

Deinde, quanquam esset vera, inde tamen non sequitur in casu necessitatis posse aliquid aliud à vera, & naturali aqua assumi in materiam remotam veri Baptismi. Nec enim Baptismus ille Judæi probatus fuit ab Ecclesia, imò reprobatus à Dionysio Episcopo Alexandrino; sive, (ut placet Baronio) Corinthio, qui jussit posteà Judæum rebaptizari. Non igitur miraculum tribuendum est aspersæ arenæ, quasi restitura Judæo sanitas, fuerit indicium veri suscepti Baptismatis: sed Deus partim Judæi, partim aliorum Christianorum pietate delectatus, voluit integram Judæo sanitatem restituere, ut postmodum haberet facultatem voto suo satisfaciendi, suscipiendo verum Baptisma.

Objicies quartò: Stephanus Papa, hujus nominis secundus aut tertius, interrogatus à Monachis Britanniaci Monasterii, utrum urgente necessitate Baptismus, aquâ deficiente, collatus in vino esset validus; respondit affirmativè: nam in ejus rescripto, quod habetur tomô secundô Conciliorum Galliæ inter varia ad varias quæstiones responsa, capitulô 12. sic præfatæ inquisitioni respondet: *Si in vino quis, propterea quòd aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit; nulla ei proinde adscribitur culpa: infantes sic permaneant in illo Baptismo*: igitur aliud, quàm aqua, saltem in casu necessitatis, potest ad validum Baptismum assumi.

XI.
Stephanus II non probavit Baptismum in vino collatum.

Nego consequentiam: Et ad antecedens dico, *primò* hanc authoritatem non esse omnino certam; quippe cùm hujus rescripti non adeo certa, & authentica extent monumenta. *Secundò* dico, esto admittatur tanquam rescriptum legitimum, responsionem illam tantùm obiter factam, non esse ita solidæ authoritatis, ut fidem mereatur: in responsionibus enim Romanorum Pontificum distingui debet, id quod directè reponunt ad interrogationem sibi factam, ab iis, quæ plerumque istis suis responsionibus obiter tantùm, & quasi per transennam, ac veluti aliud agendo delibant, & intermiscent: *Primum* enim, inquit *Izambertus* disp. 2. art. 2. ad quæst. 64. validum subministrat argumentum fundatum in summa Pontificia illorum authoritate: *Secundum* autem, *inquit*, non est tanti ponderis, sicut nec rationes, quas Concilia interserunt suis decretis, ac definitionibus: Summus autem Pontifex Stephanus interrogatus fuerat non de valore istius Sacramenti, sed de peccato & pœna, quam luere deberet Sacerdos, qui sic baptizaverat, ut constat tum ex titulo, tum etiam ex eo, quòd ibi distinguat duplicem ejus Sacerdotis statum; unum, in quo tali periculô instante nullam habebat aquam præsentem; alterùm, in quo aquam habebat: ad primum respondet, Sacerdotem illum esse immunem à peccato & pœna, eò quòd propter ignorantiam, cùm esset dubius, an in casu necessitatis vinum esset materia sufficiens Baptismi; in extremis autem melius sit uti remediô dubiô, quàm nullô; idcirco Sacerdos ille ex recta conscientia poterat sic baptizare, ut quantùm in ipso erat subveniret infantium saluti: si autem aquam præsentem habuisset, statuit Pontifex, illum gravissimè peccasse, & ideo gravi pœnâ esse plectendum. Unde subjicit: *Si præsens ad fuit aqua, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentia submittatur: quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit.* Quibus significat, non fuisse propositam quæstionem de valore Baptismi, sed de culpa, & pœna baptizantis. Hinc sic emendari debent præfata illius rescripti verba, *nulla ei adscribitur culpa, si sic infantes baptizati permaneant.*

Conclusio Secunda.

XII.
Omnis aqua elementaris est materia

Omnis, & sola aqua naturalis est sufficiens materia Baptismi. Hæc est communis apud Catholicos, qui perinde ratum, ac validum habent Baptismum collatum in aqua, sive fluviali, sive fontali, sive marina; quod pridem significaverat

sufficiens baptismi.

Tertullianus cap. 4. de Baptismo scribens: *Ideo nulla distinctio est, mari quis, an stagnô; flumine an fonte; lacu an alveô diluatur: nec quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit: nisi & ille spado, quem Philippus inter vias fortuitâ aquâ tinxit, plus salutis, aut minus retulit. Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur invocatô Deô; supervenit enim statim Spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Quibus verbis Tertullianus significat omnem prorsus aquam elementarem, quæcunque illa sit, ad validum Baptismum sufficere; quanquam non sit ab Ecclesia benedicta: Quoniam, inquit Spiritus sanctus ipsi assumptæ ad Baptismum aquæ illabitur, eam sanctificans, ac sanctificandi vim conferens. Cujus utique ratio est aperta; quia Scriptura, Concilia, ac SS. Patres, cùm de materia Baptismi sermonem faciunt, eam dicunt simpliciter, & sine addito esse aquam: at aqua simpliciter dicta non alia est, quàm naturalis, & elementaris; non verò artificialis, aut excrementitia: quæ non nisi æquivocè aquæ appellantur: igitur, &c.

Ex quibus inferri licet *primò*, ad Baptismum validè conferendum sufficere quamlibet aquam, modò, reputetur naturalis, & usualis: ad eum autem perinde esse, quòd aqua frigida sit, an calida; putei, fluminis, an maris; pluvialis, an resoluta ex nive, grandine, glacie; turbida, an clara; tincta etiam colore, & licèt transierit per sulphureos meatus, aut cineres: & generaliter valet Baptismus collatus in aliquo liquore, qui in communi sermone vocatur aqua; omnis quippe talis liquor est vera aqua naturalis, & elementaris, sive usualis.

XIII. Unde tepidantur omnes alii liquores.

Sequitur secundò, nullum esse Baptismum collatum in cervisia, aut jusculo bene decoctis, sudore, lacte, urinâ, lacrymis, sputô seu salivâ, phlegmate, aquâ rosaceâ, aut ex aliis herbis distillatâ. Hæc omnia luculenter explicat Doctor subtilis suprà num. 3. *Respondeo, quòd aquæ illæ, quæ communiter dicuntur* ARTIFICIALES, *sunt corpora quædam mixta, & non dicuntur aquæ, nisi æquivocè.* Probat primò: quia *habent à tota specie aliquam qualitatem dissimilem aquæ elementari.*

Maximè artificiales

Secundò: quia *fiunt per actionem ignis decoquentis, & resolventis; ignis autem non videtur esse sufficiens in virtute activa ad corrumpendum, vel convertendum quæcunque mixta in aquam elementarem. Propter quod* (inquit) *universaliter concedi potest, quòd aquæ illæ, quæ dicuntur artificiales, non sunt conveniens materia Baptismi, quia non sunt in specie aquæ elementaris.*

Sequitur tertiò, aquam lutosam, arenosam, & impuram etiam sufficere ad validè baptizandum, modò illa impuritas tanta non sit, ut aqua recedat à ratione & statu aquæ naturalis, & elementaris: quod utique optimè explicat Doctor

XIV. Ut optimè declarat subtilis Doctor.

ibidem num. 4. dicens: Imporitas in aqua potest intelligi duobus modis, vel propter mistionem, secundùm juxta positionem, ut aqua lutosa dicitur impura: vel propter mistionem alterantem à specie, sicut humor mistus dicitur non esse aqua pura. Et prima quidem impuritas noo prohibet: dum tamen non excludat ab aqua, quin sit conveniens ad lavandum, vel abluendum. Nec est alia ratio, nisi quia sic institutum est. Unde aqua inbibita farinæ in pasta, vel in spongia, dum ibi est, vel imbibita in spisso luto, & sic de aliis, si contingant carnem, non sunt conveniens materia Baptismi tales aquæ, quia talis contactus non est lotio, sed tantùm contactus aquæ fluidæ liberè conjungentis se cuti, vel separantis inter cutem, & aliud corpus. In secundo modo, dico quòd aliqua impuritas potest esse manente aquâ intra speciem: sicut fortè si incipiat inspissari tendendo ad generationem elementi grossioris: ista non prohibet, dum tamen sit fluida. Quod pro tanto dico, quia in glacie, nive, & grandine, quæ tamen sunt imperfecta, vel in via ad mistionem, dum talia sunt, non potest in eis fieri Baptismus, quia ibi non est lotio, sicut nec in luto.

Si autem per illam alterationem, jam sit extra speciem aquæ, omnino non est materia Baptismi: & de quibusdam alterationibus satis patet, quia constituunt alteram extra speciem aquæ, putà de humoribus naturaliter resolutis per digestionem, ut saliva, urina, & hujusmodi, juxta illud *Extrav. de Baptismo, & ejus effectu; Non ut apponeres.*

XV. Quamquam dubitet de cervisia, & jusculo, &c. quæ communem aquæ naturam non videntur amisisse.

De aliis autem non est ita manifestum, putà de decoctionibus, & admistionibus secundùm sensum, in quibus non apparet evidenter, quòd sit alterata species: ut patet de brodio carnium, & farinata, & hujusmodi; & cervisia, & medone. Non enim manifestum est, quòd sit ibi aliquod activum corrumpens speciem aquæ: tamen hoc discutere non pertinet ad Theologum determinantem materiam Baptismi, in quantùm haberi potest ex Canone Bibliæ: neque ad Canonistam determinantem conditiones materiæ, prout determinantur ab ordinatione Ecclesiæ: sed pertinet ad Philosophum naturalem, cujus est inquirere, quæ alteratio transferat aquam à specie sua, & quæ non: quòd si de aliquibus sit dubium, & in talibus fuerit Baptismus factus, utendum est illis tribus maximis positis in solutione præcedentis quæstionis de remediis adhibendis circa eos, de quibus probabiliter dubitatur. *Hæc Doctor.*

Objicies primò: Aqua artificialis est ejusdem substantiæ cum naturali: igitur comprehenditur etiam sub nomine aquæ necessariæ ad Baptismum. Probatur antecedens: Ubi sunt eadem accidentia, ibi est eadem substantia; substantia namque cognoscitur ex accidentibus sibi connaturalibus: sed aqua elementaris, & artificialis habent eadem accidentia, scilicet humiditatem, frigiditatem, perspicuitatem, & alia ejusmodi: igitur sunt ejusdem substantiæ.

XVI.

Negat antecedens Doctor *num. 6.* Quanquam enim, *inquit*, aqua artificialis habeat aliqua accidentia communia genericè cum aqua elementari, non habet tamen accidentia specificè communia; ac subinde convenit quidem genericè cum aqua in ratione liquoris, non verò in ratione specifica aquæ elementaris, & consequenter non habet eandem substantiam cum ipsa.

Instabis: Si aqua artificialis non esset ejusdem substantiæ cum elementari, sequeretur illam esse aliquod corpus mixtum: sed ita non est. Probatur: Corpus mixtum crassius est elementari: sed aqua artificialis est subtilior, aut saltem non est crassior elementari; ac subinde non est corpus mixtum.

Quanquam sit elementari subtilior.

Negat minorem Doctor, & ad ejus probationem respondet, quòd etsi aliqua aqua artificialis videatur subtilior, quàm elementaris, quia magis est penetrativa, ut constat vel de aqua viva, vel de ea, quam spiritum vini appellant; ista

tamen subtilitas non est subtilitas simplicitatis, sed virtutis activæ: quâ ratione vinum dicitur subtile, imò subtilius aqua; subtilitas autem conveniens aquæ elementari, est subtilitas simplicitatis, eô modô, quô elementum est simplicius mixtô.

XVII. Nec enim per artem ex mixtis possunt elementa elici.

Vrgebis: Omne corpus mixtum constat ex elementis; ac subinde omnis liquor constat ex aqua elementari: sed illa aqua elementaris resolvi posset, & elici ex liquore mixto beneficiô artis elixativæ, ac distillarivæ: miscibilia namque possunt separari à mixto, ut docet Aristoteles lib. 1. de generatione, textu 38. ergo aliquis potest adhibere activum passivo ad faciendum talem separationem: ergo aqua artificialis potest esse aqua elementaris, separata à mixto. *Confirmatur* per illud *Exodi* 7. de ranis, obi ars dæmonum adhibuit activum passivo ad producendum statim ex aqua fluvii ranas: ergo æquè possibile est è converso per artem exhiberi activum passivo, ut fiat separatio elementi a mixto, maximè cùm resolutiu sit facilior, quàm generatio, vel compositio.

Respondet Doctor ibidem, possibile quidem esse, quod Angelus bonus, vel malus adhibere possit „ aliqua activa mixto ut passo.... sed dico, *inquit*, „ quod nulla ars potest adhibere idem activum, pu„ tà ignem, quantumcumque diversis mixtis & pas„ sis; ita quod per illud agens fiat immediatè reso„ lutio in aquam; scilicet elementarem, quia illud „ idem agens non potest habere virtutem, ut sit „ sine formis intermediis mutandi; neque etiam „ ita taliter diversa in eundem terminum corrumpi. Quibus Doctor significat nullam aquam artificialem posse dici naturalem: quia ars ex mixto non potest immediatè transformare elementum; sicut enim agit motu ordinatô per medias formas in producendo mixto: pariter ejsdem mediis formis uti debet in eo resolvendo; unde contingit mixtum non resolvi in idem elementum, ex quo fit, sed in aliud mixtum, ut lignum in cineres.

XVIII. Sal resolutum potest esse materia baptismi.

Petes, an sal resolutum in aquam sit materia conveniens Baptismi?

Respondeo, id videri probabilius; eadem quippe videtur ratio de sale, ac de gelu, nive, & grandine; quemadmodum enim hæc nihil sunt aliud præter aquam nimiô frigore densatam: ita pariter sal nihil aliud est, quàm aqua marina æstivô Sole condensata; unde per resolutionem videtur suam priorem aquæ naturam recipere. Quoniam tamen nonnulli sunt, qui existimant, quòd quemadmodum ex aqua & hordeo generatur cervisia, tanquam corpus mixtum; ita fortè vi caloris Solis ex aqua salsa exurgit corpus mixtum distinctum, quod proinde resolvitur non in aquam, sed in alium liquorem; idcirco existimo liquorem istum ex sale resolutum esse ad minùs materiam dubiam, adeoque duntaxat usurpandam tempore necessitatis.

Adverte autem illam resolutionem tum salis, tum grandinis, & aliorum, vel jam supponi debere factam priusquàm assumatur à baptizante; vel saltem fieri debet in manu ipsius baptizantis; sicut stillæ effluant in corpus baptizandi, alioqoin non ipse applicaret materiam ablutioni aptam, si tantùm imponeret nivem aut grandinem super caput baptizandi, quæ resolveretur per ejus calorem naturalem; qoia eo in casu ipse non ablueret, sed baptizandus seipsum lavaret: non secus ac si impositam suo capiti hydriam aquâ plenam, frangeret; aut spongiam imbibitam aquâ exprimeret.

XIX. Aqua baptismi solemniter conferendi debet esse benedicta.

Petes secundò: quænam sit aqua elementaris certa, ac debita materia Sacramenti extra casum necessitatis?

Respondeo, non aliam esse adhibendam, præter aquam benedictam in Sabbato sancto Paschatis, vel Pentecostes, ut docet Rituale Romanum tit. de sacramento Baptismi §. de materia, his verbis: *Aqua solemnis Baptismi sit eô annô benedicta, in Sabbato sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quæ in fonte mundô nitida, & pura diligenter observetur.* Porrò hujus benedictionis mentionem fecit S. Dionysius lib. de cælesti Hierarchia cap. 2. & S. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. & S. Augustinus homil. 27. & 50. & Basilius lib. de Spiritu S. cap. 2. ubi significat, benedictionem, & consecrationem aquæ, esse Traditionem Apostolicam.

Quod utique confirmari potest ex summa sollicitudine Ecclesiæ, ut Baptismus nusquam solemniter administretur extra casum necessitatis, sine ejusmodi aqua benedicta; unde præclarè monet Rituale Romanum locô suprà laudatô: *Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minùs sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate. Si verò corrupta fuerit aut effluxerit, aut quôvis modô defecerit, Parochus in fontem bene mundum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infrà præscribitur. Sed si conglaciata sit, curetur ut liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parùm aquæ naturalis non benedicta calefacere, & admiscere aquæ baptismali in vasculo ad id parato, & eâ tepefactâ ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.*

QUÆSTIO QUINTA.

Quæ, & qualis sit materia proxima Baptismi?

I. Certum est ablutionem esse materiam proximam baptismi.

NOtandum primò, Theologos invicem convenire materiam proximam Baptismi esse ipsam actualem ablutionem corporis per aquam: *Ipsa enim*, inquit Doctor quæst. 3. dist. 3. num. 2. *cum verbis, tanquam signum proximum significat effectum Baptismi.* Non enim verba, quæ formæ vicem habent in Baptismo, sunt reverà forma illius Sacramenti, quòd accedant ad aquam immotam, sed quòd accedant ad aquam, ut applicatam sub ratione materiæ Baptismi; siquis enim materiæ immotæ adhiberet verba: *Ego te baptizo*, nihil ageret; unde cùm S. Augustinus ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, non sic est intelligendus, quasi velit verbum accedere ad elementum immotum aquæ, sed ut applicatum corpori; unde subdit: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Debet enim aqua per ablutionem corpus tangere, ut rationem, & virtutem Baptismi obtineat. Unde ibidem Doctor meritò ridet explicationem Gandulphi 1. q. 1. cap. in glossa ad illud verbum, *detrahe*, obi aiebat Gandulphus cavendum esse, *ne fortè asinus bibat Sacramentum. Hæc enim dubitatio*, inqoit Doctor, *est verè asinina; quia illa ablutio non durat, nisi in fieri, & quantumcumque aqua posset bibi, vel huc, vel illuc transfundi, ipsa ablutio non.*

II. Quid sit ablutio baptismalis.

Definitur autem ablutio ab eodem Doctore ibidem nu. 4. *Contactus aquæ fluidæ liberè conjungentis se cuti, ut separantis inter carnem, & aliud*

corpus. Vel clariùs: Ablutio, est motio aquæ liquidæ circa corpus, quæ per se ordinatur ad sordes abluendas. Dico *per se ordinatur*; nam, ut ibidem advertit Doctor *num.* 2. non oportet, quòd sit ibi ablutio, prout distinguitur contra motionem, & includit amotionem sordium à corpore per contactum aquæ: sed sufficit lotio in communi dicta corporis ab aqua, aliô hoc agente. Quod nihil aliud est, nisi quòd oportet istum contactum corporis ab aqua fieri ab alio causante contactum istum: & istô modô intelligendo ablutionem, & lotionem, lotio est materia proxima, quasi per se fundamentum, vel pars fundamenti istius significationis: aqua autem est materia remota, quæ applicatur corpori in ista lotione.

III. Duplex est: alia activa, alia passiva

Notandum secundò, duplicem distingui lotionem, unam quidem activam, aliam verò passivam: *Activa* est ipsa aquæ motio, quatenus fit à baptizante in baptizatum: Passiva verò est ipsamet aquæ motio super baptizatum, quatenus ipsum successivè tangit; contactus enim aquæ in ablutione Baptismali, debet esse mobilis, & successivus: aqua siquidem immota existens in vase, non dicitur vas illud abluere, licèt illius omnes partes tangat, quando vas plenum est aquâ; quia ablutio, ut vera sit & perfecta, debet fieri cum motu, ut rectè notavit subtilis Doctor *nu.* 2. dicens: *Intelligitur ablutio hic, non tantùm sicut aqua dicitur lavari corpus, quasi formaliter; sed sicut homo dicitur lavare corpus cum aqua, quasi propriè activè: nam solus contactus corporis ab aqua immota* (veluti cùm quis in balneo quiescit, aquâ undique circunfusus) *qua est quasi ablutio formalis, non est instituta tanquam signum, vel pars signi, sed ipsa lotio effectivè facta ab aliquo abluente.*

Ex quibus verbis Suarez disp. 10. sect. 2. colligit Doctorem sentire ablutionem potius consistere in actione, quàm in passione, seu receptione aquæ in corpore hominis baptizati: quia Sacramentum, *inquit*, est actio sacra ipsius Ministri: igitur & Baptismus ex parte materiæ proximæ erit lotio, ut facta à Ministro. Contrà verò Vasquez disp. 141. cap. 2. contendit ablutionem sacramentalem formaliter esse passivam, quatenus nempe recipitur in eo, qui abluitur; siquidem Sacramentum est cæremonia sacra, quâ quis justificatur, ac proinde quatenus in ipso recipitur, & est passio. Quam ulteriùs sententiam confirmat authoritate Doctoris ex dist. 6. qu. 2. num. 4. ubi ait: *Ex isto videtur sequi corollarium, quòd Sacramentum Baptismi magis est baptizatio passiva, quàm activa: quia plurificatâ baptizatione activâ, non plurificatur passiva, nec Baptismus, quia passiva est una. Istud autem illatum videtur probabile, quia baptizatus propriè suscipit Sacramentum: suscipit autem propriè ablutionem passivam, & non activam, nisi dicatur idem realiter.*

IV. Utraque spectat ad rationem sacramenti.

Verùm rectiùs dicendum arbitror materiam proximam Baptismi consistere in ablutione tam activa, quàm passiva, siquidem cæremonia sacra Baptismi non potest fieri separatim ab illa passione, sive receptione actionis in subjecto; neque vicissim passio sine actione, ac subinde utraque ingreditur conceptum essentialem ablutionis Sacramentalis. Utrum autem ratio illa formalis Sacramenti magis tribuenda sit actioni, quàm passioni; vel è converso, an verò utrique æqualiter competat, meritò dicit Suarez quæstionem illam ad rem Theologicam esse parvi momenti, & nullius utilitatis.

V. Ablutio sacramentalis fieri potest tribus modis.

Notandum tertiò, ablutionem Sacramentalem fieri posse triplici modô, scilicet vel *per immersionem* baptizandi, vel *per aspersionem*, vel *per infusionem* aquæ in ipsum baptizatum: cùm enim Christus D. statuendo materiam proximam hujus Sacramenti esse ablutionem, non determinaverit modum, quô illa fieri deberet; inde triplex ille baptizandi modus ab Ecclesia fuit usurpatus diversô tempore, secundùm rerum exigentiam, & opportunitatem.

Primò namque, Baptismus videtur collatus per aspersionem ab Apostolis *Actor.* 2. ubi post prædicationem Petri probantis Christum esse verum Messiam, legimus: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositi sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Quod utique fieri non potuit per infusionem aquæ super caput singulorum, aut eorum immersionem; quâ ratione enim Apostoli ac Discipuli numerô paucissimi tantam hominum multitudinem ab hora nona ad solis occasum sic lavare potuissent? meritò igitur colligunt Theologi ipsos baptizasse per aspersionem; unicâ enim, aut paucis saltem aspersionibus plures simul baptizare poterant.

Posteà verò mos invaluit ab Apostolis, ut Baptismus non-nisi per trinam immersionem fieret. Ac tandem rationabili de causa statutum est ab Ecclesia, ut Baptismus duntaxat conferretur per infusionem aquæ in caput, aut aliam notabilem corporis partem ipsius baptizandi: quæritur ergo an triplex hic baptizandi modus sit sufficiens & validus.

Status quæstionis.

His ita præmissis, quatuor supersunt hac in quæstione determinanda: *Primum*, an ad validum Sacramentum requiratur, quòd ablutio fiat in notabili corporis parte, & quantitate aquæ: *Secundum*, utrum ablutio, quæ esset occisiva baptizandi, reverà foret validum *Sacramentum*. *Tertium*, utrum ablutio per aspersionem aut infusionem sit valida. *Quartum*, utrum ablutio debeat esse unica vel triplex.

Conclusio Prima.

VI. Ablutio Baptismalis fieri debet in notabili parte.

AD validum Sacramentum Baptismi requiritur ablutio notabilis, tam quoad partem corporis, quàm quoad aquæ quantitatem. Ita Doctor in 4. dist. 4. qo. 3. ubi determinans puerum in utero matris non posse baptizari; secus verò si pars principalis ejus extra maternum uterum appareat, ait, *num.* 3. Ad quæstionem dico, quòd vel puer secundùm omnes partes est in utero matris: vel secundum aliquam partem apparet extra uterum. Si primô modô, dico quòd non potest baptizari: non propter rationem priorem, quia conjunctus esset causæ corruptionis: sed quia Baptismus est lotio, vel ablutio in aqua: sed parvulus sic in utero, non potest lavari, quia nec sic immediatè tangi ab aqua. Si secundô modô sic; aut apparet pars principalis, ut caput, & tunc potest baptizari in illa parte: & in hoc etiam simpliciter baptizari; non est enim verisimile, quòd in die Pentecostes, quando baptizati sunt tria millia, *Actor.* 2. quòd quilibet quantùm ad totum corpus suum lavaretur aquâ, sed præcisè quantùm ad faciem aspergendo, vel quantùm ad caput perfundendo. Et in isto casu, si post puer nasceretur, non oporteret ipsum baptizare. Si autem apparet pars minùs principalis, scilicet manus vel pes, illa est baptizanda, quia ibi est tota

Ut optimè explicant Doctores Subtilis.

anima, licèt non omnis sensus, sicut in capite. » Et si hoc minùs sufficeret ad hoc, ut esset simpliciter baptizatus, si nasceretur posteà vivus, esset » sub conditione baptizandus, ut docetur *Extrav. de Baptismo, & ejus effectu, cap. de quibus.* Credendum enim est, quòd Deus suppleret illud, » quod impotentia impediret: talis enim etsi mortuus nascitur, sepeliendus est in terra benedicta; » ratione dictâ.

Et Angelicus.

Ipsi Doctoris subtilis sententiæ per omnia consonat Angelicus Doctor, qui parte 3. quæst. 68. art. 11. ad 4. ita ait: *Ad quartum dicendum, quòd expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat. Si autem primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculò imminente, & non est posteà rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quacunque alia pars egrediatur, periculò imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vita ita consistit, sicut in capite* (ergo loquitur de partibus, in quibus vita partialiter consistit, & non de aliis, quæ nullomodò vivunt) *videtur quibusdam quòd propter dubium quâcunque aliâ parte corporis ablutâ, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: si non es baptizatus, ego te baptizo.*

VII. Idque probatur continuâ Ecclesiæ praxi.

Probatur autem hæc assertio ex communi Ecclesiæ praxi; nam in Rituali Romano tit. de Sacramento Baptismi, paragr. de forma ita statuitur: *Baptismus, licèt fieri possit, aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, & secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur, ut trinâ ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur.* In quibus verbis præscribitur, & notabilis pars, imò præcipua; & similiter notabilis quantitas aquæ, juxta illud S. Augustini in homil. 3. & habetur cap. 78. de consecr. dist. 4. *Postquam vos credere dixistis, tertiò capita vestra in sacro fonte demersimus.*

VIII. Attamen urgente mortis periculo baptizari posset puer in minima parte.

Quòd si parvulus ita est infirmus, ut capitis ablutionem non ferat, abluendum est pectus, vel humeri. Quòd autem imminente periculô mortis, possit conferri Baptismus in qualibet parte etiam minima infantuli, docet idem Rituale *paragr. de baptizandis parvulis* his verbis: *Si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum in illo... baptizetur: & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus eô modò, quò dictum est suprà: si non es baptizatus, ego te baptizo.*

Dices: Si Baptismus conferri posset in parte minùs principali; maxime quia, inquit Doctor, ibi est tota anima, licèt non omnis sensus, sicut in capite, quibus significare videtur, inquit Vasquez locô suprà laudatô, *num.* 30. idcircò Baptismum valere etiam in minima parte; quia anima, quæ contraxit peccatum originale, est tota in illa parte, quæ ablui dicitur: sed hæc ratio nulla est: anima enim non est subjectum ablutionis Baptismalis, sed totus homo: igitur, &c.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico, Vasquezium perperam subtilem Doctorem vellicare, & interpretari; siquidem Doctor, ut optimè advertit Hyquæus in Commentario *num.* 18. non ideo dicit esse totam animam in parte non principali, quasi anima esset subjectum ablutionis, sed loquitur respectivè ad caput, in quo Baptismum fieri omnes concedunt, ex eo quòd sit pars principalis, in qua sensus animæ magis vigent, & functione vitæ, & sine qua vita nequit consistere in homine, quæ est differentia partis principalis à non principali, estque fundamentum, ex quo Doctores colligunt Baptismum in ea parte esse absolutè Baptismum hominis, & validum.

IX. Propugnatur Doctoris sententia.

Ad occurrendum ergò objectioni tacitæ, quæ fieri potest contra Baptismum in parte non principali, dicit animam totam esse in parte non principali, quamvis non sit ibi omnis sensus, qui est in capite. Hic verus sensus Doctoris, non autem ille ab aliis præsumptus, qui humilis est, & satis puerilis in hac materia. Excluditur etiam Baptismus, qui fieret in capillo, vel ungue per stillam, quem contendit Vasquez esse verum Baptismum: nam si dubitant Doctores de Baptismo partis non principalis, licèt viventis, & unô ore dicunt iterandum esse Baptismum sub conditione, ut etiam scribunt Rituales; quantò magis excluditur ab ablutione Baptismali ea, quæ fieret in capillo, aut ungue, quæ non denominant hominem absolutè, nec sunt propriæ ejus partes. Ita Hyquæus.

Dices secundò: Vulnus inflictum in minima parte, quæcunque illa sit, sufficiens est, ut ab eo homo dicatur vulneratus: igitur pari ratione ablutio facta in qualibet minima parte, sufficiens erit ad validitatem Baptismi, etiam citra necessitatem.

X. Homo leviter punctus abusivè dicitur vulneratus.

Distinguo antecedens: Secundùm abusivum, & improprium loquendi modum, concedo: juxta sermonis proprietatem, & rigorem, nego: Nullus enim Sapientum est, qui non rideret hominem dicentem se vulneratum, quòd acicula digitum leviter pupugisset. Unde neganda est consequentia; siquidem non debet regulari veritas materiæ, & formæ Sacramenti ab improprio, & abusivo loquendi modo, sed juxta proprietatem sermonis, & usum receptum, ac probatum à Sapientibus.

XI. Ablutio Baptismalis requirit aliquam aquæ quantitatem.

Ex his patet probatio secundæ partis conclusionis, nempe quòd ad ablutionem Baptismalem non sufficiat minima aquæ guttula, cùm ab illa homo moraliter non rectè dicatur ablutus, lotus, & tinctus; juxta communem Sapientum æstimationem: nam eam ablutionem Christus D. instituit pro materia proxima hujus Sacramenti, per quam homo propriè dici potest ablutus, & lotus: sed ita non appellaretur propter contactum alicujus guttulæ aquæ in minima parte sui corporis, ut constat: igitur illa non potest sufficere ad propriè dictam materiam Baptismi. Quoniam tamen aliqui cum Vasquezio contrarium affirmant, idcircò non abnuerem, quòd aliquâ urgente manifestâ necessitate conferretur Baptismus etiam in modica aquæ guttula, si amplior aqua non adesset; cùm enim materia, & efficacitas Sacramenti pendeat à voluntate Christi D. quæ quantùm ad omnes omninò circunstantias, & difficultates occurrendas in administratione Sacramentorum, apertè non apparet ex Scriptura, aut Traditione, aut Conciliis; non irreligiosum est, ad evitandam animæ damnationem, adhibere remedium, quod aliqui Doctoris eo in casu judicant fore utile, & efficax; quanquam alii Doctores istud in dubium revocent.

Conclusio Secunda.

XII. Ablutio occisiva non proficit.

P*Robabilius est ablutionem occisivam, seu ex qua mors sequeretur, non esse sufficientem & validam ad sacramentum Baptismi.* Ita subtilis Doctor in 4. d. 4. q. 3. n. 3. ubi dicit, *Projectus de ponte non baptizatur, quia hoc non est ad vitam ordinatum*

vel lotionem, sed ad mortem. Et dist. 5. qu. 3. num. 1. referens sententiam Richardi asserentia puerum sic projectum, non esse baptizatum, ait: *Dicitur etiam quod talis sic projectus non esset baptizatus quia baptismus est ablutio ordinata ad vitam abluti, non sic ordinatur illa immersio.* Qua si propter in reportatis eâdem quæst. n. 2. eandem difficultatem expendens dicit, *Sed si adultus projiciatur in flumen dicendo*, Baptizo te, &c. *credo quod non baptizatur; quia projiciens non habet intentionem Ecclesiæ, quia intentio Ecclesiæ est sic madefacere eum, quod ipso vivente posset iterum desiccari: vel esto quod baptizetur, non dubito quin projiciens peccet mortaliter.* Quibus omnibus constat Doctorem magis propendere in negativam sententiam.

Probatur itaque hæc assertio ratione Doctoris: Deus non instituit aliquid pro materia legitima Sacramenti, quod vergit in præjudicium, & detrimentum humanæ naturæ, nec voluit vitam spiritualem ordinariè comparari cum dispendio & jactura vitæ propriæ: igitur non approbat pro legitima materia Baptismi illam ablutionem, ex qua directè sequeretur ipsius baptizati interitus. Probatur antecedens; quia Deus materiam, & formam Sacramentorum instituit, & maximè hujus Sacramenti, quod voluit esse commune omni sexui, & ætati, quæ magis decebat suavem suam providentiam, & habebat rationem lotionis usualis: sed ablutio occisiva non spectat ad suavem Dei providentiam, nec habet rationem ablutionis usualis: quis enim dixerit, Deum suaviter providere creaturis de mediis ad vitam æternam consequendam necessariis; quæ nonnisi cum vitæ dispendio possent adhiberi. Quis pariter dixerit hominem alium abluere, & lavare, quem ligatis manibus & pedibus, & ingenti saxô ad collum alligato, in flumen, aut mare projiceret? Quis sibilô non exciperet hominem, qui immunda sua pecora abluere cupiens, illa demergeret in stagnum, aut alium locum, ex quo moraliter novisset illa non posse vitâ incolumi emergere?

XIII. *Etiam in casu extremæ necessitatis.*

Nec valet reponere, Deum equidem hæc non statuisse, ut fierent de via ordinaria, seu quolibet in casu, sed duntaxat in casu extremæ necessitatis, ubi videlicet non suppetit alius modus ministrandi Baptismum. Hæc, inquam, responsio non proficit; siquidem Deus non tenetur de communi lege providere de medio quod debeat extraordinariô modô applicari, ubi aliqua urget necessitas. Ideo infanti in utero matris existenti noluit applicari Baptismum, ut dicemus infrà; quanquam aliud medium non ei subesset: igitur non est etiam ullum fundamentum asserendi Deum voluisse, ut ablutio occisiva in casu necessitatis esset sufficiens materia Baptismi.

Confirmatur: Non est probabile Deum voluisse illam ablutionem esse materiam Sacramenti, cui necessariò, & per se annexum est homicidium & peccatum mortale ex natura ipsius actionis Ministri: sed certum est eum peccare mortaliter, qui sic puerum, aut adultum baptizandum demergeret, ut non posset vitâ salvâ demergi, quia talis projectio esset directa occisio innocentis, ut docet Doctor præfatâ dist. 5. ubi ait:
» Dico quòd quando si præsumitur mors, nullo-
» modò debet aliquis eum propellere, & projice-
» re: quia peccabit mortaliter occidendo; & qui-
» libet tenetur magis vitare peccatum mortale in
» seipso, quàm quærere salutem proximi: quia or-
» dinata charitas magis est ad seipsum.

Insuper, ablutio, quæ est materia Sacramenti, debet consistere in actione Ministri, & ab eo procedere: talis autem mersio, & projectio non procederet proximè a Ministro, neque esset ejus actio, ut recipitur in passum: igitur non esset ablutio baptismalis. Minor constat; quia ablutio, quæ baptismalis est, illa videtur esse, quæ determinatur à forma secundùm strictam verborum significationem: *Ego te baptizo:* unde requiritur, ut actio significetur, quatenus exercita à Ministro, seu ut exiens ab ipso; ac proinde videtur requiri, ut proximè applicet per se, aut per instrumentum conjunctum, vel baptizatum aquæ, vel aquam baptizato. Id autem non fiet in præsenti hypothesi: igitur, &c.

XIV. *Maximè quia non licet occidere innocentem.*

Dices primò: Si quid obesset, quominus eo in casu projici posset infans; maximè, quia non licet aliquem insontem occidere: sed hoc non ita constat; contingere enim potest, ut inculpanda, imò laudanda censeri debeat innocentis occisio: hac enim ratione excusatur mors Samsonis; qui, ut legitur Judicum 16. seipsum unà cum astantibus Philistæis sub ruina & maceria concussæ domûs occidit: igitur, &c.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico, occisionem Samsonis non aliunde excusari, quàm quia id præstitisse videtur ex instinctu divini Spiritûs, ut ait S. August. lib. 1. de civit. Dei, cap. 21. *Nec Samson*, inquit, *aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.*

Dices secundò: Baptismus potest esse validus, quanquam ex eo sequatur mors baptizati: igitur ablutio occisiva potest esse sufficiens ad Baptismum. Probatur antecedens: Sacerdos, qui sincerâ intentione puerum mergens fonti Baptismali, viribus subitâ infirmitate ita destitueretur, ut prolatis verbis formæ non posset infantem educere, unde contingeret eum suffocari; certum est, quòd eo in statu infans verè censeretur baptizatus; quanquam per illam ablutionem vitâ fuisset orbatus: igitur, &c.

Directè intendendo actionem ex qua scitur eum certò moriturum.

Distinguo antecedens: Quando sequitur mors baptizati, indirectè transeat: directè, nego: eo autem in casu occisio baptizati sequeretur tantùm indirectè ex illa mersione; siquidem hæc mersio per se ordinatur ad facilem emersionem, & tantùm ex accidenti evenit, quòd emersionem non habeat: secus est autem de mersione, quæ directè esset occisiva, quatenus videlicet emersionem facilem non haberet ex natura sua, qualis esset illa projectio hominis in flumen, aut puteum; unde citra miraculum incolumis non posset evadere.

Conclusio Tertia.

XV. *Baptismus est validus etiam per aspersionem.*

Baptismus validè confertur alterutrô ex assignatis tribus modis in tertio Notabili. Hæc est jam communis apud omnes Theologos, & apertè traditur in Rituali Romano 5. *De forma Baptismi:* Non est autem verisimile Ecclesiam Catholicam in administratione Sacramenti summè necessarii invalidam materiam pro legitima subministrare, & approbare: igitur, &c.

Probatur autem hæc assertio: Omnis ea ablutio sufficiens est ad Baptismum, per quam homo verè dicitur ablutus: atqui ita dicitur per quamlibet præfatam ablutionem: igitur, &c. Quam utique rationem urget sanctus Cyprianus

epist. 76. qoæ est ad Magnum, ubi licèt liberum relinquat aliis judicandum, ntrum Baptismus per aspersionem collatus esset validus, tamen ipse affirmativam partem tuetur: *Aliter*, inquit, *pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur in Sacramentis salutaribus necessitate cogente, & Deô indulgentiam suam largiente; totum credentibus conferunt divina compendia.* Ubi per *divina compendia*, intelligit modicam ablutionem, qualis est ea, quæ fit per ablutionem comparativè ad eam, qoæ fit per immersiooem.

Dices: Baptismus est signum sepulturæ, & Resurrectionis Christi, juxta illud ad Coloss. 10. & ad Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vita ambulemus.* Sed hæc repræsentatio mortis, & Resurrectionis Christi non potest fieri nisi per immersionem & emersionem: igitur solus ille baptizandi ritus est licitus.

XVI. Quâ ratione Baptismus repræsentare debeat mortem & resurrectionem Christi.

Respondeo primò cum S. Thoma, q. 66. art. 7. ad 2. *Quòd in immersione expressiùs repræsentatur figura sepultura Christi ..... sed in aliis modis baptizandi repræsentatur aliquò aliô modô, licèt non ita expressè. Nam quôcunque modò fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus, aqua supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.*

Respondeo secundò, ablutionem Baptismalem ordinari tantùm secundariò ad significandam Christi Domini sepulturam; primariò enim, & per se ordinatur ad significandam ablutionem animæ à peccato, per quam mysticè morimnr peccato, & vivimus Deo, ut præclarè docet S. Ambrosius libro de Bono mortis cap. 2. ubi distinguens tria mortis genera, sic secundum describit: *Alia mors mystica, quando quis peccatô moritur, & Deo vivit, de qua ait Apostolus: Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem.* Item sanctus Augustinus serm. 9. de Tempore, ubi paulò post principium ita scribit: *Quando in salutari lavacro tertiò Christiani merguntur, tunc Ægyptii, id est, originalia peccata, & actualia crimina, quasi in rubro mari sepeliuntur, & filiis Israel pertranseuntibus ad Dei servitium, sola patiuntur peccata naufragium.*

Dices secundò: Ea sola ablutio est sufficiens materia proxima Baptismi, quam hoc verbum (*baptizo*) directè importat, & significat: sed non significat quemlibet contactum aquæ ad corpus: sed eum duntaxat, qui fit per immersionem: igitur, &c.

Distinguo minorem: Verbum *baptizo* non significat aliud, quàm immersionem, secundùm suam derivationem grammaticalem ab idiomate Græco, concedo: secundùm usum & praxim Ecclesiæ, nego: usurpatur enim ab Ecclesia, ad significandum omnem & quamlibet veram ablutionem aquæ, sive hæc fiat per infusionem, sive per aspersionem, sive per immersionem. Quod utique apertiùs exinde constat, qoòd Ecclesia nusquam reprobaverit Baptismum per infusionem, vel aspersionem aquæ collatum, tanquam nullum, & invalidum.

Conclusio Qoarta.

P*Erinde est ad valorem, & substantiam Sacramenti Baptismi, quod fiat per ablutionem unicam, aut triplicem.* Hæc est communis apud Catholicos, eamque veritatem pridem definivit S. Gregorius Magnus librô 1. epist. 41. quæ est ad Leandrum Episcopum Hispalensem, cujus epistolæ decretum refert, & approbat Concilium Toletanum IV. can. 5. *ubi ait:* De Baptismi autem Sacramento, propter quod in Hispaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt; à nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei sciodi videtur..... Beatæ ergo memoriæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui non solùm partes Italiæ illustravit, sed & longè existentes Ecclesias suâ doctrinâ perdocuit, efflagitante sanctissimô Leandrô Episcopô de hac Hispaniæ diversitate, quid potius esset sequendum, inter cætera rescribens ei, sic ait: De trina verò mersione Baptismatis; nihil responderi verius potest, quàm ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa: nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, Resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd siquis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquas mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est; reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate in aquam vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed si nunc usque ab hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse non censeo; nedum mersiones numerant, Divinitatem dividant: dúmque quod factis faciebant, morem vestrum se vicisse glorientur. *Et statim Concilium subdit:* Quapropter, quia de utroque Sacramento, quod fit in S. Baptismo, à tanto viro reddita est ratio, qnòd utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiùm mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem. *Ita Concilium.* Sed non est verosimile S. Pontificem & Concilium ex nobilioribus Hispanicæ Ecclesiæ Episcopis adunatum, errasse in solemni & essentiali Sacramentorum administratione: igitur fatendum est, unam aut trinam ablutionem esse sufficientem ad validam Baptismi administrationem.

XVII. Perinde est ad valorem Baptismi quòd fiat per ablutionem unicam, aut triplicem.

Objicies Can. 50. Apostolorum in quo ita decernitur: *Si quis Episcopus, aut presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret; sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.* Insuper Pelagius Papa in epist. ad Gandentium, asserit trinam mersionem esse à Domino præceptam: *Multi sunt*, inquit, *qui in nomine solùm Christi, unâ etiam mersione se asserunt baptizatos: Evangelicum verò preceptum ipso Deo & Domino salvatore nostro Iesu Christo tradente nos admonet, in nomine Trinitatis trinâ etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino: Ite docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Item Tertull. l. de corona militis cap. 3. Hieron. in dialogo contra Luciferianos *num.* 15. & Basilius lib. de Spiritu sancto c. 27. asserunt trinam mersionem inter traditiones non scriptas esse recensendam. Imò & Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum cap. de Eunomio: *Ipse*, inquit, *subvertit sancti Baptismi ritum à Do-*

mino & Apostolis ab initio traditum, & contrariam legem apertè tulit dicens non oportere ter mergere eum, qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi. Insuper hac de causa videtur damnatus Eunomius à Concilio I. Constantinopolitano, Can. 7.

Respondeo hæc omnia nobis non adversari. Non quidem Canon Apostolicus, ibi enim non decernit unicam mersionem esse contra Domini præceptum, sed baptismum collatum sub invocatione mortis Christi, ut constat ex ratione quam affert; *Non enim*, inquit, *dicit Dominus*, &c. Similiter intelligendus est Pelagius, ut Evangelicum præceptum referat non ad trinam mersionem, sed ad trium personarum invocationem, subdit enim *Ite baptizate omnes gentes in nomine*, &c. Insuper ex præcedentibus illius epistolæ verbis satis apertè colligitur eum loqui de iis qui Eunomii hæresim sectantes, baptizabant, non in nomine Trinitatis, sed ut ait: *Multi sunt qui in nomine solius Christi, unâ etiam mersione se asserunt baptizatos.* Denique cùm postea definit hos hæreticos ad Ecclesiam revertentes esse rebaptizandos, nihil de Trina mersione, sed solùm de invocatione Trinitatis meminit: *Eos*, inquit, *ad Catholicam fidem venientes in sancta Trinitatis nomine baptizabis.*

Similiter dico Eunomium non fuisse præcisè damnatum, quòd trinam mersionem tolleret: neque id intelligit Theodoretus dicens, *eum subvertere ritum à Domino & Apostolis traditum*; sed quòd non adhiberet invocationem trium divinarum Personarum; nam ut refertur c. 7. dicti Concilii Constant. & ab Epiph. hæres. 76. Eunomius non baptizabat in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. sed vel solùm in nomine Christi mortui; vel, *In nomine Patris increati, & Filii creati, & Spiritûs sanctificantis, & à creato Filio creati*: Unde meritò censuit Concilium ab eo baptizatos iterum esse baptizandos. Sicque dum Eunomius, & trinam mersionem, & divinarum personarum invocationem sustulit, sensit & contra Ecclesiasticum & contra divinum præceptum. Contra quidem Dominicum, quia trium personarum divinarum in baptismate invocatio est à Christo mandata: contra verò Ecclesiasticum, quia, trina mersio est ex Ecclesiastica traditione servanda, & hoc est quod solùm innuere volunt citati Patres: enimverò ab Ecclesiæ primordiis ad Gregorii Magni tempora, usitata semper fuit trina immersio: eam autem idcirco sustulit, vel non esse necessariam statuit, ut Arianorum errorem cohiberet, ut jam dictum est.

Vrgebis. Quod expressè & distinctè repræsentat tres Personas divinas, est de essentia baptismi: sed triplex illa mersio ita est: Nam Tertull. lib. contra Praxeam cap. 16. loquens de præcepto & ritu quo Christus præcepit Apostolis baptizare hæc habet: *Mandans ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non in unum; nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Hæc enim particula *nam* designat trinam ablutionem tam esse necessariam ex parte materiæ quàm distincta Personarum divinarum nominatio ex parte formæ. Idem docet S. Damascenus epist. de Trisagio, dum ita scribit:
» Si quis ex nobis sciscitetur, quid sit causæ, quam-
» obrem cùm alicui Baptismum exhibemus, ter
» eum mergimus; quidnam aliud respondebimus,
» quàm quòd ob unamquamque personam eum
» immergimus?

Distinguo majorem. Quod expressè repræsentat Trinitatem ex parte formæ cujus est distinctè significare, concedo: ex parte materiæ cujus est tantùm confusè seu minus distinctè repræsentare, nego. Nec particula *(Nam)* significat Ecclesiam tunc ter immersisse quòd Christus id præcepisset: sed ideo id servasse, quia illa trina immersio tres personas distinctè significabat, non ratione sui, sed quia ad quamlibet immersionem una divina persona proferebatur in forma baptismi.

Confirmatur, quia apud alios sanctos Patres, trina illa immersio fiebat, non ad designandum Trinitatis Personas, sed triduanam Christi sepulturam; idque expressè habetur in 5. Canone quarti Concilii Toletani, ubi Patres ita loquuntur: *Nos autem quòd tertiò mergimus, triduana sepultura sacramentum significamus, &c.*

QUÆSTIO QUINTA.

Quænam sit legitima forma Baptismi?

I. Circa Baptismi formam erraverunt.

NOtandum primò, variè erratum fuisse antiquitus ab hæreticis circa legitimam Baptismi formam; in ipsis enim nascentis Ecclesiæ primordiis, nonnulli baptizabant *in nomine trium principii expertium*: vel *trium Filiorum*, vel *trium Paracletorum*, ut colligere licet ex Canone 48. alias 49. Apostolorum, ubi decernitur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. sed trium principii expertium, aut trium Filiorum, aut trium Paracletorum, abjiciatur.* Refert etiam Eusebius lib. 4. cap. 11. ex S. Irenæo lib. 1. cap. 8. de Valentinianis, & quodam Marco, quem dicit magicis artibus imbutum: quòd *quidam eorum thalamum construunt, & nefarium quoddam initiandi celebrant genus, tanquam secretis quibusdam carminibus, ac verbis, non tam sacris quàm exectabilibus, eum qui introducitur consecrantes, spirituales nuptias aiunt esse quod faciunt; instar videlicet supernarum conjugationum. Adducentes verò ad aquam, & eos baptizantes, hæc super eos proferunt verba: In nomine ignoti Patris omnium, & in veritate omnium Matre, & in eo qui descendit in Iesu. Alii verò Hebraïca nomina super eos, quos initiant ad pavorem audientium terribiliter loquuntur.* Paulianistæ, Photiniani, Montanistæ, & Cataphryges non baptizabant in invocatione S. Trinitatis, quam non credebant, unde eos rebaptizare jubet Concilium *Nicænum*, Can. 19. & *Laodicense* Can. 8. *Arianorum* aliqui baptizabant in nomine Patris, per Filium in Spiritu S. quasi forent aliqui gradus in Trinitate: baptizare autem nolebant in nomine Filii, ne cogerentur eum Deum fateri, sed per Filium, quasi per instrumentum. Testatur etiam S. Epiphanius hæresi 76. Ætianos, sicut & Eunomianos hanc formam baptizando usurpasse, *in nomen Dei increati, & Spiritûs S. sanctificantis, & à procreato Filio procreati.*

aliqui hæretici tempore Apostolorum.

2. Valentiniani & Gnostici.

3. Paulianistæ.

4. Quidam Ariani.

5. Ætiani.

Notandum secundò, quòd etsi hæretici hujus ævi secundùm praxim non videantur errare circa Baptismi formam, quia semper inter baptizandum utuntur hâc, vel æquivalenti formâ: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Unde Ecclesia ratum, & validum habet Baptismum ab eis collatum; nihilominus si doctrinam eorum attendas, percipies eos non leviter hoc in articulo, sicut

sicut & in plurimis aliis à Catholica veritate de- A flectere: *Lutherus* enim lib. de captivitate Babylonica, cap. de Baptismo, scribit; ntendum quidem esse formâ consuetâ: valere tamen Baptismum quibuscunque tandem verbis cooferatur, ac sufficere si ministretur *in nomine Domini*; imò etiamsi non detur in nomine Domini, satis esse, modò à baptizato *in nomine Domini* suscipiatur.

7. Zuinglius.

Zuinglius lib. de vera & falsa Religione cap. *de Baptismo* circa finem permittit qoidem inter-baptiaandum uti formâ consuetâ, sed addit certam verborum formam in Baptismo non esse necessariam. *Brentius* in sno Catechismo, cap. de Baptismo, docet legitimum fore Baptismum, si Mi- B nister post recitatum à Catechumeno fidei symbolum ita dicat: *Audivi jam ex te confessionem fidei tua, quòd credas in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum S. In hanc igitur confessionem intingo te in aquam, ut hôc signaculò certus sit te Christo insertum esse:* admonet tamen Ecclesiæ formam esse servandam.

8. Brentius.

Notandum tertiò, ex Doctore in 4. *dist.* 3. *qu.* a. *nu.* 5. quòd in Sacramentorum confectiooe, & administratione aliquid dicitur necessarium dupliciter: *Primò* quidem simpliciter, nimirum inquit ex parte Sacramenti, quô videlicet oon existente nullum esset Sacramentum: *Secundò*, aliquid dicitur oecessarium aliqoa ex parte, scilicer ex parte Mioistri, sine quo Minister dispensando Sacramentum, peccatum vitare nequit. Quæritur ergo quænam verba ita sint oecessaria ad Ba- C ptismi formam, ut eis non prolatis, nullum foret Sacramentum; quænam autem ita duntaxat sint necessaria, ut omitti quidem possiot, salvâ Sacramenti substantiâ, sed non absque gravi baptizantis peccato; cui quidem qoæstioni faciemus satis io subjiciendis quæstiunculis, ubi priùs assignaverimus legitimam formam baptismi.

II.
Verba formæ aliqua necessaria sunt ex parte Sacramenti, alia ex parte ministri.

Conclusio Unica.

Conveniens & legitima Baptismi forma hac est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Ita determinatum est in Concilio *Lateranensi*. cap. firmiter, & *Florentino* in decreto D Eugenii: *Trident*. sess. 7. de Baptismo cap. 4. Colligitur ex Matthæi cap. 28. ubi Christus D. mandat Apostolis, ut doceant omnes Gentes, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Licèt enim ibi expressè oon præcipiat, ut baptizando proferant hæc verba, tamen perpetuâ Ecclesiæ Traditione coostat illud Christi D. præceptum sic esse intelligendum, ut apparet oon solùm ex suprà dicto Canqoe Apostolorum, sed ex continua Ecclesiæ praxi; legimus enim in veteri Ordine Romano: *Tunc accipit Pontifex infantem, & dicit: Ego baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritûs sancti.* Unde Alexander III. ut refer- E tur cap. 1. de Baptismo, & ejus effectu, decrevit: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, Filii, Spiritûs sancti, Amen: Et non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritûs sancti, non est puer baptizatus.*

III.
Quænam sit legitima forma Baptismi.

Colligitur ex S. Scriptura.

2. ex Traditione.

Eandem veritatem docent SS. Patres, maximè sanctus Augustinus pluribi, sed præsertim lib. 3. de Baptismo, cap. 10 ubi ait: *Baptismus Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est.* Unde concludit cap. 15. *Quamobrem si Evangelicis verbis in nomine Patris, Filii, & Spiritûs sancti. Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quàm Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.*

Suadetur etiam ratione: Illa forma est conveniens, & legitima, per quam omnia, qoæ sunt in Baptismo, significaotur: sed præfata est ejusmodi. Probatur: Quatuor distinguuntur in Baptismo; Primò ipse actos Sacramentalis, Secundò persona recipiens; tertiò causa princeps; quartò Minister: sed ea quatuor exprimuntur per istam formam: nam pronomen *(ego)* significat Ministrum: *(te)* personam recipientis: verbum *(baptizo)* sacramentalem actum: alia autem verba exprimunt causam principalem, nempe sanctissimam Trinitatem: igitur, &c.

Ac ratione firmatur.

Dicos primò: Dum Christus Marci ult. contulit Discipulis virtutem ejiciendi dæmonia, his verbis: *In nomine meo dæmonia ejicient;* non præcepit ut dæmones expellendo dicerent, *Dæmon ego te ejicio in nomine Christi.* Et cùm Lucæ 22. Apostolos Sacerdotes consecrans, eis potestatem dedit, ut conficerent suum sacratissimum corpus, non imperavit, ut consecrando dicerent: *Hoc facio in Christi commemorationem:* igitur pari ratione cùm diait: *Docete baptizantes, &c.* nihil aliud præcepit, quàm ut Apostoli doceant & baptizent in fidem, & potestatem sanctissimæ Trinitatis.

Distinguo consequentiam: Id sequitur ex verbis Scripturæ sacræ, si secuodùm se duntaxat; & seorsim à Traditione accipiantur, transeat: si cum Traditione perpetua, ex qua Christi D. præcepti sensus est accipiendus, nego. Constat enim ex Ecclesiæ praai; & SS. Patrum authoritate hæc verba inter-baptizandum esse usurpanda.

Instabis: Si hæc fuisset continua Ecclesiæ praxis, ionotuisset omni sæculô: at ita non est; refert enim *Petrus Claromontensis Episcopus* suô tempore banc consuetudioem viguisse in sua diœcesi, ut qui in necessitatis articulo baptizabant, omissis cæremoniis, non dicerent: Ego te baptizo, nec aliud æquivalens: sed duntaxat infundendo aquam (quod ibi vocat *undëiare*) dicerent *in nomine Patris, &c.* Petrus autem Episcopus dubius de valore talis Baptismi consuluit per epistolam Mauricium Episcopum Parisiensem, & Stephanum Abbatem S. Euvertii apud Aurelios: sententia autem Episcopi fuit, Baptismum oon valere; sententia verò Abbatis eum esse legitimom; eorum autem tres Epistolæ inseruntur in tomo tertio Bibliothecæ Patrum: igitur tunc temporis oon erat compertum hanc formam esse in praxi per oniversam Ecclesiam.

IV.
Expenditur dubium & controversia Claromontensis de forma baptismi.

Nego minorem: Si enim non fuisset notum ex Ecclesiæ universalis Traditione & praai Baptismum sic esse conferendum, dubius non fuisset Episcopus Claromotensis de valore ejusmodi Baptismi. *Insuper* Mauricius in sua responsiooe non ita constanter scripsisset hanc formam esse à Scriptura, & SS. Patribus acceptam, *in quem modum,* inquit, *forma Baptismi tradi, & accipi debeat, Scripturarum divinarum authoritate, & SS. Patrum testimoniô habemus in hunc modum, scilicet;* Ego te baptizo in nomine Patris, &c. *Et tanta est verborum vivacitas, ut nihil immutari, nihil innovari oporteat; nisi verò tota hac verba simul à quacunque, & quacunque linguâ proferantur Baptismum esse non credimus.*

Neque rationes, quibus Stephanus tueri nititur suam assertionem, sunt alicujus ponderis. Non

quidem *prima*, quam his verbis effert: *Nondum*, inquit, *legi baptizantes eos, & dicentes; Ego te baptizo, in nomine Patris, &c.* Hæc enim ratio nititur tantùm authoritate negativâ; argomentum autem ab authoritate negativa desumptum, non est alicujus momenti, quando maximè contrarium nititur authoritate positivâ, & affirmativa, nempe Ecclesiæ Traditione, & SS. Patrum doctrinâ.

Neque etiam multùm urget *secunda* illius ratio, quam duntaxat repetit ex eo quòd S. Innocentius primus, & S. Augustinus pluribus in locis quos ibi refert, agendo de Baptismo hæreticorum, dicant illum esse validum, *dummodò fuerint baptizati sub expressa invocatione trium personarum sanctissimæ Trinitatis*: nec unquam meminerunt hujus particulæ, *baptizo te*, nam imprimis locus ille S. August. lib. de unico Baptismo, quem Stephanus ibi posteriori locô refert, probat *Baptismum perfici, & consecrari verbis Evangelicis, & illis omissis nullum esse*: at juxta intelligentiam universalis Ecclesiæ verba illa non sunt tantùm hæc, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, sed & ista, *baptizo te*. Quare tum S. Augustinus, tum alii Patres agendo de Baptismo hæreticorum, mentionem tantùm faciunt expressæ invocationis trium in Deo personarum, quia plures hæretici circa divinam Trinitatem tantùm errabant, nec inter baptizandum omittebant has voces, *baptizo te*, quas sciebant Christum adhiberi voluisse, ut actio Baptismi, & Minister baptizans exprimeretur. Cùm igitur circa has voces nulla moveretur difficultas, aut dubitatio, ideo necessum non fuit SS. Patribus earum meminisse. Ut autem singularum ejusmodi formæ baptismalis particularum plena ac plana habeatur ratio, conveniens est eas sub quæstiunculis examinare.

QUÆRES 1. *Utrum hoc pronomen* Ego, *necessariò proferri debeat in forma Baptismi?*

V.
Pronomen Ego non debet necessariò exprimi.

RESpondet Doctor dist. 3. q. 2. n. 7. ad valorem Baptismi non absolutè requiri, ut Minister exprimatur; *Ministrum enim*, inquit, *non est simpliciter necessarium aliquô verbô exprimi, neque pronomine cujusque personæ, quia non est in verbis Christi, Matth. ult.* Insuper hôc pronomine omissô, manet integer substantialis formæ sensus; hic enim maximè consistit in significatione ablutionis, ut exercetur à baptizante circa baptizandum cum expressa nominatione, seu invocatione trium divinarum personarum: sed ad id non est necessarium pronomen *ego*: quia verbum *baptizo*, cùm sit indicativum primæ personæ, implicitè includit illud pronomen; *baptizo* enim idem est, ac ego baptizo.

VI.
verbum Baptizo activè.

Petes secundò: Utrum verbum *baptizo* activè necessariò proferri debeat in forma Baptismi, ut illa sit valida?

Respondeo, id non esse necessarium; siquidem Baptismus Græcorum approbatus est ab Ecclesia, qui tamen hôc verbô modo activo non utuntur, sed tantùm passivô; sic enim definitum est in decreto Eugenii ad calcem Concilii Florentini, ubi loquens de Baptismo, cùm dixisset: *Materia hujus Sacramenti, est aqua vera & naturalis: nec refert frigida sit, an calida; forma autem est, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, subdit: *Non tamen negamus, quin & per illa verba: Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, &c. verum perficiatur Baptisma.* Rationem profert: *Quoniam*, inquit, *cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exteriùs Sacramentum, sufficit si exprimatur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum S. Trinitatis invocatione perficiatur Sacramentum.* Eandem veritatem antea docuerat Doctor locô superiùs laudatô num. 5. & 7. ubi scribit: *De forma necessaria ex parte Sacramenti, patet quòd ista* (ordinaria Ecclesiæ Latinæ) *non est talis, quantum ad omnia verba, ex hoc quòd dictum est, quòd Græci verè baptizabant, non tamen sub eadem forma.*

Siquidem valet forma Græcorum usurpantes illud verbum passivè.

Quare autem hanc formam modô passivô, potius quàm activô usurpaverit Ecclesia Græca, explicat ibidem Doctor *num.* 5. dicens, id factum fuisse occasione quorundam Corinthiorum, qui gloriabantur se baptizatos esse ab Apostolis, & idcircò censebant se aliis esse præferendos, qui à Discipulis Baptismum susceperant: *Causam*, inquit Doctor, tangit Apostolus, 1. Corinth. 1.

VII.
Quæ fuerit hujus Passivæ usurpationis causa.

"*Hoc autem dico, quòd unusquisque vestrum dicit:* "*Ego quidem sum Pauli, &c.* gloriabantur enim de "Ministris baptizantibus, quasi eis adscriberetur "Baptismus: & redarguit eos, & istam eorum con"tentionem dicens, *Divisus & Christus?* Et pro"pter hoc, ortum fuit inter eos schisma, & ordi"natum fuit inter eos, ad istud schisma tollendum: "ne Minister exprimeretur in propria persona, nec "actus in indicativo modo, sed optativo; quia "tunc Minister non significatur esse author Ba"ptismi: sed tantùm Minister desiderans, & orans "effectum Baptismi conferendum à Deo: & sus"cipiens etiam non exprimeretur in secunda per"sona, sed in tertia, quasi non præcisè reciperet, "quod recipit ab aliquo sermone sibi dirigente. "Veruntamen meliùs potuisset suscipiens fuisse "expressus, quàm per hoc, *servus Christi*, scilicet, "nomine propriô. Non enim jam servus Christi "baptizatur, sed baptizatur ut sit servus Christi, "loquendo de servitio spirituali, quô Christianus "est servus Christi.

Quòd autem reverà vitium istud fuerit in aliquibus Corinthiis tempore S. Pauli, docet sanctus Chrysostomus homil. 1. in 1. cap. ad Cor. necnon & homil. 3. expendens illa verba: Aut in nomine meo baptizati estis, ubi ait: *Nec dixit: nunquid Paulus baptizavit? baptizavit enim multos: sed non erat id quod quærebatur, à quonam baptizati essent, sed in cujus nomine essent baptizati, nam quoniam hæc quoque erat causa schismatis, quòd vocarentur ab iis, qui baptizarent, &c.* Quamvis autem his verbis non insinuet eos fuisse in illo errore; infrà tamen dicit periculum ejus fuisse: *Nam si cùm viles & abjecti, & qui nullius sunt existimationis homines baptizarent, orta est hæresis: si ego qui annuntiavi Baptismum multos baptizassem, verisimile esset futurum fuisse, ut convenientes, non solùm in meo nomine vocarentur, sed mihi quoque Baptismum tribuerent, &c.*

Idem docet S. Augustinus lib. de uno Baptismo cap. 5. ubi loquens de Corinthiis, qui dicebant, *Ego quidem sum Pauli, &c.* ait: *Quamvis non per impiorum, sed Sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant; hoc ipsorum erat detestabile vitium, &c.* Et cap. 11. scribit: *Nec illos Corinthios arbitror, quos in schismata dissiluisse redarguit, veram fidem habuisse, quòd dicebant, ego sum Pauli; hoc enim falsum erat: veruntamen Baptismum habebant, ex cujus veritate, ut istam corrigerent falsitatem, ab eo ipso audiunt: nunquid Paulus pro

vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati A *estis? &c.*

An autem hodie cessante istâ causâ liceat adhuc Græcis Catholicis hanc formam usurpare?

VIII. Græci possunt adhuc licitè sub ea forma baptizare.

Respondet Doctor *num. 6.* De hac forma potest dici, quòd quandiu tolerata fuit ab Ecclesia Romana, licita fuit eis, & pro tempore, pro quo instituta fuit, rationabilis fuit durante causâ prædictâ, sed cessante illâ causâ, rationabiliter potuit forma communis fuisse eis imposita. Vel ergo Romana Ecclesia prohibuit illam formam, quantùm ad eos, & tunc peccant servando (quod expresè non invenitur in aliquo capitulo, specialem mentionem faciente de eis.) Vel si permisit, sive concessit, licitum videtur eis illam formam continuare: & si tali permissione, seu licentiâ, stante, in Conciliis suis particularibus, ordinaverunt inter se talem formam esse servandam, videtur quòd Minister eorum tenetur eam servare: sicut stante istâ permissione, Ecclesia, quæ determinavit trinam immersionem servandam, sic faciendum est, & est de necessitate Ministri, præceptum & modum Ecclesiæ propriæ servare.

IX. Verbum (*Baptizatur*) apud veteres Græcos deprecationē, non verò imperium significat.

Controversia autem est apud Theologos, qualiter vocabulum (*baptizetur*) usurpatum in forma Græcorum sit accipiendum, an videlicet *imperativè*, ut vult S. Thomas; an *deprecativè*, ut illud accipit subtilis Doctor: quod utique conC venientius, si attendamus ad rationem supra dictam, ob quam Græci non exprimunt personam Ministri; ne scilicet in seipso glorietur, & ne Baptismus ab ipso virtutem ullam sortiri intelligatur, tanquam à causa principali: Etenim imperativus modus designat authoritatem Ministri; deprecativus autem non ita, sed magis authoritatem causæ principalis, à qua Sacramentum habet suam efficaciam, licèt ministerialiter sit à conferente. *Insuper* si verbum istud sumeretur imperativè, istud imperium dirigeretur vel ad personam Ministri, vel ad effectum sacramenti: at primum dici non potest, quia nemo sibi propriè imperat. Neque etiam secundum, quia D effectus, qui est à causa superiori, non cadit propriè sub imperium inferioris; maximè quando non fundatur in potestate jurisdictionis communicatæ: sicut effectus pœnitentiæ, qui procedit à potestate clavium: igitur convenientius est, ut verbum istud accipiatur deprecativè. Nihilominus dici potest, quòd istud verbum quatenus nunc usurpatur à Græcis in forma Baptismi, non est imperativum, neque deprecativum, sed indicativum: aiunt enim Græci, dum baptizant: *Baptizatur servus Dei, vel serva Dei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, ut rectè observat Arcudius lib. de Baptismo, cap. 7. ex Græcorum euchologio. E

Ac nunc temporis est indicativi modi.

QUÆRES 3. *Utrum persona baptizati exprimi debeat in forma Baptismi, per pronomen* (te,) *vel per aliquid aliud æquivalens?*

X. Persona baptizati exprimi debet in forma baptismi.

AFfirmat Doctor *ibidem num. 7.* ubi cùm dixisset, ad valorem Baptismi non requiri necessariò, quod exprimatur persona Ministri: *subdit.* Alia autem dico, scilicet actum, & suscipientem, necessarium est exprimi: sed non determinatè eôdem modô, quô istis verbis exprimuntur, scilicet actus verbô indicativi modi, & suscipiens per pronomen secundæ personæ: sed potest actus exprimi verbô alterius modi, & suscipiens verbô alterius, ut Græci exprimunt. Ratio autem necessitatis, quòd illa duo sic, vel sic exprimerentur, sumitur ex illo Matth. ult. *Baptizantes eos, &c.* ubi exprimitur actus & suscipiens. *Hæc Doctor*, quibus significat, idcirco personam baptizatam debere exprimi; quia Christus D. id sufficienter indicavit, cùm dixit: *Baptizantes eos, &c.* actum baptizantis, & suscipientem Baptismum debere exprimi in collatione Baptismatis.

Confirmatur à simili: Idcirco in pœnitentiæ forma necessum est, ut exprimatur persona absolvenda, dicendo, *absolvo te*, nec valeret absolutio sub hac formula, *absolvo*, vel *datur absolutio in nomine Patris, &c.* B quia Christus D. Joan. 20. instituens Sacramentum pœnitentiæ, dixit: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, ita à simili debet exprimi persona baptizanda, quoniam illam exprimendam significavit Christus D. cùm dixit, *baptizantes eos, &c.* Adde quòd Baptismus ex baptizato potissimùm suam denominationem, & determinationem, seu individuationem accipit: igitur ut exprimatur actus in individuo, qui per Ministrum exercetur, necessum est, quòd in verbis exprimatur persona baptizanda.

Dices: Concilium Florentinum in decreto Eugenii asserit, quòd in Baptismo, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum sanctissimæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum; ubi non facit mentionem personæ quæ baptizatur: igitur illius expressio non est necessaria.

XI. Nec repugnat Concil. Florent.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico *primò* quòd, cùm decretum requirat, ut exprimatur actus Baptismi, quatenus hîc & nunc exercetur, implicitè saltem connotat personam baptizati; siquidem Baptismus fieri non potest sine subjecto illius capaci. *Secundò* dico, non esse mirum, quòd Eugenius non meminerit personæ baptizandæ; quia nulla cum Græcis erat controversia circa expressionem suscipientis Baptismum; utpote cùm eam Græci etiam exprimerent, dicendo; baptizatur servus, vel ancilla Christi.

D Dixi autem hoc pronomen (*te*) suppleri posse per aliquid æquivalens, putà si quis diceret, baptizo Petrum, vel baptizaris à me: quemadmodum Græci dicunt, baptizatur servus Christi: hôc enim, aut aliô simili loquendi modô sufficienter apparet, ac significatur persona baptizanda.

QUÆRES 4. *An necessaria sit particula* (in) *ad formam Baptismi?*

XII. Præpositio (*in*) non est absolutè necessaria.

E REspondeo illam non esse necessariam ad essentiam formæ Sacramentalis, quippe idem remaneret sensus eâ omissâ: enimverò qui aliquid se præstare significat nomine alterius, idem est, ac si diceret se in nomine ejusdem id facere. Nôrunt enim Grammatici ablativum absolutum eandem habere significationem, ac ablativum per præpositionem *in* designatum.

QUÆRES 5. *Quid significetur particulâ* (nomine) *& utrum illa sit absolutè necessaria ad formam Baptismi?*

XIII. Particula (*in nomine*)

REspondeo *primò*, particulam istam significare, vel unitatem essentiæ divinæ subsistentis in

Significat unitatem Essentiæ Divinæ.

tribus divinis personis, ut docent SS. Patres, imprimis verò S. Ambrosius lib. 2. de Sacramentis, cap. 7. *In uno nomine*, inquit, *baptizari nos jussit, hoc est, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Nolim mirari, quia dixit, unum nomen, ubi est una substantia, una Divinitas, una Majestas.* Et S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum, cap. 22. *In nomine*, inquit, *non in nominibus; hi enim tres unum sunt: & hi tres unus est Deus.* Unde Catechismus Romanus cap. de Baptismo: *Quod in nomine*, inquit, *non in nominibus dictum est, hoc planè declarat unam Trinitatis naturam, & Divinitatem; hoc enim loco nomen ad personas non refertur, sed ad divinam substantiam, virtutem, & potestatem, quæ una & eadem est in tribus divinis personis significata.*

Suffragatur huic explicationi ratio Theologica; quia ad formam Baptismi, non minùs necessarium est, ut exprimatur unitas essentiæ in divinis, quàm Trinitas personarum, cùm utrumque ex æquo ad fidem Catholicam desideretur: Porrò unitas essentiæ designatur per illam particulam *(nomine)*: igitur, &c.

Vel authoritatem & majestatem Dei.

Sunt tamen qui existimant *(in nomine)* idem esse, ac in authoritate, potentia, majestate, & virtute, quô sensu Psal. 19. dicitur: *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini invocabimus.* Et Psal. 53. *Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me.* Et Christus D. plerumque eôdem loquendi modô utitur in Evangelio, putà cùm dicit: *In nomine meo dæmonia ejicient, & Spiritus Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo, &c.*

Illa particula est absolutè necessaria.

Respondeo secundò, particulam *(nomine)* sic esse necessariam, ut si quis illam omitteret, dicens; *Baptizo te in Patre, & Filio, & Spiritu sancto:* vel singularem numerum in pluralem convertendo proferret, *in nominibus Patris, & Filii, &c.* nullus censeretur Baptismus, ut colligitur ex sancto Hieronymo, qui explicans illud Ephesiorum 4. *Unum Baptisma*, ait: *Non baptizamus in nominibus Patris, & Filii, & Spiritûs sancti; sed in uno nomine, quod intelligitur Deus.* Et ex sancto Augustino lib. 3. contra Maximinum, cap. 22. mox à nobis laudatô. Cui ratio etiam adstipulatur, quam statim prælibavimus, nempe quòd cùm forma Baptismi sit Christianæ fidei professio, significare debet unitatem essentiæ trium divinarum personarum; ea autem vox *nomen* in singulari numero rectè significat unitatem essentiæ trium in Deo personarum. Unde Apostolus ad Ephes. 3. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

QUÆRES 6. *Utrum in forma Baptismi exprimi debeant tres divinæ personæ sub distinctis nominibus* Patris, Filii, & Spiritûs sancti; *itaut Baptismus esset invalidus, si conferretur in nomine* Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque?

XIV. *Personæ Divinæ exprimi debent in baptismo sub proprietate earũ constitutiva in ratione personæ.*

Affirmat Doctor, *d. 4. quæst. 2. num. 9.* ubi ait: De nominibus significantibus proprietates, & non personas, ut *genitor, &c.* dico quòd non servatur in eis forma, quia Christus voluit personas vocari nominibus personarum, & rationabiliter secundùm illud quod tactum est in primo libro, *dist. 2.* ut sicut Judæis datum erat aliquod nomen significans essentiam divinam sub propria ratione, quod ipsi vocabant nomen Dei *Tetragrammaton*, ita Christus dedit Ecclesiæ nomina significantia personas sub propriis rationibus. Si etiam non sic dederit, tamen bene probabile est in aliqua invocatione, nomen personæ habere aliquam efficaciam, quam non habet nomen proprietatis personæ; petendo enim aliquod donum ab aliquo pro amore Joannis, citiùs impetraretur, quàm si locô nominis proprii poneretur nomen indicans proprietatem suppositi.

Quibus verbis Doctor significat Baptismum non valere, si conferretur sub aliis nominibus, quàm sub nominibus Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: quia Baptismus est Sacramentum fidei, quô nempe fideles initiantur, invocando, & protestando Deum unum in essentia, & trinum in personis: igitur conveniens fuit, ut id fieret per nomina distinctè significantia ipsas personas; quemadmodum in veteri lege consuetum erat invocare, & profiteri Deum sub ratione unius essentiæ (cujus tunc solius fides explicita singulis erat necessaria) per nomen *Tetragrammaton*, quod significat Deum sub ratione essentiæ propriæ. Unde etiam cùm Baptismus sit Sacramentum communissimum, utpote quod ab omnibus est suscipiendum, debuit administrari sub nominibus magis vulgaribus, & frequentatis tum in Scriptura, tum in Symbolis, qualia sunt duntaxat nomina Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, quæ singulis fidelium nota sunt: nomina autem genitoris, geniti, &c. non sunt omnibus nota, sed duntaxat Theologis. Eandem sententiam tuentur Alensis 4. p. qu. 8. memb. 3. a. 3. & Seraphicus Doctor dist. 3. S. Thomas 3. p. q. 66. art. 5. ad 7.

Dices: Nomina illa *genitoris, &c.* æquivalent nominibus *Patris, & Filii, & Spiritûs sancti:* igitur Baptismus sub ejusmodi vocabulis collatus, esset validus.

XV. *Quomodo nomen Genitoris discrepet à nomine Patris in Deo.*

Negat antecedens Doctor num. 15. ubi respondens huic argumento à se proposito *ait:* Ad illud de *genitoris, &c.* dicendum quòd Augustinus 5. de Trinitate cap. 7. intelligit, quòd idem est *genitor*, & *Pater* quantùm ad hoc, quod est dici ad alterum, sive importare proprietatem ejusdem personæ: sed non sunt idem quantùm ad primum conceptum significatum utrobique.

Quia *Pater* significat primò, & per se suppositum in natura divina: aliud autem significat primò, & per se proprietatem: & non est eadem vis nominis proprii, & proprietatis nominis, in invocatione facta alicujus personæ, ad aliquem effectum. Hæc Doctor, quibus significat voces istas *genitor, &c.* non designare personas divinas, ut personæ divinæ sunt, id est, in ratione subsistentium, sed per modum originis unius ab altera.

XVI.

Ex iis sequitur Baptismum etiam non valere, si conferretur solùm in nomine *Trinitatis*; quia, inquit Doctor *nu. 9.* Christus D. instituendo Baptismum, voluit ut personæ divinæ Trinitatis distinctè explicarentur: in hoc autem nomine Trinitatis tantùm importantur implicitè, ac proinde Baptismus hâc ratione collatus non valeret.

Aliæ similes formæ rejiciuntur.

Non prodesset etiam si locô vocis *Filii* ponatur vox *Iesu Christi*; quia non exprimitur sufficienter secunda persona: secus si ad ly *Spiritûs* addatur *Paracleti*; quia mutatio illa est solius epitheti, non substantiæ, Spiritus enim significat personam.

Rursum invalidus est Baptismus collatus, *In nomine primæ, secundæ & tertiæ personæ*. hæc enim non sufficienter explicant mysterium Trinitatis

secundùm proprietates personales, neque emanationem unius personæ ab altera. Idem est si conferatur, *In nomine Omnipotentis, & Sapientis, & Boni*, quæ non sunt nomina propria singulis personis, sed tantùm appropriata.

QUÆRES 7. *An valeret Baptismus collatus in solo nomine Christi?*

XVII. Licitum fuit aliquando baptizare in solo nomine Christi.

RESpondeo probabilius videri, quòd aliquando licuerit sic baptizare, ut cum Magistro dist. 3. docent *Alensis* 4. p. q. 8. memb. 3. art. 3. *S. Thomas* 3. part. q. 66. art. 6. ad *S. Bonaventura* dist. 3. p. 1. art. 2. q. 2. & *subtilis Doctor* ibidem q. 2. n. 9. ubi scribit: De quinto, scilicet de nomine Christi, patet, quòd aliquando licitum fuit baptizare, *Actor.* 2. 10. de Cornelio & 19. sed an modo esset baptizatus, si sic traderetur, dubium est. Videtur quòd sic baptizans peccaret mortaliter; imò omnino non baptizaret. Quod utique probat; quia, *inquit*, legem superioris nullus inferior potest revocare, nec simpliciter, nec ad tempus: sed lex de baptizando in ista forma communi, *In nomine Patris, &c.* promulgata fuit à Christo *Matth. ult.* ergo eam pro tempore, pro quo Christus non revocavit, nullus alius revocare potest. Sed licèt dispensaverit in illa lege, pro tempore primitivæ Ecclesiæ, quia fuit ratio dispensandi, ut divulgaretur nomen Christi: tamen illâ ratione cessante, non dispensavit: ergo nullus inferior pro tempore illo posteriori, potest aliqualiter à lege illa absolvi.

Ut docent Theologiæ Principes.

Huic doctrinæ, & assertioni adstipulantur SS. Patres, maximè *S. Ambrosius* lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. ubi ait: *Sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti; quia unum nomen potestas una: ita etiam ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritûs designatur, non solùm ad S. Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur, & Filium: nec solùm ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur & Spiritum S. Denique & Æthyops Eunuchus Candacis Reginæ baptizatus in Christo plenum mysterium consecutus est.* Et infrà: *Nunc consideremus utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum; ita etiam sancto Spiritu nuncupatô, nihil desit ad mysterii plenitudinem.* Pro responsione subjungit: *Rationem sequamur; quia qui hunc dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, à quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum sanctum quô unctus est, designasti.* Ac paucis interjectis: *Unde & rationi copuletur authoritas; in Spiritu quoque rectè baptizare nos posse, Scriptura indicat, dicente Dominô:* Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto. *Et alibi Apostolus ait: Omnes enim in unum corpus, in uno Spiritu baptizati sumus.*

Et SS. Patres, Ambrosius.

Theophilactus.

Idem docuit Theophilactus quoque ult. caput Lucæ ad quæstionem: *Quomodo Baptismu in nomine solius Christi fieri intelligamus, præsertim cùm aliàs doceamur baptizare in nomine Patris, &c.* in responsione ait: *Christi nomen in se continet, & Patrem inungentem, & unctionem Spiritum, & unctum Filium.*

Et Nicolaus primus summus Pontifex.

Amplius dico, Nicolaus primus ad consulta Bulgarorum, cap. 104. fretus authoritate Scripturæ, & S. Ambros. ausus fuit asserere, etiam de facto Baptismum in nomine solius Christi valere. Verba ejus referuntur cap. 24. de Consecr. A dist. 4. *A quodam, inquit, Iudæo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis. Hi profectò si in nomine sanctæ Trinitatis* (putà explicitè, ut solet in decretalibus, & PP. intelligi Baptismos datus est in nomine Trinitatis) *vel tantùm in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut exponit sanctus Ambrosius) constat eos non esse denuò baptizandos.*

XVIII. Colligitur etiam ex Scriptura sacra.

Porro hæc veritas niti videtur apertis Scripturæ textibus; nam & sermo Petri *Actor.* 2. ad hoc dirigitur, ut exaltaret nomen ejus; & *Actor.* 3. & 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus,* B *in quo oportet nos salvos fieri, &c.* Actor. 8. *Aperiens Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, evangelizavit illi Iesum, &c. Ecce aqua, quis me prohibet baptizari? Dixit autem Philippus. Si credis ex toto corde, licet: & respondens ait, Credo Filium Dei esse Iesum Christum, &c. baptizavit eum.* Et antè dicitur de Philippo, quòd prædicabat Samaritanis Christum; *& in nomine Iesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.* Huc etiam spectat instructio, & sermo Petri ad Cornelium, & domum ejus, *Actor.* 1. 10. qui sic clauditur: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum, &c.* C Et cùm ad hæc cecidisset Spiritus sanctus in eos, jussit eos baptizari Petrus, *in nomine Iesu Christi.*

Ex epistolis etiam Pauli plura designant Baptismum datum *in nomine Iesu*, & salutem per ipsum consequi, quæ brevitatis gratiâ omitto. Unde sequitur modum illum baptizandi, & formam congruere doctrinæ, & prædicationi Apostolorum, quæ præmittebatur ante Baptismum: sicut & ex illis verbis Pauli 1. ad Cor. 1. *Gratias ago Deo quia neminem vestrum baptizavi... ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati estis, &c.* Et infrà, quantùm ad doctrinam & prædicationem: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem* D *scandalum, gentibus stultitiam, &c.*

Et ratio suffragatur.

Favet etiam ratio; congruum enim fuit initiô nascentis Ecclesiæ apud Judæos dari Baptismum in remissionem peccatorum sub nomine Christi, qui negabant necessitatem Redemptionis, & Redemptoris, ponentes salutem ex lege sola. Apud Gentiles non defuit similis congruentia, quia ex mirabilibus, quæ fiebant in nomine Christi (ut Simon Magus *Actor.* 8.) credebant; ac proinde etiam congruum fuit, ut baptizarentur in nomine ejus, in quem credebant. Ideo potuit Baptismus in illa forma dispensativè conferri sine ullo errore in forma practicè, aut speculativè: ita autem factum esse colligi videtur ea modo loquendi Scripturæ, & authoritate tot SS. Ecclesiæ E Doctorum.

XIX. Attamen opposita sententia non caret probabilitate.

Nihilominus opposita sententia, (quam plures tuentur cum Armachano nostro,) non est improbabilis: reponunt enim ad omnes Scripturæ textus, quibus significari videtur Apostolos baptizasse in nomine Domini Jesu, intelligendos esse, quòd baptizaverint in authoritate, & potestate Jesu Christi, id est, Baptismô, quem Christus D. instituit, quô distingueretur Baptismus Christi à Baptismo Joannis. Quæ utique responsio confirmatur ex *Actorum* 19. nam cùm Apostolus invenisset quosdam Discipulos Ephesi, dixit ad eos: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati*

estis? qui dixerunt, In Ioannis Baptismata. Nulla autem inquiunt, & omnino aliena fuisset Apostoli interrogatio, si Baptismus tunc temporis conferri solitus esset in alia forma, quàm in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: existimabat namque Apostolus eos non potuisse baptizari Baptismô Christi, quin notitiam habuissent Spiritûs sancti, in cujus nomine, sicut & Patris, ac Filii, fuissent baptizati.

Quãquam ejus fundamenta facilè possint dissolvi.

Fateor tamen responderi posse huic eorum fundamento, idcirco Apostolum mirari, quòd non audivissent quidquam de Spiritu sancto; quia cùm essent adulti, priùs baptizari non poterant, quin instructi fuissent de præcipuis fidei mysteriis; ac proinde novissent tres esse in Deo personas: quippe divinæ Trinitatis mysterium primum est, ac caput omnium fidei mysteriorum.

Nec etiam obstat Canon 49. Apostolorum: *Si quis Presbyter, aut Episcopus non trinam mersionem unius mysterii celebrat, sed semel mergat in Baptismate (quod dari à quibusdam jubetur in morte Domini) deponatur: non enim dixit nobis Dominus: In morte mea baptizate: sed, Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Non, inquam, obstat; quia in illo Canone videtur tantùm damnari quorundam hæreticorum error, qui idcirco per unicam mersionem baptizabant, & in morte Christi, ut excluderent Trinitatem personarum, & Christi D. Divinitatem; quem errorem propugnârunt Bonosiani & Cataphryges, de quibus scribit Gregorius Quirino Episcopo in Iberia, lib. 9. epist. 61. & refertur de consecr. dist. 4. cap. 84. *Hi,* inquit, *hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiani & Cataphryges (quia & illi Christum D. non credunt, & isti sanctum Spiritum perversô sensu esse quendam pravum hominem Montanum credunt: quorum similes multi sunt) & alii tales, cùm ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia Baptisma non fuit, quòd in errore positi in sancta Trinitatis nomine minimè perceperunt.* Quidquid sit de veritate alterutrius sententiæ, de qua nihil certi definire licet, cùm utrinque appareant non improbabiles conjecturæ,

XX. Non licet nunc in solo Christi nomine baptizare.

Respondeo secundò cum Doctore *ibidem*, certum esse, quòd nunc temporis nullâ ratione liceat Baptismum conferre in solo nomine Christi; Nam, *inquit Doctor*; videtur, quòd sic baptizans peccaret mortaliter. Primum probatur: quia legem superioris nullus inferior potest revocare, nec simpliciter, nec ad tempus. Lex de baptizando in ista forma communi: *In nomine Patris, & Filii, &c.* promulgata fuit à Christo, *Matth. ult.* ergo eam pro tempore, pro quo Christus eam non revocavit, nullus alius potest revocare.

Subsumit Doctor: Sed licèt dispensaverit in illa lege pro tempore primitivæ Ecclesiæ, quia fuit ratio dispensandi, ut divulgaretur nomen Christi; tamen illâ ratione cessante non dispensavit: ergo nullus inferior pro tempore illo posteriori potest aliqualiter à lege illa absolvi.

Consimiliter probatur secundum: quia forma tradita communiter, semper manet forma, nisi per formæ institutorem pro aliquo tempore fiat aliqua dispensatio: sed forma non fuit dispensativè tradita, nisi pro tempore, pro quo fuit dispensandi ratio; scilicet in Ecclesia primitiva, ut nomen Christi divulgaretur: ergo tempore illius dispensationis cessante, forma illa sola manet, quæ fuit forma ex institutione.

A *Et concludens interrogat:* Quid ergo? Non audeo dicere, quòd baptizatus hodie in nomine Christi, esset baptizatus; sed nec audeo dicere, quòd non esset baptizatus; quia non lego ubi fuerit illa dispensatio revocata. In hoc ergo casu reputo dubium, an talis sit baptizatus.

XXI. Probabilius est etiã quòd baptismus ille esset invalidus.

Quòd autem Baptismus in nomine Christi collatus esset nunc invalidus, colligitur ex epistola Pelagii summi Pontificis ad Gaudentium Episcopum, & refertur dist. 4. de Consecr. cap. 81. his verbis: *Multi sunt, qui in nomine solummodò Christi, unâ etiam mersione se asserunt baptizare. Evangelicum verò præceptum ipsô Deô, & Dominô Salvatore nostrô Iesu tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trinâ etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Dominô Discipulis suis* B *(Ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.)*

Confirmatur ex cap. 83. ejusdem distinctionis, quod est Zachariæ Papæ ad Bonifacium Episcopum in epistola, cujus initium: *Sacris liminibus*, in qua sic scribit Pontifex: *In Synodo Anglorum decretum, & judicium firmissimè præceptum, & diligenter demonstratum esse dignoscitur, ut quicunque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est: quia si lotus in fonte Baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti fuerit baptizatus. Hoc quoque observari in prædicta Synodo Sacerdotes voluerunt, ut qui* C *vel unam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma esse verum non posset. Quod pro certo verum est: quia qui unam ex sancta Trinitate personam confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem, & Filium, si confessus non fuerit & Spiritum sanctum, neque Patrem habet, neque Filium: & qui confessus fuerit Patrem, & Spiritum sanctum, & Filium non fuerit confessus, neque Patrem habet, neque Spiritum sanctum, sed vacuus est à divina gratia.*

Nec refert, quòd Nicolaus affirmet Baptismum D in solo Christi nomine esse validum: quod confirmat authoritate S. Dionysii. *Respondeo* enim Nicolaum hæc dixisse tantùm obiter, & non ex professo; non enim fuerat interrogatus, utrum valeret Baptismus ratione formæ, sed solùm utrum obstaret valori Baptismatis, quòd Minister esset Judæus: *A quodam*, inquit, *Iudæo, nescitis utrum Christiano, an pagano, &c.*

Respondet autem Baptismum valere, sive fuerit Christianus, sive paganus, dummodò usus fuerit legitimâ formâ. Porro quæ esset legitima forma, ibi non quærebatur, sed occasione inde sumptâ explicat suam opinionem, quam ipse de illa tanquam Doctor particularis tenebat, putà quòd valeat hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*, E ductus authoritate Scripturæ, & S. Ambrosii quam allegat.

Potuit autem facilè fieri, ut Nicolaus non viderit responsum Pelagii & Zachariæ, cùm tunc temporis decreta Conciliorum & Pontificum nondum essent in jure canonico collecta & ordinata; vel si cognoverit, forsitan alter duxit ea explicanda, quam modò universalis Ecclesia intelligit; videlicet vel de implicita invocatione Trinitatis contra hæreticos, qui baptizabant in mortem Domini unicâ mersione, ut excluderent Trinitatem & Divinitatem Christi; vel de explicita contra illos, qui unam personam nomina-

bant cum positiva exclusione, & errore circa alias.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ministro & subjecto Baptismi.

EX præcedenti Disputatione jam satis apertè liquet ordinarium Baptismi, sicut & aliorum Sacramentorum, Ministrum & subjectum, esse duntaxat hominem viatorem; cùm enim Sacramenta animarum sint medicamenta, quæ nec mortuis, nec perfectè sanis quidpiam prodesse possunt; hinc est, quòd nec pro damnatis, nec pro Beatis in termino jam existentibus, sed tantùm pro viatoribus hominibus, quibus adhuc salus affulget, instituta censeantur. Justâ itaque, ac omnino sapienti ordinatione divinitùs factum est, ut soli mortales homines sacramentorum beneficio ac ministerio mortalibus opitularentur. Quocirca hîc duntaxat determinandum superest, quinam sint capaces tum ministrandi, tum suscipiendi Baptismatis; quod utique declarabimus in quatuor sequentibus quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quis sit idoneus Minister Baptismi?

I. Baptismus duplici ritu potest administrari.

NOtandum primò, Baptismum dupliciter administrari posse, primò *solemniter*, & cum omni publico ritu, & Ecclesiasticis cæremoniis adhiberi solitis, dum Baptismus ab Ecclesiæ Ministris publicè confertur; secundò, *citra solemnitatem* omnem, seu omissis omnibus cæremoniis, & adhibitis duntaxat, quæ essentialia sunt ad validam Sacramenti confectionem. *Insuper* Baptismus conferri potest, vel in casu urgentis necessitatis, nimirum si instet mortis periculum, vel extra necessitatis casum, dum videlicet baptizandus integrâ sanitate fruitur. Hinc duplex distingui potest Sacramenti Minister, unus quidem solemnitatis; alter verò necessitatis. *Rursus* Baptismi solemniter administrandi alius esse potest *ordinarius* Minister, cui ex proprio munere competit baptizare; alter verò *extraordinarius*, qui hanc facultatem habet ex conditione, & delegatione. Quæritur ergo, quis sit idoneus Minister Baptismi solemniter, & citra casum necessitatis, vel non solemniter, & urgente necessitate conferendi.

Unde duplex est ille minister.

II. Duplex est Sacramentorum administratio, nempe valida & licita.

Notandum secundò, in Sacramentorum administratione, sicut & in plurimis humanis actibus, aliud esse, quòd aliquid fiat *validè*, aliud verò quòd fiat *licitè*: Primum enim respicit substantiam rei, quæ affirmatur fieri validè; ita ut illa stet integra, & omnibus suis partibus constans, abstrahendo ab eo, quòd qui illam exercet, peccatum incurrat, nec-ne: secundum verò spectat ad conscientiam facientis; ita quòd qui rem exequitur, non solùm illam faciat quatenus fieri debet, ut sit integra & perfecta secundùm se, sed etiam ut fiat modô debitô & ut præscribitur à Superiore ejusmodi rei confectionem ordinante. Cæterùm hîc de utroque modo conferendi Baptismum movetur quæstio; utrum videlicet omnibus omnino hominibus sive fidelibus, sive infidelibus, non solùm validè, sed etiam licitè competat urgente necessitate, vel citra necessitatem baptizare.

III. Calvinistæ nolunt baptismum posse administrari à quolibet.

Notandum tertiò, quòd etsi conveniant *Lutherani* cum Catholicis quemlibet privatum Fidelem, etiam mulierem, in casu necessitatis non solùm validè, sed etiam licitè baptizare, ut expressè docet *Hunnius* opusc. de Sacrament. cap. de Baptismo, ubi ait; illud etiam esse articulum confessionis Augustanæ; nihilominus refragantur *Calvinistæ* cum suo hæresiarcha, qui lib. 4. instit. cap. 15. licèt non ita apertè mentem declaret, utrùm loquatur tantùm *de licito*, an etiam *de valido*, ita agit ut videatur velle, solos Verbi divini Ministros, Ecclesiæ Pastores legitimè vocatos, posse validè baptizare, & si mens, & intentio illius sit inquirenda ex ipso Beza, ita esse constabit: hîc enim lib. quæst. & responsionum de Sacramentis quæst. 140. interrogatus de Baptismo administrato à privatis personis, ministeriô non fungentibus, respondet *illum non esse pluris faciendum, quàm id quod Regis, aut Reipub. nomine privatus quispiam pro libito gereret, aut quàm fabula*. At satis constat id fore nullum, & non solùm illicitum, quòd privatus aliquis pro libito faceret nomine ipsius Regis, aut Reipub. ex defectu potestatis ab illa ad hoc faciendum acceptæ, similiter & istud quod est fabulosum. Unde etiam idem Beza quæst. 144. de Sacramentis impudenter ait, se præferre Baptismum à Sathana & diabolo sese pro verbi divini ministro gerente collatum, Baptismô per mulierem, aut privatum fidelem conferendô.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Ut omnes Catholici reclamant.

Q*Vilibet homo viator rationis compos validè semper; & si urgeat necessitas licitè baptizare potest privatim, & sine solemnitate*. Hæc est de fide determinata in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, & refertur cap. firmiter, ubi statuitur, *Sacramentum Baptismi..... tam parvulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocunque ritè collatum, proficit ad salutem.*

Quam utique determinationem distinctiùs innovavit, & confirmavit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, ubi de Ministro Baptismatis sic legimus: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in causa autem necessitatis, non solùm Sacerdos, vel Diaconus; sed etiam Laicus & mulier; imò etiam Paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

V. Valet enim Baptismus collatus etiam à Pagano & Judæo.

De Sacerdote & Diacono dicemus conclusione sequenti. De *Paganis* autem, & *infidelibus* apertè docet Isidorus, ut refertur dist. 4. de consecratione cap 23. his verbis: *Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licèt paganus sit qui baptizat.* Idem docet Nicolaus primus, ad Consulta Bulgarorum cap. 104. ut refertur ibidem cap. sequenti, ubi legimus: *A quodam Judæo nescitis, utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis. Hi profectò si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt...... constat eos non esse denuo baptizandos.* Quantùm autem ad hæreticos jam sufficienter constat ex dictis in priori Disputatione, ubi probavimus Baptismum ab hæreticis collatum esse validum.

VI. Multò magis à Laïco Christiano.

Porrò Baptismum à quocumque ritè collatum in forma Ecclesiæ constanter docet *Sanctus Hieronymus* in dialogo contra Luciferanos cap. 4. & sanctus Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. ubi ait: *Et si Laïcus aliquis pereunti dederit* (baptisma) *necessitate compulsus, quod cùm ipse acciperet, dandum esse addidicit, nescio an piè quisquam dixerit esse repetendum. Nullâ enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est: sed etsi nullâ necessitate usurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis ritè dici possit illicitè datum.*

Eos præiverat Tertullianus lib. de Baptismo cap. 17. ubi cùm dixisset Baptizandi officium ex æquo spectare ad Episcopos, dehinc ad Presbyteros, postmodum ad Diaconos, non verò ad Laïcos, addit, Laïcum alloquens: *Sufficiat scilicet in necessitatibus, ut utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit: tunc enim constantia succurrentis excipitur, quum urget necessitas periclitantis: quoniam reus erit perditi hominis, si supersederis præstare quod liberè potuit.*

Objicit primò Calvinus: Illi soli validè baptizare possunt, quibus Christus D. baptizandi facultatem contulit: sed eam dedit solis divini verbi Ministris legitimè vocatis: Tum, quia *Matth. ult.* Christus D. Baptismum conferendum præcipiens, solos Apostolos alloquitur, ac eorum successores: Tum, quia ibidem conjungit prædicationem Verbi divini cum administratione Baptismi, dicens: *Ite, docete omnes Gentes.*

VII. Quâ ratione Christus D. dederit Apostolis potestatem baptizandi.

Respondeo, concessâ majore, distinguendo minorem: Solis Apostolis, & divini verbi Ministris Christus D. dedit facultatem baptizandi publicè & solemniter, concedo: privatim, & in casu necessitatis, nego. *Ad probationem* autem dico, eò loci Christum D. non dedisse Apostolis simplicem potestatē baptizandi, quam etiam ante Passionem, cùm necdum essent Sacerdotes aut Episcopi, habebant, & exercebant: sed iis jam Episcopis dedit speciale mandatum & simul contulit jus primarium publicè & solemniter prædicandi Evangelium, ac ministrandi Baptismum.

Objicit secundò, illud Concilii quarti Carthaginensis, cap. 100. *Mulier quamvis docta, & sancta viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non præsumat.* Similiter Tertullianus pluribi docet Baptismum esse mulieribus interdictum, maximè lib. de velandis Virginibus, cap. 9. & lib. de præscriptionibus, cap. 41. & lib. de Baptismo, cap. 17. ubi ait: *Petulantia autem mulierum, quæ usurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus sibi pariat.*

VIII. Quo sensu Tertullianus negat jus baptizandi mulieribus.

Respondeo, tam Concilium, quàm Tertullianum proscribere ac damnare quarundam mulierum, maximè Marcionistarum petulantiam, & audaciam, quæ etiam citra necessitatem baptizandi, non solùm privatim, sed & solemniter officium usurpabant; unde locô suprà laudatô de velandis Virginibus ait: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii sortem sibi vendicare.*

Objiciet tertiò Gregorium secundum epistolâ ad Bonifacium Episcopum, & refertur de consecratione *dist.* 4. *cap.* 52. ubi ait: *Quos à Paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.* Insuper sanctus Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 13. dubitat, *utrùm ab iis, qui nunquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari?* Respondet autem, *nec aliquid temerè inde affirmandum est sine authoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Denique in Concilio Eliberitano Can. 38. permittitur solùm baptizatis, & prohibetur Bigamos in necessitate baptizare; habet enim: *Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lavacrum suum integrum habet, nec sit Bigamus) baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum.* Igitur non omnes possunt etiam in necessitate validè baptizare.

Et Gregorius XI. Paganis.

Nego consequentiam & ad Gregorium II. dico eum loqui de *Baptizatis ritu Pagano*, non autem ritu Ecclesiæ; ut observat Glossa ad præfatum, *cap.* 52. *dist.* 4. quod utique insinuat etiam Pontifex, ait enim ibidem, *quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti baptizatus est, rebaptizare eum minimè licet.*

Sicut & S. Augustinus.

Ad sanctum Augustinum dico, eum non revocare in dubium, quin Baptismus à Laïcis in necessitate collatus sit validus; quanquam enim non audeat apertè affirmare validum esse, si conferatur à non baptizato; tamen id absolutè non negat; imò disertè assereret si nunc viveret; ait enim, hoc non esse constanter asserendum sine authoritate Concilii: habemus autem authoritatem apertam Concilii Florentini id affirmantis; ac subinde eam veritatem nobiscum jam propugnaret sanctus Augustinus.

Et Concil. Eliberitanum.

Ad Canonem Concilii *Eliberitani* dico, per eum tantùm significari, quòd in casu necessitatis non Baptizatus & bigamus non debeat ministrare Baptismum in præsentia baptizati non bigami; alioqui Baptismus ille esset illicitus, nec ministraretur sine peccato, non tamen propterea foret invalidus.

Conclusio Sacunda.

IX. Episcopus & Sacerdos est Minister ordinarius baptismi.

Minister ordinarius Baptismi solemniter, aut privatim citra necessitatem conferendi, est solus Sacerdos, Episcopus, aut Curatus: delegatus autem potest esse quilibet Sacerdos, imò etiam & Diaconus. Illam apertè tradit Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 7. ubi ait: *Dandi quidem Baptismum habet vim summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi: non tamen sine Episcopi authoritate, propter Ecclesiæ honorem.* Illam etiam veritatem declarat Concilium Florentinum verbis in priori conclusione laudatis. Et S. *Isidorus* lib. 2. de Officiis, cap. 24. & refertur de consecratione dist. 3. cap. 9. ubi scribit: *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum: ejusque mysterium nec ipsis Diaconis explere est licitum, absque Episcopo, vel Presbytero nisi his procul absentibus ultima languoris necessitas cogat.* Porrò hujus assertionis rationem congruam profert Doctor dist. 6. quæst. 1. nu. 3. ubi cùm dixisset: *Congruum est inter viatores solum Sacerdotem baptizare, & soli Sacerdoti congruit ex officio*, subdit: *Cujus ratio est; quia per Baptismum recipitur baptizatus in collegium Ecclesiæ militantis: receptio autem alicujus in collegium pertinet ad Præsidentem, & habentem authoritatem in collegio: ideo quantò aliquis haberet majorem authoritatem in Ecclesia, tantò magis pertineret ad eum recipere, & introducere in Ecclesiam, & per consequens baptizare. Vnde magis competeret Episcopo quàm simplici Sacerdoti, si sufficere possent Episcopi: sed propter*

paucitatem

paucitatem Episcoporum, & pluralitatem baptizandorum, regulariter conceditur omnibus Sacerdotibus.

Hæc autem Doctoris sententia, quâ asserit ex officio omnibus Sacerdotibus convenite facultatem baptizandi, intelligenda est, ut optimè observat Hyquæus in commentario ad hunc locum *num.* 19. quantùm ad capacitatem, & in casu necessitatis quantùm ad effectum, seu officium: vel illa distributio intelligenda est pro generibus singulorum, quoad eos, quibus ex cura, vel ex concessione Parochorum in proprio districtu, aut Episcopi authoritatem habent; quia nempe ex usu jam solis Presbyteris ministerium hoc tribuitur: nam rarus est Episcopus, qui illud exhibet, nisi in prærogativam personæ alicujus, ut Principum, aut Magnatum.

QUÆRES, *Quisnam sit servandus ordo inter Ministros Sacramenti Baptismatis?*

X. Quis sit servandus ordo inter Ministros baptismi.

RESpondeo cum Catechismo Concilii Tridentini *p. 2. tit. de Baptismi Ministro*, triplicem esse eorum ordinem; ac in primo quidem Episcopos, & Sacerdotes collocandos esse: quibus datum est, ut jure suô, non extraordinariâ aliquâ potestate, hoc munus exerceant. Id enim Apostolis præceptum est à Domino: *Euntes baptizate*: quamvis Episcopi, ne graviorem illam docendi populi curam deserere cogerentur, Baptismi ministerium Sacerdotibus relinquere soliti essent.

Quòd verò Sacerdotes jure suô hanc functionem exerceant, itaut præsente etiam Episcopô ministrare Baptismum possint, ex doctrina Patrum, & usu Ecclesiæ constat. Nam cùm ad Eucharistiam consecrandam instituti sint, quæ est pacis, & unitatis Sacramentum: consentaneum fuit, potestatem iis dari omnia illa administrandi, per quæ necessariò hujus pacis, & unitatis quilibet particeps fieri posset.

Quòd si aliquando Patres Sacerdotibus, sine Episcopi venia, baptizandi jus permissum non esse dixerunt, id de eo Baptismo, qui certis anni diebus solemni cæremoniâ administrari consueverat, intelligendum videtur. Secundum Ministrorum locum obtinent Diaconi, quibus sine Episcopi, aut Sacerdotis concessu, non licere hoc Sacramentum administrare, plurima SS. Patrum decreta testantur.

Extremus ordo illorum est, qui, cogente necessitate, sine solemnibus cæremoniis baptizare possunt, quo in numero sunt omnes, etiam de populo, sive mares, sive fœminæ quamcunque illi sectam profiteantur. Nam & Judæis quoque, & infidelibus, & hæreticis, cùm necessitas cogit, hoc munus permissum est: si tamen id efficere propositum eis fuerit, quod Ecclesia Catholica in eo administrationis genere efficit...

Neque verò hoc munus ita omnibus promiscuè permissum esse Fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem Ministrorum statuere maximè deceat. Mulier enim, si mares adsint, Laïcus item præsente Clericô, tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi assumere non debent. Quanquam obstetrices, quæ baptizare consueverunt, improbandæ non sunt, si interdum, præsente aliquô virô, qui hujus Sacramenti conficiendi minimè peritus sit, quod aliàs viri magis proprium officium videretur, ipsæ exequantur.

Idem statuitur in Rituali Romano, tit. de Baptismo, §. de Ministro Baptismi, ubi cùm determinasset: *Quoties infans, aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solemnitate à quocunque baptizari in qualibet lingua, sive Clerico, sive Laïco, etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive Catholico, sive hæretico, sive viro, sive fœmina, servatâ tamen formâ, & intentione Ecclesiæ*: statim subdit: *Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus, Subdiacono, Clericus Laïco, & vir fœmina, nisi pudoris gratiâ deceat fœminam, potius quàm virum baptizare infantem non omnino editum, vel si melius fœmina sciret formam, & modum baptizandi.*

CONCLUSIO TARTIA.

XI. Nemo seipsum baptizare potest.

I*Ta necessariò baptizans distingui debet personaliter à baptizato, ut nullus seipsum baptizare possit.* Est communis apud omnes eamque decrevit Innocentius III. epistolâ ad Episcopum Metensem, ut refertur cap. *Debitum de Baptismo, & ejus effectu*, ubi scribit: *Sanè intimasti, quod quidam Judæus in mortis articulo constitutus, cùm inter Judæos tantum existeret, in aquam seipsum immersit dicendo: Ego me baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritussancti, Amen.*

Ut definit Innocentius III.

Et infrà. Respondemus, quòd cùm inter baptizantem & baptizatum debet esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis: *Ite baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*; memoratus Judæus, est denuò ab alio baptizandus: ut ostendatur, quòd alius est, qui baptizatur, & alius qui baptizat. Ad quod etiam designandum ipse Christus non à seipso, sed à Joanne voluit baptizari: quamvis si talis continuò decessisset, ad patriam protinus evolasset, propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentū. In Baptismo quippe illa spiritualis generatio celebratur, de qua Veritas ait: *Oportet vos nasci denuò*: quia *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum*. Sicut ergo in carnali generatione, quâ proles ex viro & fœmina nascitur, alius est, qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur: sic in sacramentali generatione, quâ soboles ex aqua, & Spiritu sancto renascitur, alius debet esse, qui spiritualiter generet, & alius qui spiritualiter generetur. Sanè cùm corpus exteriùs, sive cùm cor interiùs baptizatur, oportet, ut utrobique Paternitas, & Filiatio valeat inveniri, quibus baptizans, & baptizatus ad invicem referantur. *Ita S. Pontifex.*

Et præclarè expendit subtilis Doctor.

Quam utique determinationem sic expendit Doctor *dist. 6. quæst. 4. num. 2.* dicens quòd ab Innocentio summo Pontifice ad hujus rei confirmationem profertur simul figura, authoritas, & ratio congrua: *Figura* quidem; quia Christus, *inquit*, ad hoc signandum, non à se, sed à Joanne baptizari voluit. Authoritas colligitur ex verbis Domini dicentis Apostolis, Matth. ult. *Ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, &c.* ubi Discipulos exprimit in secunda persona, & baptizatos in tertia. Ratio quæ innuitur ibi, est ista, quia in Baptismo celebratur illa spiritualis generatio, de qua Veritas ait Joan. 3. *Oportet vos nasci denuò.* Sicut ergo in carnali generatione alius est qui gignit, & alius, qui gignitur: ita & in sacramentali generatione, alius debet esse, qui spiritualiter generat, & alius, qui spiritualiter generatur.

Dices: Sacerdos sibi ipsi in Missa ministrat Eucharistiæ Sacramentum: igitur potiori jure posset aliquis in extremis constitutus sibi ministrare Sacramentum Baptismi.

Negat consequentiam Doctor ibidem *num.* 13. & rationem disparitatis profert; *quòd*, inquit, *susceptio Eucharistiæ non est Sacramentum, sed est Sacramentalis comestio, seu perceptio: Baptismus autem est Sacramentum.*

Deinde sibi objiciens, Sacerdos saltem ministrat sibi Sacramentum Eucharistiæ: ergo pari ratione posset sibi ministrare Sacramentum Baptismi.

Negat similiter coosequentiam: quia, *inquit*, ministratio Sacramenti Eucharistiæ, non est Sacramentum; siquidem Sactamentum istud non consistit in usu: ministratio verò Sacramenti Baptismi, est ipsum Baptismi Sacramentum. Hanc autem tationem diversitatis profert: *Quia Sacramentum Baptismi consistit in usu essentialiter, & non in aqua. Eucharistia autem est quoddam permanens distinctum ab usu Sacramenti: quamvis ergo aliquis posset esse in usu Sacramenti permanentis, Minister, & suscipiens illum usum: non tamen potest hoc in Sacramento, quod essentialiter consistit in usu.*

Conclusio Qoarta.

XII. Plures ab uno baptizari possunt.

AB uno licitè & validè plures simul baptizari possunt. Ita Doctor dist. 6. quæst. 2. num. 6. ubi ait: De tertio membro divisionis conceditur, quòd iste plures simul aspergens, vel infundens, & simul proferens formam in plurali, dicendo, *Ego baptizo vos*: baptizat simul omnes; tamen peccat mortaliter; quia non servat formam impositam sibi ab Ecclesia, nisi fortè esset tanta necessitas, quòd immineret mors omnium: & si quaodo singulos baptizaret sigillatim, aliquis eorum moreretur antequam cæteros baptizasset.

Subdit infrà: An autem casos necessitatis, qui positus est de pluribus statim morituris excusaret Mioistrum utentem illâ formâ, *Baptizo vos*; à peccaro mortali, dubium est. Videtur tamen hoc rationabile; quia ex quo in potestate Ecclesiæ fuit determinare istam formam ad illa verba, *baptizo te*; oon videtur, quòd ipsa voluerit aliquem ita præcisè ad illam formam arctare, ut per hoc alicui præcluderetur via salutis. Io casu autem prædicto alicui illorum præcluderetur salus, si quis sine peccato mortali non posset oti istâ formâ, *Baptizo vos*: nam si in eo casu esset peccatum mortale, nullus deberet eos sic baptizare; oullus enim debet salutem alterius procurare peccando in se mortaliter. *Ita Doctor* subtilis cui consentiunt Alensis, S. Bonaventura, & S. Thomas qoæst. 67. art. 6. ad 2. ubi ait: In casu necessitatis unus posset plures simul baptizare sub hac fotma, *Ego vos baptizo*, potà si immineret ruina aut gladius, aut aliquid hujusmodi, qood omnino moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentor. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ; quia plurale non est nisi singulare geminatum: præsertim cùm ploraliter dicatur Matth. ultim. *Baptizantes eos, &c.*

Ratio igitur hujus assertionis est, quia eo in casu oihil deficit requisitum ad valorem Sacrameoti, nec ex parte materiæ, nec ex parte formæ: quia illa variatio formæ de singulari in plurale, quoad particulam *vos*, requiritur duntaxat ex parte subjectorum; ac proinde hæc variatio non irritum facit Sacramentum.

Confirmari potest noo solùm ex facto Apostolorum; qui, ut legimus *Actor.* 2. unâ die plora hominum millia baptizârunt; non enim poterant sigillatim singulos baptizare.

Pares, *Vtrum eo in casu plura essent Baptismata?*

XIII. Quo in casu plura essent baptismata.

RESpondet Doctor *ibidem*: Videtur, quòd sic: quia plures suot baptizati, & per consequens plures baptizationes passivæ, & ita plures actiooes, & plures Baptismi. *Deinde* objicit Doctor. Videtur, quia oon est nisi unica forma: nam verba tantùm sunt semel prolata. *Respondet*: Posset tamen magis concedi, quòd sunt plures Baptismi. Et tunc ad argumentum dicendum, quòd non oportet ad plurificatiooem alicujus, omnia quæ sunt in illo, plurificati: sed sufficit aliquod eorum plurificati, ad hoc quòd totum plutificetur. Et illa etiam forma est simpliciter una, *ly vos*, includit in se siogulare quod pluries geminat.

Quæres, *Vtrum etiam plures simul eundem baptizare possint?*

XIV. Quo sensu & quot intelligi possit quòd plures eundem baptizent.

R*Espondet Doctor* num. 2. quòd plures baptizari, possit intelligi duobus modis, itaut baptizent *vel eundem suscipientem, vel plures suscipientes: & utrumque adhuc subdistinguitur; quia si eundem, vel uterque totum facit, vel unus abluit, & verba alius profert, putà si unus est mutus, & tantùm abluit; alter mancus, qui verba profert. Secundum etiam membrum subdistinguitur, quia si baptizat plures, vel manifestè distinctos, vel non ita manifestè, ut in monstro, de quo dubitatur si sit una persona, vel dua.* His ita præmissis.

XV. Nullus esset baptismus si unus ablueret & alter verba proferret.

Respondet Doctor, quòd quando plures simul baptizant, ita ut unus verba proferat alter abluat, Baptismus est nullus: *Dico*, inquit num. 5. *quòd utrôque seorsim aliquid faciente, & neutrô totum simul sic abluente, & proferente verba, nihil fit. Nec est alia ratio, nisi institutio Dei; qui, sicut voluit esse unum principale agens, ita voluit habere unum Ministrum in collatione integra Sacramenti.* Eandem ferè tationem profert S. Thomas, q. 67. art. 6. ubi ait: *Ex tali forma nos te baptizamus, exprimitur talis intentio, quòd plures conveniant ad Baptismnm conferendum; quod videtur esse contra rationem ministerii; homo enim non baptizat nisi ut Minister Christi, & vicem ejus gerens; unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum Ministrum, qui Christum repræsentet. Propter quod signanter Apostolus dicit Ephesiorum 4. Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma: & ideo contraria intentio videtur excludere Baptismi Sacramentum.*

XVI. Esset autem validus si omnes simul utrumque præstarent.

Si verò oterque simul abluat, & verba proferat, validus esset Baptismus; quia, inquit Doctor num. 2. *non est verisimile, quòd unus faciens annullet factum alterius: sed si tantùm unus eorum faceret, quod facit, factum esset: ergo nihil quod facit, factum est, aliô similiter faciente.* Signanter dixit *(similiter)* hoc est, dum uterqoe io eodem iostaoti physico simul absolvit materiam & formam; si quis enim priùs, quàm alter materiam & formam ministraret, solus ipse validè baptizaret, & actio alterius esset vera tebaptizatio.

Quod etiam docet S. Thomas locô mox laudatô, ubi scribit. *Si uterque diceret: Ego te baptizo, in nomine Patris, &c. tunc manifestum est, quòd ille, qui priùs verba proferret, daret Baptismi Sacramentum. Si autem omnino simul verba proferant, & hominem immergerent, vel aspergerent: uterque, quantum in se est, baptizaret: nec traderent aliud, & aliud Sacramentum, sed Christus, qui est unus interiùs baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret.*

Dices primò: Unus & idem effectus procedere nequit à duabus causis totalibus non subordinatis: sed si duo possent simul baptizare, Baptismus ille procederet à duabus causis totalibus adæquatis, nec invicem subordinatis: igitur, &c.

Respondet Doctor, num. 3. distinguendo majorem: Non potest procedere effectus à duabus causis totalibus, inducentibus formam effectivè, concedit: producentibus effectum duntaxat ministerialiter, negat: Baptismi autem effectus à duobus illis Ministris, producitur tantùm ministerialiter: nam solus Deus gratiam sacramentalem effectivè producit.

Vrgebis: Saltem uterque Minister inducit formam Baptismi, & ut sic sunt duæ causæ, & utraque totalis.

XVII.
Non tamen inde sequitur unum effectum produci à duabus causis totalibus.

Respondet Doctor ibidem, quòd si uterque abluat, neuter in abluendo est causa totalis: & hoc sive ablutio fiat immergendo (tunc enim movent corpus immersi unô motu causatô à virtute motiva amborum: & licèt alter posset illum motum causare, tamen quando simul movent, neuter utitur totâ suâ virtute motivâ, quâ posset eâ uti, sicut apparet, quando duo portant unum pondus, quod alter solus posset portare) sive fiat perfundendo, vel aspergendo, licèt uterque madefaciat aquâ à se infusâ, vel aspersâ; neuter tamen madefacit totâ illâ madefactione, quæ est per aspersionem amborum.

Instat ibidem Doctor: Uterque est causa totalis respectu prolationis verborum, & sic quantùm ad unam partem effectûs exterioris, qui est Sacramentum, erunt duæ causæ totales, & hoc est impossibile, ita de parte effectûs, sicut de toto.

Respondet, id vix contingere: quia, *inquit*, difficile est, quin alterius verba superfluant, ita quòd non sint per se pars unius Sacramenti: quia ponere duo ejusdem rationis esse partes unius, quod simpliciter esset perfectum, habendo alterum eorum pro parte, videtur superfluum. Quæ autem superfluant, & cujus proferentis, difficile est assignare: quia quâ ratione illa, & ista, & ita utraque, vel neutra, quia uterque æquè completè, & consimili intentione profert. *Ita Doctor.*

Quibus significat eo in casu, quòd duo simul in eodem instanti abluerent, & verba proferrent, esset duplex Sacramentum Baptismi, quia esset duplex signum sacramentale completum, & perfectum, intrinsecè, & essentialiter. Unde statim subdit: *Responsionem quære*, id est, quærat responsionem præfatæ objectioni, cui placet sententia asserens, quòd in tali casu non sunt plura Baptismata.

Vrgebis: Non potest una, & eadem persona duobus distinctis numerô Baptismatibus baptizari: igitur eo in casu non essent duo Baptismata.

XVIII.
Neque quod sint duo Baptismata.

Distinguo antecedens: Passivè, concedo: activè, nego: hoc est, eadem persona non potest reverà suscipere duplicem effectum ablutionis Baptismalis; ubi enim semel remissum est originale peccatum, non iterum remitti potest; quanquam duo concurrerent ad ministrandum Sacramentum, per quod fit talis remissio. Unde ibidem Doctor nu. 4. colligit, *Quòd Sacramentum Baptismi magis est baptizatio passiva, quàm activa, quia plurificatâ Baptizatione activâ, non plurificatur passiva, nec Baptismus, quia passiva est una. Istud autem illatum videtur probabile, quia baptizatus propriè suscipit Sacramentum, suscipit autem propriè ablutionem passivam, & non activam, nisi dicatur idem realiter.*

De tertio, & quarto membro distinctionis prædictæ, hîc non est sermo; quippe plures à pluribus, imò etiam & ab unico validè baptizari possunt, ut mox diximus: qualiter autem agendum sit circa monstrum ibidem disertè *num.* 7. aperit Doctor, ubi scribit: Dico, *inquit*, quòd si tempus haberi potest ad discernendum, an monstrum sit simpliciter una persona, vel duæ, de hoc haberi debet diligens inquisitio antequam baptizetur.

Quid sit agendum circa baptizationem monstri.

Sed unde. Vel ex partibus, *inquit*, corporis, putà si sint duo capita, vel duæ spinæ dorsi, vel principale indicium de cordibus; sed illud non potest esse faciliter evidens, dum vivit. Sed nec signum de duobus capitibus esset omnino certum: quia possibile esset aliquam cellulam in matrice esse perforatam per totum, præterquam in parte superiori, & tunc concurrerent partes seminis cadentes in diversis incastraturis matricis, pro tota parte inferiori, & tunc distinguerentur in parte suprema, & ibi formarentur duo capita, cùm tamen reliqua materia non sufficeret, nisi pro formatione unius personæ.

Breviter evidentissimum signum distinguendi, est per intellectus & voluntates: Si enim sunt duæ animæ, non est necessarium unam scire quidquid scit alia, & velle quidquid vult alia: tamen rarò, vel nunquam accidit; quòd sint duæ animæ, quin sint duo capita, vel duæ partes principales capitis, licèt non è converso. Et si quô modô possit deprehendi diversitas intellectuum in intelligendo, putà quòd per aliquod signum deprehenderetur idem sciri, & nesciri: vel possit deprehendi diversitas voluntatum, putà quòd esset ibi velle, & nolle de eodem, absque dubitatione tenendum esset, quòd essent ibi duæ animæ.

Sed istud non potest judicari, nisi de monstro adulto, quale ponitur fuisse in Francia habens duo capita, quorum unum expressit nolle de eo, de quo aliud expressit velle. Unum enim voluit continere, & sobriè vivere; & aliud lascivire, & epulari: & cùm unum per os suum excederet, reliquum clamabat se gravari. *His præmissis de signis unius, vel duplicis personæ in monstro, hanc statuit Doctor resolutionem.*

De tali monstro dico, quòd si certitudo potest haberi, & sint partes, de quibus patet, quòd pertinent ad distinctas personas, separatim perfundi deberet ista pars, & illa, cum iteratione formæ in singulari super utrumque. Si autem certitudo haberi non possit, baptizandus est saltem in illis partibus, quæ principaliter pertinent ad unum, cum forma in singulari: & secundò abluendæ sunt aliæ partes, quæ non videntur principaliter pertinere ad illum primum, & hoc cum forma, quæ servanda est in illis, de quibus est dubium, quæ ponitur extra de Baptismo, & de ejus effectu, capite *de quibus*. Sed de monstro satis.

Quæstio Secunda.

Quinam, & quomodo teneantur ad Baptismum suscipiendum?

I.
Duplex est necessitas medii ad finem supernaturalem, nempe *medii & præcepti*.

NOtandum primò, ad finem sopernaturalem consequendum, aliquod medium dici posse necessarium duobus modis. *Primò* quidem necessitate *præcepti*; quando videlicet aliquid est faciendum, vel habendum in ordine ad consecutionem alicujus finis; non quòd finis ille nequeat haberi sine ejusmodi re præcepta; sed quia res illa præcipitur fieri, ut finis obtineatur; ita quòd illius contemptus esset peccatum, ratione cujus finis non posset obtineri. *Altera* verò est necessitas *medii*, quando scilicet aliquid ita ordinatur ad consecutionem alicujos finis, ot eô non positô, finis non possit obtineri. Cæterùm inter utraoque illam necessitatem hæc intercedit differentia, quòd posterior nullam admittat excusationem; prior verò excusationem patiatur, putà quando præceptum invincibiliter ignoratur, vel non potest executioni demandari propter aliqoam causam legitimam. Quærimus itaque an hôc otrôque modô Baptismus sit necessariò habendus ab omnibus omnino hominibus, tam parvulis, quàm adultis, ut beatitudinem æternam obtinere possint.

II.
Status controversiæ de baptismo parvulorum.

Notandum secundo, qood etsi omnes fateantur baptismum suppleri posse tam in parvulis, quàm in adultis per Baptismum sanguinis, seu per martyrium reipsà toleratum: attamen non levis inter Catholicos, & hæreticos movetur controversia de necessitate Baptismi respectu parvulorum, ubi non adest occasio subeundi martyrii: *quidam* enim hæretici negant absolutè infantes esse capaces suscipiendi Baptismatis ante osum rationis; & idcirco *Anabaptistæ* solitò vocantur: *Nonnulli*, ut Beza in quæstionibus de Sacramentis, qu. 12r. & Hunnius Lutheranus opusculô de Sacramentis, cap. 11. negant infantes Judæorum, Mahumetanorum, & Gentilium, esse capaces Sacramenti Baptismi, quandiu sunt in infantia. Calvinus autem in suo Commentario ad illa verba capitis tertii S. Joannis: *Nisi quis renatat fuerit ex aqua, & Spiritusancto, &c.* negat Baptismum esse omnibus necessarium necessitate medii, tam parvulis, quàm adultis; maximè verò respectivè ad parvulos parentum fidelium, qoos vult esse justificatos, & adoptatos à Deo antequam etiam nascantur; ait enim lib. 4. Instit. cap. 15. num. 20.

Quæ sit hac de re Hæreticorum sententia.

Infantes nostros antequam nascantur, se adoptare in suos pronuntiat Deus, cùm se nobis in Deum fore promittit, seminique nostro post nos: hôc verbô continetur eorum salus.... Quantùm damni invexerit dogma illud malè expositum, Baptisma esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt; ideóque minùs sibi caveat: nam ubi invaluit opinio, perditos esse omnes, quibus aquà tingi non contigit, nostra conditio deterior est, quàm veteris populi, quasi restrictior esset Dei gratia, quàm sub lege; venisse enim Christus censebitur, non ad implendas promissiones, sed abolendas: quando promissio, quæ tunc ante octavum diem salutis conferenda per se erat satis efficax, nunc absque signi adminiculo rata non esset.

Maximè Calvini.

III.
Baptismus potest intelligi necessarius parvulis tribus modis.

Notandum tertiò, necessitatem Baptismi, maximè respectu infantium posse intelligi tribus modis: *Primò* quidem de absolutè, & extraordina-

A tiâ Dei potentiâ, quasi Deus non posset aliter parvulos, quàm per Baptismum salvare: de hoc autem sensu nulla est inter Theologos difficultas; omnes enim conveniunt Deum posse eos, vel aliô remediô, vel ex mero suæ misericordiæ beneplacito mondare ab originali; & ad æternam beatitudinem promovere. *Secundus modus* intelligitur de lege communi, & ordinaria, utrum videlicet parvulis, quibus non potest ministrari Baptismos, non possit alterô mediô subveniri, videlicet per remedium legis naturæ, respectivè ad infantes Gentilium, vel Circuncisionis, per ordinem ad infantes Judæorum, vel orationis, voti, aot alicujus pij operis Parentum fidelium, B quibus servari possent eorum parvuli, dum Baptismus aquæ non potest eis adhiberi. *Tertius* denique modus intelligi potest de aliqua lege speciali, utrum videlicet ex aliquo singulari privilegio Dei, infantes aliqui interdum salventur sine Baptismo aquæ realiter suscepto, Deô supplente ejus defectum propter orationes, & vota Parentum, qui non possent Baptismum suis parvulis procurare.

Status quæstionis.

Hîc itaque tria maximè occurrunt determinanda: *Primum*, quòd omnibus omnino hominibus, tam adultis, quàm parvulis baptismus sit necessarius necessitate medii in re, vel in voto: *Secundum*, quòd parvuli tam Fidelium, quàm infidelium sint capaces soscipiendi Baptismum: C *Tertium*, quòd non possit ipsis parvulis alterô mediò, & remediô nunc subveniri.

Conclusio Prima.

IV.
Baptismus est omnibus omnino necessarius ad salutem.

B*Aptismus est necessarius necessitate medii omnibus hominibus, tam adultis, quàm parvulis.* Hæc est de fide determinata in Conciliis Milevitano & Carthaginensi, ut constat ex S. Augustino epist. 90. & 92. & ex Tridentino, sess. 7. Can. 5. *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Colligitur aotem hujus conclusionis veritas ex illis verbis Christi D. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* D Quibus verbis Christus D. significat post promulgatam legem neminem posse salutem æternam consequi, nisi fuerit aqoâ Baptismi renatus. Quam utique veritatem apertè docuit Tertullianus lib. de Baptismo cap. 12. ubi ait, *Præscribitur nemini sine baptismo competere salutem ex illa maximè pronuntiatione Domini, qui ait, nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam.* Unde cap. sequenti loquens de iis, qui asserebant fidem sufficere ad salutem: *Hîc ergo*, inquit, *scelestissimi illi provocant quæstiones, adeo dicunt: Baptismus non est necessarius, quibus fides satis est: nam & Abraham nullius aquæ, nisi fidei Sacramentô Deo placuit.* Respondet: *Fuerit salus retrò per fidem nu-* E *dam ante Domini Passionem, & Resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in Nativitatem, Passionem, Resurrectionemque ejus, addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodò fidei, quæ retrò erat nuda*: quibus verbis Tertullianus non obscurè convellit impiam illam Calvinistarum assertionem, quâ contendunt hominem per fidem posse justificari etiam sine Baptismo.

Eandem veritatem ex eodem Christi D. oraculo elicit S. Ambrosius libro 2. de Abraham cap. 11. ubi proferens præfata verba S. Joannis: *Nisi quis renatus, &c.* ait: *Utique nullum excipit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.* Ipsi sub-

scribunt cæteri SS. Patres. S. *Hieronymus* dialogo contra Pelagianos. *Gregorius Nazianz.* orat. in sanctum Baptisma: *Basilius* exhortatione ad baptismum: sed maximè epist. 18. ad S. Hieronymum, ubi scribit: *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò, & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam; ubi propereà cùm baptizandis parvulis festinatur, & curritur, sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari non posse.* Et lib. 3. de origine animæ cap. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam delictorum, si vis esse Catholicus.*

Maximè parvulis.

Hanc autem veritatem ita apertam agnoverunt Pelagiani, ut licèt negarent Baptismum necessarium ad delendum originale peccatum, quod utique non admittebant, illius tamen summam necessitatem ad consecutionem regni cælestis constanter propugnarent, ut pluribꝰ testatur sanctus Augustinus, maximè lib. 1. operis imperfecti contra Julianum cap. 53. ubi refert verba Juliani ita scribentis: *Nos igitur in tantùm gratiam Baptismatis omnibus utilem confitemur, ut cunctos, qui illam non necessariam etiam parvulis putant, æternò feriamus anathemate.* Unde idem S. Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli, cùm dixisset cap. 7. Pelagianum alloquens: *Quia parvulus non baptizatus non intrat in regnum cælorum, & tu dicis, & ego. Illi igitur communi adversario, qui dicit non baptizatum parvulum intraturum in regnum cælorum, resistamus ambo, & adversus ejus insidiosissima jacula scutum fidei proferamus.* Subdit cap. sequenti: *Ecce simul dicamus huic homini, Christianus es? Christianus, inquit. Audi Evangelium, qui vis non baptizatos parvulos mittere in regnum cælorum, audi Evangelium; nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei, Domini sententia est: huic non resistit, nisi non Christianus.*

Ut etiam fatebantur Pelagiani.

Reponit Danæus Calvinista ad caput 4. Bellarmini de Baptismo, ex hoc S. Joannis oraculo non colligi Baptismum aquæ esse absolutè necessarium; quia, *inquit*, hæc particula *(&)* debet sumi pro disjunctivis *(aut, vel)* quasi sensus Christi D. sit ille: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, vel Spiritu sancto, salvus non erit; ita quòd duplex sit medium salutis, unum regenerationis per aquam Baptismi, alterum regenerationis per gratiam Spiritûs sancti.

V. Præcluditur Calvinistarum evasio.

Contra primò, omnes SS. Patres accipiunt particulam *(&)* non disjunctivè, sed copulativè, ut videre est apud S. Cyprianum epist. 72. & 73. S. Ambrosium lib. de Spiritu S. cap. 11. sanctum Augustinum tract. 11. in Joannem; itaut aqua, & Spiritus sanctus requirantur ad regenerationem spiritualem.

Secundò, si vera esset hæc Calvinistarum responsio, sequeretur quòd posset fieri regeneratio spiritualis per solam applicationem aquæ elementaris, cum exclusione Spiritûs sancti; nam ubi duo præcipiuntur, & dicuntur necessaria solummodò sub disjunctione, sufficit quòd alterutrum adhibeatur ad consecutionem illius, ad quod ordinatur, & præcipitur; neque est necesse simul utrumque collectivè facere; hæc enim est natura & conditio præcepti disjunctivè facti, ut alterutrâ ex rebus præceptis adhibitâ, fiat satis ejusmodi præcepto, ut patet per inductionem in omni lege disjunctiva; igitur si in verbis Christi particula (&) disjunctivè sit accipienda, consequens erit, quòd quemadmodum juxta Calvinistas, spiritalis regeneratio ibi assignata per hunc terminum, *Spiritu sancto*, est sufficiens, seclusâ ablutione exteriori, etiam in voto & affectu; pari ratione sola exterior ablutio exclusô etiam Spiritu sanctô, erit sufficiens ad regenerationem spiritualem, & consecutionem beatitudinis, quô nihil absurdius excogitari potest.

Tertiò denique si Baptismus non sit absolutè necessarius parvulis ad consequendam æternam salutem, maximè quia, ut suprà diximus ex Calvino *in tertio Notabili*, fidelium parvuli inseruntur in Christo virtute suæ propagationis à parentibus fidelibus: at hoc apertè falsum esse constat, non solùm authoritate SS. Patrum, qui, ut mox diximus, absolutè pronuntiant, Baptismum omnibus parvulis esse necessarium ad salutem: sed etiam ratione.

Vel enim illa spiritualis generatio fit immediatè à Deo sine ullo Sacramenti adminiculo intuitu fidei parentum; *vel* intuitu fœderis, quod Deus pepigerat cum Abrahamo, ejusque posteritate, his verbis Genes. 17. *Statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis: fœdere sempiternô.* Cui utique pactô succedunt fideles in nova lege, ut indicat Apostolus ad Rom. 4. & ad Galat. 3. dicens: *Eos qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ, & eos tantùm esse benedicendos cum fideli Abraham.* Sed neutrum dici potest: *Non quidem primum*, quia ipsimet Calvinistæ cum Beza quæst. 126. de Sacramentis id apertè negant; docet enim Beza regenerationem illam fieri duntaxat interveniente fide piorum parentum, virtute cujus pietatis fit, ut nati, vel nascituri infantes censeantur in fœdere.

VI. Falsum est filios fidelium renasci in Christo vi suæ propagationis.

Non etiam secundum, quia juxta Calvinistas falsum est, eos omnes, qui sunt prognati ex parentibus fidelibus etiam sanctissimis, pertinere ad istud fœdus, ut expressè tradit Beza ibidem q. 123. Quod utique confirmat exemplô Esaü, nec-non & quotidianâ experientiâ: ergo fateantur necesse est falsum esse eô ipsô quô infantes nascuntur ex parentibus fidelibus, illos esse sanctos, nec indigere Baptismô aquæ, ut regenerentur in Christo?

Confirmatur quia si ratio formalis illius sanctificationis infantium, esset petenda ex eo quòd sint prognati ex fidelibus parentibus, consequens esset, quòd talis insitio in fœdus Christi D. & sanctitas ei correspondens, deberet reperiri in omnibus infantibus, qui nascuntur ex parentibus fidelibus, quod cùm Calvinistæ non admittant, nec etiam debent aliud admittere.

Neque eis quidpiam suffragatur præfatus textus Genesis: quamtumvis enim intelligatur de semine spirituali Abrahæ, non esset inde consequens parvulos fidelium sanctificari posse absque Baptismo: imò contrarium potius inde sequitur; quemadmodum enim in Mosaïca lege nemo censebatur spirituale semen Abrahæ absque circuncisione aut alio remedio quô elueretur originale peccatum; sic in lege Evangelica nullus reputari debet de semine Abrahæ, quin mundatus fuerit ab eodem peccato per baptismum: *Insuper* sicut non obstante propagatione à Parentibus fidelibus, necessariò parvuli Judæorum erant circuncidendi; ita & nunc sunt necessariò baptizandi.

Objiciunt primò illud Christi D. Matth. 19. *Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum*: ergo, inquiunt, sine Baptismo pueri possunt salvari.

VII. Quomodo parvuli dicantur habere jus ad regnum cœlorum.

Nego consequentiam: Siquidem Christus D. ibi loquebatur de parvulis Judæorum, ac aliorum fidelium, qui justificati erant per Sacramentum Circuncisionis, aut remedium legis naturæ.

Deinde, hæc Christus D. protulit, ut significaret parvulos illos ratione ætatis nihil habere malitiæ actualis, quod eos excludat à regno cœlorum, sicut habent adulti, quibus parvulos illos opponit. Vel dico cum S. Augustino lib. 1. de peccatorum meritis cap. 19. Quòd parvulorum vitam laudaverit Dominus, dicens talium esse regnum cœlorum, cùm verax sit ille intellectus, quòd humilitatis similitudinem in parua ætate posuerit.

Objiciunt secundò, illud sancti Pauli 1. ad Cor. 7. ubi parvulos à fidelibus genitos vocat sanctos, dicens: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*: igitur parvulis ex fidelibus natis, Baptismus non est necessarius.

VIII. Quâ ratione filii Parentum fidelium dicantur sancti.

Nego consequentiam, primò, quia Apostolus non dicit eos filios esse ex utero, vel ab utero matris sanctos, quod tamen hæretici prætendunt. Contrarium enim apparet ex eodem Apostolo, dicit enim ad Romanos 9. de Jacob & Esaü, licèt oriundis ex parentibus fidelibus, & sanctis: *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni personalis egissent aut mali (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esaü autem odiò habui.* Quærit autem sanctus Augustinus epist. 105. *Quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Et lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. *Non odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esaü peccatorum.*

Insuper idem Apostolus ad Ephes. 2. de seipso testatur: *Eramus*, & nos *natura filii iræ, sicut & cæteri*: reverà tamen ipse natus erat ex parentibus fidelibus, ut ipse significat ad Galat 1. his verbis: *Proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum.*

Denique quâ ratione Apostolus dicit filios fidelium esse sanctos, eâdem dicit sanctificari virum infidelem per mulierem sanctam, & vice versâ: Sed, inquit S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26. expendens eandem Apostoli sententiam: *Non, opinor, quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit uxor ejus, neque jam baptizari oportere, & ad peccatorum remissionem jam pervenisse, & in regnum cœlorum esse intraturum; quia sanctificatus dictus est in uxore.* Unde concludit lib. 3. cap. 12. *Illud sine dubitatione tenendum est, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christianâ & Ecclesiasticâ institutione, & Sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles, quamtumlibet sanctis & justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnatione Dei venire compellit: nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati, pro quibus tantò impensiùs loqui debemus, quandò pro seipsis minùs possunt.*

Censeo itaque dicendum cum S. Augustino lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26. Apostolum loqui de sanctificatione aliqua externa; quemadmodum idem Apostolus dicit 1. ad Timoth. 4. cibos, quibus ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ alimur, sanctificari per verbum Dei, & orationem, quâ oramus, nostra corpuscula refecturi; sicut etiam omnia alia, quæ junguntur rebus sacris, aliquô modô sanctitatem mutuantur, seu sancta reputantur, juxta illud Rom. 11. *Quod si delibatio sancta est, & massa; & si radix sancta, & rami.* Quod utique optimè explicat subtilis Doctor dist. 4. quæst. 3. num. 4. ubi scribit: *Quòd fructus in quantùm est aliquid arboris, sequitur conditionem arboris: tamen in quantùm est aliquid in se, potest habere conditiones oppositas arbori in se: potest enim fructus esse mollis, & arbor dura. Sic in proposito, quia justitia & injustitia respicit personam in se, non ut conjunctam, vel divisam localiter, respectu alterius personæ: & ideo justitia potest competere proli licèt non matri, & è converso.*

Objiciunt tertiò: Si parvuli debeant necessariò baptizari, ut salutem consequantur, maximè quia Christus D. dixit: *Nisi quis renatus fuerit*, per quam sententiam videtur obstringere omnes omnino homines ad suscipiendum Baptisma: sed ita non est: Tum, quia in novo Testamento plures sine Baptismo aquæ salvi facti sunt, ut constat de Zacharia, Elizabeth, Anna, & Simeone: Tum, quia non minùs universaliter Christus D. dixit Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis.* Et tamen in hac generali sententia parvulos non comprehendimus; igitur nec comprehendi debent in sententia priori.

IX. Non eadem est obligatio suscipiendæ Eucharistiæ ac Baptismatis.

Nego minorem: & ad primam ejus probationem dico, omnes illos sanctos vixisse, & mortuos fuisse ante consummationem Novi Testamenti per mortem Christi Domini, & consequenter priusquam Baptismus aquæ fuerit necessarius hominibus necessitate medii ad salutem consequendam. Nec refert, quòd illa verba; Nisi quis renatus fuerit, protulerit Christus D ante suam mortem: non enim illa dixit pro illo tempore, quô tunc loquebatur cum Nicodemo, sed tantùm pro eo tempore, quô sufficienter promulgata esset lex Evangelica.

Ad secundam autem dico, non esse paritatem inter utrumque Christi D. oraculum, quantùm ad universalitatem obligationis; siquidem pueri sunt capaces regenerationis spiritualis, ad quam ordinatur Sacramentum Baptismi; non verò nutritionis spiritualis, ad quam ordinata est Eucharistia; nutritio enim spiritualis est instituta ad restaurandum id omne, quod per quotidiana peccata deperditur de viribus spiritualibus: quæ utique deperditio cùm locum non habeat in parvulis, etiam nec in ipsis locum habere debet spiritualis nutritio.

Conclusio Secunda.

X. Parvuli omnes sunt capaces baptismi suscipiendi.

PARVULI *sive fidelium, sive infidelium sunt capaces Baptismi suscipiendi.* Hæc est de fide, determinata in Conciliis Carthaginensi quinto, Milevitano secundo can. 2. Gerundensi, can. 5. secundo Brachatensi, can. 7. Viennensi, ac Lateranensi sub Innocentio III. ut refertur cap. firmiter de summa Trinitate his verbis: *Sacramentum*

verò Baptismi.... tam parvulis quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocunque ritè collatum proficit ad salutem: Et novissimè Tridentino sess. 7. can. 13. his verbis: *Si quis dixerit parvulos eò, quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter Fideles computandos non esse; ac propterea cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos: aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non actu propriò credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.*

Ita enim definitur in Conciliis

Colligitur hæc veritas è Scriptura sacra, illis videlicet locis, quibus dicuntur familiæ integræ baptizatæ, Sic *Actor.* 16. *v.* 5. de Lydia dicitur: *Cùm autem baptizata esset, & domus ejus.* Et ibidem versu 33. de custode carceris, in quo reclusus fuerat sanctus Paulus dicitur: *Baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuò.* Et 1. ad Corinth. 1. *Baptizavi Stephana domum.* Quis autem prudenter dubitet in istis familiis universim baptizatis, fuisse aliquos parvulos ab Apostolis Baptismò initiatos? igitur parvuli reverà sunt capaces Baptismi.

Elicitur ex S. Scripturis.

Eandem veritatem definierat Innocentius III. cap. *Majores*, ubi ait: *Cùm ergo Circumcisio tam adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferretur: ne Baptismus, qui successit locò ipsius, & generalior tamen existit, cùm tam viri, quàm fœmina baptizentur, minoris videatur effectûs, tam adultis, quàm parvulis est conferendus.*

Idem docent SS. Patres, Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. ult. Irenæus lib. 2. cap. 39. ubi signanter ait: *Salvari omnes, qui renascuntur in Christo, infantes, pueros, juvenes, &c.* Origenes in cap. 6. *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis dare Baptismum.* Idem docet sanctus Augustinus (ut cæteros omittam) lib. 4. de Baptismo, cap. 23. ubi scribit; *Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui certè non possunt credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit; quin etiam flendo & vagiendo, cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt: & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari.*

Docetur à SS. Patribus.

Suffragatur etiam ratio: Tum, quia parvuli salvari possunt, ut constat ex illo Matth. 19. *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum:* Tum, quia innocentes occisos, ut Sanctos & Martyres colit Ecclesia: Tum denique, quia possunt esse participes peccati Adami: ergo etiam & gratiæ Christi; sed, ut dictum est in priori conclusione, nullus post sufficienter promulgatam legem Evangelicam salvari potest sine Baptismo: igitur Baptismus ipsis parvulis reverà potest prodesse.

Ratione suadetur.

Dices primò: Christus D. suos Apostolos delegans ad prædicandum Evangelium, ait Matth. 19. *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos, &c.* Unde sic argumentari licet: Illi soli sunt capaces suscipiendi Baptismatis, qui sunt capaces suscipiendæ doctrinæ; priùs enim docere debent Ministri, quàm baptizare; ac subinde baptizandus priùs doceri debet, quàm baptizari: sed parvuli ante usum rationis non sunt capaces doctrinæ: igitur nec Baptismi.

Confirmatur. Priùs quis credere debet mysteria fidei, quàm baptizetur; ait enim Christus D. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit;* ubi fidem vult præmitti, quasi necessariam Baptismo; unde S. Hieronymus in præfatum textum Matth. ait: *Non potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem:* sed pueri non possunt credere: ergo nec baptizari.

Respondeo hoc utrumque Christi D. oraculum intelligendum esse de adultis, in quibus baptizandis hunc ordinem servari voluit, ut priùs instruerentur de rebus fidei quàm baptismum susciperent; nam *Marci* 16. antè dixerat *prædicate Evangelium omni creaturæ*, utique adultis ad quos instruendos & baptizandos eos delegat, quatenus videlicet susceptâ instructione parati sint ad credenda fidei mysteria priusquam baptizentur. Quamquam nec in adultis requiratur actus fidei ad valorem baptismi, ut patebit infrà, sed sufficiat quòd suscipiant Fidei divinitùs infusæ habitum, cujus etiam parvuli sunt capaces; ac proinde credunt saltem habitualiter, & fidem profitentur, si non per actum fidei, saltem per susceptum fidei sacramentum.

XI. Non est eadē obligatio audiendæ doctrinæ ac suscipiendi baptismi Christi D.

Ita præfatum textum explicat Innocentius III. ut refertur cap. *Majores.* ubi cùm dixisset authoritatem illam 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, intelligendam esse tantùm *de adultis qui habent multitudinem peccatorum, non de parvulis qui peccato tantùm originali tenentur,* statim subdit, *similiter & illa authoritas est solvenda: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. cùm non possint credere parvuli, sed adulti: ne ad alios prima, & ad alios secunda clausula referatur. Quamvis nonnulli concedant, quod parvuli credunt non per usum, sed per habitum fidei, quem suscipiunt in Baptismo: sicut & alia multa verba, secundùm communem usum loquendi non ad actum, sed ad aptitudinem referuntur.*

Hunc utrumque intellectum exprimit Doctor subtilis suprà respondens ad hoc argumentum Marci ultim. *Qui non crediderit, condemnabitur:* Parvulus non potest credere: ergo per Baptismum non potest salvari: ergo frustra baptizatur. *Ad aliud*, inquit, *patet, quod debet intelligi de adultis per illud, quod præcedit.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit. *Vel potest dici, quòd qui non crediderit, nec actu, nec habitu, condemnabitur; quia secundùm Apostolum* Hebræor. 11. Sine fide impossibile est placere Deo, &c. *Parvuli autem, etsi non possint habere actum, possunt tamen habere habitum.*

XII. Quare non sit eadem necessitas fidei ac baptismi.

Vel aliter responderi potest cum S. Augustino lib. 1. operis imperfecti contra Julianum, cap. 56. quòd sicut parvuli sunt rei per alienam voluntatem, nempe Adami; sic etiam sunt fideles per alienam fidem, dum videlicet credunt per patrinos pro ipsis respondentes, & stipulantes. *Quoniam*, inquit, *verum est, quod per alios credunt (propter hoc enim, & fideles per totam Ecclesiam nuncupantur) profectò non pertinent ad illud, quod ait Dominus:* Qui autem non crediderit condemnabitur: *Condemnabuntur ergo si per alios non credant, cùm per seipsos non valeant credere.* Vel, ut clariùs hanc veritatem explicat serm. 14. de verbis Apostoli, cap. 11. *Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credis in Jesum Christum, fit interrogatio: respondetur, credit, pro non loquente, pro silente, & flendo quodam modò, ut subveniatur orante, respondetur, & valet. Absit à cordibus qualiumcunque Christianorum: ergo respondetur, & valet. Conspiratione quâdam communicat Spiritus, credit in altero, quia peccavit in altero.*

Dices secundò: Baptizati tenentur ad observantiam legis Evangelicæ: sed infantes sunt incapa-

ces ejuſmodi obligationis, & obſervantiæ: igitur A & Baptiſmatis.

Diſtinguo minorem: Sunt incapaces illius obligationis, pro tempore quò baptizantur, & antequam adoleverint, concedo: ubi perveneruot ad adultam ætatem, nego: Unde Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 14. *Si quis dixerit ejuſmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur pollicitis ſunt, & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec aliâ interim pœnâ ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, anathema ſit.*

Conclusio Tertia.

XIII. Exploditur Calvini ſimul & Cajetani ſententia.

P*Oſt ſufficientem Evangelicæ legis promulgationem nullum eſt* (ſi martyrium excipias) *aliud remedium originalis peccati eluendi, nec medium conſequendæ ſalutis de via ordinaria, quod prodeſſe poſſet parvulis ſive fidelium, ſive infidelium etiam in neceſſitate conſtitutis, præter Baptiſmum.* Hæc eſt communis Catholicorum doctrina contra non ſolùm Calviniſtas, ſed etiam contra Cajetanum, qui in Commentario ad quæſt. 68. art. 2. docet: deficiente opportunitate baptizandi parvulos, votum Baptiſmi à parentibus, aut ab aliis conceptum eis ſufficienter prodeſſe ad ſalutem; quod ibidem ſic explicat, dicens: *Debet autem in tali caſu parens ſignô crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, ſicque Deo offerre morientem in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Et ſuper articul. 11. addit: *Parvulos in maternis uteris periclitantes poſſe ſalvari per Sacramentum Baptiſmi; non in re, ſed in voto Parentum ſuſceptum cum aliqua benedictione prolis, ſeu oblatione ipſius ad Deum cum invocatione Trinitatis.* Quod utique Commentarium juſſu ſancti Pii V. ſummi Pontificis expunctum fuit ex Scriptis ipſius Cajetani.

Authoritate S. Scripturæ.

Patet hujus concluſionis veritas ex dictis in prima concluſione, ubi oſtendimus neceſſitatem Baptiſmi generalem eſſe, & ad omnes omnino homines, cujuſcunque ætatis & ſortis ſint, pertinere. *Probatur* inſuper ex illo 1. Petri cap. 3. ubi comparat neceſſitatem Baptiſmi aquæ cum arca Noë; *In qua,* inquit, *pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimilis formæ, ſalvos facit Baptiſma.* Quò loci duæ particulæ ſunt obſervandæ, *nunc, facit*: nam S. Petrus confert tempus ab Evangelio Chriſti D. promulgato, ſeu tempus legis Chriſtianæ cum tempore Noë, & Baptiſmum aquæ, cum arca Noë per aquam elevatæ; itaut ſicut tempore Noë, illi ſoli ſalvi facti ſunt à diluvio aquarum, qui in ejuſmodi arca recludebantur; cæteri verò perierunt: ſic ab Evangelii promulgatione ſolemni, quæ jam facta erat, dum hæc ſcriberet S. Petrus, nullus ſalvari poteſt (ſi martyrium excipias) niſi Baptiſmum in re, vel in voto ſuſceperit.

Sic enim hunc S. Petri textum intellexerunt S. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum, cap. 14. ubi ſcribit: Noë cum ſuis per aquam, & lignum liberatur, ſicut familia Chriſti per Baptiſmum crucis paſſione ſignificatum: Et ſanctus Hieronymus epiſt. 57. quæ eſt ad Damaſum ſummum Pontificem, ubi loquens de Eccleſia Catholica & Romana, ait: *Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus erit: Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluviô.*

2. Authoritate SS. Patrum.

Confirmatur authoritate SS. Patrum, maximè S. Ambroſii lib. de vocatione Gentium, cap. 8. *Non eſt fas credere,* inquit, *parvulos, qui regeneratione non ſunt adepti Sacramentum, ad ullum pertinere Beatorum conſortium, cùm Dominus dixerit,* Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Similia docet ſanctus Auguſtinus variis in locis, maximè lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 23. ubi ait: *Nulla ex arbitrio noſtro ſalus æterna præter Baptiſmum Chriſti, promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus ingeniis præferenda.* Similiter S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 26. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm homines jam ratione utentes, verùm* B *etiam parvulos, qui ſive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur: ſive cùm de matribus nati, ſine Sacramento S. Baptiſmatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, de hoc loco tranſeunt, ignis æterni ſempiternô ſuppliciô puniendos.*

Idem docet ſanctus Bernardus epiſt. 77. ubi expreſsè ait eô ipsô tempore, quô hæc ſcribebat, nullam poſſe proferri rationem, quin Baptiſmus eſſet neceſſarius etiam infantibus; *Nunc verò,* inquit, *cùm in omnem terram exierit ſonus prædicationis, & in fines orbis terræ verba eorum: quia diſſimulare non valet auditus, profectò inexcuſabilis eſt & contemptus.* Nec obſtat, quòd loquens C de tempore ſubſequente promulgationem Evangelii per Apoſtolos, videatur relinquere judicio Dei, utrum tunc Baptiſmus fuerit abſolutè parvulis neceſſarius, *an verò ultra, penes Deum eſt, non meum definire.* Hoc, inquam, non obſtat: paulò enim infrà ſcribit de infantibus natis poſt prædictam promulgationem Evangelii ab Apoſtolis factam: *Sanè infantes, qui hac prohibente ætate non poſſunt habere fidem, hoc eſt cordis ad Deum converſionem, conſequenter nec ſalutem, ſi abſque Baptiſmi perceptione moriantur.*

Objicit primò, Calvinus lib. 4. inſtitutionum cap. 15. nu. 20. Non eſt deterior conditio Chri- D ſtianorum, quàm veteris populi; nec reſtrictior Dei gratia ſub Evangelio, quàm ſub lege; alioquin Chriſtus veniſſe cenſebitur, non ad implendas promiſſiones, ſed abolendas, nec ad ſalvandos homines, ſed damnandos: ſed non obſtante præceptô Circunciſionis in lege veteri, dum neceſſitas urgebat ante octavum diem nativitatis pueri, ſufficiebat illi ad ſalutem applicatio remedii legis naturæ, nempe fides parentum, teſtata per aliquod ſignum ſenſibile: ergo pari ratione, imò jure potiori in lege gratiæ, non-obſtante præceptô Baptiſmi, ſufficiet parvulo, qui non poteſt baptizari applicatio ejuſdem fidei, cum ſigno, & invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis.

XIV. Quare nunc non vigeant legis naturæ & ſcriptæ remedia.

Nego paritatem, & ratio diſcriminis eſt, quòd E cùm in lege veteri expreſsè prohibuiſſet Deus parvulum circuncidi ante octavum diem, conveniens erat, ut periclitantibus ante diem illum relinqueret applicandum remedium legis naturæ: ſecus eſt autem de lege gratiæ; cùm enim Deus voluerit Baptiſmum ita inſtitui, ut parvulis applicari poſſet, ſtatim ac in lucem eduntur, mirum videri non debet, ſi nullum aliud remedium ipſis applicandum reliquerit.

Nec inde ſequitur deteriorem eſſe conditionem parvulorum ſub lege Evangelica, quàm ſub Moſaica, aut naturæ; ſiquidem Baptiſmi remedium, non ſolùm efficacius eſt, ac longè uberiorem, & digniorem gratiam ſanctificantem confert; ſed etiam generalius eſt, quippe cùm in univerſa

Eccleſia

Nec tamen fit deterior conditio Christianorum quàm Judæorum.

Ecclesia totô orbe propagata administretur; necnon & faciliùs; siquidem aqua, quæ est materia Baptismi valde communis & longè facilius est abluere, ac paucula formæ Baptismalis verba proferre, quàm adhibere signum sensibile, & actum fidei supernaturalis, qui requirebatur ad remedium legis naturæ.

Adde quòd tunc temporis non poterat à tot hominibus subveniri parvulis, ac modô; siquidem remedium legis naturæ poterat duntaxat ministrari, & applicari per Fideles; Baptismus verò non solùm per Fideles, sed etiam hæreticos, Judæos, & Paganos potest administrari.

Nec etiam inde sequitur, quòd Christus venerit potius ad damnandos, quam ad salvandos homines; si nempe populi, & nationes omnes, quibus nondum prædicatum est Evangelium, nec innotuit necessitas suscipiendi Baptismi, priventur omni aliô remediô pro obtinenda remissione peccati originalis. Hoc, inquam, non sequitur: nam Americani v.g. & alii populi, quibus nondum annuntiatum est Evangelium, sive infantes, sive adulti, non ideò damnantur, quia Christus venit ad eorum damnationem; nec similiter propter fidem Christi non habitam, neque ob non excepta ejus Sacramenta, sed propter peccata tam originale, quàm actuale, cum quibus ex hac temporali vita discedunt; ut à simili docet S. Augustinus lib. de natura & gratia, cap. 2. ubi simile tractans argumentum, & expendens illa Apostoli verba ad Rom. 10. *Quomodo credent in quem non audierunt? aut quomodo audient sine prædicante? fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico, nunquid non audierunt? In omnem terram exivit sonus eorum, &c.* Subdit S. Augustinus: Sed antequam hoc inciperet fieri, antequam denique usque ad *fines* totius *orbis terræ* prædicatio ipsa perveniret; quoniam non desunt adhuc ultimæ gentes, licèt, ut perhibetur, paucissimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum; quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel antè non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in Deum, *qui fecit cælum & terram*, à quo & se factam naturaliter sentit, & rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nullâ fide Passionis Christi, & Resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus: *Ergo Christus gratis mortuus est?* Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Judæorum; quantò justiùs dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum? Si per naturam justitia, *ergo Christus gratis mortuus est*. Si autem non *gratis Christus mortuus est*: ergo omnis natura humana justificari, & redimi ab ira Dei justissima, hoc est vindicta, nullomodò potest, nisi per fidem, & Sacramentum sanguinis Christi.

Quomodo justè damnentur ii, quibus lux Evangelica nondum illuxit.

Optimè declarat S. Aug.

Et cap. 4. Unde hi qui non per illam liberantur, sive quia audire nondum potuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive etiam cùm per ætatem audire non possint, *lavacrum regenerationis*, quod accipere possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, justè utique damnantur: quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis motibus addiderunt: *Omnes enim peccaverunt*, sive in Adam, sive in semetipsis, *& egent gloriâ Dei*. Et *cap. sequenti*: Universa igitur massa pœnas debet, & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè procul dubio redderetur.... quis igitur usque adeo dementissimè insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiæ, quos voluit liberantis; qui rectè nullomodò posset culpare justitiam universos omnino damnantis. *Hæc S. August.*

Objicies secundò: Tandiu viget lex aut privilegium, quandiu illius revocatio non pervenit ad aures utentium: sed remedium legis naturæ est aliquod privilegium, seu quædam indulgentia, cujus revocatio nondum innotuit eis populis, quibus non est adhuc sufficienter prædicatum Evangelium: igitur apud eos adhuc vigere potest remedium legis naturæ.

XV.

Baptismi suscipiendi necessitas, irrita reddit alia remedia pro eluendo peccato originali, licèt non sit cognita.

Respondeo ad majorem, privilegia esse in duplici differentia; *alia* enim sunt, quæ conceduntur absque ulla limitatione temporis; *alia* verò, quæ santùm conceduntur ad tempus præfixum, & determinatum: quæ sunt prioris generis postulant quidem pro sua abrogatione, ut hæc abrogatio, & revocatio sufficienter innotescat iis, quibus privilegia illa fuerant concessa: secus verò est de privilegiis posterioris generis: quia eò ipsô, quod tempus illis præfixum effluxit, statim nullâ significatione, seu promulgatione factâ, cessant vigere.

Hujus autem generis erant privilegia, seu remedia tam legis naturæ, quàm Mosaicæ: Lex enim & Prophetæ usque ad Joannem, qui scilicet fuit ultimus Prophetarum veteris legis, & velut crepusculum, & aurora legis Evangelicæ. Unde Apostolus ad Galat. 3. *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen*, id est Christus. Quapropter ubi Christus advenit, & legem Evangelicam promulgavit, ac alia Sacramenta, & media ad salutem necessaria instituit, eô ipsô cessavit obligatio veteris legis, sicut & virtus omnium illius Sacramentorum. Unde Apostolus ad Hebr. 7. *Translatô Sacerdotiô necesse est, ut legis translatio fiat.*

Urgebis: Ex pluries dictis, lex non obligat ante promulgationem, vel receptionem: igitur lex Baptismi non eos obstringit, quibus nondum est sufficienter promulgata.

Distinguo antecedens: Non obligat per modum præcepti, & mandati, cujus omissio sit speciale peccatum, & imputetur ad culpam, & pœnam, concedo: non obligat per modum medii, seu remedii necessarii ad finem consequendum, nego: Eò enim ipsô, quòd à superiore aliquid ordinatur ut necessarium ad finem obtinendum; itaut eô omissô finis non possit obtineri, statim alia media fiunt inutilia. Unde præceptum de Baptismo suscipiendo non obstringit quidem eos, quibus nondum innotuit lex Evangelica; ita quòd illius omissio inducat novum aliquem reatum: sed necessarium est necessitate medii ad beatitudinem consequendam, itaut illô mediô omissô non possit salus obtineri.

Objicies tertiò: Ea voluntas, quæ ex parte sui liberi arbitrii sufficit ad peccandum, etiam sufficit ad justificandum: sed voluntas primi hominis est sufficiens infantibus, ut censeantur cum illo peccavisse: igitur etiam voluntas parentum sufficiens erit, ut per eorum vota, & eos affectus justificationem possint assequi.

Quare parentis voluntas sufficiat ad peccatum quò filius inquinatur;

Distinguo majorem: Si voluntas illa eôdem modô se habeat in esse moris, & liberi arbitrii, tam respectu boni promerendi alicui, quàm respectu mali eidem demerendi: quemadmodum erat voluntas primi hominis, qui in quantùm erat caput totius naturæ humanæ, omnes nostras

non verò ad remedium quò liberetur.

voluntates continebat moraliter respectu justi- A tiæ originalis nobis promerendæ, vel deperdendæ, concedo: si voluntas ita se non habeat, nego: contrarium enim apparet in ipsomet primo parente, cujus voluntas, & libertas, quamvis eadem esset in genere physico, dum peccavit, & dum pœnituit; quia tamen non erat eadem in genere moris, eò quòd quando pœnituit, non habebat rationem capitis generis humani, ideirco ejus voluntas, quæ sufficiens fuit, ut omnes ejus posteri ipsius peccatô inficerentur, non fuit ita sufficiens, ut per ejus pœnitentiam ab omni peccato mundarentur.

Quæstio Tertia.

B

Vtrum validè & licitè infantes infidelium nondum habentes usum rationis, invitis eorum parentibus, baptizare liceat?

I. Duplex est genus Infidelium.

NOtandum primò, Infidelium duplex esse genus, quorum aliqui nomen Christo dederunt in Baptismate, sed per hæresim, & apostasiam ab Ecclesia, & fide Catholica defecerunt; hæresis enim est quædam species infidelitatis, ut communiter docent Theologiæ principes: alii verò nusquam professi sunt Catholicam Religionem, nec per Baptismum facti sunt Ecclesiæ filii, & mystici Christi D. corporis membra, quales C sunt Gentiles, Judæi, Mahumetani, &c. De utrisque autem præsens movetur difficultas, utrùm videlicet non solùm validè, sed etiam licitè possint eorum pueri absque illorum consensu baptizari.

II. Non baptizati tripliciter sub-jici possunt principibus Christianis.

Notandum secundò, infideles non baptizatos, esse in triplici differentia; *quidam* enim eorum ita sunt sui juris, ut sub nullius Christiani Principis dominio vitam ducant: *aliqui* verò Principibus Christianis subjiciuntur, quantùm ad dominium civile, habentque jus civium in eis provinciis, & civitatibus, in quibus Christiani principes dominatum obtinent: *cæteri* verò ei subjiciuntur subjectione despoticâ & servili, qualis est eorum, qui jure belli, vel emptionis, vel aliô justô titulô fiunt mancipia Christianorum Prin- D cipum, eorumque authoritati serviliter subjacent. De hoc autem triplici infidelium genere quæritur, an ipsis invitis, & reclamantibus eorum pueri validè simul, ac licitè baptizari possint.

III. Infidelium filii variè considerari possunt.

Notandum tertiò, filios ejusmodi infidelium posse considerari, vel in extremo vitæ periculo, vel citra ejusmodi periculum. *Insuper*, eos posse in tali statu constitui, ut sive jure, sive injustè fuerint erepti parentibus, ita ut translati tur, ut nusquam suis parentibus infidelibus sint restituendi: *vel* eo in statu spectari possunt, ut post susceptum Baptismum suis statim infidelibus parentibus redderentur, sub eorum domi- E nio, cura, & educatione vitam tradu&turi.

Denique nomine infantium possunt intelligi non solùm illi qui nondum adepti sunt rationis usum, sed etiam illi, qui non sunt adhuc sui juris, sed subjiciuntur imperio, & committuntur tutelæ, & curæ, vel parentum, vel tutorum, de quibus omnibus præsens movetur difficultas in sequentibus conclusionibus determinanda.

Conclusio Prima.

IV. Validè possunt baptizari invitis parentibus.

FIlii quorumcunque infidelium invitis parentibus validè baptizari possunt. Hæc est communis apud Theologos, si nonnullos excipias contrarium affirmantes cum Durando, eamque apertè docet sanctus Augustinus epist. 23. quæ est ad Bonifacium, circa medium, ubi cùm dixisset: Of- " feruntur parvuli ad percipiendam spiritalem gra- " tiam, non tam ab eis, quorum gestantur mani- " bus, quamvis & ab ipsis si & ipsi boni fideles " sunt, quàm ab universa societate Sanctorum, " atque fidelium; ab omnibus namque offerri rectè " intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & " quorum sanctâ atque individuâ charitate ad com- " municationem S. Spiritûs adjuvantur: tota hoc " ergo mater Ecclesia, quæ in Sanctis est, facit; " quia tota omnes, tota singulos parit.

Subdit paulò infrà: Illud autem nolo te fallat, " ut existimes reatûs vinculum, ex Adam tractum " aliter non posse disrumpi, nisi parvuli ad perci- " piendam Christi gratiam à parentibus offeran- " tur. Cujus rationem anteà protulerat, dicens: " *Vt autem possit regenerari per officium voluntatis aliena, cùm offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus: non enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide: sed, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* Quasi diceret, quòd quemadmodum ad contrahendum peccatum originale, non exigitur consensus parentum, vel alicujus alterius præter Adami; ita neque ad remissionem originalis contracti requiritur consensus, aut fides cujusquam præter fidem Ecclesiæ, & consensum Ministri, nomine & authoritate Ecclesiæ, & Christi baptizantis; nam, inquit Apostolus ad Rom. 6. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis justitia accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum.*

Quia baptismi valor non pendet à voluntate offerentium.

Dices primò: Baptismus ille non potest esse validus, qui fit in injuriam & præjudicium parentum: sed talis esset baptismus filiorum, qui fieret contra eorum parentum voluntatem: igitur, &c.

Nego majorem: Siquidem actio illa non est intrinsecè injuriosa parentibus, nec sufficiens, ut irritus fit Baptismus; nam siquis Sacerdos baptizet parvulum hominis fidelis, vel insciô, vel repugnante Parocho, Baptismus ille fit cum ipsius Parochi injuria, nec minùs tamen est validus; unde quantumvis aliqua fieret injuria parentibus, dum ipsis invitis, eorum filii baptizarentur, Baptismus tamen non erit irritus. Quod utique confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quæ nusquam rebaptizat parvulos contra voluntatem parentum infidelium baptizatos: imò, dum potest, eos à parentibus abstrahit, & postquam adoleverint, ad fidei Christianæ, & Ecclesiæ præcepta servanda compellit; sicut decernit Innocentius III. cap. *Majores* de Baptismo: Oportet, *inquit*, ut fidem, " quam necessitate susceperunt, tenere cogantur, " ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam " susceperant, vilis ac contemptibilis habeatur.

V. Neque actio illa fieret cum injuria parentum.

Dices secundò: Non potest validè baptizari adultus contra propriam voluntatem: ergo nec parvulus contra voluntatem parentum.

Distinguo antecedens: Ex parte Sacramenti, nego: ex parte subjecti, ut sit capax medii ordinati ad salutem, concedo: statuit enim Deus omni-

VI. Quare potius parvuli possint validè baptizari contra voluntatem Parentū quàm adulti contra propriā voluntatem.

nem rationis compotem, justificari, nisi volentem, ut præclarè docet sanctus Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli, cap. 11. *Sine voluntate tua,* inqnit, *non erit in te justitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua, justitia non est nisi Dei. Esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam.* Et infrà: *Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te: ergo fecit nescientem, justificat volentem.* De parvulo autem, qui impotens est propriæ voluntatis, de verb. Apostoli serm. 14. *Ad verba,* inquit, *aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Christum? fit interrogatio, respondetur, credit. Deo non loquente, pro silente, flente, & flendo quodammodo ut subveniatur orante, respondetur, & valet.* A quo responderur? Ab offerentibus inquies. Quid si nullus offerat, sed solus Minister baptizet? Rectè intelligitur respondere *tota mater Ecclesia, quæ in sanctis est*; quia, ut mox diximus ex eodem S. Doctore epistolâ 23. *Tota omnes, tota singulos parit*, per voluntatem Ministri, suô & Christi nomine baptizantis. Valet itaque Baptismus parvulorum quorumcunque parentum, ipsis quantumcunque invitis & contradicentibus, si adsit legitima materia, forma, & intentio Ministri.

Concensio Secnnda.

VII. Filii baptizatorum, & infidelium mancipatorum Christianis baptizari possunt invitis Parentibus.

F*ilii hæreticorum, schismaticorum, nec non & eorum infidelium, qui sunt mancipia Christianorum, non solùm validè, sed etiam licitè baptizari possunt, invitis parentibus.* Hæc est communis quoad utramque partem, maximè quantùm ad primam: *Quia* Ecclesia potestatem habet vi compellendi omnes baptizatos ad observantiam legis Evangelicæ: eô enim ipsô, quô baptizati sunt, subjiciuntur Ecclesiæ potestati, atque jurisdictioni: ratione enim characteris baptismalis, sunt aliquateous ipsius mystici corporis membra; ac proinde compelli possunt, ut se-se cooforment moribus, & legibus, quibus mysticum illud corpus regitur. Unde Ecclesia semper probavit justissimas illas, ac sanctissimas Christianorum Principum sanctiones, quibus hæretici vel exilio, vel aliis pœnis subjiciebantur, nisi ad Ecclesiæ gremium se-se reciperent: ergo multò magis potest eorum filios ipsis invitis baptizare.

Secunda pars etiam constat; servi namque, seu mancipia subsunt dominio reali, unà cum suis filiis, iis sub quorum potestate mancipantur; itaur Dominus pro suo libito possit ejusmodi vel filios vendere, sicut & parentes, vel eos à parentibus distrahere: *Partus quippe sequitur ventrem*, & filii mancipiorum titulô nativitatis fiunt mancipia: igitur eorum dominus potest eos per Baptismum Ecclesiæ jurisdictioni subjicere.

Confirmatur, quia si quid obstaret, maximè esset dominium oaturale parentum io filios, ratione cujus nulla fieri posset ejusmodi filiorum subjectio Ecclesiasticæ potestati absque eorum parentum consensu: sed id non obstat; quemadmodum enim parentes, quamvis jure naturali sint liberi, tamen jure Gentium privantur suâ libertate; ita licèt jure naturali potestatem habeant supra filios suos, attamen jure gentium, & belli aut emptionis eâ potestate licitè privantur; itaut dominus eorum filios possit vendere, & à parentum consortio distrahere: igitur multò magis potest eos Ecclesiæ baptizandos offerre

Nec tantùm potest, sed etiam debet eis Baptismum procurare, siqoidem succedit in jus parentum, adeoque contrahit obligationem providendi de necessariis ad salutem, ubi ejusmodi parentes deficiunt parvulis. *Adde quod* filii mancipiorum censeantur de domo, & familia sui domini, & consequenter ex conscientia tenetur eis procurare, ac subministrare necessaria, non solùm ad vitam corporis, sed etiam animæ; nam, inquit Apostolus 1. ad Timoth. 5. *si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

VIII. Nec non & eorum quorum unus fidelis est.

Idem dicendum de filiis eorum parentum, quorum unus fidelis est, qui vult parvulum suum baptizari; alter verò infidelis, qui renuit: eo enim in casu standum est pro bono prolis, ut decrevit Concilium Toletanum IV. can. 62. ubi sic habet: *Iudæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur. Filii autem, qui ex talibus nati existunt, fidem atque conditionem matris sequantur. Similiter & hi, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, Christianam Religionem sequantur, non Iudaïcam superstitionem.* Hujus autem decreti ratio est, quia uterque parens habet jus in filium, & utrique incumbit cura filiorum, etiam in spiritualibus; & consequenter potius proles ei parenti concedenda est, qui illam legitimè in salutem, quàm qui in perniciem & damnationem educaret: ita respondit Gregorius IX. Episcopo Argentinensi, & refertur cap. ultimô de conversione infidelium, ubi inter cætera hæc habet: *Cùm autem filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, & non matris, & in ætate tali, quâ non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quòd saluti vel vitæ insidientur illius, & pueri post triennium apud patrem non suspectum ali debeant, & morari; materque pueri, si eum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem; in favorem maximè fidei Christianæ, respondemus Patri Christiano eundem puerum assignandum.*

Concensio Tertia.

IX. Possunt infideliū politicè Christianis subditorum filii licitè baptizari.

P*Ueri infidelium civiliter, & politicè duntaxat Christianis Principibus subditorum licitè possunt, accedente Principis mandatô, aut consensu invitis parentibus baptizari.* Hæc est Doctoris in 4. dist. quæst. 9. num. 2. ubi ait: *Dico ergo breviter, quòd si Princeps faceret cum cautela bona, scilicet ne parentes priùs cognoscentes hoc futurum, occiderent pueros suos, & quod baptizatos faceret religiosè educari, bene fieret.* Idem habet in reportatis ibidem quæst. 4. *Probatur* ratione Doctoris. Præceptum superioris servari debet non obstante repugnantiâ & voluntate contrariâ inferioris: sed baptizari pueros, est præceptum Dei; repugnantia verò parentum est voluntas hominis inferioris Deô: igitur non obstante tali voluntate in infidelibus, eorum parvoli possunt licitè baptizari. Majorem simul ac minorem probat Doctor: nam, in parvulo, *inquit*, Deus habet majus jus dominii, quàm parentes: universaliter enim in potestatibus ordinatis, potestas inferior non obligat in his, quæ sunt contra superiorem, sicut docet S. Augustinus de verbis Domini, hom. 6. & ponitur cap. ult. lib. 2. *Si aliquid jubet potestas, quod non debes facere: hic sanè contemne potestatem, timendo potestatem majorem.* Et declarat in exem-

Ut optimè probat subtilis Doctor.

» plo de Curatore & Proconsule, de Proconsule
» & Imperatore, de Imperatore & Deo: ergo si
» quis habet regere Rempub. magis debet, quan-
» tùm in se est, cogere unumquemque subdi Do-
» mino superiori, quàm inferiori, quando inferior
» in tali dominio resistit superiori.
» Sicut ergo Imperator deberet sententiare ali-
» quem debere obedire Proconsuli, contemptô
» præceptô Curatoris, id est, inferioris Proconsule,
» si contradiceret Proconsuli: ita etiam, si essent
» sub eodem dominio ordinata, scilicet, quòd ali-
» quis esset servus Titii, & Titius Petri, magis de-
» beret Imperator cogere servum servire Petro,
» quia superior est Titiô, quàm Titio, si Titius
» vellet uti servô illô contra dominium Petri; er-
» go maximè debet Princeps zelare pro dominio
» servando supremi Domini, scilicet Dei; & per
» consequens non solùm licet, sed debet Princeps
» auferre parvulos à dominio parentum volentium
» eos educare contra cultum Dei, qui est supre-
» mus, & honestissimus Dominus, & debet eos ap-
» plicare cultui divino.

X. 1. Quia Deo magis est obediendum quàm hominibus.

Reponunt Thomistæ majorem esse veram, quando superior vult præceptum suum servari nonobstante voluntate contrariâ, & quôcunque jure inferioris; secus verò quando superior vult præceptum à se impositũ servari sine violatione juris inferioris: ita autem (inquiunt) contingit in proposito; Deus enim præcipiendo, ut omnes etiam parvuli baptizentur, vult hoc præceptum observari sine violatione juris naturalis, quod Pater habet in prolem: quia gratia non destruit, sed perficit naturam.

Verùm, hæc responsio prorsus est evanida; licèt enim Deus non præceperit explicitè, ut Baptismus etiam invitis parentibus parvulis ministraretur; attamen id præcepit saltem implicitè, dum illum tanquam remedium necessarium omnibus & singulis ad salutem instituit, & ordinavit; eô enim ipsô sufficienter concessit parvulis jus accipiendi Baptismum, à quo proinde sine injustitia nequeunt violenter impediri; adeò ut parentes, etsi non peccent contra justitiam, non procurando parvulis Baptismum, sed solùm contra pietatem, aut charitatem; attamen reverà in justitiam peccant, impediendo Ministrum paratum ad conferendum Baptismum, ad quem eorum parvuli jus habent: quemadmodum licèt duntaxat tenear ex charitate corripere proximum, peccaret tamen contra justitiam, qui me impediret violenter ab illa correptione; quia præpediret executionem commissi mihi divinitus muneris: unicuique enim mandavit Deus de proximo suo.

Deus autem vult ut parvulus baptizetur.

XI. 2. Quia parentes abutentes dominio in suos filios eo possunt à Principe privari.

Probatur secundò: Si quid obstaret, quominus infidelium filii non possent invitis parentibus baptizari; maximè quia fieret injuria manifesta ipsis parentibus contra jus naturale, & potestatem paternam, quam habent in filios, quandiu rationis usu sunt destituti, non minùs, quàm in propria bona, quæ possident: sed hæc ratio nulla est: *Tum, quia* potest Princeps subditos privare tali dominiô in sua bona, quando eô abutuntur: Parentes autem nolentes suos filios baptizari, abutuntur dominiô, quod habent in ipsos contra honorem Dei, & parvulorum salutem; *Non enim sine causa gladium portat*, inquit sanctus Paulus ad Rom. 13. *Vindex in iram ei qui malum agit*: quodnam autem majus est malum, quàm privare aliquem remediô necessariô ad salutem? igitur tali jure & dominiô paternô in filios privari possunt infideles; & consequenter eorum infantes licitè baptizari.

Tum quia si pater infidelis vellet interficere filium, posset infans non obstante jure naturæ ab ipsius parentis manibus vi eripi, & ab ejus potestate distrahi: ergo multò magis, si parens nolit eum baptizari, ut per Baptismum æternam mortem evadat; vita enim spiritalis longè præstantior est vitâ corporeâ. Patet antecedens: potestas enim defendendi innocentes, jure naturæ competit omnibus: sed pueri sunt innocentes, & maximo damno fiunt obnoxii, si non baptizentur; igitur jure naturæ licitum est eos, reluctante parente, baptizare.

Reponunt Thomistæ, posse quidem Principem privare subditos dominiô, quod habent in filios, quando illô abutuntur contra legem naturæ: secus verò, quando eô abutuntur contra legem supernaturalem ipsis ignotam, qualis est lex, quæ obligat ad Baptismum; cùm enim potestas civilis sit merè naturalis, & ab hominibus dimanans, non potest extra jus naturæ se extendere ad legem supernaturalem, ejusque observantiam, qualis est lex de suscipiendo Baptismate, & consequenter à nullo Principe possunt privari jure, & dominiô naturali, quod habent supra filios; quando eô abutuntur contra legem supernaturalem, & parvulorum salutem.

Lex enim naturæ non obligat in præjudiciũ legis Evangelicæ.

Verùm contrà, jus naturale non potest obligare in præjudicium legis fidei; quidquid enim continetur jure naturali, comprehenditur in Decalogo, saltem implicitè, & reducitur ad præcepta virtutum; quæ omnia confirmantur per legem Evangelicam. *Insuper*, quæcunque lex præscribitur, & ordinatur ad finem charitatis, & salutis; ac subinde nulla lex obligat in præjudicium fidei, & charitatis: igitur pietas, in qua fundatur omne jus parentis in filium, non obligat contra charitatem & salutem; & consequenter nullum jus concedit parenti in filium contra præceptum de suscipiendo Baptismo, quod per legem Evangelicam præscribitur tanquam medium ad salutem necessarium.

Secundò, fides suscepta non minuit in homine fideli jus paternum in proprios filios: aliàs homo baptizatus, & fidelis, esset pejoris conditionis, quantùm ad authoritatem in filios, quàm Gentilis, aut Judæus: sed consentiunt nobiscum adversarii filios Catholicorum, nec-non & hæreticorum invitis parentibus licitè baptizari posse accedente Principis & Ecclesiæ authoritate, non obstante jure naturali parentum in filios: igitur etiam infidelium subditorum filii licitè possunt baptizari sine præjudicio juris paterni, si accedat Principis authoritas, quantumvis parentes renuant.

Confirmatur: quia ex eo quòd parens aliquis sit baptizatus, nullum inde accedit jus Principi in ejus parentis baptizati filios, magis quàm in filios non baptizati, neque parentis baptizati filius majus habet jus ad Baptismum suscipiendum, quàm filius parentis non baptizati: igitur si ille licitè possit baptizari, quidni & hic?

XII. 3. Quia filius non subest parentibus in præjudiciũ suæ salutis.

Tertiò, filius rationis compos potest licitè baptizari, si consentiat, quantumvis parentes renuant: sed usus rationis in filio non officit, nec derogat jurisdictioni paternæ in ipsum: ergo etiam sine præjudicio paternæ jurisdictionis poterit filius rationis expers baptizari. Major constat: nullus enim tenetur obedire parentibus in iis quæ saluti suæ adversantur, dicente Christô

D. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem.... non potest meus esse discipulus.* Hoc est, ut explicat S. Gregorius, *quos adversarios in via Dei patimur odiendo & fugiendo nesciamus.* Si ergo filius removeri possit a Patris consortio & dominio eâ ætate, quâ obsequium ei potest impendere, ac prodesse, ut suæ saluti invigilet; multò magis ab ejus authoritate poterit submoveri in ea infaotili, & infirma ætate, quâ parentibus duntaxat est in gravamen, ut ejus saluti consulatur.

Dices: Si pueri infideliom invitis parentibus baptizarentur, *vel* eripiendi essent post Baptismum à societate & consortio parentum, ut inter fideles educarentur; *vel* apud ipsos parentes infideles essent relinquendi: sed neutrum licet. Non qoidem *primum*, quia manifestam continet injuriam; siquidem parentes spoliarentur jure naturæ, quod habent in filios, qui sunt sub eorum potestate, quandiu rationis sunt expertes: non sunt autem facienda mala, ut veniant bona. Non etiam *secundum*, qoia vergeret in detrimentum, & profanationem Baptismi, periculosum enim esset, ne parentes infideles eos pueros sois pessimis ritibus inficerent, & ubi ad adultam pervenissent ætatem, Baptismo abrenuotiare cogerent: igitur, &c.

XIII. Parvuli infidelium possunt distrahi à consortio Parentum.

Nego minorem: Possent enim, si adesset periculum subversionis, ejosmodi infantes removeri à dominio, & consortio parentum, propter rationem mox expressam; si enim filius, dum rationis & libertatis est compos, possit se submovere ex consortio & cura parentum, ut suæ saloti consulat, eâ scilicet ætate, quâ ex debito naturæ tenetur parentibus obsequi, & famulari: multò magis ab eorum præsentia licitè poterit submoveri eâ ætate, quâ rationis expers oil quidquam obsequi, imò gravaminis, & laboris multùm parentibus potest ingerere. *Accedit*, quòd etiam absque ulla distractione & separatione possit provideri infanti, dooec ad usum rationis perveniat, cùm parentes teneantur ipsi puero omnia ad vitam naturalem necessaria conferre; nec eo in statu quidquam illi possint ingerere, quod saluti officiat.

Dico secundò: Christus D. neminem voluit violenter, sed liberè, & absque ulla coactione, vel propria, vel aliena ad Catholicam fidem promoveri: igitur parvuli, quandiu non habent aliam voluntatem, quàm parentum, non possunt, ipsis parentibus reluctantibus ad Religionem Christianam per Baptismum induci. Probat antecedens Goneros disp. 3. art. 3. § 3. *Primò* quidem, *inquit*, quia ad fidem æternam nemo cogi potest: igitur lex Evangelica, quæ non nisi per fidem corde suscipitur, injuriâ & metu, ac violentiis non debet ingeri. *Secundò*, quia cùm intentio Christi esset persuadere universo orbi fidem, non qualemcunque, sed eam, quæ per solam dilectionem operatur: charitati aotem, sive dilectioni, nil magis sit adversum, quàm vis, injuria, & metus, congruum fuit, ut ad eam nemo ejusmodi violentiis cogeretur. *Tertiò*, ne fides, quæ naturalis rationis vires excedit, per violentiam Gentibus prædicata, exosa fieret, & quasi tyrannis existimaretur, ac diaboli figmentum rationi repugnans. *Quartò*, ut hâc excellentiâ lex nostra, cum Mahumeti perfidia comparata, resplenderet; ista enim tanquam quæ nullâ ratione persuaderi poterat, vi & armis in mundum obtrusa est: nostra verò fides, per homines inermes, & mites, solâ

Præcipuum Adversariorum fundamentum.

veritatis vi, ac energiâ, mundum vicit, & Philosophos, ac Imperatores debellavit. Unde egregiè Chrysostomus serm. 3. Pentecostes: *Peragrârunt Piscatores orbem terrarum, & infirmum eum invenientes, ad sanitatem reduxerunt, & in ruina positum, ad stabilitatem revocaverunt; non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, sed regnum cælorum possidentes, non habentes humana solatia, habentes autem Dominum secum. Peragrârunt universum orbem oves simul cum lupis, & vulneratæ à bestiis non sunt oves, sed magis lupi ad ovium mansuetudinem sunt conversi.*

Respondeo negari posse antecedens; quanquam enim Deus sub parabola Patris-familias liberè vocaverit ad cœnam omnes invitatos, nihilominus jubet: *Exi in vias & sepes, & Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Unde sanctus Augustinus epist. 48. ad Vincentium, *Putas neminem posse cogi ad justitiam cum legas Patrem familias dixisse servis, quoscumque inveneritis cogite intrare?* Hinc Doctor *num. 2.* ait: *Crederem religiosè fieri, si ipsi parentes cogerentur minis, & terroribus ad suscipiendum Baptismum, & ad conservandum posteà susceptum: quia esto, quòd ipsi non essent veri fideles in animo; tamen minùs malum esset eis, non posse impunè legem suam illicitam servare, quàm posse eam liberè servare. Item filii eorum, si bene educarentur, in tertia & quarta progenie essent veri Fideles.* Quod utique probat ex decreto Concilii Toletani quarti, ubi legimus can. 56. De Judæis autem præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. *Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat.* Non eoim inviti sunt salvandi, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo propriâ arbitrii voluntate serpenti obediens periit: sic vocante se gratiâ Dei propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur: ergo non vi, sed liberâ arbitrii voluntate, ut convertaotur, suadendi sunt, non potius impellendi. Qui autem jam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisenandi; quia jam constat, eos Sacramentis divinis sociatos, & Baptismi gratiam suscepisse, & chrismate unctos esse, & corporis Domini & sanguinis extitisse participes, oportet ut fidem etiam, quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.

XIV. Non est improbabile infideles posse cogi ad fidem.

Ut docet subtilis Doctor.

Licèt autem Concilium prohibeat Judæos, & alios infideles cogendos ad susceptiooem fidei & Baptismatis, nihilominus dum utitur particulâ *(deincept)* significat id non semper fuisse illicitum; ac proinde illam coactiooem, quæcunque sit, non esse illicitam ex natura rei, sive ex jure natorali & divino. Unde ibidem subdit: *Qui autem jam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisenandi; &c. Ergo*, inquit Doctor supra, nu[illegible] *in hoc approbat tanquam Principem religiosum*, non ob ipsius egregiam fidem, & alia facta pietatis, de quibus ibi nulla est mentio; sed, *quia infideles coëgit ad fidem.* Simili ratione laudibus celebrantur omnes illi Catholici Principes, qui leges severissimas, non solùm in infideles, sed etiam in hæreticos ediderunt, nisi ad Ecclesiam Catholicam se se reciperent.

Adde quod si coactio illa jure naturali & divi-

nô foret illicita; maximè, quia induceret ad fi-ctam, & duntaxat externam susceptionem Baptismi: sed plerumque contingit, ut, qui sic compelluntur, non solùm ficté, sed ex animo Baptismum suscipiant: nam, inquit S. Augustinus epist. 60. *Multis profuit (quod experimentis probavimus, & probamus) priùs timore, vel dolore cogi, ut posteà possint doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari.* Quod utique plurimis probat, maximè verò exemplô Convetsionis S. Pauli, scribens: *Cùm Petrum, & alios Apostolos solô verbô vocasset, Paulum priùs Saulum, Ecclesia sua posteà magnum ædificatorem, sed horrendum anteà vastatorem non solùm voce compescuit, verùm etiam potestate prostravit, atque ut infidelitatis tenebris sævientem, ad desiderandum lumen cordis urgeret, priùs corporis cæcitate percussit.... Vbi est, quod isti clamare consueverunt, liberum est credere, vel non credere? Cui vim Christus intulit? quem coëgit? Ecce habent Paulum Apostolum, agnoscant in eo priùs cogentem Christum, & posteà docentem, priùs ferientem, & posteà consolantem.... Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios ut redirent, si perditi filii coëgerunt alios, ut perirent? &c.* Idem probat S. Doctor exemplô ovis à grege aberrantis, quam inventam ad ovile dominicum, si resistere voluerit, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare juvat. Probat etiam parabolâ Patris, familias præcipientis servis, ut quos invenerint in viis, & sepibus, id est, in hæresibus & schismatibus, cogant intrare.

Et optimè probat S. Augustinus.

Nec dicas, id quidem verum esse de hæreticis, qui Christo nomen suum per Baptismum dederunt: non autem de infidelibus non baptizatis. Quanquam enim præcipuus S. Augustini scopus in illa epistola sit, ostendere Bonifacio viro militari, ad quem ipsam dirigit, hæreticos, maximè Donatistas legitimè, ut ad Ecclesiam redeant, posse compelli: nihilominus ipsius rationes idem probant de quibusvis infidelibus; unde priùs scripserat, *Si equus, & mulus, quibus non est intellectus, morsibus, & calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum vulnera contrectantur, & cùm inter dentes eorum, & calces sæpè homines periclisentur, & aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores, & molestias medicinales revocent ad salutem: quantò magis homo ab homine, & frater à fratre ne in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest quantùm sibi præstatur beneficium, quando se persecutionem perpeti querelatur?* Unde concludit: *Quando Imperatores pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseverantes: quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sævientes, & corriguntur intelligentes: quicunque ergo legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium: quicunque autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium.* Non igitur, absurda est subtilis Doctoris sententia, quando censet non illicitum esse aliquando infideles cogere ad fidem amplexandam, quando maximè illa coactio profutura est eorum posteritati, eò quòd ipsorum filii eandem aliquando perfecti Catholici sint futuri. Non enim est ipsius mens, qualemcunque coactionem, in quibuscunque circunstantiis jure divinô esse permissam, sed moderatam, ubi, & quando recta ratio dictat illam vergere, non in destructionem fidei, sed in ædificationem; non in

Etiam de infidelibus non baptizatis.

A odium, sed potiùs in amorem, nisi aliter per Ecclesiam fuerit sancitum.

Quæstio Quarta.

Quænam praviæ dispositiones requirantur in adulto, ut validè & debitè Baptismum suscipiat?

NOtandum primò, præsentem difficultatem moveri maximè de quadruplici dispositione hominis adulti accedentis ad suscipiendum Baptisma; nempe de *fide*, quæ excludat omnem infidelitatem & errorem; *consensu*, qui coactio-
B nem non admittat, *sincerâ voluntate*, quæ simulationem & fictionem removeat, denique *pœnitentiâ*, quæ animum à peccatis revocet, & ad Deum convertat.

I. Quatuor præcipuæ requiruntur dispositiones in adulto baptizando.

Porrò constantissimum est fidem in adulto requiri ad obtinendam gratiam justificationis; nam Matthæi ultimo Christum Apostolos delegans ad conversionem gentium, præcipit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes*; ubi vult doctrinam præmitti Baptismo ob necessitatem fidei: *Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, id est, prædicationem. Hinc Marci vltim. *Qui crediderit, & batizatus fuerit, salvus erit.*

C Quapropter Eunucho Baptismum postulanti dixit Philippus Act. 8. *Si credis, licet.* Cui cùm Eunuchus dixisset, *Credo*, statim eum Philippus baptizavit. Hanc etiam veritatem constantissimam habuerunt omnes SS. Patres, exigentes confessionem fidei à Catechumenis, tanquam dispositionem necessariam ante Baptismum. Ita *S. Dionysius* lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 2. Origenes homil. 5. in lib. Num. *Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 2. *Basilius* lib. 3. ad Eunomium. *Chrysostomus* in caput 15. ad Corinth. & alii Patres Græci.

Fides est necessaria ad debitè, non autem ad validè suscipiendum baptismum.

Quibus adstipulantur etiam Latini, *Tertullianus* de spectaculis, cap. 4. *Cyprianus* epist. 70.
D & 76. *Ambrosius* lib. de Spiritu S. cap. 11. *Hieronymus* dialog. contra Luciferianos, cap. 5. & *sanctus Augustinus* lib. de fide, & operibus, cap. 9. & 20. Idem decernunt Concilia, *Laodicenum*, can. 49. & 47. Sexta Synodus *Constantinopolitana*, cap. 7. ac novissimè *Tridentinum*, sess. 6. c. 6. fidem constituit tanquam primam dispositionem adulti ad justificationem, cujus rationem subdit cap. 8. quia est *radix & fundamentum justificationis.*

Non tamen necessariò fides prærequiritur in suscipiente ut validè baptizetur, sicut præclarè docet sanctus Augustinus lib. de baptismo cap. 14. ubi ait: *Nec interest cùm de sacramenti integritate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille qui accipit sacramentum: Interest quidem pluri-*
E *mum ad salutis viam; sed ad sacramenti quæstionem nihil interest; fieri enim potest ut homo integrum habeat sacramentum & perversam fidem.*

Notandum secundò, ex Doctore subtili in 4. *d*. 4. *qu*. 4. *num*. 2. adultum posse distingui duplicem; alium scilicet ætate solùm, alium verò ætate, & ratione simul: *Prior* est, qui licèt adoleverit ad plurimam ætatem, tamen non est rationis compos, idque vel à nativitate sua, vel licèt aliquando habuerit usum rationis, eum tamen non obtinet, dum occurrit occasio suscipiendi Baptismum, sed speratur eum aliquando habiturum. *Posterior* verò ille est, qui plenâ & perfecta ratione actualiter potitur: de utroque autem mo-

II. Adultus est duplex. Triplex est modus consentiendi.

vetur quæstio, utrum sine consensu baptizari possit.

Triplex est modus cōsentiendi.

Porrò ex eodem Doctore in 2. *dist.* 41. *quæst.* unicâ, triplex est consentiendi, vel dissentiendi modus, nempe actualis, virtualis, & habitualis. Consensus *actualis* est ille, quò quis de facto vult & consentit, ac determinat aliquid agere, vel suscipere: *Virtualis* ille est, qui aliquando actualiter fuit elicitus, nec revocatus est; sed manet in virtute, quia nempe voluntatem excitavit ad effectum ponendum, per applicationem mediorum, qualis consensus est in eo, qui distrahitur, dum id exequitur, quod voluntate determinatâ faciendum susceperat: *Habitualis* verò est voluntas inefficax, quâ quis vult quidem effectum, non tamen applicat media pro eo tempore, quô habetur, licèt removeat obicem contrariæ voluntatis, idque vel negativè, per suspensionem actûs non consentientis, sive contrariè per elicitionem actûs dissensûs. Nam, ut docet Doctor præfatâ *dist.* 4. *quæst.* 4. *nu.* 3. aliquis potest dici non consentire duobus modis, nempe vel *contrariè*, vel *negativè*. Negativè, *tantùm negat actualem consensum*: Contrariè *verò ponit actualem dissensum*. Cujus discriminis hanc rationem profert; *quia*, inquit, *non est idem, non velle, & nolle*: nam non velle significat suspensionem actûs volendi: nolle autem positionem actûs non volendi.

Non consensus fit vel contrariè vel negativè.

Rursus, qui dissentit *contrariè*, seu positivè, vel dissentit *simpliciter*, ita ut nullâ ratione velit actionem; vel tantùm *secundùm quid*, ita ut nollet quidem talem actionem, si non esset periculum cavendum; sicut, inquit ibidem Doctor, projiciens merces in mare, ut fugiat submersionem, simpliciter vult projicere merces, nam potentiam suam motivam ad projiciendum voluntas movet imperando, & ipsa seipsam liberè movet, quia cogi non potest: simpliciter ergo volens projicit; sed secundùm quid nolens, hoc est, sub conditione nolens, quia mallet si posset, aliô modô salvare vitam. Quæritur ergo, quisnam ex illis modis consentiendi, requiratur, & sufficiat ad validè recipiendum Sacramentum.

III.

Quid sit fictio & quotuplex.

Notandum tertiò ex Doctore *ibidem, quæst.* 5. *n.* 2. aliquem posse rem intendere & exequi fictè duobus modis; fictio enim, ut in actibus humanis invenitur, consistit in eo, quòd aliquis exteriùs prætendat, aut præ se ferat, quod interiùs non intendit: in verbis dicitur *mendacium*, in operibus autem *simulatio*, at ex communi Theologorum usu appellatur *fictio*; quæ respectivè ad susceptionem Sacramenti, duplex est; *prima*, quando reverà recipiens Sacramentum nullomodò intendit illud recipere, licèt exteriùs id se velle simulet: *secunda* respicit dispositionem præviam ad debitè recipiendum Sacramentum; quam utique dispositionem suscipiens Sacramentum simulat se habere, quâ tamen caret, putà cùm simulat se credere mysteria, quorum fides exigitur, nec tamen credit: vel simulat se pœnitere de peccatis ante Baptismum commissis, licèt de facto non pœniteat, vel si in ipsamet susceptione Sacramenti actu mortaliter peccet, per pravum internum affectum.

His ita præmissis, quatuor supersunt determinanda: *Primum*, utrum, & quando adultus, qui non est rationis compos, possit licitè baptizari: *Secundum*, utrum adultus non consentiens reverà recipiat Baptismum: *Tertium*, utrum qui fictè accedit ad Baptismum, suscipiat illius effectum: *Quartum*, utrum impœnitens debitè Baptismum suscipere valeat?

CONCLUSIO PRIMA.

IV.

Adultus ratione orbatus baptizari potest.

ADultus ratione destitutus à nativitate, si lucidum non habeat rationis usum, validè & licitè baptizatur. Ita Doctor præfatâ *quæst.* 4. *nu.* 2. ubi hanc difficultatem ita luculenter explicat, ut non solùm ejus doctrinam, sed & verba hîc lubeat exscribere. Ait autem: De illo adulto idem dicendum esse, ac de parvulo, cum hoc solo discrimine, quòd si speratur ipsum aliquando curandum, & usurum ratione, expectandum est tempus illud, ut cum majori reverentia suscipiat Sacramentum. Si autem desperatur de eo, quòd ad usum rationis nunquam attingat, statim conferendum est sibi Sacramentum: quia nulli Deus excludit remedium ad salutem. De secundo, scilicet nunc non utente, qui aliquando tamen usus est ratione, dico quòd supponitur nunc habitualiter consentiens, vel dissentiens, secundùm quod se habuit in sanitate, ante istud impedimentum immediatè, scilicet si tunc actualiter consensit, judicatur nunc habitualiter consentiens; si tunc actualiter dissensit, nunc judicatur habitualiter dissentiens. Et dixi, *immediatè*, ita quòd inter actum illum, & istud impedimentum, non interveniret motus voluntatis oppositus. Et sic universaliter dico, quòd iste habitualiter se habens, potest recipere Sacramentum, sicut potuit priùs, quando actu sic, vel sic habuit. Qualiter autem actualiter se habens, possit baptizari, statim dicetur in tertiò membro.

Ut optimè probat subtilis Doctor.

Sed expedit ne talem baptizari? *Multa enim licent, quæ non expediunt.* 1. Corinth. 6. *Respondeo*, si speretur eum reditutum ad usum rationis, magis expedit tempus expectare, quô utetur ratione, putà de dormiente, tempus vigiliæ expedit expectare: & de furioso tempus lucidi intervalli. Si autem non speretur, putà de eo, qui incidit in perpetuum impedimentum usûs rationis, eum expedit baptizare, si tamen est capax Baptismi; quia aliàs exponeretur periculo damnationis. Qualiter autem sit capax, statim dicetur de utente ratione. Hæc Doctor.

Et declarat Rituale Romanum.

Id ipsum colligitur ex Rituali Romano tit. *de Baptismo*, ubi legimus: *Amentes, & furiosi non baptizentur, nisi tales à nativitate fuerint: tunc enim de iis idem judicium faciendum est, quod de infantibus; atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt baptizentur, si velint. Si verò antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis: baptizentur. Idemque dicendum est de eo, qui lethargô aut phranesi laborat, ut tantùm vigilans, & intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, si in eo priùs apparuerit Baptismi desiderium.*

Ubi *primò* prohibet baptizare amentem, aut furiosum. *Secundò* permittit, si sit perpetuò amens. *Tertiò*, etsi non sit perpetuò amens, si dum dilucida habebat intervalla, Baptismum desideravit, tunc enim baptizari potest, etiam in amentia, si nempe sit periculum vitæ.

CONCLUSIO SECUNDA.

ADultus, qui nullatenus consentit, invalidè recipit Sacramentum: secus verò si saltem se-

cundùm quid consentiat. Hæc est communis quantùm ad primam partem, illamque expresse tradit Innocentius, cap. *Majores* de Baptismo, & ejus effectu, ubi ait: *Ille verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, quia plus est expressè contradicere, quàm minimè consentire*, & probat à simili: *Sicut*, inquit, *nec ille notam alicujus reatûs incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans thurificare idolis, cogitur violenter.*

V. **Adultus non consentiens invalidè baptizatur.**

Idem decernit ibidem Pootifex de illo, qui in somno, vel amentia suscipit Sacramentum Baptismi, noo retractata priori voluntate de Baptismo nunquam suscipiendo; *Dormientes autem*, inquit, *& amentes si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, & fuerint sic emersi* (alias immersi) *characterem non suscipiunt Sacramenti.*

Ratio petitur à voluntate Christi D.

Ratio autem hujus veritatis petitur à voluntate Christi D. qui potèrat quidem absolutè Sacramenta sic instituere, ut etiam prodessent nolentibus; ea tamen non sic instituisse colligitur ex sensu D. D. & Ecclesiæ. *Congruentiam* verò, assignat Doctor 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. *nu.* 3. ubi: ait. Si ergo iste sit utrôque modô (negativè & contrariè, simpliciter & secundùm quid) dissentiens, dico quòd noo recipit Sacramentum; quia

Congruentiā assignat Doctor.

Deus per Sapientiam dicit Prov. 23. *Fili præbe mihi cor tuum*, nolens aliquem omnino invitum adscribi familiæ suæ: suscipiens autem Baptismum adscribitur per hoc familiæ Christi.

VI. **Melius est quòd invitus quis servet legem Christianā quam permittatur malè agere.**

Addit Doctor: Neque oportet hîc distinguere de reclamante, sive protestante signo exteriori suum dissensum, & de non reclamante; quia in rei veritate si est dissensus, omnino idem est quoad Deum: tamen quoad judicium Ecclesiæ judicantis de manifestis, & eum qui tacet præsumentis consentire, non cogetur reclamans ad observantiam Religionis Christianæ; cogetur autem non reclamans. Nec in hoc potest argui Ecclesia, quòd isti nolenti; tamen non reclamanti fiat injuria. Minus enim malum est sibi, quòd invitus servet legem Christianam, quam quòd impunè permittatur agere contra eam: quia minus malum est invitum aliqua bona facere, & mala fugere, quàm liberè & impunè mala agere, & bona dimittere.

Dices 1. Innocentius III. eodem cap. *Majores*, ait, *Sunt nonnulli qui dicunt, quod sacramenta quæ per se sortiuntur effectum, ut baptismus & Ordo ceteraque simila, non solùm dormientibus & amentibus, sed invitis & contradicentibus, etsi non quantùm ad rem, quantùm tamen ad characterem conferuntur: cùm non solùm parvuli, qui non consentiunt, sed & ficti qui quamvis non ore, corde tamen dissentiunt, recipiant sacramentum.* Igitur invitis & renuentibus potest validè ministrari baptismus.

VII. **Innocentius huic veritati non adversatur.**

Nego consequentiam. Nec enim ea est summi Pontificis Innocentii sententia, sed solùm refert quid alii sentiant, unde continuò subjungit: *Sed opponitur talibus, quòd qui fuissent inviti & reluctantes immersi, saltem ratione sacramenti ad jurisdictionem Ecclesiæ pertinerent; unde ad servandam regulam fidei Christianæ, forent rationabiliter compellendi: verùm id est religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus & penitus contradicens, ad recipiendam & servandam Christianitatem, aliquis compellatur. Propter quod inter invitum & invitum, coactum & coactum alii non absurdè distinguunt; quòd is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat baptismi suscipit sacramentum talis (sicut & is qui fictè ad baptismum accedit) charactere suscipit Christianitatis impressum.* Quibus verbis Pontifex concedit quidem invitum duntaxat secundùm quid posse quidem validè baptizari; non verò eum qui absolutè ad baptismum suscipiendum compelleretur.

VIII. **Validè quis baptizatur nolens secundùm quid.**

Secunda pars probatur ab eodem Doctore *ibidem*, nempe quòd dissentiens tantùm secundùm quid, hoc est timore alicujus mali incurrendi, si Sacramentum non susciperet, reverà baptizetur: Si autem, *inquit*, secundùm *quid* dissentiat, sed simpliciter consentit: & boc noo tantùm in illam ablutionem, tanquam in quoddam balneum, sed in ablutionem eô modô, quô illam intendit facere Ecclesia, ille simpliciter recipit Sacramentum: quia simpliciter est volens, licèt secundùm *quid* nolens, & de tali loquitur illud Concilium Toletanom, quod allegatur *Extrav.* de Baptismo, & ejus effectibus, cap. *Majores:* Quod illi, qui jampridem ad Christianitatem coacti sunt, quia jam constat Sacramentis divinis associatos, oportet, ut fidem quam necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, contemptibilis habeatur.

IX. **Quomodo aliquis volens ex metu, verè id velit.**

Exemplum hujus, qualiter aliquis potest consentire in illam ablutionem suscipiendam, eô modô, quô confertur ab Ecclesia, & tamen nollet, si posset evadere tormenta, quia non credit eam aliquid valere, sicut potest haberi de eo, qui non credit verba incantationis posse habere aliquem effectum, tamen concedit incantanti, quòd dicat illa verba super eum, eâ intentione, quâ solet ea dicere, dicendo in corde suo, valeant quantùm valere poterunt; iste verè diceretur incantatus: etsi talis incantatio super aliquem diceretur consecratô diabolô, ille esset diabolô consecratus. Patet autem differentia istius membri secundùm *quid*, dissentientis à membro præcedenti: quia ille simpliciter dissentiens, omnino non recipit Sacramentum, & ideo cessante dissensu esset simpliciter baptizandus. Iste verò, quia simpliciter consensit, licèt secundùm quid consentiat, est baptizatus, & cessante dissensu illô secundùm *quid*, non est iterum baptizandus.

IX. **Ad Sacramentum conferendum & suscipiendum sufficit intentio virtualis.**

Si quis autem non consentiat tantùm negativè, dico, quòd recipit Sacramentum, si consensit virtualiter: quia noluit Deus obligare hominem ad impossibile, vel secundùm statum hujus vitæ, nimis difficile. Nunc autem non distrahi, nimis videtur homini difficile pro statu; quia secundùm August. 3. de lib. arb. *Non est in voluntate nostra, quin visis tangamur:* Ergo noluit Deus salutem hominis ponere in ista conditione, *si non distrahitur.* Nec ergo voluit obligare eum, quòd in suscipiendo Baptismum, non distraheretur. Et ita est universaliter in aliis Sacramentis. Sacerdos etiam in consecrando Eucharistiam, non obligatur (necessariò dico) ad hoc, ut non sit distractus. Verè enim conficit distractos, dum tamen priùs induendo se, intenderet celebrare Missam, secundùm morem Ecclesiæ.

X. **Quæritur an habitualis etiā sufficiat in suscipiente.**

Et si quæras, esto quòd non consentiens actualiter, tamen consentiens virtualiter (eô modô, quô positum est, exemplum de Sacerdote celebrante) recipiat Baptismum, nunquid & ille qui solùm consentit habitualiter, recipit? Distinctio autem istorum, *virtualiter*, & *habitualiter*, patet 2. lib. *distinct.* 41. Et isto quòd sic, nunquid ille, qui

qui tantùm oegativè oon consentit, negativè etiam non dissentit: Quia nec actum, nec habitum oppositum habet.

De primo posset dici, quòd talis judicatur habitualiter consentiens, quia aliquando habuit consensum actualem, oon interveniente dissenso: & talis, licèt utens ratione, recipit Sacrameotum; quia non videtor propter aliquam cooditionem minùs capax, si utitur ratione, quàm si priùs usus, non otatur ounc: sed in tali non utente nunc, priùs tameo uso, sufficeret habitualis consensus: ergo & hoc.

Affirmat Doctor.

De secundo, licèt difficile esset aliquem talem invenire, præcipuè qui priùs aliquando cogitasset de Baptismo; quia vel tunc placuisset sibi baptizari, vel non placuisset, imò displicuisset: & secundùm ultimum modum judicaretur talis habitualis consensus, vel dissensus esse imposterùm: tamen siquis esset omnino oon consentiens, nec dissentiens, tam actualiter, quàm habitualiter: & tamen utens ratione, non esset capax Baptismi, quia ex quo utitur ratione, oportet quòd habeat devotiooem aliquam ad Sacramentum, si debet sibi valere; aliter enim videretur contemnere.

Quibus omnibus Doctor quinque potissimùm determinat: *Primùm*, quòd dissentiens negativè, aut contrariè noo baptizetur validè. *Secundum*, quòd qui dissentit duntaxat secundùm quid, reverà baptizetur, quia censetor simpliciter consentire. *Tertium*, quòd consensus virtualis sufficiat, ut quis non solùm validè, sed & debitè baptizetur; si enim iotentio virtualis sufficiat in Ministro, multò magis in suscipiente; minor enim requiritur intentio in suscipiente, quàm in Ministro, ut diximus agendo de oecessitate Ministri. *Quartum*, quòd consensus habitualis sufficiat ad validam receptiooem Sacramenti: quia voluntas præterita reputatur semper perseverare donec revocetur. Quod utique pariter docet Innocentios cap. *Majores*, ubi dicit, quòd amentes, & dormientes, qui jam consenseront, nec posteà dissenseruot, validè baptizentur. Qood utique pariter determinant Concilia. Concilium Carthaginense 3. cap. 34. ubi ait: *Vt ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum est.* Idem decernit Cooeilium Arausicanum I. cap. 11. aliàs 12. Subitò *obmutescens, prout statutum est. baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu. Quintum* denique, quòd qui indifferenter se habet, id est, qui nec consentit, nec disseotit, oon recipit Sacramentum.

XI. Non sufficit ad validũ Baptismum status indifferens.

Dices: Innocentius præfatô cap. *Majores*, ait: *Tunc characterem Sacramentalem imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contraria non invenit obsistentem:* Sed in eo, qui nec consentit, oec dissentit, non est contraria voluntas: igitur in ipso imprimitur character Baptismi, & subinde validè baptizatur. *Deinde* in Extrema-Unctione suscipienda nullus reqoiritur consensus: igitur nec in Baptismo.

Respondeo ad primum, Iooocentium nomine *contraria voluntatis*, significare etiam illam, quæ negativa est; ait enim: Ille verò qoi nonquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti: ubi verba illa, *sed penitus contradicit*, non adduntur per modum dubitationis, sed per modum augmenti, ut ibidem

A optimè observat Hiqoæus, quia casus propositus fuit de iis, qui ad Baptismum inviti rapti fuerant, in quibus dicit Baptismum esse nullum; quia, *inquit*, plus est contradicere, quàm minimè consentire: ubi etiam supponit hunc validè baptizari; qui enim consentit, censetur invitus.

Ad secundum dico, non esse pateritatem; quia Extrema-Unctio non suppooit aliom consensum, quàm consensum onivetsalem hominis fidelis & pœnitentis, qui in ipso mortis articulo, non abs re supponitur velle omoia media ad salutem cooducentia sibi adhiberi. Unde Rituale Romanum titulô de sacramento Extremæ-Unctionis docet:
B *Infirmis qui dum sanâ mente & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederunt signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur.*

Conclusio Tertia.

XII. Adultus baptizandus debet pœnitere.

Adultus, qui reus est alicujus peccati mortalis actualis, necessariò debet agere pœnitentiam, & reverà dolere de peccatis commissis, ut dignè ac debitè Baptismum suscipiat. Hæc est communis apud Theologos, & probatur primò ex
C Scriptora sacra. *Actor.* 2. ubi S. Petrus videns Judæos, quibus fuerat concionatus, paratos ad id omne exequendum, quod ipsis necessarium præscriberet ad salutem, dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. & accipietis donum Spiritûs sancti.*

Ut S. Scriptura declarat.

Hinc Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. declarat pœnitentiam esse necessariam in adulto accedente ad Baptismum, ut dignè ejus effectum percipiat, loquens enim de præparatiooe necessaria ad justificationem, ait: *Propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Unde Can. 3. definit:
D *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificatio, & gratia conferatur, anathema sit.*

XIII. Concilium Tridentinum definit;

Nec abs re quidem, ad omnem enim justificationem hominis peccatoris, utpote rem maximè supernaturalem, prærequiritur dispositio supernaturalis, saltem in modo. Unde idem Concilium sess. 14. cap. 1. ait: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali peccato inquinassent, quôvis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria: illis etiam, qui Baptismi Sacramentô ablui petivissent, ut perversitate abjectâ & emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati*
E *odio, & pio animi dolore detestarentur.*

XIV. Et subtilis Doctor propugnat;

Eandem veritatem propugnat Doctor subtilis, nam *dist.* 4. *quæst.* 5. *num.* 2. ait: *Aliô modô potest aliquis esse fictus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum, & tamen non est dispositus interiùs, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullomodo atteritur, vel conteritur.* Loquitur autem de Sacramento Baptismi, ac proinde supponit, Baptismum non justificare adoltum reum alicujus peccati actualis, sine prævia attritione, vel contritione.

Dices. Idem Doctor videtur asserere homini peccatori adolto non esse absolutè necessarium dolorem de peccato, sed solam voluntatem reci-

piendi Sacramentum, sine complacentia actuali in peccato, ait enim in 4. *dist.* 14. *quæst.* 3. *art.* 3. *Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici viâ, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Sacramenti; ita & in proposito*, &c. *Hoc declaratur sic, quia ad primam susceptionem gratiæ, requiritur aliquis motus meritorius de congruo, ad secundam autem non requiritur; nisi voluntaria susceptio Baptismi, & sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis, ita quòd in primo requiritur aliquod opus intrinsecum, aliquo modò acceptum, tanquam meritum de congruo: in secundo solùm requiritur opus exterius cum amotione interioris impedimenti; non solùm ergo attritus per aliquod tempus*, &c.

XV. Quamquã enim videatur contrarium asserere,

Non ea tamen est illius sententia.

Respondent aliqui his verbis, Doctorem non asserere quòd requiratur pœnitentia ad dignam susceptionem Baptismi, sed quòd non requiratur contritio perfecta, quæ extra Sacramentum justificet, de qua contritione ut plurimum totâ illâ distinctione. Verùm, inquit Hiquæus in commentario, non est necessarium ad hoc recurrere; quia clarè loquitur, si membra discursûs ejus discernamus, & scopum perpendamus.

In principio enim illius articuli reiicit sententiam Magistri *in dist.* 18. asserentis Sacerdotem Evangelicum non remittere peccata, sed ostendere remissa. Hanc impugnat Doctor, quia derogat Sacramento Pœnitentiæ, quia sic nunquam remitteret peccata, sed supponeret remissa per veram Contritionem, & consequenter non esset secunda post naufragium tabula. Subdit sententiam Alensis, qui dicit ad Sacramentum Pœnitentiæ adeò requiri dispositionem congruam, ut per Sacramentum remittatur peccatum, non tamen alligasse virtutem suam Sacramentis, quin sine ipsis remittat peccatum per perfectam dispositionem extra Sacramentum; quia est majoris misericordiæ, duplicem viam, & medium remittendi peccati instituere, quàm ad unum tantùm arctare.

Subdit autem Doctor exemplum de Baptismo adulti, & remissione peccati originalis per duplicem illam viam, nempe *vel* per bonum motum voluntatis, tanquam meritum de congruo; *vel* per realem susceptionem Baptismi, excludendo fictionem, ut inde probet etiam peccatorem post Baptismum utrôque modô justificari, sive per Contritionem, sive per Sacramentum Pœnitentiæ, suppositâ attentione, quod denotat illa clausula, *ita & in proposito*, &c. id est, de Pœnitentiæ Sacramento.

Et amplius subdit declarationem: *Hoc*, inquit, *declaratur sic*, &c. *quia ad primam susceptionem gratiæ* (nempe ab adulto, quando justificatur à peccato originali extra Sacramentum) *requiritur aliquis motus meritorius de congruo*, &c.

XVI. Quid præcisè intendat.

Præfatis itaque verbis nil aliud innuit Doctor, quàm quòd adultus, qui nullum admisisset actuale peccatum, non aliam ad recipiendum effectum Baptismi dispositionem exigat, præter voluntatem sinceram recipiendi ejusmodi Sacramentum; loquitur enim duntaxat de modo quô remittitur peccatum originale, ut constat ex ejus verbis; non autem sermonem ibi facit de peccato actuali, ad quod delendum, ultra voluntatem recipiendi Sacramentum Baptismi; requiritur etiam pœnitentia seu dolor de commissione ejusmodi peccati.

PETES, *Utrum illa pœnitentia debeat esse actus contritionis perfectæ, an verò sufficiat attritio?*

XVII. Contritio perfecta non requiritur necessariò in adulto baptizando.

RESPONDEO, attritionem sufficere; siquidem Sacramentum Baptismi per seipsum habet vim remittendi peccatum, & regenerandi hominem, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 4. ubi postquam dixisset, justificationem impii, esse translationem *ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adam, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per Iesum Christum Salvatorem nostrum*, statim subjungit: *Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.* Quibus verbis Concilium attribuit vim regenerandi, vel ipsi Sacramento realiter suscepto, aut voto illud suscipiendi: votum autem istud aliud nõn intelligit quàm contritionem perfectam; igitur censet Concilium, Baptismum in re susceptum habere vim justificandi, non autem necessariò supponere hominem jam justificatum per contritionem.

Ut declarant Concilia, Tridentinum.

Confirmatur ex eo quòd idem Concilium, in procemio sessionis 7. loquens de Sacramentis ait: *Per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur:* justitia autem non incipit per aliud Sacramentum, quàm per Baptismum, qui primus est omnium Sacramentorum, & eorum janua, sicut & Ecclesiæ aditus: igitur, &c.

Et Florentinum.

Accedit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi loquens de effectu Baptismi, ait: *Effectus Baptismi est remissio omnis culpæ originalis, & actualis*; ac subinde censet Baptismum ex se vim habere remittendi quodlibet peccatum; non autem necessariò debere supponere illius remissionem virtute contritionis perfectæ.

Et Doctor docet.

Quam utique doctrinam pridem ante utrumque Concilium docuerat subtilis Doctor *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 4. *num.* 6. ubi ait: *Dicitur ergo, quòd ita Deus requirat dispositionem de congruo* (scilicet contritionem perfectam) *ad hoc, ut peccatori conferat gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ: & hoc non, quòd alliget potentiam suam Sacramentis; quin tamen sine dispositione illa prævia & congrua, quæ sufficeret, conferat per Sacramentum gratiam, & hæc est majoris misericordiæ, scilicet duplicem viam instituere, per quam justificetur peccator, quàm ad unam viam arctare. Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale, potest habere duplici viâ, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Baptismi: ita & in proposito*, &c.

Dices: Homo per peccatum avertit se à Deo, ut ab ultimo fine: igitur ut liberetur à peccato, necessarium est, quòd ad Deum se convertat, ut ad ultimum finem, adeoque per actum charitatis, & contritionis.

XVIII. Contritio perfecta non est necessaria ut homo se convertat ad Deum ut ad ultimũ finem.

Nego ultimam consequentiam; enimverò per Contritionem imperfectam, sive Attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, peccator sufficienter se convertit ad Deum, tanquam ultimum finem, ut per Sacramentum peccati remissionem obtineat. Quod utique luculenter explicat Doctor in 2. dist. 37. qu. 1. nu. 8. *ubi ait*: „Quòd aversio à fine ultimo potest intelligi dupliciter, vel formaliter, vel virtualiter: „formaliter, vel contrariè, vel negativè, sic, quòd „voluntas nolit illum finem, & tale nolle est odire: vel non velit cùm deberet velle, & tale non „

velle est omittere illud præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum.* Virtualiter sic, quòd quando aliquid est necessarium ad consequendum finem ultimum, voluntas aversa ab illo, in hoc virtualiter à fine avertitur; sicut intellectus negans conclusionem, virtualiter avertitur à principio; & sic infirmus dicitur averti à sanitate, quando avertit se à potu amaro, sine quo non potest haberi sanitas. Prima aversio secundùm se est ejusdem rationis: nec includitur formaliter in quolibet peccato: est enim odium Dei speciale peccatum. Secundô modô aversio est communis omni peccato mortali, quia in omni tali peccato mortali voluntas inordinatè se habet respectu alicujus necessarii ad finem. *Hæc Doctor.* Subsumo: Atqui per attritionem statim descriptam, voluntas antea à Deo per peccatum aversa ordinatè se habet respectu omnium necessariorum ad consequendum finem ultimum: ergo talis attritio proximè disponit peccatorem ad remissionem peccatorum in Sacramento Baptismi impetrandam. Consequentia est evidens. Probatur subsumptum ex verbis Christi Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

CONCLUSIO QUARTA.

XIX. *QVi fictâ pietate accedit ad Sacramentum Baptismi, validè quidem baptizatur, non tamen recipit gratiam sanctificantem, nisi dum fictio illa, seu obex sublatus fuerit.* Hæc est communis, & primam illius partem docet Doctor *dist. 4. quæst. 5.* ubi ait, *num.* 2. *Dico*, quia nolentem Deus non justificat, secundùm illud Augustini: Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. Iste, qui habet actualiter obicem contra gratiam, putà infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod priùs commisit, & nullomodò sibi displicet, nullomodò recipit gratiam, secundùm Augustinum ubi suprà: *Omnis, qui sua voluntatis arbiter constitutus est, &c.* & de isto intelligitur illud Sap. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Quibus verbis subtilis Doctor significat perversam voluntatem illius, qui fictè accedit ad Baptismum, esse obicem ne gratia sanctificans accipiatur, de quo certè nulla est controversia.

Qui simulata pietate accedit baptizandus, validè baptizatur.

Sed non justificatur.

Porrò hanc veritatem luculenter explicat S. Augustinus lib. 1. de Baptismo, cap. 12. ubi non solùm docet fictionem obicem esse, ne baptizandus gratiam sanctificantem excipiat, sed etiam quòd recedente fictione, Baptismus reviviscat, ac baptizatus gratiam sanctificantem virtute Baptismi producendam excipiat. Ait autem:

XX. Quid si ad ipsum Baptismum fictus accessit, dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa? Eligant quod volunt, utrumlibet elegerint, sufficit nobis. Si dimissa dixerint, quomodo ergo Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, si in isto ficto remissionem operatus est peccatorum? Si dixerint non esse dimissa, quæro, si posteà fictionem suam corde concussô, & verô dolore fateretur, denuò baptizandus judicaretur? Quòd si dementissimum est dicere, fateantur verò Baptismô Christi baptizari posse hominem, & tamen cor ejus in malitia, vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri: atque ita intelligant in communionibus ab Ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi Baptismus eâdem Sacramenti celebratione datur & sumitur: qui tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, cùm quis reconciliatus unitati, sacrilegiô dissensionis exuitur, quô ejus peccata tenebantur, & dimitti non sinebantur. Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit ut denuò baptizetur, sed ipsâ piâ correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod antè datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam iste, qui Baptisma Christi, quod amiserunt, qui se separaverunt, inimicus charitatis & pacis Christi, in aliqua hæresi aut schismate accepit; quô sacrilegô scelere peccata ejus non dimittebantur, cùm se correxerit, & ad Ecclesiæ societatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsâ reconciliatione, ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus, in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.

Ut optimè docet S. Augustinus.

Similia habet lib. 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 5. unde in collatione 54. Carthagine habita contra Donatistas legimus: *Ideo ad Christum venire debent, qui extra Communionem Baptismum ejus habent, non ut quod deerat, adsit, sed ut quod inerat prosit*; nempe ad salutem, peccatorum remissionem, & animæ justificationem.

XXI. Ei subscribit author, quisquis est, sermonis de Passione apud Cyprianum ubi inter cætera hæc habet: *Licèt indigni sint, qui accipiunt; Sacramentorum tamen reverentia, & propinquiorem ad Deum parat accessum, & ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum.*

Et alii SS. Patres.

Consonat Gregorius lib. 9. epist. 61. & refertur de consec. dist. 4. can. 44. *Sanctum*, inquit, *quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impositionem manûs Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ, & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti?*

Similia habet S. Isidorus Hispalensis lib. 2. Officiorum, cap. 24. *Habet quidem Baptismum Christi hæreticus, sed quia extra unitatem fidei, nihil ei prodest: at ubi ingressus fuerit, statim Baptisma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi jam prodesse ad salutem.*

PETES, *Quisnam sit ille effectus reviviscentis Baptismi, sublatâ fictione, & remotô obice indispositionis illius, qui Baptismum susceperat?*

XXII. *R*Espondet Doctor præfatâ *q. 5. n. 4.* Et si objicitur, *inquit*, quomodo habebit iste gratiam Baptismalem, vel effectum aliquem Baptismi? Unô modô potest dici, quòd illa fictio non dimittitur, nisi per veram Pœnitentiam: sed eâ dimissâ habet Baptismus effectum suum respectu omnium peccatorum præcedentium Baptismum, quæ tamen non erant causa fictionis in Baptismo. V. g. aliquis ante Baptismum commisit septem peccata mortalia, & veniens ad Baptismum de sex attritus, septimum autem actu placet, vel de eo nullomodò atteritur; illud septimum solùm est causa (positiva) fictionis ejus in Baptismo: oportet ergo, quòd verè pœniteat de isto septimo, & in se, & in quantùm fuit causa fictionis ejus in Baptismo. Quod pro tanto dico, quia fortè peccavit novô peccatô mortali (ait fortè, quia potuit excusari per ignorantiam) faciens irreverentiam Sacramento Baptismi, recipiendo

Doctor profert tres modos quibus dici possit gratiam Baptismi reviviscere.

piendi Sacramentum, sine complacentia actuali in peccato, ait enim in 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 3. *Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici viâ, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Sacramenti; ita & in proposito*, &c. *Hoc declaratur*
XV. Quamquã enim videatur contrarium asserere, *sic, quia ad primam susceptionem gratiæ, requiritur aliquis motus meritorius de congruo; ad secundam autem non requiritur; nisi voluntaria susceptio Baptismi, & sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis; ita quòd in primo requiritur aliquod opus intrinsecum, aliquô modô acceptum, tanquam meritum de congruo: in secundo solùm requiritur opus exterius cum amotione interioris impedimenti; non solùm ergo attritus per aliquod tempus*, &c.

Non ea tamen est illius sententia. *Respondent* aliqui his verbis, Doctorem non asserere quòd requiratur pœnitentia ad dignam susceptionem Baptismi, sed quòd non requiratur contritio perfecta, quæ extra Sacramentum justificet, de qua contritione ut plurimum totâ illâ distinctione. Verùm, inquit Hiquæus in commentario, non est necessarium ad hoc recurrere; quia clarè loquitur, si membra discussa ejus discernamus, & scopum perpendamus.

In principio enim illius articuli reiicit sententiam Magistri *in dist.* 18. asserentis Sacerdotem Evangelicum non remittere peccata, sed ostendere remissa. Hanc impugnat Doctor, quia derogat Sacramento Pœnitentiæ, quia sic nunquam remitteret peccata, sed supponeret remissa per veram Contritionem, & consequenter non esset secunda post naufragium tabula. Subdit sententiam Alensis, qui dicit ad Sacramentum Pœnitentiæ adeò requiri dispositionem congruam, ut per Sacramentum remittatur peccatum, non tamen alligasse virtutem suam Sacramentis, quin sine ipsis remittat peccatum per perfectam dispositionem extra Sacramentum; quia est majoris misericordiæ, duplicem viam, & medium remittendi peccati instituere, quàm ad unum tantùm arctare.

Subdit autem Doctor exemplum de Baptismo adulti, & remissione peccati originalis per duplicem illam viam, nempe *vel* per bonum motum voluntatis, tanquam meritum de congruo; *vel* per realem susceptionem Baptismi, excludendo fictionem, ut inde probet etiam peccatorem post Baptismum utrôque modô justificari, sive per Contritionem, sive per Sacramentum Pœnitentiæ, suppositâ attentione, quod denotat illa clausula, *ita & in proposito*, &c. id est, de Pœnitentiæ Sacramento.

Et amplius subdit declarationem: *Hoc*, inquit, *declaratur sic*, &c. *quia ad primam susceptionem gratiæ* (nempe ab adulto, quando justificatur à peccato originali extra Sacramentum) *requiritur aliquis motus meritorius de congruo*, &c.

Præfatis itaque verbis nil aliud innuit Doctor,
XVI. Quid præcisè intendat. quàm quòd adultus, qui nullum admisisset actuale peccatum, non aliam ad recipiendum effectum Baptismi dispositionem exigat, præter voluntatem sinceram recipiendi ejusmodi Sacramentum; loquitur enim duntaxat de modo quô remittitur peccatum originale, ut constat ex ejus verbis; non autem sermonem ibi facit de peccato actuali, ad quod delendum, ultra voluntatem recipiendi Sacramentum Baptismi; requiritur etiam pœnitentia seu dolor de commissione ejusmodi peccati.

PETES, *Vtrum illa pœnitentia debeat esse actus contritionis perfectæ, an verò sufficiat attritio?*

XVII. Contritio perfecta non requiritur necessariò in adulto baptizando. RESpondeo, attritionem sufficere; siquidem Sacramentum Baptismi per seipsum habet vim remittendi peccatum, & regenerandi hominem, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 4. ubi postquam dixisset, justificationem impii, esse translationem *ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per Iesum Christum Salvatorem nostrum*, statim subjungit: *Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.* Quibus verbis Concilium attribuit vim regenerandi, vel ipsi Sacramento realiter suscepto, aut voto illud suscipiendi: votum autem istud aliud nõn intelligit quàm contritionem perfectam; igitur censet Concilium, Baptismum in re susceptum habere vim justificandi, non autem necessariò supponere hominem jam justificatum per contritionem.

Ut declarant Concilia, Tridentinum. *Confirmatur* ex eo quòd idem Concilium, in proœmio sessionis 7. loquens de Sacramentis ait: *Per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*: justitia autem non incipit per aliud Sacramrntum, quàm per Baptismum, qui primus est omnium Sacramentorum, & eorum janua, sicut & Ecclesiæ aditus: igitur, &c.

Et Florentinum. Accedit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi loquens de effectu Baptismi, ait: *Effectus Baptismi est remissio omnis culpæ originalis, & actualis*; ac subinde censet Baptismum ex se vim habere remittendi quodlibet peccatum; non autem necessariò debere supponere illius remissionem virtute contritionis perfectæ.

Et Doctor docet. Quam utique doctrinam pridem ante utrumque Concilium docuerat subtilis Doctor *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 4. *num.* 6. ubi ait: *Dicitur ergo, quòd ita Deus requirat dispositionem de congruo* (scilicet contritionem perfectam) *ad hoc, ut peccatori conferat gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ: & hoc non, quòd alliget potentiam suam Sacramentis; quin tamen sine dispositione illa prævia & congrua, quæ sufficeret, conferat per Sacramentum gratiam, & hæc est majoris misericordiæ, scilicet duplicem viam instituere, per quam justificetur peccator, quàm ad unam viam arctare. Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale, potest habere duplici viâ, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Baptismi: ita & in proposito*, &c.

Dices: Homo per peccatum avertit se à Deo, ut ab ultimo fine: igitur ut liberetur à peccato, necessarium est, quòd ad Deum se convertat, ut ad ultimum finem, adeoque per actum charitatis, & contritionis.

XVIII. Contritio perfecta non est necessaria ut homo se convertat ad Deum ut ad ultimũ finem. *Nego ultimam consequentiam*; enimverò per Contritionem imperfectam, sive Attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, peccator sufficienter se convertit ad Deum, tanquam ultimum finem, ut per Sacramentum peccati remissionem obtineat. Quod utique luculenter explicat Doctor in 2. dist. 37. qu. 1. nu. 8. *ubi ait*: Quòd aversio à fine ultimo potest intel-
" ligi dupliciter, vel formaliter, vel virtualiter:
" formaliter, vel contrariè, vel negativè, sic, quòd
" voluntas nolit illum finem, & tale nolle est odi-
" re: vel non velit cùm deberet velle, & tale non

velle est omittere illud præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum.* Virtualiter sic, quòd quando aliquid est necessarium ad consequendum finem ultimum, voluntas aversa ab illo, in hoc virtualiter à fine avertitur; sicut intellectus negans conclusionem, virtualiter avertitur à principio; & sic infirmus dicitur averti à sanitate, quando avertit se à potu amaro, sine quo non potest haberi sanitas. Prima aversio secundùm se est ejusdem rationis: nec includitur formaliter in quolibet peccato: est enim odium Dei speciale peccatum. Secundô modô aversio est communis omni peccato mortali, quia in omni tali peccato mortali voluntas inordinatè se habet respectu alicujus necessarii ad finem. *Hæc Doctor.* Subsumo: Atqui B per attritionem statim descriptam, voluntas antea à Deo per peccatum aversa ordinatè se habet respectu omnium necessariorum ad consequendum finem ultimum: ergo talis attritio proximè disponit peccatorem ad remissionem peccatorum in Sacramento Baptismi impetrandam. Consequentia est evidens. Probatur subsumptum ex verbis Christi Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Conclusio Quarta.

XIX. Qui fictâ pietate accedit ad Sacramentum Baptismi, validè quidem baptizatur, non tamen C recipit gratiam sanctificantem, nisi dum fictio illa, seu obex sublatus fuerit. Hæc est communis, & primam illius partem docet Doctor *dist. 4. quæst. 5.* ubi ait, *num. 2. Dico*, quia nolentem Deus non justificat, secundùm illud Augustini: Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. Iste, qui habet actualiter obicem contra gratiam, purâ infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntas committit, vel quod priùs commisit, & nullomodò sibi displicet, nullomodò recipit gratiam, secundùm Augustinum ubi suprà: *Omnis, qui sua voluntatis arbiter constitutus est, &c.* & de isto intelligitur illud Sap. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Quibus verbis subtilis Doctor significat perversam voluntatem illius, D qui fictè accedit ad Baptismum, esse obicem ne gratia sanctificans accipiatur, de quo certè nulla est controversia.

Qui fimulatâ pietate accedit baptizandus, validè baptizatur.

Sed non justificatur.

Porrò hanc veritatem luculenter explicat S. Augustinus lib. 1. de Baptismo, cap. 12. ubi non solùm docet fictionem obicem esse, ne baptizandus gratiam sanctificantem excipiat, sed etiam quòd recedente fictione, Baptismus reviviscat, ac baptizatus gratiam sanctificantem virtute Baptismi producendam excipiat. Ait autem:

XX. Quid si ad ipsum Baptismum fictus accessit, dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa? Eligant qood volunt, utrumlibet elegerint, sufficit E nobis. Si dimissa dixerint, quomodo ergo Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, si in isto ficto remissionem operatus est peccatorum? Si dixerint non esse dimissa, quæro, si posteà fictionem suam corde concussô, & verô dolore fateretur, denuò baptizandus judicaretur? Quòd si dementissimum est dicere, fateantur verò Baptismô Christi baptizari posse hominem, & tamen cor ejus in malitia, vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri: atque ita intelligant in communionibus ab Ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi Baptismus eâdem Sacramenti celebratione datur & sumitur: qui tamen tunc profit ad remissionem peccatorum, cùm quis reconciliatus unitati, sacrilegiô dissensionis exuitur, quô ejus peccata tenebantur, & dimitti non sinebantur. Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit ut denuò baptizetur, sed ipsâ piâ correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod antè datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam iste, qui Baptisma Christi, quod amiserunt, qui se separaverunt, inimicus charitatis & pacis Christi, in aliqua hæresi aut schismate accepit; quô sacrilegô scelere peccata ejus non dimittebantur, cùm se correxerit, & ad Ecclesiæ societatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsâ reconciliatione, ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus, in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.

Ut optimè docet S. Augustinus.

Similia habet lib. 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 5. unde in collatione 54. Carthagine habita contra Donatistas legimus: *Ideo ad Christum venire debent, qui extra Communionem Baptismum ejus habent, non ut quod deerat, adsit, sed ut quod inerat prosit*; tempe ad salutem, peccatorum remissionem, & animæ justificationem.

Et subscribit author, quisquis est, sermonis de Passione apud Cyprianum ubi inter cætera hæc habet: *Licet indigni sint, qui accipiunt; Sacramentorum tamen reverentia, & propinquiorem ad Deum parat accessum, & ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum.* XXI.

Et alii SS. Patres.

Consonat Gregorius lib. 9. epist. 61. & refertur de consec. dist. 4. can. 44. *Sanctum*, inquit, *quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impositionem manûs Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ, & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti?*

Similia habet S. Isidorus Hispalensis lib. 2. Officiorum, cap. 24. *Habet quidem Baptismum Christi hæreticus, sed quia extra unitatem fidei, nihil ei prodest: at ubi ingressus fuerit, statim Baptisma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi jam prodesse ad salutem.*

Petes, *Quisnam sit ille effectus reviviscentiæ Baptismi, sublatâ fictione, & remotô obice indispositionis illius, qui Baptismum susceperat?*

Respondet Doctor præfatâ *q. 5. n. 4.* Et si objicitur, *inquit*, quomodo habebit iste gratiam Baptismalem, vel effectum aliquem Baptismi? Unô modô potest dici, quòd illa fictio non dimittitur, nisi per veram Pœnitentiam: sed eâ dimissâ haber Baptismus effectum suum respectu omnium peccatorum præcedentium Baptismum, quæ tamen non erant causa fictionis in Baptismo. V. g. aliquis ante Baptismum commisit septem peccata mortalia, & veniens ad Baptismum de sex attritus, septimum autem actu placet, vel de eo nullomodò atteritur; illud septimum solùm est causa (positiva) fictionis ejus in Baptismo: oportet ergo, quòd verè pœniteat de isto septimo, & in se, & in quantùm fuit causa fictionis ejus in Baptismo. Quod pro tanto dico, quia fortè peccavit novô peccatô mortali (ait fortè, quia potuit excusari per ignorantiam) faciens irreverentiam Sacramento Baptismi, recipiendo XXII.

Doctor profert tres modos quibus dici possit gratiam baptismi reviviscere.

Primum, quòd peccatum fictionis & simulatæ pietatis deleri debeat per pœnitentiam; cætera verò peccata per baptismum.

illud cum tali fictione: sed recedente illâ fictione (quæ fuit impedimentum effectûs Baptismi) Deus confert gratiam baptismalem in remedium contra alia peccata, quæ fuissent deleta in Baptismo, nisi fictio occurrisset. *Et post pauca:* Sicut Deus signô suô priùs adstitisset ad causandum effectum ejus, vel dandum, quando suscipiebatur, nisi fuisset impedimentum in suscipiente; ita paratus est semper post susceptionem ejus signi assistere ei, qui suscepit, ad causandum effectum ejus, quando cessat illud impedimentum. Quomodo evidentiùs & illustriùs potuisset Baptismo, recedente fictione, concedere remissionem omnis culpæ & pœnæ?

Porrò quia hic modus dicendi non carebat difficultate, quam ibidem objicit & probabiliter solvit, hinc solitò sui intellectûs acumine rem ponderans, secundum & tertium modum excogitavit.

XXIII.

Secundũ, quod reviviscat in æquivalenti.

Secundum inquam nn. 7. ubi ait: Aliter potest dici, quòd quando verè aliquem pœnitet de fictione illa, gratia infunditur sibi perfectior, quàm esset illa, quæ præcisè virtute pœnitentiæ infunderetur: ita quòd illa includat in se perfectionem gratiæ pœnitentialis & Baptismalis; & hoc modô Baptismus habet effectum; quia gratia æquivalens gratiæ baptismali datur pœnitenti de fictione, simul cum illa, quam meretur de pœnitendo. *At statim obiicit:* Sed contra hoc arguitur, quia tunc ille haberet commodum de fictione sua, majus quàm si tunc non fuisset fictus, & post in peccatum cecidisset, simile illi fictioni: nam si cecidisset, & modò pœniteret, non haberet modo gratiam, nisi tantùm virtute pœnitentiæ. Tu autem dicis, illum qui tunc fuit fictus in Baptismo, habere in pœnitendo quasi duplicem gratiam. Itaque propter has incoovenientias ex illa sententia sequendas, non censet absolutè standum huic rationi: quapropter *num.* 8. aliam proponit sententiam ad explicandam ejusmodi reviviscentiam Baptismi.

Tertiò modo, inquit, principaliter *(hoc est ad principalem quæstionem)* potest dici, quòd ille pœnitens de fictione tantùm recipit gratiam virtute pœnitentiæ: & ita non majorem, quàm si non fuisset fictus in Baptismo, & post Baptismum cadens resurgeret pet Pœnitentiam.

XXIV.

Tertium quòd nullam gratiam recipiat præcisè vi sacramenti indignè suscepti.

Non est enim verisimile, quòd æquè pœnitenti de æquali peccato, vel minori, non detur æqualis gratia: iste autem lapsus post Baptismum, licèt quantùm ad aliquid, graviùs peccaverit, quàm fictus, tamen fictus quantùm ad aliquid graviùs peccavit, quia Sacramento irreverentiam fecit. Et tunc illa verba, quæ dicuntur de effectu Baptismi, quem sortitur pœnitens, de fictione, intelligenda sunt, non quòd in pœnitentia illa recipiat gratiam aliquam virtute Baptismi (quia susceptio ejus mortua fuit, & mortuus reviviscere non potest) sed absolutus est à præcepto de Baptismo suscipiendo, quia illud implevit: illa autem impletio nil sibi valuit ad salutem ante istam pœnitentiam.

Quibus omnibus Doctor tres modos proponit, quibus intelligi posset Sacramentum Baptismi reviviscere, quantùm ad effectum, in eo, qui simulatâ pietate illud susceperat: *Primus* quidem modus est, quòd per Pœnitentiam, quam agit ille, qui fictâ pietate Baptismum susceperat, remittatur quidem peccatum illius simulatæ & fictæ pietatis: cætera verò peccata, quæ ante susceptum Baptismum commiserat, remittantur virtute Baptismi suscepti, cui assistit Deus, hoc est, qui semper est præsens Deo, ipsumque movens ad producendum effectum, nempe remissionem peccati, & infusionem gratiæ sanctificantis, quem reverà produxisset in ipsa reali Baptismi susceptione, si non obfuisset obex simulatæ pietatis. Quem utique modum impugnat ibidem Doctor, *Eò quod,* inquit, *nullum peccatum mortale, quod inest post Baptismum, potest deleri sine Pœnitentia; quia illa est secunda tabula post naufragium, secundùm Hieronymum: illa autem alia peccata, quæ non sunt causa fictionis, insunt post Baptismum: ergo non delentur, nisi per Pœnitentiam: vel si fingat illa deleri per Baptismum, quando tollitur impedimentum effectûs Baptismi, quare non potest ita illa fictio, quæ fuit causa impedimenti, tolli, quando cessat impedimentum per ipsum Baptismum?* Proponit autem ibidem duplicem solutionem hujus instantiæ. *Primò,* quòd Pœnitentia & Baptismus simul concurrant per modum unius causæ adæquatæ, ad remissionem omnium peccatorum, tam eorum, quæ præcesserunt Baptismum, quàm ipsius fictionis; ita quòd si ille, qui fictè accesserat ad Baptismum, antea commisisset sex peccata mortalia, quibus septimum per illam fictionem in susceptione Baptismatis adjiceret, sex illa priora peccata remitterentur à Deo intuitu Baptismi suscepti: septimum autem intuitu Pœnitentiæ. Unde, inquit Doctor nn. 6. *Secundùm hoc esset dicendum, quòd illa sex delentur, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam, nec de eis oportet habere Contritionem, nec Confessionem, nec Satisfactionem, sed solùm de illo septimo, quod fuit causa fictionis.*

XXVI.

Expenditur & explicatur præfata subtilis Doctoris doctrina.

Ad secundam partem instantiæ, nempe quòd illa septem mortalia peccata sunt in ipso homine post Baptismum; *Respondet,* non tamen omnia debere per Pœnitentiam expungi: *quia,* inquit, *nullum eorum fuit causa, quin essent jam deleta: illud autem septimum fuit causa, quare nec ipsum, nec alia sunt deleta; & ideo rationabile est, quòd respectu ejus non habeat Baptismus efficaciam, sed respectu aliorum; quia ipsum formaliter impedivit effectum Baptismi, alia non. Et tunc illa propositio* (peccatum mortale post Baptismum non deletur, nisi per pœnitentiam) *debet intelligi de peccato commisso post Baptismum; vel omnino inhærente, sic scilicet, quod de ipsa non fuerit Contritio, nec Attritio in Baptismo, nec post Baptismum.* Quoniam autem hæc responsio varias adhuc patitur difficultates, & instantias, idcirco Doctor proponit secundum modum explicandi ejusmodi reviviscentiam.

Secundus itaque dicendi modus, quô fictio illa deleatur, est, quòd gratia baptismalis restituatur, non quidem in se, sed in æquivalenti; ita quòd homini illi, qui fictâ pietate ad Baptismum accesserat, ubi per Pœnitentiam resurgit, conferatur uberior gratia, quàm habuisset virtute solius Pœnitentiæ præcisè; quia gratia illa æquivaleret simul gratiæ Baptismali & Pœnitentiali: ita tamen, ut nullam gratiam reciperet virtute Baptismi ex opere operato, sed tantùm per modum dispositionis præviæ; itaut Baptismus eo in casu se habeat per modum dispositionis ad gratiam illam uberiorem per Pœnitentiam ex opere operato producendam; non quidem ex sola virtute propria ipsius Pœnitentiæ; sed ratione suscepti Baptismi, tanquam dispositionis præviæ.

Ideo autem Baptismus eo in casu dicitur se habere per modum dispositionis ad gratiam, quia

baptizatus per susceptum characterem insignitur novâ dignitate, ratione cujus adscribitur in familiam Christi, quò fit, ut acceptetur ad illam gratiam magis, quàm alios, qui non esset baptizatos. Quod etiam sigoificat author sermonis de Cœna Domini apud S. Cyprianum, ubi loquens de accedentibus ad Baptismum, ait: *Licèt indigni sint qui accipiunt. Sacramentorum tamen reverentia, & propinquiorem ad Deum pa at accessum, & ubi re ierint ad cor, constat ablutionu donum, & redit effectus muuerum; nec aliàs quæri, aut reperi necesse est salutiferum Sacramentum.*

Vèrùm huic dicendi modo opponit Doctor ipsum non posse admitti; quia, *inquit*, sequeretur, quòd ille, qui fictè acce sserat, *haberet commodum de fictione sua magis, quàm si tunc non fuisset fictus; & post in peccatum cecidisset simile illi fictioni: nam si cecidisset, & modo pœniteret, non haberet modo gratiam, nisi tantùm virtute pœnitentiæ: tu autem dicis illum, qui tunc fuit fictus in Baptismo, habere in pœnitendo quasi duplicem gratiam.*

Huic instantiæ respondet Doctor duobus modis: *Primò*, falsum esse, quòd ipse commodum habeat ex sua fictione, imò magis habet detrimentum; *Quia tempore Baptismi, & sequenti usque ad pœnitentiam est filius gehennæ, & omnia opera ejus mortua sunt: si autem non fuisset fictus, fuisset tunc & post usque ad lapsum filius regni, & opera ejus viva, quibus meruisset augmentum gratiæ, & gloriæ.* *Secundò*, negat quòd lapsus post Baptismum ritè susceptum, & per pœnitentiam resurgens, reportet aliquod commodum ex suo lapsu; licèt recuperet etiam gratiam baptismalem, & aliquid amplius, ut præclare docet *dist.* 22. ubi agit de reviviscentia meritorum per Pœnitentiam, ubi eandem veritatem nos etiam apertè propugnavimus.

Tertius tandem *modus*, quem proponit Doctor de reviviscentia Baptismi, per sequentem Pœnitentiam, est quòd pœnitens recipit quidem gratiam virtute Pœnitentiæ, per quam remittuntur ei peccata, ipsa quidem fictio directè, cætera verò indirectè; nullam autem gratiam recipit virtute Baptismi; quia illud indignè recepit. Nec inde sequitur Baptismum non valere converso ad salutem; licèt enim non valeat quantùm ad gratiam, valet tamen quantùm ad impletionem præcepti: quæ utique præcepti observatio proficit ad salutem, quando ille fictus pœnitentiam agit; siquidem per susceptum Baptismum fit filius regni, & membrum Christi, nec tenetur de novo ad præceptum Baptismi; unde ibidem observat Doctor, *Quòd actualiter peccans mortaliter potest implere præceptum affirmativum, etiam in illo actu:* Præceptum enim affirmativum determinat actum quoad substantiam, non verò quoad finem extrinsecum, aut alias circunstantias, quæ separari possunt à substantia actûs, prout cadit sub præceptum. Quoniam autem hæc quæstio de reviviscentia Sacramentorum iterum agitanda est ubi erit sermo de Sacramento Pœnitentiæ, ideirco ab ampliori illius examine hîc supersedendum judico.

ARTICULUS TERTIUS.

De Baptismi Effectibus, & Ritibus servari solitis in solemni illius administratione.

FOelix Sacramentum aqua nostra (ait Tertull. initiò lib. de Bapt.) *quia ablutis delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.* Nec unus est hic baptismi mirandus effectus, alios enim decem egregiè delibat S. Chrysostomus Homilia ad Neophitos, scribens: *Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi; & cives Ecclesiæ sunt qui fuerunt in peregrinationis errore, & justitiæ in sorte versantur, qui fuerant in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti: non tantùm sancti, sed & justi: non solum justi, sed & filii: non solum filii, sed & hæredes: non solùm hæredes, sed & fratres Christi; nec tantùm fratres Christi, sed & cohæredes; non solùm cohæredes, sed & membra; non tantùm membra, sed & templum: non tantùm templum, sed & organa Spiritûs. Vides quot sunt Baptismatis largitates, & nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere: nos autem honores computavimus decem.*

Baptismi varios effectus numerant SS. Patres.

Alias similes, nec equidem his inferiores Baptismi prærogativas sparsim invenies apud cæteros SS. Patres, maximè apud S. Augustinum, qui plurimis honoris titulis à miranda fœcunditate Baptismum commendat; maximè verò quòd sit spiritalis hominis regeneratio, ac resurrectio; ait enim serm. 163. de tempore, *Resurrecturum humanum genus in sæculi consummatione post mortem, nunc resurgit in Baptismo: suscitandus est tunc Dei populus post soporem, nunc suscitatur post infidelitatem: liberandus est tunc à mortali conditione, nunc liberatur ab ignorantiæ cæcitate: renasciturus tunc ad æternitatem, nunc renascitur ad salutem.*

Verùm, quoniam omnes illi mirandi Baptismatis effectus, maximè sunt appendices gratiæ sanctificantis per Baptismum divinitùs infusæ, nec-non & characteris per eundem impressi, de quibus jam multus fuit sermo in priori Disputatione: idcirco ne acta agere videamur, ab eis omnibus effectibus explicandis, (utpote quorum declaratio magis ad Concionatorem, quàm ad Theologum scholasticum spectare videatur) supersedendum judicamus. Duo itaque præcipuè hîc discutienda proponuntor. *Primum*, utrùm Baptismus revera deleat omnia omnino peccata, ac debitam eis pœnam exsolvat, & gratiam æqualem omnibus baptizatis conferat. *Secundum*, quænam sint cæremoniæ servandæ in solemni ejus administratione.

QUÆSTIO PRIMA.

Qualiter Baptismus peccatum & debitas ei pœnas remittat ac gratiam conferat?

I.

Calvinus docet peccata non elui per baptismum.

NOtandum primò, eam esse erroneam & hæreticam Calvini sententiam, peccata reverà per Baptismum non elui, sed duntaxat obvelari, siquidem originale peccatum non aliud esse censet, quàm concupiscentiam, quæ etiam in renatis perseverat: Licèt, *inquit*, non eis amplius deputetur ad interitum, & damnationem. Et in-

„ super *lib.* 4. *Instit. cap.* 15. ait: Ex hoc Sacramen- „ to (Baptismi) quemadmodum ex aliis, nihil „ assequimur, nisi quantùm fide accipimus: si fi- „ des deest, erit in testimonium ingratitudinis no- „ stræ, quò rei coram Deo peragamur, quia pro- „ missioni illic datæ increduli fuerimus; quatenus „ verò confessionis nostræ symbolum est, testari eò „ debemus fiduciam nostram in Dei misericordia „ esse, & puritatem nostram in peccatorum remis- „ sione, quæ parta nobis est per Jesum Christum, „ nosque in Ecclesiam Dei ingredi, ut unò fidei & „ charitatis consensu cum fidelibus omnibus viva- „ mus unanimes. Quibus verbis significat nullam inesse Baptismo, sicut & aliis Sacramentis efficacitatem circa remissionem peccatorum, quam duntaxat attribuit merito fidei: neque etiam vult fidei virtutem integram inesse ad diluenda omnia peccata; quippe cùm illa censeat in baptizatis perseverare, non solùm quantùm ad eorum appendices, putà calamitates, & ærumnas hujus vitæ, sed etiam quantùm ad eorum peccatorum defectum, licèt ipsorum turpitudo non appareat, utpote Christi D. meritis per fidem apprehensis, & nobis applicatis, quasi Regiò pallio tecta & obvelata.

II. Pœnæ illatæ propter peccatum sunt multiplices.

Notandum secundò, Pœnas propter peccatum vel proprium vel alienum luendas, esse duplicis generis: Aliæ enim sunt æternæ; aliæ verò temporales. Æternæ sunt nusquam finienda inferni supplicia, quibus cruciandi sunt reprobi tam Angeli quàm homines: Temporales sunt quæ finem obtinent, quales sunt vel ærumnæ vitæ præsentis, vel Purgatorius ignis & cruciatus propter leviora delicta post mortem sustinendus.

Insuper, pœnæ vitæ præsentis, vel sunt contractæ præter voluntatem, vel assumptæ voluntariè. *Contractas* pœnas seu ingestas appello quæ sunt naturæ per peccatum sauciatæ velut appendices, quales sunt mortalitas, morbi, fames, &c. *Assumptas* pœnas dico eas omnes quæ voluntariè ab homine pœnitente assumuntur, ut jejunia & alia ejusmodi corporalia exercitia contra naturæ appetitum & inclinationem, ut Deo offenso fiat satis. Quæritur autem utrùm omnes ejusmodi pœnæ per baptismum unà cum peccatis dissolvantur.

III. Inæqualitas gratiæ ex triplici capite.

Notandum tertiò, omnes Theologos consentire gratiam sanctificantem teverà ex opere operato conferri per baptismũ, sicut & per alia sacramenta in subjecto non ponente obicem ad illius receptionem. Conveniunt insuper æqualem gratiam conferri subjectis æqualiter dispositis saltem de lege ordinaria. Utrùm autem de lege extraordinaria Deus aliter disponat, determinandum est in præsenti Quæstione. Porrò illa gratiæ inæqualitas considerari potest vel ex parte Dei illam producentis; vel ex parte Christi illam promerentis, vel ex parte hominis illam suscipientis.

Conclusio Prima.

I. Omnia peccata per baptismum diluuntur.

PEr *Baptismum omnia omninò peccata, tam originale, quàm actuale, sive mortale, sive veniale, reverà diluuntur.* Hæc est de fide, ut colligitur ex illis omnibus Scripturæ textibus, in quibus vis temittendi peccata Baptismo tribuitur; Sic Act. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, &c.* Traditur pariter in Symbolo Nycæno, & Constantinopolitano: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Definitur in variis Conci- A liis, maximè Carthaginensi IV. *cap.* 1. ubi inter dogmata fidei quæ profiteri debet Episcopus consectandus. *Quærendum*, inquit, *ab eo si in baptismo omnia peccata, id est, tum illud originale contractum quàm illa quæ voluntariè admissa sunt, dimittuntur.* Et in Florentino in decreto unionis, ubi agens de effectu Baptismi, ait: *Hujus Sacramenti effectus, est remissio omnis culpæ, &c.* Ut autem significaret per culpam actualem, etiam venialem intelligere, subjunxit: *Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regna cælorum, & Dei visionem perveniunt.* Si autem per Baptismum etiam veB nialia peccata non delerentur, consequens esset, quòd neque remitteretur pœna eis debita, neque sine satisfactione baptizatus statim ad Regnum cælorum perveniret, siquidem, ut legimus Apocalypsis 21. in Civitatem cælestem Hierusalem *non intrabit aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.*

Eandem veritatem apertè definit Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali; ubi num. 5. ait: *Si quis per Iesu Christi D. gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod verum & proprium peccati ra-*C *tionem habet; sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.* Cujus quidem definitionis hanc rationem subjicit: *In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo, per Baptisma in mortem: qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; itaut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur.* Ita definiunt Concilia.

Idipsum apertè docet sanctus Apostolus ad Ephes. 5. ubi ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mun-*D *dans eam lavacrò aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi, gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Quomodo autem Ecclesia esset immaculata, & sancta, si baptizati ejus filii essent duntaxat sepulchra dealbata, intus plena sanie, & fœtore peccati? S. Scriptura testatur.

Idem docet 1. ad Cor. cap. 6. *Nolite*, inquit, *errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt: & hæc quidem fuistis, &c.* Subjungit efficaciam Baptismi, qui hæc omnia delevit: *Sed abluti*, inquit, *estis, &c.* Ex quibus colligitur veritas fidei definita à Conciliis, nempe peccata E tam originale, quàm actualia, quæ præcedunt Baptismum (de his enim agit Paulus duntaxat) per Baptismum deleri.

Eandem veritatem docent SS. Patres, Martialis Papa epist. ad Tolozanos, cap. 1. *Vos enim estis membra Christi, & corpus immaculatum, nec aliqua in eo coinquinatum, neque sordibus obvolutum, &c.* Subdit rationem: *Iam enim sanctificati, & mundati estis aquâ regenerationis, &c.* Cyprianus de ablutione pedum: *De abdito & secretissimo S. Spiritùs munere, hujus gratia liquor emanat, sic lavans quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula sui post ablationem illam vestigia derelinquat, &c.* Lactantius lib. 7. cap. 5.

Cùm homo cælesti lavacrô purificatus exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus & plenus.

V. Docent SS. Patres. Rhericius Auguſtoduoenſis apud Auguſtinum lib. 1. contra Julianum, cap. 3. *Hanc eſſe principalem in Eccleſia indulgentiam neminem præteris, in quo antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantia noſtra priſca facinora delemus, &c.* Ubi loquitur de Baptiſmo. Hieronymus lib. adverſus Ruffinum, cap. 7. & epiſt. 83. ad Oceanum, cap. 2. *Omnia ſcorta, & publica colluvionis ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriuſque ſexûs mutatâ naturâ, Chriſti fonte purgantur,* &c. *Omnia in Baptiſmate condonata ſunt crimina: nec poſt indulgentiam Iudicis eſt metuenda ſeveritas, dicente Apoſtolô. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine D. noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri, omnia peccata donata ſunt,* &c.

Sanctus Ambroſius hanc Baptiſmi virtutem multis eloquenter proſequitur Serm. 131. Pauca tantùm ſeligimus. *Quanam eſt illa aqua, quæ conſumit flammas, nec ipſa conſumitur à peccatoribus, ſed gehennæ conſumit incendia? Quæ dum per Baptiſmum infunditur, & ipſa in hominibus & tartari reſtinguit ardorem?* Et poſt aliqua: *Sed nec mirum, ſi in Baptiſmi Sacramento aperiatur infernus, cùm tunc quoque reſeretur & cælum. Aperiuntur enim hæc elementa: ut ad lavacrum Chriſti conveniant libertas & gratia. Libertas enim reſurrecturis tribuitur, gratia regnaturis. Illi eruuntur de pœna, hi aſſumuntur in gloria, &c.* Et cap. 3. libri de iis qui initiantur, cùm multa dixiſſet, ut aquæ Baptiſmalis virtutem efferret, concludit: *Aqua eſt ergo, quâ caro mergitur, ut omne abluatur peccatum, ſepelitur illic omne vitium,* &c.

Idem docet S. Auguſtinos maximè in omnibus operibus, quæ adverſus Pelagianos edidit, præſertim verò lib. 1. ad Bonifacium, contra duas epiſtolas Pelag. cap. 13. ubi refert calumniam Pelagianorum imponentium Catholicis, quòd dicerent, *Baptiſma non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Cui calumniæ reſpondens ſanctus Auguſtinus, ait: *Quis hoc adverſus Pelagianos, niſi infidelis affirmet? Dicimus enim Baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur; quaſi raſorum in capite capillorum, unde creſcant iterum reſecanda peccata: nam & iſtam ſimilitudinem comperi ſua adhibere calumnia, tanquam hoc nos ſentiamus, atque dicamus.*

Dices: Concupiſcentia remanet in Baptizatis: ſed illa dicitur peccatum ab Apoſtolo Rom. 6. & 8. igitur omne peccatum per Baptiſmum non aufertur?

Reſpondet ſanctus Auguſtinus huic objectioni hæreticorum *ibidem:* Sed de iſta concupiſcentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua neceſſe eſt, ut etiam baptizatus, & hoc ſi diligentiſſimè proficit, & Spiritu Dei agitur, piâ mente confligat: ſed hæc etiamſi vocatur peccatum, non utique quia peccatum eſt, ſed quia peccatô facta eſt, ſic vocatur: ſicut ſcriptura, manus cujuſque dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autem ſunt, quæ ſecundùm carnis concupiſcentiam, vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur, quæ tranſacta etiam reos tenent, ſi non remittantur. Et iſta ipſa carnis concupiſcentia in Baptiſmo ſic dimittitur, ut quanquam tracta ſit à naſcentibus, nihil noceat renaſcentibus.

Idem egregiè docet Concilium Tridentinum locô ſupra laudatô ubi ait: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur & ſentit: quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Ieſu gratiam repugnantibus non valet: quinimò, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.*

Inſtant: Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Nuptiis & concupiſcentia, uſurpans ſimilitudinem oleaſtri & oleæ inſertæ, & per primum intelligens peccatum; per ſecundum verò juſtitiam & gratiam, ait: *Quia tam magnum peccatum fuit,* inquit, *ubi magna in deterius fieret mutatio naturæ, ſolùm genus hominum fecit oleaſtrum, ut quemadmodum nunc in ipſis videmus arboribus, ſi quid inde in oleam gratia divina convertit; ibi vitium primæ nativitatis, quod erat originale peccatum de carnali concupiſcentia traductum, & tractum, remittatur, tegatur, & non imputetur: inde tamen oleaſter naſcatur, niſi & ipſe in oleam eâdem gratiâ renaſcatur,* &c. Et cap. 33. *Beata itaque olea, cujus remiſſa ſunt iniquitates, & cujus tecta ſunt peccata: beata cui non imputavit Dominus peccatum, ſed illud remiſſum & tectum eſt, & non imputatur donec fiat in æternam immortalitatem plena mutatio, habet vim quandam occultam, unde ſeminetur amarus oleaſter, niſi illic eadem Dei agricultura remittatur, tegatur, non imputetur, &c.* Quibus verbis ſanctus Auguſtinus docet, peccatum originale ita remitti per Baptiſmum, ut tantùm tegatur, & non imputetur: igitur cenſet peccata reverà non dilui virtute Baptiſmi.

Nego conſequentiam: Nam ſanctus Auguſtinus ibidem à capite 25. uſque ad 33. apertè docet, peccata reverà per Baptiſmum remitti, quantùm ad reatum, licet remaneant quantùm ad inclinationem corruptam, quæ eſt concupiſcentia, & peccati fomes; quia ex peccato oritur, & ad peccatum allicit. Unde quando dicit, peccatum tegi, & non imputari, ſeu remitti, vocabula *remiſſionis, tectionis,* & *non imputationis peccatorum,* vel accipit, & intelligit de ipſa concupiſcentia, quæ non imputatur oleæ dulceſcenti ex agricultura Chriſti per gratiam Baptiſmalem; quia illa concupiſcentia, quantumvis ex peccato oriunda, & ad peccatum inclinans, non imputatur ad damnationem homini non baptizato, qui pravis & inordinatis illius motibus non acquieſcit. *Vel* ſi intelligat de reatu peccati, verba *remiſſionis, tectionis,* & *non imputationis peccatorum,* eodem modo uſurpat quô uſurpantur in Pſal. 31. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata,* &c. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum,* &c. ubi *tegi* & *non imputari,* idem eſt quòd remitti peccatum per indulgentiam: *Tecta ſunt peccata, non ſic intelligas,* inquit S. Auguſtinus in illum Pſalmum, *peccata cooperta, quaſi ibi ſint, & vivant, &c.* Quod & docent alii Expoſitores, nempe ita tegi, ut amplius non ſint: teguntur enim per charitatem & juſtitiam, & alias virtutes, tanquam per primam ſtolam candidam & immaculatam, quâ tollitur turpitudo peccati: ſic enim

charitas operit multitudinem peccatorum, per Apostolum. Ita explicant Origenes *in cap. 4. epist. ad Rom.* Ambrosius *de Arca Neë cap. 31.* Gregorius *homil. 4. in Ezechielem:* igitur non imputari; idem est ac obliterari; imputatur enim peccatum, quandiu est; sicut & bona opera, & fides dicitur reputari ad justitiam sæpiùs à S. Paulo, & dicitur imputari merces ad præmium. Ita S. Bernardus serm. 1. de Annuntiatione: *Vtique quod factum est, Deô tamen non imputante, erit, quasi non fuerit, &c.* Scilicet per indulgentiam, & remissionem obliteratum, sanatum, mundatum, ut dicitur de peccatis deletis per Baptismum.

Conclusio Secunda.

VII. *Per Baptismum solvitur omnis pœna æterna, & temporalis, quæ per modum satisfactionis assumitur, non verò ea, quæ per nativitatem contrahitur.*

Per baptismum solvitur pœna æterna.

Hæc est communis, eamque docet Magister sententiarum *in 4. dist. 4.* ubi hanc conclusionem ex integro docet ita apertè, ut non pigeat hîc ejus verba exscribere. Solet quæri de illis, qui jam sanctificati Spiritu, cum fide & charitate ad Baptismum accedunt, quid eis conferat Baptismus? Nihil enim eis videtur præstare, cùm per fidem & contritionem jam remissis peccatis justificati sunt. Ad quod sanè dici potest, eos quidem per fidem & contritionem justificatos, id est, à macula peccati purgatos, & à debito æternæ pœnæ absolutos: tamen adhuc teneri satisfactione temporali, quâ pœnitentes ligantur in Ecclesia. Cùm autem Baptismum percipiunt, & à peccatis, si qua interim post conversionem contraxerunt, mundantur, & ab exteriori satisfactione absolvuntur, & adjutrix gratia, omnisque virtus in eo augetur, ut verè novus homo tunc dici possit.

Fomes quoque peccati in eo amplius debilitatur. Ideo S. Augustinus homil. 74. super Joan. dicit, quòd fides, quæ Fideles facit, in aquis Baptismi datur, vel nutritur: quia non habenti aliquando datur, & jam habenti, ut pleniùs habeat, datur: sic & de aliis intelligendum est. Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior, & omni habenti ibi amplius datur. Quòd vero omnis exterior satisfactio ibi relaxetur, Ambrosius ostendit super illum, Rom. 11. *Sine Pœnitentia sunt dona Dei, & vocatio,* dicens, (*Gratia Dei in Baptismo non requirit gemitum, vel planctum, vel aliquod opus: sed omnia gratis condonat.*) Quod quidem de exteriori gemitu, vel planctu accipiendum est. Nam sine interiore nemo adultus renovatur: sed exteriores satisfactiones, & afflictiones, scilicet sordes pœnitentium ibi dimittuntur.

VIII. Non verò omnis temporalis, ut optimè docet Magister sent.

Multum ergo confert Baptismus, etiam jam per fidem justificato: quia accedens ad Baptismum, quasi ramus à columba portatur in arcam: qui antè intus erat judicio Dei, sed nunc etiam judicio Ecclesiæ intus est.

Cùm verò in Baptismo peccatum deleatur, & satisfactio exterior non imputetur: quæritur, cur pœnalitas, cui pro peccato addicti sumus, non tollatur? Hoc ideo tradunt fieri Viri sancti, quia si à pœna homines per Baptismum liberarentur, ipsam putarent Baptismi præmium, non æternum regnum. Ideo solutò reatu peccati, temporalis pœna tamen manet, ut sit fideli & certandi materia, & vincendi occasio, qui non vinceret, si non pugnaret; nec pugnaret si in Baptismo fieret immortalis.

Eandem veritatem luculenter explicat & confirmat Seraphicus Doctor *d. 4. p. 1. a. 1. q. 2.* ubi cùm dixisset Baptismum solvere omnem peccatis debitam pœnam æternam & temporalem satisfactionem; non verò omnem contractam; quia Deus ita non ordinavit, subjicit rationem: Congruum fuit, quòd hujusmodi pœnalitates in æquitatem nobis relinqueret: & hoc ad manifestandam divini judicii, ad demonstrandum fructum Passionis Christi, ad promovendum meritum liberi arbitrii. *Ad manifestandam* æquitatem divini judicii, ut illa sententia, quam dictaverat de morte Adæ, & posterorum ejus, immobilis permaneret; unde ab illa nemo evadit. *Ad ostendendum fructum Passionis Christi*, quia si Dominus curaret naturam, & fomitem, filius nasceretur immunis à culpa, nec indigeret regenerari à Christo: ideo ut omnes se ipsius passione egere noscant; data est virtus Sacramento à Passione, sive ad hoc ordinatum est, ut pœnas remittat personales, non naturales, quia remedium respicit personam, non naturam, &c. *Ad amplificandum meritum liberi arbitrii.* Promovent enim ad bonum multipliciter hujusmodi pœnalitates. Dantur enim propter humilitatem: *Sagitta Domini militant in me, quarum indignatio, &c.* Propter timoris incussionem; *Terrores Domini militant contra me.* Propter suiipsius cognitionem tantummodò: *Sola vexatio dabit intellectum, &c.* Propter stimolationem ad bonum: *Surgite, & ite, quia non habetis hîc requiem.* Propter exemplum non peccandi: *Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Propter exercitium virtutum: *Hæ sunt Gentes, quas reliquit Dominus, ut erudiret Israël.* Propter hoc ut signum adoptionis filiorum: *Si extra disciplinam estis, &c.* Propter hoc etiam, ut nemo accipiat hoc in retributionis præmium, ne scilicet homines propter hoc ad Baptismum venirent: Si enim datur ibi immortalitas, propter hoc plures accederent, quàm propter gratiam, nec fides tunc haberet meritum, cui humana ratio præberet experimentum.

Et Doctor seraph.

IX. Quomodo baptismus imminuat Concupiscentiæ vires.

Quanquam autem collata per Baptismum gratia non auferat, nec amoveat omnimodè pœnas contractas, seu ingenitas, nihilominus eas imminuit; maximè verò concupiscentiam, quam S. Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 25. docet de die in diem magis ac magis minui; *Quamvis,* inquit, *reatu suô jam solutô, manet tamen concupiscentia, donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis de die in diem, cùm exterior induerit corruptionem: non enim substantialiter manet sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor* Et post pauca: *Quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus, accedente autem senectute multò maximè.*

Idem docet subtilis Doctor *dist. 4. quæst. 7. nu. 2.* ubi cùm dixisset in omnibus baptizatis non æqualiter remitti, nec imminui fomitem peccati; explicat modum, quô fiat ejusmodi fomitis, seu concupiscentiæ diminutio; scribit autem: *Quia fomes,* inquit, *cùm sit in carne, vel in virtute aliqua corporali, per gratiam, quæ est in anima, non potest formaliter diminui: quia non est inter ipsum, & gratiam formalis repugnantia, cùm non sint nata fieri circa idem. Sed dicitur fomes diminui quantùm ad effectum, quem consuevit causare in anima, scilicet peccatum: non secundùm quod gratia augetur.*

tur, fomes minorem habet efficaciam inclinandi ad peccatum.

Explicat exemplô lapilli alligati alis aquilæ: *Quia*, inquit, *si cresceret virtus motiva aquilæ, licèt non diminueretur gravitas lapilli (quia opposita non sunt, nec in eodem) tamen gravitas lapilli diminuitur quantùm ad effectum: quantò enim major est virtus in ala, tantò lapillus minùs impedit ascensum, vel volatum.*

Conclusio Tertia.

X. Baptismus æqualem gratiam ordinariè cōfert subjectis æqualiter dispositis.

B*Aptismus virtute propriâ æqualem confert gratiam de lege ordinaria subjectis æqualiter dispositis; inæqualem autem subjectis inæqualiter præparatis: fieri tamen potest de lege extraordinaria, ut æqualiter præparatis inæqualis gratia conferatur in collatione ejusmodi Sacramenti.* Prima pars hujus conclusionis sufficienter probata manet ex priori Disputatione, ubi expressè probavimus Sacramenta inæqualem conferre gratiam subjectis inæqualiter præparatis, estque certissima ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi loquens de justitia, cujus causa instrumentalis est Baptismus: *Quam*, inquit, *Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujuscunque dispositionem, & cooperationem.*

Suffragatur etiam ratio; enimverò Sacramentum confert gratiam ex opere operato instar causæ naturalis, quæ profectò eò perfectiorem producit effectum, quò subjectum invenit perfectiùs dispositum. Et certè conveniens fuit, ut Christus D. Sacramenta sic institueret, quòd accedens cum ampliori fervore, & devotione perfectiori, plus gratiæ reciperet, quam qui remissâ cum dispositione ad Sacramentum accederet; inde enim stimulus inest hominibus, ut se debitè disponant ad Sacramenti susceptionem, considerantes gratiam ampliorem conferri ex opere operato, secundùm propriam cujusque dispositionem; quemadmodum enim lapis & vitrum, licèt æquè distent a Sole, vitrum tamen plus luminis recipit, quam lapis; cujus amplioris illuminationis causa, est major capacitas ex parte subjecti, etiamsi Sol sit pariter illius majoris illuminationis causa efficiens.

XII. Potest tamen uberior gratia baptizatis conferri.

Secundam partem unà cum priori egregiè declarat, ac probat Doctor *in 4. dist. 4. quæst. 7.* ubi cùm supposuisset ad gratiam Baptismi tres causas concurrere, nempe Deum, ut causam efficientem; Passionem Christi, ut meritoriam; & ipsum suscipientem, ut materialem seu passivam; dixissetque æqualitatem, vel inæqualitatem gratiæ attendi posse ex parte cujusque; primum declarat, nempe quòd etiamsi de lege ordinaria Deus per Baptismum æqualem gratiam conferat æqualiter dispositis; veruntamen, *inquit*, quia Deus prædestinavit diversos Electos ad diversos gradus gloriæ, & hoc ante determinationem hujus signi ad tantam, vel tantam gratiam conferendam, & ordinato ad majorem gloriam, rationabiliter potest conferri major gratia: potest Deus in determinando veritatem, seu certitudinem hujus signi, disponere, conferre alicui suscipienti præcisè illam gratiam, quæ requiritur ad certitudinem signi: & alicui majorem, quem prædestinavit ad majorem gloriam; sed ille ulterior gradus non conferretur virtute Baptismi, sed de speciali benevolentia divina. Propter hoc dici potest, quòd ex parte causæ principalis, effectus est regulariter æqualis simpliciter, qui

1. Ex parte Dei gratiam producentis.

datur virtute Baptismi: quia supponitur, quòd de lege communi, prima gratia non datur major absque omni differentia extra causam principalem.

Quibus verbis Doctor asserit præter effectum gratiæ communis, quæ omnibus baptizatis confertur virtute Baptismi de lege ordinaria, Deum posse ex speciali voluntate, & speciali benevolentia erga aliquem majorem conferre gratiam: cujus excessus non proveniret quidem ex virtute Baptismi, quatenus est instrumentum ordinarium gratiæ producendæ; sed ex benevolentia Dei, quæ etiam mediante Sacramentô ad hoc specialiter assumptô potest causare illum effectum ex opere operato, quem tamen producere posset independenter à Sacramento. Non ergo dicit Doctor de facto dari majorem gratiam baptismalem, ei qui prædestinatus est ad majorem gloriam; ut falsò ei imponit *Setus* dist. 6. quæst. unicâ, art. 6. sed tantùm loquitur de possibili, cum quo videntur convenire Alensis *4. p. quæst. 21. memb. 3.* & S. Bonaventura *dist. 4. part. 2. art. 2. quæst. 3.*

Quantùm autem ad causam meritoriam, dici potest, *inquit* Doctor *num. 4.* quòd illa causa meritoria potest efficaciùs operari ad gratiam in uno modo, quàm in alio: vel quia specialiùs oblata pro uno quantùm ad intentionem offerentis, quàm pro alio: vel quantùm ad executionem pro uno oblata in effectu, pro alio non; nisi in prævisione divina.

2. Ex parte Christi merentis.

Primò modô Christus ponitur communiter nosse omnia, quæ Deus novit scientiâ visionis, & consequens novit omnes Electos, & ad quem gradum gloriæ fuerunt electi. Potuit ergo pro prædestinatis ad majorem gloriam, pleniùs offerre Passionem suam, & præcipuè cùm se offerret pro genere humano ad hoc, ut de eis impleretur divina prædestinatio.

Secundò modò, Passio Christi efficaciùs cooperatur pro nobis, qui sumus in lege Evangelica, quàm pro Patribus in lege Moisi: quia obsequium præstitum ad majus bonum retribuendum, magis acceptatur, quam beneficium prævisum. Et illô secundô modô est inæqualitas in suscipientibus gratiam per Circumcisionem, & Baptismum: propter inæqualem applicationem causæ meritoriæ ad istos: & fortè etiam in baptizatis ante Passionem, & post passionem. *Si* autem primô modô, scilicet propter specialem oblationem in voluntate Christi sit inæqualitas gratiæ in aliquibus nunc baptizatis, dubium est de facto; sed possibilitas est ostensa.

His verbis declarat Doctor, quomodo gratia, quæ in Baptismate confertur, possit esse inæqualis *ex parte offerentis*, vel *ex parte rei oblatæ*: Ex parte quidem offerentis, nempe Christi D. qui aliter pro reprobis, aliter pro Prædestinatis videtur suam passionem obtulisse: quia pro illis eam obtulit quantùm ad sufficientiam; pro his verò etiam quantùm ad efficacitatem; quippe cùm nosset, quinam essent propter finalem justitiam salvandi, aut propter finalem impœnitentiam damnandi. *Ex parte verò rei oblatæ*, potuit etiam esse gratiæ inæqualitas; quia Christi D. Passio diversimodè applicata fuit Patribus legis naturæ, & scriptæ; sicut aliter applicatur Fidelibus legis Evangelicæ: hinc diversa erat gratia collata per Circuncisionem, & longè minor, quàm quæ confertur per Baptismum, propter inæqualem applicationem Passionis Christi. Porrò utrum

reverà in lege Evangelica ratione offerentis, & rei oblatæ de facto conferatur major gratia uni, quàm alteri baptizato, non definit Doctor, ut perperam affirmat Scotus, & quidam alii; sed solùm loquitur de possibili, ut optimè notat Scholiastes.

3. Ex parte hominis suscipientis.

Quòd autem spectat ad suscipientem Baptismum, dicit Doctor *num.* 5. quod vel baptizati sunt parvuli, vel adulti: comparando parvulum ad parvulum, cùm nullum habeant motum proprium, nullam habent inæqualitatem ad gratiam, ex parte sui recipiendam. Potest tamen in parentibus unius, esse major motus, quàm alterius pro suo parvulo: vel in aliquibus aliis ministrantibus, vel assistentibus Baptismo: propter quorum merita Deus uni parvulo potest conferre majorem gratiam, quàm alteri: sed hoc non virtute Baptismi, sed meriti. Et hoc modò fortè parentes S. Nicolai orationibus suis meruerunt sibi majorem gratiam, quæ erat in eo etiam parvulo principium tam mirabilis effectûs, ut duobus diebus in hebdomada unicâ tantùm lactatione contentus maneret. Et quoad hoc magis optandum est puerum baptizari à bono Sacerdote, quàm à malo: quia orationes Sacerdotis boni, quas multas facit ante, & post Baptismum, magis exaudiuntur, & valent illi, pro quo fiunt, quàm orationes mali. Si autem baptizati sint adulti, cùm illi per motum proprium possint esse inæqualiter dispositi & in Sacramento confertur gratia secundùm proportionem dispositionis in suscipiente, sequitur inæqualis effectus.

Quòd si compares parvulum adulto, regulariter parvulus nullum meritum habet: adultus quantumcumque tenuem habeat voluntatem, dum tamen consentiat recipere Sacramentum, nec ponat obicem, videtur habere meritum proprium, & pro tanto magis dispositus est, quàm parvulus: ergo, &c. Sed esto, quod adultus toto tempore Baptismi peccet venialiter: videtur ergo esse indispositus quodammodò: parvulus autē nullam indispositionem habet: ergo in illo casu parvulus majorem gratiam recipiet. *Respondeo:* Peccatum veniale non prohibet gratiam infundi, nec etiam actum meritorium simul habere: tamen quia anima pluribus actibus, non potest simul æquè perfectè esse intenta; actus bonus, cum quo concurrit veniale, est minùs intensus: & ideò minùs meritorius, quàm foret sine ullo veniali. Et ad propositum sequitur, quòd adultus, si non ponit obicem peccati mortalis, & in susceptione Baptismi consentit; aliquem motum habet disponentem, quo caret parvulus: non obstante, quòd ille habeat veniale peccatum simul.

Hâc autem postremâ sententiâ significat Doctor non esse inæqualem gratiam Baptismi ex parte recipientis si non sit adultus; nisi fortè ab extrinseco, putà ex impetratione parentum, vel offerentium, vel ministri, quorum fides & merita ampliorem gratiam impetrare possent parvulo baptizato, non quidem meritò de condigno, sed de congruo, ut optimè notat Scholiastes: Nulla enim pura creatura promereri potest alteri gratiam de condigno, ut etiam ipsemet Doctor asserit *dist.* 4. *quæst.* 2. *num.* 4. ubi respondens ad secundum argumentum dicit, *Quòd de facto nulli datur gratia, nisi per aliquam causam meritoriam, quæ meruit conjunctionem ejus primam cum Deo: & hæc causa meritoria est Christus, sed præter istam non oportet dare aliam intrinsecam in recipiente, quâ conjungatur Deo, antequam recipiat gratiam.*

Quæstio Secunda.

De Ritibus & Cæremoniis servari solitis in solemni Baptismi administratione.

I. Unde deductum cæremoniæ nomen.

Cæremonia secundùm nominis ethimon ducitur, *inquit* Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 1. à *Cære* Hetruriæ oppido, eò quòd Româ à Gallis expugnatâ, Vestales quibus ornandorum, ac servandorum simulacrorum cura demandata fuerat, partitô inter se onere, & munere, illuc ea transportârunt: cùm autem ab ejus oppidi incolis benignè fuissent exceptæ; in hujus beneficii gratam memoriam Romani restitutâ libertate sanxerunt, ut omnis cultus diis impensus, *cæremonia* ab illius hospitii nomine diceretur.

Quid sit?

Quantùm autem ad rei veritatem attinet, cæremonia, est exterior circumstantia conducens ad religiosum cultum Dei, & sacrificiorum ornatum instituta, ut nempe majori eum celebritate cultus Deo debitus impendatur.

II. Eas negat usurpandas Calvinus.

Cæterùm Lutherus lib. de piis cæremoniis, negat ullas alias usurpandas esse cæremonias in administratione Baptismatis, præter eas, quas Scriptura commemorat. Idem docet Calvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 15. *num.* 19. ubi impudentissimè, non minùs, quàm impiè ita scribit: Quod ad externum symbolum pertinet, utinam genuina Christi institutio valuisset quantùm par erat ad cohibendam hominum audaciam. Quasi enim res esset contemptibilis, ex Christi præcepto, aquâ baptizari, inventa est benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ consecrationem pollueret. Additus posteà cereus cum chrismate; exsufflatio verò januam ad Baptismum aperire visa est. Etsi autem me non latet, quàm vetusta sit adventitiæ hujus farraginis origo: respuere tamen mihi & piis omnibus fas est, quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines. Cùm autem videret Satan stultâ mundi credulitate absque negotio ferè inter ipsa Evangelii exordia receptas esse suas imposturas, ad crassiora ludibria prorupit: hinc sputum, & similes nugæ palam in Baptismi probrum effrænâ licentiâ invectæ. Quibus experimentis discamus nihil, vel sanctius esse, vel melius, vel tutius, quàm unius Christi authoritate contentos esse. Quantò igitur satius erat, omissis theatricis pompis, quæ simplicium oculos perstringunt; & mentes hebetant, quoties baptizandus aliquis esset, in cœtum fidelium ipsum repræsentari, & totâ Ecclesiâ, velut teste, spectante & orante super eum, Deo offerri: recitari fidei confessionem, quâ sit instituendus Catechumenus: enarrari quæ in Baptismo habentur promissiones: catechumenum baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: remitti demum cum precibus, & gratiarum actione? Sic nihil omitteretur, quod ad rem faceret, & una illa cæremonia, quæ à Deo authore profecta est, nullis exoticis sordibus obruta, clarissimè effulgeret.

Cæterùm mergatur ne totus, qui tingitur, idque ter an semel, an infusâ tantùm aquâ aspergatur, minimùm refert: sed id pro regionum diversitate Ecclesiis liberum esse debet. Quanquam & ipsum baptizandi verbum mergere significat, & mergendi ritum veteri Ecclesiæ observatum fuisse constat.

Verùm hujus impudentis hæresiarchæ pervica-

ciam sic frangit Concil. Trident. sess. 7. can. 13. his verbis, *Si qnis dixerit receptos & npprobatos Ecclesin Catholicn ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consnetos, nut contemni, nut sine peccnto n ministris pro libitu omitti: nut in novos alios per quemcnmque Ecclesia Pastorem mutari posse, nnnthemn sit.* Erit itaque pars religionis, ac debiti, servari solitas in solemni baptismi admioistratione cæremooias hîc expendere sub tribus distinctis Paragraphis.

§. I.

De Caremoniis antecedentibus Bnptismum quoad substantiam spectntum.

VARIA antiquitùs servanda erant ab homine adulro, qui Baptismum postulabat: *Primò* namque per aliquem ex fidelibus, cui notus esset, deduccbator ad Ecclesiæ Antistites & Ministros, ut suum nomen, sicut & hominis eum deducentis, tanquam sponsoris consignarer, ut refert S. Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. de Baptismo.

III.
1 Baptizandi, etiâ præsentandi Sacerdotibus.

Deinde baptizandus committebatur, ac tradebatur curæ & vigilantiæ illius, qui edocendis ac carcchisandis Carechumeois præficiebatur, ut ab eo Christianæ Religioois mysteria & leges doceretur, juxta illud Christi D. oraculum: *Docete omnes Genses baptizantes eos*; quô utique tempore *Catechumeni* dicebantur à vocabulo Græco [illegible], quod significat vivâ voce iostruere. Unde etiam appellabantor *Audientes*, sive *auditores* ut observat Tertullianus lib. de Pœnitentia, c. 6.

2. Docendi

Nemo, inquit, *sibi adnletur, quia inter nnditorum tyrocinia depntatur, quasi eo etiam non sibi delinquere licent; an nlius est intinctis Christus, alius audientibus? Num spes nlia, vel mercos; alia formido judicii, alia necessitas Pœnitentia? Lavacrum illud obsignatio est fidei, qua fides n Pœnitentia fide incipitur, & commendatnr. Non ideo nbluimur, ut delinqnere desinnmus; sed quia jam desiimus, quoniam jam corde noti sumus: hac enim prima audientis intinctio est, metus integer.*

IV.
3 Pœnitentiam agere.

Quibus verbis etiam significat, quòd pœnitentiam agere deberent Catechumeni, ut ad Baptismi gratiam fierent idonei. Quod etiam luculenter declarat cap. 20. *Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis, & geniculntionibus & pervigiliis orare oportet.*

Ubi autem jam sufficienter instructi, & eruditi erant de mysteriis & moribus Christianæ Religionis, appellabantut *Competentes*, ut notat B. Pacianus serm. de Baptismo, eò quòd simul Baptismum peterent, quò alludit his verbis Tertullianus locô mox laudatô: *Itnque audientes optare intinctionem, non præsumere oportet; qui enim optnt, honorat; qui præsumit, superbit.*

V.
4. Erant approbandi.

Ad quod etiam spectat illud Concilii Agarhensis cap. 13. ubi legimos: *Symbolum etiam placuit nb omnibus Ecclesiis unâ die, id est, ante octo dies Dominica Resurrectionis, publicè in Ecclesia* COMPETENTIBUS *prndicari.* Appellabantur etiam *Electi*, ut constar ex Ordine Rom. & Sacramentario B. Gregorii, eo quòd ad Baptismum factis scrutiniis eligerentur.

Porrò scrutinia ante Baptismum sex fiebant Quadragesimæ tempore, ut docet Alcuinns, & Amalarius libris de divinis officiis. Primom scrutinium incipiebat à feria quarta Dominicæ tertiæ, quod frequentiùs iterabatur, ut exploraretur sæpiùs, an post renuntiationem Sathanæ sacra verba datæ fidei radicitùs corde defixissent. Septimum tandem scrutinium fiebat in vigilia Paschæ juxta ordinem Romanum; quô utique die præcedentia sex scrutinia reperebantur; maximè ob parvulos recèns natos, qui prioribus non interfuerant, ut pater cx Ordine Romano, & Amalario lib. 1. de divinis officiis, cap. 13. Quare Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum, cap. 27. & sequentibus, omnes baptismi cæremonias simul recenset. Cui ut morem geramus congruum judicamus illas omnes cæremonias, prout ex Ritualium ordine nunc geruntur, distinctè & enucleatè perstringere.

VI.
Ad Baptismi solemnem collationem requiruntur patrini.

Primò patrini & matrinæ baptizandum offerunt Sacerdoti; cujus quidem consuetudinis meminit Tertullianos lib. de Baptismo, quos idcirco *sponsores & fidejussores appellat*: similiter Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 2. *Quem*, baptizatum, inquir, *Sncerdotes assignant susceptori sno.* Et cap. 7. *Divinis*, inquir, *nostris Ducibus* (id est Apostolis) *ad mentem venit, & visum est suscipere infantes, secundùm istnm sanctum modum, quod nnturnles pneri parentes, traderent puerum cuidam docto in divinis Pndagogo & reliqnum sub ipso puer ngeret, sicut sub divino Patre, & snlvationis sancta susceptore.*

Quorum institutio oritur ab Apostolis.

Dicuntur autem *susceptores*, vel quòd recèns baptizatum suscipereor non solùm in custodiam, & in instructionem: vel quòd è sacro fonte emergentem tenerent, & abstergerent; onde cùm olim baptizarentur adulti, & totô corpore nudi immergerentur, solæ fœminæ fœminas, & viri viros suscipiebant. Posteà verò liberum fuit mari muliebrem sexum, & fœmioæ virilem adhuc infantem suscipere, ut ait Nicolaus. I. epist. ad Salooitanom Episcopum, ubi scribit: *Nosse desideras*, inquit, *utrum mulier, qua viri filinm ex alia fœminn genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideo jungi posse decernimus, quia secundùm sacros Cnnones, nisi amborum consensu, nullus Religionis obtentu debet dimittere conjngem.*

VII.
Tres erant antiquitùs.

Tres antem aliquando admittebantur susceptores ad sanctissimæ Trinitatis mysterium indicandum, ita Vualdensis Tom. 3. tit. 5. c. 49. Verùm postmodum, ut divinæ naturæ, & Baptismi unitas exprimeretur, Concilium Metense cap. 12. decrevit: *Infantes nequaquam duo, vel plures, sed unus n fonte Baptismatis suscipiat; est enim unus Deus, & unum Baptisma.*

Nunc debet esse unicus.

Idem statuit Coocilium Tridentinom *sess.* 14. *cap.* 2. ubi volens providere cognationis spiritualis impedimento, statuit; *Vt unus tnntùm sive vir, sive mulier juxta sncrorum Cnnonum instituta; vel nd summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant, &c.* Patrinus autem esse non potest, nisi adultus, isque baptizatus, ut nempe patrini munus implere valeat: illud autem officium in his maximè consistit, ut baptizandum Sacerdoti offerat, pro ipso fidei professionem emittat atque spondeat, baptizandum piè atque religiosè victurum. Unde sanctus Augostinus serm. 163. de tempore ait: *Quicumque viri, quæcunque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter susceperunt, cognoscant se pro ipsis fidejussores apud Deum extitisse, & ideo semper illis sollicitudinem veræ charitatis impendant.*

Debent invigilare saluti filioli sui.

Hinc, ut refert Amalarius lib. 1. de officiis Ecclesiasticis, *cap.* 2. Neophyti per octo dies sub ducibus, videlicet patrinis & matrinis deducebantur ad Ecclesiam, & ad alia Christianæ pietatis

munera. Quæ quidem cura, aut temporis spatio non concludebatur; sed & deincepa cùm oecesse fuerit, baptizatorum saluti patrini invigilare debebant.

Eorum est nomina imponere baptizando.

Insuper Sponsores baptizando imponunt nomina, ot fiebat in Circuncisione apud Judæos, prout constat exemplô Christi D. Lucæ 2. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circunciderctur puer, vocatum est nomen ejus Iesus.* Ioterdum autem adulti propria nomina in Baptismo conservabant, ut liquet exemplô SS. Ambrosii & Augustini; aliquando verò, & plerumqoe mutabant: Hinc Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. historiæ, cap. 12. loquens de S. Joanne Apostolo, ait multos Gentiles proptet singularem amorem, quô erga illom affecti erant, & propter æmulationem, quâ ad illum invitandum flagrabant, & quòd à Domino pari ratione diligi cuperent, Joannis nomen in Baptismo sibi imponi deprecabantur.

Impositô nomine, baptizandus renuntiat diabolo per seipsum, si sit adultus: si verò non sit ratioois compos, pet patrioum, & matrinam. Cujus utiqoe renuntiationis meminit Tertullianus pluribus in locis, maximè lib. de corona militis cap. 3. ait: *Aquam adituri ibidem sub Antistitis manu contestamur; nos renuntiare diabolo, & pompa, & Angelis ejus.* Quæ utiqoe renuntiatio, ut testatur Interpres sancti Diooysii de Ecclesiastica Hierarchia, fiebat versus Occidentem, & tertiò

IX. Quare fiat insufflatio, & abrenuntiatio.

repetebatur: *Occidentem versus*, inquit, *baptizandum statuens intendentem, manusque impingentem ad eandem regionem conversas, insufflare illum ter Sathanam jubet, ac præterea abrenuntiationem profiteri.* Ejusmodi exsufflationis meminit etiam B. Gregorius in Sacramentario: quod utique accedit ad nostram consuetudinem, quâ Sacerdos ter sufflat in faciem baptizandi, dicens: *Exi ab eo Sathan:* quò pertinet illud S. Cyrilli Hierosolymitani catechesi 2. *Insufflationes*, inquit, *Sanctorum, & nominis Dei invocatio, tanquam quædam flamma urit dæmones, & in fugam convertit.*

Illius etiam meminit S. Augustinus lib. de nuptiis & concupiscentia, cap. 18. scribens de Juliano, qui negabat oascentes esse sub diabolo, & debere portari ad Christum, ut eruereotur è potestate dæmonum: *Ac sic*, inquit S. Augustinus, *accusat Ecclesiam totô orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur: cùm ex Adam nascuntur, si in Christo non renascantur.* Et *cap.* 29. respoodens Pelagianis dicentibus Manichæum esse errorem, asserere homines origine suâ esse vitiatos & malos, scribit: *Non sicut iste*, ait, *perfectè Manichæus est, qui malum originale defendit: sed perfectè Pelagianus est, qui malum originale non credit: neque enim ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctrina, ex illa cœperunt in Ecclesia Dei parvuli baptizandi exorcizari, & exsufflari, ut ipsis mysteriis ostenderetur, non eos in regnum Christi, nisi erutos à tenebrarum potestate transferri.*

X. Quid sit Exorcismus.

Exorcismus autem, inquit S. Isidorus lib. 2. de officiis Ecclesiasticis, cap. 20. *sermo increpationis est contra immundum spiritum in energumenis, sive Catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus, & inveterata malitia expulsa fugetur.*

Testatur Josephus lib. 8. antiquitatum Judaïcarum, exorcismum à Salomone originem duxisse. Et S. Epiphanius hæresi 30. asserit Judæos Exorcistas, usos fuisse nomine *tetragrammaton*, cujus virtute dæmones fugabant. Quòd autem Judæi soliti fuissent energumenos exorcizare, innuit Christus D. *Matth.* 12. ubi cùm ei dixissent Judæi; *In Belzebub principe dæmoniorum eiicis dæmonia*, respondit; *Si in Belzebub eijcio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? &c.* Patet etiam ex illo Actorum c. 19. *Tentaverunt quidam de circumeuntibus Iudæis Exorcistis, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, &c.*

Et à quo primùm usurpatus.

Verùm non à Judæis Ecclesia ducit ritum exorcizaodi, sed ab exemplo Christi D. qui *Matth.* 7. lunaticum increpuit, & exiit ab eo dæmon. B Quam utique potestatem fidelibus contulit, maximè verò Ministris ad illud munus ab Ecclesia deputatis, cùm dixit Marci 16. *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, &c.*

XI. Cur imprimatur signum crucis.

Post insufflationem, & exorcismum; vel, ot solent aliquæ Ecclesiæ *paulò* aote utrumque, Minister Baptismi signum crucis imprimit io froote & pectore baptizandi, cujus cæremoniæ meminit S. Dionysius Areopagita locis suprà laudatis: *Imponit ejus capiti manum*, inqoit, *consignansque illum Sacerdotibus manum dat, virum suscepturemque describant.* Idem testatus Tertullianus lib. de C corooa militis, & sanctus Augustinus lib. 4. de Symbolo, cap. 1. dicens: *Per sacratissimum signum crucis vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia.*

Imprimitur autem signum crucis in fronte simul & io pectore, ut tradit sanctus Gregorius in Sacramentario, ut nempe uodique muniatur; utque noverit se destinatum ad ferendam crucem, & eam totô corde tanquam mysticam cœli scalam diligendam.

XII. Quare sal imponatur ori.

Postmoduoi Sacerdos *sal* benedicit, immittitque salis paululùm in os infantis; *ut nempe*, inquit Alcuinus, *putrida & fluxa baptizati peccata sapientiæ sale divinô mundentur:* unde Origenes D homil. 6. in Ezechielem, *Qui renascitur Christo, debet sale saliri.* Et sanctus Augustinus lib. 1. Confess, cap. 11. *Signabar jam ejus signô, & condiebar ejus sale.* Sales autem in mysterio Catechomenis dandos à Patribus institurum, inquit Isidorus lib. 2. de officiis, cap. 20. *Vt eorum gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque desipiant à sapore Christi.* Addit Ivo Carnotensis serm. de Sacramento Neophytorum: *Datur sal benedictum in os pueri per typum sapientiæ, ut sale conditus fœtore careat iniquitatis.*

XIII. Et aures salivâ liniantur.

Deinde Sacerdos mittit de saliva oris sui io dextram aurem infantis, dicens: *Ephета quod est adaperire.* Demum in nares, dicendo: *In odorem suavitatis.* Rursus in sinistram aurem, dicens: *Effugare diabole.* Ita præscribitur io Sacramenta- E rio S. Gregorii, & in Ordine Romano; cujus utique cæremoniæ origo ducta videtur ex Marci 7. ubi Christus D. volens sanare surdum, & mutum; *misit digitos suos in auriculam ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi:* EPHETHA, *quod est* ADAPERIRE. Unde S. Ambrosius lib. de initiandis, Catechumenos alloquens, ait: *Aperite aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis, munere Sacramentorum capite, quod vobis signavimus, cùm apertionis mysteria celebrantes, Ephetha diximus, quod est adaperire.* Porrò aures & nares tanguntur, & inonguntur salivâ, ut significetur, quòd homo per peccatum Adæ factus surdus ad divina, neque

amplius sapiat, quæ Dei sunt, per Baptismum spiritualem auditum, & olfactum denuò accipiat, ait Hugo Victorinus lib. 1. de Sacrament. cap. 8.

XIV. Quare fiebat fidei professio.

Expulsò autem per Exorcismum, & alios sacros ritus dæmone à baptizando, Symboli Apostolici traditur ei fides, inquit Alcuinus, *Vt vacua domus, & prisco habitatore derelicta, fide ornetur, & ut preparetur habitatio Deo:* Unde S. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 2. refert quòd Victorinus Rhetor ex editiori loco Romæ in conspectu populi professus fuerit fidem suam; quod etiam facere solebant Competentes. Ad quod alludere videtur Tertullianus lib. de corona militis, cap. 3. dum dicit: *Amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit.*

Et interrogatio.

Post hæc Sacerdos Catechumenum introducit in Ecclesiam, pannos quibus operitur tangens, ac dicens: *Ingredere*, & insuper eum nominatim interrogat: *Abrenuntias Satanæ?* Cujus cæremoniæ meminisse videtur S. Petrus epist. 1. cap. 3. his verbis: *Salvos nos fecit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*, ut interpretatur sanctus Cyrillus lib. 6. in Joannem.

Et pectoris ac scapularum unctio.

Deinde Sacerdos linit pectus, & scapulas infantis oleò Catechumenorum. *Pectus perungitur*, inquit Alcuinus, *ut signò S. Crucis diabolo claudatur ingressus: signantur & scapulæ, ut undique muniatur.* Vel, ut ait Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum, cap. 27. *Vngitur illius pectus de oleo sanctificato, cum invocatione sanctæ Trinitatis, ut mens ejus confortetur: ungitur & inter scapulas de eodem oleo, ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.* Hinc apud Græcos, baptizandus ungebatur totô corpore, ut referunt S. Cyrillus Hierosolymitanus Catec. 2. Chrysostomus hom. 6. in epistolam ad Coloss. ac B. Severus Alexandrinus in Baptismi ritibus. Verùm in Ecclesia Latina duntaxat ungi solere caput & pectus indicat S. Ambrosius lib. de iis, qui initiantur, cap. 6. & Isidorus lib. 2. de divinis officiis, cap. 8.

Post hæc Sacerdos interrogat baptizandum: *Credis in Deum?* Respondet: *Credo.* Cujus quidem cæremoniæ ac professionis fidei meminit Tertullianus lib. de spectaculis, cap. 4. ubi ait: *Aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur.* Solebat etiam antiquitùs huic professioni addi solemne juramentum de propugnanda ejusmodi fide ad mortem usque, ut observat Tertullianus lib. ad Martyres, & lib. de corona militis, cap. 11. Quibus completis ministratur Baptismus.

§. II.

De Cæremoniis concomitantibus, maximè de Loco & Tempore.

XV. Apostoli baptizârunt quôvis tempore.

CErtum est, Apostolos baptizasse omni tempore, & omni locô, ubi opportuna occurrebat occasio; neque enim post primam S. Petri prædicationem, Judæos ad fidem conversos, & media ad salutem necessaria postulantes, judicârunt aliô tempore & loco esse baptizandos: *Sed qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Neque Philippus quæsivit tempus, aut diem, quô Eunuchum baptizaret, nec Petrus quando Cornelium cum omni domo sua baptizavit, scilicet Apostolicæ prudentiæ non erat certam ac præsentem messem longiùs differre, ne passim à Gentilibus, aut Judæis, tanquam à furiosis belluis dissiparetur.

Insuper baptizandi nullô egebant tempore, ut fidei mysteria discerent, siquidem Spiritus sanctus docebat eos de omnibus, quæ ad Christianæ religionis, & fidei mysteria spectabant. *Præterea* ingens hominum multitudo ad Baptismum accedebat, & cùm aliunde pauci essent Ministri, qui eos baptizarent, conveniens erat, ut Baptismus in alterum tempus non remitteretur.

XVI. At postmodùm statutum fuit baptizandi tempus in Paschate & Pentecoste.

Verùm cùm per orbem propagari cœpisset Ecclesia, & jam plures constituti essent Ministri, qui Baptismum conferre possent, communis Ecclesiæ mos ex Traditione Apostolica obtinuit, ut nemo extra Paschatis & Pentecostes tempus solemniter baptizaretur, ut testatur imprimis Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 19. ubi scribit: Diem Baptismo solemniorem Pascha præstat, cùm & Passio Domini, in qua tinguimur, adimpleta est: nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quòd cùm ultimum Pascha Dominus esset acturus, missis Discipulis ad præparandum: *Invenietis*, inquit, *hominem aquam bajulantem*, Paschæ celebrandæ locum de signo aquæ ostendit. Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quô & Domini Resurrectio frequentata est, & gratia Spiritûs sancti dedicata, & spes adventûs Domini subostensa, &c.

XVII. Quæ consuetudo diu perseveravit.

Hinc Baptismi celebrationem in reliquis festivitatibus interdictam fuisse, constat ex Conciliis *Gerundensi*, cap. 4. *Compendiensi*, cap. 3. & *Vormacensi*, cap. 11. Cujus utique observantiæ rationem hanc profert S. Leo epist. 4. ad Episcopos per Siciliam constitutos, cap. 3. ubi loquens de festo Paschatis, ait: Apparere generandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis illum diem esse, & illud tempus electum, in quo per similitudinem, formamque mysterii ea, quæ geruntur in membris, his quæ in ipso sunt, capite gesta congruerent, dum in Baptismatis regula, & mors intervenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio resurgentis instar est de sepulchro: ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem; in quo orta est & virtus muneris, & species actionis. Additur sanè huic observantiæ etiam Pentecostes ex adventu Spiritûs sancti sacra solemnitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo, & cùm ad alios dies alia festa pertineant; hæc semper ad eum diem, qui Resurrectione Domini est insignis, occurrit, porrigens quodammodò auxiliantis gratiæ manum; & eos, quos à die Paschæ, aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclusit, invitat ut quibuslibet necessitatibus impediti desiderii sui effectum, donô Spiritûs sancti consequantur. *Addit cap. 4.* Hoc autem nos non ex nostra persuasione defendere, sed ex Apostolica authoritate servare, satis idoneô probamus exemplô, sequentes B. Apostolum Petrum, qui in die, quô omnium credentium numerum promissus Spiritûs sancti replevit adventus, trium millium populum suâ prædicatione conversum, lavacrô Baptismatis consecravit.

Rabanus lib. 2. cap. 38. testatur eam consuetudinem perdurasse usque ad tempora Caroli & Ludovici Imperatorum. Unde etiam orationes

& Cantica, quibus adhuc utimur solemniter in Paschalibos feriis, hanc cæremoniam baptizandi eô tempore resonant; hoc indicat Responsorium, *Vidi aquam:* Hymnus, *Ad cœnam Agni providi:* Introitus Feriæ 2. *Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac & mel.* Introitus Feriæ 3. *Aqua sapientiæ potavit eos*; & hujus diei Collecta: *Deus qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas.* Introitus Feriæ quartæ, *Venite Benedicti Patris mei.* Introitus Feriæ quintæ, *Victricem manum tuam Domine laudaverunt pariter, &c.* Similiter hujus diei Collecta, & Secreta: Introitus Feriæ sextæ; *Eduxit eos Dominus in spe*; & illius diei Secreta. Introitus Sabbati: *Eduxit Dominus populum suum.* Introitus quoque Dominicæ diei octavæ: *Quasimodo geniti infantes.*

XVIII. *Cur fuerit abrogata.* Causam autem cur abrogata sit hæc consuetudo, subodorari licet ex Socrate lib. 5. historiæ Ecclesiasticæ, *cap.* 29. ubi refert in Thessalia plurimos absque Baptismo mortuos, quòd diebus Paschæ duntaxat Baptismata fieri consuevissent. Eandem rationem mutasse etiam de toto tempore Pentecostes, verisimile est ex negligentia subinde aut parentum, aut Presbyterorum Parrochialium, ut observat Pamelius ad *cap.* 19. Tertulliani lib. de Baptismo. Cæterùm urgente necessitate citra solemnitatem quôvis tempore baptizare licebat, ut ibidem observat Tertullianus:

XIX. *Urgente necessitate licebat baptizare quôvis tempore.* *Cæterum*, inquit, *omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo, si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.* Quod etiam significat Concilium Gerundense, *cap.* 5. ubi sic statuit: *De Catechumenis baptizandis id statutum est, ut in Pascha solemnitate, vel Pentecostes, quantò majoris celebritatis major celebritas est, tantò magis ad baptizandum veniant, cæteris solemnitatibus infirmi tantummodò debeant baptizari: quibus quócumque tempore convenit Baptismum non negari.* Idem etiam statuit S. Leo epist. 4. cap. 6. *Si qui*, inquit, *necessitatem mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, & naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari.*

XX. *In quôvis loco licebat baptizare.* Quantùm autem ad *locum*, certum est Apostolos, & eorum Discipulos baptizasse in aquis obviis; nam legimus *Actor.* 8. Philippum baptizasse Eunuchum in aqua, quam obviam habuerant. Et *cap.* 16. Lydia purpuraria baptizata est juxta flumen. Et in vita S. Marcelli Pontificis: (cujus die sacrô hæc scribimus,) legitur, quòd S. Cyriacus in sua domo fontem ædificavit, quem consecravit S. Marcellus; ubi frequenter baptizabat. Cùm verò Christiana Religio per orbem propagata jam à frequentibus persecutionibus tantillum quievisset, Baptisteria in urbibus, in porticu Ecclesiarum construi cœperunt. Unde Cyrillus Hierosolymitanus baptizandos alloquens: *Iam*, inquit, *circa Porticum regalis Palatii fuistis, &c.* Post hæc verò in Ecclesiis Baptisteria erecta sunt; siquidem Clodovæum Francorum Regem in Ecclesia baptizatum fuisse, refert Gregorius Turonensis 2. Historiæ Francorum.

Baptismus autem conferri solebat antiqnitus per trinam immersionem, & totidem emersiones, ut per hoc quod tertiò infans ab aquis educitur; Resurrectio triduani temporis exprimatur, *inquit* Gregorius lib. 1. epist. Nihilominus valebat etiam Baptismus vel per aspersionem, vel per immersionem etiam unicam, ut decernit Concilium Toletanum quartum *cap* 5. his verbis: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem.* Verùm de his jam sufficienter actum est in quæstione de materia Baptismi, quocirca sit:

§. III.

De Cæremoniis Baptismi substantiam consequentibus.

XXI. *Baptizatum Sacerdos osculabatur.* BAptizatum è sacro fonte emersum amplexabatur Sacerdos, & osculabatur, ut colligitur ex epist. 59. S. Cypriani ad Fidum Episcopum contendentem, infantes ante octo dies non esse baptizandos, quòd nemo sine stomachi fastidio posset eos propter assueras sordes ex utero contractos osculari, ad quem ita scribit S. Cyprianus, & cæteri Collegæ, qui in Concilio ad numerum 66. congregati fuerant: *Quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti, mundum non esse dixisti, quod unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari; nec hoc putamus ad cœlestem gratiam dandam impedimento esse oportere: scriptum est enim, omnia munda mundis: nec aliquis nostrum debet horrere, quod Deus dignatus est facere: Nam etsi adhuc infans à partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrere debeat osculari; quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua Religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato, & recens nato quodammodò exosculamur, quando id, quod Deus fecit, amplectimur.*

XXII. *Deinde in vertice ungebat.* Post osculum Sacerdos baptizatum ungit in vertice capitis, cujus quidem unctionis meminit sanctus Ambrosius lib. de initiandis, *cap.* 10. necnon & lib. 2. de Sacramentis, *cap.* 7. & refertur de consecr. dist. 4. cap. 189. ubi sic recèns baptizatum alloquitur: *Emersisti, venisti ad Sacerdotem, quid tibi dixit? Deus,* inquit, *Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam; vide ubi unctus es: in vitam*, inquit, *æternam.* Cujus utique cæremoniæ rationem profert lib. 3. cap. 1. *Accepisti mysterium, hoc est, unguentum supra caput: quare supra caput? Quia sensus spiritalis in capite est.* Et infrà, *cap.* 2. subdit: *Sequitur spiritale signaculum, quod audisti hodie legi: quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Tertiam rationem profert Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum, *cap.* 28. *Postquam*, inquit, *ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro, à Presbytero cum sacro chrismate sequente simul & oratione, ut regni Christi particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari.* Quantam denique rationem adjicit Alcuinus *cap.* 19. *Tunc sacrò Chrismate*, inquit, *caput perungitur, ut intelligat se diadema Regni, & Sacerdotii dignitatem portare, &c.*

Post hæc caput panno tegebat. Unctum caput pannô seu linteolô obvolvitur per octo dies, ut signum sit, *inquit* Amalarius lib. 1. cap. 29. *quòd sicut ab illorum capite oleum non deficit per octo dies, ita nunquam charitas à mente nostra deficiat.*

XXIII. *Et veste alba induebar.* *Post Baptismum*, inquit Rabanus lib. 1. cap. 29. *traditur Christiano vestis candida, designans innocentiam, & puritatem Christianam, quam post ablutas veteres maculas studiò sanctæ conversationis immaculatam servare debet, repræsentandam ante tribunal Christi. Cuncti verò renati albis induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis Ecclesiæ.* Idem

ibidem. Vtuntur ergo baptizati albis vestibus, ut quorum prima nativitatis faciem vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus secunda generationis gloria praeferat indumentum. Tegitur enim post sacram unctionem caput ejus mysticô velamine, ut intelligat, se diademate regni, & Sacerdotali dignitate potiri. Ejusdem consuetudinis meminit sanctus Dionysius Areupagita lib. de Ecclesiastica Hierarchia, agens de Baptismo: *Assumentes autem illum* (baptizatum) *Sacerdotes*, inquit, *suique accessûs duce consignant, & unà cum ipso illum vestem baptizati munditia congruam induunt; sicque indutum rursum ad Pontificem ducunt.* Unde canit Lactantius carmine de Resurrectione Domini.

Candidus egreditur nitidis exercitus undis.

Cui concinit Poutius Paulinus, Baptismum sic describens

Inde parens sacrô ducit de fonte Sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.
Circumdatque rudes festis altaribus agnos:
Pura saluriferis imbuit ora cibis.
Hinc senior socia congaudet turba caterva,
Alleluya novis balat ovile choris.

Portabatur autem hæc vestis candida per octo dies nec deponebatur nisi Sabbatô ante Dominicam sequentem festum Paschatis, imò non-nisi ipsô die octavô Paschæ dimitti solere, indicat S. Augustinus serm. 197. de tempore, qui est de illa die Dominica, ubi ait: *Paschalis solemnitas hodiernâ festivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur: ita tamen, ut candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.*

Præclarum facinus hac de re narrat Victor Uticensis lib. 3. de persecutione Vuandalorum Arianorum, de *Muritta* Diacono Carthaginensi, qui cùm baptizasset hominem quemdam nomine Elpidoforum, servavit *Sabana*, id est, linteamina alba, quibus eum de sacro fonte surgentem texerat. Cùm autem Elpidoforus ille postmodum à fide excidisset, & Judex seu potius tyrannus, (qui Catholicos ad fidem ejurandam cogeret) ab Hunnerico Rege delegatus, *Murittam* ad Tribunal evocasset, & in fide constantem damnasset ad supplicium; id præsciens Muritta secum detulerat vestem illam albam, quam (ubi audiit prolatam in se mortis sententiam,) statim publicè expandens, eamque hujus tyranni oculis objiciens, animô generosô, & dignô Martyre in hæc verba erupit. *Hac sunt linteamina, Elpidofore minister erroris, qua te accusabunt, dum Majestas venerit judicantis, custodiente diligentiâ meâ, ad testimonium tua perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Hac te immaculatum cinxerant de fonte surgentem. Hac te acriùs persequentur flammantem gehennam cùm cœperis possidere, quia induisti maledictionem sicut vestimentum, scindens te amittis veri Baptismatis & fidei Sacramentum. Quid facturus es miser, cùm servi Patris-familias ad cœnam regiam congregare cœperint invitatos, tunc te aliquando vocatum terribiliter indignum exutum stolam Rex conspiciet nuptialem, dicetque tibi: Amice, quomodo huc venisti, vestem non habens nuptialem? Non video quod contuli, non nosco quod dedi, perdidisti militia chlamydem, quam in tela Virgineorum membrorum decem mensibus texi, & pendiculas crucis, quas extendens aquam emundavi, & purpurâ mei sanguinis decoravi: Non conspiciunt oculi mei, characterem non video Trinitatis, talis interesse non poteris epulis meis, ligate eum pedibus & manibus funiculis suis, qui ipse se voluntariè separare voluit à Fratribus suis Catholicis.*

XXIV.
Cereum accensum porrigebat.

Post acceptam vestem albam Sacerdos baptizato porrigebat *cereum ardentem*, cujus cæremoniæ meminit sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in catechesi, ubi baptizatos alloquens, ait: *Sponsales vobis lampades donata sunt.* Unde Ivo Carnotensis serm. de Sacramento Neophytorum: *Ad ultimum datur cereus ardens in manus baptizati, quatenus implere doceatur illud Evangelii: Luceat lux vestra coram hominibus.* Ipsi concinit Honorius in gemma animæ lib. 3. *Mox*, inquit, *de fonte elevatis, lumen dare solent, quatenus splendidis operum lampadibus sponso venienti occurrant.* Porrò cum hac ardente lucerna, ac vestibus albis per septem dies recèns baptizati ad Ecclesiam properabant, & Ecclesiis assistere solebant, ut refert Alcuinus epistolâ ad Carolum Magnum.

Testatur etiam Rhenanus in Occidentis Ecclesiis hanc inolevisse consuetudinem, ut recèns baptizatis vinum & lac daretur, idque probat authoritate sancti Hieronymi lib. adversus Luciferianos: Tertullianus autem lib. de corona militis, dicit in Africa solitum esse dari baptizatis lac & mel: *Inde suscepti*, inquit, *lactis & mellis concordiam pragustamus.* Cujus etiam cæremoniæ meminit ibidem S. Hieronymus.

XXV.
Eucharistiam præbebat.

Solebat etiam antiquitus statim post completas Baptismi cæremonias ministrari Eucharistiæ Sacramentum, ut testatur Tertullianus libro 4. adversus Marcionem, ubi dicit: *Nec alibi conjunctos ad Sacramentum Baptismatis, & Eucharistia admittens.* Testatur etiam ibidem solitum fuisse administrari baptizatis Sacramentum Confirmationis: *Dehinc*, inquit ibidem cap. 8. *manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum sanctum.* Cujus etiam consuetudinis plurimi è veteribus meminerunt, Sanctus Cyprianus epist. ad Jubajanum; *Quod nunc quoque*, inquit, *apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, prapositis Ecclesia offerantur, & per nostram orationem, & manûs impositionem Spiritum sanctum consequantur; & signaculô divinô consummentur.* Idem habet epist. 70. Similiter sanctus Hieronymus adversus Luciferianos: *Quòd si hôc locô quaris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui; disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quòd post Ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit*; unde Melchiades Papa epist. ad Episcopos Hispaniæ: *Ita conjuncta sunt hac duo Sacramenta, ut ab invicem nisi morte praveniente, nullatenus possint segregari; & unum sine altero ritè perfici non potest: nam unum praveniente morte, salvare sine altero potest, aliud autem non potest.* Denique omnium horum antiquissimus B. Clemens Papa I. *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est, septiformem gratiam Spiritûs sancti percipere: quia aliter perfectus Christianus esse non poterit, si non necessitate, sed incuriâ, vel voluntate sic remanserit. Quod à B. Petro accepimus, & cateri Apostoli docuerunt.*

XXVI.
Ac ad Episcopum ducebat ut Confirmationem acciperent.

XXVII.
Cur pulsentur campanæ post Baptismū.

Postremò tandem pulsantur campanæ in signum exultantis Ecclesiæ, propter hominem generatum, & deputatum inter suos filios: Unde Tertullianus capite 20. libri de Baptismo ait:

Ergo & nos dicet aliquis à lavacro jejunare oportet; ecquis enim probibes aisi necessitas gaudu & exnltatio salutis? Unde eirea finem libri baprizatos sie exultabundus alloquitur: *Igitur benedicti, quos gratia Dei expectat; cùm do illo sanctissimo lavacro novi natalis asceaditis, & primas manus apud matrem cam Fratribus aperitis, petite de Patre, petite de Domino peculia, gratias, distributioaes charismatum subjiciento, &c.* Et sanctus Augustinus ferm. 67. de Dominica Paschali: *Hic dies*, inquit, *lacidior illnxit, in qao Dominus novam plebem regenerationis spiritu conquisivit, in qno stagulorum mentes gaudiô & exnltatione perfndit.*

His omnibus apertè constat cæremonias sacras in baptismi administratione etiam nunc fervari folitas, non esse novum quoddam figmentum ut pessimè garriunt hæretici, sed totâ ipsâ antiquitate consecratas, & ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio usurpatas.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Virtute & Sacramento Pœnitentiæ.

TANTA est humanæ naturæ ad malum proclivitas, & in bono sectando levitas & inconstanria; ut vix innocentiæ venustatem adepta, statim gravioris peccati colluvione deturpetur, & restituta illius sanitas novis succrescentibus morbis evanescat. Curatur equidem sacro baptismatis medicamine genialis morbus, & primi parentis noxâ deperdita salus divini illius Sacramenti virtute reparatur: At non ita radicitùs evelluntur morbi reliquiæ, quin iterum recrudescant, eòque lethaliùs animam inficiant quòd jam prorsus indigna divino munere in certum æternumque naufragium præceps impingeret, nisi Pœnitentia veluti secunda tabula naufraganti fœliciter occurreret, & in portum divinæ clementiæ protelaret. Hæc enim est, ait Tertullianus, *qaa in peccatorem pronnntians pro Dei indignatione fnngitur & temporali afflictione æterna supplicia, noa dicam frustratur, sed expaagit; cùm enim provolvit bomiaem, magis revelat; cùm squallidum facit, magis mundatum reddit; cùm accusat, excusat; cùm condemnat, absolvit.*

Quàm magna pœnitentiæ virtus.

Tantus namque est Pœnitentiæ vigor, & lacrymarum prærogativa, ut ex deterrimo peccatore delictis turpi, flagitiis infami, dæmonum mancipio, & gehennæ reo, faciat non modo virum innocentem, immaculatum, & culpis defœcatum; sed ferè Sanctorum maximum, eumque admirabili metamorphosi, velut in Joannis Baptistæ prærogativam, & sanctitatem transformet, ut præclarè significat S. Laurentius Novariensis, cùm de homine, qui Pœnitentiæ vacat, sic ait: *Noli ta jam quærere aeque Ioanaem, aeque Iordanem, ipse sibi esto Baptista*, quasi dicat: Joannes Baptista virgo est, Martyr, Præcursor, Propheta, Anachoreta, quin & Angelus: esto igitur ex impudico virgo, esto Martyr à Pœnitentiæ acerbitatibus, esto Præcursor annuntians tibi Christum venturum in redemptionem, esto Anachoreta vitæ sanctimoniâ, Propheta vaticiniis, Angelus puritate, Baptista meritis, verbô dieam, ipse tibi esto Baptista.

Homil. de pœnit.

Nec immeritò sanè, lacrymis enim Pœnitentiæ, virtutem Baptismatis inesse non obscurè significant SS. Patres, imprimis S. Ambrosius, cùm exelamat: *Bona lacryma, ia quibus est redemptio peccatorum!* Quasi lacrymæ sint redemptrices, & vicariæ nón solùm Baptismatis, sed etiam Dominicæ Passionis; unde apprimè quadrat in Pœnitentiæ lacrymas, quod de saliva Christi ingeniosè dixit sanctus Chrysologus ad illud Joan. 9. *Expnit ia terram, & linivit super ocalos ejus: Divino*, inquit, *ore luciferam dat salivam, ut sanitatis gutta baptizaret ocalos peccatoris*; piæ enim lacrymæ oculos baptizant, nam eorum fomitem temperant, & contractas ab eis fordes eluunt. Imò totum hominem emaculant, ut advertit Hugo Cardinalis, dicens: *Luctus, est mentis hnmana baptisterium*; quasi diceret nihil aliud esse lavacrum lacrymarum, nisi secundum Baptismum, quô totus homo quantumvis criminibus fœdatus, omnino emaculatur, & virtutis, ac innocentiæ pulchritudinem induit.

Lib. 6. in Lucam.

Serm. 176.

His eleganter consonat S. Petrus Chrysologus; cùm de Magdalena pedes Christi lacrymis rigante exclamat: *O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigaat cælum, terram dilnunt, extingnnnt gehennam, delent in omne facinus, latam divinâ promalgatione sententiam.* Nec minùs eleganter, sed ad scopum nostrum directiùs collimat, cùm subdit: *In peccatricis caput purgaadis criminibus refluebat unda, at snô fonte malier ia novum Baptisma suorum dilneret illuviem peccatorum.* Liceat ergo cum S. Chrysostomo hìc exclamare: *O Pœnitentia, qaa peccata Deô miserente remittis, & Paradisum reseras, contritum sanas, omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, statam restaaras, hoaorem renovas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiorem refundis! Omnia ligata ta solvis, omnia soluta ta custodis, omaia adversa tu mitigas, omnia contrita susanas, omnia confusa ta lacidas, omnia desperata tu aaimas, &c.*

Serm. 176.

Serm. 93.

Serm. de Pœnit.

Nec minùs eleganter & eruditè his concinit Author libri de vera & falsa Pœnit. eap. 1. ubi scribit: *Quantùm sit appeteada gratia Pœnitentia, omnis aatboritas declaras, omnis bonorum vita conatar osteadere: langaores eaim sanat, leprosos carat, mortaot suscitat, vitia fugat, virtutes exornat, meatem muait & roborat, omnia satiat, omnia redintegrat, omnia lætificat, saaitatem aaget, quam conservat. Claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visam. Temperat saccessus, constriagit impetus, moderatar excessas. Ignorant se, per hanc se recognoscit: quærens se, per hanc se iavenit. Hac qua bomiaes ad Angelos ducit, & creataram reddis Creatori: ista ovem perditam moastravis qaarenti, & decimam drachmam obtalit anxianti. Hac dissipatorem*

dissipatorem filium ad patrem reduxit. In hanc omne bonum innititur, per hanc omne bonum conservatur: fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia ipsa ignis consumens.

Distributio Disputationis.

De hoc itaque tam stupendo nobis concesso beneficio, ac remedio agendum erit in præsenti Disputatione tribus, ut fieri assolet, Articulis distinguenda, quorum *Primus* erit de essentia, necessitate, & miranda efficacia virtutis Pœnitentiæ: *Secundus* de institutione, materia & forma Pœnitentiæ Sacramenti: *Tertius* denique de tribus ejusdem Sacramenti partibus, videlicet, Contritione, Confessione, & Satisfactione; quæ omnia ut ordine convenientiori distribuantur, quilibet Articulus tribus Sectionibus absolvetur.

ARTICULUS PRIMUS.

De essentia, necessitate & efficacia Pœnitentiæ virtutis.

I. Pœnitentia cur simul virtus & Sacramentum.

EAM specialem prærogativam sibi vendicat Pœnitentia, quòd virtutis simul ac Sacramenti dignitatem & rationem obtineat; cætera namque Sacramenta cùm sint instrumenta divinitùs instituta ad gratiam conferendam; potiusque in actione ministrantis, quàm in operatione suscipientis consistant, ex sua ratione formali virtutis nomen, & essentiam non obtinent: Secus autem est de Pœnitentia, quæ cùm ex Pœnitentis C actibus simul ac Dei beneficio integretur, etiam virtus simul est ac Sacramentum; maximè in lege Evangelica, in qua Christus D. Sacerdotibus authoritatem contulit absolvendi reos pœnitentes ab omnibus peccatis, quibus inquinabantur, & divinæ justitiæ obstringebantur.

II. Cur priùs de Pœnitentia ut virtute, quàm ut Sacramento desseratur.

Quanquam autem Pœnitentia, quatenos Sacramentum; longè Pœnitentiæ virtutis meritum, & dignitatem excedat; attamen quia virtus Pœnitentiæ (inquit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1.) *universis hominibus, qui se aliquò peccatô mortali inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam consequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramentô ablui petivissent, ut perversitate abjectâ & emendatâ, tantam Dei offensionem, & piò animi dolore detestarentur... Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Ideò priùs de Pœnitentia, ut virtute, quàm ut Sacramento sermo habendus est tribus in sequentibus Sectionibus, quarum *Prima* Pœnitentiæ virtutis naturam; *Secunda* necessitatem; *Tertia* denique illius efficaciam aperiet.

Articuli distributio.

SECTIO PRIMA.

De natura Pœnitentiæ virtutis.

CUM Pœnitentia (quâ virtus) sit spiritualis quædam animæ qualitas, cujus entitas utpote tenuissima, non nisi per ordinem ad objectum, in quod tendit, & subjectum in quo residet; apertè possit innotescere: idcirco illius natura est ex utroque est investiganda.

Porrò Pœnitentiæ vocabulum derivatur, vel à *punitione*, vel à *pœna*: Priorem derivationem tradit S. Isidorus lib. 6. originum cap ult. *Pœnitentia*, inquit, *appellata est, quasi punientia, eò quòd* A *ipse homo se puniat pœnitendo quod malè admisit, nam aliud nihil agunt quos veraciter pœnitet, nisi ut id, quod malè fecerunt, impunitũ esse non sinant.* Ipsi concinit S. Aug. ep. 54. scribens: *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi, ut id, quod malè fecerit, impunitum esse non sinat; eò quippe modò sibi non parcenti ille parcet, cujus altum, justumque judicium nullus contemptor evadit.* Posterior derivatio, nimirum à pœna, traditur ab Authore libri de vera & falsa Pœnitentia, cap. 19. ubi ait: *Pœnitere est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. Pœna enim propriè dicitur læsio, quæ punit & vindicat quod quisque commisit. Ille igitur pœnam tenet, qui semper punit quod commisisse dolet. Pœnitentia itaque est vindicta semper* B *puniens in se, quod dolet commisisse.* Huic postremæ derivationi subscribit Doctor *in 4. dist. 14. quæst. 1 nu. 15.* ubi ait. *Pœnitentiam* secundùm nominis Ethymologiam idem esse, ac *pœna tenentiam*; Pœnitere enim, inquit Doctor, idem est, ac *pœnam tenere.* Unde μετάνοια Latinè *pœnitudo*, significat universim dolorem ob aliqua facta, vel omissa, juxta illud Ausonii Epigram.

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas
Nempe ut pœniteat, sic METANOIA *vocor.*

III. Unde deducatur Pœnitentiæ nomen.

Reclamant nihilominus hujus temporis hæretici, maximè Lutherani, & Calvinistæ unà cum suis Antesignanis; *Lutherus* enim in epistola ad Vicarium sui ordinis ait; Pœnitentiam non significare dolorem, aut odium præteritæ vitæ, sed C amorem justitiæ, & novæ vitæ instituendæ. Ei subscribit *Calvinus* lib. 3. Instit. cap. 3. ubi declarat Pœnitentiæ nomen maximè denotare conversionem vitæ præteritæ, ac mentis mutationem. Eis præiverat *Laurentius Valla* scribens vocabulum μετάνοιαν, rectiùs per resipiscentiam, quàm per Pœnitentiam Latinè reddi. Suffragatur etiam *Erasmus*, qui quoties in textu Græco Bibliorum vocabulum μετάνοιαν reperit, toties illud per resipiscentiam exprimit; unde in 3. cap. S. Matthæi declarat Pœnitentiam idem esse, ac *ponè tenentiam*, & pœnitere, quasi *ponè tenere*, id est, posteà sapere, seu resipiscere; resipiscentia namque deducitur ex *re*, & *sapientia*, & resipiscere à *re* & D *sapere.* Contra quos omnes Errores præscribendum est in sequentibus quæstionibus, quarum *Prima* aperiet, quid sit Pœnitentia: *Secunda*, qualis sit: *Tertia*, quodnam sit illius objectum: *Quarta*, in quo subjecto resideat.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Pœnitentia?

IV. Pœnitentia est duplex Habitualis & Actualis.

NOtandum primò, Pœnitentiam, quatenos à Sacramento distinguitur, esse duplicem, habitualem videlicet, & actualem. *Habitualis* E est permanens in anima qualitas, eam promptam & expeditam efficiens, ac cum ipsa concurrens ad eliciendos Pœnitentiæ actus. *Actualis* verò est ipsemet actus Pœnitentiæ, quo peccator vindicare cupit, ac detestari peccatum à se commissum; qui utique actus generatim duplex est, interior videlicet, & exterior: Interior est ille motus animæ, quò peccator movetur ad eluendum peccatum à se commissum; hic autem quadruplex à Doctore ibidem *num. 15.* distinguitur, *Primus* velle vindicare ac punire peccatum ex prævia cognitione intellectûs manifestantis voluntati deformitatem, & malitiam, ob quam co-

Actualis iterum duplex Interior & Exterior.

gnitionem movetur voluntas ad volendum illud vindicare & execrari. *Secundus* est illius peccati detestatio & odium: *Tertius* voluntaria acceptatio pœnæ propter illud inflictæ: *Quartus* ejusdem pœnæ sustinentia voluntaria ac perpessio. *Exterior* verò est duplex, nimirum Confessio externa peccati admissi, quam comitatur, ac sequitur verecundia, & pudor, qui non est levis animæ pœna propter admissum peccatum. Secundus est omnis actus laboriosus corporalis, quô punitur pœnitens confessus, & satisfacit Deo pro admisso & commisso crimine. Hîc autem maximè sermo est de illo quadruplici actu Pœnitentiæ, utrum videlicet quatuor illi actus reverà à Pœnitentia virtute eliciantur, ita quòd cùm habitus distinguantur per actus, sic Pœnitentia per hujusmodi quatuor actus appareat vera virtus & ab aliis omnino distincta.

Interior quadruplex.

Exterior vero duplex.

V.

Quadruplex Pœnitentiæ descriptio.

Notandum secundo, ex eodem Doctore ibidem, Pœnitentiam ex his quatuor actibus quadruplicẽ sortiri definitionem, vel descriptionem, quarum prima est; *pœnitere est vindicare peccatum à se commissum*; cui utique descriptioni adstipulatur Author libri de vera & falsa Pœnitentia apud S. Augustinum dicens, cap. 8. *Pœnitentia est quadam volentis vindicta puniens in se quod dolet admisisse*. Unde cap. 19. *Pœnitere est pœnam tenere, ut semper puniat se ulciscendo quod admisit peccando*. Suffragatur etiam S. Augustinus epist. 108. ad Seleucianum. *Est etiam pœnitentia*, inquit, *bonorum & humilium Fidelium opera, in qua pectora tundimus dicentes: Dimitte nobis debita nostra*. Accedit Isidorus Hispalensis lib. 6. Ethimol. cap. ult. ubi sic legitur: *Pœnitentia appellata est quasi punientia, eò quòd ipsemet homo in se puniat pœnitendo, quod malè admisit*.

Secunda definitio.

Secunda descriptio est, pœnitere, & detestari vel odisse peccatum à se commissum, vel displicentiam habere de peccato à se commisso. Quæ utique Pœnitentiæ descriptio frequentissima est apud SS. Patres, eámque probat Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* ubi loquens de dispositionibus ad justificationem necessariis, inter cætera ait: *Propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem: hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*. Et sess. 14. cap. 6. *Contritio*, inquit, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*.

Tertia definitio.

Tertia descriptio est, pœnitere est pœnam inflictam pro peccato suo commisso gratanter acceptare. Unde Tridentinum ibidem, *cap. 1.* ait: *Vt perversitate abjectâ & emendatâ tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur*; ubi per pium animi dolorem voluntariam pœnæ acceptionem designat. Quam etiam descriptionem approbat Author libri de vera & falsa Pœnitentia *cap. 13.* dicens: *Hinc peccator semper doleat, & de dolore gaudeat*.

Quarta definitio.

Quartam tandem Pœnitentiæ descriptionem sic efformat Doctor; *Pœnitere, est pœnam sibi pro peccato suo inflictam patienter sufferre*. Quam utique descriptionem unà cum præcedenti approbat Tridentinum *sess. 14. cap. 9.* dicens: Docet denique tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis spontè à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis: sed etiam temporalibus flagellis, à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis satisfacere valeamus. Quæritur autem utrùm Pœnitentia sub hac quadruplici ratione sit virtus, non quidem generalis sed specialis.

VI.

Quid sit virtus.

Notandum tertiò, quòd ex Arist. 2. Ethic. cap. 6. *Virtus est habitus electivus in medietate consistens, quoadnos, prout vir prudens definierit*. Hæc autem generatim est duplex: generalis videlicet & specialis. Virtus generalis dicitur quatuor modis *Primò* per prædicationem, quia prædicatur de omnibus aliis virtutibus; quâ ratione justitia communiter accepta dicitur esse virtus generalis & communis, quatenus videlicet est rectitudo animæ dictans qualiter bonum sit faciendum & malum fugiendum. Unde Christus D. dicebat sancti Joanni Baptistæ Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem justitiam*; nulla enim est virtus cui hæc justitiæ ratio non conveniat. *Secundò*, virtus dicitur generalis per regulationem: & sic prudentia dicitur regula omnium virtutum, quia omnes virtutes regulari debent per prudentiam; siquidem prudentia docet tenere medium & fugere ab extremis. *Tertiò*, virtus aliqua dicitur generalis per informationem; quia videlicet aliis virtutibus pretium ac dignitatem confert, & sic charitas est virtus generalis, quia ipsa est quæ alias virtutes informat; easque Deo dignas & gratas efficit: *Quartò* denique dicitur generalis per aggregationem omnium virtutum, quia omnes aliæ virtutes videntur concurrere ad illius actum: sic Pœnitentia prout detestativa peccati, dicitur ab aliquibus virtus generalis, quia nulla est quæ vitium sibi positum non execretur.

Quadrupliciter dicitur virtus generalis.

His ita prælibatis quæritur, utrum Pœnitentia sit mera animi resipiscentia & vitæ præteritæ innovatio, aut animi dolor & peccati vindicta. 2. Utrum secundùm suum quadruplicem actum virtutis dignitatem obtineat. 3. Utrum sit virtus specialis aut generalis. Quæ utique resolventur in tribus sequentibus conclusionibus.

Conclusio Prima.

VII.

Quid sit Pœnitentia.

Pœnitentia non est simplex resipiscentia, & nuda cessatio à peccato; sed etiam dolor de peccato ac offensa præterita. Hæc est contra hæreticos, eamque apertè docet Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 4.* ubi de Contritione sic loquitur: *Declarat igitur sancta Synodus hanc Contritionem non solùm cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere*. Quam utique veritatem probat his textibus Ezechielis 18. *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum*. Et statim subdit Concilium: *Certè qui illos Sanctorum clamores consideraverit*: TIBI SOLI PECCAVI, ET MALUM CORAM TE FECI: LABORAVI IN GEMITU MEO, LAVABO PER SINGULAS NOCTES LECTUM MEUM: RECOGITABO TIBI OMNES ANNOS MEOS IN AMARITUDINE ANIMÆ MEÆ; *& alios hujus generis; facilè intelliget, eos ex vehementi quodam ante actæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse*. Unde Can. 5. sic hæreticorum doctrinam damnat: *Si quis dixerit eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem; nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam*.

Non est mera vitæ novæ institutio.

& magis peccatorem .... anathema sit.

Probatur eadem veritas ex illis omnibus Scripturæ locis, in quibus quoties fit mentio Pœnitentiæ, toties dolor, ac subeunda pœna exprimitur. Sic Job. ult. *Ipse me reprehendo, & ago Pœnitentiam in favilla & cinere.* Cinis autem & favilla dolorem animi, & carnis afflictionem indicant. Similiter Matth. 11. Christus D. loquens de Pœnitentia neglecta à Chorozaitis ait: *Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere Pœnitentiam egissent.* Porrò cinis & cilicium arguunt animi displicentiam, & mœrorem de peccatis admissis, non tantùm resipiscentiam & sententiæ mutationem, nec solam vitæ novæ instaurationem & institutionem.

Sed dolorem de admissis peccatis importat.

VIII.
Ut constat ex S. Scriptura.

Similiter *Lucæ* 10. Christus D. laudat Ninivitarum Pœnitentiam: sed illa Pœnitentia dolorem, lacrymas & afflictionem corporis importabat, ut legimus *Ionæ* 3. ubi Ninivitæ saccos induerunt, & suum caput asperserunt cinere, non tantùm ut dolorem suum de peccatis vitæ prioris ostenderent, sed etiam pœnalibus exercitiis & operibus laboriosis aliquô modô suas in Deum offensas, & culpas ulciscerentur: at ea Pœnitentia pœnalis & laboriosa, non erat tantùm mera mutatio consilii, seu resipiscentia, sed resipiscentiam supponebat.

Denique Apostolus 2. *Cor.* 7. agens de Pœnitentia, quam Corinthii conceperant de peccato fornicatii, ad primam suam epistolam, ait: *Contristati enim*, inquit, *estis secundùm Deum; quæ enim secundùm Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: Ergo tristitia quæ secundùm Deum est, efficit ut Pœnitentia sit salutaris: at tristitia dolor quidam est.

IX.
Et ex SS. Patribus.

Idem docent SS. Patres. Nazianzenus oratione ad sacra lumina, ubi Pœnitentiam appellat *Baptismum lacrymarum.* Et sanctus Augustinus lib. 3. de Trinitate, cap. 4. eam appellat *crucifixionem interioris hominis.* Unde lib. 50. homiliarum homil. ult. cap. 5. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Omnium autem præclarissimè id docet sanctus Isidorus lib. 6. Ethym. cap. 19. ubi ait: *Pœnitentia, quasi* PUNIENTIA *dicitur, eò quòd ipse homo puniat pœnitendo quod malè admisit: nam nihil aliud agunt illi, quos veraciter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerunt, impunitum esse non sinant: eô quippe modô sibi non parcentibus ille parcet, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadet.*

X.
Et ex ratione.

Suffragatur etiam ratio Theologica: Nam Pœnitentiæ nomen significat perfectam anteactæ vitæ correctionem & emendationem; quæ utique tria significat; *Primò* errati cognitionem, quæ causa doloris est: *Secundò* displicentiam prioris vitæ, seu dolorem internum ejus, quod actum aut omissum fuerit: *Tertiò* denique spontaneam castigationem, quæ doloris illius interni, seu displicentiæ vitæ prioris est effectus, ac perfectio: Pœnitentia autem dicitur præcipuè ex hoc effectu punitionis, aut ultionis voluntariæ peccatorum in nobis, à veteri & antiquato verbo, *pœnio*, quod idem est ac punio; unde pœnitet dicitur quasi pœnam tenet.

Dices primò. ex Tertulliano lib. 2. contra Marcionem, cap. 24. ubi inquirens, quid significet Pœnitentiæ nomen, respondet: *Nihil aliud intelligitur, quàm simplex conversio sententiæ prioris: quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti, etiam in homine nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpâ:* igitur Pœnitentia ex se non importat dolorem & pœnam.

XI.
Quomodo Deus pœnitere dicatur.

Distinguo consequentiam: Si Pœnitentiæ vocabulum accipiatur generatim, & quatenus à Scriptura sacra tam Deo, quàm homini tribuitur, concedo: si prout homini peculiaris est, & inservit obtinendæ peccatorum remissioni: nego. Porrò Tertullianus ibidem agit de Pœnitentia, quatenus Deo tribuitur, qui pluries in Scriptura dicitur pœnitere: paulò enim antè dixerat, *superest enim jam agnoscere quid sit pœnitentia Dei:* at longè diversa est illa divina Pœnitentia ab humana; seu (inquit Tertullianus ibidem) *hæc definitio in omnibus aliam formam divinæ Pœnitentiæ statuit, quæ neque ex improvidentia, neque ex levitate, neque ex ulla boni, vel mali operis damnatione reputetur, sicut humana.* Quibus verbis distinguit divinam Pœnitentiam ab humana, quòd hæc *primò* in animi levitate, seu mobilitate fundetur: *Secundò* quòd includat operis omissi, seu admissi damnationem: *Tertiò* quòd significet dolorem, & vindictam de re commissa, nec non & exhibendam Deo satisfactionem.

Et in quo ejus pœnitentia ab humana discrepat.

Instabis: Tertullianus ibidem ait: Pœnitentiæ nomen significare duntaxat animi demutationem: *nam & in Græco sono*, inquit, *Pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est:* igitur; &c.

Respondeo id quidem verum esse, si sola attendatur nominis Ethymologia, seu derivatio Græca; nam μετάνοια dicitur à μετὰ, quod significat, *trans*, seu *post*, & νοῦς quòd idem est ac *mens* & cogitatio; ita quòd μετάνοια, idem sit ac posterior sententia, vel secunda cogitatio, seu sententiæ mutatio. Secus verò est si attendatur secundùm illius vocabuli usum frequentatum tum in Scriptura, cùm apud sacros Authores; & ut vocabulum istud hominis Pœnitentiam significat; ut sic enim nedum importat simplicem sententiæ mutationem, sed etiam animi dolorem. Quamquam etiam in Scriptura sacra interdum Pœnitentia solùm significet animi mutationem, hinc efficaces gratiæ, quibus Deus Electos ad vitam æternam certò perducit, dicuntur Rom. 11. *Dona Dei sine Pœnitentia*, quia Deus ex quo destinavit eas alicubi, consilium non mutat.

Dices secundò: Lactantius lib. 2. Instit. cap. 24. dicit μετάνοιαν Latinè optimè reddi per resipiscentiam: igitur Pœnitentia nihil aliud significat quàm mentis mutatiooem & revocationem.

XII.
Lactantius non negat pœnitentiam includere dolorem.

Nego consequentiam: Lactantius enim ibidem ait: *Resipiscit, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectiùs vivendum: Tum illud ipsum cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur:* igitur ex Lactantio Pœnitentia non modò significat agnitionem errati, vitæque prioris emendationem, sed etiam animi dolorem, dementiæ seu peccati castigationem, & ultionem, cum ipso vitæ in meliùs componendæ proposito.

XIII.
Quomodo verbum pœnitet idem significet ac tædet.

Dices: Verbum *pœnitet* apud optimos Authores, interdum idem significat, ac tædet, pudet, piget, &c. Sic Cicero lib. de senectute: *Si ad centesimum vixisset annum, senectutis eum suæ pœniteret.* Et in somnio Scipionis: *Ipsa terra*, inquit, *ipsa parva mihi visa est imperii nostri, quô quasi punctum ejus attigimus, pœniteret.* Et Plinius lib. 1.

cap. 17. loquens de Essenis apud Judæos religiosis: *Gens æterna*, inquit, *in qua nemo nascetur tam fœcunda illis aliorum vita pœnitentia est*: igitur vocabulum istud non semper significat dolorem peccati punitivum.

Nego consequentiam: Hæc enim omnia dicuntur per metaphoram, quòd videlicet in iis, quæ nobis tædio, pudori, contemptui sunt, pœna quædam, molestia, ac displicentia videatur inesse: unde quidquid tædet, pudet & piget, etiam dolere aliquatenus censetur.

CONCLUSIO SECUNDA.

XIV. Pœnitere potest esse actus virtutis.

Pœnitentia secundum suam quadruplicem acceptionem, & descriptionem potest esse actus virtutis. Ita subtilis Doctor *dist.* 14. *quæst.* 2. & probat primam partem *num.* 2. ubi ait: Prima Pœnitentiæ acceptio, est quòd sit vindicta peccati commissi ab eo, qui illud commisit: sed hæc vindicta potest esse actus virtutis, & conformis rectæ rationi: Quia, *inquit*, secundùm rectam rationem quilibet Legislator vindicat transgressionem legis: unde & Philosophus in fine libri 10. Ethicorum post doctrinam de vitiis, & virtutibus, statim introduxit legem positivam tanquam ultricem vitiorum, & præmistricem virtutum: sed si Legislator rectâ ratione vindicat, minister rectâ ratione exequitur; quia universaliter rectitudo in actu subministrationis est ex conformitate ejus ad agens, cui subministrat: ergo secundùm rectam rationem potest aliquis ut minister Legislatoris vindicare peccatum commissum contra legem: & hoc in illum, in quem est sibi commissum vindicare, quia aliàs non est subministrans: sed unicuique commissum est esse Ministrum Dei ferentis legem suam ad vindicandum in seipsum pro peccatis, quæ commisit; *pœnitere* autem primô modô dicit sic vindicare in seipsum; *tenere* enim, quando non additur dativus exprimens cui teneatur, significat quòd sibi ipsi tenenti teneatur, ut patet ex communi sermone. Ideo Deus licèt puniat peccatorem, non dicitur pœnitere; quia non sibi, sed alteri pœnam infligit: sed sibi ipsi infligens dicitur pœnitere, id est, pœnam applicando tenere. *Hæc Doctor.* Ne autem videatur asserere vindictam peccati semper procedere ab habitu virtutis, statim subdit: Non dico quòd pœnitere primô modô semper sit actus virtutis, id est, elicitus à virtute: sed dicitur actus virtutis, quia natus est elici à virtute, vel generare virtutem, quia conformis est rectæ rationi, & in hoc est bonitas moralis, quòd sit à virtute generata, vel virtutem generans. Quæ utique omnia cùm evidentia fint ex terminis, in eis elucidandis non est quòd diutiùs immoremur.

Quatenus significat velle vindicare ac punire peccatorem.

XV. 2. Quatenus significat detestari peccatum.

Idem probat de cæteris tribus Pœnitentiæ acceptionibus *nu.* 11. *&* 12. De secunda, *inquit*, significatione hujus vocabuli *pœnitere*, scilicet de eo, quod est detestari peccatum commissum, vel displicentiam habere de commisso: Dico quòd iste potest esse actus virtutis. Probatur ut priùs, quia potest esse actus electivus concors rationi rectæ. Ratio enim recta sicut dictat complacendum esse in bono honesto, ita dictat displicendum esse in malo inhonesto. Et ex hoc patet secunda conclusio, scilicet cujus virtutis potest etiam esse actus; quia nullius specialis, sed cujuscunque appetitivæ: quæcunque enim virtus inclinat ad complacendum in bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & ad displicendum de malo inhonesto opposito: utpote castitas de aliquo inordinato contra castitatem incluso ad displicentiam, & humilitas de actu inordinato superbiæ, & sic de cæteris. Quælibet tamen inclinans ad talem displicentiam est virtus appetitiva, quia nihil est principium odiendi, sicut nec amandi, nisi virtus appetitiva. Ex hoc patet, quòd malè ponitur detestatio peccati actus Pœnitentiæ virtutis, loquendo de Pœnitentiæ virtute primô modô, ut est species justitiæ: quia iste actus est multùm generalior, quàm possit esse ille, qui est proprius actus Pœnitentiæ justitiæ elicitus ab ea.

3. Prout significat liberam acceptionem pœnæ.

De tertiò, quod est gratanter acceptare pœnam inflictam pro peccato commisso: Dico quòd etiam iste actus potest esse virtutis, quia concors rectæ rationi. Et secundò, quòd potest esse multarum virtutum, quarum tamen quælibet sit appetitiva, quia quidquid potest esse principium acceptandi aliquod objectum, potest esse principium acceptandi aliud in ordine ad ipsum; per diversas autē virtutes potest acceptari aliud, & aliud objectum in ordine ad quod possit pœna inflicta pro peccato acceptari. Nam si ex charitate amatur Deus, ex charitate potest acceptari pœna, in quantùm reductiva est ad Dei amicitiam. Si autem ex virtute spei desideratur Deus ut bonum mihi, ex virtute spei acceptatur pœna ut ordinans ad istud præmium attingibile. Si ex virtute timoris cavetur amissio vitæ æternæ, ex ipsa potest acceptari pœna, ut excludens illam amissionem. Si ex amicitia honesta ad seipsum diligit quis sibi munditiam, & innocentiam, ex illa potest acceptare pœnam, quæ solvit reatum, qui inficit.

4. Prout significat ferre pœnam pro peccatis.

De quartò, scilicet patienter ferre pœnam inflictam, patet quòd potest esse actus virtutis, & specialis virtutis, qui patientiæ. *Ita Doctor.*

Quibus omnibus apertè fatetur pœnitentiam secundùm quadruplicem illius acceptionem in secundo notabili superiùs expressam, sortiri posse rationem & appellationem virtutis actualis; vel quatenus à virtute imperatur aut elicitur; vel prout ad eam ordinatur, & dirigitur: Verùm sola primaria illius acceptio ad virtutem Pœnitentiæ præcisè spectat; nam tres alii actus qui interdum inveniuntur in perfecta ac suis omnibus numeris absoluta Pœnitentia, elici possunt ab aliis virtutibus, ut apparebit ex dicendis in tertia conclusione.

XVI. Pœnitentia est vera virtus.

Quòd autem Pœnitentia generatim accepta, prout nempe tendit ad detestationem & destructionem peccati, quatenus est offensivum Dei, sit virtus, probatur primò: Non datur divinum præceptum, nisi de actu studioso & laudabili: sed divinum præceptum est de Pœnitentia agenda, *Matth.* 4. ubi Christus cœpit prædicare & dicere: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et Marci 1. *Pœnitemini, & credite Evangelio*: igitur Pœnitentia est virtus.

Insuper nullus actus est laudabilis & meritorius, nisi sit actus virtutis: sed pœnitere est laudabile & meritorium: igitur, &c.

Denique ex Aristotele 2. Ethic. cap. 6. *Virtus est habitus, qui facit bonum habentem, & ejus opus reddit bonum*: sed Pœnitentia bonum facit habentem; imò sæpè illum meliorem, & sanctiorem reddit, quàm erat ante lapsum: Nam, inquit S. Paulus ad Rom. 5. *Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

XVII. Quia hominem non

Unde Petrus Damianus serm. 56. *Consuevit Deus honorare pœnitentes magis, quàm innocentes*: Nam, ut ait S. Gregorius lib. 11. Moral. cap. 19.

Solùm restituit in pristinum statum, sed etiam in meliorem.

Discretius quisque ex eo quod mala se egisse intelligit, ad discretionis regulam reducitur; & inde aliis ad justitiam proficit; unde ad tempus à justitia cecidisse videbatur. Quod utique præclarè confirmat S. Ambrosius in sermone de Cathedra S. Petri, ubi inter cætera ait: *Fidelior profectò factus est Petrus, postquàm fidem se perdidisse deflevit; atque ideo majorem gratiam reperit, quàm amisit.* Cui præclatè concinit S. Maximus homil. 4. *Petrus,* inquit, *tentationibus suis proficit, defectibus suis gaudet, periculis suis crescit; tanquam bonus enim Pastor Petrus gregem accepit, ut qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.* Constat igitur Pœnitentiam esse summè laudabilem, & pœnitentem reddere bonum habentem; ac proinde virtutis dignitatem & rationem obtinere.

Dices primò: Virtus est dispositio perfecti ad optimum: sed Pœnitentiæ actus hanc rationem non obtinet; siquidem primarius actus pœnitendi est tantùm velleitas, seu conditionata voluntas, quô peccator vellet, si fieri posset, se non commisisse peccatum; quod utique non potest velle absolutè, utpote cùm sit impossibile: igitur, &c.

XVII. Quomodo voluntas revocandi actum præteritum sit laudabilis.

Nego minorem: Licèt enim *pœnitere* sit mera velleitas, quatenus tendit in peccatum præteritum, & factum; si tamen spectetur peccatum ut actu permanens in conversione ad creaturas, & aversione à Deo, & prout est animæ macula ex offensa Dei, sic est absolutus aliquis actus, quô voluntas avertens se à creatura, quam nimiô & inordinatô amore dilexerat, ad Deum se-se recipit, ut pro viribus ei ablatum honorem restituat, & quantùm se glorificavit in deliciis, tantum subeat tormentum & luctum; quâ ratione pœnitens non habet simplicem velleitatem, sed voluntatem absolutam.

Vrgebis ex Aristotele Ethic. 4. Nihil est stultum aut stolidum eorum quæ sunt secundùm virtutem: at velle peccatum non fuisse, sive voluntate absolutâ, sive conditionatâ, est aliquid stultum, & stolidum, & ineptum; quippe cùm præteritum non esse præteritum, sit omnino impossibile: igitur, &c.

Ex recta.

Distinguo minorem: Velle ut id quod præteritum est non fuerit, est aliquid ineptum transeat: velle reprobare malum admissum, & optare ut non fuisset, est ineptum, nego: Pœnitentia autem non tendit in præteritum, quasi pœnitens existimet fieri posse, ut actus commissus de facto commissus non fuerit: sed ipsum reprobat ut malè factum: nam est dolor Pœnitentis, seu displicentia, ac reprobatio facti præteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, id est offensam Dei, & reatum pœnæ. Quod utique ineptum non est, sed prudentissimum.

Dices secundò: Omnis virtus propter se, seu propter finem sibi proprium est expetenda: atqui Pœnitentia non expetitur propter se, sed propter malum culpæ eluendum: igitur non est censenda virtus.

XVIII. Quâ ratione pœnitentia propter se expetatur.

Nego minorem: Pœnitentia enim expetitur propter se, hoc est propter finem sibi proprium, qui est delere malum culpæ, & Deo offenso satisfacere: non autem expetitur propter aliquem alium finem à fine sibi proprio distinctum.

Vrgebis: Id quod tendit in malum, quatenus malum est, non potest expeti propter se, seu propter bonitatem & perfectionem propriam: sed Pœnitentia tendit in peccatum, quod est per se malum: igitur, &c.

Distinguo majorem: Quod tendit in malum motu prosecutionis, concedo: motu aversionis & fugæ, nego: & sic distinctâ minore, neganda est consequentia: Medicina enim tendit in morbum, & tamen est expetibilis, & quidem ante morbum conditionatè: post morbum verò absolutè: quia medicina tendit in morbum, non ut faciat aut conservet, sed ut destruat: ita etiam à simili Pœnitentia tendit in peccatum, non ut admittat, sed ut avertat. Unde pœnitens vult quidem peccatum, non utique faciendum, sed destruendum.

Licèt tendat in malum.

Dices tertiò: Omnis virtus debet habere bonum pro objecto: sed Pœnitentia non habet bonum pro objecto; quia versatur circa peccatum: igitur non est dicenda virtus.

Negat majorem Doctor Seraph. dist. 14. art. 1. quæst. 1. ad 3. contrarium enim, *inquit,* apparet in temperantia, misericordia & fortitudine, quæ versantur circa id quòd malum est. Aliter *distinguo majorem:* Virtus debet habere objectum bonum, præservativa, concedo: aversativa, nego. Nam prosequi malum & fugere bonum, equidem malum est: at verò prosequi bonum, & aversari malum, est rectum & bonum. Hâc ratione potestas punitiva bona est, licèt tendat in malum puniendum; *non est enim potestas, nisi à Deo* (inquit S. Paulus ad Rom. 13. unde subdit: *Si malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram Dei, qui malum agit:* Cùm ergo virtus Pœnitentiæ sit aversiva, ac destructiva mali, hâc ratione virtutis dignitatem sortitur. Adde quòd Pœnitentia duplicem habet actum, inquit Seraphicus Doctor, scilicet refugere ac detestari malum & peccatorem emendare, ac in meliorem sortem, ac vitam reformare; quod per se bonum est: & sic ratione hujus actûs Pœnitentia tendit in bonum.

XIX. Pœnitentia est bona licèt habeat malum pro objecto.

Dices quartò: Omnis virtutis actus delectationem quandam infert: at Pœnitentia non ingerit delectationem, sed dolorem: igitur non est virtus.

XX. Quomodo virtus inferat delectationem.

Distinguo majorem: Virtus delectationem infert ratione sui actûs, concedo: ratione sui objecti, nego: fortitudo enim ratione peculiaris objecti, puta periculorum in bello sustinendorum, aut aggrediendorum molestiam; siquidem illud objectum tristativum est, ac dolorificum, nihilominus actus illius per se virum fortem delectat; enimverò promptâ animi alacritate pericula aggreditur: ita à simili tametsi pœnitere triste ac molestum habeat objectum ratione sui; tamen delectat ob alacritatem & promptitudinem, quâ voluntas ex agendi frequentatione suos actus exercet, & voluntariè se-se ad peccati detestationem determinat.

Quod ut percipiatur evidentiùs, observandum est cum Doctore locô suprà laudatô *num* 4. quòd ad perfectam Pœnitentiam quinque concurrunt actus per ordinem, quos sic præclarè expendit noster Pitigianis ad dist. 14. qu. 2. art. 2. *Primum* est velle imperativum, imperans atque conjungens causas tristitiæ ad invicem: *Secundum* sunt ipsæ causæ tristitiam causantes: *Tertium* est ipsa tristitia: *Quartum* est complacentia, & velle, seu acceptatio illius tristitiæ: *Quintum* ex illo velle sequitur gaudium de illa tristitia, juxta dictum S. Aug. *Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* V. g. Petrus peccavit peccatô fornicationis, in pœnitendo hunc ordinem habet; primò habet velle imperativum, quô imperat causas tristitiæ,

XXI. Quot actus concurrant ad perfectã

pœnitentiam.

quæ sunt duæ, nempe fornicationis apptehensio, & nolle, seu odiô habere fornicationem illam. Tum dico quòd velle illud imperativum, quô voluntas imperat intellectui, ut consideret, & apprehendat illam fornicationem, & sibimetipsi, ut illam detestetur, est *primum*; *Secundum* est apprehensio illius fornicationis & nolitio, seu odium illius. *Tertium* est tristitia, quæ ex apprehensione fornicationis, & ejusdem nolitione causatur. *Quartum* est unum velle, quô voluntas volt tristitiam illam habere. *Quintum*, ad illud velle, quô vult habere tristitiam, sequitur gaudium, & tunc verificatur dictum S. Augustini. *Peccator de peccato doleat*, &c.

Et qualiter invicem ordinentur.

Porrò inter ista quinque Doctor ponit hujusmodi ordinem, seu distinctionem: quia *primum* se habet ut causa principalis justitiæ, sed remota. *Secundum* se habet ut causa proxima, & immediata tristitiæ. *Tertium* se habet ut effectus. *Quartum* ☙ habet tanquam effectus sequens ex illo actu. Primum itaque distinguitur à secondo, sicut causa principalis & remota, à causa secundaria & propinqua; Secundum distinguitur à tertio velut causa ab effectu, seu actio à passione; Tertium à quarto, sicut objectum ab actione, quæ transit super ipsum; & primum à quinto, sicut objectum à passione appetitiva illius objecti.

Conclusio Tertia.

XXII. Pœnitentia non est virtus generalis, sed specialis.

P*Oenitentia est virtus specialis non autem generalis.* Hæc est Doctoris leĉô supra laudatô *num. 4.* ubi ait: *Pœnitere est actus specialis virtutis. Probatur; quia ille actus natus est habere speciale objectum, & speciales circunstantias ordinatas: objectum quidem, nempe peccatum vindicabile: circunstantias verò, quæ conveniunt actui, ut rectè tendenti in tale objectum.* Quasi diceret: Virtus illa specialis est; cujus objectum formale non est commune aliis virtutibus: sed objectum Pœnitentiæ, nempe peccatum vindicabile, non convenit aliis virtutibua, nulla siquidem alia virtus tendit in peccatum, ut vindicabile & expiabile per debitam satisfactiooem: igitur Pœnitentia est virtus specialis.

Confirmatur: Ubi specialis est difficultas tendendi in objectum, quæ non reperitur in aliis virtutibus, ibi debet esse virtus specialis: at in offensa Dei ut vindicabili, & expiabili per satisfactionem, & injuriarum compensationem, specialis est difficultas, quæ non reperitur in objectis aliarum virtutum; in eo scilicet quòd qui peccavit, doleat de offensa, & qui peccati voluptatem expertus est, pro eo velit satisfacere, ac pœnam subire: igitur Pœnitentia est virtus specialis.

Confirmat iterum Doctor ex circunstantiis; virtus enim illa specialis est, quæ aliter tendit in suum objectum, quàm quæcunque alia virtus: sed Pœnitentia aliter tendit circa peccatum, quàm cœteræ virtutes, siquidem nulla alia virtus præter Pœnitentiam versatur circa peccatum ut vindicabile, & expiabile per debitam satisfactionem: igitur, &c.

Dices primò: Illa virtus non est specialis, quæ se extendit ad objecta omnium aliarum virtutum: sed Pœnitentia versatur circa objecta aliarum virtutum: igitur non est virtus specialis; sed generalis. Major constat. Minor verò probatur: Pœnitentia respicit omne peccatum; siquidem illius vindictam, & destructionem auspicatur: sed peccatum secundùm totam suam latitudinem involvitur in objectis aliarum virtutum; siquidem virtus omnis media stat inter duo extrema vitiosa, quorum fugam & destructionem intendit: ergo Pœnitentia non est specialis virtus.

XXIII. Pœnitentia tendit quidem in objecta aliarũ virtutum, sed sub diverso motivo.

Distinguo majorem: Si se extendat ad objecta aliarum virtutum sub eodem motivo, quô ab aliis virtutibus respicitur, concedo: sub motivo distincto, sub quo à nulla alia virtute attingitur, nego: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam: Nam, inquit Seraphicus Doctor *dist. 14. art. 1. quæst. 2.* in corpore: Etsi Pœnitentia respiciat malum in communi, tamen respicit sub propria ratione, & habet specialem actum, qui indiget virtute, non tantùm præcipiente, sed eliciente: itaut sicut ira per zelum, quæ detestatur omne peccatum in proximum, est specialis virtus, quia respicit illud sub ratione digni pœnâ: & obedientia est specialis virtus; quia respicit exequendum sub ratione mandati: sic etiam Pœnitentia specialis est virtus, quia respicit peccatum sub ratione mali proprii à se contra Deum perpetrati, ut homo ea hoc dignus est puniri. *Unde respondens ad tertium, dicit:* Ad illud, quòd objicitur de objecto, dicendum, quòd etsi non contrahatur ad speciale peccatum; tamen illud considerat sub speciali & propriâ ratione, hoc est in quantùm à se perpetratum, & Dei offensivum, cui vult reconciliari; & emendam facere: & ideo est virtus specialis, quia virtus ponitur specialis, vel generalis; non ratione objecti, quod est materiale, sed secundùm quod habet rationem motivi.

Dices secundò: Quod contrariatur omnibus peccatis, non est virtus specialis; sicut enim virtus habet determinatum bonum, a quo specificatur; ita etiam habet determinatum malum, cui opponitur: at Pœnitentia cootrariatur omnibus peccatis; quod enim aliquid expellit à subjecto, nec est cum illo compatibile, ei contrarium est: Pœnitentia autem omnia peccata expellere nititur ab anima: igitur non est virtus specialis.

XXIV. Pœnitentia vitium omne excludit effectivè non autem formaliter.

Respondeo primò, negari posse majorem universaliter acceptam; siquidem charitas contrariatur cuilibet peccato mortali, nec minùs propterea est virtus specialis. *Respondeo secundò* distinguendo majorem: quod contrariatur, & aliud expellit formaliter, concedo: effectivè, nego. Ad minorem dico, omnem quidem virtutem expellere vitium sibi oppositum formaliter, sicut frigus calorem, & albedo nigredinem; quia habitus vitiosus & studiosus circa idem objectum formaliter opponuntur: Pœnitentia verò expellit omnia peccata solùm effectivè, quatenus videlicet operatur ad destructionem peccati, prout remitti potest ex divina gratia sibi suffragante. Unde non sequitur eam non esse specialem virtutem.

Urgebis: Omnis virtus non solùm formaliter, sed etiam effectivè tendit in destructionem vitii & peccati sibi oppositi: igitur ad id oon est necessaria specialis virtus Pœnitentiæ.

Distinguo antecedens: Tendit in destructionem vitii sibi oppositi secundùm rationem, sub qua specialiter ei opponitur, ut fides v. g. tendit in destructionem infidelitatis, quatenus infidelitas est, concedo: tendit in illius destructionem, quatenus non habet specialem virtutem oppositam cum ipsa virtute, videlicet quatenus est offensa Dei vindicanda & resarcienda per debitam satisfactionem, nego. Igitur ut peccatum destruatur secundùm rationem offensæ Dei, necessaria

est aliqua specialis virtus, nempe Pœnitentia.

Instabit: Potiori jure non desideratur specialis virtus, quæ tendat in destructionem mali, quatenus est offensivum Dei, quàm ut tendat in prosecutionem boni, quatenus est honorificum Deo: sed ad hoc non est necessaria specialis virtus; siquidem omnis virtus refertur ad Dei honorem, & gloriam; alioquin irrita esset & vana: igitur, &c.

XXV. Religio tota ordinatur ad Dei gloriam.

Nego minorem: Siquidem virtus Religionis ad id specialiter ordinatur, ut tendat in bonum, quatenus est honorificum Deo, idque habet pro objecto peculiari, ac fine speciali; etsi enim cæteræ virtutes ad eum referri debeant, ut veræ sint; non tamen referuntur ad ipsum, tanquam ad finem proximum, & objectum immediatum: igitur à simili necessaria est aliqua specialis virtus, quæ tendat in peccatum vindicandum, quatenus est offensa Dei.

Conclusio Quarta.

XXVI. Pœnitentia est tantùm virtus specialis ut est voluntas vindicandi peccatum.

Pœnitentia est tantum specialis virtus secundum primariam sui acceptionem, non verò secundum tres alias. Hæc est pariter Doctoris ibidem *nu.* 11. ubi concedit quidem, quòd detestatio peccati possit esse actus virtutis; *Quia,* inquit, *potest esse actus electivus concors rationi rectæ: ratio enim recta sicut dictat complacendum esse in bono honesto; ita dictat displicendum esse in malo inhonesto.* Negat tamen ibidem, quòd illa detestatio sit actus specialis virtutis ab aliis distinctæ; quia potest esse actus cujuscunque virtutis appetitivæ.: « Quæcunque enim virtus, *inquit,* inclinat ad complacendum in bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & ad displicendum de malo inhonesto opposito: utpote castitas de aliquo inordinato contra castitatem inclinat ad displicentiam, & humilitas de actu inordinato superbiæ, & sic de cæteris. Quælibet tamen inclinans ad talem displicentiam est virtus operativa; quia nihil est principium odiendi, sicut nec amandi, nisi virtus appetitiva. Et ex hoc patet, quòd malè ponitur *detestatio peccati* actus Pœnitentiæ virtutis; loquendo de Pœnitentia virtute primô modô, ut est species justitiæ: quia iste actus est multùm generalior, quàm possit esse ille, qui est proprius actus Pœnitentiæ justitiæ elicitus ab ea. »

Non verò secundùm alias acceptiones.

Quibus Doctor, non negat equidem detestationem cujuscunque peccati posse esse actum imperatum à virtute Pœnitentiæ, sed tantùm vult quòd non sit actus ab ea elicitus.

Idem *num.* 12. docet de tertia acceptione Pœnitentiæ, nempe quatenus est voluntaria acceptatio pœnæ inflictæ pro peccato commisso: « Dico, *inquit,* quòd etiam iste actus potest esse virtutis, quia concors rectæ rationi. Et secundò, quòd potest esse multarum virtutum, quarum tamen quælibet sit appetitiva; quia quidquid potest esse principium acceptandi aliquod objectum, potest esse principium acceptandi aliud in ordine ad ipsum: per diversas autem virtutes potest acceptari aliud, & aliud objectum, in ordine ad quod possit pœna inflicta pro peccato acceptari. Nam si ex charitate amatur Deus, ex charitate potest acceptari pœna, in quantùm reductiva est ad Dei amicitiam. Si autem ex virtute spei desideratur Deus ut bonum mihi, ex virtute spei acceptatur pœna, ut ordinans ad istud præmium attingibile. Si ex virtute timoris cavetur amissio vitæ æternæ, ex ipsa potest acceptari pœna, ut excludens illam amissionem. *Si ex* amicitia honesta ad seipsum, diligit quis sibi munditiam & innocentiam, ex illa potest acceptare pœnam, quæ solvit reatum, qui infuit. »

Quantùm autem ad quartum actum ibidem docet Doctor, illum non esse specialem actum Pœnitentiæ virtutis, sed patientiæ; siquidem patientia est constanter ferre pœnam inflictam, & adversa quæque patienter tolerare.

Ex iis itaque sequitur Pœnitentiam habere rationem specialis virtutis, quatenus inclinat ad vindicandum peccatum, non autem prout est peccati detestatio, seu nolle peccasse, ut volunt Thomistæ; quippe illa peccati detestatio elici potest à quacunque virtute, cui peccatum in genere, aut specie repugnat; ejusdem enim virtutis est, prosequi bonum, & fugere à malo, seu illud detestari, & in eo displicere: sed cujus est displicere de aliquo, ejusdem est de eodem dolere, quatenus præsens est, & applicatur, ac proinde cujuscunque virtutis est detestari peccatum, & vitium sibi oppositum.

Reponunt Thomistæ, id equidem esse verum si illa detestatio fiat quatenus peccatum opponitur rectæ rationis dictamini, & honestati speciali quæ per quamlibet virtutem intenditur; secus verò si peccatum delendum ac detestandum consideretur quatenus est offensa Dei, ut sic enim, inquiunt, est specialis actus virtutis pœnitentiæ qui alteri virtuti non convenit.

XXVII. Charitatis est detestari peccatum ut offensivum Dei.

Contrà. Non solius est pœnitentiæ dolere de peccato, quatenus est offensa Dei & illud execrari, sed etiam charitatis: quia ejusdem est virtutis prosequi bonum & illud aversari & execrari quod ei opponitur: at omne peccatum sub ratione offensæ opponitur Deo qui est objectum charitatis: igitur sub hac ratione illud execrari debet charitas. Probatur minor. Eatenus dolet charitas de peccato, quatenus est contrarium suo objecto, seu ultimo fini, & Deo in quem tendit: sed peccatum est præcisè contrarium Deo in ratione offensæ; eatenus enim est offensa, quatenus tollit amicitiam Dei cum homine, & avertit ab ultimo fine, & convertit ad creaturam: sed hæc duo maximè opponuntur charitati, quæ tendit in Deum sub motivo amicitiæ, & conversionis: igitur charitas non aliter execratur peccatum, quàm quia est offensa Dei, ac subinde hæc detestatio duntaxat eatenus spectat ad virtutem Pœnitentiæ, quatenus ab ipsa saltem remotè imperatur; ac proinde ad eum actum præsupponi debet actus imperans, qui sit proprius Pœnitentiæ.

XXVIII. Quare pœnitentia definitur interdùm peccati detestatio.

Dices: SS. Patres, & Concilia plerumque non aliter Pœnitentiam exprimunt, quàm per dolorem & detestationem de peccatis, asseruntque hanc detestationem esse ultimam & perfectam dispositionem ad justificationem tam in Sacramento, quàm extra Sacramentum: Sic enim Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. Contritionem definit per dolorem ac detestationem: *Contritio,* inquit, *dolor animi, ac detestatio de peccato commisso:* Unde sess. 6. cap. 6. assignans modum præparationis ad justificationem, non meminit vindictæ peccati, sed solius detestationis: *Moventur,* inquit, *adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet:* igitur, &c.

Respondeo Patres, & Concilia sic loqui; quòd dolor & detestatio de peccato includatur tanquam effectus primarius in voluntate vindicandi, quæ si sit efficax ad remissionem peccatorum,

debet infligere pœnam, ac subinde imperare dolorem: cùm enim pœnitere secundùm nominis Ethymologiam, idem sit ac pœnam tenere; cùmque teneatur pœna dum elicitur dolor & formatur detestatio; idcirco tunc Pœnitentia censetur duntaxat completa, cùm habet suum terminum, seu effectum, & obtinet rationem justitiæ, quæ per vindicationem restituit jus suum Deo: sub qua-utique ratione SS. Patres & Concilia considerant Pœnitentiam, dum illam dolorem animi, ac detestationem de peccato commisso appellant.

Ad posteriorem authoritatem Concilii Tridentini, dico ipsum agere de peccati detestatione, quæ oriatur non ex motivo Pœnitentiæ, sed charitatis, ut patet ex verbis antecedentibus; ait enim: *Illumque* (id est, Deum) *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem.* Quibus verbis significat, motivum, & causam illius odii, ac detestationis esse dilectionem Dei; ac subinde non esse actum elicitum à virtute Pœnitentiæ, sed imperatum.

Dices secundò: Velle vindicare peccatum, & illud detestari, est unus & idem actus; qui enim detestatur peccatum, quantùm in se est, vult illud abesse, ac subinde vult illud vindicare: igitur si actus vindictæ sit actus virtutis Pœnitentiæ: itidem erit actus detestationis.

XXIX. Velle vindicare peccatum, non est idem ac illud detestari.

Nego antecedens: Nam actus vindictæ est actus prosecutionis, quia est volitio pœnæ infligendæ in ultionem peccati; actus verò detestationis est actus fugæ, quia est nolitio peccati: igitur sicut amor alicujus honestatis, & odium turpitudinis oppositæ, non sunt à parte rei unus & idem actus; sed plures saltem formaliter distincti; quamvis fortè ab eadem virtute eliciantur: pari ratione velle vindicare, & detestari peccatum, non sunt unus & idem actus, maximè quando procedere possunt à diversa virtute; quemadmodum contingit in præsenti, detestatio enim peccati provenire potest ex motivo tantùm charitatis, spei, vel alterius virtutis ipsi peccato oppositæ; quâ ratione non potest esse actus vindictæ, quia hic postulat motivum justitiæ.

Urgebis: Saltem detestatio peccati virtualiter continet voluntatem vindicationis peccati; ac proinde saltem virtualiter sunt unus & idem actus.

Respondeo, hîc sermonem esse de actu formaliter spectato, prout a speciali virtute procedit; ac subinde instantiam non esse ad propositum. *Deinde*, si detestatio peccati solùm virtualiter includat voluntatem vindicationis, consequens est, quòd illi duo actus sint formaliter distincti: quemadmodum omnis actus formaliter distinguitur à causa, in qua virtualiter continetur.

XXX. Pœnitentia non est virtus generalis per prædicationem.

Ex his igitur sequitur Pœnitentiam non esse virtutem generalem, neque per modum prædicationis, quasi esset quædam conditio generalis, ac prædicatum transcendens ad omnes virtutes, ut volunt Altissiodorensis, Major, & quidam alii Theologi; neque per aggregationem omnium virtutum, ut innuere videtur Alensis noster, qui fatetur quidem Pœnitentiam esse virtutem specialem, quatenus est actus ponitionis ipsius pœnitentis, in compensationem delicti. Eastimat autem eam esse generalem in ordine ad actum odii, & detestationis peccatorum omnium; cùm enim ad actum odii omnium peccatorum, singulæ concurrant, saltem illud imperando, ex amore enim objecti alicujus virtutis nascitur odium objecti ipsi contrarii, quod est peccatum: Unde existimat Alensis Pœnitentiam dici posse virtutem generalem per concomitantiam, & aggregationem omnium virtutum. Verùm contrarium apparet non solùm ex his, quæ diximus, sed etiam ex hac ratione: Quia si virtus Pœnitentiæ esset generalis ex concomitantia, & aggregatione aliarum virtutum, sequeretur Pœnitentem non posse unicô actu elicitô à virtute Pœnitentiæ detestari omnia peccata; cùm enim unaquæque virtus habeat objectum suum limitatum & distinctum, nec possit in objectum alterius virtutis tendere, consequens esset, quòd ad detestanda peccata contra omnes virtutes requireretur actus omnium virtutum; atque ita peccator non posset justificari per Pœnitentiam unicô instanti; quia non posset justificari, nisi detestetur omnia peccata: non posset autem omnia peccata detestari nisi exercendo actus omnium virtutum, quos in instanti exercere nequit: hoc autem absurdum est: igitur & illud unde sequitur.

Neque per aggregationem.

Status quæstionis.

Quæstio Secunda.

Qualis sit Pœnitentia, & ad quam ex virtutibus reducatur?

Tria maximè hac in quæstione occurrunt determinanda: *Primum*, utrum Pœnitentia sit virtus acquisita, vel infusa, Theologica aut Moralis: *Secundum*, ex hypothesi quòd sit moralis, ad quam ex quatuor capitalibus reducatur: *Tertium*, datô quòd reducenda sit ad aliquam ex speciebus justitiæ, utrum comprehendatur sub justitia commutativa, vel distributiva, vel punitiva: quæ ut faciliùs & evidentiùs innotescant.

I. Virtutes sunt in triplici differentia.

Notandum primò, virtutes generatim per ordinem ad Deum, esse in triplici differentia; *Aliæ* enim habent Deum pro objecto & fine proximo; ita quòd de ratione earum virtutum sit referre actus suos in Deum: cujusmodi sunt virtutes Theologicæ, quarum objectum est ipsemet Deus vel credendus, vel sperandus, vel diligendus: *Aliæ* nec pro objecto, nec pro fine proximo Deum habent, ut fortitudo, cujus objectum est mors aut quid simile; finis verò proximus, saltem intrinsecus non est Deus, sed aliquid aliud putà cùm quis se-se morti objicit pro Patria, ut hoste depulsô pacificè vivatur; hujus enim actus fortitudinis objectum materiale est mors; formale verò, aut finis intrinsecus, est pax, seu vita pacata & quieta; unde si talis actus refertur in Deum, hæc relatio erit duntaxat ad finem extrinsecum, fietque per virtutem non fortitudinis, sed charitatis, aut Religionis. *Aliæ* denique sunt quæ etsi non habeant Deum pro objecto, habent tamen ipsum pro fine cui, seu proximum, ad quem videlicet omnes earum actus diriguntur, quales sunt Religio & Pœnitentia; quarum actus proximè ordinantur ad Deum: quæ propterea virtutibus Theologicis proximæ sunt, & ab eis plerumque imperantur.

II. Unde virtus dicatur Moralis.

Notandum secundò, ex Doctore, *dist.* 14. *quæst.* 3. *num.* 5. virtutem non idcirco censeri moralem, eò quòd sit nota, & eliciatur ex prævia cognitione duntaxat naturali, non verò ex revelatione, vel fide, quia, *inquit*, secundùm Philosophum « virtus Moralis dicitur ex hoc quòd est more, vel « ex

ex consuetudine generabilis: quâcunque autem notitiâ sive ex lumine naturali babitâ, sive ex fide, potest secundùm illam appetitus inclinari, & ex frequenti actione generare in se habitum sic inclinantem; qui erit habitus electivus; quia appetitivus, & secundùm rectam rationem, licèt non naturalem, sed aliam rationem; & hôc modô paupertas, bumilitas, castitas, & hujusmodi sunt virtutes morales: quia secundùm perfectam, & rectam rationem, licèt non purè naturalem ex more, id est, frequenter sic eligere, generantur. *Vnde concludit*: Suppositâ igitur istâ regulâ notâ ex Evangelio, Pœnitentiam agite, *Matth.* 3. potest voluntas ex frequenti elicitione actûs conformis isti regulæ generare in se habitum inclinantem ad consimiles actus; & ille verè erit virtus; quia rectæ rationi, imò rectissimæ consonus; & tamen moralis, quia ex more & consuetudine generatus.

Hæc Doctor, quibus significat, quòd etsi Pœnitentia, ut sit Christiana virtus, debeat elici propter Deum offensum ex præsupposito divino præcepto per revelationem coguito, non minùs propterea erit virtus moralis ex frequentatis actibus genita & comparata: unde ad virtutem infusam & supernaturalem non sufficit, quòd præsupponat cognitionem mutuatam ex revelatione, sed ultrò requiritur, ut ejus acquisitio humanas omnino vires excedat, nec nisi Deô donante ac infundente possit obtineri.

Notandum tertiò, omnes virtutes morales revocari ad quatuor ex capitalibus, quæ idcirco vocantur Cardinales, quia cæteræ in eis, sicut janua in cardinibus volvuntur, suntque Justitia, Fortitudo, Temperantia & Prudentia. Constat autem Pœnitentiam non reduci ad Prudentiam, Fortitudinem, aut Temperantiam: quia illæ duntaxat occupantur circa moderandas, ac regulandas Passiones appetitûs sensitivi: Pœnitentia verò versatur circa omnia peccata, tùm spiritualia,

III. Plures sunt Justitiæ species.

cùm corporalia. Unde sola superest libranda difficultas de reductione ipsius Pœnitentiæ ad justitiam, cujus cùm ratio formalis consistat in obligatione & munere debiti reddendi secundùm rectam rationem, ad varias virtutum species sese extendit: numerantur enim 22. virtutes tam immediatæ, quàm mediatæ, de quibus justitia tanquam de suis speciebus prædicatur; quæ sunt Latria, Pietas, Dulia, Hyperdulia, Legalis Justitia, Epicheia, Benevolentia, Affabilitas, Beneficentia, Veritas, Amicitia, Liberalitas, Pœnitentia, Reverentia, Observantia, Misericordia, Vindicatio, Gratitudo, ac Justitia punitiva, restitutiva, distributiva, & commutativa. Quarum omnium sufficientia, & justa enumeratio colligitur ex quadruplici capitali debito, quod habere potest homo, *vel* per ordinem ad causam, à qua pendet tanquam effectus: *vel* per ordinem ad propriam conditionem & naturam, *vel* quantùm ad perfectionem secundam & superadditam, *vel* quantùm ad actionem voluntariam.

Petendæ ex quadruplici hominis ordinatione & debito.

Quoniam autem hîc potissimùm sermo est de ordinatione hominis quoad obligationem, quæ consurgit per actionem voluntariam; idcirco sciendum est quòd actio illa voluntaria præsupponit factum, aut non; si factum præsupponit, vel illud est sibi bonum, vel malum: si sibi bonum, obligatur ad recompensandum secundùm possibilitatem, quod reddit per virtutem *gratitudinis*; si

Maximè ex operatione voluntaria quæ est quadruplex.

autem est malum, obligatur quis ex officio ad corrigendum, ad quod inclinat *Iustitia punitiva*. & specialiter obligatur, qui malum gessit, si sit læsivum proximi ad satisfaciendum, ad quod inclinat *Iustitia restitutiva*. Si verò actio voluntaria non præsupponit factum, sed sit de pari, tunc potest oriri duplex obligatio, scilicet vel ad æqualitatem secundùm proportionem Geometricam & hanc exercet *Iustitia distributiva*, vel ad æqualitatem secundùm proportionem Arithmeticam, & hanc exercet *Iustitia commutativa*.

Unde quadruplex exurgit justitia.

Conclusio Prima.

Poenitentia est virtus moralis, non Theologica: acquisita, non infusa. Hæc est Doctoris quoad utramque partem, quarum primam declarat *dist.* 14. *quæst.* 2. *num.* 9. ubi ait: Ex hoc posset esse dubium de habitudine istius virtutis ad charitatem, ex quo enim Pœnitentia per actum suum imperat actum charitatis, videtur esse superior charitate. Sed oppositum est manifestum; quia objectum per se charitatis est Deus sub ratione objectiva nobilissima; proprium autem objectum istius est malum vindicabile, seu reus in quem est vindicandum. Unde concludit, quòd Pœnitentia non tantùm est virtus Theologica, sed nec virtus simpliciter nobilissima inter illas, quæ sunt circa objectum creatum; *Hinc num.* 20. *ait*: Ad ultimum dico, quòd non est virtus Theologica; imò circa objectum creatum.

IV. Pœnitentia non est virtus Theologica.

Probatur itaque hæc veritas ratione Doctoris petita ex dist. 26. libri 3. quæst. 1. num. 15. ubi ait: *Tres conditiones ponuntur pertinere ad virtutem Theologicam: Prima est respicere Deum pro objecto: Secunda, habere pro regula primam regulam humanorum actuum; non autem regulam acquisitam: Tertia, immediatè infundi à Deo, sicut à causa efficiente*: Sed nulla ex his regulis competit Pœnitentiæ: non quidem prima; siquidem Pœnitentia non tendit immediatè circa Deum, sed in peccatum vindicandum & puniendum; est enim, ut statim dicemus, justitia punitiva, seu vindicativa, quæ pro objecto formali habet correspondentiam pœnæ ad culpam; pro materiali verò ipsum pœnam & culpam.

V. Tres ad virtutem Theologicam desiderantur conditiones.

Dices, Pœnitens in vindicando peccato intendit satisfacere Deo pro injuria illata: igitur pœnitentia tendit in Deum tanquam in objectum.

Nego consequentiam, non enim intendit satisfacere Deo, quasi ipsa satisfactio, vel punitio sit finis proximus, & motivum ultimum, quod sibi proponat; sed tantùm quia satisfacere Deo, & punire peccatum, bonum est & ipsi satisfacienti; ac proinde satisfaciens, & puniens seipsum, habet pro objecto formali *cui*, non quidem Deum, quem illô actu non amat, sed voluntatem, quâ desiderat satisfacere Deo: quæ utique est aliquid creatum. Unde sicut obedientia licèt velit obedire Deo, & Religio colere Deum, non sunt tamen propterea virtutes Theologicæ, eò quòd proximè non versentur circa Deum, sed obedientia circa rem præceptam: Religio verò circa cultum divinum, quæ sunt entia creata: ita Pœnitentia licèt intendat satisfacere Deo, tamen hâc ratione censeri non debet virtus Theologica; quia non immediatè versatur circa Deum: sed circa peccatum vindicandum.

VI. Qua ratione Pœnitentia tendat in Deû.

Vrgebis: Pœnitentia intendit placare Deum:

Bb

ſed illa placatio eſt quid increatum, eſt enim A actus divinæ voluntatis acceptantis obſequia noſtra, & condonantis offenſas: ergo, &c.

Diſtinguo minorem: Illa placatio eſt quid increatum ex parte Dei, & in facto eſſe, concedo: quia ſolius Dei eſt condonare peccata: ex parte pœnitentis, & in fieri, nego: Pœnitens enim non immediatè verſatur circa illam placationem & remiſſionem, ſed tantùm circa opera apta ad placandum Deum, quæ vult exhibere ad obtinendam illam peccatorum remiſſionem; quæ utique exhibitio operum in ſe eſt bona & honeſta, etiamſi inde nulla ſequeretur peccatorum condonatio; unde actus primarius Pœnitentiæ eſt B velle punire peccatum, ac exhibere opera ſatisfactoria, quibus Deus placari poſſit.

Secunda etiam conditio ad virtutem ſupernaturalem non reperitur in Pœnitentia; ſiquidem non regulatur per primam regulam actuum humanorum, nempe vel Deum ſub aliqua ratione eſſentiali, aut attributali, vel divinam voluntatem per revelationem cognitam, ſed per dictamen rationis inſinuantis pœnam eſſe proportionandam peccato, & ſatisfactionem offenſionis gravitati.

VII. Pœnitentia non eſt virtus infuſa.

Multò minùs habet tertiam conditionem, nempe quòd infundatur à Deo tanquam à cauſa efficiente; nam, ut ait Doctor præfatâ diſt. 14. q. 2. num. 20. *Ex multis actibus vindicandi in ſe juſtè reum, poteſt acquiri habitus, qui maneat cum peccato mortali, & poſſet acquiri ante deletionem peccati mortalis, niſi fortè quia Deus juſtificat, antequam poſſint haberi actus ſufficientes ad generationem Pœnitentiæ.* C

Quæ utique ſententia ſic probatur: Virtutes infuſæ ſolùm admittuntur, ut inclinent ſuſcipientem ad actus neceſſarios ad ſalutem: ſic habitus fidei ad credendum, ſpei ad ſperandum, & charitatis ad diligendum Deum, ſicut oportet: ſed habitus Pœnitentiæ ſi in ſe conſideretur, non poſſet inclinare ſuſcipientem ad actum pœnitendi neceſſarium ad ſalutem: igitur eſſet fruſtraneus. Major conſtat. Minor probatur: Eatenus Pœnitentiæ actus dicitur neceſſarius ad ſalutem, quatenus diſponit animam ad infuſionem virtutum in inſtanti juſtificationis: ſed actus ille qui D eſt cauſa diſpoſitiva ſubjecti ad ſuſceptionem habitûs infuſi, produci non poteſt ab ipſo habitu infuſo: igitur, &c. Majorem tradit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. & 7. ubi Pœnitentia recenſetur inter diſpoſitiones prærequiſitas in adulto ad ſuſcipiendam juſtificationem. Et ſeſſ. 14. cap. 4. de attritione, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, dicitur quòd non faciat hominem hypocritam, & magis peccatorem, ſed verum eſt Dei donum, & Spiritûs ſancti impulſum, *non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quò pœnitens adjutus viam ſibi parat ad juſtitiam.* E Minor verò probatur: Omnis forma introducenda eſt poſterior diſpoſitione ad ipſam: igitur actus Pœnitentis neceſſarius ad ſalutem non poteſt elici ab habitu Pœnitentiæ infuſæ, ad quam eſt diſpoſitio, maximè in ſententia Thomiſtarum, qui admittunt virtutes morales per ſe infuſas, quas aſſerunt non infundi, niſi in juſtificatione.

Dices primò: Ad deletionem culpæ non ſufficit Pœnitentia naturalis & acquiſita: igitur ad id requirtur Pœnitentia infuſa. Probatur antecedens ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit, ſine prævenienti Spiritûsſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit:* igitur ſicut *credere, ſperare, & diligere* ſunt actus ſupernaturales in ſubſtantia: ita etiam pœnitere, ut ſit legitima diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum, debet eſſe ſupernaturalis.

Diſtinguo antecedens: Non ſufficit Pœnitentia naturalis tam in ſubſtantia, quàm in modo, concedo: naturalis in ſubſtantia, & ſupernaturalis in modo, nego: igitur actus Pœnitentiæ, qui eſt præparatio ad juſtificationem, eſt equidem ſupernaturalis in modo, quia nempe non elicitur, niſi beneficiô gratiæ, & auxiliô Spiritûs ſancti; quâ ratione actus virtutum moralium, quatenus meritorii ſunt, dicuntur ſupernaturales; non quidem in ſubſtantia, ſed in modo: quia non poſſunt eſſe Deo gratis accepti in ordine ad ſalutem, ſine beneficio gratiæ. Nec aliud voluit Concilium; ibi enim tantùm definit contra Pelagianos & Semi-Pelagianos hominem non poſſe juſtificari ex ſolis viribus naturæ ſine ſpeciali Dei adjutorio; unde non ex eis colligitur Pœnitentiæ ſupernaturalitas in ſubſtantia, ſed tantùm in modo; quæ utique neceſſaria eſt ad Pœnitentiam fructuoſam. VIII. Nec propterea minùs eſt ſufficiens ad remiſſionē culpæ.

Inſtabis: Habitus acquiſiti naturaliter inclinant ad producendos actus ſimiles illis, à quibus ſunt geniti: igitur ſi ex actibus Pœnitentiæ concurrentibus ad ſalutem generetur habitus naturalis, conſequens erit, quòd habitus ille inclinabit ad producendos actus ſufficientes ad ſalutem; & ſubinde, quòd ex ſolis naturæ viribus poterimus pœnitere; quod eſt Pelagiarum.

Diſtinguo antecedens: Inclinant ad producendos actus ſimiles, quantùm ad ſubſtantiam, concedo; quantùm ad modum, nego: Quemadmodum enim ſervari poteſt præceptum divinum, quantùm ad ſubſtantiam actûs, licèt non obſervetur quantùm ad finem Dei præcipientis: V. g. Si quis jejunet tempore Quadrageſimæ in ſtatu peccati mortalis, implet quidem præceptum quantùm ad ſubſtantiam actûs, non autem quantùm ad finem Dei præcipientis, & intendentis quòd ille actus ſit meritorius; ita habitus Pœnitentiæ acquiſitus poterit equidem inclinare voluntatem ad actum pœnitendi, quantùm ad entitatem, & ſubſtantiam actûs, nempe nolle peccaſſe; non tamen inclinat quantùm ad finem præcipientis, nempe Dei intendentis, quòd ille actus pœnitendi ſit ultima diſpoſitio ad gratiam. IX. Quia eſt ſupernaturalis non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum.

Conclusio Secunda.

PŒnitentia revocatur ad juſtitiam. Hæc eſt Doctoris diſt. 14. qu. 2. num. 5. ubi probat, quòd *velle punire peccatum* non ſit actus amicitiæ inſtaurandæ hominis cum Deo; quia non eſt actus virtutis appetitivæ ordinantis ad ſeipſum, ſed ad alterum. Sequitur, *inquit*, alia concluſio, quòd (*Pœnitere*) non eſt appetitivæ virtutis ordinantis ad ſeipſum, cujuſmodi ſunt temperantia, & fortitudo: ergo virtutis ordinantis ad alterum, cujuſmodi eſt juſtitia. Hoc argumentum tenet, ſupponendo illam famoſam virtutum appetivarum diſtinctionem, quod ad duo X. Pœnitentia eſt actus juſtitiæ.

genera omnino reducantur. *Antecedens* probatur, quia actum istum vindicandi, potest aliquis eôdem modô secundùm rationem rectam exercere in alterum, sicut in seipsum. Si etiam exerceat in seipsum, non exercet in se, nisi ut in alterum; quia non exercet in se, nisi in quantùm sibi committitur à Legislatore in istum reum vindicare. Sed accidit quod iste, cui committitur ut ministro Judicis, sit iste reus, quia eôdem modô exercet secundùm rectam rationem ministri in reum, si esset omnino alius in persona: ergo ista virtus, cujus natura est esse iste actus, continetur sub Justitia, prout in generali dicitur Justitia omnis virtus ordinativa ad alterum.

Quibus verbis Doctor declarat quòd iste actus, qui est *vindicare peccatum*, potest aliquis elicere circa alium, sicut circa seipsum, & quòd dum aliquis vindicat peccatum suum, tunc se habet circa se, ac si ageret circa alterum; ac subinde actus ille non spectat ad virtutem ordinantem ad se, sed ad alterum. Si autem objicias, quòd velle vindicare peccatum non sit actus circa alterum, sed ejusdem hominis erga seipsum; respondet ibidem Doctor, non obstare, *quòd ille in actu suo*, inquit, *ordinetur ad seipsum; quia non ad se, nisi ut ad alterum ut scilicet minister Iudicis in reum contra legem, in quem commissa est sibi authoritas à Iudice*, hoc est, dum aliquis punit seipsum propter peccatum, agit ut minister Dei; unde quamvis sit simul reus, & judex, tamen ut castigat seipsum, quasi virtualiter distinguitur à se ut reus est.

XI. Non autem Charitatis. *Dices primò:* Pœnitentia reducitur ad charitatem: igitur noo refertur ad justitiam. *Probatur* antecedeos: Ad eam virtutem reducitur Pœnitentia, à qua elicitur proprius Pœnitentiæ actus, qui est Contritio: sed hic elicitur à charitate: dolor enim de peccatis propter Deum summè dilectum est actus Contritionis; nam ejusdem virtutis est gaudere de bonis amici, & de malis illius dolere, & tristari: igitur actus Contritionis à charitate procedit.

Nego antecedens: & ad ejus probationem dico, Contritionem spectari posse dupliciter: nempe quatenus est dolor de peccato per simplicem displicentiam peccati, vel quatenus est dolor de peccato cum intentione illud vindicandi, & satisfaciendi Deo offenso: Priori modô spectat ad charitatem, non verò posteriori.

Instabis: Ejusdem est virtutis odisse, ac intendere destructionem illius quod opponitur objecto, cujus est objectum illud sectari: sed charitas intendit Deum ut summum bonum, cui peccatum opponitur: igitur dolere de peccato cum intentione illud destruendi spectat ad charitatem.

Distinguo majorem: Sub ea ratione, sub qua malum illud opponitur bono ab ipsa virtute intento, concedo: sub alia, nego. *Ad minorem* dico charitatem dolere de peccato cum intentione illud destruendi sub ea ratione, sub qua opponitur bono divino, quod charitas intendit: dolere autem de peccato cum intentione illud vindicandi ac puniendi, non est actus charitatis, sed Pœnitentiæ, ut jam demonstratum est.

Dices secundò: Justitia consistit in medio, cùm sit virtus moralis: sed Pœnitentia non consistit in medio; siquidem in excessum tendit, juxta illud Hieremiæ 6. *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum:* igitur non revocatur ad Justitiam.

Respondeo primò ad majorem, non idcirco virtutem dici consistere in medio, quasi necessariò media stare debeat inter duo vitia, quorum unum exorbitet à recto dictamine per excessum; aliud verò per defectum: nam virginitas, quæ est nobilissima virtus, non solùm temperat, sed omnem prorsus excludit veneream delectationem, atque adeo non versatur circa passiones delectabiles referando excessum, vel defectum; sed omnino delectationem excludendo: igitur virtus generatim dicitur consistere in medio, quatenus commensuratur recto rationis dictamini.

Respondeo 2. explicando minorem: Medium enim Justitiæ est æqualitas, quæ intercedit inter illos, inter quos reperitur Justitia, ut ait Aristoteles 5. Moral. At in quibusdam æqualitas perfecta constitui non potest, ob alterius excellentiam; putà inter patrem & filium, inter Deum & hominem; quare qui deficiens est in talibus, debet facere quidquid potest, ut id pro viribus exequatur, quod ad æqualitatem conducit; & sic Pœnitentia debet intendi quantùm fieri potest, ut nempe pœnitens pro viribus jus divinum resarciat. Ideo quantuncunque aliquem pœniteat, talis Pœnitentia ex parte justitiæ non erit vitiosa. Unde quantumvis quis detestetur peccata sua propter Deum, non peccat; imò quantò erit major detestatio, & peccati vindicta, tantò perfectior erit Pœnitentia.

XII. Quomodò Pœnitentia dicatur consistere in medio.

XIII. Virtus dicitur consistere in medio quatuor modis. *Respondeo tertiò* cum Pitigianis, quòd virtus generatim possit consistere in medio alterutrô ex his quatuor modis: *Primò* quidem tam ex parte objecti, quàm ex parte circumstantiarum, ut temperantia, contra quam peccari potest per excessum, aut defectum; sicut & contra quasdam circumstantias, videlicet nimis vel minùs comedendo, & quando, & ubi non oportet. *Secundò* quædam sunt quæ ex parte objecti habent superabundantiam, sed ex parte circumstantiæ sunt in medio. Dicit enim Philosophus 4. Ethic. cap. 4. quòd magnanimus quidem magnitudine extremus est, eo tamen quod ut oportet medius, ut magnanimitas & fortitudo: Tum, quia magnanimitas est circa maxima, & fortitudo respicit ultimum terribilium pro objecto: Tum, quia si magnanimus dignificaret se plusquam oporter, esset Vanus; sin autem minùs, esset pusillanimis: & fortis si exponeret se morti pro inani gloria, esset audax, &c. *Tertiò*, quædam sunt virtutes, quæ sunt in defectu ex parte circunstantiæ, ut virginitas, quæ negat omnem veneream delectationem; atque adeo tenet extremum quoad materiam; sed tenet medium quoad circunstantias: quia hoc observat pro tempore, quô hoc expedit observare, hoc est, pro tempore, quô non præcipitur, nec à Deo consulitur vacare carnali copulæ, & etiam observat hoc propter quod oportet, scilicet ut mens liberiùs vacet spiritualibus. *Quartò*, quædam sunt virtutes quæ habent superabundantiam, & non defectum, ut magnanimitas, & fortitudo; quædam è converso, quæ plus habent de superabundantia, ut latria; quædam, quæ plus habent de defectu, ut temperantia.

Quibus ita præmissis dici potest, quòd Pœnitentia consistat in medio, per defectum & excessum, V. g. si quis magis detestetur parvum peccatum, quàm magnum; vel si magis tristetur de peccato propter amissionem alicujus boni temporalis, quàm spiritualis. Ita Pitigianis.

CONCLUSIO TERTIA.

XIII. Pœnitentia non est Justitia cõmutativa.

Pœnitentia non est Justitia commutativa propriè dicta, neque distributiva, sed vindicativa. Hæc est Doctoris *dist.* 14. *quæst.* 2. *num.* 8. ubi loquens de actu Pœnitentiæ ait: *Est ergo iste actus Justitia punitiva, quæ distinguitur contra Justitiam commutativam, & etiam contra amicitiam.* Probantur simul duæ priores conclusionis partes, nempe quòd Pœnitentia non sit Justitia commutativa, & distributiva; enimverò virtutes, quæ habent diversa objecta formalia, sunt invicem distinctæ: sed Pœnitentia & Justitia tam commutativa, quàm distributiva respiciunt diversa objecta formalia; Justitia enim commutativa respicit æqualitatem rei ad rem; id est, debitum strictum ad æqualitatem reddendum; Justitia verò distributiva respicit æqualitatem præmiorum, vel suppliciorum cum proportione ad actus laudabiles & culpas: sed Pœnitentia non potest reparare jus divinum læsum per peccatum ad æqualitatem; quia offensa contra Deum commissa per quamlibet hominis satisfactionem non potest sufficienter expiari, nisi interveniat Dei clementia gratuitò, ac ex misericordia offensam condonantis: igitur Pœnitentia ad neutram illius Justitiæ speciem reducitur;

Neque distributiva.

Confirmatur, maximè quantùm ad Justitiam *distributivam*, quia hæc est superioris ad inferiorem; siquidem ad superiorem pertinet distribuere inferioribus de communibus bonis, & pœnis unicuique proportionaliter ad suum meritum, vel demeritum: Pœnitentia autem est potius inferioris, scilicet creaturæ in ordine ad Deum. *Deinde* Justitia distributiva pœnas, vel bona taxat uni per respectum ad alterum; quem etiam punit, vel præmiatur; Pœnitentia verò non punit unum pœnitentem per respectum ad alium; sed per respectum ad culpam in Deum commissam: igitur, &c.

XIV. Sed vindicativa.

Probatur denique tertia pars, nempe quòd Pœnitentia sit Justitia *vindicativa*; Primò quidem authoritate petitâ ex libro de vera & falsa Pœnitentia suprà à nobis laudato, quâ sic definit Pœnitentiam: *Est dolentis vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse*, si est vindicta: ergo est vindicativa.

Sic enim eam appellat Concil. Trident.

Insuper Sacramentum Pœnitentiæ est Tribunal Justitiæ: sed non alterius, quàm vindicativæ: igitur, &c. Majorem & minorem simul approbat Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 2. ubi sermonem faciens de baptizatis, ait: *Nam hos, si se posteà crimine aliquo contaminaverint, non jam repetitò Baptismò ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nullâ ratione liceat: sed ante hoc tribunal* (Pœnitentiæ) *tanquam reos sisti voluit.... Plenam & integram peccatorum remissionem consequentes ad quam per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus divinâ id exigente Justitiâ* (vindicativa) *pervenire nequaquam possumus.* Et cap. 5. insinuat peccatorem publicè posse confiteri sua peccata in eorum vindictam: *Cæterùm*, inquit, *etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, &c.* Et cap. 8. de operibus satisfactoriis ita statuit: *Habeant* (Sacerdotes) *præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis me-*

A *dicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Confirmatur: Deus ex Justitia vindicativa ordinat ut peccatum per pœnam & actus Pœnitentiales in Sacramento Pœnitentiæ remittatur: igitur peccator actus Pœnitentiales exercendo, eundem finem, idemque motivum habere debet. *Consequentia* patet; quia Minister ut ordinatè procedat infligendo pœnam, debet agere ex fine legis, & Legislatoris; cùm is sit finis potestatis ministerialis, qui intenditur à principali causa

B delegante: sed peccator exequendo pœnam in se mediante virtute Pœnitentiæ, agit ut Minister Dei Judicis: nam, inquit Tertullianus lib. de Pœnitentia; hæc virtus *in peccatorem pronuntians, pro Dei indignatione fungitur:* igitur sicut Deus præscribit pœnam ex motivo Justitiæ vindicativæ; ita pœnitens ex eodem motivo debet pœnam sibi præscribere.

Hæc præclarè docet S. Augustinus, cùm monet lib. 50. Homiliarum homiliâ 50. *Ascendat homo adversùs se Tribunal mentis suæ, si times illud, quod oportet nos exhiberi ante Tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque, quæ corpus gessit, sive bonum, sive malum: constituat se ante faciem suam, atque ita constitutò in corde judiciò, adsit accusa-*

C *trix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidem sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis, & sanguinis Domini. Ut qui separari à regno cœlorum per ultimam sententiam summi Judicis metuat, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cœlestis patriæ interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri judicii, ut cùm alii accedunt ad altare Dei, quò ipse non accedit, cogitet quàm sibi contremiscenda sit pœna illa, quâ percipientibus aliis vitam æternam, ipse cum aliis in mortem præcipitetur æternam.*

D *Dices primò:* Pœnitentia non reducitur ad Justitiam commutativam: sed ex Doctore *dist.* 19. *quæst.* 1. *num.* 26. Justitia punitiva eadem est cum commutativa, ait enim: *Dico ergo, quòd sicut in aliis commutationibus Justitia commutativa habet aliquam latitudinem; ita quòd non respicit in commutationibus indivisibile, sed medium rectæ rationis: ita Justitia punitiva, quæ est commutativa pœnæ pro culpa, non respicit necessariò gradum indivisibilem pœnæ correspondentem huic culpæ: sed est ibi aliqua latitudo, infra quam pœna minor non sufficit, & ultra quam pœna major non est imponenda.* Similia habet in 4. dist. 46. quæst. 1. num. 4. *Ad propositum*, inquit, *commutativa Justitia propriè respicit punitionem, & præmiationem, ut scilicet pro meritis, quasi commutando reddantur præmia, &*

XIX. Quô sensu Doctor referat Justitiam vindicativam ad Commutativam reduci.

E *pro peccatis supplicia.*

Respondeo, Doctorem eis in locis non accipere Justitiam commutativam strictè, & quatenus respicit medium servandum in rebus, & mercimoniis propriè dictis; ut sic enim à punitiva distinguitur; quia hæc æqualitatem quandam servat in pœnis ad debitum culparum; illa verò in commutationibus rerum. Unde etiam signanter addit, *quasi commutando*, quibus significat punitionem non esse actum Justitiæ commutativæ strictè sumptæ; sed in latiori quadam significatione, quatenus videlicet servat æqualitatem quantitatis, & respicit Arithmeticam proportionem instar Justitiæ commutativæ strictè dictæ; non autem servat proportionem Geometricam, sicut distributiva; unde potius ad commutati-

vam, quàm ad distributivam reducitur; quamvis A propriè oentra fit: sed tantùm quâdam proportione & similitudine.

Dices secundò: Justitia vindicativa solùm est in Judice, vel superiore infligente pœnam; non autem in subdito & reo: igitur peccator puniens seipsum per Pœnitentiam, id ooo præstat ex Justitia punitiva.

XVI. Justitia vindicativa potest esse in reo secundùm executionem.

Distinguo antecedens: Est in superiore magis principaliter & authoritativè, concedo: ministerialiter & executivè, nego: hôc enim posteriori modô est in subdito, & inferiori.

Vrgebis: Exequi & infligere pœnam non est pœoitere propriè loquendo: igitur oeque etiam executivè Pœnitentia est Justitia vindicativa. B *Probatur antecedens:* Posset aliquis velle assumere pœnam pro peccatis, nec tamen habere propositum iterum non peccandi, nec dolorem de præteritis: quæ utique Pœoitentia necessariò exigit.

Nego antecedens, & ad illius probationem dico, talem assumptionem pœnæ ooo fore veram vindictam pro peccatis præteritis, saltem in hac vita, quoniam non fieret secundùm leges Justitiæ vindicativæ, & punitivæ à Deo præscriptas: quæ primò omnium postulant dolorem, & propositum emendationis; unde sicut non colit verè Deum, tametsi habeat voluntatem colendi, qui cum exteroo culto actum internum Religioois C non adhibet: sic nec verè pœnitet, neque vindicat peccatum, qui non adhibet media ad id ordinata.

Dices tertiò: Pœna, quam pœnitens infligit, debet esse voluntaria in ipso suscipiente, utpote cùm sit actus virtutis in ejus voluntare existentis: sed pœna, quam infligit Jostitia vindicativa est involuntaria respectu patientis: igitur Pœnitentia non est Justitia vindicativa.

XXVII. Quâ ratione pœna Pœnitentis sit voluntaria.

Respondet Doctor dist. 14. quæst. 1. num. 13. Pœnam quidem esse involuntariam comparativè ad voluntatem sequentem affectionem commodi; *Tamen*; inquit, *potest esse voluntaria voluntate antecedente, scilicet volnntaria applicatione causarum ad quas sequitur Potest etiam esse voluntaria volnntate justa acceptante, & hoc voluntate sequente affectionem Iustitiæ: quia sic acceptat quidquid habet ordinem ad per se volendum justè: ista autem tristitia* D *potest esse ad aliquid per se justè volendum.* Præmiserat autem *num.* 11. quòd involuntarium simpliciter est illud, contra quod voluntas simpliciter remurmurat, & per consequens per oppositum *Voluntarium potest intelligi tripliciter.* UNÔ MOOÔ *contra quod non omnino voluntas remurmurat, sed patienter sustinet:* SECONOÔ MODÔ, *quod voluntariè acceptat.* TERTIÔ MOOÔ, *quod voluntariè causat: & hoc dupliciter, scilicet vel ut causa proxima partialis, &* E *non intendens istum effectum: vel ut causa remota principalis, & intendens effectum, & sic habentur quatuor membra.* Subjicit rationem hujus distinctionis: *Quia*, inqoit, *in primis duobus modis tristitia est objectum tantummodò volitionis: in tertio est effectus tantùm, & non objectum: in quarto verò objectum est, & etiam effectus, nisi aliquid impediat.*

QUÆSTIO TERTIA.

Quodnam sit Objectum Pœnitentiæ?

I. Objectum habitus est duplex: materiale & formale.

NOtandum primò, quòd cùm virtus habitualis duntaxat innotescat per actus, actus verò per objecta, non potest meliùs declarari, nec apparere Pœnitentiæ virtutis entitas & natura, quàm per notitiam illius objecti. Est autem duplex objectum, unum quidem *materiale*, alterum *formale*; sic appellatum per analogiam cum materia & forma physicè constitutiva alicujus totius. Quemadmodum enim materia est de se indifferens ad varias formas, & subinde ad varia composita constituenda; per formam autem ad certum compositum determinatur; ita res, circa quam virtutes occupantur, cùm ex se sit indifferens ad varias rationes amoris aut odii, & consequenter ad varias virtutes constituendas, dicitur objectum materiale; ipsa verò ratio motiva amoris, vel odii, per quam illa res determinatur ad certam virtutem constituendam, dicitur objectum formale; sic pecunia v.g. danda homini indigenti dici potest objectum materiale; quia est indifferens ad virtutem eleemosynæ, liberalitatis, aot Justitiæ restitutivæ: at datio istius pecuniæ propter sublevandam illius indigentis miseriam ex compassione, determinat ipsam pecuoiæ largitiooem ad virtutem eleemosynæ, sicut ejusdem largitio, ut restitoatur ablatum, ipsam pecuniam determinat ad virtutem Justitiæ restitutivæ.

II. Rursus Objectum materiale est vel præcipuum, vel remotum.

Notandùm secundò, Objectum materiale virtutis rursus esse duplex, nempe remotum & proximum. Objectum proximum appello circa quòd primò virtus occupatur: sic actus internos vel externus cultûs divini, qui assumitur in signum summæ Dei excellentiæ, & oostræ in eum observantiæ & subjectionis, dici potest objectum proximum virtutis Religionis: similiter objectum materiale proximum Pœnitentiæ ut est justitia vindicativa, dici potest id omne quod assumitur ad constitoendam æqualitatem inter culpam & pœnam, nempe ipsa pœna culpæ correspondens. Quæ utique nihil aliod est, quàm actus internus, vel externus assumptus ad vindicandum: Pœna enim est id, circa quod primarius effectus Pœnitentiæ versatur; hoc est; qood immediatè Pœnitentia intendit; siquidem intendit pœnam infligere pro peccato commisso: objectum autem remotum illud voco, inter quod & internum actum à virtute Pœnitentiæ elicitum aliqoid mediat: sic ioter peccatum, seu malum, ut vindicabile, & actum internum Pœnitentiæ, nempe voluntatem vindicandi, intercedit vindicta; unde sequitur malum, ut vindicabile, esse objectum remotum.

III. Quid sit malum vindicabile.

Notandum tertiò, malum vindicabile, nihil aliud esse, quàm id quod meretur pœnam in vindictam, quodque Deus vult puniri, quò fit ut omne peccatum non solùm mortale, sed etiam veniale sub ratione mali vindicabilis comprehendatur; licèt enim peccatum veniale non offendat Deum graviter; nec ideò mereatur gravem pœnam, seu punitionem, nihilominus certum est ipsum pœnam aliquam mereri; siquidem pœna correlativa est culpæ: ergo ubi culpa levis, saltem levis debet esse pœna, levisque punitio. Hæc autem pœna tandiu debetur peccato, quandio remanet sub ratione peccati, & offensæ Dei, & consequenter

donec per Pœnitentiam eluatur: Nam, *inquit* Doctor *dist.* 14. *quæst.* 1. *num.* 7. Nihil aliud est post actum peccati cessantem; offensa, macula, & reatus, nisi ista relatio rationis, scilicet ordinatio ad pœnam, ut est disconveniens ipsi animæ, dicitur ejus macula, sicut per oppositum pulchritudo: ut autem est obligatio formaliter ad illam pœnam, dicitur reatus; & ut est actus voluntatis divinæ, in quo est tota ista realitas, per quem actus ordinatur ad talem pœnam, dicitur offensa. Nihil enim aliud est offendi, vel irasci in Deo, quàm velle vindicare istâ pœnâ; & licèt Deus dicatur figurativè iratus, vel offensus, tamen accipiendo istam rationem irasci pro velle vindicare, exclusâ passione concomitante illud velle, Deus formaliter est iratus, vel offensus; quia formaliter est volens vindicare peccatum commissum contra legem.

IV. Quid remaneat post actũ peccami nosum.

Unde subdit *num.* 8. illud quod dictum est remanere post actum in peccatore, potest deleri; & quandoque deletur, juxta illud symboli: *Remissionem peccatorum.* Et *num.* 9. Dico quòd non remittitur sine pœna, vel æquivalente in acceptatione divina; quia per quodcunque peccatum offenditur Deus; sicut Scriptura satis clamat: Offensa autem ejus, vel ira, ut dictum est, est ejus velle vindicare, velle quid sufficiens ad placandum exigere: ergo positò quôcunque peccatô Deus vult vindicare de peccante; sed velle vindicare, est velle punire: ergo post peccatum commissum ad ejus deletionem requiritur aliqua punitio; vel æquivalens in acceptatione divina.

Et quomodo illud possit deleri.

Ita Doctor, quibus verbis significat etiam peccatum habituale comprehendi sub objecto virtutis Pœnitentiæ. His præmissis, tria supersunt determinanda: *Primum*, quodnam sit objectum proximum, in quod tendit Pœnitentia: *Secundum*, quodnam sit ejus objectum materiale remotum: *Tertium*, quodnam sit ejus objectum formale.

Conclusio Prima.

V. Quodnam sit objectũ immediatũ in quod tendit pœnitentia.

Objectum proximum Pœnitentiæ virtutis, est quilibet actus pœnitentis, sive internus, sive externus, qui elicitur & assumitur ad vindicandum peccatum. Patet hujus assertionis veritas ex secundo notabili; quemadmodum enim objectum proximum materiale Justitiæ commutativæ, est illud omne, quod assumitur ad constituendam æqualitatem inter datum & acceptum: Justitiæ verò distributivæ, sunt præmia, seu bona communia, quæ juxta uniuscujusque meritum distribuantur: pari ratione objectum materiale proximum Pœnitentiæ, ut est Justitia vindicativa, erit id quod assumitur in ultionem admissæ offensæ; hoc autem nihil aliud est, quàm actus internus, vel externus pœnalis, qui assumitur ad vindicandum: igitur hic uterque actus censeri potest objectum primarium Pœnitentiæ.

Deinde. Illud est objectum primarium materiale virtutis Pœnitentiæ, quod primum per eam intenditur: sed illa primariò intendit pœnam infligendam in ultionem criminis; illud enim primariò Pœnitentia intendit, à quo ipsa suam rationem formalem ac denominationem obtinet: sed utrumque habet à pœna in ultionem assumpta; siquidem Pœnitentia dicitur à pœnæ tenentia; & ejus ratio formalis, quatenus est specialis virtus, maximè consistit in ratione vindictæ: igitur ab ea pœna in ultionem assumpta suam mutuatur rationem formalem.

Dices: Pœna est effectus Pœnitentiæ: igitur non potest censeri illius objectum primarium.

VI. Quomodo actus Pœnitentiæ possit esse illius objectum.

Nego consequentiam; siquidem in virtutibus moralibus iidem actus externi qui à virtute fiunt, & sunt effectus internorum actuum voluntatis elicitorum à virtute; iidem, inquam, actus, quatenus priores in ordine intentionis, sunt objectum, seu materia talium virtutum, ut patet exemplô Justitiæ distributivæ, & commutativæ: quid nî igitur pœna in ultionem assumpta, quæ est quasi effectus ipsius Pœnitentiæ, censeri poterit ejusdem primarium objectum?

Instabis: Objectum primarium habet rationem finis saltem immediati: sed finis & effectus non possunt esse unum & idem: igitur cùm actus, quibus assumitur pœna in ultionem peccati, habeant rationem effectûs Pœnitentiæ, non possunt censeri illius objectum primarium.

Nego minorem: Tritum est enim apud Philosophos finem & effectum posse in idem coincidere sub diversis respectibus; sanitas enim potest esse simul effectus & finis ambulationis; & cultus divinus, seu actus internus, vel externus, qui assumitur in signum summæ Dei excellentiæ, & nostræ subjectionis, est effectus virtutis Religionis, & simul finis proximus, qui ab ea intenditur, seu objectum, quod ipsa proximè intendit: quid nî igitur eadem pœna, quam pœnitens sibi infligit, poterit esse simul effectus, & finis proximus, seu objectum quod proximè Pœnitentia intendat?

Conclusio Secunda.

VII. Quodnam sit objectũ remotum Pœnitentiæ.

Objectum materiale remotum virtutis Pœnitentiæ est omne peccatum, tam actuale, quàm habituale à pœnitente commissum.

Probatur: Illud est objectum materiale remotum virtutis Pœnitentiæ, quod ipsa intendit aliquô mediô: sed Pœnitentia fertur in peccatum mediante pœnâ in vindictam assumptâ: igitur peccatum proprium, & à pœnitente commissum censetur objectum remotum Pœnitentiæ. Dici tamen posset objectum proximum, quatenus attingitur ab actu elicito ipsius Pœnitentiæ; nam ut optimè advertit noster *Bosco* disp. 6. sect. 1. concl. 7. Pœnitentia ex vi ejusdem affectûs, & effectûs, qui proximè ab ipsa emanat, eôdem motu, quô versatur circa aliquam operationem, attingit etiam peccatum; non enim Pœnitentiæ virtus consistit in nuda illa operatione, id est, in voluntate vindicandi; quæ significatur per hanc locutionem, *volo vindicare*: sed per illam transit in ipsum peccatum: ita quòd hæc voluntas, *volo vindicare peccatum*, applicet de facto pœnam debitam peccato.

Dixi *omne peccatum tam actuale, quàm habituale*, esse objectum virtutis Pœnitentiæ; quamquam enim interdum remaneat habitus vitiosus etiam in Justificatis: nihilominus, ut docet Lugo *disp.* 3. *num.* 15 hic habitus sic perseverans potest esse materia Pœnitentiæ, quantùm ad actum retractationis, possum enim velle non fuisse illud peccatum, ne offenderetur Deus: quemadmodum post vulneris, vel morbi curationem dolere possum de causa, quæ morbum aut vulnus intulit. Insupèr velle possum illud peccatum vindicare, ac pro eo satisfacere; si remissio sit dubia; vel sub conditione, ex hypothesi quòd dimissum non sit.

Quod utique multò verius est de peccato habituali remisso; nam, ut præclarè docet Doctor *dist.* 14. *quæst.* 1. Illud quod remanet post actum in peccatore, potest deleri, & quandoque deletur, juxta illud Symboli: Credo remissionem peccatorum. Deus est remissivus peccatorum, & quandoque remittens peccata: & hoc probatur sic, quia aliquando prædestinatus labitur in peccatum mortale. Patet de David, Petro, & Paulo, & quasi innumeris: non autem potest beatificari, ad quod principaliter ordinatur per prædestinationem, nisi deletô peccatô, accipiendo peccatum modô prædictô: quia nullus beatificatur, remanens obligatus ad pœnam solvendam: quia vel simul solvendam cum gloria, quod est impossibile, quia ad minùs secundùm dispositionem divinam, gloria illa & pœna quæcunque repugnant: vel post glorificationem solvendam, quod similiter est impossibile, quia Deus disponit illam gloriam in quocunque finalem esse; ita quòd non sequetur aliqua pœna: ergo oportet ante glorificationem remitti, vel deleri istam obligationem ad pœnam quandoque sustinendam. Secundò dico, quòd non remittitur sine pœna, vel æquivalenter in acceptatione divina: quia per quodcunque peccatum offenditur Deus, sicut & Scriptura satis clamat: offensa autem ejus, vel ira, ut dictum est, est ejus *velle vindicare*, vel aliquid sufficiens ad placandum exigere: ergo positô quôcunque peccatô Deus vult vindicare de peccante: sed velle vindicare, est velle punire: ergo post peccatum commissum ad ejus deletionem requiritur aliqua punitio, vel æquivalens in acceptatione divina.

Hæc Doctor, quibus verbis significat non solùm reatum culpæ remanentem post actionem peccaminosam, sed etiam habitum vitiosum esse vindicabilem, seu ordinabilem ad pœnam; ac subinde esse objectum materiale virtutis Pœnitentiæ.

Dices: Virtus specialis debet habere objectum speciale: sed Pœnitentia est virtus specialis: igitur debet habere determinatum objectum: at omne peccatum non est determinatum objectum alicujus virtutis, sed omnium; siquidem omnes virtutes generatim sumptæ militant in omnia peccata, quælibet enim habet aliquod determinatum vitium, cui opponatur.

IX. *Pœnitentia alio modo tendit in peccatum quam aliæ virtutes.*

Distinguo consequentiam: Debet habere objectum determinatum formale, concedo: materiale, nego: licèt autem Pœnitentia tendat in omnia peccata, quæ ab aliis virtutibus seorsim ac distributivè impugnantur; attamen speciali aliquâ ratione Pœnitentia tendit in peccata, sub qua ab aliis virtutibus non attinguntur, nempe sub ratione vindicabilis & punibilis ut apparebit ex sequenti conclusione.

Conclusio Tertia.

X. *Objectum formale ac specificativum virtutis Pœnitentiæ, est peccatum ut vindicabile.* Hæc est Doctoris *dist.* 14. *quæst.* 2. *num.* 4. ubi ait: Pœnitere est actus specialis virtutis. *Probatur*, quia ille actus natus est habere speciale objectum, & speciales circunstantias ordinatas; objectum quidem, nempe peccatum vindicabile: circunstantias verò, quæ conveniunt actui, ut rectè tenderet in tale objectum, scilicet finem; modum & ejusmodi. *Et infrà num.* 9. demonstrat Pœnitentiam esse minùs perfectam, quàm sit actus charitatis: quia, *inquit*, per se objectum charitatis est Deus sub ratione objectiva nobilissima: proprium autem objectum istius est malum vindicabile, seu reus, in quem est vindicandum.

Peccatum ut vindicabile, est objectum formale Pœnitentiæ.

Probatur autem conclusio: Peccatum, in quod tendit Pœnitentia, speciali ratione debet attingi; sub qua non attingatur ab aliis virtutibus: sed illa ratio non est alia, quàm vindicabilitas, seu obligatio ad puniendum peccatum: igitur, &c. Major constat. Probatur minor. Si aliqua esset ratio, sub qua Pœnitentia tenderet in peccatum; maximè illius malitia, quatenus detestanda, & execranda: sed hæc ratio non est peculiaris Pœnitentiæ; siquidem omnes virtutes, saltem quæ tendunt in Deum, etiam tendunt in detestationem peccati; Charitas enim illud execratur, quatenus est malum oppositum infinitæ Dei bonitati, quam ipsa considerat; omne namque peccatum est malum Dei, saltem extrinsecè; quia displicet Deo, & ipsius gloriæ adversatur; cùm autem ejusdem virtutis sit detestari malum oppositum objectum, cujus est objectum illud prosequi, hâc ratione charitas detestatur quodlibet peccatum. Similiter cùm omne peccatum nos privet supernaturali beatitudine, & subjiciat pœnis æternis à Deo vindice infligendis, detestatio peccati ex ejusmodi motivo spectabit non ad Pœnitentiam, sed ad spem. Potest etiam peccatum considerari, quatenus militat in Dei honorem, observantiam, & cultum; & sic illius detestatio spectat ad virtutem Religionis; & sic dicendum de cæteris virtutibus, quæ tendunt in Deum; ac subinde ratio detestationis non potest esse propria soli virtuti Pœnitentiæ; ac consequenter peccatum ut detestabile non est formale & specificativum ipsius virtutis objectum.

Deinde, peccatum ut vindicabile, debet attingi ab aliqua virtute: sed non potest attingi ab alia, quàm à Pœnitentia: igitur ut sic est illius objectum specificativum. Major constat; nam, inquit S. Augustinus lib. 1. Confess. *Iussisti Domine, & ita est, ut pœna sit sibi quisque peccator.* Et meritò quidem; cùm enim, ut suprà dicebat Doctor, per quodcunque peccatum offendatur Deus, ac propterea moveatur in peccatorem affectu vindictæ; velle autem vindicare idem sit, ac velle punire; inde fit quòd homo peccator non possit reconciliari Deo, nec eum placare, quin priùs in se peccatum vindicet, & puniat. Minor etiam constat: nulla siquidem virtus tendit in peccatum, quatenus puniendum, ut Deo fiat satis, nisi sola Pœnitentia: igitur, &c.

XI. *Quomodo jus divinũ attendatur à Pœnitentia.*

Dices: Jus divinum læsum per offensam, & resarciendum per satisfactionem, & compensationem quandam, est objectum formale Pœnitentiæ: igitur illud objectum non est peccatum, ut vindicabile & punibile.

Respondeo, negando antecedens: Jus enim divinum sic spectatum dici quidem potest finis Pœnitentiæ, non verò illius objectum; idcirco enim Pœnitentia tendit in vindictam peccati, ut quantùm in peccatore est cum Dei auxilio faciat satis Deo, & illata ei injuria resarciatur; sicque illa divini juris restitutio ac reparatio offensæ, est finis movens Pœnitentem ad vindicandum peccatum; unde illud jus divinum ut compensandum, potius habet rationem finis quàm objecti respectu virtutis Pœnitentiæ.

QUÆSTIO QUARTA.

Quodnam sit subjectum tam immediatum, quàm mediatum virtutis Pœnitentiæ?

I. Habitus alii sunt intellectivi alii appetitivi.

NOtandum primò, habitus generatim distribui in *intellectivum*, & *appetitivum*: intellectivus est, qoi subjectivè in intellectu recipitur; isque est duplex, alius *acquisitus* propriis ac geminatis actibus; alius divinitùs *infusus*, & ex speciali Dei liberalitate. *Infusus* iterum duplex, nempe vel quoad substantiam, qui videlicet nullô prorsus humanô studiô comparari potest, sed ex sola Dei liberalitate, quales sunt virtutes Theologicæ; vel quoad modum, qui videlicet propriô labore comparari possent, & ex repetitis actibus generari; sed non cum tanta facilitate, nec temporis brevitate, tales sunt habitus scientiæ, aut virtutum moralium interdum à Deo hominibus concessi. *Acquisitus* similiter duplex, videlicet speculativus & practicus; *speculativus* ille est, qui ad nudam objecti contemplationem ioclinat, nec circa illud aliquid molitur, quod ad regulandam voluntatem spectet: isque iterum duplex, oempe *realis*, ut Metaphysicus, Mathematicus, & Physicus; vel *rationalis*, ut Grammaticus, Rhetoricus, & Logicus: *Practicus* est, qui circa agibilia versatur, ut Prudentia; vel circa factibilia, ut artes tam mechanicæ, quàm liberales. *Habitus appetitivus* ille est qui subjectivè in appetitiva facultate residet; qui iterum duplex; scilicet acquisitus & infusus: acquisitus rursus duplex, scilicet in ordine ad se, ut fortitudo, Temperantia, vel in ordine ad alterum, ut Justitia: infusus similiter est duplex, nempe in ordine ad se, ut spes; & in ordine ad alterum, ut charitas. Quæritur autem ad quem hujusmodi habituum ordinem revocanda sit Pœnitentia.

Qui rursus variè distribuuntur.

II. Duplex est virtutis subjectum.

Notandum secundò, duplex generatim esse cujuslibet habitûs virtutis subjectum, videlicet immediatum, & mediatum: *Primum* est facultas, in qoa habitus ille immediatè residet, quamque promptam, & expeditam efficit ad eliciendos suos actus; quod utique subjectum triplex ab aliquibus distinguitur, videlicet intellectus, voluntas, & appetitus sensitivus; Prudentia namque subjectatur io intellectu, Justitia in voluntate, Temperantia verò & fortitudo secundùm S. Thomam in appetitu sensitivo. Verùm reclamat subtilis Doctor contendens eam pariter in voluntate recipi. *Secundum*, sunt personæ, seu supposita, in quibus virtutes illæ resident. Quæritur ergo quodnam sit subjectum immediatum, & mediatum virtutis Pœnitentiæ, seu in qua facultate, & in quibus personis ipsa resideat.

III. Quid & qualis sit virtus appetitiva.

Notandum tertiò, virtutem appetitivam esse habitum, qui voluntatem inclinat ad aliquid volendum & fugiendum: qoi utique duplex generatim assignatur juxta duplicem ordinationem, quam habitus ille intendit: quidam enim ordinat subjectum ad se, nempe ad rectè volendum ea, quæ spectant ad subjectum in quo residet, quales sunt Temperantia, & fortitudo; istæ namque virtutes ordinant hominem circa ea, quæ ipsi conveniunt: alius verò ordinat ad alterum, nempe ad præstandum & tradendum ei quod suum est, qualis est Justitia quæ inclinat habentem ad volendum alteri quod suum est. Unde ex virtu-
A tibus quædam sunt, quæ hominem rectum faciunt io seipso absque ulla ordinatione ad aliud, ut temperantia, cujus effectus est moderatio passionum appetitûs concupiscibilis in ordine ad seipsum; quædam verò faciunt hominem rectum in ordine ad alterum, ut justitia, cujus munus est hominem regere, ut alteri reddat quod suum est.

His ita observatis duo restant determinanda, nempe quodnam sit subjectum tam immediatum, quàm mediatum virtutis Pœnitentiæ.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Virtus Pœnitentiæ immediatè est in voluntate.

B VIrtus Pœnitentia residet immediatè in voluntate, prout ordinatur ad alterum.* Ita Doctor *dist. 14. quæst. 2. num. 5.* ubi ait: *Pœnitere non est actus alicujus virtutis intellectualis; quia est actus appetitûs, ut appetitus, qui imperat intellectui, ut consideret, & voluntati ut detestetur.... Porrò hoc imperare non convenit nisi appetitui, vel voluntati; neque enim aliqua vis sensitiva potest imperare intellectui & voluntati, & conjungere eos in actibus suis; neque intellectus sibi & voluntati, sed sola voluntas, sibi & intellectui imperat:* Hoc est, Pœnitentia est velle vindicare peccatum: sed hoc velle soli voluntati convenit, quia imperare intellectui ut consideret, & voluntati ut detestetur gravitatem offensæ non competit, nisi soli
C voluntati; non enim convenit potentiæ sensitivæ; quia nulla facultas sensitiva potest imperare intellectui, vel voluntati; siquidem appetitus sensitivus rationali subjicitur, juxta illud Genesis: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* neque etiam convenit intellectui, quia intellectus non potest imperare sibi ipsi, neque voluntati: igitur illud imperium, seu velle vindicare peccatum, spectat duntaxat ad voluntatem.

Quia solius est voluntatis imperare.

Qood utique confirmat Doctor; quia sola voluntas potest imperare sibi ipsi, nec-non & intellectui, ut docet S. Augustinus lib. 11. de Trini-
D tate cap. 3. ubi scribit, quòd *Voluntas copulat parentem cum prole*, id est, conjungit intellectum secundùm speciem intelligibilem cum cognitione actuali; quæ est ejus proles: unde parens cognitionis est memoria fœcunda, nempe intellectus ab objecto, seu specie intelligibili fœcundatus: proles autem est actus intelligendi, vel ipsa intelligentia; ita quòd voluntas copulat parentem cum prole, dum præcipit intellectui, ut unà cum objecto producat actum intelligendi: Similiter voluntas sibi ipsi imperat; siquidem nihil est magis in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas, id est, ejus actus: igitur cùm ad voluntatem spectet imperare, coosequens est, quòd velle imperativum, seu voluntas vindicandi pec-
E catum, quæ est ipsemet virtutis Pœnitentiæ actus, ad voluntatem, non autem ad intellectum spectet.

Probat secundò Doctor *ibidem:* Virtus intellectiva ordinatur ad cognitionem veri, ut verum est; virtus enim intellectualis judicat verum esse, vel noo esse verum, sive in speculandis, sive in agendis, & dictat hoc esse speculandum, vel non esse speculandum; agendum, vel non agendum: sed Pœnitentia, seu velle vindicare peccatum, non est actus, quô sic dictetur aliquid agendum, vel fugiendum, speculandum, vel non speculandum: sed quô imperetur peccatum esse puniendum: igitur velle vindicare non est actus intellectûs, neque appetitûs sensitivi, sed voluntatis;

ac ſubinde virtus Pœnitentiæ in ſola voluntate reſidet.

V. Prout ordinatur ad alterum.

Probat ſecundam partem ibidem Doctor, nempe quòd velle vindicare peccatum a ſe commiſſum ſit actus virtutis appetitivæ ordinantis ad alterum, cujuſmodi eſt juſtitia; quia, *inquit*, actum iſtum vindicandi, poteſt aliquis eôdem modô ſecundùm rectam rationem exercere in alterum, ſicut in ſeipſum: ſi etiam exerceat in ſeipſum, non exercet in ſe, niſi ut in alterum; quia non exercet in ſe, niſi quantùm ſibi committitur a Legiſlatore in iſtum reum vindicare. Sed accidit, quòd iſte, cui committitur ut miniſtro judicis, ſit iſte reus, quia eôdem modô exercet ſecundùm rectam rationem miniſtri in reum, ſi eſſet omnino alius in perſona: ergo iſta virtus, cujus natus eſt eſſe iſte actus, continetur ſub juſtitia, prout in generali dicitur juſtitia omnis virtus ordinativa ad alterum, vel quaſi ad alterum. Nec obſtat, quòd ille in actu iſto ordinatur ad ſeipſum: quia non ad ſe, niſi ut alterum, ut ſcilicet miniſter Judicis in reum contra legem, in quem commiſſa eſt ſibi authoritas à Judice.

Ita Doctor, quibus verbis ſignificat, quòd quando pœnitens vindicat peccatum a ſe commiſſum, agit erga ſeipſum tanquam ſi eſſet perſona diſtincta; ut enim ſibi pœnam præſcribit, & infligit, refert perſonam Judicis; ut verò illam patitur, reum repræſentat, cui à Judice præſcribitur pœna luenda.

Dices: Pœnitentia eſt judicium, quô intellectus dictat pœnam eſſe pro peccato ſubeundam, ut quantùm peccator ſe glorificavit in deliciis, tantùm ſubire debeat tormentum & luctum: ſed judicium iſtud eſt actus intellectûs, non verò voluntatis: igitur Pœnitentia reſidet potius in intellectu, quàm in voluntate.

VI. Pœnitentia præſupponit Judicium intellectûs, ſed in eo non conſiſtit.

Diſtinguo majorem: eſt tale judicium præſuppoſitivè, concedo: formaliter & entitativè, nego. Fateor equidem, quòd ad veram Pœnitentiam exercendam prærequiratur, ut intellectus cognoſcat peccati malitiam, & gravitatem, quatenus pœnam luendam pro condignitate dictitet: nam Deuteronomii 25. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Verùm in hoc dictamine non conſiſtit ratio formalis Pœnitentiæ, ſed ultrà requiritur, ut voluntas imperet peccati vindictam per animi dolorem, cordis contritionem, & mortificationem corporis; in quo quidem imperio maximè conſiſtit ratio formalis Pœnitentiæ.

Dices ſecundò: Pœnitentia ordinatur ad eluendum omne peccatum: ſed non poteſt peccatum eluere, & expellere, niſi ſit in eo ſubjecto, in quo peccatum ineſt; non enim poteſt expellere peccatum, niſi quatenus ei contrariatur: habitus autem virtutis & vitii, ſicut & alia contraria, non cenſentur oppoſiti, & incompatibiles, niſi reſpectu ejuſdem ſubjecti, cui poſſunt inexiſtere: igitur ut Pœnitentia peccatum expellat, debet eſſe in eodem ſubjecto in quo peccatum reſidet: at peccatum eſt in qualibet facultate; nam per cujuſlibet facultatis operationem peccatur: igitur Pœnitentia debet in qualibet facultate reſidere.

VII. Expellit omnia peccata, non formaliter, ſed effectivè.

Diſtinguo majorem: Debet eluere & expellere, formaliter, nego: effectivè concedo: Minorem ſimiliter diſtinguo: Non poteſt eluere peccatum formaliter, niſi ſit in eo ſubjecto, in quo peccatum reſidet, concedo: non poteſt eluere effectivè, & imperativè, nego: unde neganda eſt conſequentia. Cùm enim ratio formalis Pœnitentiæ conſiſtat in velle vindicare peccatum, iſtudque velle ratione dominii voluntatis in alias animi & corporis facultates, in eas omnes ſe-ſe extendat, ac ſuum imperium dirigat; idcirco non eſt neceſſe quòd in eis facultatibus formaliter exiſtat, ſed ſufficit, quòd reſideat in voluntate, quæ eſt princeps & moderatrix aliarum facultatum. Adde quòd peccatum formaliter non exiſtat in alia facultate, quam voluntate; omne ſiquidem peccatum eatenus peccatum eſt, quatenus eſt liberum.

Conclusio Secunda.

VIII. Potuit eſſe in ſtatu innocentiæ & in Angelis.

Pœnitentia potuit eſſe in ſtatu innocentiæ, & in Angelis ac Beatis, ſaltem ſecundum aliquam ſui rationem: propriè vero ac formaliter eſt in peccatoribus pœnitentibus poſt lapſum. Hæc eſt Doctoris quoad omnes partes, quarum primam declarat *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *num.* 9. ubi loquendo de Angelis, & primis parentibus in ſtatu innocentiæ, poſtquam dixit: *Ad tertium* argumentum poteſt reſponderi dupliciter. Uno modô, ex quo virtus eſt in nobis ſupplementum defectûs naturalis (unde non ponuntur virtutes morales a quibuſdam in Angelis) nec in ſtatu Innocentiæ fuiſſent tales in natura, quales nunc; nec ergo tunc fuiſſet neceſſitas habendi omnes virtutes, quas & nunc; & hoc ſpecialiter de virtutibus, quæ non habent bonum pro objecto, ſed malum, ut Pœnitentia; quia in ſtatu illo non fuiſſet illud malum, ſicut fortè nec tunc fuiſſet Patientia; quia nec materia patientiæ; ſubdit aliam ſententiam.

Ut optimè declarat Doctor.

Aliter dici poteſt, quòd Pœnitentia eſt habitus inclinans ad faciliter vindicandum in ſe reum, & quòd in ſe, hoc eſt; materiale, quia formalis ratio virtutis eſſet eadem, ſi committeretur ſibi vindicare in alium reum: Beatus autem & Innocens poſſunt habere habitum promptè vindicandi in alium reum: ergo & in ſe, ſi tamen reatus ineſſet, & ſic poteſt concedi, quòd in ſtatu Innocentiæ & Beatitudine manet iſta virtus. Ubi, ut perſpicuè manifeſtum eſt, Doctor utramque ſententiam, tanquàm probabilem proponit.

Similiter 3. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. problematicè diſputat an in Angelis dentur veræ virtutes morales *Ad primum*, (inquit num. 16.) concedi poteſt, quòd ſi Angelus eſſet creatus in puris naturalibus, non habens in voluntate virtutes morales, poſſent generari in eo ex multis rectis electionibus, non quidem circa paſſiones in appetitu ſenſitivo ſibi inexiſtentes, nec etiam quæ infuerunt, vel inerunt, vel poſſunt ineſſe; ſed ſolùm circa tales paſſiones in univerſali oſtenſas per intellectum, quâ oſtenſione poſitâ & dictatô quid eſſet eligendum, ſi poſſibile eſſet eas haberi ab eis, voluntas ejus conſona tali dictamini ex multis electionibus, poſſet habere habitum moralem rectum.

Ita Doctor, quibus ſatis apertè ſignificat Pœnitentiam, ſicut & alias virtutes morales verſari poſſe circa objectum, non ſolùm quod eſt, vel infuit, vel inerit, aut poteſt ineſſe; ſed etiam circa objectum ipſis proprium, & univerſale. Unde Pœnitentia, quatenus inclinat voluntatem ad vindicandum peccatum in univerſale, & abſtrahendo ab eo quòd ſit commiſſum à propria, vel aliena perſona, nedum in Angelis, ſed etiam in Adamo eſſe potuit in ſtatu innocentiæ.

IX. Saltem ſecundùm

Addo, Pœnitentiam reverà potuiſſe verè ac propriè reperiri in ſtatu innocentiæ; cùm enim in eo ſtatu Adamus potuerit peccare venialiter,

aliquam rationem.

ut docet Doctor *in 2. dist. 21. quæst. 1. num. 73.* planum est Adamum de illo peccato veniali potuisse pœnitere, ac sumere vindictam, ut ibidem satis apertè innuit Doctor: Respondens enim ad secundum argumentum in oppositum, quod erat de pœna arcenda ab eo felici statu, & subinde etiam arcendum omne peccatum veniale, ait: *Alia pœna quàm mors potest respondere veniali: putà displicentia aliqua, vel aliquid hujusmodi: vel potest dici quod pœna sibi propriè non correspondet, sed committens veniale est debitor ferventioris actûs voluntatis, quàm prius, qui fervor consumeret peccatum veniale. Nec obsuisset innocentia Adæ habuisse pœnam debitam veniali præter mortem.*

X. Non verò prout in Scriptura & à Theologis accipitur.

Dices: Scriptura sacra, SS, Patres & Concilia, quoties sermonem instituunt de Pœnitentia, per eam semper intelligunt vindictam de proprio peccato, seu detestationem & dolorem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; igitur virtus Pœnitentiæ non potest esse in iis, in quibus non est peccatum; ac subinde non potuit esse in Angelis nec in Adamo in statu innocentiæ.

Respondeo id quidem verum esse, quia videlicet loquuntur de Pœnitentia, quatenus de facto est necessaria dispositio ad remissionem peccatorum; non autem prout est virtus aliqua moralis inclinans voluntatem ad procurandam æqualitatem inter pœnam & culpam, quatenus illam usurpat Doctor in secunda sua responsione, quô sensu Pœnitentia etiam esse potuit in voluntate B. Virginis, imò & Christi D. circa peccatum in universali per intellectum ostensum, quâ ostensione positâ simul cum dictamine ejusdem intellectûs circa id quod esset eligendum in hypothesi quòd possibile esset peccatum illud; voluntas etiam consona tali dictamini, posset pluries habere electionem circa vindictam peccati, & ex hac multiplici electione sibi comparare posset habitum moralem rectum virtutis Pœnitentiæ, quô illa voluntas inclinaretur ad procurandam æqualitatem inter pœnam & culpam, ex hypothesi quòd ipsa culpam admitteret. Unde quamvis voluntas Christi, nec non & B. Virginis esset impeccabilis, nec consequenter potuissent habere actum absolutum vindicandi peccatum in se, tamen habere potuerunt actum conditionatum, dicendo: *Si ego peccassem, vindicarem in me peccatum;* cùm enim actus illi quatenus sunt absolutè eliciti à nobis, sint veri ac perfecti actus Pœnitentiæ, & ex talibus in nobis generetur perfectus Pœnitentiæ habitus: simili ratione ex illa voluntate conditionata generari potuit in Christo, nec-non in B. Virgine; quippe cùm nulla appareat ratio disparitatis.

Fateor tamen Pœnitentiam, quatenus significat animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; quemadmodum illam describit Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 4.* eamque dividit in contritionem charitate perfectam, & contritionem imperfectam, quæ dicitur attritio, posse duntaxat existere in voluntate hominis peccatoris; quia ipsi duntaxat competit præcisus & hujus Pœnitentiæ actus, nempe velle vindicare peccatum à se commissum cum dolore, & laboriosa satisfactione, nec non proposito non peccandi de cætero; ac subinde subjectum denominationis seu mediatum Pœnitentiæ virtutis, quatenus vulgò usurpatur à Theologis esse duntaxat hominem peccatorem in statu viæ.

SECTIO SECUNDA.

De necessitate Pœnitentiæ.

Tertullianus optimè declarat Pœnitentiæ necessitatem ex præcepto divino.

TERTULLIANUS lib. de Pœnitentia cap. 4. Pœnitentiæ necessitatem, ac summam utilitatem ex divino præcepto commendat: *Audaciam,* inquit, *existimo de bono divini præcepti disputare: neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus; sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis, prior est authoritas imperantis, quàm utilitas servientis. Bonum est pœnitere, an non? Quid revolvis? Deus præcepit: at ille non præcepit tantum, sed etiam hortatur. Invitat præmiô salutem; jurans etiam* Ezechielis 33. VIVO *dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causâ Deus jurat! O miseros si nec juranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantoperè commendat: quod etiam humano more sub dejeratione testatur, summâ utique gravitate, & aggredi & custodire debemus; ut in asseveratione divinæ gratiæ permanentes, in fructu quoque ejus, & emolumento proinde perseverare possimus.* Quibus verbis Pœnitentiæ necessitatem ex solo divino præcepto colligit. Quoniam autem duplex solitò rerum ad salutem deservientium necessitas occurrit, alia quam appellamus medii, altera verò quæ præcepti necessitas dicitur: idcirco duplex potissimùm hac in Sectione instituenda est quæstio; utrum videlicet hôc utrôque modô Pœnitentia sit necessaria peccatori ad salutem.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum, & quâ ratione Pœnitentia virtus peccatori sit necessaria ad salutem consequendam?

I. Duplex est necessitas rerum deservientium ad salutem.

Medii & præcepti.

NOtandum primò, duplicem, ut mox dictum est, quantùm ad præsens attinet, esse necessitatem in ordine ad salutem; nempe finis seu medii, & præcepti seu divini mandati. Illud dicitur necessarium necessitate finis seu medii, quod est simpliciter necessarium ad vitæ æternæ consecutionem, etiamsi nulla extet obligatio præcepti; sicut è converso illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod ordinatur ad salutem duntaxat ex divino præcepto; unde siquis excusatur ab obligatione præcepti, vel propter mentis inopiam, vel propter corporis infirmitatem, poterit absque tali medio vitam æternam consequi: sic infantes & amentes, propterea quòd non sint rationis compotes, salvari possunt absque observantia præceptorum Dei & Ecclesiæ; sic pariter infirmi salvari possunt, etsi non faciant satis præcepto jejunandi; à quo excusantur propter infirmitatem.

Notandum secundò, quòd ea, quæ sunt necessaria necessitate finis, sunt in duplici differentia; quædam habent necessitatem intrinsecam ex intrinseca connexione, quæ reperitur inter ipsa media, & finem ultimum, nempe vitam æternam, & hôc modô gratia, sive charitas sunt necessaria necessitate finis. Quædam verò sunt necessaria ex sola institutione Dei ita statuentis ac ordinantis medium aliquod tanquam necessarium ad salutem pro aliquo determinato tempore, quod aliàs ita necessarium non erat: sic Baptismus in

II. Duplex necessitas in ordine ad finem; necessitas peccatoru-

ia rei & ex ordinatione divina.

lege Evangelica necessarius est ad salutem, cùm anteà talem necessitatem non induceret, sub lege naturali & scripta seu Mosaïca. Porrò inter ista duo media hoc descrimen intercedit, quòd media prioris generis in omni statu, & omnibus modis sunt necessaria ad salutem æternam: media autem secundi generis non item, sed pro illo statu duntaxat, pro quo fuerunt instituta. Quæritur ergo utrum Pœnitentia virtus necessaria fuerit ad salutem ex necessitate intrinseca, & in omni statu; an duntaxat ex ordinatione divinà, & pro aliquo statu determinato.

Notandum tertiò, quòd inter ea, quæ sunt necessaria necessitate finis ex institutione Dei, quædam sunt simpliciter necessaria; itaut neque per se, neque per accidens vita æterna possit obtineri absque hujusmodi mediis, sic Baptismus in re susceptus necessarius est parvulis; quædam verò sunt quidem per se necessaria ad vitam æternam, per accidens tamen in aliquo particulari casu, vel propter ignorantiam invincibilem, vel quia non adest facultas applicandi ejusmodi media, inde fit quòd reddantur non necessaria; ita quòd absque hujusmodi mediis adhibitis possit haberi salus; quâ ratione Baptismus in re susceptus non dicitur necessarius aliquibus adultis, qui facultatem non habent illum sibi procurandi. Quærimus ergo utrum Pœnitentia virtus, quatenus sumitur vel generatim pro detestatione & dolore de peccatis, vel speciatim, seu prout est specialis virtus ab aliis distincta, sit per se necessaria ad salutem, & peccati remissionem.

III.
Necessaria ex ordinatione Dei sunt duplicis generis.

CONCLUSIO PRIMA.

V.
Pœnitentia ut virtus specialis non est absolutè necessaria.

Pœnitentia quatenus est specialis virtus à cæteris distincta, & importat duntaxat velle vindicare peccatum, non est absolutè necessaria ad peccati remissionem. Hæc est Doctoris *dist.* 14. *qu.* 2. *num.* 13. ubi ait: *De secundo principali, scilicet an pœnitere, ut actus virtutis est, requiratur ad deletionem peccati; dico quòd non, ut actus unius determinatæ virtutis.* Quod utique sic probat: *Quia*, inquit, *pœnitere secundùm quamcunque quatuor significationum* (putà vindicare peccatum commissum; illud idem peccatum detestari, & acceptare pœnam inflictam, & patienter illam ferre) *sufficit, ut probatur authoritate*, Ezechielis 18. & 33. QUÂCUNQUE HORÂ INGEMUERIT PECCATOR, &c. *actus autem primus & alii non necessariò sunt alicujus ejusdem determinatæ virtutis; sed primus Justitia, ultimus patientia, duo intermedii cujuscunque virtutis appetitivæ:* Quibus verbis significat virtutem Pœnitentiæ, quatenus ab aliis distinctam, non esse absolutè necessariam ad remissionem peccati; ac proinde nec absolutè necessariam ad salutem; quippe cùm peccatum remitti possit non solùm per actum amoris Dei, ut dicemus infrà, sed etiam per Pœnitentiam generatim sumptam, quatenus importat detestationem, ac dolorem de peccato commisso; quod utique procedere potest ab alia virtute, quàm Pœnitentia, ut diximus in superiori Sectione.

Confirmatur hæc veritas ex divinis testimoniis, quæ quoties meminerunt necessitatis Pœnitentiæ, toties Pœnitentiam exprimunt per aversionem à peccatis, & eorum detestationē, ut videre est apud Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 10. ubi colligit varia Scripturæ testimonia ad astruendam Pœnitentiæ necessitatem. Significat autem cap. 4. quænam sit illa Pœnitentia, quam tantoperè necessariam affirmat, *Fuit autem*, inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Declarat autem ibidem quid intelligat per illam contritionem, cùm ait, initiò capitis: *Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Unde Contritionem sic definit: *Est animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Porrò hic dolor, illaque detestatio elici potest à diversis virtutibus, putà Charitate, Spe, Religione, *&c.* Unde cùm Pœnitentia absolutè necessaria dicitur, ad remissionem peccati, tum ex Scriptura, tum in Conciliis, tum à SS. Patribus, id per se non debet intelligi de Pœnitentia, prout est specialis virtus à cæteris distincta.

CONCLUSIO SECUNDA.

VI.
Pœnitentia generatim sumpta, necessaria est ad remissionem peccati, de via ordinaria.

Pœnitentia generatim sumpta, & quatenus est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, fuit necessaria peccatoribus quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum: Hæc est de fide determinata in Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. ubi ait: *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquò peccatò inquinassent, quovis tempore ad gratiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramentò ablui petiissent; ut perversitate abjectâ, & emendatâ, tantam Dei offensionem, cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur: unde Propheta ait:* CONVERTEMINI ET AGITE POENITENTIAM AB OMNIBUS INIQUITATIBUS VESTRIS, ET NON ERIT VOBIS IN RUINAM INIQUITAS. *Dominus etiam dixit:* NISI POENITENTIAM EGERITIS, OMNES SIMILITER PERIBITIS. *Et Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismò initiandis Pœnitentiam commendans, dicebat:* POENITENTIAM AGITE, ET BAPTIZETUR UNUSQUISQUE VESTRUM.

Hanc conclusionem luculenter declarat Doctor *dist.* 14. *quæst.* 1. *num.* 9. ubi loquens de remissione peccati mortalis, ait: "Secundò dico quòd non remittitur sine pœna æquivalenter in acceptatione divina; quia per quodcunque peccatum offenditur Deus, sicut Scriptura satis clamat: offensa autem ejus, vel ita (ut dictum est) ejus velle vindicare, vel aliquid sufficiens ad placandum exigere: ergo positô quôcunque peccatô, Deus vult vindicare de peccante: sed velle vindicare est velle punire: ergo post peccatum commissum ad ejus deletionem requiritur aliqua punitio, vel æquivalens in acceptatione divina. *Et infrà:* De potentia ordinaria ista est via universaliter præfixa à lege divina ordinante, scilicet, peccatum punire per pœnam, tanquam per proprium correspondens. *Præterea num.* 10. De re, *inquit*, est ista conclusio, quòd ad deletionem peccati regulariter requiritur pœna, vel punitio voluntaria."

Dices primò: Christus D. pluries peccata dimisit absque ulla prævia Pœnitentia: igitur ad remissionem peccati de via ordinaria non est necessaria Pœnitentia. *Probatur* antecedens ex Lucæ 5. ubi legimus, quòd cùm aliqui homines paraliticum portantes eum deposuissent per tectum ante Jesum, ei dixit: *Homo remittuntur tibi peccata tua.* Similiter *Ioannis* 8. mulier adultera, cui Christus peccata dimisit, nulla dedit antea Pœnitentiæ signa, ubi enim ab ea requisivisset: *Nemo te con-*

demnavit? Illaque respondisset; *Nemo Domine*; statim dixit: *Nec ego te condemnabo, vade, & noli amplius peccare*: igitur ad peccati remissionem non est necessaria Pœnitentia.

VII. Christus potuit peccata dimittere absque pœnitentia.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, primo quidem Christum D. per absolutam suam & divinam in peccatis dimittendis authoritatem, potuisse peccata remittere & condonare absque prævia formali Pœnitentia, sed solùm virtuali; quam utique virtualem habebat ille paraliticus; quippe fides & spes in ipso maximè elucebat: nam de eo legitur *Matth. 9.* quòd D. ipsi dixerit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Illa enim vox *confide*, non innuit tantùm portantium fidem & fiduciam, sed & ipsius paralitici spem veniæ ex fide, quia nisi credidisset, & confisus esset, nequaquam passus fuisset se dimitti per tegulas; ideoque cùm fides & spes in peccatore Pœnitentiam efficiant; videtur ille Pœnitentiam saltem virtualem habuisse.

Ad secundum dico, mulierem illam habuisse pariter Pœnitentiam, & dolorem de peccato commisso, ut innuit S. Ambrosius epist. 52. ubi ait: Mulier adultera meruit absolvi, quæ recedentibus Judæis accusatoribus suis sola cum Christo remansit, ex ea quippe remansione videtur confessa crimen, & testata per sinceram Pœnitentiam.

Dices secundò: Christus D. *Luca* 11. ait: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis* Et *Matth. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorùm, ita Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra*: Igitur ad remissionem peccati de via ordinaria non requiritur Pœnitentia.

Nego consequentiam: Perfecta enim charitas peccatis opponitur, & ea destruit extra Sacramentum, non autem imperfecta: perfecta autem charitas Pœnitentiam aut supponit, aut facit, aut saltem virtualiter complectitur; unde dum eleemosynarum largitio, & injuriarum condonatio dicuntur habere vim remittendi peccata, necessariò supponunt perfectam charitatem; ac subinde Pœnitentiam saltem virtualem.

Aliter peccatum dimittitur parvulis & aliter adultis.

Dices tertiò: Quod Deus potest in pueris, potest etiam in adultis; non enim minor est ejus virtus erga adultos, quàm circa infantes: atqui Deus peccata remittit infantibus absque Pœnitentia: ergo etiam in adultis.

Distinguo majorem: Circa ea, quæ sunt ex æquo utrisque communia, concedo: secus, nego: non est autem par ratio de justificatione infantis & adulti; in infantibus enim tantùm est originale peccatum, quod non consistit in actuali deordinatione voluntatis, sed duntaxat in habituali quadam naturæ depravatione; quare peccatum iis remittitur, cum sola habituali immutatione per infusionem gratiæ & virtutum, non cum actuali per exercitium alicujus actûs. Secus verò est de adulto, in quo sunt actualia peccata, quæ cùm consistant in actuali deordinatione voluntatis, ut remittantur etiam per Baptismum, prærequirunt actualem voluntatis immutationem, quæ non fit nisi per Pœnitentiam.

Conclusio Tertia.

VIII. Ad remissionem peccati sufficit Pœnitentia virtualis.

REmitti potest peccatum mortale per solam Pœnitentiam virtualem, puta per actam eximiæ charitatis, in quo virtualiter dolor de peccatis includitur. Hæc est communior contra Sotum in 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 2. ubi docet Pœnitentiam formalem ita necessariò prærequiri ad remissionem peccati, ut ad id nullus sufficiat charitatis actus, quantumvis egregius, exceptô actu Martyrii. Nec-non & contra Canum, qui relect. de Pœn. p. 3. §. de charitate, nequidem excipit actum martyrii. *Probatur primo* authoritate Christi D. dicentis Joan. 14. *Qui diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, &c.* Et *Matth.* 10. *Qui confessus me fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo... Qui perdiderit animam suam* (id est, corporis vitam) *propter me, inveniet eam.* Quibus apertè significat actum amoris, nec-non & martyrii sufficere ad salutem & remissionem peccatorum. Eandem veritatem explicat Doctor *num.* 17. ubi loquens de Pœnitentia, quam dixerat esse necessariam ad remittenda peccata, ait: Intelligitur etiam conclusio de *requiri* non simpliciter necessariò, cujus oppositum includit contradictionem; quia posset Deus remittere sine omni actu illius, cui remittitur; sed nec de *requiri* necessariò suppositô actu hominis, cui remittit; posset enim Deus per aliquem motum ferventem dilectionis in Deum absque quocunque quatuor prædictorum actuum sub propria ratione, utpote in actu fervoris ad martyrium statim sustinendum, ubi fortè non esset cogitatio de aliquo peccato mortali priùs commisso, nec per consequens aliquod *pænitere* prædictum; & hoc formaliter, licèt virtualiter in illo motu esset *pænitere*, juxta secundam significationem.

Et istud probatur, quia nullus excluditur à regno cœlorum, qui facit illud quod simpliciter est necessarium: sed est possibile aliquem usque ad instans *A*, existentem in peccato mortali ab instanti *A*, necessitari ad totô corde insistendum circa actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso, utpote statim expositô martyriô arctissimô. Et propter hoc dictum est in conclusione, quòd requiritur ad hoc, ut peccatum mortale regulariter deleatur: quia dicitur regulariter fieri, quod fit secundùm regulas determinatas à Sapientia divina, quarum hæc est una; Quòd peccatum commissum non deleatur sine displicentia de peccato commisso: quæ apparet multùm rationabilis; quia sicut peccatum avertit à fine, & convertit ad creaturam: ita rationabile est, quòd non deleatur, nisi per motum oppositum avertentem à peccato, sive à creatura, ut circa illam fuit peccatum, & convertentem ad Deum. Ad hoc autem, quod est displicere de peccato commisso, possunt reduci alia tria membra ejus, quod est punire, *&c.*

Quibus omnibus Doctor tria docet: *Primum* quòd Pœnitentia de via ordinaria necessaria sit ad peccati remissionem; quoniam videlicet Deus ita statuit, ut non fieret peccati remissio secundùm communem & ordinariam rerum dispositionem:

IX. Sed de via extraordinaria remitti potest peccatum sine Pœnitentia.

Secundam, quòd de potentia absoluta Deus posset condonare peccatum absque ullo actu doloris aut detestationis ex parte pœnitentis; quod utique insuper confirmari potest: *Tum, quia* Pœnitentia antecedens infusionem gratiæ, & peccati remissionem habet tantùm rationem dispositionis congruæ ex ordinatione divina, si enim ex natura rei requireretur, sequeretur quòd infantibus non posset conferri gratia Baptismalis; quippe cùm non possint habere actus Pœnitentiæ, quam ante Baptismum exercere tenentur adulti; ac subinde tantùm actus illi requiruntur ad justificationem ex ordinatione divina: sed quod requiritur duntaxat ex ordinatione divina, amoveri

potest de potentia extraordinaria: igitur independenter ab eis actibus pœnitentis Deus potest conferre gratiam sanctificantem, & remissionem peccati. *Tum, quia* justificatio, ut definit Concilium Tridentinum, includit de facto remissionem peccati, & infusionem gratiæ, seu renovationem interioris hominis: sed neutrum illorum consistit in actu peccatoris, ut optimè observat Hiquæus in Commentario ad præfata verba Doctoris; quia remittere peccatum præcisè convenit Deo, sicut & gratiam infundere gratis: igitur sine actu peccatoris fieri potest justificatio. *Tum denique, quia* si esset aliqua connexio absolutè necessaria inter actus pœnitentis, & justificationem, maximè in ratione meriti aut satisfactionis: sed neutrum dici potest. Non quidem primum, alioquin peccatores justificationem mererentur, nec illa fieret gratis, contra Concilium Tridentinum *sess. 6. cap.* 8. Non etiam secundum; potest enim Deus per absolutam suam potentiam non exigere talem satisfactionem, & eam ex clementia gratis relaxare peccatori: igitur, &c.

IX.
Et per solum actum amoris Dei super omnia.

Tertiò tandem docet Doctor etiam interdum fieri justificationem, & peccatorum remissionem per solum actum dilectionis Dei super omnia sine dolore expresso, & formali Pœnitentia de peccato, ut constat exemplô hominis, qui inopinato casu raperetur ad martyrium, & oblitus esset alicujus peccati mortalis, cujus non recordaretur dum æstuanti charitatis igne flagrans martyrium subiret; eo namque in casu hic homo justificaretur per actum charitatis, justificaretur per martyrium, absque actu formalis Pœnitentiæ.

Cui Scriptura S. attribuit vim justificandi.

Confirmatur illis omnibus Scripturæ testimoniis, in quibus formali dilectioni Dei tribuitur efficacia remissionis peccatorum, nullâ factâ mentione Pœnitentiæ, seu doloris aut detestationis de peccato: Sic *Luc.* 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minùs diligit.* Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Eccli. 34. *Oculi Dei in diligentes se.* Joan. 1. cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est* Et vers. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Joan. 14. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo.* Et v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus* (per gratiam sanctificantem) *& apud eum mansionem faciemus.* Zach. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & ego convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Quis autem sanæ mentis dubitare potest, quin per solum amorem Dei propter se super omnia, homo perfectè convertatur ad Deum? Ubi ergo Dominus bonus est, non sit nequam oculus noster, invidens remissionem peccatorum his, quibus Deus illam promisit.

Nec obstat quòd in aliis locis Scriptura meminerit Pœnitentiæ, tanquam necessariæ ad remissionem peccatorum: *Ezechielis* 28. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Luc. 13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Hoc, inquam, non obstat, quia commodè intelligi possunt, vel de Pœnitentia formali, & explicita, vel de actu illi æquivalente, qualis est actus dilectionis Dei super omnia; alioqui cui nullum peccatum occurreret in genere, vel in specie, quod esset detestandum, non posset justificari, nec per consequens salvari.

X.
In eo tamen includitur Pœnitentia virtualiter.

Non abnuo tamen in actu amoris super omnia contineri actum Pœnitentiæ virtualiter: *Tum, quia* ad illum determinat datâ occasione, repugnat enim stare perfectam charitatem cum consideratione peccati, quin habeatur dolor de peccato, quatenus est offensa Dei: *Tum, quia* actus amoris Dei super omnia totum motivum istius doloris continet; nam amare Deum super omnia, est amare illum super omne peccatum; insuper, est illum præferre omnibus non solùm prò tempore futuro & præsenti, sed etiam pro præterito; ac proinde ibi est implicitè nolle peccasse; hoc autem est odio habere, quòd peccaverit, ac dolere se fecisse illud: igitur talis actus amoris Dei sufficiet ad justificationem.

XI.
Quare fides magis sit necessaria ad salutem quàm Pœnitentia.

Dices: Non minùs Pœnitentia necessaria est peccatori ad salutem, quam fides in fideli: sed fides est necessaria necessitate medii; ita ut sine fide impossibile sit placere Deo: igitur etiam sine Pœnitentia formali impossibile est peccatorem justificari.

Nego majorem: Quanquam enim Pœnitentia sit necessaria peccatori necessitate medii de via ordinaria ad justificationem, sicut & fides infideli; tamen hoc intercedit discrimen inter fidem & Pœnitentiam, quòd fides non possit suppleri per aliquem alium actum in quo virtualiter contineatur, sicut Pœnitentia suppleri potest per actum dilectionis Dei, in quo virtualiter continetur.

Instabit: Actus dilectionis vel ideo sufficit ad justificationem sine formali Pœnitentia, quia ex natura sua habet repugnantiam ad peccatum per modum formæ; vel quia ex voluntate divina acceptatur ut meritum de congruo: sed neutrum dici potest. Non primum, alioqui formaliter justificaret, & non solùm dispositivè. Non etiam secundum; nam exinde sequeretur, quòd conferret ad justificationem, & ad eam requireretur secundùm ordinariam Dei dispositionem; quod utique non est verum.

Respondeo, actum dilectionis censeri sufficientem dispositionem ex divina voluntate, sicut & Pœnitentiam, cujus efficacia desumitur ex radice charitatis quando est perfecta. At hæc Dei dilectio super omnia numquam est cum consideratione & memoria peccati, quin annexam habeat Pœnitentiam in viatore alicujus criminis reo; nemo enim Deum diligit super omnia quin vehementer doleat quòd illum offenderit: quo in casu uterque actus concurrit ad justificationem.

Conclusio Quarta.

XII.
Ad veram Pœnitentiã & conversionem non sufficit vitæ innovatio.

Pœnitentia quatenus est animi dolor, ac detestatio de peccatis, est necessaria ad remissionem peccatorum; ita quòd non sufficiat veteris vitæ abjectio, & nova instauratio. Hæc est contra Lutherum, ut apparet ex ejus articulis damnatis per sacram Facultatem Parisiensem, quorum hic unus erat: *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem: hæc, inquam, Contritio facit hominem hypocritam, imò magis peccatorem.* Quam utique propositionem sic damnat sacra Facultas. *Hæc propositio est falsa, via ad Pœnitentiam impeditiva, Scripturis sacris, & doctrinæ Sanctorum difformis.*

Et meritò quidem: enimverò Scriptura sacta apertissimis oraculis testatur necessariam esse Pœnitentiam ad placandam divinam indignationem, & assequendam peccati remissionem: Sic *Ezechielis* 18. *Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vitâ vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Quibus verbis Deus spondet peccati remissionem homini pœnitenti, & judicium, ac justitiam facienti: peccatorem autem pœnitentem facere judicium & justitiam, nihil aliud est, quàm vindicare peccatum, & facere Deo satis per debitam satisfactionem, & revocationem à creaturis, ac conversionem ad Deum, quæ revocatio & conversio maximè fieri debet per opera laboriosa, ac pœnalia, juxta illud Dei apud Joëlem monentis oraculum. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, &c.* Hæc autem cordis Contritio, & planctus non est duntaxat de novæ vitæ instauratione, sed maximè de peccatis purgandis, juxta illud *Apocal.* 2. ubi Joannes jubetur scribere ad Episcopum Ephesi nomine Dei: *Habeo adversum te, quòd charitatem primam reliquisti, memor esto itaque unde excideris, & age Pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi Pœnitentiam egeris.* Quibus verbis ad salutarem Pœnitentiam non solùm præcipitur vitæ innovatio, sed & præteritæ recordatio ac planctus.

Sed requiritur dolor de vita præterita.

Et probatur 1. ex S. Scriptura.

Quapropter David *Psal.* 50. non solùm exorat pro præsenti & futuro: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis; sed pro præterito inclamat: Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.... Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Unde Christus *Lucæ* 13. non solùm à peccatore exigit novæ vitæ institutionem, sed etiam prioris vindictam, & emendationem, cùm ait: *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Pœnitentiæ autem nomen significat pœnam tenere, non tenetur autem pœna propter institutionem novæ vitæ, quæ bona est, sed propter malitiam præteritæ; pœna enim non nascitur, nisi ex malo nolito:

2. Ex Concilio Trid.

Igitur meritò Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. sermonem faciens de Contritione ait: *Declarat sancta Synodus hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & novæ vitæ propositum & inchoationem: sed veteris etiam odium continere: juxta illud, Projicite à vobis iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Unde Can. 5. proscribens Lutheranorum dogma, ait: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demum illam esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema sit.*

Eandem veritatem docent SS. Patres, imprimis S. Cyprianus in libello de lapsis, ubi spondet quidem fidelibus, qui in idololatriam lapsi fuerant, sui errati veniam, dummodò illam laboriosâ Pœnitentiâ exorent: *Putas*, inquit, *tu Dominum citò posse placare, quem verbis perfidis abnuisti?* &c. *Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet eum impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solò adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari, post indumentum Christi perditum, nullum jam hic velle vestitum; post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur.* Et paulò post: *Si precem quis totò corde faciat, si veris Pœnitentiæ lamentationibus, & lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest,* &c. *potest ille indulgentiam dare, sententiam potest ille deflectere.*

3 Ex SS. Patribus maximè

Ex S. Cypriano.

Subjungit sanctus Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 4. *Expectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos; expectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam.* Et lib. 2. cap. 5. *Qui agit Pœnitentiam, non solùm diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendationibus factis operire, & tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum: ergo tegamus lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus, ut audiat nos Dominus Deus noster ingemiscentes,* &c.

S. Ambrosio.

Idem præcipuè docet sanctus Augustinus variis in locis, maximè serm. 34. de diversis cap. 12. *Sunt quædam*, inquit, *gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritûs, & tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur.* Unde serm. 4. de communibus, Pœnitentiam sic definit: *Est Pœnitentia medicamentum vulneris, spes salutis, per quam Deus ad misericordiam provocatur, Pœnitentia à pœna nomen accepit, quia anima cruciatur, & caro mortificatur.* Unde serm. 7. de tempore præclarè ait: *Multi assiduè se dicunt peccatores, & tamen adhuc delectat eos peccare. Professio est, non emendatio. Accusatur anima, & non sanatur. Pronuntiatur offensa, sed non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sit ut tibi amarum sapiat in anima, quod ante in vita fuit dulce, & quod te priùs delectabat in corpore, ipsum te cruciat in corde: jam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Bene* TIBI SOLI PECCAVI: *quia nullus hominum sine peccato: Et ideo tibi soli peccavi: quia tu solus es sine peccato. Da misericordiam misero, qui tandiu pepercisti criminoso. Inclinet ad remedium humilitas pœnitentis, quem permovere non potuit diuturnitas peccatoris. Dic illi in fletu cordis, Aspice ad infelicem pietas immensa, Respice crudelem misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro. Serva pietatem mansuetudinis, qui tandiu suspendisti gladium ultionis. Dele numerositatem criminum, multitudo misericordiarum.*

S Augustino.

Idem docent cæteri SS. Patres, qui ad veram & sinceram Pœnitentiam, non solùm vitæ novæ institutionem, sed etiam prioris expiationem requirunt. Cujus utique præclaram hanc rationem subministrat Tertullianus cap. 9. libri de Pœnitentia, nempe quòd nostra Pœnitentia debeat vices gerere divinæ Justitiæ, ideireo peccatorem punire debet, & dolore ac lacrymis priora delicta emendare: Hæc omnia, *inquit*, Exomologesis, ut „ Pœnitentiam commendet, ut de periculi timore „ Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pro-

Tertulliano.

nuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. *Et cap.* 11. Deliqui dicito in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & macetor, & excrucior, ut Deum reconcilium mihi, quem delinquendo læsi. *Et initiò cap.* 12. Si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi Exomologesis extinguet, & pœnæ priùs magnitudinem imaginare, ot de remedii adeptione non dubites. *Et paulò post*, Exomologesin in effectu suo & efficacia comparat Baptismo: Igitur, *inquit*, cùm scias adversus gehennam post prima illa institutionis Dominicæ monimenta esse adhuc in Exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Exomologesim autem accipit pro actu externo, & pro laboribus omnibus, quibus Ecclesia peccatorum purgat, ut ipse eam definierat cap. 9. paulò ante verba primùm relata, ad quæ spectant, hæc omnia, &c.

Idem docet sanctus Ambrosius ad virginem lapsam cap. 8. ubi descriptis afflictionibus, & laboribus, quos pœnitendo subire debet, subdit: *Peccator ergo si sibi ipsi non pepercit, à Deo illi parcitur: & si futuras pœnas gehennæ præcipuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberat.* Subscribit S. Prosper lib. 2. de vita contemplativa cap. 7. de Laïcis, qui ultrò crimina confitentur, & de eis Pœnitentiam libenter suscipiunt: *Quòd si ipsi Iudices fiant, & velut suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia.* Concludendum ergo cum sancto Petro Damiano cap. 2. libri quem inscripsit Gomorrhianus: *Quisquis quolibet eorum modò, quos suprà distrinximus nefandæ turpitudinis se contagione fœdaverit, nisi fructuosa Pœnitentia fuerit satisfactione purgatus, nunquam habere Dei gratiam poterit, nunquam Christi corpore, & sanguine dignus erit, nunquam cœlestis patriæ limen intrabit.*

S. Prosper.

S. Petro Damiano.

Objicit Lutherus varia Scripturæ oracula, in quibus Deus nihil aliud à peccatore exigit, quàm cessationem à peccato, mandatorum observationem, & vitæ novæ institutionem: Sic Isaiæ 55. *Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est: derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Sic *Matth.* 19. Christus homini petenti, quid opus esset ad salutem, respondet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: nullum autem est mandatum in toto Decalogo, quod nobis præcipiat vitæ prioris recordationem, seu detestationem: ergo ad remissionem peccati satis est, quòd homo novam vitam instituat, & ambulet in via mandatorum Dei. Similiter ad *Galatas* 5. & 6. In Christo Iesu neque Circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura: igitur ad peccatorum veniam obtinendam non est necessaria detestatio prioris vitæ, sed sufficit innovatio præsentis, & futuræ.

Nego consequentiam, & ad primùm oraculum dico opus esse impio quòd derelinquat vias suas, non tantùm negativè desistendo duntaxat à peccatis, sed positivè, videlicet per propositum cavendi deinceps à peccato; quod utique propositum refertur ad Contritionem, & vitæ prioris detestationem; ille enim quiescere, seu deserere peccata dicitur propriè, cui peccata displicent, & qui dolet se illa admisisse, quæ deserere peroptat.

Ad secundum nego minorem: nam, ut apparebit quæstione sequenti, præceptum de agenda Pœnitentia includitur saltem virtualiter in præcepto de diligendo Deo: non potest enim quis Deum perfectè diligere, quin velit ablatum illius honorem resarcire, & ei debitam satisfactionem impendere.

Ad tertium dico, valere quidem ad salutem novam vitam per gratiam instauratam: at illa non potest esse perfecta, quin præsupponat detestationem prioris, & debitam satisfactionem Deo pro injuriis illatis impendendam.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrum sit præceptum aliquod de agenda Pœnitentia, & quando implendum?

I. Præcepta divina sunt vel affirmativa, vel negativa.

NOtandum primò, Præcepta divina esse in duplici differentia; quædam enim sunt negativa, alia vero affirmativa. *Negativa* sunt, quæ verbis negativis exprimuntur, & removent ab actione: *affirmativa* autem, quæ actionem aliquam imperant, & stimulant ad actum aliquem ponendum. Porrò inter utrumque hoc maximum discrimen intercedit, quòd negativa obligant semper, & pro qualibet temporis differentia, non solùm quantùm ad animi præparationem & affectum, sed etiam quantùm ad actum negativum. Sic v. g. præceptum de non furando obligat non solùm ad nusquam habendum propositum furandi, sive ad semper habendum propositum non furandi; sed etiam obligat ad nusquam committendum furtum: Præceptum verò affirmativum obligat quidem semper, quantùm ad præparationem & affectum animi; non ita quantùm ad exercitium actûs affirmativi; id enim duntaxat exigit tempore a Deo, vel Ecclesia determinato. Sic præceptum honorandi parentes, obligat quidem semper quantùm ad illum animi affectum, quô semper tenemur habere illam animi propensionem erga honorem, observantiam, & obsequium eis exhibendum tempore congruô; non tamen semper obligat ad actum, sed tantùm pro illa temporis differentia, quô parentes illi nostrô egere possunt adminiculô & subsidiô. Quæritur ergo utrum de agenda Pœnitentia sit aliquod præceptum affirmativum, aut negativum.

II. Affirmativa semper aliqua negativa habent annexa.

Notandum secundò, quòd omne præceptum affirmativum secum importet unum negativum de non eliciendo actu contrario huic præcepto; sic præceptum honorandi parentes includit præceptum negativum eos nusquam inhonorandi, sive contumeliis afficiendi verbô aut factô. Dixi de *actu contrario*, præcepta enim affirmativa non important negationem actûs contradictorii; siquidem præceptum fidei v. g. includit quidem negationem infidelitatis, hoc est præceptum negativum, ne simus infideles, habendo actum fidei contrarium; prohibet enim infidelitatem positivam; verùm non prohibet negativam aut privativam, qualis est in illis, quibus nondum affulsit lex Evangelii, nec quidquam de Christo D. audierunt: similiter præceptum de diligendo Deo includit quidem negativum contrarium de nusquam odiendo Deum, non autem includit contradictorium, nempe, nusquam esse non amans

Deum; inde enim sequeretur, quòd teneremur ad continuum actum amoris Dei: quod utique videtur impossibile.

III. Dupliciter impleri possunt.

Notandum tertiò, Præcepta divina posse dupliciter impleri, nimirum vel quantùm ad substantiam actûs præcepti, vel quantùm ad finem præcipientis; Sic v. g. qui jejunat in statu peccati mortalis, implet quidem præceptum, quantùm ad substantiam actûs, nempe abstinentiam ab esu carnium, nec non ad parcimoniam cibi aut potûs; non tamen implet quantùm ad finem præcipientis, nempe Dei intendentis, quòd jejunium istud sit meritorium vitæ æternæ, propter quam comparandam præcipitur. Hinc in quolibet præcepto duplex exurgit obligatio; alia quidem ex parte operis, altera verò ex parte finis, propter quem actus debet elici. Movetur ergo difficultas an utrôque hôc modô sit aliquod præceptum de Pœnitentia agenda, & quônam tempore illud obliget. Unde duo hîc maximè sunt determinanda: *Primum*, quòd de Pœnitentia agenda sit aliquod præceptum divinum: *Secundum*, quando illud impleri debeat, an videlicet statim post admissum peccatum; an verò duntaxat diebus festivis, aut in manifesto mortis periculo.

Conclusio Prima.

IV. Pœnitentia agenda est sub præcepto.

Tenetur peccator sub præcepto agere Pœnitentiam; ita quod novum peccatum committat, si illam neglexerit, tempore quò tenetur exercere. Ita conveniunt omnes Doctores Catholici cum (Subtili, *dist.* 17. *quæst. unicâ, num.* 13. ubi ait: Quicunque primam gratiam amisit, tenetur de necessitate præcepti, & hoc illius, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* agere quantùm in se est, ad ejus recuperationem, & etiam virtute illius præcepti, *Diliges teipsum:* Sed iste peccator in peccato mortali amisit primam gratiam; & potest eam recuperare suscipiendo Sacramentum Pœnitentiæ ab illo arbitrio, quia hoc est institutum, ut remedium efficax ad recipiendam primam gratiam, ex illo verbo Joan. *Quorum remiseritis peccata, &c.* & sic concluditur necessitas præcepti confessionis, non ex isto verbo tantùm, *Quorum remiseritis peccata, &c.* sed ex isto & illo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* simul juncto. Quibus verbis Doctor declarat Sacramentum Pœnitentiæ ex præcepto esse suscipiendum; ac subinde etiam ex præcepto esse agendam Pœnitentiam per eandem rationem.

Probatur 1. ex Scriptura sacra.

Probatur itaque authoritate Scripturæ sacræ; Primò quidem ex illo *Lucæ* 13. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Quæ utique verba non solùm significant Pœnitentiam esse necessariam ex parte medii, ut volunt aliqui, sed etiam necessitate præcepti; nam Doctores Catholici colligunt præceptum de suscipiendo Baptismate in re, vel in voto ex illo Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Nec-non præceptum de suscipienda Eucharistia, ex Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* ergo cùm idem sit loquendi modus Scripturæ de agenda Pœnitentia, idem pariter præceptum inferri debet.

Fateor tamen oraculum istud magis insinuare Pœnitentiæ necessitatem sub ratione medii, quàm sub ratione præcepti; ita quòd omnes peccatores, qui non egerint Pœnitentiam necessariò perituri sint, non quidem propter peccatum impœnitentiæ, sed propter peccata præterita non remissa. Unde veriùs dicendum existimo cum Doctore, quòd præceptum de agenda Pœnitentia potius deducatur ex dilectione Dei & nostri; nam ex præcepto dilectionis nostri tenemur nobis procurare beatitudinem æternam; & consequenter ad amovenda ea omnia, quæ ab ejusmodi consecutione removent, qualia sunt peccata, quæ duntaxat per Pœnitentiam possunt elui. Idem pariter colligitur ex dilectione Dei; siquidem Christus D. Joan. 14. dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit & Pater meus diliget eum.* Fieri autem non potest, quòd peccator velit reverà amare Deum; non autem velit implicitè amorem Dei erga se; adeoque tollere omne illud, quod divinum illum amorem impediret; nec sanè videretur sincerè amare Deum, qui nollet amovere, cùm potest, id quod novit Deo summoperè displicere, & illius aversionem ac odium erga se provocare.

V. Ex quo præcepto decalogi præceptum Pœnitentiæ infertur.

Unde ex ratione Doctoris superiùs expressa sic in forma probatur conclusio: Quicunque gratiam sanctificantem, & divinam amicitiam perdidit, tenetur ex necessitate præcepti de diligendo Deo, agere quantùm in se est, ad ejusmodi divinæ gratiæ, & amicitiæ recuperationem: sed peccator per mortale peccatum gratiam & amicitiam Dei perdidit, nec utramque recuperare potest, nisi Pœnitentiam egerit: igitur ex illo præcepto de diligendo Deo simul juncto cum necessitate agendæ Pœnitentiæ, colligitur præceptum de illa exercenda.

Dices: Si præceptum esset de agenda Pœnitentia, sequeretur quòd nullus posset damnari propter unum solum peccatum mortale: sed hoc falsum est: ergo & id unde sequitur. Patet sequela majoris; peccator enim, qui moreretur post commissum peccatum mortale, non actâ Pœnitentiâ, necessariò damnandus esset non solùm propter istud mortale peccatum, sed etiam propter omissionem præcepti de agenda Pœnitentia; quæ quidem omissio esset speciale peccatum; quia in speciale præceptum militaret: igitur, &c.

VI. Impœnitens potest damnari non ob neglectam Pœnitentiam.

Respondeo primò, nihil quidquam absurdi sequi, quòd peccator non damnetur propter unicum duntaxat mortale peccatum, quamvis unicum solum ad damnationem sufficeret; exinde enim magis elucesceret divina Justitia, quæ potiori jure hominem sic dupliciter reum pœnis æternis addiceret.

Respondeo secundò, posse negari majorem; fieri namque potest, quòd peccator pro uno duntaxat mortali peccato damnetur, etiamsi omittat præceptum de agenda Pœnitentia, putà si statim ac in peccatum mortale decidit, deperdat usum rationis; atque ita moriatur; talis enim damnabitur propter solum admissum mortale peccatum; non autem propter omissionem præcepti de agenda Pœnitentia; quippe cùm perditô rationis usu, impossibilis ei fuerit talis præcepti observatio.

Adde quòd etsi aliquandiu rationis compos vivat in statu peccati mortalis, & in eo moriatur, non proptereà damnandus erit propter omissum præceptum de agenda Pœnitentia; quod utique præceptum non tenetur implere statim ac peccavit, ut indicabit

Conclusto Sacunna.

VII. Pœnitentia non obligat statim ac peccatum commissum est.

PRaceptum de agenda Pœnitentia non obligat per se peccatorem ad pœnitendum pro prima opportunitate post admissum peccatum. Hæc est Doctoris *dist.* 17. *num.* 21. ubi determinat præceptum de confessione facienda, ac subinde de agenda Pœnitentia, obligare duntaxat in certo ac determinato tempore, maximè in articulo mortis. Quòd autem non statim obliget post peccatum commissum, docet *num.* 28. ubi rejicit opinionem Alensis affirmantis 4. *part. quæst.* 77. *memb.* 4. *art.* 2. præceptum faciendæ confessionis, ac subinde agendæ Pœnitentiæ obligare statim, ac occurrit opportunitas: quod utique negat Doctor: *Quia*, inquit, *pracepta pœnalia non sunt amplianda sed restringenda: nec invenitur quando praceptum istud affirmativum liget, vel obliget, nisi ad aliquando*, &c.

Probatur autem conclusio, primò quidem quia si teneretur homo statim ac peccavit agere pœnitentiam, sequeretur quod in singulis momentis in quibus posset pœnitere, peccaret mortaliter, quia in singulis illis momentis esset transgressor præscripti sibi præcepti: sed hoc falsum apparet ex communi praxi fidelium, qui confitentes peccata sua, nusquam accusant Pœnitentiæ dilationem, aut protractionem, nisi fortè talis dilatio protracta fuerit ultra tempus determinatum ab Ecclesia de facienda peccatorum accusatione, & agenda Pœnitentia; neque de ejusmodi dilatione à Confessariis interrogantur: non est autem verisimile hunc accusationis defectum oriri ex minùs perfecta instructione pœnitentium, & Confessariorum; alioqui culpanda esset Ecclesia; quippe quæ hujus accusationis defectum novit; nec tamen emendat & corrigit: igitur signum est illam accusationem non esse necessariam ad salutem.

Deinde, si talis dilatio esse contra præceptum, & vitiosa, sequeretur Baptismũ olim adultis collatum non contulisse eis primam gratiam, ad quam tamen principaliter ordinabatur: quia olim Ecclesia non permittebat baptizari Catechumenos solemniter, nisi in Paschate, & Pentecoste; ac subinde si debuissent conteri, statim post peccatum actuale commissum, non potuissent accedere com peccato ad Baptismum; quia jam peccatum illud debuisset dilui, & expungi per Contritionem, quæ sufficeret ad justificationem; non enim sermo est de simplici retractatiooe peccati, sed de ea retractatione & Pœnitentia, quâ peccator constituatur extra periculum æternæ damnationis; idcirco enim adversarii requirunt Pœnitentiam statim post peccatum commissum, ne videlicet homo exponat se manifesto periculo æternæ damnationis, tempore intermedio inter peccatum & mortem.

Denique, præceptum de agenda Pœnitentia est affirmativum: igitur non obligat pro quolibet tempore; sed tantùm pro determinato. Antecedens constat; Præceptũ enim de agenda Pœnitentia est quô jubetur elicitio actûs virtutis: sed virtutis actus jubetur elici, duntaxat per præceptum affirmativum: igitur, &c. Consequentia patet à paritate rationis de aliis præceptis affirmativis, quæ obligant duntaxat aliquô determinatô tempore, ut constat de amore Dei, veneratione parentum, auditione Missæ, &c. Quæ omnia præcepta non obligant ad eliciendum actum posi-

A
tivum pro quolibet determinato tempore, licèt ita obligent ad negationem actûs contrarii. Nam, *inquit* Doctor præfatô num. 28. semper oportet habere voluntatem confitendi tunc, pro quando præceptum obligat: Hoc dico, si quid pro nunquam voluntatem habeat.

Dicet primò, Scriptura sacra sub gravissima interminatione & comminatione peccatores admonet, ne Pœnitentiam differant: igitur censet eam non esse protrahendam citra peccatum. Patet antecedens ex illo Isaïæ 65. *Omnes in cæde corruetis, pro eo quòd vocavi, & non respondistis; locutus sum, & non audistis.* Idem habet Hieremias cap. 8. *Confusi sunt*, inquit, *quia abominationem*
B
fecerunt; quinimò confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt; idcirco cadent inter corruentes, & in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.

IX. Scriptura sacra non præscribit contra dilationem Pœnitentiæ tanquam circa peccatum.

Respondeo, his & similibus Scripturæ sacræ oraculis non damnari dilationem Pœnitentiæ cessante omni affectu actuali erga peccatum præteritum, de qua solùm hîc loquimur; sed perstringi perseverantiam in peccato actuali; nam Isaias immediatè subjicit: *Et faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegistis.* Similiter Hieremias ibidem continuò attexit: *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.*

C
Vrgebis: Eadem Scriptura sacra sub gravissima interminatione prohibet, differendam Pœnitentiam: igitur nulla solutio. Probatur antecedens ex illo Ecclesi. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Et cap. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Et *Apocal.* 2. monet Angelus Episcopum Ephesi: *Memor esto unde excideris, & age Pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi; & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi Pœnitentiam egeris*: igitur non potest differri Pœnitentia citra peccatum.

Quamvia eam sub gravissimia pœnis prohibere videatur.

D
Respondeo primò, illa omnia oracula, & his similia, significare, quidem saluberrimum esse consilium statim Pœnitentiam agere de peccato; non autem quòd illud fieri debeat sub præcepto.

Dinde dico, quòd etsi divinum præceptum de agenda Pœnitentia referant; non tamen significant aliquem obligari quôcunque momentô ad eam agendam, sed duntaxat opportunô tempore, & ubi necessitas aliqua postulaverit; ille quippe non existimatur tardare, qui non facit quod potest, sed qui non facit illud quando faciendum est: nam, ut inquit S. Petrus epist. 2. cap. 3. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, &c.* Quibus verbis significat Deum non differre effectum suæ promissionis, etsi statim illam non impleat,
E
quando potest implere, quia tempore convenienti illam implebit, nec ultrà differt quàm oporteat: ita à pari ille dici non debet Pœnitentiam tardare, qui eam agit tempore opportunô, & quando necessitas id exigit.

Subsumes: Scriptura sacra apertè significat Deum condemnare, & punire Pœnitentiæ procrastinationem, ut constat ea illo Proverb. 1. *Vocavi vos, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm id, quod timebatis, acciderit.*

Respondeo, Scripturam intelligendam esse de pec-

catoribus perseverantibus in peccato actuali, ut colligitur ex verbis præcedentibus; siqoidem paolo antè dixerat: *Vsquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, qaa sibi sunt uexia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam?* Simili ratione intelligendus est S. Paulus ad Rom. 2. cùm ait: *An divitias bonitatis ejus, & patientia & longaaimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit? Secuudùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.* Ibi namqoe non loquitur de sola dilatione Pœnitentiæ, sed de iteratione peccatorum. Præmiserat enim anteà: *Existimas autem hoc, ô homo, qui judicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei.* Unde etiam mox post laudata verba subdit: *Qui reddit unicuique secundùm opera ejus: iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Loquitur ergo Apostolus contra eos, qui actu prosequebantur eadem opera prava.

Instabis: Noo alius est Scripturæ sacræ sensus quàm qui à SS. Patribus usurpatur: at ex eis divinis oraculis SS. Patres docent obligationem statim pœnitendi, asseruntque Pœnitentiam prorogatam fore inotilem, ot præ cæteris affirmat S. Augustinus *lib. 50. homil. homil.* 41. ubi cùm dixisset Pœnitentiam sinceram & veram valere quôcunque temporis momentô, subdit seram Pœnitentiam esse valde dubiam: *Agens*, inqoit, *Pœnitentiam, & reconciliatus cùm sanus est, & posteà benè vivens, securus hinc exit: agens Pœnitentiam ad ultimum reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus; unde securus, do securitatem: unde non sum securus, non de securitatem; Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum, &c.*

Respondeo S. Aogostinum, ibi tantùm eos arguere, qui Pœnitentiam nimis differunt, & ad mortem usque eam prorogant: onde serm. 57. de tempore præclarè ait: *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est, quæ à moriente petitur, timeo ne & ipsa moriatur.* Quapropter serm. 120. de tempore prudenter admonet: *Præveniendus est dies, qui prævenire consuevit: ipse se illudit, & de morte sua ludit, qui cogitat quod potest extremi temporis indulgentiâ subvenire. Insanum est hoc: primum, quia periculosissima est in ultimum diem promissa securitas: deinde stultissimum est, ut causa quæ de necessitatibus agitur æternis, inutilitatibus vitæ deditis committatur extremis: odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia Pœnitentiæ in senectutem reservata liberiùs peccat.* Cui subscribit Eucherius Lugdunensis: *Stultissimum est*, inquit, *ut causa, quæ de necessitatibus agitur æternis, mutabilibus vitæ deficientis committatur extremis.* Verùm quàm periculosa sit ejusmodi pœnitentiæ procrastinatio osqoe ad mortem, aperiemus circa fioem hujus quæstionis.

Dices tertiò: Majori charitate quis tenetur erga seipsum, quàm erga proximum: sed ex præcepto charitatis teneor statim adhibere correctionem fraternam peccanti proximo, quando opportunitas & spes subest emendationis: ergo multò magis teneor mihi ipsi subvenire per Pœnitentiæ remedium statim ac commodè fieri potest.

X. *Respondeo ad minorem*, eam duntaxat esse veram, A quandu adest periculum relapsûs, & suspicio gravis, ne si propinquus emenderur, statim in aliud peccatum incidat; siquidem peccatum præteritum non est materia faciendæ correctionis fraternæ; neque etiam peccatum permanens in suo reatu, ubi non subest periculum relapsûs; sed tantùm peccatum, qood prævideror futurum, ut docet Ecclesiasticus cap. 19. his verbis: *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat, non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne fortè non dixerit: & si dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum; sæpe enim fit commissio.* B Quibos verbis sigoificatur, peccatum futurum esse materiam correptionis, non autem præteritum, quando oon est periculum iteratioois; ac subinde falsum est, qood quis absolutè loquendo teneatur corrigere proximum statim ac peccavit.

Quandonam urgeat præceptum de correctione fraterna facienda.

Quod utiqoe confirmatur: Quia non teneor corripere proximum, nisi quando ipse tenetur aodire, & correptionem suscipere; siquidem præceptum correctionis fraternæ sub hac conditione præscripsit Christus D. *Matth.* 18. ubi significat, nos non teneri ad corripiendum eum, qui ooo tenetur audire: sed oportere illum Ecclesiæ deountiare; at non tenetur proximus C statim ac peccavit, sese emendare: igitur nec me corripientem audire, nec consequenter ego ipse teneor en in casu emendare; nisi, ut præfatus sum, instet periculum relapsûs. *His adde* qoòd fieri potest, ot teneat subveoire proximo io reboa maximè temporalibus, esto noo obliger erga meipsom; quia videlicet proximus est absolutè, vel irrationabiliter voluntarius; ego autem voluntarius ratiooabiliter, ac prudenter.

Dices tertiò: Qui abstulit alicui debitum honorem, aot rem aliquam, statim tenetur illi restituere: sed qui peccat, aufert honorem Deo debitom: igitur tenetur statim Deo satisfacere per Pœnitentiam. XI.

Et restituenda res aliena.

Distinguo antecedens: Si periculum immineat ex D dilatione restitutionis famæ, oe detrimentum proximo illatum augeatur, concedo: si oon adsic ejusmodi periculum, oego: quare si periculum sit, ne violatio divini nominis augeatur per dilatiooem Pœniteotiæ, putà si quis pravam doctrinam sparserit, tenetur statim Pœnitentiam agere, & illa prava dogmata à se dissemioata revocare: secus autem est, si nullum tale periculum immineat, ut plerumque contingit.

Instabis: Qui rem alienam abstulit per furtum, tenetur quantociùs illam soo domino restituere, & illatum proximo damnum reparare: ergo multò magis injuriam Deo factam per mortale peccatum, compensare per debitam Pœnitentiam, & ablatum illius honorem resarcire.

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est, E quòd homo per furtum patitur damnum in rebus necessariis, & utilibus; unde per dilationem restitutionis novam patitur injuriam, eamque realem: qoia cogitur carere aliquô sibi necessariô, vel utili: Deus aotem per nostra peccata realem non patitur injuriam; unde ex dilatione Contritionis nostræ, oon cogitur aliquâ re carere necessariâ, sibi vel utili; juxta illud Psalmi 150. *Bonorum meorum non eges.* Et Job. 22. *Quid prodest Deo, si justus fueris, aut quid ei confert, si immaculata fuerit via tua?*

Vrgebis: Idcirco tenetur fur rem ablatam statim restituere, quia quandiu illam detinet injustitiam facit; injustum enim est rem alienam deti-

nere, sed quandiu peccator est in statu peccati, divinum honorem retinet injustè; peccatum enim est injustitia contra Deum: ergo tenetur statim Deo satisfacere, & debitum illi honorem per Pœnitentiam restituere.

Nego minorem: Peccatum enim regulariter loquendo, non est vera injustitia contra Deum, magis quàm contra Legislatorem humanum; non enim Deus expressè declaravit, quòd ubi præcipit rem aliquam faciendam, aut omittendam, utatur potestate dominativâ, seu dominiô proprietatis, quô posset omnes actus humanos exigere tanquam debita ex stricta Justitia.

IX. Per furtum fit injuria proximo, non autem Deo.

Si urgeas: Idcirco qui furatur, facit injustitiam, quia rem aufert ab altero, quæ erat sub illius dominio: sed illa res multò magis erat sub B dominio Dei, quàm hominis: ergo quâ ratione facit injustitiam respectu hominis, & tenetur eam statim resarcire per debitam restitutionem, sic etiam tenetur statim reparare per debitam Pœnitentiam injuriam Deo illatam.

Negabo paritatem, & ratio disparitatis est, quòd qui rem aufert ab homine invito, etiam dominium aufert istius hominis in rem suam: at per furtum Deus non perdit dominium in rem ablatam; ac subinde non est paritas: illud equidem est contra præceptum Dei; *Non furtum facies*; sicque respectu illius est quidem inobedientia, non autem injustitia. C

Dices quartò: Peccatum mortale est, esse in periculo peccati mortalis, sed quandiu peccator non pœnitet, est in periculo incidendi in aliud peccatum mortale: igitur quantociùs tenetur pœnitere: Major patet ex illo Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in eo.* Minor verò probatur authoritate S. Gregorii homil. 11. in Ezechielem,

XIII. Quâ ratione unum peccatum ad aliud pelliciat.

ubi ait: *Peccatum, quod per Pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul & pœna peccati: omne enim quod priùs committitur, peccatum est: sed si citiùs pœnitendo non tergitur, justô judiciô omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit* D *cadere, ut qui flendo, & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccatô cumulare: peccatum ergo, quod Pœnitentia lamentô non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati; quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur.*

Distinguo majorem: Si periculum sit imminens & proximum, concedo: si duntaxat remotum, nego: *Periculum* enim ex Aristot. 2. Rhetoric. *est appropinquatio rei timendæ*; quare siquis agnoscat sibi non imminere proximum lapsum ex dilatione Pœnitentiæ, non videtur peccare Pœnitentiam differendo; unde ad S. Gregorium dico, illum his, aut similibus verbis, monere ne diu differatur Pœnitentia post commissum peccatum, non E autem asserere illam statim esse necessariam; quod utique colligitur ex verbis immediatè præcedentibus; ait enim: *Districta sunt omnipotentis Dei judicia, & qui peccatorem diu expectat ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc ubi gravius impingat.*

Dices quintò: Præceptô negativô tenemur non esse inimici Dei, sicut reverà sumus per peccatum: sed præcepta negativa obligant semper & pro semper: ergo homo sub præcepto tenetur nusquam esse in peccato, & consequenter peccat, quandiu in peccato permanet.

XIV. Quis dici potest inimicus Dei tripliciter.

Respondeo ad majorem, contingere posse tripliciter, quòd quis sit inimicus Dei: *Primò* quidem A activè, quando videlicet homo Deum odiô habet: *Secundò* passivè, quando habetur odiô à Deo: *Tertiò* demeritoriè, quando dignus est qui odiô habeatur à Deo. Unde ad argumentum distinguo majorem: Tenetur homo sub præcepto negativo non esse inimicus Dei; activè, concedo; quia tenemur Deum nunquam odiô habere: passivè aut demeritoriè, nego: *Tum*, quia vitare hanc inimicitiam non est in nostra potestate, nisi mediante actu Pœnitentiæ, quem statim non tenemur elicere. *Tum etiam*, quia hæc inimicitia Dei est tantùm penes statum hominis peccatoris: at non meremur, neque demeremur secundùm statum, nec ulla præcepta dantur de statu aliquo tenendo; nullum enim est præceptum, quod semper existamus in statu gratiæ; sed tantùm consilium.

Instabis: Qui Deum non amat, ipsum odiô habet: sed peccator quandiu in statu peccati permanet, Deum non amat, ac proinde ipsum odiô habet: igitur non solùm passivè, & demeritoriè, sed etiam activè est inimicus Dei.

XV. Aliud est Deum non amare, & aliud eum odisse.

Nego majorem: Aliud enim est Deum non amare, & aliud Deum odiô habere: nam inter amicum, & inimicum datur medium, nempe non amicus: quemadmodum etiam inter Pœnitentiam & impœnitentiam datur medium, nempè non pœnitere; est enim Pœnitentia displicentia de peccato commisso, & impœnitentia est complacentia in ipso peccato; quapropter non est idem esse non pœnitentem, & esse impœnitentem; sicut non idem est Deum odisse, & Deum non amare: unde quamvis præceptum affirmativum de diligendo Deo includat unum negativum de actu contrario, scilicet nunquam habere Deum odiô, quod obligat semper & pro semper; non tamen includit negativum de suo contradictorio, scilicet nunquam non amabis Deum, hoc est, semper amabis. Ex quibus constat, quòd quamvis differens Pœnitentiam non habeat actualem amorem Dei, non tamen habet illius odium, nec reus est illius præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum.*

Urgebis: Nolle amari à Deo, opponitur amori Dei: sed peccator quandiu in peccatis perseverat non vult amari à Deo; siquidem eo in statu odiô habetur; abominabilis est enim Deo impius & impietas ejus: igitur, &c.

XVI. Nolle amari à Deo contingit duobus modis.

Distinguo majorem: Id nolle per actum positivum, quô quis divinum amorem repudiaret, ac sperneret, concedo: per actum negativum per suspensionem actûs; quô quis sciens se non esse in amicitia Dei, negligeret se-se revocare ab eo statu, quô divinam indignationem promeretur, nego: in eo enim statu perseverare non est prohibitum per præceptum de diligendo; quia cùm illud sit affirmativum non obligat semper & pro semper.

Instabis rursus: Saltem illa Pœnitentiæ dilatio sine justa causa repugnat amicitiæ & reverentiæ Deo debitæ; etenim si filius graviter patrem offendisset, aut servus dominum, certum est, quòd ejus majorem animadversionem provocarent, si absque ulla causa differrent, etiam ad modicum tempus, veniam exorare, & reconciliationem.

XVII. Dilatio Pœnitentiæ non pugnat directè in amicitiam Dei.

Respondeo negando antecedens, si sermo sit de nova offensa, nec urget quidquam exemplum; fortè enim inter homines viget obligatio, saltem indirecta statim satisfaciendi; quia cùm homines non judicent de occultis, præsertim merè internis, dum non vident externam veniæ petitionem,

quando nulla adest justa causa differendi, judicant affectum internum adhuc perseverare; adeoque meritò de novo indignantur: secus est autem de Deo erga hominem; cùm enim Deus perfectè noverit corda hominum, dum videt hominem omnino cessasse à volitione libera peccati, non habet circa illum novam displicentiam ex eo quòd aliquandiu in peccato habitualiter maneat.

Subsumes: Nullus remanet voluntariè in peccato habituali, quin in ipso complaceat; tandiu enim complacet in peccato, quandiu peccatum ei non displicet: non displicet autem quandiu illud non detestatur, nec dolet illud commisisse: sed complacentia, & affectus erga peccatum divinam indignationem provocat: igitur, &c.

XVIII. Quomodo quis manere possit in peccato sine nova complacentia. *Distinguo majorem:* Quin complaceat per novam voluntatem, quâ scilicet velit illud peccatum, istudque approbet, nego: complaceat per negationem actûs displicentiæ, concedo: Unde non valet consequentia: Peccatum in eo statu non displicet: ergo placet; quia inter placere, & displicere datur medium, nempe non displicere per negationem actûs.

Subsumes iterum: Sed peccator in eo statu nedum habet negationem actûs; sed reverà habet volitionem, & affectum actualem erga peccatum; eô enim ipsô quô non vult agere Pœnitentiam, vult manere in statu peccati: Qui enim vult antecedens bonæ consequentiæ, vult etiam consequens; si enim Petrus vult currere, vult etiam moveri: velle autem manere in eo statu, est complacere in peccato: igitur, &c.

Nego subsumptum, nec enim consequens est, quòd si peccator non velit positivè agere Pœnitentiam, eô ipsô velit esse in statu peccati. *Ad probationem autem dico*, quòd illa regula, quæ vult antecedens boni consequentis, vult etiam

XIX. Non velle agere Pœnitentiam, non est velle peccatum. consequens, non sit universaliter vera; etenim bene quidem sequitur, Christus D. redemit homines: ergo illi peccaverunt; non tamen sequitur, Christus voluit redimere homines: ergo voluit quòd peccarent. Similiter bene sequitur, ago Pœnitentiam: ergo peccavi, & tamen volo agere Pœnitentiam, quod est antecedens, & tamen nolo peccasse, quod est consequens: imò verò ipsum, quod est agere Pœnitentiam, est velle non peccasse: ergo hæc regula solùm est vera, quando antecedens ordinatur ad consecutionem consequentis, aut è contrà; unde bene sequitur, vis beatitudinem: ergo vis media ad beatitudinem, & è contrà. In proposito ergo, licèt ex hoc quòd non agatur Pœnitentia, colligatur: ergo est in stato peccati; non tamen sequitur, volo non agere Pœnitentiam: ergo volo esse in statu peccati; quia non agere Pœnitentiam non ordinatur ad consecutionem talis statûs; quia hunc statum non consequimur non pœnitendo, sed potius quando actualiter peccamus: atque ita velle non pœnitere tempore quô teneor, non est actus bonus, neque malus secundùm suam speciem; proindeque non est novum peccatum.

XX. Quare citiùs quærenda sit medela vulneribus corporis quàm animæ. *Dices sextò:* Gravior est jactura vitæ spiritualis, quàm temporalis: sed si quis incidat in ægritudinem corporis, aut vulnus accipiat, statim ex obligatione naturæ, & ex præcepto de dilectione sui, & mandato, *Non occides*, tenetur statim adhibere medicamenta, ne vitam amittat: ergo multò magis ubi accepit vulnus lethale peccati, debet adhibere remedium Pœnitentiæ, ne vitam spiritualem deperdat.

Respondent aliqui, quòd etsi præstantior sit vita spiritualis corporeâ; attamen disparitas est quantùm ad obligationem ejus conservationis, vel recuperationis; quia, *inquiunt*, homo non est dominus vitæ corporeæ, quemadmodum dominus est vitæ spiritualis, quam acquirit & sibi comparat propriis actibus. Verùm licèt fortè in eo esset disparitas, quòd qui auferret sibi vitam corporalem, peccaret contra justitiam, quia rem auferret quæ non esset proprii dominii, non ita autem peccaret, si vitam spiritualem sibi auferret; nihilominus certum est, quòd auferre sibi vitam spiritualem sit contra præceptum charitatis erga seipsum, quæ obligat unumquemque ad evitandum quodcunque malum sive corporis, sive animæ, quantùm commodè fieri potest; ac subinde obligat ad Pœnitentiam necessariam, ut recuperetur vita spiritualis per peccatum deperdita; maximè cùm mors spiritualis sit gravissimum damnum efficiens hominem obnoxium æternæ damnationi.

Unde *respondent* alii *distinguendo minorem:* Unusquisque tenetur statim adhibere medicamenta, si necessitas urgeat, & periculum sit in mora curationis, secus verò si talis non urgeat necessitas. Porrò non semper homini existenti in statu peccati incumbit periculum, vel relapsûs, vel damnationis; quippe ex plurimis peccatoribus rarissimi sunt, qui statim moriantur post peccatum commissum, & antequam possint agere Pœnitentiam; alioquin si valeret hoc argumentum, etiam probaret Baptismum non posse ullatenus differri, saltem in parvulis, cùm possint de repente mori, & tamen certum est, quòd per aliquot dies possit differri.

Conclusio Tertia.

P*Receptum faciendæ Pœnitentiæ per se obligat sub novo peccato mortali, quoties imminet mortis periculum: per accidens verò in plurimis aliis occasionibus.* Probatur prima pars; primò quidem authoritate & exemplô S. Augustini, qui (ut refert Possidius) dicere solebat, *neminem etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine Pœnitentia migraret è vita;* unde etiam ipse cùm imminere sibi discessum intellexisset, Pœnitentiales Davidis Psalmos in conspectu positos effusis uberrimè lacrymis, recitabat.

Suadet etiam ratio; quia instante mortis periculô, tenetur homo ex præcepto Pœnitentiæ satisfacere Deo pro suis in eum offensis, & injurias ei factas compensare; enimverò si aliquando, maximè eâ urgente necessitate, ista debet exequi, ut sibi divinam indulgentiam conciliet. XXI. Tenemur sub præcepto agere Pœnitentiam instante morte. Quæ tamen ita sunt intelligenda si homo eo instanti non præveniatur aliquo nobiliori affectu erga Deum, putà per æstuans desiderium subeundi martyrii, aut ardentissimum motum charitatis, vel elevationem mentis in Deum per cœlestis contemplationis delicias; eo enim in casu non teneretur justus ad exercendum actum Pœnitentiæ & doloris de peccatis.

XXII. Per accidens tenetur homo pœnitere quando suscipit & ministrat Sacramenta. Quòd autem per accidens citra mortis periculum etiam pluries homo teneatur agere Pœnitentiam, suaderi potest: Primò namque cùm sancta sanctè tractari debeant & recipi, tenetur peccator agere Pœnitentiam, ut illius beneficiô peccatum diluat, & gratiam sanctificantem obtineat, quoties ministranda sunt Sacramenta, necnon & quando Sacramenta, quæ dicuntur vivo-

rum, sunt suscipienda; Minister enim, qui absque Pœnitentia Sacramentum aliquod administrat, peccat mortaliter, ut diximus agendo de Ministro Sacramentorum: multò autem graviùs peccabit, qui ejusmodi Sacramenta in statu mortalis peccati susciperet.

Et quando urget gravis tentatio.

Similiter viget obligatio agendæ Pœnitentiæ, quando vehemens urget tentatio, & grave peccandi periculum imminet: non enim est opportonius vitandi peccati subsidium, quàm detestatio præteritorum; quippe cùm hæc detestatio noo solùm animum revocet à titillante concupiscentia, & ingesta tentatione, sed etiam nova concilìat gratiæ auxilia; quibus ejusmodi periculum evanescat. Urget etiam agendæ Pœniteotiæ obligatio, cùm adest publica oecessitas, & imminens divioa ultio in communitatem tam propter propria, quàm propter aliena peccata; tunc enim unusquisque tenetur ex affectu, & amore erga communitatem per suam Pœnitentiam, quantùm in se est, divinam iram amollire, & avertere, quia membra debent esse sollicita pro se invicem, necnon & pro toto corpore, cujus sunt.

QUÆRES: *Utrum periculosum sit Pœnitentiam ad extremum vitæ prorogare?*

XXIII. *Quàm periculosum sit Pœnitentiam ad extremum vitæ exitū protrahere.*

Affirmo onà eum SS. Patribus, qoi hanc veritatem unanimi calculô constanter prædicant. Maximè S. Augustinus in lib. 50. homiliarum homil. 41. & S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 12. ubi scribunt: *Si quis positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere Pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit: sed non præsumimus, quia bene exit: non præsumo, non vos fallo: Fidelis bene vivens securus hinc exit: baptizatus ad horam securus hinc exit: agens Pœnitentiam & reconciliatus, cùm sanus est, & postcà bene vivens securus hinc exit: agens Pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego sum securus, unde securus sum, do securitatem: unde non sum securus Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.*

Eandem rationem suppeditat S. Cæsarius Arelatensis homil. 43. & 44. ubi cùm dixisset: se dubium hærere an prosit Pœnitentia in extremis pœnitenti; *Quid tibi dicam*, inqoit, *nescio: dixi non præsumo, non promitto, prorsus nescio de Dei voluntate*; statim sobjongit: *Vis te, frater à dubio liberare? vis quod incertum est recedere? age Pœnitentiam dum sanus es; si enim agis veram Pœnitentiam dum sanus es, inveneris te novissimus dies, curito ut reconcilieris; Si sic agis, securus es: quare securus es, vis dicam tibi? Quia egisti Pœnitentiam eô tempore, quò & peccare potuisti. Ecce dixi, quare securus es: si autem tunc agere vis ipsam Pœnitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.*

Idem docet S. Eligius homil. 6. cùm agens adversus eos, qui ad finem vitæ Pœnitentiam differunt, scribit: *Cùm omnes homines Pœnitentiam velint in fine vitæ suæ accipere, vix paucos videmus eam secundùm quod desiderant adipisci.* Postmodum colligit.

Verùm nemo fusiùs, & eloqoentiùs incertitudinem illam narrat, & exaggerat Salvianô Massiliensi epist. ad Ecclesiam Catholicam, ubi scribit: *Non quidem ulli vitiis carnalibus implicato sufficere ad vitam æternam putem, si eum usque ad mortem in flagitiis consenuerit, in obitu bene cuncta dispenset; nisi anteà & peccatis renuntiaverit.... alioqui peccare non desinit, quem in extremis situm, recedere à criminibus sola tantùm fecit impossibilitas, non voluntas: qui enim à malis actibus tantùm in morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus; quia quantùm ad animum nec dum desiit, qui adhuc peccare velit, si posset.* Et post plura subjungit: Quòd si aoi tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum fuerit incuria, ut valetudinis labem usque ad dies ultimos trahant, quid dicam nescio, quid promittam penitus ignoro: revocare ab inquisitione ultimi remedii periclitantes, durom & impium, spondere autem aliquid in tam sera curatione temerarium; sed melius tamen est absque dubio, quamvis diuturnâ paralysi aridas manus, aliquo tamen nisu ad cœlum erigi, quam lethali penitus desperatione dissolvi: melius est nihil inexpertum relinquere, quàm morientem non curare; maximè quia nescio an in extremis aliquod tentare medicina sit, certè nihil tentare perditio.

Idem docent Isidorus Hispalensis lib. 2. sent. cap. 13. & S. Bernardus lib. de modo bene vivendi cap. 27. ubi ait: *Quando homo peccare potens pœnitet, & vitam suam vivens ab omni crimine corrigit, sine dubitatione, quando ei mors advenerit, ad æternam perveniet requiem: qui autem malè vixit, & in morte Pœnitentiam agit, sicut damnatio illius est incerta & remissio illius est dubia. Qui ergo securus cupit esse in morte de indulgentia, in sanitate Pœnitentiam agat, & in sanitate peccata sua lugeat: igitur quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est.*

Tres alias hujusce periculi causas assignat subtilis Doctor in reportatis ad dist. 20. libri quarti sent. Primam repetit ab infirmitatis & periculi effectibus, qoi animum ob sui vehementiam ita occupant, nempe infirmitas dolore, periculum timore, ut vix aliud cogitare possit: Sed, *inquit*, nolendo peccatum oportet, quòd sit magna consideratio intellectûs & detestatio, ad hoc quòd sit Attritio sufficiens ex congruo ad remissionem peccati, sicut fuit vehemens delectatio prior in peccato. Quam etiam rationem subjicit sanctus Raymundus ex authoritate S. Hieronymi & S. Augustini lib. 3. de Pœnitentia. §. 23. *In extrema ægritudine*, inquit, *vix potest aliquis pœnitere, vel etiam cogitare; ait enim Hieronymus. Cùm ægritudine opprimeris, vix potes aliud cogitare, quàm quod sentis, & illuc rapitur intentio mentis, ubi est vis doloris: Multa enim (ut ait Augustinus) occurrunt tunc impedimenta; nam morbus urget, pœna terret, filii, quos illicitè dilexit, uxor & mundus eum ad se vocant.* Quam otique rationem egregiè urget quisquis est Eusebius scribens ad Damasum de morte S. Hieronymi, ubi *ait:* Fortè quis iterum dicet, Vir qui totô tempore, qoô vixit, malè fecit, in mortis articulo acceptâ Pœnitentiâ à Deo veniam obtinebit. Heu quàm vana suspicio, & falsa meditatio, vix de centum millibus hominum, quorum mala semper fuit vita, meretur à Deo habere indulgentiam unos. Vir totus in peccatis genitos & nutritus, qui nec Deum vidit, nec agnovit, nec de eo audire voluit, nec se peccasse cognoscit, nec quid Pœnitentia sit, nisi fortè dormiendo novit; totus adhuc sæcularibus innodatus negotiis, quem angustia premit filiorum quos deserit, quem infirmitas conterit, quem dolor divitiarum, & temporalium bonorum concutit, cùm eis non posse frui amplius se-

» cernit; quam acceptam Deo accipit Pœnitentiam, quam non acciperet, si adhuc se posse sanari crederet; certè verè concludam, qui dum sanus est & juvenis Deum offendere non formidat, in morte non merebitur divinam obtinere indulgentiam.

Secundam rationem petit Doctor à timore, qui tunc temporis totum hominem occupat, quique non est sufficiens dispositio ad promerendam gratiam: *Oportet enim*, inquit, *quòd sit voluntaria detestatio, & debita circumstantia finis, ut quòd homo non solùm pœniteat propter timorem pœnæ; sed timore filiali: sed difficile est tunc dolere, nisi ex timore solùm; & si non sit cum amore, non disponit ex congruo: ideò difficile est.* Eandem rationem profert Author libri de vera & falsa Pœnitentia, cap. 17. *Quem verè pœnitet*, inquit, *oportet non solùm timere Deum Iudicem, sed & Iustum diligere; non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria.* Concludendum est ergo cum Thoma ab Argentina art. 1. *In rei veritate valde est difficile in extremis sic mentem colligere, quòd homo non solùm timore pœnæ, sed ex Dei dilectione doleat se Deum per peccatum offendisse, & proponat etiam, si diu deberet vivere, semper de hoc in futurum cavere: in his enim duobus consistit verum & salutiferum pœnitere.*

Tertiam rationem petit Doctor ab habitu in peccatis contracto, qui non potest non esse vehemens. *Igitur difficile est tunc maximè contra istum habitum inclinari detestando quæ priùs erant delectabilia.* Denique scribit multò majorem in infirmo requiri displicentiam, quàm in sano, quia liberiùs pœnitet sanus. *Ideo*, inquit, *credo, quòd ad hoc, quòd infirmus mereatur gratiam ex congruo, multò majorem Attritionem requireret, cùm sit interitui proximus, quàm si esset sanus, Sed difficile est habere tantam Attritionem sicut in sanitate, non solùm majorem.* Hinc tandem colligit, cùm quis in ejusmodi statu verè pœnitet, rarissimum esse, & instar miraculi. Cui certè consentit Author libri de vera & falsa Pœnitentia, cap. 17. *Convertitur, qui jam totus, & omninò vertitur, qui jam non tantùm pœnas non timet, sed ad bonum Deum contendere festinat. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione. Sed quoniam vix, vel rarò est tam justa conversio, timendum est de pœnitente serò. Quem enim morbus urget, pœna terret; ad veram vix venit satisfactionem, maximè cùm filii, quos illicitè dilexerit, sint præsentes, uxor & mundus ad se vocent.*

SECTIO TERTIA.

De efficacitate virtutis Pœnitentiæ.

I. Quàm varius quàmque multiplex Pœnitentiæ fructus.

MIRANDAM ac propè divinam Pœnitentiæ virtutis efficaciam egregiè commendat S. Chrysostomus serm. de Pœnitentia; ubi inter cætera sic exclamat: *O Pœnitentia, quæ peccata Deô miserante remittis, & Paradisum reseras, contritam sanas, omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiorem refundis. Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu custodis, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. Per te, ô Pœnitentia, David afflictus vel contritus factus est sanctus: per te filius prodigus paternum amplexum meruit: per te Petrus, postquàm ter Dominum negavit, indulgentiam recepit: Per te ô Pœnitentia, latronem subitò Christus ad regnum æternum rapuit, &c.* Quæ omnia dignitatis elogia, cùm maximè ad peccatorum remissionem collimeent; idcirco potissimùm hac in Sectione sermo erit de efficacitate Pœnitentiæ circa generalem peccatorum omnium remissionem: *Primò* quidem circa remissionem omnium mortalium: *Secundò* circa remissionem venialium: *Tertiò* circa solutionem & relaxationem pœnæ eis peccatis debitæ; quibus annectemus quintam quæstionem de reviviscentia peccatorum per Pœnitentiam remissorum: Et sextam de reviviscentia meritorum per peccata mortificatorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum per Pœnitentiam omnia peccata mortalia, quantumcunque gravia remitti possint?

II. Quintuplex error circa remissionem peccatorum.

NOtandum primò, circa præsentem quæstionem quinque potissimùm fuisse erroneas sententias: *Primus error* quidem Novatianorum, qui affirmabant peccata post Baptismum esse omnino irremissibilia, ac subinde Pœnitentiam nihil quidquam peccatoribus suffragari, ut referunt S. Cyprianus lib. 1. epist. 1. Hieronymus epist. ad Marcellam, Eusebius lib. 6. hist. Eccles. cap. 33. Verùm quoniam illi hæretici maximè impugnabant efficaciam Pœnitentiæ ut Sacramentum est; idcirco eorum errorem referre, ac refellere auspicabimur, ubi sermo erit de efficacia Sacramenti Pœnitentiæ. *Secundus error* fuit quorundam Judæorum affirmantium tertium quidem peccatum post acceptam remissionis gratiam, esse remissibile; secus autem de quarto, & cæteris subsequentibus. Quod utique confirmabant ex primo, & secundo capite Amos, ubi pluries testatur Deus, se condonaturum tertium, non verò quartum peccatum. *Tertius error* fuit Armachani lib 9. de quæstionibus Armenorum, cap. 27. ubi docet aliquos viatores ita in malitia obfirmatos, ut secundùm communem dispositionem, salutariè pœnitere non possint; quemadmodum Apostoli in gratia confirmati nullatenus mortaliter peccare poterant. *Quartus error* est quorundam affirmantium, certum esse numerum peccatorum, quem qui impleverit, secundùm præscriptas ordinarias divinæ Justitiæ, ac Misericordiæ leges non potest veniam assequi; tametsi nec cursum hujus vitæ, nec statum viatoris absolverit, nisi fortè ei suffragetur superexcellens misericordia Dei. *Quintus* tandem error fuit impii Lutheri, docentis omnia opera nostra esse peccata, id volente, & consentiente Deô; ea tamen non imputari ad pœnam præter unum peccatum infidelitatis; contra quos omnes, ut secundùm Catholicam doctrinam præscribamus,

III. Pœnitentia cordis est duplex.

Notandum secundò, hîc non esse sermonem de Pœnitentia Sacramentali, quæ maximè consistit in absolutione peccatorum à pœnitente confessorum; sed de Pœnitentia virtute, quam SS. Patres appellant *Pœnitentiam cordis*: quæ utique solitò duplex distinguitur, imperfecta videlicet, & perfecta: Prima dicitur *Attritio*, quæ idcircò imperfecta Pœnitentia appellatur non quòd sit mala, sed quia insufficiens est extra Sacramentum Pœnitentiæ ad perfectam peccati remissionem: perfecta verò dicitur *Contritio*, ea

quæ sufficit ad temissiooem peccati cum voto ac proposito faciendæ confessionis, & absolutionis suscipiendæ, à tempore legis Evangelicæ. Uttum autem hæc Pœnitentia necessatia sit, & valeat ad remissionem cujuslibet peccati, quaotuocunque gravis; utrumque enim negat Lutherus, ut patet ex articulis damnatis per saeram Facoltatem Parisiensem, nec-non & per Leonem decimum summum Pontifieem; in eis namque damnatur Lutherus: Primùm, quòd asseruerit ad remissiooem peccati, satis esse vitam novam inire, absque ulla Pœnitentia, & peccatorum detestatione: Secnodùm, quòd ut mox diximus, docuerit solum peccatum infidelitatis deputari ad pœnam.

Utramque negat Lutherus.

IV.

Difficultas agendæ Pœnitentiæ in obdurato provenit ex parte sui & ex parte Dei.

Notandum tertiò, aliquos esse peccatores ita in malo obfirmatos, ut eis Pœnitentia, etsi non sit impossibilis, sit tamen factu valdè difficilis. Quæ utique difficultas oritur ex parte peccatoris, & ex patte Dei. Ex parte quidem peccatoris, dum propter consuetudinem delinquendi jam obduruit, juxta illud Proverb. 38. *Peccator cùm in profundum malorum venerit, contemnet*, nempe peccare; quia videlicet flagitia præ nimia peccandi eonsuetudine leviora delicta ei apparent. Unde fit ut amplius de peccatis non erubescat, juxta illud Hieremiæ 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Cùm autem habitus ex variis actibus genitus, velut novam naturam ingerat, inde fit, quòd peccatores quasi naturali impetu, & velut agentia naturalia ferantur in peccatum, à quo vix possunt recedere, juxta illud Hieremiæ 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum?* Difficultas verò provenit ex parte Dei justè punientis peccatores, ac eis denegando plerumque auxilia specialia ad pœnitendum. De utraque hac difficultate loquitur S. Paulus, *Actor.* 13. ubi visâ Judæorum perfidiâ & obstinatione ad repellendum Dei verbum, dixit: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes.*

His ita præmissis, duo supersunt determinanda: *Primum* utrum quodlibet peccatum, quantumvis grave, possit remitti per Pœnitentiam: *Secundum*, an unum peecatum mortale temitti possit absque altero.

Conclusio Prima.

V.

Pœnitentia obtinet remissionem cujuslibet peccati.

N*Ullam est peccatum tam grave, quod per Pœnitentiam perfectam, non possit deleri.* Hæc est de fide, & colligitur primò ex Scripturæ testimoniis, in quibus absque ulla limitatione aut restrictione promittitur verè contritis ac pœnitentibus remissio omnium peccatorum. Sic Sapientiæ 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter Pœnitentiam.* Et Ezechiel. cap. 18. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et statim subdit: *Nunquid voluntatis mea est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Et cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii*, id est, nullius impii volo mortem, quâcunque impietate fuerit reus.

Probatur 1. ex S. Scriptura.

2. Ex Conciliis.

Probatur secundò authoritate Conciliorum, maximè Concilii Lateranensis sub Innocentio tertio, & refertur cap. *firmiter* de summa Trinitate, ubi

A dicitur: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Pœnitentiam reparari.* Et ex Tridentino *sess.* 14. *can.* 2. ubi decernit per pœnitentiam posse remitti omnia peccata post Baptismum commissa.

VI.

3. Ex SS. Patribus.

Eandem apertissimis testimoniis tuentur SS. Patres Chrysostomus homil. 33. in Matth. *Non est aliquod peccatum, quod non cedat virtuti Pœnitentiæ.* Et homil. 9. in Psal. 50. *Peccasti? pœnitere: millies peccasti? millies pœnitere.* Item S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 5. *Tanta est*, inquit, *Dei erga homines propitiatio, ut Iudas potuisset non excludi à venia, si Pœnitentiam non apud Iudaos egisset, sed apud Christum.* Ideo scribit
B eum indignum fuisse veniâ, quia non intimâ conversione pœnituit, nec sedulò egit Pœnitentiam; siquidem *Christus tanta pietatis est, ut veniam ei donasset, si Iudas misericordiam expectasset.* Et S. Augustinus in Enchiridio, cap. 65. *Sed neque in his criminibus quamlibet magnis remittendis*, inquit, *in sancta Ecclesia, de misericordiâ Dei desperandum est agentibus Pœnitentiam, secundùm modum sui cujusque peccati.* Quam utique veritatem luculenter colligit S. Petrus Chrysologus ex parabola filii prodigi, ubi ait, serm. 3. *Delicta non videt vis amoris. & ideo Pater peccata filii redemit osculò, clausit amplexu. Certè si abscessimus, si substantiam Patris totam luxuriosè dispersimus, si quid*
C *unquam commisimus facinoris & delicti, si ad impietatis præcipitium totum, totam venimus ad ruinam, surgamus aliquando, & ad talem Patrem, tali invitati redeamus exemplò.*

VII.

4. Ratione.

1 Quia peccator pœnitere potest de omnibus peccatis.

Suadetur etiam ratione: Si aliquod peccatum per Pœnitentiam deleri non posset, maximè *vel* quia de eo non posset peccator pœnitere, quemadmodum dæmones & damnati; quanquam summè displiceant de pœna, quam patiuntur propter peccatum, cùm tamen eorum affectus in malo sit obfirmatus, idcireo dolere non possunt de peccato per veram Pœnitentiam; quæ habeat spem veniæ: *vel* quia Pœnitentia non posset delere aliqood peccatum: sed quandiu vivimus in via vitæ mortalis, neutrô modô peccatum ullum dici potest irremissibile. *Non quidem primô:* quandiu enim homo viator est, flexibile habet liberum arbi-
D trium ad bonum, & malum, & divina gratia cor cujusvis peccatoris quantumvis obdurati potest ad veram Pœnitentiam flectere: Unde egregiè S. Augustinus *homil.* 50. *ex* 50. *homiliis.* „Fortasse dicis: Ego jam baptizatus sum in Christo, à quo mihi omnia præterita peccata dimissa sunt. Vilis factus sum nimis iterans vias meas, ut canis abominabilis coram oculis Domini, conversus ad vomitum suum. Quò ibo à spiritu ejus, & à facie ejus quò fugiam? Quò frater, nisi ad ejus misericordiam pœnitendo, cujus potestatem peccata committendo contempseras? Nemo enim rectè fugit ab illo, nisi ad illum, ab ejus severi-
E tate ad ejus bonitatem. Quis enim locus excipiet fugientem, ubi ejus præsentia te non inveniat? Si ascenderis in cœlum, ibi est: si descenderis ad infernum, adest. Recipe ergo pennas tuas in directum, & habita in spe in extremo hujus sæculi; etenim illuc manus sua deducet te, & illuc perducet te dextera sua. Quidquid enim feceris, quæcunque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde & omnino Deus, si sanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad Pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando tibi persuasit, ut non recederes, parcendo clamat ut redeas.

Nota.

Hæc S. August. quibus apertè significat nullum omnino peccatum esse, cujus veniam per veram Pœnitentiam obtinere non possimus, quandiu hanc mortalem vitam ducimus.

2. Quia potest obtinere veniã omnium peccatorum.

Non potest etiam peccatum dici irremissibile *secundò modò*; hoc enim repugnaret divino illi amori æterni Patris erga homines, qui *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat*; quique ait Apostolus ad Rom. 8. *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: quô pactô enim pro nobis omnibus tradidisset filium, ut omnis, qui in eum credit, non pereat, si per veram conversionem in Christum, omnia peccata non possent deleri? *Secundò*, id repugnaret divinæ misericordiæ, de qua dicitur Joël 2. quòd Deus *benignus sit, & misericors, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*: Deus enim aliquô modô vinceretur ab homine, si vellet homo peccatum deleri, quod Deus delere nollet. Derogaret etiam virtuti Passionis Christi, & copiosæ ejus redemptioni, à qua nullus mortalis quantuncunque peccator excluditur, & ad quam pertinet, ut sit universalis Redemptor omnium peccatorum: Hinc S. Joannes epist. 1. cap. 2. indefinitè pronuntiat: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Cùm ergo Deus suam de conversione peccatoris, & salute voluntatem exprimat; & veniam ei, si convertatur, promittat; argumentum est omne peccatum in hac vita per Pœnitentiam posse deleri.

Objiciebant Novatiani illud ex 1. Reg. cap. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem peccaverit in Dominum vir, quis orabit pro eo?* Igitur peccata, quæ sunt directè contra Deum non possunt ullatenus condonari.

VIII. Quare peccata filiorum Heli dicantur difficilis veniæ.

Nego consequentiam: Responderi enim potest *Primò*, verba illa non esse Prophetæ, sed Heli Sacerdotis increpantis filios suos ob gravia eorum peccata, quæ cùm essent in scandalum publicum removebant Israëlitas à sacrificiis, & divino cultu. *Secundò*, dici potest, quòd ibi discrimen statuatur inter peccata, quæ directè lædunt Deum, & ea quæ directè proximum offendunt; quòd hæc utique leviora sint illis, possitque facilè reperiri vir aliquis justus, qui veniam à Deo per peccatum offenso, nec-non & gratiam conversionis peccatori suis precibus impetret: peccata verò directè in Deum commissa graviora sint, possitque difficillimè reperiri, qui veniam horum à Deo obtineat: unde particula interrogativa, *quis*, non significat idem, ac nullus, ut optimè notat S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, cap. 8. Non enim, *inquit*, scriptum est, nullus orabit pro eo, sed *quis orabit pro eo?* Hoc est, quis ille sit, qui in tali causa possit orare? quæritur, non excluditur: Sic Psal. 14. dicitur: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Non enim nullus, sed probatus habitabit: nec ait, quòd nemo requiescat, sed quòd requiescat electus. Et Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Id est, non quicunque de vulgo, nec plebeiæ vilitatis aliquis, sed egregiæ vitæ, singularisque meriti vir; .... Non enim quicunque de vulgo pro Judæorum populo, sed Moïses rogavit, & meruit, & impetravit... Quare hæc interrogatio; *quis orabit pro eo?* requirit solùm hominem eximiæ sanctitatis, & singularis vitæ, qui debeat orare pro eo, qui directè peccavit in Dominum, maximè per apertum, & manifestum sacrilegium, qualia erant peccata filiorum Heli. Ibidem enim dicitur, quòd *dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad hostium tabernaculi*, & quòd tollerent carnes per vim ab offerente animalia in sacrificium, priusquàm immolata essent Domino; unde infertur: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini.*

Objiciebant secundò illud lib. 2. Machabæorum, cap. 9. ubi Antiochus Rex post plurima patrata scelera gravi ac lethali correptus morbô Pœnitentiam egit: humiliatus enim coram Domino, testatusque *justum esse hominem subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*, agnoscit sua crimina, de eis dolet, spondet satisfactionem Judæis pro rebus ablatis, *templum etiam sanctum, quod priùs expoliaverat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de reditibus suis præstiturum; super hæc & Iudæum se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem*. attamen ibidem dicitur: *Orabat hic scelestus ad Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.*

IX. Quare inutilis fuit Anthiochi Pœnitentia.

Respondeo Pœnitentiam Antiochi fuisse frustraneam; quia erat imperfecta, & duntaxat naturalis; dolebat siquidem de culpa præterita propter morbi acerbitatem, non autem propter offensam Dei. Quod utique indicat Author libri Machabæorum ibidem; cùm enim recensuisset sævientem in eum Dei vindictam, & acerbum illius corporis dolorem; *Itaut*, inquit, *de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius, & fœtore exercitus gravaretur: & qui paulò ante sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare*: statim subdit: *Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, &c.* Quibus significat, eam afflictionem fuisse Pœnitentiæ causam; non verò Dei offensam, ac proinde non mirum si illius inutilis & invalida fuerit Pœnitentia, cùm ejus motivum esset omnino naturale.

Objiciebant tertiò, illud oraculum Dei monentis 1. *Proverb.* Peccatores, qui propter dilationem Pœnitentiæ Dei consilium, & increpationes neglexerunt: *Cùm irruerit*, inquit, *repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia; tunc invocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non invenient me.* Idem dicit Hieremiæ 14. *Cùm jejunaverint, non exaudiam preces eorum, & si obtulerint holocautomata, & victimas, non suscipiam ea.* Et Eccles. 7. *Considera opera Dei, quia nullus potest corrigere quem Deus despexerit*: igitur sunt aliqua peccata, quæ per Pœnitentiam non possunt expiari.

X. Quô sensu Deus dixerit se non exauditurum peccatorem.

Nego consequentiam: Illis enim omnibus oraculis solùm agitur de peccatoribus, qui spretis diu monitionibus Dei, temporalium pœnarum aversione, magis quàm intimâ conversione cordis ad Deum confugiunt, ut plurimùm enim illi suitantùm amore, declinandarum pœnarum gratiâ, non humilitate verâ, neque sincerâ peccati displicentiâ, seu Pœnitentia Deum invocant; sique sincerè convertantur & doleant de offensa Dei, Deus eos excipit ad se redeuntes, quâcunque peccatorum atrocitate, seu multitudine teneantur.

Isaiæ

Isaiæ. 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Objiciebant quartò, tria testimonia Apostoli, quibus videtur docere nullum pro peccatis post Baptismum commissis dari in Ecclesia Christi remedium, quô expiari & deleri possint. Primum habetur ad Hebr. 6. ubi sic ait Apostolus: *Impossibile est eos, qui sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Secundum sumitur ex cap. 12. ejusdem epistolæ, ubi sic dicitur: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Tertium sumitur ex capite 10. *Scitote*, inquit, *quoniam & posteà cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit Pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.*

XI. Quâ ratione S. Paulus dixerit aliquos non posse, renovari ad Pœnitentiam.

Respondeo ad primum, Apostolum loqui de Pœnitentia, quæ fieri debet ante Baptismum ab adultis, non verò de ea, quæ post Baptismum necessaria est ad justificationem hominis peccatoris. Duplex enim est Pœnitentia hominis adulti, una quæ antecedit Baptismum, de qua loquitur S. Petrus, cùm ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*; quæ utique Pœnitentia nunquam iteratur, sicut nec Baptismus: alia verò Baptismô posterior, de qua sermonem facimus, quam utique non improbavit ipsemet S. Paulus, quippe qui Corinthium incestuosum licèt post Baptismum peccantem absolvere non dubitavit. Quam etiam approbavit & suasit S. Petrus, dum Simoni Mago jam baptizato, *Actor.* 8. dixit: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, &c.* Imò ipsemet S. Petrus, quando ter negavit Christum, jam erat baptizatus, jam Sacerdos inauguratus; & tamen per lacrymas & Pœnitentiam reconciliatus est. Porrò hujus duplicis Pœnitentiæ meminit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 14.* ubi ait: *Unde docendum est Christiani hominis Pœnitentiam post lapsum, multò aliam esse à Baptismali, eaque contineri non modò cessationem à peccato, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorundem Sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suô tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramentô, vel Sacramenti votô unà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti* (ac si diceret, qui gustaverunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs S. & prolapsi sunt.) *De qua Pœnitentia scriptum est: Memor esto unde excideris: age Pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum: Quæ secundùm Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Et rursus: Pœnitentiam agite.*

XII. Duplex est Pœnitentia una ante & alia post baptismum.

Eôdem sensu solvitur secundum, *Voluntariè peccantibus non relinquitur hostia pro peccatis*, hoc est, alia Christi mors, & Passio, quæ per Baptismum repræsentetur, & iterum applicetur ad integram remissionem culpæ & totius pœnæ; siquidem S. Paulus ibidem videtur loqui de Judæis in fide cespitantibus, volentibusque legem Moïsi, & Christi conjungere, quibus denuntiat eis jam nullam superesse hostiam pro peccato; quia neque deficientibus ad Moïsem pro Christo prodesse poterat hostia in altari crucis oblata, neque etiam legales hostiæ; quippe quæ jam per Christi D. sacrificium essent expunctæ, & abolitæ.

Ad tertium respondeo. Pœnitentiam ibi usurpari ab Apostolo, non pro dolore de peccatis commissis, sed pro mutatione operis facti, vel propositi, seu dispositionis animi erga factum aliquod; quô sensu Deus pœnitere dicitur, ut explicat S. Augustinus Psal. 109. ubi ait: *Pœnitentia, mutatio rerum significatur. Quomodo ergo tu, cùm aliquid te pœnitet, doles factùm quod fecisti? quando aliquid Deus præter spem hominum, id est, præterquam sperant homines, mutat in aliud, pœnitere se dicit: usque adeo, ut de pœna nostra pœniteat eum, si de vita nostra nos mala pœnituerit.* Idem docet serm. 40. *Nunquid quasi errantem pœnitet Deum? Sed Pœnitentia dicitur in Deo, mutatio in rebus creatis, ipsô immutabili manente.* Quô sensu Apostolus dixit ad Rom. 11. *Dona Dei sunt sine Pœnitentia*, id est, Deus non mutat sententiam benefaciendi, dum eam semel habuit. Itaque dum Apostolus ait, Esaü non invenisse locum Pœnitentiæ, loquitur de Pœnitentia Isaaci Patris, id est, revocatione benedictionis datæ Jacobo, quam non potuit impetrare Esaü, tametsi cum lacrymis inquisisset eam: Legimus enim *Genes.* 27. quòd cùm Isaac largitus esset benedictionem suam Jacob, quem existimabat esse suum primogenitum: *Auditis Esaü sermonibus Patris, irrugiit clamore magnô, & consternatus ait: Benedic etiam & mihi, pater mi.*

XIII. Quare Esaü non potuit effectum pœnitentiæ assequi.

Respondeo secundò, quòd etsi ibi Pœnitentia acciperetur propriè, mirum non est, quòd in Esaü fuerit frustranea; quippe habebat annexum pravum mentis affectum, nempe animum occidendi fratrem; nam *Genes.* 27. legimus: *Oderat ergo semper Esaü Iacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater, dixitque in corde suo: Venient dies luctûs Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Quocirca Apostolus ante verba in objectione posita scripserat: *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine quo nemo videbit Deum, contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi, ne quis fornicator, aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua, &c.*

Objiciebant quintò, illud Christi D. oraculum *Matth.* 12. *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; Spiritûs autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit contra Spiritum sanctum, remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Igitur Pœnitentia non eluit omne peccatum.

XIV. Quô sensu peccatum in Spiritum S. dicitur irremissibile.

Nego consequentiam; siquidem Christus D. per illam blasphemiam contra Spiritum intelligit impœnitentiam finalem, ut interpretatur sanctus Augustinus serm. 11. de verbis Domini: finalis autem impœnitentia prorsus irremissibilis est, quia post hujus vitæ terminum, nulla futura est peccatorum remissio, nec ulla veniæ spes; siquidem in quamcunque partem ceciderit arbor per mortem, aut ad Aquilonem, aut ad Austrum, ibi mansura est. Si verò per vocabulum *irremissibile*,

intelligatur aliquod peculiare peccatum, dico illud ita appellare, non quia omnino remitti non potest, sed quia difficillimè & rarissimè remittitur defectu efficacis gratiæ prævenientis, & adjuvantis, necessariæ illi peccatori ad convertendum se per veram Pœnitentiam; non quòd blasphemia in Spiritum sanctum sit gravissimum omnium peccatum, sed quia magis directè opponitur bonitati divinæ, seu Spiritui sancto, qui est fons inspirationum & gratiarum, sine quibus impossibile est pœnitere sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur, juxta illud Trident. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Dignus itaque est, ut qui blasphemat in Spiritum sanctum, id est qui opera Spiritûs sancti, quæ ad nostram salutem operatur, tribuit spiritui malo, prout tribuebant illi, contra quos loquebatur Christus: nam Marcus reddens rationem illius sententiæ, subjungit: *Quoniam dicebant; Spiritum immundum habet*, sive, ut loquitur idem Evangelista ibidem v. 22. *Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Dignus, inquam, est quicunque sic loquitur, ut specialibus auxiliis destituatur, utpote qui contra hæc specialiter deliquit: indignus enim est, qui sic blasphemat Spiritum sanctum, ejus adjutoriô. Hinc absolutè remitti, sanarique potest illud peccatum per Dei misericordiam, & aliquando qui rei sunt illius peccati, Pœnitentiæ donum accipient, ut enim ait S. Ambrosius 2. de Pœnitentia: *Credibile est inter Judæos, qui dixerunt in Belzebub ejicere dæmonia, qui sic peccabant in Spiritum sanctum, dæmoni tribuentes manifesta S. Spiritûs opera, nonnullos prædicatione Petri fuisse conversos ad fidem.* Imò sanctus Stephanus pro suis persecutoribus, quos ait Spiritui sancto resistere, Deum oravit, utique cum impetrandi fiducia.

Nec immeritò; nam etsi dicatur omne peccatum in filium hominis esse remittendum, quale fuit eorum, qui dicebant de Christo, quòd esset homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus: quia peccatum illud oriebatur ex ignorantia personæ Christi; tamen eorum, qui sic in eum peccaverunt, multi videntur impœnitentes in peccato mortui, damnatique: ergo licèt peccatum in Spiritum sanctum ex ordinaria Dei lege, & gratia videatur non remitti; tamen verisimile est aliquando condonari.

Objiciebant sextò ex epistola S. Joannis cap. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*: igitur peccatum illud non potest remitti.

Nego consequentiam: Peccatum enim illud ad mortem varias patitur interpretationes; primò namque plurimi sacri Interpretes per illud intelligunt impœnitentiam finalem, & finalem in malo obstinationem, ut etiam interpretatur sanctus Augustinus lib. de correptione & gratia, cap. 12.

XV. Quodnam sit peccatum ad mortem.

ubi cùm præmisisset præfata Apostoli verba, subdit: *De quo peccato, quoniam expressum non est, possunt multa & diversa sentiri: ego autem dico, id esse peccatum, fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem.* Quæ utique impœnitentia meritò dicitur irremissibilis, quia est negatio Pœnitentiæ, & est peccatum hominis jam extra statum viæ; ac subinde non minùs frustraneum esset pro eo orare, quàm pro peccato dæmonum, ut docet idem S. Augustinus lib. 21. de civitate Dei, cap. 24. ubi scribit: *Si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, utqui sunt illi, etiam nosset, qui licèt adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso; sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis: nec tamen pro omnibus exauditur.* Si autem peccatum illud ad mortem intelligatur aliquod peculiare peccatum ab ipsa finali impœnitentia distinctum, sanctus Joannes dicit non decere, ut quis roget pro ipso; quia quicunque deprecator non sufficit pro obtinenda venia ejusmodi peccati ad mortem; sed requiritur aliquis intercessor eximiæ sanctitatis, ut illius condonationem possit obtinere. Duplicis enim generis peccati Scriptura meminit, quorum aliqua dici possunt non ad mortem; quoniam facilè curantur, qualia sunt ea, quæ neque fidem, neque desiderium salutis extingunt, pro quibus Apostolus consulit orare, & spondet veniam: alia sunt, quæ difficillimè curantur, ut positiva infidelitas, qualis maximè est in hæresiarchis, pro quibus peccatis licèt Apostolus non prohibeat orare; non audet tamen consulere, ut quis pro eis roget; quia nisi ejusmodi oratio valde excellens fuerit, frustrabitur suô effectu.

Quòd autem reverà S. Joannes id intellexerit, præclarè demonstrat S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, cap. 9. ubi respondens ad præfatam Novatianorum objectionem, *ait*: Joannes non ad Moïsem, & Hieremiam loquebatur, sed ad populum, qui suorum peccatorum alium peccatorem deberet adhibere, cui satis est si pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam justorum orationibus reservandam putet: Nam quomodò Joannes diceret non orandum pro delicto graviori, qui legisset Moïsen rogasse & impetrasse, ubi erat prævaricatio voluntaria, qui sciret etiam Hieremiam rogasse? Quomodo Joannes diceret non esse orandum pro peccato quod esset ad mortem, qui ipse in Apocalypsi scripsit mandatum Angelo Ecclesiæ Pergami: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalum coram filiis Israël, manducare immolata & fornicari*: ita & tu habes tenentes doctrinam Nicolaïtarum. Similiter age Pœnitentiam; alioquin veniam tibi cito? Vides quòd Deus, qui Pœnitentiam exigit, veniam pollicetur? Denique & ibi dicit: *Qui habet aures, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum.* Nonne ipse Joannes cognoverat Stephanum pro persecutoribus suis, qui Christi nomen audire non poterant, deprecatum, cùm de ipsis, à quibus lapidabatur, diceret; *Domine ne statuas illis hoc peccatum?* Cujus precationis effectum in Apostolo videmus; Paulus enim, qui lapidantium Stephanum vestimenta servabat, non multò posteà per gratiam Christi factus est Apostolus, qui fuerat anteà persecutor. *Hæc sanctus Ambrosius*, quibus apertè docet nullum esse tam grande peccatum, cujus per salutarem Pœnitentiam non possimus veniam impetrare.

XVI. Nullum est cujus venia non possit obtineri.

Instabis; S. Augustinus lib. 1. de ser. Domini in monte, cap. 22. ait: *Peccatum ad mortem esse puto, cùm post agnitionem Dei per gratiam Christi quisque*

oppugnat fraternitatem, & adversus ipsam gratiam invidentia faucibus agitatur: illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum malâ conscientiâ cognoscere, & annuntiare cogatur: igitur censet, aliquod esse peccatum, quod per Pœnitentiam nullâ ratione possit auferri.

Nec contradicit S. August.

Respondeo sanctum Augustinum nihil aliud velle, quàm peccatum illud noo posse facilè sanari, nec per hominis vires cum communi Dei adjutoriò dilui: non autem quod absolutè, & per extraordinariam Dei virtutem sanari non possit: nam perditissimos quosque peccatores posse à Deo converti, docet ipsemet S. Augustinus, explicans illa verba Psalmi 76 *in profundum maris*: » Convertit eos, *inquit*, qui in profundo bujus sæ» culi jacent demersi pondere peccatorum, ad eos » liberandos, qui sunt desperatissimi peccatores.

Conclusio Secunda.

XVII. Unum peccatum mortale non remittitur absque alio.

N*On potest de via ordinaria unum peccatum mortale remitti absque alio per Pœnitentiam: posset tamen per voluntatem, & potestatem Dei extraordinariam*. Hæc conclusio duabus partibus constat, quarum prima communis est apud Theologos, colligiturque ex Scriptura sacra, quæ passim inculcat remissionem omnium peccatorum mortalium fieri per Pœnitentiam: Sic Ezechiel, cap. 18. *Et cùm averterit se impius ab impietate quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam, ipse animam suam vivificabit. Considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vitâ vivet, & non morietur.* Non posset autem vitâ vivere, hoc est, plenam & perfectam habere vitam, si partim esset in statu mortis, partim in statu gratiæ per præsentiam unius peccati, & expiationem alterius: Siquidem monet S. Jacobus, cap. 2. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: qui enim dixit, Non Mœchaberis, dixit & Non occides, quòd si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis*; singula autem peccata mortalia inferunt mortem ipsi animæ; juxta *Ezechielis* 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.*

Ut indicat S. Scriptura.

Definit Concilium Tridentinum.

Unde meritò Concilium Tridentinum *sess.* 5. in decreto de peccato originali, ait: *Si quis per Iesu Christi D. nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit: in renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptismum in mortem, &c.* Igitur omnia peccata mortalia simul remittuntur ac condonantur:

XVIII. Probat Innocentius III.

Hanc veritatem sic declarat, & probat Innocentius tertius, ut refertur cap. *Majores* de Baptismo, ubi quærens, quare non saltem originale peccatum amentibus & dormientibus in Baptismo sicut & parvulis dimittatur, ait: *Ad hoc est taliter respondendum, quòd Dominus, qui totum hominem salvum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit, & ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit.* Addit alteram rationem; *Prætereà pœna originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus; unde si dimitteretur alicui primum alterè non dimisse, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, & cruciaretur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis: sed hæc tanquam incompossibilia se-se minimè patiuntur, imò sibi mutuò adversantur.* Hæc Innocentius, quibus apertissimè nostram assertionem tuetur, ex eo maximè, quòd peccati remissio non fiat absque infusione gratiæ justificantis: illa autem est omninò incompatibilis de facto cum quolibet peccato mortali, utpotè cùm per eam formaliter constituatur homo amicus & filius Dei, ac hæres vitæ æternæ, ut docet Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. his verbis: *Hanc dispositionem, seu preparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio hominis interioris per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum; unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ*; quodlibet autem peccatum mortale hominem Dei inimicum, & filium gehennæ constituit, ac subinde non potest coexistere cum infusione gratiæ sanctificantis, per quam homo Dei filius, & amicus constituitur.

Eandem assertionem egregiè declarat, & probat quisquis est author libri de vera & falsa Pœnitentia cap. 9. ubi cùm dixisset Christum nunquam aliquem sanasse, quem omninò non liberaverit ab omni infirmitate: concludit: *Quædam enim*, inquit, *impietas infidelitatis est ab illo, qui justus & justitia est, dimidiam sperare salutem.*

XIX. Nec contradicit S. Gregorius.

Dices: Reverà Deus interdum dimittit unum peccatum absque alio; quod utique indicat per Prophetam Amos cap. 4. ubi ait: *Plui super unam civitatem, & super alteram civitatem non plui: pars una compluta est, & pars, super quam non plui, aruit.* Quæ verba sic exponit S. Greg. hom. 10. in Ezechielem: *Cùm ille*, inquit, *qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, una eademque civitas ex parte compluitur, & ex parte manet arida; quia sunt, qui cùm quædam vitia resecant, in aliis graviter perdurant*: Igitur unum peccatum ex mente S. Gregorii, ac secundùm Scripturæ sensum, remittitur absque alio.

Nego consequentiam, & ad S. Gregorium dico, quosdam esse, qui equidem unum vitium resecant quoad cessationem ab actu, non verò quoad remissionem culpæ; ita qoòd ille, qui plura peccata committere consuevit, deserit quidem unum, non tamen aliud; quò fit ut ad remissionem culpæ non pertingat.

Dices secundò: Peccata dimittuntur maximè hominibus per charitatem: sed aliqui pœnitentes præstantiorẽ habent actum dilectionis Dei, quàm alii: igitur plurium peccatorum, quàm alii remissionem obtinent, ut significat Christus D. *Lucæ* 7. dicens: *Cui minùs dimittitur, minùs diligit*: & consequenter pro amoris intensione, vel remissione plura vel pauciora peccata remittuntur.

XX. Per charitatem magis intensam peccata plura dimittuntur quantùm ad pœnam non quoad culpam.

Distinguo majorem: Dimittuntur per charitatem magis, vel minùs intensam, quantùm ad intensionem, vel remissionem pœnæ, concedo: culpæ, nego; ita quòd quò ferventiori actu dilectionis Pœnitens Deum prosequitur, eò ampliorem pœnæ pro peccatis luendæ relaxationem obtinet: secus autem est de reatu culpæ, qui per quemlibet actum perfectæ Contritionis aut dilectionis Dei propter se, & super omnia, potest dilui.

XXI. Potest tamen abso-

Secunda pars, nempe qoòd per potentiam absolutam & extraordinariam dispositionem Deus possit remittere unum peccatum sine alio, jam satis superque probata est in præcedenti volumine

Iutè unum peccatum remitti sine alio.

tract. 2. disp. 3. art. 2. quæst. 4. ubi ex subtili Doctore probavimus Deum posse remittere peccatum per solam extrinsecam & gratuitam condonationem & absque ulla infusione gratiæ sanctificantis: Probavimus etiam conclusione præcedenti gratiam sanctificantem de potentia absoluta posse simul subsistere cum peccato. Ex quibus sic ratiocinari licet. Qui potest peccatum remittere per solam condonationem extrinsecam & gratiam simul conservare cum peccato, potest unum peccatum remittere non remittendo aliud: at utrumque Deus præstare potest: igitur, &c. Majorem ultrò admittunt Thomistæ, & meritò quidem; illa namque extrinseca condonatio omnino arbitraria est potestque pro libito condonantis sese extendere vel ad omnem prorsus offensam, vel duntaxat ad partem illius. Et quamvis hæc ita non essent, quæ tamen esse verissima demonstravimus: & quanquam, ut volunt Thomistæ, fieri non posset peccati remissio absque infusione gratiæ; attamen cùm Deus, ut probavimus, possit de via extraordinaria conservare gratiam simul cum peccato; inde liquet quòd possit infundere gratiam necessariam, ad remissionem unius peccati putà adulterii, conservando tamen seu non remittendo aliud peccatum v. g. homicidium ab eodem adultero perpetratum, quæ omnia cùm jam plenissimè probata sint locis suprà laudatis, non opus est hic diutius immorari.

Quæstio Secunda.

Per quid & quomodo remittatur peccatum veniale tam in vita quàm post mortem.

I. Peccatum veniale multis modis dilui potest.

Notandum primò, certum esse quòd peccatum quodlibet etiam levissimum necessariò debeat elui ante consecutionem fœlicitatis æternæ, nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum, neque ullus ascendet in montem Domini aut requiescet in monte sancto ejus, nisi innocens manibus & mundo corde; hinc beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: at controvertitur inter Theologos quibus mediis ac remediis leviora peccata, quæ venialia dicuntur, possint dilui & remitti; nam ea multis modis expiari posse apertissimè docet Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 5.* ubi ait, *Venialia quibus à gratia non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Porrò quæ sint ista remedia cùm Concilium non exprimat, inde ansam sumpserunt Theologi varios proferre modos, quibus ejusmodi peccata deleri ac remitti posse existimant.

II. Maximè tribus.

Notandum secundò, tria esse præcipua & capitalia remedia, quibus maximè censeri potest peccatum veniale posse expiari, nempe virtutem pœnitentiæ, frequentationem Sacramentorum, maximè Pœnitentiæ & Eucharistiæ, nec-non & sacras quasdam actiones, quas Theologi *Sacramentalia* appellant, suntque numerô decem juxta veteres Theologos: nempè confessio communis, quæ fieri solet initiô Missæ; & in fine completorii, pectoris percussio in signum doloris & Pœnitentiæ: aquæ benedictæ aspersio; actus doloris interni de peccatis eisdem: oratio, maximè Dominicalis: signi crucis impressio: comestio panis benedicti; Eleemosynæ largitio: Extrema-Unctio; pœnæ constans perpessio & opera misericordiæ; quæ omnia his versibus comprehenduntur.

Confiteor, tundo, respergo, conteror, oro,
Liquor, edo, dono, perque venialia tollo:
Unctio, pœna levis, compassio quæ fit egenis.

III. Quot & quæ sint Sacramentalia.

Alii verò Theologi maximè Recentiores, sex duntaxat ejusmodi actiones sacras peccati venialis relaxativas numerant, quas complectitur sequens versus.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Quæ significant *primò* orationem Dominicam, in qua culpas quotidianas nobis dimitti oramus: *Secundò* aquam benedictam, quæ, ut diximus in prima disputatione, varios habet effectus, maximè efficaciam ad dimittenda peccata venialia, ex opere operantis: *Tertiò* panem benedictum: *Quartò* confessionem generalem: *Quintò* largitionem eleemosynæ: *Sextò* benedictionem Episcopi, vel Abbatis consecrati. Quæritur ergo, utrum non solùm per virtutem Pœnitentiæ speciatim, aut communiter acceptæ, nec-non & per receptionem Sacramentorum, sed etiam per ejusmodi Sacramentalia peccatum veniale diluatur.

IV. Peccatum veniale non est sola obligatio ad pœnam.

Notandum tertiò, ex Doctore *in 4. dist. 21. qu. 1. num. 8.* peccatum veniale præter obligationem ad pœnam, relinquere in anima aliquam maculam, seu reatum culpæ; cùm enim dixisset *num. 6.* duplicem esse sententiam circa remissionem peccati venialis, quarum prior est: *Quòd nihil aliud est*, inquit, *culpæ venialis remissio, quàm solutio pœnæ temporalis debitæ pro ea; quia post actum transeuntem, culpa quæ manet, nihil aliud est, nisi reatus ad pœnam debitam: iste autem reatus venialis non est nisi ad pœnam temporalem:* subdit *num. 8.*

Ut docet Doctor.

Sed iste modus non placet, quia videntur Sancti distinguere inter remissionem culpæ cujuscunque & pœnæ, & maximè inter remissionem culpæ, & solutionem pœnæ debitæ illi culpæ. Hæc autem veritas à posteriori manifestè colligitur ex universali praxi Ecclesiæ, quæ imponit Pœnitentiam Sacramentalem pro solis venialibus confessis, & per absolutionem quoad culpam remissis. Ratio à priori est, quia peccatum veniale est vera, & realis Dei offensa; juxta illud Jacobi Apostoli cap. 3. *In multis offendimus omnes.* Sicut ergo peccatum mortale, quia gravis offensa, relinquit post se maculam habitualem gravem; pari utique ratione peccatum veniale, quia levis offensa, relinquit post se habitualem maculam levem. Utrumque ergo displicet Deo, quia per utrumque violatur lex Dei, adeoque est virtualis quidam contemptus Dei, qui non potest ei non verè & realiter displicere, licèt inæqualiter: quæritur autem qualiter hic reatus culpæ venialis dilui possit tam in vita quàm post mortem.

Conclusio Prima.

V. Peccatum veniale remittitur per Pœnitentiam.

Peccatum veniale remittitur in hac vita quantum ad reatum culpæ & pœnæ, non solùm per actum Pœnitentiæ formalis, aut virtualis, sed etiam per receptionem Sacramentorum, & quodlibet opus meritorium; ac subdinde etiam per Sacramentalia. Hæc conclusio quatuor partibus constat, quarum probatur *prima*, nempe quòd peccatum veniale remittatur per actum Pœnitentiæ formalis, aut virtualis; siquidem per id remitti potest peccatum veniale, per quod mortale potest expungi: at ad deletionem peccati mortalis sufficit actus Pœnitentiæ, non solùm formalis, sed etiam vir-

tualis, ut dictum est in quæstione præcedenti: igitur multò magis utriusque Pœnitentiæ actus ad id sufficiens erit.

Deinde, id sufficit ad remissionem peccati venialis, qood ei opponitur: sed Pœnitentia virtualis sufficienter opponitor virtuali peccato; nam in veniali est recessus non quidem ab amicitia, quam tantùm solvit peccatum mortale; sed a familiaritate Dei, propterea qoòd peccatum istud sit conversio aliqua inordinata ad creaturam: sed in Pœnitentia virtuali, qualis est actus charitatis, est recessus à creatura, & accessus ad familiaritatem Dei: igitur ad ejusmodi peccati expiationem sufficit Pœnitentia virtualis.

Dices: Peccatum veniale non tollitur, nisi per id quod ipsi oppositum est: sed Pœnitentia virtualis ipsi noo opponitur; si quis enim actus sit Pœnitentia virtualis, maximè actus ferventissimæ charitatis: sed hic non opponitur peccato veniali: *Tum*, quia potest cum eo subsistere: *Tum*, quia devotio erga res divinas, & mendacium jocosum nullam habent oppositionem; siquidem mendacio opponitur veritas, non autem devotio: igitur, &c.

VI. Quomodo actus charitatis & devotionis opponantur peccato veniali.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico, quòd quamvis actus ferventissimæ charitatis aut devotionis non opponantur formaliter peccato veniali, opponuntur tamen virtualiter, & secundùm rationem genericam; nam utraque illa virtus promptè tendit in Deum, & cum aoimi alacritate; ac subinde opponitur retardationi, seu languori tendentiæ motûs in Deum, quam infert peccatum veniale.

Probatur secunda pars, nempe qoòd peccatum veniale remitti possit per receptionem Sacramentorum novæ legis: *Tum*, quia omnia novæ legis Sacramenta ex primaria Christi D. hæc instituentis intentione ordinaotur in remedium peccati mortalis; ad quod eluendum duo maximè instituuntur, nempe Baptismus, & Pœnitentia; cætera verò ordinantur ad illud præcavendum, ut diximus initiò hujusce Tractatûs: igitur cùm venialia peccata longè faciliùs quàm mortalia remittantur, consequens est, quòd per receptionem ejosmodi Sacramentorum peccata venialia possint remitti.

VII. Deletur etiam per receptionem Sacramentorum.

Tum, quia omnia Sacramenta nobis applicant fructum Passionis Christi, suntque instituta ad sanctificandas animas, easque perfectè disponendas ad gloriæ æternæ consecutionem: igitur & ad tollenda omnia impedimenta, quæ possunt ab ejusmodi consecutione remorari: cùm igitur venialia ab ea retardent, inde fit, quòd per Sacramenta possint remitti.

Tum denique, quia singula Sacramenta habent specialem vim & efficaciam circa remissionem peccati venialis: nam *Baptismus*, cùm sit regeneratio spiritualis, transmutat omnino hominem à statu peccati ad statum gratiæ; unde Concilium Florentinum dicit effectum hojus Sacramenti esse remissionem omnis culpæ, tam originalis, quàm actualis; sub culpa autem actuali continetur veniale peccatum. Idem constat de Sacramento *Pœnitentiæ*, quod ordinatur maximè ad deletionem peccatorum mortalium: ergo potiori jure ad remissionem venialium. Unde Concilium Tridentinum docet peccata venialia esse materiam sufficieotem absolutionis Sacramantalis, ut declarabimus infrà, agendo de Confessione. Idem patet de *Confirmatione*, cujus virtus propria maximè ordinatur ad conferendum incrementum vitæ spiritualis; & per consequens ad ea remo-

A venda, quæ ejusmodi incremento & perfectioni oppoonntur, qualia sunt peccata venialia. Constat pariter de *Eucharistia*, quæ instituta est per modum cibi & nutrimenti spiritalis, cujus propria virtus est restaurare quod deperditur per calorem concupiscentiæ; ac subinde eluere peccata venialia, quæ ejusmodi spiritualem vitam infestant. Adde quòd proprius hujos Sacramenti effectus sit excitare fervorem charitatis; ac subinde amovere venialia, per quæ ejusmodi fervor imminuitùr. Unde Concilium Tridentinnm
B *sess.* 13. *cap.* 2. appellat hoc Sacramentum *antidotum: quò liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Patet denique de cæteris Sacramentis, quæ sanctitatem specialem animæ conferunt, & vigorem spiritualem, non solùm ad declinanda, sed etiam ad eluenda leviora delicta, quæ ejusmodi vitæ perfectioni, & conservationi opponuntur.

VIII. Et etiam per quodlibet opus meritorium.

Tertia pars, nempe quòd peccatum veniale remitti possit per quodlibet opus meritorium, traditur a Doctore *num.* 8. suprà laudatò, ubi ait: *Potest dici aliò modò, quòd peccatum veniale in ista vita remitti potest non tantùm per pœnam interiorem, vel exteriorem: quia illi non est necessaria ad hoc: sed per aliquem actum Deo magis acceptum, quàm peccatum veniale displiceat; & hoc vel re-*
C *latum ab ipso operante ad hoc peccatum veniale remittendum: vel non relatum ab ipso; sed à Deo acceptante in ordine ad illud.* Quibus verbis Doctor significat peccatum veniale, non solùm posse condonari per actum Pœnitentiæ sive internæ, sive externæ, sed etiam per quemcunque actum bonum & meritorium, qui magis sit acceptus Deo, quàm odiosus ipsi fuerit actus peccati venialis.

Quæ utique Doctoris sententia probatur, *primò* quia si ad id quodlibet opus bonum non sufficeret, maximè quia ad id requireretor actus Pœnitentiæ actualis aut virtualis; sed ita non est.
D Probatur: si Pœnitentia actualis, aut virtualis ita necessariò prærequireretur ad remissionem peccati venialis, sequeretur inde, quòd veniale peccatum non majori facilitate solveretur, quàm mortale; siquidem mortale peccatum potest tolli & condonari per actum charitatis, nec-non & per martyrium absque ulla formali detestatione prævia; quidnî igitur pari ratione per quodlibet opus meritorium procedens ab eximia charitate, possit expiari?

Deinde, peccatum veniale non deletur per Contritiooem actualem, aut habitualem: igitur ad illius expiationem non requiritur Pœnitentia formalis, aut virtualis. Consequentia patet: Antecedens probatur: Peccatum illod non remittitur
E per Contritionem, quod com illa potest subsistere: sed veniale peccatum subsistere potest cum acto Contritionis: ergo, &c. Major constat; eatenus enim peccatum per Pœnitentiam deletur, quatenus Pœnitentiæ actus ipsi opponitur, nec cum eo subsistere potest. Mioot verò probatur. Peccatum tandiu non deletur, quandiu peccator in ipso complacet: at qoi elicit actum Contritionis, per quem obtinet remissionem peccati mortalis, potest revocare in memoriam aliquod peccatum veniale sine proposito emendationis; ac subinde peccatum veniale subsistere potest cum veniali peccato: igitur, &c.

Denique, qoidquid confert Contritio extra Sacramentum, conferre potest Attritio juncta sacramento Pœoitentiæ: sed omnia peccata venialia

per Attritionem cum peccato non semper delentur, ut docet Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5.* verbis in primo notabili à nobis laudatis, ubi significat peccata venialia in Confessione taceri posse citra culpam, *multisque aliis remediis expiari posse*: Hæc antem remedia distincta Confessione, & Pœnitentia, debent habere efficaciam delendi ipsa, noo aliter quàm per satisfactionem, & consequenter per exhibitionem alicujus operis æquivalentis in finem remissionis ipsorum: sed opus æquivalens potest esse in materia cujuscunque virtutis, v. g. fidei, eleemosynæ, orationis, jejunii; quia hæc opera sunt satisfactoria, ot ex Scriptura constat; jejunium antem, eleemosyna, & oratio numerantur à Patribus, & Doctoribus tres partes satisfactionis B: imò & quodeunque opus boaum potest bunc effectum habere: ergo maximè pro peccatis levibus. Porrò nt quicunque actus meritorius habeat efficaciam ad delenda peccata venialia, opus est quòd per modum satisfactionis & compensationis eliciatnr & offeratur in eum finem; si enim actus Pœnitentiæ & Contritionis, nec-non & dilectionis Dei non sit sufficiens ad deletionem peccati venialis, quando ad illod implicitè, vel explicitè non dirigitur, ut mox dictum est, multò minùs eam efficaciam obtinebit quilibet alius actus bonus minoris ordinis & dignitatis. Adde quòd si ad exhibendam satisfactionem pro peccato proprio debitam per jejunium C, necesse sit, ut jejunium istud, quod varios ob fines posset fieri, dirigatur ad ejusmodi satisfactionem intendendam; sic etiam ut opus

IX. Sacramentalia habent vim delēdi peccatum veniale.

satisfactorium valeat pro dimitteodis peccatis venialibus, requiritur, ot fiat eâ intentione, quæ non tribnit quidem operi bono valorem, sed applicationem.

Probatur denique quarta pars, nempe quòd Sacramentalia vim habeant remittendi peccatum veniale; illa namque non solùm à Theologis, sed etiam à summis Pontificibus, & SS. Patribns dicuntur ex benedictione Ecclesiæ sanctificare, & mundare; sed non mupdant à peccatis mortalibus D: igitur mundare debent à venialibus. Minor constat: Si enim mondarent à peccatis mortalibus, conferrent primam gratiam; sicque haberent veram, ac perfectam rationem Sacramenti. Minor verò jam probata est de aqua benedicta, nec-non & de pane benedicto q. ult. art. 1. hujusce Tractatûs.

Probatur verò de cæteris, imprimis verò de oratione Dominica: nam S. Augustinus in Enchiridio cap. 71. & ex eo Toletanum quartum cap. 9. ait: *De quotidianis brevioribus levibusque peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit; eorum enim est dicere: Pater noster, qui es in cœlis, &c. delet omnino hac oratio minima, & quotidiana peccata delet.* Nec E valet reponere cum Vasquesio id esse intelligendum de oratione, quæ habeat annexum motum Contritionis, & Pœnitentiæ: hæc enim responsio omnino fictitia est; alioquin talis levium remissio non esset magis tribuenda orationi Dominicæ, quàm aliis orationibus, ex quibus excitari potest Contritio, v. g. Psalmo, *Miserere mei Deus*, nec-non & aliis Psalmis Pœnitentialibns. Adde quòd non Contritioni, sed huic petitioni: *Dimitte nobis debita nostra*; talis remissio tribuitur, quod maximè significat sanctus Augustinus in lib. de Correpr. & gratia cap. 5. ubi ex illis verbis orationis Dominicæ probat nemiuem esse sine peccato, idque confirmat authoritate S. Cypriani,

A qui hunc locum Dominicæ orationis exponens, ait: *Quàm necessariè autem, quàm providenter & salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientia sua animus recordetur. Nequis quasi sibi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur, & docetur se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Ioannes in epistola sua ponens, dixit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.*

Idem constat de Confessione generali, quæ fieri assolet in principio Missæ & Completorii; hæc enim peccatorum publica & generalis accusatio efficaciam habet, dum ex animo & affectu pietatis ac Religionis fit, remittendi non solùm peccatum veniale, sed etiam satisfaciendi pro mortalibus dimissis, ut docet sanctus Augustinus *lib. 50. homiliarum homil. ult. cap. 9. & epist.* 108. Ad id etiam maximè confert eleemosynæ largitio, ut præclarè docet S. Hieronymus ad cap. 4. Danielis, ubi inter cætera ait: *Sciendum est, quòd si Nabuchodonosor bona opera facienti venia repromittitur, multo magis aliis promittitur, qui leviora peccata commiserunt.* Tandem ad id confert Episcopalis benedictio, nt communiter docent Theologi.

X. Non ex se sed ex pio motu & affectu ea sibi applicantis.

Sciendum est autem, quòd hujusmodi Sacramentalia non habeant illam efficaciam remittendi veniale peccatum, nisi prævium, vel conjunctum habeant motum animi ex parte ea sibi applicantis; siquidem ad id requiritur, nt nobis mediante fide nostrâ, & cultu Religionis applicentur, qoia sunt cæremoniæ sacræ, quorum usus debet esse religiosus, & fieri humanô modô; ideo in amentibus, aut dormientibus fortè non habent effectum talem; licèt in infantibus habeant alios effectus, ut fugandi dæmones, & similia.

PETES, *Vtrum Sacramentalia remittant peccatum veniale ex opere operato, vel ex opere operantis?*

XI. Vtrum sacramētalia remittant veniale ex opere operato.

RESpondeo, qoòd si remittere peccatum ex opere operato, idem significet, ac illud præstare nedum intuitu dignitatis & meriti actûs eliciti ab operante, sed etiam ex suffragante alterius merito, sic Sacramentalia dici possunt ex opere operato illam remissionem efficere; quia habent hanc efficaciam, quatenus Ecclesiæ sanctitas ipsis moraliter applicatur mediantibus precibus, quibns hunc effectum ipsis impetrat à Christo Domino.

Si verò dicatur ex opere operato effici, quòd de condigno & infallibiliter ex meritis alterius datur, vel operatur, tunc ista Sacramentalia dici non possunt agere ex opere operato: *Tum*, quia tantùm hanc efficaciam suis precibus eis obtinet Ecclesia, quatenus videlicet exorat Deum, ut conferat auxilia quædam supernaturalia ad eliciendos actus supernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia displiceant, & revocentur; eatenus enim censentur remittere venialia, quatenus cæremoniæ sunt sacræ, quarum usus religiosus excitat in nobis vel Attritionem, vel devotionem seu fervorem charitatis, quô ipsa remittantur: cùm enim venialia opponantur fervori charitatis, cujus ardorem imminuunt; cúmque nulla privatio possit tolli, nisi per positionem formæ oppositæ, non videntur aliter Sacramentalia remittere peccatum veniale, quam

Probabilior est pars negativa.

obtinendo ex meritis Christi per preces Ecclesiæ auxilia quædam supernaturalia, quibus homo excitetur, & juvetur ad eliciendos ferventes actus charitatis, vel Pœnitentiæ, per quos talia peccata formaliter aut virtualiter retractentur. Unde in amentibus aut dormientibus adultis, eorum applicatio fortè non haberet illam efficaciam remittendi venialia, licèt in infantibus habeant alios effectus, putà fugandi dæmones, & præpediendi infestationes maleficorum.

Dices : Si Sacramentalia solùm remitterent peccatum veniale excitando fervorem charitatis, sequeretur nullam esse differentiam inter illa & sacras imagines, siquidem illæ etiam in nobis excitant pios motus, nec-non & charitatis fervorem: sed hoc videtur absurdum : ergo & illud unde sequitur.

Nego sequelam majoris ; & ad ejus probationem dico hoc interesse discrimen inter Sacramentalia, & sacras imagines, quòd hæ in nobis fervorem charitatis excitent solùm objectivè, quatenus ad earum conspectum excitatur recordatio meritorum ac virtutum eorum quos repræsentant: Sacramentalia verò id efficiunt etiam impetrativè, quatenus ex meritis Christi per preces Ecclesiæ impetrant à Deo auxilia supernaturalia, quibus homo ferventes actus charitatis eliciat.

Conclusio Secunda.

XII. Ut remittantur venialia prærequiritur status gratiæ sanctificantis.

Gratia habitualis prærequiritur antecedenter, non autem formaliter, ad peccati venialis remissionem; actualis verò concomitanter. Hæc conclusio tres habet partes, quarum primam indicat subtilis Doctor, cùm ait *dist.* 15. *quæst.* 1. *nu.* 7. De potentia ordinata Deus non disposuit alicui peccatori dare primam gratiam, nisi in virtute meriti illius, qui erat sine peccato, scilicet Christi: quia sicut tactum est suprà, non disposuit sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quàm offensa ejus erat sibi displicens: & tale obsequium ejus est Passio Christi, vel meritum ejus, & sicut non disposuit dare gratiam peccatori sine Passione, sine qua gratia nulla potest esse satisfactio *(reconciliativa)* omnino, quia nec æquivalens aliquô modô, nec simpliciter, nec in divina acceptatione; ideò multò magis de potentia ordinata non est possibile satisfieri Deo de peccato, nisi in virtute Passionis Christi.

Ut colligitur ex S. Scriptura.

Quibus verbis significat Doctor, non posse satisfieri, nec reconciliari Deo, nisi beneficiô & applicatione sanguinis Jesu Christi: ubi etsi loquatur duntaxat de reconciliatione & satisfactione, quæ fiat propter peccatum mortale; attamen idem dici potest proportione servatâ de peccato veniali: pietati enim ac Religioni conveniens est, credere quòd non remittantur peccata venialia, nisi gratis, & intuitu meritorum Christi. Quod utique satis apertè indicat sanctus Joannes epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Post quæ continuò subjungit modum remissionis eorum peccatorum, dicens: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*; quòd verò hæc remissio fiat propter Christum, significat, cap. sequenti, dum ait: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

Hanc veritatem indicat Apostolus, cùm ait 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ex hoc enim inferre licet, quòd homo non possit satisfacere pro reatu culpæ venialis, qui sufficit ad impediendam & differendam consecutionem vitæ æternæ; alioquin multùm sibi prodesse posset, si extra charitatem illam satisfactionem posset impendere.

Nec obstat, quòd, ut dicemus infrà, possit homo citra charitatem satisfacere pro pœna temporali; ex quo videtur inferri, quòd sine charitate aliquid prodesse potest.

Respondeo enim, quòd non multùm sibi proficiat qui solvit pro pœna temporali quod lege statutum est: quia quantum bonum est liberatio à pœna, tantum malum est solutio æquivalentis: non enim multùm prodest furi, quòd suspendatur, licèt per suspendium satisfaciat pro pœna temporali, vel potius satis patiatur: quamvis igitur status peccati mortalis non tollat potestatem satisfaciendi pro pœna temporali, tollit tamen satisfactionem reconciliativam pro culpa: quoniam hæc gratia est, & misericordia per Christum, quam non convenit concedi, nisi ei, qui per gratiam sanctificantem est vivum membrum Christi.

XIII. Eamque assertionem expressè tradit Doctor Seraphicus.

Hanc autem assertionem expressè tradit S. Bonaventura 4. *dist.* 21. *p.* 1. *art.* 1. *q.* 5. Dicendum, *inquit*, quòd aliquorum positio fuit, quòd venialia sine gratia gratum faciente deleri possint per gratiam gratis datam. Et rationem hujus ostendere voluerunt pro eo videlicet, quòd veniale peccatum non repugnat gratiæ gratum facienti, sed gratis datæ; nec offendit Majestatem divinam, quia ibi non diligitur aliquid supra Deum, sed aliquantulum inordinatè sub Deo, & ideo sicut mortale potest deleri per gratiam, quia ei repugnat, & quia gratia Deo offenso reconciliat, & quia Deum contemptum amare facit super omnia; sic veniale potest deleri per gratiam gratis datam, quæ illam modicam inordinationem removet, & illam occasionem minùs amandi Deum, ab ipsa anima tollit, nec oportet ibi esse gratiam elevantem animam ad dilectionem Dei super omnia, quia per veniale nihil amatur supra Deum.

Sed hæc positio licèt probabilis videatur, à veritate tamen deviat, si quis inspiciat: omne enim peccatum, eô ipsô quòd est peccatum, aliquô modô animam defœdat, & aliquô modô ipsam deordinat, & necesse est ex hoc, quòd aliquô modô Deo displiceat. Quoniam igitur nota displicentiæ minima, quæ esse possit sine habitu, qui reducit ad complacentiam, & ad amicitiam, auferri non potest, tenendum est omnino de omni peccato generaliter, quòd nullum omnino potest deleri sine gratia gratum faciente; sic enim decrevit nos sanare divina misericordia, & hoc dicunt Sancti, & sonat Scriptura: quæ maximè ponit gratiam esse necessariam ad delenda peccata. *Hucusque Doctor Seraphicus.*

XIV. Idem affirmat S. Augustinus.

Qui confirmat suam sententiam authoritate S. Augustini 21. de civitate, cap. 27. ubi ait: *Veruntamen nec ipsa magna (peccata) à quibus omnino, mutatis in melius moribus, recedendum est, dimittuntur orantibus, nisi fiat quod ibi dicitur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim minima peccata, sine quibus non est etiam vita justorum, aliter non remittuntur: quantò magis multis & magnis criminibus involuti, etiamsi ea perpetrare jam*

desinant, nullam indulgentiam consequuntur, si ad remittendum alsis, quod in eos quisquam peccaverit, inexorabiles fuerint, cùm dicat Dominus: Si autem non dimiseritis hominibus peccata, neque Pater vester dimittet vobis? Ex quibus infert Seraphicus Doctor quòd non aliâ ratione qui non remittit offensam à fratre acceptam, non potest à Deo sperare indulgentiam offensæ ipsi irrogatæ, quam quia qui non vult dimittere est in statu peccati mortalis, in quo nullam remissionem meretur quandiu in eo habet complacentiam.

XV. *Ut remittatur veniale, non requiritur nova gratiæ infusio.*

Probatur secunda pars, nempe quòd nova infusio gratiæ habitualis, & sanctificantis non requiratur formaliter ad remissionem peccati venialis: id enim requiritur formaliter, quod requiritur ut forma tollens privationem, quæ priùs inerat: sed gratia sanctificans non est forma tollens maculam peccati venialis; quippe cùm illud cum ea subsistat in viatote; ac subinde ad peccati venialis remissionem non est necessaria infusio gratiæ sanctificantis.

PETES, *Utrum saltem concomitanter aut consequenter illa remissio venialium requirat specialem gratiæ sanctificantis infusionem?*

Respondeo, id non esse necessarium; siquidem cui peccatum veniale remittitur, jam in eo existit gratia sanctificans; ac subinde non opus est, ut ei de novo infundatur.

Dices: Peccatum veniale imminuit fervorem charitatis; ergo ut remittatur, necessum est fervorem illum restitui: sed non potest restitui, nisi per gratiam habitualem: igitur necessum est, ut aliquis illius gratiæ gradus in hujus peccati remissionem infundatur.

Nego minorem: Nam ut restituatur ille ardor charitatis, sufficit gratia actualis, quæ hominem inordinatè adhærentem rebus temporalibus ab eis revocet, & ad Deum per actum dilectionis convertat.

XVI. *Gratia actualis necessaria est ad remissionem venialis.*

Probatur tertia pars, nempe quòd gratia actualis necessaria sit ad remissionem peccati venialis: Quia 1. Joan. 1. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato*: ergo tam à veniali, quàm à mortali: porro Christi sanguis absque gratia non agit. 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem.* Ex Arausicano 2. Can. 4. *Purgamur à peccato per operationem S. Spiritûs*: quia ex Salomone; *Præparatur voluntas à Domino.* Et ex Apostolo: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et Can. 7. *Qui dicit per naturæ vigorem bonum aliquod ad æternæ vitæ salutem pertinens, nos cogitare, ut expedit, aut eligere posse sine illuminatione & inspiratione Spiritûs sancti, non intelligit vocem Domini dicentis in Evangelio* Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Nec illud Apostoli: *Non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi à nobis.* 2. Cor. 3. Can. 14. *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur* ut dicitur Psal. 78. *Citò anticipent nos misericordia tua, Domine.* Et Psal. 52. *Deus meus misericordiâ ejus præveniet me.* Can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum. Si quis homo veritatem & justitiam, habet ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut non deficiamus in via.*

Objicies contra primam partem: Veniale peccatum non includit privationem gratiæ, & cum ipsa subsistit: igitur ad illius remissionem non requiritur gratia habitualis.

Distinguo consequentiam: Non requirit gratiam habitualem per modum causæ formalis, physicæ aut moralis, concedo: Per modum prærequisitæ dispositionis, nego: nam, ut diximus, ut quis dignus sit consequendæ remissionis peccati venialis quantùm ad reatum culpæ, debet esse acceptus Deo; ac proinde debet esse in statu gratiæ sanctificantis.

Objicies secundò: Peccata venialia remittuntur per Sacramentalia: sed illa ex æquo applicantur tam justis, quàm peccatoribus, ut patet de aqua benedicta, & pane benedicto, qui tam justis, quàm peccatoribus traditur: igitur ad remissionem peccati venialis, non prærequiritur gratia habitualis.

XVII. *Sacramentalia aliter prosunt justis & aliter peccatoribus.*

Distinguo minorem: Sacramentalia applicantur tam justis, quam peccatoribus ex intentione Ecclesiæ in ordine ad remissionem peccati venialis, quasi ex æquo utrisque illa competeret, nego: propter alias utilitates quas ex ejusmodi Sacramentalium applicatione accipere possunt peccatores, concedo: aspersio enim aquæ benedictæ, v. g. eis prodesse potest ad abigendas, & removendas dæmonum & maleficorum infestationes.

Objicies tertiò: Peccatum veniale remittitur in inferno; siquidem damnatis relaxatur pœna peccatis venialibus debita: sed damnati nullam habent gratiam habitualem: igitur hæc ad peccati venialis remissionem non prærequiritur.

Distinguo majorem: Remittitur quantùm ad reatum culpæ, nego: quantùm ad reatum pœnæ, propter rationes quæst. seq. subjiciendas, concedo:

Objicies quartò: Remissio venialium, quæ fit simul cum remissione mortalium non supponit gratiam habitualem; siquidem hæc non præcedit illam mortalium remissionem: igitur peccatorum venialium remissio non requirit necessariò gratiam habitualem.

XVIII. *Interdum remissio venialiũ non supponit statum gratiæ existentis.*

Distinguo consequentiam: Non requirit prioritate temporis & durationis, quia priùs gratia habitualis non debet esse in peccatore, quam ei peccata dimittantur, concedo: non requirit per exigentiam, & simultaneam existentiam, nego: non potest enim de via ordinaria remitti peccatum, quin adsit gratia habitualis, per quam restituimur in amicitiam Dei, & in jus ad hæreditatem æternam.

Objicies quintò contra ultimam partem: Unum contrarium tollitur per aliud: veniale peccatum est actus naturalis, alicui sæpe naturali virtuti contrarius, ut jocosum mendacium veracitati, excessus in cibo & potu, temperantiæ:

XIX. *Veniale opponitur nunc perfectioni supernaturali.*

Nego minorem: In eo quippe statu, quô vivimus ad ordinem gratiæ, gloriæque supernaturalem promovendi; non solùm veniale opponitur naturali perfectioni, sed etiam supernaturali, putà fervori charitatis, & familiaritati cum Deo. Quare tolli non potest, nisi per divinæ charitatis fervorem, & actum supernaturalem, quô familiaritas illa Dei restituatur.

Objicies denique: Veniale peccatum est tantùm nimia quædam ad creaturas adhæsio: sed naturaliter & absque auxiliis gratiæ potest quis tollere hanc nimiam adhæsionem, per actum scilicet amoris Dei, ut Creatoris: igitur naturaliter absque divinæ gratiæ auxilio potest quis consequi peccatorum venialium remissionem. Major constat: Non enim peccatum veniale evertit ordinem

ordinem ad ultimum finem, sed solùm peccator per illud nimis inhæret creaturæ, salvô tali fine. Minor etiam patet; nam in statu naturæ puræ quem in secundo volumine disp. 3. diximus esse possibilem, potuissent esse peccata venialia: in eo autem statu non potuissent elui aliô modô, quàm per actum amoris Dei, ut Creatoris.

Nego minorem: Illa enim nimia adhæsio, creaturis, & retardatio ab ultimo fine, non solùm est contra virtutem naturalem, sed etiam opponitur alicui perfectioni supernaturali, nimirum fervori charitatis, & familiaritati hominis cum Deo; subindeque tolli non potest, nisi per aliquem charitatis fervorem, aut alterum actum supernaturalem aliquô modô avertentem hominem à creaturis, & convertentem ad Deum: quæ utique conversio fieri non potest, nisi per aliquod auxilium supernaturale. Ad illius probationem dico, *primò* dubium esse, utrum reverà in statu naturæ puræ possent esse quædam peccata venialia, nam status ille talis dicitur, maximè ex eo quòd sit immunis ab omni peccato, & gratiæ auxilio. *Secundò* dico, quòd si fortè in eo statu fierent venialia peccata, illa essent diversæ rationis à nostris, eò quòd tunc non fuissent opposita fervori charitatis, & familiaritati hominis cum Deo, sicut ea, quæ modò fiunt in statu naturæ elevatæ ad ordinem supernaturalem; ideoque potuissent remitti per amorem naturalem Dei, ut Creatoris, aut per actum cujuscunque virtutis naturalis.

Vnde spectat ad ordinem gratiæ.

Conclusio Tertia.

X. Quomodo peccatum veniale remittatur post mortem.

Remittitur peccatum veniale, vel post mortem, vel in instanti mortis intuitu meritorum præcedentium, non autem ratione meriti de novo eliciti.

Hæc Conclusio tres habet partes, quarum *prima* est, quòd reverà peccatum veniale quantùm ad reatum culpæ possit remitti in purgatorio, & post mortem, aut in instanti mortis. *Secunda*, quòd hæc remissio fiat ratione operis meritorii præcedentis. *Tertia*, quòd non fiat intuitu actûs meritorii de novo eliciti.

Prima pars docetur non solùm ab omnibus Theologis, sed etiam à SS. Patribus; illamque expresse tradit Doctor in reportatis *dist.* 21. *q.* 1. *num.* 2. In ista quæstione, *inquit*, conclusio est certa, quòd peccatum aliquod potest dimitti post mortem, non tantùm quantùm ad pœnam; quia scilicet pœna illi peccato debita, non fuit hîc soluta; sed etiam quantùm ad culpam in se: Quod utique probatur, quia nullus salvabitur cum aliquo peccato; sed existens cum aliquo peccato veniali potest dormire, & dormiendo mori: & similiter potest aliquis venialiter peccare usque ad ultimum instans, quo anima egreditur à corpore. Constat autem, quòd sic morienti nunquam fuit dimissum peccatum hoc veniale: igitur vel intraret gloriam sine remissione culpæ talis venialis; vel ibi remittetur ei: at non intrabit gloriam sine remissione talis venialis; quoniam *non intrabit in eam aliquod coinquinatum*, Apocal. 21. ergo ibi remittetur ei.

Eandem sententiam colligit Magister sententiarum *in* 4. *d.* 21. ex illis verbis Christi, Matth. 12. *Qui dixerit* (verbum) *contra Spiritum sanctum, non dimittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*; ex quo, *inquit*, datur intelligi, sicut SS. Doctores tradunt; quòd quædam peccata in futuro dimittentur; quædam enim culpæ in hoc sæculo relaxantur, quædam verò parvæ etiam in futuro; quæ quidem post mortem gravant, sed dimittuntur, si digni sunt; si bonis actibus in hac vita meruerunt, ut dimittantur eis.

Illi autem Doctores sunt maximè SS. Patres, præsertim S. Augustinus de civitate, cap. 24. ubi ait: Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro. Idem colligit sanctus Gregorius Magnus lib. 4. dialogi cap. 39. ubi expendens præfata S. Matthæi verba, ait: *In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse laxari; quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet; quia de quibusdam conceditur.* Idem docent sanctus Isidorus lib. de officiis Ecclesiasticis, cap. 18. S. Bernardus serm. 16. in Cantica, &c.

Dices: Nullus justus potest peccare post mortem: ergo nec à reatu peccati surgere. Patet antecedens. Consequentia probatur: *Tum*, quia eadem est ratio de potentia ad peccandum, & resurgendum à peccato: *Tum*, quia facilius est cadere, quàm resurgere: *Tum denique*, quia resurgere à peccato non videtur ei competere qui non potest mereri, sed qui non potest in aliquo statu cadere, non potest etiam mereri: igitur, &c.

XI. Quare potius quis posset expiare peccatum post mortem quàm illud admittere.

Negat consequentiam Doctor in 4. dist. 21. qu. 1. nu. 11. Intelligendo, *inquit*, resurgere, pro liberari à peccato. Ad primam autem probationem, ait, non esse simile inter posse peccare, & resurgere à peccato: quia peccare est liberè agere, & pro statu viæ (intellige de peccato demeritorio) nam docet Doctor, *in* 2. *dist.* 7. *quæst.* 1. damnatos velle peccare, licèt per illud peccatum nihil de novo demereantur: resurgere autem, id est, immunem fieri à peccato; non requirit liberè agere etiam in via; quia vel secundùm primam opinionem, non est nisi solvere pœnam, & hoc est pati eam; vel juxta secundam, non est nisi per merita priùs habita in via, & pro tunc acceptata, culpam nunc dimitti.

Ad secundam probationem consequentiæ, ait: Concedo, quòd facilius est cadere, quàm resurgere, prout resurgere dicit actum ordinatum in potestate simpliciter resurgentis; sed sic non accipitur resurgere in ista remissione peccati venialis. *Ad tertiam probationem ait*, falsum supponere, scilicet quòd resurgere tunc est per actum voluntatis meritorium, qui tunc insit, sed per actum meritorium qui priùs infuit in vita, juxta secundam opinionem: vel per nullum actum meritorium, sed tantùm per pati pœnam condignam pro illo peccato secundùm primam opinionem.

Dices secundò: Nullum peccatum mortale post hanc vitam potest remitti: igitur nec veniale. Consequentia patet; videtur enim esse eadem ratio mortalis & venialis, quippe cùm duntaxat differant secundùm magis & minùs.

Negat consequentiam Doctor, num. 12. Quia, *inquit*, merita facta in vita non possunt acceptari in instanti mortis, ut per ea deleatur mortale; quia Deus disposuit mortale non delendum, nisi per susceptionem voluntariam Sacramenti, vel per aliquam dispositionem, tanquam per meritum de congruo, tunc vel usque tunc inhærentem, quando peccatum deletur; non sic est in eo, qui discedit in mortali.

Ad probationem consequentiæ respondet, quòd etsi peccatum mortale, & veniale, quandoque opponantur eidem virtuti, & privent eâdem bonitate in genere naturæ, aut moris, seu bonitate physicâ aut morali, non tamen privant eâdem bonitate morali Theologicâ; quia peccatum mortale ex divina ordinatione opponitur gratiæ justificanti, & privat amicitiâ divinâ, secus autem est de peccato veniali: non igitur mirum si unum remittatur post mortem, non verò alterum.

Dices tertiò: Peccatum veniale remitti potest per quancunque pœnam, maximè verò per pœnam mortis: igitur non remanet dimittendum post mortem.

Respondet Doctor, *num.* 13. quod potest bene concedi, quòd mors voluntariè accepta sit pœna sufficiens pro pœna cujuscunque peccati venialis, & fortè pro magna parte pœnæ debitæ pro mortalibus dimissis. Nec obstat, quòd est pœna necessaria; quia aliquis potest necessarium voluntariè acceptare; & sic huic consonat, quod dictum est in secunda opinione, quòd peccatum veniale deleatur in instanti mortis. Unde addit in reportatis *num. ult.* quòd mors posset imponi latroni pro satisfactione Sacramentali: Et credo, *inquit*, quòd si fur illam voluntariè sustineat, tanta posset esse illius Contritio, & displicentia, quòd statim evolaret in cœlum.

XII. Peccata venialia in morte remittuntur virtute meritorũ præcedentium.

Secundam partem probat Doctor, num. 8. Quia, *inquit*, qui moritur in charitate, etsi post mortem non referantur ipsius opera meritoria ad veniale, in quo moritur, dimittendum: nec ipse etiam habeat aliquem actum novum meritorium, per quem deleatur veniale, tamen illa opera priùs facta possunt esse à Deo relata ad remissionem istius venialis post mortem. Quod sic probat: Quia, *inquit*, causa impedibilis, dum est impedita non ponit effectum; dum verò non est impedita, ponit; sed merita istius morientis in charitate, essent causa sufficiens deletionis venialium istius, vel relata ab ipso, vel à Deo acceptante in ordine ad istud: sunt autem impedita dum iste vivit, si semper actu manet in peccato veniali: post mortem verò tunc non sunt impedita; quia tunc non contrahit actum peccati venialis: igitur per illa delebuntur venialia post hanc vitam, hoc est, in instanti separationis animæ. Ex quibus infert duo: primum, quòd in instanti mortis remittuntur venialia; quia tunc non manet actus peccati venialis, & per consequens tunc cessat impedimentum: Aliud, quòd omne peccatum veniale morientis in charitate, remittitur in hac vita, nisi ille contineat actum peccati venialis usque ad mortem, vel ad instans mortis.

Quibus omnibus Doctor significat, quòd sicut justus per bona opera meretur gloriam, si moriatur in gratia; ita etiam meretur, si decedat cum gratia, ut consequatur veniam suorum levium delictorum, sine qua non potest consequi gloriam, quam meretur: igitur habet jus ex meritis præcedentibus hujus vitæ, ut post mortem remittantur ei venialia, aut in instanti mortis, si quandiu vivit, in eis non complaceat.

Tertia denique pars probatur ex illo Eccl. c. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Quibus significatur, nullum amplius esse locum meriti, vel demeriti post mortem; quod ultrò fatentur omnes Theologi affirmantes statum hujus vitæ esse duntaxat merito vel demerito præfixum. Hinc improbatur sententia S. Thomæ affirmantis q. 7. de malo art. 11. peccata venialia remitti in purgatorio per actus Contritionis, vel charitatis, quibus anima illa peccata detestatur, & retractat; inde enim sequeretur animas in purgatorio patientes posse adhuc mereri; cujus contrarium docent Theologi communiter.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum, remissâ culpâ peccati mortalis & venialis per Pœnitentiam, remaneat reatus pœnæ temporalis, & quomodo hîc solvi possit?

NOtandum primò, certum esse, quòd remissâ culpâ mortali per Pœnitentiam, semper etiam remittatur reatus, seu obligatio ad pœnam æternam luendam; siquidem nunquam de via ordinaria remittitur mortalis culpa, quin infundatur gratia sanctificans, per quam homo justificatur: *Ipsa autem justificatio*, (inquit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7.) *non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum: unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* Repugnat autem, saltem de lege ordinaria, ut aliquis sit hæres regni cælestis, & simul addictus pœnæ æternæ; alioquin simul esset dignus vitâ & morte æternâ: ac subinde repugnat pariter, quòd remissâ per Pœnitentiam culpâ peccati mortalis, remaneat in justificato reatus pœnæ æternæ.

I. Per pœnitentiam verè dimittitur pœna æterna.

Notandum secundò, controversiam moveri inter Catholicos & Hæreticos utrùm remissâ per Pœnitentiam culpâ tam mortali, quàm veniali supersit aliqua obligatio ad luendam pœnam temporalem: Affirmant omnes Catholici Doctores cum Concilio Tridentino, *ibidem cap.* 14. ubi asserens peccatores rursus justificari posse per Pœnitentiam, *quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam SS. Patres aptè nuncupârunt:* subdit illa peccata solvi posse per debitam satisfactionem subeundam. *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, unà cum culpa remittitur: sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, &c.*

II. Controvertitur inter Catholicos & Hæreticos de pœna temporali.

Verùm negativam partem tuentur hæretici hujus temporis, maximè Calvinistæ cum nefario suo Antesignano, qui *lib.* 3. *Instit. cap.* 4. *num.* 25. ubi præmisit sententiam Catholicorum, de debita pro remissis peccatis solutione, subdit impudenter: *Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem, quâ nihil in Scriptura clarius prædicatur; quid enim est remissio, nisi meræ liberalitatis donum? Non enim remittere dicitur creditor, qui antapochâ testatur sibi numeratam pecuniam: sed qui nullâ solutione ultro suâ beneficentiâ nomen expungit: cur deinde gratis additur, nisi ad tollendam omnem satisfactionis opinionem? quâ igitur confidentiâ suas satisfactiones adhuc erigunt, quæ tam validò fulmine prosternuntur?*

Notandum tertiò, triplicem esse Doctorum sententiam circa pœnam peccato veniali debitam. Quidam enim cum Alensi 2. *part. q.* 124. *memb.* 9. volunt ipsi deberi per se pœnam æternam; per accidens verò temporalem: Aliqui verò cum Angelico Doctore 1. 2. *q.* 87. *art.* 5. & Seraphico

III. Triplex sententia circa pœnam veniali debitum.

in 2. dist. 42. art. 2. quæst. 2. affirmant deberi pœnam temporalem per se; æternam verò per accidens: quando videlicet aliquis decedit cum peccato mortali & veniali, inde enim fit ot peccatum veniale junctum mortali perpetuò puniatur, quia in inferno oulla est redemptio. At subtilis Doctor, *dist. 21. num. 6.* expugnatâ utrâque præmissâ sententiâ cootendit nec per se, nec per accidens pœnam æternam esse veniali peccato debitam. Duo itaque hîc suot statuenda. *Primum,* quòd remissô reatu culpæ adhuc ut plurimum, supersit pœna temporalis per satisfactionem exolvenda. *Secundum,* quòd peccatum veniale non sit puniendum pœnâ æternâ.

Conclusio Prima.

DImissô *per Pœnitentiam reatu culpa peccati tam mortalis, quàm venialis, remanet in pœnitente sæpenumerò reatus pœna temporalis.* Hæc est de fide determinata in Concilius Florentino in Decreto Eugenii, ubi decernitur tertiam Pœnitentiæ partem esse satisfactionem pro peccatis secundùm arbitrium Sacerdotis, quæ præcipuè fit per orationes, jejunia & eleemosynas: ac subinde supponit aliquam pœnam remissâ culpâ esse superstitem. Apertissimè eam definit Tridentinum sess. 6. Can. 330. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æterna pœna deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœna temporalis exolvenda, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequàm ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.* Unde sess. 14. cap. 8. *Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur: perspicua enim & illustria in sacris Litteris exempla repeririuntur, quibus præter divinam Traditionem hic error quàm manifestissimè revincitur.* Hæc autem divina oracula, quibus ejusmodi veritas confirmatur, repetuntur præcipuè ex cap. 32. Exodi, ubi Israëlitis in adorationem aurei vituli lapsis Deus peccatum ad preces Moisis remittit; nam ibidem dicitor: *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum,* Nihilominus ibidem dicitur, Deum reservasse pœnam infligendam isti populo propter illam noxam; subditur enim: *In die ultionis visitabo, & hoc ob peccatum eorum: percussit ergo populum Dominus pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.*

IV. Dimissô reatu culpæ adhuc interdum remanet reatus pœnæ.

Ut definiunt Concilia.

V. Et apertè sacra Scriptura testatur.

Similiter *num. 13. & 14.* iisdem Israëlitis in peccatum murmuris lapsis intercedente Moïse pepercit Deus; ait enim: *Dimisi juxta verbum tuum:* attamen omnibus, qoi ex Ægypto fuerant egressi, reservatur ultio; subditur enim: *Attamen omnes homines, qui viderunt Majestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi Patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.* Unde Psal. 94. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam?* Eadem pœna ibidem cap. 20. decernitur cootra Moïsen & Aaron, ob eorum peccatum ad aquas contradictionis; legimus enim: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Et infrà: *Pergat Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eò quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contra-* A *dictionis.* Et statim mors ejus ibi describitur. Moïsi verò Deuter. 32. dicit Deus: *Ascende in montem istum Abarim, id est transituum, in montem Nebo... quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor: & appositus populis suis, quia prævaricati estis contra me ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis me inter filios Israël: è contrà videbis terram, & non ingredieris in eam, quam dabo filiis Israel.* Certom est autem, quòd illius peccati veniam obtinuetuot Moïses & Aaron: *Absit enim* (inquit Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 16.) *ut credamus Moïsem esse alienatum, qui cum S. Elia meruit clarificato Chri-* B *sto assistere.*

Patet eadem veritas ex 2. *Regum cap. 12.* ubi Davidi pœnitenti remittit Deus peccatum adulterii cum Bethsabee, & homicidii Uriæ; cùm enim dixisset David ad Nathan Prophetam: *Peccavi Domino:* statim reposuit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris;* quibus verbis sine dobio totam peccati culpam remisit Deus; onde S. Ambrosius in priori apologia Davidis, cap. 2. ait: *Dominum dolor intimi movit affectûs, ut Nathan diceret, quemadmodum pœnituit te, & Dominus abstulit peccatum tuum: maturitas itaque veniæ profundam Regis fuisse Pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam* C *traduxerit.* Nihilominus ejusmodi criminum temporalem pœnam luit David morte filii ex adulterio suscepti; nam ibidem Nathan ait: *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Quibus verbis significat Davidem fuisse ponitum noo tantùm ot caveret in futurum, vel ad terrorem aliorum, vel ad virtutis & patientiæ exercitium, ut comminiscuntur hæretici, sed propter peccatum, & scandalum datum: inferre aotem pœnam peccatori, quia peccavit, est propriè punire peccatum, & non solùm infligere pœoas medicinales; unde sanctus Augustinus in Psal. 50. ait: *Veritatem dilexisti, id* D *est: impunita etiam eorum, quibus ignoscis, non reliquisti.*

Ut hæc divina testimonia elevet Calvinus, reponit *num. 31. & 32.* Deum equidem interdum dimissô reato culpæ pœnam peccatori justificato infligere, non in vindictam, sed in emendationem. Duplex enim, distinguendum est judicium, unum vindictæ, alterum castigationis: Porrò *(inquit)* judicio vindictæ sic intelligendus
"est Deus inimicos soos ulcisci, ut iram adversus
"illos suam exerceat, confundat, dissipet, in nihilum redigat. Id ergo sit oobis propriè Dei vindicta, ubi punitio cum ejus indignatione conjun-
"cta est. Judiciô castigationis non ita sævit ut iras-
"catur: nec vindicat ut perdat, vel fulminet ad
"interitum. Unde non est supplicium propriè aut
"vindicta, sed correctio & admonitio. Alterum
"jodicis est, alterum patris. Judex enim eùm fa-
"cinorosum punit, in ipsum delictum animadver-
"tit, & de facinore ipso pœnam expedit. Pater
"cùm filium severiùs corrigit, non hoc agit ut
"vindicet aut mulctet, sed magis ot doceat, &
"cautiorem in posterùm reddat. Paulò diversâ si-
"militudine Chrysostomus alicubi utitur, quæ ta-
"men eôdem recidit. Verberatur, *inquit,* filius:
"verberatur & famulus: sed hic ut servos, quia
"peccavit, punitur: ille verò, ut liber & filius
"disciplinâ indigens, castigatur. Huic correptio
"in probationem, & emendationem cedit; illi in

VI. Præcluditur Calvini elusio.

flagella & pœnas. Ut breviter & expeditè rem notam teneamus, hæc ex duabus statuatur prima distinctio. Ubicunque pœna est ad ultionem, ibi maledictio & ira Dei se exerit, quam semper à fidelibus continet. Castigatio contrà, & Dei benedictio est, & amoris habet testimonium, ut docet Scriptura. Hoc discrimen satis Dei verbo passim notatur. Quidquid enim afflictionum in præsenti vita sustinent impii, nobis depingitur, ceu quoddam inferorum atrium, unde æternam suam damnationem eminùs jam prospiciunt: tantùmque abest, ut inde emendentur, aut fructum aliquem percipiant, ut potius talibus præludiis ad dirissimam, quæ tandem eos manet, gehennam apparentur.

Verùm hæc Calvini responsio mera est elusio & illusio; quàm enim perversè & præposterè divinam Scripturam interpretetur, apparet ex præfatis divinis oraculis, quibus apertissimis verbis significatur Deum plagas & calamitates hominibus jam in gratiam receptis inferre in vindictam & ultionem dimissorum criminum; non autem in solam emendationem, & patientiæ exercitium. Hujus veritatis nulla quidem proferri potest ratio à priori, quippe cùm hoc pendeat ex sola ordinatione Dei, qui sicut pœnam æternam unà cum mortali culpa gratis semper remittit; ita posset, si vellet, semper omnem pœnam remittere. Varias tamen congruentias hujus divinæ ordinationis proferunt SS. Patres. *Primò* quidem, ut peccati gravitas magis innotesceret, & ab offensa timore pœnæ induendæ peccator removeretur. Quam utique rationem subministrat S. Augustinus Tract. 124. in Joan. dicens: *Ne culpa putaretur parva, si cum ea finiretur & pœna; prolixiorem voluit esse pœnam, quàm culpam; temporaliter enim detinet pœnam: quem jam reum ad damnationem non detinet culpa.*

Et variis rationibus confirmant SS. Patres.

Secundò, ut debitam Deo satisfactionem peccator exolveret, intelligeretque quàm benigna fuisset Dei misericordia pœnam æternam condonando. Quod utique luculenter explicat S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 67. ubi ait. Quando correptus (David) per Prophetam, dixit: *Peccavi*, continuò adhuc verbum audire meruit, quòd receperit veniam: ad quam rem, nisi ad sempiternam salutem? Neque enim prætermissa est in illo secundùm Dei comminationem, flagelli paterni disciplina; ut & confessus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter plecteretur. Haud verò mediocre fidei robur fuit, aut partim mitis & obedientis animi indicium, cùm audisset à Propheta, quòd sibi Deus ignovisset, & tamen quæ fuerat comminatus, consequenter evenissent, non se dicere deceptum esse Prophetæ mendaciô, nec murmurare adversus Deum, quasi falsam peccatorum indulgentiam esse pronuntiaverit; intelligebat enim vir altè sanctus, & non contra Deum, sed ad Deum elevans animam suam, nisi Deus esset confitenti, pœnitentique propitius, quantùm pœnarum æternarum ejus essent digna peccata, pro quibus cum temporalibus emendationibus uteretur; videbat erga se & manere veniam, & non negligi disciplinam.

Tertiò, ad frænandam peccandi licentiam, quæ certè longè major esset, unà si cum culpa omnis pœna relaxaretur. Quam utique rationem profert sanctus Chrysostomus homil. de Pœnitentia, dicens: *Ne peccantes & inulti manentes efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed vidit hoc manifestè, quòd peccatis ipsis non minus damnosum sit, non puniri: & propter hoc imponit pœnam.*

Quartò, decens erat, ut vitiosos habitus malè vivendo contractos, per contrarios actus tolleremus: id autem fieri non poterat efficaciùs, quam pœnam temporalem luendo: Unde sanctus Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 34. *Propter hoc*, inquit, *Adam ejectum de Paradiso contra Eden habitavit; id est, contra sedem deliciarum, ut significaret quòd in laboribus qui sunt deliciis contrarii erudienda esset caro peccati, quæ in deliciis obedientiam non servavit.*

Denique, conveniens erat, ut esset quædam proportio membrorum cum capite. Cùm igitur Christus pro nostris peccatis acerbissimos cruciatus temporales subierit, pari ratione decebat, ut pro ejusmodi peccatis pœnam aliquam pateremur.

VIII. Quas Concilium Tridentinum optimè explicat.

Has omnes rationes disertissimè explicat Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. his verbis: *Sana & divina justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter à Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter verò, qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati in accepto Spiritûs S. donô, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione acceptâ, peccata leviora putantes, veluti injurii & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurisantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quasi frænô quôdam coërcent hæ satisfactoria pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis; & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.... Accedit ad hæc; quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur.*

IX. Objiciunt Hæretici varia S. Scripturæ oracula.

Objiciunt primò Hæretici, Deus Ezechielis 18. testatur se penitus obliturum peccatorum ejus qui pœnitentiam egerit, *Omnium*, inquit, *iniquitatum ejus non recordabor.* Similiter cap. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab iniquitate sua.* Quibus concinit Apostolus ad Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu*: Sed Deus haud dubiè iniquitatum peccatoris recordaretur, ipsaque impietas noceret impio, & aliquid superesset damnationis in iis, qui sunt in Christo Jesu, si dimissâ culpâ superesset luenda pœna temporalis: igitur remissô reatu culpæ, nullus pœnæ luendus reatus permanet.

Nego minorem, & ad duo priora Scripturæ loca dico, quòd ut iniquitatum peccatoris obliviscatur Deus, satis est, ut eum in suam amicitiam recipiat, & ei pœnam æternam condonet, sic enim Deus oblitus est perduellionis Adæ; quia Sapientiæ 10. dicitur eum de delicto eduxisse: & tamen ei reservavit, & posteris pœnam mortis. *Num.* 10. Mariam Moÿsis sororem, ad ejus orationem absolvit à peccato murmuris, & tamen eam extra castra septem diebus separari jussit. Similiter 3. *Reg.* 13. Vir Dei seu Propheta Domini propter inobedientiam occisus est à leone; videtur tamen anteà, peccati veniam obtinuisse pœnitendo: nam in argumentum sanctitatis illius, leo nec ejus cadaver, nec asinum attigit: Et alius Propheta

senex, qui prædixerat ei mortem istam in Bethel, corpus ejus in suum intulit sepulchrum, & planxit eum, & moriens prope ipsum sepeliri voluit.

Respondeo secundò, Prophetam in illis oraculis comparationem instituere inter justum & impium in ordine ad vitam æternam; unde eorum sensus est, quòd quemadmodum si justus averterit se à justitia sua, ipsa ei non proderit ad fœlicitatem æternam; ita quòd Deus illius videatur oblivisci; sic peccator, dum agit Pœnitentiam, cùm per restitutam gratiam habitualem obtineat jus ad vitam æternam, Deus non videtur recordari illius iniquitatis, nec ipsa ei nocebit in ordine ad beatitudinem obtinendam: quanquam debitor remaneat pœnæ temporalis luendæ.

Sed in eo sensu: facilè enim eis non patrocinari evincitur.

Ad textum Apostoli dico, quòd licèt remissâ per Pœnitentiam culpâ, & pœnæ æternæ reatu, perseveret aliquando reatus pœnæ temporalis, nihil tamen damnationis est in justificatis; tantùm enim abest, ut ipsa pœna temporalis luenda dicat ordinem ad damnationem; imò ab ea revocat; siquidem peccandi licentiam cohibet, & peccatorem cautiorem efficit, ne rursus in peccatum præceps ruat.

Urget Calvinus proferens alia Scripturæ testimonia, quibus Deus dicitur nullam amplius habere rationem peccatorum semel dimissorum, illaque projicere post tergum, *Isaiæ* 38. delere instar nubis: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Ea projicere & deponere in profundum maris, ut illud *Michea* 7. *Deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Tandem illa non imputare, & tecta habere, ut illud Psal. 31. *Beati quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Unde colligit, si punit Deus peccata, imputat: si vindicat, recordatur: si ad judicium vocat, tecta non habet: si examinat, post tergum non projecit: si inspicit non obliteravit instar nebulæ: si ventilat, non projecit in profundum maris. Atque, *inquit*, in hunc modum interpretatur Augustinus in Psal. 51. scribens: *Si texit peccata Deus, noluit advertere: si noluit advertere, noluit animadvertere: si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.*

Respondeo perperam & insulsè hæc ab eo in sui erroris patrocinium advocari; enimverò his, aut similibus oraculis nihil aliud significat Deus, quàm quòd ita ad intuitum Pœnitentiæ peccata dimittat, ut illa ampliùs non revocet in conspectum & memoriam ad damnationem peccatoris, nec-non ad reatum culpæ & pœnæ æternæ: quod ultrò fatemur.

Objiciunt secundò: Remissio peccatorum fit in Pœnitentia per virtutem & meritum Passionis Christi, ut testatur Apostolus ad Rom. 3. dicens: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum:* Sed Christus in sua Passione plenissimam satisfactionem exhibuit pro omnibus peccatis, non tantùm pro reatu culpæ, sed etiam pro pœnis omnibus peccato debitis: igitur superfluit quælibet nostra satisfactio: Nam, *inquit* Calvinus, *num.* 30. Quid, quæso, nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis pœna exigeretur? Nam cùm dicimus eum pertulisse omnia peccata nostra in corpore suo super lignum, non aliud significamus, quàm defunctum pœnâ & vindictâ, quæ peccatis nostris debebatur.

A *Distinguo minorem:* Plenissimam satisfactionem exhibuit, & sufficientem remissioni omnium peccatorum, quoad culpas & pœnas, secundùm dignitatem, & virtutem, concedo; Christi enim meritum valet ad exolvendùm omnem reatum cujuslibet peccati: quoad applicationem, & modum, quô ab homine participatur, subdistinguo: Plenissimam satisfactionem exhibuit quantùm ad modum applicationis aliquando, ut fit per Baptismum & Martyrium, concedo; baptizatus enim participat totaliter virtutem Christi Passio- **B** nis, utpote per aquam & Spiritum Christo commoriens peccatis, & in ipso regeneratus ad vitam æternam. Idem, proportione servatâ, dicendum de Martyrio: semper & per ordinariam ejusmodi Passionis applicationem, qualis fit in Pœnitentia, nego: Christus equidem satisfecit pro nobis ut causa universalis applicanda singulis per propriam cooperationem & juxta mensuram illius cooperationis, maximè in pœnitentia: modus autem proportionatus liberæ naturæ est, ut, sicut liberè & propriâ voluntate deliquit, peccando actualiter; ita liberè sibi applicet causam satisfactionis, & remissionis peccati.

Objiciunt tertiò: Remotâ causâ removetur effectus: sed reatus culpæ est causa reatûs pœnæ; **C** ideo enim aliquis pœnâ dignus est, quia culpam commisit: igitur sublatô reatu culpæ per Pœnitentiam, aufertur etiam reatus pœnæ.

X.

Quare remaneat reatus pœnæ sublatô reatu culpæ.

Distinguo majorem: Si causa illa sit reverà causa rei secundùm esse, & conservari, qualis est forma respectu compositi, putà anima rationalis respectu hominis, concedo; si tantùm sit causa secundùm fieri, ut Architectus est causa ædificii: & simili modô distinctâ minore, nego consequentiam, nam reatus culpæ est quidem causa reatûs pœnæ ut fiat; non verò ut conservetur: quare moralis pœna manere potest remotâ culpâ, sicut ædificium subsistit mortuô Architectô.

D *Objiciunt quartò:* Omnes pœnæ, quas Justi patiuntur, sunt exercitationes virtutis, & earum certamina; non autem satisfactiones pro peccato, ut docet S. Augustinus in Psal. 138. *Flagellat nos*, inquit, *in istis languoribus, & ærumnis nos. Tota ista miseria generis humani, in qua gemit mundus, dolor medicinalis est, non sententia pœnalis.* Et lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cùm dixisset cap. 33. reverà Deum homines à peccatis mundatos adhuc ex Dei damnari ad pœnam, quod probat exemplô Adami manducantis panem in sudore vultûs, & Evæ filios suos in dolore parientis, subdit cap. 34. *Ante remissionem esse illa supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina, exercitationesque justorum:* igitur pœnæ à justis luendæ post remissa peccata non sunt satis- **E** factoriæ, sed duntaxat vel medicinales, vel æternæ vitæ meritoriæ.

XI.

Calamitates non sunt tantùm exercitia justorum, sed etiam interdum satisfactiones peccatorum.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, quòd quanquam ibi S. Augustinus non meminerit satisfactionis; attamen alibi pluries docet, pœnas assumptas, non solùm esse exercitationes justorum, sed etiam satisfactiones: Sic lib. 13. de civitate Dei cap. 6. ait: *Quidquid illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, piè fideliterque tolerando, auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ: ita cùm ex hominis primi perpetuata propagine, proculdubio sit mors nascentis pœna; si pro pietate, justitiaque pendatur, fit gloria renascentis: & cùm sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato:* Idcirco autem humani generis miserias &

calamitates, dicit magis esse dolorem medicinalem, quàm sententiam pœnalem; quia cùm dolor medecinæ tendat in bonum ægroti; sententia autem pœnalis à judice lata in malum, & detrimentum damnati; idcirco calamitates illæ dicuntur medicinales, quia per eas homo Deo satisfaciens sibi viam parat ad fœlicitatem æternam; ac subinde illæ cedunt in bonum, non in damnum patientis.

Vrgent: Calamitates illæ non possunt esse satisfactoriæ, nisi infligantur sub ratione pœnæ: sed ita non est, nisi duntaxat materialiter; quippe cùm tam peccatoribus, quàm justificatis ac innocentibus, à Deo tribuantur: calamitates autem respectu innocentium, & eorum quibus donatus est uterque reatus pœnæ & culpæ, non possunt habere rationem pœnæ & supplicii: igitur, &c.

Distinguo minorem: Si calamitates illæ non infligantur ob culpam, concedo: si sic, nego: certum est autem ejusmodi calamitates hominibus justificatis à Deo præscribi ob eorum peccata remissa, ut etiam fatetur Calvinus ipsis justis tribuens illud Psalmi 89. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*: at animadversio, virgæ, verbera, pœnas propriè dictas significant, ac subinde volens nolens Calvinus cogitur admittere pœnam, ultionem, ac vindictam esse adhuc peccatô remissô superstitem.

CONCLUSIO SECUNDA.

XII. *Peccato veniali non debetur pœna æterna per se, nec per accidens.* Hæc est Doctoris locô suprà laudatô *num. 6.* ubi ait: Dico ergo, quòd peccato veniali, sive hîc puniendo, sive in inferno, sive alibi, non debetur nisi pœna temporalis, nec per se, nec per accidens: quia secundùm se est talis offensa, quæ secundùm se punitur per temporalem pœnam sufficientem. Nec est inconveniens pœnam debitam veniali habere terminum in inferno: quia & verè pœnitens primò, & partem Pœnitentiæ impositæ explens, & ante totam expletam recidivans in mortale, & in illo mortali decedens pro parte Pœnitentiæ residua explenda solvet pœnam in inferno: sed non nisi temporalem; quia ex quo in remissione peccatorum priori commutabatur debitum pœnæ æternæ in debitum pœnæ temporalis, nunquam iste est debitor pro illis, nisi pœnæ temporalis, & per consequens pœnâ totali solutâ, erit liber ab istis. Non tamen in inferno est redemptio illius, scilicet peccati, pro quo iste est damnatus; quia pro illo debitum pœnæ æternæ nunquam fuit commutatum in debitum pœnæ temporalis: & ideo semper manet illud debitum, si nunquam potest esse illa pœna tota soluta.

Peccato veniali non debet infligi pœna æterna.

Vt rectè docet subtilis Doctor.

Quibus verbis Doctor constanter affirmat pœnam veniali peccato debitam non esse æternam nec per se, nec per accidens, sed determinari ex natura sua & finiri completô passionis, seu satispassionis terminô. Quod utique probat ex receptissimo apud Theologos axiomate, nempe quòd *Deus semper punit citra condignum, & præmiat ultra condignum*: Sed peccato veniali ex natura sua sola debetur pœna temporalis; quia, *inquit* num. 3. Cum charitate non stat debitum pœnæ æternæ. Nam si cum charitate staret obligatio ad pœnam æternam luendam, simul aliquis esset dignus vitâ æternâ & pœnâ æternâ; quidem quisquis habet charitatem dignus est vitâ æternâ: quod utique implicat; nullus enim potest esse debitor pœnæ pro illo instanti, pro quo est ordinatus ad gloriam: quia tunc posset stare gloria & pœna aliqua: sed cum charitate stat peccatum veniale, non tantùm deletum post actum, sed etiam actualiter commissum, ut probat Doctor, *num. 4.* Quia, *inquit*, peccatum mortale excedit improportionabiliter in ratione malitiæ quodlibet peccatum veniale: infinita enim venialia si essent, non æquarentur uni mortali in ratione offensæ; quia nec omnia illa averterent à fine ultimo, sicut unum mortale: ac subinde pœna secundùm justitiam correspondens mortali peccato, improportionabiliter, & in infinitum excedit pœnam debitam veniali; non quidem secundùm intensionem: quia quælibet pœna secundùm intensionem finitè excedit, vel exceditur ab alia: ergo excedit secundùm extensionem & durationem, & consequenter non debetur veniali pœna æterna.

Confirmat Doctor *num. 5.* Esto, *inquit*, quòd simpliciter secundùm rigorem Deus puniret usque ad condignum, omnino injustum esset pœnam æternam infligere pro illo, cui secundùm se debetur pœna temporalis: sed peccato veniali sola temporalis pœna debetur; quippe cùm ejus malitia longè minor sit, quàm peccati mortalis; ac subinde minori pœnâ est plectenda. Nec obstat quòd conjungatur cum mortali: Quantumcunque enim conjungatur alteri, *inquit* Doctor, hoc non facit istud in infinitam exire gravitatem, & genus culpæ venialis: ergo nec justè ipsi correspondet pœna in infinitum excedens.

Reponunt Thomistæ cum Cajetano, quòd peccato veniali per se non debeatur alia pœna, quàm temporalis, sed per accidens deberi pœnam æternam, ex conditione subjecti, & ex ejus conjunctione cum mortali: Quia, inquiunt, peccatum veniale non judicatur in damnando seorsim, sed conjunctim cum mortali, cui debetur pœna æterna; ac proinde cùm subjectum, nempe homo damnatus, destinetur ad pœnam æternam luendam ratione peccati mortalis, easdem etiam luere debet ratione venialis.

XIII. *Verùm contrà*: Dignitas pœnæ seu reatus, non oritur ex conditione subjecti, sed duntaxat ex prævaricatione legis & præcepti: igitur peccatum ex se veniale ex statu & conditione subjecti, non meretur pœnam æternam.

Proponitur Thomistarum elusio: & refutatur.

Reponunt secundò, non deberi quidem pœnam æternam peccato veniali, ratione subjecti solitariè sumpti, sed quatenus est in subjecto habente etiam peccatum mortale; ac proinde meretur pœnam æternam ex conjunctione, & concomitantia cum mortali.

Verùm contrà subtiliter urget Hiquæus: Nihil, *inquit*, infert novum debitum pœnæ, quod non aggravat peccatum in ratione peccati: quia peccato, quà peccatum est, commensuratur pœna, & debitum ejus: sed peccatum mortale, propter quod damnatur quis ad infernum, & pœnam perpetuam, neque est circunstantia peccati venialis, aut faciens ullô modô ad malitiam ejus: ergo, &c. Probatur subsumptum, quia peccatum mortale potest esse disparatum, & multis annis præcessisse veniale, aut subsequi sine ullo ordine unius ad alterum: in esse, operari, cognitione, intentione, ut manifestum est: nihil autem aggravat malitiam, nisi quod est circunstantia operis, materiæ, aut operandi: ergo neque pœna aggravatur: sed veniali ex ordinatione legis,

& naturâ suâ debetur sola pœna temporalis, & terminabilis: ergo, &c.

Confirmatur. Pœna debita veniali temporalis in hac vita non augetur ex conjunctione ad mortale in hac vita: ergo neque pœna eadem augetur in altera vita ex consortio ad idem. Consequentia manifesta ex paritate. Antecedens sine controversia. *Confirmatur* secundò, quia pœna venialis quoad intensionem in inferno non crescit: ergo neque quoad durationem. Consequentia patet, quia non videtur ratio cur magis crescat extensivè, quàm intensivè, sive consideretur in ordine ad subjectum, sive in ordine ad vindicativam justitiam Dei, quæ lege expressa est: nam sicut ex justitia pœna debita veniali secundùm intensionem est levis respectivè ad pœnam mortalis (sicut ipsa culpa levis est) ita ut quicunque excessus ultra terminom statutum esset gravis, & non secundùm justitiam; ita etiam terminum habet pœna eadem secundùm durationem, ut spectata à lege, & secundùm se sit temporalis: ergo ex conjunctione cum mortali in inferno non protrahitur ultra illum terminum durationis, sicut nec intenditur ultra terminum proportionatum. *Ita Higuam.*

Objicies primò: Quodcunque peccatum est offensa Dei: sed omnis Dei offensa meretur pœnam æternam: *Tum* quia omnis offensa Dei meretur annihilationem: ergo à fortiori digna est pœnâ æternâ, quæ longè minus malum est, quàm annihilatio: *Tum* quia peccatum commissum contra Deum, offendit personam infinitam; ac subinde habet malitiam infinitam, & consequenter dignum est pœnâ æternâ.

XIV. Levis Dei offensa non meretur annihilationem.

Nego minorem, nec-non & duas illius probationes, quæ omnino falsæ sunt. Prima quidem: non enim offensa Dei meretur annihilationem, nisi quatenus avertit ab ultimo fine; qui enim sese removet à Deo omnium entium principio, meretur abire in nihilum: hæc autem aversio non fit per veniale, sed duntaxat per mortale. Secunda pariter probatio deficit; quippe, ut diximus agendo de peccati gravitate, neque etiam ipsum mortale peccatum est infinitæ malitiæ; quia dignitas aut malitia non sumitur absolutè à persona offensa, aut objecto in quod tendit quantùm ad qualitatem, sed etiam ex modô, quô attingunt objectum, qui utique modus, sicut & potentia, à quibus actus peccaminosi eliciuntur, finita sunt.

Objicies secundò: Quandiu manet culpa, semper remanet pœna; quia reatus pœnæ dicit inseparabilem connexionem cum culpa; siquidem statuitur contra inordinationem culpæ: sed reatus culpæ semper manet in inferno: igitur etiam remanet pœna luenda.

XV. Reatus pœnæ est inseparabilis à reatu pœnæ in fieri, non in facto esse.

Nego majorem, & illius probationem distinguo: inseparabilis est connexio pœnæ cum culpa *in fieri*; ita quòd nemini debeat infligi pœna in ultionem, nisi propter pœnam admissam, concedo: in *facto esse*, nego: Nec enim pœna luenda semper præsupponit culpam præsentem in eo qui pœnam luit. Nam plerumque subditi & filii plectuntur pro peccatis Principum & Parentum, licèt ipsi prorsus innocentes sint.

Insuper, peccatis etiam remissis per Pœnitentiam virtutem aut Sacramentum, plerumque debetur pœna temporalis in satisfactione: igitur non est talis connexio in facto esse inter pœnam & culpam, neque ex natura rei, neque secundùm exigentiam justitiæ punitivæ, si pœna sit terminabilis ex lege, sicut est pœna temporalis debita peccato mortali remisso, & veniali etiam perseveranti.

Vrgebis: Damnati non tantùm permanent in peccato veniali præterito & in facto esse; sed etiam de novo in eo sibi complacent; adeoque continuò actualiter peccant: igitur continuò debent pœnam luere. Probatur consequentia authoritate S. Fulgentii lib. de fide ad Petrum, obi loquens de damnatione dæmonum, ait: *Pars itaque Angelorum, quæ solò bonò beata fuit, voluntariâ prorsus aversione discessit, æquitatis supernæ judiciò initium suæ damnationis, in ipsa aversione voluntatis invenit: ut non aliud esset incipere jam puniri, quàm illius beatifici boni dilectione destitui; quam Deus in æterno sic totam præcepit remanere supplicio, ut etiam ignem ei æternum præpararet: in quo omnes illi prævaricatores Angeli, nec malâ possent unquam voluntate carere, nec pœnâ: sed permanente in eis injustæ aversionis malò, permanet etiam justa retributionis æterna damnatio.* Quibus verbis significat, idcireò malos Angelos continuò puniri, quia continuam babent perversam voluntatem.

Respondeo primò, non constare, utrum damnati babeant novam complacentiam in peccato veniali præterito; hoc enim videtur moraliter impossibile, maximè si sint multa peccata: quoniam intellectus & voluntas in illis urgentibus pœnis vix possunt ad illa attendere.

Dico secundò, quòd etsi remaneat illa complacentia, non tamen damnatus propterea meretur novam pœnam, ut docet Doctor *in* 2. *dist.* 7. *quæst.* 1. ubi ait: Sicut præmium substantiale in primo instanti, in quo aliquis Angelus est beatus, est determinatum: nec ex tunc crescit, quia actus boni, qui sequuntur, non sunt meritorii, licèt sint boni; ita etiam in Angelo damnato, in primo instanti suæ damnationis determinatur ad certam pœnam, quæ non crescit intensivè; nec tamen erunt mali actus ejus, quos elicit, impuniti; sicut nec boni Angeli boni actus erunt irremunerati; illi quidem boni actus includuntur in primo actu, quia procedunt ex perfectione actûs beatifici; sed quantùm ad accidentale præmium, quod possunt habere, quilibet actus est sibi præmium; ita etiam isti mali actus, quos elicit damnatus, includuntur in prima pœna, sibi certitudinaliter determinata, & quilibet, sicut posset habere pœnam accidentalem & propriam, habet seipsum pro pœna. Jussisti Domine, (inquit Augustinus lib. confessionum) & ita est, ut sibi sit pœna omnis peccator (Textus genuinus: jussisti & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus *lib.* 1. *Confess. cap.*) Potissima enim & maxima pœna est privatio maximi boni; qualis est formaliter in actu malo, malitia culpæ peccatorem avertente à Deo (loquitur de actu mortali:) Crescet ergo pœna eorum in infinitum extensivè, sicut & malitia, & neutrum intensivè.

Etsi objicias, quòd secundum malum est actus demeritorius: ergo correspondet sibi propria pœna.

Respondeo, etsi concedi possit esse culpa, non tamen propriè demeritoria; quia non elicitur à viatore, cujus solius est mereri, & demereri, qui magis propriè potest dici esse actus damnatorius, sive damnati: sicut ex alia parte actus Beati, licèt sit acceptabilis Deo, non tamen propriè est meritorius, sed magis actus beatificus, vel

actus Beati, vel ex beatitudine procedens. Huc A usque Doctor.

Esto itaque damnatus continuò peccet, non tantùm mortaliter, sed etiam venialiter per complacentiam in peccatis venialibus præteritis; dico per hanc complacentiam non mereri novam aliquam pœnam; sed, si ita velis, hæc complacentia seipsam habet pro pœna, & illa pœna est æterna, si peccatum est æteroum. Verùm de hac pœoa non intelligitur nostra assertio, sed tantùm de ea, quæ distinguitur à reatu culpæ, & propter illum infertur; quæ utique crescere noo potest in statu damnationis, cùm actus in eo statu eliciti, quamvis mali, tamen noo sint demeritorii.

Objicies tertiò: Io inferoo oulla est redemptio: B igitur neque ulla pœnæ solutio.

In inferno potest esse satisfactio punitiva non reconciliativa.

Distinguit antecedens Doctor, num. 6. Quantùm ad debitum pœnæ æternæ pro peccato mortali ooo remissô, oec commutatô in debitum pœnæ temporalis, concedit: sicut enim semper maoet illud debitum, sic etiam pœna solvenda nusquam finem accipiet: quantùm ad debitum pœnæ temporalis luendæ pro veniali, vel pro mortali dimisso, oegat: Cùm enim justitia Dei vindicativa pœnas peccatis proportionatas infligat, non debet ioafligere pœnam æternam pro veniali, cui temporalis tantùm debetur.

Vrgebis: Non potest remitti pœna temporalis, nisi absoluta fuerit satisfactio pro eo luenda: sed C in inferno nulla est satisfactio: ergo etiam nulla pœnæ peocato debitæ cessatio.

Distinguo minorem: Nulla est satifactio reconciliativa, concedo, vindicativa, nego. Fateor equidem, quòd si per satisfactionem intelligatur reconciliatio hominis Deum offendentis cum Deo offenso, quâ recipiatur in ejos amicitiam & gratiam; verum est nullam esse talem satisfactionem in inferno, sicot nec remissionem, & recoociliationem damnati cum Deo: est tamen satisfactio, quantùm ad justitiam vindicativam, quæ exigit æqualitatem pœnæ ad peccatum secundùm præscriptioneoi legis, & voluntatem Dei legislatoris, qui statuit, ut etiam io inferno sit pœnarum diversitas secundùm diversitatem D peccatorum, ut colligitur ex illo Apocalypsis 18. *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Nec-non & ex illo Deuter. 17. *Secundùm mensuram delicti erit & plagarum modus*.

Instabis: Satisfactio etiam puoitiva oon fit, nec absolvitur, nisi diviuâ interveuiente misericordiâ, & propter merita Christi D. sed Dei misericordia non intervenit in inferno, obi duntaxat sævit divina justitia, neque ibi prosunt Christi merita: igitur ibi oulla potest esse satisfactio etiam vindicativa.

Nego majorem: Hæc enim duntaxat requiruntur ad satisfactionem reconciliativam; oec enim misericordia intervenit ex parte creditoris, quan- E do debitor ei tantùm impendit, quantùm debet: neque Christus D. offert soa merita pro satisfactione vindicativa, sed duntaxat pro reconciliativa; est enim mediator, & propitiator, in quo Deus reconciliavit, sive quæ in cælis, sive, quæ in terris sunt, ut ait S. Paulus ad Rom. 5. & ad Hebræos 10. Omnis ergo satisfactio reconciliativa est per Christum, non autem rigorosa, quæ est purus effectus Justitiæ, & legis vindicantis peccata, cui per se satisfit exhibitione Passionis, quæ naturâ suâ terminatur non interventu, aut intuitu Mediatoris, aut operum ejus, sed ex statuto, & pacto Legislatoris sic ordinantis.

Quæstio Qoarta.

Vtrum & qualiter opera meritoria per peccatum mortificata virtute Pœnitentiæ reviviscant?

I. Hominis opera sunt aut viva, aut mortua, aut mortifera, aut mortificata.

Notandum primò, opera, quæ homo in ordine ad finem supernaturalem potest elicere, esse in quadruplici differentia; alia enim sunt *viva*, quæ ex principio vitali, gratiâ scilicet & charitate oriuntur: alia sunt *mortua*, quæ ex genere suo & proprio objecto sunt quidem bona; sed quia fiuot ab homine existente in statu peccati mortalis; idcirco omni vitæ spiritualis principiô carent: aliqua verò sunt *mortifera*, quæ videlicet privando animam gratiâ, ipsi mortem inferunt; gratia enim se habet ad animam in ordine ad vitam supernaturalem, sicut anima se habet ad corpus, quantùm ad vitam naturalem; nam, *inquit* S. Augustinus serm. 5. de verbis Domini: *Sicut anima est vita corporis, sic anima vita est Deus: & sicut expirat corpus, cùm animam emittit, ita expirat anima cùm Deum amittit*. Alia denique dicuntur opera *mortificata*, quæ ex se licèt bona sint, quatenus à gratia & charitate fuerunt elicita, per subsequens peccatum dicuntur mortificari; qoia videlicet impediuntur, ne habeant vim & efficaciam promovendi homines ad vitam æternam. Dicuntur autem mortificata, metaphorâ ductâ à membris corporis animalis, quæ mortificata appellaotur, dum præpediuotur ab exercitio suarum operationum.

II. Duplex est pœnitentiæ effectus, peccatorum remissio, & bonorum operum reviviscentia.

Notandum secundò, duos præcipuos esse Pœnitentiæ effectus, nimirum remissionem peccatorum, & meritorum reviviscentiam: Primus ei convenit directè & per se; alter verò per concomitantiam & per accidens; siquidem Pœnitentia per se ordinatur ad diluenda peccata, quibus expunctis & remotis, opera priùs mortificata reviviscuot, & iterum jus habent ad præmium æternæ beatitudinis eis ex Justitiæ titulô mercedis debitum; quemadmodum enim *cùm averterit se Iustus à Iustitia sua, & fecerit iniquitates secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius*, inquit Deus per Ezechielem cap. 18. *omnes Iustitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, quâ prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur*. Hoc est opera meritoria, quæ priùs exercuerat, nullius erant momenti apud Deum, in ordine ad præmium gratiæ & gloriæ: Sic, *cùm averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam, ipse animam suam vivificabit*; ait Dominus *ibidem v.* 27. Nec animam duntaxat, sed etiam opera priùs mortificata per salutarem Pœnitentiam vivificat, ut apparebit ex dicendis in prima conclusione.

Notandum tertiò, Jus ad gloriam competere homini duplici titulô, videlicet titulô hæreditatis, & titulo mercedis. Titulus *hæreditatis* fundatur in gratia sanctificante per quam efficimur consortes divinæ naturæ & adoptionem filiorum recipimus; *Si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, &c.* ait Apostolus: titulus verò mercedis fundatur in bonis operibus in gratia & ex gratia factis, supposita Dei promissione ac prævio pactô Dei, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 16. ubi ait, *Benè operantibus usque in finem & in Deo sperant bus*.

ſperantibus, proponenda eſt vita æterna & tanquam gratia filiis Dei per Ieſum Chriſtum miſericorditer promiſſa; & tanquam merces ipſius Dei promiſſionis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Advertendum inſuper hominem Juſtificatum ſuis bonis operibus, noo ſolum mereri augmentum gloriæ, ſed etiam gratiæ, ut expreſsè definit Concilium Tridentinum ſeſſ.6. cao.32. Quæritur ergo an reviviſcens per pœnitentiam, recipiat eandem gratiam deperditam & jus ad eoſdem gradus gloriæ.

Circa cujus quæſtionis reſolutionem quadruplex potiſſimùm occurrit Authorum ſententia.

IV. Quadruplex Authorũ ſententia circa reviviſcentiã bonorum operum.

Prima eſt Alenſis *p. 4. q. 57.* & S. Bonaturæ *in 4. d.14.a.2.q.1.* quos ſequuntur plures Recentiores, nempe quòd deperdita per peccatum gratia non reſtituitur per Pœnitentiam, niſi juxta gradum Contritionis pœnitentis; ita quòd ſi Contritionis actus ſit ferventiſſimus, gratia reſtituetur in ampliori gradu: ſi verò actus ille ſit remiſſus, minor concedetur gratia, ſicque non aliô modô opera mortificata volunt reviviſcere, quàm quia idem præmium eſſentiale, quod gratiæ per Cootritionem collatæ correſpondet, pluribus titulis conferatur, nempe intuitu Contritionis præſentis, & meritorum antecedentium; licèt ſit concedendum præmium accidentale, nempe majus gaudium propter opera meritoria ante peccatum elicita. *Secunda* ſententia eſt Ocbami *in 4. quæſt. 8.* nec-non & aliorum Nominalium docentium, quòd homo virtute Pœnitentiæ reviviſcit non ſolùm ad gratiam & gloriam correſpondentem Contritiooi præſenti; ſed inſuper ad tot gradus gratiæ; nec-non io jus ad tot gradus gloriæ, quot habuiſſet per merita præcedentia, ſi non fuiſſent mortificata. *Tertia* eſt S. Thomæ *3. p. q. 88. art. 3. & 5.* quam ſequuntur plures ex ejus diſcipulis aſſerentibus, quòd reſurgens à peccato recipiat novum aliquem gradum gratiæ, & conſequenter jus ad novum gradum gloriæ eſſentialis, ratione præcedentium meritorum: non tamen recipiat totam gratiam, quam habebat antequam peccaret. *Quarta* denique ſententia eſt Doctoris, *diſt. 22. num. 9.* docentis merita mortificata per Pœnitentiam reviviſcere quidem quoad jus ad eundem gradum gloriæ ipſis debitum ante peccatum: non autem ad majorem gratiam; ita quòd reviviſcentia illa ſit ad gloriam reſpondentem meritis propriis; non autem ad gloriam reſpondentem gratiæ.

Tria itaque hîc ſunt ſtatuenda: *Primum*, quòd reverà opera mortificata reviviſcant per Pœnitentiam: *Secundum*, quòd reviviſcaot quantùm ad gloriam eſſentialem debitam, non autem quantùm ad accidentalem: *Tertiam*, quòd non redeat eadem gratia deperdita.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Opera bona mortificata reviviſcere probatur ex S. Scriptura.

REvera opera meritoria, per peccatum mortificata, reviviſcunt per Pœnitentiam. Hæc eſt communis apud Theologos, qui hanc aſſertionem adeò certam exiſtimant, ot oppoſitum eſſe erroneum cenſeant. *Probatur primò* authoritate Scripturæ ſacræ, maximè ea illo Ezechielis 18. ubi teſtatur Deus: *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor; in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet.* Et infrà: *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Recordaretur autem Deus; iniquitatum, & peccatori eſſet in ruinam iniquitas, ſi propter illam privaretur in æternum effectu ac fructu meritorum præcedentium: igitur, &c. Idipſum probat Hugo Cardinalis ex illis verbis Hieremiæ cap. 2. *Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ.* Quid enim, *inquit*, eſt Deum miſerantem recordari adoleſceotiæ, & charitatis noſtræ, quàm priora opera in charitate facta, & peccatô mortificata oblivioni non tradere?

Eandem veritatem inſinuat Joel, cap. 2. ubi Deus ait: *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta & bruchus, & rubigo.* Quem textum expendens S. Ambroſius, ſcribit: *Pœnitentia eſt res optima, quæ omnes defectus revocat ad perfectum*; illudque Oraculum omnes alii SS. Patres ſic interpretantur, maximè S. Hieronymus, ut Deus ſignificare voluerit, ſe redditurum mercedem & præmium bonorum operum, quæ locuſta & bruchus & rubigo peccatorum conſumpſerat.

Probatur inſuper ex Apoſtolo ad Galatas 3. *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? Si tamen ſine cauſa.* Quæ verba ſic explicat ſanctus Hieronymus: Sine cauſa paſſus dicitur, qui poſt labores ob Chriſtum ſuſceptos labitur in peccatum: at non perdit illos, ſi redeat ad priſtinam fidem, & ad antiquum ſtudium. Et Anſelmus. Sine cauſa paſſi eſtis, ſi in hoc errore perſeveratis; non autem ſine cauſa, ſi reſipiſcatis. *Verùm* evidentiùs hanc veritatem confirmat Apoſtolus Hebr. 6. ubi ait: *Confidimus de vobis, dilectiſſimi, meliora & viciniora ſaluti; tametſi ita loquimur, non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius; qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis*, nempe egentibus Chriſtianis. Quibus verbis Apoſtolus ſolatur Hebræos, quos priùs terruerat, dicens: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad Pœnitentiam*: ipſos, inquam, conſolatur, dicens: Deum benignè circa eos acturum, ſi à peccato per Pœnitentiam reſurgant; quoniam priora eorum bona opera compenſabit præmio vitæ æternæ. Ut etiam explicat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 16.* ubi ait: *Hâc igitur ratione Juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino; non enim eſt injuſtus Deus, &c.* Quibus verbis ſignificat Concilium duo hominum genera eſſe monenda; unum quidem eorum, qui gratiam ſervaverunt, quibus proponenda ſunt Apoſtoli verba, 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono* intuitu præmii repromiſſi laborum: alterum eorum, qui gratiam amiſſam recuperârunt; ad quos ſpectat locus poſterior Apoſtoli ad Hebræos.

2. Ex Concilio Tridentino.

Probatur etiam Concluſio ex Tridentino ibidem; nam poſt laudata verba, ſubjungit: *Nihil ipſis Juſtificatis amplius eſſe credendum eſt, quominus plenè, illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ Legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuô tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam verè promeruiſſe cenſeantur.* Idem ſtatuit Can. 32. *Si quis dixerit... ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam*

æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. Quibus omnibus Concilium significat tres requiri conditiones, ut opera nostra sint meritoria, & vitam æternam consequamur: Nimirum ut sint opera hominis justificati, ut sint facta ex gratia & auxilio Dei, & ut, qui ea fecit, in gratia decedat: at merita mortificata duas habuerunt priores conditiones ante peccatum; Tertiam verò obtinent per Pœnitentiam, per quam recipiunt habitum gratiæ sanctificantis, cum qua homo potest è vivis excedere.

VII. 3. Ratione Doctoris.

Probatur denique ratione, quam subministrat Doctor, *dist.* 22. *num.* 6. ubi docet reviviscentiam opus esse divinæ misericordiæ, non tantùm quatenus Deus liberaliter tribuit auxilium efficax ad verè pœnitendum; sed etiam in quantùm Deus voluit semper eis præmium retribuere, nisi adsit indispositio recipientis propter novam culpam.

Quia opera mortificata semper habent jus ad gloriam in acceptatione Dei.

Ex quibus sic argumentari licet: causa carens aliquô suô effectu præcisè propter impedimentum, debet illum effectum consequi, statim ac illud impedimentum aufertur; sic lapis fune suspensus, ne cadat in terram, statim præcisô fune in eam labitur: sed merita per subsequens peccatum tanquam per impedimentum præpediuntur à consequendo effectu, nempe ab habendo jure ad vitam æternam: igitur ubi per Pœnitentiam illud impedimentum tollitur, reviviscere debent ad ipsum jus, quod priùs habebant ad gloriam.

Hæc confirmat Doctor *num.* 7. *Est inquit, ad propositum bonum exemplum Iuristarum, quod alicui remanet aliquod jus, cui tamen non remanet, vel non competit actio propter aliquod impedimentum. Ita habenti bona merita in acceptatione divina, mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum jus, quod correspondet illis meritis ad vitam æternam; sed non remanet actio, quandiu ille est inimicus; & si perpetuò sit inimicus, cessat illa actio: cessante autem illâ inimicitiâ contractâ per novum peccatum mortale; non redit novum jus, sed competit actio secundùm jus antiquum.* Quibus verbis Doctor egregiè explicat quomodo peccator quanquam inimicus Dei, nihilominus ratione operum meritoriorum priùs elicitorum habeat adhuc aliquod jus ad beatitudinem debitam illis bonis operibus titulô mercedis; licèt eam de jure non possit à Deo exigere quandiu in peccato permanet, quia eo in statu est illâ indignus, cùm sit inimicus Dei: ubi autem ei reconciliabitur per pœnitentiam, tunc ratione juris prioris, incipit habere actionem, seu jus expostulandi eam æternam mercedem.

Dices primò: Quod omnino perit ac moritur, non potest reviviscere: sed bona opera per subsequens peccatum, omnino pereunt, & destruuntur: igitur per Pœnitentiam reviviscere non possunt: Major constat à paritate rationis; idcirco enim peccata per Pœnitentiam dimissa non redeunt; quia omnino per eam extinguuntur ac destruuntur, saltem quoad reatum culpæ. Minor etiam constat: quâ ratione enim Deus Ezechiel 18. v. 17. dixit: *Cùm averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit Iudicium & justitiam, animam suam vivificabit.* Eâdem ratione ibidem v. 17. affirmat. *Cùm averterit se Iustus à Iustitia sua, & fecerit iniquitates secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes justitia ejus, quas fecerat, non recordabuntur; in prævaricatione, quâ prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur;* Igitur sicut peccata semel dimissa per pœnitentiam non redeunt; ita nec bona opera semel mortua per subsequens peccatum, postmodum reviviscere possunt.

Nego majorem, nec-non & majorem illius probationis, & rationem disparitatis profert Doctor *num.* 7. Primò quidem ex parte divinæ misericordiæ: Quia, *inquit*, bona semper vivunt in acceptatione superabundantis bonitatis & misericordiæ divinæ, & semper esset eis præmium retribuendum, nisi esset indispositio recipientis propter novam culpam; secus est autem de malis, & peccatis, quæ totaliter eximuntur; ita quòd nec in intellectu, vel voluntate divina remaneant in ordine ad vindictam, quando semel per Pœnitentiam expuncta sunt.

VIII. Peccata totaliter extinguuntur per Pœnitentiam, non verò opera meritoria per peccatum colligitur ex parte divinæ misericordiæ & Iustitiæ.

Secundò eandem disparitatem repetit ex parte Iustitia divina: Peccatum enim, *inquit*, non remittitur, nisi ad minùs debitum pœnæ æternæ commutetur in debitum pœnæ temporalis; quâ commutatione factâ, nunquam regulariter remittitur illa culpa, nisi illa pœna solvatur in se, vel in pœna æquivalenti: & per consequens remissô peccatô mortali in se primo, & in pœna sua soluta, pòst nihil juris remanet, per quod ab isto sit exigenda pœna aliqua pro illo peccato. Non est ita verò de operibus meritoriis; nam post meritum aliquod vitâ æternâ dignum, nunquam dignitas ista ad bonum æternum commutatur secundùm Justitiam in bonum temporale: igitur nunquam expirat illud jus, quousque bonum æternum sit solutum: sed illud non solvitur in viatore, dum est viator: ergo semper manet illud jus; tamen extinctum per peccatum mortale; quia tunc non competit sibi executio juris sui. Non est igitur simile de remuneratione meritorum mortificatorum, & de reditione peccatorum remissorum, non solùm propter Dei misericordiam; quod utique verum est: sed etiam propter istam justitiam commutantem ibi æternum in temporale; non sic autem hîc, nempe quantùm ad bona opera mortificata.

Instabis: Ita se habent mala opera in ordine ad punitionem & vindictam, quomodo bona ad remunerationem & mercedem: sed ex concessis mala non reviviscunt in ordine ad punitionem: ergo nec bona in ordine ad mercedem.

Negat majorem Doctor: & rationem disparitatis hanc profert, quòd mala possunt puniri temporaliter, & sufficienter, si pœna æterna sit commutata in temporalem: sed bona meritanon possunt præmiari sufficienter per talem temporalem commutationem, nec per consequens, nisi ipsum præmium æternum in se sit collatum, quod nonquam fit viatori; & ideo semper manet jus sibi salvum ad gloriam, quam acquisivit per illa merita.

IX. Aliæ ejusmodi rationes disparitatis proferuntur.

Possunt etiam aliæ rationes disparitatis assignari: *Prima* quidem, quia Deus pronior est ad benefaciendum & miserendum, quàm ad puniendum, & insuper ipse est Author meritorum, non verò peccatorum: unde non mirum, si merita per peccatum mortificata maneant in acceptatione divina, & sublatô peccatô, quod impedit eorum effectum, reviviscant: peccata verò remissa non maneant in intentione divina, ut per sequens peccatum mortale redeant in se formaliter quoad culpam, vel pœnam æternam. *Secunda*, quia remissio peccatorum est principaliter opus Dei; mortificatio autem meritorum præcedentium est hominis; homo autem suâ actione

potest evacuare simpliciter opus Dei; quamvis impedire possit, ne opus illud sibi prosit; & ideo per peccatum frequens non potest præcedentium peccatorum remissionem expongere: potest autem suâ actione evacnare quod per ipsum factum est: & ideo potest mortificationem præcedentium meritorum per merita seqoentia cum gratiæ auxilio penitus evacuare. *Tertia* denique, quia Scriptura aliter loquitur de meritis, & de peccatis; nusquam enim ait merita hominis justi post lapsum aboleri, projici in profundum maris, & similia, quæ dicit de peccatis per Pœnitentiam remissis.

Dices secundò: Eô modô se habet peccatum ad opera meritoria, quomodo mors & animæ separatio ad hominis corpus; nam, ut diximus in præcedenti quæstione, sicut vita corporis consistit in unione animæ cum ipso, ita vita animæ & virtutum consistit in unione ipsius animæ cum Deo per gratiam: sed corpus mortuum non potest reviviscere citra miraculum: igitur nec absque miraculo possunt opera mortificata reviviscere.

X. Mors corporis & animæ non conveniunt in omnibus.

Distinguo majorem: Secundùm aliquam comparationem, concedo: nam, ut mors impedit motum, & effectus, ac operationes corporis; ita peccata bonorum operum fructum & effectum præpediunt: secundùm perfectam similitudinem, nego: nam opera in charitate facta non mortificantur ex se, sed ob impedimentum superveniens ex parte operantis; corpus autem moritur secundùm se, prout principiô vitæ privatur.

Conclusio Secunda.

XI. Opera mortificata reviviscunt quantùm ad gloriam essentialem.

Opera mortificata virtute Pœnitentiæ reviviscunt semper, quantùm ad gloriam essentialem; non autem quantùm ad accidentalem tantùm. Hæc est Doctoris locô suprà laudatô, *num. 9.* ubi ait: *Vniversaliter cuicumque merito debetur non tantùm aliquod præmium accidentale sed etiam essentiale.*

Probatur Conclusio ex Concilio Tridentino suprà laudato, ubi *ait:* Proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: porrò merces bonis operibus non est tantùm accidentalis, sed essentialis, quæ debeat iis proponi, qui recuperaverint amissam Dei gratiam: hi autem sunt, in quibus opera peccatô mortificata reviviscunt per Pœnitentiam: igitur, &c.

Probatur ratione: Quia opera mortificata ideo per Pœnitentiam reviviscere dicuntur, quòd sublatô peccatorum obice recuperent efficaciam eum ad vitam æternam perducendi, qui hæc opera fecit: ea quippe vivificari nihil aliud est, quàm ad gloriam acceptari per gratiam: at æterna vita non innuit solùm accidentale gaudium, sed essentiale præmium; accidentale gaudium enim est potius appendix æternæ vitæ, quàm æterna vita. *Deinde*, bona opera restituuntur in vitam, quam priùs habuerant: sed vita est substantia rei, non autem aliquod accidens: ergo si merita reviviscant in ordine ad vitam æternam, indubiè reviviscunt ad præmium substantiale. *Denique*, reviviscere duntaxat, ad gloriam accidentalem, seu ad accidentale præmium, est tantùm conferre jus ad speciale gaudium propter opera mortificata: sed istud non est speciale ipsis operibus mortificatis; sed etiam mortuis ante Pœnitentiam elicitis; siquidem Beati gaudium accidentale habebunt de operibus bonis mortuis, id est, in statu peccati mortalis elicitis; cùm horum intuitu fortè Deus dederit illis Spiritum compunctionis & Pœnitentiæ. Enimverò plerumque Deus invitatur ex illis operibus, saltem de congruo ad largiendum gratiam, quâ ipsi peccatores ad Pœnitentiam pelliciantur: ac subinde ratione illorum operum habebunt Beati, cur gaudium accidentale percipiant.

XII.

Porrò hæc nedum vera sunt de meritis eximiis, sed etiam de remissis, ut probat Doctor, *num. 11.* ubi cùm dixisset; gloriam correspondere non solùm gratiæ sub titulo hæreditatis, sed etiam meritis sub titulo mercedis, *subdit:* Hæc via, tenens gradum essentialem gloriæ correspondere merito, consonat Scripturæ, quæ in multis locis istam sententiam divinæ Justitiæ asserit, quòd reddet unicuique secundùm opera sua, *in Psal. 61. & Rom. 2.* nusquam autem habetur, quòd reddet unicuique secundùm habitum suum. Et consonat observantiæ legis divinæ, quia secundùm ipsam utile est continuè, quantùm possibile est, opera meritoria exercere, quamvis remissa, adeo ut per illa non statim augeatur gratia: quia correspondet singulis in acceptatione Dei determinatus gradus gloriæ: nec adeo expedit salvare gratiam, quantùm opus remissum agere, per quod non augetur gratia; quia etsi iste remissè agens non habeat majorem gratiam per opus suum, quàm ille dormiens, in quo salvatur gratia sine tali opere; non tamen frustrà iste agit, nec in nullo excedit illum, qui dormitat: imò per illud, quod agit, jam dignus est aliquô æternô bonô, quô non est dignus ille.

Quæ non correspondet tantùm gratiæ habituali: sed & meritis, etiam remissis.

Hæc Doctor, quibus docet gloriam correspondere non solùm gratiæ habituali, sed etiam meritis, idque non tantùm eximiis bonis operibus, sed etiam remissis: quamvis proximè non sit quis dignus gloriâ, nisi ratione gratiæ sanctificantis.

Unde infert primò, quòd aliquis dignus majori gloriâ, loquendo de eo in gloria, quod correspondet meritis, & de digno non propinquè, sed remotè, putà secundùm jus, sed suspensum, damnatur: & alius dignus multò minori gloriâ, istô modô salvatur; sed hoc ideo est; quia ille alius dignus est propinquè, quia habens jus non suspensum; dignus est etiam ad illud aliud in gloria correspondens gratiæ, ad quod non est ille damnatus dignus, & nulli datur correspondens meritis sine correspondente gratiæ.

XIII. Nemo tamen habet jus proximũ ad gloriã sine gratia habituali.

Si etiam illud correspondens merito est ejusdem rationis cum correspondente gratiæ, & per quodcunque meritum augetur istud in divina acceptatione: igitur meritis finitis correspondebit tantùm gloriæ, quantùm est illud correspondens gratiæ. Aliquis ergo in gradu determinato habens illam, salvaretur; & habens omnia ista, sed mortificata, damnaretur. Damnatur igitur dignus; sed remotâ dignitate & suspensâ, & sic dignus multò majori gloriâ, damnabitur: & dignus dignitate propinquâ multò minori salvabitur. Nec mirum, quia inimico dum est inimicus, quæcunque bona præterita non sufficiunt ad præmium consequendum.

XIV. Merita mortificata efficiunt interdum ut quis ci.

Infert secundò, quòd illa, quibus respondet magnos gradus gloriæ, dum sunt mortificata, non possunt mereri minimam gratiam; alioquin qui cecidisset à multis meritis, jam meruisset, ut resurgeret ab illo lapsu per primam gratiam sibi propter ista merita conferendam. Nec tamen

tiùs resurgat.

» credo, quòd merita mortificata omnino nihil fa-
» ciant in acceptatione divina ad primam gratiam
» dandam huic lapso; quia etsi secundùm strictam
» justitiã, iste inimicus Dei non sit dignus de propin-
» quo ad aliquam gratiam & gloriam: tamen excel-
» lens misericordia Dei propter præcedentia meri-
» ta, licèt mortificata, citiùs dat gratiam ad resur-
» gendum. Unde sicut credo quòd perfectior gra-
» viùs cadit propter majorem ingratitudinem: ita
» credo quòd cæteris paribus citiùs resurgit propter
» benignitatem, merita prædicta ad hoc aliqualiter
» acceptantem. Unde aliquando audivi de viro
» priùs valde perfecto, & postea profundissimè
» lapso, cùm propter facinora sua esset morti ad-
» judicatus, misericordissimè visitato perfectissima
» Pœnitentia sibi subitò inspirata est. Istud debet
» bene allicere quemlibet ad semper meritoriè agen-
» dum pro viribus; quia sive mansurus, sive lapsu-
» rus sit, non erunt, in oblivione totaliter coram
» Deo. *Hæc Doctor*,

Quibus significat *primò*, quòd operibus remissis debeatur gradus gloriæ; sicut & ferventioribus: *Secundò*, quòd illud debitum sit duntaxat remotum, si attendantur opera illa seorsim à gratia sanctificante, siquidem gloria proximè non debetur nisi ei, qui cum gratia sanctificante è vivis excedit: Unde contingere potest, quòd quis habens pura merita mortificata in acceptatione divina reservata, damnari possit; si nempe in statu peccati mortalis è vivis excedat; ac proinde quòd damnatus propter illa opera mortificata habeat jus remotum ad gloriam: è contrà verò aliquis adultus cum minori jure ad gloriam poterit salvari, si nempe habens duntaxat merita remissa moriatur in statu gratiæ sanctificantis. *Tertiò*, quòd opera mortificata quantumvis plura & eximia, non possint prodesse ad promerendam primam gratiam de condigno, sed tantùm de congruo; cùm enim illa opera mortificata semper vigeant, & maneant in acceptatione divina; Deus eorum intuitu allici & moveri potest ad conferendam illam primam gratiam, ut videlicet ea merita reviviscere possint per conversionem peccatoris; & sic præmiô æternô sibi debitô donati.

Conclusio Tertia.

XV. Probabile est non reparari gratiam deperditam.

PRobabile est per Pœnitentiam non reviviscere, nec reparari gratiam deperditam. Hæc videtur esse Doctoris in 4. dist. 22. num. 9. & 10. ait enim: *Dico quòd præscindendo illud in gloria, quod respondet meritis, & illud dicatur B. ab illo quod respondet gratia & illud dicatur A: fortè A. excedit B. & quando iste resurgit, quia omnia prioru merita vivant in Dei acceptatione, redit sibi jus, & dignitas ad totum B: sed A non redit sibi jus & dignitas: ideo reviviscunt merita; sed non reviviscit, prior gratia, quia priùs habita, & istud est satis consonum justitiæ; quia gratia prior fuit tantum donum Dei: merita autem erant aliquô modô opera hominis. Et ideo illa sunt semper salva in acceptatione Dei; gratia verò non; ut propter eam ordinatur ad aliquod præmium; sed tantummodò per eam si nunc habet eam.*

Ut docere videtur Doctor.

Quibus verbis Doctor significat primò gloriam homini deberi duplici titulô, nempe ut hæreditas ratione gratiæ sanctificantis; velut merces ratione bonorum operum; ita quòd ut merita habeant jus proximum ad gloriam, sufficiat status gratiæ sanctificantis actualis; nec ad id opus est, ut etiam præsens adsit gratia sanctificans, cum qua illa opera meritoria fuerint elicita.

XVI. Gloria repromittitur non tantùm gratiæ habituali, sed maximè bonis operibus.

Unde fieri potest, ut homo cum amplioribus meritis, & minori gratia sanctificante obtineat majorem Dei fruitionem, quàm ille, qui æqualem gratiam haberet, & minora merita; quia videlicet meritum fundat titulum proprium respectu gloriæ distinctum à titulo gratiæ habitualis, ut colligitur ex Scriptura, quæ pluries testatur gloriam esse repromissam bonis operibus. Sic ad Rom. 2. *Qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Ad Rom. 4. vers. 4. *Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Hebræorum 6. vers. 10. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Eccles. 16. v. 15. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Et aliàs sæpissimè hujusmodi phrasi utitur Scriptura.

Tota Scriptura divina, inquit Scotus in Report. (ultimæ editionis) dist. 22. quæst. unicâ, num. 8. *clamat, quantitatem præmii correspondere operibus meritoriis, & non habitibus: nam secundùm Philosophum* 1. Ethic. 5. *per habitum non distinguitur miser à felice, dormiens à vigilante: in Symbolo autem dicitur, quòd qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam.*

Enimverò promissio regni facta est homini, non propter habitus, sed propter opera: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ait veritas Christus Matth. 19. vers. 17. & Matth. 5. vers. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, &c.* Ergo opus ratione sui acceptatur à Deo ad vitam æternam, & non solùm ratione gratiæ quamvis non acceptetur, nisi gratia adsit.

XVII. Ut optimè docet Doctor.

Posito, ait Doctor suprà in Report, *quòd opus meritorium posset esse sine gratia acceptum, ut quòd actus ex genere actus esset acceptus Deo, adhuc correspondet sibi præmium, & gloria essentialis; quia quodlibet tale opus esset meritorium, & remunerabile vitâ æternâ; & per consequens cuilibet gradui operis meritorii, correspondet gradus in præmio, & majori gradui meriti major & intensior gloria, & retributio: modò tamen adhoc quòd opera nostra sint accepta Deo, & digna præmiô vitæ æternæ, requiritur charitas & gratia; quia sine ipsa impossibile est placere Deo, non tamen intentioni, sed operi meritorio, quod elicitur secundùm inclinationem ejus, correspondet præmium. Unde habens solùm charitatem sine meritis, & bonis operibus, habebit tantùm de gloria & præmio essentiali, sicut habens minorem charitatem cum multis meritis, & operibus bonis; non tamen habebit tantam gloriam, habens solùm charitatem magnam sine operibus meritoriis, sicut cum eis, quia eis correspondet principaliter præmium.* Hæc Doctor.

Cujus sententia confirmatur.

Cujus sententia *confirmari* potest ex eo quòd opera meritoria habeant speciale jus ad gloriam æternam distinctum à gratia habituali; si enim illa opera haberent illud jus duntaxat ex gratia, & tantùm ratione illius; & acceptarentur à Deo in ordine ad præmium vitæ æternæ, id fieret *vel* mediante primâ gratiâ, & hoc non; quia ipsa est ex dono Dei, nec tribuit jus ad gloriam, tanquam præmium, ut patet in infantibus decedentibus cum sola gratia Baptismali; *vel* acceptarentur mediante secundâ gratiâ, seu augmentô gratiæ, quod dici nequit, cùm illud augmentum sit præmium secundarium ipsorum operum; adeo ut per ipsa opera, gratia accepta conservetur, & consummetur.

Itaque non est impossibile, aliquem habere plu-

ra merita in acceptatione divinâ, & consequenter jus ad majorem gloriam, quamvis de facto non habeat; nec fortè post mortem habiturus sit intensiorem gratiam; nam potest manere jus fundatum in bonis operibus respectu gloriæ, quæ nondum concessa fuit; quamvis non remaneat idem jus ad gratiam, quæ data fuit, & per peccatum deperdita. Et quamvis jus ad gloriam impediatur in executione per absentiam gratiæ, redit tamen per quamcunque minimam gratiam; siquidem Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 33. hanc solam conditionem requirit, *Si in gratia decesserit*. Ex quibus omnibus inferre licet, quòd possit recuperari totum jus, sive tota actio ad jus antiquum gloriæ debitæ; sive titulô mercedis, bonis operibus, sive titulô hæreditatis gratiæ sanctificanti retribuendæ, absque restitutione gratiæ semel deperditæ.

XVIII. **Gratia deperdita non est necessaria tanquã dispositio ut merita reviviscant.**

Confirmatur iterum: Si necessariò in reviviscentia bonorum operum restitui deberet deperdita gratia; maximè quia hæc requireretur ad gloriam, *vel* per modum dispositionis præviæ: *vel* ut quis dicatur acceptatus à Deo in ordine ad istud præmium consequendum: *vel* quatenus charitas, seu gratia est medium ad assequendum præmium: sed nihil eorum evincit merita non posse reviviscere, quoad solùm præmium essentiale, quamvis non restituatur gratia deperdita, *Non quidem per modum dispositionis*; quia gratia quæ debetur merito reviviscenti, non est dispositio antecedens meritum, sed potius effectus ipsum consequens. Nec obstat, quòd priùs concedatur augmentum illius gratiæ, quàm donetur gloria: quia augmentum illud idcirco priùs conceditur, quoniam tribui debet homini viatori; gloria autem tantùm conceditur post mortem. Neque etiam restitui debet gratia illa, ut opera mortificata priùs fiant accepta Deo; siquidem ad id nihil aliud requiritur, quàm quòd illa opera facta sint in gratia, & habeant annexam gratiam, per quam homo fit acceptus Deo. Hoc autem fieri potest absque restitutione deperditæ gratiæ; siquidem gratia sanctificans, quam homo pœnitens consequitur, sufficit, tum ut opera mortificata reviviscant, tum ut acceptentur à Deo in ordine ad vitam æternam.

XIX. **Nihilominus opposita sententia est etiam probabilis.**

Dixi in conclusione hoc quidem esse probabile, non verò quòd sit certum, quamquam Doctor videatur magis in illam assertionem propendere; non enim opposita sententia probabilitate caret, nempe quòd per Pœnitentiam non solùm reviviscant opera meritoria in ordine ad gloriam; sed etiam quòd restituatur gratia habitualis priùs deperdita. Cui utique sententiæ adstipulantur omnia Scripturæ oracula, quibus supra probavimus opera meritoria reviviscere, maximè verò illud Ezechielis 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua:* noceret autem maximè, si per Pœnitentiam cum restituto jure ad gloriam debitam bonis operibus, pariter non restitueretur omnis gratia sanctificans deperdita. Cui titulo hæreditatis ipsa gloria erat repromissa.

Videtur quoque conformior Scripturæ sacræ.

Idem colligitur ex verbis Joëlis 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca.* Quæ verba expendens sanctus Hieronymus, ait: *Et annos, quos perturbationibus* (id est, peccatis,) *antè regnantibus perdideratis in vobis; quando opera vestra locusta, bruchus, erucaque consumpserat, Deus vobis perire non passus est.* Et post pauca: *Si autem post Pœnitentiam, tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus, negans Pœnitentiam: & reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera Pœnitentia? In tantum enim Deus recipit Pœnitentes, ut vocet eos populum suum, & nequaquam afferat confundendos, &c.* Non reformarentur autem in pristinum statum, si vel minima gratia antea habita non restitueretur.

Ad idem servire potest Parabola *Luc.* 15. de filio prodigo, cui resipiscenti Pater familias jubet reddi stolam primam. *Dixit autem Pater ad servos suos: Citò proferte stolam, &c.* v. 22. Ubi per *stolam* Patres intelligunt gratiam; per *primam*, illam gratiam, quam habuit ante peccatum; nam S. Chrysost. homil. 4. in Lucam sic inquit: *Deinde mox jubet ei stolam illam primam proferri, vel pristinam gloriam, quam ex seductione diaboli nudatus amiserat: reddi simul & annulum, sive signaculum salutaris symboli, seu magis dispensationis insigne, & nuptiarum pignus illarum, quibus Christus Ecclesiam sponsat, cum omnis anima resipiscens per annulum fidei jungatur Christo.*

Objicies primò rationem, quam profert Doctor, *num.* 9. Inconveniens est, quòd omnis resorgens à peccato mortali, resorgat in ampliori, & majori gratia, quàm fuit illa, quam peccando deperdidit: sed ita esset si restitueretur gratia deperdita cum gratia de novo per justificationem, & resurrectionem à peccatis concessa: igitur, &c. Probat majorem Doctor duplici ratione:

XX. **Objicitur authoritas & ratio Doctoris.**

Prima, quia si restitueretur gratia deperdita, & homo in justificatione eam reciperet cum nova gratia; sequeretur quòd quoties rursum peccaret, semper peccaret graviùs; quia videlicet caderet a statu nobiliori, & ampliores gratias deperderet: *Secunda*; quia (inquit) prima gratia potest esse major & minor, & per consequens minima: sed per Pœnitentiam acquiritur prima gratia: igitur fieri potest, quòd per Pœnitentiam restituatur gratia minima; ac subinde homo resurgens cum gratia per Pœnitentiam accepta, non recuperat necessariò omnes gratias deperditas.

Sed explicatur & solvitur.

Respondeo negari posse majorem: Siquidem id non assertivè, sed duntaxat dubitativè protulit Doctor: ait enim; *Videtur inconveniens, &c.* Unde negari potest *prima ratio* probativa ejus majoris; inde namque non sequeretur rursus peccantem graviùs peccare: quia peccati gravitas non desumitur præcisè è dignitate, & majori sanctitate peccantis; sed ex ipsamet actione peccaminosa, quatenus nobiliori virtuti, seu rectitudini & conformitati, ac tendentiæ in finem, aut objectum præstantius, ut ipsemet docet Doctor, *in* 2. *dist.* 37. *quæst.* 1. *num.* 9. ubi ait: *Illud peccatum est gravius ex genere, quod opponitur rectitudini meliori: illa autem est melior, quæ est fini immediatior cæteris paribus...... loquendo autem in eodem genere peccati mortalis, illud est gravius, in quo voluntas majori libidine peccat, &c.* Adde quòd negari possit esse inconveniens, quòd quoties homo labitur in peccatum, toties graviùs peccet, propter videlicet circumstantiam majoris ingratitudinis, ut dicemus quæstione sequenti.

Ad secundam rationem dico, concedi posse, quòd gratia, quæ per Pœnitentiam restituitur, posset esse minima, quatenus per Pœnitentiam obtinetur; secus verò si sermo sit de gratia, quæ partim de novo acquiritur, partim restituitur. Quæ cùm ita sint, poterit subtilis Doctoris Discipulus, absque injuria tanti Magistri alterutram partem tueri; nimirum vel affirmantem, nempe

quòd omnis gratia habitualis deperdita per Pœnitentiam restituatur, ut docent etiam plurimi Scotistæ recentiores, maximè Bosco *disp. 6. sect. 7. num. 71.* vel negantem, in quam magis propendere videtur Doctor, quem sequuntur Durandus *in 3. dist. 31. quæst. 2.* Almainus *dist. 22. quæst. 1.* & omnes antiquiores Scotistæ, quibus præ cæteris subscribit Hiquæus in Commentario ad *dist. 22. num. 67.* A

XXI. Qualiter illæ sententiæ possint invicem conciliari.

Possent tamen, ut conjicio, duæ illæ oppositæ sententiæ invicem conciliari, nempe dicendo, quòd restituatur gratia deperdita; non quidem in esse physico, seu ut est qualitas & habitus constituens nos participes divinæ naturæ & filios Dei adoptivos; sed in esse morali, sive in esse gratiæ, quatenus videlicet per eam Justus acceptatur ad gloriam mediantibus bonis operibus, vel præsentibus, vel præteritis; sed remanentibus in divina acceptatione: Ita quòd in reviviscentia gratia dicatur augeri, non ut est qualitas supernaturalis, quæ per additionem gratiæ deperditæ fiat major & intensior; quemadmodum omnis qualitas per additionem alterius ejusdem speciei fit intensior: sed duntaxat quatenus habet rationem formalem gratiæ; seu prout efficit hominem gratum Deo, qui ejus merita acceptat in ordine ad gloriam æternam sub titulo præmii & mercedis conferendam. B

Quod utique innuit Doctor eàdem *dist. 22. num. 9.* ubi ait: *Per quodcunque meritum non augetur statim gratia, nec habens plura merita est semper in majori gratia*: Si igitur sufficiat sola gratia ad aliquam gloriam, tamen meritis correspondet aliquis gradus gloriæ saltem; licèt majori gratiæ sine meritis correspondeat major gloria, quàm minori gratiæ; tamen in quocunque gradu eodem ponatur gratia merito adjuncto, licèt per illud non statim intendatur gratia: tamen correspondet sibi gradus gloriæ ultra illum gradum, qui correspondet præcisè illi gratiæ: ita Doctor. C

XXII. Gratia augeri potest in ratione gratiæ quamvis non augeatur ut est qualitas.

Quibus significat posse gratiam augeri in ratione gratiæ, seu quatenus hominem reddit acceptum Deo, ratione adjunctorum bonorum operum, quamvis non intendatur in ratione qualitatis supernaturalis per adjunctionem aliorum graduum similis gratiæ. Idem docet Doctor Angelicus 1. 2. *quæst. 114. art. 8. ad 3.* ubi ait: Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna: sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore; ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore; cùm scilicet aliquis fuerit sufficienter dispositus ad gratiæ augmentum: ex quibus constat, quòd habens plura merita, semper habet majorem gratiam in genere gratiæ, hoc est acceptationis, non tamen in genere qualitatis. D

Dices: Albedo non potest intendi in ratione albedinis, quin intendatur in ratione qualitatis: igitur nec gratia augeri potest in ratione gratiæ, quin pariter augeatur sub ratione qualitatis; ac proinde si restituatur deperdita gratia, & fiat major in reviviscentia sub ratione gratiæ: igitur restituetur, & fiet major sub ratione qualitatis. E

XXIII. Duo sunt gratiæ sanctificantis munia.

Nego paritatem, & ratio disparitatis est, quòd illa qualitas, quâ homo fit justus & gratus Deo, id non habeat ex natura sua, sed duntaxat ex divina ordinatione; unde fit, ut qui habet unum gradum gratiæ habitualis, possit acceptari à Deo, vel ex mera sua divina liberalitate, vel intuitu operum meritoriorum ad decem gradus gloriæ; secus autem est de albedine, quæ ex natura sua habet, quòd constituat subjectum album.

Subsumes: Igitur frustra conceditur augmentum gratiæ in genere qualitatis; quippe cùm Deus ratione unius gradûs gratiæ possit acceptare hominem ad centum gradus gloriæ.

Nego subsumptum: Gratia enim non solùm inservit, ut efficiat hominem Deo gratum, & reddat illius opera grata, & accepta in ordine ad gloriam: quod utique pendet ex divina ordinatione, & institutione; sed etiam animam afficit, ut eam efficiat potentiorem, & vegetiorem ad operandum; maximè in ordine ad eliciendos actus supernaturales, qui sine ejusmodi gratiæ auxilio & subsidio nullatenus possent elici: Et insuper gratia est internus animæ splendor; qui eam venustat, & illustrat. Unde licèt tantùm valere possit unus gradus gratiæ sicut decem respectivè ad acceptationem divinam, & in ordine ad gloriam; non tamen quantùm ad virtutem operandi, & animæ decorem: quò enim plures gradus gratiæ anima suscipit, eò fit potentior ad eliciendos actus supernaturales, ac etiam nobiliùs illustratur, & venustatur.

Quæstio Quinta.

Utrum peccata semel per Pœnitentiam remissa reviviscant per subsequens peccatum, & denuò imputentur, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam.

I. Peccatum dimissum dici potest redire, vel secundùm entitatem physicam, vel secundùm moralem deformitatem.

NOtandum primò, cogitari posse, quòd peccata semel dimissa duobus modis redeant, nimirum *Primò*, quantùm ad entitatem physicam, si videlicet idem numerò actus peccaminosus jam omnino destructus reproduceretur: *Secundò* quoad deformitatem & imputationem moralem, si nempe propter peccatum subsequens Deus revocet præcedentem veniam, & condonationem; ita quòd peccata jam dimissa rursus in conspectum & judicium revocet; quatenus eorum ratione peccatorem odiò habeat, & pœnam ipsis omnibus peccatis etiam dimissis debitam decernat. *Rursus* dupliciter cogitari potest, quòd peccatum jam dimissum redeat quoad deformitatem moralem, nimirum *simpliciter*; ità quòd peccatum subsequens remissionem, in se virtualiter contineat omnem deformitatem & reatum, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam præcedentium delictorum: *Et secundum quid*, eò quod peccatum subsequens fiat gravius intuitu præcedentis remissionis & ratione aggravantis circumstantiæ ingratitudinis.

Idque vel simpliciter, vel secundùm quid.

Certum est autem quòd homo non possit revocare actus peccaminosos præteritos, nec consequenter renovare peccata præterita quoad eandem numerò entitatem physicam, ac subinde neque etiam quoad eandem deformitatem moralem quæ consequitur ad ejusmodi actum: imò neque hoc postremum videtur fieri posse etiam de potentia Dei absoluta; quanquàm enim posset Deus eandem numerò entitatem actûs peccaminosi reproducere, sicut & colorem ac quodlibet accidens; tamen cùm non possit esse peccati authot quà peccatum est, evidens fit quòd per eum non possit restitui extincta per Pœnitentiam eadem numerò deformitas & malitia moralis. Restat ergo determinandum, an redire possit vir-

tualiter seu quoad imputationem, nec-non & quoad obligationem ad pœnam luendam.

Notandum secundo, in peccato mortali duo distingui, nempe aversionem à Deo, & conversionem ad creaturas. Aversio à Deo secundùm se mortalibus omnibus communis est; quia per quodvis mortale peccatum, homo separatur, &

II. Duo sunt distinguenda in peccato, aversio à Deo & conversio ad creaturam.

avertitur à Deo. Unde macula, quæ exurgit ex privatione gratiæ, quæque pœnam æternam inducit, omnibus peccatis mortalibus convenit: secus est autem de conversione ad creaturas, ratione enim illius peccata mortalia diversa sunt; siquidem alius est motus voluntatis, quò homo fertur in creaturam affectu libidinis; & alius, quò in eam tendit affectu avaritiæ, invidiæ, &c. Unde quantùm spectat ad conversionem ad creaturam, sequens peccatum mortale, non restituit præcedentia per Pœnitentiam expuncta; alioquin per peccatum avaritiæ restitueretur homo in habitum, & dispositionem prodigalitatis; sicque unum contrarium esset causa contrarii, quod naturaliter implicat: at quantùm ad id, quod est ex parte aversionis, videtur redire per subsequens peccatum; quia per illud homo privatur gratiâ Dei; sitque reus æternæ pœnæ, sicut erat ante acceptam remissionem, quô sensu dixit S. Jacobus cap. 3. *Qui peccat in uno, factus est omnium reus.*

Quoniam verò aversio à Deo in peccato mortali videtur causari ex conversione ad creaturam, non quòd malitiam, & deformitatem ex ea conversione mutuetur; siquidem potest esse conversio ad creaturam absque ulla deformitate, seu defectu, quando non est contra divinam legem, & voluntatem: sed quia prædicta conversio est materia, vel occasio aversionis à Deo, ideo illa, quæ sunt ex parte hujus aversionis, fiunt aliquò modò diversa per comparationem ad diversas comparationes, ut diversas causas; ita quòd alia sit aversio & macula, aliusve reatus, secundùm diversam illam conversionem, & diversitatem actûs peccaminosi. Hinc quæritur, utrum macula, & reatus æternæ pœnæ, prout oriebantur ex actibus peccatorum priùs dimissorum redeant per peccatum mortale subsequens novam & remissionem: ita quòd is, qui jam furti admissi per Pœnitentiam fuerat remissionem consecutus, si posteà recidat in peccatum mortale ebrietatis, non solùm sit damnandus propter præsentem ebrietatem; sed etiam propter furtum jam dimissum.

III. Multiplex est Authorum sententia circa hanc quæstionem.

Notandum tertiò, quantùm ad præsentis controversiæ definitionem, variam ac multiplicem esse Theologorum sententiam: fuerunt enim aliqui ex antiquioribus Theologis, qui putarunt, peccata dimissa redire virtualiter quantùm ad deformitatem moralem, & reatum culpæ & pœnæ, quibus subscribere videtur Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis, p. 14. cap. 9. *Nonnulli*, ut refert Seraphicus Doctor *in 4. dist. 22. art. 1. quæst.* 1. docuerunt, maximè Præpositivus quidam, peccata priùs dimissa redire, non per quodlibet peccatum generatim, sed tantùm per quatuor peccatorum genera, scilicet per odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & revocationem Pœnitentiæ præteritæ, ita quòd homo doleat se pœnituisse: Unde composuerunt istud disticum.

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri:
Pœnituisse piget; pristina culpa redit.

Et ratio eorum est, inquit Seraphicus Doctor;

A quia Dominus remittit culpam sub quadruplici conditione, scilicet si ipse dimittat proximo, si perseveret in fide, si confiteatur culpam, si perpetuò detestetur culpam commissam: & quoniam pactio frangitur, non existente conditione; idcirco quando aliquis peccat aliquô genere horum peccatorum, dicunt culpam redire. *Gratianus* dist. 4. de Pœnitentia quæstionem hanc expendit in utramque partem; at in affirmantem propensior est. *Magister sententiarum* dist. 22. profert argumenta in utramque partem, & affirmat utrique parti favere Doctores probatos; Undenon audet quidquam decernere; ait enim:

B *Ideoque alicui parti non præjudicans, studioso lectori judicium relinquo, addens mihi tutum fore, ac saluti propinquum sub mensa Dominorum micas edere.* Communior verò Theologorum jam sententia est, peccata semel dimissa, nunquam redire quoad culpam absolutè & simpliciter, sed tantùm secundùm quid; nempe ratione circumstantiæ ingratitudinis: quapropter duo hîc sunt statuenda: *Primum*, quòd reverà peccata non redeant quoad culpam: *Secundum*, quòd redeant penes aggravantem circumstantiam.

CONCLUSIO PRIMA.

Peccata semel per Pœnitentiam dimissa non redeunt simpliciter, quoad reatum culpæ & pœnæ per ullum subsequens peccatum mortale. Hæc est IV. Peccata semel dimissa non redeunt simpliciter.

C communior, & verior; cujus quidem nulla proferri potest alia ratio à priori, quàm quod ita Deus ordinaverit: quæ utique divina ordinatio colligitur ex Scriptura, & ex communi sententia Doctorum. Quod probè intelligens Doctor subtilis *in 4. dist. 22. num. 6.* ait: Dico, quòd Deus « disposuit peccata pœnitentis post Pœnitentiam « esse tecta, secundùm S. Augustinum exponentem « illud Psalmi 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, id est, non « amplius videntur ad vindictam. «

Rursus probat Doctor ex illo Nahum 1. ubi Vulgata habet: *Non consurget prima tribulatio.* Septuaginta Interpretes vertunt: *Non vindicabit*

D *Dominus bis idipsum in tribulatione.* Quod utique testimonium quamvis ad litteram intelligatur de populo Judaico, quem Deus afflixerat, tradendo decem Tribus potestati Assyriorum, reservatâ Tribu Juda & Benjamin, quibus spondet Deus, se illas non traditurum Assyriis; nihilominus SS. Patres communiter interpretantur de punitione peccatorum: ita enim S. Hieronymus, Remigius, Cyrillus, Rupertus, quibus prævetat S. Cyprianus sermone de Passione Domini, ubi ait: *Neque enim bis in idipsum judicat Deus, sed impœnitentes ipse judicat, & damnat: pœnitentes verò, quia à seipsis suscipit, judicatos absolvit,*

E *neque judiciô, quod pœnitentia humana severitat protulit, aliquid justitia cœlestis apponit. Huc usque spectant preces fidelium, qui rogant, ut peccata eorum in hac vita puniantur, ne punienda serventur in altera vita.* Unde sanctus Paulus ad Cor. 11. *Dum judicamur à Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Confirmari potest hæc sententia ex illis Scripturæ textibus, quibus superioribus quæstionibus probatum est, peccata per Pœnitentiam omnino expungi, ac penitus aboleri, nec Deum eorum amplius recordari. Eam etiam veritatem apertè tradit Gelasius Papa, ut refertur dist. 4. de Pœnitentia, cap. *finali*: ubi ait: *Divina clementia*

dimissa peccata in ultionem iterum redire non patitur. Illam etiam expresse tradit S. Prosper in resp. ad 2. objectionem Gallorum, ubi ait: » Omnis homo, qui credens in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum regeneratur in Baptismo, tam à propriis peccatis quæ malâ voluntate contraxit, quam ab originali, quod à parentibus traxit, absolvitur; sed relapsum post Baptismum ad infidelitatem, & impios mores qui negat originali peccatô fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quàm qui eundem asserit non æternâ morte esse damnandum; qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina eâ morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debebatur. » Hæc sunt verba S. Prosperi, ex quibus non solùm habetur clarè conclusio, sed colligitur ejus certitudo, cùm dicat, non minùs falso posse negari, quàm si negetur Apostotatam à fide, esse damnandum: quare in eodem gradu certitudinis videtur utrumque collocare.

Suffragatur etiam ratio: Siquidem, quod omnino extinctum est, & abolitum, nullatenus potest redire: sed peccata per Pœnitentiam omnino extinguuntur, & abolentur, ut dictum est: igitur redire non possunt.

Deinde, si peccata per Pœnitentiam remissa iterum redirent per subsequens peccatum, teneretur homo, quoties confitetur aliquod peccatum mortale, etiam omnia peccata mortalia per totam vitam commissa simul confiteri; non enim potest peccatorum absolutionem & veniam obtinere, nisi ea confessus fuerit: sed consequens est absurdum, & à Benedicto 12. in Extrav. *Inter cunctos* damnatum; ibi enim definit, *absurdum esse, ut quis peccata per Pœnitentiam dimissa rursus debeat confiteri: & ut debitor liberatus adhuc maneat ad solvendum obligatus.*

Denique, si peccata actualia per Pœnitentiam remissa redire possent, etiam rediret peccatum originale sublatum per Baptismum, eadem enim est ratio de peccato originali, ac de actualibus: sed hoc dici nequit; si enim rediret peccatum originale, deberet tolli per aliquod Sacramentum, nempe vel per Pœnitentiam, vel per Baptismum; neutrum autem dici potest; non quidem per Pœnitentiam; quia hæc non est instituta in remedium peccati originalis; sed tantùm peccatorum actualium commissorum post Baptismum: non etiam per Baptismum; quia ille non debet iterari: igitur necessum esset, quòd peccatum illud maneret indelebile, quod est absurdum.

Objicies primò varios Scripturæ textus, quibus significatur peccata reviviscere, & iterum restitui, maximè illud Psalmi 108. *In memoriam redeat iniquitas Patrum ejus in conspectu Domini.* Quem Psalmi textum S. Augustinus explicans de Juda traditore, ait; *Si ergo Iudas teneret illud, ad quod vocatus est, nullomodò ad eum, vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret: sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei; sed iniquitatem vetusti generis, rediit iniquitas Patrum ejus in conspectu Domini ut in eo etiam ipse puniretur.* Similiter 3. Regum cap. 17. Mulier Sarreptana Eliam alloquens, ait: *Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.*

V.
Quò sensu S. Scriptura dixerit, peccata semel dimissa iterum revocari.

Respondeo, his & similibus Scripturæ oraculis, nihil aliud significari, quàm quòd parentum ini-A quitates redeant in conspectu Dei in memoriam Dei pro filiis; non quidem quantùm ad culpam, sed quantùm ad pœnam temporalem, quâ Deus solet visitare, & castigare peccata parentum in filiis. Unde Tobias, cap. 3. precabatur: *Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.* Non autem ibi sermo est de reditu peccatorum, quantùm ad reatum culpæ, & pœnæ æternæ.

Objicies secundò, Parabolam *Matth.* 18. expressam, ubi licèt Dominus servo nequam omne debitum dimisisset, postmodum auditâ ejus in conservum crudelitate, illud revocavit, & servum illum tradidit tortoribus mittendum in carcerem & cruciandum, dicens: *Non exeat inde, donec reddat universum debitum.* Ergo cùm ipsô Dominô ibidem teste, Pater cœlestis sic faciat vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, consequens est, quòd saltem per admissum peccatum crudelitatis, redeant cætera alia peccata, quantùm ad eandem imputationem & obligationem ad pœnam.

Confirmatur ex S. Jacobo, qui cap. 2. ait: *Qui peccat in uno, factus est omnium reus.*

Respondeo primo, quòd in Parabolis ea tantùm applicanda sunt rei propositæ, quæ scopus earum requirit: in ea autem Parabola Christus intendit solùm declarare, quòd perperam peccati veniam C à Deo postulent, qui proximo veniam exoranti concedere renuunt. Certum est enim, quòd omnia, quæ in ipsa Parabola efferuntur, Deo convenire non possint: nam ille Dominus dicitur ignorare illius servi crudelitatem in conservos; quod utique de Deo dici non potest. Unde per illam Parabolam Christus Dominus tantùm significare voluit, quòd Deus gravissimè offendatur ab eo, qui non vult condonare offensas sibi illatas; quodque illud peccatum immisericordiæ severissimè sit puniendum, juxta illud S. Jacobi: *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.*

V.
Explicatur Parabola debiti dimissi, & iterum petiti à servo nequam.

Respondeo secundò, cum Doctore, quod si hæc Parabola intelligatur de reditu peccati, debitum illud debeat intelligi de damnatione, quan-D tùm ad durationem pœnæ, quæ per peccatum subsequens reviviscit in æquivalenti; quia pœna ei debita æterna est quoad durationem; non verò redit pœna prioribus peccatis debita, & jam dimissa quoad intensionem; ita quòd ille propter dimissa peccata graviùs torqueatur: « Quod enim ibi dicitur, inquit Doctor dist. 22. num. 20. *Tradidit eum tortoribus, donec redderet universum debitum*; intelligo ad propositum; quia non redderet universum debitum, nisi solvendo pœnam damnationis, pro eo mittatur in illum carcerem damnatorum; & ita ad propositum, recidivans eidem pœnæ damnationis adjudicatur, quam habuisset propter peccata priora & priùs dimis-E sa, & æqualem quantùm ad durationem, quia donec reddat, &c. sed non sequitur, quòd æqualem quantùm ad intensionem. »

Ad confirmationem respondet eôdem modô *num.* 21. « Istô modô, *inquit*, est intelligenda authoritas S. Jacobi; quantùm ad damnationem, quæ est generalis pœna omnium peccatorum mortalium: vel aliter, factus est omnium reus, quantùm ad aversionem à fine ultimo; quæ utique aversio communis est omni peccato mortali: sed non est intelligendum, quod factus sit omnium reus, quantùm ad gravitates singulorum peccatorum. »

Objicies

VII. *Objicies tertiò* omnes illas SS. Patrum authoritates, quas profert Magister sententiarum pro affirmativa sententia: quarum prima est S. Ambrosii super 4. caput epistolæ ad Ephesios, obi ait: *Donate invicem, sicut in alterum peccat, alioquin Deus repetit dimissa: si enim in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit sententiam, per quam misericordiam debeat; sicut in Evangelio de servo nequam legitur, qui in conservum suum impius deprehensus est.*

Objiciuntur SS. Patres.

Ambrosius. Idem docet sanctus Augustinus homil. 15. de verbis Domini: *Dixit Dominus*, inquit: *Dimitte, & dimittetur tibi: Si ergo prior dimisi, dimitte vel posteà: nam si non dimiseris, revocabo te, & quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi.* Et lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 12. *Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissimè docet in Evangelio de illo servo, quem cùm invenisset debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimisit; ille autem conservum suum, qui ei debebat centum denarios, cùm miseratus non fuisset, jussit eum Dominus reddere, quæ ei dimiserat.*

Augustinus.

S. Gregorius. Idem subscribit sanctus Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. ult. *Ex dictis Evangelicis constat, quod si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, illud rursus exigitur, quod jam nobis per Pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.* Similiter Beda lib. 4. in Lucam, cap. 48. exponens illa verba dæmonis dicentis: *Revertar in domum meam*, &c. ait: *Timendus est ille versiculus, non exponendus, ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.*

Et Beda.

Respondet Doctor locò mox laudatò, SS. Patres intelligendos esse de reditu peccatorum, quantùm ad durationem pœnæ æternæ, quæ aggravatur ratione circumstantiæ ingratitudinis ex prioribus peccatis remissis. Vel dicn SS. Patres loqui de reditu peccatorum, quoad circumstantiam ingratitudinis, vel quoad culpam, & pœnam æquivalentem; quia per subsequens peccatum contrahitur similis pœna æterna sensûs; & damni.

VIII. *Contritio tollit culpā ante alias partes Pœnitentiæ.* *Objicies quartò:* Contritus de peccato; si posteà contemnat confiteri, aut redit idem peccatum per Contritionem dimissum; & sic habetur propositum: aut non redit, & sic peccatum erit dimissum sine secunda & tertia parte Pœnitentiæ, quod est inconveniens.

Respondet Doctor num. 21. duobus modis: *Primò* potest dici, inquit, quòd si contritus priùs contemnit postea confiteri, peccat novô peccatô mortali in illo contemptu, nec tamen redit culpà dimissa per Contritionem, neque, inquam redit quantùm ad malitiam, nec quantùm ad reatum, sed semper sola pœna manet temporalis debita illi, licèt pœna damnationis debeatur novo peccato mortali.

Aliò modò posset dici, quòd pro peccato habetur pœna completa; intellige completa quantùm ad tres partes Pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem & satisfactionem, tunc commutata est pœna damnationis in pœnam temporalem, non sic autem de peccato, de quo habetur Contritio sine aliis duabus partibus Pœnitentiæ.

Ecce duplex responsio: Sed prima, *inquit*, Doctor, est convenientior, quia peccatum in Contritione simpliciter deletur; ita quod non manet, nisi obligatio ad pœnam temporalem: & si post sequatur contemptus satisfactionis, seu Confessionis, novum peccatum mortale est, & aggravatum propter culpam ptimam in Contritione dimissam.

Objicies ultimò: Peccata sunt tenebræ spiritua- les in mente; sed tenebræ eædem numerò redire possunt; quia privatio distinguitur numericè juxta distinctionem habitûs, seu formæ, cujus est privatio, seu subjecti cui inest: sed tenebræ sequentes lumen habent idem subjectum cum tenebris præcedentibus; & sunt privationes ejusdem numerô luminis: nam idem lumen numerô maneret si tenebræ non essent: igitur

IX. *Eadem tenebra non potest redire naturaliter.*

Negat minorem Doctor num. 22. Non enim, *inquit*, potest redire eadem tenebra numerô saltem per naturam: quia non potest esse eadem negatio, sicut nec eadem affirmatio, positâ interruptione hinc & inde. Ad probationem dico, quòd ad unitatem privationis non sufficit unitas subjecti, & habitûs oppositi: sed requiritur unitas continuitatis ejusdem in subjecto eô modô, quô potest habere *esse* in subjecto. Patet hoc per simile; quia ad unitatem negationis non sufficit unitas affirmationis; nam non Socrates, quod est negatio unius numerô affirmationis, potest esse non solùm plura numerô, sed in pluribus specie, & genere: & tot esse, quot sunt entia quæ non sunt Socrates; ita & privatio potest esse ejusdem formæ; & tamen non eadem: potest etiam esse in eodem subjecto plurificata, si sit interruptio, sicut & habitus ejus est plurificatus, si cùm interruptione in flexibili subjecto; sive enim positivum, sive privativum, vel negativum, idem numero reparare, hoc solius est potentiæ infinitæ Dei, cui sit gloria, &c.

X. *Quænam requiruntur ad unitatem privationis.*

CONCLUSIO SECUNDA.

Peccata semel remissa propter peccatum subsequens redeunt secundùm quid, ratione aggravantis circumstantiæ. Hæc est communior apud Theologos; eamque declarat, & probat Doctor *dist.* 22. *num.* 14. Primò quidem, quia peccatum subsequens habet annexam circumstantiam ingratitudinis, ratione cujus gravius est: ingratitudo namque per se vitium est; quantò autem plura vitia, aut vitiorum circumstantiæ ad actum peccati concurrunt, tantò peccatum gravius est, & majori pœnâ puniendum: Porro qui peccat post acceptam gratiam remissionis, reverà ingratus est; nam, ut dicit Seneca lib. 3. de Beneficiis: *Ingratus est, qui beneficium se recepisse negat, ingratus qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium, qui oblitus est:* at qui iterum labitur in peccatum, non solùm non reddit bonum pro beneficio remissionis; sed etiam malum rependit; & consequenter graviùs peccat propter ingratitudinem remissionis acceptæ. Probat minorem Doctor: Quia, *inquit*, quantò aliquis recipit ab alio majus beneficium sibi magis indebitum, tantò sibi magis tenetur lege gratitudinis, etiamsi beneficium receptum sit minus, & per consequens magis, si beneficium est æquale: sed existenti in peccato mortali nullius est Deus debitor, nisi pœnæ: igitur si sibi gratiam confert, hoc erit donum maximè gratuitè, & liberaliter datum, & præcipuè si est gratia æqualis gratiæ collatæ alii innocenti: igitur iste ex lege gratitudinis est Deo specialiter obligatus propter hoc donum liberaliter collatum: & per consequens offendens post, contra eum graviùs peccat propter ingratitudinem.

XI. *Redeunt peccata ratione circumstantiæ ingratitudinis.*

XII. *Repetit secundò* Doctor majorem illam gravita-

Et inconstantiæ. tem, ex notabiliori transgressione: Quia, *inquit*, quantò aliquis tenetur pluribus obligationibus ad aliquid, tantò, si transgreditur, graviùs peccat: sed pœnitens quotiescunque dignè pœnitet, obligat se saltem votô ad non peccandum imposterum; qnia sine tali proposito non est digna Pœnitentia, & præter hoc est astrictus ad non peccare eâdem lege, quâ innocens: igitur si posteà peccet, transgredietur duplicem legem obligantem ad non transgrediendum, scilicet illam generalem, quâ omnes obligamur ad non peccandum, & istam specialem de promisso servando, quæ maximè obligat de promisso facto Deo, & de aliquo pertinente ad honorem Dei.

Quibus Doctor declarat, peccatorem recidivantem idcireò graviùs peccare: non solùm quia est immemor beneficii accepti; sed etiam quia est infidelis & inconstans in servando promisso, quod statuit dum pœniteret, nempe se amplius non peccaturum. Nomine autem *promissi*, non intendit Doctor votum propriè dictum; alioquin quodcunque peccatum mortale post Pœnitentiam esset sacrilegium; sed intelligit obligationem fundatam in proposito de non peccando denuò; ad cujus promissi observantiam tenetur pœnitens ex lege fidelitatis, seu fidei servandæ Deo, saltem ex constantia, ac firmitate tenendæ, cujus ratio postulat, quòd homo sibi in bono proposito constet, sibique similis permaneat contra omnes occurrentes difficultates, quandiu ratio dictabit: Cùm ergo non fiat peccati remissio sine illo proposito de cætero non peccandi, & ratio dictet nusquam ab hoc proposito esse recedendum; consequens est, quòd recidivans post Pœnitentiam peccet contra illam virtutem constantiæ per peccatum inconstantiæ; quô utique non peccavit, quando primùm ab innocentia per Baptismum reparata lapsus est.

Objicit Doctor: Illud non aggravat, quô non existente, imò positô ejus oppositô, peccatum æquè esset grave, vel etiam gravius: sed si homo nusquam fuisset pœnitens, & semper innocentiam servasset, graviùs peccaret deperditâ innocentiâ, quàm peccet post remissionem in Pœnitentia acceptam: ergo, &c. Major constat. Probat minorem Doctor *num.* 15. Quia, *inquit*, cadens à statu innocentiæ graviùs peccat, quàm cadens à statu Pœnitentiæ: *Tum* quia innocens minorem habet occasionem cadendi: *Tum* quia majus beneficium recipit iste, cui Deus conservavit innocentiam, quàm cui concessit Pœnitentiam post peccatum.

XIII. *Conservatio innocentiæ majus est beneficium quàm justitiæ deperditæ reparatio.*

Respondet Doctor, reverà quidem conservationem innocentiæ, & perseverationem nequis in peccatum labatur, esse simpliciter majus beneficium, quàm concedere veniam post lapsum; unde, inquit, majus beneficium contulit Deus suæ Matri, eam præservando ab omni peccato, quàm Magdalenæ, dando ei Pœnitentiam; & singularis gloria est in Beatis, & ornatus ex beneficio innocentiæ, quam non habent alii, qui salvi facti sunt per Pœnitentiam. Unde ad argumentum negat majorem: Quia, *inquit*, possibile est aliquod peccatum habere nunc unam circunstantiam aggravantem, nunc aliam, & illa, quæ ibi aggravat, potest esse gravior, quàm illa, quæ hîc aggravat. Id est, homicidium v. g. commissum post innocentiam, aut post Pœnitentiam, potest utrinque habere aggravantem circunstantiam; quarum tamen una sit major aliâ; nec utraque simul possit subsistere: nam qui cadit ab innocentia per homicidium, non cadit à statu gratiæ per Pœnitentiam acceptæ; quia gratia remissionis, & gratia Pœnitentiæ simul esse non possunt: Innocentia enim non stat cum Pœnitentia, nec vice versâ; siquidem qui est innocens, non eget Pœnitentiâ; & qui eget Pœnitentiâ, non est innocens. Quanquam in hoc conveniant, quòd utrimque homicidium habeat annexam circunstantiam ingratitudinis; quia per utrumque homo Deum benefactorem offendit, & per peccatum sequens impugnat, ac destruit beneficium innocentiæ, ac remissionis peccati, nihilominus cum gratia innocentiæ servatæ longè majus sit beneficium, quàm gratia justitiæ reparatæ per Pœnitentiam; inde fit, quòd qui cadit ab innocentia, graviùs peccat, ac proinde falsa est major.

XIV. *Idem peccatum potest habere diversam circunstantiam ingratitudinis.*

Urget Doctor, contra solutionem præcedentem ex illa Parabola Lucæ 7. ubi Christus Dominus Simonem leprosum alloquens occasione pœnitentis Magdalenæ, ait: *Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos; & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondit Simon: Æstimo quia is, cui plus donavit.* Quam utique responsionem Christus approbans, subjunxit: *Rectè judicasti:* Sed, *inquit*, Doctor, innocenti nihil donat Deus hôc modô: peccatori autem multa donat: ergo peccator plus Deo tenetur; quare magis ingratus est simpliciter, quando recidivat.

XV. *Quô sensu plus donetur Pœnitenti, quàm innocenti.*

Respondet Doctor num. 16. quòd vocabulum *donare*, sit æquivocum, possitque intelligi duobus modis: Donare, *inquit*, potest intelligi absolutè, prout est actus voluntatis liberaliter communicantis; vel donare, id est, condonare, sive remittere, ut accipitur, cùm dicitur; *donavit peccata.* Primô modô verum est, quòd cui plus donatur, ille magis tenetur donanti: & hôc modô dico, quòd Deus innocenti majus donum dedit, quàm cui dimittit peccatum. Secundô modô pœnitenti donat plus, quàm innocenti; quia innocens non habet, quod sibi remittatur.

Etsi subsumatur major, quòd ille plus tenetur diligere, cui plura donantur, id est, remittuntur; verum est comparando duos, quorum uni pauciora donantur, & alteri plura; & hoc si non esset beneficium aliud datum, nisi hoc, quod est donare, vel remittere. Sed nullus est, cui Deus pauca donat, quia pauca commisit, quin sit eidem aliud beneficium datum majus, quàm donare, id est, remittere plura, scilicet præservare eum ab aliis, in quæ cadere potuisset, & cecidisset, nisi præservatus à Deo fuisset.

XVI. *Innocentia est præstantior quam justitia reparata.*

Quod optimè confirmatur duplici authoritate sancti Augustini: Prima petitur ex libro 2. Confess. cap. 7. ibi: *Gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ,* (alloquitur Deum) *quòd peccata mea tanquam glaciem solvisti. Gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? Et omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci. Quis est hominum, qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem, atque innocentiam suam, ut minùs amet te, quasi minùs ei necessaria fuerit misericordia tua, quâ donas peccata conversis ad te?* Et post pauca: *Et ideo te tantùmdem, immo verò diligat; quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.*

[illegible] habetur *lib.* [illegible] *Hom.* 23. *[illegible] dicit Deus [illegible] R[illegible] mihi, [illegible] ut adulterium non committeres. [illegible] & ut [illegible] ego [illegible] locus [illegible] & ut [illegible] Assuit [illegible] locus [illegible] tempus, ut non [illegible], ego [illegible] Agnosce ergo gratiam [illegible], [illegible] & quod non [illegible]. Mi[illegible] (p[illegible]) quod [illegible] & dimissum [illegible] quod non [illegible] Nullum enim peccatum, quod [illegible] homo [illegible] alter homo, [illegible] Rector, a quo [illegible] homo.*

H[illegible] Doctor exemplo. Si aliquis, [illegible], ex [illegible] omnia sua, ut [illegible] ad [illegible]; [illegible] vero concedit aliquid [illegible], & [illegible] debet illa [illegible]dere, [illegible]: quis [illegible]? Dico quod primus [illegible] recepit, & tamen plus [illegible] alteri; [illegible] primus non habeat [illegible], hoc est, ex [illegible] illius, quoniam [illegible]. Unde non est vera [illegible] simpliciter. *Cui plus dimittitur, plus [illegible]*, nisi [illegible] dimittente, per cujus [illegible] non stat, quod iste non [illegible] ad [illegible] ad [illegible] ille.

Quod [illegible] innocentiæ [illegible] longe nobilius ac præstantius sit donum, quam illius restitutio & reparatio per Pœnitentiam, disertè explicat Sanctus Cyprianus epist. [illegible] ubi inter cætera ait: *Primus felicitatis gradus est, non delinquere; secundus vero delicta cognoscere, & retractare. [illegible] currit innocentia integra, & illibata quæ servet, hic [illegible] medela quæ sanet.* Et Hugo a S. Victore *lib. 2. de [illegible] p. 14. cap. 4. Si magnum est*, inquit, *aliquando surgere majus certè est nunquam cecidisse; bonum est sanatum esse melius est nunquam corruptum fuisse.*

Suffragatur etiam [illegible]: Quia præservari à peccato ex dono Dei est [illegible] speciale; quia & ad [illegible] præ[illegible], & [illegible] utem, magis facit, & perfectius [illegible], & perfectius etiam [illegible] innocentiæ continet, nimirum præservando à peccato, quod utique constat exemplo beatissimæ Virginis, cujus in[illegible], [illegible] pec[illegible] fuit, non peccavit, & ab omni peccato tam originali, quam [illegible] per insignem Dei protectionem, & gratiæ plenitudinem præservari. Patet etiam exemplo Beatorum, quorum perfectio maxima est, immunes [illegible] ab omni [illegible], & nullatenus posse peccare, saltem pro[illegible], ut magis accedant ad divinam perfectionem [illegible] que divinos characteres referant, sanctitatem adumbrando. Similiter innocentia longe perfectius conjungit fini; quia per eam homo constituitur non [illegible] in statu, sed etiam in effectu [illegible], quando præservatur; non enim ut peccator solum [illegible] a lapsu, tanquam ab impedimento removente à fine [illegible] habet fructum [illegible] Justitiæ, qua [illegible] meritum gratiæ, & gratiæ, quia videlicet cum nihil habeat, quod ipsum removere possit à sua [illegible] cum Deo; inde fit, quod [illegible] ad Dei [illegible] posse promo[illegible] [illegible] & [illegible] & [illegible] cætera [illegible] habe[illegible] & [illegible] stantia [illegible] quod [illegible]

subsequens non est unicum, sed [illegible] lex peccatum. at hoc falsum est; alioqui [illegible] quis peccatum aliquod confitetur, toties [illegible] confiteri ingratitudinem, & inconstantiam, [illegible] infidelitatem in Deum; quod tamen non fit: subinde verum non est, quod peccatum recidivationis habeat annexum peccatum ingratitudinis &c.

XVII Duplex est ingratitudo in peccato: una directa quæ est speciale peccatum, alia indirecta, quæ tantum est peccati circumstantia.

Respondeo [illegible] ingratitudinem dupliciter considerari [illegible]: *Primo* quatenus per eam quis peccat eo animo, ut contemnat beneficium, vel irroget injuriam benefactori [illegible] siquis adeo esset corruptis moribus quod peccaret eo animo, ut Deum offendat, & injuriam ipsi faciat: qua ratione ingratitudo est speciale peccatum: *Secundo modo* consideratur ingratitudo, quando aliquis peccat contra benefactorem, a quo beneficium accepit, non tamen hac intentione, ut contemnat acceptum beneficium, & benefactorem; sed ut satisfaciat suæ libidini. Unde *distinguo majorem*: Ingratitudo priori modo accepta, est speciale peccatum, concedo: posteriori, nego. Communiter autem, inquit Doctor *num.* 18 non peccatur peccato ingratitudinis priori modo; quia peccans communiter non appetit, nisi delectationem, [illegible] inordinatam; & vellet [illegible] delectationi non esse annexas tot prohibitiones: & [illegible] modo [illegible] peccato [illegible] obedientiæ, & contemptu, & [illegible] & hujusmodi, non qu[illegible] actum elicitum pertinentem ad singula ista [illegible] sed implicitè, inquantum vult aliquid, ad quod quodammodo concomitantur hæc omnia. Concedo ergo, quod possibile est peccare recidivantem unico peccato.

Et quando infers: Ergo posset æquè graviter peccasse primo, quando cecidit ab innocentia; concedo quantum est ex parte istius circumstantiæ ingratitudinis & multiplicioris obligationis peccasset tamen tunc gravius quantum ad aliam circumstantiam, quia magis ingratus est cadendo ab innocentia, quam a Pœnitentia.

Ad secundam Partem, illationis respondet Doctor *num.* 19. quod est licitum sit, & forte utile confiteri peccata præcedentia propter aggravantes circumstantias; non tamen, *inquit*, videtur necessarium illa confiteri in speciali: quia in quantum aggravant, possunt exprimi sufficienter in confessione absque expressione illorum peccatorum prius dimissorum in speciali, scilicet dicendo [illegible] multis, & magnis peccatis alias pœnitui, [illegible] credo, quod Deus mihi remiserat, & ideo nunc fui magis ingratus in peccando.

Urget Doctor, Si peccatum subsequens sit gravius ratione ingratitudinis & inconstantiæ, sequitur, quod qui pluries peccavit, puta decies, & toties pœnituit, & rursus labatur in peccatum, [illegible] peccatum decies gravius erit [illegible], *inquit* ratione cujuslibet peccati [illegible] non cadere; & in quolibet peccato [illegible] ingratitudo in cadendo, ac [illegible] peccatum longè gravius [illegible] hoc est ab [illegible]: ergo, &c.

XVIII Mal[illegible] circumstantiæ peccati [illegible] tanta ut [illegible] leat mali[illegible]

[illegible] *Doctor* dist[illegible] majorem [illegible] ratione ingratitudinis, quam [illegible] augmentum [illegible] concedit [illegible] autem [illegible], *inquit* [illegible] æquiv[illegible] mortalis [illegible]

[illegible]tiæ unius peccati. » ingratitudinis; quia videlicet versatur circa majus beneficium majus est autem beneficium decies veniam peccatori concedere, quàm quinquies, aut sexies: quia quò sæpiùs peccator Deum offendit, eò se minùs dignum veniâ exhibet, ac proinde majori opus est misericordiâ, ut ei venia concedatur.

Urget: Si circumstantia aggravat peccatum, consequens est quòd ei aliquam malitiam conferat: igitur hæc malitia per iteratam ingratitudinem in tantùm potest augeri, ut æquivaleat malitiæ peccati specialis. Consequentia patet, quia circumstantia mutans speciem, aliquando aggravat peccatum in specie magis, quàm ipsum objectum.

Respondeo, negando consequentiam. Circumstantia enim se habet ad peccatum, ut accidens in proprio genere, quod ne[illegible] ut comparari substantiæ actûs, quam supponit, & cujus malitia crescit ex circumstantia: sed circumstantia mutans speciem, licet talis sit respectu operantis, in quantùm ipse ex alio fine, verbigratiâ, homicidii, interfecit eum, quem novit esse Sacerdotem: tamen respicit actum illum, in quantùm est materia propriæ virtutis, ut Religionis; & licèt indirectè accedat, quantùm ad intentionem h[illegible] directè tamen cadit in materiam ex propria prohibitione, quâ comprehendit personam sacram, & ejus immunitatem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. Quare Sacramentum Pœnitentiæ fuerit institutum.

S*I ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum* [illegible]*et* (ut præclarissimè loquitur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1.) *ut justitiam in Baptismo ipsius beneficiò & gratiâ susceptam, constanter tuerentur; non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissione*[illegible] *institutum. Quoniam autem Deus, dives in mi*[illegible]*, c*[illegible] *novit figmentum nostrum; illis etiam* [illegible] *remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent. Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quò ipsis post Bapti*[illegible]*, beneficium mortis Christi* [illegible]*licatur.* Un[illegible]e [illegible] *sess. 6. cap. 14.* Sacramentum hoc appellat *secundam post naufragium deperdita gratia tabulam.* Quam utique appellationem laudant etiam SS. Patres, maximè S. Hieronymus epist. 9. quæ est ad Salvi[illegible], ubi ait: *Nec statim nobis Pœnitentia subsidia blandiantur: cavendum est vulnus, quod dolore curatur. aliud est int*[illegible] *salvis mercibus portum salutis intra*[illegible] *nudum hærere tabula, & crebris fluctuum concursibus ad asperrima saxa collidi.*

II. Impugnatum fuit à Montanistis.

Non mirum [illegible] *Diabolus* nostræ [illegible]utis adversarius omnem [illegible] mo[illegible] art[illegible], ut di[illegible]num hoc su[illegible] hominibus elevaret, aut errorum [illegible]. Prodi[illegible] enim impi[illegible] [illegible]cuerunt, [illegible]um esse in[illegible] [illegible]obsi[illegible]um, quò peccantes post Ba[illegible] [illegible]int Deo [illegible]onciliari ut te[illegible]tur sanctus Hi[illegible]o[illegible]mus epist. 54. c[illegible] ibi d[illegible] M[illegible]stis ita loquitur. [illegible] *omne* [illegible]*na debitum E*[illegible]*lesiæ observant fores* [illegible] [illegible]*mus ma*[illegible] *P*[illegible]*tiam peccat*[illegible] [illegible]*uid q*[illegible] *non resur*[illegible] *D*[illegible] [illegible]*ed me*[illegible] *convertentes*

A *eg*[illegible] *curabo conti*[illegible]*nones v*[illegible] *quo*[illegible] *ipsi pe*[illegible] *pe*[illegible] [illegible] *interest. quod* [illegible] *erubescum* [illegible] *quasi justi* [illegible] *nos dum P*[illegible]*tentiam agi*[illegible] *veniam promereremur.*

III. Tertulliano. Quod utique pest[illegible] dogma per [illegible] disseminatum, in ta[illegible] [illegible]plo[illegible] æmulat[illegible] [illegible]vit, ut [illegible] Tertullianum, al[illegible] strenu[illegible] [illegible] hæ[illegible] [illegible]sorem infec[illegible]. U[illegible]e S. Hi[illegible] [illegible]st. ad Ctesiphontem cap. 2. [illegible] *nus immundi spiri*[illegible] *per P*[illegible]*scillam &* [illegible] *fœminas auro corrupi*[illegible] B *pendum est, quod* [illegible] *decepi fuerint,* [illegible] *præ*[illegible] *sanctitate* [illegible] *quos* [illegible] *Tertullianum* [illegible].

IV. Novatianis. Eis hoc in nefa[illegible] [illegible]ate [illegible]cess[illegible] [illegible]a[illegible]tiani circa annum [illegible] 254. d[illegible] Novato Carthaginensis Ecc[illegible] P[illegible]byter[illegible] [illegible] & postea magis a N[illegible] Rom[illegible] Pseudo-Pontifice, qui Montan[illegible] [illegible] ext[illegible]m te[illegible]ntantes, d[illegible] [illegible] esse [illegible], & re[illegible]ssionem peccat[illegible] [illegible] iis, qui simulacbris immolassent, ut[illegible] [illegible]tes [illegible]. 4. historiæ cap. 30.

V. Lutheranis. Ipsis subscribunt Lut[illegible]ani, & C[illegible], qui C licèt admittant contra Montanist[illegible] & Nov[illegible]tianos esse in Ecclesia remedium al[illegible] a Christo institutum pro rem[illegible]ndis peccatis Baptizatorum tamen negant in Sacerdotibus veram & judiciariam authoritatem [illegible] peccata, docentque [illegible] [illegible]sse, quam memoriam [illegible] jam suscepti cum fide remissionis peccat[illegible] ac subinde volunt Pœnitentiam vel non [illegible] Sacramentum novæ legis pro[illegible] d[illegible]ctum, [illegible] esse a Baptismo distin[illegible]. [illegible] Lutherus [illegible] de captivit. Bab[illegible] [illegible] tria esse Sacramenta, [illegible]ptismum, Pœnitentiam [illegible] Eucharistiam, tamen [illegible] ad Baptismum D revocat. Idem docet Kemnitius in examine Concilii [illegible] de Baptismo, & 2. de Pœnitentia.

VI. Calvinistis. Adstipulatur etiam C[illegible]us *lib.* 4. *Inst.* *cap.* 19. *num.* 55. & [illegible]bus, ubi cùm exagitasset doctrinam Ecclesiæ Romanæ de Sacramento Pœnitentiæ, [illegible]bit num. 1[illegible]. *Ne tamen animos tollat quacunque in parte Sacramentum posuerint, nego jure habe*[illegible] *pro Sacramento. primum quòd nulla Dei promissio singularis ad hanc rem ex*[illegible] *unica Sacramenti hypostasis. Deinde, quod quacunque hic ceremonia pr*[illegible]*atur,* [illegible] *minum inventum, quum ceremonias* [illegible] *rum non nisi a Deo* [illegible] *mendac*[illegible] [illegible]*imp*[illegible]*, quod de Sacramento Pœnitentiæ comme*[illegible]*nt. &c.* Quoniam aut[illegible] omnes isti E[illegible] [illegible] suum virus a E Novatianis hauserint, operæ pretium est [illegible] Novati notum hæresis originem, p[illegible] & damnationem recen[illegible]e: sub tri[illegible] P[illegible]ta[illegible] plus.

§. I.

De origine Hære[illegible]

VII. Hæresis. Hæc Hæresis [illegible] N[illegible] [illegible]tè effluxit. [illegible] Africa Ep[illegible]s, [illegible] ep[illegible] 49. S.[illegible] v[illegible] un[illegible]

[illegible] *Eccl*[illegible] *num* [illegible] *pum* [illegible] nipe [illegible] um [illegible] tunc m[illegible] tem E[illegible] Episcopus fuerit, non indica[illegible]. Q[illegible] hic [illegible] atus, egre[illegible] te de[illegible] rat ca[illegible]. S. Cyprianus, *iis verbis* [illegible] Novato nihil [illegible] ad [illegible] nunt[illegible] m[illegible] per nos vo-
„ [illegible] debeat Novatus osten[illegible], rerum novarum
„ [illegible] cupidus, avaritiæ [illegible] te
„ [illegible] fo[illegible] ndo, [illegible] o-
„ [illegible] atus [illegible] Episcopis [illegible]
„ [illegible] semper [illegible] num
„ S[illegible] voce [illegible],
„ ut [illegible] hoc ad [illegible], ut [illegible] m
„ [illegible]. Ex [illegible] j-
„ tioni [illegible] dia [illegible] temp[illegible] fa-
„ cienda nau[illegible] g[illegible] tatis
„ a[illegible] p[illegible] *ad te*
„ S[illegible] p[illegible] vitæ, pe[illegible] piæ
„ qu[illegible] que E[illegible] æ d[illegible] de ille exigent
„ pœnas quas [illegible] more [illegible] Pater
„ et [illegible] uus, & ab eo in
„ mor[illegible] ut [illegible] uxoris
„ [illegible], & a[illegible] properat[illegible] in par-
„ ricidi[illegible] ex[illegible] tur.

VIII. *Cum autem ab E*[illegible] *sia* [illegible]
„ [illegible] Hanc c[illegible]
„ d[illegible] propter [illegible] d P[illegible]
„ [illegible] tantum, sed & c[illegible] communicatione [illegible]
„ beri, pro certo [illegible] & urge[illegible] fratribus,
„ imminent [illegible] causa
„ ejus [illegible] quam
„ iste [illegible] & [illegible] damna-
„ tio[illegible] :
„ ut qu[illegible]
„ Sacerdotum [illegible] ne [illegible]
„ deret, quasi vas esse [illegible] prævenisse [illegible] tentiam.

IX. Et [illegible] epi[illegible] sup[illegible] dicere[illegible], de
„ ejus ex A[illegible] in ur[illegible] advert[illegible] *sic ait* Idem
„ & Novatus, qui apud nos [illegible] &
„ [illegible] qui [illegible]
„ iste ex Fratribus a[illegible] egavit [illegible] in
„ [illegible] one, ad [illegible] fratrum men-
„ [illegible] fuit. [illegible]
„ [illegible] fact[illegible]
„ [illegible] tempestate Ro-
„ mam [illegible] ad evert[illegible] E[illegible]
„ gans [illegible] & [illegible] à [illegible]
„ po[illegible] pleb[illegible]
„ cohæ[illegible], & se [illegible]
„ scindere: *Hæc Cyprianus.*

Quibus constat quod Novatus [illegible] à S. Cypriano dam[illegible] persecutionis urgente occasione [illegible] set [illegible] Romam profu[illegible] Roma [illegible] Novatianum Presbyterum R[illegible] [illegible] vidit [illegible] mò aversum inveni[illegible] ver[illegible] Cornelium ager[illegible] quo[illegible] ab e[illegible] te-[illegible], multa de illo [illegible] C[illegible] bus [illegible] oque [illegible] ac [illegible] que etiam illi [illegible]

M[illegible] ur hæc [illegible] os [illegible] antiquioribus Sc[illegible] ibus pro

A uno e[illegible] que usurpàrunt, [illegible] Eusebius lib. 6. histor[illegible] ap. [illegible], & Socrat[illegible] 4. [illegible] qui [illegible] Novatum contra Cornelium Romanum [illegible] sse sedem.

Hi[illegible] b[illegible] *Sapiens*, Britanniæ e[illegible] o[illegible] Novatum pro Novatiano u[illegible] p[illegible], d[illegible]: *Novatus Romæ, Dominicæ c*[illegible] *c*[illegible] *m*[illegible] *parita* [illegible] *iger, pa*[illegible] *a ingerit vio-lenter* [illegible] *n* [illegible] *erabilibus artis, quam* [illegible]. Quæ utique ob-[illegible] Novat[illegible] [illegible] udo Ponti-fic[illegible] R[illegible] [illegible] P[illegible] te[illegible] [illegible] it. U[illegible] er-roe Am[illegible] [illegible]
B apud Aut[illegible] Græ[illegible] Novat[illegible] pro N[illegible], & vi[illegible] hist[illegible] Novat[illegible] Cor[illegible] c[illegible] [illegible] ctos [illegible]: *Novatus Presbyter Cypr*[illegible] *ni Romam veniens, N*[illegible] *C*[illegible] *ate-ros C*[illegible] *Cornelius pœni-tentes* [illegible] *tas recep*[illegible].

PETES [illegible] *Novat*[illegible] *duntaxat Presbyter*[illegible]

Re[illegible] *num.* 59.
C [illegible] ra S. Cypr[illegible] 4 [illegible] *stum D*[illegible] *Novat*[illegible] *um fecit Epi*[illegible] *um.* S[illegible] em Epi[illegible] ordinare Diaconum & Episcopum.

Verum hoc B[illegible] ronii fundamentum [illegible] non fac[illegible], ac valdum apatet, ut in [illegible] sententiam [illegible] amus [illegible] si N[illegible] tus [illegible] institutis Car-thag[illegible] E[illegible] Nova[illegible] & [illegible] bu[illegible] ravit ut a[illegible] u[illegible] It[illegible]
D [illegible] ebrietate [illegible] nos o[illegible] Epi[illegible] pus [illegible] et evid[illegible] argumentis, q[illegible]

I[illegible] per ex ej[illegible] epistolæ verbis, hæc n[illegible] s[illegible] confirmari potest: in eo namque [illegible] quod de eo Carthaginen[illegible] esbytero [illegible] ndo [illegible] quod à [illegible] dubio unà [illegible] C[illegible] us fuisset, nisi per [illegible] Romæ profugus [illegible] F[illegible] opus non a[illegible] C[illegible] haginensi Clero, [illegible] cie[illegible] d[illegible] Ep[illegible] ops [illegible] Provinciæ una cum S. C[illegible] Id certo con-st[illegible] ex S. P[illegible] epist. 8. u[illegible] mndum
E [illegible] *C*[illegible] *Romanus* [illegible] *in* [illegible] *pi*[illegible], *locum cathedra vacante* [illegible] *virg*[illegible] *Principis fi*[illegible] *n*[illegible] *Presbyter Novatus* [illegible] *in E*[illegible] *si vidistis sp*[illegible] *E*[illegible] *Pat*[illegible] [illegible] *R*[illegible] *Car-thaginem* [illegible] Ub[illegible] num d[illegible] [illegible] Novatiano. *C*[illegible], inquit, *haresi Novatianorum*

H[illegible] j

Qui duo ab Authoribus Græcis confunduntur & [illegible] pro al[illegible] parur.

Novatus [illegible] fuit [illegible]

author fuit Novatus, Cypriani Presbyter, & [illegible]

XI. Quis fuerit Novatianus.

Porro quis fuerit ipse Novatianus, [illegible] S. Pacianus epist. 3. quæ est ad Sympronianum Novatianum, ubi scribit: *Novatianum mihi* [illegible] *Philosophum sæculi fuisse audio, nec satis miror ab Ecclesia Dei viro degenerasse. cognosce radicem* [illegible] *aut quando* [illegible] *populi reliquisse, Cornelio invidente* [illegible] *Novatus infama commodatum,* [illegible] *secratione legitima Episcopum factum, ideoque nec factum per epistolam eorum, qui se C*[illegible]*res esse* [illegible]*arent, qui matris unius membra* [illegible]*erent, &*. Quantum autem [illegible] *beretur à* [illegible] ibidem observat, cùm subdit. *Novatianus his melior, nempe Moise, ac Paulo? emendator Prophetarum? Doctor Apostolorum? Iam cum Christo videtur ut idem Moises? Iam, ut Paulus, in tertium cælum sublimis evehitur? Iam neglectis omnibus* [illegible] *audiatur*. Eum autem fuisse [illegible] conjicere licet ex his quæ scribit S. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum, ubi de fastu N[illegible]ni ex Philosophia, & dicendi peritia [illegible], ait: *Iactet Philosophiam, & eloquentiam suam superbis vocibus prædicet* [illegible] *qui nec fraternam charitatem, nec* [illegible] *icam unitatem tenuit, etiam quod priùs fuerat amisit*. Quo [illegible] ex Philosopho insigni [illegible] ò Philosophiæ [illegible], sese Christo subdidisse videretur, ne [illegible] Ecclesia inglorius haberetur, qui inter E[illegible]os magnam fuerat gloriam consecutus, R[illegible]us Pontifex voluit eum inter Ecclesiæ Presbyteros cooptare.

XII. Qualiter ad fidem conversus.

Qualiter autem ad fidem receptus fuerit, refert Eusebius *lib. 6. cap.* [illegible] Cornelius epist. ad Fabium Antiochenum [illegible] narrat, quod cùm diu à Satana vexatus fuisset Novatianus E[illegible] armis præsid[illegible] [illegible] malô liberatus est & [illegible] pòst [illegible] graviter m[illegible] [illegible] affecto, [illegible] *Verum,* [illegible] Cornelius [illegible] *morbo* [illegible] *dein elapsus, neque cæt*[illegible] *quibus* [illegible] *secundùm Ecclesiæ Canonem* [illegible], *acquisivit, neque Domini* [illegible] *ab* [illegible] *tus fuit: quo quidem* [illegible] *quomodo Spiritum* [illegible] S. Cornelius *Iste* [illegible] *atus & nimia vitæ cupi*[illegible]

Fuit Presbyter sed ignavus.

[illegible] *ut domo* [illegible] *m occultare* [illegible] *sus quam* [illegible] *quæcumque in ejus* [illegible]. *Fratres in periculo constitutos* [illegible] *indigentes juvaret, tantum abfuit* [illegible] *eum obs*[illegible] *ramibus obtemperare* [illegible] *ute se* [illegible] *& bile ab* [illegible] *ereeque. nam se nolle amplius esse Presbyterum, sed alterius vitæ dicatum* [illegible]. Aquo [illegible] ordinatus fuerit Presbyter [illegible] an à Fabiano Cornelii prædecessore, aut aliquo alio Antecessore Romano Pontifice, haud liquet.

Præterea qui [illegible] propter [illegible] Philosophiam & dicendi peritiam [illegible] ambitionis stimulis agitatus fuerat Novatianus [illegible] felix abductus est, ut quod [illegible] Pontificiam dignitatem ambiret. Cùm [illegible] [illegible]ô Fabiano [illegible] duos annos vacaret Romana sedes, ac tandem omnibus [illegible] Clero [illegible] populi Romani votis electus fuisset Cornelius, [illegible] ferens Novatianus & Novati [illegible], ac malitiâ frendens [illegible] spargere cœpit calumnias adversùs Cornelium [illegible] tam ac nul[illegible] [illegible] ejus [illegible] divelleret [illegible] utique propalatas calumnias

XIII. Pontificatum ambit.

recenset sanctus Cyprianus [illegible] de Cornelio [illegible] aut m[illegible] nesta & malig[illegible] [illegible] scias hoc esse opus [illegible] Dei mendacio laceret, & op[illegible] riosum nomen infamaret, ut qui [illegible] luce [illegible] cunt, alienis [illegible]tibus [illegible] explesse autem C[illegible] ostios [illegible] issime comperisse [illegible] jactant [illegible] macu[illegible] sed [illegible] Episcopis, qui [illegible] nem [illegible] am [illegible] d[illegible] [illegible] rum ca[illegible] dita est & [illegible] ta c[illegible]nxi[illegible] [illegible] Cyprianus. Quibus verbis [illegible] um [illegible] a Schismatici Cornelium quod libello acceptâ a Gentilibus & datâ pec[illegible] Martyrium ev[illegible], qui [illegible] Episcopos [illegible] sacr[illegible] tempore persecutionis [illegible] rato [illegible] communicationem ad[illegible] & co[illegible] m & ministerium restituerit.

Quæ utique [illegible] qui [illegible] fama, nihilominus [illegible] Novato, & Novatiano [illegible], a[illegible] tæ [illegible] ut etiam Confessores in [illegible] fis int[illegible] t, [illegible] Cyprianus epist. 51. quam [illegible] hærentes d[illegible] cætera [illegible] *de arcere redeunt* [illegible] *& l*[illegible] *cui error* [illegible] *qu*[illegible] *quando* [illegible] *on ad* [illegible] *de carcere* [illegible] *in quam priùs* [illegible] *Ecclesiâ* [illegible] *venissent*. Horum itaque Confessorum [illegible] adhærentium suffragiis, ac vo[illegible] Novatus & Novatianus [illegible] cœperunt adversùs Cornelium [illegible], ita ut defectionem, [illegible] moliti fuerant, jam in [illegible] ucerent; quod utique sic re[illegible] S. [illegible] epist. ad Fabium Episcopum Antiochenum, [illegible]: Ut vero intelligas hunc ad[illegible] Novatianum [illegible] pridem in Episcopatu petendo ambitione [illegible] esse, & ean[illegible] & effrænatam cupiditatem occultasse [illegible] & simu[illegible], ac tanquam involucrô, [illegible] m tegeret, ipsô initiô Confessores [illegible] bos locum habuisse, ibi volo apertè ost[illegible] Presbyter [illegible] Maximus, & Urbanus [illegible] stris, qui bis ex con[illegible] fidei Cor[illegible] mam gloriæ amplitudinem collegerant [illegible] item, & Cel[illegible] vir [illegible] Dei [illegible] tus [illegible] & [illegible] ac [illegible] firmata, strenu[illegible] ter ab adv[illegible] portaverat cùm Novatianum attent[illegible] considerassent, & c[illegible] dam [illegible] fraudem, versutiam, perjuri[illegible] [illegible] restem in[illegible] ab omni [illegible] communione alienam, ver[illegible] atoriam de[illegible] star lupi amicitiam deprehendissent; [illegible] ad S. Ecclesiam reverterunt: [illegible] fallacias & malefici[illegible] quæ lo[illegible] intimo pectore obtex[illegible] [illegible] Episcopis [illegible] Presbyteris, [illegible] plorimis, palam ost[illegible] & [illegible] ac querela cum d[illegible] de[illegible] lorare cœ[illegible] [illegible] & [illegible] ad e[illegible] um d[illegible].

XIV. In [illegible] illustres alii Confessores pellit [illegible]

XVI. Et Episcopus fuerit factus.

Seductis semel Confessoribus, quid Novatianus præsumpserit, idem subdit, sic dicens: Vix credibile est, charissime frater, quantùm in motibus varietatem, quantam mutationem exiguô momentô in illo factam conspexerimus. Nam splendidissimus iste scilicet, qui inusitatô, ac terribili jurejurandô adjectô, fidem suis fecerat, se non aliquando Episcopatum suis appetivisse, tanquam ex fallaci quadam præstigiarum impostura in medium projectus, derepentè Episcopus apparuit. Etenim iste novæ sectæ inventor, & doctrinæ Ecclesiasticæ propugnator, quando Episopatum à Deo certè minimè ei donatum sibi vi arripere, & ex hominum manibus quodammodo extorquere nitebatur, duos sibi socios de sua ipsorum salute propè desperatos adscivit, ut eos in exiguam aliquam partem, & minimum quasi Italiæ angulum mitteret: indeque Episcopos tres, homines aggrestes, rudes, ac simplices, simulatione quâdam veteratoriâ, in fraudem inductos abduceret; asserens & constanter affirmans, eos quàm celerrimè debere Romam venire, ut videlicet omnis lis & discordia per sententiam illorum, & aliorumque Episcoporum interpositam dirimeretur.

Episcopi igitur, quoniam, ut suprà diximus, homines simpliciores erant, & in perditorum fallaciis, dolisque discernendis minùs perspicaces, Romam adventant. Iste tum per quosdam sui similes, ad eam rem comparatos, eos in unum locum concludendos curavit. Ac cùm circiter horam decimam ebrios, & crapulâ oppressos cerneret, vi coëgit, imaginatâ quâdam, & vanâ manuum impositione Episcopatum sibi tribuere, quem dignitate gradum parum sibi accommodatum ad hunc modum per fraudem & astutiam acquisivit. Ex quibus Episcopis unus non longè pòst, peccatum flebiliter lamentatus, & idem apertè confessus, *ad* Ecclesiam revenit: quem populô universô pro eo rogante, tandem ut laïcum in communionem recepimus, atque alios, qui in reliquorum duorum Episcoporum loca, qui eum creassent, succederent, misimus.

XVII. Quá numerosus esset tunc temporis clerus Romanus.

Istum igitur lepidum Evangelii Patronum Novatianum omnino præteriit, scilicet *unum solum Episcopum oportere esse in hac Ecclesia Catholica*, in qua tamen non ignorabat (quomodo enim poterat?) Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acoluthos quadraginta duos, Exorcistas & Lectores unà cum Ostiariis quinquaginta duos, viduas & alios morbô atque egestate afflictatos mille & quingentos, quos omnes Dei gratia, & benignitas abundè sustentat. Sed tamen nemo ex tanta ministrorum multitudine, tamque in Ecclesia necessaria; nemo ex tanto egentium numero Dei providentiâ locupleratum, & rerum abundantiâ circumfluente; nemo denique ex maxima illa, & innumerabili populi frequentia, istum quem dico Novatianum, ab ea desperata mentis cæcitate, & contumacia avertere, & ad Ecclesiam denuò revocare potuit. *Subdit rursum* Novatiani artes in suo schismate fulciendo: Cùm fecisset, *inquit*, oblationes, & singulis partem Sacramenti distribuisset, porrexissetque, miseros homines & infelices pro benedictione, & gratiarum actione jusjurandum dare coëgit, atque suis utrisque manibus manus accipientis prehendens, non priùs dimisit, quàm hoc jurejurandô eum obstrinxisset (illius enim verbis utar) *Iura mihi per corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, te nunquam nec me deserturum, nec ad Cornelium reversurum.* Atque miser homo non ante degustavit, quàm ita illi se devovisset, & pro *Amen*, quod dicere debuerat, hoc dixit: *Non deinceps ad Cornelium revertar.* His & similibus artibus suam sectam augebat in dies Novatianus ut apparebit ex

§. II.

De progressu hæresis Novatianorum.

XVIII. Legatos ad omnes Ecclesias dirigit.

NOvatianus igitur eô modô factus Pseudopontifex, è vestigio de sua electione ad diversas Ecclesiæ misit Epistolas, in quibus narrata furiùs in Cornelium Papam crimina scripta erant; quæ utique maximam in Ecclesia Dei tentationem invexerunt; cùm non solùm ab ipsis Authoribus Novatiano atque Novato scriptis litteris per universum orbem calumniæ in Cornelium spargerentur; sed etiam confirmarentur illustrium Confessorum epistolis, quorum ob diuturnitatem carcerem gloria erat apud omnes Christi fideles insignis. Quod ipse Cornelius testatur epist. apud sanctum Cyprianum 46. scribens: Cùm ad omnes Ecclesias eorum nomine litteræ calumniis & maledictis plenæ, eædemque frequentes missæ essent, ea ex causa, ut ait, omnes pene perturbatæ sunt Ecclesiæ, & complures ex eis errore deceptæ, cogitantes se errare non posse, si eorum assectarentur vestigia, qui Christum toties magnâ gloriâ confessi essent.

Maximè ad Alexandrinam.

His autem in epistolis maximè significabat Novatianus se invitum ac renitentem creatum fuisse Episcopum, eâ ratione execrandum excusans schismatis facinus, ut dolosè Ecclesiarum, ad quas scribebat, communicationem subriperet, ut colligere licet ex epist. sancti Dionysii Episcopi Alexandrini, quam refert sanctus Hieronymus in Commentario de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui Novatiano rescribens, hæc habet: *Nolentne ad Sacerdotium fueris inductus, ita demum ostendes, si volens cesseris; nam oportuit quidvis etiam hâc gratiâ perpeti, ne discinderetur Ecclesia Dei, neque minùs præclarum ex hoc contigisset testimonium, quòd noluisses dissidium inducere, quam proficisci solet ex eo, siquis recuset simulachris immolare, atque adeo præclarius etiam meâ quidem sententiâ, siquidem illuc uni propriaque consulitur animæ: hîc totius Ecclesiæ negotium agitur; tametsi nunc quoque si persuaseris, si contuleris fratres in concordiam redire, plus egeris officiô, quàm peccaveris erratô.*

Et Carthaginensem.

Sicut autem ad Alexandrinam, & Orientis Ecclesias Novatianus litteras dedit; ita pariter apud Occidentales idipsum præstitit, nec-non & apud Africanas; testatur enim S. Cyprianus epist. 55. Novatianum ad Ecclesiam Carthaginensem legatos misisse unà cum litteris, eo tempore quo Carthaginensem Synodum celebrabat: at cùm Episcopi Africani, qui Romam fuerant delegati, ut rescirent, & compertum haberent utrum calumniæ in Cornelium diffamatæ, veræ essent, necne, tunc etiam rediissent, renuntiârunt Cornelium omnino innocentem; ac legitimè & Canonicè Romanum Pontificem electum fuisse: quod utique cùm significassent, non solùm sancto Cypriano (ad quem per dictos Episcopos in Africam redeuntes scripserat Cornelius Papa) sed etiam aliis Præsulibus, quos ex diversis Ecclesiis Africanis Carthagine in Synodum elegerat san-

ctus Cyprianus, omnes consenserunt Cornelio, & Novatianum repudiârunt, ut declarat saoctus Cyprianus epist. 42. his verbis : *Honoris etiam communis memores, & gravitatis Sacerdotalis, ac sanctitatis respectum tenentes, ea qua ex diverso in librum ad nos transmissum congesta fuerant, acerbationibus criminosis respuimus : considerantes pariter & ponderantes, quod in tanto fratrum, religiosoque conventu consedentibus Dei Sacerdotibus, & altari posito, nec legi debeant, nec audiri.*

XIX. Sed ab omnibus repudiantur.

Absolutâ autem Synodô scripserunt Patres ad Cornelium Papam epistolam Syoodicam, ut eum certiorem facerent de damnatione Felicissimi, & Sociorum, qui volebant lapsis in persecutiooe continuò veniam esse largiendam : sed illæ epistolæ desiderantur ; scripsit etiam ad euodem S. Cyprianus, imò etiam adjecit litteras ad Coofessores lapsos & Novatiano consentientes, quas à Cornelio Papâ priùs inspici voluit, eâ nimirum cautelâ, ne ad schismaticos scribendo falsò idem jactarent, Cyprianum cum illis communicare.

Hæc cùm rescivisset Novatianus annô 254. irâ percitus, Novatum unà cum aliis Sectatoribus delegavit io Africam, ad illam Ecclesiam evertendam, cujus legationis cùm certiorem fecisset sanctus Cornelius sanctum Cyprianum, audiissetque per scriptam à Cornelio epistolam, adjunctos Novato legatos esse plurium criminum reos, statim admonuit cæteros Coëpiscopos Africanos, nec-non & omnes fideles, sacrilegos caverent homines, quorum etiam crimina circularibus datis epistolis publicè voluit innotescere, ut constat ex epist. 58. S. Cypriani. Maximæ utilitatis fuit Novati ac sociorum ab urbe discessio; nam qui ab eo detinebantur in errore, illo recedeote confestim ad Ecclesiam reversi sunt, maximè illustres illi Confessores, qui Novatiano adhæseraot ; hi enim datô libellô supplici veniam de erratis deprecati sunt, & ut reciperentur in Communionem Cornelii summis votis, ac gemitibus postulârunt, ut narrat sanctus Cornelius epist. quæ est 46. apud sanctum Cyprianum ; *Quorum voluntate cognitâ*, inquit, *magnus Fraternitatis concursus factus est, una vox erat omnium Deo gratias agentium : gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos, quasi hodie pœnâ carceris fuissent liberati.* Porro eorum Confessorum revocationem errati, ac professionem his verbis conceptam ibidem refert : *Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum à Deo omnipotente, & Christo Domino nostro scimus ; nos errorem nostrum confitemur ; nos imposturam passi sumus, circumventi fuimus perfidiâ, & loquacitate captiosâ. Nam etsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico & heretico homine habuisse ; sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignoramus verum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.*

XX. Etiam à confessoribus qui ad Ecclesiæ unitatem petitâ veniâ redeût.

Perlatis autem in Africam ; & in alias Provincias Coroelii Papæ litteris de recantatione Confessorum lapsorum, tum etiam qui Novati ac Sociorum astutiâ decepti fuerant in Africa, pariter relevari sunt, de quibus saoctus Cyprianus ad Cornelium epist. 47. ita scribit : *Hic enim quosdam fratres nostros error induxerat, quòd sibi communicationem Confessorum sequi viderentur : quô errore sublatô, lux omnium pectoribus infusa est ; & Ecclesia Catholica una esse, nec scindi, nec dividi posse monstrata est : nec quisquam jam facilè poterit schismatici furentis verbis loquacibus decipi, quando probatum sit bonos, & gloriosos Christi milites non potuisse diu alienâ fallaciâ & perfidiâ extra Ecclesiam detineri.* Hôc maximè nuntiô firmatus est Aotonianus in Numidia Episcopus, qui cùm à Cornelii partibos priùs stetisset, postmodum Novatiani litteris permotus nutare cœpetat. Sed depositâ vacillatione Novatiano prorsus renuntiavit. His tamen eventibus, quamvis felicissimis non potuit omoino extingui Novatiana lues ; quapropter opus fuit varia diversis in Provinciis cogere Coocilia, quibus decerneretur quâ ratione, & quibus lapsis danda esset venia peccatorum.

Et eorum occasione plurimi convertuntur.

§. III.

Quibus in Conciliis damnati fuerint Novatianorum errores?

XXI. Damnatur Novatiana hæresis in Concilo Romano.

ID maximè factum est in Syoodo Romana annô 255. nam de eo Concilio ita scribit Eusebius lib. 5. Historiæ cap. 35. Ob quam rem, inquit, *nempe Novatianum lapsos à Pœnitentia excludentem*) Concilium maximum Romæ cogitur, in quo sexaginta Episcopi, atque Presbyteri totidem, atque amplius uoà cum Diaconis in unum conveniunt. A Pastoribus separatim per singulas cujusque regionis Proviocias, quid de ea re agendum esset deliberantibus colloquia fiunt. A quibus tandem decernitur Novatianum, ejusque fautores tantâ superbiâ ioflatos, & quotquot illius inhumanissimæ, & à fraterna charitate alienissimæ opinioni assentirentur, in eorum oumero, qui erant ab Ecclesia exclusi haberi : fratres autem qui caso iofelici prolapsi fuissent, Pœoitentiæ medicamentis curari, & ad sanitatem restitui.

Nec-non & Feliciana ipsi directè opposita.

Cùm autem hôc tempore duas inter se contrarias Schismaticorum factiones, pari tamen conatu adversus Ecclesiam Catholicam conspirarent, quarum alterius *Novatianus*, alterius verò *Felicissimus* Diaconus Africanus quondam à Novato ordinatus, quorum ille aiebat, neminem lapsorum in Ecclesiam esse recipiendum ; hic verò lapsos omnes absque Pœnitentia mox suscipi debere, quæ etiam fuerat prior Novati sententia : sed postmodum ad oppositam declinavit : inter hæc duo extrema Catholica incedens Ecclesia, viâ mediâ, sic lapsis pacem dabat, ut tamen præviâ pœnitentiâ ipsi sibi aditum patefacerent.

XXII. Simul & in Concilio, Carthaginensi.

Hoc autem statutum est nedum in illo Coocilio Romano, sed etiam in aliis plurimis ; maximè verò in Africano, seu Carthaginensi celebrato aonô 255. cui interfuerunt quadraginta duo Episcopi, ut constat ex epistola Synodica ad Cornelium Romanum Pootificem missa, quæ est nom. 54. apud saoctum Cyprianum, io qua caosam proferuot, cur imminente persecutione lapsis veniam postulaotibus, & agentibus Pœniteotiam judicârent esse conccdendam : Obtemperandum namque est, *inquiunt*, ostensionibus, atque admooitionibus justis, ut à pastoribus oves in periculo non deserantur, sed grex omnis in unum coogregetur, & exercitus Domioi ad certamen militiæ cœlestis armetur. Meritò enim trahebatur dolentium Pœnitentia tempore longiori, ut infirmis in exitu subveniretur ; quandiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas, & subvenire serò morientibus in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis,

» iofirmis ; sed fortibus pax est necessaria ; nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda est : ut quos excitamus & hortamur ad prælium, oou inermes & nudus relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus. Et cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela ; quos tutos esse contra adversarium volumus, munimentô Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodò docemus, aut provocamus, eos in confessione nominis sanguinem suum fundere ; si eis militaturis Christi sanguinem denegamus ? Aut quomudò ad Martyrii poculum idoneos facimos, si non eos priùs ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?... Nec quisquam dicat, qui Martyrium tulit, sanguine baptizatur : nec pax illi ab Episcopo necessaria est, habituro gratiæ suæ pacem, & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem. Primò idoneus esse noo potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium : & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit. *At post multa :* Ne igitur ore oostrô, quô pacem negamus, quô duritiam magis humanæ crudelitatis, quàm divinæ & paternæ pietatis dulcedinem apponimus, oves nobis commissæ à Domino reposcaotur ; placuit nobis, sanctô Spiritû suggerente, & Dominô per visiones multas, & manifestas admonente ; quia hostis nobis imminere prænuntiatur & ostenditur, colligere intra castra milites Christi ; & examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare, immò pugnaturis à me suggerere : quod credimus vobis quoque pateroæ misericordiæ contemplatione placiturum.

XXIII. *Felicianistæ Pseudo-Episcopum Carthaginensem instituunt.*

Cùm autem omnem navaret operam S. Cyprianus, ot Novatianos ex Africa propulsaret, eorumque pestilens dogma eliminaret ; diabolus salutis, ac veritatis Evangelicæ adversarius, aliam ipsi ex diametro oppositam novi belli ansam præbuit. Accidit enim ut privatus veterator hæreticus unà cum suis asseclis ad præfatam Synodum Carthaginensem veneric, quasi causam suam acturus ; sed cùm jam pluries fuisset damnatus, ab eadem Synodo rejectus est : qua de re furiis agitatus collectis secum sociis, ibidem Carthagioe adversus S. Cyprianum creavit Pseudo-Episcopum Fortunatum, ut narrat S. Cyprianus epist. 55. ad Cornelium. Fortunatus autem cum suis sociis Romam delegant Felicissimum hæresiarcham ad Cornelium Papam, ab eo, si fieri posset, communicationem subrepturum, & multa in Cyprianum oblocuturum, ut ibidem refert sanctus Cyprianus, ubi scribit : Felicissimum illum hostem Christi non novum, sed jampridem ob crimina sua plurima, & gravissima abstentum, & ooo tantùm mea, sed plurimorum Coëpiscoporum sententiâ condemnatum, rejectum à te illic esse ; & cùm venisset stipatus catervâ, & factione desperatorum, vigore plenô, qoô Episcopos agere oportet, pulsum de Ecclesia esse, de qoa jampridem cum sui similibus, Dei majestate, & Christi D. & Judicis nostri severitate depulsus est, ne schismatis & dissidii author, oe pecuniæ commissæ sibi fraudator, ne strupratur virginum, ne matrimoniorum multorum depopulator atqoe corruptor, ultra adbuc sponsam Christi incorruptam, saoctam, pudicam, præsentiæ suæ dedecore, & impudicâ atque incestâ contagione violaret.

XXIV. Refert etiam ibidem S. Cyprianus semel & iterum rejectum Felicissimum à Cornelio, ut allatas à se ab Africa litteras acciperet ; nec tamen illis minitantibus Cornelium acquievisse, qoi nihilominus paulò permotus, quòd de re tanta oihil ad eum scripsisset sanctus Cyprianus, acriùs ipsum redarguit ; excosat nihilominus se, quòd accusatorum ipsius vehementer exagitaretur molestiis, ut colligi potest ex eadem epistola Cypriani ad Cornelium, in qua *scribit :* Lectâ aliâ tuâ epistolâ, Frater, quam primus litteris subjunxisti, satis miratos sum, cùm aoimadvertissem te minis, atque terroribus eorum, qui venerant, aliquantùm esse commotum : cùm te, secundùm quod scripsisti, aggressi essent cum somma desperatione, comminaotes, quòd si litteras, quas attulerant, non accepisses, publicè eas recitarent, & multa turpia, ac probrosa, & ore suô digna proferrent. Quòd si ita res est, Frater charissime, ut nequissimiorum timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non possuot, temeritate ac desperatione perficiant ; actum est de Episcopatûs vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestare : nec Christiani ulrà aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, atque insidias pertimescamus.

Sed à Summô Pontifice repudiatur.

XXV. *Quantâ animi cõstantiâ resistendum sit Hæreticis.*

Qualis autem esse debeat Sacerdotis & Episcopi constantia in amovendis, & propulsandis indignis à Sacramentorum participatione, ibidem significat, cùm *ait :* Amplector promptâ & plenâ dilectione cum Pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili & simplici confitentes. Si qui autem sunt, qui putant se ad Ecclesiam non precibus, sed minis regredi posse, aut existimant aditom se sibi ooo lamentationibus, & satisfactionibus, sed terroribus facere, pro certo habeat contra tales clausam stare Ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta & fortia, & Dominô tuente monita, minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Christi præcepta custodiens occidi potest, non potest vinci.

Nota.

Intereà cùm sæviret in Christianos persecutio sub Imperatoribus Gallo & Volosiano, in exilium ab eis ejectus est S. Cornelios, unà cum plurimis aliis Clericis Romanis, ubi eum S. Cyprianus epist. 57. consolatus est, & in qoa mirum in modum ejus coostantiam extollit, in qua pariter Novatianum carpit, quòd ipse persecutionem effugeret, nec errorem deponeret, sed adhuc graviùs & se, & suos vuloeraret. In perniciem, *inquit,* fratrum linguâ suâ perstrepens, & facundiæ venenatæ, jacula cootorquens, magis durus sæcularis Philosophiæ pravitate, quàm Philosophiæ Domioicæ lenitate pacificus, desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector Pœnitentiæ, Doctor superbiæ, veritatis corruptor, proditor charitatis. Agnoscit ne jam qui sit Sacerdos Dei ? quæ sit Ecclesia, & domus Christi ? qui sint Dei servi, quos diabolus infestet ? qui sint Christiani, qoos Anti-Christus impugnet ? Neqoe enim quærit illos, quos jam subegit ; aut gestit evertere ; quos jam suos fecit. Inimicus hostis Ecclesiæ, quos alienavit ab Ecclesia, & foras duxit, ot captivos & vinctus contempsit, & perdidit : eos pergit lacessere, in quibus Christum credit habitare. Quanquam etsi aliquis ex talibus fuerit apprehensus, noo est, quòd sibi, quasi in Confessione nominis blandiatur ; cùm coostet, si occisi hujusmodi extra Ecclesiam fuerint, fidei coronam oon esse, sed pœnam potius

In exilium mittitur S. Cornelius.

At Novatianus declinat persecutionem.

esse perfidiæ; nec in domo Dei inter unanimes habituros esse, quos videmus de pacifica & divina domo, furore discordiæ recessisse.

Quem sectatores falso Martyrem prædicât.

Coronatô autem per Martyrium Corneliô, in ejus locum suffectus est Lucius, qui itidem Martyriô in eadem persecutione coronatus est: quorum SS. Pontificum cùm mirandam animi constantiam celebrarent Catholici, itidem de suo Novatiano jactârunt ejus Sectatores; scribit enim Socrates, & ipse sectâ Novatianos lib. 4. cap. 23. Novatianum, quem Novatum nominat, Martyriô sub Valeriano occubuisse; imò Novatiani suæ sectæ authorem ante sanctum Cyprianum Martyrium consummasse prædicabant. Verùm, *inquit*, sanctus Pacianus epist. 2. scriptâ ad Sympronianum Novatianum: Novatianus martyrium nunquam tulit ...... Porro etiam si passus est aliquid Novatianus, non tamen etiam occisus, etiamsi occisus, non tamen coronatus. Quidni? extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet esse, qui Martyr est ...... Cyprianus autem in concordia omnium, in pace communi, in Confessorum grege passus est, & sæpe confessus iteratis persecutionibus, & multâ laceratione vexatus, & novissimè salutari calice propinatus est, hoc fuit coronari.

Petes 1. *Quodnam fuerit Novatianorum dogma?*

XXVI. Quæ fuerint Novatianorum dogmata.

Respondeo, Eusebium lib. 6. cap. 43. illud prodere, cùm scribit: *Novatus* (scribere debuit Novatianus) *Ecclesiæ Romanæ Presbyter, arrogantiâ quâdam & fastidiò contra eos electus, qui in persecutione lapsi fuerant, asseruit, non amplius illis, quamvis omnia quæ viderentur ad veram Pœnitentiam, ad Conversionem animorum, ad duram Confessionem spectant, omnino peragerent, spem ullam salutis relinqui: unde propria cujusdam secta, & erroris eorum, qui præ inflatâ mentis insolentiâ seipsos* Κάθαρος, *id est, puros & vacuos ab omni labe peccati asseruerant, Author & dux fuit.* Addit sanctus Pacianus epist. 1. eos Montanum & Priscillam & Maximillam secutos, multiplices controversias excitasse de Paschali die, de Paracleto, de Apostolis, de Prophetis, multaque alia: sicut & hoc Catholico nomine, de venia, de Pœnitentia, &c.

Insuper cùm se *puros* ac *mundos* subnominarent, secundas nuptias damnabant, ut testatur sanctus Augustinus lib. de Agone Christiano cap. 31. ubi de Novatianis ait: *Isti sunt, qui viduas si nupserint tanquam adulteras damnant, & super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores, qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quàm mundos vocarent.*

Petes 2. *Vtrum reverà Novatiani assererent, eos omnes, qui post acceptum Baptisma in peccatum relaberentur, ab omni spe salutis excludi?*

Respondeo, verisimilius esse illam non fuisse eorum sententiam, sed tantùm quòd qui à susceptione Baptismi in aliquod mortale peccatum incidissent, non amplius ad Ecclesiam, & Fidelium Communionem essent recipiendi; nec penes Ecclesiam jus ullum, aut potestatem esse reconciliandi peccatores. Quod utique colligitur primò ex sancto Paciano, qui epist. 1. postquam Ecclesiæ nomine hæc scripsit: *Nunquam Deus peccatori comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti*, inducit Novatianum objicientem; *Solus Deus poterit*: cui sic respondet Pacianus. *Verùm est, sed quod per Sacerdotes facit ipsius potestas est.* Ex quibus verbis patet Novatianum non exclusisse spem salutis, sed tantùm existimasse peccantes non posse reconciliari Deo per ministerium Ecclesiæ. Item epist. 3. inducit Novatianum dicentem: *Nescio an remitti peccatum ab Episcopis possit.* Et infrà, *sed pœnitenti peccata dimitti; etenim tantùm in Baptismate tibi liceat relaxare peccatum.* Ad quæ Pacianus, *Non mihi planè, sed Deo soli, qui & Baptismate donat admissum, & pœnitentium lacrymas non repellit. Cæterùm quod ego facio, non meo jure, sed Domini.* Infrà: *Sive Baptismum, sive ad Pœnitentiam cogimus, sive veniam pœnitentibus relaxamus, Christô authore id tractamus, tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit.* Ex quibus verbis patet Ecclesiæ controversiam cum Novatianis fuisse tantùm de potestate, quæ sibi à Christo relicta fuisset. Medium quod assumit sanctus Pacianus, ut stabiliat partem affirmantem, erat quia Christus id potest & Ecclesia, quæ dum peccatoribus veniam concedit, non suâ, sed Christi D. potestate utitur.

Petas 3. *Vtrum Novatiani negantes in Ecclesia esse jus & authoritatem ad remittenda peccata, loquerentur de omni peccatorum genere?*

XXVII. Quod fuerit Novatianorum dogma circa jus Ecclesiæ in remittendis peccatis.

Respondeo, Novatum, de omni quidem peccatorum genere censuisse; Discipuli autem ejus sententiam sic temperârunt, ut voluerint in Ecclesia esse jus remittendi peccata leviora, non autem graviora. Ita disertè testatur sanctus Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 2. ubi de Novatianis scribit: *Sed aiunt se exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem author vestri erroris Novatus, qui nemini Pœnitentiam dandam putavit, eâ scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret, ne ligando separati à se faceret solutionem. Ideo igitur Patrem vestrum propriâ damnatis sententiâ, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini: Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit: Sed culpam exaggeravit, exaggeret etiam Pœnitentiam: Majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatus probatur, qui veniam interclusit omnibus: nec vos imitatores ejusdem, & condemnatores, qui ibi minuitis studia Pœnitentiæ, ubi augeri oportet: quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia. Quæ autem ista perversitas est, ut vobis vindicetis possibilia concessu, Deo (ut ipsi dicitis) impossibilia reservetis? Hoc est sibi eligere causas ignoscendi, Deo materiam relinquere feriendi.*

Petes denique, *Vtrum Novatiani non existimantes, veniam se pœnitentibus dare posse, Pœnitentiam tamen peccatoribus imponerent?*

Affirmat S. Cyprianus epist. 52. ubi carpit Novatianorum insanum dogma, quòd Pœnitentiam peccatoribus imponerent, & ad eam hortarentur: attamen remissionem peccatorum, quæ per Absolutionem conceditur, auferebant. Inde ibidem exclamat: O miserorum lamentantium caduca deceptio! ô hæreticæ institutionis inefficax & vana traditio! hortari ad Satisfactionis Pœni-

[illegible] & [illegible] tuo [illegible] & [illegible] ultuti [illegible] igenter [illegible] nullam [illegible] capite [illegible] Vel si es, cui do[illegible] & dicas Ma[illegible] mereat frater, [illegible] robotibus intexe, [illegible] velut [illegible] ticetur atque ac[illegible] metur [illegible] bus non videbis. [illegible] fit atque [illegible] inter [illegible] turi D[illegible] nus [illegible] pœnitentibus blan[illegible] dititur, [illegible] crudelitate dum [illegible] ductus Pœ[illegible] pœnitentia ipsa tolla[illegible] [illegible] pœnitentia, [illegible] que ex[illegible] Dominum [illegible] cun[illegible] misericors & pius est, per Sacer[illegible] potestatem posse conce[illegible] admittendus est [illegible] gemitus, & Pœnitentiæ [illegible] do[illegible] neganda. Ita [illegible] Cyprianus. Idem habet sanctus Ambrosius libro 1. de Pœnit. cap. 2. *Ecclesia*, inquit, *in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet. hæresis in altero sævitiæ, in altero inobedien[illegible] vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit*, &c.

Cæterum Novatianus cùm non exiguæ esset [illegible] plures libros scripsit; de eo namque [illegible] Hieronymus, quod libros [illegible] Paschate, de [illegible], de Circumcisio[illegible] de Oratione, de cibis Judai[illegible], de Attalo, & de Trinitate gran[illegible] quod plerique [illegible] Tertulliano tribuunt [illegible] Tertulliano [illegible] operum [illegible] illud adjecit [illegible]

His [illegible] prænotatis, quinque occurrunt hoc in Articulo determinanda: *Primum* utrum detur in Ecclesia remedium aliquod ab [illegible] institutum, quo peccata post Baptismum [illegible] remittantur, illudque sit verum Sacramentum quod sit à Christo D. institutum: *Secundum*, quænam sit hujus Sacramenti materia: *Tertium*, quæ sit ejusdem forma: *Quartum*, qualis esse debeat: *Quintum*, quis sit hujus Sacramenti effectus.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Pœnitentia sit Sacramentum [illegible] à Christo D. [illegible]

I. Variæ hujus Sacramenti appellationes. **N**Otandum primò, Sacramentum Pœnitentiæ [illegible] apud SS. Patres sortiri [illegible]: [illegible] vocatur Sacramentum [illegible] seu [illegible] tiæ; quia omnes ejus [illegible] nam & [illegible] includunt. Contritio [illegible] [illegible] annexum Confessio [illegible] tem. *Secundò* [illegible] Sacerdoti [illegible] idem [illegible] forma est [illegible] 14. q. 4. num. [illegible] *dam* [illegible] *reum.*

1. Sacramentum pœnitentiæ. *Secundò*, ab [illegible] dicitur [illegible] nominatione meminit C[illegible] sess. 14. cap. [illegible] in Pœnitentia [illegible] Baptismus [illegible] *nis est prætere[illegible] per Baptismum* [illegible] *in illo effi[illegible] cimur creatura* [illegible] *omnium* [illegible] *quam tamen novitatem* [illegible] *pœnitentiæ sine mag[illegible]* [illegible] *per[illegible] mus, ut merito Pœnitentia labo[illegible] m Baptismus à SS. Patribus dictus est.*

2. Baptismus laboriosus.

3. Lavacrum lachrymarum. *Tertiò*, [illegible] & [illegible] C[illegible] cunda [illegible] sanctus N[illegible] oratione in [illegible] vocans [illegible] lem, qu[illegible] a primo Bapt[illegible] quæ iter[illegible] lis non e[illegible]

4. Manus impositio. *Quartò* [illegible] *manuum* [illegible], sumptó nomine à cæ[illegible] clesia [illegible] Sacer[illegible] absolvens, [illegible] pœnitenti [illegible] sic appellari docemur [illegible] Co[illegible] Can. 76. *Reconcilietur*, inquit, *per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Sancto Augustino lib. 3. de Baptismo cap. 16. *Manuum autem impositio sicut Baptismus repeti non potest.* S[illegible] Paciano epist. 3. *Iam manus Sacer[illegible]* [illegible] *exhibendas*, &c. Sanctus Leone epist. [illegible] cap. [illegible] *convivio Gem[illegible]* [illegible] *jejuniis, & manuum impositione pur[illegible]*

5. Secunda post naufragium tabula. *Quintò* appellatur *Secunda post naufragium tabula*. Ita Concilium Tridentinum [illegible] & sess. 14. Can. 2. [illegible] etiam [illegible] Pœnit. cap. 4. *[illegible] ita vade, ita arripe* [illegible] *ut naufragus [illegible] tabula fidem.* Ita etiam sanctus Pacianus epist. 9. *naufrago tabulam, ne invadas, eripies.* Sic denique sanctus Hieronymus epist. 9. *Ne statim [illegible] Pœni enim subsidio blandiantur* [illegible] *vulnus* [illegible] *ut* [illegible] *ver tabula* [illegible] *ad ma* [illegible] *saxa collidi.*

6. Exomologesis. *Sextò* appellatur *Exomologesis*, id est, Confessio seu Communicatio [illegible] quia [illegible] peccata sua confitentur, [illegible] Ecclesiasticâ communione. Sic Tertullianus [illegible] de Pœnit. cap. [illegible] *actus qui magis* [illegible] *vocabulo exprimitur* [illegible] *frequentatur. Exomologesis est, qua de* [illegible] *intelligens* [illegible] *confitemur* [illegible] [illegible] inquit [illegible]

municationis accipiant: nunc crudo tempore, per cussione adhuc perseverante, nondum restitutâ Ecclesiæ pace ad C[illegible] tionem admittuntur, nondum Pœnitentia [illegible] nondum Exomologesi factâ, nondum manu [illegible] Episcopo & Clero impositâ, Eucharistia illis datur. Alias etiam his [illegible] es appellationes obti[illegible] d jam convenit inter Doctores post [illegible] ncilia [illegible] otentinum & Tridentinum, ut [illegible] nitentiæ Sacramentum nominetur.

II. Pœnitentia sumitur pro actu, habitu, & signo facto. [illegible] andum secundo, Pœnitentiam trifariam accipi quandoque pro actu, interdum pro habitu, sæpe vero pro signo exteriori. Pro actu quidem displicentiæ de peccato commisso: quâ ratione spectat ad voluntatem se [illegible] determinantem ad vindicandum pe[illegible] tum, il[illegible] dque detestandum, & pœnam uidictam acc[illegible] tandam, ac patienter peccati vindictam toleran[illegible] m. *Pro habitu* verò, quatenus ex ej[illegible] modi pec[illegible] indicta, detestatione, & acc[illegible] tatione, ac perpessione pœnæ comparatur habitus inclinans ad eliciendos similes actus iis à quibus genitus est. *Pro signo* autem [illegible] teriori, non[illegible] ocu que, [illegible] exhibito à pœnitente & confitente peccatum suum tanquam [illegible] displicens, propter quod subjicit se authoritati Sacerdotis habentis facultatem eum absolvendi; ac subinde signum istud sensibile ex parte pœnitentis connotat etiam absolutionem sensibilem ex parte Sacerdotis, quæ sit signum absolutionis interioris passivæ ipsius Pœnitentis: signum, inquam, non naturale, sed arbitrarium, & ad placitum institutum; quo sensu Pœnitentia dicitur Sacramentum. Utrum autem reverà Sacramenti rationem, & dignitatem habeat, & à quo tempore utramque obtinuerit, determinandum est in hac quæstione.

III. Sacramentum Pœnitentiæ non fuit in lege naturæ & Moysis. *Notandum tertiò*, certum esse, quòd Sacramentum Pœnitentiæ, qualiter usurpatur, & frequentatur in Ecclesia, non fuerit institutum in lege naturæ, nec in Mosayca; quippe cùm nondum esset instituta potestas clavium, quæ à passione Christi derivatur, & ab eo concessa est Apostolis ante suam in cœlum Ascensionem; ac subinde tunc non erat institutum quod aliquis deleret de peccato cum proposito subjiciendi se per Confessionem & satisfactionem c[illegible] vibus Ecclesiæ sub spe consequendæ veniæ, ipi[illegible] tu & virtute Passionis Christi Domini. [illegible] uc licèt in lege naturæ & Mosayca fuerit aliquod Sacramentum institutum, in remedium peccati actualis post primam justificationem commissi, ne scilicet deficeret medicina contra morbum quotidianum; illud tamen non erat ejusdem rationis & speciei cum Sacramento legis gratiæ, ut unanimi calculo nunc docent Theologi contra nonnullos veteres contendentes in lege veteri fuisse verum Pœnitentiæ Sacramentum, de quo explicant illud Apostoli ad Hebræos 9. quod summus Pontifex introibat semel in anno in Sancta Sanctorum non sine sanguinis effusione, quem offerret pro sua & populi ignorantia: quod tamen rejicitur ex eodem Apostolo ibidem dicente, quod *sanguis taurorum & vitul[illegible] [illegible] inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*: Non er[illegible] o censet Apostolos sang[illegible] m habuisse vim sanctificandi ad emunda[illegible] piritûs.

Adde quod [illegible] sequeretur sacrificium istud [illegible] sse excellentius & efficacius, quàm sacrificium Missæ: quod quidem non delet ex opere [illegible] ecata in eo, pro quo offertur etiamsi [illegible] m[illegible] etiam excellentius esset Sacramento Pœnitentiæ novæ legis; quippe cùm unum & idem num[illegible] acrifi[illegible] simul sancti[illegible] caret offerentem, & il[illegible] s p[illegible] [illegible] qui in fine u[illegible] o[illegible] atione c[illegible] [illegible] arium omnis species & numerum pe[illegible] quod utique necessarium est, ut v[illegible] um sit [illegible] e legis Sacramentum.

Superest igitur determinandum *Primo* utrum Pœnitentia in iis [illegible] terioribus ex [illegible], cui verbum Absolutio[illegible] Sa[illegible] oralis a[illegible] t verum ac propriè dictum novæ legis S[illegible] um: *Secundo*, utrum sit a[illegible] mod[illegible] *Tertio*, [illegible] m a Chr[illegible] sto D[illegible] o inst[illegible] n, & quo tempore.

CONC[illegible] USI[illegible] PR[illegible] MA.

IV [illegible] *Docuit Ecclesia Catholica verum ac propriè* [illegible] *um Sacramentum Pœnitentiæ* [illegible] x citatæ fide determinata in variis Conciliis, m[illegible] e Florentino in decreto Eugenii, & Trident[illegible] sf. 14. Can. 1. his verbis: *Siquis dixerit* [illegible] *Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & pr[illegible] cramentum pro fidelibus quoti[illegible] p[illegible] B[illegible] in peccata labuntur, ipsi Deo reconc[illegible] iandis, a C[illegible] nostro institutum, anathema sit.* Q[illegible] m[illegible] ue [illegible] ctrinam fatentur etiam ipsi hæretici C[illegible] æ & Lutherani à quingentis & ampl[illegible] us ann[illegible] lesia receptissimam esse: quam non m[illegible] S[illegible] mentorum Magister, ut omnes post e[illegible] sch[illegible] læ Theologicæ tradiderunt, sed etiam e[illegible] pares Authores optimi quique. Ita [illegible] docuit [illegible] clesia.

V. Verùm nedum ab eo tempore, [illegible] omni [illegible] rsus ævo Sacramentu[illegible] istud ab E[illegible] isse [illegible] tum & frequentatum, *Probatur* ex Scriptura sacra, quæ disertis verbis significat collatam esse à Christo Domino authoritatem remittendi peccata, & ab eis absolvend[illegible] am e[illegible] n authoritatem promittit suis Discipulis Matth 16. & 18. illam autem contu[illegible] it Joan. 20. ut egregiè docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. *his verbis*: Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in suos Discipulos, dicens: *Accipite S. Spiritum, quorum rem[illegible] seritis peccata, remi[illegible] tuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* quo tam insigni factô, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos Fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatum, universus Patrum consensus semper intellexit; *unde post pauca concludit*: Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans & rec[illegible] iens, damnat eorum commentitias inte[illegible] qui verba illa ad pot[illegible] prædicand[illegible] n Dei, & Christi Evang[illegible] an untiandi c[illegible] tra hujus Sacramen[illegible] stitutionem falsò detorquent. Et Ca[illegible] 3. ejus[illegible] m se[illegible] nis definit: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris*: ACCIPI[illegible] SPIRITUM SANCTUM, *&c. non esse intelligenda* [illegible] *potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad authorit[illegible] prædicandi Evangelium, anathema sit.*

Hoc etiam fatentur Patres Concilii Carthaginensis in epist. Synodic[illegible] apud [illegible] Cyprianum *num.* 54. quam scribu[illegible] a[illegible] lium summum Pontificem, qui ut[illegible] sos nonnisi diu acta Pœnitentia [illegible] iculum infirmitatis, aut persequ[illegible] urgens, esse[illegible] volvendos

[illegible] dos ad p[illegible]em auth[illegible] [illegible] rend[illegible] [illegible] ntur [illegible] p[illegible] [illegible] qui in [illegible] sta [illegible] ab [illegible] fario. [illegible] [illegible] culas- [illegible] d Po[illegible] [illegible] & perten- [illegible] [illegible] ac- [illegible] enim [illegible] pater- na [illegible] divina [illegible] [illegible] & [illegible] dep[illegible] fa- [illegible] den[illegible] de [illegible] [illegible] & pa[illegible] ad Dominum [illegible] per[illegible], qui lege [illegible], ut [illegible] etiam [illegible] esse [illegible] aut [illegible] que [illegible] in Eccl sia [illegible]

[illegible] Ec- clesi[illegible] & doct[illegible] antiqui Patres Pœnit[illegible] p[illegible]llant [illegible]mentum, eamque Sacr[illegible] sic [illegible] T[illegible] ut Montani hæ- res[illegible] de [illegible] loquens de pec- [illegible] [illegible] cum [illegible] Deus [illegible] [illegible] adhuc permit patere. C[illegible] secund[illegible] [illegible] in [illegible] p[illegible] prima [illegible] [illegible] dominica [illegible] & adhuc [illegible] [illegible] cur salutem tuam [illegible] ri [illegible] aggredi, quod [illegible] mederi tibi?

U[illegible] Pœnitentiam expressè Sacramen- tum [illegible] app[illegible] [illegible] indicat, dum ejus vim cum Baptismo [illegible] confert Hoc au- tem [illegible] docet S[illegible] Nyss[illegible] in lib. de vita Moysis, ubi [illegible] Moyses per [illegible] inundare quis Erennum [illegible] quantum, qualeque si Pœnitentiæ Sacramentum docet. Simi- liter [illegible] Augustinus epist. 180. ad [illegible] tatum. An non cogitamus inquit, cùm ad istorum per[illegible] pervenitur extrema, nec [illegible] n[illegible] quantus in Ecclesia fiere [illegible] [illegible] atque adeo [illegible] omni ætate [illegible] al[illegible] Baptismum flagitantibus, aliis reconciliatio- nem, aliis [illegible] Pœnite[illegible] actionem [illegible] bus [illegible] & [illegible]mentorum [illegible] [illegible] erogationem, & [illegible] [illegible] verbis: Qui [illegible] [illegible] ista obligamenta, nisi tempore alia Sacramenta? Tum sub[illegible] exempla Eu[illegible], & [illegible] impositio[illegible] P[illegible] peccatores recon[illegible] liter V[illegible] tennensis Episcopus, qui [illegible] circa [illegible] lib. de Pœnitent. cap. 10. D[illegible] dixit in Evangelio, quibus [illegible] peccatorum, ut intelligatis quanti faciat Pœnitentia Sacramen- tu[illegible]

[illegible] que tantùm eam [illegible] Sacramentum esse [illegible] sed & [illegible] [illegible] u harsstu, & cum [illegible], quæ [illegible] propriè dici[illegible] [illegible] Ex C[illegible] 3. de Sac[illegible] Non [illegible] Sa- c[illegible], cùm regenerant, sed etiam postea con- don[illegible] peccatorum obtinent potestatem. Ex C[illegible] Al[illegible] in Joan. cap. 12. [illegible] modis ho[illegible] Spiritu pleni, [illegible] peccata remittunt [illegible] [illegible] ad [illegible], ac indignos ex[illegible] vel cùm filios [illegible] peccantes [illegible] tip[illegible] nitentibus [illegible] noscunt.

[illegible] sio 1. de Pœnit. cap. 7. C[illegible]

tis, si per hominem peccata remi[illegible] licet: in Ba- ptismo enim utique remissio peccatorum omnium est: nec interest utrum per Pœnitentiam, an per lava- crum h[illegible] jus sibi datum Sacerdotes sibi vendicent: unum [illegible] utroque ministerium est. Sed dices, quia in lavac[illegible] peratur mysteriorum gratia. quid in [illegible]nuentia [illegible] nne Dei nomen operatur? Ex S. Leone epist. 91 [illegible] T[illegible]codorum Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per B[illegible] gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam [illegible] vita reparetur æternæ.

Hanc veritatem prob[illegible] Doctor in 4. dist. 14. quæst. 4. num. 3. Primò quidem, quia pos- sibile est Sacramentum institui, quo remittantur peccata per modum absolutionis seu sententiæ de- finitivæ. Secundò, quia congruit: Tertiò, quia factum est. Primum, inquit, ostenditur per hoc, quòd possibile est Deo animam absolvere à pec- cato, juxta illud Symboli: Remissionem pecca- torum. & per consequens possibile est instituere aliquod [illegible] illius absolutionis, & hoc si- gnum [illegible], ut priùs expositum est, in ma- teria de Sacramentis in universali, & pari ra- tione verba [illegible]cunque, à [illegible]cunque Mini- stro prolata, & tunc patet lata possibilitas illius [illegible]tion[illegible]

Quantum ad congruitatem, probatur hoc. Primò, quia [illegible], congruum est aliquod esse [illegible] sensibile [illegible] absolutionis propter eas- dem rationes, propter quas dictum est dist. [illegible] de congruitate Sacramenti in communi. Et [illegible] propter easdem congruum est illud esse signum institutum à Deo, quia & magis movebit, & ducet intel- lectum in certitudinem, & magis inclinabit af- fectum ad promptitudinem suscipiendi illud si- gnum. [illegible] congruit etiam in proposito, illud si- gnum [illegible]tionis interioris, institui in verbis significantibus Absolutionem, ut signum repræ- sentet signatum.

Congruit etiam, quòd ista Absolutio exterior fiat à Sacerdote, quia congruit extrema per me- dium reduci in extremum, & ita in Hierarchia Ecclesiastica, extremos, scilicet peccatores re- duci in Deum per Hierarcham, id est, Sacerdo- tem, sicut est in Ecclesia triumphante. Congruit etiam, quòd à jurisdictionem habente, quia sententia à non suo Judice lata, nulla est. Con- gruit etiam, quòd requiratur intentio debita, [illegible] suprà expositum est in aliis Sacramentis. Congruit etiam ex parte susceptivi, quod sit pœ- nitens [illegible] est, habens aliquam displicentiam de peccato commisso: hoc enim videmus etiam in Judiciis temporalibus, quod protervum sen- tentialiter condemnant, Pœnitentem verò suô modô absolvunt, id est, tanquam non reum, vel non puniendum sententiant. Huc usque Doctor, quibus possibilitatem & congruitatem hujus Sa- cramenti facti apertè demonstrat. Quod id reve- ra fuerit constitutum, docet ibidem nu. 5. hisce verb[illegible] Tertiò dico quòd hoc factum est. Cujus (prosequitur) fundamentum accipitur ex authori- tatibus adductis ad oppositum. Nempe authori- tates Scripturæ sacræ, quas præmisimus.

VIII. Confirmatur: Signum sensibile perpetu[illegible] à Christo D. institutum, gratiæ sanctificantis ef- fectivum est novæ legis Sacramentum propriè dictum; sed externa Pœniten[illegible] cum accepta Sa- cerdotis absolutione, habet hos omnes cha- racteres: Primò namque est signum sensibile, tam ex parte Pœnitentis confitentis sua pecca- ta, & de eis [illegible] dolentis, quàm ex parte

Sacerdotis abso[illegible] vendis; siqui[illegible] A bet authoritatem conc[illegible]ssam à C[illegible] re[illegible]itten di peccata, non qu[illegible]em per [illegible] ter nos; modus enim ille non est p[illegible] homin[illegible], qui noscit interna per externa, [illegible] per corporalia: nam Ch[illegible]us D. [illegible] tem Apostolis contulit ut eam exer[illegible] in pœnitentes, tanquam Judices in eos, [illegible]t fori exterioris: Unde [illegible]nctus Hieronymus [illegible] st. ad Heliodorum: *Absit ut de iis quidquam [illegible] trum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Ch[illegible] corpus sacrò ore conficiunt, per quos [illegible] C[illegible]stiani sumus qui claves regni cœ[illegible] [illegible]entes quodammodò ante diem Iudicii judicant.* Judices autem incognitá ca[illegible] ju[illegible]care nequeunt, ac [illegible]binde debet esse [illegible]iqu[illegible] B pœnitens sua Sacerdoti [illegible]ccata manif[illegible] eissim Sacerdos [illegible] ei pœnitenti [illegible] vi[illegible]e, & authoritate De[illegible] remittere.

Secundo, est signum perpetuum, [illegible] testas illa absque limitati[illegible]ne temporis & durati[illegible] a Christo D. concessa [illegible] Apost[illegible]is, ac eorum successoribus, ut i[illegible]lam exercerent in omnes p[illegible] sus peccatores ad [illegible] confugientes. [illegible]cut ergo nusquam in [illegible] deerunt, q[illegible] pe[illegible] post Baptismum; ita [illegible]essaria semper erit in [illegible]cclesia illa potestas ab[illegible]lvendi ab ejusmodi peccati.

T[illegible]tio, signum istud est à Christo D. institutum; siquidem D. *Matth.* 16. Di[illegible]cipulos alloquens in persona Petri, ait: *Dabo tibi claves regni cœlorum; & quodcunque solveris super [illegible]am, &c.* Unde *M[illegible]th.* [illegible] omnes Aposto[illegible] C [illegible]quens, ait: *Quæcunque solveritis supe[illegible] [illegible]ram, erunt [illegible] & in [illegible] &c.*

Similiter *Ioan.* 20. omnes Discipulos sim[illegible] [illegible]gregatos alloquens, distinctè pronuntiat: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quibus verbis Christus D. tribuit Apostol[illegible] [illegible]testatem ligandi & solvendi, retinendi & re[illegible] di peccata: quæ authoritas non erat in lege vet[illegible] ac subinde est nova institutio.

Denique signum istud est gratiæ eff[illegible] [illegible]um nam remissio peccatorum de lege [illegible] non fit nisi per infusionem gratiæ, ut [illegible] de gratia justificante: ergo [illegible] D di pec[illegible]ta includit promissio[illegible] & effectus supernatural[illegible]

Reponebant N[illegible] S [illegible]um epist. 3. [illegible]æfata verba C[illegible] Joannis [illegible] pertin[illegible] duntaxat ad [illegible]nos, de quibus loquitur *Matth.* 28 d[illegible] Apostolis: *Ite, docete omnes Gentes, bapti[illegible] &c.* Itaut quod Matthæus non absolv[illegible] Joannes c[illegible], significando [illegible] virtutem [illegible]am peccati repromis[illegible] A[illegible]stolis tan[illegible] ex[illegible]rceri debere per co[illegible] Baptismi.

C[illegible] [illegible]angelistarum [illegible] for[illegible] [illegible] opere [illegible] det sanctus [illegible] [illegible]um [illegible] d [illegible]um [illegible] qu[illegible] Chri- E stus D. *Ioa[illegible]* [illegible]once[illegible], [illegible] in erat *Matth.* 1[illegible] [illegible]romisit [illegible]anc potestatem, d[illegible] respectu [illegible]catum b[illegible] [illegible] exerce[illegible] S[illegible] definitè loquitur, aitque *[illegible]unque [illegible] eritis super terram*, &c. *Terr[illegible]* Quæ concessit Christ[illegible] [illegible] 20. ea promi[illegible] Petro *Mat[illegible]h.* 1[illegible] [illegible]cens: *[illegible] hanc Petra[illegible] ædificabo Eccle[illegible]m [illegible] per terram.* [illegible] ro[illegible] [illegible]andi F[illegible] ab[illegible] [illegible]as, quam [illegible] pro-

[illegible] A [illegible] st[illegible] cl[illegible] ig tur [illegible]

Rep[illegible] b[illegible] b. S. dict[illegible] fiunt co[illegible] D[illegible] am imm[illegible] ba[illegible] *pe[illegible]* co *rep[illegible]um, &c.*

Con[illegible] [illegible] tanq[illegible] ctat[illegible] ad[illegible]ceptu[illegible] [illegible]tandas [illegible] [illegible]s [illegible] venia omni[illegible] B st[illegible] particul[illegible] cont[illegible] pe[illegible] in Deo [illegible] [illegible] est [illegible] tian [illegible]

Repo[illegible]chant [illegible] S. Am[illegible]br[illegible] de *Pœnit.* [illegible] p. 2. [illegible] D[illegible] v[illegible] [illegible]quidem, Apost[illegible] c[illegible] à Christo ad re[illegible] [illegible]

Contra primò. C[illegible] lo[illegible] exe[illegible]e, d[illegible] en [illegible] Ambrosius ibidem: *[illegible] qui [illegible]ericordiam sua[illegible] omn[illegible] [illegible] sace[illegible] [illegible] S[illegible] cun[illegible]* inc[illegible]us sit peccatu[illegible] ssim[illegible] C Pa[illegible]s habuit pote[illegible] i & [illegible] dr[illegible] m lig[illegible] [illegible]um cum [illegible] unic[illegible] v[illegible] [illegible]didit Satanæ in interi[illegible]um [illegible] ut [illegible] fieret [illegible]lvit ve[illegible] t [illegible] 2. [illegible] *cui aut[illegible] m quid donastis [illegible] si quid d[illegible] propter [illegible]* Hoc [illegible] oritat[illegible] c[illegible] Unde ib[illegible] 6. [illegible] *ur [illegible]tur P[illegible] m. [illegible] am imp[illegible] r c[illegible] rasse[illegible] ut [illegible] ut [illegible]ret Domini [illegible] vendicav[illegible] acceptum, no[illegible]*

Rep[illegible]nunt quartò Ca[illegible] æ aut[illegible] am D remitten[illegible] peccata [illegible]n[illegible] m esse q[illegible] c[illegible] tatem prædicandi [illegible]ium, & [illegible] fidem qui peccator co[illegible] rtitur ad Deum, & credit [illegible] divinam m[illegible] sibi [illegible]: igitur [illegible] eam [illegible]h[illegible] tem non inte[illegible]itur ju di[illegible] d[illegible]endum à pec[illegible].

Po[illegible] limitum [illegible] peccata [illegible] stinguitur [illegible] potest[illegible] p[illegible]di[illegible] Evangelium.

Contra. Nam C[illegible] *Ioan.* [illegible] Ap[illegible] po[illegible], q[illegible]am [illegible] non [illegible] t[illegible] ante p[illegible] sta- tem a[illegible] E G[illegible] &

[illegible] *ad oves quæ [illegible] runt* [illegible]. Si[illegible], quam *M[illegible]* 28 & [illegible] 16. dat [illegible]untian[illegible] E [illegible]entibus [illegible] *Ioan.* [illegible] mt S. Ch[illegible] mit[illegible] 3. *per ea verba [illegible] stus dedit potest[illegible] [illegible] nec [illegible]lis nec Arc[illegible] [illegible] ad A[illegible]*

[illegible] am [illegible] es at [illegible] po[illegible].

Insuper Prædicator quidem Evangelii annuntiat solutionem ac remissionem, sed non eam efficit: at Christus disertè asserit peccata remitti per Ministros suos, ait enim: *Quæcunque solveritis, &c.* Non enim dixit: Quæcunqoe declarabitis soluta aut ligata, sed quæcunque solveritis, & ligabitis. Rursus Salvator hanc potestatem promittens Petrum alloquendo, ait: *Dabo tibi claves regni cœlorum.* At claves non solùm sunt signa, & imagines apertionis, sed etiam vera ejus instrumenta, quando ab aliquo applicantur; nec solùm significant, sed activè efficaciter ad claudendum & aperiendum concurrunt: igitur & potestas B. Petro, ejusque Successoribus concessa, non solùm in prædicatione, aut declaratione & significatione versatur, sed reverà coocurrit saltem instrumentariè moraliter ad remissionem peccatorum. *Denique* prædicatio Evaogelii potest rectè fieri coram Paganis, ut convertantur ad fidem: non possunt autem pagani infideles absolvi à peccatis suis per claves Ecclesiæ, & per absolutionem Sacramentalem; siquidem hæc Absolutio est actus Jurisdictionis: Ecclesia autem non habet authoritatem in paganos, & eos qui nondum baptizati sunt, ut dicit S. Paulus 1. ad Cor. 5. *Quid ad me de his, qui foris sunt judicare? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit.*

Reponunt quintò, alii per illa verba *Joan.* 20. eatenus dari potestatem Apostolis remittendi peccata, quatenus datur eis facultas denuntiandi illa esse remissa.

Contrà: Christus D. non ait: *Quorum declaraveritis peccata remissa, sed quorum remiseritis, &c. Deinde*, ad declaranda peccata remissa non opus est clavibus, sed solùm voce & tubâ: quemadmodum interdum Reges & Principes voce præconis denuntiant se remittere offensam subditis priùs perduellibus. *Rursus*, Christus D. similem dedit Apostolis authoritatem remittendi peccata, *Joan.* 20. ei quam ipse habebat: nam ait: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Unde S. Chrysostomus homil. 85. in Joan. *Suum iis relicturus erat ibi ministerium.* Et lib. 3. de Sacerdotio: *Pater habet omnifariam potestatem, & hanc Filio tradidit, & filius Apostolis*, per hæc verba: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Quare Apostolus 2. ad Cor. 5. ait: *Dedit nobis ministerium reconciliationis.... pro Christo ergo legatione fungimur:* Sed Christus non modò recoociliavit exhortando, sed etiam ipsa reverà remittendo, ut ipse significat *Matth.* 9. *Ut sciatis; quia Filius hominis habet potestatem remittendi peccata, &c.* Igitur, &c. *Denique* SS. Patres docent Sacerdotes novæ legis habere potestatem peccata condonandi post Baptismum, & reverà nos purgare, ac mundare à peccatis: non autem solùm probare ac declarare, quòd ab eis simus mundi: nam, inquit S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio: *Corporis lepram purgare, seu veriùs dicam, non purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat....; At verò nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ sordes; non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

X. Per eam non solùm peccata declarantur remissa, sed reverà remittuntur.

Opponunt tertiò: Ad omne Sacramentum requiritur verbum, & elementum ab aliquo Ministro adhibitum: ait enim S. Augustinus tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Et B. Isidorus lib. 6. originum, cap. 19. *Baptismus, Chrisma, Corpus & Sanguis Christi ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretiùs operatur:* Sed in Pœnitentia nullum est elementum; nec adhibentur aliquæ res corporales, sub quibus divina virtus salutem operetur: igitur: &c.

Distinguo minorem: Non adhibentur aliquæ res corporales, aut aliquod elementum propriè dictum; quemadmodum fit in Baptismo, de quo solo ibi sermonem instituit sanctus Augustinus, concedo: impropriè dictum, nego: siquidem signa quibus pœnitens sua declarat peccata, & conceptum de eis dolorem osteodit, nec non & verba absolutionis Sacerdotalis sunt quid sensibile, non quidem tactui, aut visui, sed auribus; suntque significativa veræ ablutionis à peccato. Quòd autem non intelligat S. Augustinus elementum propriè dictum, apparet: nam aliàs sequeretur Eucharistiam non esse verum sacramentum, quippe cùm ex elemento propriè dicto non conficiatur.

XI. Quô sensu Pœnitentiæ Sacramentum constet re sensibili.

Opponunt quartò: Non alia prædicatur in nova lege Pœnitentia, qoàm in veteri, ut significat S. Paulus *Actor.* 26. Nihil extra dicens, quàm ea, " quæ Prophetæ locuti sunt futura esse & Moyses: " sed in lege veteri Pœnitentia non erat Sacramen- " tum: ergo nec in oova.

Distinguo majorem: Non alia prædicatur Pœnitentia, quatenus est virtus, transeat: quatenus est Sacramentum, nego: in lege enim veteri oon fuit dictum, sicut in nova: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Adde quòd hæretici pravum in sensum Apostoli verba detorqueant: non enim ait Apostolus se non prædicare aliam Pœnitentiam, quàm quæ prædicabatur à Moyse, & Prophetis; sed se nihil annuntiare, nisi quæ Prophetæ prædixerant de Christo D. ac futura esse denuntiaverant.

Objiciebant Novatiani, ut refert S. Ambrosius concione 8. in Psal. 118. *Facilitas veniæ, incentivum præbet delinquendi:* Sed Deus noo potest incentivum delinquendi instituere: instituisset autem si facultatem hominibus dedisset absolvendi à peccatis: igitur, &c.

Distinguo majorem: Facilitas veniæ ex sola clementia indulgentis, & condonantis offensam, incentivum præbet delinquendi, quando nulla exigitur pœna, & laboriosa satisfactio ex parte delinquentis, concedo: quando exigitur, nego: non fit autem per Pœnitentiam Sacramentalem remissio peccatorum absque pœna ex parte delinquentis; siquidem satisfactio est una ex partibus Pœnitentiæ. Adde quòd negari possit major: nam, ut præclarè docet S. Augustinus homil. 27. ex quinquaginta, ubi hanc objectionem solvit: *Si clauderetur aditus Pœnitentiæ, nonne ille peccator, tantò magis adderet peccata peccatis, quantò magis sibi desperaret ignosci? diceret enim sibi; ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniæ nullus est locus, Pœnitentia infructuosa est. Damnatus sum, quare jam non vivo, ut volo? quia ibi non invenio charitatem, hîc saltem pascam cupiditatem meam... ergo si tuleris jugum Pœnitentiæ, augebuntur peccata, &c.*

XII. Facilitas veniæ non præbet incentivum peccandi.

Objiciebant insuper Novatiani apud S. Ambrosium lib. 1. de Pœnit. cap. 7. illud 1. Reg. cap. 2. *Si peccaverit homo in hominem, orabunt pro eo ad Dominum: si autem in Dominum peccaverit homo, quis orabit pro eo?*

Respondeo primò, oraculum illod spectare ad vetus Testamentum; non autem pertinere ad legem Evangelii, in quo concessa est Ecclesiæ Sacerdotibus authoritas absolvendi à peccatis.

Respondeo secundò, quòd si illa verba usurparentur in sensu Novarianorum, consequens esset, quòd nullus hominum posset pro altero peccatore orare.

Tertiò dico cum S. Ambrosio ibidem, non esse scriptum: Nullus orahit pro eo: sed, Quis otabit? Hoc est, quis ille sit, qui in tali causa orare possit? qoæritur, non excluditur. *Denique* habes in Psalmo 15. *Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Non enim oullus, sed probatus habitabit. Nec hoc dicit, quòd nemo requiescat; sed tequiescat electus: ut scias hoc esse verum, quod ooo multò post in Psal. 23. ait: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Id est, oon quicuoque de vulgo, nec plebeiæ veritatis aliquis; sed vitæ egregiæ, singularisque meriti. Et ut scias quia cùm dicitur, *quis*, non intelligitur nullus, sed *aliquis* significatur, cùm dixisset: *Quis ascendet in montem Domini?* subjecit: *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam.* Et alibi: *Quis sapiens, & intelliget hac?* Nunquid dicit, quia nullus intelliget. Et in Evangelio: *Quis fidelis dispensator & prudens, quem constituet Dominus super familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram?* Et ut comprehendas, quia de eo dixit, qui utique est, noo de eo qui non est, subjunxit: *Beatus ille servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem.* Et illud ita opinor dictum: *Deus quis similis tibi?* Non utique oullus; quia imago Patris filius est. Similiter igitur accipiendum: *Quis orabit pro eo?* Hoc est, singularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Domioum, quia quò major culpa, eò majora sunt quærenda suffragia: Non enim quicuoque de vulgo pro Judæorum populo; sed Moyses rogavit, quaodo vituli caput fidei immemores adoraverunt. Nunquid erravit Moyses? At certè quia noo erravit, qood rogavit & meruit & impetravit: Qoid enim talis affectus non impetraret, quando se objecit pro populo, dicens: *Et nunc si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem dele me de libro vitæ:* Vides, quia noo tanquam deliciosus intercessor, & fastidii plenus sibi consulat, ne offensionem contrahat: quod Novatiaous metuere se dicit; sed magis omnium memor, sui immemor, offendere non timebat ipse, ut plebem ab offensionis periculo erueret & liberaret. Meritò ergo scriptum est *quis orabit pro eo?* Hoc est talis, qualis Moyses se offerat pro peccatoribus: talis qualis Hieremias, cui cùm esset dictum à Domino Deo nostro, *noli orare pro populo isto:* tamen oravit & veoiam promeruit. Ita S. Ambrosius.

Conclusio Secunda.

XIII. Sacramentum Pœnitentiæ distinguitur à Baptismo.

P*Oenitentia est Sacramentum à Baptismate distinctum; & subinde remissio peccatorum, quæ fit per Pœnitentiam, non fit per simplicem Baptismi suscepti recordationem.* Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino sess. 14. can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentia Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta, distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.* Probat hanc authoritatem cap. 2. quintuplici ratione petitâ ex parte essentiæ, Mioistri, subjecti, effectûs, & appellationis utriusque Sacramenti: *Cæterùm*, inquit, *hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *multis rationibus à Baptismo differre dignoscitur; nam præterquam quod materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur* (quippe materia & forma Baptismi est ablutio simul cum verbis significantibus eam fieri in virtute sanctissimæ Trinitatis; Pœnitentiæ verò, quasi materia, sunt actus Pœnitentis; forma verò est absolutio Sacerdotalis verbis concepta.) *Constat certè Baptismi ministrum Iudicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus: Quid enim mihi*, inquit Apostolus ad Cor. 5. *de iis qui foris sunt judicare? secus est de domesticis fidei; quos Christus D. lavacrò Baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos si se posteà crimine aliquò contaminaverint, non jam repetitò Baptismò ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nullâ ratione liceat: sed ante hoc tribunal, tanquam reos sisti voluit: ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsam pœnitentes confugerint, possent liberari.*

Ut optimè docet Concilium Trident. num.

Quibus verbis Coocilium apertè declarat manifestum esse Pœnitentiæ discrimen à Baptismate, non solùm ex parte materiæ & formæ utriusque Sacramenti, sed maximè ex parte ministri; quippe cùm Baptismi minister sit in casu necessitatis quilibet homo; Pœnitentiæ verò solus Sacerdos. Similiter subjectum utriusque distinctum est; Baptismus enim ministrari potest cuilibet, etiam Pagano & Gentili: Pœnitentia verò solis Fidelibus, quia exercetur per modum judicii, quod tantùm vim habet erga Ecclesiæ filios & subditos. Insuper Baptismus conferri potest etiam pueris, & amentibus; Sacramentum verò Pœoitentiæ solis adultis ratione utentibus.

Apparet etiam utriusque Sacrameoti discrimen ex diversitate eorum effectûs & applicationis: nam, inquit Concilium, Alius est Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus; per Baptismum enim Christũ induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente Justitiâ, pervenire nequaquam possumus, ut meritò Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à SS. Patribus dictus fuerit: nempe Cypriano lib. de lapsis, Nazianzeno oratione in sancta lumina, Damasceno lib. 4. de fide cap. 10.

Confirmatur: Christus D. *Ioan.* 20. dat Apostolis potestatem noo solùm remittendi, sed etiam retinendi peccata: sed hæc potestas prorsus esset frustranea, si peccatorum remissio, quæ fit per Pœoitentiam, esset duntaxat suscepti Baptismi recordatio: non enim Sacerdotes prohibere possunt, quomioùs Fideles suscepti Baptismi recordentur: igitur Sacramentum Pœnitentiæ non est simplex Baptismi recordatio.

Dices: Non alia est novæ legis Pœnitentia ab ea, quam prædicavit S. Joanoes: sed *Marci* 1. *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum:* igitur Pœoitentia novæ legis non distinguitur à Baptismo.

XIV. Distinguitur etiam à Pœnitentia, quam prædicabat S. Joannes.

Distinguo minorem: Noo alia est Pœnitentia virtus, concedo: Sacramentum nego: Duplex enim est Pœoitentia; una quidem virtus, quæ fuit necessaria omoi tempore universis hominibus, qui se mortali aliquò peccatò inquinassent, ad gratiam assequendam, etiam illis, qui Baptismi Sacramentò initiari cupiebant, ut diximus: alia

XV. Quò sensu S. Fulgentius Pœnitentiam appellet baptismum alterum.

Capitulum Tertium.

XVI. Christus D. Pœnitentiæ Sacramentum immediatè instituit.

XVII. Post suam resurrectionem.

Dices: Tunc institutum fuit Sacramentum Pœnitentiæ, cùm potestas clavium est Apostolis collata: sed illam potestatem Christus D. Apostolis tradidit ante suam Passionem, nempe *Matth.* 18. cùm dixit: *Amen, dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Igitur tunc fuit a Christo D. institutum sacramentum Pœnitentiæ.

Licèt fuerit antea promissum. *Nego minorem* Eo loci enim dumtaxat promissa fuit Apostolis potestas clavium ad remittenda, vel retinenda peccata; non autem de facto fuit eis collata, quia hæc potestas solùm spectat ad Sacerdotes, ut probabimus infra: Apostoli autem, dum Christus hæc dixit *Matth.* 18. nondum erant Sacerdotes, quippe qui hanc dignitatem duntaxat obtinuerunt in nocte cœnæ; ac subinde ibi fuit potius promissio conferendæ potestatis clavium, quàm vera & realis illius collatio.

Instabis: Perperam igitur, ad astruendam institutionem hujus Sacramenti, proferunt Catholici verba illa Christi D. dicentis Petro *Matth.* 16. *Dabo tibi claves regni cælorum.* Et *Matth.* 18. quando omnibus Apostolis dixit: *Quæcunque solveritis, &c.*

Nego sequi, nam etiamsi Christus D. solùm exhibuerit potestatem absolvendi post Resurrectionem, tamen disertè eam jam pollicitus fuerat præfatis locis; unde eùm nec mentiri, nec fallere possit, promissiones illæ erant velut arrhæ, & tanquam pignora ac rudimenta futuræ post Resurrectionem institutionis.

Urgebis: Si tantùm *Joan.* 20. Christus D. dedit Apostolis potestatem absolvendi, sequitur, quòd illi soli eam facultatem habuerunt, qui præsentes erant, cùm hæc protulit, ac subinde quòd S. Thomas eâ potestate caruit; statim enim post

XVIII. Quomodo hæc potestas in S. Thomam absentem fuerit derivata. præfata verba: *Accipite Spiritum sanctum*, subjungitur: *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus.* Sed hoc consequens est absurdum, alioqui S. Thomas incompletam omnino ac imperfectam authoritatem Apostolicam habuisset: itur, &c.

Nego sequelam majoris Nam, inquit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. cap. 5. *Dicimus virtutem Spiritus ex insufflatione dantis Christi, in omnes Discipulos pertransisse: non enim quibusdam, sed omnibus Discipulis dedit. Quare liberalitate dantis non solum præsentes, sed etiam absentes Apostoli, Spiritum sanctum acceperunt: quod autem non violenta, sed tuta veraque ista ratio sit, authoritate S. Scripturæ monstrabimus. Jussit Deus quondam Moysi (Num. 21.) septuaginta seniores Judæorum eligere. Dixit autem de Spiritu, qui erat in Moyse, ablaturum se, atque impositurum in illis. Cum vero Heldad & Medad de 70. Seniorum numero in Synagoga remansissent, ac Spiritus omnibus illis 70. immissus fuisset prophetabant [illegible] qui erant cum Moyse, prophetabant autem etiam illi duo qui aberant. & [illegible] ab [illegible] mas, à participatione Spiritus decidit, cùm è numero [illegible] eorum quibus dignitate Apostolatus decoratis Spiritus debebatur.*

Dices secundò: [illegible] D. *Joan.* [illegible] andem dedit Apostolis a[illegible] remittendi peccata, quam ipse acc[illegible] dominus sup[?]tà num. [illegible] ait enim: *Sicut misit me [illegible] Pater, & ego mitto* [illegible] sed ipse [illegible] oncedit peccator[illegible] bique [illegible] al[illegible] acc[illegible] ergo per [illegible] ver[illegible] [illegible]pite [illegible]tum sanctum, &c. non censetur instituisse aliquod Sacramentum, quo necessario uti debebant Apostoli, eorum Successores ad d[illegible]nda peccata post Baptismum commissa.

Distinguo majorem Habuerunt eandem, id est, omnimodam, nego: id est, similem & participatam, concedo: quamvis enim Apostoli potestatem reconciliandi peccatores similem ei quam [illegible] acceperat a Patre, tradiderit [illegible] D. in[illegible] tamen non [illegible]quitur eandem & omnino æqualem eis tradidisse; siquidem Christus habebat potestatem ex[illegible] lei tiæ, quæ nullis externis [illegible] rat al[illegible] trata, ut pote cùm ille esset verus Deus, verusque Dei Filius, penes quem est facultas [illegible] dondi peccata plenariò jure, & independenter ab omni signo sensibili, Apostoli autem habebant duntaxat potestatem participatam, & alligatam signis exterioribus Baptismi, & Pœnitentiæ. Ad authoritatem verò S. Joannis dico, per eam intelligi posse missionem illam, quâ Christus mittebat Discipulos ad annuntiandum Evangelium medias inter hominum persecutiones, sicut ipse a Patre missus fuerat, ut interpretatur sanctus Gregorius homil. 26. in Evangelia, ubi explicans ea verba, ait: *Pater filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit, quem videlicet in mundum venire ad Passionem voluit: sed tamen amavit eum, quem ad Passionem misit. Electos vero Apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. [illegible] ergo & filius amatur a Patre, & tamen ad Passionem mittitur, [illegible] & Discipuli a Domino amantur, qui tamen ad Passionem mittuntur in mundum. Itaque recte dicitur: sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos, id est, ea charitate vos diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, quâ me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Quænam sit materia Sacramenti Pœnitentiæ?

NOtandum primò, omnia Sacramenta novæ legis constare materia & formâ, ut docet Concilium Florentinum in decreto [illegible], ubi enumeratis novæ legis Sacramentis, ait: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Porro in quibus Sacramentis materia hæc [illegible] x, remota videlicet & proxima, sic in [illegible] remota proxima est ab[illegible] ext[illegible] lot[illegible] aqua naturalis.

Insuper utraque materia esse potest duplex, una [illegible] na sacramenta fiunt, & componuntur; alia [illegible] rò, circa quæ Sacramenta versantur. Quæritur ergo, quænam sit materia tam remota, quàm proxima sacramenti Pœnitentiæ.

Notandum secundò certum esse, quòd [illegible] pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, & satisfactio concurrant per modum materiæ [illegible] cramentum Pœnitentiæ; hoc enim docet [illegible] lium Florentinum loco supra citato: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, [illegible] quasi materia sunt actus pœnitentis, qui [illegible] distinguuntur partes. Quarum [illegible] contritio [illegible] quam pertinet, ut doleat [illegible] to [illegible] propositio non pe[illegible] [illegible] ecunda [illegible]*

Confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia, Satisfactio pro peccato secundùm arbitrium Sacerdotis: quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemosynam. Idem statuit Concil. Tridentinum *seß.* 14. *cap.* 3. ubi ait: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenam & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Quæ Concilia signanter hos pœnitentis actus appellant *quasi materiam*; quia videlicet ex eis non constituitur Sacramentum Pœnitentiæ tanquam materia ex qua, sed tantùm sicut materia circa quam istud occupatur.

III. Omnes partes Sacramenti non constituunt ex æquo illius essentiam.

Notandum tertiò, quòd etiamsi ad confectionem alicujus Sacramenti plura ita necessariò concurrant, ut sine illis Sacramentum nec fieri, nec existere posset; illa tamen omnia non habent rationem Sacramenti, neque sunt illius partes essentiales, ut patet in Eucharistia, ad cujus confectionem necessariò concurrunt verba consecrationis; attamen species consecratæ habent rationem Sacramenti, etiamsi verba consecratoria amplius non existant: Similiter in Baptismo ablutio activa absolutè necessaria est ad illius confectionem; ejus tamen formalis ratio potissimùm consistit in ablutione passiva. Unde fit, quòd licèt res & verba concurrant ad confectionem Sacramenti, utrumque tamen ad Sacramenti essentiam ex æquo non spectat; sed in alterutro tantùm maximè consistit formalis ratio, ac vis præcipua Sacramenti, quia alterutrum eorum majorem refert similitudinem gratiæ, quàm significat, & efficit. Sic in Baptismo v. g. quia ablutio solvens corporis sordes majorem habet similitudinem cum gratia abluente animam à peccatis; idcirco ratio significationis ipsius gratiæ, magis consistit in ipsa ablutione, quàm in invocatione Trinitatis; quæ fit cum ipsa actuali ablutione.

Duo itaque hìc occurrunt determinanda: *Primum*, an, & quæ peccata sint materia remota Sacramenti Pœnitentiæ: *Secundum*, utrum, & quomodo actus pœnitentis sint materia proxima, circa quam Sacramentum istud occupatur.

IV. Sola peccata commissa post baptismum sunt materia remota pœnitentiæ.

Conclusio Prima.

Sola & omnia peccata post Baptismum commissa, sunt materia remota circa quam Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc est communis apud Theologos, eamque apertè docet Concilium Tridentinum *seß.* 14. *cap.* 1. ubi cùm recensuisset Sacramenti Pœnitentiæ institutionem, statim *subdit:* Quô tam insigni factô, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. *Et cap.* 2. *aperiens discrimen Sacramenti Pœnitentiæ à Baptismate, ex parte Ministri, ait:* Constat certè Baptismi Ministrum Judicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus: *Quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de iis, qui foris sunt judicare?* Secùs est de domesticis fidei, quos Christus D. lavacrô Baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos, si se postea crimine aliquô contaminaverint..., ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari, unde subdit circa finem capitis: Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus. Quibus verbis Concilium apertè significat sola peccata post Baptismum ritè susceptum commissa, esse materiam remotam Sacramenti Pœnitentiæ.

Hujus utique veritatis ratio nulla subjici potest a priori, quàm Christi D. voluntas, quæ nobis per Ecclesiæ sententiam & doctrinam innotescit: à posteriori verò confirmari potest hæc assertio ex iis encomiis, quibus SS. Patres Pœnitentiæ Sacramentum celebrant, maximè cùm ipsum appellant secundam post naufragium tabulam; quô significent hoc Sacramentum duntaxat esse institutum in subsidium eorum, qui recuperatâ animæ sanitate, & comparatô Innocentiæ portu, iterum se-se peccati naufragio committunt.

Secundam partem, nempe quòd omnia omnino peccata post Baptismum commissa per Pœnitentiam deleri possint, jam constat ex iis quæ diximus de efficacitate pœnitentiæ virtutis: idque apertè docet ibidem Concilium Tridentinum can. 5. ubi ait: *Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes suipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur in qua Christi fideles ceciderint, qui pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiant.* Patebunt hæc fusiùs ex dicendis de virtute clavium & virtute absolutionis.

Conclusio Secunda.

V. Actus Pœnitentis sunt materia proxima circa quam hujus Sacramenti.

Actus Pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio sunt materia proxima, & partes Sacramenti Pœnitentiæ, non quidem essentiales, sed integrales. Hæc conclusio duabus maximè partibus constat, quas utique tradit & edocet Concilium Tridentinum *seß.* 14. *cap.* 3. ubi cùm dixisset, præcipuam vim Sacramenti Pœnitentiæ positam esse in illis verbis Ministri, *Ego te absolvo;* statim subjicit: Sunt autem materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus; nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenam & integram Sacramenti perfectionem, ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. *Vnde Can.* 4. *sic definit:* Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit. Quibus verbis Concilium apertè declarat tres illos pœnitentis actus non esse propriè materiam, ex qua componatur & constituatur essentialiter Sacramentum Pœnitentiæ, sed quasi materiam, quia videlicet in eas maximè & proximè tendit Sacramentalis absolutio; unde sunt equidem partes integrales ipsius Sacramenti Pœnitentiæ.

VI. Non sunt autè illius partes essentiales.

Quòd autem non sint partes essentiales, quibus videlicet Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter constituatur, docet Doctor *dist.* 16. *quæst.* 1.

oum. 7. *ubi ait* : De Pœnitentiæ Sacramento dico, quòd ista oullô modô sunt partes ejus, quia ot dictum est dist. 14. Pœnitentia Sacramentum, est illa absolutio Sacramentalis facta certis verbis, &c. hujus autem nulla pars est Cootritio, quæ est quoddam spirituale in anima : neque Confessio, quia nihil est ipsius sententiæ Sacerdotis, sed actus rei accusantis se, neque satisfactio, sed sequitur illam absolutionem Sacramentalem.

Hæc tamen tria ad Sacramentum Pœoitentiæ ad hoe, ut dignè recipiatur, requiruotur, vel prævia, vel sequentia. Simpliciter enim requiritur Confessio, quia Sacerdos non absolvit teum acbitrariè, nisi priùs sibi reus fuerit accusatus in foro illo. Non est etiam utilis illa absolutio, nisi præcedat in confiiente aliqua Contritio, vel Attritio. Partes istius distinctionis patent ex dictis supra ; sufficit enim quòd aliqua displicentia, licèt informis præcedat & tunc ille capas est absolutionis Sacramentalis, & per illam fit Contritus. Satisfactio autem debet sequi Sacramentum Pœnitentiæ, ad hoc ut habeat efficaciam, & hoc in re, vel in voto, nisi Judex posset perpendere illas pœnas alias præcedentes, sufficere ad totalis pœnæ solutiooem, &c.

Quibus verbis ut fit evidens Doctot noo oegat tres actus Pœnitentis esse necessariò requisitos ad integritatem Sactamenti Pœnitentiæ ; sed tantùm quòd non sint partes essentiales, ex quibus illud constet. Siquidem Sacramentum Pœniteotiæ maximè supponit pro absolutiooe Sacerdotis, in qua potissimùm ejus Sacramenti virtus consistit, ut docebat suprà Concilium Tridentinum.

Insuper sæpè sæpiùs, imò ordinatiè perficitur priùs, non solùm naturâ, sed etiam tempore; quàm impleatur Satisfactio, ac subinde satisfactio noo potest esse materia intrinseca, & pars essentialiter componens sacramentum Pœnitentiæ, ac subinde nec habere propriè rationem materiæ, siquidem materia præcedere debet formam, aut certè illam comitari ; Satisfactio autem ordinariè posterior est formâ absolutionis.

Unde etiam signanter tres illi actus dicuntor à Conciliis Florentino, & Tridentino, *quasi materia*, ut oempe significetur eos non esse propriè dictam materiam, quasi ex illis constare debeat hoc Sacramentum, quemadmodum Baptismus constat ex ablutione & verbis.

VII. Sed integrales.

Nec obstat, quòd Catechismus Concilii Tridentioi agens de materia Saeramenti Pœnitentiæ n. 17. dicat : *Neque verò hi actus, quasi materia à S. Synodo appellantur, quia vera materia rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecùs adhibeatur, ut aqua in Baptismo, & chrisma in Confirmatione.* Hoc, inquam, non obstat ; nam præter quàm quòd Catechismus ille editus est, & compositus maxima ex parte à Discipulis S. Thomæ, ut coostat ex articulo secundo illius præfationis ; eâ duntaxat ratione appellantur illi actus vera materia, non quòd ex eis constituatur Sacramentum, tanquam materiâ ex qua essentialiter componatur : sed tantùm quòd sint materia circa quam versatur; unde etiam signanter idem Catechismus appellat illos actus partes integrantes, ait enim num. 2. Hæ autem partes ex earum partium genere esse dicuntur, quæ ad aliquod totum constituendum necessariæ sunt : quoniam, quemadmodum hominis corpus ex pluribus membris coostat, manibus, pedibus, oculis ; & aliis ejusmodi partibus, quarum aliqua si desit, meritò imperfectum videatur : perfectum verò, si oulla desideretur : eôdem etiam modô Pœnitentia ex hisce tribus partibus ita constitoitur : ut, quamvis, quod ad ejus oaturam attinet, Contritio, & Confessio, quibus homo justus efficitur, satis sit : tamen nisi terria etiam pars, id est, Satisfactio, accedat, aliquid ei omoino ad perfectionem desit, necessaria sit.

Ut optimè declarat Doctor.

Quare adeo inter se hæ partes connexæ sunt, ut Contritio confitendi, & satisfaciendi consilium & propositum inclusum habeat : Confessionem Coottitio, & satisfaciendi voluntas ; satisfactionem verò duæ reliquæ antecedant. *Hæc Catechismus*, quibus verbis apertè significat, eatenus tres actus pœnitentis censeri partes Sacramenti Pœntentiæ, quatenus ad ejus integritatem concurrunt. Quæ utique doctrina plaiè eadem est, quam tradit Doctor, ot liquet ex verbis suprà laudatis, ubi quamvis non dicat, eos actus hâc ratione appellari posse partes Pœoitentiæ, istud tamen facilè potest colligi ex ejus discursu.

VIII. Quem perperam nonnulli vellicant.

Quare vix satis mirari possum, quomodo Lugo disp. 12. num. 58. ausus fuerit scribere Scoti sententiam negantem illas partes esse intrinsecas, sed solùm requiri tanquam dispositiones, non pauci Theologi graviori censurâ illam afficiunt, nam Caïetanus quæst. 9. art. 2. ait esse erroneam, alii dicunt esse temerariam, alii plusquam temerariam : alii in bonum sensum conantur verba Scoti trahere, ut Angelus, qui dicit Scotum non negasse, illas esse partes intrinsecas, sed solùm negasse esse propriè materiam, qood videtur juxta modum loquendi Concilii Florent. & Tridentini, ubi dicitur illa quasi materia. Alii dicunt Scotum velle, quòd Sacramentum non supponat in recto pro illis actibus pœnitentis, sed solùm pro absolutione, connotando alias partes in obliquo. Alii, ot Vega lib. 13. in Tridentioum cap. 15. quòd Scotus non negat illas esse partes integrales, sed solùm negat esse partes essentiales. Hæ tamen explicationes difficilè aprantur Scoti verbis, ut consideranti patebit. *Ita Lugo.* Verùm apparet vel ipsum non legisse Doctorem, vel ejos mentem satis apertam non intellexisse dum negat, explicationem Vegæ non posse aptari verbis Doctoris : contrarium enim satis apertè constat ex ejus verbis mos laudatis.

Dices : Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum actûs Judicialis, ut colligitur ex Joan. 20. & Matth. 18. & docetur à Tridentino sess. 14. cap. 2. & 5. at judicium humanum intrinsecè constar, oon solùm ex sententia Jodicis, sed ex aliis actibus jodicialibus, scilicet accusatione, examine, coofessione, & satisfactione rei : igitur Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter etiam constat, non solùm absolutione Sacerdotali, sed etiam ex actibus pœnitentis seipsum accusantis, & per coovenientem dolorem conceptum de peccatis seipsum quôdam modô defendentis apud Deum ; ac tandem per satisfactionem resarcientis irrogatam Deo per peccatum injuriam & offensam.

IX. Sententia sola absolutionem aut condemnationem significat.

Nego minorem : Judicium enim humanum essentialiter, & in recto solùm dicit sententiam Judicis, per quam absolvitur, vel condemnatur reus ; aliqoa verò connotat in obliquo, tanquam necessariò prærequisita, ot josta sententia possit proferri. Unde quemadmodum sententia

in Judicio humano sola significat absolutionem vel condemnationem; ita similiter in judicio Sacramentali sola sententia Sacerdotis significat remissionem peccatorum, & per consequens ipsa causat remissionem peccatorum; quia proprium est Sacramentis causare qnod significant. Quæ utique responsio firmatur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. ubi solam absolutionem vocat actum Judicialem: *Quamvis*, inquit, *absolutio Sacerdotis beneficii sit dispensatio, tamen non est tantum solùm ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actûs judicialis, quô ab ipsô velut Iudice sententia pronuntiatur.* Similiter Can. 9. *Si quis dixerit Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem ...... anathema sit.*

Dices secundò: Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum reconciliationis; unde aliquando hôc nomine solet appellari: sed reconciliatio constat ex voluntaria utriusque partis quasi revocatione, non solùm ex parte offensi, sed etiam ex parte offendentis, qui eô ipsô retractat offensam: igitur Reconciliatio, quæ fit in Pœnitentia non solùm constat ex actu Sacerdotis, qui gerit vices Dei offensi, sed etiam ex actibus pœnitentis.

X.
Revocatio offensæ non est formaliter reconciliatio.

Nego minorem: Revocatio enim offendentis est tantùm quid prævium, seu dispositivum ad revocationem partis læsæ, in qua utique revocatione partis læsæ priorem sententiam de puniendo offendente rescindentis, & offensam condonantis, formaliter stat reconciliatio, seu remissio offensæ; ac subinde actus pœnitentis, maximè Confessio & Contritio sunt equidem præviæ dispositiones ad reconciliationem peccatoris cum Deo: hæc autem reconciliatio formaliter consistit in ipsa absolutione Sacerdotis condonantis offensam vice & authoritate Dei: Quam utique responsionem approbat Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi loquens de Contritione, quæ est nobilior pœnitentis actus, ait: *Fuit autem quôvis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic Contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Docet itaque Concilium Contritionem solùm præparare ad remissionem peccatorum, & gratiæ collationem; ac subinde non habere rationem partis essentialis Sacramenti: nt enim esset pars essentialis, non solùm deberet disponere, sed reverà significare & conferre gratiam & remissionem peccatorum ex opere operato; siquidem pars essentialis Sacramenti non aliud est, quàm practica significatio gratiæ, id est, significatio & efficientia gratiæ; & ideo quòd gratiam non efficit, neque Sacramentum est, neque pars essentialis Sacramenti.

Vrgebis: Non solùm absolutio Sacerdotalis, sed etiam actus pœnitentis significant illam remissionem: nam signa Contritionis, sunt etiam signa interioris remissionis, & per Confessionem significatur, quòd sicut peccata exteriùs manifestantur; ita etiam ab anima ipsa excludantur: Satisfactio etiam apertè significat remissionem pœnæ peccatis debitæ: igitur tres illi actus pœnitentis sunt veræ partes essentiales Sacramenti.

XI.
Actus Pœnitentis solùm impropriè significant remissionem peccatorum.

Nego minorem: Contritio enim, Confessio, & Satisfactio, non magis significant remissionem peccatorum, quàm oratio verbi gratiâ, quâ homo gratiæ auxilium exorat, ad debitè hoc Sacramentum suscipiendum: Sola itaque Absolutio Sacerdotalis est, quæ formaliter significat, & efficit gratiam remissivam peccatorum; quemadmodum in judicio humano, accusatio non assumitur ad significandam remissionem, sed ad informandum Judicem de causa, qui pro sua potestate secundùm æquitatem absolutionis aut condemnationis sententiam profert; quæ proinde sola significat remissionem aut condemnationem. Concludendum est ergo cum nostro Vega, qui interfuit Concilio Tridentino, lib. 13. de Justificatione cap. 15. Verissimum est, quidquid alii sentiant, quòd Doctor subtilis, & communis Nominalium Schola defendit, solius Absolutionis virtute, peccatoribus conferri gratiam pœnitentibus: Nam claves solis Sacerdotibus collatæ sunt, & soli ipsi debent remittere peccata, & per eorum Absolutionem confertur gratia confessis, absentibus omnibus aliis actibus ipsorum pœnitentium, & sola absolutio est signum gratiæ, & gratia ratione aliorum actuum concessa, datur propter opus operantis.

Vrgebis: Concilium Tridentinum sess. 14. c. 3. ait: *Docet præterea S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absolvo, &c.* Igitur supponit Concilium aliquam vim Sacramentalem esse in materia, nempe in actibus pœnitentis.

XII.
Quo sensu præcipua vis pœnitentiæ consistat in absolutione.

Respondeo, meritò Concilium dixisse præcipuam vim esse in forma Absolutionis; quoniam scilicet tota vis, quæ est in actibus pœnitentis, non est propriè Sacramentalis; alioquin sequeretur, quòd ipse pœnitens esset partialis Minister hujus Sacramenti, isque præcipuus; siquidem plures partes Sacramenti subjiceret, quàm Sacerdos: hoc autem dici nequit; quippe cùm omnis Minister Sacramenti distinguatur à suscipiente, & insuper solus Sacerdos à Conciliis Florentino & Tridentino dicatur hujus Sacramenti Minister.

XIII.
Quid sit Pœnitentiæ Sacramentum formaliter.

Ex iis sequitur, quòd si Sacramentum Pœnitentiæ accipiatur secundùm vulgarem & communem significationem, illius partes sunt Contritio, Confessio & Satisfactio; si verò accipiatur in strictiori significatione, & quatenus formaliter est signum practicum gratiæ, sola Absolutio habet rationem Sacramenti, quia Absolutio est, in qua principaliter residet sacra Dei virtus, absolvens pœnitentem à peccatis, & conferens ei gratiam, per quam absolvitur à peccatis, quibus priùs ligatus tenebatur. Unde meritò subtilis Doctor d. 14. Sacramentum Pœnitentiæ sic describit; *Pœnitentia est Absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente ex institutione divina efficaciter significantibus Absolutionem animæ à peccato.* Quæ utique definitio, quamvis paulò longior videatur, nihilominùs nullam omnino particulam superfluam continet, ut patebit singulas illius partes ponderanti. Interim si brevior definitio quæratur, hæ potuerunt subjici, quas profert noster Bosco disp. 7. sect. num. 4. Pœnitentia est sacramentum, quô Sacerdos tanquam Judex, confitenti cum debito dolore confert remissionem peccatorum, cum onere satisfaciendi. *Vel sic:* Sacramentum pœnitentiæ est, signum efficax gratiæ remissivæ peccati post Baptismum commissi. *Aliter:* Est Sacramentum remissivum peccati per modum Judicii. Vel hanc clariorem subjicio: Pœnitentia

est Absolutio peccatorum debitè confessorum.

Sequitur secundò Pœnitentiam supponere pro Absolutione Sacerdotali, ut docet Doctor *dist.16. q.1. num.7. Tum, quia* (inquit Vega lib.13. in Concilium Tridentinum cap. 15.) sacramentum Pœnitentiæ,est signum gratiæ, non prognosticum, hoc est, gratiæ futuræ; neque rememorativum, hoc est gratiæ præteritæ, sed demonstrativum, hoc est, gratiæ quæ in præsenti confertur. Confessio autem, aut Contritio non sunt signa demonstrativa gratiæ; siquidem Confessio non connotat gratiam præsentem, sed tantùm formaliter est peccatorum declaratio, & accusatio. Similiter Contritio si sit imperfecta, seu duntaxat Attritio, est tantùm dispositio ad gratiam Sacramentalem. *Tum, quia* sola Absolutio significat remissionem, quæ est effectus hujus Sacramenti: Ergo ipsa Absolutio, non verò Contritio aut Confessio habet perfectam rationem Sacramenti. *Tum denique*, quia ex Concilio Tridentino *sess.14. cap.3.* præcipua vis sacramenti Pœnitentiæ consistit in Absolutione; ac subinde Absolutio primas obtinet in hoc Sacramento.

Supponit formaliter pro absolutione.

Quæstio Tertia.

Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ?

I. Quare Sacerdotalis Absolutio dicatur forma Pœnitentiæ.

Notandum primò, quòd cùm Sacramenta novæ legis constare debeant materiâ & formâ, sive strictè, sive minùs propriè dicta; inde fit, quòd etsi essentia Sacramenti Pœnitentiæ formaliter sumpta consistat in Absolutione Sacerdotali, nihilominus cùm ad illud etiam concurrant actus pœnitentis, qui se habent per modum materiæ; hinc est, quòd verba hujus Absolutionis dicantur forma hujus Sacramenti: quia videlicet per Absolutionem actus pœnitentis determinantur ad Sacramentum conficiendum; sic enim definit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, dicens: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Absolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm dicit: Absolvo te, &c.* Similiter Tridentinum sess. 14. cap. 3. *Docet sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ, formam.... in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo; quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more: preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.*

II. Quænam preces eam antecedere & sequi debeant.

Preces illæ sunt: *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, &c.* Et hæ quidem preces verbis essentialibus præmittuntur; postponuntur autem: *Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

III. Cur in sacramento Pœnitentiæ non requirantur verba determinata sicut in baptismo.

Notandum secundò cum Doctore subtili *in 4. dist. 14. quæst. 4. num. 4.* quòd in sacramento Pœnitentiæ non requirantur verba ita præcisa, & determinata ad ejus confectionem, sicut in Baptismo & Eucharistia: Quia, *inquit* Doctor, Sacramentum hoc institutum est per modum Judicii: " sententia autem potest à Judice ferri quibuscunque verbis, dummodo Judicis mentem exprimant: Quare, *inquit* Doctor, non est necesse " esse ita præcisa verba in isto Sacramento, sicut in Baptismo, vel Eucharistia, quia sufficit, quòd " exprimatur actus sententiæ absolventis: sicut & " in judicio publico non oportet esse limitata verba: Ait enim unus de Theodoro Martyre, *Iubeo ignibus tradi.* Alter de Cypriano sancto, *gladio animadverti placet.* Communiter tamen ista verba sunt apta: *Ego te absolvo*; quæcunque alia " præmittantur, vel consequantur secundùm diversam consuetudinem in diversis Ecclesiis. Quibus " verbis significat Doctor, quòd quæcunque forma seu verba, per quæ significatur, & explicatur remissionem peccatorum fieri authoritativè, & per modum judicii, ac sententiæ, erit sufficiens forma hujus Sacramenti, in quo Minister officium implet Judicis, & cum authoritate sententiam Absolutionis profert; nihilominus præferenda sunt ea verba, quæ communiter præscribit, ac profert Ecclesia, nempe: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Utrum autem omnes illius Absolutionis particulæ, ita necessariò debeant proferri, ut si omitteretur aliqua, invalida foret Absolutio, determinandum erit in sequentibus.

Notandum tertiò, Theologos varias ire in sententias circa sensum, ac genuinam significationem illorum verborum, *Ego te absolvo*: Primò namque *Abulensis 1. p.* sui Defensorii *cap. 5. & 6.* dicit, quòd impropriè suppletur verbum *absolvo*; quia *inquit*, propriè loquendo, nec Sacerdos, imò " nec Deus absolvit à culpa, vel à pœna peccati. " *Tum*, quia Scriptura nusquam dicit, quòd peccata " solvantur, sed quòd dimittantur, deleantur, &c. " *Tum*, quia peccata non sunt propriè vincula, " nec consequenter homo eis ligatur, aut ab eis " solvitur: *Tum*, quia homo, non potest absolvi " à culpa, quæ jam præcessit, nec à pœna, quæ " nondum advenit; sed duntaxat à reatu pœnæ, " ad quam subeundam homo propter peccatum " obligatur. *Verùm* illa sententia meritò rejicitur ab omnibus Theologis: *Tum*, quia contradicit Scripturæ, quæ peccatorum remissionem explicat ad modum solutionis: Sic *Isaiæ 58. Dissolve obligationes impietatis, &c.* Et *Matth. 16. Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Tum*, quia docere videtur, quòd transactô peccatô solùm remaneat reatus pœnæ, à quo duntaxat homo absolvitur.

IV. Varia Theologorum placita de genuina significatione verborum Absolutionis.

Secundò: Non videtur etiam probanda sententia Nominalium, maximè Gabrielis, asserentis horum verborum, *Absolvo te*, sensum hunc esse: Ego eximo te ab obligatione subjiciendi peccata tua clavibus Ecclesiæ: remittere enim peccatum non est duntaxat relaxare obligationem confitendi peccatum. Adde quòd illa Absolutio foret nulla, quando quis solùm confitetur peccata venialia, vel alia jam confessa, & remissa, siquidem etiam ante Absolutionem pœnitens erat liber ab obligatione alia peccata confitendi.

Tertiò, non etiam probatur explicatio Hugonis à S. Victore asserentis, hæc verba, *Absolvo te*, significare remitto tibi pœnam æternam pro culpa debitam; hæc enim Absolutio verba Christi D. & formæ Absolutionis detorquet in sensum impropriam; etenim pœna non est peccatum, licèt ex peccato oriatur: unde remittere peccatum, non est duntaxat relaxare pœnam peccatis debitam, nec etiam hæc verba, *Absolvo te*, significant solutionem à pœna temporali debita peccatis, ut volunt Alensis, & sanctus Bonaventura: *Tum*, quia, ut mox dictum est, remittere propriè peccatum, non est tantùm relaxare pœnam

[illegible] *Tum*, [illegible] potest, [illegible] cum [illegible] ne ac[illegible] n[illegible] Pœ[illegible] virtute [illegible] Contritionis relaxetur [illegible] poralis.

[illegible] probatur [illegible] sancti [illegible] *quæst. 84. a*[illegible] ubi [illegible] Magistri [illegible] tentiarum, addit: [illegible] *pœ*[illegible] *tor exp*[illegible] *te Ab*[illegible]*vo*, [illegible] *ac amentum* [illegible] [illegible] icatis [illegible], quia [illegible] dem significat [illegible] per [illegible] Sacra[illegible] verba [illegible] nem [illegible], sed applicatio[illegible] materiæ, vel [illegible] *Tum* [illegible] verba Sacramen[illegible] [illegible] ne, [illegible] habet in huma[illegible] non etiam p[illegible] significare, [illegible] ad [illegible] ita, & ideo [illegible] & [illegible] significaut [illegible], & [illegible] Sacramentum, [illegible] verba, *Ego te* [illegible]*vo* ex [illegible] num institutione non habent [illegible] e [illegible] pla per significationem reflexam, sed [illegible] distinctum [illegible] ergo nec Sacra[illegible] aliquid aliud: quod maxime apparet [illegible] Sac[illegible] nulla enim [illegible] seipsam significet, [illegible] materiam [illegible] Sacramentum Baptismi, [illegible] quæ [illegible] solum absolutionis exterioris animæ à peccat[illegible].

[illegible] igitur verba illa, *Ab*[illegible]*lvo te*, idem [illegible] care, ac remittere [illegible] *peccata & commissa*; hæc enim cadit in omnia [illegible] peccata non solùm mortalia, & venialia, quæ actu remittun[illegible], [illegible] etiam in peccata jam confessa, & [illegible] ut dicemus agendo de conf[illegible] [illegible] torum jam remissorum, in pœn[illegible]te, quam[illegible] peccata ei fuerint condonata, [illegible] remanet aliquis reatus [illegible] dignitati, qui per iteratam Absolutionem minuitur; quia per fre[illegible] iterationem factam [illegible] Pœnitentiæ [illegible] sit indignus Dei beneficiis & ami[illegible]

[illegible] prænotat[illegible] hac [illegible] *P*[illegible] & [illegible] sint ad formam [illegible] *Se undum*, [illegible] forma [illegible] profer[illegible], ut data scripto ab[illegible] præsenti [illegible] in [illegible]a.

C[illegible]A.

Sola verba, *A*[illegible] *ad* [illegible] *tiam sacramenti Pœnitentiæ.* [illegible] est [illegible] libri Doctore locô in secundo nota[illegible] *quæst. 84. art. 3.* quibus [illegible] Tr[illegible] & Florentinum [illegible] laudat [illegible] pro [illegible] ma[illegible] Pœn[illegible] par[illegible] m p[illegible] [illegible] on[illegible] [illegible] eritur [illegible] pat[illegible] a, non ut [illegible] Ab[illegible] ad [illegible] catione[illegible] con[illegible] nec [illegible] ent [illegible] [illegible] si eas omnes particulas, n[illegible]

a peccatis tuis in nomine Patris [illegible] Con[illegible] *sani* [illegible] *declarent*: sicut expresserunt, [illegible] *vo* adhuc non esset consequen[illegible], [illegible] de necessitate Sacramenti. Nam Concil[illegible] tentinum formam sacram[illegible] Confirmatio[illegible] pressit [illegible] verbis *Signo te* [illegible] *crucis*, & [illegible] *mo te* [illegible] *salutis*, *in nomine Patris*, *& F*[illegible] *& Spiritus* [illegible]. Similiter formam Sacerdot[illegible] de[illegible]ravit [illegible]: *A*[illegible] *pe*[illegible] *testatem offerendi sacrificium in E*[illegible] *pro vivis*, *& mortuis*, *in nomine Patris*, *& F*[illegible] *Spiritus s*[illegible]*ncti*. Et tamen [illegible] Confirmationis [illegible] Ordinis [illegible] invocatio[illegible] nem sanctissimæ Trinitatis [illegible] mentorum formam non [illegible] absolute n[illegible] riam.

Huic veritati adstipulatur Catechismus [illegible] Pii V. & Concilii Tridentini [illegible], qui proferens formam sacramenti Pœnitentiæ hæc habet, *num. 19. Est autem* [illegible]*, E*[illegible] *te abs*[illegible] *quam non solum ex illis verbis* [illegible] *col*[illegible]*ere. Quæcumque* [illegible] *veritis super terram* [illegible] *s*[illegible] *luta & in cælis*, *sed ex eadem Christi* [illegible] *quam ab Apostolis* [illegible] *aditam accepimus.*

Nec obstat, quod tam Concilia, quàm Catechismus prænitt[illegible] particulam, [illegible] communis enim Doctorum sententia est, illam non perti[illegible]re ad [illegible] nem. [illegible] sufficienter int[illegible] est, ac *E*[illegible] *abs*[illegible]*vo*, ut [illegible] dem particula, quæ omitti p[illegible] forma [illegible] pri[illegible].

Porrò hujusce veritatis rationem congruam exprimit Doctor verbis in secundo Notabili laudatis, nempe quod sacramentum Pœnitentiæ administretur per modum judicii; in judicio autem humano [illegible], quod exprimatur actus sententiæ absolventis; nec [illegible] opus est, quòd proferatur species delicti, a quo reus absolvatur, vel propter quod condemnetur; neque [illegible] est exprimi, qua authoritate Judex absolvat, aut condemnet ordinaria, an delegatâ; principali, an secundaria, seu ex commissione [illegible]; pari ratione sufficiet in judicio Sacramentali, quod exprimatur actus sententiæ absolventis; nec opus est exprimere delictum, à quo pœnitens absolvitur; nec quâ authoritate id fiat; ac subinde [illegible] necesse ad essentiam hujus formæ [illegible] verba, *a peccatis tuis*, *in nomine P*[illegible] VI. Ratio suadet.

C[illegible] sicut enim à simili in oratione Dominica dicimus *S*[illegible] *ut & nos dimittimus debitoribus nostris*, non adjicientes, quid eis dimittamus: & sicut *Joan.* [illegible] Christus D. Apostolis loquens de Lazaro, duntaxat ait: *Solvite eum, & sinite abire*; neque judicavit opus esse adjicere, [illegible] *culis*, *quibus alligatur*. Similiter, in vulgari sermone, qui offensam passus est, dum eam vult remittere, sufficit quòd dicat, *Condono tibi*, vel *remitto tibi*: quia per illa verba sufficienter intelligitur remittere & condonare offensam; ita à simili Sacerdos loquens nomine Dei, cùm ait: *Ego remitto tibi*, vel *absolvo te*, sufficienter significat [illegible] onem offensæ, vel debiti ex peccato [illegible].

Denique, [illegible] verba sufficiunt ad essentiam formæ Absolutionis Sacramentalis, quæ principalem effectum Sacramenti [illegible], sed sola verba *A*[illegible] *te* significant principalem effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nempe remissio[illegible] VII. [illegible] significat.

nem peccatorum [illegible], & [illegible] Major constat; quia proprium est essentiæ Sacram[illegible] le[illegible] id efficere [illegible] significant [illegible] ea verba sufficient [illegible] ntiam [illegible] Pœnitentiæ, quæ [illegible] et ej[illegible] bunt. Mino[illegible] suadetur; v[illegible] Sacramentorum habent suam determin[illegible] m significationem ex c[illegible] ad[illegible] le[illegible] nvi illa verba, A[illegible] [illegible] nata, & indifferentia ad significandam abs[illegible] nem cujuscunque de[illegible], vel in f[illegible] o civ[illegible], vel Sacramentali; nihilominus dum profer[illegible] super pœnitentem, qu[illegible] sua peccata c[illegible] am Sacerdote deposuit, de[illegible] tur ad significandam absolutionem ab ejusmo[illegible] peccatis per Sacerdot[illegible] Judicem vice Christi factam; quæ e[illegible] principalis effectus hujus Sacramenti.

Dices primo: Illa verba non [illegible] ad essentiam formæ Sacramenti, quæ de[illegible] & explicitè non exprimunt effectum S[illegible] menti, sed illa verba, *Abs[illegible]* [illegible] natè effectum sacramen[illegible] entiæ; siquidem indifferent[illegible] sunt ad [illegible] Absolutionem, vel a peccat[illegible], v[illegible] ab exc[illegible] ne, & aliis censu[illegible] ut determinentur per [illegible] uentia ve[illegible], *a pec[illegible] tuis*.

VIII. Quia determinantur per præviá confessionem.

N[illegible] minorem: Nam, ut mox [illegible], licèt præ[illegible] ata verba ex se [illegible] cantur indi[illegible] entia ad significandum tam A[illegible] utionem a c[illegible] quam a peccatis, maxim[illegible] quando pœn[illegible] us vincu[illegible] is simo[illegible] est const[illegible] puta vinculis [illegible] commun[illegible] a[illegible] alt[illegible] us c[illegible] uræ non & vincul[illegible] at[illegible] culpæ & pœnæ [illegible] tamen ubi proferuntur super pœnitentem, qui c[illegible] sus est peccatum sacramentaliter [illegible] in [illegible] d[illegible] e ad obtinendam Absolutionem a [illegible] reatûs culpæ [illegible] pœnæ, [illegible] quem [illegible] f[illegible] um pro[illegible] ic cadit Sacrame[illegible] A[illegible] tio [illegible] em effectus hujus Sac[illegible] propriè [illegible] olutio à vi[illegible] exc[illegible] alterius censuræ; sed ta[illegible] in [illegible] vi[illegible] culpæ & pœnæ [illegible] ne eò ipsò [illegible] auditâ Confessione pœniten[illegible] cramentum Pœnitentiæ [illegible] perfectè ac d[illegible] inat[illegible] pec[illegible] atis quoa[illegible] pam [illegible] à vinculo exco[illegible] mun[illegible] igitur significatio [illegible] præ[illegible] a Confessione Sacramen[illegible], & [illegible] e Sacerdo[illegible] satis determinatur ad absolutionem a vinculo culpæ, & pœnæ.

Instabis: S[illegible] ba formæ [illegible] per præv[illegible] n[illegible] C[illegible] em S[illegible] f[illegible] est q[illegible] Con[illegible] lis Sacram[illegible] nati[illegible] nem [illegible] Absol[illegible] uap[illegible] pua [illegible] conf[illegible] est [illegible], in qua dicimus [illegible] es [illegible] riale [illegible] n assertio [illegible]

IX. Nec tamen [illegible]

N[illegible] [illegible] onem distinct[illegible] P[illegible] C[illegible] it ad determinationem fo[illegible] m[illegible] cuju[illegible] ci, quasi e[illegible] ars [illegible] cramentali [illegible] C[illegible] [illegible] us extr[illegible] ci, & [illegible] [illegible] pe[illegible] am vo[illegible] [illegible]

determinante[illegible], [illegible] contingit interd[illegible] q[illegible] la[illegible] concurrat ad determ[illegible] verbum [illegible] enim *baptizo* v.g. in forma [illegible] et ex se, quod significat [illegible] ut[illegible] em f[illegible] ma[illegible] naturali, quod tamen [illegible] m sacramenti Baptismi, [illegible] dun[illegible] et ex det[illegible] inat[illegible] ne ipl[illegible] n[illegible] vinum aut aliu[illegible] d tant[illegible] naturalis. Unde quamvi[illegible] forma potius [illegible] et ma[illegible], quan[illegible], [illegible] non excludit omn[illegible] materiæ respectu formæ [illegible] determina[illegible] pœnitentiæ [illegible] hoc [illegible] qu[illegible] præ[illegible] fi[illegible] & c[illegible]

[illegible] *ebis* S[illegible] a [illegible] f[illegible] & eff[illegible] c[illegible] sequ[illegible] d ex p[illegible] q[illegible] modum [illegible] tur, [illegible] S[illegible] effectus [illegible] ec[illegible] detur [illegible] um [illegible] *a[illegible] te*, Sac[illegible] *peccatis* al[illegible] ap[illegible] unde al[illegible] esset S[illegible] sentis Ab[illegible] ver[illegible] is, *a[illegible] lvo te* [illegible] n o a[illegible] ver[illegible] *a peccatis tu[illegible]*

X. [illegible]

[illegible] *m[illegible] or[illegible] m* [illegible] di[illegible], q[illegible] per pœnitent[illegible] [illegible] mutans, [illegible] verba [illegible] peccat[illegible] [illegible] ten- tio[illegible] *ab- [illegible]* Absolutio [illegible] est [illegible] contra [illegible] & formam h[illegible]

[illegible] *cundo*: Ea verba sunt de e[illegible] jus [illegible], quæ Christus illud in[illegible] stituendo pr[illegible] it. at Christus instituendo sacramen[illegible] Pœnitentiæ, [illegible] peccatorum [illegible], & Major [illegible] at. Ideo [illegible] que Ecclesia [illegible] tion em [illegible] ssla[illegible] prærequisitam ad formam B[illegible] stus Apostolos d[illegible] gando, [illegible] *Baptizant[illegible] in* [illegible] etiam constat ex [illegible] *rum remi[illegible] tis peccata, remittuntur* [illegible]

[illegible] *majorem*: Non enim [illegible] [illegible] D[illegible] minus [illegible] menta sunt d[illegible] S[illegible] præfata [illegible] *tu[illegible]* [illegible], se[illegible] C[illegible] st[illegible] *vo*, [illegible] duntax [illegible]

[illegible] o p[illegible] [illegible]

opus sit eorum expressam mentionem fieri: ideo autem Christus Dominus hoc Sacramentum instituendo, meminit remissionis peccatorum, ut videlicet significaret Apostolis, quænam esset materia illius Sacramenti, ne fortè si dixisset solùm: *Quorum remiseritis*, non adjiciendo ly *peccata*, existimarent ipsum eis dedisse potestatem solvendi quæcunque vincula, sicut videbatur promisisse, quando dixit: Quæcunque solveritis super terram: nulla autem apparet ratio, cur expresserit, nomina Patris, Filii, & Spiritûs sancti in Baptismate, nisi quia significare volebat, illa verba esse necessariò usurpanda in forma Baptismi.

XII. [illegible] Ex his itaque sequitur, non esse verum quod docet Durandus in 3. distinct. 21. quæstione 2. & cum eo Gerson alphabetô 33. nec-non & Concilium Coloniense in Enchiridio, tit. de Pœnit. nempe omnia hæc verba, *Absolvo te à peccatis tuis in nomine Patris, &c.* esse de essentia formæ Absolutionis. *Nec etiam* probanda est sententia Gabrielis dist. 14. quæst. 2. asserentis ad formam absolutionis necessaria esse illa verba, *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis*. Non est pariter admittenda sententia eorum, qui dicunt cum Petro Soto lect. 4. de Confess. saltem illa verba, *Absolvo te à peccatis tuis*, esse de essentia: *Nec* tandem probanda est eorum doctrina, qui cum eodem Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. volunt, quòd in casu necessitatis sufficeret proferre verbum; *Absolvo*, atque eo quòd designatur persona absolvenda: nam, ut diximus, cùm verbum *Absolvo* sit indifferens, necessariò determinari debet ad significationem Sacramentalem per personam pœnitentem, & confessam sua peccata.

XIII. Forma Sacramenti Pœnitentiæ exprimi potest aliis verbis. *Patet etiam secunda pars*, nempe quòd illa forma sacramenti Pœnitentiæ exprimi possit quibuscunque verbis actum juridicum absolutionis Sacerdotalis significantibus: nam, inquiebat Doctor in primo notabili, in isto Sacramento sufficit, quòd exprimatur actus sententiæ absolventis, & in judicio publico non oportet esse limitata verba, &c. Cùm igitur sola mutatio essentialis, & quæ sensum omnino diversum efficit: invalidum efficiat Sacramentum: de essentia verò sacramenti Pœnitentiæ tantùm sit, ut profecatur per modum actûs judicialis; inde fit, quòd quibuscunque verbis judicialem sententiam exprimentibus utatur Sacerdos in forma Absolutionis, Sacramentum erit validum; unde valida esset Absolutio, si Sacerdos diceret: *Solvo te à peccatis*, vel *dimitto*, aut *remitto tibi peccata tua*.

Quod utique maximè confirmatur Tum exemplô Christi, qui ejusmodi verbis usus est, dum meminit sacramenti Pœnitentiæ: nam Joan. 20. ait: *Quorũ remiseritis, remittuntur eis*, utque ait Matth. 18. *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*. Et Petro Matth. 10. *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlo*. Tum quia ipse Christus adumbrans Marci 2. Matth. 9. Lucæ 5. quod acturus erat in sacramento Pœnitentiæ, posteà dicit paralytico: *Fili remittuntur tibi peccata tua*. Id est, ego remitto tibi peccata tua: *Dixerunt enim intra se Pharisæi & Scribæ: Hic blasphemat, quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorum*, eas non arguit, sed paraclyti sanatione confirmat. *Ut sciatis*, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et statim surrexit, & abiit inde coram omnibus in domum suam*. At idem in persona Christi dicere possunt, & donare Presbyteri ministerialiter, & instrumentariè, quod authoritate per excellentiam Christus dixit, & donavit. Nihilominus, ut observat Doctor locô suprà laudatô, præferenda est formula præscripta ab Ecclesia, his verbis: *Ego te absolvo, &c.* nec eam citra peccatũ licet immutare.

QUÆRES, *Utrum Sacerdotis manûs impositio super pœnitentem necessaria sit in hoc Sacramento?*

RESPONDEO, eam non esse absolutè necessariam; tum quia nec ex Scriptura, nec ex Traditione; neque ex ulla ratione colligitur ejusmodi necessitas. Non quidem ex Scriptura: nam quoties Christus Dominus hujus Sacramenti mentionem fecit, nullatenus meminit hujus manuum impositionis, ut apparet ex omnibus oraculis jam laudatis. Non etiam ex Traditione; siquidem neque SS. Patres, neque Concilia hujus necessitatis meminerunt, nisi duntaxat quando publicè pœnitentes cum Ecclesia erant reconciliandi, & ab ulteriori publica Pœnitentia solvendi, quo utique in casu fiebat quidem manûs impositio. Verùm ista Absolutio non erat Sacramentalis, sed duntaxat reconciliatoria; quod optimè colligitur ex Concilio Arausicano primo cap. 3. ubi legimus: *Qui recedunt de corpore, Pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatione, manûs impositionem eis communicare; quod morientis sufficiat reconciliationi: si supervixerit, stet in ordine Pœnitentium, ut ostensis necessariis Pœnitentiæ legitimam communionem cum reconciliatoria manûs impositione recipiat*. Similiter in Carthaginensi quarto Can. 79. *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum acceperint Eucharistiæ, non se credant absolutos sine manûs impositione, si supervixerint?* Censent igitur ejusmodi Concilia, illam manuum impositionem non esse absolutè necessariam ad hujus Sacramenti licitam, & validam administrationem; quippe cùm moribundi absque ea absolvi possunt. XIV. Manûs impositio non est necessaria in Sacramento Pœnitentiæ.

Denique, ratio Theologica in contrarium militat; siquidem manûs impositio ideo fit in Sacramentis Ecclesiæ, ut designetur copiosus gratiæ effectus, quô indigere videntur, quibus imponuntur manus ad illa obeunda munia, ad quæ destinantur; sic manûs impositio fit in Sacramento Confirmationis, ut nempe per eam homo accipiat plenitudinem Spiritûs sancti, quâ roboretur & vegetetur ad constanter & animosè confitendam fidem, ad quod certè opus est gratiæ excellentiâ; unde Actor. 8. legimus de Apostolis, quòd fidelibus recenter baptizatis *imponebant manus, & accipiebant Spiritum sanctum*. Similiter in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis ad divina mysteria obeunda, fit etiam hujusmodi manûs impositio, ut nempe per eam significetur conferri plenitudo gratiæ ad dignè & debitè hæc munia implenda: Unde sanctus Paulus Timothæum monebat epist. 2. cap. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Sed Sacramentum Pœnitentiæ ordinatur tantùm ad remissionem peccatorum; non autem ad obeunda aliqua munia, nec ad obtinendam specialem gratiæ excellentiam: igitur ad hoc Sacramentum non requiritur manûs impositio.

Adde quod manûs impositio solùm fiat in Sa-

cramentis, per quæ ſuſcipiens deputatur ad ſolemnem aliquem actum exercendum, eò quòd manus ſit potiſſimum operationis organum: unde illa fit in duobus Sacramentis, putà Confirmatione, per quam fidelis conſtituitur quaſi miles Chriſti ad ejus nomen, & Religionem audacter tuendam & profitendam coram tyrannis, & infidelibus. Et in Ordine, per quem homo ſegregatur à communi fidelium cœtu, ut ſpecialiter deſtinetur ad Dei cultum, & Religionis miniſterium: per ſuſceptionem autem aliorum Sacramentorum, nempe Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, &c. homo ſpecialiter non deſtinatur ad aliquem actum fortiter ac prudenter exercendum; ac ſubinde in eis non videtur neceſſaria illa actûs deſignatio per manûs impoſitionem.

Dices primò: Sacramentum Pœnitentiæ appellatur à Patribus manûs impoſitio, ſic S. Clemens lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 41. ait: Ut Ethnicum Baptiſmô lotum poſt doctrinam admittis, ſic hunc per manûs impoſitionem, utpote pœnitendo, mundatum in antiqua paſcua reſtitue; eritque ei locô lavacri manuum impoſitio. Et Concilium Carthaginenſe quartum cap. 76. loquens de moribundo pœnitente, ait: Si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impoſitionem. Hinc S. Leo epiſt. 92. ſcribit: Qui cibis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis, & manûs impoſitione purgari: igitur quemadmodum Baptiſmus dicitur ablutio, & Confirmatio Chriſma, quia ablutio eſt abſolutè neceſſaria ad Baptiſma; & chriſmatio ad Confirmationem: pari ratione manûs impoſitio dicenda eſt neceſſaria ad ſacramentum Pœnitentiæ.

Nego conſequentiam: Appellatur enim impoſitio manûs tantùm à cæremonia, quæ fieri ſolet in hoc Sacramento, cùm Sacerdos Abſolutionem impertiendo pœnitenti benedicit: hæc autem cæremonia prorſus accidentalis eſt, non verò eſſentialis; quippe cùm citra peccatum, ſaltem mortale, poſſit omitti. Adde quòd plerumque SS. Patres & Concilia, dum meminerunt impoſitionis manûs faciendæ, cùm conceditur Abſolutio, non loquantur de Abſolutione Sacramentali, ſed reconciliatoria.

Dices ſecundò: Sacerdos in aliis Sacramentis præter verba, aliquem actum exteriorem exercet erga ſuſcipientem: igitur etiam in hoc Sacramento debet exerceri: ſed hic alius eſſe non poteſt, quàm manûs impoſitio: ergo, &c.

Nego ſequelam majoris: Et ratio diſparitatis eſt, quòd cætera Sacramenta, præter Euchariſtiam, conſiſtant in applicatione materiæ; unde in eis requiritur actus exterior: ſecus autem eſt de Pœnitentia & Euchariſtia: ſicut enim in Euchariſtia Sacerdos ſolâ verborum prolatione ſuper materiam perficit Sacramentum; ita ſola Sacerdotis abſolventis verba ſuper pœnitentem perficiunt Abſolutionis Sacramentum. Adde quòd ſi quis actus exterior deſideraretur in Pœnitentia ex parte Miniſtri, ille dici poſſet crucis obſignatio, per quam ſignificaretur, quòd pœnitens peccati remiſſionem accipiat per ſanguinem & meritum Paſſionis & crucis Chriſti.

CONCLUSIO SECUNDA.

XIII. Abſolutio debet ore proferri.

ABSOLUTIO *Sacramentalis neceſſariò debet eſſe vocalis, ſeu voce exprimi:* Colligitur primò ex Decreto Eugenii, ubi de ſacramento Pœnitentiæ legimus: Forma hujus Sacramenti ſunt verba Abſolutionis, quæ Sacerdos profert, *Ego te abſolvo.* Et Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. ubi hæc habentur: *Quamvis autem Abſolutio Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolùm nudum miniſterium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar actûs judicialis, quò ab ipſo velut à Iudice ſententia pronuntiatur, &c.* ſed iſta ſignificant Abſolutionem in Pœnitentia vocalem, ſeu verbalem eſſe debere: igitur, &c.

Confirmatur ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ nuſquam à temporibus Apoſtolorum ad præſentem uſque diem aliter hoc Sacramentum, ſicut & alia, quàm verbis humanâ voce prolatis adminiſtravit. Unde quamvis Chriſtus D. non dixerit explicitè pronuntiandas eſſe voces aliquas, quando pœnitentes abſolvuntur à peccatis, ſicut nec dum adminiſtrantur alia Sacramenta; nihilominus id implicitè ſignaſſe cenſetur, dum de Baptiſmo ait: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Et in Euchariſtia, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde perpetua Patrum, & Eccleſiæ praxis ſemper inſinuavit has in Baptiſmo voces, eſſe pronuntiandas: *Ego te baptizo.* Et in Euchariſtia: *Hoc eſt Corpus meum.* Nec uſquam Baptiſmum, aut Euchariſtiam per nutus vel ſcripta fuiſſe confectam: Idem igitur eſto judicium de Pœnitentia, idque jure potiori, cùm ſacramenti Pœnitentiæ forma, non tantùm debeat exprimere effectum ejus, putà remiſſionem peccatorum; ſed prætereà ſignificare debet hunc effectum à Sacerdote fieri, ſeu miniſtrum hîc & nunc eam operari peccatorum remiſſionem ex poteſtate ſibi à Chriſto D. collata.

Dices primò: Eô modô concedi poteſt Abſolutio, quô fieri poteſt peccatorum accuſatio per Confeſſionem: ſed valida poteſt eſſe Confeſſio, etſi non fiat per locutionem vocalem, ſed tantùm ſcriptô, nutu, vel aliquô ſignô exteriori: igitur pari ratione non eſt de eſſentia Abſolutionis, quòd voce humanâ proferatur.

Nego majorem: Et ratio diſparitatis eſt *primò,* quia in Sacramentis forma debet eſſe diſtinctior & expreſſior, quàm materia. Unde cùm Abſolutio ſe habeat per modum formæ, Confeſſio verò per modum materiæ, conveniens fuit, ut Abſolutio voce humanâ proferatur, quô ejus ſignificatio diſtinctior appareret. *Secundò,* plures cauſæ occurrere poſſunt, quæ pœnitentem à Confeſſione vocali, potius quàm Sacerdotem à vocali Abſolutione moraliter præpediant. Conſtat enim omnes mutos, & ignotæ linguæ homines verbis non poſſe ſua peccata promere; Sacerdos verò cùm poſſit verbis efferre, quæ mente concipit, vix aliquæ cauſæ occurrunt, quæ ipſum à vocali formæ prolatione impedire valeant. — XIV. Quamvis Confeſſio fieri poſſit ſcriptô aut nutu.

Inſtabis: Si verba vocalia neceſſariò requirantur ad validam Abſolutionem, maximè vel quia abſolutio eſt; vel quia Sacramentalis eſt: at neutrum dici poteſt. Non quidem primum, quia non omnis Abſolutio ſcriptis expreſſa, eſt invalida; enimverò abſolutio ab excommunicatione, & cenſura dari poteſt, oſculô, nutu, vel ſcriptô, ſaltem à ſummo Pontifice, ut conſtat ex Clementina de ſententia excommunicationis, cap. *finali:* Non etiam quia Sacramentalis eſt; alioqui nullum Sacramentum celebrari poſſet aliter quàm voce, quod non eſt verum ſi quidem Matrimonium quod eſt verum Sacramentum, validè conficitur per nutus, ſigna, & ſcripta conſen-

ſum internum teſtificantia: igitur, &c.

XV. *Diſcrimen inter abſolutionem à cenſuris & abſolutionem à peccatis.*

Nego minorem, quoad utramque partem: & quantùm ad primam dico rationem diſparitatis eſſe, inter abſolutionem à peccatis, & à cenſuris, quòd ſicut hæc non requirit certam formam verborum, ita nec verba propriè dicta; quia non operatur ut inſtrumentum Chriſti ad producendum aliquem effectum ſupernaturalem; ſed tantùm ut inſtrumentum abſolventis, & reconciliantis hominem Eccleſiæ, cui Chriſtus authoritatem conceſſit infligendi cenſuras, & ab eis abſolvendi: unde penes eam eſt præſcribere modum, quô contrahatur, ac ſolvatur excommunicatio, & aliæ ejuſmodi cenſuræ: non ſic autem cenſendum eſt de forma Sacramentorum, quam Eccleſia pro libito non poteſt immutare.

Ad ſecundam dico, non idem eſſe judicium de Matrimonio, ac de aliis Sacramentis; cùm enim Matrimonium fiat per mutuum conſenſum partium, id omne quod poteſt hunc mutuum conſenſum exprimere, poteſt etiam ſufficere ad valorem hujuſmodi Sacramenti; ſecus autem eſt de ſacramento Pœnitentiæ, ſicut & de aliis, in quibus forma eſt determinata.

Dices ſecundò: Ea ſufficiunt ad ſacramentum Pœnitentiæ, quæ requiruntur eſſentialiter ad rationem Judicii fori externi; ſiquidem, ut diximus, Chriſtus D. inſtituit hoc Sacramentum per analogiam ad judicium fori externi: at non eſt eſſentiale judicio fori externi, quòd Judex proferat vocalem ſententiam: ergo nec in Pœnitentia.

Nego majorem: Chriſtus namque inſtituit ſacramentum Pœnitentiæ quoad aliqua tantùm eſſentialia, quæ videlicet communia ſunt omni judicio, putà quoad accuſationem rei, cognitionem criminum, & ſententiæ prolationem; non verò quoad ea, quæ videntur neceſſaria tantùm pro voluntate principum, qualia ſunt, quòd judicia ſcriptô lata, irrita ſint, aut legitima; quòd prolata ſententia in abſentem valida ſit aut invalida: ſiquidem voluit Chriſtus D. ut ſuum in Pœnitentia judicium eſſet vocale, & ferretur in reum præſentem: *Tum*, ut clariùs exprimeretur authoritas judiciaria; *Tum*, ut Judex certiùs cognoſceret ſtatum & affectum abſolvendi, vel condemnandi. Idcirco ſit

CONCLUSIO TERTIA.

XVI. *Nulla eſſet abſolutio data abſenti & per litteras.*

I*Nvalida eſſet Abſolutio litteris conſignata, ſeu ad abſentem directa.* Probatur ex Concilio Tridentino *can.* 34. *cap.* 2. ubi dicit, *eos qui ſe crimine aliquô poſt Baptiſmum contaminaverint, non jam repetitô Baptiſmô ablui, ſed ante hoc tribunal* (Pœnitentiæ) *tanquam reos ſiſti voluit Chriſtus, ut per Sacerdotum ſententiam quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari:* ſed confugere ad tribunal, & ante illud ſiſti, nihil aliud eſt, quàm Sacerdoti præſenti manifeſtare ſua peccata, ut ab eo percipiatur Abſolutio: igitur ex ſententia Concilii Tridentini, Chriſti D. voluntas fuit, ut Confeſſio fieret præſenti Sacerdoti, & ut præſenti reo Abſolutio concederetur.

Probatur ſimiliter ex lib. de vera & falſa Pœnit. *cap.* 10. ubi exemplô leproſorum mundatorum, quos Chriſtus *Lucæ* 17. juſſit, ut ſe ſiſterent Sacerdotibus, quatenus de lepra mundata judicarent, colligit neceſſarium eſſe, ut pœnitentes coram Confeſſario Sacerdote ſe ſiſtant, ac in ejus præſentia peccata deponentes Abſolutionem recipiant. Ait autem: *Præcepit Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præſentiâ confitenda peccata, non per nuntium, aut per ſcriptum manifeſtanda, dixit enim: Ora monſtrate, & omnes, non unus pro omnibus, non alium ſtatuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus à Moyſe ſtatutum: ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis; erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis: in hoc enim, quod per ſeipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis, &c.*

XVII. *Ut optimè docet Doctor.*

Idem docet ſubtilis Doctor *in* 4. *diſt.* 17. ubi reſpondens ad octavum argumentum, *ait*: Ad aliud videtur Confeſſio quandoque facienda, per ſcriptum, ut legitur de Thoma Cantuarienſi, qui miſit ad Curiam pro Abſolutione: ſed hoc videtur eſſe contra rationem Confeſſionis, quia omnis ſcriptura ex ſui natura, nata eſt eſſe publica; quantumcunque enim aliquis conſervet ſecretè apud ſe ſcriptum, tamen ex quo mittit illud, vel propter nuntium, vel propter illum, ad quem mittitur; poteſt publicari, & ſemper ex ſui natura eſt patulum cuicunque legenti, loquens quod ibi continetur. Quilibet ergo ſcribens aliquid, facit in hoc, quod eſt contra naturam ſigni idonei in Confeſſione: & in iſta ſcriptura tollitur verecundia, quæ eſt pœna magna in Confeſſione; & hoc niſi confitens ſit præſens, quando per ſcriptum confitetur, & ideo quod dicitur 30. *quæſt.* 5. *qualis debeat*, quòd quis poteſt confiteri per ſcripturam, Joannes exponit, quando confitens eſt præſens; quia abſens non poteſt licitè: igitur abſens expectet præſentiam cum propoſito confitendi eâ habitâ.

Quibus verbis apertè ſignificat nullam eſſe Confeſſionem in ſcriptis factam; ac ſubinde nullam Abſolutionem datam abſenti. Quod probat, tum ex natura Confeſſionis, quæ non debet vergere in perniciem confitentis, & quæ annexam habere debet verecundiam. Idque confirmat ex gloſſa Joannis Andreæ, ſuper 4. *qu.* 5. *cap.* 4. in fine, qui negat confiteri poſſe aliquem, aut abſolvi à peccatis in abſentia. Nec obſtat quòd in eodem capitulo non agatur de Pœnitentia, aut Confeſſione ſacramentali. Doctor enim ſuum intentum colligit, non ex verbis capituli, ſed ex expoſitione ipſius Joannis Andreæ.

XVIII. *Et declaravit Clemens VIII.*

Porrò, quod Confeſſio, ac ſubinde Abſolutio abſenti data, ſit invalida, conſtat ex Decreto Clementis octavi; qui, ut famoſam controverſiam de validitate Abſolutionis, & Confeſſionis factæ abſenti in ſcriptis, quam propugnabant aliqui Theologi ſocietatis Jeſu, & de illius nullitate, quam aſſerebant alii Theologi, priorem damnavit ſententiam hôc decretô. *Die* 20. *menſis Junii, annô à Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti* 1602. *in generali Congregatione S. Romanæ & univerſalis Inquiſitionis, habita in palatio Apoſtolico in monte Quirinali, coram ſanctiſſimo Domino noſtro Clemente, divinâ providentiâ Papa octavo, propoſitâ quæſtione, utrum liceat per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente Abſolutionem obtinere: Sanctiſſimus Dominus noſter auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, maturè ac diligenter conſideratâ, hanc propoſitionem, ſcilicet, licere per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti, peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente Abſo-*

Qui improbat Confeſſionem factam & Abſolutionem datam abſenti.

lutionem obtinere: ad minùs uti falsam, temerariam, & scandalosam condemnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio, publicis, privatisque Lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur; neve unquam tanquam aliquô casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quôvis modô deducatur. Quòd siquis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputativè tractaverit, nisi forsan impugnando; vel ad praxim, seu directè vel indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso factô incurrat, & à qua non possit, præter quam in articulo mortis, ab alio, quâcunque etiam dignitate fulgenti, & S. Romanæ Ecclesiæ majori Pœnitentiario, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi; aliis etiam pœnis arbitriô infligendis subjaceat.

Repones Pontificem non declarare illam Absolutionem esse invalidam, sed tantùm illicitam; quia nimirum dixit, hanc propositionem à se damnari, quòd asserat: *Licere per litteras absenti confiteri.* Verùm contrarium apparet ex verbis ipsius decreti, quibus prohibetur ne in praxim quovis modo deducatur: si enim absolutio aut confessio per epistolam esset tantùm illicita, sequeretur quòd saltem in casu necessitatis esset valida & consequenter licita: nam in urgente extrema necessitate omnia valida, sunt licita. Unde consequens est, quòd si reverà esset tantùm illicitum, non autem omnino invalidum confiteri absenti, vel absentem absolvere; nullâ authoritate humanâ, civili, aut Pontificiâ, in casu necessitatis id prohiberi posset, maximè in casu summæ necessitatis. Cùm igitur summus Pontifex sub pœna excommunicationis sibi reservata prohibeat asserere, quòd liceat, *per litteras, seu internuntium Confessariô absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem Absolutionem obtinere*: manifestum est, quòd pariter censeat talem Confessionem & Absolutionem esse invalidam.

Cujus decreti variæ elusiones præcluduntur.

Respondent aliqui cum Suare ad 3. *part. disp.* 21. *sect.* 4. Summum Pontificem non damnasse utramque partem suprà dictæ propositionis divisim, sed tantùm conjunctim, & collectivè, nempe quòd non liceat equidem Absolutionem dare absenti, Confessionem verò interdum absenti fieri per litteras non sit vetitum.

Verùm etsi hæc duntaxat ita essent, semper haberemus propositum intentum. At Interpretatio illa Suaris omnino repudiata fuit authoritate Pauli V. summi Pontificis, ut patet ex decreto facto in generali inquisitione his verbis expresso: *Die* 14. *Iulii annô* 1605. *propositâ causâ P. Francisci Suarez Iesuitæ: & consideratis his, quæ scripsit tomô* 4. *in* 3. *partem S. Thomæ sect.* 4. *disp.* 21. *interpretando decretum felicis recordationis Clementis Papæ octavi die* 10. *Iunii annô* 1602. *quô damnavit hanc propositionem, videlicet* licere per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem Absolutionem obtinere, *ac etiam maturè discussis his quæ idem P. Suarez adduxit in defensionem suæ interpretationis; auditis votis illustrissimorum dominorum Cardinalium, Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & ideo amovendam esse ab ejus libris, juxta decreta aliàs facta à felicis recordationis Clemente Papa VIII. de quibus in actis S. Officii.*

XIX.
Et per novâ decreta damnatur.

Præterea eôdem annô die 20. Julii eadem Congregatio decrevit: *Ex libris Patris Francisci Suarez Iesuitæ disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 12. *amoveantur infrà scripta verba, videlicet:* Atque ex hac resolutione usque ibi, in absentia Confessoris. *Idem P. Suarez corrigat suum librum, & antequam evulget, ostendat huic sacræ Congregationi.* Et rursus die 18. Augusti hoc emanatum est Decretum: *Sanctissimus decrevit ex tom.* 4. *Patris Suarez Iesuitæ in* 3. *p. S. Thomæ, disp.* 21. *de Confess. sect.* 4. *cui titulus est:* Utrum de necessitate Confessionis sit, ut pœnitens Sacerdoti præsenti immediatè, & per seipsum revelet peccata sua, *totam esse amovendam, nec aliam ejus locô subrogandam.*

Dices: Sacramentum Pœnitentiæ, ut suprà diximus *num.* 13. institutum est per modum Judicii; unde Absolutio Sacramentalis, est quædam sententia data in foro conscientiæ: sed in Judicio forensi Judex potest absolvere absentem: igitur & in Tribunali Pœnitentiæ Sacerdos poterit pœnitem absentem à peccatis absolvere.

XX.
Quare potius Judex civilis possit absentẽ absolvere quàm Sacramentalis.

Nego paritatem: Licèt enim sacramentum Pœnitentiæ habeat aliquam similitudinem cum judicio forensi, in multis tamen ab eo discrepat: *Primò* namque in Tribunali Pœnitentiæ idem est accusator, testis, & reus: quia judicium est voluntarium, tam ex parte rei, quàm ex parte Judicis: *Secundò*, ipse reus absolvitur, vel damnatur secundùm ea, quæ contra, vel pro se profert, quia videlicet Judicium istud institutum est in favorem rei, cui idcirco fides adhibenda est; maximè cùm adversum se injustitiam suam, & delictum suum confitetur. *Tertiò*, quia Judex forensis, non debet esse sollicitus de statu interno, & affectu illius, quem absolvit: Sacerdos autem debet habere certitudinem moralem de statu, & affectu præsenti illius, cui Absolutionis beneficium impendit; hoc autem nosse non potest, nisi ipse absolvendus manifestaverit; quod utique præstare non potest, dum absens est: cùm enim homo assiduæ mutationi subjaceat, quantumvis scriptô suam dispositionem fuerit obtestatus, poterit illam revocasse, dum Sacerdos absenti Absolutionem largiretur. Inde fit, quòd etsi in judicio forensi Judex possit absolvere absentem; id tamen præstare non potest Sacerdos in Tribunali Pœnitentiæ.

Dices secundò: Doctor subtilis suprà laudatus refert, quòd S. Thomas Cantuariensis absens, Absolutionem petierit à Sede Apostolica. Et sanctus Cyprianus lib. 3. epist. 17. ait, quòd lapsi per epistolam Absolutionem petentes, eam obtinere possent: igitur Absolutio absenti data potest esse valida.

XXI.
S. Thomas Cantuariensis petiit à S. Pontifice absolutionem à censuris.

Nego consequentiam: Et ad factum S. Thomæ, quod refert Baronius tomô 12. ad annum 1164. num. 6. respondeo, quòd Absolutionem Sacramentalem à Sede Apostolica non postulavit, nec eam ipsi dederit Alexander III. summus Pontifex, sed tantùm Canonicam; propterea quòd fateretur se non omni, quâ debebat constantiâ contra Regem Angliæ, & ejus proceres, Ecclesiæ jura propugnasset; unde se Sacerdotiô indignum judicabat, ut colligitur ex scripto summi Pontificis, in quo sic habet: *Si te recolis aliquid commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere, quidquid sit, Sacerdoti, qui discretus & providus habeatur, tibi consulimus per Pœnitentiam confiteri: Quo factô misericors Dominus, qui multò amplius ad cor respicit, quàm ad actus, tibi consuetæ pietatis suæ miseratione dimittet; & nos de Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, meritis confidentes, te ab eo, quod est commissum, absolvimus;*

& idipsum fraternitati tuæ authoritate Apostolicâ relaxamus. Quibus apparet, non sacramentalem, sed tantùm Canonicam Absolutionem ei tribuisse; quippe cùm ipsum moneat, ut conveniat Sacerdotem discrum, cui confiteatur, ut ab eo sacramentalem Absolutioonem recipiat.

Ad sanctum Cyprianum, dico contrarium potius ex eo colligi; ait enim: *Si qui infirmitatis periculô occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possit, ut manu eis in Pœnitentiam impositâ, veniant ad Dominum cum pace.* Ubi significat præsentiam Sacerdotis requiri: & insuper, ibi non agit de Absolutione Sacramentali, sed tantùm de Canonica; alioqui non diceret, eam in absentia Sacerdotis impendi posse à Diacono.

XXII.
S Cyprianus permittit Diaconis absente Sacerdote quòd absolvere possint à censuris.

Pax ergo, de qua ibi agit Cyprianus, erat Absolutio à pœnis satisfactoriis; hæc autem concedi poterat Diaconis, cùm etiam hodie usitata sit Archidiaconorum ab excommunicatione Absolutio, tametsi in solo Diaconatûs Ordine constituti sint. Nec mirum, cùm constet ex libro 8. Constitutionum Apostolicarum Clementis, authoritatem excommunicandi habuisse Diaconos absente Presbyterô cap. 34. ibi: *Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, Diaconissam, siquid tale contingat, absente scilicet Presbyterô.* Habuerunt igitur illô absente etiam potestatem absolvendi ab excommunicatione, nam ejusdem est absolvere, cujus est excommunicare. Addit Pamelius in annotationibus ad illam epistolam Cypriani, » Fortassis cùm » Episcopus absens, & Presbyteri multi carceri- » bus inclusi essent, ex privilegio quodam Diaco- » nis in necessitate permissa est Pœnitentium recon- » ciliatio, sicut a sancto Gregorio Presbyteris ali- » quando concessam legimus sacramenti Confirma- » tionis administrationem, quæ solis alioqui Epis- » copis competit. Ita Pamelius.

Objicitur historia Serapionis.

Objicies 2. varias historias, ex quibus apparet, Asolutionem Sacramentalem, fuisse per litteras absentibus datam; id namque *primò* colligitur ex historia Serapionis, quam describit sanctus Dionysius Alexandrinus epistolâ ad Fabianum, referente Eusebiô lib. 6. Historiæ, cap. 36. » Serapion vir annosæ virtutis tempore persecutio- » nis, præ imbecillitate sacrificat idolis; posteà » sæpenumerò in Ecclesiam recipi supplex postu- » lat: sed quia idolis sacrificasset, ejus postulatio- » ni nemo auscultabat; in gravem morbum dela- » bitur, triduo deinceps mutus & absque sensu » vivit; quartô die paululum relevatus, jubet per » nepotem suum advocari Sacerdotem, qui fortè » morbô vexatus cùm ad eum accedere non posset, » dat particulam Eucharistiæ puero, quem miserat » ægrotus, præcepitque ei, ut madefactam in os » Senis infunderet: infondit, illico Serapion extremum spiritum dedit. De eo Dionysius subjicit: *Nunc igitur satis constat, eum fuisse reservatum, & eò usque in vita mansisse, quoad usque penitus esset culpæ vinculis solutus, & ipsâ labe, quâ erat idolis immolando aspersus, omnino deletâ, posset pro multis bonis, quæ gessisset in vita, in numerum Confessorum referri.* Ex iis sic argumentari licet. Ille senex, antequam in morbum incidisset, Absolutionem Sacramentalem ab idololatria non fuerat consecutus: ut enim habet Dionysius, illi non fuerat supplicatio concessa, quâ in pœnitentium numerum recipi postulabat; nec potuit illi concedi Eucharistiæ participatio, nisi post acceptam Absolotionem, ne indigno concederetur.

Deinde dicitur: Ad hoc tempus reservatus, ut penitus esset culpæ vinculis solutus; hic autem effectus non est Eucharistiæ, sed Absolutionis proprius: igitur per Sacerdotem fuit absolutus, antequam Eucharistiæ participatio concederetur; non per Sacerdotem præsentem; morbô enim detinebatur in lecto: ergo per internuntium.

Ex Roberti Cœnomanensis.

Constat secundò, ex historia Roberti Cœnomanensium Episcopi, qui tempore Joannis VIII. annô 872. in ægritudine positus scribit ad Episcopos circa muros Andegavenses residentes: suâ illis peccata per Epistolam confitetur, per illos petit absolvi: annuentes Episcopi illi rescribunt; extat Roberti epistola tomô 3. Conciliorum Galliæ, cujus hæc sunt verba: *Pietatis vestræ misericordiam singultu interpositô implorare non cesso, quatenus potestate vobis cælitus collatâ, vincula meorum peccatorum enodetis, & precum vestrarum studiis commissa mea expietis, ut cum reprobis non ducar ad tartara, quin potius vestrô interventu cœlestia merear sublimari ad gaudia.* Respondent in hunc modũ Episcopi in sua epistola cui titulus est *Epistola absolutionis quam ei remiserunt iidem venerabiles Consacerdotes de loco obsidionis.* In qua quidem epist. inter cætera hæc habentur: *Tibi peccata tua confitenti per Ecclesiasticam Apostolicæ authoritatis potestatem, quam Dominus noster Iesus Christus tradidit Discipulis, & Apostolis, dicens:* ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, &c. *& per eosdem Apostolos suos ipsorum Successoribus, quorum vices, licèt indigni, tenemus.* Et infrà: *Gratiâ & potentiâ suâ, virtute Spiritûs sancti, qui est remissio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet te in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad SS. Sacerdotum consortium. Amen.*

Ex Hildeboldi Suessionensis.

Constat tertiò ex Confessione *Hildeboldi* Suessionensis Episcopi facta Hincmaro Rhemensi, cujus meminit Sirmundus in notis ad præcedentem epistolam, ubi asserit illius Absolutionis hunc in vetusto codice legi titulum: *Exhortatoria Hincmari Metropolitani, ad Hildeboldam Episcopum corporeâ infirmitate detentam, in qua juxta petitionem litterarum Confessionis illius suâ authoritate eum per absentiam corporalem reconciliando absolvit.*

E Gregorii VIII.

Constat quartò, ex Rescripto Gregorii VII. ad Episcopum Lincolmensem, quod extat librô 1. epistolâ 34. his verbis: *Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, authoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli fulti, quorum vices, quamvis indigni, fungimur, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhærendo, & commissos excessus plangendo, quantùm volueris.*

Constat quintò, ex altero ejusdem rescripto ad Episcopum Leodiensem, cujus hæc sunt postrema verba: *Quia in extremo videris positus, fraternâ compassione ducti, authoritate beati Petri Apostolorum Principis absolvimus te à peccatis, &c.* extat lib. 2. epist. 6.

Sed solvuntur.

Respondeo, his & similibus authoritatibus, & testimoniis, non significari Sacramentalem Absolutionem peccatorum absentibus fuisse legitimè datam; sed *vel* solùm Pœnitentiarum canonicarum remissionem; *vel* concessionem indulgentiarum; *vel* denique spiritualem quandam benedictionem per modum precum & orationum, quibus Præsules absolventes optabant, & Deum precabantur, ut vel gratiam Pœnitentiæ conce-

deret iis ; quos videbantur absolvere ; vel eis pœnam peccatis debitam ex misericordia relaxaret. Cujus utique responsionis ratio est aperta, quippe cùm ejusmodi Absolutiones non præcedant distinctæ accusationes peccatorum , sed duntaxat generales & indistinctæ : porrò Confessio peccatorum generalis & indistincta, extra casum necessitatis, non sufficit ad obtinendam Sacramentalem Absolutionem.

Confirmatur hæc responsio ex eo quòd similis Absolutio concessa fuerit iis, qui nullam peccatorum accusationem etiam generalem & distinctam videntur præmisisse: nam Gregorius VII. lib. 8. Epistolarum scribens epist. 2. ad Alphonsum Hispaniæ Regem, postquam ipsum variis laudibus extulit, illum, illiusque proceres à peccatis absolvit in hæc verba : *Omnipotens Deus, omnium rerum Creator, & Rector, omnium dignitatum ineffabilis dispositor, qui dat salutem Regibus, meritis Altissima domina Genitricis Dei Maria, omniumque Sanctorum, authoritate beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, nobis licèt indignis per eos qualicunque commissa, te tuosque Fideles in Christo ab omnibus peccatis absolvat, detque tibi victoriam de inimicis, &c.*

QUÆSTIO QUARTA.

Vtrum forma Absolutionis validè fieri possit verbis deprecativis, & sub conditione?

I. Variæ Theologorum sententiæ circa modum quo fieri debeat absolutio.

NOtandum primò, eam fuisse veterum quorundam Theologorum sententiam, quòd Absolutionis forma esse deberet omnino deprecativa, ita ut foret invalida si verbis indicativis proferretur, ut colligitur ex sancti Thomæ Opusc. 22. ubi ejusmodi sententiam impugnat : Alensis verò part. 4. quæst. 21. memb. 1. & S. Bonaventura in 4. dist. 18. part. 1. art. 2. quæst. 11. videntur asserere formam absolutionis partim esse indicativam & partim deprecativam : *Nam*, inquit S. Bonaventura, *Sacerdos se habet ut Dei Mediatorem ad hominem, & hominis ad Deum ; unde per ipsum peccator ascendit ad Deum ; & sic Sacerdos est os peccatoris, sive loquens pro peccatore ; & per ipsum descendit Deus ad hominem, & sic Sacerdos est Angelus Dei ; imò os, eò quòd ipse separat pretiosum à vili. Secundùm quod ascendit, habet se per modum inferioris, & supplicantis : secundùm quod descendit per modum superioris, & judicantis. Secundùm primum modum potest gratiam impetrare, & ad hoc est idoneus ; juxta verò secundum modum potest Ecclesia reconciliare ; & ideo in hujus significationem in forma Absolutionis pramittitur deprecatio per modum deprecativum ; & subjungitur Absolutio per modum judicativum : & deprecatio gratiam impetrat, sed Absolutio prasupponit tantùm ; nunquam enim Sacerdos absolveret quemquam, de quo non prasumeret, quòd esset absolutus à Deo : si ergo quaratur utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam, dicendum est, quòd bene potest se extendere per modum deprecantis, & impetrantis Absolutionem, sed per modum impertientis nequaquam.* Hæc Seraph. Doctor.

Sunt etiam qui contendant formam Absolutionis verbis deprecativis conceptam fore validam. Ita *Maironius* in 4. dist. 14. quæst. 1. & *Aureolus* dist. 23. asserentes formas Sacramentorum posse esse deprecativas, vel indicativas pro diversa Ecclesiæ consuetudine. Nec ab eis distat *Dominicus Soto* in 4. dist. 3. quæst. unicâ ; ubi docet Absolutionem verbis deprecativis validè posse conferri ; quamvis non licitè ; ac subinde valere hanc formam, *Absolvit te*, vel *Absolvat te Christus* : Nam, inquit, etiam forma Extremæ-Unctionis est deprecativa, his verbis concepta: *Indulgeat tibi Dominus, &c.* Nec ab ea sententia distare videtur *Gamacheus* qui cap. 5. de Confirm. dicens Confirmationis substantiæ formam non mutare has formulas, *Ego consigno te*, vel, *Confirmo te*, vel, *Signet te Deus, Confirma eum Domine.*

II. Nulla fuit controversia inter Græcos & Latinos circa formã Sacramenti Pœnitentiæ.

Notandum secundò, quòd etsi Authores tum Veteres, tum Recentiores, qui pro forma deprecativa Absolutionis militant, maximè niti videantur authoritate, & praxi Orientalis Ecclesiæ, ut apparebit ex eorum fundamentis infrà evertendis ; nihilominus, ut optimè notat *Arcudius* lib. 4. cap. 3. nulla unquam fuit controversia de hac re inter Græcos, & Latinos : Ac proinde, inquit, non est verisimile antiquam formam hujus Sacramenti ex odio alicujus, vel malitia Græcorum mutatam fuisse aliquando ; imò Græcos passim nequidem scire, quid sibi velint hujusmodi termini *materia* & *forma* in tract. de Sacramentis, si paucos doctiores excipias : ac subinde non est cur aliqui Neoterici tantoperè suæ sententiæ patrocinium accersant pro vindicanda forma deprecativa Absolutionis, ex Græcorum Euchologiis, sive Ritualibus, & praxi. Quanquam enim ejusmodi Euchologia & Ritualia per se ferant formam deprecativam, nihilominus, ut apparebit ex dicendis *num.* 10. à consueta Ecclesiæ Latinæ praxi Græci non dessentiunt.

III. Triplex conditio sub qua dari posset absolutio.

Notandum tertiò, quantùm ad secundam partem Conclusionis, nempe *de Absolutione sub Conditione*, eam conditionem distingui posse triplicem : nimirum de præterito, de præsenti, & de futuro. De præterito quidẽ, ut putà siquis diceret: *Absolvo te à peccatis confessis, si reverà ea admiseris* de præsenti verò, *Absolvo te, si verum habeas dolorem de peccatis, & firmum propositum non peccandi de cætero* : de futuro autem, *Absolvo te, si iterum non pecces.* Porro discrimen est inter hujusmodi conditiones, quòd Sacramenta validè ministrentur sub conditione de præsenti, vel de præterito ; siquidem conditiones illæ intentionem conditionalem efficiunt absolutam, juxta illud Instit. de Verb. oblig. §. 7. *Conditiones qua ad prasens, vel prateritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt.* veluti si Titius Consul fuit, vel si Mævius vivit, dare spondes. *Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio ; sin autem ita se habent, statim valet : qua enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licèt apud nos incerta sint.* Ita jus civile, quô etiam utitur Ecclesia, nisi sacris Canonibus contradicat ; nam, ut habetur de novi operis denuntiatione, *quia verò sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adjuvantur.* Unde etiam in jure Canonico cap. 2. de Bapt. decernitur, de quibus dubium est an baptizati fuerint, ut baptizentur his verbis præmissis ; Si baptizatus es, non te baptizo ; sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo. Unde superest tantùm difficultas, utrum Absolutio data sub conditione de futuro sit invalida, donec illa conditio adjiciatur.

Conclusio Prima.

IV. Absolutio non potest fieri solis verbis deprecativis.

Absolutio Sacramentalis verbis deprecativis expressa, non est valida.

Probatur primò ex Conciliis Florent. & Trid. in quibus decernitur (ut dictum est in superiori quæstione) formam Absolutionis esse his verbis conceptam, *Ego te absolvo: Quibus*, inquit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. *quamvis de Ecclesia S. more preces quadam laudabiliter adjunguntur; ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria*: at si valida foret Absolutio verbis deprecatoriis concepta, verba essentialia illius formæ non essent præfata, *Absolvo te*, & preces adjungi solitæ non solùm essent necessariæ administrationi hujus Sacramenti; sed etiam ad illius formæ essentiam spectarent: igitur ex sententia Conciliorum forma Absolutionis non debet esse deprecatoria.

Probatur insuper ratione, quam Concilium Tridentinum ibidem cap. 6. insinuat, dum ait, quòd Absolutio Sacerdotis est *ad instar actûs judicialis, quô ab ipso velut à Judice sententia pronuntiatur*: sed sententia Judicis indicativô, vel imperativô modô; non autem optativô seu deprecativô fertur, ut constat ex omnibus humanis judiciis civilibus, & Ecclesiasticis; sententia enim est actus Superioris authoritatem exercentis; deprecatio verò est actus inferioris potestatem non habentis; enimverò qui supplicat, ostendit se non habere potestatem ejus efficiendi quod postulat ab alio sibi fieri; si enim posset id assequi per se, non oraret ut ab alio sibi fieret: igitur Absolutio Sacerdotalis non debet fieri verbis deprecativis.

Deinde, Eô modô fieri debet Absolutio, qui magis quadrat institutioni ac promissioni sacramenti Pœnitentiæ: sed modus indicativus, magis ipsi convenit, quàm deprecativus; enimverò Scriptura referens promissionem & institutionem sacramenti Pœnitentiæ, nullibi meminit orationis, aut deprecationis; siquidem Christus non dixit, peccata pro quorum remissione oraveritis, dimittentur: sed, *Quorum remiseritis peccata, &c.* neque dixit: *quæcumque petieritis solvenda*, sed & *quæcunque solveritis, &c.* Igitur, ut verificetur sacramenti Pœnitentiæ institutio, Sacerdos non debet orare, sed remittere; alioquin non poneret id cui peccatorum remissio, & ablatio promissa est. Parebit evidentiùs, ac confirmabitur efficaciùs nostræ assertionis veritas ex solutione eorum omnium, quæ obtrudere solent quidam Novatores.

V. Aliter Sacerdotes novæ legis peccatores Deo reconciliant quàm legis veteris.

Objiciunt itaque primò: Non aliter Sacerdotes novæ legis benedicere debent Fidelibus, & eos à Deo aversos ipsi reconciliare, quàm Sacerdotes Aaronici benedicebant Israëlitis, eosque propter peccatum Deo infensos reconciliabant: sed E id duntaxat exequebantur deprecativè: sic enim Deus præscribit Moysi Num. 6. *Loquere Aaron, & filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem: invocabuntque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis.* Igitur Sacerdotes novæ legis convenientiùs populo Christiano benedicent, & reos absolvent verbis deprecativis, putà; *Absolvat te Deus*, quàm indicativis: *Ego te absolvo.*

A *Nego majorem*: Neque enim Sacerdotibus Aaronicis Christus D. dederat potestatem absolvendi à peccatis, nec eis dixerat: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Adde quod illa benedictio, quâ Sacerdotes Levitici benedicebant Israëlitas, non erat sacramentalis, sed impetratoria tantùm, & cæremonialis, similis ei, quam Episcopi impertiri solent fidelibus, dum ajunt *Benedicat vos omnipotens Deus Pater, &c.* nec-non & illi, quâ Sacerdotes in fine sacrificii Missæ benedicunt populo, dicentes: *Benedictio Dei omnipotentis descendat super vos, & maneat vobiscum, in nomine Patris, &c.* Secus est autem de benedictione sacramentali, dum B enim illius Scriptura meminit, eam attribuit Sacerdoti; sic enim sanctus Paulus 1. ad Cor. 10. ait: *Calix, cui benedicimus, &c.* Id est, inquit glossa, *Cui nos Sacerdotes quotidie benedicimus*, Porrò Absolutio Sacerdotis in Pœnitentiæ Tribunali sacramentalis est.

Urgebis: Idcirco colligitur Absolutio indicativa; quia, ut mox dictum est, Christus D. dixit Apostolis: *Quorum remiseritis, &c.* quibus verbis eis potestatem concedit remittendi peccata: sed inde non sequitur, quòd Apostolis licuerit peccata remittere verbis indicativis. Probatur: Non aliter Christus D. *Joan.* 20. concedit potestatem remittendi peccata, quàm *Luca* 9. & C *Matth.* 10. dat eis potestatem infirmos sanandi, & ejiciendi dæmones: at Apostoli infirmos sanando, & ejiciendo dæmones, non utebantur verbis indicativis, sed solùm deprecativis, sicut sanctus Petrus ait Æneæ Paralytico: *Sanet te Dominus Jesus Christus.* Igitur nec Sacerdotes uti debent his verbis indicativis, *Absolvo te*, sed his deprecativis, Absolvat te Christus D.

VI. Apostoli infirmos curabant non solùm orando, sed etiam imperando.

Nego minorem: & ad ejus probationem dico, primo certum esse, quòd Apostoli infirmos curando, & mortuos suscitando, nedum verbis optativis, & deprecativis usi fuerint; sed etiam indicativis, & imperativis, ut apparet ex laudato capite Actorum: siquidem ibi non dicit, sanet te Dominus, sed *sanat*, unde statim addit: D *Surge, & sterne tibi.* Similiter ibidem Tabitham resuscitando dixit: *Tabitha surge.* Similiter *Actor.* 3. idem Petrus claudo dixerat: *Quod habeo, hoc tibi do, in nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Adde quòd reponere possim, aliam esse, & aliter traditam Apostolis potestatem absolvendi à peccatis, ab ea quam habebant ad sanandum ægrotos; quippe hæc potestas non oriebatur ex virtute & charactere in iis residente, sicut potestas absolvendi, quæ fundatur in charactere Sacerdotali, & ministeriali potestate, quâ nempe Sacerdotes applicant Sacramentum, tanquam signum sacrum, ad cujus positionem, necessario & infallibiliter consequitur gratia sanctificans peccati expunctiva, & remissiva.

VII. Cur SS. Patres Sacramentorum formas appellent orationes.

Objicient secundò SS. Patres, qui quoties meminerunt formæ Absolutionis, toties eam orationem & preces Sacerdotis appellant, docentque Sacerdotes non aliter, quàm per orationem peccata dimittere. Sic sanctus Dionysius lib. de Hierarch. Eccles. cap. 7. Absolutionem Sacerdotis, deprecationem appellat & cap. 6. agens de Ordinatione Episcopi, ait: *Sanctissimis invocationibus seu precationibus perficitur*: sic pariter sanctus Pacianus parenæsi ad Pœnitentiam: *Qui fratribus suis peccata non tacet, Ecclesiæ lacrymis adjutus, Christi precibus absolvitur.* Christi preces

appellat preces Ecclesiæ. Ut enim ait ibidem: *In uno, & altero Ecclesia est, & in Ecclesia Christus.* Ex sancto Ambrosio lib. 3. de Spiritu sancto cap. 19. *Videamus utrum peccata donet Spiritus: sed hic dubitari non potest, cùm ipse Dominus dixerit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt. Ecce quia per Spiritum sanctum peccata donantur; homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent; neque enim in suo, sed in Patris, & Filii, & Spiritûs sancti nomine peccata dimittunt. Isti rogant, Divinitas donat; humanum enim obsequium, sed munificentia superna est potestatis.* Et Augustino 3. de Bapt. cap. 16. *Quid est impositio manuum, nisi oratio super hominem?* Et ex lib. quinquaginta homiliarum homil. 49. *Si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, ut pro vobis Ecclesia oret, agite Pœnitentiam; nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago: ergo sine causa dictum est, Quæ solveritis in terra, &c.* Ex sancto Hieronymo ad illud Psalmi 28. *Vox Domini intercidentis flammam*, ait: *Quotidie in uno quoque nostrum flammam libidinis per Confessionem, & gratiam Spiritûs sancti intercidit; id est per orationes Sacerdotum facit cessare.* Et sanctus Chrysostomus lib. de Sacerdotio, ubi dixit Sacerdotes conferre ad animarum salutem, subdit. *Nec verò hoc docendo aut monendo faciunt; sed etiam orationibus adjuvando; nec solùm quando nos regenerant, sed etiam deinceps potestatem habent indulgendi peccata.* Et S. Leo epist. 91. *Ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.... siquis eorum, pro quibus Domino supplicavimus, à munere indulgentiæ præsentis occiderit... necessarium est, ut peccatorum reatus Sacerdotali supplicatione solvatur:* sed orandi, rogandi, supplicandi verba significant Pœnitentiæ formam esse deprecativam.

Respondeo SS. Patres, idcirco appellasse formam Absolutionis orationem: *Primò*, inquit Arcudius propter consequentes, & concomitantes preces, quæ cum ipsa forma antecedenter, & consequenter proferuntur; eô ferè modô, quô quidquid dicitur in Officio divino, appellatur *oratio*, quanquam in illo legantur historiæ, & vitæ Sanctorum, quæ non sunt orationes formaliter, sed potius narrationes. *Secundò*, Absolutio dicitur oratio, quia implicitè & virtualiter continet orationem, quâ ex Christi institutione Sacerdos ipsius Christi D. nomine petit efficaciter remissionem peccatorum; Sacerdos enim Sacramentum conferens optat exaudiri à Deo; & statim adest divina majestas verbis sui ministri operans remissionem peccatorum. Et hac ratione etiam Sacramentorum omnium formæ passim à SS. Patribus, vocantur preces, & orationes; unde sanctus Augustinus lib. 3. de Baptismate cap. 18. *Deus exaudit homicidam super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur deprecantem.* *Tertiò*, quia inferioris ad superiorem sermo, est quædam orationis species; fieri enim debet cum humilitate, reverentia, & animi demissione, quæ precum & orationum sunt appendices.

His addo quòd SS. Patres sæpiùs loquantur de Absolutione cæremoniali solita concedi publicè pœnitentibus post exactos Pœnitentiæ labores; illa siquidem concedebatur à Sacerdotibus, iis qui pœnitentialibus operibus defungebantur intuitu supplicationum & precum totius Ecclesiæ, præcipuè verò Sacerdotum, nec-non &

A Martyrium, ac eorum, qui Christi fidem & nomen coram Infidelibus constanter professi fuerant, & propter ejusmodi Confessionem varia tormenta perpessi; de quibus utique precibus ait sanctus Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 10. *Fleat pro te mater Ecclesia, & culpam tuam lacrymis lavet: videat te Christus mœrentem: amat, ut pro uno multi rogent: motus vidua lacrymis, quia plurimi pro ea flebant filium ejus resuscitavit.* Similiter sanctus Pacianus, Christi *preces*, inquit, *sunt suffragia Fidelium:* Hinc Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 10. *Cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras, cùm illi super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur.* B

Objiciunt tertiò: Si Sacerdotes tempore S. Augustini usi fuissent hâc formâ: *Ego te absolvo*, ipse non arguisset ejusmodi loquendi formulam in hæreticis: *Ego tibi peccata remitto*, cùm à peccatis absolvere, sit ea remittere: sed ipse lib. 50. homil. homil. 23. cap. 8. expendens Magdalenæ conversionem, & hæc verba: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* ubi dixit, Christum peccata dimittere non quatenus hominem, sed quatenus Deum, statim arguit eos, qui dicebant: Dimitto tibi peccata, *Medicus bonus*, inquit, *ægrotos non solùm præsentes sanabat, sed & futuros etiam prævidebat;* C *futuri enim erant homines, qui dicerent: Ego peccata dimitto, ego justifico, ego sanctifico, ego sano quemcunque baptizo.* Et circa finem capitis, *Audet sibi hoc homo usurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico:* quæ sanè non protulisset, si illa forma indicativa, *Ego te absolvo*, tunc temporis in Ecclesia fuisset in praxi.

VIII. Quare S. Augustinus arguat eos qui dicebant, *Ego remitto tibi peccata.*

Respondeo sanctum Augustinum non arguere eos, qui nomine & authoritate Christi, tanqoam ejus Vicarii, dicunt: Ego peccata dimitto: Nam cap. seq. fatetur Apostolos à Christo accepisse potestatem remittendi peccata: sed quòd eam sanctificandi vim, ac peccata dimittendi suæ pro- D priæ sanctitati, suisque meritis adscriberent, arbitrati se sanctissimos esse, quòd improborum consortiô non inficerentur, & alios ex sua societate justificare possent. Unde eis attribuit illud Isaiæ 32. *Recede à me, quoniam mundus sum:* Hinc, ut subdit sanctus Augustinus, *In collatione nostra cùm eis à Cognitore confessus esset oblatus, ut sederent nobiscum, respondebant, Scriptum est, nobis cum talibus non sedere.* Psalm. 25. *Non sedi cum concilio vanitatis, ne scilicet per contactum subsellium ad illos veluti nostra contagio perveniret.* Unde sic eos urget sanctus Augustinus: *Quare nobiscum ingressi estis in Ecclesiam, cùm scriptum sit consequenter, & cum iniqua gerentibus non introibo?... ideo melior Iudæis, quàm hæreticis apparuit intellectus. Iudæi quippe dixerunt: Quis est* E *hic qui peccata dimittit? audet sibi homo hoc usurpare? quid contra hæreticus? ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico, &c.* Cùm igitur illi hæretici, videlicet Montanistæ, & ex eis originem ducentes Donatistæ, (qui se *catharos*, hoc est, mundos, alios verò immundos existimabant, & idcirco sibi arrogabant facultatem alios sanctificandi ex sua societate, & propriis meritis) in fundamentum sui erroris proferrent illud *Matth. 18. Quæcunque solveritis, &c.* non negat sanctus Augustinus Christum dedisse hanc potestatem Apostolis: sed ait, Deum esse principem causam, homines verò tantùm ministros: *Nescitis*, inquit c. 9. *quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit? daturus*

erat

Sat Dominus hominibus Spiritum sanctum, & ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimissi peccata non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata. Nam quid est homo, nisi ager sanandus? Vis mihi esse Medicus? mecum quære Medicum nam, ut hoc evidenter ostenderet Dominus, à Spiritu sancto, quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco (nempe Joan. 2 *sic ait resurgens a mortuis Accipite Spiritum sanctum: & continuo subjecit; Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, hoc est, Spiritus Domini dimittit, non vos, Deus autem Spiritus est: Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum! Quid estis vos, nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Unde concludit: *Deus ergo habitat in templo suo, hoc est, in sanctis suis fidelibus, in Ecclesia sua per eos dimittit peccata quia viva templa sunt: sed qui dimittit per hominem, potest dimittere & præter hominem: neque enim minus est idoneus per se dare, qui potest per alium dare.* Non igitur negat sanctus Augustinus verba formæ Absolutionis, sed superbiam eorum, qui suis meritis remissionem peccatorum tribuebant improbat.

Objiciunt quartò S. Cyprianum lib. de Lapsis, ubi ait: *Nemo se fallat, nemo se decipiat: solus Dominus misereri potest: veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris: homo Deo esse non potest major; nec remittere aut donare indulgentiâ suâ servus potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est:* igitur censet S. Cyprianus Sacerdotem absolvere non posse actu juridicô à peccatis; sed id soli Deo esse tribuendum.

Nego consequentiam: Non enim ea mens est S. Cypriani; sed ibi arguit eos, qui nondum bene dispositis per debitam satisfactionem, & salutaris Pœnitentiæ labores, beneficium Absolutionis Christi negatoribus, & lapsis à fide impendebant. Unde antea dixerat: *Oportet Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus, manu parente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est & secandum, & putaminibus amputatis medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cùm senserit sanitatem.* Unde statim subdit causam, cur hæc fuerit peroratus: *Emersit enim (Fratres dilectissimi) novum genus cladis, & quasi parum per ecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum, sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei legem, temeritate quorundam laxatur incautis communicatio irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura: non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam, Pœnitentia de pectoribus [illegible] excussa est, gravi[illegible] extremique delicti memoria su[illegible]lata est. Operiuntur morientium vulnera, & plaga [illegible] letbalis al[illegible]s & pr[illegible]fundis visceribus infixa, dissimulatô dolore contegitur, à diaboli a[illegible] revertentes ad sanctum Domini sordidis [illegible] nidore manibus accedunt: mor[illegible] ros [illegible]orum [illegible] ad[illegible]uc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc [illegible] suum faucibus, & contagia funesta redolentibus [illegible] omini corpus invadunt.* His ignor[illegible] is sign[illegible] sanctus Cyprianus se duntaxat i[illegible]ecta[illegible] eos S[illegible] otes, non qui ambi[illegible]ent c[illegible]cedere veniam & remissionem cuj[illegible] confe[illegible]endæ non haberent facultatem, sed qu[illegible] mis[illegible]cordià, & nimia facilitate ac indu[illegible] [illegible]m lapsis nondum de[illegible]tè dispositis largi[illegible].

IX. S. Cyprianus [illegible] ne[illegible] Sa[illegible]

Adde quòd S. Cyprianus ibi non loquatur de Absolutione a peccatis, sed tantùm ab excommunicatione, & a[illegible]is Ecclesiæ censuris, quibu[illegible] in idololatriam lapsi innod[illegible]ba[illegible]tur, donec per actâ sufficiente p[illegible]o de[illegible]cto Pœnitentiâ, ab eis solverentur. U[illegible]e subd[illegible]: *Ante expiata delicta, ante Exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam, sacrificiô, & manu Sacerdotis; ante offensam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus ven[illegible]ant. Non est pa[illegible]a, sed bellum, nec Ecclesia jungitur, qui ab Evan[illegible]lio separatur. Quid injuriam beneficium v[illegible]ant? Quid impietatem vocabulô pietatis appellant? Quid iis, qui flere jugiter, & rogare Dominum suum debent, interceptâ Pœnitentiæ lamentatione communicare se simulant?.... Non concedit pacem facilitas illa, sed tollit, nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem.*

Sed eleganter arguit eos qui lapsos nimiâ facilitate reconciliabant Ecclesiæ.

Objiciunt quinto: Non est verisimile Ecclesiam Orientalem, maximè apud Græcos, nusquam habuisse legitimam, ac validam formam Absolutionis: s[illegible]d illi solùm abs[illegible]lvunt verbis deprecatoriis: igitur hæc forma non est illicita, nec invalida.

Nego minorem: Cujus contrarium apparet ex Græcorum Euchologio: nam in eo præmittuntur quidem hæc verba precatoria: *Dominus noster Jesus Christus & Deus, qui mandatum ligandi & solvendi peccata Discipulis tradidit, prætereat omnia peccata tua.* Sed orationem hæc consequuntur verba: *Ego verò indignus ejus servus absolvo te à peccatis tuis.* Item: *Dominus justus, qui propter nos carnem assumpsit, & universi orbis peccatum tollit, delicta tua deleat: Ego verò condono tibi omnia peccata tua.* Et Arcudius ipse Rituum Ecclesiæ Græcæ peritissimus, utpote natione Græcus, & eruditione singulari rerum Ecclesiasticarum instructissimus, agens lib. 4. de forma Pœnitentiæ; disertè ostendit, quòd etsi imperitiores Græci interdum utantur formâ deprecatoriâ; tamen peritiores non nisi imperativè vel indicativè absolvunt; nam inter varias Absolutionis formulas, quas ibi refert, nulla est, quæ præter preces adjunctas, non præ se ferat authoritatem sententiæ judicialis: Solent enim Sacerdotes dicere pœnitenti: *Habeo te veniâ donatum,* aut; *habeo te absolutum,* vel quid simile, quod utique *inquit*, phrasi Græcâ æquivalet [illegible]: *Veniam do, ignosco, condono, indulgeo,* seu *remitto tibi peccata:* Præsules autem honoris, dignitatis, aut humilitatis gratiâ dicunt: *Mea mediocritas,* seu *mea humilitas te absolutum habet.* Id ut ostendat Arcudius, refert diploma Pacomii Patriar[illegible]æ Constantinopolitani latum adversus Arsenium quemdam virum Catholicum, & Latinis conjunctum, in quo continetur excommunicatio Arsenii his verbi[illegible]: *Nostra mediocritas habet te excommunicatum, seu separatum ab individua T[illegible]itate in hoc, & futuro sæculo:* Tum etiam ejusde[illegible] Arsenii Mo[illegible]mbasiæ Epis[illegible]i depositio, his [illegible]b[illegible]: *Te habeo depositum,* seu, *Mea mediocritas ha[illegible] te depositum & exutum omni Sacerdotio.* Id est deponit & exu[illegible].

X. Græci non absolvunt verbis tantùm deprecatoriis.

Ut optimè demonstrat Arcudius.

Quia verò quosdam Ca[illegible] Latinis adversantes excommu[illegible] ver[illegible] Ar[illegible]ius, eos absolvens a[illegible] ex[illegible]mmunica[illegible]n[illegible] Pacomius, *Cunctos*

verè orthodoxos habemus absolutos & benedictos, id est, absolvimus & benedicimus: Idem etiam Latinè dicitur alicui seipsum excusanti, *Habeo te excusatum*, id est, te excuso.

Refertur etiam ab Arcudio quædam Absolutio Michaëlis Antiocheni Patriarchæ super confitentem ita concepta: *Gratiâ, donô, potestate S. Spiritûs quæ à Christo data Apostolis ligandi & solvendi peccata hominum, cùm ait: Accipite, &c. Quæcunque alligaveritis, &c. & ad nos continuâ successione transiit, mediocritas nostra habet veniâ donatum spiritualem filium suum Theodosium, in quibuscunque ipse ut homo deliquit, & in Deum verbô, opere, cogitatione, omnibusque suis sensibus peccavit, etsi excommunicatione vel imprecatione Pontificis, seu Sacerdotis, aut Patris, aut Matris suæ, obnoxius fuit, vel sibi ipsi malum imprecatus, seu jusjurandum violavit; vel etiam aliis quibusdam erratis confixus est: & hæc quidem spiritualibus Patribus confessus est, ubeisque impositam sibi Pœnitentiam diligenter perfecit, à reatu, nexu, & ligamine horum omnium omnipotenti potestate, gratiâque sancti & adorandi Spiritûs. eam solvimus, & habemus liberum, & veniâ donatum.*

Hanc absolvendi formam Leopoli, quæ Russiæ Metropolis est, Petro cuidam Archidiacono concessam à Joachimo Patriarcha Antiocheno, qui regiones illas peragraverat, se vidisse testatur Arcudius; unde colligitur ab Antiochenis Antistibus usurpatam antea fuisse formam Absolutionis indicativam, & absolutam, quâ dicitur, *Solvimus, &c.* Idem ait ab Hypatio Metropolita Chioviensi librum ostensum sibi fuisse Russorum idiomate manuscriptum; in quo ad calcem absolutoriæ deprecationis hæc habetur forma: *Ego Pater tuus spiritualis, potestate mihi à Deo, & à Superioribus meis concessâ, absolvo te ab omnibus peccatis tuis.* Gabrielus Philadelphensis in libello de Sacramentis hanc refert Pœnitentiæ formam: *Gratia sanctissimi Spiritûs per meam humilitatem habet te veniâ donatum, & absolutum.* Igitur Græci ab Ecclesiæ Latinæ praxi in hujus Sacramenti forma secundùm formam indicativam non dissentiunt.

Vrgebis: Participia illa præteriti temporis, *absolutum, condonatum*, & eis similia non ostendunt aliquid, quod actu fiat in præsenti tempore, sed quod antea factum fuerit: igitur Græcorum forma, quæ per ejusmodi participia declaratur, non est indicativa; nec idem significat, ac absolvo, seu condono.

Negat antecedent Arcudius: Nam, inquit, apud Græcos Ecclesiasticos Anthores participia ista usurpantur ad significandam rem præsentem; nam in Concilio Ephesino parte 2. actione 1. refertur sententia depositionis Nestorii, quâ actu destituitur his verbis concepta: *Blasphematus ab eo Dominus noster Iesus Christus decrevit per præsentem Synodum sacro-sanctam eundem Nestorium ab Episcopali dignitate, omnique cœtu Sacerdotali alienum esse.* Et in Chalcedonensi act. 1. S. Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus unà cùm Synodo, Eutychem hæresiarcham sic deponit: *Decrevimus per Dominum nostrum Iesum Christum ab eo blasphematum, alienum eum esse ab omni officio Sacerdotali, & à nostra communione, atque à munere præsidendi Monasterio.* Igitur participia illa, *condonatum & absolutum*, idem significant, ac absolvo, seu condono.

Instabis Forma indicativa, *habeo te absolutum*, vel *ego tibi condono*, non est in Euchologio Græcorum, ut ipsemet Arcudius fatetur; sed ejus locô habetur hæc deprecativa, *Domine Iesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc a peccatis suis*: Igitur Græci non utuntur formâ indicativâ, sed deprecativâ.

Nego consequentiam: Nam, ut observat idem Arcudius, major pars equidem Græcorum eâ forma utitur propter ignorantiam, quia videlicet illi nesciunt omnem Absolutionis vim eis paucis verbis includi: *Habeo te condonatum*: unde doctiores apud eos utuntur hâc formâ indicativâ, quæ etiam habetur in Euchologio, quod Leo Allatius inter recentiores Græcos eruditissimus suppeditavit; in eo namque Germanus Amatunthensis Episcopus ita loquitur: *Humilitas nostra per gratiam & potestatem sanctissimi Spiritûs, datam à Servatore nostro Iesu Christo Discipulis ejus, ad peccata hominum liganda & solvenda, cùm dixit eis; ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, &c. ex ipsis autem ea divina gratia continuâ successione pertransivit ad nos, condonatam habet filiam suam in omnibus, in quibus ut homo peccavit, verbô, opere, mente, & omnibus suis sensibus.*

Instabis iterum: Non solùm imperiti; sed etiam doctiores Græci, tam veteres, quàm moderni, utuntur formâ deprecativâ: igitur nulla responsio. Probatur antecedens: *Primò* quidem ex Dialogo Simeonis Thessalonicensis, ubi pœnitens dicitur, non confiteri Sacerdoti; sed Deo; ac subinde censet Sacerdotem solùm Deum deprecari, ut absolvat.

Insuper in libro Pœnitentiali manuscripto Bibliothecæ Barberinæ, quem ab annis ferè centum quidam Græcus Diaconus nomine *Basiliscus* exscripsit è vetusto codice, Sacerdos ita pœnitentes absolvendo alloquitur: *Deus parcat tibi per me peccatorem, & in hoc sæculo, & in futuro.* Tertiò Nicolaus Cabasilas Thessalonicensium Episcopus lib. expositionis divinæ lithurgiæ cap. 29. ait: *Peccatorum remissio pœnitentibus datur per orationes Sacerdotum*: Idem habet Jeremias Constantinopolitanus Patriarcha 1. responsione ad Lutheranos, ubi ait: *Precationes Sacerdotum ad Deum convertunt, & veniam impetrant*: Igitur, &c.

Nego antecedens; & ad primam ejus probationem dico, meritò Simeonem dixisse peccatorem non confiteri Sacerdoti, sed Deo; quia Sacerdos sedens pro Tribunali vices Dei agit: unde sicut Confessionem excipit nomine Dei, sic & absolvit.

Ad secundam dico, potius contrarium ex illa evinci: Nam *Deus tibi per me parcat*, idem est, *ac ego tibi nomine Dei parco.* Ad Cabasilam dico, eum varios in errores impingere, quos refellit Bessarion, maximè in eo quòd dicat Eucharistiam oratione Sacerdotum effici, quasi orationes fieri solitæ in Canone Missæ, efficiant præsentiam corporis Christi; non autem hæc verba, *Hoc est corpus meum*, &c. Ad Jeremiam dico, eum duntaxat velle, quòd Sacerdotum orationes sint necessariæ tum Sacerdotibus, tum aliis fidelibus ad Domini mensam accedentibus: non negat autem Absolutionem fieri per authoritatem Sacerdotis; scribit enim ipsemet cap. 11. *Remissionem peccatorum in sanctâ mulctâ damus, &c.*

Objicians sexto: Absolvendi seu pœnitentes Deo reconciliandi forma talis esse debet in Sacramento Pœnitentiæ, qualis habetur in Ecclesiæ Latinæ antiquioribus Pœnitentialibus, Sacramentariis & Ritualibus; at in eis ante annum XL. Objicitur antiqua absolutionis forma.

[illegible] 00. ejusmodi Absolutionis formula [illegible] non est indicativa, sed duntaxat deprecativa: igitur talis etiam nunc est habenda. Major constat: cùm enim isti libri sint practici, singulos explicant Ritus, & singulas actiones, ac cæremonias in administratione Sacramentorum observari solitas: Sacramentorum autem formæ præcipuum inter ejusmodi ritus locum obtinere debent, ne scilicet Sacerdotes propter injuriam, aut ignorantiam deficiant in Sacramentis conferendis, inanem & invalidam formam proferendo. Minor verò probatur: *Primò* quidem ex Ordine Romano, quem antiquissimum esse nemo diffiteri potest, utpote qui citetur ab Amalario, & A[illegible]o Caroli Magni Præceptore: in eo autem refertur forma Absolutionis concedi solitæ pœnitentibus feriâ 4. in Cœna Domini; Archidiaconus enim pœnitentem è privato loco, ubi Pœnitentiam egit, in atrium Ecclesiæ deducens, ac præ foribus ejusdem Ecclesiæ eum sistens Antistiti, sic Pontificem alloquitur: *Redintegra in eo Apostolice Pontifex, quidquid diabolo suadente corruptum est, & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divina Reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo.* Quibus verbis, Archidiaconus postulans Absolutionem pœnitentis, non rogat judicis sententiam, sed deprecationem Pontificis. Signum igitur est quod tunc temporis Absolutionis formula tantùm erat deprecatoria.

Quod utique confirmatur ex his quæ sequuntur: nam præmissis plurimis orationibus & precibus, quas Episcopus super pœnitentem recitat, tandem hâc oratione Absolutionem concludit: *Adesto Domine supplicationibus nostris, & me, qui etiam misericordiâ tuâ primus indigeo, clementer exaudi, & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti hujus operis Ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare.* Plures alias idem Ordo preces [illegible] utiles addit, ad unius pœnitentis, aut plurium Absolutionem & reconciliationem. Eandem pene Absolutionis formulam referunt *liber Sacramentorum* sancti Gregorii, *Alcuinus* lib. de divinis Officiis, cap. de Cœna Domini & *Burchardus* lib. 19. decretorum. Idem quoque habent plurimi Pontificiales Rituales, Sacramentarii, ac Pœnitentiales libri manuscripti p[illegible] Ecclesiarum Cathedralium, in quibus non alia habetur forma Absolutionis super pœnitentem publicum aut privatum, quàm deprecativa, seu preces & orationes, quibus Sacerdotes Deum exorant, ut pœnitenti commissa peccata indulgeat.

[illegible] *Respondeo* 1. negari posse majorem; siquidem [illegible] præcipuus Sacramentariorum librorum scopus est, Missarum orationes & præfationes, & si[illegible] quæ variantur in celebratione tremendorum m[illegible]eriorum) describere, ut videlicet Sacerdotes per totum anni curriculum habeant modum ritè ac debitè singulis diebus celebrandi; non autem eorum intentum est, referre formas Sacramentorum, nisi obiter.

[illegible] Quantùm autem ad Ritualia & Pœniten[illegible], dico in eis non [illegible] fuisse expressas Sa[illegible]torum formas, ne forte [illegible] libri [illegible] in manus infidelium, [illegible]ramenta exponer[illegible]tio: Hinc Innocentius I. epist. [illegible] c. 3. aper[illegible] & modum tradendæ Confirmationis, [illegible] quidem materiam, non [illegible] formam [illegible] enim, *frontem oleo signare solis de-* A *betur Episcopis, cùm tradunt Spiritum paraclerum; verba autem dicere non possum, ne magis videar prodere, quàm ad consultationem respondere.* Quapropter consuetum erat Episcopis & Sacerd[illegible] ejusmodi Sacramentorum formas vivâ voce [illegible] scriptis particularibus & occultioribus tradere; ac subinde ex ejusmodi libris nil quidquam contra nostram assertionem potest colligi.

XIV. An forma absolutionis etiam apud veteres esset indicativa.

Respondeo secundò, negando minorem; nam apparet ex [illegible] ibi præfatæ orationis deprompta ex Ordine Romano, Episcopum per eam non ministrare sacramentum Pœnitentiæ, sed tantùm petere à Deo fiduciam, divinum [illegible] commissum ministerium debitè exequendi, eâ scilicet quâ pollet authoritate in pœnitentes. Unde in eodem Ordine, post varias recitatas orationes, habetur B hæc Absolutionis formula: *Prima* quidem pro plurimis absolvendis: *Nos etiam secundùm authoritatem nobis indignis à Deo concessam absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum, ut mereamini habere vitam æternam per eum, qui vivit &c.* Singularis autem Absolutionis formula hæc est: *Frater N. Dominus Iesus, qui dixit Apostolis: Quæcunque ligaveritis, &c. Ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcunque cogitatione, locutione & operatione negligenter egisti.* Porro his v[illegible], Sacerdos idem significat, ac si diceret: *Abs[illegible] ut Minister Christi, &c.*

Ut patet ex Sacramentario S. Gregorii & Ritualibus.

Quantùm [illegible] tum Sacr[illegible]orum sancti G Gregorii, & quædam Ritualia & Pœnitentialia, dico, non mirum, quod [illegible] duntaxat [illegible] tur orationes supra Pœnitentem dicendæ: quoniam Sacerdotibus, ut mox dictum est, satis nota erat forma indicativa, utpote cùm eam memoriâ traditam haberent, ne scilicet exteris proderetur. Sunt tamen plurimi Pontificiales & Pœnitentiales libri manuscripti, in quibus habetur Absolutio indicativa precibus adjuncta. Nam in Gregoriano Sacramentario, quod manuscriptum habetur in Bibliotheca Victoriana Parisiensi, hæc legitur formula: *Absolvimus te vice B. Petri Apostolorum Principis, cui Dominus potestatem [illegible] solvendi dedit, ut quantùm ad te pertinet [illegible], & ad nos remissio [illegible] Dominus O[illegible] vita salus, & omnibus tuis peccat[illegible] indul[illegible].* Similiter D in antiquo manuscripto sancti Rhemigii Ecclesiæ Rhemensis, cujus meminit Menardus, inter varias benedictiones Episcopales [illegible] hanc ait conti[illegible] *[illegible]thoritate B. Petri, cui tradita sunt claves [illegible] & potestas ligandi & [illegible] animas [illegible] simus [illegible] quoniam [illegible] concess[illegible] Ego divinitus vos [illegible] vinculis peccatorum [illegible] strorum.* Et ad finem antiquissimi Eccl[illegible] nensis Sacramentarii [illegible] antiquo [illegible] annorum habetur hæc A[illegible]lutio indicativa, *Absolvimus vos fratres [illegible] vestris.* In Ecclesiæ Rothomage[illegible] Bibliotheca [illegible] tificale quoddam est antiquius [illegible] 4[illegible] E ubi hæc habetur Abs[illegible]lutio[illegible] mula: *[illegible] Deus [illegible] vos, & quantùm nostræ fragilitati permittitur, sitis absoluti ante Tribunal Domini N. Iesu [illegible].* Ex [illegible] apparet [illegible] nam ind[illegible] non e[illegible] in Ecclesiam inv[illegible] siquidem ejus[illegible] in praxi.

Urgebis. [illegible] 22. [illegible] S. [illegible] cativ[illegible] 30. anni[illegible]; q[illegible] [illegible], n[illegible] ost[illegible] formam [illegible] antiquior em.

Insuper Magister sententiarum, qui veterum Patrum & Theologorum sententias collegit circa doctrinam de Sacramentis, non meminit formæ Absolutionis indicativæ, nec recenset aliquem qui ea fuerit usus.

Denique Guillelmus Parisiensis ait: *Confessarius non dicit more Iudicum forensium: Absolvimus te, sed magis orationem facit super eum, ut Deus Absolutionem, remissionem & gratiam sanctificationis tribuat:* Igitur tunc temporis forma Absolutionis indicativa non erat in usu.

Nego consequentiam, & ad primum nego antecedens, nam S. Thomas eum hominem temeritatis arguens, ait: *Quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit?* Sed certum est, addit S. Doctor, *quòd jam sunt anni 1200. & amplius, quòd dictum est Petro: Quodcunque solveris.* Meritò verò eum arguit, cùm ex antiquissimis codicibus allatis apertum sit dudum ante illud tempus Absolutionis indicativas formulas in usu fuisse, nec eam absolvendi formam deprecatoriam retro actis temporibus ante ann. 30. fuisse communem apud omnes.

XV. Nec contradicit Magister sententiæ.

Ad secundum respondet S. Thomas cap. 2. Nec Magister formam posuit, nec legitur de alia forma, quòd aliquis Sanctorum ista usus; nec etiam legitur, quòd aliquis istam formam negaverit legitur autem, quòd institutor Sacramenti dixit: *Quodcunque solveritis, &c.* quod est majus omni authore.

Nec Guillelmus Paris.

Ad tertium, cùm Anonymus ille objiceret famosos & antiquos Magistrum Guillelmum Parisiensem Episcopum, Guillelmum Altissiodorensem, & Hugonem Cardinalem sensisse pro forma deprecativa; *respondet* opusculo prædicto: *Primò* non constare, quòd ita senserint: *Secundò*, si ita senserint eorum opinionem præjudicare non posse communi sententiæ Magistrorum Parisiis Regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis, *Ego te absolvo*, Absolutionem non esse per solam orationem deprecativam.

Et ait meritò non constare, quòd ita senserint: Guillelmus enim Parisiensis vult tantùm Sacerdotem non absolvere propriâ virtute, sed divinâ: nam ibi quærit quando certis in casibus pœnitens [illegible] Sacerdoti non potest confiteri, cogiturque Confessionem apud duos Sacerdotes edere, seu partiri, quis ex illis gratiam sanctificationis infundat: & ait, utrumque concurrere ad gratiam illam infundendam; quia Confessarius non absolvit more forinsecorum Judicum, sed magis orationem facit super pœnitentem, ut Deus Absolutionem & gratiam sanctificationis tribuat: ac si diceret, eam gratiam à Deo produci, quem ideo suâ Sacerdos oratione rogat. Attamen officium sanctificationis [illegible] Absolutionem & Benedictionem Sacer[illegible]bus; [illegible] quidem officiò vincula pecca[illegible] d[illegible] rumpuntur in cordibus pœnitentium mac[illegible] [illegible]rguntur, gratiæ infunduntur, sed per d[illegible] nom[illegible] invocationem, ut ait cap. 21. Q[illegible] [illegible]aut[illegible]n non negaverit Sacerdotes habere fa[illegible]ltatem remitten[illegible] peccata, ex delegata sibi judiciaria author[illegible]te, ipsemet docet cap. 4. ubi ait: Idcirco datas esse Sacerdotibus claves Ec[illegible]æ, ut essent, *inquit*, qui aperirent pulsantibus, & introducerent intrare volentes, & tan[illegible] offi[illegible] [illegible] misericordiæ ipsius fugientes ad [illegible] [illegible]at[illegible]tione, & applausu recipe[illegible] [illegible] [illegible]cata, remitterent om[illegible] [illegible]iæ, & [illegible]iæ, spoliatos a latro[illegible]

nibus infernalibus restituerent, vulneratos spiritualiter & morbidos cœlesti medicinâ, ac virtute divinâ Sacramentorum medicamentis sana rent.

XVI. Confessio Generalis fieri solita non est Sacramentalis.

Objicimus denique: Pœnitens ipse dum à Sacerdote absolutionem postulat in Confessione generali, quam partum præmittit accusationi distinctæ peccatorum tantùm precatur Sacerdotem orare pro se ad Dominum Deum nostrum: igitur Ecclesiæ mens est, Sacerdotem non posse absolvere verbis indicativis, sed duntaxat deprecativis.

Nego consequentiam. Primò namque ea Confessio generalis non habet rationem partis Sacramentalis, sed tantùm est præparatio ex parte pœnitentis ad accusationem faciendam, & Absolutionem percipiendam: cujus signum est, quòd etiam in ea Confessione generali pœnitens non solùm sua vota dirigit ad Sacerdotem, sed etiam ad B. Virginem, B. Michaëlem, beatos Petrum & Paulum, & omnes Sanctos orare pro se ad Dominum Deum. Certum est autem, nec B. Virginem, nec alios Sanctos posse ei opitulari per applicationem Sacramenti, sed duntaxat per modum suffragii: igitur nec etiam orationem dirigit ad Sacerdotem eò fine, ut sibi per Absolutionem deprecativam sacramentum Pœnitentiæ largiatur. Quod maximè confirmatur ex eo, quod Sacerdos ipse ejusmodi supplicationem publicè recitet in introitu Missæ, & exoret astantes ut pro se precentur, sicut & ipsimet astantes à Sacerdote petunt mutuò, nec tamen Sacramentalem Absolutionem ab astantibus petit Sacerdos, nec astantes vicissim à Sacerdote; ac subinde oratio quam pœnitens confitendo generatim recitat, est tantùm intercessio, quâ Sacerdotem exorat, ut impetret à Deo gratiarum auxilia quibus debitè ad Absolutionem Sacramentalem disponatur. Quod etiam præstat Sacerdos, cùm statim subjiciat; *Misereatur tui &c.* nec-non &, *Indulgentiam & Absolutionem, &c.*

CONCLUSIO SECUNDA.

XVII. Valere potest absolutio sub conditione de præterito & præsenti.

Absolutio data sub conditione de præsenti & præterito posset esse valida. sub conditione autem de futuro esset invalida. Prima pars constat; nam, ut diximus agendo de Baptismo, legitimè confertur Baptismus sub conditione de præterito & præsenti, putà sub hac forma; *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Quid ni igitur Sacerdos dubitans, an formam Absolutionis legitimè protulerit, possit eam repetere sub hac conditione. *Si non es absolutus, Ego te absolvo.* Similiter si dubites rationabili de causa de legitima dispositione pœnitentis, poterit hanc adjicere conditionem. *Si [illegible] rectè dispositus Ego te absolvo.* Cujus utique ratio est, quòd ejusmodi conditiones non suspendant effectum præsentem Absolutionis Sacramentalis & illæ transeunt in absolutas propositiones, dum reverà adest conditio præsens.

Hâc tamen absolvendi formulâ vix utendum est; siquidem indicium esset quò[illegible] S[illegible]cer[illegible] dubio traderet Absolutionem, quæ [illegible] [illegible] dubia [illegible] nam[illegible] enim max[illegible]mæ curæ d[illegible] [illegible]sse Sacerdoti cognoscere [illegible] positionem pœnitentis, dolorem scilicet & propositum [illegible] tamen f[illegible]cta diligenti excussione [illegible] d[illegible] & ita impen[illegible]denda Absolutio [illegible] reputa[illegible] materia [illegible] quæ reverà non debet dubia existimari.

XVIII. *Non autem de futuro.* [illegible] *pars* est communior apud Theologos, qui varias in ejus confirmationem rationes proferunt, at alia melior & efficacior ratio non occurrit, quàm Christi D. voluntas, qui noluit judicium Sacramentale & remissionem peccatorum quæ fit per Absolutionem Sacramentalem, pro voluntate Ministri posse suspendi de futuro, dum adest legitima ac sufficiens materia; quæ utique voluntas constat ex communi sensu Ecclesiæ quæ noluit admittere Absolutionem Sacramentalem sub conditione suspensiva ipsius valoris, ut constat ex continua praxi, & omnibus Ritualibus, in quibus nusquam reperitur hujus[illegible] formula Absolutionis conditionalis de futuro.

[illegible] discrimen est inter matrimonium & alia Sacramenta, quòd contractus matrimonialis admittat conditiones de futuro, puta cùm contrahitur per procuratorem cui delegans suas committit vices & per eum talem conjugem ducit, si ipse procurator postmodum consentiat sicut fieri solet in aliis contractibus. Ita ut non sit absolutus, sed tantùm initiatus contractus, nisi impletâ conditione; cujus ratio est quia Christus non mutavit naturâ contractus in matrimonio; sed solùm illum evexit ad Sacramenti dignitatem. Ablutio autem Baptismalis, v.g. æquè fit perfecta & completa, sive addatur conditio futura, sive non; & similiter pronuntiatio formæ, *Ego te baptizo*, cùm sit actio externa, ubi posita est, quantumvis deficiat conditio, similiter fieri non potest, ut ea posita non fuerit. Idem dicendum est de materia & forma sacramenti Pœnitentiæ; nam eis semel positis, necessariò ponitur effectus, id est, remissio peccatorum; alioquin non esset signum certum & efficax ejusdem remissionis.

Nec obstat, quòd leges civiles admittant sententiam pu[illegible]cam conditionatam ut suspensivam doloris, uti etiam particulares remissiones conditionales debitorum: & similiter quòd leges Canonicæ admittant Absolutionem à censuris sub conditione de futuro; non enim eadem est ratio de judicio Sacramentali; quippe cùm Christus D. voluerit sacramentum Pœnitentiæ subsistere ac fieri per verba, quæ significarent actualem remissionem peccatorum, ut colligitur ex usu & praxi Ecclesiæ, uti jam diximus.

[illegible] Sacerdos per illa verba *Absolvo te*, non [illegible] solvit à culpa, sed etiam à pœna temporali saltem partialiter, juxta proportionem satisfactionis quam imponit & tamen ab ea parte pœnæ non absolvit absolute, sed tantùm sub conditione satisfactionis postea implendæ de futuro; & consequenter suspendit effectum Absolutionis quoad eam partem: igitur pari ratione eum suspendere potest quoad remissionem culpæ.

[illegible] *ponitur* [illegible] *quoad* [illegible] *nam quo culpam* *Respondeo* reverà suspendi effectum partialem Absolutionis, donec ponatur ejusmodi satisfactio; quia videlicet remissio pœnæ non est primarius ejus Absolutionis effectus, sed veluti secundarius; unde non mirum si hic suspendi possit, donec Satisfactio impleatur. Secus autem est de remissione culpæ, quia cùm sit primarius effectus, non potest suspendi quin irritum sit Sacramentum.

QUÆSTIO QUINTA.

Quisnam sit effectus Absolutionis Sacerdotalis, seu quomodo remittat reatum culpæ & pœnæ.

I. *Peccatum in justificatione, reverà remittitur.* NOtandum primò, certum esse, & sufficienter late ex jam pluries dictis, in hominis peccatoris justificatione, reverà peccatum dilui quoad reatum culpæ, & non solùm tegi, seu non imputari; nam præter quam quod Scriptura sacra constanter asserit, peccata dimitti, deleri, tolli, hominemque ab iis mundari, & super nivem dealbari; unde homines, quibus peccatum dimittitur, appellantur *Filii, & amici Dei, sancti & immaculati*. quæ omnia vere & propriè dici non possunt, si peccati macula remaneat quæ Dei oculis cuncta cognoscentis tegi non potest; ac subinde homo propter ipsam necessariò odiò haberetur à Deo: siquidem Sapientiæ 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* Unde meritò Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali, Can. 5. definit: *Si quis per Jesu Christi D. nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat aut etiam asseri non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet sed illud dicit tantum radi, aut non imputari anathema sit.* Simili modò dicere potuisset: Si quis per Jesu Christi D. nostri gratiam, quæ in Sacramento Pœnitentiæ confertur, reatum actualis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit. Certum est igitur per sacramentum Pœnitentiæ reverà peccatum dimitti, quoad reatum culpæ: quomodo autem id fiat, controvertitur apud Theologos.

II. *Referuntur variæ veterum Theologorum sententiæ circa effectum sacramenti Pœnitentiæ.* *Notandum secundò*, varia fuisse, maximè apud veteres Theologos circa virtutem Absolutionis placita. *Primò* namque aliqui cum Hugone Victorino lib. 1. de Sacramentis p. 14. cap. 8. & Richardo item Victorino 1. p. libri de potestate ligandi atque solvendi, cap. 12. docuerunt Sacerdotem absolvere à pœna æterna debita peccato, postquam Deus solus ante Sacerdotis Absolutionem reatum culpæ remiserat. *Secundò*, nonnulli cum Joanne Medina tract. 2. de Pœnitentia, q. 38. dixerunt per Contritionem absolvi hominem [illegible] culpa, & à pœna æterna; non tamen ab exilio patriæ cœlestis; quam utique patriam, quia Sacerdos absolvendo aperit, ideo dicitur habere claves regni cœlorum. *Tertiò* docuerunt aliqui, maximè Nominales cum Ochamo relato à Gabriele *dist.* 18. *quæst.* 1. homines absolvi à culpa & à pœna per Absolutionem Sacerdotis, non reipsà susceptam, sed in voto: unde quando postmodum conceditur Absolutio, homo solvitur ab obligatione confitendi, ac subjiciendi peccata dimissa clavibus Ecclesiæ. *Quartò*, Alexander Alensis, & Seraphicus Doctor docere videntur potestatem Sacerdotis non valere circa remissionem culpæ, aut pœnæ æternæ, [illegible] duntaxat circa remissionem pœnæ temporalis, quæ aliquando dicitur Absolutio à peccato, juxta illud 2. *Machab. cap.* 12. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur, [illegible] pœna peccatis debita. *Quintò* denique, [illegible] docuerunt cum Magistro sententiarum in 4. dist. 18. Sacerdotem, cùm profert illa

verba: *Ego te absolvo*, solùm significat quod declaret hominem absolutum à peccatis per præviam cognitionem. Contra quas omnes sententias militandum erit in Conclusione prima.

III. *Notandum tertiò* ex Doctore subtili *dist.* 19. *nu.* 4. authoritatem absolvendi a peccatis (quam Christus nomine *clavis regni cœlorum* expressit,) esse [illegible]plicem: Authoritas, *inquit*, judiciaria sententiandi cœlum huic aperiendum, vel apertum esse, potest tripliciter intelligi. Unò modo, authoritas simpliciter principalis. *Secundò* modò, non principalis, sed præcellens. *Tertio* modò, non principalis, nec præcellens, [illegible] particularis. *Prima* soli Deo convenit propter [illegible] *Primo*, quia ipse solus ex se est justus; [illegible] o ipsa justitia: primum autem judicium non potest competere, nisi primo justo; quia judicium non [illegible] perfectum, nisi sit & justum, juxta illud Psal. 118. *Feci judicium & justitiam*, siquidem judicare est jus, vel justum dictare: Primum autem justum oportet esse perfectissimum, & ita justissimum: igitur primi justi. *Secundo*, quia judicare est Præsidentis, juxta illud Apostoli ad Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Primus autem Præsidens non potest esse, nisi Deus solus. Unde sicut non potest alii communicare Divinitatem, sic nec primam potestatem judicandi, nec per consequens clavem simpliciter principalem aperiendi cœlum. *Secunda clavis*, scilicet non principalis, tamen præcellens, potest intelligi quantùm ad duplicem præeminentiam; unam quidem in universalitate causarum judicandarum, aliam in firmitate sententiæ definitivæ. Et utroque modo præeminentia potest convenire illi, qui omnia merita & demerita novit, quæ sunt causæ propter quas cœlum est aperiendum, vel claudendum: Et cùm hoc habet voluntatem inseparabiliter conformem justitiæ divinæ. Propter primum potest in omnibus causis sententiare, quia omnes novit. Propter secundum potest ejus sententia simpliciter esse firma, & irrevocabilis; quia [illegible] justa. Hæc clavis cum utraque præ[illegible] propriè est Christi, qui novit omnia merita, & demerita judicandorum, & semper [illegible] conformiter judicat. Nec illa potest esse in Ecclesia militante, saltem congruè, quia nullus in Ecclesia novit omnes causas judiciarias, nec habet voluntatem immutabiliter justam. *Tertia clavis*, scilicet particularis, quantùm ad causas cognoscendas, & infirma, quantùm ad sententiam ferendam, ita quòd sit aliquando revocabilis; potest conferri alicui in Ecclesia militante, qui potest in illa causa non nosse, & in illa, secundùm legem divinam rectè judicare; & [illegible] quandoque præter illam, sententia ejus non erit firma, [illegible] secundùm illam erit firma.

Potestas absolvendi est triplex: Principalis, Eminentialis, & Ministerialis.

Status quæstionis.

Dubitaque [illegible] hîc occurrunt determinanda. *Primum* utrum Sacerdotes novæ legis [illegible] facultatem absolvendi à reatu culpæ, aut tantum declarandi culpam esse remissam. *Secundum* utrum per Absolutionem Sacramentalem [illegible] tota pœna peccatis debita, aut [illegible] aliqua ex parte illa [illegible].

CONCLUSIO PRIMA.

IV. **S***Acramentum Pœnitentiæ* [illegible] *& propriè remittuntur peccata sibi subjecta quantum ad reatum* [illegible] est ita nunc certa, & communis [illegible] ut Suarez *disp.* 18. *sect.* 2. *numb.* 4. non [illegible] et dicere contrarias & oppositas sen-

Per sacramentum Pœnitentiæ verè culpa remittitur.

A tentias esse erroneas ut p[illegible] sint doctrinæ Concilii T[illegible] centis *sess.* 14. *cap.* 6. *Quam*[illegible] *dotis* [illegible] *bene* [illegible] *pe*[illegible] *Dei, tamen non est* [illegible] *vel annuntiandi* [illegible] *missa esse peccata, sed ad instar* [illegible] *ab ipso velut a judice sententia* [illegible] Unde Can. 9. *Si quis* [illegible] *mentalem Sacerdotis* [illegible] *nudum ministerium pronuntiandi* [illegible] *missa peccata* [illegible] *modo* [illegible] *se esse absolutum* [illegible] *absolvat* [illegible] *anathema* [illegible].

Quibus verbis Concilium [illegible] Absolutionem Sacerdotis non [illegible]

B vam remissionem peccati, sed [illegible] cialem [illegible] hujusmodi peccata [illegible] Quamquam enim præcipuum C[illegible] fuerit, ibidem definire [illegible] solam fidem absque Pœnitentia [illegible] non sufficere ad [illegible] justi[illegible] minus nostram etiam assertionem [illegible] ficat, quod ulterius [illegible] ex eodem Concilio ibidem, [illegible] ubi cùm [illegible]

C verba Christi D. *Quorum remiseritis peccata* [illegible] subdit: *Qui tam insignis* [illegible] *tam perspicuus, potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos Fideles post B*[illegible] *Apostolis, & eorum legitimis successoribus* [illegible] *communicatam, universorum Patrum* [illegible] *intellexit.*

Quæ mere [illegible] pta fuit a [illegible] Pontificibus Pio V. [illegible] Gregorio XIII. & Urbano VIII. hæc Baji propositio: *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui Pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum, &* [illegible] *ministerium autem Sacer*[illegible] *reatus* [illegible]

Ut apertè [illegible] *Tridentinum.*

[illegible] secundo [illegible] nostra [illegible] authoritate SS. [illegible] in Sacerdotibus novæ legis veram [illegible] potestatem absolvendi à peccatis agnoverunt. Ita [illegible] S. Am-

V. *SS. Patres idem testantur.*

D brosius lib. 1. de Pœnitentia [illegible] exponens hæc verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis* [illegible] *ait*: [illegible] *lus hoc permissum solis Sacerdotibus est: rectè igitur hoc Ecclesia vendicat, qua* [illegible] *hæc hæresis vendicare non potest, quæ veros Sacerdotes non habet.* Et lib. 2. cap. 2. ait: *Impossibile videbatur per Pœnitentiam peccata dimitti, concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* [illegible] *est igitur possibile, quod impossibile* [illegible] potestas declarandi [illegible] videbatur [illegible] Propheta [illegible] Dav[illegible] a Deo

E fuisse remissum: igitur [illegible] Ambrosius [illegible] est, quod Sacerdotis A[illegible] remissionis de [illegible]

Idem docet S. Chrysostomus homil. [illegible] in Isaiæ, & lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. [illegible] dicit: *Nostris Sacerdotibus non* [illegible] *quorum anima* [illegible] *sed purgare prorsus concessum* [illegible] S[illegible] simus plurimis [illegible] dibus, cap. 17. & [illegible] lymorum, & [illegible] laudatus Canus 2. p. [illegible]

Probat [illegible] Do[illegible] hic ratione [illegible] revel[illegible]

VI. *Optimè*

probat subtilis Doctor.

ciunt quod significant; sunt enim signa practica: sed Absolutio Sacramentalis significat remissionem peccati quoad culpam, & condonationem æternam. igitur, &c. Ait autem Doctor: Si sacramentum Pœnitentiæ reverà non remitteret culpam, apertè sequeretur, quòd non esset Sacramentum novæ legis, nec aliqua causalitas, vel dispositio causalis ad primam gratiam; quia nunquam dignè susciperetur, nisi ab habente jam primam gratiam; nullus enim attenditur dignè solutus à Deo, nisi priùs sit solutus. *Item*, susceptio istius Sacramenti est instrumentum ad gratiam, hoc est, dispositio efficax necessaria ex statuto divino ad gratiæ susceptionem: instrumentum autem, vel dispositio prævia, non est signum rememorativum, sive ostensivum alicujus, ut jam præteriti, sed futuri: ergo collatio sacramenti Pœnitentiæ ad hoc, ut fiat dignè, non oportet, ut sit signum Absolutionis divinæ præcedentis. *Hæc ille.*

Ideoque concedit, quòd sacramentum Pœnitentiæ potest dignè recipi ab attrito, & hoc tantâ Attritione, quæ non sufficeret per modum meriti ad justificationem suscipiendam in termino Attritionis; & quòd si non fictè recipiatur, in termino, recipiatur gratia prima, quia à Deo confertur; & Absolutio Sacramentalis est signum efficax illius Absolutionis sequentis in ultimo instanti ipsius, sicut prolatio verborum est signum confectionis corporis Christi.

Unde colligit Doctor: Secundùm hoc patet, quomodo Sacramentum, hoc est instrumentum ad gratiam primam, sit dispositio prævia eô modô, quô alteratio potest dici instrumentum respectu generationis substantiæ: quia est dispositio prævia. Alioquin, *ut ait dist.* 14. *quæst.* 4. *num.* 7. non appareret quomodo sacramentum Pœnitentiæ esset secunda tabula, si nunquam per ipsum ut Sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantùm per Attritionem, tanquam per præviam dispositionem, & per Contritionem tanquam per dispositionem completivam.

Hæc Doctor, quibus apertè significat sacramentum Pœnitentiæ non fore distinguendum à Sacramentis veteris legis; nec esse secundam post naufragium tabulam; si reverà Sacerdotes per Absolutionem Sacramentalem non remitterent peccata; siquidem Sacramentum hoc nunquam liberaret naufragum à periculo submersionis, utpote qui jam periculum evasisset per Contritionem ante ejusmodi Sacramenti susceptionem.

VII. *Refellunt oppositæ sententiæ.*

Confirmatur hæc assertio ex refutatione aliarum sententiarum: *Primò* namque falsum est Sacerdotem duntaxat absolvere à pœna æterna debita peccato, postquam solus Deus reatum culpæ remisit: *Tum, quia* juxta Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 14. *Pœna æterna unà cum culpa remittitur.* Igitur si ante Sacramenti susceptionem remissa erat culpa, etiam remitti debuit pœna æterna: *Tum, quia* culpa mortalis non potest deleri, nisi per infusionem gratiæ: gratia autem sanctificans de via ordinaria stare non potest cum reatu & obligatione ad pœnam æternam; alioqui sequeretur, quòd aliquis posset esse simul filius gloriæ, & gehennæ, & destinatus ad fœlicitatem, & ad damnationem; gratia enim est semen gloriæ, reatus autem pœnæ obligatio ad damnationem & pœnam æternam.

Secunda pariter sententia subsistere non potest, nempe quòd Absolutio sit tantùm apertio, aditus, & via ad patriam cœlestem: *Tum, quia* sola peccata possunt nobis ejusmodi viam præcludere: igitur ubi semel remissa sunt, talis via & aditus non possunt occludi: *Tum, quia*, ut mox dictum est, per Contritionem remittitur pœna æterna, quantùm ad pœnam sensûs: ergo multò magis quantùm ad pœnam damni, quæ est ipsa eliminatio, & remotio à patria cœlesti.

Tum denique, quia nullum est fundamentum, quô maximè nituntur illius sententiæ assertores, nempe quòd aliquis carere possit culpâ, & reatu pœnæ; & tamen exulare à cœlo, sicut Joannes Baptista, & alii exulabant in limbo: non est enim idem ferendum judicium de fidelibus justis post Christi Resurrectionem, & Ascensionem, ac de Patribus ante ejusmodi Resurrectionem; hi enim ibi detinebantur, non quòd haberent reatum pœnæ Lundæ; sed eò quòd non erat solutum pretium sanguinis Christi, nec conveniebat ipsos priùs intrare gloriam, quàm Christum: sicut nec modò carentia gloriæ corporis est aliquis reatus pœnæ Lundæ; sed dilatio gloriæ debitæ ob justam congruentiam.

Tertia pariter sententia, nempe quòd per Absolutionem homo liberetur ab obligatione confitendi peccata, refellitur: *Primò* quia inde sequeretur, quòd falsa esset formula Absolutionis à peccatis; siquidem Absolvere à peccatis, & obligatio confitendi peccata, duo sunt omnino distincta: *Secundò*, Absolutio, quæ datur solùm de venialibus peccatis, nil prorsus efficeret, siquidem non est necessaria obligatio ejusmodi peccata confitendi: *Tertiò*, sequeretur claves Ecclesiæ, & potestatem non fuisse collatam in ordine ad mundandam animam, sed tantùm ad cæremoniam extrinsecam adhibendam.

Denique quarta sententia omnino aliena est ab efficacitate hujus Sacramenti, totamque illius efficaciam evertit; nam ad evacuandum reatum pœnæ temporalis, plurima alia suppetunt faciliora remedia, ut constat in indulgentiis, & sacrificio Missæ; ac subinde non opus fuisset instituere peculiare Sacramentum, ad ipsius pœnæ temporalis remissionem.

Objicies primò: Solus Deus remittere potest peccatum: igitur Sacerdotes reverà peccatum non remittunt: Probatur antecedens ex illo *Isaia* 43. ubi Deus ait: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas.* Et Matth. 9. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Unde S. Augustinus lib. 50. homiliarum homil. 23. *Nemo tollit peccata, nisi solus Deus, qui est Agnus tollens peccata mundi: tollit autem & dimittendo quæ facta sunt, & adjuvando ne fiant, & perducendo ad vitam, ubi omnino fieri non possunt.* Et super Psalmum 31. exponens hæc verba: *Remisisti impietatem peccati mei*, apertè docet, remissionem peccati ad solum Deum spectare. Idem docent alii SS. Patres infrà laudandi.

VIII. *Quô sensu solus Deus dicatur peccata remittere.*

Distinguit antecedens Doctor num. 24. Solus Deus dimittere potest peccata potestate propriâ, & principali, concedit: delegatâ & ex commissione, negat: nec enim particula (*solus*) excludit remissionem fieri posse ab alio, quàm à Deo: nam similiter dicitur Psal. 71. *Deus facit mirabilia magna solus*, quod intelligitur duntaxat de virtute propria & principali; nam *Ecclesiastici* 31. de homine dicitur, quod fecit mirabilia in vita sua: igitur Sacerdos reverà remittit peccatum

quantùm ad reatum culpæ & pœnæ æternæ; sed instrumentaliter tantum, ut Doctor *num.* 24. optimè explicat dicens: *Facit, sed non facit nisi instrumentaliter, non quidem attingendo eum effectum, nec virtute propriâ, nec alterius sed attingendo aliquid prius, quod est dispositio necessitans ad illum effectum; necessitans, inquam, ex divina pactione, & tale agens causans dispositionem necessariam ad terminum, dicitur agens instrumentale, ut est de alterante & generante; proprium autem est Deo principaliter mundare, & remittere illud debitum etiam attingendo illum effectum* (physicè) *horum autem neutrum convenit Sacerdoti*, utpote qui solùm moraliter attingit illum effectum, idque ex commissione & delegatione Dei, sicut procurator ex facultate Domini sui remittere potest debitoribus, quod suo Domino solvere tenentur. Quam utique explicationem etiam approbat S. Gregorius homil. 26. in Evangelia, ubi expendens illud Joannis; *Quorum remiseritis peccata, &c* ait: *Apostoli principatum superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant quibusdam relaxent.* Nota principatum superni judicii, & vice Dei eos peccata relaxare. Itaut quas culpas Deus suô supernô judiciô solvit, easdem Apostoli solvant; alioquin enim non superni principatum, sed inferioris judicii sententiam ferrent, si solam, pœnam, non culpam relaxarent...... *Horum profectò nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent. Ligandi, atque solvendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.*

Nec aliud certè voluerunt SS. Patres, maximè sanctus Augustinus, siquidem præterquam quòd docet, ut diximus, Sacerdotes novæ legis habere in se veram authoritatem absolvendi à peccatis; dum ait, solum Deum pœnitenti dimittere peccata, id duntaxat intelligit de authoritate principali; siquidem eôdem modô docet verum Ministrum Baptismi ita baptizare, ut tamen solus Christus sanctificare dicatur: Sic lib. 2. contra Cresconium cap. 21. *Tingere*, inquit, *possunt & boni & mali, abluere autem conscientiam nonnisi ille, qui semper bonus est:* Et de Sacramentis in universum ait lib. 3. cap. 5. *Sive à fideli, sive à perfido dispensatore Sacramentum quisque percipiat, non sanctificat, nisi Deus.*

Unde Doctor *dist.* 14. *quæst.* 4. *nu.* 11. *Concedo*, inquit, *quòd Sacerdos ita dimittit peccatum in Pœnitentia, sicut in Baptismo: & ita absolvit sicut baptizat: quia utrobique simpliciter verum est, quòd ministrat Sacramentum, effectum autem Sacramenti ministerialiter quia aliquid causat, ad quod secundùm dispositionem, seu actionem Dei, regulariter sequitur effectus Sacramenti.*

Objicies secundò historiam Lazari, quem Christus D. solus ad vitam revocavit, postmodum verò Discipulis jussit, ut eum solverent, & sinerent abire: Sic enim legimos *Ioan.* 11. *Voce magna clamavit Iesus Lazare veni foras, & statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. & dixit eis* Discipulis *Solvite eum, & sinite abire.*

VIII. Peccatorem debere priùs justificari a Deo quàm à Sacerdotibus absolvatur, probatur exemplò historiæ Lazari.

Quem utique locum expendentes SS. Patres, inde colligunt, priùs peccatorem debere vivificari per Christum, quàm Sacerdotum ministeriô solvatur. Hoc præcipuè docet S. Gregorius homil. 26. in Evangelia, ubi agens de potestate ligandi atque solvendi tradita a Christo Apostolis ait: *Causa ergo pensanda sunt, & cum ligandi atque solvendi potestas est exercenda, videndum est qua culpa, aut quæ Pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est Absolutio Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur Iudicis, quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit & vivificavit, dicens,* LAZARE VENI FORAS; *& postmodum is qui vivens egressus fuerat, à Discipulis est solutus, sicut scriptum est Cùmque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit Discipulis, Solvite eum, & sinite abire. Ecce illum Discipuli jam viventem solvunt quem Magister resuscitaverat mortuum; si enim Discipulum Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent, quam virtutem: ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per Pastoralem authoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.*

Ubi duo dicit sanctus Gregorius: *Primum*, quòd sententia Sacerdotis absolventis, non antecedat, nec comitetur, sed tantùm sequatur sententiam Dei hominem vivificantis; ac subinde Sacerdos nullum peccatorem, nisi jam per gratiam viventem potest solvere; & consequenter reverà Sacerdotes non remittunt peccata: *Secundum* verò, quòd non aliter Sacerdotes solvant hominem mortuum peccatô, quàm Discipuli solverunt Lazarum: igitur quemadmodum hi solverunt jam viventem, ita & illi.

Secundùm expositionem S. Gregorii.

Idem docet sanctus Augustinus tract. 6. in Joan. ubi ex illo miraculo colligit Christum sibi retinuisse potestatem remittendi peccata; servis autem ministerium dedisse, ne servus in servo speraret. Et in caput *Matth* 16. *Christus*, inquit, *per se intus vivificat, Ministris potestatem solvendi post vitam tribuit, qui nullum solvere possunt, nisi vivat.* Et exponens illud Psalmi 87. *Nunquid medici suscitabunt eum, &c. Viventes*, inquit, *curare ministerio suo possunt Sacerdotes; non autem mortuos suscitare.* Et in Psalm. 101. concione 2. *Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest: Suscitari autem mortuus non nisi intus clamante Dominô potest, hoc enim Deus interiùs agit: Loquimur ad aures vestras: unde scimus quid agatur in quolibet vestrum. Quid autem intus agitur, non à vobis, sed ab illo agitur:* Ergo ex mente illorum SS. Patrum, remissio peccatorum, quæ est hominis à morte peccati suscitatio, fit a solo Deo, non autem à Sacerdote.

Et S. Augustini.

Distinguo consequentiam: Fit à solo Deo, tanquam causa principali, concedo: à solo Deo tanquam excludente consortium causæ ministerialis, nego.

X. Sed [illegible] ctus Gregorius.

Secundò S. Gregorium similiter distinguo: Sacerdotis Absolutio sequitur arbitrium æterni judicis in discernenda dispositione pœnitentis, concedo: in impertienda remissione peccati, nego: nihil enim aliud intendit S. Gregorius; siquidem agit de discretione, quam adhibere debent Sacerdotes, antequam pœnitentes absolvant, ut si debitè dispositos inveniant, eos absolvant, nam antea dixerat: *Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt, & alios damnant, vel liberant qui emetipsos damnari metuerunt, horum profectò locum in Ecclesia tenent Episcopi, grandis honor, sed grave pondus durum est enim, ut qui propria moderamina vitæ nescit judex fiat alienæ, & plerumque contingit, ut hic judicii locum teneat cui ad [illegible] ita minimè concordat ac proinde sæp[illegible] vel damnet immeritos,*

vel

vel alios ipse ligatus solvat. Et paulò post subdit, verba in objectione posita, *causa pensanda sunt, &c.*

XI. Triplex gratia concurrit ad justificationem peccatoris & qualibet dicitur vita.

Respondeo tertiò, S. Gregorium nihil aliud intendere, quàm quòd non sit absolvendus, nisi quem Deus jam vivificare incepit per impulsum Spiritûs, non quidem adhuc inhabitantis, sed tantùm moventis, ut loquitur Concilium Tridentinum. Triplex enim est in impiis justificationis gratia. Prima præveniens & excitans; secunda cooperans & adjuvans, tertia habitualis formaliter sanctificans. Quælibet autem ex iis aliquâ proportione dici potest vita, suscitatio & absolutio peccatoris: Prima quidem, quia per gratiam excitantem peccator, velut Lazarus in peccati sepulchro mortuus jacens, per eam, quasi divinâ Christi voce vocatur foras, & jam dat quædam signa vitæ; non quidem adhuc perfectæ; quia non potest peccator moveri ad sacramentum Pœnitentiæ debitè suscipiendum sine dispositionibus, videlicet fide, spe & charitate, ac Attritione supernaturali: cùm itaque has dispositiones non possit obtinere, nisi per gratiam, quæ est à solo Deo; idcirco meritò dicetur peccator non priùs posse per Sacerdotem absolvi, quàm vitam à Deo receperit; non quidem adhuc perfectam, sed imperfectam. Unde meritò dixit S. Gregorius: Tunc vera est Absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur judicis, hoc est, ille ritè absolvitur à Sacerdote, quem Christus compunctionis testimoniô, & Pœnitentiæ desideriô absolvendum significat.

Exemplum Lazari non quadrat in omnibus justificationi peccatoris.

Nec obstat, quòd otatur exemplô Lazari, qui priùs perfectam vitam naturalem obtinuit, quàm solveretur ab Apostolis; inde namque colligere non licet, quòd etiam priùs peccator vivere debeat vitâ supernaturali perfectâ, quàm solvatur à Sacerdote: cùm enim sensus illius exempli sit allegoricus, non debet rei veritati in omnibus quadrare; sed satis est, quòd sicut ab Apostolis Lazarus verè solutus fuit, sic à Sacerdote pœnitens verè solvatur à vinculis, quibus tenetur. Et insuper sicut Lazarus non fuit solutus, nisi jam vivens; ita peccator priùs vivere debet vitâ gratiæ, non quidem habitualis, sed actualis, quâ dolet de peccatis, & movet se motu vitali, & exit foras per Confessionem, quàm vitam perfectam obtineat per Sacerdotis Absolutionem.

Hoc utique significat S. Gregorius, cùm post præfata verba in objectione posita, statim subjicit: *Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis, in ipsa jam cognoscitur confessione peccati. Unde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Revivisce, sed Veni foras. Omnis quippe peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cùm peccator nequitias suas sponte confitetur: Lazaro ergo dicitur, Veni foras, ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per confessionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates. Venientem verò foras solvant Discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.* Ita sanctus Gregorius, quem licet interpretari de Absolutione Sacramentali, quam negat dandam, nisi ei quem Christus vivificavit; at quam vivificationem intelligat, manifestissimè explicat, cùm ait eam prodere se in confessione peccati,

A quæ est effectus, & signum compunctionis internæ.

XII. Explicatur etiam sanctus Augustinus.

Simili modô intelligendus est sanctus Augustinus, nam, ut inquit Tract. 49. in Joan. ad illa verba, *Lazare veni foras: Quomodo processit ligatis pedibus, miraris, & non miraris, quia surrexit quatriduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit & adhuc ligatus, & adhuc involutus, tamen jam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces, et si tanta quanta dixi contemnis, sepultus jaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis* B *velut exeundo te manifestare? Sed ut confitearis, Deus facit magnâ voce clamando, id est, magnâ gratiâ vocando: ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus:* Solvite illum & finite abire. *Quid est*, solvite & finite abire? *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo.*

Similiter scribit serm. 8. de verbis Domini ibi: *Quisquis mala consuetudinis, mala vita, terrenarum scilicet cupiditatum mole premitur: ita quòd in illo jam factum sit, quod in quodam Psalmo miserabiliter dicitur:* Dixit stultus in corde suo, non est Deus. *Fit talis de quali dictum est:* A mortuo, C velut qui non sit, perit confessio. *Quis eum resuscitabit, nisi qui remotô lapide clamavit, dicens:* Lazare veni foras? *Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit, foras prodire non posset, nisi viveret:* (inchoativè per gratiam prævenientem & adjuvantem ad eliciendum verum dolorem supernaturalem) *vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in Confessione sui accusatio, Dei laudatio est.*

Dices: inquit S. Aug. *Quid prodest Ecclesia, si jam peccator voce Dominicâ resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait: Quæ solveris in terra soluta erunt & in cœlo?*

Respondet: *Ipsum Lazarum attende, cùm vinculis* D *prodit, jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus? Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est:* Quæ solveris, soluta erunt, *nisi quod ait Dominus continuò ad Discipulos, Solvite eum, & sinite abire.* Ecce nomine, *vita*, intelligit solam Confessionem, quam ante Absolutionem Sacerdotis pœnitens habet à solo Deo, & quæ nisi præcesserit, nulla est potestas Sacerdotibus absolvendi, ut rectè aliô locô dixit sanctus Augustinus: *Christus per se intus vivificat, Ministris solvendi post vitam potestatem tribuit, qui nullum solvere possunt, nisi vivat*, id est, nisi rectè fuerit confessus.

Objicies tertiò S. Hieronymum, qui explicans illud Matthæi, *Quodcunque ligaveris*, ait: *Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, ali-* E *quid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent Innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de Leprosis, ubi jubentur ut ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant; non quòd Sacerdotes leprosos faciant & immundos; sed quòd habeant notitiam leprosi, & non leprosi, & quod possint discernere, qui mundus, quive immundus. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit; sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, & Presbyter: non eos, qui insontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates scit quis ligandus sit, quive*

solvendus: igitur ex mente S. Hieronymi eatenus tantùm Sacerdos peccata solvit, aut remittit, quatenus soluta seu remissa declarat.

XIII. Fit satis authoritati S. Hieronymi.

Nego consequentiam, & ad S. Hieronymum dico, eum illis verbis arguere ac reprimere quosdam Episcopos, qui nimiam licentiam sibi arrogabant pro libito, & non exploratâ dispositione pœnitentium eos admittendi, vel rejiciendi ab Absolutione, contra quos docet eorum potestatem non esse absolutam, sed certis legibus ligatam, quas utique servare debent, ut eorum sententia sit valida, absolvendo videlicet duntaxat eos, quos Deus Absolutione dignos judicat. Quod ut osteodat, utitur exemplo Sacerdotum Leviticorum, qui priusquam dimitterent leprosos, prius judicabant de eorum mundities, aut immunditia legali: Quare non eos comparat penes potestatem, sed penes potestatis usum. Addit enim: *Cùm pro officio peccatorum varietates audierit*; (idest peccatorum species & circunstantias notaverit,) *scit quis ligandus sit, quisve solvendus*: Non autem ait, quis solutus sit, aut ligatus; quod certè asseruisset, si Sacerdos tantùm declararet peccata remissa, seu retenta; non autem remitteret, aut retineret.

XIV. Explicatur etiam S. Chrysostomus.

Objicies quartò: S. Chrysostomum Homil. 17. in Matthæum: *Liberare*, inquit, *à putredine peccatorum Christi virtutis est*, *ut autem ad illa iterum non revertantur*, *Apostolorum cura est*, *ac laboris*.

Respondeo: S. Chrysostomum ibi non instituere sermonem de Apostolis, ut Sacerdotibus, sive Judicibus secundariis, qui ex commissione cognoscunt in causa, & sententiam ferunt, vel Absolutionis, vel retentionis in reum confitentem; sic enim Apostolis, & eorum successoribus competit liberare à putredine peccatorum; nam, inquit S. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in Monte, cap. 6. condiendis & extinguendis putoribus peccatorum Apostolicum salem Dominus misit in mundum; sed loquitur S. Chrysostomus de Apostolis, ut Prædicatoribus, & Magistris orbis terrarum, qui ut tales non aliter habent facultatem sanandi à peccatis, quàm movendo peccatores suis prædicationibus ad agendam Pœnitentiam.

Unde subjicit ibidem: *Non pro vestra tantummodo salute*, *sed pro universo orbe vobis certamen erit*: *non ad duas quippe urbes*, *aut decem*, *aut viginti*, *neque ad unam Gentem vos mitto*, *sicut mittebam Prophetas*, *sed ad omnem terram prorsus*, *ac mare*, *totumque mundum*, *& hunc variis criminibus oppressum*. Mittebat autem Prophetas, non ut Judices, sed ut Prædicatores & Magistros: igitur S. Chrysostomus ibi loquitur de Apostolorum missione ad prædicandum, non verò de ipsorum legatione ad absolvendum.

XV. Quomodo pœnitens contritus absolvatur à peccatis.

Objicies quintò: Vel pœnitens accedens ad tribunal Sacramentale est contritus, & sic jam liber est à peccato, vel solùm est attritus, & in statu peccati; & sic indignus Absolutione: igitur Sacerdos in eo verè non potest peccatum absolvere.

Respondeo utrumque interdum contingere, nempe quòd aliquando pœnitens sit contritus, aliquando autem duntaxat attritus; dum autem accedit contritus, habet quidem jam peccata remissa: at non independenter ab Absolutione Sacramentali; Contritio quippe, quâ peccatorum remissionem obtinuit, actu seu virtute continet votum emittendæ Confessionis, & obtinendæ

A Absolutionis. Unde illa peccati remissio rectè tribuitur Absolutioni; quia nonnisi in ordine ad ipsam conceditur, & si ipsa datâ opportunitate negligeretur, hæc negligentia in causa foret, cur nulla esset præfata peccati remissio. Quemadmodum originalis peccati remissio, quæ fieret per Contritionem ac amorem Dei, includentem votum Baptismi, non prodesset ad salutem, si datâ opportunitate suscipiendi Baptismum, quis ipsum negligeret. Similiter qui cum sola Attritione accedit ad sacramentum Pœnitentiæ, non est quidem dignus gratiâ immediatè, sed solùm mediatè, quatenus idoneus est, ut per Absolutionem gratiam consequatur.

XVI. Sacramentum Pœnitentiæ est vita & medicina.

B *Objicies sextò*: Sacramentum Pœnitentiæ est medicina; at medicina prodesse non potest mortuis, sed duntaxat vivis: igitur sacramentum Pœnitentiæ supponit vitam in suscipientibus.

Respondeo ad minorem, esse quidem medicinam contra lethalia vulnera peccati, quæ licèt nondum intulerint mortem damnationis æternæ, respectu cujus homo peccator dici possit vivus & curabilis, tamen intulerunt mortem gratiæ, & hôc sensu sacramentum Pœnitentiæ dicitur vivificare.

Objicies denique: Non aliter Sacerdotes habent potestatem solvendi, quàm ligandi: sed ligandi
C potestas est tantùm ad declarandum aliquem esse jam ligatum: igitur etiam absolvendi potestas erit tantùm ad ostendendum aliquem esse absolutum.

Respondeo, distinguendo majorem: Non habent aliter quantùm ad concessionem, & authoritatem, concedo: quantùm ad exercitium, nego: Potestas enim ligandi dupliciter potest exerceri. primò quidem quatenus Sacerdos negare potest Absolutionem; & sic retinere peccata; secundò positivè, quatenus potest obligare pœnitentem ad satisfactionem Sacramentalem; unde, distinctâ minore, neganda est consequentia; siquidem Sacerdos hôc utrôque modô non solùm declarat
D hominem esse ligatum, sed etiam eum reverâ ligat & obligat, tum ad habendas meliores dispositiones, ut debitè Absolutionem percipere valeat; tum ad implendam satisfactionem sibi præscriptam.

CONCLUSIO SECUNDA.

XVII. Dimittitur aliqua pars pœnæ per Absolutionem.

PER *Sacramentum Pœnitentiæ dimittitur pars aliqua pœna temporalis*: *eaque major*, *vel minor secundùm dispositionem pœnitentis*. Hæc colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 14. ubi sermonem faciens de satisfactione per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia vitæ spiritualis exercitia pœnitentibus præscribenda, subdit:
E *Non quidem pro pœna æterna*, *quæ vel Sacramentô*, *vel Sacramenti votô unà cum culpa remittitur*, *sed pro pœna temporali*: *quæ*, *ut sacra litteræ docent*, *non tota semper*, *ut in Baptismo fit*, *dimittitur illis*, *qui gratiæ Dei ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt*, *& templum Dei violare non sunt veriti*. Quibus verbis satis apertè significat Concilium, quòd si non tota semper dimittatur pœna peccatis debita, unà cum remissione culpæ; saltem aliqua illius pars relaxatur per Absolutionem Sacerdotalem; alioqui frustrà hæc scripsisset vocabula (*non tota semper.*)

Adde quòd ea sit universalis Ecclesiæ, & Confessorum praxis, ut minores satisfactiones injungant, ac præscribant iis pœnitentibus, qui acce-

dunt ad tribunal cum majori Contritione, vel Attritione; quòd utique signum est, Ecclesiam supponere aliquam partem pœnæ temporalis, majorem vel minorem, relaxari per sacramentum Pœnitentiæ, juxta propriam cujusque dispositionem, præter eam, quæ remittitur per impletionem Satisfactionis præscriptæ à Sacerdote.

Nec certè deest ratio idem insinuans; cur enim potius infusio gratiæ major aut minor fieret, juxta perfectiorem vel minùs perfectam pœnitentis dispositionem, quàm quòd remittatur pars pœnæ temporalis? maximè cùm sacramentum Pœnitentiæ institutum sit ad remissionem peccatorum; ac subinde ad solutionem cujusque vinculi & obligationis quâ peccator constringebatur; igitur nedum ad solutionem reatûs culpæ, sed etiam ad solutionem reatûs pœnæ.

XVIII. Peccatum inducit septem vincula.

Quam utique veritatem luculenter explicat Seraphicus Doctor in 4. dist. 18. p. 1. art. 2. q. 2. n. 24. ubi inquirens utrum Sacerdos remittat aliquam partem pœnæ peccatis debitæ, triplicem hac de re sententiam, ac responsionem subjicit: *Primam* quidem, quòd Sacerdos absolvat non à pœna peccatis debita, sed a vinculo confessionis, obligando pœnitentem ad pœnam satisfactionis; quæ utique opinio videtur elici ex Hugone Victorino in libro de Potestate ligandi, ubi distinguuntur septem vincula, scilicet obdurationis, servitutis, captivitatis, æternæ damnationis, sive punitionis, perpetuæ detestationis, Confessionis & pœnalis expiationis: a tribus primis absolvit Deus per gratiam præparantem, quæ emollit cor ad pœnitentiam, & est gratia gratis data; à vinculo servitutis per gratiam prævenientem, quæ est gratum faciens, & liberat à servitute peccati; à vinculo captivitatis per gratiam cooperantem, quæ expedit hominem & solvit, seu excitat ad bona opera; à vinculo æternæ damnationis solvit ligando ad quintum, scilicet ad vinculum perpetuæ detestationis; à sexto verò solvit per Ministrum, ligando ad septimum: Sacerdos enim solvit confitentem peccatorem, ut non teneatur confiteri; sed ligat ad vinculum satisfactionis. Verùm, inquit Seraphicus Doctor, iste dicendi modus est improbandus; Sacerdos enim absolvendo non dicit; *Absolvo te à Confessione, sed à peccatis.*

XIX. Triplex de remissione pœnæ sententia.

Unde subjicit *secundam sententiam*, nempe quòd Sacerdos absolvat, non tantùm à vinculo culpæ, sed etiam à pœna purgatorii obligando ad pœnam satisfactoriam; ac subinde non solvit aliquam partem pœnæ relaxando, sed solùm commutando, hocque sub conditione, si videlicet expleat satisfactionem injunctam. Unde si illa satisfactio sit condigna, Sacerdos dicitur absolvere à tota: si non sit condigna, absolvit duntaxat à tanta; unde si peccator moriatur ante condignam satisfactionem, punietur in purgatorio. Verùm, ait Seraphicus Doctor, hic dicendi modus etiam improbatur; si enim Sacerdos duntaxat commutet pœnas, frustrà dicit pœnitenti; *Absolvo te ab omnibus peccatis*; quippe cùm nullum emolumentum, saltem quantùm ad relaxationem pœnæ ex hujusmodi Absolutione reportet pœnitens. Adde quòd peccator accedens ad tribunal pœnitentiæ, tantam habere poterit contritionem, quòd Deus omnem ipsi culpam & pœnam remittat; ac subinde non opus erit illam pœnam commutare in aliam pœnam.

Duas priores rejicit Doctor Seraphicus.

Hinc *tertiam sententiam* subjicit Seraphicus Doctor, quam approbat, & declarat his verbis:

Tertiam nempe postremam tradit & approbat.

Et ideo est tertius modus dicendi magis consonus rationi, fidei & pietati, quòd Sacerdos aliquam partem pœnæ absolvendo dimittit ex vi Clavium: & hoc possumus intelligere sic; Quòd universæ viæ Domini misericordia & veritas, ideo in justificatione, quæ est opus misericordiæ, misericordia sic remittit culpam, ut Justitiæ regulam non prætereat. Propterea adhuc detinet obligatum ad pœnam: illa autem pœna ob rigorem divinæ Justitiæ est viribus nostris improportionabilis, & nostræ cogitationi ignota, & pro illa oportet quod satisfaciat Deo. Providit ergo adhuc nobis viam misericordia divina, & constituit arbitrum Sacerdotem, & illi dedit potestatem arbitrandi & laxandi pœnam, & manifestandi nobis, & partem pœnæ remittendi ex virtute Passionis Christi, ut divina Justitia pro illa parte solutionem ab isto exigat, sed ex Passionis Christi pœna sit contenta. Quanta sit illa pars, nostrum non est determinare, sed Dei. Et tunc sacramentum Pœnitentiæ non tantùm erit onerosum, sed etiam fructuosum. Hanc ergo opinionem sustinendo, concedendum est, quòd Sacerdos remittit aliquam partem pœnæ, sicut ostendunt rationes, non æternæ, sicut ostendunt aliæ, non purgatoriæ, sed communiter illius pœnæ, quâ Deus obligat peccatorem post Absolutionem à culpa, & pro illa nunquam punitur in purgatorio, nec alibi; sed pro illa parte, à qua non absolvitur, vel punietur hîc sufficienter, vel Dominus exiget in purgatorio.

Quod repetit in responsione ad 2. 3. 4. objectionem: *Ab æterna pœna*, inquit, *nullò modò solvit* Sacerdos, *à purgatorio absolvit, non per se, sed per accidens, quia cum in pœnitente virtute clavium minuitur debitum pœna temporalis, non ita acriter punitur in purgatorio, sicut si non esset absolutus.* Dum ergo in corpore quæstionis dicit, Sacerdotem non remittere aliquam partem pœnæ purgatoriæ, intelligendus venit de remissione per se. Si autem objicias, quòd hæc remissio præjudicat divinæ justitiæ: Respondet: *Sicut in Baptismo per Passionis Christi meritum & solutionem solvitur peccator à tota pœna, ita in Pœnitentia per ejusdem Passionis Christi virtutem solvitur à parte pœna; ita quòd in nullo præjudicatur justitiæ, imò verificatur illud Psalmistæ:* Misericordia & veritas obviaverunt sibi: *Misericordia autem supererogando pretium justitiæ satisfacit.*

COROLLARIUM.

XX. Declaratur erronea & hæretica sententia Spalatensis.

Ex his apertè satis, & abundè confutata manet hæretica sententia *Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis*, qui lib 5. de Repub. Ecclesiastica fatetur quidem Sacerdotes novæ legis habere potestatem revera solvendi ac ligandi peccatores apud Deum; at non respectu omnium peccatorum, sed duntaxat quorumdam. Duplicis quippe generis peccata distinguit, quorum *quædam* ita occulta sunt & latentia, ut nullâ ratione exteriùs pateant, nec ullum afferant Ecclesiæ scandalum, qualis esset, v. g. deliberata animi interna voluntas adulterandi, nullô exteriori signô manifestata: *Quædam* verò ita notoria sunt & publica, ut Ecclesiæ scandalum afferant, ejusque sanctitatem inficiant, ut homicidium, adulterium publicum, &c.

Docet autem occulta peccata non inducere vinculum, nec ligare, nisi apud Deum, à quo solo possunt dissolvi directè & immediatè: quare si

peccator occultus coram Deo perfectè contritus, ejusmodi peccati veniam exoret, eam consequitur; nec tenetur peccatum illud Sacerdotibus per Confessionem exponere; si verò ita exponat, ut à Sacerdote absolvatur, hæc Absolutio prorsùs erit inutilis, & otiosa: Tum quia, inquit, peccatum istud remissum est, antequam peccator accedat ad Ecclesiam: Tum, quia Ecclesia non potest solvere, quod ipsa non ligavit. Quatenus verò peccata sunt publica, remittuntur à Deo directè & immediatè, ut sunt offensiva Dei, & ab Ecclesia quatenus sunt offensiva Ecclesiæ; idque duntaxat post peractas satisfactiones, & perpessos labores Pœnitentiales. Ex quibus colligit, quòd etsi Absolutio Ecclesiæ pœnitentibus non prosit, quantùm ad remissionem occultorum peccatorum; nihilominus, inquit, SS. Patres hortati sunt Pœnitentes, ut ab Ecclesia postularent ligationem & solutionem pro criminibus occultis, eò quòd impositi Pœnitentiæ labores eis prodessent, ut fructus & effectus interioris Pœnitentiæ: exercitia quippe durioris Pœnitentiæ à Sacerdotibus injuncta, argumenta erant contriti, ac humiliati cordis.

Et impugnatur.

Verùm hoc hæreticum dogma efficaciter proscribitur ex dictis, siquidem constat Sacerdotes novæ legis à Christo accipere potestatem remittendi quæcunque peccata simpliciter, & absque ulla exceptione: Christus enim ut Dominus indiscriminatim, & universim ait, Matth. 16. *Quodcunque solveritis*, &c. Et Matth. 18. *Quæcunque solveritis*, &c. Et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Quibus significatur Apostolos, & eorum Successores habere tam patentem, & generalem potestatem remittendi quælibet peccata in Ecclesia militante, quàm pateat, & sese extendat solutio, seu remissio per Deum & Christum in cœlis impertienda: ita enim hæc Evangeliorum oracula interpretantur SS. Patres, maximè S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, cap. 5. ubi ait: *Omnem rerum cœlestium potestatem à Deo Sacerdotibus esse traditam, & tantam ad remittenda peccata, quantam Deus Pater dedit Filio*: sed Pater æternus Filio suo dedit omnimodam potestatem remittendi peccata, tam publica, quàm occulta: igitur, &c. Similiter S. Hilarius Can. 16. in Matth. ita S. Petrum alloquitur: *O fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificationis illius Petra, quæ infernas leges, & tartari portas & omnia mortis claustra dissolveret! O beatus cœli janitor! cujus arbitrio claves æterni aditûs traduntur; cujus terrestre judicium præjudicata sit authoritas in cœlo, ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, soluti ejusdem conditionem obtineant & in cœlo*: At peccata occulta, sicut & publica quoad culpam & pœnam sunt inferni leges, tartari portæ, & claustra mortis; siquidem occidunt & impediunt aditum cœli: igitur non solùm publica, sed etiam occulta peccata solvere possunt Sacerdotes.

Idipsum apertissimè clamat S. Leo Serm. 3. in anniversario suæ assumptionis ad Pontificatum, ubi cùm declarasset summam à Christo authoritatem Petro traditam, ait: *Manet ergo Petri privilegium ubicunque ex ejus æquitate fertur judicium, nec nimia est severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus solverit, aut ligaverit.*

In hoc autem turpissimè hallucinatur Spalatensis, quòd confundat potestatem clavium quoad forum exterius & contentiosum cum potestate clavium quoad forum interius; ait enim cap. 7. num. 25. ligamen seu vinculum, quô peccatores Ecclesia ligat, in aliqua semper excommunicatione consistere, dum videlicet Ecclesia, vel peccatorem publicum prorsus separat è numero fidelium, si sit contumax & incorrigibilis, vel duntaxat ad tempus, donec scandalum debitâ satisfactione publicâ expiaverit. Sicque vult solùm alligari, vel retineri peccata per Ecclesiæ claves, cùm ita in peccatorem publicum animadvertit; solvi autem & remitti, cùm tollit ejusmodi excommunicationis vinculum, sicque externum forum Ecclesiæ cum interno perperam confundit; siquidem potest aliquis ab excommunicatione solvi, qui nihilominus remanebit peccatô obstrictus; sicut & alius absolvi potest à peccato per Contritionem perfectam, qui tamen remanebit excommunicatione ligatus: igitur diversa est potestas absolvendi ab excommunicatione, ab illa, quâ quis absolvitur à peccatis in foro interiori & secreto sacramenti Pœnitentiæ.

XXI.
Quô sensu solus Deus remittat offensam sibi factam.

Dices: Solus Deus potest remittere offensam sibi irrogatam; igitur Ecclesia in ejusmodi remissione partem non habent. Antecedens constat; ejus enim est offensam remittere qui læsus fuit.

Distingue antecedens: Authoritate propriâ & principali, concedo: ex delegatione, & commissione Dei, nego: sicut enim privatus Judex non potest condonare offensam irrogatam Principi propriâ authoritate, sed solùm ex Principis delegatione; ita Sacerdos non ex propria, sed ex Dei concessione remittit offensam Deo irrogatam.

Dices secundò: Ecclesia solùm potest solvere, quæ ligare potest: sed ligare non potest occulta peccata, quia non judicat de internis & occultis; judicium enim ejus totum externum est: igitur, &c.

XXII.
Et Ecclesia peccata occulta ligare & solvere possit.

Distingue minorem: Quandiu occulta sunt, & omnino interna, concedo: quando manifestantur, & nota fiunt per Confessionem, nego: Tunc enim Ecclesia per suos Ministros ejusmodi occulta peccata retinere potest, si debitas dispositiones in pœnitente non requirat, ea verò absolvere, si idoneas dispositiones inveniat.

ARTICULUS TERTIUS.

De partibus Pœnitentiæ in speciali.

Diximus in superiori articulo Pœnitentiæ sacramentum tres ex parte Pœnitentis actus desiderare, ex quibus quasi materiâ necessariò constare debeat, ut definit etiam Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. ubi legimus: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur; hâc ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Unde S. Augustinus exponens illud Psal. 146. *Qui sanat contritos corde*, ait: *Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes.* Quibus verbis significat tres actus pœnitentis, nempe [illegible] Contritionem, oris Confessionem, & operis Satisfactionem. Superest autem, ut de [illegible]gulis ejusmodi partibus in præsenti Articulo disputemus; quod utique exequemur tribus in sequentibus Sectionibus; quarum *Prima* erit de Contritione

[illegible] præsentis Articuli.

tam perfecta, quæ vulgari nomine dicitur Contritio, quam imperfecta, quæ Attritio appellatur: *Secunda*, de Confessione: *Tertia* verò de Satisfactione tam Sacramentali, quàm Ecclesiastica, seu publica.

SECTIO PRIMA.

De Contritione.

Unde deducatur Contritionis nomen.

CONTRITIONIS nomen deducitur à verbo *contero*; quod utique significat rem duram in minutissimas partes dividere, ut docet *Arist.* 4. Metheorologicôn, appositâ quidem egregiâ similitudine: per peccatum enim hominis voluntas & cor velut induratur, & obstinatur in malo, juxta illud *Iob. cap.* 41. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*: unde actus ille, quò hæc amovetur durities & peccatum expungitur, meritò à Theologis appellatur *Contritio*. Hinc Guillelmus Parisiensis Pœnitentiam commendat, & describit ab ipsa cordis comminutione: *Pœnitentia*, inquit, *est cordis confractio, & comminutio, ac veteris hominis in pulverem redactio.*

II. *Hoc optimè declarat S. Bonavent.*

Quam utique Contritionis Ethimologiam sic optimè declarat S. Bonavent. *in* 4. *dist.* 16. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 7. ubi ait: Dicunt aliqui, quòd ideo hoc nomine censetur, quia sicut unguentum sanativum conficitur ex multis herbis in mortariolo confractis, sic unguentum compunctionis conficitur ex herbis peccatorum, quæ natæ sunt in terra nostra, cùm conteruntur in mortariolo, conscientiæ: ita videtur Bernardus super Cantica dicere. Sed tunc ab hac Contritione non diceretur homo contritus, sed conterens. Ideo addendum, quòd in hac Contritione tria sunt attendenda, quod conteritur, à quo conteritur, & ad quid Contritio terminatur. Quod conteritur est cor peccatoris, quod est tanquam vas fictile repletum venenô peccati, juxta illud: *Fel draconum vinum eorum, &c.* A quo conteritur est duplex mola, una superiùs sursum elevans, & hæc est spes veniæ ex consideratione misericordiæ. Alia mola deorsum divinæ justitiæ. Et de his molis dicitur: Non accipies locô pignoris inferiorem, & superiorem molam. Istud vas ad hoc conteritur, ut emollescat, quia durum est. Cor enim durum malè habebit in novissimo. Vel melius, ut peccati delectatio totaliter effundatur, ideo dicitur Contritio, non fractio; quia fractio est in majores partes, contritio in minores: & quando in majores partes est fractio, sapor aliquò modô remanet: ut autem non remaneat, nec sapor, nec veritas, ideo in partes minimas conteritur. Et hæc delectatio totaliter removetur per pœnam æternam, & removetur per gratiam, & ideo utrobique dicitur Contritio & in pœna æterna, secundùm illud: *Conteretur cum delinquente delictum.* Et per gratiam: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Sed aliter, quia ibi conteritur in pulverem, non ut aliud vas fiat; quia de impiis dicitur: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, &c.* Sed in Contritione gratiæ est Contritio ad generandum vas novum, & solidum per honorem gratiæ, & lacrymarum, & ideo rectè dicitur Contritio, non Attritio: quia partium tritarum est unio, ut fiat vas in honorem secundùm illud de Paulo: *Vas electionis est mihi... Si quis emundaverit se ab his, erit vas, &c.* Ita Seraphicus Doctor. Dicitur autem Contritio cordis: quia, *inquit* Catechismus Tridentinus *num.* 34. *Cordis nomen frequenter sacra litteræ pro voluntate usurpant; ut enim à corde motionum corporis principium sumitur; ita voluntas reliquas omnes animæ vires moderatur ac regit.*

Hæc autem cordis Contritio primarius est, ac præcipuus Pœnitentis actus, nec-non & fundamentum, ac corona cæterorum; nunquam enim debitè peccata confiteremur, & niteremur frustra satisfactoriis operibus ea expiare, nisi dolorem haberemus de peccatis vitæ prioris; eaque per Contrionem detestaremur. *Etenim* (ait Author libri quæstionum veteris & novi Testamenti 3. p. q. 11.) *corporis membra læsa utique non sine dolore possunt sanitatis recipere medicinam: sic & peccatores non possunt peccata sua redimere, nisi dolorem senserit animus, qui peccaverit.* Quoniam autem frequentior esse debet Contritionis usus, quippe cùm nullum sit temporis punctum, quô præterita peccata in memoriam recurrunt, quin illico de eis salutarem concipere dolorem debeamus, & illa detestari, idcirco diligentiori disquisitione examinanda est, ac declaranda Contritionis natura, virtus & dignitas. Quod utique pro modulo nostro præstabimus in quinque sequentibus quæstionibus; quarum *prima* aperiet quid & qualis sit Contritio: *Secunda*, de quibus esse debeat: *Tertia*, quanta, & quandiu debeat dorare: *Quarta*, quis sit ejus effectus: *Quinta*, quæ & qualis sit Contritio imperfecta, seu Attritio.

Distributio Sectionis.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & qualis sit Contritio?

III *Contritio quid propriè significet.*

NOtandum primò, Contritionis nomen in Scriptura sacra idem significare, ac devastationem, vel exitium: Sic *Isaia* 51. *Vastitas & Contritio, & fames, & gladius, quis consolabitur te?* Et *Heremia* 6. *Malum visum est ab Aquilone, & Contritio magna.* Et *Psal.* 13. *Contritio & infelicitas in viis eorum.* Apud Theologos verò usurpatur hoc nomen ad significandam displicentiam de peccatis præteritis; quæ utique significatio fundamentum habet in Scriptura sacra: nam *Psal.* 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Et *Psal.* 146. *Sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Hinc appellatur etiam cordis humiliatio: Nam, ut mox laudata verba expendit sanctus Augustinus. *Qui cor non conterunt, non sanantur; quid est conterere cor. sacrificium Deo spiritus contribulatus... Qui obtriverunt cor? Humiles: Qui nam non obtriverunt cor? Superbi: Contritum sanabitur, elidetur elatum; ad hoc enim forte eliditur, ut contritum sanetur. Sanat contritos corde; sanat ergo humiliatos corde, &c.* Dicitur pariter amaritudo cordis; quia videlicet peccata reddit amara pœnitentis animo, juxta illud *Isaia* 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.... Ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

Et quot nominibus apelletur.

Nominatur etiam compunctio, quasi cordis punctio: Quia videlicet, *inquit* Guillelmus Parisiensis tract. de sacramento Pœnitentiæ cap. 5. tunc primò sentiuntur spinæ, & aculei peccatorum, cùm Spiritus cor peccatoris infusione gratiæ suæ vivificaverit ac sanctificaverit; sive quia

tunc in imo cordis, & in intimum cordis infiguntur. Juxta illud quod legitur in Psal. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Aliquando enim ante adventum ejus, & vivificam ejusdem visitationem corde, studiô, vel potius mortificatô, & mortuô, nec vulnus peccati, nec ferrum in vulnere sentiebatur, nec aculei peccatorum, nec punctiones ipsorum: nominatur autem Compunctio apud Psalmistam Psal. 4. *Incubilibus vestris compungimini.* Et *Act.* 2, *His autem auditis, compuncti sunt corde.* Vel ita dicitur; quia, loquit *ibidem*: Quemadmodum arbores thuris & mirrhæ sudibus ferreis vulnerantur, & ipsâ vulneratione velut lacrymatæ sunt hujusmodi arbores, seu coagulatæ; sic compuncta corda pœnitentium, thus devotæ orationis, & mirrham internæ amaricationis emittunt. Tandem dicitur *Compunctio*, quia quemadmodum ferrô tumida ulcera secantur, ut inclusum virus erumpere possit, ita corda quasi scalpellô Contritionis inciduntur, ut peccati mortiferum virus possit foras erumpere. Quare & scissio cordis à Joële Propheta appellata est: *Convertimini* (inquit cap. 2. *ad me in toto corde vestro; in jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra.*

IV.
Variè considerari potest; unde varia ac multiplex est ejus definitio.

Notandum secundo, quòd cùm Contritio spectari possit, *vel* secundùm ipsammet actûs entitatem, *vel* secundùm modum, quô actus ipse elicitur, *vel* juxta principium, à quo elicitur, *vel* denique secundùm effectum, quem ipsa producit: inde fit quòd plures, & variæ proferantur Contritionis definitiones secundùm varium respectum: *Primò* quidem quorùm ad substantiam, & entitatem actûs, definitur à Concilio Tridentino sess. 14. cap. *Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Quæ utique definitio Contritionis ei convenit tam ut est actus virtutis, quam ut est pars sacramenti Pœnitentiæ, siquidem utrôque modô necessariò debet esse dolor de peccato commisso cum firmo proposito non peccandi de cætero. Licèt quatenus est pars Sacramenti involvat præterea propositum confitendi & satisfaciendi, per quod distinguitur à Contritione quatenus est actus virtutis Pœnitentiæ, quæ ut sic non involvebat olim propositum confitendi & satisfaciendi, sed tantùm voluntatem puniendi & vindicandi peccatum.

Ratione verò principii dicitur, *Dolor voluntarius puniens quod dolet se commisisse*: Etenim Contritio est actus voluntatis nolentis ac dolentis se peccasse; ita quòd si fieri posset, efficaciter vellet peccatum non à se fuisse commissum: *Tertiò*, ratione *effectûs* dicitur à S. Augustino, *Dolor remittens peccatum*, vel à S. Gregorio; *humilitas Spiritûs annihilans peccatum inter spem & timorem.* *Tandem* ratione *modi*, quô exercetur, describitur à S. Isidoro. *Contritio est compunctio, & humilitas mentis cum lacrymis veniens de recordatione peccati, & timore judicii.*

In quonam præcipuè consistat.

Porrò in prima definitione, quæ est omnium præstantissima, tres recensentur actus ad perfectam Contritionem convenientes, nimirum dolor de peccato commisso, ejus odium, seu detestatio, & propositum amplius non peccandi. Quæritur autem, in quo potissimùm ex illis actibus ratio formalis Contritionis consistat, & utrùm tres illi actus ad veram, & perfectam Contritionem necessariò desiderentur; Caïetanus enim opusc. de Contritione q. 1. contendit Contritionem essentialiter consistere in actu odii de peccato; ita quòd dolor sit tantùm illius proprietas; propositum verò non peccandi de cætero ipsius doloris sequela, & effectus. Suarez verò *disp.* 4. *sect.* 1. vult illam esse essentialiter detestationem peccati, quam tum ab odio, cùm a dolore peccati vult esse distinctam. Aliqui verò Coninx *disp.* 1. *nu.* 1. docent, Contritionem consistere essentialiter, tam in actu doloris, quam in actu odii de peccato. Hæretici verò hujus temporis cum Luthero volunt Contritionem esse tantùm amorem justitiæ, novam vitam, ac prioris vitæ emendationem; non verò ejusdem odium; displicentiam; detestationem, aut dolorem; ita quòd Contritio non importet aliquid acerbum, aut amarum, sed omnia grata, jucunda, aut dulcia; unde inferunt dolorem, seu tristitiam facere hominem magis hypocritam, non autem vere pœnitentem.

V.
Duplex est Contritio.

Notandum tertiò, Contritionem solitò distingui duplicem, perfectam scilicet, quæ simpliciter dicitur *Contritio*; & est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum; & imperfectam, quæ appellatur *Attritio*, seu dolor de peccatis ex aliquo alio motivo honesto, quod non sit ipse Deus propter se amandus, & quatenus est summum bonum, à quo peccatum mortale avertit; sciendum enim est, quòd aliquis potest detestari peccatum propter varium finem: *Primò* propter timorem gehennæ, quam peccando incurreret: *Secundo* propter desiderium gloriæ, & fœlicitatis æternæ, quam mortiens in peccato perderet: *Tertio* propter amorem virtutis, quam infuscaret, & odium vitii, quô inquinaretur: *Quartò* ex dilectione Dei, quem impensè diligit, vel amore concupiscentiæ, propter varia bona, quæ ab eo recipit; vel amore amicitiæ, nempe quatenus est summum bonum infinitè perfectum, & amabile, quod propriè est amare Deum propter se. Quæritur autem in quonam ex istis motivis consistat ratio formalis Contritionis.

Tria igitur hoc in quæstione maximè occurrunt determinanda: *Primum*, utrum ad perfectam Contritionem requirantur quatuor illi actus, nimirum odium, detestatio & dolor de peccato commisso cum firmo proposito non peccandi de cætero; nec-non & confitendi, ac satisfaciendi: *Secundum*, in quonam ex illis actibus formaliter Contritio consistat: *Tertium*, utrum perfecta Contritio sit actus charitatis, & amoris Dei formaliter, aut saltem à charitate imperatus.

Conclusio Prima.

VI.
Quænam requirantur ad perfectam contritionem.

Quatuor præfati actus requiruntur ad veram & perfectam Contritionem. Hæc colligitur ex Concilio Tridentino, quod ubi Contritionem definit, & explicat, ejusmodi actuum meminit: nam *sess.* 14. *cap.* 1. loquens de Pœnitentia virtute, quæ non est peccati remissiva, nisi quatenus est vera Contritio, hæc habet: *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquô peccatô inquinassent, quôvis tempore ad gratiam, & justitiam consequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramentô ablui petivissent, ut perversitate abjectâ, & emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur.* Ubi ad perfectam Pœnitentiam, requirit detestationem, odium, & dolorem de peccato.

Capite autem 4. agens de Contritione, sic ait: *Contritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero:*

fuit autem quòvis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic modus Contritionis necessarius, & in homine post Baptismum lapso, ita demum praparat ad remissionem peccatoram, si cam fiducia divina misericordia, & voto prastandi reliqua, conjanctus sit, qaa ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntar. Ubi duplicem Contritionem delineat, nempe eam, quæ fit extra sacramentum Pœnitentiæ; & eam, quæ Sacramento jungitur: ad utramque autem in nova lege requirit non solùm dolorem, ac detestationem de peccato; sed etiam votum præstandi ea omnia, nempe Confessionem & Satisfactionem, quæ ad Sacramentalem Absolutionem desiderantur.

Quòd autem pariter odium etiam desideraverit, satis liquet ex en quòd ibidem Contritionem, quam in prineipio dolorem & detestationem appellaverat, statim post mox laudata verba simpliciter appellat odium: proscribens enim erroneam Lutheri sententiam, ait: *Declarat igitur sancta Synodus, hanc Contritionem non solam cessationem à peccato & vita nova propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odiam continere, &c.* Quod rursus iterum ibidem inculcat: Hinc Can. 5. sic definit: *Si quis dixerit eam Contritionem, qaa paratur per discassionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine anima sua, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, infidelitatem, amissionem aterna beatitudinis, & aterna damnationis incursum, cam proposito melioris vita, non esse verum & utilem dolorem, nec praparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema sit.* Quibus verbis quanquam Tridentini Patres præcipuè intenderint, definire contra hæreticos nostri temporis, ad veram Pœnitentiam non sufficere nudum, ac sterile propositum melioris vitæ, sive cessationem à peccato; nihilominus haud obscurè insinuant unà cum odio ac detestatione peccatorum, & proposito melioris vitæ, etiam requiri dolorem de peccato commisso, sive interim dolor ille sit sensitivus, sive duntaxat intellectivus.

VII. Quò ratione dolor, tristitia, & nolitio differant.

Quando enim Contritio definitur per dolorem, ibi *dolor* non accipitur præcisè pro ipso doloris actu, neque pro tristitia, quæ est passio, sed pro causa ipsius tristitiæ, atque doloris, scilicet pro nolitione peccatorum: hæc enim tria differunt, nolitio, tristitia & dolor; nam *nolitio* est actus voluntatis, scilicet nolle peccasse; *tristitia* verò est mœstitia & passio, quæ oritur ex ipsa nolitione, & voluntatem afficit: *dolor* autem est passio, quæ subjicitur in facultate sensitiva, nimirum illa cordis anxietas, quam habet pœnitens ex nolitione & detestatione peccati. Porrò ex his tribus sola nolitio videtur esse de essentia Contritionis: cætera autem sunt ejus effectus.

Nam, ut præclarè docet S. Bonaventura *dist.* 16. *art.* 1. *quæst.* 1. ex S. Augustino *lib.* 14. de civitate Dei *cap.* 15. Sicut peccatum perpetratur per consensum, sic è contra deletur, & destruitur per dissensum voluntatis rationalis; & quia dissensus ab ea re, quam impossibile est non esse, generat dolorem; ideo dicendum, quòd Contritio est dolor per essentiam. Sed attendendum, quòd dolor dicitor dupliciter. Unô modô ipse dissensus voluntatis; aliô modô passio resultans in sentientem, vel sensualitatem ex illo dissensu, per quam prorumpit homo in lacrymas, & ille dissensus est de essentia Contritionis: sed illa passio est ejus effectus. Hæc Seraphicus Doctor. Unde præclarè colligit doctissimus noster Vega lib. 13. de Justificatione cap. 25. Si qui, *inquit*, sunt qui nollent quidem patrasse quæ admiserunt peccata, neque tamen dolent dolore sensitivô, aut etiam intellectivo de ipsis, ea detestatio peccatorum, absque ulla tristitia & dolore, ad justificationem sufficeret, idque constanter Scotus, Almaynus & alii tradidêre; & valde est hoc misericordiæ divinæ consentaneum. Nam & apud homines hoc nonnunquam satis est ad redeundum in gratiam cum illis. Nec verti in dubium potest, quin jam isti peccatores resipiscant à suis peccatis, & verè eos illorum pœniteat. Et quatenus dolor seu tristitia de peccatis propriè pro passionibus accipiuntur, quæ sequuntur ex affectibus eorum, qui nullatenus vellent acquievisse peccatis, adhibere possumus fidem nonnullis peccatoribus, asserentibus se non posse dolere de peccatis suis. Potest enim hoc usu venire in dolore sensitivo, ex quo sequuntur lacrymæ, propter duram complexionem, vel propter nimium alioquin dolorem intensivum. Et non est mirandum, si alia magis sensibilia majorem causant dolorem, & in plures nos resolvant lacrymas. Et secundùm Doctorem subtilem possibile etiam hoc est de dolore intellectivo, qui tristitia est; quia neque necessariò sequitur, secundùm ipsum, tristitia ex fuga, odio, seu nolitione peccati, licèt ut plurimum conjuncta ipsi sit. Unde est illud vulgatum sancti Augustini lib. de Pœnit. *Sicut Pœnitentia comes est dolor, ita lacryma testes sunt doloris.*

VIII. Dolor formalis non requiritur essentialiter ad Contritionem.

Quòd si, ut assolent aliqui peccatores dicere, de hoc doleant, quòd non dolent, & tali dolore sensitivô vel intellectivô modò simpliciter dicant se nolle peccasse, admitti debent ad Pœnitentiam. Si tamen dicerent se non habere affectum, quô nolint consensisse peccatis quæ admiserunt, quia non possunt talem affectum habere, & eum affectum more communi dolorem vocent, communibus & pro tritis rationibus ex malis, quæ sunt in peccatis, paulatim trahendi sunt, ut nolint ea admisisse. Fieri quippe nequit, ut doleant, quòd non dolent de peccatis suis, si dolor accipiatur, ut plerumque fit, pro affectu, quô quis vult non peccasse. Nam is affectus semper subest potestati ejus, qui verè vult eum habere. Quia verò magis ille pendet ex Dei gratia & benignitate, quàm ex nostra libertate, imprimis orandus est Deus, ut eum dignetur impertiri: *Quis enim* (ut verissimè dicit Bernardus de tripl. miser.) *scindet duritiam istam, nisi qui in passione sua petras excidit? Quis dabit cor pœnitens, nisi à quo est omne datum optimum?* Huc usque Vega.

Ut optimè demonstrat noster Vega ex Doctore.

Cùm autem pro se citet Doctorem Subtilem, libet ejus verba subscribere: Igitur Scotus 4. dist. 14. q. 2. n. 17. in fine sic inquit: Quandoque ex charitate sive ex contemplatione Dei statim inest quasi quædam detestatio peccati, & sequitur tristitia maxima, nullô adhuc positô actu justitiæ respectu illius tristitiæ: quandoque autem primò inest actus justitiæ (vindicativæ) & intensus in se, & tamen causæ proximæ, scilicet intellectus in considerando, & voluntas in detestando, non efficaciter moventur ex illo imperio justitiæ, fortè quia carent habitibus, qui essent principia perfectionis in actibus suis. *Profe-*

quitur enim n. 18. Et licèt istæ moveantur quandoque (*scilicet intellectus in considerando, & voluntas in detestando*) non tamen sequitur tristitia: quod etsi posset esse propter multas causas, propter hoc est quandoque, quia sicut intellectus conformatur parti sensitivæ in nobis; ita & appetitus intellectivus appetitui sensitivo quantùm ad faciliter condelectari & tristari. Cujus ergo appetitus sensitivus non est natus tristari vel dolere, ejus voluntas non faciliter tristatur. *Ex quo infert Doctor:* Quòd aliquis habet maximum actum Pœnitentiæ primô modô (idest maximum actum vindicandi peccatum à se commissum) & tamen nullum affectum (tristitiæ) vel modicum: & aliqui sine omni actu Pœnitentiæ primô modô, habent maximum effectum ejusdem rationis cum illo, qui natus est esse effectus Pœnitentiæ. Et quòd ille effectus sit major vel minor, bene est aliqua excellentia in ordine ad deletionem peccati: sed simpliciter major est excellentia actûs ad actum, ad quos actus sequitur hinc inde tristitia, quia plus delet meritoriè peccatum actus causativus tristitiæ, quàm ipsa tristitia.

Ergo secundùm Doctorem detestatio peccati; utpote causativa tristitiæ, meritoriè potest delere peccatum, esto per accidens nulla tristitia vel modica sequatur. Neque enim verisimile est Deum, qui est Pater misericordiarum, & qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, requisivisse ad conversionem & vitam, id quod non est in libera potestate peccatoris, veluti hic dolor seu tristitia, consequens actum detestationis. Cæterùm ipsam detestationem esse necessariam, ratio naturalis haud obscurè dictat, quando novum induit hominem, & mutat statum suum, nisi exuat veterem per displicentiam aliquam, & nisi aliquô modô prior status ipsi displiceat; aliàs enim nulla subest causa mutandi; imò vix possibile est mutare: nam natura & nostra, & nostrorum affectuum est, ut tandiu nobis hæreant quæ semel placuerunt, quandiu nullô ab eis odiô, vel displicentiâ dimovemur; & si quæ semel approbaverimus, ea tandiu censemur probare, & firma ac rata esse velle, quandiu non ea meliùs cogitantes reprobamus, aut retractamus. Ita Vega suprà.

IX. *Pudor in Contritione est appendix doloris.*

Dices primò: Sicut verè pœnitens dolere debet, ita & pudere; at pudor ille non est Confessio nec Satisfactio; ac subinde neque odium, nec detestatio, aut dolor: igitur ad Contritionem requiruntur plures actus, quàm suprà dicti. *Insuper*, pœnitens non solùm dolere debet, sed etiam gaudere, ut diximus agendo de Pœnitentia virtute; ac subinde sicut Contritio dicitur dolor, etiam dici debet gaudium.

Respondet ad utrumque Seraphicus Doctor *ibidem*. quòd pudor consequitur ad dissensum voluntatis, secundùm quod dissentit à peccato, tanquam à turpi; consequitur etiam gaudium, secundùm quod ex illo dissensu sentit se elongari à peccato; immediatiùs autem consequitur passio, quæ est dolor; nam ipse dissensus vehemens à re quam nolumus esse, & tamen est, immediatè dolorem generat; quia nempe est dissensus; quia verò est dissensus propter rem turpem, generat pudorem; quia verò per illum dolorem peccator elongatur ab ipsa re turpi, & infesta, idcirco de peccato dolet, & de dolore gaudet.

Dices secundò: Dolor est dissensus ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, ait S. Augustinus lib. 14. de Civitate Dei, cap. 15. sed Contritio est dissentio à peccatis, quæ nobis volentibus accidunt: igitur, &c.

Respondet idem Seraphicus Doctor, quòd peccatum est voluntarium quoad delectationem; sed non est voluntarium quoad rationem malitiæ, & deformitatis, & pœnæ. *Si autem dixeris*, dolorem Contritionis non tantùm esse debere de deformitate, sed etiam de delectatione: *Respondet*, quòd ut peccator debitè doleat, sufficit, quòd illud, de quo dolet sit nolitum, pro tempore in quo dolet, non autem pro omni tempore. Cætera, quæ ad hanc difficultatem spectare possunt, jam soluta manent ex his, quæ diximus de essentia Pœnitentiæ virtutis.

CONCLUSIO SECUNDA.

X. *Contritio potissimùm consistit in detestatione peccati.*

CONTRITIO *magis propriè consistit in detestatione seu odio peccati quam in aliis actibus.* Probatur, quia contritio est actus virtutis appetitivæ: igitur est actus voluntatis quatenus detestatur peccatum. Patet antecedens; siquidem Contritio est actualis nolitio peccati; non absoluta, sed conditionalis, ac si pœnitens diceret, Si possibile esset, nollem me peccasse: sed illa nolitio nihil aliud est formaliter, quam ipsa peccati detestatio: igitur, &c.

Nec obstat, quòd Concilium Tridentinum locis in priori conclusione laudatis, ex æquo Contritionem appellet dolorem, ac detestationem peccati; hæc enim debent accipi cum debita proportione, & secundùm sensum accommodationis; ita quòd Contritio essentialiter sit detestatio, *dolor* autem tantùm concomitanter, seu causaliter: quia videlicet cùm illa detestatio non sit aliud, quàm velle non peccasse, ex quo sequitur dolor; quia dolor nihil aliud est, quàm tristitia & afflictio, seu angustia quædam, ex eo quòd homo videt se fecisse, quod fecisse nollet: idcirco illa detestatio necessariò concomitantem, aut subsequentem dolorem habet.

XI. *Quæ ab ejus odio non discrepat.*

Confirmatur: In eo præcipuè constituenda est Contritio, ex quo tanquam rivuli ex fonte emanant alii actus ad perfectam Contritionem desiderandi: sed illi omnes oriuntur ex ipsa peccati detestatione; ab ea namque provenit dolor, ut statim diximus: oritur etiam odium, si reverà odium illud sit aliquid distinctum ab ipsa detestatione, quod utique non existimo: in voluntate enim circa bonum & malum, sunt tantùm illi actus, qui correspondent passionibus appetitûs sensitivi: sed odium & detestatio correspondent eidem passioni, quæ appellatur *odium*; nullusque Philosophorum hactenus dixisse videtur, odium & detestationem esse duas virtutes: ab ea pariter detestatione provenit voluntas non peccandi de cætero, & implendi ea, quæ necessaria sunt ad obtinendam peccati remissionem; qui enim reverà peccatum detestatur, habet animum illud ampliùs non admittendi, & applicandi ea omnia media, quæ conducunt ad illius destructionem; ac subinde ea faciendi, quæ necessaria sunt ad Absolutionem sacramentalem, sine qua in re, vel in voto suscepta, non potest fieri peccati post Baptismum commissi remissio in nova lege.

Dices: Si dolor consisteret essentialiter in detestatione & odio peccati, cùm hæc detestatio, & illud odium sint perfectissimè in Beatis, sequeretur

retur [illegible] quod in iis [illegible] esset perfectissima C[illegible] sed hoc d[illegible] nequit : [illegible] tur nec ill[illegible]

[illegible] *majorem.* Si in Beatis talis esse detestatio, quæ vel concom[illegible]tantem, vel [illegible] bsequentem h[illegible]beret dolorem de peccatis, concedo : secus, [illegible]o : Et sic distinctâ minore, nego consequentiam. Duplex enim distingui potest peccati d[illegible]estatio, una quidem generalis, quæ diffunditur per omnes actus cujuscunque virtutis, maxime [illegible] charitatis, quæ quatenus tendit in object[illegible]m sibi conveniens, aversatur id omne, quod isti objecto opponitur : alia verò specialis, quæ maxim[illegible] tendit in ipsius peccati vind[illegible]ctam, & destructi[illegible]nem, quæque non est aliud, quam ipsa forma[illegible] nolitio positiva voluntatis, quâ pœnitens, si fieri posset, nollet peccasse, & dolet [illegible]e peccasse : prior quidem potest esse in Beatis, non verò posterior.

Dices secundo: In eo præcipuè consistit Contritio, qu[illegible]d per se primò opponitur peccato, & illod destruit : sed id quod per se primò opponitur peccato, non est illius detestatio, sed dolor, quô vid[illegible]cet pœnitens afficitur, cùm dolet se Deum offendisse. igitur Contritio magis consistit in dolore de peccato, quam in ipsius odio, sive detestatione. Major [illegible]onstat : nam sicut Pœniten[illegible]ia respicit peccatum sub ratione offensæ vind[illegible]ndæ, & puniendæ, ac compens[illegible] per actus pœnitentis : ita & ejus actos principalis & primarius, qui est Contritio. Minor vero probatur. Actus, quô homo vindicat peccatum, d[illegible]bet opponi illi actui, quô illud commisit : igitur sicut homo peccavit per delectationem illicitam, debet peccatum illud vindicare, & Deo satisfacere per actum ipsi delectati[illegible]ni oppositom. hic autem alius non potest esse, quam dolor : Nam inquit D. Augustinus, Serm. 7. de Tempore : *Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animô, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat [illegible] ipsum te cruciat in mente ; jam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: Tibi soli peccavi.* Igitur, &c.

Ne[illegible]o minorem : Nam cùm peccatum consistat in voluntaria aversione à Deo, primus Pœnitentiæ motus consistere debet in [illegible]oluntaria hominis ad Deum conversione ; ac subinde in odio & detestatione [illegible]ius, quod a Deo averterat : quæ utique detestatio nihil aliud est, quàm ipsa nolitio quâ pœ[illegible]itens nollet se peccasse ; quod cùm fieri non po[illegible]it, exinde exurgit dolor propter ejusmodi peccatum admissum. H[illegible]nc fateor equid[illegible], quod dolor sit vindicta illicitæ delectation[illegible]s, quatenus ille dolor sensualis est [illegible]on autem prout est omnino spiritualis, & quid consequens ex præfata nolitione.

Ex his itaque sequitur, illam peccati detestationem, seu odium esse primarium, ac potissimum Contritionis actum [illegible] à quo cæteri velut à radice pullolant [illegible] ex eo namque, quòd homo peccatum execretur [illegible] inde dolet, quod illud admiserit, & movetur ad illud destruendum omnibus modis, & m[illegible]is à Deo præscripti[illegible], ac subinde ad quantocius fre[illegible]uentandam & faciendam sacramentalem Confessionem, quâ possit ejusmodi peccati destructionem & veniam obtinere.

Vtrum ad perfectam & integram Contritionem [illegible] isti actus detestationis, odii, doloris, & pr[illegible] non peccandi de cætero seorsim debeant el[illegible]

Respondeo: non improbabile videri quod sufficiat eos virtualiter in ipsa formali peccati detestatione contineri. Q[illegible]d utique probatur ; quia si quis e[illegible] [illegible]is actibus formaliter elicitus requireretur ad perfectam Contritionem, maximè propositum non peccandi de cætero : sed ad id sufficit, quòd propositum istud virtualiter includatur in ipsa detestatione efficaci & perfecta : nam, inquit noster Vega lib. 13. de Justificatione cap. 8. Stare non potest, ut alicui displiceant præterita delicta, quia offensæ sunt De[illegible], si propositum sit offendendi Deum graviter, aut continuan[illegible] offensam aliquam ipsius lethalem. Et nullus perfectè resipiscit ab erratis præteriti[illegible], aut [illegible] mutare vitam priorem, quin habeat aliquam illius displicentiam : ita nemo perfectam habet [illegible] vitæ displicentiam, quin eam actu vel virtute mutare intendat. Mutuo se actu, vel virtute comitantur hi affectus. Et qui sic affectus est, ut ve[illegible]è dolcat de patratis offensis, nunquam, eô perseverante dolore novas admittet ; [illegible]ò eas pro viribus ev[illegible] & declinare [illegible] e si de ea re int[illegible]rogetur. Q[illegible] satis est, ut [illegible]icatur habere prop[illegible]situm virt[illegible]le emen[illegible] vitam. [illegible] qui verè in futurum eas cavere proponit [illegible] quam, eô stante propositô, in præteritis sibi acquiescet, aut complacebit, sed potius, si quis eum percôtetur, dolere se dicet de illis admissis. Et quoniam vix aliquis communiter à peccatis verè resipiscit, nisi & detestetur illa, & ea proponat imposter[illegible] vitare, admonendi sunt omnes peccatores, cùm excitantur ad pœnitentiam, ut non solùm priora peccata detestentur, & ab eorum, & quorumvis aliorum continuatione & repetitione se contineant, sed & omnia proponant deinceps pro sua virili cave[illegible]. Hu[illegible]ue V[illegible]

Et post pauca addit Cum his tamen [illegible] stat separari posse ab invicem hos effectus : Et stare potest detestatio præteritæ vitæ sine proposito novam aliam inchoandi, & propositum novæ vitæ sine detestatione prioris. Unde & Patre[illegible] tanquam duo distincta posuere cessationem à peccatis, & eorum detestationem. [illegible]t experientiâ con[illegible]at [illegible] meminisse præteritorum [illegible] de futuris cogitemus & con[illegible]à ; sic futura prospicere, ut præteritorum nulla mentem subeat recordatio. Et hoc [illegible] in affecto multò m[illegible]gis potest contin[illegible]ere. Et sive contingat, sive non, de hoc uno modo disputamus, an detestatio admissorum delictorum sufficere possit ad ven[illegible] sine proposito formali nunquam amplius peccandi [illegible] sicut ex consensu omnium Catholicorum, proximo capitulo ostendimus non sufficere hoc propositum sine detestatione præteritorum. Et quidem (*prosequitur idem Author*) quamquam commemoratam viam ut commun[illegible] ita etiam tutissimam, & po[illegible] [illegible] candam arbitror : tamen du[illegible] [illegible]ecum [illegible]to divi[illegible] [illegible]ivinæ in nos m[illegible] [illegible], d[illegible]bitare non possum, quin etiam aliquando a[illegible]am peccati admissi compunctionem [illegible] centur peccatores. *Hæc* [illegible]*le.*

Probat autem hanc piam opi[illegible]onem exemplô Davidis [illegible] catus [illegible], ut ex corde

XII. In detestatione aliis actus maximè propositum non peccādi includuntur virtualiter.

Et optimè declarat Vega.

dixit 2. Reg. cap. 12. n. 13. *Peccavi Domino.* Statim enim audivit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ubi nulla fit mentio propositi emendationis. Et alia plura exempla similia reperies in Scriptura sacra, quæ ibidem adducit Vega in confirmationem suæ & nostræ opinionis. Quòd si unquam, inquit ille, Deus ad quantamcumque compunctionem peccatoris peccata dimitteret, nisi actu adsit propositum imposterùm cavendi peccata, meminisset Scriptura & hujus quoque propositi in illis, quos dicit per suam pœnitentiam justificatos. Cur enim potiùs detestationis, quàm propositi cessandi à peccatis recordata esset, si utrumque ex æquo requiritur, & neutrum sine altero sufficit? Ita *Vega.*

Dices: Propositum virtuale non peccandi de cætero, nihil est aliud, quàm odium ipsum & detestatio peccati: sed Concilium Tridentinum præter dolorem, detestationem, & odium peccati, requirit votum ac propositum non peccandi de cætero, & implendi ea, quæ necessaria sunt ad consequendam sacramentalem Absolutionem: igitur ex mente Concilii Tridentini, non sufficit propositum virtuale, sed formale, & actuale requiritur.

XIII. Non tamen frustrà à Concilio Trid. cum detestatione numerantur.

Respondeo, idcirco Concilium Tridentinum detestationi peccati conjungere propositum emendationis, ut significaret non sufficere ad perfectam Contritionem, quamcunque simplicem displicentiam peccatorum, sed necessariam esse detestationem efficacem, ex qua si peccata futura occurrerent, & tempus congruum non deesset, illico voluntas prosiliret in affectum imposterùm non peccandi. Quòd autem hoc sufficiat, & propositum non peccandi de cætero, virtualiter includatur in voluntate detestante, ac excludente peccatum, [illegible]lligitur ex eodem Concilio: Tum, quia sess. 14. cap. 4. loquens de Contritione imperfecta, quæ Attritio dicitur, ait: *Si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat* (sancta Synodus) *non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quô pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.* Q[illegible]bus verbis id quod vocaverat propositum non peccandi, cùm generatim Contritionem describeret, [illegible]c appellat exclusionem voluntatis [illegible] quô significat, eum, qui dete[illegible]tum sincerè & efficaciter ita esse aff[illegible]ctum, ut si interrogaretur, an vellet rursum peccare, testaretur se potius velle millies vitam prof[illegible]dere, quàm Deum offendere mortaliter; qui utique affectus alius non est, quàm virtuale p[illegible]ositum non peccandi de cætero: *Tum*, qu[illegible]em Concilium non s[illegible]lùm requirit propositum emendationis [illegible]ed etiam Confessionis, & Satisf[illegible]ction[illegible] imò etiam & actum spei; sed ad veram & perfectam Contritionem non requ[illegible]tur votum explicitum Con[illegible]ssionis, nec form[illegible]s actus spei: igitur nec votum explicitum emenda[illegible].

XIV. Fieri potest peccati remissio sine proposito non peccandi imposterum.

Hæc omnia efficaciter confirmat Vega his verbis. Potest [illegible] ores subitâ morte sic præveni[illegible] ni[illegible]idem possent peccatorum, [illegible] & [illegible]e eis dolentes, & clamante[illegible] *miserere* moriuntur antequam quid[illegible] statuere potuerint. [illegible] igitur & [illegible] veniâ carebunt [illegible] quid dubius? [illegible] clementissimus [illegible] Deus omn[illegible] confugientes [illegible] [illegible] cum fac entem

quod in se est despicit, sub [illegible]o mortis articulo cunctis ad se conversis veniam [illegible]ertitur. Neque de latrone illo fœlici, qui apud [illegible]stum in cruce pendentem, sub ipsa morte veniam invenit, a[illegible] in Evangelistis legimus, quam quæ [illegible] testentur, & priorem suam vitam [illegible] ad Christum humiliter recurriss[illegible], & ipsius misericordiam orasse. Nonne etiam ad [illegible] sacramentalem satis sunt quandoque [illegible]a certa doloris de peccatis? Absolvi profectò possunt, & debent peccatores, qui articulo mortis præventi confiteri nequeunt sua peccata, si explicuer[illegible]t saltem in specie aliquod peccatum, & signi[illegible] terioribus dolorem suum interiorem in[illegible], etiamsi nullo signô declarent quid in futurum proponant. Neque differenda est aliquo modô pro hoc Absolutio. Hucusque Vega.

Conclusio Tertia.

VT Contritio sit perfecta, & [illegible] peccati [illegible]missionem mereatur extra Sacramentum debet detestari peccatum ex affectu charitatis: & habere charitatis actum formaliter aut saltem virtualiter, vel ab ea imperari.

Hæc Conclusio duabus maximè partibus constat, quarum *prima*, nempe quòd ut Contritio sit perfecta & remissiva peccati extra Sacramentum, debeat elici propter Deum offensum & habere annexum votum suscipiendi Sacramentum, communis est apud Doctores Catholicos siquidem Contritio perfecta in hoc ab imperfecta discrepat, quòd hæc, quæ dicitur Attritio, non tendat in Deum propter se, & quatenus summum in se bonum est; sed quate[illegible]s est nobi[illegible] bonus, seu prout est nostra ultima fœlicitas, [illegible] cujus consecutione removet peccatum, quod det[illegible]stamur; hæc vero tendat in Deum dil[illegible]endum propter se, seu quatenus est infinita bonitas, ac summè amabilis, & prout à charitate attingitur. Quod utique docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi ait: *Docet præterea* (sancta Synodus) *etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliari, priusquàm hoc Sacramentum [illegible] suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur*, &c. Quibus verbis Concilium in hoc distinguit Contritionem perfectam ab imperfecta, quod illa dicatur charitate perfici; quod utique non fit aliter, nisi quia hujus Contritionis actus vel est formalis actus charitatis, [illegible]el s[illegible]tem eum h[illegible]bet annexum, aut virtualiter eum continet, ac peccatum detestatur quatenus est off[illegible]sivum Dei summè dil[illegible]ibilis, sicque saltem mediatè tendit in Deum, prout est objectum charitatis: C[illegible]tritio verò imperfecta, seu Attritio detestatur pec[illegible]tum, vel propter illius turpitudinem vel p[illegible]opter malum gehennæ, vel quoniam rem[illegible]vet à possessione D[illegible], quatenus nostr[illegible] summum bonum est, nostraque beatit[illegible]do [illegible] quen[illegible] dit in Deum ex motivo charita[illegible] & ex [illegible] amicitiæ, sed duntaxat concu[illegible] q[illegible] idem affectus licet in se vitio[illegible]us non [illegible] d[illegible]finit Concilium ibidem [illegible] tamen ex[illegible] Sacram[illegible]tum justificare non [illegible]test [illegible] dum C[illegible]tritio [illegible]effe[illegible].

XV. Co[illegible] fieri d[illegible] ex mo[illegible] chari[illegible]

Major est difficultas de *secunda parte* hujus Conclusionis, nempe quòd Contritionis actus debeat elici à virtute charitatis, aut habere formalem charitatis actum sibi annexum, vel saltem eum virtualiter continere. Circa cujus assertionis determinationem triplex apparet Authorum sententia. Probabilior autem nobis videtur ea, quæ asserit, Contritionem posse simul esse actum detestationis peccati, & amoris Dei super omnia; ita quòd simul sit formalis amor Dei, & formale odium peccati. Nec id mirum videri debet, quippe cùm ejusdem virtutis sit velle alicui bonum, & nolle ipsi malum, putà velle Petro sanitatem integram, & nolle ei infirmitatem aliquam etiam minimam: at velle bonum aliquod Deo, quatenus ipsi bonum est, putà quòd sit infinitus, æternus, &c. quodque ab omnibus creaturis glorificetur & honoretur, est formalis actus virtutis charitatis: igitur similiter nolle Deo malum, quà ipsius offensivum est, erit formalis actus virtutis charitatis; ac subinde detestari peccatum, quatenus est malum Dei extrinsecum, & ipsius offensivum, poterit esse formalis actus charitatis, & ab ea elicitus. Quod utique confirmatur; nam formaliter amare Deum, nihil aliud est, quàm optare ipsi bonum aliquod positivum, quatenus ipsius bonum est; ac subinde velle ab eo removeri id omne, quod habet rationem mali in ordine ad ipsum; siquidem frequenter carentia & remotio alicujus mali, longè optabilior est, quàm bonum aliquod positivum, & consequenter idem actus amoris Dei poterit simul esse odium peccati, & habere pro objecto formali motivo, tum peccati deformitatem, & malitiam, tum bonitatem divinam, quæ extrinsecè ab ejusmodi malitia velut inficitur.

XVII. Potest esse formalis actus charitatis.

Confirmari potest hæc veritas illis omnibus Scripturæ sacræ, ac SS. Patrum oraculis, quibus peccati remissio maximè charitati tribuitur: Sic *Lucæ* 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ubi sermo est de S. Magdalena, quæ stans retro secus pedes Domini lacrymis rigabat pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, testabaturque summum de peccatis admissis animi dolorem, & Contritionem; nihilominus ipsius dilectioni & charitati tribuitur peccatorum remissio, ut signum sit ejusmodi peccati detestationem eandem fuisse cum actu charitatis, & amoris Dei. Sic pariter Proverb. 10. *Universa delicta operit charitas.* Et 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et 1. Joan. 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres, qui non diligit, manet in morte.* Ubi Scriptura non loquitur de habitu, sed de actu charitatis; siquidem in illis locis hortatur nos ad actum charitatis exercendum cum auxiliis actualibus, quatenus scilicet ejus intuitu Deus nobis peccatorum remissionem, quæ fit per gratiam, seu charitatem habitualem largiatur. Unde sanctus Chrysostomus homil. 7. in 2. ad Timoth. post medium: *Sicut ignis ubi sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita & charitatis fervor quocunque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit, quæ divinam segetem demoliuntur, emundatque humum suscipiendis atque fovendis altè seminibus.* Pergit: *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Et infrà: *Plenitudo legis est charitas: cuncta nempe scelera quæ pacem perturbant, ubi charitas fuerit, solvuntur.*

XVIII. Quia actus charitatis est sufficiens ad remissionem peccati.

Hinc sanctus Augustinus serm. 7. de tempore, ait: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei:* Hoc est odium peccati, quod ex motivo charitatis procedit: nam quod sanctus Augustinus ibi per amorem Dei non intelligat actum dilectionis ab ipsa Contritione distinctum, apparet ex verbis sequentibus, subjungit enim: *Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente; jam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: Tibi soli peccavi.... Ista est, filioli, vera Pœnitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat.* Constat autem, quòd ad efficiendam hujusmodi conversionem, sufficiat vera Contritio ex parte charitatis, absque ulteriori actu distincto dilectionis Dei super omnia. Quam utique S. Doctoris sententiam sic interpretari & confirmare videtur Author de vera & falsa Pœnit. cap. 17. cùm ait: *Quem verò pœnitet, oportet non solùm timere Deum judicem, sed & justum diligere, non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria: debet enim dolere de crimine, & de omni ejus prædicta varietate; quod quoniam vix licet, de ejus salute Augustinus potuit dubitare, &c.* Quibus posterioribus verbis significat actum amoris, & dilectionis Dei, quem requirit ad veram Pœnitentiam, eundem esse cum dolore seu detestatione peccati; quippe cùm dolorem ipsum dicat sufficere ad salutem.

Et idem esse cum actu Contritionis, significat S. Aug.

Dices: Idem sanctus Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 2. ostendit non posse mundari quemquam, quantumvis plures exerceat Contritionis actus, nisi pariter eliciat actum charitatis: *Ideo,* inquit Donatistas alloquens, *vobis non videntur mundari, cùm ad nos à vobis transeunt; quia non denuò baptizantur, quasi solò Baptismô, quem repeti non oportet, cùm idem atque unus est, homines ab errore mundentur.* Cujus contrarium ut evincat, statim subdit: *Mundantur & verbô veritatis ab illo, qui ait* Joan. 15. *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis: Mundantur & sacrificiò contriti cordis ab illo, de quo dictum est* Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit: Mundantur & eleemosynis ab eo, qui ait:* Lucæ 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: Mundantur ipsâ, quæ supereminet omnibus, charitate ab illo, qui per Apostolum Petrum dixit: Charitas cooperit multitudinem peccatorum; quæ una si adsit, omnia illa recta fiunt; si autem desit illa, omnia frustra fiunt.* Igitur ex S. Augustino actus charitatis & Contritionis sunt distincti.

Nego consequentiam: Siquidem non satis constat ex præfatis verbis, de qua charitate locutus fuerit sanctus Augustinus, utrum de actuali, an verò de habituali: nam continuò subjungit: " Hæc verò (Charitas) unde sit, audi docentem Apostolum: *Charitas,* inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris, &c.* Unde meritò creduntur, qui extra Ecclesiam Baptismum Ecclesiæ perceperunt, non habere Spiritum sanctum, nisi cùm ipsi Ecclesiæ in vinculo pacis per connexionem charitatis adhærescunt. Ubi non obscurè significat, se sermonem instituere de charitate habituali, & gratia sanctificante, quam propter defectionem ab Ecclesia habere non possunt adulti, qui Baptismum Ecclesiæ extra Ecclesiam percipiunt. *Adde* quòd etiamsi sanctus Augustinus loquatur de charitate actuali, nihil tamen ex eo evincitur contra nostram assertionem: ultrò namque fatemur sacrificium contriti cordis, nisi vel sit formalis actus

charitatis, vel ſaltem virtualiter eum continens, & in idem objectum charitatis tendens nihil prodeſſe.

Vrgebis: Si actus Contritionis non ſit diſtinctus ab actu formali amoris Dei, conſequens eſt, vel quòd ſit idem formalis actus amoris, vel quòd ipſum virtualiter contineat. Sed neutrum dici poteſt: quia actus deteſtationis eſt receſſus à peccato tanquam malorum omnium maximo: actus autem amoris eſt acceſſus ad Deum tanquam bonorum omnium optimum: at acceſſus & receſſus illi ſunt duo actus diſtincti; igitur, &c. Secundum etiam dici non poteſt: nam actus charitatis eſt omnium perfectiſſimus: igitur non poteſt includi virtualiter in actu Contritionis, qui minorem habet perfectionem: nam continens virtualiter nobilius eſt contentô.

XIX. Qua ſenſu S. Auguſt. videatur diſtinguere actum charitatis ab actu Contritionis.

Nego minorem: Et ad primam ejus probationem dico, eundem actum amoris, eſſe ſimul ſaltem virtualiter, & æquivalenter acceſſum ad Deum, ut ſummum bonum, ac receſſum à peccato, ſicut & idem actus Contritionis, qui formaliter eſt receſſus à peccato, & deteſtatio illius, & ſaltē virtualiter, ac æquivalenter eſt acceſſus ad bonitatem divinam; quia videlicet ratione ejuſdem motivi, unus horum motuum neceſſariò ex alio ſequitur, ſi uterque circa idem objectum formale & terminativum occupetur: nam eô ipsô, quô quis deteſtatur peccatum propter Deum ſummè diligibilem, etiam Deum diligit, ſicut è converſo aliquis deteſtatur peccatum ſaltem virtualiter, dum in Deum, ut ſummè diligibilem propter ſe, tendit actu & affectu amoris. Unde idem actus eſt ſimul proſecutio & fuga, acceſſus & receſſus; quia fieri non poteſt, ut quis accedat ad Deum per actum dilectionis & charitatis, quin recedat & fugiat à peccato, quod ipſi maximè adverſatur.

Ad ſecundam probationem dico, Contritionem non eſſe actum imperfectiorem ipsô actu charitatis; quippe cùm ex dictis, ipſe ſit actus amoris, quamvis non ita explicitus, ac ſi tenderet in Deum per modum proſecutionis: Hinc actus Contritionis & charitatis ſolùm videntur differre, quantùm ad modum tendendi in Deum; quia actus charitatis tendit in Deum per modum proſecutionis, & quatenus objicitur ut ſummum bonum, & ſummè diligibile; actus verò Contritionis tendit in Deum, quatenus propter ipſum fugit, ac deteſtatur peccatum, prout ipſi opponitur; ſicque actus charitatis immediatè terminatur ad Deum, ut ſummum bonum, mediatè verò ad peccatum, quod deteſtatur, quatenus ipſi ſummo bono oppoſitum: actus verò Contritionis immediatè terminatur ad peccatum deteſtandum, & mediatè ad ſummam Dei bonitatem, propter quam peccatum averſatur. Unde fit, quòd actus Contritionis ab actu charitatis ſolùm diſcrepet penes diverſam tendentiam in idem objectum, & ſecundùm diſtinctam ejuſdem objecti connotationem mediatam vel immediatam. Cùm enim illa duo objecta ſint ita connexa, ſcilicet Deus ut ſummū bonum & ſummè amabile, & peccatum ut ſummè odibile; quòd unum ſit aliquô modô propter aliud, inde fit, quòd unô & ſimplici actu utrumque objectum poſſit attingi. Quapropter Contritio dici poteſt amor Dei per modum fugæ; quia non eſt ſola proſecutio divinæ bonitatis, ſed ſimul fugæ peccati, quatenus offenſivi Dei. Et conſequenter conſtat *ſecunda pars* noſtræ aſſertionis, nempe quòd Contritio charitate perfecta poſſit eſſe actus formalis charitatis.

A *Apparet etiam tertia pars*, videlicet quòd Contritio neceſſariò debeat eſſe actus aut elicitus mediante habitu charitatis dum elicitur ab homine juſtificato; aut ſaltem à charitate imperatus, quando videlicet illa peccati deteſtatio habet actum charitatis ſpecialiter ſibi adjunctum; ita quòd ad ejuſmodi deteſtationem non ſufficiat, quòd fiat ex motivo obedientiæ, aut Religionis, aut Pœnitentiæ; ſed neceſſariò fieri debeat ex motivo charitatis: *Tum*, quia, ut diximus ex Concilio Tridentino, ut Contritio ſit juſtificativa extra Sacramentum, debet eſſe charitate perfecta, hoc eſt, fieri propter motivum charitatis, vel ab ipſa charitate elici. *Tum*, quia non fit præcisè peccati remiſſio ſine dilectione B Dei, ut diximus ex Scriptura ſacra; ac ſubinde illa Contritio debet eſſe elicita à charitate, vel ab ea imperata.

XX. Quare Actus Contritionis dum diſtinguitur à charitate debeat ab ea imperari.

Hæc omnia confirmat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 6.* ubi docet Pœnitentiam ab amore Dei exordium ſumere; ait enim de Pœnitentibus: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti..... à divina juſtitia timore, quò utiliter concutiantur ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo; in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac proptereà moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, &c.* Qui- C bos verbis docet Concilium veram Contritionem debere neceſſariò oriri ex amore Dei: nam per eam homo diſponitur ultimò ad gratiam ſanctificantem per quam conſtituitur in civitate Dei: nullus autem pertinet ad civitatem Dei, niſi per amorem Dei uſque ad contemptum ſui, ut docet ſanctus Auguſtinus lib. 14. de civitate cap. ult. Igitur Contritio neceſſariò debet amorem vel præſupponere, vel habere annexum, ſi non formaliter ſaltem imperativè, hoc eſt, ſi non præſupponat, vel non habeat annexum formalem actum amoris, ſaltem à charitate & amore Dei debet imperari. Contritio enim eſt deteſtatio peccatorum propter Deum, ac ſubinde neceſſariò præſupponere debet aliquem actum voluntatis circa Deum: ſed non eſt intelligibilis alius actus præter amorem: ex eo enim quòd Deum ama- D mus, deteſtamur offenſam ipſi irrogatam: igitur cùm Contritio includat odium peccatorum propter Deum, neceſſariò fieri debet ab amore & elici ex motivo charitatis.

Dices: Si dilectio Dei neceſſaria ſit ad veram Contritionem: igitur ſuperflua eſt Contritio ad remiſſionem peccati. Conſequentia patet: nam, ut jam pluries diximus actus, charitatis ſufficit ad juſtificationem & peccati remiſſionem. Ergo dum præcedit Contritionem, reverà confert ad remiſſionem peccati, & ſic nihil remittendum relinquit Contritioni.

Et quomodo cum ea peccatum remittat.

Nego conſequentiam: Vel enim actus Contri- E tionis eſt idem cum actu amoris Dei, vel eum habet annexum. Si primum: Contritio non eſt inutilis ad juſtificationem; quippe cùm ipſa ſit ad eam ultima diſpoſitio: ſi autem ſolum actum amoris habeat annexum, ita quòd actus deteſtationis peccatorum præcedat; ac poſtmodum ſequatur actus dilectionis; aut vice verſâ, non poteſt fieri plena peccatorum remiſſio extra Sacramentum, donec uterque actus fuerit elicitus; quando enim quis recordatur peccatorum, non ſufficit ſola dilectio Dei abſque Pœnitentia actuali, neque fieri poteſt, ut quis Deum diligat, &

recordetur se Deum offendisse, quin illico detestetur illam offensam, sicque Deum amando dolet, quòd eum offenderit, & dolendo Deum impensiùs diligit.

QUÆSTIO SECUNDA.

Qualiter & quando Contritio habeat vim & efficaciam remittendi peccata.

JAm apertè liquet ex dictis, Pœnitentiam & Cootritionem habere vim remitrendi quæcumque peccata; non quidem formaliter, sed solùm dispositivè, ut docuimus in tertio volumine, agendo de justificatione; quod etiam significat Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. cùm ait, *Contritionis motus.... in homine post Baptismum lapso, demum praparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divina misericordia & voto prastandi reliqua conjunctus sit, qua ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Quibus verbis apertè docet Cootritionem, esse quidem dispositionem ad consequendam peccatorum veniam; noo verò esse ejusmodi peccati remissionem formalem; forma namque, oon potest esse dispositio ad seipsam; quippe cùm inter dispositionem, & formam exerceatur aliqua causalitas quæ necessariò distinctionem supponit. Duo autem hîc supersunt determinanda. *Primum*, otrum Contritio ante realem Sacrameoti susceptiooem & statim ac ipsa formatur, conferat ad peccati remissionem obtinendam. *Secundum*, qualis, & quàm intensa esse debeat, ad ejusmodi effectum producendum.

Scopus quæstionis.

I. Quando Contritio sola sufficiat ad remissionem peccati.

Notandum primò, omoes Theologos invicem convenire qoòd Contritio urgente necessitate, & imminente mortis periculo sufficiat ad obtinendam peccati remissiooem citra Sacramentum, cum voto illud suscipiendi, si Sacerdos haberi posset; quemadmodum epistolâ 78. de Contritiooe Cathecumeni docet sanctus Bernardus, ubi non adest occasio & facilitas suscipiendi baptismi. Idque apertè tradit Concilium Tridentinom locô suprà laudatô, ubi ait: *Docet praterea sancta Synodus etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu recipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto: quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Verùm non desunt qoi existiment cum Estio. in 4. *dist.* 17. §. 2. neque ordinariè, neque frequenter ac multò minùs semper, sed raró fieri, ut ante actualem Sacerdotis absolutionem peccator sit absolutus coram Deo: quæ utique sententia utrum vera sit oec ne, determinabitur in prima Conclusiooe.

II. Quot modis aliquid possit magis diligi & odio haberi quàm aliud.

Notandum secundò, objectum aliquod posse tribus modis magis diligi, aut odiô haberi, quàm aliud: *Primò* quidem objectivè, quando ei volumus & optamus majora bona, quàm velimus alteri: *Secundò* intensivè, quod diligitur cum majori conatu, & ampliori fervore, quàm ullum alterum: itaut actus amoris erga istud, plures habeat gradus intensionis, quàm qoicunque alius actus amoris erga aliud objectum: *Tertiò* denique appretiativè, quod pluris æstimatur, quàm aliud; ita quód propter objectom dilectum consequendum, vel conservandum, quodcunque aliud omittatur, sive interim illud objectum dilectum intensiùs, & majori cum conatu ametur, sive non. Sic Deum dicimur appretiativè diligere, dum eum cuicumque rei diligibili præferimus. Simili modô dicimur aliquid appretiativè odisse seu per comparationem ad aliud, dum optamus potius pati quodlibet aliud malum quàm istud; sic dicitur quis peccatum odisse dum optaret magis malum quodlibet perpeti, quàm peccatum admittere & Deum lethaliter offendere. Porró amor ille sicut & dolor intensivus & appretiativus in eo differunt maximè, quód ille se teneat ex parte subjecti & facultatis quæ cum majori vel mioori conatu operatur: appetiativus autem ex parte objecti, quod pluris fit in suo genere amabilitatis aut odibilitatis.

III. Intensio amoris est multiplex.

Notandum tertiò ex Seraphico Doctore *in* 4. *dist.* 16. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. Iotensiooem amoris aliam esse sensitivam, aliam intellectualem: Prior comitatur actum appetitûs sensitivi: posterior autem actum voluotatis, quatenus voluotas est: Prior assimilatur amori, quô mater filium diligit cum cordis teneritudine: posterior veró amori patris, qui eundem filium diligit, cum animi constantia, ac firmitate; quippe cùm se periculis exponat pro eo vel ditando, vel conservando.

Insuper in voluntate alia est amoris intensio secuodùm portionem inferiorem, & provenit ab anima, quatenus est conjuncta corpori; alia veró secundùm portionem superiorem, quæ regulatur secundùm fidei & gratiæ dictamen, quæque consistit in majori æstimatione unius objecti propter se voliti, quàm in æstimatione alterius. Certom est autem, quòd quilibet teneatur Deum diligere magis, quàm patrem aut matrem, amore rationali, seu intellectuali, & secundùm portionem superiorem, saltem appretiativè, quàm quodlibet aliud objectum creatum. Certum pariter est, quòd noo teneamur Deum plus diligere, & magis intensivè secundùm teneritudinem, & juxta portiooem inferiorem voluntatis; siquidem sanctissimi etiam quique viri experiuntur, se habere majorem cordis teneritudinem erga filios, quàm erga Deum; magisque affici dolore sensitivô de morte filiorum, quàm de amissione Dei per peccatum, tametsi mallent omoia alia non esse, & omnes filios amittere, quàm Deum offendere mortaliter. Quæritur autem, utrum aliâ ratione teneamur Deum magis diligere, ac proinde per Contritionem magis pœnitere.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Contritio perfecta habet vim statim justificaodi etiam extra Sacramentum.

C*Ontritio perfecta sufficit ad remissionem peccati citra Sacramentum, etiam præter casum necessitatis, sine reali susceptione Sacramenti, dummodo adsit votum illud suscipiendi.* Hæc est communior apud Theologos, & probatur primò authoritate Scripturæ; siquidem non minoris est efficacitatis Contritio in lege Evangelica, quàm in Mosaïca: sed in hac sufficiebat ad obtinendam peccati remissionem, statim ac erat conceptæ: igitur & nunc ad id sufficiet. Major constat; siquidem gratia novæ legis longè abuodantior est, quàm veteris, & faciliori modô jam obtinemus peccatorum remissionem, quàm obtinuerint Synagogæ filii. Minor verò probatur: Primò quidem exemplô Davidis, qui 2. *Reg. cap.* 12. vix per Pœnitentiam ad Deum conversus, protulit hæc duo verba: *Peccavi Domino*, cùm statim audivit à Narbam Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ubi signanter dixit: *Dominus transtulit*, ut sigoificaret, quòd statim ac formatus

fuit à Davide Contritionis actus, illico Deus ipsi indulgentiam concessit.

V. Ut colligitur ex S. Scriptura.

Quod ipsemet regius Propheta testatur, cùm ait, Psal. 31. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Adquæ verba addit S. Augustinus: *Non jam pronuntiat*, inquit, *sed promitit se pronuntiaturum, & ille jam dimittit: Attendite fratres, magna res,* DIXI PRONUNTIABO, ET TU DIMISISTI; *quia eô ipsô quòd dixit,* PRONUNTIABO, *ostendit, quia nondum pronuntiaverat: hoc ipsum dicere pronuntiabo, pronuntiare est: ideo & tu remisisti impietatem cordis mei: Confessio verò mea ad os nondum venerat, dixeram enim, pronuntiabo adversum me; veruntamen Deus audivit vocem cordis mei; vox mea in aure nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat.* Addit Propheta: *Pro hac*, idest propter hoc, *orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno*, ut nimirum etiam statim per Contritionem resurgat, & similiter peccatorum veniam obtineat. Subscribit Cassiodorus ad eadem Psalmi verba, dicens: *Magna pietas Dei, quod ad solam promissionem peccatum dimittitur; votum enim pro operatione judicatur.*

Colligitur eadem veritas ex illis verbis Ezechielis 33. *Iustitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit, & impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ubi dies pro hora, vel momento accipitur, juxta phrasim Hebraïcam: Sicut cùm Adæ dixit Gen. 2. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Ex quibus sic licet argumentari: Eôdem modô loquitur Propheta de recuperatione justitiæ per conversionem peccatoris, quomodo de illius amissione & jactura per aversionem justi: sed justus statim adveniente peccatô perdit justitiam: igitur peccator ad Deum conversus per veram Contritionem charitate formatam, statim liberatur à peccato; alioquin in die, quâ conversus fuerit, nocebit ipsi sua impietas.

Confirmatur ex verbis Isaiæ 30. nam ubi vulgata Editio legit: *Ad vocem clamoris tui, statim ut audierit Dominus respondebit tibi*: 70. Interpretes vertunt: *Cùm reversus ingemueris, tunc salvus eris*; ubi signanter dixit, *tunc*, ut significaret, nullam interponi moram inter reversionem peccatoris per gemitum Contritionis, & salutem ejusdem per justificationis gratiam. Quod utique præclarè sic expendit S. Leo epist. 89. aliàs 71, ubi loquens de satisfactione & reconciliatione non deneganda, finaliter pœnitentibus, ait: *His autem qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium Pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempus definire; apud quem nullas patitur venia moras conversio, dicente Dei Spiritu per Prophetam; Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Licèt autem ibi duntaxat loquatur de finaliter pœnitentibus; nihilominus cùm usurpet verba Prophetæ, significat, quòd sive in necessitate, sive extra illam, cùm aliquis conversus ingemuerit, *tunc*, idest, hoc ipsô instanti, & sine aliqua mora, salvus erit; ac subinde non esse ullum periculum, quòd ipsi in extremis posito concedatur reconciliatio in foro Ecclesiæ, cùm jam apud Deum verè fuerit reconciliatus. Eôdem modô hæc Prophetæ verba interpretatur Cœlestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ cap. 2. ubi *ait*: Vera conversio mente potiùs, quàm corpore metienda est, dicente Prophetâ: Si conversus fueris, salvus eris.

E SS Patribus.

VII. Ac summis Pontificibus.

Probatur secundò, ex Bullis summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. in quibus damnantur hæ Baii propositiones; hæc quidem num. 31. *Charitas perfecta, & sincera, quæ ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum*: Et ista num. 37. *Per Contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramentorum*: Qui enim damnant hanc doctrinam, consequenter asserunt, Contritionem conjunctam cum charitate perfecta, & voto Sacramenti, remittere crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti Pœnitentiæ; ac subinde censent, talem Contritionem ejusmodi vim habere, quotiescunque illa præsens aderit.

Et Cathechismo Romano.

Confirmatur ex Catechismo Pii V. ubi agens de Contritione num. 39 *ait*: Neque hac in re desperent fideles de summa Dei bonitate & clementia; is enim cùm nostræ salutis cupidissimus sit, nullam moram, ad tribuendam nobis veniam interponit, sed paternâ charitate complectitur simul atque ille se collegerit. *Et infrà num.* 42. Ipsa certè Contritio, inquit Propheta, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Quin etiam statim, ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis à Deo tribui, aliô locô ejusdem Prophetæ verba illa declarant: Dixi, *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Atque ejus rei figuram in decem leprosis animadvertimus, qui à Salvatore nostro ad Sacerdotes missi; antequam ad illos pervenirent, à lepra liberati sunt. Ex quo licet cognoscere, veræ Contritionis, de qua suprà dictum est, eam vim esse, ut illius beneficiô omnium delictorum veniam statim à Domino impetremus.

VIII. Etiam ratione suadetur.

Adstipulatur etiam ratio Theologica; siquidem Contritio est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem; ac subinde ubi semel perfectè posita est, etiam simul præsens adesse debet gratia sanctificans; positâ enim ultimâ dispositione, ponitur forma: sed gratia sanctificans de via ordinaria non stat cum peccato: igitur Contritio necessariò & infallibiliter infert remissionem omnium peccatorum.

Deinde, Contritio vel est formaliter actus charitatis, aut virtualiter, vel saltem charitatis actum annexum habet: sed, ut diximus suprà, charitas necessariò secum infert peccati remissionem; siquidem amor Dei hominem verè Dei amicum constituit: nam Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Eccli. 34. v. 15. *Oculi Dei in diligentes se.* Joan. 1. c. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Et v. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Joan. 14. v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo.* Et v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus* (per gratiam sanctificantem) *& apud eum mansionem faciemus.* Deus autem mansionem facere non potest in anima peccatrice, nec vicissim anima peccatrix in Deo manere potest; ac subinde cùm Deus odio habeat peccatores, & diligat diligentes se, necesse est, quòd qui diligit Deum, solvatur à peccato, ut à Deo diligatur.

Objicis primò Estius: Non aliter ratiocinandum

est [illegible] remissione peccati per Contritionem in aliis [illegible], quam [illegible] Magdalena pœnitente: [illegible] peccata non fuerunt remissa virtute Co[illegible] & di[illegible]ctionis statim, ac [illegible] actu [illegible] ma[illegible], [illegible] eidem Lucæ 7. Christus de ea dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; [illegible] quibus significat [illegible] præsenti ei peccata dimittere, ratione antecedentis actûs Contritionis & charitatis.

IX. [illegible] *firmat* Estius exemplo Martyrum Gene[illegible], qui baptizati leguntur in sanguine suo [illegible] quibus potius tribuendus videretur [illegible] quam Baptismus sanguinis, si ille, [illegible] statim justificandi; sic & S. Paulus [illegible] conversus, ac proinde [illegible] Contritionem, nihilominus [illegible] ab Anania Actor 2. Surge & ablue peccata tua; [illegible] Contritio non habuit vim statim [illegible] peccata remittendi.

Ne e minore [illegible] conversio Magdalenæ extra[illegible]dinariò [illegible] præstantissima habuit verè [illegible] dilectionis signa, non [illegible] Christus de ea diceret: *Remittuntur ei peccata multa*, &c. reverà eam [illegible] virtute Contritionis [illegible] significabant remissionem [illegible] dilectionis & [illegible] remissionis [illegible] affirmativè, non secus [illegible] Absolutionis, quando [illegible] dimissi, quæ [illegible] significant peccatum esse reverà dimissum [illegible] & insuper illud solvunt [illegible] pœnæ & indignitatis. Hinc etiam postea [illegible] temporis spatio, [illegible] Christus eidem Magdalenæ dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ [illegible] Absolutionis [illegible] ficut cùm Marci 7. Mulieri [illegible] sanguinis [illegible]: *Filia fides tua te salvam fecit, vade in pace, & esto sana a plaga tua.*

[illegible] obstat, quòd S. Augustinus homil. 32. inter [illegible] dixerit: *Ac* [illegible] *ad Dominum immunda, ut redirent munda* [illegible] Hoc, [illegible] sequitur [illegible] comp[illegible] voluntatem [illegible], vel [illegible] tempore, quò fortè ad [illegible] accedens, non [illegible] habebat [illegible] perfectam.

A[illegible] SS. Martyrum [illegible] & *Emerentiana* dico, [illegible] peccati remissionem [illegible] adscribi Baptismo sanguinis, quam [illegible] quia, ut optimè inquit Bosco d[illegible] p. 6. num. [illegible] Baptismus sanguinis certior est, cùm sit actus alicuis externus: Tum, quia efficacior est, utpote delens omnem culpam, & omnem pœnam debitam: Tum denique, quia ordinariè includit, aut certè [illegible] Baptismum flaminis, quandoquidem mors propter [illegible] Christi sit actus excellentissimus charitatis, saltem materialis, juxta illud [illegible] Christi in Joan. cap. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

[illegible] ad exemplum S. Pauli [illegible] po[illegible] sic fuisse locutum, vel quod dubius [illegible] S. Paulus per[illegible] Contritionem, [illegible] sufficeret ad obti[illegible] Velquòd judicabat [illegible] temporales [illegible] peccatis [illegible]

bitas, quæ licet non inficiant animam, tamen dicuntur peccata eò fere sensu, [illegible] dicitur peccatum, quia oritur a [illegible] D[illegible] cuntur [illegible] ejusmodi pœnæ abl[illegible] te, quo[illegible] per Sacramentum Ablutionis [illegible] & [illegible]

Objicies secundò: Non majoris est efficacitatis Contritio [illegible] pœnitente cum voto suscipiendi Sacramenti Pœnitentiæ, quàm in Catechumeno cum voto suscipiendi Baptismatis: sed is hoc non sufficit ad remissionem peccati, donec baptizetur: nam, inquit S. Augustinus tract. 13. in Joan. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, nec illi dimittitur donec venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit populus Israel populo Ægyptiorum, nisi cùm venisset ad mare rubrum; sic nec pressuris peccatorum nemo caret, nisi cùm ad fontem Baptismi pervenerit.* Igitur nec alicui pœnitenti quantumvis contrito dimittitur peccatum, donec Sacramentum Absolutionis receperit.

X. Quo sensu S. Aug. dixerit Catechumenum quamvis pœnitentem non posse justificari, donec fuerit baptizatus.

Nego minorem: Et ad S. Augustinum dico, vel ipsum loqui de eo quod fit communiter, quia videlicet pauci sunt Catechumeni, qui reverà perfectam habeant Contritionem ante Baptismum; unde fit, quòd ordinariè maneant in peccato, donec baptizentur. *Vel* significare voluit non posse [illegible] remissionem quoad [illegible] nam & [illegible] Baptismum; quamvis [illegible] culpæ virtute [illegible] tamen superest reatus pœnæ adhuc [illegible] denique dico sanctum Augustinum ibi loqui de Catechumenis qui negligunt ad baptismum accedere, ac subinde non habent efficax desiderium & votum suscipiendi Baptismi, nec consequenter perfectam Contritionem: Unde præclarè sanctus Bernardus epist. 77. ait: *Sicut nullâ ei pœnitentiâ remittitur peccatum, si cùm possit non restituitur ablatum: sic & huic nulla prodest fides, si cum possit non percipit sacramentum Baptismi; quamquam & fidem convincitur non habere perfectam, sic negligit; vera enim & plena fides universa præcepta complectitur: Est autem hoc verum ipsiusque præcipuum præceptum; meritò ergo non fidelis, sed planè rebellis, atque contemptor reputabitur, quisquis obedire renuerit: quomodo denique fidelis qui Dei contemnit Sacramentum?* Quòd autem ea mens fuerit sancti Augustini, apparet ex ipso textu, ait enim: *Ne quis arrogans eo quod habeat abundantiam alicujus gratiæ dedignaretur baptisari Baptismo Domini.* Postque statim subjicit: *Quantumcumque Catechumenus efficiat*, &c.

Objicies tertiò: Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. loquens de præparatione ad Eucharistiam, ait: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Et Canone 11. *Statuit atque declarat sancta ipsa Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris necessariò præmittendam esse Confessionem sacramentalem.* Sed ad debitam dispositionem præerequisitam ad Eucharistiæ Sacramentum dignè suscipiendum sufficit mandat[illegible] peccati[illegible] tur enim præter Confessionem Concilium adhuc requirat absolutionem, [illegible] est quòd non censeat [illegible] habere vim remittendi

peccata citra casum necessitatis absque reali susceptione absolutionis sacramentalis.

Distinguo minorem: Sufficit mundatio à peccatis vera, concedo: existimata tantùm, nego: Concilium autem non negat sufficere veram & perfectam Contritionem ad debitam receptionem Eucharistiæ, sed duntaxat quòd non sufficiat existimata ut talis: Unde etiam non dixit; *Quantumvis contritus sit, sed quantumvis contritus sibi videatur: & quantumcumque se contritos existiment*: ut nempe removeat & coerceat quorundam nimis sibi temerè confidentium vanitatem, & præsumptionem, qui existimantes se habere perfectam Contritionem, quam tamen reverà non haberent, negligerent ac spernerent beneficium absolutionis, quam facili negotio datâ oportunitate Confessariorum, possent obtinere.

XI. Quâ ratione Concilium Tridentinum præter contritionem requirat absolutionem præviam ad sacram Communionem.

Adde quod, cùm vera Contritio debeat esse actus supernaturalis, vix quis cognoscere potest utrùm illam habeat nec-ne: Cùm enim intellectus noster pro hoc statu pendeat in suis operationibus à phantasmatibus, nec judicare possit quando aliquis actus est supernaturalis: idcirco meritò suadet Concilium ac præcavet, ut ne quis priùs accedat ad Eucharistiam, quàm adhibuerit media & remedia, quibus certior & securior esse potest se non esse prorsus indignum participatione tanti sacramenti: Nam, inquit ibidem Concilium cap. 7. quò magis sanctitas & divinitas » cœlestis hujus Sacramenti vero Christiano com» perta est, eò diligentius cavere ille debet ne » absque magna reverentia & sanctitate ad perci» piendum accedat.

Objicies quartò: Catechismum Concilii Tridentini dicentis num. 46. *Quoniam pauci admodum ad hunc* (Contritionis) *gradum pervenirent, fiebat ut à paucissimis hâc viâ peccatorum venia speranda esset; quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret; quod quidem admirabili consilio effecit, cùm claves regni cœlestis tradidit.* Igitur paucissimi sunt qui per Contritionem ante Sacramentum veniam consequantur.

Respondeo: Nihil inde adversus nostram assertionem elici; quippe licèt consideremus paucissimos esse, qui perfectam contritionem eliciant, tamen semper foret verissimum, quòd qui perfectè Contritionis haberet actum sive in necessitate, sive extra necessitatem, reverà peccati remissionem obtineret, ex quibus apparet quàm inanibus & levibus fundamentis nitatur particularis Estii sententia.

Conclusio Secunda.

XII. Contritio non debet esse summus dolor intrinsecè.

CONTRITIO *ut sit perfecta debet detestari peccatum super omnia mala, si non intensivè, saltem appretiativè. ac subinde, ut justificet extra Sacramentum, non requiritur aliqua intensio gradualis.*

Hæc videtur esse sententia Seraphici Doctoris in » 4. dist. 16. p. 1. art. 2. q. 1. ubi ait: Dicendum » quòd cùm quæritur de quantitate doloris, dolor » potest dici displicentia rationis, vel passio ex » hac resultans in sensualitate. Si hôc secundô mo» dô accipiatur, dico, quòd non est necesse magis » dolere de peccato, quàm de re temporali: nec » etiam necesse est dolere, quia non est in potesta» te cujuslibet; talis enim dolor non consequitur » amorem, sed consequitur ipsam affectionem, & » affectio experimentalem cognitionem; & quia » non omnes habent experientiam divinæ dilectionis, ideo non omnes ita sensibiliter dolent de peccatis: tamen quòd magis etiam sensibiliter doleat aliquis de peccato, quam de aliquo damno, hoc est perfectionis & congruum, non necessarium. Sed in quantùm dolor dicitur displicentia rationis, sic dico, quòd displicentia mensuratur secundùm quantitatem charitatis. Quantitas autem charitatis dupliciter potest accipi, vel in se, vel in comparatione ad alios amores. In se, sic dico quòd est parva, & major, & maxima. In comparatione ad alios, sic dico, quòd vindicat sibi dominium in corde, quandiu est, nec unquam ibi est, nisi sit domina: unde dico, quòd ad hoc, quòd aliquis habeat charitatem, necesse est quòd diligat Deum super omnia. Dubitas, quid sit diligere Deum super omnia? Hoc autem est (*prosequitur S. Bonaventura*) diligere Deum super omnia, quòd pro nullo damno, vel commodo velit offendere Deum: sic intelligendum de displicentia Contritionis: unde dico, quòd peccatum debet tantùm displicere rationi, quòd nullô pactô, nullô commodô, vel incommodô velit in ipsum consentire, vel consensisse: quorum voluntas, quæ ex aliqua causa consentit in peccatum, justa non est.

Ut optimè declarat & probat Doctor Seraphicus.

Et infrà sic ait: Si ergo quæritur, utrum dolorem Contritionis necesse sit esse maximum: Si dicatur de dolore sensualitatis, manifestum est quòd non. Si de displicentia rationis, aut quantùm ad intensionem motùs absolutè; & sic nec hôc modô oportet esse maximum. Si in comparatione ad alios dolores, dico sicut de amore, quòd oportet quòd habeat prædominium. Illud autem prædominium non consistere in gradibus intensionis perspicuè manifestum est ex præcedentibus. Igitur ex mente hujus sancti Viri, & eximii Doctoris Ecclesiæ, Contritio justificativa non requirit determinatum gradum intensionis (ut optimè colligit noster Bosco disp. 6. sect. 2. con. 8.) sed quantumcumque parva, sufficere potest ad peccati remissionem, dummodò eliciatur propter Deum summè offensum, & sit charitate formata.

Quam utique veritatem apertè docet S. Chrysostomus epist. 17. ad Theodorum lapsum, & refertur dist. 3. de Pœnit. cap. *Talis*, ubi ait: *Talis crede mihi, talis est erga homines pietas Dei, nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincerè & simpliciter offeratur. Etiamsi ad summum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit & libenter amplectitur: facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum: & quod est adhuc præstantius, & eminentius, etiam si non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcunque tamen, & quamlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam: suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exigua conversionis perdere mercedem.*

Probat autem conclusionem Seraphicus Doctor locô suprà laudatô: *Primò*, quia major ille dolor est, qui nullum habet gaudium annexum: sed dolor Contritionis habet aliquod gaudium annexum; siquidem pœnitens de peccatis dolere debet, & de dolore gaudere, ut dicit sanctus Augustinus. Et reverà contritus gaudet de sua liberatione à peccato, & aliis ejusmodi: dolor verò de amissione vel parentum, vel filiorum non habet gaudium annexum: igitur ille non debet esse intensissimus secundùm intensionem gradualem. *Secundò*, magis dolendum est de eo, quod deperditum non potest reparari, quàm de eo, quod

recuperari

[illegible] erat [illegible] fe [illegible] es [illegible] [illegible] ne [illegible] ftitu [illegible] [illegible] em [illegible] depend [illegible] [illegible] est [illegible] cu [illegible] & de [illegible] [illegible] tum [illegible] : igitur [illegible] [illegible] que [illegible] grat [illegible] fi [illegible] qui [illegible] parvus fi [illegible] C [illegible] gra [illegible] habeat [illegible] [illegible] nem [illegible]. Quod [illegible] [illegible] ut g [illegible] [illegible] quæ [illegible] pos [illegible] ad [illegible] ftem [illegible] v [illegible] d [illegible] um [illegible] tur [illegible] ad [illegible] [illegible] io est int [illegible] fum. [illegible] om [illegible] [illegible] ret suffi [illegible] ad [illegible] qu [illegible] mo [illegible] & [illegible] fit [illegible]

D [illegible] quæ [illegible] aut [illegible] [illegible] Fu [illegible] D [illegible] & [illegible]

[illegible] filii morte [illegible] oft [illegible] *R* [illegible] fuit in S. Paula [illegible] [illegible] ma [illegible] mulier, & pœni [illegible] tri- tio [illegible] s in [illegible] [illegible] ter [illegible] mus [illegible] pe- [illegible] tur e [illegible] tentiorem [illegible] morte [illegible] [illegible] ea [illegible] t ej [illegible] [illegible] conf [illegible]

R [illegible] quod [illegible] con [illegible] tum, n [illegible] [illegible] qu [illegible] n [illegible] sed [illegible] ft [illegible] or [illegible] Fr [illegible] Ma [illegible], N [illegible] [illegible] ra [illegible] aut n [illegible] s e [illegible] D [illegible] ibh [illegible] p [illegible] [illegible] et [illegible]

[illegible] triti [illegible]

R [illegible] mo [illegible] confessione [illegible] bebit [illegible] non ex [illegible] lectione, quod est a [illegible] um.

Hui [illegible] autem veritati non refr [illegible] tur D [illegible], ut [illegible] Hiquæu in Commenta [illegible] a *dist.* [illegible] *quæst.* [illegible] *num.* [illegible] . Si [illegible] asseret [illegible] in [illegible] actu [illegible] m [illegible] & actu [illegible] etur [illegible] e b actu [illegible] *De te* [illegible] *libri* [illegible] *tus ch* [illegible] *fla* [illegible] *dat a quam* [illegible] *quam e* [illegible] *p* [illegible] & [illegible] *are n* [illegible] *potest* [illegible] . N [illegible] e dem *d* [illegible] *num.* [illegible] co quod il [illegible] *Su* [illegible]

A potest [illegible] elligi extensivè, pu [illegible] D [illegible] qu [illegible] ia alia, ut citius [illegible] esse, [illegible] Deum non esse: & [illegible] maj [illegible] vult Deo bene esse, [illegible] alteri. [illegible] imo membro conced [illegible] comm [illegible] ter [illegible] aliud a Deo, nec omnia fi [illegible] sunt æquè [illegible] endi, sicut Deus. De sec [illegible] ponitur una [illegible] quod amor excedit amo- rem, vel qui [illegible] tior, sive tenerior, vel quia fortior, s [illegible], [illegible] dicuntur isti amores se- [illegible] mater dicitur tenerius & ar- d [illegible] m, pat [illegible] fortius & fir- mi [illegible] majori peri [illegible] exponeret pro amore [illegible] H [illegible] modo dici [illegible] dilectio Dei [illegible] super omnia [illegible] ad fir- tatem, [illegible] et aliquid [illegible] possit ab hoc

B evellere sed non o [illegible] rtet, [illegible] sit super [illegible] quantum ad [illegible] em & teneritudinem, & dul- cedinem, [illegible] oando invenit se quis fer- tius d [illegible] tum, qu [illegible] m alius Deum.

[illegible] eru [illegible] h [illegible] distinctio ei non placeat contra [illegible] hæc modi : Quia [illegible] hoc magis [illegible], [illegible] firmius diligitur. hæc enim magis [illegible] volo malum accidere, & pro [illegible] vando magis me expon [illegible] ex am [illegible] e, [illegible] sequitur amorem, & ho [illegible] est actus vol [illegible] tis, [illegible] sensi [illegible]. Etsi igitur [illegible] vel te [illegible]

C [illegible] ho [illegible] [illegible] iquo ex [illegible] intell [illegible] in eis, [illegible] cuj [illegible] passio [illegible] amoris sen [illegible], sicuti a [illegible] qui dicun [illegible] d [illegible] ri, sentiunt aliquam majorem dulcedi [illegible] e [illegible], quam alii multò solidiores in amo- re Dei, qui [illegible] upl [illegible] promptius sustinerent martyri [illegible] ed est actus voluntatis eli- [illegible] æd in actus [illegible], qua Deus [illegible] ris [illegible], ne deficiant [illegible] vi [illegible]

Inde e [illegible] D [illegible] itur, quod il- lud [illegible] debet intell [illegible] utroque [illegible] & inten [illegible] S [illegible] neor [illegible] super omnia [illegible] ita e [illegible] effectu [illegible] m aliqu [illegible] Dubita [illegible] affectu ex parte subj [illegible]

D est secund [illegible] intensivos, an verò ma- ri ex [illegible] te [illegible] ject [illegible] est, secundum essen [illegible] Et [illegible] sequitur Scotus [illegible] simplicit [illegible] q [illegible] repugnat [illegible] fo [illegible] ad o [illegible] d [illegible] secun [illegible], [illegible] am [illegible].

Ille [illegible] D [illegible] um super omnia int [illegible] juxta [illegible] qu [illegible] ius posset incli- nari ad oppo [illegible] que alte- ri [illegible] Dei: e [illegible] non requiritur majo- a [illegible] ti [illegible] te ob [illegible], idest secundum es- f [illegible]

Confirmatur [illegible] nostr [illegible] expl [illegible] ex [illegible] præ- fixo *num.* [illegible] citato: Ait, *inquit*, [illegible]

E tus Deu [illegible] diligendu [illegible] super omnia inte [illegible] & ext [illegible] sivè [illegible] eo tribuitur ei, quod velit nos [illegible] ad amorem Dei intensio [illegible] omni alio [illegible] Val [illegible] 2. *dist.* [illegible] *quæst.* [illegible] nemi [illegible] ter S [illegible] hoc tenere. Sed S [illegible] [illegible] & [illegible] tenen [illegible] S [illegible] [illegible] super [illegible] amandum esse exten [illegible] in [illegible] ivè [illegible] hæc [illegible] & [illegible] p [illegible] teris aman [illegible] is [illegible] m [illegible] & [illegible] sed non dicit maj [illegible] andum, sed [illegible]

majori affectu, ad quem sufficit majoritas appretiativa, seu affectus magis exclusiv[illegible]. Huc usque Scholm[illegible].

Ex quibus inferre licet, Doctorem præfatŭ *num.* 19. per intensionem ulteriorem, quam dicit habitum charitatis conferre a[illegible] supernaturali, non int[illegible]lligere intensionem ex [illegible] subjecti sive gradualem, sed in[illegible]onem ex parte objecti, sive essen[illegible]em. *Quant[illegible]*, inquit, *ad substantiam actûs* (id est rationem [illegible]us [illegible], quæ desumitur ex objecto, & [illegible] tendenti naturali lumine noto) dat aliquam intensionem ulteriorem, id est, commensurati[illegible] objecto, per quam constituitu[illegible] tat one specifica supernaturalis.

Quam utique interpre[illegible] confirmat Bosco *num.* 146. & [illegible], ubi ait: Hujus assertionis ratio [illegible] esse non potest, quam quia [illegible] præscribenda obligatio, [illegible] fundamentum appareat, & colligi [illegible] vel ex Scriptura, vel ex Conciliis, vel [illegible] ex neutro illo[illegible] capitum [illegible] necessitas intensionis in actu Co[illegible], ut [illegible] rebit ex solutione objectionum, & fundamentorum sententiæ adversæ.

XIV. Proponuntur ac solventur oracula Scripturæ S. in quibus summus dolor videtur desiderari ad perfectam Contritionem.

Objicies itaque primo cum l[illegible] 97. [illegible] Scripturæ sacræ textus, qu[illegible] videtur, non quemlibet dolor[illegible] ad v[illegible] tam Pœnitentiam, sed sum[illegible] tensum esse necessarium; qu[illegible] ex illo Joëlis 2. *Convertimini a[illegible] in [illegible] corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu. & scindite corda vestra, & non vestimenta [illegible].* Similiter *Deut.* 4. *Si quæsieris Dominum Deum tuum, invenies illum, si tamen [illegible] ex toto corde, & ex tota tribulatione animæ tuæ.* Et *Deut.* [illegible]0. *Si ductus pœnitudine cordis re[illegible] fueris ad Dominum in toto corde tuo, & [illegible] anima tua, miserebitur tui.* 3. *Reg.* 8. *S[illegible] & reversi fuerint ad te in univer[illegible] corde [illegible], & tota anima sua, propitiaberis populo tuo.* 2. Paralip. [illegible] *Dominus bonus propitiabitur cun[illegible] corde requirunt eum.* Hieremiæ [illegible], & *invenietis me, cum quæsieritis [illegible] in toto corde vestro.*

Respondeo his & similibus Scripturæ locis, col[illegible] quidem, quod [illegible], necessario requiratur [illegible] & conversio ad Deum; ita [illegible] necessum sit, quod revera homo omnem [illegible] affectum peccandi exuat, & ex toto corde avertatur à creaturis, quæ [illegible] erant in peccati occasionem, & ad [illegible] convertatur; non autem nec[illegible] est [illegible] ex summo affectu & a[illegible] ex ejusmodi [illegible] Deum ex toto c[illegible] nem cordis a[illegible] omni [illegible] Dei & inv[illegible] detestatio[illegible] peccatum propter [illegible] peccandi de[illegible] & [illegible] de, licèt p[illegible] segrè corde, nul[illegible] affectu peccat[illegible], a[illegible] Deum toto corde, nihil al[illegible] eum plus amoribus [illegible] quando [illegible] re[illegible] totâ [illegible]

[illegible] S. P[illegible] & [illegible],

A [illegible] tur [illegible] animi dolo[illegible] pro gravi[illegible] peccat[illegible]. [illegible] tractatu de lapsis, [illegible] *deliquimus, tam [illegible] diligens, [illegible] longa [illegible] tentia crimine [illegible] & [illegible] in [illegible]* [illegible]

S. Ambro[illegible] ad [illegible] p. 8. ubi ait: *S[illegible] Pœnitent[illegible]* [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

quitur non de remissione culpæ, sed totius pœnæ, quæ gratis quidem dimittitur per Baptismum; sed in Pœnitentia tantùm relaxatur per ingentes gemitus & labores: Unde sess. 6. cap. 14. discrimen pariter assignans inter Pœnitentiam & Baptismum, dicit: In Pœnitentia non solùm requiri cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum: *Verùm etiam eorumdem sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem Absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramentô, vel Sacramenti votô unà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis.* Igitur nec SS. Patres, nec Concilium exigunt ad perfectam Contritionem dolorem intensum, & summum pœnitentis conatum pro obtinenda remissione culpæ, sed duntaxat pro consequenda relaxatione totius pœnæ, quæ remissâ culpâ ordinariè superest luenda.

XVII. [illegible] ô sensu ad veram [illegible] [illegible] debeat omnem suum conatum adhibere.

Objicies tertiò: Deus non confert suam gratiam, nisi facienti quod in se est: sed promittit suam gratiam habenti Contritionem: igitur ut quis sit verè contritus, debet omnem suum conatum & affectum adhibere.

Respondeo, majorem non esse sic intelligendam, quòd ut quis gratiam consequatur, omnem suum conatum ad id debeat impendere; vix enim est inter mortales aliquis qui ita perfectè operetur, & exequatur quæ sibi præcepta sunt, quin adhuc præstantiori modô posset id exequi, si omnem omnino conatum ad id intenderet: sed duntaxat hôc sensu est accipienda, quòd ut quis gratiam sanctificantem per pœnitentiam à Deo obtineat, debeat ex parte sua omnia adhibere, quæ ad hujus beneficii præparationem necessaria sunt.

Vel dico, quòd ipse debeat facere totum, quod in se est, diligendo Deum magis appretiativè, quàm creaturas, quamvis non eam intensiùs diligat.

Urgebis: Amor ille, aut dolor appretiativus enervat sollicitudinem peccatorum, Contritionem attenuat: igitur est improbandus.

Nego antecedens: nam peccatores solliciti esse debent, non solùm de remissione peccatorum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam; unde cùm dolor appretiativus tantùm conferat ad remissionem peccatorum quoad culpam, pœnitens, qui ejusmodi remissionem obtinuit, debet adhuc satagere, ut per dolorem intensum, & opera pœnalia possit pariter consequi relaxationem pœnæ peccatis debitæ.

Objicies quartò. Ex Catechismo Romano n. 36. *Contritio debet non solùm esse maxima, sed vehementissima*: at vehementissima Contritio est intensissima; siquidem vehementia doloris, est ejusmodi intensio: igitur, &c.

XVIII. Quâ ratione exigatur vehemens dolor.

Nego minorem: Ibi quippe per *vehementissimam Contritionem*, nil aliud intelligit Catechismus, quàm efficacem & actualem, non autem inefficacem & ignavam; unde statim subdit: *Omnemque ignaviam & socordiam excludat*: etenim in Deuteronomio scriptum est: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen totô corde quæsieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Et apud Jeremiam cap. 29. *Quæretis me, & invenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro, & inveniar à vobis*, ait Dominus. Quamquam si id minùs

A consequi nobis liceat, ut perfecta sit: vera tamen & efficax Contritio esse potest; sæpe enim usu venit, ut quæ sensibus subjecta sunt, magis quàm spiritualia nos afficiant. Quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu, quàm ex peccati turpitudine doloris sensum capiunt. Idem etiam judicium faciendum est, si lacrymæ doloris acerbitatem non consequantur: quæ tamen in pœnitentia summoperè optandæ & commendandæ sunt. Unde etiam ad marginem habet hanc notam: *Contritio etsi non tanta, vera tamen est.*

XIX. Dolor contritionis debet esse maximus appretiativè.

Ex his sequitur veritas SECUNDÆ PARTIS, nempè quòd *Contritio debeat esse dolorum maximus*
B *appretiativè, vel æstimativè*; siquidem ex laudatis Scripturæ oraculis constat, Deum præcipere peccatori, ut convertatur ad se ex toto corde, sicut & jubet ut ea conversio fiat in fletu & planctu: porrò jubet eam solùm fieri secundùm affectum; quia flere, plangere, jejunare, &c. non est unicuique liberum semper & possibile, vel propter naturalem indolentiam, vel propter ægritudinem. *Insuper* jubemur eô modô totô corde conteri, sicut & Deum diligere: nam, inquit Catechismus Tridentinus num. 37. *Uti Deus summum bonum est inter omnia, quæ diligenda sunt: ita etiam peccatum summum est malum inter omnia, quæ odisse debent homines: unde sequitur, ut quam ob causam*
C *Deum summè diligendum esse confitemur, ob eandem rursus peccati summum odium nos capiat necesse est*: atqui tenemur tantùm habere maximam Dei dilectionem appretiativè, vel æstimativè, Deum omnibus in amore præferentes, malentesque quidvis aliud omittere, quàm Deum, aut amicitiam Dei, licèt ejus amorem intensissimum non habeamus: ergo tenemur tantùm odisse peccatum super omnia mala, licèt odium & dolorem summè intensum non habeamus.

Hinc prosequitur catechismus, *Omnibus verò rebus Dei amorem anteponendum esse: itaut nec vitæ quidem conservandæ causâ peccare liceat, apertè nos docent illa Domini verba*, Matth. 10.
D *Qui amat Patrem, aut matrem plusquam me, & filium aut filiam super me, non est me dignus..... Et qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Et quemadmodum (Sanctô Bernardô teste) nullus charitati finis & modus præscribitur: quia modus diligendi Deum, est ipsum diligere sine modo: ita peccati detestationi nullus modus definiatur.*

Ratio est, quia dolor ille maximus est appretiativè, quô detestamur aliquid, ut maximum omnium malorum, & super omnia detestandum; & amor ille maximus est appretiativè, quô diligimus aliquid, ut maximum omnium bonorum,
E super omnia diligendum: atque dolor in Contritione de peccato à nobis commisso debet esse ejusmodi; nullum enim malum peccatô mortali majus, aut deterius, cujus detestationem debemus pluris æstimare, quàm assecutionem cujusque boni, vel evitationem omnis alterius mali; quia malum est; quod nos avertit ab ultimo fine.

Dices primò: Omnis dolor appretiativè maximus, est etiam maximus intensivè; quia quò pluris æstimamus rem amissam, eò majori conatu de illius amissione dolemus: dolor enim de re amissa, oritur ex æstimatione, & amore bonitatis ejus: atqui Contritio non est dolor intensivè maximus; ergo nec appretiativè.

XX. *Non omnis dolor maximus appretiativè est etiam maximus intensivè.*

Nego majorem: Etsi enim ut plurimùm intensiva magnitudo doloris oriatur ex ejus appretiativa magnitudine; tamen id absolute necessarium non est: quia magnitudo intensiva doloris oritur ex parte subjecti, & ex conatu, quo dolor intenditur ad alicujus mali detestationem: appretiativa oritur ex parte objecti, quod super omnia doloris objecta odio habetur: sæpiùs autem accidit, ut de re aliqua magis intensivè doleamus, de qua minùs appretiativè dolemus, & è contra: nam & ipsi sæpe Sancti magis intra se dolent de amissione liberorum, quàm de reatu peccatorum: ut Jacob, qui nolebat admittere consolationem super amissionem Josephi: sed illi non habent majorem appretiative dolorem de liberorum amissione, quam de suis peccatis: mallent enim amisisse liberos, quàm Deum offendisse mortaliter. Et in ipsis rebus corporeis magis sæpè dolemus de eo, quod minùs æstimamus: acrior enim est dentium dolor, aut ustio digiti, & intensior, quàm lenta febris aut pestifera: sed ex ea febri dolor est appretiativè major. Patet etiam in amore; quia Pater senex sæpè filium natu minorem intensiùs, & teneriùs amat, quàm Primogenitum, at hunc magis appretiativè; quia majora primogenito vult facitque bona.

Dices secundò: Causa innotescit per effectum: sed in Contritione non est tantus doloris effectus, ac aliorum dolorum; nam lacrymæ sunt doloris effectus & testes: at per Contritionem non effunduntur tot lacrymæ, ac in aliis plerisque doloribus, putà ex amissione filiorum aut opum, ex dedecore, vulnere, & similibus: ergo dolor Contritionis non est appretiativè maximus.

XXI. *Quare potius in doloribus quàm in Contritione doleamus.*

Distinguo majorem: Per effectum proximum & immediatum, concedo: remotum & mediatum, quales sunt lacrymæ respectu doloris animæ, nego: corporales enim motationes immediatè sequuntur ex passionibus sensitivæ partis, & & ejus affectionibus. Hinc ex dolore sensibili, seu sensibili objecto nocivo, citiùs effluunt lacrymæ, quàm è dolore spiritali Contritionis. Optandæ sunt equidem in Contritis lacrymæ: nam ex S. Augustino: *Non sunt in te Christiana charitatis viscera, si luges corpus, à quo recessit anima, nec luges animam, à qua recessit Deus.* Et sancti Pœnitentes lacrymis veniam impetrârunt à Deo; sine lacrymis tamen potest esse vera Contritio: quia lacrymæ non sunt in nostra potestate: quare debet esse perfecta; quia perfectio doloris animi sumitur ex electione: sed electionis in dolore perfectio sumitur ex eo, quòd doleamus de re maximè dolenda, detestemurque malum super omnia detestabile, putà peccatum.

QUÆSTIO TERTIA.

Quomodo Contritio detestari debeat peccata?

I. *Contritio omnia omnino peccata debet detestari.*

NOtandum primò, Theologos invicem convenire, quod Contritio detestari debeat omnia prorsos peccata; ita quòd si pœniteos haberet complacentiam in aliquo peccato, ejus dolor & contritio omnino foret inutilis: quoniam, ut ait S. Jacobus, *Qui peccat in uno, factus est omnium reus;* cùm enim Contritio sit ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, quæ obtineri non potest sine conversione perfecta hominis ad Deum, & aversione ab omnibus, quæ à Deo removent; ideirco necessum est, quòd, quemadmodum per quodlibet peccatum mortale homo avertitur à Deo; ita per Contritionem ab omnibus peccatis revocet animum, ac subinde quòd illa detestetur. Idipsum apertè docet Scriptura sacra variis locis, maximè apud Ezechielem cap. 18. v. 21. *Si impius*, inquit, *egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea ...... vitâ vivet, & non morietur.* Et v. 28. *Considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vitâ vivet, & non morietur.* Item v. 30. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Hinc Innocentius II. in Concilio Romano cap. 22. & refertur de Pœnit. *dist. 5. cap. 8. Fratres*, inquit, *nostros Episcopos, & Presbyteros admonemus, ne falsis Pœnitentiis Laicorum animas decipi, & ad infernum pertrahi patiantur: falsam autem Pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de uno solo Pœnitentia agitur, aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio.* Item S. Augustinus (vel quicunque est Author lib.) de vera & falsa Pœnit. cap. 9. & habetur de Pœnit. *dist. 3. cap. 42. Sunt plures, quos pœnitet peccasse, sed non omnino: reservantes sibi quædam, in quibus delectantur, non animadvertentes Dominum, simul surdum & mutum à dæmonio liberasse: per hoc doceas nos nunquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet ex parte peccata reservari, habens septem dæmonia, manente unô proficere potuerat sex expulsis. Expulit autem septem, ut omnia crimina simul ejicienda doceret. Legionem autem ab alio ejiciens, neminem reliquit ex omnibus, qui liberatum possideret, ostendens, quòd etsi peccata sint mille, oporteret de omnibus pœnitere.* Suadet etiam ratio: *Tum*, quia quando quis detestatur unum peccatum ex amore Dei super omnia; id est, quatenus est offensa bonitatis divinæ à se super omnia amatæ, fieri non potest, ut similis offensa propter eandem rationem ipsi non displiceat, in quocunque objecto ipsa reperiatur, sive formaliter & expressè, si offensa explicitè proponatur, sive implicitè & virtualiter, si specialiter non occurrat: *Tum*, quia eô modô Contritio tendit in peccata detestanda, quomodo fides in objecta credenda: sed hæc non potest tendere in unum objectum negando aliud: igitur neque illa peccatum aliquod detestari, si pœnitens in aliis complaceat: quia est idem omnino motivum in omnibus: & sicut non potes servare fidem, si neges unum articulum: ita nec habere perfectam Contritionem, si in aliquo peccato complaceas. Verùm difficultas est, qualiter hæc detestatio fieri debeat, utrum videlicet necessum sit ad perfectam Contritionem quòd quis in speciali doleat de singulis peccatis sigillatim, an verò sufficiat ea generatim detestari.

II. *Contritio urgente necessitate fieri potest in universum.*

Notandum secundò, Doctores pariter invicem consentire, quòd si occasio urgeat, & desit tempus, aut opportunitas recogitandi singula peccata mortalia, ac immineat evidens mortis periculum, sufficit ad perfectam Contritionem, quòd detestetur peccata omnia universim & confusè cogitata: dolor autem de peccatis in confuso, nihil aliud est, quàm dolor ille, quô peccator afficitur, propterea quòd noverit Deum offendisse, sine ullo prævio ac præmisso conscientiæ examine, huncque aut similem efformat actum, Pœnitet me Deum offendisse propter summam illius bonitatem & gloriam, quomodocunque

istud fecerim, & habeo firmum propositum non A peccandi de cætero, ac ejusmodi peccata confitendi, si opportunitas adsit. Quod vero iste dolor sufficiat in ea angustia, apparet; aliàs homo ille non haberet medium sufficiens ad salutem, nec verum esset, quòd Deus toties in divinis Scripturis inculcat, scilicet quòd in quacunque hora ingemuerit peccator, vitâ vivet. Difficultas autem est utrum, cùm tempus & opportunitas adsunt, adestque Sacerdotis præsentia, cui confiteri possit, teneatur homo singula peccata tam quoad species, quàm quoad numerum distinctè in memoriam revocare, atque ita de eis dolere. Circa quod duplex est capitalis Authorum sententia: *Prima* quidem Alensis *part. 4. quæst. 17. memb. 3. art. 2.* quem plurimi Recentiores sequuntur, affirmantes ad perfectam Contritionem necessarium esse, quòd pœnitens de singulis peccatis doleat sigillatim. *Secunda* verò sententia est Doctoris subtilis *dist. 15. quæst. 1. num. 9.* contendentis, ad veram Pœnitentiam non esse necesse, quòd de singulis peccatis sigillatim fiat Contritio & Satisfactio, sed ad id sufficere, quòd ea fiant generatim & confusè de omnibus omnino peccatis.

III. *Notandum tertiò*, quòd habere dolorem seu detestationem de singulis peccatis, contingere possit ac fieri duobus modis: *Primò* quidem, ita quòd cuilibet peccato secundùm numerum, vel speciem correspondeat singularis dolor, ac detestatio, sicque tot sint detestationis actus, quot occurrunt memoriæ peccata commissa: *Secundò modò* potest intelligi, nempe quòd præmissô conscientiæ examine, & peccatis, quantùm pœnitenti libuit, omnibus in memoriam revocatis, unicô actu de eis doleat, eaque detestetur generatim. Quæritur autem, utrum pœnitens sive extra sacramentum Pœnitentiæ, sive in illius susceptione, debeat sigillatim & per distinctos actus singula peccata in memoriam revocata detestari, & utrum magis dolere debeat de gravioribus, & minùs de levioribus peccatis.

Dolere de peccatis sigillatim fieri potest duobus modis.

Conclusio Prima.

IV. AD *Contritionem perfectam non est necesse, quòd peccator de singulis peccatis sigillatim doleat, ac ea detestetur.* Hæc est Doctoris locô supra laudatô, ubi cùm dixisset, non necessariò desiderari ad perfectam satisfactionem, quòd singularis fiat, tam secundùm speciem, quàm » secundùm numerum; *subdit.* Quòd secundùm *spe-* » *ciem*, patet, quia Contritio potest corresponde- » re huic, & illi: & illa est eadem secundùm spe- » ciem, maximè si objecta sunt eadem secundùm » speciem. Quòd secundùm *numerum*, patet, quia » Contritio de pluribus simul in generali, potest » una correspondere pluribus illis: sed tunc opor- » tet ad hoc, quòd Satisfactio totalis, non diminu- » ta, quòd aliquid ejus sufficiat pro uno peccato, » & aliquid pro alio, aliquid, inquam, & aliquid, » non de partibus integralibus in actu; sed de gra- » dibus intensionis, ita scilicet quòd sit in tanto » gradu intensionis, quòd in longè minori suffice- » ret pro uno; & in gradu quem supperaddit ultrà, » sufficeret pro alio. Possunt etiam plures satis- » factiones, vel partiales correspondere uni pec- » cato. Totales quidem, quia non est peccatum, » quod non possit remitti per solam Contritionem, & tunc illa sola est totalis satisfactio. Potest » etiam idem remitti per Contritionem remissam,

Non est necesse quòd contritio fiat de singulis peccatis.

Ut optimè declarat Doct.

A & alias pœnas supplentes imperfectionem Con- " tritionis: Contritio autem intensa ex una parte, " & ipsamet remissa cum aliis pœnis ex alia parte, " differunt etiam specie, licèt sint æquivalentes in " acceptatione divina. Breviter ergo, non corres- " pondet cuicunque peccato propria Satisfactio, " quæ scilicet nulli alii correspondeat, nec aliqua " alia isti correspondet, sed cuilibet correspondet " satisfactio pro tunc propria, licèt alia posset esse " propria. Intelligo pro tunc propria, vel ut in se " distincta, vel ut aliquid virtualiter inclusum in " Satisfactione. *Hæc Doctor*, quibus verbis apertè nostram assertionem explicat.

V. *Probatur autem*: Primò quidem ex Catechismo Tridentino de Pœnitentia *num. 29.* ubi ait: *Ma-* B *ximè hortandi & monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium Contritionis dolorem adhibere studeant: ita enim Ezechias Contritionem describit, cùm ait:* Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Etenim recogitare omnes annos, est sigillatim peccata excutere, ut ea ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque scriptum legimus.* Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vitâ vivet. *Atque in hanc sententiam, Augustinus inquit: Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate, in persona.* Ne tamen aliquis crederet, hæc sic dicta esse, quasi forent necessaria ad remissionem peccatorum, ex templò subjungitur: *Neque tamen hac in re desperent fideles de summa Dei bonitate & clementia: is enim, cùm nostræ salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam veniam interponit, sed peccatorem paternâ charitate complectitur, simul atque ille se collegerit, & universa peccata sua detestatus, quæ deinde aliò tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit: ita enim nos per Prophetam jubet sperare, cùm inquit: Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Hactenus Catechismus.

Et docet Catechismus Trident.

VI. *Probatur etiam ratione*: *Tum*, quia nihil est asserendum in re maximi momenti spectantis ad hominum salutem, quin fundamentum aliquod habeat aut in Scriptura sacra; aut in Conciliis, aut in SS. Patribus: at nihil eorum suadet neces- D sarium esse ad perfectam Contritionem, quòd quis singula peccata per se & regulariter in memoriam revocet, ac de ipsis doleat: igitur, &c.

Ac ratione suadetur.

Deinde, perfecta Contritio & sufficiens ad remissionem peccatorum, fieri potest in instanti: sed in instanti non potest aliquis recogitare, singula peccata, ac de eis dolere: igitur non est necessaria ejusmodi Contritio singularis de singulis peccatis. Minor constat. Major probatur: *Tum*, quia ad veram & perfectam Contritionem non requiritur temporis diuturnitas, ut diximus, in priori quæstione: *Tum*, quia pessimi peccatores brevi temporis compendiô possunt de peccatis suis E dolere, & eorum veniam, ac indulgentiam assequi, ut constat exemplô latronis cum Christo D. crucifixi: Unde præclarè Cœlestinus summus Pontifex epist. 2. ad Episcopos Galliæ cap. 2. scribit: *Desperet de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento posse non credit: Perdidisset latro præmium in cruce ad Christi dextram pendens, si illum unius horæ Pœnitentia non juvisset. cùm esset in pœna pœnituit, & per unius professionis sermonem habitaculum paradisi Deô promittente promeruit: Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente*

potius est æstimanda, quàm tempore, Propheta hoc taliter asserente: Cum ingemuerit, tunc salvus erit. Nec obstat quòd loquatur duntaxat de homine in extremis constituto; nam si Contritio eo in casu sufficiens sit ad salutem, licèt instantanea, nec supponens omnium peccatorum recordationem & detestationem singularem: quidni pari ratione sufficiens erit quoties peccator propter Deum offensum peccata sua generatim detestabitur?

Denique, pœnitens, dum recogitat aliquod peccatum sigillatim, & de eo perfectam Contritionem efformat: vel reconciliatur Deo antequam alia peccata sigillatim in memoriam revocet, & de eis doleat, vel non; si reconcilietur: igitur cætera peccata ei dimittuntur: fieri enim non potest saltem de via ordinaria, ut homo simul sit Dei amicus, & inimicus: si non reconcilietur, igitur inutilis est præcedens Contritio, utpote quæ suô frustretur effectu: quod utique dici non potest, maximè cùm Contritio ex se sit ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, per quam efficimur Dei amici, & constituimur divinæ consortes naturæ: igitur ad veram, & perfectam Contritionem non est necesse, quòd fiat de singulis peccatis sigillatim.

VII. Quibus non repugnant Doctores. Angelicus.

Neque huic assertioni repugnat Angelicus Doctor, quanquam enim 2. *p. qu.* 114. *art.* 5. & 3. *part. quæst.* 87. *art.* 1. videatur exigere ad perfectam Contritionem, quòd pœnitens revocet in memoriam singula peccata, saltem subsequenter; propter obligationem ea confitendi, quantumvis per Contritionem priùs fuerint remissa; attamen non negat, Contritionem generatim formatam de peccatis sufficere ad veram peccati remissionem: nam *quæst.* 28. de veritate *art.* 5. *ad* 4. ait: *Omnia peccata conveniunt in aversione à Deo, ratione cujus gratiam impediunt; unde ad justificationem non requiritur, quòd in ipso justificationis momento peccata singula cogitentur: sufficit, quòd peccator cogitet, se per culpam suam esse aversum à Deo: recogitatio autem singularis debet præcedere, aut saltem subsequi justificationem.*

Et Seraphicus.

Non etiam huic assertioni contradicit Seraphicus Doctor: nam *dist.* 16. *p.* 2. *art.* 2. *qu.* 1. hanc eandem agitans quæstionem, *ait*: „Dicendum, „quòd pœnitere de aliquo est dupliciter, scilicet „in generali, & speciali. In generali, quando ho„mo dolet in generali de omni offensa Dei, quam „fecit. In speciali, quando dolet de hac, vel illa. „Dico ergo, quòd de peccatis commissis per igno„rantiam debet pœnitere in generali, & dicere „cum Propheta: *Delicta juventutis meæ, & igno„rantias meas, &c.* In speciali verò non tenetur „pœnitere, sed tenetur facere, quod in se est, ut „sciat, & peccata recognoscat. Committuntur „enim peccata per ignorantiam juris: & tunc co„gnito jure cognoscit se peccasse, ut putà qui for„nicatus est, ignorans illud esse peccatum. Com„mittuntur etiam per ignorantiam facti, diligen„tiâ debitâ non adhibitâ, & tunc cognoscuntur „Dominô revelante: onde tenetur orare, ut Do„minus parcat ei, vel revelet. *Hac Seraphicus Doctor*, ubi licèt loquatur tantùm de peccatis non cognitis, tamen sufficienter significat se nostræ assertioni non refragari.

Objicies primò varios Scripturæ textus, quibus suadetur recogitatio de singulis peccatis tanquam necessaria ad veniam obtinendam: Sic Psal. 76. *Meditatus sum nocte cum corde meo, exercitabar & scopebam spiritum meum*: Isaiæ 38. Ezechias Rex de Contritione sermonem faciens ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ezechielis 8. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, ipse animam suam vivificabit; considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, vivet.* Sed hæc consideratio nihil aliud est, quàm revocatio singulorum peccatorum in memoriam: igitur, &c.

VIII. Quò sensu desideretur ad Contritionē peccatorum recogitatio.

Respondeo cum Catechismo Tridentino suprà; his & similibus Scripturæ oraculis significari utile quidem, ac saluberrimum esse singula peccata in memoriam revocare, quantùm ad remissionem totius pœnæ peccatis debitæ; quò enim magis peccator dolet de peccatis propter læsam summam Dei bonitatem; eò etiam dignior fit, cui ejusmodi peccata dimittantur, non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam.

Objicies secundò: Contritio est motus conversionis hominis ad Deum oppositus ipsius aversioni, quæ facta fuit per peccatum: sed per quodlibet mortale peccatum homo fuit aversus à Deo: igitur etiam per singularem Contritionem ipsi aversioni oppositam debet ad Deum converti.

Respondeo, quòd si argumentum hoc valeret, consequens esset, fieri non posse peccati remissionem absque eo quòd tot fierent actus Contritionis, quot admissa fuerunt peccata; sicque peccator plurium criminum reus, instante & urgente mortis periculô, non posset de suis peccatis conteri: quod utique negant omnes: igitur ex ejusmodi argumento solùm deducitur, quòd Contritio, ut perfecta sit, debeat fieri ex motivo charitatis, quæ est perfecta hominis ad Deum conversio; ac subinde pœnitens per Contritionem sufficienter avertitur ab omnibus peccatis, & ad Deum convertitur.

Objicies tertiò: Pœnitens per Contritionem exercet actum justitiæ, per quem satisfacit Deo pro peccatis: igitur tot debent esse actus Contritionis, quot sunt peccata. *Deinde*, Contritio est animæ medicina, quâ sanari debet à peccatorum vulnere: ergo totuplex debet adhiberi, quot sunt peccati vulnera.

Nego utramque consequentiam: Primam quidem, quia per unicam satisfactionem potest peccator in se punire, & vindicare peccata omnia à se commissa: quemadmodum reus plurium homicidiorum dicitur sufficientem pœnam luere, cùm pro eis expiandis damnatur ad mortem.

Ad secundam consequentiam dico, non opus esse ad curationem morbi medicinâ multiplici, dum una per se sufficientissima est: unicus autem Contritionis actus sufficit ad restituendam animæ sanitatem, & ad diluenda omnia peccata: igitur non opus est varios Contritionis actus adhibere.

Conclusio Secunda.

Contritio perfecta detestari debet peccata inæqualia inæqualiter, & magis propria, quam aliena. Hæc est communis, maximè prima pars, cujus utique ratio est aperta; omnis enim actus conformari debet, ac proportionari objecto per se motivo: sed peccata inæqualia inæqualiter participant objectum motivum detestationis, quod aliud non est, quàm offensa Dei: igitur major debet esse Contritio de peccatis gravioribus, quàm de levioribus.

Patet etiam secunda pars: nempe quòd magis etiam detestari debeat propria peccata, quàm

[illegible] dolore debet homo [illegible] de [illegible] & [illegible] peccato mortali [illegible] quia peccatum [illegible] est [illegible] quod [illegible] peccatum [illegible] malè quàm peccatum alienum. Sicut apertè [illegible] Augustinus lib. de [illegible] ubi ait: *Si quæras quid horum potius debeas evitare, qui utrumque non potuit, respondebo meum peccatum, potius quam alienum; & minus potius quod facias, quam quod fieri quod alienum.* Ex quibus [illegible] deducere licet, quod peccatum veniale [illegible] ut [illegible] peccatum mortale alienum.

R[illegible] Charitas [illegible] stimulat ad [illegible] faciendum, [illegible] quod magis cedit in gloriam Dei; sed magis [illegible] gloriam [illegible] caveatur peccatum mortale, quàm [illegible] quocunque [illegible] igitur charitas magis [illegible] ut fiat peccatum veniale [illegible] quo [illegible] proximus peccatum [illegible].

Di[illegible] *majorem*: Charitas ad id magis studulat [illegible] Deo directè ordinatur, [illegible] quod tantùm ad [illegible] indirectè & per accidens [illegible] evitatio autem peccati mortalis [illegible] per peccatum veniale à me faciendum, non intenditur à Deo. *Tum, quia* peccatum veniale non est medium ordinatum per se ad impediendum peccatum gravius alienum, ac subinde inordinatè ad ejusmodi finem assumeretur: *Tum, quia* Deus vult me magis diligere propriam sanctitatem, tametsi parvam & modicam, quàm alienam, quia [illegible] illa fit; unde major Deo ex me accedit [illegible] cùm quodlibet peccatum caveo, quam si peccatum leviter, ne proximus gravius Deum [illegible] dat: *Tum, quia* licèt peccatum alienum apprehendatur ut majus malum Dei; attamen [illegible] Deus apprehendatur hic & nunc nolle, quod ego peccem venialiter ad vitandum grave peccatum proximi, cùmque lex veræ amicitiæ [illegible] ad non displicendum amico in his [illegible] vult, [illegible] non [illegible] peccatum [illegible] ne proximus gravius committat. [illegible] quia ut [illegible] Augustinus ibidem [illegible] explicat, *in hac* [illegible] *apertissimus* [illegible] *ut proximus in minora* [illegible] *majora committant* [illegible] *limite, sine* [illegible] *vulsis* [illegible] *remotis omnibus* [illegible] *cuncta intrabunt, atque* [illegible] *habuit* [illegible] *fuerit definitum, peccandum* [illegible] *homini* [illegible] *ne illius peccet amplius, profectò* [illegible] *nostræ stupra* [illegible] *alienæ* [illegible] *impietas visa fuerit* [illegible] *quæ facienda dicuntur* [illegible] *nobis si eò* [illegible] *poterit* [illegible] *non committatur* [illegible] *quod est* [illegible] *desipere* [illegible] *A mea* [illegible] *sive in me* [illegible] *perpetrata* [illegible]

[illegible] Licet Sancti [illegible] exemplo [illegible] ed [illegible] leviora peccata [illegible] voluerunt [illegible] Gene[illegible] dicit [illegible]

R[illegible] *Respondet* ibidem S. Augustinus [illegible] *vir* [illegible] *timendo peccata* [illegible] *non possunt, perturbatus non ait* [illegible] *sumus* [illegible] *velut subdere filias* [illegible] *rum* [illegible] *sancto Spiritu facta legitima* [illegible] *quia* [illegible] *credimus, etiam facienda credamus ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla.* [illegible] *se occisurum esse* [illegible] *oratione non fecit, propter illum imitandum* [illegible] *temere jurans* [illegible] *quod non esse faciendum postea vidit? Sed si* [illegible] *Loth timor impulit, ut prostituere filias vellet* [illegible] *Davidem ut temere* [illegible] *turbavit.* Cæterum, non adeo difficile est Loth ab omni peccato [illegible] teste S. Augustino suprà [illegible] *Nisi forte pro defensione hujus viri* [illegible] *angustiis* [illegible] *quam* [illegible] *suos* [illegible] *domini erat* [illegible] *non* [illegible] *sine peccato proprio* [illegible] *non* [illegible] *stupranda* [illegible] *pro* [illegible] *non perp* [illegible] *Nec* [illegible] *facere* [illegible]

[illegible] *tamen* [illegible] *non peccant* [illegible] *nec ipse peccabat, quia non* [illegible] *opprimerentur invita sed* [illegible] *quam si ab improbis sui* [illegible] *ne hospites* [illegible] Augustinus [illegible] Loth [illegible] peccatum, quia [illegible] fuerit [illegible] impedi[illegible] peccat[illegible] tandum est non [illegible] & [illegible] Sodomitis stup[illegible] sed [illegible] dicens: *Abutimini eis* [illegible] *vobis placuerit, dummodo viris istis malo* [illegible]. Quasi diceret, si alterutrum vestris facere, potius facite quod minus est, quàm quod majus est.

[illegible] QUARTA.

Qu[illegible] *Attritio, & quo*[illegible] *remissione peccati?*

N*Otandum primò* Attritionis nomine T[illegible] [illegible] eam pe[illegible] stationem & d[illegible] fiat [illegible] aliquo [illegible] Deus, qu[illegible] non est propter se d[illegible] & ut summè bonus, à quo mortale peccatum a[illegible]. Motivum illius doloris d[illegible] Concilio Tridentino [illegible] 4. [illegible] Contritio [illegible] genere distin[illegible] *tionem* [illegible] *tritionem* [illegible] *A*[illegible] *mam vel ex turpitu*[illegible] *ex gehenna & pœ*[illegible] *tur* [illegible] *turpitudo peccati, &* [illegible] *pœnarum metus* [illegible]

Rec[illegible] citur exem[illegible] Loth.

[illegible] Augustin.

1. [illegible]

[illegible] nqu[illegible] in [illegible] f[illegible] n[illegible] d[illegible] demum beatitudinis [illegible] m[illegible]tus [illegible] itten[illegible] comprehenditur [illegible] & p[illegible] tum, si [illegible] quidem [illegible] ncilium non tantum intelligit pœnam [illegible], sed et [illegible] pœnam damni, sed carentiam [illegible] & possessionis D[illegible] [illegible] ator [illegible] et, n[illegible] t, & admissi p[illegible] bei-[illegible] enim est timere ca[illegible] cujus [illegible] & illud desideras [illegible] & v[illegible] e versa optare [illegible] boni possessionem idem est ac illius [illegible]am, & perditionem timere. Un[illegible] timor [illegible] objecto perdendo, illius [illegible] dilectio-[illegible] importat [illegible] & vicissim di[illegible] timorem. B Hinc vulgate il[illegible] *Tantus est dolor in admittendo, quantus fuit amor in possidendo.* Simili[illegible] quæcunque alia malitia, propter [illegible] detestamur peccatum, comprehenditur [illegible] turpit[illegible]ne peccati, qualis est [illegible] [illegible]ta incu[illegible], non solum apud h[illegible] s mortales, [illegible] coram Deo, [illegible] beatissimis mentibus, [illegible] & animæ, [illegible] peccatu[illegible] tæ h[illegible]da [illegible] fœmitas, fœt[illegible] horror, &c.

11\. Quomodo Contritio & Attritio invicem conveniant.

Notandum secundò [illegible] t[illegible] ion[illegible] & C[illegible]iti-nem [illegible] hoc invicem c[illegible] te, [illegible] ra[illegible] ue sit animi dolor, ac dete[illegible] tio [illegible] c[illegible] o commisso, cum propo[illegible] non peccandi de cætero: sic enim Contritionem in genere definit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. cùm ait: *Contritio quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, est enim dolor ac de[illegible] e pec[illegible] commisso cum proposito* [illegible] C ve[illegible] *insuper* [illegible] [illegible] Att[illegible], [illegible] est [illegible] nendam [illegible] n in [illegible] o Pœn[illegible], d be[illegible] dolor de [illegible], cum [illegible] respectu ad [illegible] um: unde infamia [illegible] ere [illegible] mana, quæ [illegible] peccatum incur-[illegible], sicut & quæcumque pœna q[illegible] nus [illegible]ntaxat ab homine infligenda, non potest esse motivum veræ, ac propriè dictæ Attritio[illegible] is [illegible] observat Lugo disp. 5. n. 14. siquidem per Attritionem homo debet converti ad Deum, ut ab eo peccati veniam obtineat, vi[illegible] nite Sa[illegible]am[illegible] Pœ-[illegible]ntiæ, si vero solus sit dolor de peccato D [illegible] ter infamiam [illegible], vel propter [illegible] h[illegible]ano j[illegible] endam, ille actus [illegible] erit conversio [illegible] Deum, quippe non [illegible] ex amore, vel timore Dei, [illegible] ex timore humani Judicii: qui autem non mo[illegible] ex timore vel amore Dei, sed ex timore hominis, [illegible] m[illegible] modò satisfacit Deo, nec honorat Deum, nec præfert Deum cre[illegible]; non enim relin[illegible] peccatum pro[illegible] perfectionem, [illegible] recognoscit [illegible], sed propter potentiam Judicis [illegible], v[illegible] aliud [illegible] Requiritur autem in omni vera conversione, quod detur [illegible] a peccato, & conversio ad E Deum; [illegible] av[illegible] à Deo; & conversio [illegible] quare [illegible] i conversio [illegible] creaturam [illegible] aliqu[illegible] perfectionem [illegible] ura [illegible] ita con[illegible] ad Deum, [illegible] esse [illegible] ter [illegible] per[illegible]ctionem ipsius [illegible] ut propter [illegible] iam puniendi, quam ti-[illegible]mus, vel propter bonitatem, quam amamus, [illegible] propter superioritatem, cui obedimus, &c. [illegible] ergo non movet aliqua Dei perfectio, [illegible] [illegible]tentia [illegible] iam [illegible] exigit, illa [illegible] o [illegible] scat aliquid in Deo, [illegible] n[illegible] beat p[illegible]pom, sed po[illegible] [illegible] non quæcum[illegible] turpi-

[illegible] peccati, & timor pœ[illegible] c[illegible] [illegible] Attritione[illegible] d [illegible] at[illegible] [illegible] respectum ad D[illegible] qu[illegible] p[illegible] n b[illegible] [illegible] l in[illegible] tur [illegible] Deum, aut quid [illegible] hæc [illegible] fundamentu[illegible] u[illegible] po[illegible] [illegible] catum e[illegible] f[illegible] l[illegible], & qu[illegible] [illegible]tionem cum Deo quam q[illegible] rat on[illegible] [illegible] testatur peccatum, movetur ab aliqua ex[illegible] tia Dei; cujus [illegible] ipsum c[illegible] ctrit[illegible], & ipsum præfert c[illegible], quam p[illegible] plu[illegible] m Dei[illegible] [illegible] *niunt sertio,* [illegible] que [illegible] nexam h[illegible] t[illegible] onem D[illegible] summi boni, saltem virtualiter, qu[illegible] dolet se peccasse p[illegible] Deum o[illegible] um [illegible] cessum [illegible] it, qu[illegible] amorem Dei [illegible] virtualem; in tantùm enim dolet se o[illegible] Deum, [illegible] quant[illegible] diligit. [illegible] *amen in* [illegible] q[illegible] utr[illegible]ue ill[illegible] d[illegible] tam Attrition[illegible] Contritionis, ordinetur ad rem[illegible]on[illegible] p[illegible] c[illegible] uendam per Sac[illegible]tum P[illegible]nt[illegible] te, v[illegible] in voto [illegible]ceptum.

Notandum tertiò Attritionem & Contritionem invicem dif[illegible] *primò* q[illegible] ad virtutem & effectum; t[illegible] inquit C[illegible] um [illegible] dent[illegible] um supra laudat[illegible] Contriti[illegible] aliqu[illegible] o charitate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ a[illegible] piatur cum voto illud suscipiendi: Attr[illegible] vere extra Sacramentum Pœnitentiæ etiam [illegible] voto [illegible] suscipiendi [illegible] sufficit ad peccati ve[illegible] [illegible] audam, ut [illegible]dem docet Co[illegible] e[illegible] quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se [illegible]stificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. *Secundò,* differunt *ratione principii,* quia Contritio elicitur à virtute Pœnitentiæ, quatenus habet charitatem annexam, vel ab ea imperatur: Attritio verò p[illegible] r[illegible] virtute Pœnitentiæ, prout habet annexam virtutem spei; quippe dolet de peccato ex metu gehennæ incurrendæ, & timore amittendæ beatitudinis, quod utique spectat ad virtutem spei, quæ cùm habeat pro objecto Deum, ut nobis bonum, & à nobis possidendum; etiam tendit in id, quod huic possessioni aversa[illegible] & ab ea removet, qualis est peccati turpitudo, & periculum gehennæ incurrendæ. *Tertiò,* differunt *ratione motivi,* quia Contritio perfecta elici debet ex amore Dei, ut summi boni super omnia dilecti, [illegible] ex affectu charitatis; imperfecta verò debet quidem elici [illegible] dilectione Dei ut summi boni super omnia amandi, non quidem p[illegible] se, sed propter n[illegible] seu no[illegible] ipsi bonus, sed quaten[illegible] est bo[illegible]um, in [illegible]jus po[illegible]sistat [illegible] æterna fœlicitas, & [illegible] cujus [illegible]one [illegible]m[illegible] nostra mis[illegible] & in fœl[illegible] [illegible] Contritio provenit ex amore amicitiæ quâ [illegible]s diligitur pr[illegible] Attritio verò provenit e[illegible] amore conc[illegible] tiæ qua Deus diligitur propter nos, [illegible] no[illegible]um.

Unde amor spei comparatè ad [illegible] tatis di[illegible] potest *imper*[illegible] fectus q[illegible]d [illegible] compar[illegible] qu[illegible] f[illegible] [illegible] [illegible]ùm [illegible] e, & [illegible] d [illegible] o d[illegible] tis, in [illegible] ut a[illegible] [illegible] inf[illegible] A[illegible] mo[illegible] ti[illegible] [illegible]æ [illegible] pro[illegible]

amorem charitatis; unde iste timor & amor ex affectu spei est veluti semen, ac primordium, & initium salutis, quando videlicet concipitur ex impulsu Spiritûs sancti: nam, inquit Concilium Tridentinum suprà laudatum, timor & amor ille *donum Dei est, & Spiritûs sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quô pœnitens adjutus viam ad justitiam parat.*

Ex quibus apparet perfectam Contritionem ab imperfecta non distingui *ratione durationis*; quia diuturnus dolor ad Contritionem perfectam non requiritur, ut jam diximus. Et insuper longè diuturnior potest esse dolor Attritionis, quàm Contritionis, cùm illius objectum sit quasi sensibile, & efficaciùs afficiat mentem, quàm objectum Contritionis; siquidem efficaciùs homines moventur ad aliquid fugiendum timore pœnæ quàm amore justitiæ. Neque etiam Contritio & Attritio distinguuntur *ratione intensionis*; quippe cùm intensus dolor ad Contritionem perfectam non requiratur, cùm quilibet dolor etiam in gradu remisso elicitus ex supernaturali motivo charitatis reverà sit actus Contritionis; magis autem & minùs speciem rei non mutant.

Non denique Contritio ab Attritione distinguitur, ex eo quòd perfecta Contritio informetur gratiâ & charitate habituali; Attritio verò minimè: quia interdum accidit, ut Attritio eliciatur ab homine justo, & existente in gratia, Contritio verò ab homine existente in peccato producatur. Nec obstat Concilium Tridentinum dicens sess. 14. cap. 4. *Et si Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu suscipiatur*, &c. His enim verbis non significat Concilium Contritionem semper elici debere ab homine, qui charitatis habitum obtineat; alioquin frustrà dixisset ibidem, initiò capitis, Contritionis motum fuisse quôvis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarium, & in homine post Baptismum lapso demum præparare ad remissionem peccatorum; etenim qui charitatem habitualem possidet, jam peccatorum veniam obtinuit, ac proinde frustrà ad eam assequendam præpararetur. Solùm itaque vult, Contritionem eam perfectam censeri, quæ elicitur ex motivo charitatis, in quo à Contritione imperfecta discrepat, quæ ex ejusmodi motivo non elicitur, sed duntaxat ex motivo spei.

Status quæstionis. His ita præmissis, duo supersunt hac in quæstione præcipuè determinanda: *Primum* quidem, utrum dolor de peccatis ex timore gehennæ conceptus, sit bonus, & utilis ad salutem: *Secundum*, utrum Attritio, seu dolor ex metu gehennæ, & ex affectu spei elicitus cum Sacramento Pœnitentiæ sufficiat ad remissionem peccatorum.

CONCLUSIO PRIMA.

VI. Attritio ex metu gehennæ est actus salutaris.

ATTRITIO *seu dolor de peccatis ex metu gehenna aut turpitudine peccati elicitus, est bonus, & utilis ad salutem.*

Hæc Conclusio est de fide determinata in Concilio Tridentino sess. 6. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Et sess. 14. cap. 4. definit, dolorem ex gehennæ & pœnarum metu conceptum, *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm donum Dei esse, & Spiritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quô pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

Probatur primò hæc veritas ex Scriptura sacra, quæ pluribi timorem servilem commendat. Sic Proverb. 1. *Timor Domini principium Sapientiæ*; quod utique oraculum SS. Patres explicant de timore servili; is enim est, qui sapientiam inchoat: nam filialis illam perficit, & consummat: sic pariter Eccles. 2. *Timor Domini expellit peccatum.* Quia videlicet disponit ad justificationem & expulsionem peccati, ut explicat S. Augustinus infrà laudandus. Similiter Isaiæ 26. *Concepimus & quasi parturivimus, & peperimus Spiritum salutis, non fecimus in terra.* Ubi 70. Interpretes legunt: *A timore tuo Domine concepimus, & peperimus Spiritum salutis, & Pœnitentia salutaris.*

Ut colligitur ex S. Scriptura.

Ex SS. Patribus.

VII. Maximè ex S. August.

Hoc ipsum unanimi calculô docent SS. Patres, qui timorem illum commendant, & extollunt: Sic S. Clemens Alexandrinus illum appellat *Fidei coadjutorem*: S. Ambrosius *clavum animæ fluctuantis*: Tertullianus de cultu *fœminarum* cap. 2. *Timor*, inquit, *fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris.* Idem docet sanctus Augustinus pluribus in locis, maximè in Psal. 127. ubi distinguit triplicem timorem, quorum primus est timor malorum temporalium: secundus est timor gehennæ, seu pœnarum æternarum: Tertius denique est castus. De primo quidem timore ait: *Aliqui propterea tantùm timent ne aliquid mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accidat, ne damnum, ne orbitas, ne alicujus amissio chari, ne exilium, ne damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio, propterea timent & tremunt. Adhuc timor iste non est castus.* De secundo autem sic prosequitur: *Alius non in hac terra pati timet, sed gehennam timet; unde terruit & Dominus: Audistis, cùm Evangelium legeretur, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent & continent se à peccato; habent timorem, & per timorem continent se à peccato: timent quidem, sed non amant justitiam.* De tertio verò timore subjungit: *Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitia, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus; & jam incipit homo justè vivere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor à charitate, sed successit timor castus. Quis est iste timor castus? Secundum quem debemus, fratres mei, intelligere quod dictum est.* Psal. 18. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Quem utique timorem castum explicat ibidem similitudine & comparatione castæ fœminæ cum adultera.: *Casta*, inquit, *timet ne discedat vir; adultera ne veniat: quid si ambo absentes sunt? illa ne veniat; ista ne tardet.*

Qui triplicem distinguit timorem, nempe mundanum, servilem & castum, seu filialem.

VIII. Servilis bonus est.

Unde postmodum *concludit*: Castus ergo timor, " fratres mei hoc habet; quia venit de amore. Ille " autem timor nondum castus, præsentiam Domi- " ni, & pœnas timet, timore facit quidquid boni " facit, non timore amittendi bonum illud, sed ti- " more patiendi illud malum. Non timet, ne per- " dat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne " mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, " utilis est, non quidem permanebit in sæculum " sæculi, sed nondum est iste castus permanens in " sæculum sæculi. In quo est castus? jam iterum ali- " quid interrogo, quòd vosmetipsos interro- " geris. Si Deus veniens voce propriâ loqueretur " nobis, quamquam non taceat loqui per litteras "

suas, & diceret homini, Peccare vis? pecca: fac quidqoid delectat: quidquid amaveris io terra, touni fiat: cui fueris iratus intereat: quem rapere volueris, rapiatur: quem cædere, cædatur: quem damnare, damnetur: quem possidere, possideas. Nemo tibi resistat, nemo tibi dicat: quid facis? nemo, noli facere quod velis: nemo, quare fecisti? abundent tibi omnia ista terrena quæ concupisti: & vive in illis non usque ad tempus, sed semper, faciem tantùm meam oonquam videbis. Fratres mei unde ingemuistis, nisi quia jam natus est timor castus permanens in sæculum sæculi? Quare percussum est cor vestrum, si diceret Deus, faciem meam nunqoam videbis? Ecce omni istâ terrenâ fœlicitate, omnibus rebus abundabis, circunfluent io te bona tēporalia, noo illa amittis, noo illa deseres, quidvis amplius? Fleret quidem, gemeret timor castus, & diceret, Imò tollaotur omnia, & videam faciem tuam. Timor castus exclamaret de Psalmo, & diceret; Deus virtutum converte oos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. Timor castus exclamaret de Psalmo, & diceret, Unam petii à Domino. Vide quomodo audeat timor iste castus, timor verus, timor syncerus. Unam petii à Domino, hanc requiram. Quid? Ut inhabitem in domo Domini, per omnes dies vitæ meæ.

Similia habet serm. 18. de verbis Apostoli, obi cùm cap. 4. & 5. distinxisset hunc triplicem timorem, tandem & cap. 7. loquens de timore mundano, eum reprobat, postmodom cap. 8. sermooem faciens de timore gehennæ, *scribit*. Qnid enim magnom est, timere pœnam? Magnum est, sed amare justitiam. Interrogo te, & invenio te. Tu inspice interrogationem meam sonantem, & fac de teipso interrogationem silentem. Dico ergo tibi, Libidine victus habes coosentientem, quare noo committis adulterium? Et respondebis, Quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni, timeo judicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, & cum illo ardeam. Quid dicturus sum, malè times, quomodo tibi dicebam de adversario, quia quærebat corpus tuum occidere? Ibi eoim rectè dicebam, malè times, securum te facit Dominus tuus, dicens: Nolite timere eos, qui corpus occidunt. Modò cùm dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternom puniri timeo: quid dicturus sum? Malè times? vanè times? Non audeo, quandoquidem ipse Domious ablatô timore subjecit timorem: & ait, ubi dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, & posteà noo habent quid faciant: sed eum timete, qoi habet potestatem, & corpus & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. Cùm ergo Dominos timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ergo sum, malè times? Ista oon dicam. Plaoè time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas: Sed interrogo te, Si non te videret Deus, quando faceis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide. Non enim potes ad verba omnia mea respondere, inspice teipsum, Faceres? Si faceres: ergo pœnam times, castitatem nondum amas, charitatem nondum habes, serviliter times, formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quô gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animum non sinit: est enim qoidam custos timor, quasi pædagogus legis, littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, & veniat charitas: intret in cor tuum, & quantùm illa intrat, tantùm timor exit. Timor enim id agebat oe faceres, charitas id agit ne velis facere, etiamsi impunè possis admittere. Dixi quid timeatis, dixi quid appetatis.

Ex his sic argumentari licet: Timor ille booos est, qoi distinguitur à mercenario respiciente mala temporalia: timor ille bonus, quem non audet S. Augustious dicere malum, quô oon vanè quis timet, quô quis non peccat, qui utilis est & booos, qui cootinet hominem extrinsecus à peccato, quamvis scilicet animum interiorem peccare volentem non sinat, qui peccandi consuetudinem sistit, qui est initium sapientiæ, qui locum præparat charitati: ex quo fit justitiæ coosuetudo, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus: atqui hæc omnia tribuit Augustinus timori servili: ergo timor servilis bonus est.

Confirmatur ex his, quæ habet serm. 24. de Tempore, ubi *ait:* Cùm timetur pœoa, quam minatur, discitur amari præmium quod pollicetur: ac si per timorem pœnæ bona vita retinetur. Per bonam vitam bona coosc ientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere. Discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus. Ut enim dicit Joannes, Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Dixit sanè, & veraciter dixit. Si ergo habere non vis timorem, priùs vide, utrum jam perfectam habeas charitatem, quæ foras mittit timorem. Si verò ante istam perfectionem timor excluditur, superbia inflat, non charitas ædificat. Nam sicut in bona valetudine fames non fastidio, sed cibo pellitur: ita io bona mente timor non vanitate, sed charitate pellendus est.

Quibus verbis S. Augustinus apertè significat timorem ooo consequendæ beatitudinis, aut incurrendæ gehennæ posse interdum sufficere ad exclodendum omnem peccati affectum; quâ ratione timor ille castus censeri potest, saltem initialis; quippe cùm ex eo non solùm caveatur peccatum, sed etiam oriatur timor filialis, qoi oon procedit ex spe retributionis, sed ex affectu benevolentiæ homiois erga Deum. Hâc enim ratiooe affectus ille dicitur timor filialis; ideo enim filius obedit patri, non quia speraт ab illo retributiooem aliquam, ant timet pœnam infligendam, sed præcisè quia novit inobedientiam displicere Patri, quem diligit; sicque ex amore patris illam refugit absqoe ullo prorsus respectu ad suum proprium commodum.

Dices primò: Ille timor non est dicendus bonus, qui non excludit voluntatem peccandi; sed timor, seu dolor conceptus ex metu gehennæ, oon excludit voluotatem peccandi. *Probatur.* Ille dolor & timor non excludit voluntatem peccandi, qui virtualiter & implicitè eam retinet: sed dolor de peccatis ex metu gehennæ virtualiter retinet affectum & voluntatem peccandi, ut optimè docet S. Augustinus serm. 15. io Psalmum. 118. ubi ait: *Timor, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est: quia carnalis est.* Vivit enim peccandi voluntas; quæ tunc apparet opere, quando speratur impunitas. Cùm verò

„ pœna creditur fecutura, latentet vivit, vivit tamen. „ Mallet enim licere, & dnlet nnn licere quod lex „ vetat: qnia non fpititualiter delectatur ejus bo„ nô, fed carnaliter malum metuit quod minatur. „ Timore autem caftô ipfa quæ hunc timnrem fn„ tas mittit, peccare timet charitas, etiamfi fe„ quatur impunitas: quia nec impnnitatem indi„ cat fecoturam, quando amore juftitiæ peccatum „ ipfum deputat pœnam.

X.
Quia virtualiter tendit in Deû.

Nego minorem: Licèt enim dolor non includat in fe aliud motivum ndii peccatnrum; attamen pnfitivè omne aliud motivum ad deteftandum peccata non excludit; etfi enim hominis attriti voluntas ptoximè ftimuletur ad vitandum peccatum, tatione metûs gehennæ; tamen in eo nnn quiefcit, fed virtualiter & mediatè tendit in Deum, ut in finem ultimum; quemadmodum actus fpei proximè quidem & immediatè tendit in beatitudinem æternam, feu in Deum, quatenus bonum ipfi fperanti; virtute autem & implicitè fertur in Deum fecundùm fe tanquam in finem oltimum.

Inftabit: Illud eft per fe malum, qnod cum charitate, & gratia fanctificante fubfiftere non poteft: at timor fervilis feu gehennæ non fubfiftit cum charitate: nam, inquit S. Joannes epift. 1. cap. 4. *Timor non eft in charitate, fed perfecta charitas foras mittit timorem.* Igitur, &c.

XI.
Duplex timor per charitatem foras mittitur.

Diftinguo majorem: Quod nnn poteft fubfiftere cum charitate, ratione fuæ malitiæ, & defotmitatis oppofitæ charitati, nego: ratiooe fuæ imperfectionis, coocedo. Nam, ut optimè nntat faoctus Auguftinus fuprà laudatus in Pfal. 127. duplex eft timor, qui foras à charitate mittitur; unus quidem eft timor temporalium; qonniam nimitum aliqui propterea timent, ne qnidpiam mali in terra patiantur; ne illis ægritudn accidat, ne damnum, & alicujus chari amiffin, aut aliqua tribulatio adveniat: alius eft timor gehennæ; qoô Dominus in Evangelio terret; ratione cnjus terreni homines continent fe à peccato; & fic incipiunt jnftè vivere, & Deum diligere: Prior timor femper foras per charitatem mittitur, pnfterior verò fimul cum ea aliqoandin permanet & maximè quando nondum eft perfecta, „ ut etiam optimè docet, *Tract. 9. epift. Ioannis.* „ Timor nnn eft in charitate, fcilicet perfecta; fed „ eft in charitate inchoata: quia initiom fapientiæ „ timor Domini. Timor quafi locum præparat cha„ titati. Cùm cœperit charitas habitare, pellitur „ timor, quia ei præparavit locum. Quantùm enim „ illa crefcit, tantùm ille decrefcit: quantùm illa „ fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, „ minor timor: Minor charitas, major timor. Si „ nullus timor, non eft quà intret charitas. *Ibidem* „ *infrà:* Eft timor, quem charitas foras mittit, & „ eft timnr caftus permanens in fæculum fæculi. „ Sicut funt homines, qni timent Deum ne mit„ tantur in gehennam, ifte timnr introducit chari„ tatem; fed ille venit ut exeat: Si enim propter „ pœnas times Deum, non amas, non bona defi„ deras, fed mala caves, corrigis te, incipis bona „ defiderare, & cùm cupis bona defiderare, eft in „ te timor caftus ne amittas ipfa bona; ficut fi po„ nas duas mulieres maritatas, quarum ona velit „ adulterium facere, fed timet maritum ne veniat: „ hæc diligit neqoitiam, & onerofa eft ei mariti „ præfentia. Altera amat virum, & nullà fe adul„ terii immunditiâ vult maculare, optat præfen„ tiam viri. Timet illa, timet ifta. Illa timet vi„ rum ne veniat: ifta timet virum, ne difcedat. Il-

A la dicit: Timeo ne damnet: ifta dicit, timeo ne " deferat. Pone hoc in aoimn Chriftianorum, & " videas timorem, quem charitas foras mittit: & " alium timorem caftum permanentem in fæculum " fæculi.

Objicies fecundò: Peccatum eft, ordinare majus bonum ad minus: fed ille qui dolet de peccatis ex folo metu damnatioois, ordinat majus bonum ad minus, culpæ vitationem ad pœnæ fugam: igitur peccat.

XII.
Quô fenfu majus bonum ordinari poffit ad minus.

Diftinguo majorem: Ordinare majus ad minus, ut ad finem ultimnm, concedo: ut ad finem proximum, negn: Deus enim ipfe excellentius bo- B num ordinat ad ioferius, ut incarnationem Chrifti ad hnminum falutem, & gloriam: qui dolet de peccatis fnln metu gehennæ, majus bonum ordinat ad minns, nt ad finem proximum, nnn ot ad oltimum: ot faocti viri facrificium & orationes ordinant ad obtinendam à Deo fanitatem, aut alind temporale bonum; unde fi foret aliquis ita virtualiter, aut actualiter affectus, ut fi non effet pœna, nullnmodò de culpa dnleret, hæc Attritio non effet bona: quia non tenderet in Deum ullatenus, ut in finem ultimum.

Objicies tertiò: Quod tendit in creaturam, non tendit in Deum ut ultimum finem; quia nemn poteft habere duos fines ultimos. Sed Attritin C tendit in creaturam, ut in ultimum finem; omnis enim attritus, non contritus, in peccato manet; tota fiquidem Attritio per fe nnn juftificat.

XIII.
Attritus tendit in Deum faltem inefficaciter.

Diftinguo majorem: Non tendit in Deum efficaciter, concedn; nullus enim efficaciter appetere poteft plures ultimos fines: inefficaciter, negn: nam alioquin opera moraliter bona in peccatn mortali, veluti jejunium, oratinnes, eleemofynæ forent peccata mortalia; quia non tendunt in Deum, ut ultimum finem efficaciter, cujus contrarium docuimus in tractatu de gratia.

Objicies quartò: Si timnr fervilis eft bnnus, D etiam timor mundanus erit bonus: at hic boous nnn eft, quia facit homines malns: ergo, &c.

IV.
Et magis dolet de culpa quàm de pœna.

Nego majorem: Quia timor mundanus, eft timor creaturæ, cujus affectu non veretur hnmo Deum offendere: timor fervilis eft verè timor Dei diftrahens & cuftndieos à peccato: per eum enim hnmn timet nffendere Deum metu pœnæ, quam ipfe peccatis infligit.

Objicies quintò: Actus, quô quis magis dolet de pœna, qoàm de culpa, malus eft; quia magis dolendum eft de majori malo, quàm de minori: culpa majus eft malum quàm pœna: fed Attritio de peccatis ex folô metu damnatinnis, eft actus, quô qois magis dolet de pœna, quàm de culpa; dnlet enim de culpa propter pœnam: at id *pro-* E *pter quod unum quodque tale eft, & illud eft magis tale:* ergn, &c.

Nego minorem: Etfi enim fervus amet dominum nb mercedem, & fidelis Deum per fpem nb glnriæ teftitutionem; nnn ideo fervus magis amat mercedem, quàm dominum; aut fidelis gloriæ retrihutionem, quàm Deum, quem femper agnnfcit ut finem ultimum: ergo licèt attritus oderit colpam ob pœnam, non ideo magis ndit pœnam, qoàm culpam; Ariftotelicum enim axinma debet intelligi de eo, propter quod aliud eft tale, tanquam præcipuam caufam, non tanquam propter minùs præcipuam caufam: nam etfi fervus amet Dominum oh alimentum quod expectat ab eo, tanquam ob minùs præcipuam

causam; & Fidelis Deum ob gloriam: non ideo magis amat servus alimentum, quàm dominum; aut Fidelis gloriam, quàm Deum.

Conclusio Tertia.

XV. Attritio sufficit cum Sacramento ad gratiam.

*A*Ttritio ex metu gehennæ & ex amore concupiscentiæ seu affectu spei concepta, est dispositio sufficiens ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ consequendam.* Probatur primò ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. ubi postquam distinxit Contritionem in perfectam, quæ ex charitate procedit: & in imperfectam, quæ dicitur Attritio: *Quoniam*, inquit, *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ:* statim subjicit: *Illam non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quô pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Idem habet *can.* 5. Quibos verbis Concilium duplex assignat discrimen inter Contritionem & Attritionem: unum quidem, quòd Attritio tendat in peccatum ex motivo minùs nobili, quàm Contritio, nimirum ex motivo turpitudinis peccati, aut metu gehennæ; non autem ex consideratione Dei summè dilecti; alterum verò quòd Contritio perfecta extra Sacramentum per se sufficiat ad obtinendam peccati remissionem, dummodo habeat annexum votum illud suscipiendi; Attritio verò disponit quidem ad illam remissionem per Sacramentum impetrandam: verùm sine Sacramento reipsà suscepto non sufficit ad peccati remissionem.

Ut docet Concilium Tridentinum.

Repones, Concilium ibi duntaxat loqui de dispositione remota, & omnino insufficiente, non verò de proxima, & quæ hominem proximè præparat ad gratiam justificantem consequendam.

Verùm contrà. Concilium ibi apertè docet Attritionem conceptam ex metu gehennæ, si voluntatem peccandi excludat, reverà ad justificationis gratiam, in sacramento Pœnitentiæ obtinendam disponere, eô modô, quô Contritio ante susceptionem Sacramenti ad eam disponit: atqui Contritio proximè sufficienter ad gratiam sanctificantem disponit, ac Deo reconciliat, priusquam Absolutio Sacerdotalis suscipiatur: igitur etiam mens Concilii est, quòd Attritio juncta Sacramento proximè & sufficienter pœnitentem disponat, ac Deo reconciliet in sacramento Pœnitentiæ.

Deinde, Attritio aliter hominem disponit ad gratiam cum Sacramento, quàm extra Sacramentum, ut docet Concilium Tridentinum: sed extra Sacramentum remotè & insufficienter ad justificationem disponit: quia, ut suprà docebat sanctus Augustinus: Timor viam præparat charitati: igitur ex mente Concilii Attritio juncta Sacramento proximè disponit ad justificationem.

Denique, Concilium ibi damnat, maximè errorem Lutheri: sicut & *sess.* 6. *can.* 8. ubi ait: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus; vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*: Sed Lutherus non solùm docebat, dolorem ex metu gehennæ esse malum, & facere hominem pejorem ac hypocritam, sed etiam eum omnino esse insufficientem præparationem ad percipiendam Absolutionem, & communionem faciendam; scribit enim *Serm.* 2. *de Pœnitent.* Contritio (sic enim cœpit vocari vera Pœnitentia interior) duplici viâ paratur. Primò per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem; deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia quæ possunt dolorem & tristitiam excitare, spe satisfaciendi per bona opera. Hæc autem tristitia facit hypocritam, imò magis peccatorem, quia solùm timore præcepti, & dolore damni id facit; & tales omnes indignò absolvuntur, & communicantur. Et si liberè deberent (remotô præceptô, & minis pœnarum) confiteri: certè dicerent sibi non displicere vitam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri: imò quò magis timore pœnæ, & dolore damni sic conteruntur, eò magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse, & hæc est illa Contritio, quam ipsi vocant extra charitatem non meritoriam, alii vocant Attritionem proximè disponentem ad Contritionem: Sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego dico. *Hæc Lutherus de primo Contritionis modo. Alium verò Contritionis modum ita describit:* Secundò paratur (*Contritio*) per intuitum & contemplationem speciosissimæ justitiæ, quâ quis in pulchritudine, & specie justitiæ meditatus, in eam ardescit & rapitur, incipitque cum Salomone fieri amator sapientiæ, cujus pulchritudinem viderat, hæc facit verè Pœnitentem, quia amore justitiæ id facit, & hi sunt digni Absolutione.

XVI. Sicut colligitur ex damnatione erroris Lutheri.

Repones secundò, Concilium scribens, Attritionem ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento disponere, solùm damnare Hæreticos, qui dolorem Attritionis utilem negantes, aiebant illum facere hominem hypocritam & magis peccatorem, non autem velle dirimere controversiam Theologorum Scholasticorum circa sufficientiam Attritionis cum Pœnitentiæ sacramento.

Contrà: Concilium non solùm ostendit, dolorem Attritionis esse bonum & utilem, nec hominem facere magis peccatorem, sed insuper distinctè ac disertè significat, quòd quamvis peccatorem absque Sacramento per se perducere nequeat ad justificationem, tamen in Sacramento eum disponat ad impetrandam Dei gratiam: ac subinde declarat Attritionem in Sacramento vim illam habere, quam absque Sacramento non haberet. Ubi apertè satis nostram tuetur sententiam, & illam ab hæreticorum calumniis vindicat: postquam enim dixit Attritionem esse actum bonum, & ex impulsu Spiritûs sancti conceptum, atque ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere, in fine ejusdem capitis sic concludit: *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint sacramentum Pœnitentiæ absque motu suscipientium, gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.* Atqui hæretici ex eo solùm occasionem captârunt calumniandi Catholicos Scriptores, quòd existimârunt Attritionem, quæ est ex metu pœ-

narum, non esse actum bonum, sed malum, atque reddere hominem hypocritam: ergo Attritionem conceptam ex metu gehennæ & pœnarum, docet Concilium disponere ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ obtinendam.

Urgebis: Si Concilium existimasset Attritionem sufficienter ad Dei gratiam disponere, quando jungitur Sacramento, distinctè dixisset, eam disponere *cum Sacramento.* At ita non dixit: sed tantùm, quòd disponat *in Sacramento*, ut nempe significaret eam disponere remotè & mediatè ad gratiam, quatenus videlicet disponit pœnitentem ad recipiendam Absolutionem sacramentalem, & excitandam ex gratia Dei Contritionem, ex quibus immediatè sequatur justificatio: igitur Concilium nullâ ratione nostræ sententiæ patrocinatur.

XVII. Idem est disponere ad gratiam in Sacramento ac cum Sacramento.

Nego consequentiam. & ad antecedens dico, quòd quando Concilium ait, Attritionem disponere ad Dei gratiam in Sacramento, idem significat, ac si diceret cum Sacramento; cùm enim hanc particulam, *in Sacramento*, opponat huic, *sine Sacramento*, quæ significat idem, ac seorsim, & separatim à Sacramento, dum ait, Attritionem sine Sacramento non perducere ad justificationem, consequens est, quòd dum etiam ait, eam *in Sacramento* disponere ad Dei gratiam, idem significat, ac si diceret *cum Sacramento.*

XVIII. Explicatur mens Concilii de efficacia Attritionis.

Repones tertiò, Concilium, dum ait Attritionem in Sacramento ad justificationem disponere, non loqui de illa Attritione, quæ concipitur ex metu pœnarum, sed tantùm de illa, quæ fit ex amore Dei super omnia, sed imperfecto; quæque est equidem essentialiter Contritio, sed imperfecta; ut eam ibidem apellat Concilium, quippe Contritionem dividit in perfectam & imperfectam.

Verùm nodum quærit in scirpo, & tenebras in Sole, qui hæc somniat: *Tum, quia* Concilium illam Attritionem asserit sufficere ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento, quam dicit concipi ex consideratione gehennæ, & pœnarum metu: igitur non loquitur de Attritione, quæ sit amor Dei initialis & imperfectus: *Tum, quia* Concilium de ea Attritione loquitur, quam Lutherus docuerat facere hominem hypocritam & pejorem; sed illa Attritio, de qua loquitur Lutherus, non procedit ex charitate imperfecta & inchoata, sed ex solo pœnarum metu, ut constat ex dictis suprà: igitur, &c. *Tum denique*, quia Concilium ait, illam Attritionem, quæ in sacramento Pœnitentiæ disponit ad gratiam, *esse donum Dei, & Spiritûs sancti impulsum: non adhuc quidem inhabitantis, sed animam moventis:* at Attritio ex amore Dei super omnia, quantumvis imperfecta, est motus Spiritûs sancti inhabitantis animam; etenim *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* igitur, &c.

Porrò Concilium vocat Attritionem, *Contritionem imperfectam:* non defectu gradûs tantùm, sicut puer dicitur vir imperfectus, quia omnino viri perfectionem nondum est adeptus: sed dicit imperfectam propter defectum essentiæ Contritionis, quia non est dolor de peccatis ex amore amicitiæ Dei: sicut embrio est vir imperfectus, quia non habet hominis naturam, sed ad eam disponit, ut diximus in 3. notabili.

Confirmatur: Non major requiritur dispositio ad gratiam per sacramentum Pœnitentiæ suscipiendam, quàm ad illam recipiendam per Baptismum: sed Attritio est sufficiens dispositio in adulto baptizando ad gratiam justificantem recipiendam: igitur & in pœnitente sufficiens erit: Major constat; siquidem eadem est ratio sacramenti Pœnitentiæ, ac Baptismi, quippe cùm utrumque sit Sacramentum mortuorum. Minor verò probatur authoritate S. Augustini, qui lib. de catechisandis rudibus cap. 17. tria refert genera hominum, qui volunt esse Christiani, qui veniunt ad Baptismum, quorum tertium genus est eorum, qui propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, volunt fieri Christiani, ut non eant in ignem æternum cum diabolo; sed in regnum æternum intrent cum Christo: *Qui ejusmodi est*, inquit, *verè Christianus est, cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, & ne frangatur adversis, & in abundantia bonorum terrenorum, modestus, temperans, & in tribulationibus fortis & patiens, qui etiam proficiendo pervenit ad talem animum, ut plus amet Deum, quàm timeat gehennam, ut etiam si dicat illi Deus: Utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantùm volueris pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris, exhorrescat, & omnino non peccet, non jam ut in illud, quod timebat, non incidat, sed ne illum, quem sic amat, offendat, in quo una est requies.* In istis hominibus est tantùm Attritio circa prioris vitæ peccata: nam si solùm habent Attritionis motivum gehennæ metum, servilis est in iis duntaxat erga Deum timor, nondum est in iis timor filialis, aut Contritio charitate perfecta, quia recenset eos sanctus Augustinus inter venientes ad fidem, & ait illos eò posteà perventuros, ut plus ament Deum, quàm timeant gehennam. Porrò si isti forent perfectâ charitate flagrantes, non essent in via ad ejusmodi statum, nec ad eum non tenderent proficiendo, jam enim eum essent assecuti; sed ea qualiscunque dispositio detur ad Baptismum actu fructuosè suscipiendum, suscipietur: nam homo sic dispositus dicetur verè Christianus, id est, idoneus ut recipiat Baptismi sacramentum, in quo fit Christianæ fidei professio. Quare *cap. 16.* præcedenti, quô traditur formula cujusdam orationis, aut alloquii Catechistæ ita congratulantis eum, qui venit ad Baptismum propter requiem: quæ speratur post hanc vitam, ait Deo gratias frater, valde tibi gratulor, & gaudeo de te, quòd in tantis; tamque periculosis sæculi tempestatibus de vera & certa securitate cogitasti. Porrò nisi dispositio prædicta sufficiens esset ad Baptismum; quæ dispositio Attritionis est, qui cum ea veniret ad Baptisma, non cogitaret de certa securitate: ergo cùm eadem sit ratio sacramenti Pœnitentiæ, ac Baptismi, quia ambo sunt Sacramenta mortuorum; Baptismus enim & Sacramentum regenerativum: Pœnitentia sacramentum ressuscitativum & reparativum; ac subinde Attritio, quæ est sufficiens dispositio ad Baptismum debitè suscipiendum, sufficiens pariter erit ad Pœnitentiæ sacramentum verè & fructuosè recipiendum.

XIX. Attritio reverà sufficit cum Sacramento ad justificationem.

Probatur denique ratione: Primò, quia omne Sacramentum novæ legis id efficere potest seipsô immediatè, ad quod primò & per se est institutum: agit enim ex opere operato: sed Pœnitentiæ sacramentum per se institutum est ad causandam primam gratiam sanctificantem in homine per peccatum lapso: igitur potest primam gratiam sanctificantem in eo producere: sed nisi ad illud sufficeret Attritio, nusquam primam gratiam

producceret; cùm enim Contritio per se sufficiens sit ad producendam primam gratiam extra Sacramentum, si illa esset necessaria dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ, reverà ante susceptionem illius Sacramenti, necessariò præsupponi deberet gratia producta: igitur, &c.

Deinde, Sacramentum mortuorum, quale est Pœnitentia, non prærequirit in suscipiente formale principium vitæ spiritualis; illud enim immediatè efficit: sed Contritio charitate perfecta est principium vitæ spiritualis in homine: ergo illam Pœnitentiæ Sacramentum tanquam dispositionem necessariam non præsupponit.

Denique, Sacramenta novæ legis sunt efficaciora quàm legis veteris, ac subinde minorem postulant in suscipiente dispositionem: sed Sacramenta legis veteris, ut homini post circumcisionem lapso conferrent primam gratiam, necessariò requirebant Contritionem: Igitur Pœnitentia, quæ est Sacramentum novæ legis illam non prærequirit.

Adde quod, si Contritio perfecta æquè esset necessaria in nova, ac in veteri lege, sequeretur longè difficiliorem esse peccati remissionem in nova lege, quàm in veteri; Nam in lege Mosaica ad eam obtinendam solus actus Contritionis sufficiebat; in lege autem Evangelica præter illam ulteriùs requireretur Confessio omnium peccatorum mortalium secundùm numerum & speciem, quod certè videtur onus gravissimum: igitur ut facilior appareat venia consequenda per Sacramenta novæ legis, non necesse ad Sacramenta mortuorum prærequiritur Contritio.

Confirmantur hæ omnes rationes ex censura sacræ Facultatis Parisiensis, quam edidit annô 1638. die primâ Junii, & 1. Julii adversus nonnullas Claudii Seguenoti Presbyteri ex congregatione Oratorii assertiones, quas scripserat in suis ad S. Augustini librum de Virginitate notis: maximè verò quòd pro consequenda remissione peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ non sufficeret Attritio, sed desideraretur Contritio charitate perfecta & consequenter addidisset Absolutionem Sacramentalem nihil aliud esse, quàm juridicam peccati jam remissi declarationem. Ejusmodi propositiones hâc censurâ notavit sacra Facultas: *Quæ tradidit de Attritionis insufficientia: & Contritionis ex perfecta charitate absolutâ necessitate ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ: & quæ addit & approbat de Absolutione, quòd nihil aliud sit, quàm declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit Facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti comminativas, & insuper temerarias, ac erroneas.*

Objicies primò: Ad veram Pœnitentiam requiritur, quòd Pœnitens, ut veniam obtineat, ad Deum convertatur ex toto corde, & habeat cor novum: sed hæc non præstat sola Attritio: igitur, &c. Major constat, tum ex illo Deuteronomii 4. *Cùm quæsieris Dominum invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, & totâ tribulatione animæ tuæ*. Et Ezechielis 18. *Facite vobis cor novum, & spiritum novum*. Minor etiam patet: qui enim tantùm est attritus, totô corde, totâque animi tribulatione Deum non quærit; neque Attritio facit cor novum, & spiritum novum; quia non removet spiritum veteris Adam, scilicet affectum peccandi, nec inducit spiritum novi Adam, nempe charitatem: igitur, &c.

XX.
Nec contrarium suadet Scriptura.

Distinguo minorem: Si Attritio sit sine Sacramento, concedo: si juncta sit Sacramento, nego: erit enim cor novum, & Deus utiliter ac sufficienter quæritur, quando gratia sanctificans confertur homini, per quam innovatur, & ad Dei consortium, ac unionem & amicitiam revocatur. Ad authoritates autem Scripturæ respondeo, eas esse intelligendas de Pœnitentia veteris legis, necnon & novæ legis, quæ extra Sacramentum sit sufficiens ad obtinendam peccati remissionem: nam in Lege nova sufficienter homo Deo reconciliatur virtute Sacramenti Pœnitentiæ, quando dolet de peccatis, & deponit peccandi voluntatem; quod utique fit per Attritionem, ut dictum est suprà.

Vrgebis: Concilium Trident. sess. 14. cap. 3. docet materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse Contritionem, eamque ad peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri. Et cap. 4. ait: *Fuit quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam hic Contritionis motus necessarius*. Et cap. 6. dicit, *Eum cui nulla est Contritio, non verè absolvi in Sacramento Pœnitentiæ*: Igitur ex mente Concilii ad obtinendam peccatorum veniam, etiam cum Sacramento, non sufficit Attritio.

Nec Concilium Trident.

Distinguo antecedens: Requiritur Contritio generatim sumpta, quatenus abstrahit à perfecta & imperfecta, concedo: requiritur perfecta Contritio, nego. Concilium enim ibi docet Contritionem perfectam charitate hominem Deo reconciliare priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur; imperfectam autem per se non perducere peccatorem ad justificationem; sed eum tantùm disponere ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam: nam illam Contritionem Concilium dicit esse necessariam, quam initiô capitis 4. definit, cùm ait, eam esse *animi dolorem, ac detestationem peccati, cum proposito non peccandi de cætero*: ibi autem definitur Contritio genericè sumpta, prout abstrahit à perfecta & imperfecta; siquidem illa definitio etiam convenit Attritioni: quippe cùm sit animi dolor, ac detestatio peccati, cum proposito non peccandi de cætero.

Vrgebis: Idem Concilium sess. 6. cap. 6. referens varias dispositiones prærequisitas ad justificationem, asserit hominem disponi ad justitiam non tantùm per actus fidei, timoris, & spei, sed etiam dilectionis, ex qua nascitur odium peccati, per propositum novæ vitæ, ac denique observationis mandatorum divinorum: *In spem eriguntur* (inquit Concilium) *fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata*. Ubi Concilium ad justificationem, quæ fit per Baptismum, dilectionem inchoatam inquirit, ut constat ex illis verbis, *illumque tanquam justitiæ fontem diligere incipiunt*: Unde cùm non minor requiratur dispositio ad justificationem, quæ fit per Pœnitentiam, quàm ad illam, quæ fit per Baptismum, ex illo Tridentini testimonio manifestè constare putant adversarii, ad justificationem, quæ fit per Pœnitentiam, charitatem inchoatam, & imperfectam necessariò requiri.

Requirit enim dilectionem sive sit ex affectu charitatis sive ex motivo spei.

Respondeo, Concilium eò loci sermonem facere de justificatione, quæ fit extra Sacramentum,

& per solum Baptismi votum ac desiderium: unde signanter ait: *Dum proponunt suscipere Baptismum*, &c. Quo certè in casu non negamus dilectionem Dei esse necessariam, nec non & Contritionem charitate formatam. Secus est autem de justificatione, quæ fit in Sacramento: nam idem Concilium sess. *6.* cap. *6.* loquens de Pœnitentia in adultis peccatoribus prævia ad Baptismum, ait: *Moventur homines adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Porrò ad hanc Pœnitentiam ante Baptismum agendam, non est absolutè necessaria Contritio, ut diximus suprà ex S. Augustino.

Vel dico Concilium intelligendum esse de amore illo initiali, quem suprà diximus ad virtutem spei pertinere. Hic autem amor ideo *initialis* appellatur; quia ut plurimùm ab isto amore nostra justificatio initium sumit, & ut à me suprà dictum est, sæpe ducimur ab amore isto ad perfectum illum amorem, qui ad virtutem charitatis pertinet.

Urgebis: Ea dilectio initialis, quam ibi Concilium Tridentinum pro dispositione ad justificationem requirit, est ea dilectio, quâ peccator incipit Deum diligere *tanquam fontem omnis justitiæ*: at ista dilectio ad charitatis, non ad spei virtutem pertinet: ergo, &c.

Nego minorem: Quia dilectio illa, de qua ibi Concilium loquitur, est quâ Deus diligitur, ut ipse est fons nostræ justitiæ, seu justificationis, quam ab ipso promissam per Christum expectamus; ideo dicit Deum proponi diligendum, non quidem ut justitiam in se; sed *ut fontem justitiæ*, quam videlicet in nos derivat: adeoque significat eum esse diligendum ut nobis bonus est, & ut bona nobis largitur. Nec movere debet particula (*omnis*) hoc enim solùm ibi vult per illam particulam Concilium Tridentinum, quòd peccatores incipiunt Deum diligere tanquam fontem justificationis cujuscunque, & dispositionum omnium supernaturalium ad justificationem, cùm nullus sit, qui aliter, quàm per Dei gratiam justificari valeat, ut ex præcedenti capite Concilii Tridentini apertè constat, & ex nostro tractatu de Gratia.

Instabis: Ea dilectio, quam requirit Concilium locô mox citatô, est ea, quæ Sacramento Pœnitentiæ juncta, peccatoris conversionem operari potest: at nulla dilectio Dei conversionem istam potest operari, nisi ea quæ pertinet ad virtutem charitatis: ergo illa dilectio, de qua Concilium ibi loquitur, est dilectio ad virtutem charitatis pertinens.

Respondeo negando minorem: Nam ad hoc sufficit dilectio, quæ pertinet ad virtutem spei, & quam suppono conjunctam cum Attritione prædicta, quam sic volumus posse conversionem istam operari, non quidem per se solam, sed quando juncta est Sacramento Baptismi, vel Sacramento Pœnitentiæ, ut satis apertè docet Concilium Tridentinum cit. sess. 14. cap. 4. ubi expressè docet, *Contritionem imperfectam: quæ Attritio dicitur, & quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non modò non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, sed & donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, & quamvis absque Pœnitentiæ Sacramento peccatorem per se, nequeat perducere ad justificationem, eum tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit.* Nota dictum *in Sacramento ipsum disponere*, & quidem *ad gratiam impetrandam*, his enim verbis facilè constat, quòd per istam Attritionem, prout à Contritione per charitatem perfecta distinguitur, gratia conferri valeat, si juncta sit Pœnitentiæ Sacramento.

Instabis iterum; Idem Concilium sess. 14. cap. *6.* agens de pœnitente, ait: *Non debet adeo sibi de sua fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit Contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & verè absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem verè, & coram Deo esse absolutum:* ergo perfecta Contritio requiritur ad peccati remissionem absolutè, nec Attritio sufficit etiam in Sacramento.

Nego consequentiam: Ibi quippe Concilium vult tantùm arguere Novatores ultimi sæculi, qui docebant hominem nullô suæ voluntatis motu, seu Pœnitentiæ dolore, vel sensu præparari debere ad obtinendam peccatorum remissionem; sed ei solam sufficere fidem, seu potius fiduciam, & confidentiam certam de comparata remissione peccatorum. Hinc addit Concilium post verba citata: *Nec enim fides sine Pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret.* Porro Attritio pœnitentia quædam est. Ideo Contritionem intelligit ibi genericè sumptam, esse prorsus necessariam; quòd alterutra species ejus absolutè requiratur, aut imperfecta, quæ dicitur Attritio; aut perfecta, quæ dicitur Contritio simpliciter & strictè sumpta: nam extra Sacramentum perfecta requiritur; in Sacramento autem sufficit imperfecta, quæ dicitur Attritio.

XXI. Quô sensu S. August. reprobet timorem servilem.

Objicies secundò S. Augustinum, qui pluribi docet eum inaniter pœnitere, qui duntaxat à peccatis abstinet ex motu pœnæ, & supplicii; sicut epist. 144. quæ est ad Anastasium: *Inaniter*, inquit, *putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat: quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis: ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis: & quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahatur quod timetur: at per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impunè non potest fieri: nam quantùm in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem, atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quòd si posset, auferret? At per hoc quomodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem, vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat.*

Similiter lib. de Natura & Gratia cap. 57. ait. *Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati; nondum enim liber est, nec alienus à voluntate peccandi est, in ipsa enim voluntate reus est.* Insuper lib 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9. *In ipsa*, inquit, *intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat.* Et lib. 1. cap. 4. *Qui timore pœnæ præcepta facit, proculdubiò invitus facit, ac per hoc in animo non facit; ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse; qui recipit, inspicit.* Denique, S. Augustinus tract. 9. in epistolam Joan. ut supra memoravimus; necnon in Psal. 127. dicit, quòd qui cessant a peccatis ex metu pœnæ, seu gehennæ, sunt similes mulieri adulteræ, quæ tantùm ab adulterio cessans metu sui mariti, ne videlicet deprehendatur ab

eo, & severè puniatur, semper animam adulterandi retinet: igitur ex mente sancti Augustini, Attritio, quatenus est timor ex metu gehennæ, non removet voluntatem peccandi, nec consequenter sufficiens est cum Sacramento ad obtinendam peccatorum remissionem.

Distinguo consequentiam: Attritio ex metu gehennæ, quæ movet duntaxat ad cavenda peccata propter solum timorem malorum temporalium, & amorem bonorũ terrenorum, non removet peccandi voluntatem, concedo: quæ concipitur propter metũ gehennæ, quô quis timet Deô privari, & ratione hujus timoris à peccato abstinet, nego: nam timor iste gehennæ ordinatur ad Deum, tanquam ad finem ultimum, & ut sic removet peccandi voluntatem, quia ordinatur ad finem culpæ contrarium; non enim qui sic timet, suum finem ultimum reponit in ipsa evitatione supplicii, sed in privatione & carentia Dei, qui cùm non possit possideri à peccatore, idcirco qui hoc metu abstinet à peccato, sibi proponit finem ultimum culpæ contrarium: quando autem peccator sic respicit evitationem supplicii, non retinet voluntatem peccandi.

Unde timor servilis in eo, qui cessat à peccato timore supplicii, duplex esse potest: *Unus* quidem quando tota ratio, tam finalis, quàm impulsiva, seu motiva continendi se à peccatis, est fuga pœnæ, dum videlicet homo sic affectus est, ut malum fugiat solùm ob pœnam illi malo peccatorum intentatam, & in evitatione supplicii, vel in bono, quod ei supplicio contrarium est, reponit suum finem ultimum: & iste timor à plerisque dicitur *serviliter serviens*; quia competit servis & mancipiis, qui nullô Domini sui amore abstinent à prohibitis, sed solùm pœnæ metu; ita quòd semper affectum habeant faciendi vetita, nisi esset pœna subeunda. Porrò ille timor semper aliquem affectum peccandi formalem, aut virtualem in voluntate relinquit. *Alter* verò servilis est, quando qui timet, non constituit suum finem ultimum in evitatione ejusmodi pœnæ; sed ultrò tendit in bonum honestum, qualis utique est timor Attritionis; qui licèt terminetur immediatè ad evitationem pœnæ, quam timet, tamen mediatè tendit in finem ulteriorem, nempe in beatitudinem æternam, & ad Deum ut summum bonum, quô qui sic timet, non vult privari, sed eô frui; ac subinde, qui hoc timore afficitur, non retinet peccandi voluntatem. *Ex quibus* colligere licet, quòd quoties S. Augustinus ait; illos, qui timore cessant à peccato, adhuc reos esse secundùm affectum & voluntatem, loquitur de illo timore, quô terrentur ii, qui conquiescunt in evitatione supplicii, ac serviliter serviunt, & divinis mandatis parent: qui utique timor malus est, quia per eum homines in amore sui, tanquam in ultimo fine quiescunt; non verò loquitur de timore, qui ultra evitationem pœnæ tendit in possessionem Dei tanquam summi boni, cujus privationem timet; qualis est timor Attritionis.

XXII. Duplex est servilis timor.

XXIII. Quô sensu dixerit S. Augustinus neminem posse justificari sine amore Dei.

Urgebis: Idem sanctus Augustinus plutibi docet, neminem sine Dei amore posse justificari: Sic serm. 7. de tempore: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei:* Et lib. 21. de civit. cap. 17. *Si non desistant à peccato, habendo charitatem, qua non agit perperam, nihil eis prodest.* Unde Author de vera & falsa Pœnitentia: Sine amore, *inquit*, nemo unquam gratiam invenit, nec veniam assecutus est: Quod utique confirmatur ex Scriptura: nam S. Paulus 1. ad Cor. 13. disertè ait: *Sine charitate nihil sum: si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Et 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte:* igitur ad justificationem etiam cum Sacramento, non sufficit Attritio concepta ex metu gehennæ: sed requiritur affectus & motus charitatis.

Distinguo antecedens: Requiritur Dei dilectio actualis aut habitualis, concomitans, aut subsequens, concedo: sola actualis & prævia: nego. Verùm quidem est, quòd non possit fieri peccatoris justificatio sine Dei amore, & charitate habituali, quæ à gratia sanctificante non distinguitur; sed non absolutè requiritur, quòd actualis & formalis Dei amor ipsam justificationem præcedat, dum peccator eam obtinet per Sacramentum; verùm ad id sufficit amor Dei habitualis, seu charitas, quæ est forma hujusmodi justificationis, per quam videlicet peccator fit Dei amicus & ipsi gratus. Ita Doctor ejusmodi authorites solvit *dist.* 14. *quæst.* 2. *num.* 20. ubi ait. *Quòd sine amore Dei nullus consequitur veniam, potest ibi accipi venia, non tantùm pro Pœnitentia, sed pro fine Pœnitentia, & ita cùm intelligimus, quòd per Pœnitentiam acquiritur venia; & illa venia est, quando quis per gratiam acceptatur ad amicitiam divinam.*

Vel dico S. Augustinum loqui de Dei dilectione, quæ proveniat non ex affectu charitatis, sed ex affectu spei; ad quam utique Dei dilectionem conducit ille gehennæ metus; nullus enim verè attritus gehennam timet, nisi quatenus est privativa æternæ Dei possessionis; ac subinde quando dolet de peccatis propter metum gehennæ, dolor iste terminatur ad Dei dilectionem; non enim timeret gehennam, nisi quatenus est privativa possessionis Dei, neque doleret de ejusmodi privatione, nisi Deum diligeret: nam tantus est dolor in amittendo, quantus est amor in possidendo: igitur vera Attritio semper habet adjunctam Dei dilectionem ex affectu spei, si non explicitè & formaliter, saltem virtualiter & implicitè.

Dices tertiò: Cum lex Evangelica longè sit præstantior lege veteri, etiam præstantius requirit remedium ad obtinendam peccati remissionem; ubi enim lex est perfectior, ibi gratiæ consequendæ media debent esse præstantiora: sed Contritio strictè sumpta, quæ fuit medium necessarium ad consequendam gratiam in veteri lege, est medium præstantius Attritione, seu Contritione imperfectâ: igitur hæc etiam necessaria est in nova lege.

Distinguo minorem: Contritio perfecta est præstantior Attritione, si consideretur secundùm entitatem, concedo: si spectetur per ordinem & habitudinem ad finem & effectum, ac modum procurandi finis, & effectûs in sacramento Pœnitentiæ, nego: licèt enim Contritionis natura & virtus sit præstantior & perfectior Attritione: si secundùm se spectetur; unde potest extra Sacramentum ad justificationem perducere, quod Attritio non potest: Attritio tamen juncta Sacramento, tam potest ad justitiam & gratiam ultimatè disponere, seu perducere, quàm ipsa Contritio; nimirum ad ipsam gratiam, quam Pœnitentiæ sacramentum ex opere operato producit in pœnitentibus: ad hanc enim requiritur solùm ut tollatur obex malæ voluntatis ad creaturam conversæ: Attritio autem juncta Sacramento potest id efficere; quare dicitur æquivalenter ultima dispositio,

XXIV. Attritio juncta Sacramento æquivalet Contritioni quantùm ad effectû.

dispositio, quanquam ad gratiam ex opere operantis producendam in Sacramento Contritio strictè sumpta perfectiùs disponat, quia majus est hominis meritum, quàm Attritio.

Dicet quartò: Plurimi è gravioribus Theologis, maximè verò Doctores Seraphicus, & Subtilis, apertè docent, Attritionem non sufficere cum Sacramento ad remissionem peccati; quia non excludit voluntatem peccandi. *Primò* namque Seraphicus *in 3. dist. 34. part. 2. art. 1. quæst. 1.* ait: *Dicendum, quòd absque dubio timor servilis est donum Spiritûs sancti: Et ratio hujus est, quoniam sicut donum Dei est nosse, sive credere pœnas futuras, pro eo quòd ibi est quadam cordis illuminatio & directio; sic donum Dei est illas pœnas æternas refugere, & timere, pro eo quòd ex tali dono est quadam cordis emollitio, & fluxûs concupiscentialis restrictio, & in hoc quadam rectificatio.... & propter illum timorem cessat homo à peccatorum perpetratione, licèt non omnino cesset à voluntate.* Nam subdit: *Voluntas peccandi manet in habitu & radice: quia deformitas est circa timentem.* Similiter Doctor Subtilis *in 4. dist. 20. quæst.* unicâ; ubi agens de Pœnitentia, quæ tantùm fit in extremis vitæ, ostendensque eam esse dubiam, hoc probat variis rationibus; maximè verò authoritate S. August. dicentis, *Oportet non solùm timere judicem, sed diligere: arbitrii enim libertatem quærit, ut dolere possit commissa, non necessitatem: charitatem, non timorem:* igitur ex eorum sententia dolor conceptus ex metu gehennæ non sufficit ad remissionem peccati.

XXV. Perpetam asseritur Doctorem Seraphicũ improbare Attritionem.

Nego antecedens: Et ad Seraphicum Doctorem dico, illum per voluntatem peccandi, quam dicit manere in habitu & radice, nihil aliud intelligere, quàm peccatum habituale, sive maculam quæ remanet post præteritum actuale peccatum; quæ non expellitur per timorem servilem, nisi accedente Sacramentô; ac subinde potius per Sacramentum, quàm per timorem illum pellitur; ait enim *quæst. 2.* Cùm dico timorem servilem, duo dico, videlicet ipsum habitum, quô anima disponitur ad timendum Deum, ut punientem eos, qui prævaricantur, & ulteriùs nomine servitutis importatur deformitas peccati, quæ annexa est illi habitui in eodem homine, ratione cujus ille homo dicitur esse servus peccati; & timor in eo existens, dicitur esse timor servilis.

Per hunc etiam modum, cùm dico aliquem timere serviliter, duo dico: videlicet actum ab illo habitu egredientem, & voluntatis servitutem, sive deformitatem comitantem. Sed attendendum, quòd hoc potest esse dupliciter; aut ita quòd deformitas illa voluntatis concomitetur quantùm ad habitum: sic potest esse, quòd aliquis serviliter timeat, & tamen motu illô non peccabit: quia si ex cogitatione pœnarum aliquis abhorret offendere Deum, hoc potest esse præter peccatum *actuale.* Si autem concomitatur in actu, quamvis ipsum timere de se non sit malum, tamen ratione deformitatis actualiter annexæ depravatur. Sicut aliquis qui timet pœnas, & timendo dolet, quòd tales pœnæ infliguntur pro culpa, & actu etiam concupiscit peccare, si non esset illa pœna, & hôc modô serviliter est peccatum & malum. Hoc autem non est semper, cùm quis movetur timore servili; alioquin per usum illius doni magis se homo à gratia elongaret, quàm præpararet, quod planè falsum est. Ita Seraphicus Doctor, unde concludit: Et ideo concedendum est, quòd usus timoris servilis potest esse bonus, licèt non sit bonus bonitate meriti; sed magis bonitate præparante, vel ordinante ad meritum; quæ simul stat cum peccato. Unde & rationes, quæ hoc ostendunt, concedendæ sunt. Quapropter respondens ad primum, ait: Illud verò, quod primò objicitur in contrarium, quòd in timore servili vivit voluntas peccandi, & quòd dolet de eo, quod lex vetat; dicendum quòd illud verbum Augustini non intelligitur, quòd semper, quando timet, doleat actu; & similiter quòd voluntas peccandi semper sit in actu, sed hoc dicit, quia manet in habitu & radice: licèt autem voluntas sit per peccatum deformata, & regnet in ea malus amor; potest tamen aliquando moveri ad aliqua bona opera in genere, vel ex circunstantia, per aliquam gratiam gratis datam non committendo culpam, &c. Igitur censet Seraphicus Doctor, dolorem peccati propter gehennæ metum seu Attritionem, posse excludere omnem actualem affectum & voluntatem peccandi, quamvis per se non sit sufficiens ad removendum peccatum habituale, seu deformitatem illam & maculam, quæ remanet in peccatore transactô actu peccaminosô, nisi illa Attritio jungatur sacramento Pœnitentiæ.

XXVI. Idem etiã dicendum de subtili Doctore.

Ad Doctorem subtilem Respondeo, dici posse: *Primò* eum ibi agere maximè de Pœnitentia quæ extra Sacramentum sufficiat ad salutem; ad quam procul dubio requiritur amor Dei, sive Contritio charitate perfecta. *Secundò* dici potest quòd, si sermo sit de Pœnitentia seu de dolore Pœnitentiæ juncto sacramento Pœnitentiæ; illa verba *oportet non solùm timere judicem, sed diligere,* non tam significant affectum charitatis quàm spei; ut colligitur ex sequentibus: *non igitur timeat pœnam qui pœnitet, sed anxietur pro gloria:* Anxiari autem pro gloria, nihil est aliud quàm timere privationem beatitudinis & æternæ hæreditatis, quæ per peccatum deperditur, & per pœnitentiam restauratur. Porrò hæc animi anxietas ab alia virtute oriri non potest, quàm à virtute spei; ac subinde neque sanctus Augustinus, neque subtilis Doctor, per *dilectionem* aliud intelligunt, quàm affectum spei. Porrò Attritio habet hunc affectum, siquidem nemo potest per eam timere gehennam; quin pariter habeat displicentiam voluntariam, quòd peccaverit, quia peccando amisit jus ad hæreditatem sibi repromissam: quæ utique displicentia tendit in Deum saltem mediatè; quippe cùm Deus sit objectiva beatitudo, quam recuperare sperat pœnitens. Quòd autem Doctor non de alio dolore quàm Attritionis loquatur; quando videlicet pœnitens in extremis suscipit sacramentum Pœnitentiæ, apparet ex his quæ subjicit, *nu. 7.* ubi ex dictis colligit: *Quòd infirmo jam ad articulum istum deducto suadendum est, ut secundùm suam possibilitatem laboret ad Pœnitentiam ordinatam; ut scilicet non obstante dolore vel timore, utatur ratione quantùm potest, & nitatur habere displicentiam voluntariam propter finem debitum, scilicet propter Deum & renitatur malæ inclinationi habitus & delectationum præsentium: & laboret ad displicentiam quantùm poterit habere, licèt brevem; & ne in desperationem mittatur, extollenda est sibi misericordia, proponendo sibi exemplum de latrone illo, cujus fuit pœnitentia sera, sed non sera Indulgentia.* Quibus verbis Doctor veram, diminutam ac imperfectam rationem & doctrinam haud dubiè traderet, nisi sic intelligendus esset, quòd velit ad justificationem

extra Sacramentum requiri amorem amicitiæ, seu charitatis perfectæ, cum Sacramento verò sufficere amorem concupiscentiæ sive dilectionem minùs perfectam; quam utique charitatem, sive potius spem difficile est peccatorem habere in extremis, probat; quia, ut mox dicebat, *Qui usque tunc fuit impœnitent non videtur tunc extorquere à seipso displicentiam novam, nisi timore pœna imminentis, præsumitur enim, &c.* Et rectè quidem dixit, *præsumitur*, quia accidere potest contrarium; licèt valdè sit timendum hujusmodi peccatorem retinere adhuc internam complacentiam peccatorum præteritorum, nec-non & conditionalem affectum peccandi, si periculum mortis non immineret, &c.

XXVII. Quò sensu dixerit Pœnitentiam in extremis non esse voluntariam.

Vrgebis: Ut Pœnitentia sit salutaris, debet esse simpliciter voluntaria: sed ex Doctore ibidem, Pœnitentia quæ fit in extremis solô metu gehennæ, non est simpliciter voluntaria: igitur, &c. Major constat. Minorem verò sic declarat Doctor *num.* 5. *Ad hoc*, inquit, *quòd displicentia valeat, & sit ordinata, oportet quod sit debitè circumstantionata, & maximè circunstantiâ finis, & principii activi principalis, ut scilicet sit voluntaria propter Deum: sed difficile est tunc habere actum sic circunstantionatum: quia qui usque tunc fuit impœnitent, non videtur tunc extorquere à seipso displicentiam novam, nisi timore pœna imminentis; præsumitur enim, quòd si remotus esset à pœna, sicut priùs, non extorqueret à seipso illam displicentiam, sicut nec priùs: Tum, quia aliquid simpliciter involuntarium videtur causa istius displicentia; nam expectatio mortis, videtur causa istius displicentia; illa autem est involuntaria, & quod non fit, nisi ex suppositione cujusdam involuntarii, non est simpliciter voluntarium, sicut non omnino voluntariè projicit quis merces in mare, si non projicit, nisi ex suppositione cujusdam periclitationis, quam nollet: saltem quod non est, nisi sic involuntarium, non est multum acceptum alii, nec multùm videtur propter amorem ejus factum.* Ita Doctor, quibus significat Pœnitentiam ex metu mortis conceptam, non esse voluntariam, nec Deo gratam: ergo multò minùs voluntaria erit Pœnitentia concepta propter metum gehennæ, qui longè major est, quàm metus mortis; quia gehenna majus infert damnum, quàm mors naturalis; ac subinde majorem metum incutit: & consequenter magis minuit rationem voluntarii in eo, quem ob ejusmodi metum peccasse pœnitet.

XXVIII. Involuntarium est triplex.

Respondeo, involuntarium dici tripliciter. *Primò modò* pro eo, quod nihil omnino habet de voluntario: *Secundò modô*, pro eo quod plus habet de voluntario, quàm de involuntario: *Tertiò modô* pro eo quod fit independenter ab omni circunstantia, quæ actum impediret: quod autem fit ex metu, esto non sit simpliciter voluntarium primô modô, est tamen voluntarium simpliciter secundô modô. Porrò Doctor intelligendus est de voluntario primô modô, ut colligitur ab exemplo, quod ipse proponit, & repetit ex projiciente merces in mare: illa namque projectio est simpliciter voluntaria, quia procedit à voluntate efficaci projiciendi ejusmodi merces cum sufficienti cognitione circunstantiarum; tametsi habeat aliquam rationem admixtam involuntarii, & fiat contra inefficacem inclinationem istius voluntatis, quæ nollet ejusmodi periculum adesse, ut salvas & integras merces haberet: unde illa projectio est simpliciter voluntaria ex parte operantis, licèt non sit simpliciter voluntaria ex par-

A te objecti, sed tantùm propter circunstantiam imminentis periculi: igitur displicentia peccati metu gehennæ, etiam dicenda est voluntaria simpliciter hôc secundô modô, tamen dicitur involuntaria secundùm quid, non quidem propter simplicem complacentiam peccatorum, seu affectum peccandi, si periculum gehennæ abesset; hæc enim conditionalis voluntas esset peccaminosa, quia ex objecto suo est mala: sed dicitur involuntaria secundùm quid à nolitione illius periculi; quod utique pœnitens nollet adesse: simpliciter autem & absolutè displicent peccata, non tantùm externa, sed etiam interna; alioqui non posset peccator imminens ge-
B hennæ periculum evadere. Hinc magna est diversitas inter projectionem mercium in mare; & Attritionem: nam ut quis evadat imminens naufragii periculum, sufficit illa externa mercium projectio: ad evadendam autem gehennam, necessariò requiritur detestatio omnium peccatorum non solùm externorum, sed etiam internorum; unde potest aliquis periculum naufragii evadere, tametsi habeat hanc conditionalem voluntatem non projiciendi merces, nisi periculum urgeret: Attritus autem non potest habere hunc conditionalem affectum, non detestandi peccata, nisi gehenna immineret, quia non
C potest gehennæ periculum evadere, nisi omnem omnino affectum peccandi excludat.

XXIX. Attritio sine Sacramento non est multùm accepta Deo.

Nec obstat, quòd ibidem subjiciat Doctor, illam detestationem, quæ habet admixtum aliquid involuntarii, non esse multùm acceptam & gratam Deo; fateor enim, quòd Attritio ex se, & seorsim à Sacramento, non sit multùm Deo accepta, nec possit peccatorem in Dei gratiam restituere. Quòd autem sit ea Doctoris sententia, apparet ex his quæ docet *dist.* 14. *quæst.* 4. *num.* 7. ubi loquens de remissione peccati post Baptismum commissi per Sacramentum, & sine Sacramento, dicit, quòd dum quis justificatur per Sacramentum, recipit illius effectum, scili-
D cet gratiam pœnitentialem: *Non quidem ex merito*, inquit, *quia dispositio interior non erat sufficiens per modum meriti, sed ex pacto Dei assistentis Sacramento suo ad effectum illius, ad quem instituit Sacramentum: alioquin non appareret, quomodo sacramentum Pœnitentia esset secunda tabula, si unquam per ipsum, ut Sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantùm per Attritionem, tanquam per præviam dispositionem, & per Contritionem tanquam per dispositionem completivam:* Igitur ex mente Doctoris Attritio sufficere potest cum Sacramento ad justificationem, etiamsi parùm secundùm se sit Deo accepta & grata.

E

Corollaria.

EX his sequitur *primò*, quòd ut Attritio sufficiat cum Sacramento ad justificationem, debeat esse supernaturalis; ita namque definit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. ubi ait: *Attritionem non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs S. impulsum.* Unde sess. 6. can. 3. definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quod etiam testantur Scripturæ sacræ oracula, quibus Deus sibi tribuit hominis pœnitentiam: Sic Eze-

chiel 36. *Auferam à vobis cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Et Threnorum 5. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Hinc Lucæ 22. *Conversus Dominus respexit Petrum.... & egressus foras Petrus flevit amarè.* Quæ verba sic expendit S. Ambrosius: Quos Jesus respicit, plorant delictum, negavit Petrus Christum, & non flevit, quia non respexerat Dominus: negavit secundò & non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus: negavit tertiò, respexit Jesus, & ille flevit amarissimè. Quapropter Concilium Arausicanum secundum Can. 4. decernit, per S. Spiritûs infusionem & operationem, in nobis fieri non tantùm, ut à peccato purgemur, sed etiam ut purgari velimus: purgationis autem à peccato voluntas, est Attritio, vel Contritio: igitur censet Attritionem non posse esse salutarem, nisi sit supernaturali auxiliô Dei concepta.

Dices: Attritio concepta naturæ viribus ex metu pœnarum inferni, quas divinâ fide credimus, est supernaturalis, utpote quæ motivô supernaturali concipitur: sed Attritio supernaturalis ad peccati remissionem sufficit: ergo, &c.

Distinguo majorem: Supernaturalis objectivè tantùm & materialiter, ut ea fides, quâ credunt hæretici Trinitatem divinam, & Incarnationem Verbi, concedo: formaliter ex objecto formali, & efficienter ex influxu causæ producentis Attritionem, cujusmodi requiritur ad gratiam peccati remissivam, nego.

Dices secundò: Detestatio peccatorum absoluta, non hypothetica tantùm & inefficax, ad peccati remissionem sufficit: sed Attritio concepta naturæ viribus potest esse detestatio peccatorum efficax & absoluta: ergo, &c.

Distinguo majorem: Si fiat ex gratia Dei, concedo; ex natura, nego: nam ex Arausicano secundo Can. 7. *Qui per naturæ vigorem, aliquid eligere posse confirmat, ad salutem pertinens, absque illuminatione, & inspiratione S. Spiritûs, hæreticô fallitur spiritu, non intelligens Dei vocem in Evangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere.*

Dices tertiò: Doctor subtilis *in 4. dist. 14. q. 2. num. 14.* apertè docet dolorem de peccatis naturæ viribus conceptum, sufficere ad obtinendam remissionem: igitur non censet Attritionem necessariò debere esse supernaturalem.

Nec contradicit subtilis Doctor.

Patet antecedens; agens enim de dolore prævio ad remissionem peccati tanquam dispositione necessaria, ait: Ad hujus intellectum, sciendum, quòd peccator in peccatis existens eô modô, quô dictum est in *præcedenti quæst. art.* 1. peccatum manere post actum, potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, ut offensivum Dei, & ut contra legem divinam, & ut aversivum à Deo, & ut impeditivum præmii, & ut inductivum supplicii, & sub multis talibus rationibus: & potest voluntas ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis illud peccatum sic consideratum detestari, & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ. Potest etiam ista detestatio esse totaliter circunstantionata circunstantiis moralibus debitis: non est enim verisimile, quòd necesse sit propter peccatum istud remanens, actum quemcunque circa peccatum commissum esse defectivum in aliqua circunstantia morali. Iste autem motus dicitur Attritio, & est dispositio, sive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis; quæ sequitur in ultimo instanti alicujus temporis, in quo tempore ista Attritio duravit. Ita Doctor, ex quibus liquet, eum velle, quòd voluntas propriis viribus sine speciali auxilio Dei possit elicere actum Pœnitentiæ ultimò dispositivum ad gratiam.

Nego antecedens, nec-non & duas consequentias, & ad Doctoris authoritatem dico, eum per ly *(ex naturalibus cum communi influentia)* non significare actum elicitum ex propriis viribus naturæ, & sine omni auxilio supernaturali, sed actum informem; hoc est, qui non informatur charitate & gratiâ habituali; ibi namque Doctor inquirit, an dispositio prævia informis sufficiat ad remissionem peccatorum. Sic namque ait: *num.* 13. De secundo principali, scilicet an pœnitere, ut actus virtutis, requiratur ad deletionem peccati; Dico, quòd non ut actus unius determinatæ virtutis: Secundò, quòd non ut actus cujuscunque virtutis genitæ talis, vel talis indifferenter: Et tertiò, si ut actus simpliciter perfectè circunstantionatus, nunquid ut formatus, vel sufficit ut informis? Cui postremæ quæstioni sic respondet. De tertio dico, quòd actum aliquem humanum requiri ad deletionem peccati, potest intelligi dupliciter, vel ut dispositionem præviam, vel ut concomitantem: Primô modô sufficit actus informis, imò semper est informis, quia dispositio prævia ad peccati deletionem est semper sine gratia & charitate, à cujus solius inhærentia, & inclinatione ad actum, dicitur actus formatus: Secundô modô dico, quòd requiritur actus formatus: nam in illo instanti; in quo deletur peccatum, charitas inest, & per consequens, si actus requiritur ut concomitans, requiritur, ut formatus. *Hæc Doctor.*

Ex quibus apparet, quòd dum *num.* 14. sequenti ait, intellectum ex naturalibus cum communi influentia posse considerare peccatum ut offensivum Dei, & voluntatem peccatum sic consideratum posse detestari; per τὸ ex naturalibus, tantùm excludit gratiam habitualem, non verò actualem prævenientem, ac concomitantem, quam alibi ad veram Pœnitentiam, & justificationem necessariam esse asserit; maximè verò *in* 1. *dist.* 44. *num.* 4. ubi ait: quemlibet peccatorem salvari posse; *Quia*, inquit, *potest Deus eum suâ gratiâ prævenire, &c.* Et dist. 20. q. unicâ, ait: *esse opus Dei, homini Pœnitentiam fructuosam inspirare.* Et dist. 22. art. 2. ait: *Deum propter merita mortificata citiùs dare gratiam ad resurgendum, &c.* Quinimò in hac ipsa *dist.* 14. eâdem *quæst.* 2. *num.* 20. hoc ipsum apertè satis significat Doctor: respondens enim ad authoritates, quas sibi ipsi objecerat, nempè quòd charitas necessaria sit ad remissionem peccati, ait: *Ista authoritates omnes unam habent responsionem, quia Pœnitentia, sive actus, sive virtus,* (id est habitus) *non est vera quantùm ad finem* (extrinsecum) *Pœnitentia attingendum sine charitate. & hoc est, quod dicit secunda authoritas de Pœnitentia fructuosa. Pœnitentia enim* (attende) *absolutè potest innasci ex naturalibus hominis, sed non fructifera, hoc est, ferens fructum: imò ut fructuosa, est in ultimo instanti.* Doctor autem sibi contradiceret, si *num.* 14. asseretet Pœnitentiam fructuosam posse innasci ex naturalibus: igitur non est verisimile, quòd per τὸ ex naturalibus excludat auxilium gratiæ actualis, aut concomitantis; sed tantùm significare vult ad veram Attritionem, quatenus est dispositio necessaria cum sacramento Pœnitentiæ ad

justificationem percipiendam, non requiri, quòd illius actus procedat ex gratia habituali sanctificante.

XXXI. *Attritio cum Sacramento fit Contritio æquivalenter.*

Collige secundò : Attritionem accedente virtute Sacramenti, posse fieri Contritionem æquivalenter; quippe cùm eundem obtineat effectum, quem haberet Contritio extra Sacramentum, quô sensu Doctor dist. 4. q. 2. n. 15. docet Attritionem sui mutatione fieri posse Contritionem adveniente gratiâ, ait enim : Etsi manet idem motus contra peccatum in *esse* naturæ, & moris, qui priùs fuit Attritio, in illo instanti fit Contritio : quia in illo instanti fit concomitans gratiæ, & ita actus formatus, quia habens secum charitatem; quæ est forma actûs, ut hîc loquimur. Ibi tamen oporteret distinguere signa naturæ, inter actum, ut est talis in *esse* naturæ, & mores, & inter charitatem, & inter actum, ut est formalis : quia in primo signo naturæ est ibi actus talis, in secundo charitatis, in tertio actus formatus à charitate jam inclinante, & inhærente; & sic Attritio fit Contritio sine omni mutatione reali ipsius actûs. Hoc est ex actu informi fit actus informatus : non enim vult Doctor, quòd Attritio, quæ est detestatio peccati ex motivo spei possit fieri Contritio, seu peccati detestatio ex motivo charitatis. Hinc facilè intelligitur, quid intendat idem Doctor in 4. dist. 14. q. 4. n. 9. dum *ait :* Concedo, quòd ante perceptionem dignam Pœnitentiæ, oportet suscitari vel simpliciter, & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum, non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur, vel suscitari secundùm quid, scilicet ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cavendi de cætero, & velit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo Attritio fit Contritio, id est, in quo, sive per quod, imperfecta illa, sive aliqualis displicentia, confert gratiam sanctificantem, quam sine Sacramento contulisset Contritio charitate perfecta. Attritio ergo in Sacramento fit Contritio, quoad æquivalentiam, sive quoad effectum, non quoad entitatem.

XXXII. *Extendi debet ad omnia peccata mortalia.*

Collige tertiò : Attritionem extendi debere ad omnia prorsus peccata mortalia, quia unum mortale non potest remitti sine alio; ac proinde cùm Attritio sit necessaria ad remissionem peccati mortalis, etiam necessum est, quòd Attritio ad hoc Sacramentum requisita tendat in omnia mortalia; quodque pœnitens qui se disponit ad impetrandam veniam in hoc Sacramento, omnia mortalia saltem generatim & virtualiter detestetur; eorumque omnem affectum abjiciat.

Utrum autem Attritio etiam tendere debeat in omnia venialia, non ita convenit inter Theologos; plures namque id affirmant, negant verò cæteri. Sententia tamen negativa mihi probabilior apparet : Tum, quia non est necesse de eis peccatis pœnitentem dolere, de quibus necessarium non est confiteri: sed ad obtinendam veniam in Sacramento Pœnitentiæ non est necesse confiteri peccata venialia, ut docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. ubi cùm dixisset : Omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt, necessariò esse confitenda, subjicit : *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur; & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & utiliter citra omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; tace-*

Non autem necessariò ad omnia venialia.

A *ri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Tum, quia unum veniale remitti potest sine alio; ac subinde non est necesse quòd quis de singulis Attritionem formet, sed sufficit quòd de aliquibus doleat, ut videlicet dolor ille sit materia necessaria ad confectionem hujus Sacramenti.

Dices : Qui non dolet de omnibus venialibus à se confessis, proponit aliquid pro materia Sacramenti Pœnitentiæ, quod reverà non potest illius esse materia : igitur tantùm abest, ut possit veniam obtinere, quin imò novum pecca-
B tum committit. Antecedens patet; siquidem illud est materia Sacramenti Pœnitentiæ, quod per Sacerdotalem Absolutionem solvi debet; quemadmodum illud est materia Sacramenti Eucharistiæ, quod per verba consecrationis debet consecrari : igitur quemadmodum peccaret graviter, qui hostiam papiraceam cum triticeis apponeret consecrandam, sic etiam graviter peccaret, qui confitendo peccata venialia proponeret aliqua, de quibus non doleret; qoia proponeret pro materia, quod reverà illius materia esse non potest, defectu doloris.

Nego antecedens : Ille enim qui manifestat aliqua venialia in Confessione, de quibus non
C dolet, non proponit illa pro materia Sacramenti Pœnitentiæ; sed duntaxat ejusmodi venialia peccata exponit cum illis, de quibus dolet, vel ut inde majorem humiliationem & confusionem habeat, vel ut evidentiorem suæ conscientiæ notitiam suo Confessori exhibeat; non secus ac habitus vitiosos, & peccandi occasiones, ac tentationes occurrentes solet proponere. Unde ad antecedentis probationem nego paritatem, & ratio disparitatis est, quòd hostia papiracea cum triticeis exhiberi non possit in missa, nisi solùm ut consecretur, & ut materia transsubstantiationis capax, qualis tamen capax non est; necessarium verò non est, ut omnia venialia, quæ manifestamus in Confessione, proponamus ut Sa-
D cramenti materiam : ea quippe non confitemur necessariò, sed ea proponimus ad humiliationem confusionemque nostram, & majorem nostri statûs notitiam aperiendam Sacerdoti, ad consilium habendum, sicuti propensiones naturales, occasiones, tentationes, & similia, quæ non sunt peccata, laudabiliter in Confessione Sacerdoti detegimus.

Dices secundò : Qui non atteritur de venialibus omnibus, quæ confitendo manifestat, facit formam Absolutionis falsam, & Sacramentum irritum, & falsum ex parte, prout ei detrahit idoneam Absolutionis materiam, & legitimum effectum: gravissimè igitur peccat.

Nego antecedens : Quia formæ hujus, *Absolvo te à peccatis tuis*, sensus est, ab iis quæ cum do-
E lore, debitoque proposito confessus es : ergo non est irritum ex parte Sacramenti, quia nihil deest ei necessarium ad valorem & fructum, si confessus sit pœnitens unum veniale, licèt non habeat tantum effectum, quàm habere posset, si dolorem de singulis haberet. Unde consultum esse debet pœnitenti, ut dum Confessioni faciendæ præmittit examen suæ conscientiæ, dumque singula à se commissa peccata recogitat, etiam ad singulorum recordationem & memoriam eliciat dolorem, ac detestationem, quò nempe efficaciùs ac meliùs disponatur ad percipiendum Sacramenti effectum.

Collige denique, saluberrimum esse, ut ille, XXXIII.

Expedit ut Confessionem antecedat.

qui fieri solet per Attritionem, dolor Confessio- A nem antecedat; qui enim de suis peccatis atteritur, longè distinctiùs & accuratiùs, ac etiam majori cum aoimi devotione, ac præparatione ad gratiam & Absolutionem Sacramentalem peccata declarat: non est tamen absolutè necessarium, ut ille doloris motus & affectus Confessionem præcedat, sicut constat ex communi praxi fidelium, qui existimant se debitè recepisse Absolutionem Sacramentalem, dummodò ante illius susceptionem atterantur. Hinc Confessarii, ubi exceperunt pœnitentium peccata, eos adhortantur; ot de ipsis doleant, cum proposito imposterum non peccandi: hoc autem foret inutile, istaque praxis vergeret in ipsius pœnitentis damnum, & in Sacramenti irreverentiam, si dolor iste necessariò præmitti debuisset Confessioni B faciendæ: igitur, &c.

XXXIV. *Sed necessariò debet comitari absolutionem.*

Necessarium tamen est, quòd ipse Attritionis dolor Sacramentalem Absolutiooem præcedat; cùm enim illa Sacrameotalis Absolutio feratur per modum sententiæ judicialis, quæ necessariò supponit accusationem rei: accusatio autem cùm sit voluntaria, debet habere concomitaotem, aut saltem subsequentem dolorem pœnitentis, tanquam dispositionem præviam, idcirco Sacerdos non potest pœnitentem absolvere, quin priùs peccata per Confessionem declaraverit, & de iis doluerit; maximè cùm hæc sententia sit reconciliativa peccaroris cum Deo, ac subinde pœnitens debet esse paratus ac dispositus, ut in C Deigratiam redeat: hoc autem fieri noo potest, quin peccator ea execretur, ac detestetur, quæ ei fuerant in causa, cur averteretur à Deo. Hæc autem detestatio fit per modum Contritioois, vel Attritioois: igitur motus ille, & affectus doloris necessariò debet antecedere Sacramentalem Absolutionem. Ex quibus colligitur, quòd quoties absque ejusmodi dolore quis confitetur peccata, invalidè absolvitur, & debet iterum de illis peccatis confiteri.

XXXV. *Quæ sit Attritionis definitio.*

Collige denique, Atttitionem posse sic definiri: *Attritio est animi dolor & detestatio de commissis peccatis cum proposito non peccandi de cætero; &* D *spe ac petitione veniæ ex motivo supernaturali, conceptus, vel ex metu gehennæ; vel ex turpitudine peccati cum aliqua Dei dilectione, ad virtutem spei spectante.* Cujus utique definitionis, seu descriptionis particulæ omnes, coostant ex dictis: *Primò* namque dicitur *animi dolor ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero,* in quibus convenit cum Contritione perfecta, quæ eosdem pariter characteres habet. Additur *cum spe ac petitione veniæ*; qui enim debitè atteritur, sperat veniam à Deo obtinendam, & illam exorat. Sequitur *ex motivo supernaturali*; qui enim doleret de peccatis ob motivum purè naturale, non haberet sufficientem dis- E positionem ad veniam, & gratiam sanctificantem obtinendam. Cætera adduntur, ut distinguatur ipsa Attritio à Contritione perfecta, quæ habet pariter spem veniæ consequendæ, & concipitur ex motivo supernaturali; sed duntaxat ex affectu charitatis & dilectionis Dei propter se.

SECTIO SECUNDA.

De Confessione Sacramentali.

I. *Triplex in Scriptura celebratur Confessio.*

CONFESSIONIS nomen idem propriè significat, ac alicojus rei vel secretæ, vel incognitæ privatam aut publicam, spontaneam aut coactam declarationem ac manifestationem. Unde triplex in Scriptura sacra distinguitur Confessionis genus; alia enim est Confessio *Professionis*, alia *laudis*, alia denique *accusationis*. Prima est, quâ quis publicè ac constanter profitetur aliquam veritatem, maximè quæ spectet ad Dei gloriam; sic Christus Dominus ait Matth. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Hinc Apostolus ad Rom. 10. Fideiprofessionem, Confessionem appellat, cùm ait: *Corde creditur ad justitiam, ore autem Confessio fit ad salutem.* Unde qui Christi Domioi fidem liberè profitentur, Confessores solent appellari. Secundò, accipitur pro laude, seu gratiarum actione, sicque confiteri Deum, est ipsum laudare; ita Psal. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* S. Matth. 11. & Lucæ 10. Christus Dominus Patrem divinum alloquens, ait: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ.* Tertiò, significat peccatorum manifestationem, & declarationem, sic Psal. 31. *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Matth. 30. *Omnis regio circa Iordanem exibat, & baptisabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.* Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Hæc præclarè observat S. Augustinus in Psal. 29. *Confessio*, inquit, *gemina est, aut peccati, aut laudis. Quando nobis malè est, in tribulationibus confiteamur peccata nostra. Quando bene, in exaltatione justitiæ confiteamur laudem Deo: sine Confessione non simus.* Et in Psal. 94. *Confessio quidem duobus modis accipitur in Scripturis. Est Confessio laudis, quæ pertinet ad hominem, est Confessio gementis, quæ ad Pœnitentiam pertinet ejus qui confitetur. Confitentur enim homines, qui laudant Deum: confitentur cùm accusant se, & nihil dignius facit lingua. Verè puto, quòd ipsa sint vota, de quibus dicitur* in Psal. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Hinc serm. 8. de verbis Domini, expendens hæc Christi D. verba, *Confiteor tibi Pater,* &c. ait: *Si confiteor, Christus dixit, à quo longè est omne peccatum, non solius est confiteri peccatoris, sed etiam aliquando laudatoris. Confitemur ergo sive laudantes Deum; sive accusantes nosmetipsos. Pia est utraque confessio, sive cùm te reprehendis, qui non es sine peccato; sive cùm illum laudas, qui non potest habere peccatum.*

1. Professionis. *Quid significet Confessionis nomen.* II. *2. Laudis. 3. Accusationis.*

Quæ rursus duplex: alia enim fit Deo, & altera homini.

Confessio peccatorum rursus duplex est: *alia* quæ fit Deo, *alia* quæ fit homini: Prima est, quâ peccata nostra agnoscentes cor nostrum coram Deo effundimus confitentes ac detestantes; ad hanc sufficit locutio cordis; quia Deus scrutatur corda; pertinet autem potiùs ad Contritionem, quàm ad Confessionem. De hac Regius Propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci: Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Confessio, quæ fit homini, est ea, quâ homini labiis, vel aliô signô externô manifestamus peccata nostra.

Hæc rursus duplex: Sacramentalis, & non Sacramentalis. Hæc postrema multiplex; alia civilis, quâ homo coram Judicibus sua confitetur

Hæc iterum duplex; alia Sacramentalis; altera non Sacramentalis.

peccata; sic Josue Acham alloquebatur: *Da gratiam Deo, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.* Josue 7. Alia satisfactoria, quæ fit ad placandum proximum, eumque nobis reconciliandum, si vitio nostro læsus fuerit. Alia consolatoria, quâ peccara nostra in sinum hominis effundimus, consolationem ab eo percepturi. Alia denique consiliaria, qua peccara nostra erudito ac sapienti viro confitemur, ut ejus ore erudiamur ad ea subigenda & corrigenda.

Has omnes Confessionum species admittunt hæretici. Confessio Sacramentalis, est accusatio peccatorum suorum apud Sacerdotem, qui authoritatem habet, nt per eum virture clavium remittantur: apud Græcos hæc dicitur *Exomologesis*, quod etiam nomen ad Latinos translatum est quamquam hæc vox usurpata sit pro universa Pœnitentiæ actione, non autem pro sola delicti sui accusatione.

Apud sacros autem & Ecclesiasticos Authores, Confessio interdum nsurpatur, non tantùm ad significandam delicti proprii manifestationem; verùm etiam totam Pœnitentiæ, seu Satisfactionis actionem, nt optimè declarat Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 9. ubi cùm dixisset: *Tantùm relevat Confessio delictorum, quantùm dissimulatio exaggerat; Confessio enim Satisfactionis consilium, dissimulatio contumaciæ*: paulò post subdit: „Is actus (*Confessio*) qui magis Græcô vocabulô exprimitur & frequentatur, exomologesis est, quâ delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus Satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentiâ Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversionem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare: cæterùm, pastum & potum pura nosse, non ventris, scilicet, sed animæ causâ: plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia exomologesis, ut Pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat. Cùm igitur provolvit hominem, magis relevat: cùm squalidum facit, magis mundatum reddit: cùm accusat, excusat, cùm condemnat, absolvit. In quantùm non peperceris tibi; in tantùm tibi Deus, crede, parcet."

III. Confessio usurpatur interdum pro tota pœnitentia.

IV. Quanta sit Confessionis dignitas & utilitas. Egregiè docent SS. Patres.

Portò quanta sit Confessionis dignitas & virtus, quàm desiderandus & admirandus ejus fructus, aperit imprimis Tertullianus cap. 8. de Pœnit. *Tantùm relevat Confessio delictorum, quantùm dissimulatio exaggerat.* Et paulò post initio cap. 9. *Exomologesis est, quâ delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus Satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur.* Deinde multis exagitat pudorem crimina sua publicè confitendi: præcipuum autem argumentum ab utilitate petit Confessionis, & reticentiæ damnis. *Vbi pœnitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare. Miserum est secari, & cauteriô exuri, & pulveris alicujus mordacitate cruciari. Tamen quæ per insuavitatem medentur, & emolumentô curationis offensam sui excusant, & præsentem injuriam superventuræ utilitatis gratiâ commendant.* Postea aliam eorum objectionem diluit: *Quid si præter pudorem, quem potiorem putant, etiam in commodo corporis reformident?* &c. Origenes Homil. 3. in Levit. Confessionis virtutem demonstrat duobus his Scripturæ testimoniis: *Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Esaiæ 43. *Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Ex quibus statim colligit: *Vide ergo, quia pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur. Præventus enim diabolus in accusatione, ultrà nos accusare non poterit: Et si ipsi nostri simus accusatores, proficiat nobis ad salutem.* Homiliâ autem 17. eumdem Psalmi locum interpretans, subdit: *Si enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata nostra non solùm Deo, sed & his qui possint mederi vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra,* &c. Similiter Chrysostomus Homil. 20. in Genesim: *Qui hæc facit, si voluerit ad Confessionem facinorum festinare, & Medico ostendere ut ulcus, & omnia dicere cum diligentia, facilè sua peccata emendabit. Confessio enim præteritorum, est absolutio delictorum.*

Sanctus Pacianus parænesi àd Pœnitentiam multis agit adversus eos, qui pudore, ne peccata sua enuntiarent cohibebantur. *Peccator timebit, peccator erubescet, perpetuam vitam præsenti pudore mercari; & offerenti manus Domino, vulnera malè tecta subducet? Et habet aliquid, quod in illo erubescat, qui Dominum læsit, &c. Atque ideo qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiæ lacrymis adjutus, Christi precibus absolvitur.* S. Ambrosius epist. 3. Sæpius pudorem crimina confitendi à peccatoribus avertere tentat, veluti magnam salutis acquirendæ impedimentum, tandemque concludit: *Illos itaque sanavit, in quibus simplicem & puram reperit Confessionem, nihil malignum, nihil fraudulentum.* Ex initio enarrationis in Psal. 37. *Plurimùm suffragatur reo verecunda Confessio, & pœnam, quam defensione non possumus, pudore sublevamus.* Capite verò 10. libri de Pœnitentia adversus eundem Confessionis pudorem urgens: *Hoc ergo in Ecclesia facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sancta plebis requiras, ubi nihil est, quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cùm omnes simus peccatores, ubi ille laudabilior qui humilior; ille justior, qui abjectior.* Istius virtutis fundamentum explicat lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. *Confessio pœnarum compendium est. Inde in judiciis sæcularibus impositi equuleo torquentur negantes, & quod quadam tangit Iudicem miseratio confitentis. Est quadam in peccatis verecundia, & Pœnitentiæ portio crimen fateri, nec derivare culpam, sed recognoscere Mitigat Iudicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium.* Et serm. 10. in Psal. 118. *Didicisti cor esse mundandum, disce quemadmodum mundes. Mundat hunc fontem justificatio legitima, hoc est, Confessio peccatorum. Denique publicanus ille, qui peccata propria fatebatur justificatus magis de templo, quàm Pharisæos exivit.*

Sanctus Augustinus Homil. 12. libri 50. Homiliarum. *Deus noster, quia pius est, & misericors vult ut ea confiteamur in hoc sæculô, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Si enim*

nos confitemur, ille parcit: si nos agnoscimus, ille ignoscit. Et enarratione in Psal. 66. *Ad hoc exigit Confessionem, ut liberet humilem: Ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Tristis esto antequam confitearis, confessus exulta, jam sanaberis. Nam confitentis conscientia saniem collegerat, & apostema intumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet Medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce Medici manum, confitere, exeat in Confessionem & defluat omnis sanies. Iam exulta, jam lætare, quod reliquum est facilè sanabitur.*

Similia habent cæteri SS. Patres, ut constabit ex hujus Sectionis decursu, quibus apertè constat, quanti facienda sit Sacramentalis hæc peccatorum accusatio, quàmque ab omnibus Christianis sit æstimanda. Nihilominus, ut boni & æqui sunt osores & impugnatores hæretici, mirum esse non debet, quòd modis omnibus hanc salutarem Confessionem exagitent. *Primò* namque in Concilio Constantiensi sess. 8. extat damnatus Vvicles hic Articulus septimus: *Si homo debitè fuerit contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua.* Sess. 15. damnatur liber ejusdem Vviclefi, & Joannis Hus, ubi legitur: *Grave est & formidabile Presbyterum audire Confessionem populi, modò quô Latini utuntur. Secundò.* Lutherus in dissert. de Confessione & Sacramento Eucharistiæ, triplicem distinguit Confessionem: *Prima* est Confessio fidei, quam Deo facimus: *Secunda* est charitatis, quæ fit ad proximum: *Tertia*, inquit, auricularis, *quam Papa mandavit, eaque fit coram Sacerdote; eam Deus non præcepit, verùm Papa ad eam coëgit homines.* Hanc tamen eandem auricularem Confessionem bonam esse docet ibidem duabus de causis: *Primò*, quia in Confessione pœnitens audit verba Absolutionis sibi soli dicta ex ore Ministri Ecclesiæ, quibus verbis videtur docere Absolutionem Ministri, esse declarativam, non verò practicam: *Secundò*, quia pœnitens consilium & consolationem percipit ex tali Confessione. Idem Lutherus lib. de Captivit. Babyl. hæc habet: *Confessio & Satisfactio egregia facta sunt officina lucri.* Et infrà: *Occulta Confessio, quæ modò celebratur, etsi probari ex Scriptura non possit, mirò tamen modô placet, & utilis, imò necessaria est, nec vellem eam non esse; imò gaudeo eam esse in Ecclesia Christi; cùm sit ipsa afflictis conscientiis unicum remedium. Hoc solùm detestor, eam Confessionem esse in tyrannidem, & expositionem Pontificum redactam.* In assertione octava Propositionis: *Dic*, inquit, *mihi ubi præceptum est de venialibus confitendis Sacerdoti, quò jure, quâ Scripturæ authoritate Papa præcipere potest venialia ad Confessionem pertinere?* Et infrà: *Impossibile esse, ut omnia mortalia peccata cognoscas, evidentissimum est.* In assertione nona Propositionis: *Ita est cruentissima, quâ hactenus tot miseras conscientias torserunt omnium & singulorum peccatorum discussionibus, cùm prosit non habeant, nec tota quidem illius Scripturæ tyrannide propria, hæc onera importabilia hominibus imponentes.*

Confessio Augustana docet, Absolutionem privatam in Ecclesiis retinendam esse, quamquam in Confessione non sit necessariò delictorum facienda enumeratio; est enim (ut illi placet) impossibilis enumeratio omnium delictorum, juxta illud: *Delicta quis intelligit?*

Calvinus lib. 3. Institut. cap. 3. §. 4. *De Confessione*, inquit, *fuit semper ingens pugna inter Canonistas & Theologos scholasticos, his contendentibus mandari divinò præceptò Confessionem, illis reclamantibus, Ecclesiasticis tantùm constitutionibus præcipi; in eo verò certamine insignis Theologorum impudentia apparuit, qui & locos Scripturæ depravarunt, & vi extorserunt, quod in rem suam citabant.* Addit §. 7. *Miror autem quâ fronte ausi sunt contendere, Confessionem, de quâ loquuntur, juris esse divini; cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur, sed quàm facilè evincere possimus olim fuisse liberam, certè nullam de ea statutam fuisse legem, aut Constitutionem ante Innocentii tertii tempora: eorum quoque Annales narrant.* Et §. 17. *Hâc carnificinâ plusquam crudeliter divexatæ sunt eorum animæ, qui aliquò Dei sensu afficiebantur.*

Confessio fidei Calvinistarum, *art.* 24. habet Confessionem auricularem, esse inventum humanum, quô jugum imponitur conscientiis. Consentiunt cæteri Calvini sectatores. *Petrus Martyr* in locis communibus, paragraphis 25. 27. & 28. Vuolphangus autem in locis communibus. Papisticam, *inquit*, Confessionem, quam auricularem vocant, asserimus nec esse juris divini, nec fuisse in usu Ecclesiastico, tum temporibus Apostolorum, & sequentium Patrum, nec facere ad remissionem peccatorum. *Antonius de Dominis* lib. 5. Reipub. Ecclesiasticæ *cap. 7. num.* 43. multas Confessionis species distinguit, docetque aliquam esse, per quam peccata subjiciuntur clavibus Ecclesiæ, hanc esse homini liberam, nec ullâ lege divinâ, aut humanâ justos ad ipsam adstringi, cùm remedium peccatum habeat in Pœnitentia interna, quæ sola potest sufficere ad remissionem à Deo obtinendam.

Adversus quos omnes Errores nobis pugnandum est in sequentibus quæstionibus, quarum *prima* aperiet, utrum Confessio sit necessaria jure naturali & divino. *Secunda*, utrum & quando facienda jure Ecclesiastico. *Tertia* qualiter fieri debeat. *Quarta* quis minister. Status quæstionis.

Quæstio Prima.

Utrum & quomodo Confessio peccatorum sit necessaria?

V. Duplex est necessitas: medii & præcepti.

NOtandum primò, ut jam alibi diximus, quantùm ad Sacramentorum administrationem & perceptionem duplicem distingui posse necessitatem; aliam quidem medii, aliam verò præcepti: Sacramenta illa dicuntur necessaria necessitate medii, sine quibus salus obtineri non potest: quoniam illa positivè conducunt ad ipsam salutem consequendam: Sic Baptismus est omnibus & singulis hominibus omnino necessarius in re, vel in voto ad salutem, sicut & sacramentum Pœnitentiæ homini adulto lapso in peccatum mortale post Baptismum, quia Sacramentum istud in re, vel in voto receptum conducit positivè ad primam gratiam, sine qua salus omnino non potest obtineri. Necessaria autem dicuntur ex præcepto, quæ videlicet ex peculiari Dei ordinatione præscribuntur: hæc autem necessitas iterum duplex est; alia quidem orta ex institutione & præcepto Christi D. altera verò ex ordinatione & præcepto Ecclesiæ: De utraque autem sermo est in præsenti: Quæritur enim, utrum Confessio sit necessaria necessitate medii & præ-

cepti; idque de jure naturali, vel positivo.

Notandum secundò, ex subtili Doctore *in 4. dist. 17. num. 3. & 4.* quòd qoemadmodum in

VI. Quid sit jus naturæ & quot modis usurpetur.

speculabilibus sunt quædam principia, quorum veritas ex terminis nota est cuiliber intellectui terminos apprehendenti; ac subinde nota est etiam veritas, quæ ex ejusmodi principiis notis evidenter elicitur: ita in practicis, seu operabilibus sunt prima principia practica nota ex terminis, nec-non & Conclusiones ex eis illatæ, putà Deum esse amaodnm & colendum, nullamque ipsi irrogandam ac faciendam esse injuriam: Unde, inquit Doctor, strictè loquendo nihil est aliud de lege naturæ, nisi principium, vel Conclusio demonstrata: sic tamen extendendo quandoque dicitur illud esse de lege naturæ, quod est verum practicum consonum principiis, & conclusionibus legis naturæ, in tantùm quod statim notum est omnibus, illod convenire tali legi. Et ex hoc patet, quòd non rectè loquitur Gratianus de jure legis naturæ, volens illa quæ sunt in Scriptura veteris, vel novi Testamenti de lege naturæ esse: quia nec illa omnia sunt principia practica nota ex terminis, nec conclusiones practicæ demonstratæ: nec vera evidenter consona talibus principiis, & conclusionibos. Exponendus ergo est, quod extendit jus naturale ad jus positivum ab Authore naturæ, ut distinguitur contra jus positum ab aliquo, qui non est author naturæ. Hinc tres distingui possunt gradus juris naturæ: in primo sunt principia practica nota ex terminis: in secundo sunt conclusiones, quæ ex ejusmodi principiis eliciuntur evidenter. In tertio denique sunt illæ propositionrs, quæ sunt equidem conformes principiis practicis: ex eis tamen evidenter non inferuntur. Quæritur autem, otrum Confrssio & accusatio peccatorum sit de jure naturæ alterutrô ex his tribus modis.

VII. Quid sit jus Divinum & Ecclesiasticum.

Notandum tertiò, jus *divinum* positivum, maximè fundari in divinis præceptis, quæ in Scriptura sacra tam veteris, quàm novi Testamenti exarantur. Tales erant cæremoniæ legales servandæ in veteri lege ex Dei præcepto; talia sunt etiam à Christianis frequentanda divina Sacramenta novi Testamenti, & à Christo D. instituta, & per Apostolos ad nos usqoe propagata sunt. Quæcumque enim *(inquit Doctor num. 4.)* continentur in Scriptura, pro tempore pro quo sunt observanda, & tamen non sunt nota ex terminis nec demonstrabilia ex talibos notis, nec tamen consona talibus veris evidenter, sunt merè de jure positivo divino: cujusmodi sunt omnes Cæremoniæ Jodæorum pro tempore illius legis, & Christianorum pro tempore legis nostræ: nec enim est notum ex terminis, nec demonstratum, nec evidenter consonom talibus, quòd Deus sit colendus in immolationibus bestiarum veteris legis, & hoc pro quocumque tempore: nec quòd sit colendus in Cæremoniis nostris, putà in oblatione Eucharistiæ, vel cantu Psalmorum, licèt ista sic sint consona legi naturæ, quòd non repugnent. Hoc etiam patet quia illa quæ sunt de lege naturæ, sive propriè, sive extensivè, semper sunt uniformia, non sic hujusmodi Cæremoniæ, quæ erant aliæ pro tempore alterius legis. *Ita Doctor*. Jus autem *Ecclesiasticum* illud est, quod fundatur maximè in Conciliorum oraculis, & summorum Pontificum decretis, ea probante & recipiente universâ Ecclesiâ. Hæc enim, inquit Doctor, multa instituit propter observantiam honestiorem in moribus, & propter reverentiam majorem in suscipiendis Sacramentis, & dispensandis, quæ omnia sunt juris positivi Ecclesiastici.

Hinc triplex exurgit obligatio ad aliquid faciendum, nimirum *vel* ex jure naturæ, *vel* ex jure, & præcepto divino, *vel* ex præcepto & jure Ecclesiastico. Porrò de jure naturali & divino sermo erit in præsenti quæstione; de Ecclesiastico autem in sequenti.

Conclusio Prima.

VIII. Confessio non est de jure naturæ.

Confessio Sacramentalis peccatorum non est facienda de jure natura. Ita Doctor *dist. 17. num. 5. Dico*, inquit, *quòd non tenetur quis præceptô legis natura ad Confessionem peccati, de qua quaritur: quia tum hac obligatio fuisset pro statu, vel tempore cujuscunque legis, quod falsum est: quia nec erat in statu innocentia, nec in statu legis Mosaica.* Quasi diceret: Si homines tenerentur ad faciendam Confessionem de jure naturæ, eam deberent facere pro tempore cujuscunque legis: sed hoc falsom est; siquidem obligatio ad talem Confessionem non fuit in statu innocentiæ, nec in statu legis Mosäicæ: multò minùs in statu, qui præcesserit eam lrgem, post primi hominis lapsum: igitur, &c.

Deinde, ex S. Isidoro *lib. 5.* Originum *cap. 4. Ius naturale est idem apud omnes. & est commune nationum omnium, eò quòd non aliquâ constitutione, sed instinctu natura ubique habetur.* Similiter Cicero lib. 2. de Inventione: *Naturale Jus*, inquit, *est quod non opinio genuit, sed innata quadam vis inseruit.* Sed Confessio non est ejusmodi; nec enim communis est apud omnes nationes, nec inseritur ab aliqua naturæ vi: Sacramenta enim sunt supra naturale rationis dictamen; sunt namque fidei protestationes; ac subinde debent ei esse proportionata: fides autem est supra naturalis rationis cognitionem; & consequenter Confessio non est facienda de jure naturæ.

Denique, inquit Doctor, *num. 8.* non est notum de lrge naturæ, quòd onus homo sit judex alterius, maximè soper peccato occulto; siquidem homo non debet judicare, nisi ea, quæ patent: homo enim judicat secundùm faciem; Deus autem intuetur cor; ac subinde non est pariter notum, quòd nnus homo alteri debeat suum revelare peccatum occultè.

Adde quòd, talis debeat esse Confessio facienda, qualis est potestas absolvendi peccatum confessum: sed illa potestas non emanat ex jure naturæ, nec singulis hominibos est communis; sed provenit ex jure divino positivo, spectatque ad Sacramenti necessitatem, & administrationem; unde concessa est Apostolis à Christo, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*: igitur, &c.

Objicies primò: Adamus, Caïn & Job nulli alteri juri, ac legi subjiciebantur, quàm juri legi naturæ: sed illi tenebantur ad Confessionem faciendam; nam arguuntur Adam & Caïn, quòd peccatum suum non fuerint confessi: Adamus quidem; glossa enim expendens illud Genesis 2, *Adam ubi es?* ait: Vox est increpantis, & Confessionem inquirentis: Caïn similiter damnatur, quòd interroganti Deo, Genes. 4. *Vbi est Abel frater tuus?* impudenter respondit: *Nescio, num custos fratris mei sum ego?* Denique Job. *cap. 13.* ait:

ait: *Si abscondi, ut homo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam*: igitur, &c.

Distinguo minorem: Illi tenebantur ad Confessionem faciendam Sacramentalem homini, nego: ad profitendum peccata sua coram Deo cum animi demissione & Contritione, concedo: Hinc damnatus fuit Adam, quòd Adam, inquit Doctor *num. 6.* non debuit peccatum suum occultare Deo; quia ipse est Judex, cui manifestum est omne peccatum, & coram quo quilibet reus debet recognoscere peccatum suum: & hanc Confessionem Dominus requisivit ab eo, quam non solùm non fecit, sed peccatum suum excusavit, retorquendo in mulierem, cùm dixit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, &c.* Unde illud non concludit, quòd in illa lege esset Confessio facienda homini, licèt esset facienda Deo increpanti. *Hæc Doctor.* Idem dicendum de Caïn; nec-non ad textum Jobi; loquitur enim sanctissimus hic Vir, non de manifestatione peccatorum, quæ fieret coram hominibus, sed de illorum declaratione, quæ fieret coram Deo; quâ quis se coram Deo peccatorem profitetur, & ab eo veniam exorat. Unde S. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 9. *Hæc* inquit, *vera humilitatis testimonia, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce Confessionis aperire, at contra usitatum generis humani vitium est, & latendo peccatam committere, & commissum abscondere, & convictum defendendo multiplicare; ex illo quippe lapsu primi hominis hæc argumenta nequitia ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpa.*

IX. Confessio in veteri lege, fiebat soli Deo.

Objicies secundò: Præcepta, quæ communia sunt veteri & novæ legi, sunt de lege naturæ: sed præceptum Confessionis est commune utrique legi: legi quidem Mosaïcæ; etenim Levitici 16. Aaron & filii ejus, Deo jubente tenentur confiteri peccata filiorum Israël: nam de Sacerdote offerente hircum dicitur: *Posità utrâque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & universa delicta, atque peccata eorum.* Similiter Josuë 7. sic Josue Achan alloquitur: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* Unde Proverb. 18. *Justus prior est accusator sui*: Igitur, &c.

Distinguo majorem: Quæ sunt communia utrique legi eòdem modò, concedo: diversò modò, nego: licèt autem peccati Confessio aliquâ ratione esset præcepta in lege Moïsi; non tamen eòdem modò præcipiebatur, ac in lege Evangelica: Quia, *inquit* Doctor *num. 6.* in tota lege Mosaïca non fiebat ista Confessio, de qua loquimur; sed de peccatis occultis tantùm Deo fiebat Confessio, de quibusdam tamen defectibus publicis, & observantia legalium fiebat Confessio, & uniuscujusque, quando scilicet offerebat pro tali delicto sacrificium, & generalis Confessio Sacerdotis, pro populo erat ista: *Injusti egimus, peccavimus*, & hujusmodi. Et istò modò publica Confessio Sacerdotis erat quædam dispositio ad petendam misericordiam Dei populo; sicut & modò in Ecclesia; non Confessione istâ, de qua loquimur, confitemur nos peccasse, & petimus misericordiam, & nobis & toti populo. *Ita Doctor.* Unde omnes Confessiones, quæ fiebant in veteri lege, non erant Sacramentales, sed erant duntaxat peccati declarationes privatæ, vel publicæ, quæ fiebant aut coram Deo ad impetrandam veniam, vel coram legitimo Judice ad judicium formandum de ali-

Ideo non erat Sacramentum talis.

A quo admisso crimine; quemadmodum Achan interpellatus est à Josuë, ut admissum à se crimen fateretur, quatenus de eo juridica ferri posset sententia.

Objicies tertiò: Omnis Conclusio, quæ sequitur ex principiis naturalibus, est de lege naturali: sed ista Conclusio, (*homo tenetur confiteri sua peccata alteri homini*) colligitur ex principiis naturalibus: igitur est de lege naturali. Major patet ex dictis in primo notabili. Minor verò probatur: Principia hæc sunt naturaliter nota; omnis reus est judicandus per alium, & non per seipsum; quia nullus debet esse Judex in causa propria: sed non potest judicari per alium, nisi apud illum accusetur; nec potest apud eum accusari, B maximè de peccato occulto, nisi reus ipse delictum illud confiteatur: igitur ex illis principiis notis per rationem naturalem & conformibus legi naturæ, sequitur evidenter hominem debere confiteri suum peccatum alteri, à quo judicetur.

Respondet Doctor *num. 7.* concedendo quidem ista principia esse nota lumine naturali, aut saltem valde conformia propositioni notæ per lumen naturale, nempe quòd reus est judicandus; quia nullum delictum relinquendum est impunitum in universo, si est unus Rector Universi justus, quod est notum naturaliter. Similiter notum est, quòd judicandus sit ab alio: sed non C est notum naturaliter quis sit ille alius, nisi Deus. Unde pro omni statu post lapsum omnes justi, qui habuerunt fidem de Deo, quòd erat Rector Universi justus, postquam peccaverunt contra Dei legem, confitentur Deo peccata sua, petentes ab eo remissionem, scientes eum sine tali remissione tanquam justum judicem vindicaturum de illo peccato: non est autem naturaliter notum, quòd unus homo debeat se accusare alteri homini, maximè de peccatis occultis: Quia, inquit Doctor, *num. 8.* nullus homo potest esse Judex peccati hominis, nisi ut minister summi Judicis: hâc autem modò, scilicet esse Ministrum Judicis in vindicando, vel puniendo peccatum commissum, magis concessum est unicuique respectu sui, quàm uni respectu alterius. Unicuique enim commisit Deus, ut sit minister D Dei in vindicando peccatum proprium, in infligendo sibi disciplinam, & tristitiam pro illo peccato; non sic autem notum est, quòd concesserit alicui respectu alterius. Et si arguas, quòd in Republica humana unus est Judex alterius. *Respondeo*, verum est de illis quæ possunt sibi innorescere in illo Judicio, cujusmodi sunt peccata publica.

X. Notum est lumine naturali quòd peccator debeat judicari ab aliquo.

Sed non est naturaliter notum quòd sit judicandus ab alio homine.

CONCLUSIO SECUNDA.

II. Confessio est de jure divino positivo.

Confessio omnium peccatorum mortalium est jure divinò præcepta. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino *sess. 14. can. 7.* his E verbis: *Si quis dixerit in sacramento Pœnitentia ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divinò confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta... anathema sit.* Quam utique veritatem colligit cap. 5. ex institutione sacramenti Pœnitentiæ ita scribens: *Ex institutione sacramenti Pœnitentia jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, etiam institutam esse à Deo integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divinò necessariam existere; quia Dominus noster Jesus*

Christus è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes suipsius vicarios reliquit, tanquam Præsides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quà pro potestate clavium, remissionis, atque retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent, &c. Et postea in fine illius capitis damnat eos, qui dicunt, institutionem Confessionis esse ortam à Coocilio Lateraoensi: *Neque enim*, inquit, *per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divinò necessarium, & institutum esse intellexerat: sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cùm ad annos discretionis pervenitur, impleretur, &c.*

Ut optimè demonstrat Concil. Trident.

Plura etiam loca sacræ Scripturæ affert, sed potissimum est illud *Ioan.* 70. ex quo Sacramenti institutionem, & Confessionis necessitatem colligit. Vis autem illationis, omissis aliis explicandi modis, consistit in eo, inquit Lugo, quòd Christus constituerit Sacerdotes noo solùm Judices arbitrarios, seu quos pro suo arbitrio possent pœoitentes adire pro venia peccatorum; sed Judices necessarios, sine quibus venia obtineri non possit: quod quidem potissimè colligitur ex illo verbo, *retinueritis*, seu ex potestate retinendi, quam simul cum potestate remittendi eis dedit; quam alibi *Matth.* 10. significavit per verbum alligandi; qui enim potestatem habet ligandi peccatorem, seu excludendi eum à Regno cœlorum, non est Judex arbitrarius, sed necessarius; quippe qui per negationem veniæ relinquit peccatorem exclusum à Regno cœlesti; & ideo dicitur retinere peccata per negationem remissionis; & in eodem sensu dicitur accepisse claves cœli; quia quando alicui claves dantur domûs clausæ, eô ipsô fit medium necessarium recurrere ad illum, ut aliquis ingrediatur domum illam. Oportet ergo ut pœnitens pareat coram Sacerdote, tanquam coram Judice ad obtinendam veniam peccati.

XII. Et docent SS. Patres

Quòd autem hæc illatio sit legitima, colligitur ex SS. Patribus, maximè ex Hilario, qui can. 18. in Matth. ita scribit: *Ad terrorem metûs maximi, quò in præsens omnes continentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit, ut quos in terris ligaverit, id est, peccatorum nodis innexos reliquerit, & quos solverit & Confessione veniæ receperit in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ, in cœlis quoque absoluti sunt, aut ligati.* Ubi Hilarius explicans modum, quô peccatorum nodi solvuntur ab Apostolis, utitur nomine Confessionis: & peccatorum alligationem exponit per relictionem nodorum peccati, seu veniæ carentiam, aut negationem, scilicet ex omissione Confessioois.

Ex Hieronymo Matth. 16. *Legimus in Levit. de Leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à Sacerdotibus immundi fiant; non quòd Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quòd habeant notitiam leprosi, & possint discernere qui mundus, aut immundus sit: quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit: sic & hic alligat, vel solvit Episcopus & Presbyter, non eos, qui sunt insontes aut innoxii; sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.* Non ait, Hieronymus: scit qui ligatus sit, quive solutus; sed qui ligandus, quive solvendus sit. Nam impœnitentes ligat Sacerdos, pœnitentes solvit; non solutos aut ligatos ostendit; non potest autem peccatorum varietates audire, nisi per Confessionem.

Idem docet S. Aogostinus lib. 50. homiliarum, homil. 49. cap. 3. ubi ait: *Si prater uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite Pœnitentiam; qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago: novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago: ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, erunt soluta in cœlo: ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei, frustramus Evangelium; frustramus verba Christi, promittimus vobis, quod ipse negat, nonne vos decipimus? &c.* Et tract. 49. in Joano. expendens resurrectionem Lazari, ait: *Quomodo processit ligatis pedibus, miraris; & non miraris, quia surrexit quatriduanus: in utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit & adhuc ligatus est, adhuc involutus; tamen jam foras processit: quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces: quando confiteris, procedis: Quid enim est procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari, sed ut confitearis, Deus facit magnâ voce clamando, id est, magnâ gratiâ vocando: ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confiteas, & adhuc reus: ut absolverentur peccata ejus, Ministris hoc dixit Dominus:* SOLVITE ILLUM, ET SINITE ABIRE; *quid est, solvite, & sinite eum abire? Quæ solveritis in terra, erunt soluta & in cœlo.* Quibus verbis S. Augustinus significat, quòd Sacerdotes novæ legis non possint ex mandato Domini solvere pœnitentes ejus gratiâ suscitatos, nisi procedant è tumulo peccati per veram Confessionem: quemadmodum ooo potuerunt Discipuli solvere Lazarum, nisi foras è tumulo vocatus Christi D. voce processisset.

Similia loquitur S. Leo epistolà 49. aliàs 91. *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non modò per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æterna; ut qui regenerationis dotem violassent, propriô se judiciô condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ Charitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri: Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus Ecclesiæ præpositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & easdem salubri Satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Porrò quòd per Confessionem Sacerdotibus ex jure divino faciendam, S. Leo illam intelligat, quæ secretò fieri solet, colligitur ex epist. 80. ad Episcopom Campaniæ, ubi inter varia scribit: *Cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secretâ.* Et infrà: *Sufficit illa Confessio, quæ primùm Deo offertur, tam etiam Sacerdoti.*

Ratio hujus veritatis petitur ex institutione sacramenti Pœnitentiæ, qui enim finem aliquem, aut officium aliquod instituit, etiam censetur ea media instituisse, quæ necessaria sunt ad ejusmodi officium exequendum, & finem obtinendum: sed Christus D. sacramentum Pœnitentiæ instituendo, Sacerdotes ordinavit, ac constituit Judices peccatorum hominis baptizati, ut illa pro libito retinerent, vel solverent: non possunt autem judicare peccata esse remittenda, vel reti- XIII. Et ratio demonstrat.

nenda absque Sacramentali Confessione : nam, [A] ut Judex legitimè & juridicè reum absolvat, aut puniat, opus est, ut ipsius rei statum, crimen, & delicti gravitatem cognoscat : non potest autem hæc omnia nosse, maximè si illa crimina occulta sint, & latentia, nisi ipse pœnitens ea per Pœnitentiam manifestet : igitur, &c.

Deinde : Illud est jure divinô necessarium ad salutem consequendam, quô prætermissô peccata mortalia post Baptismum commissa, non possunt remitti, & quô posito ex Christi institutione illa remittuntur : sed omissa Sacramentali Confessione peccata carent veniâ : quandiu enim retinentur ab eo, qui solus habet juridicam ea remittendi potestatem, tandiu non remittuntur : tandiu autem retinentur à Sacerdotibus, [B] donec manifestata eis fuerint per Confessionem, & per Absolutionem remissa : igitur ex Sacramenti Pœnitentiæ institutione rectè colligitur Confessionis necessitas ex jure divino.

Denique : Sacramenti Pœnitentiæ Minister debet servare quandam æquitatem in injungendis pœnis & satisfactionibus, juxta delictorum gravitatem : sed absque præviâ Confessione non potest ejusmodi æquitatem servare ; quippe cùm sine ea non possit cognoscere peccatorum numerum, species, & circunstantias ; ac subinde illa est de jure divino, sicut & ipsum Pœnitentiæ Sacramentum.

XIV. *Quam luculenter Doctor expendit.*

Has omnes rationes subtiliter & egregiè ex- [C] pendit Doctor *dist.* 16. ubi improbat sententiam Glossatoris in dist. 5. de Pœnit. proponentis varias opiniones de institutione Confessionis, ac dicentis eam institutam fuisse à quadam universalis Ecclesiæ traditione potiùs, quàm ex novis vel veteris Testamenti authoritate : Sed, *inquit* Doctor, salvâ gratiâ suâ irrationabiliter loquitur Glossator, turpe enim esset Theologo dicere aliquid esse in Biblia, & nescire ubi illud inveniretur : & ita inconveniens debet esse Canonistæ dicenti, aliquid esse ex universali Traditione Ecclesiæ, & non invenienti in Canone, si Canon sufficienter continet universales Traditiones Ecclesiæ : non allegat autem aliquod ca- [D] pitulum Canonis istam Traditionem continens.

Item si hæc opinio vera esset, videretur quòd Papa non teneretur confiteri ; quia par in parem non habet potestatem, &c. Improbatâ autem hâc Glossatoris sententiâ, declarat Doctor num. 11. Confessionem esse faciendam ex præcepto divino positivo : quod utique colligit ex Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata.* Hîc, *inquit*, data est potestas Apostolis, & in eis omnibus Sacerdotibus remittendi peccata ; non principaliter : quia hoc [E] est proprium Dei ; ergo ministerialiter & arbitrativè ; sed non possunt arbitrari in causa ignota : ergo est eis manifestanda causa, in qua debent arbitrari. Hæc manifestatio est Confessio: ergo ex ista collatione potestatis arbitrariæ Sacerdotibus in causa peccati, obligatur peccator ad accusandum se eis tanquam arbitris, quod est confiteri.

Si dicatur quòd ratio bene concludit, quòd Sacramentum Pœnitentiæ est institutum à Christo, tanquam utile & efficax, non tamen sequitur ex hoc, quòd sit necessariò recipiendum, ut cadens sub præcepto : quia Extrema-Unctio est instituta à Christo, & Confirmationis Sacramentum, ut dictum est suprà ; & tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de isto, vel illo recipiendo, & tunc ad formam argumenti, sunt Arbitri in causa peccati : ergo ad id debent se illis accusare. Verum est, illi qui volunt se eorum arbitrio submittere, & se submittunt, ipsi habent bene potestatem arbitrandi ; sed non sequitur : ergo alii necessitate præcepti tenentur se submittere eorum arbitrio.

Exemplum, quatuor sunt Sacerdotes, quorum quilibet habet authoritatem absolvendi istum peccatorem, quilibet est completè arbiter ejus, quantùm ad potestatem : non tamen tenetur se submittere cuilibet : sed uni tantùm, cui voluerit. Et hoc confirmatur per hoc, quòd Christus subjunxit : Et *quorum retinueritis, retenta sunt*, illud verbum non est præcisum ; non solùm enim illa peccata retenta sunt à Deo peccatori ad pœnam, quæ retenta sunt à Sacerdote ; quia Sacerdos non retinet aliqua, nisi aliquô modô sibi accusata, licèt signis indebitis Pœnitentiæ ; & tamen illa, quæ nullo modo sunt ostensa Sacerdoti, Deus retinet ad vindictam gehennæ : ergo nec istud verbum : *Quorum remiseritis, remittuntur, erit remissum.*

XV. *Qui hanc confitendi obligationem colligit ex duplici præcepto divino.*

Unde neutri affirmationi adjunxit negativam denotantem remissionem factam ab Apostolis, vel retentionem esse præcisam respectu retentionis à Deo faciendæ ; licèt hæc responsio videatur multùm probabilis, excludendo rationem præcepti ab isto verbo Joan. 20. *Quorum remiseritis*, &c. Tamen excludendo eam, ostenditur propositum dupliciter. *Primò* sic : Nulli committitur potestas judiciaria, vel arbitraria, nisi alicui imponatur necessitas submittendi se sibi : sed Sacerdoti per se committitur hujusmodi potestas in causa peccati : ergo alicui ut sic imponitur necessitas submittendi se arbitrio ejus, & hoc per idem. Major probatur : quia nullus est Judex alicujus, in cujus scilicet judicandi voluntate est judicari ab isto Judice, vel non judicari : Tunc enim iste nullam authoritatem judicandi haberet, si iste potest judicari, si voluerit & non judicari, si voluerit. Ad quid enim est potestas judiciaria apud aliquem, nisi ut jus dicet in illum, quid tenetur parere juri ? Tantummodò enim judicare per modum punitionis, si tu velis, non est judicare. Sed nec istud cogito : concedo enim, quòd iste arbiter non tantùm habet, ut possit dictare jus in causa ista, sed ex quo alius submittit se sibi, sua dictatio ligat, vel solvit istum : non sic autem dictatio alicujus scientis jus, & non habentis potestatem judiciariam. Taliter ergo arguo sic : Quicumque primam gratiam amisit, tenetur de necessitate præcepti, & hoc illius ; *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. agere quantùm in se est, ad ejus recuperationem, & etiam virtute illius præcepti : *Diliges teipsum* : sed ipse peccator in peccato mortali amisit primam gratiam, & potest eam recuperare suscipiendo Sacramentum Pœnitentiæ ab illo arbitro ; quia hoc est institutum, ut remedium efficax, ad recipiendam primam gratiam ex illo verbo Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Et sic concluditur necessitas præcepti Confessionis, non ex isto verbo tantùm, *Quorum remiseritis*, &c. sed ex isto & illo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. simul juncto.

Si dicas, quòd major est vera, quòd tenetur ad aliquam viam, per quam possit gratiam recuperare, sed non ad istam determinatè, si alia sit possibilis : Nunc autem licèt suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, sit via utilis, tamen est etiam alia

utilis; quia non probatur istam esse præcisam ad illam recuperandam.

Contra hoc, nulla alia est ita facilis, & ita certa: Hîc enim non oportet, nisi non ponere obicem ad gratiam, quod multò minus est, quàm habere aliquam Attritionem, quæ per modum meriti de congruo sufficiat ad justificationem, ut dictum est suprà *dist.* 14. Potest etiam aliquis esse magis certus, quòd non ponat obicem, quàm quòd habeat Attritionem sufficientem, quasi per modum meriti de congruo: quia probabiliter potest scire, se tunc non peccare actualiter, peccatô interiori, vel exteriori, & intendere recuperare, quod Ecclesia intendit in illo Sacramento conferre: non sic potest scire, se habere Attritionem sufficientem, ut meritum de congruo ad justificationem. Tunc hanc majorem accipio', Ubi est via facilior, idest, magis in potestate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam; ita quòd non amissâ illâ attentet aliam difficiliorem; & incertiorem: quia tunc exponeret se periculo salutis suæ, & videretur esse contemptor propriæ salutis. Sed illa via suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ est magis possibilis homini, & certior ad primam gratiam recuperandam: ergo ex illo, unde istud habet efficaciam, & ex illo præcepto dilectionis Dei, & sui-ipsius tenetur quis ad istam. Ista ratio si concludat præceptum de Confessione haberi ex Evangelio ex illo verbo: *Quorum remiseritis peccata*, &c. Et illo: *Diliges Dominum*, &c. Bene quidem; sin autem, saltem hoc concludit: quòd præceptum de Confessione facienda, est valde rationabile pro multitudine: quia etsi aliqua persona possit habere aliquod remedium speciale, tamen de isto remedio, quod communitati est possibilius, & certius rationabiliter; datur præceptum etiam omnibus in communitate, ut dictum est suprà de Baptismo; quòd licèt aliquis habeat Baptismum flaminis, sine Baptismo fluminis, tamen quia Baptismus fluminis est remedium facile, & certum præceptum de hoc pro tota communitate, est valde rationabile, & ita ad minùs habebo, quòd rationabiliter fuisset datum præceptum generaliter de Confessione facienda.

XVI. Vnde S. Jacobus fuit illius præcepti non author, sed promulgator.

Si omnino contendas, quòd per rationes positas in isto membro, non probatur fuisse datum ex verbis Evangelii; nunquid dicemus secundum, scilicet quòd illud præceptum habetur ex verbis alicujus Apostoli? Dicitur quòd sit de illo verbo Jacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata:* Sed nec per hoc videtur mihi, quòd Jacobus præceptum hoc dedit, nec præceptum a Christo promulgavit. Primum non; unde enim sibi authoritas obligandi totam Ecclesiam, cùm esset Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ? Nisi dicas illam Ecclesiam in principio fuisse principalem, & per consequens ejus Episcopum principalem Patriarcham: quod non concederent Romani, nec quòd illa authoritas proprio ore tempore illo erat sibi substracta. Nec secundum videtur; quia Apostoli publicantes præceptum Domini in Scripturis suis utebantur modô loquendi, per quem potuit innotescere, quòd erant præcones Christi, ut patet per illud Pauli 1. ad Cor. 7. or quando vult publicare illud præceptum Domini de non dimittenda uxore, dicit: *Præcipio non ego, sed Dominus*, &c. Quando autem vult facere propriam persuasionem, dicit de cohabitatione viri conversi ad fidem cum sua uxore infideli verè converso; quia hoc licet sine contumelia Christi, non tamen est necessarium: *Dico ego, non Dominus:* alioquin non posset Ecclesiæ constare, quod ipse præco publicaret præceptum, nisi ex præcedentibus, vel sequentibus manifestaret, se esse in illa publicatione præconem: Utrumque etiam membrum simul probatur per illa verba annexa, dicendo enim, *Confitemini alterutrum*, non magis dicit, Confessionem faciendam esse Sacerdoti, quàm alii. Subdit enim, *& orate pro invicem, ut salvemini:* ubi nullus diceret ipsum instituisse, vel promulgasse præceptum divinum: sed intellectus ejus est sicut in illo verbo, *Confitemini alterutrum*, persuasio ad humilitatem, ut scilicet generaliter nos confiteamur apud proximos peccatores, juxta illud: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus*, &c. Ita per secundum persuadet ad charitatem fraternam, ut scilicet per fraternam charitatem subveniamus nobis invicem. Apparet ergo istud non esse de jure divino promulgato per Scripturam Ecclesiasticam. *Huc Doctor*, quibus apertè probat Confessionem esse de jure divino.

XVII. Constat etiam ex constanti Ecclesiæ praxi.

Quoniam autem non solùm rationibus, sed maximè ex perpetua & constanti Ecclesiæ Traditione pugnandum est adversus hæreticos hujus temporis, affirmantes, quòd Confessio fuerit duntaxat instituta ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi; idcirco congruum judicavi nonnullas ex plurimis, quas habent Controversistæ Conciliorum, & SS. Patrum authoritates hîc attexere.

Probatur itaque divina Confessionis institutio ex Conciliis: *Primò* quidem ex Laodiceno Can. 2. sub Sylvestro Papa annô 319. *His, qui diversorum peccatorum lapsis incurrerunt, & orationi, Confessioni, Pœnitentia instant, malorum suorum perfectam conversionem demonstrent, pro qualitate peccati, tempore Pœnitentia tribuendum est.* Ea Confessio, in qua pro qualitate peccati Pœnitentiæ tempus est tribuendum, hominibus in specie fieri debet.

Vt manifestum est ex Conciliis.

Ex sexta Synodo in Trullo, Can. 102. *Oportet eos, qui solvendi & ligandi potestatem acceperunt à Deo, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit, ad eam conversionem promptum studium: & sic morbô convenientem afferre medicinam, ne si de peccato sine crimine statuant, aberrent in ægroti salute: non enim simplex est peccati morbus; verùm varius & multiformis, plurimisque propaginibus subpullulans, ob quas malum longè latéque diffunditur, ac serpit, quousque tandem virtuti medicamentis resistat:* ergo qui voluerit ostendere quantùm valeat in spiritali medendi arte, oportet attentè rimari, qualiter affectus sit, qui peccavit; an ad salutem inclinet, an contrà, moribus, quibus familiaritate assuevit adversus ægritudinem provocet, inspicere: sed id absque Confessione peccatorum occultorum fieri non potest à Sacerdote.

Ex Carthaginensi 3. cap. 31. *Vt pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam Episcopi arbitrio Pœnitentia tempora discernantur:* at ea differentia peccatorum absque Confessione speciali fieri non potest.

Ex *primo Cabilonensi* Can. 8. *ut pœnitentibus à Sacerdotibus, factâ Confessione videretur Pœnitentia, universitas Sacerdotum noscitur convenire.* Ex *secundo Cabilonensi* Can. 31. circa annum 313. *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quod*

quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt: quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, animâ videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri peccata, ut ex utrisque sit plena Confessio, scilicet ut confiteantur, & ea quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur.

Ex *Turonensi tertio* circa tempus idem habito Can. 22. *Episcopis & Presbyteris, diligenti cautelâ pertractandum est, qualiter hominibus sibi sua delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant.*

Ex *Moguntino* sub Archiepiscopo Rabano, ann. 347. can. 26. *Ab infirmis in mortis periculo positis per Presbyteres pura inquirenda est Confessio, non tamen iis imponenda quantitas Pœnitentiæ, sed innotescenda.*

Ex *Vuormacensi* circa annum 868. cap. 25. *Pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio, Pœnitentia decernantur*: ergo Sacerdos in imponenda pœnitentia singulorum causas, originem modumque peccatorum examinare debet, & effectus gemitusque delinquentium, temporum etiam & personarum, locorum, ætatum qualitates, ut per considerationem delictorum & gemituum uniuscujusque delinquentis à sacris regolis oculos non deflectat.

Adde *Lateranense* sub Innocentio III. Can. 21. *Constant.* sess. 3. *Florent.* in Institut. Arianorum. *Trident.* suprà.

Ex tot Conciliis veteribus & novis, in tam diversis temporibus & locis, Ecclesiæ totius unanimi consensu patet, Confessionis necessitatem antiquissimam esse, nec aliunde suam originem habere, quàm à Deo: nam ex Augustino regulâ 14. de Bapt. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur*, at universa semper Ecclesia tenuit Confessionem istam, ut ex Conciliis patet, & patebit ex Patribus; nec ea necessitas initium habuisse legitur ab illis Conciliis, aut Pontificum decretis: *Licèt enim annua Confessio præcepta sit in Lateranensi, tamen ipsa Confessio non incepit in eo, sed solùm tempus præscriptum est, quò fieri debet Confessio peccatorum, quæ jure divinò necessaria est*, ut ait Tridentinum sess. 14. cap. 5.

XVIII. Nec-non & ex SS Patribus. *Probatur secundò* ex SS. Patribus, primò namque *S. Irenæus* Apostolorum ævo proximus, lib. 1. cap. 9. de quibusdam fœminis ab hæretico Marco seductis, ait: *Hæ conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, & secundùm corpus exterminatas se ab eo veluti cupidine, & inflammatas valde se illum dilexisse. Et de Diaconi uxore ab eo corrupta cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exomologesi consummavit, plangens & lamentans, ob eam, quam passa est ab eo Mago corruptelam.* Et lib. 3. cap. 4 *Cerdon in Ecclesiam sæpe veniens, & exomologesim faciens sic consummavit, modò quod est latenter docens, modò exomologesim faciens.* S. Irenæus agit ibi dè latente hæresi Cerdonis, & occulta cupiditate, seu corruptela mulierum, quæ sine speciali Confessione detegi non poterant.

Ex *Tertulliano* lib. de Pœnitentia cap. 11. *Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesim; sciens præterivit illam, quæ Babylonium Regem in regna restituit?* Non agit de Confessione, quæ soli Deo fiat, agit enim de illa, quam aliqui præ pudore fugiunt, ut hominum notitiæ sua subducant peccata: Nam ait cap. 10. *Plerosque Episcopos ut publicationem sui suffugere, aut de die in diem differre possint, pudoris magis memores quàm salutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contractâ vexatione conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Equidem agit de Confessione publica, sed quæ fiebat post secretam; agebatur enim sæpè publica Pœnitentia, neque tamen aperiebantur in specie peccata, nisi Sacerdotibus: nam sola publica publicè erant confitenda; secreta nemo publicè confiteri cogebatur: at Tertullianus agit de peccatis occultioribus.

Ex *Origene* Homil. 2. in Psal. 37. *Oportet peccatum non celare intrinsecus: fortasse enim, ut ii, qui habent inclusam escam indigestam, aut humoris, & phlegmatis copiam stomacho imminentem, si vomuerint, relevantur: ita ii, qui peccaverunt, si occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecùs urgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati: si autem ipse accusator sui fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit delictum, & omnem morbi causam: tantummodò circumspice diligentiùs cui debeas confiteri peccatum tuum; proba priùs medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit disciplinam; ut ita demum si quid ille dixerit, qui se priùs & eruditum medico ostenderit; & misericordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris, si intellexerit & viderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari. Mul à hoc deliberatione & satis peritò Medici illius consiliò procurandum est.*

Et Homil. 3. in Leviticum: *Multa sunt in Evangelio remissiones peccatorum. Septimâ, dura & laboriosa per Pœnitentiam remissio peccatorum est, cùm lavat peccator lacrymis suis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, & cùm non erubescis Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundùm eum, qui ait: Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, & remisisti impietatem cordis mei.* Et ibidem: *Omni genere pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta, quæ egimus; si quid in occulto gerimus; si quid in sermone solo; vel etiam infrà cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, & proferri: proferri non ab illo, qui & accusator peccati est, & incensor; ipse enim nunc nos, ut peccemus, instigat: ipse etiam, cùm peccaverimus, accusat: si ergo in vita præveniamus eum, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici & accusatoris nostri fugimus. Sic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Et Homil. 17. in Lucam: *Si peccaverimus, debemus dicere: Peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abscondi, si enim revelaverimus peccata nostra, non solùm Deo, sed & iis, qui possunt mederi vulneribus nostris, & peccatis, delebuntur ab eo, qui ait: Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas.*

Ex Cypriano serm. de Lapsis: *Confiteantur singuli, quæso fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.*

Ex Basilio Breviorum regularum 288. *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei;* sed hi in Evangelica lege sunt Sacerdotes.

Ex Ambrosio 1. de Pœnit. cap. 6. *Si vis justificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminum nexus verecunda Confessio peccatorum.*

Ex Paciano parænesi ad Pœnitentiam: *Vos primùm appello fratres, qui criminibus admissis Pœnitentiam recusatis: vos* inquam, *post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccata non erubescitis erubescentes confiteri... Rogo per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam, prudentes ægri Medicos non verentur, ne in occultis quòd est partibus secaturos & percussuros... Nunc ad eos sermo sit, qui bene ac sapienter vulnera sua Pœnitentiæ nomine confitentur, nec quid sit Pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt: similesque sunt iis, qui plagas aperiunt, & tumores medicis assidentibus confitentur; sed admoniti, quæ sint imponenda negligunt, & quæ bibenda fastidiunt.*

Ex *Innocentio primo* epist. 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum cap. 7. *De pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti: cùm viderit congruam Satisfactionem; id absque speciali Confessione fieri non potest.*

Ex Augustino Homil. 41. ex 50. *Non solùm post Pœnitentiam à vitiis homo servare se debet, sed & ante Pœnitentiam, dum sanus est: quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo, & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.*

Ex Leone epist. 91. ad Theodorum: *Jesus hanc Ecclesiæ præpositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Ex *Sozomeno* 7. Hist. cap. 19. *Cùm prorsus non peccare natura sit humanâ divinioris, pœnitentibus, veniam dare Deus jussit, & ad impetrandam veniam, peccata confiteri necesse est.*

Ex *Gregorio* Homil. 26. in Evang. *Lazaro dicitur, veni foras: ac si apertè cuilibet in culpa merito diceretur, cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per Confessionem egredere, qui te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, idest, culpam confiteatur peccator, venientes foras solvant Discipuli, ut Ecclesiæ pastores ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.*

Ex *Beda* ad illud Jacobi 5. *Confitemini alterutrum*, ait, *Quotidiana leviaque peccata alterutrum æqualibus confiteamur, eorumque credamus oratione salvari: porro gravioris lepræ immunditiam, juxta legem, Sacerdoti pandamus, & ad ejus arbitrium qualiter, & quanto tempore jusserit, purificaverimus.*

Ex *Rabano* Episcopo Moguntino lib. 7. in Eccles. Qui transgreditur mensuram in concupiscentiis carnis, & aggravatur eis, necesse est per Confessionem peccatorum fœditatem evomat, & sic per jejunium & castigationem corporis ad statum pristinæ sanitatis redeat.

Ex *Bernardo* serm. ad milites templi cap. 12. Quid de Bethphage dicam, ubi Confessionis Sacramentum, & Sacerdotalis ministerii mysterium continetur? Si Confessio Sacramentum divini juris est... Verbum in corde peccatoris, operatur salutiferam Contritionem, verbum in ore noxiam tollit confusionem, ne impediat necessariam Confessionem: igitur etiam in corde compunctis est necessaria Confessio ait Sacerdotibus... non absolvat etiam compunctum, nisi viderint & confessum.

Reponunt Hæretici, Concilia & SS. Patres nomine Confessionis faciendæ intelligere duntaxat vel solam Confessionem generalem, & indistinctam, qualis fit in Primæ officio, & initio Missæ ac Completorii; vel solùm loquuntur de publica peccatorum Confessione, qualis in Ecclesiæ primordiis erat in usu fidelium frequentissima; neutra autem ejusmodi Confessionum est de jure divino necessaria; quippe cùm ex Ecclesiastica tantùm institutione fieri debeat; unde pro varietate temporum, & Ecclesiarum diversimodè fit hæc utraque Confessio: igitur, &c.

XIX. Præcluditur effugium Hæreticorum.

Contrà, SS. Patres & Concilia eam commendant Confessionem ex Christi D. institutione, quâ Sacerdos audiat peccatorum varietates, & differentias, etiam eorum quæ occulta, & prorsus in animo latentia sunt; ac subinde loquuntur solùm de Confessione publica, & indistincta.

Deinde, Confessio publica fiebat tantùm coram Sacerdote Pœnitentiario publicis Confessionibus & Pœnitentiis fidelium excipiendis præfecto: at SS. Patres loquuntur de Confessione facienda non uni duntaxat Sacerdoti, siquidem Origenes monet diligenter esse circumspiciendum, cui Sacerdoti velut Medico, fiat Confessio, ac ex plurimis quærere prudentiorem, ac peritiorem, cui animi languores & infirmitates exponantur.

Adde quòd unus duntaxat Sacerdos præfectus erat excipiendis Confessionibus publicis; unus autem non sufficiebat ad excipiendas omnes Confessiones fidelium unius civitatis.

Denique, publica Confessio supponebat aliam secretam factam apud Sacerdotem, quâ expenderet, quæ peccata pœnitens cum propria utilitate & ædificatione Ecclesiæ deberet publicè propalare: Unde, ut refert Sozomenus infrà laudandus, Sacerdos ille Pœnitentiarius debuit esse prudens, & secretorum tenax, ut præscriberet quæ peccata declarare, seu retinere deberent, & ut Confessionis sigillum in occultis criminibus tegendis prudenter ac religiosè servaret: igitur nec Concilia, nec SS. Patres loquuntur de publica & indistincta Confessione.

Reponunt secundò, Patres & consilia, ubi sermonem faciunt de Confessione privata & secreta, solùm innuere eam esse in usu de consilio ad solatium & instructionem simplicium, non verò de præcepto divino, & in remedium peccati.

Contrà: Patres & Concilia loquuntur de ea Confessione, quæ necessaria erat ad obtinendam remissionem peccatorum, & solvendos eorum nexus: nam Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 9. *Confessio peccatorum*, inquit, *tantùm relevat, quantùm exaggerat dissimulatio.* Et cap. 10. *An melius est, damnatum latere, quàm palam absolvi... si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam exomologesis extinguit*, &c.

PROPONUNTUR AC SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

O*bjiciunt primò Hæretici* varios Scripturæ textus, quibus probare nituntur, non esse necessariam peccatorum Confessionem ad obtinendam eorum veniam, nec in lege Evangelica esse præceptam: *Primò*, quia spondet Deus Ezechielis 8. quòd quoties ingemuerit peccator, vitâ vivet, & Deus iniquitatum ejus non recordabitur amplius. *Secundò*, longè suavior est,

ac levior observantia Legis Evangelicæ, quàm Mosaicæ; joxta illud Christi D. Matth. 18. *Iugum meum suave est, & onus meum leve:* sed in veteri lege Judæi non tenebantur ad confitenda sua peccata sigillatim, ut eorum veniam obtinerent: igitur nec ad id adigi debent Christiani. *Tertiò*, non aliter Sacerdotes novæ legis debent peccata remittere, quàm Christus remisttrit; siquidem sunt Christi D. Ministri, ac pro eo legatione funguntur: sed quoties Christus D. peccata remisit, non requisivit præviam eorum Confessionem; & specialem accusationem, ot constat exemplô Magdalenæ, Paralitici, Cananeæ: igitur nec opus est, ot pœnitentes singulorum peccatorum enumerationem faciant coram Sacerdotibus, ut ab eis absolvantur; sed satis est ut generatim se peccatores profiteantur, & veniam à Deo per illorum ministerium exorent.

XX. Solvuntur eorum argumenta petita ex Scriptura.

Nego consequentiam, & ad primum dico, veniam promitti peccatori ingemiscenti, & facienti præcepta, quæ Deus servanda statuit, pro qualiber peccati lege, concedo: non implenti hujusmodi præcepta, nego: sic in Lege veteri servandæ erant quædam cæremoniæ legales, & faciendæ oblationes, ut quis aliquorum peccatorum veniam consequeretur: sic pariter in nova, ut quis ejusmodi remissionem obtineat, oportet quòd recurrat ad receptionem Sacramentorum, quæ pro eluendis peccatis ordinatá sunt, nec gemitus & lacrymæ quidpiam pœnitenti prodesse possunt, nisi illa Sacramenta suscipiat in re, vel in voto; alioqui ad eluendas iniquitates non esset necessarius Baptismus; & homo salvari posset sine præceptis actibus Fidei, Spei & Charitatis: quod utique absurdum vltrò nobiscum fatentur hæretici: Itaque nisi qois confiteatur peccata in re, vel in voto, non ingemiscit ut par est; qoippe cùm nolit sois vulneribus & morbis ea sibi applicare remedia, quæ Deus absolutè necessaria ordinavit.

XXI. Confessionis onus est leve.

Ad secundum dico: Confessionis obligationem non officere, quin Lex nova longè sit facilior & levior Mosaïcà; siquidem in nova Lege cum præmissa peccatorum remissione sufficit cordis Attritio joncta Sacramento ad obtinendam remissionem; quæ utique Attritio in veteri Lege erat insufficiens: opus enim erat Contritione perfectà, quæ ita formam, ac constantem peccati detestationem exigit, ut fortè pauci fuerint in illa lege, in qua non ita oberior gratia exundabat, qui illam perfectam Contritionem exercerent.

Insuper: Confessionis difficultatem & onus allevat, & emollit utilitas, inquit Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. scribens: *Ipsa verò hujusmodi Confessionis difficultas: ac peccata detegendi verecundia, gravis item videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per Absolutionem certissimè conferuntur.* Hæc autem commoda, seu otilitates ex peccatorum declaratione percipiendas eleganter aperit Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 12. scribens: *Si de exomologesi retractas gehennam, in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet, & pœnæ priùs magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.* Descriptis posteà inferorum cruciatibus, colligit labores illos pœnitentiales lubenti animô subeundos, eò quòd his remediis avertimus æterna supplicia nobis parata: *Igitur cùm scias adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monumenta, esse adhuc in Exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi?* Quæ postea multis persequitur.

Simili ratione pœnitentes exhortatur ad Confessionem & Satisfactionem S. Pacianus. *Si de cruciatu Exomologesis retractatis, gehennam recordemini, quam vobis Exomologesis extinguet.* Deinde variis similitudinibus dolore gehennæ descriptô, quando & quomodo extinguatur docet Fideles: *Mementote, Fratres, quia apud inferos Exomologesis non est, nec Pœnitentia tunc tribui poterit consumptô tempore pœnitendi. Festinate, dum in vita estis, &c. Per Ecclesiæ fidem rogo vos, Fratres, per sollicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor, & deprecor, ne pudeat in hoc corpore, ne pudeat. ne pigeat opportuna quam primùm remedia salutis invadere, dejicere mœroribus animum, saccô corpus involvere, &c. In quantùm pœnæ vestræ non pepercistis, in tantùm vobis Deus parcet.* Si laborum actorum memoria jucunda est, ut proverbiô fertur; quantò magis laborum, qoorum tantus fructus, tam ampla merces.

Adde quòd illud Confessionis onos totum cedat in pœnitentis emolumentum; qoippe cùm nihil timendum habeat ex ejusmodi declaratione peccatorum facta Sacerdoti, qui tenetur strictissimè ad servandum sigillum; & insuper habet illam animi tranquillitatem, ac fiduciam peccata sua esse divinitus remissa, quando maximè omnem quam potuit, adhibuit diligentiam, ut illa detestaretur, & confiteretur: quanquam enim non habeat perfectam Contritionem, sufficit, qoòd habeat Attritionem, per quam ejus animus revocetur à peccato, nec obicem ponat efficacitati Sacramenti.

Ad tertium dico, quòd etsi Sacerdotes non absolvant peccata, nisi aothoritate sibi à Christo delegatâ & commisśâ; inde tamen non est consequens, quòd eôdem modô deleant peccata solvere, quô Christus D. hic enim cùm haberet plenariam authoritatem & independentem; cúmque optimè nosset omnes hominum actus & affectus, poterat sine ulla prævia accusatione particulari peccata dimittere, sicut & gratis condonare, non exigendo aliquam satisfactionem: non sic autem est de Sacerdotibus novæ legis, qui cùm à Deo delegati sint Judices, non solùm pro solvendis, sed etiam pro retinendis peccatis, nec-non & præscribendis pœnis, juxta majorem, vel minorem peccatorum numerum & gravitatem, necessum est, ot distinctam eorum notitiam habeant: illam autem habere non possunt, maximè de peccatis occultis, nisi pœnitens ipse illis manifestet per Confessionem: igitur ad id necessaria est Confessio.

XXII. Proponuntur authoritates SS. Patrum adversus Confessionem Sacramentalem.

Objiciunt secundò plurimas SS. Patrum authoritates, quibus significari videtur peccatum etiam in nova lege posse remitti, vel sine ulla Confessione, vel saltem cum sola Confessione Deo facta, non autem homini: Sic S. Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 22. *Petrus doluit*, inquit, *& flevit, quia erravit ut homo: non invenio quid dixerit, invenio quòd fleverit: lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest, ablui potest: lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri.* Similiter sanctos Augustinus lib. 10. Confessionum cap. 3. *Quid mihi est cum hominibus, ut audiant Confessiones meas, quasi sa-*

naturi sint omnes languores meos? curiosum genus hominum ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Idem declarat S. Prosper lib. 2. de vita contemplativa cap. 7. *Illi*, inquit, *quorum peccata humana innotitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent testem, habituri sunt & ultorem: quòd si ipsi Iudices fiant, & velut suæ iniquitatis ultores; si in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia:* Ceoset igitur quòd etsi peccatores soa peccata non confiteantur, dummodò ea detestentur, & defleant, eorum veniam obtinebunt.

Insuper Beda lib. 5. in Lucam cap. 69. expendens illa Cbristi D. verba, quibos alloqoens leprosos à se miraculô mundatos, ait: *Ostendite vos Sacerdotibus*, sic illa exponit: *Nullum Dominus eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur misisse ad Sacerdotes, nisi leprosos: quia videlicet Sacerdotium Iudæorum figura erat Sacerdotis futuri regalis, quod est in Ecclesia, quò consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi summi & veri Principis Sacerdotum. Et quisquis hæreticâ pravitate, vel superstitione gentili, vel Iudaïcâ perfidiâ, vel etiam schismate fraternô, quasi variâ colore per Christi gratiam caruerit, necesse est ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit ostendat. Cætera verò vitia tanquam valetudinis, & quasi membrorum animæ atque sensuum per semetipsum interiùs in conscientia & intellectu Dominus sanat & corrigit.* igitur Beda censet, qoòd alii noo debent necessariò confiteri Saeerdotibus, quàm qui lepræ spiritalis immunditiâ laborant: ut ait ipse supra *Iacob.* 5. id est, ii qui inficiuntur hæresi, Judaïsmô, gentilitate; schismate: cætera verò vult Absolutione Saeerdotis non egere vitia; proindéque nec vocali Confessione: mutuis coæqualium, id est, fratrum quorumvis precibus expiari, & à Christo ioteriùs in conscientia & intellectu sanati & corrigi. Igitur ex bis omnibus liqoet, Confessionem Sacramentalem non esse omoibus præscriptam, nec necessariam jore divinô.

Et solvuntur.

Nego consequentiam. Et ad S. Ambrosium respondet Doctor *dist.* 17. *num.* 29. posse dici, quòd tempote negationis Petri sacramentum Pœnitentiæ non fuit institutum, sed post Resurrectionem, quando Cbristus dixit Discipulis suis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.* & ideo noo tenebatur pro tunc ad Coofessionem, oec post institutionem Saeramenti adbuc tenebatur, quia jam ante Resurrectionem per aliud remedium fuit peccatum suum deletum. Et similiter responderi potest de infidelitate omnium Discipulorum in Passione Cbristi, quòd non tenebantur post ad Confessiooem: quia post Resurrectionem pœnituerunt ante institutionem sacramenti Pœnitentiæ; & hæc bene confirmant, qoòd Confessio non erat de lege naturæ, oec Mosaïca. Ad illa autem verba S. Ambrosii; *Lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri*, dicit Doctor illa non esse sic intelligenda, quòd sine Confessione pudorosa in actu, vel habitu lavetur delictum: sed Cootritio potest esse taota, quòd in ea etiam ante Confessionem deleatur peccatum, quod tamen est ita grave, quòd Confessio ejus sequens est pudorosa. *Hæc Doctor.*

Quibus verbis significat *primò*, mirum non videri quòd Petrus, ut suum delictum elueret, recursum non habuerit ad sacramentum Pœnitentiæ: quia tunc temporis nondum erat institutum; sed tantùm post Resurrectionem.

Secundò, quòd Petrus institutô postmodum Sacramentô oon debuerit coofiteri: quia jam virtute suæ Conttitionis peccati veniam obtinuerat. *Tertiò*, quòd lacrymæ Petri Confessionem aliquam delicti continebant; sic enim contingit interdum, quòd reus alicujus sceleris, obi ab alio convincitur, lacrymis suum fatetur delictum, quod voce non audet promere: tales erant Petri lacrymæ, quæ ipsius delictum manifestabant; oam, ot ibidem observat S. Ambrosius, maloit Petrus suum fateri peccatum, ut justificaretur fatendo, quàm gravare negando; justus enim in principio accusator est sui; & ideo flevit: verecundæ lacrymæ sine horratore nunquam loquuntur: lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ fatentur. *His adde* quòd Christus D. cùm haberet supremam potestatem remittendi peccata, potuerit Petro pœnitenti & lugenti coodonare delictum absque ulla Confessione, & ulteriori satisfactione.

Ad S. Augustinum dico, illum ibi sermonem non instituere de Confessione Sacramentali, sed de Coofessione satisfactoria præteritorum scelerum per Baptisma remissorum, & instituta in eum finem, ut inde misericordia Dei magis provocetur, ac sollicitetur ad conferendam gratiam, nec-noo ut laudibus, ac gratiarum actione celebretur, & Fidelis quisque per hujusmodi Pœnitentiæ ac satisfactionis exemplum ad emendatiooem vitæ, & spem veniæ provocetur. Talis est illa Confessio publica, quam ipsemet sanctus Augustious de omnibus suæ vitæ delictis tredecim libris Confessiooum exaravit, nt videlicet ad acriorem & majorem cordis compuoctionem stimularetur, ampliorem Deo satisfactionem exhiberet, & miram in se Dei misericordiam omnibus commendaret.

Ad S. Prosperum dico, illum ibi solùm intelligere publicam Confessionem, quam absolutè non esse necessariam pronuntiat: addit enim: Hi qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod occultè crimen admittunt, Deum sibi faciliùs placabunt; illi qui non humanô convicti judiciô, sed ultrò crimeo cognoscunt: qui aut propriis illud Confessionibus probant, aut nescientibus aliis, quibus occulti sint, ipsi in se voluntariæ excommunicatioois sententiam ferunt & ab altari, cui ministrabant, non animô, sed officiô separati, vitam tanquam mortuam plangunt. Quòd autem reverà ibi sermonem faciat tantùm de Confessione publica, quâ multitudini peccata declarentur, apertè liqoet per hæc verba (*nescientibus aliis.*) Qoibus significat, quòd absque hujusmodi Confessione publica aliquando dimittantur, oon tamen sine Confessione privata, quâ peccatores dici possunt etiam sibi ipsis esse judices & ultores propriæ iniquitatis: quia priusquam ad Sacramentale Tribunal accedant, suum ipsi peccatum agnoscunt & damnant, & injunctas à Sacerdote pœnas à seipsis exigunt.

Tandem *ad Bedam respondeo*, eum illis verbis excludere tantùm Confessionem publicam, quæ debet toti Ecclesiæ fieri ab eo, qui communem Ecclesiæ fidem impugoat, quales sunt qui hæreticâ pravitate, vel soperstitione Gentili, vel Judaicâ perfidiâ, vel schismate Ecclesiam infestant; qui omnes, ut veniam obtineant, tenentur

tur

tur publicam Confessionem & Pœnitentiam agere. Cætera autem vitia privata non debent ita publicè revelari, sed satis est, quòd Sacerdoti in privata Confessione aperiantur, ut ejusmodi morbos Dominus corrigat, mediante videlicet ipsô Sacerdote, qui Dei vice fungitur, & per cujus ministerium Deus omnia confessa crimina remittit, & sanat.

XXIII.
Objicitur sententia Gratiani.

Objiciunt tertiò: Si Confessio esset de jure divino, nusquam de ea necessariò facienda fuisset in Ecclesia dubium: sed à plurimis dubitatum est de necessitate Confessionis: Gratianus Canonum Collector dist. 1. de Pœnitentia quærit: *Vtrum solâ cordis Contritione, & secretâ Satisfactione, absque oris Confessione quisque possit Deo satisfacere. Sunt enim qui dicunt, quemlibet criminis veniam sine Confessione facta Ecclesia Dei Sacerdotali judicio posse promereri.* Insuper idem ad Canonem *Omnis*, in eadem dist. ait. *Non ergo in Confessione peccatum remittitur, quod jam remissum esse probatur:* fit itaque *Confessio ad ostensionem Pœnitentia, non ad impetrationem venia. Et sicut Circuncisio data est Abraha in signum Iustitia, non in causam justificationis; sic Confessio Sacerdoti offertur in signum venia accepta; non in causam remissionis accipienda.* Et ad Can. *Quamvis*.. in eadem dist. Gratianus allatis in utramque partem Canonibus subjungit: *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia Satisfactionis & Confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus; cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur; utraque enim fautores habet Sapientes, & Religiosos viros:* Igitur non semper compertum fuit in Ecclesia Confessionem oris, & Sacramentalem fuisse necessariam ad salutem.

Nego consequentiam: Omnes enim anthoritates, quas profert Gratianus directè & expressè non impugnant Confessionem particularem; sed publicam; quantùm autem ad illius propriam sententiam, non abnuo ipsum hac in re fluctuasse. Unde Gregorius XIII. in Bulla emendationis Decreti significat apertè Gratianum, & alios authores juris Canonici in aliquos errores incidisse: veniâ tamen utcunque donandos, quòd ipsorum ætate res illa nondum erat apertè definita, sicut innotuit post definitionem Oecumenicorum Conciliorum Lateranensis, Florentini, & Tridenrini, quibus illi antiquiores erant, scripsit enim Gratianus Decretum circa annum Domini 1150.

Sed reprobatur.

Adde quod ex omnibus Canonibus & authoritatibus à Gratiano contra necessitatem Confessionis citatis, nullus est Canon, qui evincat apertè uecessariam non esse Confessionem; nullusque est, qui non facilè possit explicari, vel de Confessione publica non facienda pro omnibus peccatis, vel de remissione peccati obtinenda per Contritionem cordis, & animi Confessionem soli Deo factam ante Confessionem Sacramentalem; quod utique non negamus.

Vrgens: Illa Confessionis necessitas non fuit semper comperta & rata in Ecclesia, cujus observantiam plurimæ Ecclesiæ necessariò tenendam non censuerunt: at ita est de observantia Confessionis: Græci namque illam soli Deo faciendam esse asserunt, ut docet ipsemet Gratianus in cap. ult. de Pœnitent. dist. 1. ex Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi natione Tharsensi, ac subinde apud Græcos enutrito; quem, inquit Baronius ad annum 668. Vitalianus Papa misit in Angliam. Hic autem scribit in suo Pœnitentiali: *Quidam Deo solummodò confiteri debere peccata dicunt, ut Græci: quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota ferè S. Ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam: ita duntaxat ut Deo, & hoc perfectorum est (qui ut Glossa ibi, non habent nisi venialia, unde non indigent oris Confessione speciali) ut cum David dicamus: Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Sed tamen „ Apostoli instituto nobis sequenda est, ut con- „ fiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus „ pro invicem, ut salvemur. Confessio itaque, „ quæ soli Deo fit, quod est Justorum, purgat „ peccata; ea verò quæ Sacerdoti fit, docet qua- „ liter ipsa purgentur peccata: Deus namque sa- „ lutis & sanctitatis Author, plerumque præbet „ hanc suæ Pœnitentiæ medicinam invisibili ad- „ ministratione, plerumque medicorum operatione, „ id est, Absolutione Sacerdotum. Ita Theodorus.

XXIV.
Græci semper Confessionem frequentârunt.

Respondeo, omissis variis aliorum responsionibus, illas voces (*ut Græci*) videri imperiti Scoliastis ignorantiâ ex margine, cui præfixæ fuerant, in textum Gratiani irrepsisse: hæ enim voces non habentur in Capitulari, nec in Can. 32. Concilii Cabilonensis secundi sub Leone III. qui Canon totus ex Theodori Pœnitentiali sumptus videtur. Cujus utique responsionis indicium est, quòd in Concilio Florentino, ubi actum est de iis omnibus, in quibus Græci à Latinis deficiebant; nulla facta est mentio de non frequentata à Græcis Confessione: nisi quòd Eugenius Papa quæsivit ab aliquibus Græcis doctioribus, cur eorum Sacerdotes ante sacrificii celebrationem sua peccata non confiterentur: ac si supposuisset Eugenius ibi Confessionem oris apud vulgus Græcorum in usu fuisse, quando de solis eorum Sacerdotibus eos interrogabat.

Adde quod, Arcudius Græcorum Rituum peritissimus, agens de sacramento Pœnitentiæ, scribit eum apud Sacerdotes Græcos abusum non confitendi propter severitatem Canonum Pœnitentialium introductum esse; quia in variis Canonibus Pœnitentiæ quos refert, decernitur Episcopis, & Sacerdotibus ob certa quædam peccata, quibus accidebat, ut plerique suspensi manerent ab officio, dum ea confitebantur.

Præterea, Græci inter Schismaticos, eruditissimi quidam, aiunt eam Confessionem inter suos obtinere. Nicolaus Cabasilas in explicatione Liturgiæ cap. 29. docet apertè Confessionem Sacramentalem ita scribens: *Scimus, post mortem Christi, etiam fide & Pœnitentiâ, & Confessione opus esse, & Sacerdotum oratione; nec potest homo solvi à peccatis, nisi hæc præcesserint.* Hieremias Patriacha Constant. in Orientali censura Confessionis Augustanæ cap. 11. Lutheranos arguit, quòd negarent Confessionis necessitatem, nam ita scribit. *Dicimus enim qui confitetur tunc demum perfectam peccatorum suorum consequi curationem, si peccata omnia, omnesque eorum partes, quantum animus illi sufficit, & quantum meminisse potest, cum contrito & humiliato corde recensuerit, atque confessus fuerit, feceritque omnia, quæ maxime illis peccatis, quæ admisit, adversantur, ut arrogantiam humilitate corrigat.*

Demptis nonnullis errantibus.

Sed estò sint eæ voces (*ut Græci*) in Canone Theodori, nihil aliud inde sequitur, ex eo quòd indefinitè tribuat eum Græcis errorem, nisi quòd

aliqui Græci in eo fuerunt errore, fortè soli Sacerdotes respectu sui; non autem inferri potest, illam apud Græcos omnes obtinuisse consuetudinem. Imò Nicephorus Cartophilax ait, eam confitendi consuetudinem apud Græcos antiquissimam fuisse, in epistola scilicet ad Theodorum de potestate ligandi & solvendi, cujus fragmentum extat tom. 3. Bibliothecæ Patrum ubi sic habet: *Omnes olim oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suaque illis occulta prodere, & sic vel reconciliationem, vel repudiam ferre. Ignoro autem quî factum sit, cur hæc minùs observentur, quamvis existimo Pontifices negotii tædiô, frequentique multitudinis turbulentiâ defatigatos, id opera ad Monachos transisse, ad eos scilicet, qui verè probati sunt, aliisque valeant esse utiles.... Si quis expertus sit, & homo frugi, & cùm hôc Sacerdotiô fungatur, ad illum imprimis accedendum est.*

XXV. Quibus nō consentit Theodorus Tharsensis.

Quorumcumque verò Græcorum sit error ille, non probat eum Theodorus, sed improbat omnino: *Primò*, quia contrariam opponit ei totius Ecclesiæ doctrinam, dum ait: Quidam Deo solùm confiteri debere peccata dicunt, ut Græci; quidam Sacerdotibus, ut tota ferè S. Ecclesia, nam particula *(ferè)* paucos solùm excipit Græcos, qui licèt hôc errore, & aliis quibusdam etiam gravibus impliciti, nihilominus adhuc in Ecclesia tolerantur. *Secundò*, particula *(ferè)* videtur adscititia; non enim habetur apud Ivonem Carnotensem part. 15. decreti, cap. 155. nec apud Burchardum lib. 19. cap. 149. apud quos ille Canon invenitur, his solis verbis, *ut tota sancta Ecclesia*. *Tertiò*. Theodorus ut approbet Ecclesiæ totius dogma de necessitate confitendi Sacerdotibus, ait utrumque, putà soli Deo confiteri, & confiteri Sacerdotibus, intra S. Ecclesiam non sine magno fructu fieri; quia nempe Confessio, quæ fit Sacerdoti supponit eam, quæ soli Deo fit ex humiliati Contritione cordis. *Quartò*, contrarias in specie sententias, quarum altera dicit uni Deo confitendum, altera Sacerdotibus etiam esse confitendum, ita conciliat, ut perfectis, id est, Justis, & iis, qui nullius peccati mortalis conscii sibi sunt, uni Deo confiteri sufficiat, nec opus sit confiteri Sacerdotibus; aliis verò, nempe qui mortali peccatô sunt infecti, necesse sit Sacerdoti confiteri, quare nobis institutionem Apostoli sequendam asserit. *Ita duntaxat*, inquit, *ut Deo qui remissor est peccatorum, peccata nostra confiteamur, & hoc Perfectorum est, seu Iustorum*. ut ait posteà, sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra: vel, ut habetur in Capitulari; quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam sit Ecclesiam: ita duntaxat, ut & Deo, à quo est remissio peccatorum, confiteamur; & secundùm Apostoli institutionem confiteamur alterutrum.

Vrgebis: Ex eodem Canone videtur negari efficacitas Confessionis externæ factæ Sacerdoti: sic enim scribit: *Confessio itaque quæ soli Deo fit, quod est Iustorum, purgat peccata; ea verò quæ Sacerdotibus fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata*: igitur Confessio facta Sacerdoti non aufert peccata.

Nego consequentiam: Illis enim verbis non negatur efficacia Confessionis, sed determinatur modus, quô tolluntur peccata, quasi dicat: Solus Deus est, qui ut Author principalis, & causa princeps remissionis condonat peccata; modus autem, quo communiter illa condonat, est Confessio facta Sacerdoti; unde statim subjungit: Deus namque salutis, & sanctitatis Author, & largitor, plerumque hanc præbet suæ Pœnitentiæ medicinam invisibili administratione, plerumque medicorum operatione: quod ita dictum observant illius Decreti emendatores, ut ille Canon *operationis* appellatione, doceat ordinarium purgandi modum esse per Sacerdotis Absolutiones: Deus enim (inquiunt ad marginem) ut continuò subjungitur, sanitatem largitur plerumque medicorum operatione, non dicit autem solâ duntaxat ostensione.

XXV. Parui facienda est Glossatoris sententia de Confessione.

Instant iterum. Quæ fuerit Canonistarum sententia, non potest evidentiùs innotescere, quàm ex Glossa Joannis Teutonici: sed ille dist. 5. de Pœnit. in principio docet humanô jure peccatorum Confessionem esse introductam; ait enim: *Videndum est ergo, quando Confessio oris instituta fuit: dicunt quidam, institutam fuisse in Paradiso statim post peccatum, dicente Domino ad Adam, Adam ubi es? Ideo enim quæsivit, ut ipsô confitente peccatum daretur forma aliis imposterùm confitendi; sed quia in illa interrogatione Dominus minùs expressè videbatur ad confitendum monuisse; ideo post exquisivit à Cain fratricida expressiùs,* UBI EST FRATER TUUS? *Alii dicunt, quòd sub lege primò fuit instituta, quando Iosue præcepit Achan crimen suum confiteri, & lapidatus est. Alii dicunt, quòd in novo Testamento à Iacobo dicente,* CONFITEMINI ALTERUTRUM PECCATA VESTRA: *Sed meliùs dicitur eam institutam fuisse à quadam universalis Ecclesiæ Traditione potius quàm ex novi vel veteris Testamenti authoritate: & Traditio Ecclesiæ obligatoria est, ut præceptum.* Unde colligit: *ergo necessaria est Confessio in mortalibus apud nos, apud Græcos non: quia non emanavit apud illos Traditio talis, sicut nec conficiunt in azymis, sed in fermentatis.*

Nego antecedens: Non enim, inquit Doctor " *dist. 17. num. 9.* Ecclesia tentasset tam arduum " præceptum imponere omnibus Christianis, nisi " esset præceptum divinum: vel quia non invenitur " ubi ab Ecclesia imponatur istud præceptum, " quin ante hoc Sancti reputârunt, hoc præceptum " de Confessione obligare; si enim allegatur " illud Capitulum, *Omnis utriusque sexûs*, patet " quòd illud est Innocentii III. in Concilio Lateranensi: " sed ante illud tempus per multos annos " fuit Augustinus plusquam per octingentos " annos, qui prædicavit Confessionem valde esse " necessariam.... Nec Canonista facilè inveniret " aliquod Concilium, vel præceptum propriè, ubi " exprimatur præceptum de Confessione facienda, " sicuti hîc loquimur. Unde colligit Doctor, " ipsum Glossatorem *irrationaliter loqui*; turpe enim " esset, Theologo dicere, aliquid esse in Biblia, & " nescire ubi illud inveniretur, & ita inconveniens " debet esse Canonistæ dicenti aliquid esse ex universali " Traditione Ecclesiæ, & non invenire in " Canone, si Canon sufficienter continet universales " Traditiones Ecclesiæ: non allegat autem " aliquod Capitulum Canonis ad istam Traditionem; " sed tantùm pòst subdit, quòd Traditio Ecclesiæ " est obligatoria. "

OBJICITUR ET EXPENDITUR FACTUM NECTARII,

OBjiciunt quartò : Si Confessio reverà esset de jure divino ; à nullo Ecclesiæ Pastore meritò posset abrogari : sed Nectarius Episcopus Constantinopolitanus abrogavit Confessionem auricularem in Ecclesia sua, ob scandalum aliquod ortum ex Confessione nobilis cujusdam mulieris, ut constat ex Sozomeno lib. 7. historiæ cap. 16. ubi rem sic narrat : In Ecclesia Constantinopolitana Presbyter pœnitentibus deputatus, hôc munere functus est, donec mulier quædam nobilis ob peccata quæ confessa fuerat, ab hoc Presbytero jejunare ac Deo supplicare jussa, & ob ipsam causam quòdam templo morosa, se ab homine Diacono constupratam prodidisset. Hôc autem cognitô vulgus ut ob contumeliam Ecclesiæ illatam indignabatur, acerbissimisque calumniis premebantur Sacerdotes. Nectarius itaque perplexus, quodnam huic infortunio remedium adhiberet, strupratorem ipsum Diaconato privavit, & consulentibus quibusdam, ut unicuique liberum permitteret, prout ipse sibi conscius esset, & consideret ad mysteriorum communionem accedere, Pœnitentiarium illum Presbyterum exauctoravit. Subjicit ; Ipsum morem alias Orientales Ecclesias fuisse imitatas. Ex quibus colligit Calvinus lib. 3. Institut. cap. 4. num. 7.

XXXVI. Nectarius non abrogavit Confessionem auricularé.

Si lex Dei erat auricularis Confessio, qui ausus est Nectarius eam refigere, ac convellere? Nectarium sanctum Dei hominem, omnibus veterum suffragiis probatum, hæreseos & schismatis accusabunt? Sed eodem calculô damnabunt Ecclesiam Constantinopolitanam, in qua confitendi morem, non ad tempus modò dissimulatum fuisse, sed ad suam usque memoriam obsolevisse narrat Sozomenus; imò non Constantinopolitanam, sed Orientales omnes Ecclesias defectionis reas agant, quæ inviolabilem (si verum dicunt) legem, & Christianis omnibus mandatam neglexerunt.

Nego minorem : Nam, ut præclarè docent Bellarminus, Suarez dist. 17. q. 2. Vasquez q. 90. art. 1. dub. 3. &c. *Primò*, negari potest factum istud: *Tum*, quia, ut declarat S. Gregorius lib. 6. Epistolarum cap. 159. Historia Sozomeni à Sede Apostolica non admittitur, quòd multa mentiatur : *Tum*, quia Sozomenus ipse cùm esset Novatianis Pœnitentiæ Sacramenti hostibus impensè addictus, potuit illam historiam, ut eorum parti studeret, gratis confingere : *Tum*, quia ipse non refert abrogationis hujusce Pœnitentiarii Sacerdotis historiam & seriem, ut rem suô tempore certam & constantem, sed ut rem controversam, de qua varii variè sentiunt ; ait enim: *Quid autem hoc sit, aut unde sumpserit originem, aut quam ob causam id sublatum fuerit, alii forsitan aliter referunt : ego autem quid mihi videatur, explicabo.* Quibus verbis significat, se narrare rem, non quam viderit, aut à testibus fide dignis acceperit; sed ut illam probabiliorem judicabat : Verùm quoniam Nicephorus lib. 12. hist. cap. 20. & Socrates lib. 5. suæ historiæ cap. 19. hujus facti à Nectario historiam referunt; idcirco

Respondeo secundò, Sozomenum non asserere abrogatam fuisse à Nectario Confessionem auricularem & Sacramentalem, ut contendit Calvinus, utpotè cùm ibidem illam esse necessariam ad impetrandam veniam asserat : sed duntaxat refert abrogatam fuisse Confessionem publicam, nec-non & morem illum Ecclesiasticum, quô Pœnitentiarius Sacerdos ad crimina publica & graviora excipienda designatus, discernebat ea, pro quibus publica Pœnitentia esset agenda, ab illis pro quibus non esset publicè pœnitendum: quem utique morem propter illud subortum scandalum Nectarius abrogavit.

Sed publicam.

Quòd autem hæc fuerit Sozomeni sententia, apparet ex verbis, quæ ante illa in objectione scribit : Quoniam, *inquit*, non peccare, divinum esse, & ultra humanam naturam cognoscitur: Pœnitentibus autem, quamvis frequenter deliquissent, veniam dare Deus jusserit, & ad impetrandam denique veniam, confiteri peccata necesse sit ; odiosum, ut credibile est, Sacerdotibus ab initio visum fuit, tanquam in theatro, audiente Ecclesiæ multitudine, delicta pronuntiare. Presbyterum itaque aliquem, vitæ integritate maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem, ac sapientem huic officio præfecerant, cui accedentes, qui peccaverant, acta vitæ suæ confitebantur : ille verò, pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, interminatus absolvebat, ut à se ipsi commissorum pœnas exigerent. At Novatianis quidem, quos Pœnitentiæ nulla cura frangit, istô nihil opus fuit : in cæteris autem sectis in hunc usque diem durat. Sollicitè autem in occidentalibus Ecclesiis, & maximè in Romana servatur ; ibi enim manifestus est Pœnitentium locus : stant autem in eo mœsti, ac velut lugentes, finitôque demum Dei sacrificiô participes non facti, quorum participes fieri veros Dei cultores fas erat, cum planctu ac lamentatione, semetipsos in terram pronos abjiciunt : tamen ex adverso lamentabundus Episcopus occurrens, consimiliter humi cum ejulatu collabitur, ac tota, Deique Ecclesiæ multitudo lacrymis suffunditur : post hæc Episcopus primus erigitur, ac jacentes erigit, & quantùm satis est pro peccatoribus pœnitentiam agentibus precatus, eos dimittit privatim. Deinde sponte suâ quisque vel jejuniis, vel lotionum ciborumve abstinentiâ, vel aliis, quibus jussus est, semetipsum affligens, tempus expectat, in quantùm Episcopus præstiterit, exactô demum præfinitô die, pœnâ jam quasi debitô quôpiam exolutâ, à peccatis absolvitur, & populo in Ecclesia conjungitur. Hæc Romani Sacerdotes ; ab ipso inde exordio etiam ad nostram usque memoriam custodiunt in Ecclesia vera Constantinopolitana, Presbyter pœnitentibus deputatus hôc munere functus est, nempe donec scandalum ex Confessione nobilis fœminæ contigerit.

XXVII. Ut colligitur ex Sozomeno.

Ex eo Sozomeni loco patet apertè : *Primò*, Pœnitentiarium aliquem institutum esse, qui publicis præesset pœnitentiis : *Secundò*, publicè pœnitentes ei Presbytero singula suæ vitæ peccata detexisse, publica pariter & occulta, speciali Confessione : non aliô quippe consiliô virum integræ vitæ, secretorumque tenacem huic officio præfecêre : quia si publica tantùm ei peccata confessi fuissent, non erat in eo secreti tenacitas admodum efflagitanda. *Tertiò*, pœnitentes vitæ suæ Pœnitentiario privatim confessos, ex ejus imperio, seu consilio publica quædam, aut etiam occulta propalasse posteà Confessione publicâ: nam ideo sapientem Presbyterum ei præfecêre muneri, qui pro cujusque delicto, quid facere singulos oporteret, & quas à se pœnas exige-

tent ipsi jejunando, supplicando, vel etiam occulta publicè confitendo, sicuti Mattona suam cum Diacono consuetudinem etsi secretam evulgavit. Unde Sozomenus exauctorationem illius Pœnitentiarii imputabat, quòd ea peccandi frænum auferat, tollendo verecundiam eorum, qui sua confitebantur ipsi delicta. Verbis enim in objectione relatis hæc immediatè subjicit: Pœnitentiarium illum Presbyterum exauctoravit, quod quidem ex tempore porro irritum vindicatum fuit: jam tamen, ut opinor, ipsâ vetustate, & ei conjunctâ gravitate, atque severitate, in promiscuam ac dissolutam vitam paulatim delabi incipiente; siquidem anteà, ut ego existimo, minora erant peccata, tamen ob verecundiam eorum, qui sua ipsorum delicta ipsi enuntiabant: tamen ob severitatem eorum, qui Judices ejus rei constituti erant: at ille pudor imprimis erat in occultorum explicatione.

XXVIII. Ex Socrate.

Confirmatur hæc responsio ex Socrate lib. 5. historiæ cap. 19. ita scribente: Per id tempus visum fuit Ecclesiæ, ut Presbyteri, qui in singulis Ecclesiis Pœnitentiæ præerant, tollerentur; idque hac de causa ab illo tempore, quò Novatiani se ab Ecclesia sejunxerant, recusaverantque cum his, qui tempore persecutionis, regnante Deciô concitatæ lapsi erant, communicare, Ecclesiarum Episcopi Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam Pœnitentiæ præesset, quò qui post Baptismum lapsi fuissent coram Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur. Iste Canon adhuc apud alias sectas ratus firmusque manet. Soli autem, qui fidem consubstantialitatis tenent cum Novatianis, qui cum illis in ea fide consentiunt, Presbyterum Pœnitentiarium rejecerunt; Novatiani verò, ne initiô quidem, istam quasi appendicem admiserunt: Episcopi, qui jam præsunt Ecclesiis, quamvis ad longinquum temporis spatium hoc teneant institutum; tamen temporibus Nectarii Episcopi, immutârunt, propter cujusdam facinus, quod tum forsan in Ecclesiis admissum fuit: Mulier quædam nobilis ad Presbyterum Pœnitentiarium accedit, peccata, quæ post Baptismum commiserat, particulatim confitetur; Presbyter mulieri mandatum dat, ut jejuniis & continuis precibus se dederet, quò unà cum peccatorum Confessione, opus dignum Pœnitentiâ ostenderet, Mulier longiùs in confitendo progressa, alterius culpæ seipsam insimulat, docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse; ob quod facinus hôc modô patefactum, Diaconus ab Ecclesia ejectus est; Tumultus inde in populi multitudine excitatus: nam indignabatur, non solùm de admisso flagitio, verùm etiam quòd inde gravis infamiæ & contumeliæ nota Ecclesiæ inusta esset. Itaque cum Sacerdotibus ob hanc causam esset vehementer objectatum, Eudemon quidam Ecclesiæ Presbyter genere Alexandrinus Episcopo Nectario dedit consilium, ut Presbyterum Pœnitentiarium tolleret, & liberam daret potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet: nam eô pactô solùm esse futurum, ut Ecclesia omni maculâ careret infamiæ. Ista omnia ab Eudemone ego ipse accepi, huic nostræ historiæ mandare neutiquam planè dubitabat.

Eadem ex Socrate & Sozomeno Cassiodorus historiæ tripartitæ lib. 9. cap. 36. & Nicephorus Calixtus lib. 12. historiæ cap. 25. exscribunt, ac referunt.

XXIX. Tria servari solita abrogavit Nectarius.

Ex quibus apertè colligitur Nectarium abrogasse tantùm tria: *Primum*, potestatem, seu munus Sacerdotis Pœnitentiarii constituti super publicos pœnitentes, eumque exauctorasse, vel quia id imprudenter illi mulierculæ mandaverat; vel quia noverat illam id indicaturam in publica sua Confessione; nec tamen prohibuerat: vel quia diuturniores Pœnitentiæ moras in Ecclesia mulieri præscripsisset: unde occasio fuit committendi sceleris, vel scandali. *Secundum*, publicam Pœnitentiam, ejusque exercitium proscripsit, quibus dirigendis Pœnitentiarius ille Presbyter constitutus fuerat; eò quòd occasione hujus Pœnitentiæ publicæ ortum fuit illud scandalum. *Tertium*, publicam Confessionem prohibuit, quæ erat veluti pars Pœnitentiæ publicæ, & per quam flagitium fœminæ cum Diacono populo innotuerat. Non autem abrogavit Confessionem privatam, nec exauctoravit Presbyteros excipiendis Confessionibus privatis, & Sacramentalibus ab Episcopo designatos; nec eripuit eis absolvendi potestatem. Quod utique colligitur *primò*, quia tantùm abrogavit eam Confessionem, quæ Novatianorum occasione fuerat instituta: at Confessio privata pridem ante Novatianos erat in usu, ut constat ex Irenæo, Origene, &c. *Secundò*, tantùm removit eam Confessionem, cui peculiariter Presbyter Pœnitentiarius erat destinatus: at ille non erat destinatus ad privatam Confessionem excipiendam; fieri enim non poterat, ut unus duntaxat Sacerdos in amplissima, ac valde populosa Civitate Constantinopolitana, imperii sede, sufficeret privatis Confessionibus tot hominum excipiendis. *Tertiò*, Nectarius eam solùm abrogavit Confessionem, quæ fuerat occasio scandali, & cujus abrogatio videbatur necessaria sedando tumultui excitato in plebe Constantinopolitana; hæc autem fuit Confessio publica; nam ex Socrate tumultus ille excitatus est in populo: quia mulier in confitendo progressa longiùs, flagitium cum Diacono admissum vulgaverat.

Non autem Sacramentalem Confessionem.

Nec refert quòd in textu Græco Socratis non habeantur illæ voces, *longiùs in confitendo progressa*: nam aliæ statim adjectæ, scilicet *alterius culpa seipsam insimulat*; ostendunt apertè secundam ejus Confessionem: illa quippe suiipsius insimulatio, quâ manifestat suum cum Diacono flagitium, est accusatio seu Confessio, non quidem privata, quæ omnino secreta erat, sed publica, per quam crimen istud innotuerat: quomodo enim scelus istud occultum venisset in cognitionem tum Cleri, tum populi, essetque in causa cur Diaconus è suo gradu exturbaretur, & tam grandis in populo tumultus fieret? Non abs re igitur Christo-Phorsonus in sua Interpretatione Socratis, has voces addidit textui Græco, *longiùs in confitendo progressa*.

Vrgebis: Eam Nectarius Confessionem abrogavit, quam præmittere debebat peccator, ut dignè ad Eucharistiam accederet: sed hæc est quam sacramentalem appellamus: igitur illam sustulit. Minor constat. Major probatur: nam ex *Socrate* Nectarius liberam dedit potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet. Ex *Sozomeno* permisit unicuique liberum, ut ipse sibi conscius esset & confideret, ad communionem mysteriorum accederet. Ex *Cassiodoro* singulos ad communicandum judiciô conscientiæ suæ reliquit. Ex *Nicephoro*, cuique permisit pro conscientia & fiducia

sua communicare, & immaculatis participare mysteriis: ergo permisit ad Eucharistiam accedere deinceps sine privata quacumque Sacramentali Confessione.

Nego majorem: Ea quippe libertas à Nectario deinde concessa pœnitentibus in eo fuit, ut antequam ad Eucharistiam accederent, si non adigerentur amplius confiteri Pœnitentiario Sacerdoti, sed possent cuicumque Presbytero vellent ex deputatis ab Episcopo confiteri; quia concessa libertas est intelligenda conformiter ad ea, quæ referuntur ibi, omnium ut Pœnitentes publici eximerentur onere, quod ante permissionem hanc iis impositum erat: hoc autem onus in eo fuit, ut antequam accederent ad mysteria, Pœnitentiario sigillatim acta vitæ suæ confiterentur, & alter nemo posset eos absolvere: sed ab hac obligatione liberati sunt à Nectario: dum etiam ab onere publicæ Pœnitentiæ, tum & publicæ Confessionis, quâ tenebantur aliquando debita quædam evulgare coram universa multitudine populi; posteà quippe permissi sunt communicare sine iis oneribus: at non ideo permissi sunt illi pœnitentes ad Eucharistiam accedere sine purgatione peccatorum, ideoque nec absque privata Confessione. Quod & ipsis hæreticis patet, contra quos agimus; aiunt enim ad Eucharistiam admittendos non esse, nisi priùs à Pastore probatos: unde Melanchon in Augustana Confessione sic ait §. *de Confessione*: Confessio non est apud nos abolita; non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et Calvinus 3. Instit. cap. 4. jubet, ut sistant se oves Pastori, quoties sacram cœnam participare volunt; adeo non reclamo, & maximè velim hoc ubique observari.

Instabis: Pœnitentiarius occasione Novatianorum institutus, debuit esse *secretorum tenax* ex Sozomeno; *servans secretum*, ex Cassiodoro, *taciturnus*, ex Nicephoro: at si fuisset institutus regendis pœnitentibus, & pœnis ac Confessionibus publicis, efflagitata non esset in eo tam arcta secreti sigillique religio: ergo tantùm institutus excipiendis Confessionibus privatis, ideoque hâc abrogatâ, privatæ Confessiones abrogatæ videntur.

Nego minorem: Ex Sozomeno quippe debebat ille pro cujusque delicto præscribere, quid oporteret facere seu luere singulos, ut debitas à se pœnas scelerum exigeret. Ex historia tripartita, secundùm cujusque culpas statuebat multa; ad id impensè necessaria fuit inspectio occultiorum culparum, intentionum, & circumstantiarum, ut satisfactiones, & pœnas delictis pares injungeret utilitati pœnitentis & Ecclesiæ, quasdam etiam ex ex occultis Confessione publicâ declarare juberet, sed id sine privata Confessione non poterat, quæ virum secreti tenacem, probum, & prudentem exigit. Duplex itaque Confessio fuit, quâ publicè pœnitentes eô tempore sua peccata confitebantur. *Vna* secreta seu privata, quâ statim ab initio Pœnitentiæ singula vitæ suæ acta Pœnitentiario detegebant, ut ab eo Pœnitentiæ modum & rationem acciperent. *Altera* publica, quam interdum in parte satisfactionis edebant, ubi pœnitentis utilitas, aut Ecclesiæ ratio postulabat. Utramque Socrates in nobilissimæ mulieris pœnitentia designat. *Primò*, privatam coram Pœnitentiario, quâ ad Presbyterum illum accedens, peccata, quæ post Baptismum admiserat, particulatim confitetur. *Secundò*, publicam coram populo; quâ Presbyter auditâ Confessione secretâ mulieris, ei mulctam imponit, & mandat, ut jejuniis, & continuis precibus cum peccatorum Confessione opus dignum Pœnitentiâ ostenderet. Hâc ipsâ Confessione dum matrona fungitur, longiùs confitendo progressa, forsan ex indiscreta devotione sua, vel etiam ex imprudentiori consilio Presbyteri, turpe cum Diacono crimen ita patefecit, ut inde tumultus in populo sit excitatus, & ejectus ab Ecclesia Diaconus.

XXX. *Mulieres rariùs quàm viri pœnitentiam publicam agebant.*

Vrgebis iterum: Mulieres ob verecundiam & pudorem sexûs, non agebant Pœnitentiam publicam: ergo matrona, quæ Nectario dedit occasionem abrogandi Pœnitentiarium, non emisit Confessionem publicam.

Distinguo antecedens: Ita frequenter, ut viri, concedo: nunquam omninò, nego: nam ex Hieronymo in epitaphio Fabiolæ ad Oceanum; ea primariæ nobilitatis fœmina, quòd secundo marito nupsisset repudiatò priori, qui tanta vitia habuisse narratur, ut ne scortum quidem, & vile mancipium, ea sustinere posset: ita post secundi viri mortem in semet reversa est, ut saccum indueret, ut errorem publicè fateretur, & totâ urbe spectante Romanâ, ante diem Paschæ, in Basilica Laterani, staret in ordine pœnitentium, & coram Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, & sordida colla submitteret.

Vrgebis: Pœnitentia & Confessio publica diu viguerant ante Novatianorum schisma, & hæresim: igitur illa Confessio, quam abrogavit Nectarius, non erat Confessio publica, sed ea, quam appellamus secretam & sacramentalem.

Distinguo antecedens: Viguerunt aliâ prorsus ratione, quàm ab Episcopis institutæ sint, occasione hæresis Novatianorum, concedo: eôdem modô, nego: fateor equidem, quòd ante illud Novatianum schisma plerique publicam Pœnitentiam agebant, & sua publicè peccata confitebantur, vel Episcopo, vel ei Sacerdoti, quem ab Episcopo et plurimis ad excipiendas Confessiones designatis seligebant, ut constat ex Origene suprà laudato: tunc enim uni duntaxat Sacerdoti peccata sua non tenebantur aperire, uti postmodum contigit occasione Novatianorum; Episcopi enim statuerunt, ut publici pœnitentes certum aliquem Presbyterum pœnitentiis & pœnitentibus præfectum adirent, ei sua confessuri peccata, & præscriptam ab eo Pœnitentiam, & Satisfactionem impleturi. Cujus utique publici Pœnitentiarii institutio nulla memoratur apud veteres Ecclesiæ Doctores ante persecutionem Decii, & schisma Novatianorum: sed ab eo tempore, quô Novatiani discesserunt, & separaverunt se ab Ecclesia: quoniam illi recusabant communicare cum iis, qui grassante persecutione lapsi fuerant, & quos nonnulli Præsules nimiâ facilitate ad Communionem sine debita Satisfactione, & pœnitentia admiserant, de quibus acriter conqueritur S. Cyprianus serm. *de lapsis*; idcirco ut Ecclesia tam gravi malo deinceps occurreret, novâ constitutione sancivit, ut publicorum aliquot criminum, nonnisi post exsolutos ex hujusce Pœnitentiarii præscripto secretioris Pœnitentiæ labores, ad sacrorum participationem mysteriorum admitterentur ii, qui post Baptisma lapsi fuissent, ut ostenderent contra Novatianos aliquam in Ecclesia potestatem esse dimittendi peccata, quando præficiebant pœnitentibus Presbyterum, ut ab eo dispositi per exercitia pœ-

Aliter flebat pœnitentia publica post, quàm ante schisma Novatianorum.

nitentiæ possent ab Episcopo reconciliari: Tum etiam, ut disciplinæ severitatem observarent, ac illis eum præponeret Sacerdotem, ut per spontaneas Pœnitentium pœnas eorum delictis aliquô modô pares eos ad mysteria recipienda compararent, cùm eos ad eam non admitterent, nisi Sacerdotis illius ope ductuque, per dignos Pœnitentiæ labores & fructus, à gravioribus peccatis anteà purgarentur.

Instant hæretici: Illam Confessionem Nectarius abrogavit, quæ postmodum non fuit in usu in Ecclesia Constantinopolitana: at quæcumque Confessio facienda hominibus post hujusmodi abrogationem, non fuit amplius ibi in usu: igitur, &c. Major constat ex dictis. Minor verò probatur ex S. Chrysostomo ipsius Nectarii in Sede Constantinopolitana Successore, qui pluribi docet non esse confitendum hominibus, sed soli Deo: maximè verò Homil. 2. in Psalmum 50. ubi ait: *Peccata tua dicito, ut deleas illa; si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua; non dico ut confitearis conservo tuo, ut exprobret, dicito Deo, qui curet illa.* Et serm. de Pœnit. & Confess. *Nunc autem*, inquit, *neque necessarium est præsentibus confiteri; cogitatione fiat delictorum inquisitio, sine teste sit hoc judicium, solus te Deus confitentem videat.* Et Homil. 4. de Lazaro: *Neque enim conservo est confitendum, qui in publicum proferat, sed Domino.* Ubi S. Chrysostomus Confessioni, quam improbat, opponit eam, quæ fit Deo, & quæ fit in anima, ac cogitatione, & intra conscientiam: igitur S. Chrysostomus improbat omnem Confessionem faciendam hominibus.

XXXI. Quô sensu S. Chrysostomus dixerit non esse confitendum homini.

Nego minorem: & ad ejus probationem dico, S. Chrysostomum improbare solùm Confessionem publicam, non verò privatam; loquitur enim de Confessione, ex qua sequi posset exprobratio: talis autem erat Confessio publica: nam, ut notat Origenes homil. 2. in Psal. 37. cùm publica Confessio fieret, semper aderant, qui possent exprobrare; unde ait: *Si hujusmodi homo memor delicti sui confiteatur ea, quæ commisit, & humanâ confusione parvi pendat eos, qui exprobrant, & eum confitentem notant, aut irrident.* Ejusmodi verò non est ea Confessio, quæ fit in Sacramento Sacerdoti: nulla enim potest ex ea sequi exprobratio; quia sine testibus fit, & arctissimô silentii debitô, seu sigillô Sacerdotes astringuntur. Hinc addit: *Nunc autem neque necessarium est præsentibus testibus confiteri*; nam his verbis ostendit aliquando fuisse necessarium coram testibus, ideòque publicè confiteri, sed eam necessitatem esse sublatam à Nectario, ne scilicet ejusmodi publica Confessio amplius foret ansa, & occasio exprobrationis faciendæ.

Vel dico, S. Chrysostomum ibi non loqui de Confessione Sacramentali, quæ fieri debet ex præcepto, sed duntaxat de Confessione quotidiana; unde signanter dixit verbis suprà laudatis in Psal. 50. *Si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua*, &c. quasi diceret: Rem tibi grandem non suadeo, neque adhortor, ut quotidie confitearis peccata tua Sacerdoti, qui exprobret illa, & suis increpationibus perstringat: sed alium tibi Confessionis modum aperio, nempe ut diebus singulis peccata tua privatim Deo confitearis in anima tua, unde subdit: *Ecce habes codicem, ubi scribas quotidianum expensum: habetò codicem conscientiam tuam, & scribe quotidiana peccata: quando accubueris super stratum tuum, & neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam.*

Idem etiam suadet in præfata homilia de Lazaro, ubi monet, quòd si aliquando habuerimus corruptæ cupiditatis in anima conceptum, statim suffocemus; si verò in opus prodierit, occidamus per Confessionem statim: *Cur ergo*, inquit, *pudescis, & erubescis dicere peccata tua? cave enim homini dixeris, ne tibi exprobret, neque enim conservo confiteris, sed ei qui Dominus.* Quibus significat quotidianam Confessionem statim esse faciendam, ac peccavimus: non igitur loquitur de Confessione Sacramentali, quam nullibi negat, sed duntaxat de Confessione privata, quæ fieri potest, & debet à quolibet homine, ut videlicet per Contritionem peccati veniam possit obtinere.

Vrgent tandem: Quæ fuerit S. Chrysostomi de Confessione sententia, apparet distinctè ex Cassiano illius Discipulo: at hic negat omnem Confessionem faciendam esse hominibus; siquidem Collatione 20. cap. 8. ait: *Si verecundiâ retrahente, revelare coram hominibus peccata tua erubescis, illi quem latere non possunt, confiteri ea jugi supplicatione non desinas; qui & absque verecundia publicatione curare, & sine improperio donare consuevit.* XXXII. Et Cassianus.

Nego minorem: Nam eôdem modô loquitur Cassianus, quô ejus Præceptor, nempe vel de Confessione publica, quæ coram populo fiebat, & ex qua sæpe oriebatur exprobratio, & improperium; non verò de privata, quæ Sacerdoti fiebat, ut vicario Dei, seu Christi, non verò ut homini simplici, ac puro: unde Confessio hæc censeri potest fieri Deo, quia fit homini vices Dei gerenti; siquidem Sacerdos pro Christo legatione fungitur.

Vel dico, eum illis verbis adhortari ad quotidianum conscientiæ examen, & privatam Confessionem diebus singulis coram Deo de peccatis post illam conscientiæ investigationem faciendam; ait enim ante verba suprà laudata: Quis
« est, qui non possit dicere, Peccatum meum co-
« gnitum tibi feci, & injustitiam meam non ope-
« rui? Ut per hanc Confessionem etiam illud con-
« fidenter subjungere mereatur: Et remisisti im-
« pietatem cordis mei. Quòd si verecundiâ retra-
« hente, &c.

Objiciunt quintò: Plurimi Theologiæ Principes apertè fatentur Confessionem non divino jure, sed duntaxat humano esse præceptam: nam Hugo Victorinus lib. de Sacramentis part. 14. cap. 14. dicit Christum non dedisse hominibus præceptum sua peccata confitendi. Et Magister sent. dist. 17. proponit sententias utrioque probantes & negantes necessitatem Confessionis, nec ipse quidquam resolvere videtur, saltem ex jure divino. Et Alensis 4. p. q. 18. memb. 3. art. 2. *Dominus*, inquit, *non instituit Confessionem, ut erat exercenda ab ipsis pœnitentibus.* Tandem S. Bonaventura dist. 17. part. 2. art. 1. q. 3 apertè docet Christum Dominum non instituisse Confessionem, sed illam esse opus purè humanum; *Vnde*, inquit, *non est data virtus Sacramenti ipsi Confessioni, sed Absolutioni: ideo rectè hominibus puris institutio debuit reservari.* Igitur Confessio non est de jure divino.

Distinguo antecedens: Fatentur non esse de jure divino explicitè, seu distinctè & expressè, concedo: tacitè & implicitè, nego: Fatentur enim XXXIII. Quâ ratione veteres

Theologi asserant Confessionem non esse à Deo institutam.

illi, Christum D. dedisse Apostolis ejus vices agentibus potestatem dimittendi & retinendi peccata; ac subinde implicitè saltem etiam mandavit Confessionem fieri; quippe cùm, ut diximus, scire non possit Sacerdos, quæ peccata sint remittenda, quæve retinenda, nisi pœnitens ea distinctè declaraverit. Nec aliud certè volunt Hugo Victorinus, Magister sentent. & Alensis. Quantùm verò ad Seraphicum Doctorem major videtur difficultas; nihilominus facilè potest explicari; duo namque distinguit in sacramento Pœnitentiæ; unum formale quod est Sacramenti completivum, & hoc est Absolutio, sive facultas absolvendi vel medicandi, aliud verò materiale, hoc est detectio peccati, seu morbi: Primum, *inquit*, Dominus instituit, qui potestatem clavium concessit, & penes hoc residet virtus Sacramenti: *Secundum* verò non instituit in se, sed insinuavit. Cujus utique quadruplicem profert rationem: Ex his, quæ dicta sunt, *inquit*, quatuor possunt rationes elici, per quas Dominus immediatè Confessionem, & expressè non instituit: *Prima* quidem, quia non oportuit: *Secunda* verò, quia hoc voluntarium esse debere docuit: *Tertia*, quia est Sacramentum recidivantium: *Quarta*, quia quantùm est de se, est opus humanum, unde credo quòd non per se instituit: & si dicatur instituisse, hoc est intelligendum, insinuando, & authoritatem dando.

EXPENDUNTUR OBJECTIONES CALVINI.

OBjicit Calvinus *lib. 3. Institut. num. 16. cap. 4.* Deus impossibilia nec instituit, nec jubet: sed Confessio enumerativa omnium peccatorum est impossibilis; ac subinde non est à Deo instituta. Probat minorem Calvinus variis Scripturæ sacræ authoritatibus, maximè ex *Psal. 19. &* 38. ubi David testatur, se sua peccata non posse sigillatim recensere: *Delicta*, inquit, *quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Et iterum: *Iniquitates meæ supergressæ super caput meum, &c.* Nimirum (inquit Calvinus) intelligebat Propheta, quanta esset peccatorum nostrorum abyssus, quàm multæ scelerum facies, quot capita ferret, & quàm longam caudam traheret hæc hydra: non ergo ad recensendum Catalogum se conferebat, sed de profundo malorum clamabat ad Dominum, Obrutus sum, sepultus sum, & suffocatus, inferorum portæ circundederunt me, immersum altô puteô, deficientem & moribundum manus tua extrahat. Quis suorum peccatorum nunc supputationem cogitet, ubi Davidem videt suorum numerum inire non posse? Hæc Calvinus.

XXXIV. Quomodo omnia omnino peccata possint in Confessione aperiri.

Nego minorem: Tam enim possibilis est Confessio specialis, & enumerativa peccatorum apud Sacerdotem, quàm apud Deum: sed Calvinus ipse *num. 18.* fatetur fieri posse accusationem omnium peccatorum coram Deo; ait enim: Quid, inquies, ergone confitenda non sunt singula delicta? ergo nulla Confessio Deo accepta, nisi duobus istis verbis conclusa, Peccator sum? Imò verò danda potius opera, ut quantùm in nobis est, totum cor effundamus coram Domino: nec modò nos peccatores unô verbô fateamur, sed ut tales nos verè, & ex animo agnoscamus: quanta sit, & quàm varia peccatorum labes, totâ cogitatione recognoscamus: non modò nos immundos, sed qualis sit, & quanta, quàmque in multis partibus nostra immunditiès: non modò debitores, sed quantis simus debitis gravati, & quot nominibus obstricti; non modò vulneratos, sed quàm multis & lethalibus plagis saucii simus; ita credimus. Quibus fatetur non satis esse confiteri Deo generatim, & universim se peccatorem profiteri coram Deo, sed ultrà necessum esse, ut post accuratum examen conscientiæ, diligentemque peccatorum inquisitionem, & discussionem, pœnitens sua peccata coram Deo profiteatur: Nihil autem aliud ad Sacramentalem Confessionem requirimus, quàm ejusmodi peccatorum accusationem coram Sacerdote cum ea prævia discussione, quam viri prudentes adhibere solent in rebus gravioris momenti.

Instat Calvinus: Non potest pœnitens, etsi omnem impendat animi contentionem, ad rationem vocare totius anni acta, & quid singulis diebus peccavit colligere, siquidem experientia unumquemque convincit, ubi ad vesperam excutienda sunt unius tantùm diei delicta, memoriam confundi, tanta se turba, & varietas delictorum ingerit: igitur hæc enumerativa Confessio singulorum delictorum est impossibilis.

Distinguo antecedens: Si per delicta intelligas quoslibet hominis defectus, nec-non & veniales culpas, quas utique necesse non est in Confessione aperire, valde difficile est, omnia totius anni delicta in memoriam revocare, concedo: si intelligas graviores culpas, quæ in Confessione manifestari debent, nego: nullus enim est, qui adhibitâ diligenti disquisitione conscientiæ facilè non memoretur omnium graviorum criminum à se per anni curriculum patratorum: si quæ autem post illam diligentem inquisitionem crimina memoriam fugiant, pœnitenti satis erit generatim de omnibus occultis, & omissis confiteri. Cui utique assertioni refragari non potest Calvinus, cùm dicat *num. 18.* quòd cùm peccator se totum coram Deo, per singulorum peccatorum accusationem effuderit, seriò ac sincerè cogitare debet, plura adhuc restare, ac profundiores esse malorum suorum recessus, quàm quos penitus excutere possit; atque adeo debet exclamare cum Davide: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine.*

Vrget: Illa saltem enumerativa Confessio turbat animæ pacem & fiduciam, ac spem in Deum; adducit quippe pœnitentis conscientiam in dubitationem, curam & sollicitudinem, quòd nempe in inquirendis suis delictis non satis temporis impenderit, non justâ operâ incubuerit, & multa per negligentiam prætetierit, quorum remissionem & Absolutionem non potuit obtinere: non igitur Deus illius Confessionis est author, quæ est vera carnificina, crudeliter divexans animas eorum, qui aliquô Dei sensu afficiuntur.

Nego antecedens: Nam ille, qui omnem, quam potuit, adhibuit diligentiam ad investiganda, & confitenda sua peccata, habet certam animi tranquillitatem ac fiduciam, quòd à Dei misericordia per Absolutionem Sacerdotis ejusmodi peccatorum veniam consequetur: inde pacatum habet animum, & cum fiducia accedit ad thronum misericordiæ, & Deo quem pronum novit ad miserendum, impensè famulari studet; ut irrogatam ipsi per peccatum injuriam pro viribus resarciat.

XXXV. Quàm in-

Vrget tandem Calvinus *lib. 3. Instit. cap. 7.* ante Concilium Lateranense, nullam fuisse legem

fulsè & imperitè Ecclesiam accuset Calvinus.

Confessionis, in eoque Concilio, editæ legis Omnis utriusque sexûs barbaries fidem abrogat: *Nam*, inquit, *quod jubent Boni Patres, omnem utriusque sexûs quotannis semel proprio Sacerdoti confiteri, omnia peccata faceti homines lepidè excipiunt, hôc præceptô teneri solos hermaphroditas, ad neminem verò spectare, qui sit mas, vel fœmina.*

Respondeo, Concilium Lateranense non statuisse ut Fideles confiterentur; id enim jure divinô statutum esse intellexerat, sed ut præceptum divinum Confessionis solùm semel in anno ab omnibus & singulis ratione utentibus impleretur. Quòd objicit Calvinus barbariem, frivolum est. *Primò* quia Grammaticæ leges plerumque Ecclesia sprevit. *Secundò* quia frequens est hic loquendi modus in Scripturis, Deuteronomii 7. *Non eris apud te sterilis utriusque sexûs.* Judicum 18. *Circiter tria millia utriusque sexûs.* 2. Paralipomenon 31. *Liberis eorum utriusque sexûs.* *Tertiò*, quia Plinius secundus vir disertissimus lib. 1. Illustrium virorum, in Romulo hanc usurpat loquendi formulam: *Ludos*, inquit, *Circenses simulavit, ad quos cùm utriusque sexûs multitudo venisset, &c.*

Quæstio Secunda.

Vtrum, à quibus & de quibus, fieri debeat Confessio ex præcepto Ecclesiæ?

I. *Ecclesia potest statuere ac præscribere usum Sacramentorum.*

Notandum primò, Ecclesiam habere potestatem præcipiendi, aut saltem determinandi usum Sacramentorum, nec-non & ea, quæ spectant ad eorum ministrationem, & susceptionem, ut docet Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 2.* ubi ita scribit: Declarat *(sancta Synodus)* hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut „ in Sacramentorum dispensatione salvâ illorum „ substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ susci„ pientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum „ venerationi, pro rerum, temporum, & locorum „ varietate, magis expedire judicaret.... Quare „ agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in admi„ nistratione Sacramentorum authoritatem, licèt „ ab initio Christianæ Religionis, non infrequens „ utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu „ temporis latissimè jam mutatâ illâ consuetudi„ ne, gravibus & justis causis adducta, hanc con„ suetudinem sub altera specie communicandi ap„ probavit, & pro lege habendam decrevit, quam „ reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ authoritate „ prolibito mutare non licet. Quæritur ergo utrum ex hypothesi, quòd non esset præcepta Confessio facienda de jure divino, Ecclesia illam legitimè præcipere potuerit, & de facto præceperit, ac determinaverit tempus, quò sit facienda. Circa quam resolutionem non consentiunt Theologi, Triplex enim est eorum capitalis sententia: *Prima* est Durandi *in 4. dist. 17. quæst. 8. num. 7.* docentis, Confessionem Sacramentalem, quatenus est accusatio omnium peccatorum etiam internorum, non posse præcipi ab Ecclesia; ac subinde aut non esse præceptum annuæ Confessionis, purè Ecclesiasticum, aut nullum esse præceptum, sed tantùm consilium: *Secunda* sententia eorum est, qui docent Ecclesiam non potuisse quidem præcipere, ac determinare tempus faciendæ Confessionis, nisi jam illa facienda esset ex jure divino; unde præceptum Eccle- A siasticum Confessionis annuæ est tantùm determinatio, modificatio, seu applicatio divini præcepti servandi hôc aut illô determinatô tempore. Ita docent Soto *in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 1. concl. 4.* & Canus in relectione de Pœnitentia p. 5. *Tertia* verò sententia eorum est, qui docent præceptum annuæ Confessionis, non esse solam declarationem, aut determinationem juris divini, sed omnino Ecclesiasticum præceptum, ad cujus observantiam tenentur omnes fideles.

II. *Non habet authoritatem directam in actus internos.*

Notandum secundò, omnes Theologos (saltem B paucis exceptis) convenire, quòd Ecclesia non habeat directam authoritatem, aut potestatem circa actus purè interiores, & qui interiùs consummantur, quales sunt actus assensûs vel dissensûs intellectûs, odii, vel amoris, aut complacentiæ voluntatis in re prohibita, vel illicita; Ecclesia enim in id potestatem directam non habet, quod nec prohibere potest, nec illius transgressionem punire: at transgressionem præcepti circa actus internos punire non potest; quia deduci non possunt ad ejus judicium; nec subinde illos actus potest præcipere. Utrum autem hujusmodi actus purè internos indirectè saltem, & ratione alterius præcepti servandi præcipere possit, affirmat Doctor *in 3. dist. 27.* ubi agens de obligatione charitatis, ait illius actum præcipi C posse ab Ecclesia, quatenus ille elicitus est, ut religiosè festa præcepta serventur, & debitus eô tempore Deo cultus, quâ decet reverentiâ, ei impendatur. Quæritur itaque utrum Ecclesia directè, vel indirectè præcipere possit Confessionem omnium peccatorum, etiam internorum.

III. *Duplex est alicujus præcepti obligatio.*

Notandum tertiò, duplicem distingui posse obligationem alicujus præcepti servandi. *Unam* quidem per se, & immediatam, quæ videlicet oritur ex vi talis præcepti, id est, seclusô omni aliô præceptô tam divinô, quàm humanô. Sic per se D præcepta est agenda Pœnitentia à peccatore, quando maximè occurrit, & imminet mortis periculum. *Alteram* verò mediatam, & per accidens, quæ non petitur ex præcepto ipsius rei, quæ fieri debet & impleri; sed duntaxat ex præcepto alterius rei faciendæ, aut suscipiendæ, quæ debitè non fieret, nisi aliud præmitteretur, tanquam prævia dispositio; sic Pœnitentia dicitur præcepta, quoties sumenda est Eucharistia ab homine, qui peccatô mortali inquinatur, ne videlicet recipiens corpus Christi indignè, judicium sibi manducet. Difficultas itaque est, utrum Confessio sit facienda per se ex præcepto Ecclesiastico, aut tantùm per accidens, semel in anno, videlicet occasione implendi præcepti de suscipienda Eucharistia tempore Paschalis.

E Tria itaque hîc sunt determinanda: *Primum*, utrum Ecclesia directè & per se præcipere potuerit, ac reverà præceperit, faciendam Confessionem: *Secundum*, de quibus peccatis fieri debeat ista Confessio, ut fiat satis illi Ecclesiastico præcepto: *Tertium*, quinam teneantur ad hujusmodi præcepti observantiam.

Conclusio Prima.

IV. *Confessio fieri debet singulis annis ex præcepto Ecclesiastico.*

Reverà Ecclesia præcipere potuit, ac de facto *præcepit per se faciendam Confessionem singulis annis.* Probatur utraque pars ex Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. ubi statuitur: *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata,*

peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & injunctam sibi Pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis prædicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Quibus verbis duo determinantur: *Prymum*, quòd sit facienda Confessio: *Secundum*, quòd sit facienda saltem semel in anno. Utrumque autem ab Ecclesia præcipitur, ut nedum liquet ex verbis hujus decreti, sed etiam ex gravi pœna, quæ transgressoribus ibidem infligitur: non enim solet Ecclesia tantâ severitate animadvertere in filios, nisi propter transgressionem præcepti propriè dicti, & cujus observantia sit ad salutem necessaria. Nec valet reponere cum Durando, severam illam Ecclesiæ animadversionem eos perstringere, non qui omiserint faciendam Confessionem, sed tantùm qui neglexerint suscipiendam Eucharistiam tempore Paschatis.

Hæc, inquam, responsio nulla est: *Tum quia*, vocabulum *(alioqui)* quod est comminatorium pœnæ, ex æquo refertur tam ad Confessionem, quàm ad communionem; nec unam potius, quàm alteram per se designat: *Tum quia*, non potest meliùs innotescere, quæ fuerit Concilii Lateranensis sententia, quàm ex Concilio Tridentino: at ex hoc liquet, Lateranense præcepisse faciendam Confessionem semel in anno; ait enim Tridentinum sess. 14. can. 8. *Si quis docuerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & Traditionem humanam à piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexûs Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, anathema sit.* In quo utique Canone, ut apparet, nulla fit mentio Communionis Paschalis; ex quo colligere licet, Concilium significare, quòd in Lateranensi Confessio præcipiatur, non tantùm per accidens, & mediatè, quatenus videlicet est medium necessarium ad dignè communicandum, sed etiam immediatè ac per se; ita quòd ad ejusmodi annuam Confessionem teneantur etiam ii, qui aliunde excusarentur à præcepto communionis; & consequenter ille peccaret duplici peccatô, qui Confessionem annuam, & Communionem in Paschate omitteret. Adde quòd si præceptum faciendæ Confessionis non esset distinctum à præcepto suscipiendæ Eucharistiæ, sequeretur non esse quinque distincta Ecclesiæ præcepta, quod utique est contra communem fidelium sententiam.

Dices: Nulla lex potest præcipere actum, cujus transgressorem non potest justè punire: sed nulla lex humana potest justè punire illum, qui non confiteretur peccatum sibi soli notum; quod utique probatur, quia non potest eum punire propter transgressionem, cujus non potest esse nota transgressio: at Ecclesia non potest certò nosse, utrum peccator omnia occulta sua peccata sive interna, sive externa confiteatur: igitur, &c.

V. *Nego minorem*: Ecclesia enim legitimè præcipit faciendam Communionem, ut etiam fatetur Durandus, licèt non possit interdum punire illius præcepti violatorem, putà si quis reciperet Eucharistiam ore tantùm, non verò illam in stomachum trajiceret. Quòd autem Ecclesia sæpè præcipiat ea, de quibus non potest facilè judicare, ac cognoscere in foro externo, nec subinde transgressores punire, apparet ex præcepto Horarum Canonicarum recitandarum singulis diebus à Clericis, nec-non auditionis Missæ diebus Dominicis & festivis, & similium actuum, qui requirunt aliquam certam intentionem internam, quæ per externum opus satis apertè non manifestatur. Similiter quando tales actus præcipiuntur, qui necessariò non debent fieri publicè, nam posset quis dicere, se in occulto legem implevisse, quamvis reverà illam non impleverit.

Quomodo Ecclesia illius præcepti transgressionem nosse ac punire potest.

Respondeo secundò, negari posse minorem; fieri enim potest, ut qui publica commisit crimina, nec ad proprium Sacerdotem accedit; si interim ille è vivis excedat; in eum ita non confessum potest animadvertere Ecclesia; & præscriptâ à Lateranensi Concilio pœnâ eum mulctare. Hinc apparet quàm levi fundamentô dubitaverit Durandus, an determinatio Concilii Lateranensis, sit potius præceptum, quàm consilium.

Adde quod ipsemet Durandus in seipsum videatur militare; nam circa medium quæstionis subdit, Ecclesiam per authoritatem Christi posse præcipere Confessionem; hoc enim dicere nihil est aliud, quàm reverà fateri Ecclesiam posse directè Confessionem præcipere per authoritatem, quam habet: nam Ecclesia totam suam authoritatem habet à Christo, ac subinde omnia, quæ præcipit circa susceptionem, aut administrationem Sacramentorum, præcipit authoritate Christi.

Ex his itaque liquet, quòd etsi Confessio non esset facienda ex jure, & præcepto divino, eam Ecclesia præcipere posset: at verò cùm sit jure divinô præcepta, saltem aliquando in vita facienda, quando videlicet peccator tenetur recurrere ad remissionem peccatorum per Absolutionem Sacramentalem obtinendam; idcirco Ecclesia meritô jure determinavit certum tempus, in quo debeat divinum illud præceptum adimpleri, ut docet Tridentinum, sess. 14. cap. 5. circa finem ibi: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divinô necessarium, & institutum esse intellexerat: sed ut præceptum* (divinum) *Confessionis ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Consonat Doctor subtilis 4. *dist.* 17. *num.* 14. *De tertio articulo dico, quòd Ecclesia præceptum illud* (divinum Confessionis) *quantùm ad aliqua prædictorum non specificavit, & quantùm ad aliqua specificavit. Præcipua autem specificatio hujus præcepti invenitur in illo capitulo extra. de Pœnitent. & Remiss. Omnis utriusque sexûs.* Et infrà *num.* 28. *Quoad*, quando, *Ecclesia determinavit præceptum* (divinum Confessionis) *scilicet semel in anno.* Non ait Doctor: *Ecclesia præcepit Confessionem*, sed *determinavit præceptum*, scilicet divinum.

PATET I. *Utrum, si Confessio non esset jure divinô facienda, nec à Christo præcepta, eam præcipere potuisset Ecclesia?*

VI. *Respondeo*, quòd si Confessio Sacramentalis à Christo solùm fuisset instituta, & pro arbitrio

Utrum Ec-

…clesia potuisset præcipere Confessionem si eam liberam Christus reliquisset.

facienda, vel omittenda; illam Ecclesia non potuisset præcipere, qualis de facto præcipitur, nempe ut fiat de omnibus peccatis mortalibus, etiam occultis; idque non solùm; quia, ut volunt aliqui, Ecclesia caret potestate, saltem directâ, circa actus merè internos; hoc enim, ut statim diximus, non est adeo certum: sed quia Ecclesia non potest præcipere rem tantæ difficultatis, qualis est Confessio omnium peccatorum mortalium, nisi aliunde haberet unde ejusmodi difficultatem alleviaret; quemadmodum reverà alleviatur, ac minuitur ratione effectûs remissionis & sanctificationis, ac renovationis interioris hominis, quæ fit per gratiam sanctificantem collatam in Absolutione Sacerdotali: sed Ecclesia non habet ex se, quòd hujusmodi gratiam sanctificantem propriâ virtute conferre possit, ac subinde nihil habet, unde possit illam difficultatem delinire, alioquin ex se haberet vim instituendi aliquod Sacramentum, cujus contrarium declaravimus disp. procemiali: igitur si non obstante vi & efficaciâ hujus Sacramenti, quod est reconciliatorium Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi Spiritûs consolatione consequi solet, ut loquitur Tridentinum, *sess.* 14. *cap.* 3. si, inquam, his non obstantibus, multi sunt ex Catholicis, qui præ nimia verecundia non implent divinum præceptum Confessionis; quod Ecclesia declaravit, saltem semel in anno esse implendum: quantò magis ab ejusmodi præcepto implendo deterrerentur, si inde non esset certè speranda peccatorum remissio?

Hanc rationem approbat Doctor; quippe *dist.* 17. *num.* 9. impugnans sententiam eorum, qui dicunt Confessionem non obligare, nisi ex præcepto Ecclesiæ, ait: Id non posse faciliter improbari, nisi quia vel Ecclesia non attentasset tam arduum præceptum imponere omnibus Christianis, nisi esset præceptum divinum, &c. Quibus significat, nimiam esse difficultatem in ipso præcepto implendo, ut ab Ecclesia sola præscribatur, nisi aliunde à Christo D. jam statutum fuisset. Fatendum est ergo, quòd quemadmodum Ecclesia non potest præcipere alicui, ut profiteatur statum religiosum, quem Christus D. voluit esse liberum, propter annexam difficultatem ipsi statui; quanquam aliunde varias utilitates habeat: ita nec propter ejusmodi difficultatem potuisset præscribere hominibus obligationem confitendi peccata, si Christus D. Pœnitentiæ Sacramentum instituendo, ac implicitè saltem Confessionem designando, illius usum penes Pœnitentium libertatem & arbitrium reliquisset.

Dices: Cujus est præscribere tempus aliquid faciendi ex potestate ordinaria, ejusdem est ex eadem potestate præcipere substantiam actûs, cùm tempus accessoriè ad actum præcipiatur, tanquam ipsius circumstantia: sed Ecclesia, ut mox dictum est, potest præscribere, & reverà præscripsit tempus faciendæ Confessionis: igitur illius usum etiam præscribere potest.

Distinguo majorem: Quando substantia, & exercitium hujus actûs non superat communiter humanam facilitatem, concedo: quando superat, nego: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam: circumstantia enim temporis faciendæ Confessionis non superat communiter humanam fragilitatem; secus est autem de substantia actûs: nam, ut optimè ait Conink, disp. 5. de Pœnitentia dub. 4. num. 42. Confessio omnium peccatorum mortalium in pluribus casibus multis est valde difficilis; itaut plurimi eam horreant tanquam mortem, & mallent ferè mori, quàm quædam peccata confiteri, atque vix ullâ arte, ac timore inferni propositô, possunt ad Confessionem induci, & inter confitendum sentiunt tales angustias, quales experiuntur capitis supplicio damnati: atqui, nisi sit maxima quædam, ac fere extrema necessitas, potestas humana non potest rem adeo difficilem præcipere: ergo cùm eô casu (quô videlicet Sacramentum Confessionis esset liberum à præcepto divino) non esset hîc talis necessitas, non posset Ecclesia eam Confessionem præcipere.

VII.
Quomodo sit computandus annus faciendæ Confessionis.

PETES 2. *Vnde sit inchoandus annus, intra quem viget præceptum Ecclesiæ de facienda annua Confessione?*

Respondeo, annum illum posse computari ab uno Paschate ad aliud sequens; vel ab una Quadragesima in aliam sequentem; vel à die, quô emissa est ultima Confessio ad eundem diem anni sequentis: communior tamen & verior sententia est, illum annum esse computandum, juxta communem supputationem à prima die Januarii usque ad ultimam Decembris. Prima pars constat, quia quôcunque ex his tribus modis assignatis ducatur exordium anni, si intra illud spatium peccata quis confiteatur, rectè dicitur satisfecisse pręcepto annuæ Confessionis per Lateranense Concilium pręscripto. Hoc tamen intellige de præcepto & obligatione per se, quæ scilicet oriatur ex vi & efficacia ipsius pręcepti faciendæ Confessionis; contingere enim potest, ut per accidens, hoc est, ratione pręcepti suscipiendæ Eucharistiæ, aliquis teneatur iterum confiteri in quindena Paschatis, quô tempore viget pręceptum faciendæ Confessionis; si nempe aliquô mortali peccatô laboret, nec possit ad sacram Synaxim accedere, nisi pręviâ Confessione factâ, & susceptâ Absolutione Sacramentali.

Posterior tamen pars communior est & securior: verba enim legis accipienda sunt, sicuti sonant, nisi aliunde aliquid obstet: Hinc quando Ecclesia pręcipit faciendam annuam Confessionem, annus debet accipi secundùm communem supputationem, quæ est à prima die Januarii usque ad ultimum Decembris.

PETES 3. *An qui non est confessus intra annum, teneatur statim confiteri initiô anni sequentis?*

VIII.
Utrum qui non est confessus uno anno statim teneatur confiteri anno sequente.

Respondeo id videri probabilius: quando enim tempus non pręscribitur, ut terminus, quô pręceptum expirat, sed tantùm ultra quod protendi, ac differri non debeat talis pręcepti executio, adhuc elapsô illô tempore, pręceptum istud obligat: sic quando præfigitur certum tempus alicui debitori ad solvendum debitum, transactô eô tempore, debitor ille manet semper obligatus, ad solvendum illud debitum; quippe cùm tempus non fuit illi pręfixum, ut in eo debitum expiraret, sed ne ultra illud debiti solutio differretur: sed pręfatâ constitutione Concilii Lateranensis tempus anni non ponitur, ut terminus, quô pręceptum expiret, sed ultra quod differri non debeat adimpletio præcepti Con-

fessionis ; verba enim illa, *ut saltem semel in anno confiteatur*, æquipollent, *ne ultra annum confiteri differat.*

Unde non tantùm est præceptum affirmativum semel coofitendi singulis annis, sed etiam oegativum, scilicet non differendi ulteriùs; quod utique præceptum transgreditur, qui non statim elapsô annô confitetur, cùm jam tam salubre temedium, ac medicamentum, ultra quàm parsit, differat. Ex qoibus patet, discrimen esse inter præceptum faciendæ Confessionis singulis annis, & præceptum recitandi Horas Canonicas, audiendi sacrum diebus Festivis & Dominicis, nec-non & suscipiendæ Eucharistiæ tempore Paschatis, in his enim præceptis tempus præscribitur, tanquam terminus illius executionis, cui annexa sit obligatio illud opus implendi, tanquam tributum illius diei & temporis: unde præceptum Communionis Paschalis, otpotè specialiter latum, propter reverentiam & celebritatem illius temporis, expirat cum ipso tempore; sicuti præceptum audiendi Missam expirat cum die Dominico & Festo.

Petes deniqoe : *Utrum qui prævidet se non posse confiteri reliquô anni tempore, quia videlicet navigaturus, aut peregrinaturus in remotam regionem, ubi non habebit Confessionis copiam, teneatur statim confiteri, antequam auspicetur illam navigationem, aut peregrinationem?*

Affirmo. Cujos utique ratio est facilis ; cùm enim præceptum de facienda Confessione sit præscriptum pro toto anno, & pro qoalibet anni parte, consequens est, quòd in qualibet parte anni possit impleri: ergo qoi non potest io aliis anni partibus illud implere, tenetur hîc & nunc ei satisfacere ; sic qui noo potest audire Missam die Festô horâ undecimâ cum sesqui, tenetur illud tempus anticipare, qooniam videlicet totom tempos antemeridianum præscriptum est pro impletione illius præcepti.

Dices : Qui prævidet se impediendum die festo ab auditione Missæ, oon tenetur adesse die Sabbati: similiter qui prævidet se præpediendum à jejunio die Sabbati, non tenetur illud tempus anticipare, jejunando die veneris : igitur pari ratione, qui prævidet se impediendum ab implendo præcepto faciendæ Confessionis per reliquum anni spatium, non tenetur illud tempus anticipare.

Nego paritatem, & ratio disparitatis est, quòd obligatio audiendi Missam, aut jejunandi non incipit ante diem illum præfixum, quô videlicet huic præcepto faciendum est satis ; onde quantumvis tempus illud præveniret, minimè tali obligationi satisfaceret: secus autem est de obligatiooe confitendi; hæc enim cùm sit annoa, incipit à primo die anni, & ad ultimom usque diem perseverat, non quòd revera illa obligatio debeat impleri illô primô die; sed quòd mihi liberum sit primô die ei satisfacere, si ita velim; ac proinde dum prævideo me aliis diebus illud debitum non posse exolvere, teneor illud implere ipsô primô die, quô id licet & juvat.

Conclusio Secunda.

IX. Soli, *& omnes Baptizati, postquam ad annos discretionis pervenerint, tenentur ad præceptum annuæ Confessionis, si aliquô mortali peccatô infi-*

ciantur: Ita Lateranense Concilium (ut patet ex ejus verbis in præcedenti conclusione laudatis) quæ Tridentinum sess. 14. cap. 5. ita interpretatur : *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divinô necessarium, & institutum esse intellexerat ; sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent impleretur.* Igitur illi omnes, & soli obligautur tùm divinô, cùm Ecclesiasticô præceptô ad Confessionem faciendam, qui post Baptismum mortaliter peccaverunt. An autem jure divinô infideles teneantur ad Confessiooem, saltem semel in vita faciendam; ac subinde peccent mortaliter, non solùm propter neglectum Baptisma, sed etiam propter oon susceptum Pœnitentiæ Sacramentum, videtor affirmare Doctor dist. 17. num. 29. ubi ait : quòd *si Confessio esset tantùm præcepta jure Ecclesiasticô, non videretur quòd Infideles tenerentur ad præceptum de Confessione: quia secundum Apostolum 1. Cor. 5. Quid mihi est de his, quæ foris sunt, judicare?*

Soli & omnes baptizati adulti tenentur confiteri.

Id autem apertè docet *Richardus* in 4. dist. 17. art. 2. Sylvester verbô *Confessio.* Nec-non & *Hiquæus* in suo Commentario ad *dist.* 17. Doctoris, ubi suam assertiooem sic probat : Lex Evangelica, inqoit, promulgata est tam fidelibus, quàm infidelibus, sicut & remedia illius legis, qualia sunt Sacramenta, & eorum præcepta : ergo comprehendit tam fideles, quàm infideles. Antecedens coostat. Consequentia probatur : Ad obligationem legis aut præcepti in genere, quod spectat ad substantiam legis, non requiritur, quòd præceptum pro omni statu, materia & circunstantia, loquendo de affirmativo, adimpleatur; sed sufficit quòd in statu determinato, materiâ, tempore, & circunstantiis determinatis : sed hoc non tollit, quin aliquis obligetur lege, licèt nunquam occurrat ei tempus, in quo præceptum legis affirmativom adimplere debeat, aut materia, quam determinat: ergo potest stare obligatio legis & præcepti; quamvis ad exercitiom actûs non obliget, nisi ex conditione prærequisita, quam lex ipsa determinat. Major patet ; quia ipsa lex implicat illam conditiooem determinatam, quæ potest noo poni, aut non concurrere. Minor probatur; ex lege naturali quilibet tenetur succurrere proximo extremè indigenti dum potest ; quamvis aotem non occurrat casus adimplendi hoc præceptum, non inde sequitur, quin quisque teneatur lege. Similiter qoisque tenetur pro Republica vitam & bona exponere, quamvis necessitas determinata, in qua tenetur ad hæc, in exercitio non occurrat. Sic tenetur fidelis ad Confessionem fidei, & vitam commutandam pro ejus defensione coram tyranno, si occurrat casus, & sic de cæteris : ergo obligatio legis non tollitur, neque confunditur cum exercitio operis præscripti, quamvis circunstantia particularis operis perficiendi non occurrat. Sed eôdem modô obligatur infidelis ad legem Evangelicam, ejusque præcepta, quamuis oon pro statu infidelitatis retentæ, quia sic oequit aliquod ejus præceptum positivum, ut est proprium hujus legis, adimplere (quia neque fidei, quæ est fundamentum cæterorum, neque Baptismi, qui est Sacramentum fidei) saltem fructuosè quantùm ad salutem. Hucusque Hiquæus. Et continoò adjuogit : Quidquid ad hæc dicatur, præceptum Eucharistiæ comprehendit infideles, quamvis hoc

X. Dubium est de infidelibus.

præceptum pro statu infidelitatis nequeat adimpleri.

Si respondeas: Infidelem susceptâ fide, & Baptismô, posse sumere Eucharistiam, non ita Sacramentum Pœnitentiæ, nisi peccaverit post Baptismum: non tenetur autem peccare, sicut tenetur suscipere Fidem & Baptismum. Contra facit; quòd sic neque omnes Fideles teneantur præcepto Confessionis, sed solùm illi, qui baptizati mortaliter peccaverunt. Imò, inquit *Hiquæus*, neque in illo statu unquam fuit obligatio Pœnitentiæ, nisi ratione peccati mortalis personalis, ut supponit Tridentinum sess. 14. cap. 1. & 4. Cùm tamen præceptum Pœnitentiæ omnes obligabat, non in exercitio, nisi ex suppositione peccati, si fieret. Sicut ergo præceptum Eucharistiæ obligat Infideles, ut ita dicam, in actu signato, quamvis non in exercito, nisi adimpleatur conditio prævia, nempe per susceptionem Fidei & Baptismi, & in ætate adulta; sic etiam præceptum Pœnitentiæ obligat infideles, suppositô Baptismô, & materiâ ipsius Pœnitentiæ, nempe peccatô post baptismum actuali mortali. Sed hoc etiam sufficit, quia non aliter obligat fideles, quos tamen obligat secundùm omnes, non in exercitio, nisi supponatur peccatum tale. Unde si hæc ratio eximat infideles ab obligatione præcepti, quia in eo statu non possunt habere actum, per quem adimpletur præceptum, sic etiam eximendi sunt ab ejus obligatione fideles justi pro statu justitiæ.

Respondeo. Planè eximendi sunt fideles justi pro statu justitiæ, & ab omnibus eximuntur, qui dicunt, præceptum divinum Confessionis obligare solos illos, qui baptizati mortaliter peccaverunt. Neque uspiam Tridentinum insinuat, Pœnitentiam esse omnibus fidelibus necessariam; sed, ut loquitur sess. 14. cap. 1. *Universis hominibus qui se mortali aliquò peccatò inquinassent*. Sed neque Scotus obligat omnes fideles ad confitendum, „ ait enim 4. dist. 17. num. 18. De secundo articu„ lo dico, quòd hoc præceptum includit quis de„ bet confiteri, quia adultus. Nunquid omnes? Sequitur: idest, habens usum rationis, & cognoscens peccatum, quod commisit, putà in Baptismo, vel post Baptismum; quia illud solùm est materia Confessionis: igitur *Hiquæus* non videtur ratiocinari conformiter ad ipsius Doctoris principia, neque illius argumentum plurimùm urget: plurimi namque negant infideles teneri præceptô divinô ad sumendam Eucharistiam.

Et insuper discrimen intercedit inter obligationem ad Sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ: non enim aliter obligatur quis ad Confessionem ratione præcepti sumendæ Eucharistiæ, quàm quia illa est medium ad ejusmodi susceptionem ab homine, qui reus est alicujus peccati mortalis, quia dignè ac debitè non potest ab eo suscipi Eucharistia, nisi priùs obtinuerit remissionem peccati mortalis; quam utique habere non potest sine Confessione & Absolutione in re, vel in voto. Concludendum ergo, quòd præceptum divinum Confessionis per se duntaxat dirigitur ad baptizatos, qui in Baptismo, vel post Baptismum mortaliter peccaverunt; ac subinde infideles non comprehendit; nec consequenter novi mortalis peccati rei censendi sunt, propter omissam Sacramentalem peccatorum accusationem.

Verùm, quidquid sit de præcepto divino respectu infidelium, certùm est saltem eos non teneri ad annuam Confessionem; quippe cùm hæc obligatio tantùm oriatur ex authoritate & præcepto Ecclesiæ. Porro Ecclesia nullam authoritatem habet in Infideles nondum baptizatos, ut docet Apostolus, 1. ad Cor. 5. *Quid mihi est de his, quæ foris sunt, judicare?*

XI. Quòd autem omnes Adulti, etiam pueri statim ac ad annos discretionis pervenerint, teneantur ad Confessionem annuam ex præcepto Ecclesiastico, apertè colligitur ex Conciliis Lateranensi & Tridentino, ubi decernitur, quòd omnis utriusque sexûs infidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno confiteatur; illæ enim voces complectuntur etiam omnes pueros fideles baptizatos, usûs rationis compotes, peccati mortalis reos, & sibi conscios: illi namque ad annos discretionis pervenerunt, quia discernere possunt bonum & malum, pudefieri de mendacio, vel alio simili peccato, laudare pietatem, & alias virtutes sibi notas. Unde Doctor dist. 17. n. 24. inquirens, quis teneatur ad præceptum annuæ Confessionis. Quantùm ad quis, inquit, Ecclesia „ specificavit, quia peccator adultus, postquam sci„ licet ad annos discretionis attigerit, &c. Et „ nihil aliud est, quàm adultus secundùm intel„ lectum priùs assignatum, *puta num*. 18. *ubi ait*. „ Per quem adultum non intelligo tantæ, vel tan„ tæ ætatis; sed quòd habeat ætatem ad cognos„ cendum justum, vel injustum contra legem Dei. „ Quibus verbis Doctor nullum adultum excipit à lege Ecclesiastica faciendæ annuæ Confessionis; ac subinde infert ad eam teneri omnes etiam pueros rationis compotes. Et meritò quidem; quia distinguere non debemus, ubi lex ipsa non distinguit; odiosum enim est distinguere, ubi jura non distinguunt: at ea lex Concilii Lateranensis ab universali statuto fideles omnes obligante, non excipit pueros, nec eos distinguit ab aliis fidelibus: igitur cum communi sententia dicendum est; pueros rationis compotes, ac mortalis peccati reos obligari ad annuam Confessionem, statim ac ad annos discretionis pervenerint.

Sed omnes Adulti Baptizati ad id tenentur statim ac rationis sunt compotes.

Dices: Ex statuto Lateranensi æqualiter præcipitur Confessio & Communio: atqui Communio non obligat pueros statim atque pervenerint ad annos discretionis: ergo nec Confessio.

Respondet Lugo disp. 15. num. 151. ex ipsis verbis colligi diversitatem; nam Communio præcipitur cum illa limitatione: *Nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum*. Hæc autem rationabilis causa prudenter æstimatur esse, quandiu nondum plenè agnoscit dignitatem hujus Sacramenti, ut ad illud cum debita reverentia accedat. Quamquam non desint Authores, qui affirment, idem esse tempus discretionis ad Confessionem, & Communionem; ita ut quilibet puer, cùm ad annos discretionis venit, & obligatus est lege Confessionis, obligatus etiam sit recipere Eucharistiam, nisi expressè tempus à Confessario prorogetur. Ratio præcipua est; quia æqualiter imponitur omnibus fidelibus præceptum Confessionis annuæ, & Communionis Paschalis. Additur autem illa limitatio: *Nisi fortè*, &c. quia possunt esse plures causæ prorogandi tempus Communionis, quàm Confessionis.

Quô autem annô præcisè incipiat hæc obligatio, XII.

Quò autem annò hæc obligatio incipiat certò determinari nequit.

& ſufficiens adſit in pueris uſus rationis, non A poteſt à nobis certò determinari; nam *(inquit Doctor num. 18.)* in multis ante ætatem conſuetam (putà ante annum ſeptimum) malitia ſupplet ætatem, & noo tantùm in malis, ut dicunt communia verba, quia fortè habet citiùs prudentiam ad malum; unde dicitur doli capax; ſed etiam in bonis, juxta illud in legenda S. Agnetia: fides non in annis computatur. Unde etiam Concilium Lateraoenſe nullum certum ætatis annum determinavit, ſed abſolutè dixit: Poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, relinquens Paſtorum, ac Confeſſariorum diſcretioni & judicio, ut iſtud decernant, ac determinent; fit enim plerumque, quòd aliqui annô ſuæ ætatis ſeptimô, ingeniô maturiores ſint, & de rebus fidei meliùs ac perfectiùs informati, quàm alii B annô duodecimô. Hinc appoſitè Catechiſmus Romanus 2. cap. 17. num. 33. ait: *Primum ex Concilii Lateranenſis canone, cujus initium eſt:* Omnis utriuſque ſexûs, *perſpicitur, neminem Confeſſionis legi adſtrictum eſſe ante eam ætatem, quâ rationis uſum habere poteſt: neque tamen ea ætas aliquô annorum numerô definita eſt, ſed illud universè ſtatuendum videtur, ab eo tempore Confeſſionem puero indictam eſſe, cùm inter bonum & malum diſcernendi vim habet, in ejuſque mentem dolus cadere poteſt: nam cùm ad vitæ tempus quiſque perveneris, in quo de ſalute æterna deliberandum eſt, tum primum Sacerdoti peccata confiteri debet, cùm aliter ſalutem ſperare nemini liceat, qui ſcelerum conſcientiâ premitur.*

C

Conclusio Tertia.

XIII.

Qui habet duntaxat venialia, fortè non tenetur ad annuam Confeſſionem.

PROBABILE *eſt, eum, qui duntaxat venialium peccatorum reus eſſet, non teneri ex præcepto Eccleſiaſtico ad annuam Confeſſionem.* Hæc eſt Doctoris diſt. 17. num. 25. ubi ait. Dico igitur, quantùm capio ex ſtatutis Eccleſiæ generalibus; nullus tenetur ad Confeſſionem venialium in quocumque caſu: nec in hoc Eccleſia ſpecificavit præceptum de Confeſſione; & hoc rationabiliter, quia ipſa utitur Sacramento Pœnitentiæ, D tanquam tabulâ ſecundâ contra naufragium, quod non eſt in venialibus. Nec aliquis tenetur ad aliquam Contritionem de venialibus: imò in actuali voluntate, vel actu venialis moriens, ſalvabitur; vapulabit tamen: non videtur autem, quòd aliquis teneatur ad ſecundam partem Pœnitentiæ, quæ eſt Confeſſio, de quo noo teneatur habere Coutritionem, vel Attritionem. Hæc etiam patet ex alio, quia (ſicut ſuprà dictum eſt) venialia delentur totaliter quantùm ad culpam & pœnam, quandoque ſine aliquo opere ſpeciali, ſicut per actum ferventem contemplationis in Deum, quemadmodum gutta conſumitur à flamma vehementi.

Si quæras, quomodo ergo Sacerdos cognoſcet E vultum pecoris ſui, ſi ille, qui dixit ſe vixiſſe innocenter, non tenetur confiteri venialia ſua?

Reſpondeo: Si quis ſibi confiteretur ſolùm venialia, ex quo cognoſcet ipſum non feciſſe, niſi venialia? Ex nullo, niſi ex Confeſſione ſua. Unde extrav. de offic. ordinarii, cap. ſignificavit: *Confitenti pœnitentialiter in omnibus credendum eſt, quia non eſt veriſimile, quòd quis ſit immemor ſuæ ſalutis:* ergo ſi eôdem modô credat venienti, & dicenti; Domine regratior Deo, quia ex quo fui ultimò confeſſus, noo habeo conſcientiam de peccato mortali: date mihi Euchariſtiam: A & in iſta Pœnitentia tantam habet cognitionem vultûs pecoris, quantam ſi narraſſet venialia per duos dies; nec aliam certitudinem poſſet habere de propriis venialibus, ſi confiteretur, quàm modò habet de innocentia ejus, ſcilicet per proprium teſtimonium ejus. *Hæc Doctor.* Quibus apertè docet, eum qui duntaxat haberet peccata venialia, noo teneri ad annuam Confeſſionem, ex præcepto Eccleſiæ. Idem docet S. Thomas in hac diſt. q. 3. art. 1. quæſtiunculâ 3. ad 3.

Et probatur inſuper primò, quia ex vi ſtatuti Concilii Lateranenſis, tenentur omnes fideles omnia ſua peccata confiteri: ſed nemo poteſt omnia venialia confiteri; nec propter eorum multitudinem illa in memoriam reducere; ac ſubinde B mens Concilii non fuit, nomine peccatorum complecti venialia.

Deinde, graviſſima pœna infligenda præſcribitur iis, qui tale præceptum non implent, nempe ejectio ab Eccleſia, & privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ut ſuprà diximus: ſed non videtur æquum, aut rationi conſentaneum, ei qui peccata venialia confiteri recuſaret, pœnam adeo gravem infligere: ergo idem quod priùs.

Demum, ut ſuprà oſtendimus, præceptum Eccleſiaſticum de annua Confeſſione, eſt determinatio præcepti divini: atqui præceptum divinum non obligat, niſi ad confitenda mortalia: ergo nec Eccleſiaſticum. Minor conſtat ex Concilio C Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. ubi dicitur: *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur; quamquam rectè & utiliter, citra omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.*

Dices: Finis Confeſſionis Sacramentalis annuæ eſt, ut accedatur ad Euchariſtiam majori cum reverentia, nec-non ut Paſtor ipſe ſuas oves cognoſcat: ſed ad utrumque confert venialium Confeſſio: nam ex notitia venialium, Paſtor animam ſui ſubditi, & ſtatum conſcientiæ intelli- D gere non obſcurè poteſt, ut ſalutaria det ei monita, ipſumque muniat adverſus futura peccata, etiam mortalia, & ſimiliter immunitas à venialibus maximè confert ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem: igitur hæc, etſi ſola ſint, tamen ſunt confitenda.

Reſpondeo, majorem eſſe veram ex congruitate, non verò ex neceſſitate: nam, ut Paſtor ſui pecoris, vultum agnoſcat, & ovis ſibi commiſſæ ſtatum ac conſcientiam percipiat, ſatis eſt quòd in tali caſu pœnitens ſe oſtendat Sacerdoti; dicatque ſe non habere conſcientiam ream alicujus mortalis. Similiter, ut quis dignè accedat ad Euchariſtiam, & abſque omni defectu etiam veniali, non eſt neceſſe, quòd ejuſmodi venialia peccata confiteatur; E quippecùm per alia remedia poſſint expiari, ut ſtatim diximus ex Concilio Tridentino.

PETES: *Vtrum Eccleſia poſſit præcipere Confeſſionem venialium?*

XIV.

Vtrum eorum Confeſſionem præcipere poſſit Eccleſia dubium eſt.

Affirmant communiter Theologi, idque probant: *Primò*, quia videtur illud de facto fuiſſe præceptum Religioſis S. Benedicti in Clementina, *Ne in agro Dominico*, ubi decernitur: *Ne in agro Dominico, ſacro videlicet Monachorum nigrorum* (id eſt Benedictinorum) *Religionem indecorum aliquid obrepat, aut vitioſum quidquam*

perniciosè in segetem coalescat, sed ut in illa potius flores honoris, & honestatis fructus in ubertate succrescant in eis. &c. En causa Constitutionis. Sequitur Constitutio: *Sanè singulis mensibus, tam in Monasteriis, quàm extra (sublatâ occasione quâcunque) ad Confessionem semel accedant omnes & singuli Monachi: Et in prima Dominica mensis cujuslibet in Monasteriis semper communicent: nisi ex causa forti, quàm Abbati, Priori, aut Pœnitentiariis Monasterii non differant intimare, eorumque judiciò vel abstineant, vel recedant.*

Quamquam autem in ea Constitutione non fiat mentio peccatorum venialium; attamen, ioquit Canus relect. de Pœnit. cap. 5. & Navarrus de Pœnit. dist. 6. cùm eis Religiosis præcipiatur, ut confiteantur singulis mensibus, consequens est, illos teneri ad coofitenda peccata venialia, si alia ooo occurrant. Verùm hæc ratio mihi videtur infirma; illa namque Constitutio absolutè non obligat ad faciendam Confessionem singulis mensibus, sed tantùm ex hypothesi, quòd ipsi Religiosi Confessione opus habeant: si enim in oullum prorsus laberentur peccatum, haud dubium est, quòd ad Confessionem virtute illius Coostitutionis oon tenerētur; ac subinde supponit summus Pootifex, ipsos Religiosos egere Coofessione, ut peccatorum remissionem obtineant: cùm autem venialia remitti possint sine Confessione; inde consequens est, mentem summi Pontificis non fuisse, ut Beoedictioi virtute hujus Coostitutionis teneantur ad Confessionem venialiom; ita quòd peccatum inobedientiæ incurrant, si ejusmodi venialia peccata oon coofiteaotur.

Probabilius tamen est eam id posse.

Sed quidqoid sit de hac Constitutione, probabilius apparet Ecclesiam posse præcipere Confessionem venialium: *Tum quia* interdum Ecclesia fert aliquam censuram pro veniali peccato, scilicet minorem excommunicationem, ad cujus censuræ Absolutionem necessaria est manifestatio talis peccati: *Tum quia* confiteri peccata venialia est actus virtutis Pœnitentiæ: ergo cadere potest sub præcepto: Ecclesia enim præcipere potest omnem actum virtutis: *Tum denique, quia* Confessio venialiom plurimùm conducit ad profectum spiritualem; quippe cùm propositum efficax involvat peccatum veniale, in quod homo solet cadere, extirpandi, ut suadet experientia in iis, qui veoialia peccata confitentur; licèt enim non confiteantur omnia; sed duntaxat ea, qoæ ipsi volunt, nihilominus hoc magnum eis frænum est & remedium ad corrigendos defectus ordinarios & peccata levia.

Dices: Ecclesia non potest mutare materiam Sacramenti, ac subinde non potest facere materiam necessariam, quæ ex institutione Christi noo est necessaria: sed si præciperet Confessionem venialium, mutaret materiam Sacramenti Pœnitentiæ; quia materiam non necessariam & liberam, reverà necessariam efficeret; siquidem suô præceptô constitueret, ot peccata venialia, quæ non sunt necessariò confitenda, necessariò de facto confiteri debereot: igitur peccatorum venialium Coofessionem Ecclesia præcipere non potest.

Respondeo negando minorem: Quamvis enim Ecclesia præciperet Confessionem veoialium; non mutaret propterea materiam Sacramenti Pœnitentiæ à Christo institutam: quoniam ejusmodi materia est peccatum, non tantùm mortale, sed etiam veniale; quam utique materiam reverà mutaret, si illod quod est peccatum, declararet, noo esse materiam Confessioois; vel quod peccatum noo est, declararet esse ejosdem Coofessionis materiam: secus autem est in proposito: nam Ecclesia suô præceptô faceret, materiam esse necessariam, quæ aliàs erat quidem sufficiens, licèt libera.

Vrgebis: Sacramentum Pœnitentiæ per se primò ordinatur ad remissiooem culpæ: igitur illa culpa, ad cujos remissionem non est necessarium hoc Sacramentum, qoalia sunt peccata venialia, noo potest fieri materia necessaria hujus Sacramenti.

Distinguo consequentiam: Non potest fieri materia necessaria; ita ut sine illa non possit unquam ministrari hoc Sacramentum, concedo: ita qoòd noo fiat materia necessaria, quæ hìc & nunc debeat remitti virtute hujus Sacramenti, nego.

Quæstio Tertia.

Qualis esse debeat Confessio, ut sit perfecta?

I. Sexdecim sunt conditiones ad perfectam confessionem.

NOtandum primò, veteres Theologos ad perfectam Coofessionem, sexdecim conditiones desiderasse, sequentibus versibus expressas.

Sit simplex, humilis, Confessio pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Quas omnes conditiooes præclare expendit Seraphicus Doctor *in 4. dist. 21. p. 2. dub. 3. in explicatione textûs Magistri.* Sufficientia aotem, *inquit*, & nomerus harum conditionum potest accipi sic: Quædam enim sunt conditiones, quæ sunt, & debent esse in Confessione secundùm sui rectam quantitatem. Si secundùm rectam quantitatem, hoc tripliciter. Aut quantùm ad integritatem, aot quantùm ad numeralitatem, aut quantùm ad diuturnitatem: & sic sunt tres conditiones, scilicet, quòd sit *integra*, quòd sit *frequens*, & *accelerata*. Si quantùm ad associationem, sic debet habere duarum societatem partium, scilicet Contritionis, & Satisfactionis. Quantùm ad Contritionem, sit *lacrymabilis*, quantùm ad Satisfactionem sit *parere parata*. Vel quantùm ad otrumque, & sic *fortis*. Quantùm ad qualitatem, aut ipsius Confitentis, aut Confessionis. Si Confitentis, sic sunt quinque conditiones: secundùm vim rationalem sit *simplex*, secundùm concupiscibilem debet esse *libens*, secundùm irascibilem *humilis*, in sermone *fidelis*, & in signo *verecunda*, & sic sunt quioque. Si in se consideretur, sic debet esse *pura*, ot nihil intermisceat, debet esse *nuda*, ut nihil celatum teneat: quantùm ad circunstantias, debet esse *discreta*, ut nihil addat: debet esse *secreta*, ot aliis oon pateat: debet esse *accusatoria*, ut seipsum puniat. Et sic sunt tres partes quantitatis, tres ratione adjuncti, quinque ratione subjecti, & quinque ratione sui: & sic in universo sont sexdecim. Ita Seraphicus Doctor.

II. Quô sensu omnes isti debeant accipi.

Notandum secundò: Harum omnium conditionum hunc sensum esse, quòd Confessio debeat esse, primò *simplex*, idest, verbis ingenuis, non autem artificiosè concinnatis edita, ut eâ ratione aliquid occulretur, vel ot pœnitens disertus, & eloquens appareat, qood utique vanum esset, & omnino perversum: Secundò *humilis*, idest, cum

animi abjectione, & humilitate, quæ appareat A tam in verbis, quàm in compositione & habitu corporis: Tertiò, *pura*, id est sine ulla adjunctione rerum inutilium ad accusationem, quò spectat, ut unusquisque propria, non verò aliena confiteatur: Quartò, *fidelis*, id est, vera, & sine mendacio, quia in Confessione, nec dici debet quod factum non est, nec negari quod commissum est: Quintò, *frequens*, id est, quòd sæpiùs fiat, nec post diuturnum tempus protrahatur, ne videlicet plurima peccata excidant è memoria: Sextò, *nuda*, hoc est, distincta & clara, ne peccati gravitas, aut species occultetur, & unumquodque peccatum juxta gravitatem, ut probabiliter existimatur, à pœnitente proferatur: B Septimò, *discreta*, id est, honestis & debitis verbis explicata: Octavò, *libens*, hoc est, voluntaria, ut nempe fiat ex animi deliberatione propter Deum placandum, & peccati veniam obtinendam: Nonò, *verecunda*, id est, confusionem, ac animi verecundiam propter peccati turpitudinem præ se ferens, ne videlicet quis peccata sua, quasi fabulam recitet, & enuntiet: Decimò, *integra*, hoc est, omnia prorsus peccata tam quoad numerum, quàm quoad speciem, & aggravantes circumstantias referens: Undecimò, *secreta*, id est, ut fiat non solùm secretò, non autem publicè, sed etiam, ut sit auricularis, & uni duntaxat Sacerdoti: Duodecimò, *lacrymabilis*, hoc est, ut dolorem de peccatis commissis anoexum habeat. Decimò tertiò, *accelerata*, id est, C quòd fiat statim atque se-se post admissum peccatum obtulerit occasio suscipiendi Absolutionem: Decimò quartò, *fortis*, ne videlicet ob timorem & verecundiam, aliquid ex necessariò dicendis omittatur. Decimò quintò, *accusans*, hoc est, in seipsum, non verò in dæmonem, aut tentationem crimen admissum refundat. Denique, quòd sit *parere parata*, hoc est, quòd pœnitens habeat animum implendi ea, quæ sibi à Confessario præscribentur in satisfactionem, & expiationem delictorum. Ex his autem omnibus conditionibus plurimæ invicem conveniunt, & duntaxat spectant vel ad majorem reverentiam Sa- D cramenti, vel ad ampliorem fructum ex Confessione percipiendum. Unde propositi nostri non est de his omnibus sigillatim fusiori sermone disserere, sed duntaxat de undecima & duodecima, nempe quòd Confessio debet esse secreta, & integra.

III. *Notandum tertiò*, duplicem distingui posse in Confessione integritatem, unam materialem, alteram formalem. *Materialis* dicitur, quæ reverà fit de omnibus omninò peccatis mortalibus in specie, numero, & circumstantiis aggravantibus; E ita quòd nullum omnino sit ejusmodi peccatum, quod in Confessione non aperiatur: *formalis* verò, quæ licèt non omnia omnino mortalia peccata aperiat; non minùs tamen censetur integra & valida; quia nullum reticet absque rationabili causa, aut inculpabili oblivione, seu ignorantia; & ideò Absolutione Sacramentali verè informatur, ac perficitur. Quæritur itaque utrum Confessio debeat esse integra alterutrò ex his modis: Unde tria hìc occurrunt discutienda: *Primum*, Utrùm Confessio necessariò debeat fieri secretò: *Secundum*, utrùm fieri debeat de omnibus omnino peccatis, tam quoad numerum, quàm quoad speciem & circumstantias. *Tertium*, utrùm liceat aliquando dimidiare Confessionem.

Duplex est Confessionis integritas materialis & formalis.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. *Confessio auricularis est insinuata à Christo non præcepta: tametsi semper à fidelibus frequentata. & in Ecclesia recepta.* Ita docet Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. ubi ait: *Caterùm quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc divinò præceptò mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent Confessione aperienda: unde cùm à sanctissimis & antiquissimis Patribus, magnò unanimique consensu, secreta Confessio Sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia sancta usa fuit, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata: manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus, in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, docere non verentur.* Et eâdem sess. can. 6. *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divinò; aut dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.*

Confessio auricularis & secreta fuit à Christo D. instituta.

Ut optimè docet Concil. Trid.

Idem probatur authoritate Patrum maximè verò Origenis homil. 2. in Psal. 37. *Tantummodò*, inquit, *circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba priùs Medicum, cui debeas causam languoris exponere, &c. ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se priùs, ut eruditum medicum ostenderit, & misericordem: si quid consilii dederit, facias, & sequaris: si intellexerit & providerit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari; multa hoc deliberatione, & satis peritò Medici illius consiliò procurandum est.* Ex quibus liquet, quàm turpiter hallucinetur Rhenanus in argumento libri Tertulliani de Pœnitentia, cùm ait, ex publica Exomologesi, seu Confessione, secretam sumpsisse originem: potius enim vice versâ ex secreta Confessione publica Pœnitentia processit; siquidem non priùs publicè dicebantur peccata, quàm Sacerdoti privatim secretò manifestata fuissent, ut ipse judicaret, de quibus esset agenda Pœnitentia publicè, vel secretò.

Et docent SS. Patres.

Unde quoniam apud nonnullos inoleverat consuetudo peccata tantùm publicè confiteri, illam uti contrariam Apostolicæ doctrinæ submovendam statuit S. Leo epist. 80. quæ est ad Episcopos Campaniæ, ubi inter cætera scribit: *Illam etiam, contra Apostolicam regulam, præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicitâ usurpatione committi, modis omnibus constituo, submoveri (de Pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio publicè recitetur: cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secretâ. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, quæ Pœnitentiam poscant, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis con-*

suetudo, ne multi à Pœnitentia remediis arceantur: dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta referari, quibus possint legum Constitutione percelli: Sufficit enim illa Confessio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, & populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Idem docet S. Hieronymus, qui exponendo illud Ecclesiastis cap. 10. *Si mordeat serpens in silentio*, ait: *Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullô consciô, eum peccati venenô infecerit, si tacuerit, qui percussus est, & Pœnitentiam non egerit, nec vulnus suum fratri, aut Magistro voluerit confiteri; Magister, qui linguam habet ad curandum prodesse non poterit; si enim erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.*

Quod autem secreta Confessio sacramentalis à Christo D. fuerit instituta, colligere licet ex perpetua & constanti Ecclesiæ Traditione, ac praxi: nam, inquit S. Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 23. *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Cùm ergo ab initio ooiversa Ecclesia usa fuerit Confessione secretâ, & modò etiam utatur; consequens est illud à Christo D. per Apostolos ad nos usque fuisse transmissum: meritò ergo Concilium Lateranense præscribendo obligationem confitendi singulis anois, ait: *Solus peccata saltem semel in anno fideliter confitur proprio Sacerdoti.* Ubi particula *solus* significat obligationem illam non esse dicendi peccata sua publicè, & coram multis, sed duntaxat coram solo Sacerdote. Hæc ratio confirmabitur in objectionum solutione.

Dices: Nullibi in Scriptura legitur, Christum D. imperasse pœnitentibus, ut privatâ, & secretâ Confessiooe peccata sua Sacerdotibus manifestarent: igitur non instituit illum secretum confitendi modum.

VI. Etiam S. Scriptura illius institutionem insinuat.

Nego consequentiam: Accurata qoippe, nec unquam interrupta secretæ Confessionis à primis Ecclesiæ temporibus, ad hæc nostra tempora consuetudo, quæ nec à Conciliis, nec à summis Pontificibus originem duxit, sufficiens indicium est, illam ooo alium, quàm Christum habere authorem.

Adde quòd, cùm sacramentum Pœnitentiæ institutum sit *Ioan.* 20. ex cujus institutione colligitur etiam Confessionis institutio, inde pariter deduci potest illius secretus faciendi modos, utpote qui magis deceat eximiam illam novæ legis suavitatem, nec non & jucundam Christi D. dispositionem, qui jugum suum suave esse voluit, & onus suum leve. Cùm itaque manifestatio omnium peccatorum etiam occultorum, & internorum ex se habeat annexam verecundiam; ac subinde plurimam difficultatem, haud dubium est, quin Christus D. voluerit, illam declarationem fieri modô minùs laboriosô & pœnali, qualis est secretus: quem utique modum verisimile est, eum docuisse, cùm suscitatus à mortuis, per dies 40. apparuit Discipulis, loqoens de regno Dei; id est, de his, qoæ spectant ad Ecclesiæ regimen, & hominum salutem, inter quæ remissio peccatorum per sacramentalem Confessionem, & Absolotionem suscipiendam, præcipuum locum obtinet.

Dices secundò: Confessio publica peccatorum, potest esse Sacramentalis, & valida, ut constat ex Tridentino verbis soprà laudatis: igitur Christus non instituit, nec ordinavit, ut peccatorum Confessio fieret secretò:

Nego consequentiam: Aliquid enim à superiore potest dupliciter inferiori præscribi: *Primò* quidem determinatè, quando in particulari non solùm præscribitur res agenda, sed etiam modus quô debet peragi; sic Christus præscripsit Ecclesiæ nedum ut baptizaret, sed ut baptizaret in aqua cum invocatione sanctissimæ Trinitatis: *Secundò*, quando superior ita determinat in particulari, modum exequendi legem à se latam, ut inferior liber perseveret ad eum modum usurpandum, vel alterum, quem ipse prudenter æstimaverit magis expedire suæ privatæ, vel publicæ Ecclesiæ utilitati. Hôc autem posteriori modô Christus D. ordinavit Confessionem fieri secretò; non tamen prohibuit, ne quis coofiteretur publicè, ubi prudenter æstimaret id conducere ad majorem Ecclesiæ ædificationem, aut propriam salutem.

PETES, *Vtrùm liceat aliquando confiteri per Interpretem, quando videlicet pœnitens non callet idioma Sacerdotis, nec Sacerdos idioma pœnitentis, & adest tertius, qui utriusque linguam calleat?*

VII. Fieri potest Confessio per interpretem.

Affirmo; idque, inquit Lugo *d. 15. nu.* 60. omnes Theologi fieri posse absque controversia conveniunt pancis exceptis, & osus fidelium id probat, & suadet ratio, quia per ipsum sufficienter maoifestantur peccata Sacerdoti in ordine ad Absolutionem, & per huoc modum Sacerdos potest etiam sufficienter nosse dispositionem pœnitentis in ordine ad recipiendam Absolutionem. Quod utique confirmatur ex Sacramento Matrimonii, quod omnes concedunt celebrari posse per Interpretem coram Parocho, & testibus: quid nî ergo fieri etiam poterit Confessio per Interpretem: nam, (inquit Lugo) videtur major notitia requiri in Parocho, ot validè assistat Matrimonio, quàm in Confessario, ut absolvat; qoia in Matrimonio ideo requiritur præsentia Parochi & testium, ot possit legitimè Ecclesiæ constare de Matrimonio celebrato, si fortè conjux posteà id negaret, vel ut conjuges id possint apod Ecclesiam probare: ad hoc antem posset apparere insufficiens consensus præstitus per Interpretem; quia Parochus non potest testari de consensu, cùm ipse non intelligat idioma contrahentium; sed solum posset dicere, Interpretem dixisse illos consentire: Unde si posteà conjnges negarent consensum, & dicerent Interpretem fuisse mentitom, non posset aliquid planè contra ipsos probari; cùm totum reduci deberet ad testimonium unius Interpretis. Si ergo conceditur sufficiens illa notitia per Interpretem data, ot Parochus validè assistat, facilius concedi debet sufficiens similis notitia ad Confessionem Sacramentalem, in qua non requiritur notitia, quâ posteà possit apud Ecclesiam probari illud peccatum, vel ejus Confessio; sed qoà Confessarius in foro ioterno possit pœnitenti contra se loquenti credere, ad quod sufficit modus ille loqoendi per Interpretem, sicut in aliis rebus & negotiis humanis. Huc usque Lugo, ex quibus ad minùs sequitur, & sufficienter ad nostrum propositum, quòd æqoè saltem desideretur præsentia contrahentis in matrimonio, ot suum consensum manifestet Sacerdoti,

doti, ac desideraretur præsentia pœnitentis in sacramento Pœnitentiæ, ut sua peccata manifestet: igitur quemadmodum ille sufficienter suum consensum declarat per intellectum coram Parocho, & testibus, ut censeatur validè contrahere; sic pœnitens per Interpretem sufficienter peccata sua manifestabit Sacerdoti præsenti, ut ab eo legitimè possit absolvi; siquidem ad valorem Sacramenti, nihil aliud requiritur, quàm ut peccata manifestentur Sacerdoti, tanquam Judici, in ordine ad obtinendam eorum remissionem.

Dices: Doctor subtilis *in 4. dist. 17. num. 31.* respondens ad argumentum à se propositum *num. 2.* nempe quòd non omnes teneantur confiteri peccata sua Sacerdoti; quia, inquit, nullus obligatur ad impossibile: sed mutus non potest loqui: item omnis extraneus inter illos, quibus est barbarus, est mutus: ergo non tenetur confiteri.

VIII. Neque huic veritati refragatur subtilis Doct.

Respondet: Ad aliud dicitur, quòd talis debet confiteri per Interpretem, vel per alia signa à verbis, quæ possunt esse nota Sacerdoti. Secundum est bene concedendum, si aliqua talia signa communia confiteri muto, vel barbaro, & Sacerdoti. Sed primum non videtur necessarium: quia forum istud ex natura sua est secretissimum: ergo non tenetur aliquis ad istud forum, ut aliquô modô publicum. Sed licèt Interpres velit celare, & teneatur celare, sicut Sacerdos: tamen si velit malignari, ipse & Sacerdos possunt esse testes contra accusatum, & ita ex natura hujusmodi accusationis, hæc accusatio potest venire in publicum, & ita non est pœnitentialis. Ex hoc patet, quòd pluribus Sacerdotibus simul non est confitendum necessariò, ut meliùs judicent. Quòd si fiat, non est Sacramentalis Confessio: maximè autem videtur, quòd non sit confitendum per Interpretem, quando timetur ipsum non esse secretarium idoneum: & si in tali casu iste habet incompossibilitatem confitendi homini idoneo, confiteatur Deo cum proposito confitendi homini opportunitate oblatâ. Igitur ex mente Doctoris, Confessio, quæ fit per Interpretem, non est Sacramentalis nec valida.

Nego consequentiam: Doctor enim nihil aliud his verbis significat, quàm quòd ea Confessio, quæ fit per Interpretem, non sit absolutè necessaria ad salutem, utpote quæ nec sit à Christo præcepta, nec ab Ecclesia proposita, ut necessariò facienda, maximè quando timetur confessi criminis evulgatio: non enim verisimile est, Christum D. qui vult omnes homines salvos fieri, & qui dedit semetipsum Redemptionem pro omnibus, instituisse, ac præcepisse modum illum confitendi, qui vergeret in præjudicium pœnitentis, & Sacramentum nimis difficile, ac onerosum redderet; maximè cùm præcipiendo correctionem fraternam, voluerit eam secretò fieri; ait enim Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum.* Quæ verba sic expendit sanctus Augustinus serm. 16. de verbis Domini: *Quid in te peccavit tu scis, quia peccavit: quia enim secretum fuit quando in te peccavit, secretum quære cum corrigis quod in te peccavit: nam si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.* Si igitur voluit Christus D. correptionem fraternam fieri secretò, quis existimabit eum voluisse, ut Confessio Sacramentalis peccatorum occultorum fieret publicè? Meritò igitur Doctor censet, non esse necessariò confitendum per Interpretem, maximè quando timetur eum non esse tenacem secreti; ac subinde Confessionem illam per Interpretem, non censeri Confessionem sacramentalem, ad quam regulariter, & per se obligantur omnes fideles ex Institutione Christi; licèt reverà possit esse Sacramentalis, quatenus pœnitens voluntariè ac pro libito ad eam recurrit: quemadmodum Confessio publica non est quidem necessaria, est tamen sufficiens ad salutem; & etiam interdum utilis tum pœnitenti, cùm Ecclesiæ ac fidelium ædificationi.

Qui tantùm vult eam necessariò non debere ita fieri.

Conclusio Secunda.

IX. Omnia omnino peccata mortalia debent aperiri in Confessione.

Omnia omnino peccata mortalia, quæ post diligentem conscientiæ discussionem memoriæ occurrunt, necessariò sunt aperienda in Confessione, non tantùm in genere, sed etiam in specie, ac sigillatim: subindeque ut Confessio sit valida, debet esse formaliter integra. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 5.* ubi ait: Ex institutione sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam esse etiam à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus, è terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes suiipsius vicarios reliquit, tanquam Præsules & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quò potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntient: constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animam graviùs sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur: nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt. Verùm cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant: necessum est omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda Confessione, à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubiò omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.

Ut luculenter docet Concil. Trid.

Ita Concilium. Quibus verbis apertè declarat, omnia omninò mortalia peccata, quæ post diligentem conscientiæ disquisitionem occurrunt, esse necessariò in Confessione aperienda. Quod utique probat duplici ratione. *Primò*, quia Deus in sacramento Pœnitentiæ peccata dimittit per modum judicii, interveniente accusatione ex

Et probat duplici ratione.

parte pœnitentis, & ſententiâ Abſolutionis, ex A
parte Sacerdotis: ſed ſententia Sacerdotis non
poteſt legitimè ferri incognitâ causâ, neque Sa-
cerdotes æquitatem ſervare poſſent in pœnis in-
jungendis; ſi in genere duntaxat, & non potius
in ſpecie, aut ſigillatim ſua peccata pœnitentes
declaraſſent: igitur ita ſunt declaranda. *Secundò*,
Sacerdos in hoc Sacramento, non ſolùm habet
rationem Judicis; ſed etiam Medici: ſed Medicus
non poteſt prudenter ac ſapienter convenientia
morbis remedium præſcribere, niſi omnes ejuſ-
modi morbos noverit, omnemque infirmi habi-
tudinem perſpectam habuerit: igitur nec Sacer-
dos poteſt ſalutarem Pœnitentiam præſcribere
pœnitenti, niſi omnia illius peccata diſtinctè co-
gnoſcat: noſſe autem illa non poteſt Sacerdos,
niſi ipſe pœnitens aperuerit. Conſequens eſt er- B
go, ut omnia omnino peccata in Confeſſione ape-
riantur. Unde præclarè Concilium can. 7. defi-
nit: *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad
remiſſionem peccatorum, neceſſarium non eſſe jure
divinô confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia,
quorum memoria cum debita & diligenti præmedi-
tatione habeatur, & circumſtantias, quæ peccati
ſpeciem mutant.... anathema ſit.*

Neque exiſtimandum eſt, Concilium hanc do-
ctrinam, tanquam novum aliquod dogma in Ec-
cleſiam ingeſſiſſe; conſtat enim ſufficienter ex
dictis, communem eam eſſe SS. Patrum doctri-
X. nam, quòd omnia omnino mortalia peccata ſint C
Idem docent SS. Patres. in Confeſſione aperienda: ita namque docet S.
Cyprianus ſerm. de lapſis, ubi loquendo de iis,
qui rei non ſunt perfidiæ, aut idololatriæ, ſed
tamen in alia peccata lapſi ſunt, ait: *Quantò &
fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis
nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti: quo-
niam tamen de hoc vel cogitaverunt, & hoc ip-
ſum apud Sacerdotes Domini dolenter, & ſim-
pliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ fa-
ciunt, animi ſui pondus exponunt, & ſalutarem
medelam parvis licet, & modicis vulneribus exqui-
runt, ſcientes ſcriptum eſſe: Deus non irridetur.*
Idem docet Author libri de vera & falſa Pœni-
tentia, cap. 15. *Cautus ſit, ne verecundiâ ductus,
dividat apud ſe Confeſſionem & diverſa diverſis
Sacerdotibus velit manifeſtare. Quidam enim uni* D
*celant, quæ aliis manifeſtanda conſervant; quod eſt
ſe laudare, & ad hypocriſim tendere, & ſemper
veniâ carere, ad quam per fruſtra putant pervenire.*
Idem pariter docent ſanctus Ambroſius lib. de
paradiſo, cap. 14. ſanctus Gregorius homil. 10.
ſuper Ezechielem, ſanctus Hieronymus in cap. 10.
Eccleſiaſtici, quorum oracula referuntur parte
ſecundâ Catechiſmi Tridentini, *Tit. de Pœnitent.
Sacramento, num. 61.*

Quibus etiam ſuffragatur ratio Theologica:
Præceptum enim Confeſſionis ex inſtitutione
Chriſti D. ſubrogatum eſt præceptô Contritio-
nis: ſed Contritio fieri neceſſariò debet de om-
nibus peccatis: non enim poteſt unum peccatum E
deleri de via ordinaria, quin pariter omnia de-
leantur: Unde Contritio non delet peccata, niſi
omnia deteſtetur: igitur nec ea delere poteſt
Confeſſio & Abſolutio, niſi omnia illa peccata
ſubjiciantur Eccleſiæ clavibus.

XI. PETES: *Quid ſentiendum ſit de circumſtantiis
peccatorum?*

Circumſtantiæ peccatorum ſunt triplicis generis.

Reſpondeo, eas circumſtantias eſſe triplicis ge-
neris; aliquæ enim mutant ſpeciem peccati; nam
ſi quis habeat rem cum virgine libera & con-
ſentiente, erit ſimplex fornicatio; ſi cum con-
jugata, erit adulterium: ſi cum parente & proxi-
ma, erit inceſtus; ſi cum voti ſponſione Deo con-
ſecrata, aut in loco ſacro, erit ſacrilegium: quæ
omnes circumſtantiæ diverſum peccatum effi-
ciunt. Aliæ verò aggravant tantùm notabiliter
intra eandem ſpeciem; ſi quis enim centum, vel
ducentos aureos furetur, graviùs peccat, quàm
is qui unum duntaxat nummum aureum furtim
accipit. Aliæ verò circumſtantiæ nec ſpeciem mu-
tant, nec notabiliter aggravant, ut ſi quis ho-
minem interficiat, percutiendo eum ferrô, lignô,
aut lapide.

Quantùm autem ad *circumſtantias mutantes* XII.
ſpeciem, conveniunt omnes Theologi, eas eſſe *Confitendæ ſunt quæ ſpeciem mutant.*
neceſſariò in Confeſſione aperiendas, ut etiam
docet Concilium Tridentinum præfatô, cap. 5.
ubi ait: „Colligitur præterea etiam eas circun-
„ſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ
„ſpeciem peccati mutant: aut ſine illis peccata
„ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur,
„nec judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut
„de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, &
„pœnam, quam oportet pro illis pœnitentibus
„imponere: unde alienum à ratione eſt, docere
„circunſtantias has ab hominibus otioſis excogi-
„tatas eſſe; aut unam tantùm circunſtantiam con-
„fitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem.

Quantùm autem ad circunſtantias, quæ pec-
catum non aggravant, nec peccati ſpeciem mu-
tant, conveniunt omnes cum ſubtili Doctore *d. 17.
num. 20.* eas non eſſe neceſſariò manifeſtandas in
Confeſſione. *De aliis verò circunſtantiis*, inquit Do-
ctor, *quæ nihil ad propoſitum ſpectant, & ſine qui-
bus tanta eſſet gravitas, quanta ſine illis circun-
ſtantiis impertinentibus, fatuum eſt confiteri, utpote
ſi aliquis peccat cum aliqua, quæ vocatur Bertha,
vel Lucia, & ejuſmodi.*

Quantùm verò ad circunſtantias *notabiliter ag-* XIII.
gravantes, variant inter ſe Authores: quidam *Et illæ quæ peccatum notabiliter aggravant.*
enim contendunt eas eſſe neceſſariò aperiendas
in Confeſſione, ita Alenſis 4. *part. q.* 18. *memb.* 4.
Caïetanus 1. 2. *quæſt.* 4. *Major in* 4. *diſt.* 4. *qu.* 4.
& c. Alii verò negant cum S. Bonaventura *diſt.* 17.
3. *part. art.* 2. *quæſt.* 3. Doctor verò ſubtilis locô
mox laudatô ait: *Multa ſunt circunſtantiæ, ex qui-
bus peccatum eſt aliquô modò gravius, & hoc vel
ex parte objecti, vel ex parte perſonæ peccantis,
de quibus non eſt ita certum, quòd oporteat illas
confiteri: tamen tutum & utile eſt hoc fieri.* Idque
maximè quia id ſignificat S. Auguſtinus vel quiſ-
quis eſt Author lib. de viſitatione infirmorum,
cap. 5. *Quæ ergamentem graviùs exacerbant facino-
ra*, inquit, *Dei Angelo manifeſta, nihil obſcurum di-
cens, culpam multis ambagibus involvens, & c. Deſi-
gnanda ſunt etiam in quibus peccaſti loca, ſi recor-
daris, & tempora; cum quibus peccaſti perſonis,
non nomina ipſarum, & ut à peccato deſiſtant, ſe-
cretò corrigenda familiaritas, in quo peccaſti, labi-
lis ætas, in quo gradu ſerviebas Eccleſiæ, utrum
ſemel, an ex conſuetudine, utrum neceſſitate, an ex
voluntate cecidiſti. His enim omnibus ſua inſtant
judicia: ſi enim in judiciis ſæcularibus à locis loca
diſcernuntur, aliâ cenſurâ vindicatur homicidium
in Regis curia, alia in via publica, alia in agreſti
villa: aliquando pro tempore temporalis ignoſci-
tur infantiæ, defertur aliquando ſenectuti, quâ
media defervet ætas, ſevera adhibetur habena. In
ſolemnibus præcipuè Natalitiis perpetrata ferocî
plectantur exterminio facinora, ſic & cætera quantò*

destrictioribus eliminanda sunt animadversionibus, in locis Deo sacratis, in temporibus festis Deo dicatis, in ætate discretiori, in personis propriè Deo delegatis, in gradibus commissis sublimioribus: nonne cui plus committitur, plus ab eo exigitur? Nonne minus est hominem occidisse, quàm homines? Nonne levius est semel deliquisse, quàm centies? Nonne celeriorem consequitur veniam ex necessitate cecidisse, quàm ex voluntate? &c.

Fateor tamen plures in eis sententiis oumerari circunstantias, quas omnes conveniunt non esse de necessitate Sacramenti quòd in Confessione aperiantur, scilicet tempus orationis, tempus jejuoii, & ætatis.

XIV. Ut colligitur ex Concilio Tridentino.

Unde potissima ratio deducitur ex authoritate Concilii Tridentini; licèt enim noluerit expresśè definire hanc quæstionem inter Doctores controversam; non obscurè tamen nostram partem affirmativam tuetur locis suprà laudatis. Siquidem Concilium docet idcirco confitenda esse peccata in specie, ac sigillatim; quia, inquit, constat Sacerdotes non posse servare æquitatem in injungendis pœnis, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim peccata cognoscant: & declarans cur circunstantiæ mutantes speciem, siot confitendæ, hanc rationem profert, *quòd sine illis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, neque judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere.* Porro hæ rationes æqualiter probant oecessitatem confitendi circunstantias notabiliter aggravantes; nam per se notum est, majorem pœnam esse injungendam ei qui unicô actu eripuit multa millia aureorum; putà Principi, qui unô Edictô injustè latô plures subditos spoliat; quàm qui tantùm tres aureos tribus distinctis furtis abstulit.

Adde quòd, si circunstantia aggravans circa eandem speciem, non haberet novam malitiam, seqoeretur illum non graviùs peccare, qui incestum commisit in primo gradu, qnàm qui illud committeret in tertio & quarto: sequeretur similiter, qoòd qui ampotasset alicui aures & nares, & brachia, & pedes, atque oculos ei effodisset, dummodò ipsum non occidisset, satisfaceret præcepto Confessionis dicendo, se graviter aliquem vulnerasse.

Item qui explodendo tormentum bellicum voluntariè occidisset plures homines, suum delictum sufficienter explicaret, dicendo: se reum esse homicidii. Quæ utique absurda sunt. Concludendum igitur cum Catechismo Concilii Tridentini,
» *tit. de Pœnit. cap.* 62. quòd non solùm peccata
» gravia narrando explicare oportet; verùm etiam,
» quæ unum quodque peccatum circunstant, &
» gravitatem valde augent, vel minuunt.

Nec obstat, quòd circunstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem, non constituant formaliter distincta peccata: sufficit enim, quòd ea constituant virtualiter, seu æquivalenter; nnum namque peccatum notabiliter grave ex aliqua circunstantia, moraliter æquivalet multis numerô distinctis, ut patet exemplis jam adductis: unde non videntur sufficienter explicari quoad numerum peccata mortalia, nisi explicentur circunstantiæ intra eandem speciem notabiliter aggravantes.

Dices: Nullus ad id obligatur, de quo non extat præceptum: sed oullum extat præceptum divinum, aut Ecclesiasticum de confitendis circunstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus: igitur nullus ad id tenetur.

XV. Nec non ex institutione Christi.

Nego minorem: Siquidem divinô præceptô tenemur id omne in Confessione exprimere, quod necessarium est ad perfectam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem & susceptionem. Porrò hujusmodi circustantiarum declaratio ad id necessaria est: cùm enim hoc Sacramentum sit institutum à Christo D. per modum judicii, quidquid reqoiritur ad hoc, ut Sacerdos rectè de criminum gravitate judicare possit, & debitam pœnam præscribere, cadit sub præcepto divino. Cùm igitur explicatio circunstantiarum intra eandem speciem notabiliter aggravantium, necessaria sit ad hoc, ut Confessarius rectum de peccatorum gravitate judicium efformet: idcirco fatendum est Confessionem illarum circunstantiarum cadere sub præcepto divino.

Dices secundò: Si necessarium esset confiteri circunstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem; pari ratione aperiendæ essent in Confessione circunstantiæ notabiliter minuentes peccati gravitatem: sed hoc videtur esse contra rationem Confessionis, quæ debet esse accusatio, non autem excusatio: igitur, &c.

XVI. Circunstantiæ minuentes debent aperiri in Confessione.

Nego minorem: Quemadmodum enim parvus peccatorum oumerus explicandus est, ut rectum de pœnitente feratur judicium: sic etiam aperienda est circumstantia notabiliter allevians, putà si quis peccaverit, vel ex ignorantia, vel ex vehementi tentatione, vel ex metu imminentis periculi mortis; hæc enim maximè conferunt ad hoc ut Sacerdos rectum de crimine possit ferre judicium.

Ad probationem verò dico, quòd etsi Confessio sit potius accusatio, quàm excusatio; attamen hæc accusatio talis esse debet, ut ex ea Sacerdos possit agnoscere delicti gravitatem, & juxta illam præscribere debitam, & non excedentem Satisfactionem: ad hoc autem conducit explicatio circunstantiæ minuentis gravitatem peccati; ac subinde illa est in Confessione aperienda.

Dices tertiò: Id non videtur necessariò ac tutò asserendum & faciendum, quod pœnitenti nimiam anxietatem animi ingerit, & eum reddit semper dubium de validitate suæ Confessionis: at ita fiet si circuostantiæ graves sint aperiendæ; quis enim defioiet, quanta intensio & quanta duratio actûs requiratur, ut peccatum censeatur notabiliter gravare intra eandem speciem: igitur, &c.

Nego minorem. Primò namque facilè apparet circunstantia aggravans ex parte magnitudiois, vel multitudinis. Idem etiam apparet ex intensione & duratione actûs peccaminosi; quilibet enim pœnitens per exactam suæ conscientiæ disquisitionem rescire potest, quandiu perseveraverit in actu odii proximi, & quantùm in ipso odio exarserit, ut nempe istud in Confessione aperiat. Idem autem dicendum de cæteris, ac subinde non est adeò difficile ejusmodi circunstantias aggravantes in memoriam revocare, & eas in Confessione exprimere.

PETES 2. *Qualis & quanta esse debeat Conscientiæ disquisitio prævia ad salutarem, & integram Confessionem?*

XVII. Qualis & quanta

Respondet Doctor dist. 17. num. 19. eam desiderari inquisitionem, quam posset aliquis appo-

esse debeat conscientiæ inquisitio, prævia ad Confessionem.

nere circa aliquod negotium multum arduum, quod sibi multum esset cordi; tantam deberet apponere circa omnia peccata mortalia reducenda ad memoriam, & illa reducta ad memoriam debet eidem confiteri, non dividendo Confessionem: quia, ut dicit Augustinus de vera & falsa Pœnitentia, & ponitur de Pœnitentia dist. 5. cap. Consideret. *Quidam uni celant, quod alii manifestandum conservant; quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper veniâ carere, ad quam credunt per frusta pervenire.* Idem docet Catechismus Concilii Tridentini tit. de Pœnit. n. 61. dicens: *Sed in Confessione summa illa cura, & diligentia adhibenda est, quam in rebus gravissimis ponere solemus, omneque studium ita eò conferendum, ut cernamus animæ vulnera, & peccati radices avellamus.*

Hæc tamen ita intelligenda sunt, ut ejusmodi disquisitio fiat cum ea diligentia, quam patitur humana fragilitas, *ne fortè*, ut habet idem Catechismus n. 66. *nimis dissolutè & remissè conscientiam nostram scrutati simus, adeoque negligenter peccata admissa memoriâ repetere studuerimus, ut ea ne recordari quidem voluisse meritò videri possimus; id enim si factum fuerit, Confessionem iterare omnino oportebit*: prudentiâ igitur opus est ne pœnitens, vel nimis leviter se examinet, vel nimium se in ejusmodi inquisitione divexet, in præjudicium sanitatis corporis, ac quietudinis mentis.

Conclusio Tertia.

XVIII.

Confessio non debet esse necessariò integra materialiter,

NOn *requiritur absolutè ad perfectam Confessionem integritas materialis; ab ea namque excusat impotentia physica & moralis.* Hæc est communis, illamque expressis verbis docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. ubi ait: *Constat nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ simul omnes latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitando non occurrunt, in universum eâdem Confessione inclusa esse intelliguntur.*

Ratio autem hujus Conclusionis est; quia Deus impossibile non jubet, neque Christus D. id pro medio necessario ad salutem instituit: quod interdum sit impossibile: sed interdum accidit, quòd Confessio materialiter integra omnium peccatorum sit impossibilis physicè & moraliter: igitur, &c. Major constat: Minor probatur, quantùm ad primam partem, nempe quòd illa integritas aliquando physicè sit impossibilis: tum ex parte pœnitentis, si nempe dum confitetur, subitò obmutescat; vel si ita morte præoccupetur, ut non possit aliquod peccatum in specie, ac sigillatim declarare, sed tantùm signa Contritionis; nec-non & desiderii suscipiendæ Absolutionis manifestare; quibus in casibus conveniunt omnes, illum debere necessariò absolvi: vel ex parte Confessarii, si nempe sit surdus, aut diversi idiomatis, nec alius possit occurrere, qui peccata sigillatim excipiat: vel si plures occurrant absolvendi, quos pro temporis angustia non potest sigillatim audire: putà cùm imminet naufragium, incendium, aliudve exitium, quibus in casibus, ut constat, physicè impossibilis est integritas materialis Confessionis. Nec tamen verisimile est Deum voluisse hujusmodi homines in eis casibus excludi à susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, quòd pro omnibus post Baptismum lapsis, tanquam medium necessarium ad salutem, fuit institutum: igitur, &c.

Quia interdum illud est impossibile physicè.

XIX.

Et moraliter.

Probatur similiter eadem minor de impotentia morali; plures namque occurrunt casus, in quibus dimidianda videtur Confessio, nec censetur vigere præceptum confitendi omnia prorsus peccata, etiam quæ memoriæ occurrunt, quos videre poteris apud Authores casuum conscientiæ; Præcipui autem casus sunt: *Primus*, quando grave ex Confessione talis peccati emergeret incommodum, & damnum pœnitenti, putà si probabile immineat periculum mortis corporalis, aut alterius mali æquivalentis, nempe mutilationis membrorum, perpetui carceris, exilii, &c. *Vel* si tempore pestis Confessarius probabiliter timeat infectionem pestiferam, si diu cum pœnitente peste infecto perseveret; his enim in casibus poterit pœnitens graviora confiteri peccata, & Absolutionem percipere.

Nempe quando imminet.

1. Periculũ mortis corporalis, & alicujus mali æquivalentis,

Secundus casus est, si immineat periculum mortis spiritualis, tam ipsi pœnitenti, quàm Confessario, putà si fœmina proclivis ad peccatum carnis, prudenter judicet Confessarium eam ad ejusmodi peccatum sollicitaturum, si peccatum istud, & peccandi proclivitatem aperiat. Censet tamen Lugo disp. 16. n. 734. distinguendum esse: nam, *inquit*, si fœmina timeat sibi ex illa sollicitatione periculum consentiendi, vel certè importunas preces, aut instantiam Confessarii, quod non leve incommodum fœminæ affert, potest illud tacere: si nihil horum timeat, non est quòd curet de malitia Confessarii. Debet tamen observari regula communis, quæ tradi solet in materia scandali, ut si possit commodè vitari damnum proximi, sine damno nostro, vitari debeat ex obligatione charitatis. Quare sicut ad petendum Sacramentum ab illo, qui est in peccato mortali, requiritur aliqua specialis utilitas ejus, qui petit: sic debet in præsenti intervenire specialis causa excusans ad confitendum huic, & non alteri.

2. Periculũ mortis spiritualis pœnitentis aut Confessarii,

Tertius, Si pœnitens prudenter timeat, quòd Confessarius præter suum consensum, sit peccatum revelaturus alteri, ex eo videlicet, quòd noverit eum minùs discretum, nec secreti tenacem. Valdè tamen cavendum est pœnitenti, inquit Coninx, *disp. 7. dub. 9. n. 77.* ne similia de suo Confessario suspicetur, sine gravi admodum fundamento, quale esset, si sciret eum aliquando Confessionem revelasse, aut aliquos ob peccata in Confessione audita malè tractasse, aut ad flagitium sollicitasse, aut tam proclivem esse in vitia, ut obvias quasque fœminas sibi familiares, ad turpia sollicitet, aliàs hæc suspicando gravissimè peccaret.

3. Secreti ac peccati confessi revelatio,

Ut autem legitimè ab integritate Confessionis eis in casibus eximi possit pœnitens, tria debent concurrere: *Primum*, quòd sit necessitas faciendæ Confessionis, vel ex præcepto divino, putà si urgeat periculum mortis: vel ex præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis; si enim quis confiteatur duntaxat devotionis causâ, non video cur ipse ob ejusmodi motiva legitimè possit Confessionem dimidiare. *Secundum*, quòd non facilis sit recursus ad alium Confessarium, cui posset fieri integra Confessio, absque metu eorum damnorum & periculorum: *Tertium*, quòd hæc incommoda sint gravia, & extraordinaria Confessioni; nec enim, ut bene advertit

Tria notanda.

Coninx num. 76. ot aliquod peccatum omittat in Confessiono, sofficit quòd Confessarius, qui me habebat pro valde pio & casto, auditis meis peccatis me habiturus sit pro gravissimo peccatore; aut quòd graviter sit reprehensurus, & pudore affecturus: Hæc enim oon sunt extraordinaria Confessioni, sed quasi illius appendices.

XX. Quando fieri nō potest Confessio absque violatione sigilli Confessionis.

Quartum casum profert Doctor *dist.* 20. *q.* 2. *n.* 21. ubi ait; Quòd Confessor indiscretè ministrans Sacramentum Pœniteotiæ taoetur oon statim confiteri de facto suo indiscreto, quando scilicet Confessor suus poteris statim devenire in notitiam personæ, circa quam indiscretè exercuit usum clavium: & hoc ad minùs tenatur, non in speciali exprimere culpam circa quam, & modum quô indiscretè exercuit: sed vel præcisè in universali dicendo sic, *meâ culpâ indiscretè & indebitè ministravi Sacramentum Pœnitentiæ*; vel si urgeret eum conscientia de Confessiona facienda super hoc in speciali, ut dicit argumentum; quia est peccatum mortale speciale, & circunstantiæ specialiter aggravaotes, tenetur expectare opportunitatem confitendi alicui, qui ex tali Confessione peccati, & circunstantiarum, non posset devenire in ootitiam personæ huic confessæ. Quòd si nunquam possit haberi talis Confessor, qoin ex explicatione peccati, & circunstantiarum posset devanire in culpam, & personam isti confessam; iste est in casu impossibilitatis ad confitendum homini, quia plus tenetur ad præceptum non prodendi culpam sibi confessam, quàm ad confitendum explicitè culpam suam: quia ad primum multipliciter ex lege naturæ, ut probant rationes ad primam Conclusionem, & multipliciter ex lege positiva divina, ut probant rationes ad secundam Conclusionem. Ad secundam verò ad plus de lega positiva divina, ut dictum est *dist.* 17. ergo iste confiteatur Deo.

XXI. Non est dimidianda Confessio ut celetur persona complex.

Quintum casum addunt aliqui, nempe tone licere Confessionem dimidiare, quando videlicet peccatum aliter revelari ooo potest, quin pariter reveletur peccatum personæ complicis, seu cum qua pœnitens peccavit. Ita docent Navarrus cap. 7. n. 3. & plures alii Casuistæ. *Verùm* opposita sententia communior est & tutior, eamque indicat Subtilis Doctor dist. 21. q. 2. n. 16. ubi ait: De *quid* dico: Quòd non tantùm peccatum principala confitentis, & circonstantias peccati; quia circunstantiæ non possunt bene revelari fine revelatione facti, sed & persona secunda, cum qua peccatur: Quia autem confitens vult famam personæ, cum qua paccavit, salvara, idest, daberet velle, sicut sui: imò eò magis, quòd persona illa sibi conjuncta fuit in crimine; tantùm enim magis tenetur ei ad boni restitutionem, quòd per illam amisit, & ad custodiam illius boni, quod potest custodire, non obstanta ullô modô commissô. *Hæc Doctor*, ubi licèt solùm expresè doceat, personam complicis debere etiam sub sigillo Confessioois celari à Confessario; nihilominus satis indicat, ejusmodi personam complicis posse detegi in Confessione, quippe cùm illam in Confessione manifestatam debeat Sacerdos celare.

Quia illa si fieri nō possit aliter, est declaranda.

Id autem apertè docet Doctor Angelicus in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstiune. 5. ubi ait: *Ad quintum dicendum, quòd homo in Confessione debet famam alterius custodire quantùm potest, sed suam conscientiam magis purgare debet; & ideo si circunstantia, qua ducit in cognitionem personæ, sit ex necessitate Confessionis, secundùm regalam datam, tunc debet confiteri occultando personam quantùm potest: si autem non sit de necessitate Confessionis, debet dimittere, ne alterius peccatum prodat.* Ejusdem sententiæ est Doctor Seraphicus S. Bonav. 4. dist. 21. p. 2. a. 1. q. 3. n. 54. ubi sic *scribit*: Dicendum, quòd aliena peccata aut sunt impertinentia ad peccati nostri accusationem, sed ex quadam associatione refert ea, & ad quandam excusationem illa, qui confitetur, quia solatium est miseris socios habere pœnarum; & malè facit, qui sic confitetur: sicut multi simplices accusant aliquando omnes vicinos suos, ut minùs confundantur, ut si dicant: Sumus latrones, usurarii, perjurii, & consimilia; & tales à Confessoribus corripiendi sunt, quia arctam formam Confessionis oon servant. Aut peccata aliena nostris sunt conjuncta, & admixta; ita quòd sine illis non potest bene culpa propria explicari, & tunc licitum est confiteri eatenus, quatenus non potest fine alieno peccato culpa propria explicari. Unde aliquando in generali; ut si mulier cognita est ab Episcopo (quod absit) sufficit dicere, qood aliquis magnus Prælatus eam cognovit. Si à persona Religiosa, sufficit, quòd in generalitate sua stet, quia satis apparet geous culpæ. Si verò descendat ad personam singularem, increpanda est persona confitens. Si verò peccatum oon potest explicari sina explicatione personæ determinatæ: utpote, si mulier inordinatè à viro cognita ast; tunc si dicat de marito, non peccat, pro eo quòd non potest aliter confiteri propriam culpam. Et tunc non debet attendi accusatio aliena, sed accusatio propria. Et sic generaliter verum est, qoòd peccata aliena noo sunt dicenda in Confessione, nisi eatenus, quatenus sunt propria, oec Confessores debent inquirera. Unde illi Confessores, qui ramusculos in Confessionibus inquirunt, & audiunt de aliis malum, & sustinent, vix, aut nunquam à peccato detractionis excusari possunt; & nesciunt mederi animabus, dum patiuntur eos, qui veniunt ad medicinam, alios accusando, sibi infligare vulnus grave. *Hacusque S. Bonaventura.*

Ut docent Subtilis Doctor. Angelicus. Et Seraphicus.

Accedit S. Bernardus in formula honestæ vitæ, versus finem: *De nullo prorsus sinistrè loquaris (quantumcumque sit verum, vel manifestum) nisi in Confessione, & hoc ubi non potes alitar manifestare peccatum tuum.*

XXII. Ed ratio suadet.

Quòd autem ejusmodi complicis personam in Confessione pœnitens possit revelare licitè: *Probatur primò*, quia licitum est uti jure suô, & propriam utilitatem corporis, aut animæ quærere; etiamsi inde sequatur incommodum proximi: licitum est enim ad defensionem propriæ vitæ facere aliquid, ex quo indirectè sequatur mors alterius: sed pœnitens habet jus ad faciendam integram Confessionem, ut consulat suæ saluti, & curæ spirituali: ergo licitè potest illud peccatum manifestare, ex cujus manifestatione sequitur declaratio personæ complicis, etiamsi ax illa manifestatione oriatur aliqua infamatio ipsius complicis apud Confessarium, maximè cùm talis infamia sit parvi momenti, quippe cùm crimen complicis uni duntaxat homioi revelatur, qui Dei vices gerit, & districtè obligatur ad illud peccatum celandum.

Deinde, eô ipsô, quô quis se voluntariè facit complicem & participem alicujus criminis,

1 Quia licitè id potest.

etiam se subjicit pœnis debitis, & omnibus appendicibus ipsius criminis: igitur cùm peccatum istud commissum subjici debeat clavibus Ecclesiæ, & explicari Confessario eô modô, quô commissum est, quando modus ille vel variat speciem peccati, vel illud notabiliter aggravat: Hinc est quòd si non possit peccatum ille aliter manifestare, necessariò debet explicare etiam peccatum complicis.

Confirmatur: Idcirco Christus Dominus voluit fideles manifestare omnia sua peccata, etiam occulta Sacerdoti, nonobstante infamiâ, quæ ex ejusmodi Confessione oritur: quia summa ex illa Confessione integra exurgit Pœnitentis utilitas: *Ipsa enim*, inquit Coocilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. *hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis, & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per Absolutionem certissimè conferuntur*: igitur si non obstante propriâ infamiâ possim omnia peccata mea occulta Coofessori revelare propter summam utilitatem inde consequendam, quidni pari ratione potero manifestare personam complicis, ut videlicet integræ Confessionis fructum, & utilitatem consequar?

Denique, licitè possum (inquit *Lessius* de Justitia cap. 11. dub. 12.) aperire alienum crimen alicui personæ, quando hoc necessarium est, ut me in re magni momenti adjuvet: quia noo teneor cum notabili meo damno alienam famam omnino illæsam servare: ergo multò magis potero id aperire in Confessione, quando hoc necesse est, ne tenear peccata iterum confiteri, & possim ad instituendam vitam spiritualem à Confessario monita salutaria excipere; quibus maximè caveam periculum in idem peccatum relabendi.

a. Quia debet. Quòd autem pœnitens teneatur ad integritatem suæ Confessionis, personam complicis manifestare, apparet ex statim dictis: pœnitens enim tenetur ad integrè confitendum omnia peccata mortalia, quoties id licitum est, nec ex alio majori præcepto ab ejus impletione prohibetur: igitur si licitè possit personam complicis revelare, quando id exigit Confessionis integritas, nec potest aliter suum peccatum manifestare, ad id præceptô divinô tenetur.

Deinde, virtute præcepti faciendæ Confessionis integræ obligatur homo ad confitenda sua peccata, etiam turpissima, nonobstante summâ verecundiâ, ac detrimentô propriæ famæ apud ipsum Confessarium, à quo fortè, ut vir pius ac religiosus anteà habebatur: igitur multò magis obligatur ad ea declaranda peccata cum periculo, ac præjudicio famæ alienæ; quando aliter non potest peccatum suum integrè explicare. Consequentia patet; cùm enim ex charitate homo magis teneatur vitare propriam infamiam, quàm alienam, etiam minùs teneretur ad coofitenda propria sua peccata, quàm aliena: igitur cùm teneatur sua, quantumvis enormia peccata manifestare, etiamsi incurrat præjudicium suæ famæ, multò magis ad id obligatur, quamvis inde oriatur quædam infamia proximi.

Denique, si pœnitens non teneretur personam complicis manifestare in Confessiooe, quando aliter peccatum suum declarare non potest, sequeretur conjugatos non obligari ad confitenda peccata, quæ in actu matrimoniali interdum committuntur; quando maximè uterque notus est Confessario; & subinde ooo posse illa peccata à Confessario judicari, & retineri: at hoc videtur absurdum, utpote cùm vergat in præjudicium salutis conjugatorum, nec-non io oimis relaxatam administrationem hujus Sacramenti.

Dices primò: Pœnitens non potest declarare in sua Coofessione peccatum complicis, quin illum infamet apud Confessarium: at propter integritatem suæ Coofessionis non potest infamare proximum suum apud Confessarium: igitur nec illius peccatum revelare. Major constat. Minor probatur: Quando concurrunt duo præcepta simul servanda, quarum unum est juris naturalis; aliud verò juris divini positivi; nec utrumque simul servari potest, magis servandum est præceptum juris naturalis, quàm juris positivi; si enim vigeat præceptum positivum faciendæ Confessionis, & simul occurrat præceptum naturale tuendæ vitæ proximi, magis teneor ad tuendam vitam proximi, quàm ad faciendam Confessionem: sed integritas Confessionis est tantùm juris positivi: prohibitio autem infamationis proximi est juris naturalis: igitur magis teoetur pœnitens ad non infamandum proximum, quàm ad faciendam Confessionem integram.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico: XXIII. Illa declaratio non est contra Jus naturale.
In eo casu noo vigere præceptum juris naturalis de non infamando proximo propter præceptum & utilitatem iotegræ Coofessionis; non quòd hoc præceptum positivum per se deroget isti præcepto naturali; sed quià immutat circunstantias, quæ in isto præcepto naturali includuntur, & sub quibus præceptum naturale tantùm obligat: quia præceptum naturale conservandi famam proximi non est absolutum, & generale pro quocumque tempore ac loco, & quibuscunque positis circunstantiis, sed tantùm quando non occurrit causa rationabilis in contrarium, sicut constat ex aliis præceptis juris naturalis. Nam, ut optimè advertit noster Bosco disp. 7. sect. 9. num. 28. præceptum naturale: *Non occides*, ooo obligat simpliciter & absolutè (nam licet occidere malefactores authoritate publicâ, licet occidere authoritate privatâ injustum invasorem vitæ, &c.) sed cum hac limitatione: *Insontem, & justum non occides*, Exod. 23. v. 7. Item, scandalum acceptum vitare juris naturalis est, sed non cum gravi detrimento proprio. Et hinc præceptum positivum audiendi Sacrum die Dominicâ, efficere potest, ut mulier, quæ alioquin ad vitandum scandalum acceptum juvenis alicujus, illam inordinatè diligentis, deberet se continere domi; nihilominus ut impleat istud præceptum, possit ire ad templum, quia non tenetur se privare Sacrô & impletiooe præcepti, ut cum illo detrimento prospiciat alteri, ex malitia peccanro. *Similiter* est præceptum naturale defendendi Rempublicam: si tamen id nequeo facere absque revelatiooe sigilli Sacramentalis (cujus observatio est juris quodammodo positivi) oulla est obligatio: quia tuoc solùm teneor defendere Rempublicam quando possum sine majori incommodo, quàm sit commodum illud, quod Respublica accipiet ex mea defensione: jam autem incommodum, quod orietur ex revelatione sigilli, longè majus est, quàm quodcunque commodum Reipublicæ. Igitur ad propositum nostrum, jus naturale prohibens revelationem complicis cum ejus infamia, intelligitur, nisi adsit rationabilis causa, qualis occurrit integritas Confessionis, cujus

bonum longè præstat infamatione complicis apud solum Confessarinm; unde hæc infamia non excusat ab integritate materiali Confessionis.

His adde, qoòd magis habenda sit ratio reverentiæ debitæ sacramento Pœnitentiæ, & boni spiritualis ipsius pœnitentis, quæ requirunt ut integrè confiteatur, quàm tantillæ jacturæ famæ ipsius complicis, cujus perdendæ periculo ipsemet voluntariè se exposuit, cùm tale peccatum cum pœnitente commisit: quare præceptum de integritate Confessionis noo infert hîc aliquid contra jus naturæ, sed quod ei maximè consentaneum est; sicut nec Judex in foro externo agit contra jus naturæ, dum reum cogit, ut complices declaret, & præcipit testi, ut accusati crimen proferat.

Dices secundò: Illud non est suadendum ad praxim, quod maximè Confessionem odiosam efficit: sed revelatin complicis reddit ipsi Confessionem pœnitentis odiosissimam; ac subinde periculum est, ne ab ea pœnitentem avertat: igitur id non est suadendum & asserendum.

XXIV. Nec obstat quòd confessio inde fiat odiosa.

Nego majorem: Propria enim infamia facit Confessionem odiosam ipsi pœnitenti, & ex se magis avertit à Confessione, quàm avertere posset complex; nec tamen propter illam verecundiam & infamiam pœnitentis legitimè dimidiaretur Confessio: igitur neque dimidianda est propter infamiam complicis.

Dices tertiò: Peccatorum Confessio non aliâ ratione censetur ad salutem necessaria, quàm quia ita Christus D. instituit & ordinavit: sed verisimile non est, Christum D. voluisse hoc Sacramentum instituere cum dispendio & damno famæ proximi, & obligasse pœnitentem ad manifestandum crimen complicis, quando absque ejusmodi revelatione non potest integrè confiteri: igitur pœnitens non tenetur, nec debet propter servandam integritatem Confessionis personam complicis revelare.

Nego minorem: Cùm enim Christus D. Pœnitentiæ sacramentum instituerit per modum veri judicii; inde fit, qnòd sicut in vero judicio reus habet jus declarandi crimen sui complicis, quando id requirit, & præcipit Judex, & accusator ac testis habet jus manifestandi crimen ipsius rei & ejus complices, quando id necessarium est ad perfectionem judicii, etiamsi ex illa declaratione complex patiatur damnum, tum in fama, cùm in bonis fortunæ & vitæ; sic in Tribunali Pœnitentiæ, pœnitens seipsum accusans habet jus declarandi in Confessiône socium sui criminis, si hæc declaratio necessaria sit ad integritatem Confessionis, licèt ex ea declaratione complex patiatur aliquod damnum in sua fama apud Confessarium.

XXV. Non sequitur inde quòd etiam debeat revelare peccatum non complicis.

Dices denique: Si pœnitens teneatur revelare personam complicis, ut integrè confiteatur, etiam tenebitur ad manifestandum peccatum alterius, quamvis non complicis, si non possit sine hujusmodi manifestatione peccatum suum Confessori explicare, putà si dedit potionem alicui non conjugatæ ad extinguendam prolem ex fornicatione, vel adulterio conceptam: sed hoc est falsum: pœnitens enim nullum habet jus ad revelandum peccatum, cujus non est particeps & reus, quodqoe io ejus societate non est commissum: igitur pari ratione non tenetur ad aperiendam personam complicis, ad nbservandam integritatem Confessionis.

Nego sequelam majoris: Et ratio disparitatis est, quòd proximus per peccatum cum ipso pœnitente non commissum, non se-se subdidit perfectioni judicii in foro Pœnitentiæ circa ipsum pœnitentem exercendi, neque Confessarius ex eo quòd habeat jus cognoscendi delictum pœnitentis, habet etiam jus cognoscendi delictum proximi, quod non est circunstantia peccati quod ipse pœnitens accusat: impertinens enim est ad potionem datam pro suffocando fœtu, & procurando abortivo, quòd fœtus natus sit ex adulterio aut fornicatione; secus autem est de persona complicis, cujus delictum est circunstantia mutans speciem, vel notabiliter aggravans peccatum, de quo pœnitens confitetur.

XXVI. Non debet fieri talis revelatio absque necessitate.

Adverte tamen, Pœnitentem non posse manifestare personam complicis, nisi quando id necessarium est ad integritatem Confessionis; unde si quæ Soror duntaxat venialiter peccasset, in non resistendo satis promptè violentiæ fratris, stuprum ei inferre nitentis; non liceret ei sorori in Confessione fratris personam & crimen detegere; quia in eo casu non baberet jus propter integritatem suæ Confessionis ad revelandum peccatum sui fratris; qnia peccata venialia, eorumque circunstantiæ non debent necessariò in Confessione aperiri: unde sufficeret ei dicere, non restiti eâ, quâ debebam animi promptitudine & fortitudine ei, qui me ad peccatum carnis impellebat. Idem dicendum de peccatis jam commissis, quæ ubi denuò aperiuntur in Confessione, non debet indicari persona complex, si nota possit esse Confessario; quia ejusmodi peccatorum accusatio non est necessaria ad integritatem Confessionis: unde eo in casu satius est, ejusmodi peccata iterum non confiteri; aut saltem cum ea circunstantia, quæ personam complicem indicaret.

Alias tenebitur pœnitens ad restituendam famam.

Advertendum secundò, quòd qui revelat peccatum complicis sine ulla necessitate, vel utilitate, peccat contra justitiam, adeoque tenetur ad restituendam famam, quæ ex tali indiscreta Confessione adempta esset apud Confessarium; eadem enim est ratio infamationis in Confessione, ac extra Confessionem, quando id per se Confessin non exigit: sed infamatin extra Confessionem, quæ fit sine necessitate & utilitate, est injusta, & per se obligat ad restitutionem famæ, eô convenientiori modô, quô hæc restitutio fieri potest: igitur idem dicendum de infamationa facta per Confessionem.

PETES I. *Vtrum qui habet casus reservatos occurrente necessitate, possit confiteri non reservatos ei Sacerdoti, qui non habet facultatem absolvendi à reservatis; non aperiendo ei ejusmodi reservata peccata?*

Affirmativam partem docet Alensis *4. part. q. 18. memb. 5. art. 2. ad ultimum*, ubi respondens huic argumento. Propter quædam peccata recurrendum est ad summum Pontificem, qui habet plenitudinem potestatis absolvendi: sed ad ipsum non est recurrendum propter minora peccata, à qoibus absolvere potest Sacerdos ordinarius: igitur aliquando necessum est dividere Confessionem. *Ait:* Dicendum, qnòd aliud est confiteri peccata sua uni Sacerdoti, & quædam alii, ut sic minus appareat malitia sua; & aliud est, cùm non possit absolvi ab illo, qui immediatè habet animæ suæ curam, de consensu, & volun-

XXVII. «Non licet «dimidiare «Confessionem «propter

casus reservatos.

tate illius adire superiorem, qui potest eum absolvere: & hoc quia non potest absolvi: *Primò modò* enim dividens Confessionem movetur ex inordinata, & perversa voluntate, quâ vult se in parte justificari, cùm se deberet contemnere. *Secundò modò* dividens movetur ex bona voluntate propria, & aliena; quia sic providere intendit saluti propriæ; nec talis dicitur dividere Confessionem, cùm de consensu & consilio unius alii confiteatur.

Verùm, ut apparet, non negat Alensis, pœnitentem debere peccata reservata aperire Sacerdoti, à quo absolvitur à non reservatis; quippe cùm apertè dicat, eum de consilio ipsius Sacerdotis debere recurrere ad Superiorem, ut possit eum à reservatis absolvere: qualiter autem posset Sacerdos id consulere, si pœnitens ejusmodi peccata non aperiret?

Unde *negativa sententia* probabilior est, nempe quòd confitens ei, qui non potest à reservatis absolvere, tenetur etiam peccata reservata confiteri: *Tum, quia* cùm Sacerdos sit saltem indirectè pœnitentem etiam à reservatis absoluturus, necessum est, quòd ejusmodi peccata etiam cognoscat, ac de eis judicet: *Tum, quia* horum peccatorum manifestatio plurimùm inservit ad cognoscendum, utrum pœnitens sit dignus Absolutione, nec-ne; nam horum ratione fieri potest, ut nullomodò sit absolvendus, putà si habeat concubinam, quam non vult abjicere, si nolit restituere aliena, &c.

Dicet: Nullus tenetur eadem peccata bis confiteri; alioqui nimis grave esset onus Confessionis: sed pœnitens tenetur peccata reservata confiteri ei, qui habet potestatem ab eis directè absolvendi: ergo non debet ea confiteri Sacerdoti non habenti potestatem ab eis peccatis directè absolvendi.

Nego majorem, quantùm ad eum casum; nec enim illud onus iterandæ Confessionis est tanti momenti, ut propterea debeat integritas Confessionis violari; maximè cùm pœnitens sibi hoc onus debeat imputare; propterea quòd suâ sponte hanc obligationem contraxerit.

Dicet secundò: Pœnitens non tenetur ad Confessionem, nisi Sacramentalem, quæ fiat apud legitimum judicem, qui possit solvere, vel ligare: sed Sacerdos ordinarius non est legitimus Judex, respectu peccatorum reservatorum; & consequenter Confessio ei facta non potest esse Sacramentalis: igitur non tenetur ad illa peccata confitenda.

Nego minorem: Licèt enim Sacerdos ille non sit legitimus Judex ejusmodi peccatorum per se & directè: ita quòd si pœnitens duntaxat confiteretur peccata reservata, non posset sacramētaliter de eis judicare: attamen est saltem indirectè eorum peccatorum Judex, quatenus videlicet conjuncta sunt cum aliis, de quibus, sicut & de statu pœnitentis, potest judicare: quâ ratione eorum peccatorum reservatorum accusatio, potest dici Confessio sacramentalis, quatenus illa peccata sunt veluti quædam circumstantiæ eorum à quibus debet directè absolvere, eaque præsentem statum peccatoris in Confessione manifestandum concernunt, ut judicetur an debeat absolvi, nec-ne.

PETES 2. *Vtrum legitimè possit absolvi moribundus, qui nullum peccatum in particulari potuit confiteri, sed solùm signa generalia doloris ostendere?*

Respondeo, moribundum illum considerari posse dupliciter; nimirum vel quatenus præsente Sacerdote, dat quædam signa doloris, quibus ostendit se peccasse, & de eo dolere, sed ex eo quòd subito privetur loquendi facultate, non potest ullum peccatum in particulari confiteri: *Vel* considerari potest, quatenus ante adventum Sacerdotis ostenderit quædam signa Pœnitentiæ, & postulaverit Confessarium: interim verò omnem usum rationis perdiderit; itaut Sacerdos adveniens non possit ullum ab eo Pœnitentiæ signum habere, sed tantùm rescire à præsentibus, quòd Pœnitentiæ signa dederit, & Confessarium petierit. Dico itaque moribundum hôc utrôque modô consideratum legitimè absolvi, ut colligitur ex Concilio Arausicano, cap. 12. ubi dicitur: *Subitò obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu, quô scilicet dolorem de peccatis significet.* Item Concilium Carthag. 3. cap. 34. ait: *Vt ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur: similiter & de pœnitentibus agendum est.* Idem Carthag. 4. cap. 67. *Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam: & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.*

XXVIII. Moribundus potest licitè absolvi, etsi distinctè non fuerit confessus.

Ut statuunt Concilia.

Nec valet reponere, Concilia hæc duntaxat loqui de Absolutione à censuris; hoc enim gratis omnino dicitur: *Tum, quia* Concilia comparant hanc Reconciliationem cum Baptismo, quibus significant se loqui de Reconciliatione, quæ fiat per Sacramentum: *Tum, quia* loquuntur de Reconciliatione, quæ fieri debeat ante sumptionem Eucharistiæ: hæc autem debet esse Sacramentalis in iis qui inficiuntur peccato mortali, ut docet Concilium Tridentinum *sess.* 14. *can.* 7.

Porrò hanc veritatem apertè tradit S. Leo epist. 91. quæ est ad Theodorum Episcopum Forojuliensem, ubi scribit de reconciliandis per Pœnitentiæ sacramentum, & ait: *Quòd si aliquâ ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulò antè poscebant sub præsentia Sacerdotis, significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium, prodesse debent, ut simul & Pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* Ubi non loquitur de Absolutione à censuris; siquidem anteà dixerat: *Mediator Dei, & hominum homo Iesus Christus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus satisfactionem Pœnitentiæ darent, & eâdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentalem per januam reconciliationis admitterent.* Ubi clarè docet, se loqui de Sacramentali Absolutione. *Deinde*, cùm docuisset quâ charitate, & diligentiâ Sacerdotes se huic operi impendere debeant, subjicit: *Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quôcunque interceptus obstaculô, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta*

constituta remedia perveniat, temporalem vitam humanâ conditione finierit; quod manens in corpore non receperit, exutus carne, non poterit consequi. Ex quibus apertè constat S. Leonem non loqui de Absolutione à censuris, quæ potest etiam mortuis impendi, ut patet ex capite *A nobis* 28. *&c.*

Docet S. Leo.

Suffragatur etiam ratio: Nam si talis Absolutio esset invalida; maximè quia non supponeret veram materiam, nempe veram sui ipsius accusationem, cum ostensione doloris, ex quo Sacerdos cognoscat, pœnitentem esse dignum Absolutione: at ita non est; siquidem Pœnitens sufficienter ostendit se dolere de peccatis cùm Pœnitentiam postulat, & jam incipit generatim confiteri, cùm petit Sacerdotem accersiri; simili ferè modô, quô quis per Interpretem confitetur, dum ipsi peccata sua consignat, ut ea Sacerdoti explicet: cùm enim astantes Sacerdoti præsenti Pœnitentiam & desiderium moribundi explicant, instar Interpretum ipsius Confessionem Sacerdoti exponunt, sicque ipse Sacerdoti jam præsenti veluti per Interpretes peccata manifestat, ac Pœnitentiæ signa profert.

Ratio suadet.

Dices: Ad Absolutionem Sacramentalem prærequiritur Confessio, per quam status pœnitentis possit cognosci: atqui per hujusmodi signa, pœnitentis status cognosci non potest: igitur, &c. *Deinde*, per illa signa Confessarius nihil cognoscit, quod ante non sciebat: nam tantùm generatim cognoscit talem peccasse: at non potest exercere judicium sine distincta cognitione causæ: igitur Sacerdos non potest juridicam & Sacramentalem Absolutionem proferre circa hunc moribundum.

Respondeo ad primum, negando minorem; sufficienter enim per ejusmodi signa Sacerdos cognoscit illum hominem egere sacramento Pœnitentiæ, ac subinde reum esse peccati: neque enim ad hoc ut quis directè absolvatur, necessum est, ut confiteatur aliquod peccatum in particulari: Nam si aliquis, qui multis annis in gravissimis vixisset peccatis, solùm confiteretur unum peccatum veniale, v. g. se aliquando voluntariè distractum fuisse inter orandum, & subitò destitueretur sensibus, secundùm omnes deberet absolvi; & tamen moraliter loquendo Sacerdos ex illa Confessione non posset magis de illius statu judicare; quàm si solùm generatim dixisset se peccasse: ergo etiam hôc casu deberet absolvi:

Ad secundum nego majorem: Per ea namque signa à pœnitente exhibita Sacerdos cognoscit tanquam Judex in Tribunali Pœnitentiæ hunc hominem Deum offendisse, & de hoc dolere; quorum utrumque, saltem postremum, priùs non noverat sub ea ratione Judicis.

Dices secundò: Si pœnitens, qui absente Sacerdote dedit Pœnitentiæ signum, validè & licitè posset absolvi; sequeretur, quòd liceret per litteras & internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri: sed hoc tanquam erroneum dogma proscriptum est à Clemente VIII. & Paulo V. ut jam diximus agendo de forma hujus Sacramenti: igitur, &c.

Nego sequelam majoris; longè enim diversus est
XXIX. casus hominis moribundi ab homine, qui per litteras Sacerdoti absenti peccata sua declararet: nam moribundus, quasi per Interpretem confitetur, scilicet per testimonium eorum, qui audierunt illum postulantem Confessarium, & viderunt signa Contritionis ab eo edita.

Nec tamen inde sequitur fieri posse Confessionem absenti.

Insuper, Sacerdos eo in casu non censetur absens: quia habet absolvendum præsentem, necnon & præsentes testes, qui declarant, moribundum illum habere voluntatem efficacem suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ. Secus autem est de homine prorsus absente, quia Confessarius non habet nec habere potest certitudinem moralem, quòd pœnitens ille, qui per litteras confessus est, sit in debito statu, ut possit absolvi. Unde ad minorem dico, hanc assertionem non repugnare definitioni Clementis VIII. quâ damnavit hanc propositionem: *Licet per litteras, aut Internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Primò, quia, ut diximus, hic casus omnino diversus est à nostro: *Secundò*, quia ipsemet Pontifex interrogatus, an moribundus sic deberet sacramentaliter absolvi: respondit debere absolvi, & se eum absoluturum, si talis occurreret occasio; nec eum casum suô decretô ullô modô comprehendi. Nam, ut refert Coninck *disp. 7. num. 105. an. 1608. 16.* Aprilis, Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, & Illustrissimus Archiepiscopus Armacanus testati sunt se id ab ab eo audivisse.

Confirmatur ex Rituali Rom. edito authoritate Pauli V. in quo summus Pontifex non solùm permittit, sed etiam præcipit omnibus Parochis, ut in tali casu moribundo Sacramentalem Absolutionem impendant; sic enim habet: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiant, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere: quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.*

QUÆSTIO QUINTA.

Quis, & qualis esse debeat Minister sacramenti cui fieri debeat Confessio?

TRia maximè hac in quæstione sunt determinanda: *Primum*, utrum solus Sacerdos sit Minister sacramenti Pœnitentiæ: *Secundum*, utrum id omni Sacerdoti conveniat virtute sui characteris & Ordinis: *Tertium*, utrum Confessarius debeat esse ita secreti tenax, ut nullâ unquam ratione ipsi liceat peccatum sibi confessum alteri, quàm pœnitenti manifestare, ac declarare. Quæ ut distinctiùs resolvantur, & appareant;

Scopus quæstionis.

Notandum primò, cum inter cæteros fuisse Vviclefi errorem, quòd Sacerdos non esset necessarius Minister sacramenti Pœnitentiæ, sicut testatur Vualdensis tomô 2. cap. 135. quem nonnulli ex recentioribus hæreticis hoc in errore secuti sunt, ut colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 6.* ubi statuit: *Circa Ministrum autem hujus Sacramenti declarat S. Synodus, falsas esse, & à veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos & Sacerdotes clavium ministerium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo; & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse*

I. Erravit Vvicleffus circa ministrum Pœnitentiæ.

dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata: publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit: secreta verò per spontaneam Confessionem cuicunque factam.

Deviârunt etiam quidam alii.

Non defuerunt etiam quidam Catholici, qui Magistrum sententiarum secuti *in 4. dist.* 17. etsi concesserint solum Sacerdotem esse Ministrum hujus Sacramenti, putârunt tamen in necessitate, absente Sacerdote peccatorem teneri confiteri Laïco: *Dixerunt enim*, ut refert S. Bonaventura eâdem dist. p. 3. dub. 1. *quòd quinque modis habetur potestas absolvendi, scilicet* AUTHORITATE, *& sic est Dei:* EXCELLENTIA, *& sic est Christi hominis:* POTESTATE, *sive authoritate* COMMISSA, *& sic est Sacerdotis:* MERITO VITÆ, *& sic est Justi & Sancti: & virtute* UNITATIS ECCLESIASTICÆ *& sic est cujuslibet viri fidelis: & ideo dicunt, quòd talis Confessio quodammodo est Sacramentum Ecclesiæ: probabilius tamen est dicere, quòd non sit Sacramentum Ecclesiæ, cùm deficiat ipsi formale, scilicet potestas clavis: sed est aliquid locò ejus.*

II. Quare potestas absolvendi à peccatis appelletur Clavis.

Notandum secundo, potestatem ad absolvendum à peccatis Sacerdotibus novæ legis à Christo D. concessam, declaratam fuisse *Matth.* 16. metaphoricè, nomine *clavium*, ubi Dominus Petro hanc potestatem spondens, ait: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, &c.* Porrò, inquit Seraphicus Doctor *dist.* 18. *art.* 1. nomen *clavis* translatum est ad spiritualia ab ipsis corporalibus: In his autem corporalibus clavis est instrumentum ad removendum aliquod obstaculum. Quoniam igitur in spiritualibus invenimus aliquod obstaculum ad ingrediendum in regnum cœleste, necesse est illud removere: ideo ad spiritualia nomen *clavis* transferimus, vocantes clavem illam virtutem, per quam obstaculum removetur, sive per quam excluditur, vel includitur.

Triplex est ejusmodi Clavis.

Secundùm hoc igitur notandum; quòd cùm triplex sit obstaculum ingrediendi in regnum, & triplex potestas illud removens; triplex est clavis spiritualis, different secundùm gradum, & dignitatem. Obstaculum autem ingrediendi in cœlum, est debitum alicujus peccati: hoc autem est triplex. *Primum* peccati mortalis commissi: & hoc est debitum æterni supplicii. Hoc autem obstaculum solus Deus amovet; quia removetur per culpæ deletionem: & ideo potestas hoc removens, est potestas divina, quæ ab aliquibus dicitur *clavis authoritatis*. Secundum obstaculum est debitum peccati contracti: & illud est debitum solutionis pretii, & hoc solvi potuit per eum, qui potuit satisfacere, talis autem fuit solus Christus; & ideo hæc potestas removens illud obstaculum est solius Christi, & vocant eam aliqui *clavem excellentiæ*. Tertium obstaculum est debitum peccati dimissi: quia postquam homini dimissa est culpa, adhuc est obligatus ad temporalem pœnam, & hoc removeri potest per illum, qui potest peccati pœnam taxare: & talis est Minister Christi, non tantùm Christus, & illa potestas est hominibus communicata, & vocatur ista potestas *clavis ministerii*. Cùm igitur triplex sit obstaculum, triplex est clavis. Prima scilicet authoritatis, à qua est secunda, scilicet excellentiæ, & hæc est in solo Christo: & tertia est clavis ministerii, quæ descendit à clave authoritatis mediante clave excellentiæ: & de hac dictum est Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum.*

Paulò aliter hanc veritatem explicat Doctor *dist.* 19. *num.* 4. ubi ait: Authoritas judiciaria sententiandi cœlum huic aperiendum, vel apertum esse, potest intelligi tripliciter. Unô modô authoritas *simpliciter principalis*. Secundô modô, non principalis, sed *præcellens*. Tertiô modô, non principalis, nec præcellens, sed *particularis*. Prima soli Deo convenit propter duo.

Quarum prima soli Deo.

Primò, quia ipse solus ex se est justus; imò ipsa justitia: Primum autem judicium non potest competere, nisi primo justo, quia judicium non est perfectum, nisi sit justum, juxta illud Psal. *Feci judicium & justitiam*; siquidem judicare est jus, vel justum dictare. Primum autem justum oportet esse perfectissimum, & ita justissimum: igitur primi justi. Secundò, quia judicare est Præsidentis, juxta illud Apostoli ad Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Primus autem Præsidens, non potest esse nisi Deus solus. Unde sicut non potest alii communicare divinitatem, sic nec primam potestatem judicandi; nec per consequens clavem simpliciter principalem, aperiendi cœlum.

Secunda Christo D.

Tertia ministris Ecclesiæ convenit.

Secunda clavis, scilicet non principalis, tamen præcellens, potest intelligi quantùm ad duplicem præeminentiam. Unam quidem in universalitate causarum judicandarum, aliam in firmitate sententiæ definitivæ. Et utraque præeminentia potest convenire illi, qui omnia merita, & demerita novit, quæ sunt causæ propter quas cœlum est aperiendum, vel claudendum, & cum hoc habet voluntatem inseparabiliter conformem justitiæ divinæ. Propter primum potest in omnibus causis sententiare, quia omnes novit... Propter secundum potest ejus sententia simpliciter esse firma, & irrevocabilis, quia semper justa. Hæc clavis cum utraque præeminentia propriè est Christi, qui novit omnia merita, & demerita judicandorum, & semper justitiæ divinæ conformiter judicat. Nec ista potest esse in Ecclesia militante, saltem congruè non potest; quia nullus in Ecclesia novit omnes causas judiciarias, nec habet voluntatem immutabiliter justam. Tertia clavis, scilicet particularis, quantùm ad causas cognoscendas, & infirma, quantùm ad sententiam ferendam, putà quòd sit aliquando revocabilis: potest conferri alicui in Ecclesia Militante, qui potest in illa causa nosse, & in illa, secundùm legem divinam rectè judicare; & si quando præter illam, sententia ejus non erit firma, sed secundùm illam erit firma. Potest ergo in Ecclesia esse una clavis cœlum aperiendi, scilicet authoritas sententiandi particulariter, & non irrevocabiliter, alicui cœlum esse apertum. Congruit etiam istam esse in Ecclesia, & hoc in Sacerdote, ut Hierarchia Ecclesiastica sit ordinata & ultima reducantur in primum per medium.

III. Quid sit Confessionis sigillum.

Notandum tertiò, sigillum Confessionis nihil aliud esse, quàm obligationem quâ Confessarius tenetur ad servandum secretum de iis omnibus, quæ audivit in Confessione: quæ utique obligatio idcirco metaphoricè *sigillum* appellatur; quia sicut secreta sigillô solent obsignari; ne aliis manifesta fiant: ita peccata Confessori manifestata, perpetuô silentiô, quasi sacrô & inviolabili sigillô debent obsignari, ne aliis innotescant. Cùm autem sit triplex jus, quô quis teneri potest ad servandum sibi demandatum secretum, nempe jus naturale, divinum positivum, & Ecclesiasticum; Quæritur an Confessarius hôc triplici jure obligetur ad celandum peccatum sibi in Confessione manifestatum.

Conclusio Prima.

IV. *Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ.*

Solus *Sacerdos legis Evangelicæ est legitimus Minister Sacramenti Pœnitentiæ, cui fieri debeat Sacramentalis Confessio.* Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 10. *Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, aut non solum Sacerdotes, esse Ministros Absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum: Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo, & quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam Confessionem anathema sit.* Patet hæc veritas, ex facto Christi D. qui Joan. 2. conferens facultatem absolvendi à peccatis, solis eam Apostolis dedit: nam cùm insufflasset in eos, & dixisset: *Accipite Spiritum sanctum:* statim subjicit: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Clarè insinuans illis solis hæc verba dicere, qui per singularem ordinationem ad hoc Spiritûs sancti gratiam acciperent: tales autem sunt soli Sacerdotes: igitur, &c.

Probatur insuper eadem veritas authoritate SS. Patrum, qui unanimi calculô docent, hanc absolvendi potestatem solis Sacerdotibus novæ legis esse concessam. Ita S. Ambrosius lib. de Paradiso, & libro de Pœnitentia, ubi loquens de potestate ligandi & absolvendi, dicit: *Jus hoc solis est permissum Sacerdotibus:* S. Hieronymus exponens illud Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum: Habent*, inquit, *judiciariam potestatem alii Apostoli, habet & omnis Ecclesia in Episcopis, & Presbyteris: sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant, quòd quicunque à veritate fidei, & societate Ecclesiæ separatur, nec à peccatis solvi, nec cœlum potest ingredi.*

V. *Ut optimè declarant, Subtilis Doctor*

Idem testantur cæteri Patres, maximè S. Leo epist. 91. & ante eos S. Pacianus tractatu contra Novatianos. Porrò hanc veritatem probat Subtilis Doctor suprà laudatus *num.* 6. ex eo quòd Sacerdos sit mediator inter Deum, & peccatorem: „Congruit, *inquit*, istam authoritatem esse „in Ecclesia; & hoc in Sacerdote, ut Hierarchia „Ecclesiastica sit ordinata, & ultima reducantur „ad primum per medium: Hierarcha est medius „inter Deum, peccatoremque reducendum. Hoc „etiam congruit perfectioni causarum secundarum „in esse morali. Deus enim universaliter non „negat creaturis causalitatem, quæ potest eis competere; „imò & illam communicat, & ad ejus „actionem causis secundis assistit. Ex quo ergo in „*esse* gratuito possibile est hominem habere istam „causalitatem reductivam, quæ dicitur clavis, „congruum est, quòd hoc supremo in Ecclesia, scilicet „Sacerdoti, detur.

Et Seraphicus.

Eandem veritatem apertè & nitidè declarat Seraphicus Doctor dist. 19. art. 2. qu. 1. ubi *ait*: „Dicendum (sicut dicunt Sancti, & hoc etiam „innuit ipse modus tradendi Ordines) quòd in „ordine Sacerdotali clavium potestas confertur. „Hujus autem ratio est institutio divina. Institutionis „autem congruitatem videre possumus, quoniam „harum clavium conservator habet efficaciam „Mediatoris, & officium Reconciliatoris. „Mediator autem est inter Deum, & hominem, A reconciliator verò reducendo ad Ecclesiam, & „reconciliando Ecclesiæ. Ad hoc autem ut possit „esse Mediator perfectus, & competens inter „Deum & hominem, oportet quòd posse habeat „offerendi dona, & sacrificia pro peccatis, in „quibus Deus placatur. Ad hoc, quòd possit esse „reconciliator, oportet quòd possit reducere ad „corpus Christi mysticum, cujus caput est ipse „Christus verus: & ut recta sit, & ordinata potestas, „oportet quòd habeat posse conficiendi „sanctissimum corpus Christi. Hoc autem pertinet ad solos Sacerdotes: Et ideo mirabilis Dei sapientia ordinatissimô modô ordinans Ecclesiasticas potestates, hanc potestatem ligandi, & solvendi solis Sacerdotibus commisit: & ita in B ordine Sacerdotali dantur claves.

Objicies primò: S. Jacobus cap. 5. monet, ut sua peccata sibi mutuò confiteantur; ait enim: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini: Multùm enim valet deprecatio Justi assidua:* igitur non censet soli Sacerdoti faciendam esse Confessionem.

Triplex est Confessio.

Respondeo: Triplicem in Scriptura distingui Confessionem peccatorum faciendam proximo: unam quidem satisfactoriam quæ fiat offenso fratri ad impetrandam ab eo veniam & pacem: aliam consultoriam, quæ fiat ad capescendum consilium necessarium ad salutem; tertiam verò sacramentalem, quæ fiat ad veniam obtinendam C per Absolutionem: Prima quidem fieri potest cuilibet proximo offenso: Secunda verò homini justo, & erudito; præsertim autem Pastoribus, ac viris Religiosis, quorum officium est publicè & privatim, fideles Evangelicâ doctrinâ illustrare, & salutari exhortatione consolari. Tertia autem fieri duntaxat potest Ecclesiæ Sacerdotibus, quibus solis concessa est à peccatis absolvendi potestas. Porro de hac posteriori videtur duntaxat loqui S. Jacobus, cùm monet confitenda esse alteri peccata; siquidem priùs sermonem fecerat de Sacerdotibus, monendo fideles, ut si quis ex eis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui orent super eum, & un-D gant oleo; unde statim colligit: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra;* quibus non obscurè significat, apud eos esse deponenda peccata, quos jam dixerat esse advocandos, ut orarent super infirmum, & eum ungerent. Ne verò quis existimaret peccata mortalia, quibus ægri conscientiam oneratam haberent, per istam Sacerdotum orationem, & ministratam sacram Unctionem, posse deleri, subjungit: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* (ut explicat Hugo Victorinus lib. de Sacramentis:) Hoc est inter vos ho-E mines hominibus, oves Pastoribus, subjecti Prælatis, laïci Sacerdotibus, ii qui habent peccata, iis qui peccata dimittendi potestatem habent.

Objicies secundò: S. Cyprianus lib. 3. Epistolarum secundùm editionem Pamelii epist 13. docet: *Si quis infirmitate oppressus non possit expectare Sacerdotis adventum, reconcilietur per Diaconum, factâ prius exomologesi*, idest Confessione. *Similiter* de furtis cap. *fures*, legimus: *Fures & latrones, si in furando & deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum: Sed si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.*

Respondeo: S. Cyprianum loqui non de Absolutione Sacramentali, sed de ea, quâ publicè pœnitentes recipiebantur in Communionem Ecclesiæ, ut possent cum aliis communicare, &

VI. Diaconi possunt suscipere confessionem publicam, non verò sacramentalem.

divinis interesse. *Ad alterum* dico, in eo capite non dici, quòd Diaconus possit furem Sacramentaliter absolvere: sed quòd possit audire ejus Confessionem, & judicare, utrum sit verè contritus, & dignus cui Sacramentum Eucharistiæ ministretur, quod tunc temporis Diaconi, absente Sacerdote fidelibus conferre solebant.

Objiciet tertiò varias SS. Patrum authoritates, quibus significare videntur potestatem clavium ad omnes omoino fideles, præsertim bonos & pios pertinere, eamque ab illis exerceri, quotiescumque vel offensas fratribus, qui in se peccassent, pœnitentibus remitterent: vel præfractos & impœnitentes divinò judiciò puniendos relinquerent. Ita præ cæteris S. Augustinus

VII. Quò sensu dicat S August. quemvis fidelem justū posse absolvere.

lib. 3. contra Donatistas cap. 18. ubi de Apostolis, quibus dictum erat: *Quorum remiseritis*, sic loqoitur: Ergo si personam gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tanquam ipsi Ecclesiæ diceretur: pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata, non secundùm arbitrium hominum, sed secundùm arbitrium Dei, & orationes Sanctorum spiritualiom, qui omnia dijudicant, ipsi autem à nemine judicantur. Petra enim tenet, Petra dimittit, columba dimittit, unitas tenet, unitas dimittit: pax autem hujus unitatis in solis bonis est, vel jam spiritalibus, vel ad spititalia concordi obedientiâ proficientibus; in malis autem noo est, &c. *Et infra* de malis: Remissam tamen peccatorum non dabant quæ per orationes Sauctorum, idest, per columbæ gemitus datur. Non enim raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus, *si cui dimiseritis peccata*, &c. *Et lib. 5. cap.* 21. Quapropter, *inquit*, Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malus; ipsam verò gratiam non nisi per seipsum, vel per Sanctos soos; & ideo remissionem peccatorum, vel per seipsum facit, vel per illius columbæ membra, quibus ait: *Si cui dimiseritis*, &c. Et *ejusdem operis lib. 6. cap.* 4. Cùm, *inquit*, homini malo veraciter ad Deum converso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipse veraci conversione conjungitur. Idem quippe Spiritus sanctus ea dimittit qui datus est omnibus Sanctis sibi charitate cohærentibus, sive se noverint, sive non noverint. Similiter cùm alicujus peccata tenentur, ab eis utique tenentur, à quibus ille cui tenentur, vitæ dissimilitudine, & pravi cordis aversione disjungitur. *Præterea* tract. 58. in Joan. dicit, quòd dum nobis invicem peccata dimittimus, ea in terra solvimus, ut & in cœlo solvantur. *Et tract.* 121. ad ea verba: *Quorum remiseritis*; &c. Ecclesiæ charitas, *inquit*, eorum, qui participes sui sunt, peccata dimittit, eorum qui non sunt, tenet. Similis est locus apud

Id verò non posse malos Sacerdotes.

sanctum Ambrosium lib. 9. in Lucam ad illud: *Solvite & adducite*, ubi sic ait: *Solvit enim manus Apostolica, talis actus, talis vita, talis gratia, esto talis & tu ut possis ligatos solvere*. Proferri etiam potest quod Origenes homil. 1. in 16. Matth. scribit: *Omnes eos, qui vestigia Petri sequuntur, habere solvendi, & ligandi potestatem*. Et quod Theophilactus in Matth. 18. apertis verbis tradit, dicens: *Non enim solùm, quæ solvunt Sacerdotes, sunt soluta, sed quæcunque & nos injuriâ affecti vel ligamus, vel solvimus, & ipsa erunt ligata, vel soluta.*

Respondeo, nos jam ex parte his omnibus authoritatibus fecisse satis in *Disp. proœmiali*, ubi demonstrávimus, Sacramenta validè administrari etiam per malos Ministros. Addo insuper locis mox laudatis SS. Augustinum & Ambrosium, non loqui de Ministris Sacramenti, neque de Sacramentali modô remittendi peccata, qui fit per authoritatem ministerialem, sed de modo impetratorio, qui proprius est sanctis & piis Viris. Neque enim Deus dimittit alicui peccata extra Sacramentum ad orationes perversorum, sed jostorum. Quæ duo apertissimè distinguit S. Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 4. ubi disputans de hæretico, & raptore, utrum remittant peccata, ait: *Si per vim Sacramenti Dei, sicut ille sic & ipse: si per meritum suum, nec ille, nec ille.* Quibus significat, peccata interdum dimitti, vel per ministerium absolventis, vel per meritum impetrantis; quem utique posteriorem modum remittendi peccata, etiam agnoscit Ecclesia in Sanctis cum Deo regnantibus: dicit enim, inqoit Estius dist. 10. §. 2. in Hymno ad B. Virginem: *Solve vincla reis*: & iterum: *Nos culpis solutos mites fac & castos.* Et ad Apostolos: *Nos à peccatis omnibus solvite jussu quæsumus.* Et ad Martyrem: *Soluta jam sunt vincula tui sacrati corporis, nos solve vinculis sæculi*, &c. Dicitur autem *jussa*, propter certitudinem effectûs consequentia earum intercessionum. Item ad Præcursorem: *Solve polluti labii reatum, sancte Ioannes.* E diverso qooque dicuntur Sancti ligare impœnitentes, & eorum retinere peccata, quando divinam Justitiam circa impœnitentes, & potissimùm circa damnatos approbant. Unde vox eorum est in Psalmo: *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.* Nam sicut in extremi Judicii die Sancti futuri sunt Judices, ita & nunc quodammodò judicant malos & impios, divinam etiam in hac vita circa eos approbando sententiam. Ad id verò, quod ex Origene & Theophilacto objicitur, jam suprà responsum est ad primam objectionem, ubi diximus triplicem esse Confessionem; unam quidem Satisfactoriam, de qua hi duo Authores sunt intelligendi.

PETES: *Vtrum absente Sacerdote, & urgente mortis periculò, aliquis peccati mortalis conscius confiteri teneatur Laïco, aut Diacono?*

VIII. Quâ ratione plurimi Theologi doceant licere confiteri laïco.

Respondeo, ejusmodi Confessionem varios Authores consulere: *Primò* namque Author libri de vera & falsa Pœnitentia cap. 10. & ex eo Gratianus, cap. *Quem pœnitet*, dist. 1. de Pœnit. ubi ait: *Tanta Confessionis vis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo: sæpe enim contingit, quòd pœnitens non potest verecundari coram Sacerdote; & si ille, qui confitebitur, potestatem non habeat solvendi; fit tamen dignus veniâ Sacerdotis desideriò, qui confitetur socio: Mundati enim sunt leprosi, dum ibant orare, vel se ostendere Sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Vnde patet Deum ad cor inspicere, dum ex necessitate probibentur ad Sacerdotes pervenire. Sæpè quidem quærunt eos sani, & læti: sed dum quærunt, antequam perveniant, moriuntur. Sed misericordia Dei ubique est, qui & justis parcere novit, etsi non tam citò, sicut si solverentur à Sacerdote.*

Idem docet *Petrus Cantor* Parisiensis in Summa de Sacramentis fol. 203. ubi eandem tuetur sententiam ut communem, eâdem libri de vera & falsa Pœnit. authoritate fretus. *Ecce ex hac authoritate habemus, quòd in necessitate confitendum sit laïco, si Sacerdos desit, & non solùm venialia, sed etiam mortalia.* Deinde sibi authoritatem Bedæ objicit, qui hoc videtur de venialibus

tantùm intelligere, cui sic respondet: *Sed hoc fortè dictum est in casu, ubi Sacerdos haberi potest; quod videtur ex eo quod sequitur, scilicet, quòd sine Confessionis emendatione peccata nequeunt dimitti. Si enim tanta necessitatis est Confessio, quid si deest Sacerdos, confitendum sit cuicumque in mortis periculo, sed nunquid Iudæo, vel Gentili, vel Hæretico manifesto? Non videtur, quia contemptores sunt, & irrisores Christianæ Religionis, &c.* Posteà probat, nec morioni, nec puero confitendum esse, *sed laïco discreto, qui non scandalizetur propter ejusmodi Confessionem.* Quærit amplius idem Petrus, atque respondet ea quæ mihi videntur hîc inserenda, ut quæ fuerit tum multorum vulgata praxis evidentiùs demonstretur: *An & similiter mulieri, quæ non scandalizetur per ejusmodi Confessionem? Item si fidelis serviens Iudæo moriatur in via, dominô præsente solô suô, non habens peccata aliqua, in quibus Iudæus ille velit, vel possit detrahere confitenti, vel Ecclesiæ: & ille priusquam moriatur, confiteatur Iudæo illi, & eum adjuret per Deum, & fidem quam ei debet, ut Pœnitentiam & Confessionem suam protestetur Ecclesiæ: an credetur ei postmodum hoc protestanti? nonne commendabit Ecclesia talem Confessionem, cùm nullum ex ea sequatur periculum. R. Credo, quòd Dominus, qui dat in tali casu pœnitenti Contritionem, ipsum quid agere debeat, docebit per internam inspirationem. Potest enim, ut credo, propter tantam necessitatem etiam hoc Iudæo vel hæretico confiteri: potest autem commendabiliter abstinere, ne talibus confiteatur, si dictet ei conscientia.*

Ita etiam docuit Præpositivus, ut vulgatam doctrinam, sicut ex ejus Summa manuscripta colligitur, 2. cap. de *Confessione*, ubi sic scribit, *Quæritur utrum aliquis possit confiteri socio suo.* Quod sic probatur. Beda super illum locum, Confitemini alterutrum peccata vestra, dicit, quòd peccata ex deliberatione facta, debet quis confiteri Sacerdoti; facta verò ex infirmitate, vel ignorantia potest confiteri socio. *Contra* hoc sic: Aliquod peccatum factum ex infirmitate, gravius est omni peccatô ex deliberatione factô. Nam peccatum fornicationis, quod fit ex infirmitate, gravius est verbô otiosô, quod quis dicit ex deliberatione. Ergo aliquod mortale peccatum debet quis confiteri socio, & veniale Sacerdoti. *Solutio*: Beda per peccatum infirmitatis, intellexit peccata quotidiana, sine quibus vix potest esse vita, quia hæc sæpè ex infirmitate, vel ignorantia procedunt. *Sed quæritur* quid conferat confiteri socio. Videtur quòd nihil conferat. Nam socius non habet potestatem ligandi, atque solvendi: ergo nihil confert socius, maximè cùm possit invenire Sacerdotem. *Solutio.* Dicimus, quidquid dicat Beda, quòd semper melius est confiteri Sacerdoti, quàm socio, & socio non est confitendum, nisi in necessitate. Necessitas autem est in minimis peccatis. Pene enim esset impossibile semper quoties peccamus Sacerdotem invenire, sed socium de facili reperimus: & cùm quis confitetur socio, solvitur ex desiderio Sacerdotis, ut dicit Augustinus. *Hæc ille.*

Albertus Magnus in 4. dist. 17. art. 58. hanc quæstionem proponit: *An aliquis possit confiteri suo socio, & ad quid valeat illa Confessio.* Cui sic respondet: *Valet Confessio facta laïco, ubi articulus necessitatis, non contemptus Religionis excludit proprium, vel alienum Sacerdotem.* Deinde docet, Patres multiplicem asseruisse absolvendi potestatem: Est, *inquit*, potestas absolvendi, ex authoritate quæ est Dei: Est potestas super excellentiæ, & hæc est Christi hominis, &c. Tertia potestas est ex vitæ merito, & suffragiis orationum, & hæc est Sanctorum in Ecclesia, quâ unus alii meretur primam gratiam, quæ absolvit à peccatis. Alia autem potestas ex officio Ministrorum concessa Sacerdotibus; est ultima ex unitate fidei & charitatis, & hæc pro necessitatis articulo descendit in omnem hominem ad proximo subveniendum: & hanc potestatem habet laïcus in articulo necessitatis, & mulier similiter. Articulô sequente docet, Absolutionem illam esse Sacramentalem, ut est Baptismus à laïco datus, & laïcum cô casu veri Ministri, idest, Sacerdotis Vicarium.

Ita quoque S. Raymundus lib. 3. de Pœnit. & remiss. §. 20. ubi ait: *Sed & graviora coæqualibus pandenda sunt, cùm deest Sacerdos, & urget periculum: venialia, Sacerdotis ablatâ copiâ, licet confiteri coæqualibus, & hoc sufficit, ut dicunt plerique Doctores, si tamen ex contemptu non prætermittatur Sacerdos. Alii verò dicunt, & credo tutiùs, quòd utriusque generis peccata Sacerdotibus sunt pandenda, quibus est concessa potestas ligandi & absolvendi, si habeatur eorum copia.* Et anteà §. 15. dixerat S. Augustini authoritate fretus, & Decreti de Pœnit. dist. 1. *quem pœnitet*, & de Consecratione dist. 4. cap. SANCTUM. Tanta est vis Confessionis, ut si immineat articulus necessitatis, vel quia infirmatur ad mortem, qui confiteri vult, vel debet intrare bellum justum, & deest Sacerdos, confiteatur proximo: & ita non solùm Clerico, sed etiam Laïco, vel socio posset.

Alexander Alensis 4. Summæ q. 19. memb. 1. art. 1. dicit, Confessionem laïco factam, utilem esse multis de causis, & Absolutionem à laïco datam, esse Absolutionis à Deo impetrationem: atque in hujus rei probationem affert S. Augustini dictum jam exscriptum, sed sub nomine S. Gregorii. *Sanctus Bonaventura* in dist. 17. p. 3. dub. 3. & art. 2. q. 1. testatur nonnullos Doctores existimare, Confessionem illam esse Sacramentalem; contrarium tamen probabilius judicat. Sed parùm interest, an sit Sacramentalis, nec-ne, modò primarium Absolutionis Sacramentalis effectum, idest, salutem, quoquô modô in pœnitente producat.

Cardinalis *Hostiensis* lib. 5. Summæ, tit. de Pœnit. & remiss. c. 14. ubi casus explicat, in quibus licet non confiteri Parocho suo. Septimô, *inquit*, tempore necessitatis 26. q. 6. *Si Presbytero* de Pœnit dist. 3. *Quicunque Presbyter*: quia, sicut ait Augustinus, tanta est vis Confessionis, quòd si immineat necessitatis articulus, ut quia infirmatur ad mortem is, qui vult confiteri, vel oportet eum intrare bellum, & deest Sacerdos non solùm proprius, sed & quilibet; in tali articulo potest etiam laïco, vel etiam mulieri, si non adsit alius, confiteri, de Pœnit. dist. 1, *Quem pœnitet*, & dist. 3. *Qui vult*, & de Consecratione dist. 4. *Sanctum est*, *&c.* Non tamen Hæretico, vel excommunicato debet quis confiteri. Quantæ autem virtutis sit ejusmodi Confessio, paulò post explicat: Quod autem dictum est de Laïco, vel muliere, intelligas quoad ostendendam fidem Sacramentalem: Unde si sic moriatur, salvatur, debitum tamen Sacramentum deficit, quia nullus potest verè absolvere, ut scilicet verum sit sacramentum Pœnitentiæ, nisi Sacerdos sit;

2. Quòd tum eodem in ordinatione conferatur.

eidet cum præcedente: nam si quivis Sacerdos jure divinô, & virtute suæ ordinationis habeat sufficientem potestatem, ut actu possit ab omnibus peccatis absolvere, oullâ tatione Ecclesia poterit efficere, ut pœniteotem debitè dispositum validè absolvat, sicut oullâ suâ prohibitione potest efficere, ut Episcopus aliquem invalidè ordinet, aut confirmet.

Tertiò Aliqui docent cum S. Antonino 3. *part. tit.* 17. *cap.* 4. Sacerdotes in sui otdinatione accipere quidem potestatem jutisdictioois, sed quæ etiam seclusâ omni Ecclesiæ prohibitione non

3. quòd conferatur quidè cum Ordine, sed reduci non possit ad actum defectu materiæ.

possit teduci ad actum, propter defectum materiæ: oam nt aliquis Judex exerceat actum jurisdictionis, non satis est, quòd à Principe Judex instituatur, sed præterea necessarium est, quòd habeat subditos, & determinatum locum, ubi ejusmodi jurisdictionem exerceat: Unde ut Sacerdotes validè possint aliquem pœnitentem absolvere, necessum est, quòd Ecclesia ipsis aliquos subditos assignet: quia Christus D. hoc Sacramentum ita instituit, ot nullus sine authoritate & determinatione Ecclesiæ possit in alterum sententiam ferre quam sententiam veriorem caistimo.

4. quòd sit à potestate Ordinis distincta.

Quarta tandem sententia docet potestatem Ordinis, quam solam Sacerdos in sui ordinatione accipit, esse distinctam à potestate Jurisdictionis, quam posteà; accipit à Prælatis Ecclesiæ; unde fit, ut neminem possit absolvere, nisi priùs acceptâ hâc authoritate, quæ sicut liberè conceditur, sic etiam liberè suspendi potest & revocari, Ista Medina de Pœoit. tract. 2. q. 39. cooclusione 3. Snto in 4. dist. 18. q. 4. a. 2. Suarez disp. 16 sect. 3. nu. 7. Quam utique sententiam probant maximè his momentis, quæ alibi, agende Ordine, examioabimus, aiunt autem Trident. & Florent. distinguunt hanc jurisdictionem in ordinariam & delegatam; ac subinde censent hanc potestatem posse delegari: id autem falsum esset, si potestas jurisdictionis esset eadem cum potestate ordiois: nemo enim dixerit potestatem ordinis posse delegari; ac subinde censent Concilia, potestatem jurisdictionis à potestate ordinis esse distinctam. *Deinde* omois Jurisdictio est essentialiter superioritas, quæ intrinsecè dicit respectum ad subditos; sicut enim nullus revera potest esse dominus, quin habeat servum: ita nec Superior esse potest, ac jurisdictionem habens, oisi habeat subditos: sed Sacerdos virtute suæ ordinationis nullos acquirit subditos: igitur nec virtute illius jurisdictionem obtinet.

Denique ejusdem est conferre jurisdictionem, cujus est dare subditos, in quos exerceatur ejusmodi jurisdictio: sed Ecclesia Sacerdotibus ordinatis assignat subditos, in quos exerceant jurisdictionem, & authoritatem judicandi sacramentaliter: igitur etiam dat hanc jurisdictionem.

Dices: Urbanus II. ot refertur cap. *Placuit* de Pœnitentia. Statuit *ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere, sine ejus consensu, cui priùs se commisit.* Igitur priùs cuilibet licebat, quemvis ad Pœnitentiam & Absolutionem suscipere.

XI. Non licebat olim quoslibet Pœnitentes absolvere.

Nego consequentiam: Siquidem ibi non agitur de Pœnitentia sacramentali, sed tantùm de Pœnitentia publica, & decernitur ne aliquis agendo solemnem Pœnitentiam postquam commissus est uni Sacerdoti, nt illam juxta illius judicium, & præscriptum agat, possit sine hujus Sacerdotis licentia alteri se committere in eadem causa, nisi forte Sacerdos ille, cui se primò commiserat, ei injunxisset aliquid indecens propter ignorantiam: hoc enim in casu posset alterum convenire.

Dices secundò: Potestas jurisdictionis, seu remittendi peccata cooceditur cuilibet Sacerdoti in sua ordinatione; ut decernit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 6. his verbis: *Docet quoque* (sancta Synodus) *etiam Sacerdotes, qui peccatô mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti, in ordinatione collatam, tanquam Christi Ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosque pravè sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt.* Ubi Concilium docet, Sacerdotes habere potestatem jurisdictionis virtute suæ Ordinationis: igitur illa potestas oon est distincta à potestate Ordinis; ac subinde quemadmodum quilibet Sacerdos potest exercere potestatem Ordinis independeoter à qualibet prohibitione Ecclesiæ, pari ratione poterit exercere jurisdictionem, & authoritatem absolvendi.

Adde quod Concilium dicat Sacerdotes habera authoritatem eandem quæ concessa fuit Apostolis vi verborum Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata:* at Apostoli virture verborum istorum poterant quemlibet absolvere: igitur idem præstare possuot Sacerdotes.

Nego consequentiam, juxta tertiam sententiam quamquam enim potestas remittendi peccata conferatur secundùm substantiam & virtotem cuilibet Sacerdoti in ordinatione, non tamen confertur exercenda, nisi assignatis subditis, in quos exerceatur; ac subinde confertur quidem intrinsecè completa quantùm ad virtutem, sed compleoda extrinsecè quantùm ad exercitium, & applicationem subjecti, in quod illa potestas exerceatur: non secus ac si Rex tribueret aliqoibus potestatem judicandi, & constitueret eos Judices, non assignaret tamen illis subditos, sed designationem ipsorum permitteret provinciarum Gubernatoribus, ubi judicarent, expedire bono regni.

Ad id quod subjungitur, oon aliam quemlibet Sacerdotum accipera in sua ordinatione potestatem, quàm quæ Apostolis concessa fuit, quando eis dictum est: *Quorum remiseritis, &c.*

XII. Non confertur completa potestas absolvendi in ordinatione.

Respondeo concedendo noo aliam præcisè vi verborum illorum potestatem accipi; sed quemadmodum præter hanc potestatem ex Christi voluntate missi sunt in universum mundum, quâ missione complementum potestatis jurisdictionis fuit eis collatum; ita præter eam, quam quilibet Sacerdos recipit in ordinatione sua potestatem, debet ejosdem complementum recipere ab Ecclesia, quæ illi subditos assignet.

Objicies secundò: Si vera esset nostra sententia, sequeretur Sacerdntes recipere ab Ecclesia potestatem absolvendi: quod absurdum est; alioqui dicendum esset: Ego te absolvo authoritate Ecclesiæ.

XIII. Licèt Sacerdotes eam habeant à Christo.

Respondeo, negando sequelam: Sacerdotes recipiunt à Christo in sua ordinatione potestatem jurisdictioois, à qua efficienter est remissio peccatorum, posito quòd subditi assignentur; adeoque habent à Christo potestatem absolvendi, & ab Ecclesia recipiunt tantùm designationem subditorum, quod non est recipere, nisi complementum potestatis, à quo non potest dici Sacerdos sic recipere potestatem absolvendi; sicuti ignis non recipit potestatem comburendi ab eo, qui materiam combustibilem illi approximat: nam qui ille qui a Principe constitutus Judex, recipit à gubernatore Provinciæ potestatem judiciariam,

ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.

3. Ratione veracitatis.

Tertia ratio. Quilibet ex lege naturæ tenetur servare promissum licitum: sed recipiens secretum, maximè istud in Confessione detectum, etsi non explicitè, tamen implicitè promittit se servaturum, quia sine tali promisso, saltem subintellecto, non committeretur sibi tale secretum: ergo, &c. Hæc ratio probatur, vel potest sumi ex illo verbo: *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.*

4. Ratione unitatis.

Quarta ratio. In hoc communitas aliquam habet unitatem proportionatam unitati corporis, quia ibi est ordo Superioris, & inferioris: & tenetur Superior influere in inferiorem: & inferior subministrare Superiori, juxta illam parabolam Pauli de corpore mystico, & in naturali in diversis locis: sed in civitate, inferior est minùs sufficiens, & minùs sciens, & in Ecclesia peccator inferior. Superior autem est Hierarcha, qui & potest consulere, & reconciliare: ergo de lege naturæ est, quòd nullus excludat inferiorem à recursu ad Superiorem: quia hæc est communis utilitas membrorum ad invicem. Sed revelatio secreti excludit talem recursum inferioris ad Superiorem in consilio animæ, & per consequens influentiam Superioris in inferiorem: quia nullus recurreret, si regulariter illud, de quo quærit consilium, vel remedium, non esset servandum secretum: ergo eâdem lege naturæ, quâ tenetur quilibet ad servandam unitatem corporis Christi mystici, & ad communem utilitatem aliis, sicut membris in corpore, tenetur celare secretum hoc.

XVII.

Obligatio ad sigillum provenit etiam ex lege divina positiva.

Idem probat Doctor de obligatione petenda ex lege divina positiva: Quilibet Christianus *(inquit num. 11.)* tenetur non dare occasionem alteri, quâ revocetur à lege Christi: sed lex Christi est de Confessione facienda, ut est ostensum dist. 17. igitur quilibet in lege Christi tenetur non retrahere aliquem à Confessione facienda: sed revelans Confessionem occasione datâ, retrahit aliquos à Confessione: ergo, &c. Si dicas, etsi ille Sacerdos revelat, tamen alius erit celator secreti: hoc nihil est, quia iste quantùm est ex genere operis sui, dat occasionem alteri cavendi eôdem modô à singulis Confessoribus. Item *secundò* sic: Christus statuit arbitrum Pœnitentiæ esse ultimum in terris quantùm ad illud crimen confessum, quod patet ex illo verbo Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, id est, finaliter, & ultimatè approbatum: & Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* supple in Judicio divino finaliter remissa approbantur: ergo peccat contra legem Christi quicunque aliquid in isto foro discussum, & ibi finaliter terminatum deducit ad alium forum publicum: sed revelans, quantùm in se est, facit, quòd deduci possit ad alium forum: ergo, &c. *Tertiò* sic, Dans occasionem peccandi mortaliter exequendo præceptum Christi, peccat mortaliter; quia præceptum, quod esset debitè exequendum, iste quantùm in se est, facit indebitè exequi; sed revelans Confessionem dat occasionem indebitè exequendi Christi præceptum de confitendo, quia mendaciter: dat enim occasionem, ut aliquis in Confessione seipsum laudet, & alium, quem odit, vituperet; ut sic indignè à Confessore promoveatur, & alius puniatur: ergo, &c.

XVIII.

Objicies primò: Ex S. Bernardo libro 4. de præcepto & dispensatione: *Quod est institutum pro charitate, non debet contra charitatem militare:* Sed sigillum Confessionis militaret contra charitatem, aliquibus in casibus, putà si aliquis noverit in Confessione Pastorem aliquem, & animarum Rectorem esse hæreticum, quem inducere non posset, ut ab erroribus disseminandis, & inficienda plebe sibi commissa desisteret: quo in casu esset contra charitatem ejusmodi non denunciare, non secus ac contra charitatem militaret, qui hominem peste infectum nosset cum cæteris conversantem, nec alios moneret, ut ab ejus consortio effugerent: igitur tale sigillum non est asserendum.

Secretum sigilli non est contra charitatem.

Negat minorem Doctor: Non est enim contra charitatis ordinem, quòd interdum non caveatur aliquod malum, ad servandam Sacramento debitam reverentiam, quæ utique longè præstantius est bonum, quàm illud quodlibet, quod ex revelatione confessionis posset accidere. Charitatis enim & justitiæ ordo est, ut majus bonum præferatur minori: nam Deuter. 16. *Justè quod justum est exequeris:* Ergo, inquit Doctor, *charitativè quod charitatis est exequeris.* Unde colligit reprobandum esse hunc versum Jurisperitorum. *Est hæresis crimen quod nec confessio celat:* quia hæc sententia est falsa.

Adde quòd Confessarius aliâ viâ providere possit, ne malum istud longiùs grassetur, nempe vel monendo Episcopum, ut diligenter inquirat de administratione & fide Rectorum sibi subditorum, & resciat ab eorum plebe, utrum ab iis doceantur Catholica dogmata; eâ tamen ratione, ut neque ullô signô, directè, vel indirectè manifestet eum, qui sibi confessus fuerat.

Dices secundò: Nullus potest obligari ad id quod vergit in proprium damnum suæ conscientiæ: sed celatio confessi peccati aliquando vergeret in damnum propriæ conscientiæ ipsius Confessarii, putà si quis evocatus in Judicium adjuretur de veritate dicenda, quam novit per Confessionem; si enim veritatem non proferat, perjurii crimen incurret; sicque peccabit mortaliter.

Neque contra conscientiam Confessarii.

Nego minorem: Illa enim secreti celatio non erit in præjudicium conscientiæ ipsius Confessarii, nec perjurii crimen incurret; quippe cùm ad revelandam hanc veritatem non teneatur virtute juramenti; quia, ut diximus, dum occurrunt varia præcepta, quæ simul servari nequeunt; maximè servandum est illud, quod est majoris ponderis & momenti: hîc autem apparet sigillum Confessionis esse gravioris ponderis, quàm præceptum juramenti; quia videlicet obligatio ad servandum sigillum fundatur in jure naturali, divinô positivô & Ecclesiasticô.

Dices tertiò: Sacerdos ex Confessione cognoscens sibi paratas esse insidias in nemore quod erat ingressurus, per unum ex conjuratis, qui pœnitens facti ei sacramentaliter confitetur ante illum ingressum, potest ex hac notitia aliò declinare: sed sic declinando revelaret Confessionem: igitur licet aliquando non servare sigillum.

XIX.

Quomodo Sacerdos possit declinare sibi paratas insidias quas

Negat minorem Doctor; *num.* 20. nam potest dici, inquit quòd Sacerdos iste multiplicem occasionem potest habere non intrandi nemus, aliam ab ista malitia latronum sibi detecta, & ad multiplicem aliam potest cogitare, & dicere coram illis; utpote, Volo hoc & illud facere, ad illum & illum locum declinare, antequam

novit per Confessionem. procedam ulteriùs; & si ex tali occasione allegata videatur divertere, nec verbô, nec factô revelat Coofessiooem. Si autem non possit ex aliqna occasione divertete, quin appareat illis aliis, quod propter Confessionem diverteret, & in hoc facto revelaret Confessionem, dicit quidam quòd tenetur intrare; & si exponit se morti, boc est, pro causa justa, ut scilicet servet legem Dei de sigillo Confessionis, & per coosequens si moritur, martyr est.

Sed aliter potest dici, quòd facta possunt esse signa æquivoca, quia diversimodè à diversis concipi possunt, ad hoc scilicet, vel ad illud factum: igitur non debet reputari revelativum Confessionis, nisi ex natura sua prodat peccatum confessum, sed divertere à oemore non sic ducit; quia si illi alii non fuissent priùs collocuti de illa interfectione, ounquam per hoc, quòd ille divertit, cognoscerent illum esse confessum de voluntate occidendi istum. Si tamen divertere ex ratione sui est sigoum ductivum in ootitiam talis peccati confessi, duceret quosque in hoc, & istos, æquè si non fuissent collocuti, sicut si fuissent collocuti. Generaliter igitur potest dici quòd signum, quod est de se indifferens ad hoc quod est tale peccatum esse confessum, vel non esse, licèt sit aliquibus magis signum determinatum ex aliquo supposito, non est signum revelativum Confessionis, nec per consequens simpliciter illicitum Confessori.

Dices quartò: Ex hypothesi quòd Sacerdos absolverit aliquem Episcopum Simoniacum, ad cujus Absolutionem noo habeat potestatem, & quòd Sacerdos ille teneatur statim confiteri, ut Missam celebret, etiam tenebitur revelare Confessionem sibi factam, declarando se indebitè absolvisse ab isto peccato simoniæ Episcopum confessum; quia peccatum illud mortale est, & istæ circunstantiæ aggravant: gravior est enim simonia ab Episcopo facta, quàm à quovis alio Clerico, propter majorem Episcopi scientiam & dignitatem: sed sic confitendo revelat peccatum istius Episcopi simoniaci: igitur licet aliquando revelare peccatum confessum.

XX. **Et sese gerere ne declaret personam sibi confessam.** *Respondet Doctor*, ou. 21. primò qoòd qui sic indiscretè administravit sacramentum Pœnitentiæ, tenetur non statim coofiteri de facto suo indiscreto, quando scilicet Confessor devenire posset in notitiam personæ, circa quam indiscretè exercuit usum clavium: vel si teneatur, saltem non debet in speciali exprimere culpam circa quam, & modum, quô iodiscretè exercuit; sed vel universim dicendo: Meâ culpâ indiscretè, & indebitè ministravi sacramentum Pœnitentiæ: vel si, stimulânte conscientiâ, existimet se teneri ad detegendas circunstantias aggravantes, debet expectare opportunitatem confitendi alicui, qoi ex tali Confessione peccati, & circuostantiarum, oon possit devenire in notitiam personæ quæ fuerat sibi confessa. Si autem ooo possit talis Confessor inveniri, quin ex explicatione peccati & circunstantiarum possit agnosci persona, quæ sibi fuerat confessa, iste in eo casu non debet peccatum istud confiteri homini, sed sufficit, quòd illud confiteatur Deo: Qnia, *inquit Doctor*, plus tenetur ad præceptnm non prodendi culpam sibi confessam, quàm ad confiteodum explicitè culpam suam; qoia ad primum tenetur lege naturæ & positivâ divinâ; ad secuodum verò tenetur tantùm lege divinâ positivâ. *Ita Doctor.*

XXI. Ex iis *inferes primò*, violationem sigilli esse peccatum contra Religionem, quatenos est contra reverentiam, & booum Sacramenti; nec non & habere malitiam gravem contra justitiam, quatenus est contra jus naturale secreti, quod violatur, & quod etiam exclusâ ratione Sacramenti, obligaret Confessarium ad servaodum secretum, etiamsi esset duntaxat revelatio peccati venialis. **Quàm grave peccatum sit sigilli violatio.**

Inferes secundò, neminem posse oti cognitione per Confessionem habitâ ad aliquid faciendum vel fugiendum, nisi aliuode bujusmodi notitiam habeat extra Confessionem. Ita expressè definivit Clemens VIII. in motu proprio, quem edidit annô 1594. die 26. Maij, pro Regularibus circa casus reservatos, ubi præcipit, quòd *tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui posteà ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Quod antea docuerat Doctor, *num.* 33. ubi respondens ad 6. argumentum, nempe quòd Abbas cognoscens per Confessionem aliquem ex Monachis, extra Monasterium degentem habere societatem ibi suspectam, per quam semper allicitur ad peccandum, possit eum in Monasterium revocare, ut istius saluti coosulat. *Dicit Doctor*, quòd si in Collegio est consuetudo communis, ut sine nota quilibet extra Monasterium curam habeos, vel sine cura moram trahens, revocetur pro libito præsidentis: vel etiam non passim pro libito, sed quandoque pro alia causa honesta, ut ounc iste quiescat in claustro, ounc laboret cum Martha io exteriori ministerio, & nunc ille, prout visum fuerit præsidenti. Dico tunc, qnòd Monachum confessum de crimine commisso io aliqoo loco extra Monasterium, ubi moratur, potest Abbas ad Monasterium revocare: qoia in hoc nullô modô peccatum confessum prodit; licèt aliquis dixerit, quòd Confessor nullô modô potest se habere aliter ad confessum, ratiooe Confessionis, quantùm ad quemcunqoe actum extra forum illud, quàm si penitus nihil audivisset. Si autem est consuetudo in Collegio, quòd oon transferatur Monachus sic de loco forinseco ad claustrum, nisi de ratione delicti, vel insufficientiæ in cura illios loci, non videtur tunc licitum Abbati confessum ad Monasterium revocare. XXII. **Non licet uti scientia habita in Confessione.**

Si dicas, Non apponit remedium ad salutem ovis suæ. *Respondeo*, consulat sibi in foro Pœnitentiæ meliori modô, quô poterit, ut illum locum sibi periculosum dimittat. Si ooluerit, oon attentet esse Deus, sed defectus occultos sibi secundùm justitiam incorrigibiles, Dei correctiooi dimittat.

Idem dicit de vitando excommunicato cognito ex sola Confessione: nam, *inquit*, si Confessarius per aliam viam potest nosse eum esse excommunicatum, poterit ipsius consortiom vitare: sin autem, oon solùm non debet, imò non licet vitare; quia talis violatio est de jure positivo Ecclesiastico tantùm: non prodere autem tenetor ille de lege naturæ, & de jure positivo divino & Ecclesiastico: quando autem præcepta videntur esse contraria, illud, quod est superius, magis obligat; & ideo est firmiùs servandum, nec servans illud, & prætermittens aliud, peccat. *Ita Doctor.*

Petes 1. *Vtrum ad requisitionem pœnitentis possit interdum Confessarius revelare peccata confessa, qua aliter non novit, nisi in Cofessione?*

XXIII. *Neque revelare Confessionem etiam ad instantiam pœnitentis.*

Affirmat S. Thomas dist. 21. q. 3. art. 3. negat vero Aleosis 4. p. q. 19. memb. 2. art. 2. & eum eo Subtilis Doctor dist. 21. q. 2. num. 18. Quia, *inquit*, obligatio ad celandum peccatum confessum, non est tantùm jus confitentis, sed jus communitatis oomium fidelium, & totius Ecclesiæ, nec-noo & reverentiæ debitæ Sacramento: nam ex revelatione peccati confessi, sequeretur continua pertuibario in communitate, quia passim quilibet reputaret alium abominabilem: non est autem in potestate pœnitentis renuntiare juri communitatis, nec-non & reverentiæ debitæ Sacramento, ac subinde non potest, eô petente, Confessarius peccatum istud revelare.

Deinde, si posset Confessarius revelare Confessionem cum licentia pœnitentis, proxima daretur occasio mentiendi in Confessione, & fallendi Confessorem, & non confitendi integrè peccata sua; nam diffamati de aliquo crimine, quod commiserunt, etsi de eo non sint convicti, possent non confiteri istud crimen, & sic dare licentiam Confessario, ut revelet peccata, quibus notum fiat, pœnitentem non esse reum illius peccati, de quo infamabitur: sed hoc vergeret in ludibrium Sacramenti, & manifestum fieret sacrilegium: igitur, &c.

Denique, si hoc ita liceret, posset ex licentia pœnitentis obligari Confessarius ad revelanda peccata, quaodo est sufficiens motivum: & obligari etiam posset pœnitens, & vi aut promissis induci, ut concedat talem licentiam: sed hoc vergeret in detrimentum libertatis, maximè requisitæ ad frequentationem bujus Sacramenti: igitur, licèt revelari possit secretum, quando consentit ille, qui celandum commiserat; non tamen potest revelari secretum Coofessionis, quia quatenus est obligatio secreti sacramentalis, non est in potestate ipsius pœnitentis.

Nisi extra Cõfessionem illud aperiat.

Quid igitur faciet Confessor, quando pœnitens vult peccatum suum prodi? Dico (*inquis Doctor*) quòd confitens potest posteàpeccatum suum extra Confessionem dicere, & si ut secretum; adhuc licentia sequens non absolvit Confessorem à lege naturæ, quin teneatur celare: sed si dicit, ut non habeatur secretum, & maximè apud aliam personam, vel apud alias certas, quibus fortè licet propter aliquem bonum finem, qui potest sequi ex revelatione istis facta, vel illi, tuoc Confessor potest dicere illud tanquam sibi publicè dictum extra omne secretum.

Sed nunquid potest tunc dicere, Andivi hoc in Confessione? *Respondeo*, Dicitur, quòd hæc sola verba, *audivi hoc peccatum hujus persona in Confessione*, includunt peccatum mortale, quia includunt revelationem bujus ut cogniti, eô modô quô non licet revelari. Uode cui post Confessionem revelatur extra omne secretum, caveat in modo narraodi, ne hoc narret tanquam sibi dictum modô, quô non licet revelari.

Petes 2. *Vtrùm solus Sacerdos teneatur ad sigillum Confessionis?*

XXIV. *Quinam cum Confessario teneantur ad sigillum.*

Respondet Doctor num. 18. Non tantùm Confessorem, sed & eos, qui ab illo mediatè, vel immediatè accipiunt peccatum confessum à pœnitente, vel quibus peccatum istud quomodocumque notificatur in ordine ad Confessionem, teneri ad servaodum sigillum. Dico (*inquit Doctor*) quòd non solùm Confessor, sed & is, cui Confessor revelat, licèt illicitè, tenetur celare. Probatur, quia transferens aliquid in alium de facto, quod non potest licitè de jure transferri, non dat illi alteri jus utendi, vel transferendi istud in alterum, quia ex quo non habuit jus, non potuit jus in alium transferre; quia nemo dat quod noo habet: sed Confessor revelans non habuit jus transferendi. Idem dico de illo, qui audit Confessionem confitentis, alius scilicet à Confessore, si enim audit casualiter non peccat, tenetur tamen ad silentium; si verò dolosè, mortaliter peccat, & adbuc tenetur ad silentium. *Ita Doctor.*

Hinc ad sigillum tenetur: *Primò*, qui vel malignè peccata confitentis audivit, vel casu, & sine culpa; hæc enim res transit cum suo onere; aliàs onerosa foret, atque odiosa Confessio. *Secundò*, Interpres, quando eô utitur pœnitens in Confessione facienda. Ratio est, quia ille non præbet soli pœnitenti ministerium, sed etiam Sacerdoti, qui sic per interpretem cognoscit peccata confitentis, sicut is per eum loquitur. *Tertiò*, qui cùm non sit Sacerdos, gerit tamen se pro Sacerdote audiendo Confessiones. *Quartò*, Doctor, & quicumque consulitur in ordine ad Confessionem Sacramentalem, qui ex licentia pœnitentis, tam ejus persona, quàm peccatum aperitur. *Quintò*, Superior, à quo cum pari aut simili declaratiooe postulatur potestas absolvendi pœniteotem à casu reservato. *Sextò*, cui Confessarius etiam injustè Confessionem pœnitentis revelat. *Septimò*, qui indicem faciendæ Confessionis scriptis exaratum invenit; illum autem tenetur restituere, vel comburere.

Petes 3. *Vtrùm Iudex vel Prælatus possit uti scientiâ, quam haberet ex reperto illo indice ad puniendum eum qui scripsit, de peccatis qua in eo exarantur.*

Respondeo non posse. Ita præ cæteris docent *Henriquez* lib. 6. de Pœnitentia Sacramentali, nbi ait. Qui fortè, aut de industria quærens invenit chartam, ubi reus peccata scripserat in subsidium memoriæ pro facienda Confessione non tenetur, sigillô, sed magnô secretô eò quòd ea charta esset via ad Confessionem: sed si Judex aut Prælatus propter talia scripta, vel ex uno sacrilego Confessario, vel ex multis peccata intellexerit, vel etiam inquirens bonâ fide, & procedens in causa advertit notitiam habuisse ortum ex Confessionis detectione, tenetur statim cessare, & ab ea inquisitione, & processu judiciali, & facta pro infectis babere, neque potest reum de re interrogare, quia ad eam scientiam noo processit humanô modô.

Idem docet *Antonius Diana*: An qui invenerit chartam, in qua scripta erant alicujus peccata, teneatur illa abscondere sub sigillo Confessionis? *Respondet*. Qui invenerit descripta peccata, quæ

litteris mandavit fortè aliquis memoriæ causâ, ut ea exactiùs confireatur, tenetur sigillô, sive jam Confessio facta sit, sivè adhuc facienda sit. Communis Doctorum ratio est, quia chartæ illius tenor est aliquid Confessionis, & quasi Confessio scripta, ut æquiparari charta illa: eò modô, quô quis casu audit Confessionem; est enim charta illa, quasi internuntia juvans memoriam confitentis: itaque censetur sigillata sacrô sigillô; & rectè quidem, nam charta illa dici potest Confessio inchoata.

Similiter *Navarrus* cap. 18. num. 34. Peccat qui invenerit scriptum, in quo aliquis sua peccata ad memoriam Confessionis scripserat, & ea divulgat, & idem est de eo, qui legit etiam, si non divulgat, si schedulam, cujus principio scriptum erat, memoria meorum peccatorum, aut aliud simile, quô scire teneretur ejus authorem nolle ea ab alio legi.

Consentit *Dominicus Soto* in 4. sentent. dist. 18. art. 50. Quid autem, *inquit*, si rem sciat, non per Confessionem, sed per viam Confessionis, ut si quis scripsit sua peccata, & perdidit scriptum, quod Prælatus invenit? Scio hoc usu venisse, ut quidam Prælatus per hanc viam ad inquisitionem processerit, sed fuit jure optimô à Superiori de hac re punitus; est enim Confessio tam sacra, ut id etiam, quod ad eam ordinatur, sit perpetuô silentiô sepeliendum, & quod dictum est de Prælatis Ecclesiasticis, intelligendum de Prætoribus, & Judicibus sæcularibus.

Rodericus Acugna Archiepiscopus Bracchar. tract. *de Confessariis sollicitantibus*, *quæst.* 13. *num.* 38. idipsum confirmat exemplô petitô ex S. Thoma de Villa-nova, quod sic narrat. Quidam Cathalanus, *inquit*, interfecit adversarium, & illius cadaver secretò sepulturæ tradidit: posteà Clericum ignotum ad homicidii peccatum expiandum quæsivit: apud quem omnes necis circunstantias, & temporis, & loci, & convictûs propalatis necis causis, & sepulturâ de plano confessus est, & ad ultimum supplicium damnatus. Cùm, prout moris est, ad excipiendam condemnati Confessionem Confessor accederet, renuit miser homo ad eam induci, dictitans Confessionis Sacramentum à Domino Salvatore fuisse institutum, remque maximi periculi esse, & nocumenti: instabat Presbyter, monebant amici, ne tantum in se scelus susciperet, ut simul cum corpore animam perdere vellet, sed pertinax homo à sententia dimoveri recusabat: putabant circunstantes præ mortis terrore à mente discessisse. N. 39. Cùm hôc casu ad Archiepiscopum Valentinum sanctum Thomam Eleemosynarium deferrentur, petiit bonus Pastor à prætore, ut supplicii executionem differret, permitteretque hominem ad se deduci, ne ovis illa periret; tanti viri respectu, tamque justæ petitionis instantiâ motus Prætor annuit, jubet damnatum sub custodia ante Præsulem præsentari. Ille hominem monitis lenire procuravit, enixè obtestans, ut sibi causam tantæ pertinaciæ aperiret. Homo neci destinatus, lacrymis obortis Confessionem illius delicti Sacramentalem exposuit causam fuisse ultimi supplicii, cùm Confessor esset frater hominis à se necati, quòd ipse tunc ignorabat, & nullus alius id detegere potuisset. Pius Præsul eum esse bonô animô monet, apud se retinet cum Prætoris assensu. Datâ restituendi fide, postquam certam disquisitionem præmitteret: ascivit Confessarium, eumque rei ignarum remotis arbitris coram devoto Crucifixo ita vehementer constrinxit, ut cum Pœnitentiæ signis ad Prælati pedes prostratus errorem, & sigilli fractionem fateretur, dolorem fratris interfecti, & amorem causatus. Archiepiscopus in ipsius Palatii cubiculo Presbyterum asservari jubet, Prætore rei gestæ, & accusationis originem ex Confessionis Sacramento sumptam exponit: unde attentâ lege divinâ, cessandum à processu & executione fore, cum Doctorum virorum sententiis prudenti Prætori, & viro religioni sacrarum rerum addicto facilè persuadere valuit. Dimittitur homicida cum populi admiratione, & Sacramentorum veneratione, Confessariô mitiori pœnâ, quàm ut scelus exigebat, punitô.

Ex his omnibus apertè constat neminem posse uti scientiâ petitâ ex indicibus Confessionis ad punienda peccata, de quibus aliquis sese erat accusaturus. Quamquam non inficiar, quin ubi ejusmodi indices perveniunt ad notitiam Prælati vel Judicis, deservire possint velut adminicula quædam ad diligentiorem indagationem criminis, de quo jam infamabatur aut accusabatur ille apud Judicem vel Prælatum, qui illum indicem scripsit.

PETES ULTIMO: *Ex qua Confessione oriatur hoc sigillum?*

XXV. Oritur sigillum ex omni Confessione sacramentali, sive valida, sive invalida.

Respondeo, oriri ex omni Confessione Sacramentali; sive interim illa sit valida, sive invalida; hoc est, sive habeat reverà annexam remissionem peccati, per Absolutionem sacramentalem, propter legitimam dispositionem pœnitentis, sive non, propter illius defectum; quia etsi invalida Confessio non sit completè sacramentalis, propterea quòd non consequatur effectum Sacramenti, nec annexam habeat Absolutionem Sacerdotalem, propter manifestam indispositionem ipsius pœnitentis, saltem est sacramentalis inchoatè & incompletè.

Adde quòd si sola Confessio valida obligaret ad sigillum, occasionem inde sumerent pœnitentes non frequentandi Confessionem; cùm enim essent dubii, utrum defectu Contritionis, vel alicujus alterius dispositionis, forent digni suscipiendæ Absolutionis, nec-ne, vix moveri possent & allici ad confitenda sua peccata, si peccatum non habens annexam Absolutionem, posset alicui revelari. Tenetur igitur Sacerdos ad servandum sigillum respectu eorum omnium, quos novit accessisse ad Confessionem cum animo reverà suscipiendæ Absolutionis Sacramentalis; secus autem si compertum haberet pœnitentem illum tantùm convenisse simulatoriè, ut nempe accusatione Confessionis, ipsum in malum aliquod pelliceret, & induceret.

Quæ sit Confessionis definitio.

Ex his collige, Confessionem sic posse definiri: *Confessio Sacramentalis est accusatio peccatorum propriorum post Baptisma commissorum, facta Sacerdoti, ad obtinendam remissionem illorum virtute clavium Ecclesiæ.* Dicitur primò, *accusatio*, tum quia debet esse quædam externa propriæ culpæ agnitio, per modum accusationis facta à pœnitente, qui ut reus veniam petens attendi debet; tum ut detur intelligi, quòd fieri non debeat per modum excusationis, vel meræ narrationis, aut commendationis propriarum virtutum, ut aliquando fit à quibusdam, non quidem (ut opinor) ex animo jactantiæ, sed ex aliqua ignorantia & imperitia, aut ex quodam loquacitatis con-

tracto habitu. Dicitur secundò, *peccatorum post Baptisma commissorum*; quia illa sunt remota materia Sacramenti Pœnitentiæ, & Confessio eorumdem materia proxima partialis. Dicitur tertiò, *propriorum*, ut insinuetur quòd aliorum peccata simul cum propriis declarari non debeant; nisi fortè ipsa propria fiant, vel ita communia per aliquam participationem, aut per alium modum, ut aliter declarari non possint. Conabitur pœnitens in hoc casu non declarare personam complicem, nisi aliter peccatum aperiri nequeat. Dicitur quartò, *Sacerdoti facta*; quia nullus inferior Sacerdote hoc Sacramentum pœnitentibus administrare potest, ut ex infrà dicendis, ubi de Pœnitentiæ Sacramenti Ministro agetur, innotescet. Dicitur quintò, *ad remissionem peccatorum post Baptisma commissorum*, ut hujus Sacramenti effectus specialis indicetur. Dicitur sextò, *virtute clavium Ecclesiæ*; quia in hoc Sacramento non fit remissio peccatorum, nisi per virtutem potestatis, quam à Christo Ecclesia recepit.

ARTICULUS TERTIUS.

De Satisfactione Sacramentali.

I. Satisfactio primò intenditur in Pœnitentia.

JAM satis superque constat, Satisfactionem esse partem integralem Sacramenti Pœnitentiæ: Primam quidem ordine intentionis; postremam verò ordine executionis. Est, inquam, prima ordine intentionis: idcirco namque Pœnitentiam usurpamus, ut Deo faciamus satis per debitum dolorem, & pœnam convenientem: Hinc S. Isidorus lib. 6. Originum, cap. ult. ait: *Pœnitentiam appellari quasi punientiam, eò quòd homo se puniat pœnitendo; nihil enim aliud agunt, quos veraciter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerunt, impunitum esse non sinant.* Et Author libri de vera & falsa Pœnitentia cap. 19. ait, Pœnitentiam derivari à pœna: *Pœnitere*, inquit, *est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando*: pœna enim propriè dicitur læsio, quæ punit & vindicat quod quisque commisit: ille igitur pœnam tenet, qui semper punit, quod commisisse dolet. Nam, inquit S. Augustinus lib. 50. Homiliarum homil. 50. *non sufficit pœnitenti mores in melius commutare, & à malis recedere, nisi & de iis, quæ malè facta sunt, satisfiat Domino per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium. Nullus siquidem pœna debita gravioris accipiet veniam, nisi qualemcumque, etsi minor est, quàm debeat, solverit pœnam.* Quoniam verò Satisfactio posterior est ordine executionis, & non-nisi post receptam sacramentalem Absolutionem solet impleri, de ipsa postremô locô agendum est.

II. Quid significet nomé Satisfactionis.

Porro Satisfactionis nomen, est vox æquivoca; interdum enim significat omnem illam actionem, quâ quis facit satis, quantùm debet, sive solvendo debitum, sive respondendo de se conceptæ expectationi, sive denique reddendo sufficientem rationem eorum, de quibus rogatur: quô posteriori sensu S. Petrus monet epist. 1. cap. 3. *Parati semper ad Satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*: Aliquando sumitur pro ea actione, quâ quis se excusat, atque defendit: quô sensit S. Ambrosius suprà: *Lacrymas Petri lego, Satisfactionem non lego*; ubi signatur excusatio, atque defensio nomine Satisfactionis, ut probant sequentia hæc verba: *Quod deleri non potest, ablui potest.* Aliquando strictiùs sumitur pro ea omni actione, quâ compensamus sive damnum illatum, sive injuriam personæ factam. *Denique* aliquando sumitur pro ea sola actione, quâ compensatur, sive æqualitas redditur propter injuriam personæ illatam, quæ est propria illius acceptio.

Nam Satisfactio propriè distinguitur à Restitutione, quòd hæc fit in rebus, illa in actionibus; compensatio facta ad injuriam peccato illatam compensandam propriè est Satisfactio, fitque per opera afflictiva, idest, quibus ipsi nos affligimus, castigamus, punimus propter injuriam, offensamque à nobis Deo factam, & ablatum honorem, & obsequium, quod ei debebamus impendere nec impendimus; quamvis enim peccator nihil possit à Deo substrahere; tamen quantùm in se est, aliquid substrahit, dum ab eo per affectum avertitur & convertitur ad creaturas.

III. Varius modis usurpatur.

Insuper, Satisfactio sumpta pro compensatione injuriæ per peccatum illatæ considerari potest tripliciter, nempe vel per respectum ad Deum, vel per respectum ad Ecclesiam, vel per respectum ad proximum: contingit enim interdum, quòd per peccatum injuria fiat Deo, ut maximè contingit in peccatis internis: vel quòd istud vergat in Ecclesiæ scandalum, & præjudicium: vel denique in damnum proximi.

Denique, injuria Deo illata potest compensari, vel ratione culpæ, vel ratione pœnæ. Compensatur ratione culpæ per Contritionem, & Absolutionem sacramentalem, per quas peccator mundatur à peccatis, & in Dei gratiam & amicitiam restituitur: compensatur verò ratione pœnæ, dum pœna temporalis peccato debita post remissam culpam per aliam pœnam, aut quidpiam aliud exolvitur.

Hîc autem sermo est maximè de Satisfactione per respectum ad Deum, & ad Ecclesiam; unde nobis incumbit determinandum hoc in Articulo: *Primò*, utrum: *Secundò*, per quid: *Tertiò*, quomodo homo possit Deo pro admisso peccato debitè satisfacere: *Postremò* nobis agendum erit de Satisfactione, quæ fiebat in ordine ad resarciendam injuriam Ecclesiæ per peccatum illatam, & expiandum ingestum scandalum.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum homo possit & debeat Deo satisfacere pro pœna temporali peccato debita.

IV. Quomodò distinguitur à Satispassione & Restitutione.

NOtandum primò, Satisfactionem esse actionem, quâ reparatur inæqualitas orta ex injuria alteri illata, in quo distinguitur à Restitutione, per quam reparatur inæqualitas orta ex re aliena ablata invitô Dominô, & à Satispassione, quæ est perpessio quædam pœnæ ab alio præscriptæ, & inflictæ. Unde reus, dum patitur sibi præscriptas à Judice pœnas, non tam satisfacit, quàm satispatitur. Cùm autem peccator Deum offendens, duplicem faciat inæqualitatem: unam, quâ constituit in creatura suum ultimum finem, ex qua incurrit reatum pœnæ æternæ: alteram, quâ nimis indulget propriæ voluntati & voluptati, delectationem inordinatam percipiens in possessione & fruitione creaturæ: Prima inæqualitas removetur vel per Contritionem, vel per Attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ: Secunda verò,

etiam remissâ culpâ remanet restituenda per debitam Satisfactionem. A

V. Quæ sit definitio satisfactionis.

Notandum secundò, quòd Satisfactio in genere, sit debiti solutio: quæ definitur à Doctore subtili *in 4. dist. 5. num. 4. Redditio voluntaria æquivalentis, aliàs indebiti*: Cujus definitionis particulas ibidem explicat Doctor. Primò dicitur *Redditio*, tum ut distinguatur à simplici donatione; quia redditio non est simplex donatio, sed debiti solutio: tum etiam ut significetur Satisfactionem esse actum Justitiæ, & ad alterum; quia propriè nullus sibi aliquid reddit. Secundò dicitur *voluntaria*; tum quia est actus virtutis justitiæ; omnis autem actus virtutis moralis debet esse voluntarius: tum etiam quia omnis redditio, quæ non est voluntaria, magis est satispassio, quàm satisfactio. Tertiò, *æquivalentis*, quod enim per Satisfactionem redditur, debet quandam habere æqualitatem cum debito, idque vel secundùm proportionem Geometricam, quâ ex justitia distributiva major debetur Satisfactio digniori personæ læsæ, quàm minùs dignæ: vel secundùm proportionem Arithmeticam, quâ ex justitia commutativa tantum datur pro tanto, v. g. centum aurei solvuntur pro totidem debitis. Quando autem aliqua Satisfactio has omnes conditiones habet, dicitur *perfecta*: quando deest æqualitas, dicitur *de congruo*, quia creditor non tenetur illam acceptare ex justitia, sed duntaxat ex liberalitate & congruentia: quando verò fit ad æqualitatem, sed ex bonis à creditore concessis, dicitur *ex condigno*, quia licèt id quod redditur sit ex gratia creditoris, tamen reverâ pretium redditum æquivalet debito.

Duplex traditur.

Notandum tertiò, Satisfactionem pro peccatis generatim distingui duplicem, nimirum Sacramentalem & non Sacramentalem: Prior ex Conc. Trid. *sess. 14. c. 8. est actio, per quam in sacramento Pœnitentiæ retribuimus Deo compensationem aliquam pro peccatis, juxta præscriptum & sententiam Sacerdotis*: Posterior verò est actio, per quam homo conatur satisfacere Deo pro peccatis in eum commissis, sibi ipsi pœnas præscribendo; vel ab Ecclesia injunctas animô constanti tolerando. Utraque definitur à Doctore *dist. 15. q. 1. nu. 11.* sic, *Satisfactio est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis voluntariè sumpta, ad puniendum peccatum commissum à se, & hoc ad placandum divinam offensam*: vel *est passio, seu pœna voluntariè tolerata in ordine prædicto.*

Porrò hîc de utraque loquimur, inquirentes utrum necesse sit & utile, Deo satisfacere pro peccatis. Negativam partem tuentur Lutherani & Calvinistæ eum eorum hæresiarchis: nam Lutherus pluribi, sed maximè *serm. de indulgentiis* habitô annô 1518. asserit ex nulla Scriptura colligi posse quòd divina justitia Pœnitentiam, sive Satisfactionem à peccatore exigat, & pœnas medicativas & satisfactorias, esse humanum commentum, atque nugamentum. Et *lib. de captivitate Babylonica* loquens de Catholicis, sic ait: „ Eos non intelligere, quid sit vera Satisfactio, & „ eam sic extollere, ut fidei in Christum non re„ linquant locum, miserrimè excarnificatis popu„ lorum conscientiis, aliô currente Romam, aliô „ huc, alio illuc: Illô in Carthusiam; aliô in alium „ locum; illô virgis se flagellante; aliô corpus „ suum vigiliis, & jejuniis occidente: quæ monstra „ tibi debemus, Romana Sedes, & quis homicidiis „ ritibus & legibus, quibus totum mundum eô per„ didisti, ut arbitratur se posse Deo per opera pro „ peccatis satisfacere, cui solâ fide satisfit.

VI. Quàm impiè hæretici de Satisfactione sentiant.

Idem sentiunt ejus Sectatores, *Melanchthon* in Apolog. *Kemnitius* in examine Concilii Tridentini ad cap. 8. Idem pariter *Calvinus* lib. 3. Instit. cap. 4. à num. 25. usque ad 39. ubi, cùm plurima virulentô ore dicteria in Theologiæ Doctores blaterasset, quòd Satisfactionem pro peccatis propugnent, dicit num. 27. *Nunc tibi pestilentes eorum nænias propono, gratiam Dei in prima peccatorum remissione solam operari, si posteà eciderimus ad secundam veniam impetrandam opera nostra cooperari; hæc si locum habeant, anne quæ* B *Christo superius sunt attributa, illi salva manent? Immanè quantùm hæc differunt, iniquitates nostras positas esse in Christo, ut in ipso expiarentur, & nostris operibus expiari: Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, & Deum operibus propitiandum.* Et *num. 28.* ostendens Satisfactionem pro omnibus peccatis esse impossibilem, ait: *Quem ergo satisfaciendi exitum invenient in tanta peccatorum cumulo? si unius diei esset Satisfactio peccati unius: dum illam meditantur, pluribus se involvunt: quando diem nullum præterit Justissimus quisque, quô non aliquoties labatur. Ad eorum verò Satisfactiones dum se accingent, numerosa, vel potius innumera accumulabunt. Jam præcisa est satisfaciendi fiducia, quid morantur? quo-* C *modo adhuc de satisfaciendo cogitare audent?* Adversus quos omnes Errones, duo statuenda sunt in hac quæstione: *Primum*, quòd Satisfactio pro peccatis sit necessaria: *Secundum*, quòd sit utilis ad remissionem pœnæ æternæ & temporalis post remissam culpam peccatis debitæ.

CONCLUSIO PRIMA.

VII. Necessaria est satisfactio.

Reverà necessarium est homini, per opera bona, & afflictiva Deo satisfacere pro peccatis. Constat hæc veritas, ac firmatur innumeris Scripturæ oraculis, quibus SS. Prophetæ & Apostoli D homines hortantur ad expianda sua peccata per opera meritoria & satisfactoria. Sic Daniel cap. 4. monebat Nabuchodonozor: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Sic *Matth. 3.* S. Joannes Baptista Saducæos & Pharisæos venientes ad Baptismum suum, alloquens, dicebat. *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira, facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ.* Et *Actor. 26.* Apostoli Judæis & Gentibus annuntiabant, ut Pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna Pœnitentiæ opera facientes. Alia his similia sunt sacræ Scripturæ, tam veteris, quàm novi Testamenti oracula, in quibus præter conversionem mentis, & vitæ novitatem, exi- E guntur opera satisfactoria & afflictiva, qualia sunt jejunium, fletus, planctus, & pœnitentes monentur se vestire saccô, cooperire capita sua cinere, membra sua mortificare.

Ut optimè declarat Concilium Tridentinum.

Quam utique veritatem variis rationibus probat Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 8.* Maximè, *inquit*, quia divinam clementiam decet, ne „ ita nobis absque ulla Satisfactione peccata dimit„ tantur, ut, occasione acceptâ, peccata leviora „ putantes, vel injurii, & contumeliosi Spiritui „ sancto, in graviora labamur, thesaurisantes no„ bis iram in die iræ. Proculdubio enim magno„ pere à peccato revocant, & quasi frænô quo„ dam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautio„ resque, & vigilantiores in futurum pœnitentes „ efficiunt, medentur quoque peccatorum reli„ quiis, & vitiosos habitus, malè vivendo compa„ ratos, contrariis virtutum actionibus tollunt. „

Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eô cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.

Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes Satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis indulgendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis ut Satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem: nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent, nec propterea existimârunt, sacramentum Pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum, sicut nemo unquam Catholicus sensit, ex ejusmodi nostris Satisfactionibus vim meriti & Satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam Pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem Satisfactionis vim, & usum tollant.

Ita Concilium, quibus omnibus non solùm necessitatem, sed & utilitatem Satisfactionis commendat. *Primò*, quia à peccato revocat; *Secundò*, quia Dominum nobis irarum placat & conciliat: *Tertiò*, quia Christi D. Passionis meritum nobis comparat, nosque Christo patienti conformes efficit: *Quartò*, quia cum Christo, ac per Christum Deo Patri oblata, ipsius in nos misericordiam provocat: *Quintò*, quia non est tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.

VIII. Et Tertullianus.

Idem probatur ex constanti ac perpetua Ecclesiæ praxi, ut colligere licet ex Tertulliano *lib. de Pænit. cap. 9.* ubi ait: Hujus igitur Pœnitentiæ secundæ & unius, quando in arcto negotium est, tantò operosior probatio est; ut non sola Conscientia præferatur, sed aliquô etiam actu administretur. Is actus, qui magis græcô vocabulô exprimitur & frequentatur, exomologesis est, quâ delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversionem injungens, misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa per quæ peccavit tristi tractatione mutare: cæterùm pastum & potum pura non nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ, plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia exomologesis Pœnitentiam commendant, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur; & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cùm igitur provolvit hominem, magis relevat; cùm squalidum facit, magis mundatum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absolvit. In quantùm non peperceris tibi, in tantùm tibi Deus, crede, parcet.

Idem docet Origenes homil. 15. in Levit. ubi appellat opera afflictiva *pretium, quò peccata redimuntur*. Similiter S. Cyprianus serm. de lapsis, ubi inter cætera, *ait:* Confiteantur singuli delictum suum: dum qui deliquit, adhuc in sæculo est; dum admitti Confessio ejus potest, dum Satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertantur ad Dominum mente totâ, & Pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecentur, illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat, illi spes hominis incumbat. Rogare qualiter debeamus, dicit ipse: Revertimini, inquit, ad me ex toto corde vestro, simulque & jejunio & fletu, & planctu; & scindite corda vestra, & ne vestimenta vestra: ad Dominum totô corde redeamus: iram, & offensam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus. *Et infrà:* Quàm magna deliquimus, tam granditer defleaomus, alto vulneri diligens, ac longa medicina non desit, Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne Dominum te posse placare, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilegâ contagione violasti? Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti. Orare oportet impensiùs, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari: post indumentum Christi perditum, nullum hîc jam velle vestitum: post diaboli cibum malle jejunium; justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur.

Et S. Cyprianus. Nota.

Idem pariter docent SS. Chrysostomus, Ambrosius, Eligius, Augustinus, & plures alii, quôvis sæculô florentes, ut jam liquet ex iis, quæ diximus, demonstrando rationem Pœnitentiæ maximè consistere in affectu Justitiæ vindicantis, ac punientis peccatum, per opera afflictiva & pœnalia.

XIX. Præcluditur hæreticorum effugium.

Reponunt hæretici, opera quidem afflictiva commendari tum à Scriptura, tum à Patribus, non quidem ratione sui, sed ratione charitatis, fidei, ac pietatis, quas præsupponere debent, ut Deo grata sint & accepta. *Secundò*, dicunt, Patres hyperbolicè locutos fuisse, & ideo plus extulisse opera satisfactoria, quàm par esset, ut populos ad Pœnitentiam vehementiùs excitarent. *Tertiò* dicunt, exercitia Pœnitentiæ, à Patribus com-

mendata nihil aliud esse, quàm preces & orationes, quibus Deus interpellandos est & provocandus, ut peccatorum admissorum veniam concedat: non autem veras ac legitimas esse compensationes.

Verùm, quàm futilia siot hæc diverticula, appater, quamvis enim bona opera afflictiva, & satisfactoria supponant fidem & charitatem; onde soum meritum obtinent, nihilominus SS. Patres constanter illa appellant pretia, quibus redimuntur peccata, & compensationes pro peccatis.

Ad secundum dico, quòd si ita facilè liceat derorqueri dicta SS. Patrum ad hyperbolicum sensum, nihil certi poterit haberi ex eorum doctrina, quod juvet ad coofirmanda, & illustranda fidei dogmata.

Ad tertium dico, satis constare ex locis SS. Patrum à nobis laudatis ejusmodi satisfactoria opera appellari compensationes, & actus justitiæ; ac subinde falsa est, ac fatua hæreticorum responsio.

Objicit Calvinus: Hæc de Satisfactione assertio derogat merito Passionis & Satisfactionis Christi: Quid enim, quæso, nobis præstitisset Christus, *inquit*, num. 30. cap. 4. si adhuc pro peccatis pœna exigeretur? oam cùm dicimus Deum pertulisse omnia peccata nostra in corpore suo super lignum, oon aliud significamus, quàm defunctum pœnâ & vindictâ, quæ peccatis oostris debebatur.

Insuper, ex ejusmodi doctrina sequitur homines non justificari gratis, sed intuitu operum satisfactoriorum, quod apertè militat in plorima Scripturæ sacræ oracula testantia nos gratis jostificari.

Denique: Hæc nostra de Satisfactione assertio Pelagianismom sapit, utpote quæ salutem nostram propriis operibus tribuat, & ea nimium extollat.

Respondeo ad primum, negando antecedens:

VIII. Satisfactio non derogat merito Christi.

Tantùm enim abest, ut hujusmodi Satisfactio quidpiam deroget Satisfactioni, quam Christus D. pro nobis in cruce æterno Patri obtulit; quinimò, inquit Concilium Tridentinom locô suprà laudatô) dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis oostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur; certissimamque inde arrham habemus, quòd si compatimur, & conglorificabimur. Quibus significat, omnem nostram Satisfactionem, habere duntaxat vim & efficaciam ex applicato oobis per illam merito Passioois Christi; nec inde sequitur Satisfactionem Christi deficere. Ex se quidem est sufficientissima, sed nobis debet applicari per Satisfactiones proprias. Cui utique doctrinæ repugnare non possunt hæretici, qoippe cùm ipsimet doceant, merita Christi per fidem applicari credentibus, nec tamen existimant fidem meritum Satisfactionis Christi evacuare.

Ad secundum & tertium dico, falsom esse, quòd nostra Satisfactio nimium tribuat propriis nostris operibus; siquidem nostræ Satisfactioois meritum totum refundit in gratiam Christi D. Neque enim, (inquit Concilium Tridentinum) ita nostra est Satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qoi ex nobis, tanquam ex nobis oihil possumus, eô cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo unde glorietur: sed omois gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.

Neque tribuit nimiũ nostris operibus.

Objicit secundò Calvinus: Impossibile est Deo satisfacere pro omnibus peccatis: *Primò*, quia offensa Dei est infioita; Satisfactio autem hominis, quantumvis magna, & diuturoa, semper erit finita; ac subinde improportionata, quæ Deo reddatur, ad compensandam irrogatam injuriam: *Secundò*, inquit oum. 17. etsi ipsis concedatur peccata aliquot juxta Satisfactionem posse redimi, quid tandem facient, ubi tot peccatis obruuntur, quorum Satisfactionibus nec centum vitæ, vel si totæ in boc sint, sufficere queant? *Tertiò*, quia homo est servus Dei: servos autem non potest satisfacere domioo; siquidem nihil nisi debitum offerre potest: igitur homo nullâ ratione potest pro peccatis satisfacere.

Nego consequentiam, & ad primum dico: quòd quâ ratione offensa Dei censetur infinita, nempe infinitate extrinsecâ, & ratione objecti; eâdem ratione hominis Satisfactio potest esse infinita; quippe cùm tendat in objectum infinitum, ut etiam declaravimus in præcedenti Volumine, agendo de Satisfactione, quæ fieri potuerit à puro homine, pro eluendis omnibus peccatis hominum; si Deus ita statuisset, & ordinasset.

IX. Tribus maximè operibus satisfacimus pro peccatis.

Ad secundum, quòd etsi plurima sint hominis peccata, maximè venialia; non tamen tanta sunt, quin possiot expiari, & dignâ Satisfactione compensari; sunt enim pro peccatis quotidianis quotidiana nobis à Christo donata remedia. Inter quæ præcipuum locum obtinent hæc verba orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra*. Nam, inquit S. Augustinus in Enchirid. cap. 7. *de quotidianis brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit*. Secundum verò locum tenent eleemosynæ, ac opera misericordiæ: Nam, inquit idem S. Augostinus epist. 89. *Qui misericordiâ Dei adjutus & gratiâ, se ab omnibus peccatis abstinuerit, qua etiam crimina vocantur, atque illa peccata, sine quibus hîc non vivitur, mundare operibus misericordia, & piis orationibus non neglexerit, merebitur binc exire sine peccato*: quamvis hîc cùm viveret, habuerit nonnulla peccata; quia sicut illa noo defuerunt: *ita etiam remedia, quibus purgarentur, adfuerunt*. Tertium autem locum obtinet condonatio injuriarum, dicente Christo Domino: *Dimittite, & dimittetur vobis*: Unde S. Augustinus homil. 27. postquam distioxisset Pœnitentiam in qootidianam, luctuosam, & competentium, asserit qootidianæ Pœnitentiæ fundamentom, maximè consistere in his verbis Christi D. Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; & statim subjungit: *Constituit medicinam, firmavit pactum, hîc preces dictat, ibi peccanti respondet; novit quô jure res agatur in cælo: quomodo impetrari possint desiderata. Dimittimus: Dimitte, ait: Quid enim habes, quòd Deo præstas, à quo vis ut præstetur tibi*, &c.

Ad tertium dico, quòd etsi homo sit Dei servoa & maocipium; nihilominos cùm sit ad ejus imaginem factus, participat aliqoid ejus libertatis, in quantùm est dominos suorum actoum per liberum arbitrium; ideoque Deo satisfacere potest ex hoc quòd agit per liberum arbitrium, quod quamvis sub Dei beneficio sit, & sub ejus Dominio; oihilominus qooniam ab eo ipsi traditum est, ut illô liberè utatur; idcirco habet etiam ipse homo dominium quoddam in sua opera; ac subinde potest illa offerre in compensationem & Satisfactionem suorum delictorum.

CONCLUSIO SECUNDA.

X. Homo potest Deo satisfacere. Ut definit Concilium Trident.

REVERA *Pœnitens divinâ gratiâ adjutus potest Deo satisfacere pro pœna temporali*. Ita definitum est in Concilio Trident. sess. 14. can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad ad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit.*

Hoc etiam probant Scripturæ sacræ illis omnibus in locis, quibus opera satisfactoria ac pœnalia, quæ conjunguntur Contritioni, vel ad eam sequuntur, dicuntur esse remissiva peccati: nec-non & ex illis oraculis, quibus homines dicuntur cavere, ac fugere divinam animadversionem & damnationem per fructus pœnitentiæ. Sic Matth. 3. S. Joannes Baptista Pharisæos alloquens, dicebat: *Quis vobis demonstravit fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et S. Paulus 1. ad Cor. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur: dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Et SS. Patres optimè edocent.

Idem constanter docent SS. Patres, maximè S. Cyprianus epist. 55. *Datur opera ne Satisfactionibus & lamentationibus justis, delicta remittantur, ne vulnera lachrymis abluantur, pax vera falsa pacis mendacio tollitur, &c.* Quibus invehit in Fortunatum, & Felicissimum, qui pacem dabant lapsis ante peractam Satisfactionem. S. Chrysostomus homil. 6. in 2. ad Timoth. *Vide*, inquit, *quanta sit Dei clementia, non tibi dedit, ut temporalem mortem, sed ut æternam redimere possis.* Idem pluribi habet S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 4. ubi ait: *Expectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat; expectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam... Expectat conversionem nostram, ut revertatur & ipse ad gratiam.*

Similiter S. Augustinus serm. 34. de diversis, ubi ait: *Omnia ergo præterita conversis dimittuntur; cætera autem hujus vitæ sunt quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & Contritionis spiritûs, & tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur: hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ; si enim tu te cœperis judicare, si tibi cœperis displicere, Deus veniet, ut misereatur; si tu te punire volueris, parcet ille: qui autem bene agit pœnitentiam, suus ipse punitor est. Sed oportet ipse in se esse severus, ut in eum sit misericors Deus.* Et ad Virginem lapsam cap. 8. *Quantamvis afflictionem, quantumvis laborem & indecorum subire esto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris.* Descriptis afflictionibus, & laboribus quos pœnitendo subire debet, subdit: *Talis vita, talis actio Pœnitentiæ; si fueris perseverans, audebit sperare, si non gloriam, certè pœna vacuationem.* Tandem concludit: *Peccator ergo si sibi ipsi non pepercit, à Deo illi parcitur: & si futuras pœnas gehennæ præcipuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberat.* Capite ult. libri 5. Hexamer. *Respice nos quoque Domine Iesu, ut & nos propria recognoscamus errata, solvamus piis fletibus culpam, mereamur indulgentiam peccatorum.*

Concinit S. Prosper lib. 2. de vita contemplativa cap. 7. de laicis, qui ultrò crimina confitentur, & de iis pœnitentiam libenter suscipiunt: *Quòd si ipsi sui Judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia.* Et posteà de Clericis, qui idem faciunt: *Ab altari cui ministrabant, non animô, sed officio separati, vitam tanquam mortuam plangunt, certi quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo non solum amissa recipiant, sed etiam cives supernæ civitatis effecti, ad gaudia sempiterna perveniant.*

Pariter S. Cæsarius Arelatensis Episcopus homil. 1. *Mortificatione præsenti futura mortis sententia prævenitur, & dum culpa author humiliatur, culpa consumitur, dumque exterior afflictio voluntaria districtionis infertur, tremendi judicis offensa sedatur; & ingentia debita labor solvit exiguus, quæ vix consumpturus erat ardor æternus.* Cùm autem audis SS. Patres significare quòd pœna æterna remittatur per satisfactiones nostras, non sic accipias velim, quasi censerent remissis per pœnitentiam peccatis adhuc pœnam æternam deberi; hoc enim falsum est: sed quòd solvatur ea pœna quæ fuisset æterna, si peccatum quoad reatum culpæ non fuisset deletum. Nota.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quæ, & qualis esse debeant opera Satisfactoria?

I. Opera satisfactoria debent esse honesta.

SUppono primò ex Concilio Tridentino opera satisfactoria debere esse honesta; siquidem per opera mala non possumus mereri remissionem pœnæ, cùm potius novam pœnam mereamur; unde Concilium sess. 14. cap. 8. dicit, Satisfactiones nostras ex Christo vim habere, & per eum offerri æterno Patri, & per Christum acceptari à Patre. Et can. 14. definit: *Si quis dixerit, Satisfactiones, quibus pœnitentes peccata redimunt, non esse cultum Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.* Certum est autem quòd opus malum, vel indifferens non sit Dei cultus, nec acceptetur à Patre, nec per Christum vim habeat; siquidem Pater æternus non potest acceptare, nec grata habere opera, quæ ipsi displicent, qualia sunt omnia opera mala: nam, inquit Sapiens cap. 14. *Odiò sunt Deo impius, & impietas ejus.* Similiter Deus condignè placari non potest per opera, quæ ipsi sunt indifferentia, & quæ ipsi non placent; illa namque, nec ejus cultum concernunt, nec per Christum offeruntur: nam eò ipsô, quò opus aliquod tendit in Dei cultum & gloriam, non est indifferens, sed reverà bonum, ac meritorium est: igitur inde constat, omne opus satisfactorium debere necessariò esse honestum.

Honestate supernaturali.

Suppono secundò, opus Satisfactorium debere esse honestum honestate supernaturali: *Tum*, quia debet procedere ex meritis Christi, & per eum Patri offerri: quæ autem fiunt ex meritis Christi, supernaturalia sunt: *Tum*, quia id sufficienter indicat Concilium Tridentinum, cùm ait: Opera satisfactoria pertinere ad Dei cultum, & ab eo acceptari ad remissionem pœnæ peccatis debitæ, & ad consecutionem præmii æterni; ac subinde esse meritoria. Unde docet Concilium cap. 8. *Neque verò*, inquit, *securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit, ad amovendam*

imminentem à Domino pœnam, quàm ut hac pœnitentia optra homines cum vero animi dolore frequentent. Quis autem verus animi dolor, nisi actus supernaturalis spei, aot charitatis?

Unde Concilium ibidem colligit: *Neque verò ita nostra est Satisfactio hac, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Iesum; nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eô cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentia, qui ex illo vim habent, ab illô offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Quæ autem fiunt per Christum, debent fieri beneficiô ipsius gratiæ; ac subinde debent esse supernaturalis ordinis.

II. Debent etiam esse libera.

Suppono tertiò: opus Satisfactorium debere esse voluntarium, & liberum: *Tum*, quia actus satisfactorius est actus moralis & humanus; libertas autẽ est principium moralitatis & honestatis: *Tum*, quia sicut homo ooo peccat, nisi liberè operando; ita nec potest satisfacere pro peccatis, nisi liherè ac voluntariè patiendo pœnam, vel sibi injunctam à Sacerdote, vel ab eodem pœniteote osurpatam: *Tum*, quia opus satisfactorium debet cedere in gloriam Dei; quippe cùm ordinetur ad resarciendum jus divinum, ac compensandam injuriam ipsius divinæ Majestati irrogatam; ac subinde debet esse opos laudabile: nihil autem laudabile est, quin sit liberum, & in nostra potestate, ut docet Doctor quodlibetô 18. num. 9. ubi ait: *Dico, quòd laudabile, & vituperabile, imò generaliùs, præmiabile & punibile, continentur sub hoc communi, quod est imputabile: & illius communis est una ratio: hac scilicet, actum esse in libera potestate agentis.* Unde sequitur actum satisfactorium debere esse liberum, saltem denominativè ab illo pio affectu, seu vero animi dolore quô elicitur vel imperatur. Dixi, saltem *denominativè*: multi namque existimant Satisfactionem augeri per opus aut passionem externam; sic qui jejunat de facto, plus meretur, quàm qui solùm vult jejunare, nec potest propter infirmitatem, aut imbecillitatem corporis, quamvis in actu interno, & voluntate jejunandi essent pares & æquales. Uode Concilium Tridentinum cap. 9. docet, quòd quamvis flagella temporalia à Deo homini immissa, non sint in ejus potestate, sed veniaot ei ab extrinseco; si tamen ea voluntariè acceptet, & patienter toleret, nihilominus satisfactoria suut: quia aliquô modô fiunt illius patientis, in quantùm videlicet ea acceptat ad purgationem peccatorum, eisque patienter utitur ad obtinendam plenariam delicti remissionem.

His itaque præmissis, tria supersunt hac in quæstione determinanda: *Primum*, utrum opus satisfactorium debeat esse pœnale: *Secundum*, utrum debeat esse externum, vel internom: *Tertium*, quæoam convenientia sint opera satisfactoria.

Conclusio Prima.

III. Et pœnalia.

OPus *Satisfactorium regulariter debet esse pœnale*. Colligitur ex Concilio Trid. sess. 14. ubi opera satisfactoria vocat *pœnas satisfactorias*. Et Can. 13. *pœnas spontè susceptas, vel à Deo inflictas, vel à Sacerdote injunctas*. Idem etiam apparet ex Scriptura sacra, quæ quoties Satisfactionis faciendæ à peccatore meminit, toties etiam significat ad id esse osurpanda opera pœnalia. Sic Joël 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu, & planctu.* Et Matth. 11. ubi Christus D. loquens de Tyriis & Sidoniis, ait, quòd si in eis factæ fuissent virtutes, quas fuerat operatus in Bethsaïda & Corrosaïm, *in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. Constat similiter ex authoritate omnium SS. Patrum in prima conclusione præcedentis quæstionis laudatorum, qui omnes unanimi calculô, contestantur Satisfactionem fieri debere per opera afflictiva & punitiva. Uode S. Gregorius homil. 20. in Evangelia: *Iustum est, ut peccator tantò majora inferat sibi lamenta per Pœnitentiam, quantò majora sibi intulit damna per culpam.*

Hinc Subtilis Doctor dist. 15. q. 1. num. 11. Satisfactionem definiens, ait: *Dico, quòd Satisfactio est operatio laboriosa, vel pœnalis voluntariè accepta ad puniendum peccatum commissum à se, & hoc ad placandum divinam offensam: vel est passio, seu pœna voluntariè tolerata in ordine prædicto.* Et num. 8. anteà dixerat, quòd Satisfactio in isto intellectu magis consistit in actibus pœnalibus, vel passionibus voluntariis, quam in aliis actibus honis noo pœnalibus, licèt qoandoque possit per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri: quia bene potest Deus actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita uni culpæ: licèt enim non sit propria punitio, est tamen majus bonum, & magis Deo reddens honorem, quàm illa quæ esset propria illius punitio. Sed regulariter, sicut culpa ordinatur per pœoam, & non per aliquod aliud magis bonum, quàm sit culpa: ita satisfactio istô modô dicta consistit io actionibus, vel passionibus habentibus rationem pœnæ. Et hoc est quod dicit S. Augustinus *de vera & falsa Pœnitentia*, & ponitur dist. 16. cap. 1. *Sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus: pœnitentia enim graviores fructus postulat, ut dolore, & gemitibus mortuus impetret vitam.* Isti autem actus pœnales, vel passiones voluntariæ, in genere reducuntur ad actum interiorem displicentiæ, vel passionem tristitiæ, & ad actum exteriorem confitendi proprium peccatum, quod est valde pœnale. Vel ad passiooem concomitantem verecundiam, & ad actum simpliciter exteriorem, vel passionem, scilicet macerando carnem: & omnis talis maceratio dicitur contineri vel reduci ad jejunium: vel elevando mentem in Deum, & hoc fit per orationem: vel sua temporalia erogando, quod fit per eleemosynam.

IV. Ut optimè declarat Doctor.

Hanc Subtilis Doctoris veritatem confirmat Concilium Trident. sess. 14. cap. 2. *Primò*, quia Pœnitentia est laboriosus Baptismus; loquens enim de innovatione, & restitutione hominis, quæ fit per Pœnitentiæ meritum, ait: *Ad quam novitatem, & integritatem per sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente Iustitiâ, pervenire nequaquam possumus, ut meritò Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à S. Patribus dictus fuerit.* *Secundò*, quia, inquit cap. 14. Satisfactio deservit ad cavendum futurum peccatum: Procul dubio ait, *magnopere à peccato revocant, & quasi frenô quôdam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* Ubi enim homo expertus est pœnam, non facilè in culpam relabitur: unde Philosophus 2. Ethic. ait, quòd peccatorum medicinæ sunt pœ-

V. Et Concilium Tridentinum confirmat.

næ. *Tertiò*, quia per Satisfactionem conformes efficimur Christo: *Dum*, inquit, *satisfaciendo patimur pro peccatis, Christô Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur; certissimam quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur.*

Idem docet Catechismus Romanus *p. 2. cap. 5. num. 58.* ubi ait: Duo præcipuè in Satisfactione requiruntur. Primum est, ut is, qui satisfacit, justus sit, ac Dei amicus, opera enim quæ sine fide & charitate fiunt, nullô modô Deo grata esse possunt. Alterum, ut ejusmodi opera suscipiantur, quæ naturâ suâ molestiam & dolorem afferant: cùm enim præteritorum scelerum compensationes sint, atque ut S. Cyprianus Martyr (*lib. 1. epist. 13. post medium*) ait, *redemptrices peccatorum*; omnino necesse est, ut aliquid acerbitatis habeant, quanquam non semper illud consequantur, ut qui se in illis molestis actionibus exercent, doloris sensum habeant. Sæpè enim vel patiendi consuetodo, vel accensa in Deum charitas efficit, ut quæ perpessu gravissima sunt, ne sentiantur quidem. Nec tamen idcirco fit, quominus ea ipsa opera satisfaciendi vim habeant: siquidem hoc proprium est filiorum Dei, ita ejus amore & pietate inflammari, ut acerbissimis laboribus cruciati; aut nihil fere incommodi sentiant, aut omnia lætissimô animô perferant.

VI. Et egregiè probat Doctor Seraphicus.

Hanc veritatem pariter probat Doctor Seraphicus *in 4. dist. 15. p. 2. art. 1. q. 3.* ratione quadruplici. Quòd Satisfactio fieri debeat per opera pœnalia, *inquit*, ratio est quadruplex. *Prima* est: quia ibi est honoris ablati redditio, unde honorem istum debet homo reddere amplius, quàm si non abstulisset; & ideo requiritur, ut non tantùm Deo famuletur per operationem bonam, verùm etiam seipsum dejiciat per pœnam assumptam. *Secunda* ratio est: quia est primò deordinati reordinatio; & quia deordinatum per culpam optimè ordinatur in pœna; ideo, &c. *Tertia* ratio est: quia ibi est infirmati curatio, quia infirmatus per delectationis calorem, curatur per pœnalitatis algorem; & ideo, &c. *Quarta* ratio est: quia ibi est debiti absolutio; & quia peccator est debitor pœnæ, ideo debet per pœnam satisfacere. Hæc ille.

Dices primò: S. Anselmus in libro cur Deus homo, cap. 19. & 20. ait: *Satisfacere, est honorem debitum Deo impendere*: Sed hoc fit omni opere bonô: ergo non solùm per opera pœnalia, sed per omnia alia potest fieri Satisfactio.

Respondet Seraphicus Doctor: *Quoniam est debitum honoris, veniens ex bono collato: & hunc debemus per gratiarum actionem. Est veniens ex mandato injuncto; & hunc debemus per obedientiam & subjectionem. Est veniens ex Majestatis imperio; hunc debemus per latria adorationem. Est veniens etiam ex peccato commisso; & iste honor redditur Deo per suipsius punitionem: & hoc est in Satisfactione.*

Dices secundò: Non delectatur Deus in pœnis nostris: ergo non magis placent opera pœnalia Deo; quàm alia; sed per illud quod magis placet ei, cui debetur Satisfactio, meliùs satisfit: ergo, &c.

VII. Nec tamen propterea Deus in pœnis delectatur.

Respondet S. Bonaventura: *Ad illud quod objicitur, quòd non delectatur in pœnis Deus, dicendum, quod verum est eâ ratione, quâ pœna: sed eâ ratione, quâ curantes culpam nostram, & honorantes divinam justitiam, bene delectatur in eis.*

Dices tertiò: Quædam sunt peccata, quæ perpetrantur cum tristitia, ut putà invidia, & acedia, &c. Sed Satisfactio debet esse per contrarium: ergo sine pœna debet de his peccatis Satisfactio fieri.

Respondet Doctor Seraphicus, *Quòd etsi in quibusdam peccatis comitetur tristitia, radix tamen est ex delectatione libidinosa.*

VIII. Neque quod est magis pœnale, magis est meritorium & satisfactorium.

Dices quartò: Satisfactorium est pœnale per se loquendo: ergo magis pœnale, magis satisfactorium: sed avaro est magis pœnale dare obolum, quàm largo marcam: ergo magis satisfacit per obolum, quàm ille per marcam. Similiter potest dici in jejunio & oratione: & hoc est inconveniens, quòd mali de malitia sua commodum reportent.

Respondet idem Doctor: *Quòd aliquid est pœnale natura, quâ natura est, ut putà jejunii abstinentia, & erogatio bonorum, in quibus sustentatur humana infirmitas. Aliquid ratione culpæ, & inordinationis voluntatis. Prima pœnalitas respicitur per se in Satisfactione: secunda verò non: & de ista secunda oppositio intelligitur.*

Conclusio Secunda.

IX. Fieri potest satisfactio per opus, merè internum.

Licèt ordinariè opus satisfactorium debeat esse pœnale, nihilominus omne opus meritorium, tam internum, quàm externum, potest esse verè satisfactorium. Hæc est communis in utraque schola Angelica & Subtili; nec enim contrarium docuit Doctor, ut ipsi perperam affingunt nonnulli Thomistæ: nam, ut constat ex jam dictis in prima Conclusione, ipse disertè pronuntiat, *num. 8.* quòd etsi ordinariè Satisfactio consistat in aliquo actu pœnali; tamen, *inquit*, potest per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri: quia bene potest Deus actum malum charitatis acceptare pro punitione debita uni culpæ; licèt enim non sit propria punitio, est tamen majus bonum, & magis Deo reddens honorem, quàm illa, quæ esset propria illius punitio. Et ibidem inter actus pœnales expressè ponit *actum interiorem displicentiæ, vel passionem tristitiæ.*

Et ibidem, *num 11.* ait: *De primo dico, quòd Satisfactio est operatio exteriùs laboriosa vel pœnalis, voluntariè assumpta ad puniendum peccatum commissum à se, & hoc ad placandam divinam offensam: vel est passio seu pœna voluntariè tolerata in ordine prædicto. Istô modô accipitur Satisfactio multò strictiùs & particulariùs, quàm Satisfactio primô modô; quia illa potuit consistere in actu pœnalis passionis voluntaria interiori, vel exteriori.* Non ergo negat actibus interioribus omnem vim satisfaciendi; sed si aliquam negat, ea est Satisfactio strictè sumpta, & condistincta ab aliis Pœnitentiæ partibus, putà Contritione & Confessione; nam continuò subjungit: *Secunda*, (scilicet in quibus constat illa Satisfactio) *patet: quia ut opus exterius vel passio distinguitur contra actum, vel passionem interiorem mentis* (id est, Contritionem) *& contra actum oris* (id est, Confessionem) *vel passionem concomitantem, non consistit Satisfactio, nisi in illis tribus operibus difficilibus, scilicet jejuniô, oratione, & eleemosynâ, de quibus dictum est tertiô articulô præcedente: vel in passionibus voluntariis concomitantibus ista tria opera difficillima.*

Porrò conclusionis ratio est: *Primò*, quia homo potest peccare per actum merè internum: igitur conveniens fuit, ut etiam per actum purè

internum posset satisfacere pro peccato. *Deinde*, in tantùm Satisfactio nostra confert ad remissionem peccati, in quantùm ad id acceptatur à Deo: sed Deus potest acceptare actum charitatis in compensationem injuriæ sibi illatæ: igitur actus ille potest esse reverà satisfactorius. *Denique*, si quid obesset quominus opus merè internum posset esse satisfactorium, maximè quia non esset pœnale: sed ita non est: Cùm enim omnis actus meritorius sit actus virtutis, habet semper adjunctam aliquam difficultatem & molestiam, quamvis aliunde delectationem inferat, ut constat de contemplatione, quæ dum recreat animum, affligit: igitur omnis actus meritorius potest esse satisfactorius.

Conclusio Tertia.

X. Opera satisfactoria ad triplex genus reducuntur.

Opera satisfactoria communiter rediguntur ad tria capita, nempe jejunium, orationem, & eleemosynam. Ita Concilium Tridentinum *sess. 6. cap.* 14. ubi inter actus pœnitentis numerat Satisfactionem, quæ per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia fit.

Hanc Conclusionem probat Doctor, *num.* 12. Quia, *inquit*, peccatis in genere distinctis in tria membra, scilicet in peccatum carnis, in peccatum concupiscentiæ oculorum, & superbiam vitæ, 1. *Joan.* 2. correspondent de congruo propriæ Satisfactiones in genere, scilicet peccato carnis jejunium, vel universaliter quæcunque maceratio carnis magis ordinata ad reprimendum tale peccatum carnis; & sub isto comprehendo vigilias, peregrinationes, asperitates vestium, nuditatem, vel discalceationem, imò generaliter quemcunque laborem fatigantem. Peccatô autem superbiæ, & cæteris spiritualibus magis appropriatè correspondet oratio, quæ & humiliat spiritum Deo, & roborat contra peccata spiritualia. Peccatis autem circa temporalia, ut avaritiæ, vel cupiditati cuicunque, ut rapinæ, furti, vel ablationis injustæ, magis appropriatè correspondet erogatio eleemosynarum. Et ratio istorum est, propter majorem correspondentiam pœnæ ad culpam, *quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Ut optime declarant Doctores. Subtilis.

Et Seraphicus.

In idem conspirat Doctor Seraphicus *in 4. d.* 15. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 4. ubi per orationem intelligit omnem actum contemplativè ad Deum relatum: per jejunium omnem carnis afflictionem, quæ consistit in vigiliis & flagellis, & jejuniis propriè dictis: per eleemosynam autem omne opus pietatis proximo impensum, sive spirituale, sive corporale. Et probat sufficientiam, ac distinctionem harum partium, primò secundùm appropriationem: *Cùm enim*, inquit, *triplex sit radix peccati, sicut dicitur in Ioanne, aut concupiscentia carnis, & contra hanc est jejunium; aut concupiscentia oculorum, & contra hanc est eleemosyna; aut superbia vitæ, & contra hanc est oratio; hoc dico secundùm appropriationem. quia unumquodque horum valet contra omnes, appropriativè tamen magis opponuntur.*

Secundò, per proprietatem: *Opus*, inquit, *pœnale, aut ordinat nos ad Deum, & sic est oratio, aut ad nos, & sic est jejunium, quod macerat carnem nostram; aut ad proximum, & sic est eleemosyna.* *Tertiò* secundùm reconciliationem: *Quia*, inquit, *per orationem Deo reconciliamur. Sed, sicut dicit Augustinus de serm. Domini in monte: Si vis orationem tuam volare in cælum, fac duas alas, scilicet jejunium & eleemosynam.* Tobiæ 12. *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna.* *Quarta* sufficientia accipitur. *Quia*, inquit, *duplex est vita, scilicet activa & contemplativa; quantùm ad contemplativam, oratio; quantùm ad activam, eleemosyna: ut autem homo sit dispositus ad utramque facit jejunium.*

Dices: Contraria contrariis curari debent: sed multò plura sunt genera peccatorum: igitur multò etiam plura debent esse remedia.

Distinguo minorem: Multò plura sunt genera peccatorum, specialia, concedo: communia, & universalia, nego: nullum enim est speciale peccatorum genus, quod ad alterutrum ex tribus assignatis non revocetur.

Dices secundò: Si eleemosyna esset satisfactoria, maximè quando fit de bonis propriis justè acquisitis & necessariis: at ut sic non potest esse satisfactoria: quia unusquisque tenetur se magis diligere, quàm alterum; ac subinde non debet in alterius usum impendere, quod sibi necessarium est.

Distinguo minorem: Si sibi sit absolutè necessarium, concedo: secus, nego: Porro, inquit Seraphicus Doctor *a.* 2. *q.* 1. necessarium dicitur dupliciter. Vel secundùm naturæ arctitudinem: vel secundùm communem usum vivendi. Si secundùm naturæ arctitudinem, non tenetur, nec oportet ei imponi, qui peccavit, quia hoc est perfectionis illorum, qui totum victum expectant à Christo: sicut sunt viri, qui sunt in statu perfecto: & ideo si fiat eleemosyna, debet fieri de eo quod superest huic necessario, & bene est satisfactoria. Aliô modô dicitur necessarium, quod expedit homini secundùm communem modum vivendi. De quo dicit Augustinus, *Quid multa superflua habere probabimur, si sola necessaria teneamus*, & de tali fit propriè eleemosyna satisfactoria: de superfluo verò non fit, quantùm est ex rigore justitiæ. Tamen credo, quòd divinæ misericordiæ benignitas tanta est, quòd totum acceptat, & quasi pro nihilo salvat nos. Hæc Seraphicus Doctor.

XI. De quibus bonis fieri debeat eleemosyna.

Dices tertiò: Si oratio posset esse satisfactoria, maximè vel mentalis, vel vocalis: sed neutra eam rationem obtinet: non quidem mentalis: quia hæc non est laboriosa: neque etiam vocalis, quia plerumque est imperfecta: igitur, &c.

XII. Quænam oratio possit esse satisfactoria.

Negat minorem Seraphicus Doctor *quæst.* 3. ubi distinguens triplex genus orationis, dicit eas esse satisfactorias: Quædam, *inquit*, oratio est purè mentalis, quædam vocalis, quædam media. *Purè mentalis est*, quando labia non moventur; sed cor ad Deum loquitur. *Purè vocalis est*, quando nihil cogitat in his quæ dicit, nec in generali, nec in speciali, ita quòd referat intentionem ad sensum verborum, vel finem: sed cùm orat, fabricat castra, & sic mentalis simpliciter, excedit vocalem. Alia est *mixta*, in qua scilicet orat mentaliter, & vocaliter. Et de ista distinguendum; quia aut verba illa impediunt affectum, quia sic inflammatus est quod immediatè fertur in Deum: & talis utilior est oratio mentalis: si autem juvatur, utilior est vocalis: & multi sunt tales, & maximè illi, qui non sunt viri spirituales, ad quorum affectus provocandos institutæ sunt orationes vocales.

Si quæratur, quæ oratio sit satisfactoria: credo quòd omnis, quia nulla est, in qua non laborent virtutes animales: & quantùm delectantur spiritus, tantùm caro frequenter tabescit, & vir-

tutes animales minùs sunt intentæ regimini corporis. Credo tamen, quòd illa inter cæteras est satisfactoria magis, in qua accenditur homo ad gemitum, quia hæc est, in qua Deus maximè delectatur. Unde quia illud est gratiæ specialis, ideo non imponitur à Sacerdote, sed præambulum ad illud, scilicet oratio vocalis. Et quia non est status in vocibus, sed ordinatur ad intellectum: hinc est quòd Dominus, & Gregorius mittunt à vocali oratione ad mentalem.

PETES I. *Quodnam ex illis tribus bonis operibus sit magis satisfactorium?*

Respondet Seraphicus Doctor, *art. 1. quæst. 4. ad 6. & 7.* Ad illud quod quæritur, quod est magis satisfactorium, dicendum, quòd unumquodque horum secundùm appropriationem. Tamen si generaliter loquamur, dicendum, quòd in Satisfactione tria sunt, scilicet vitatio culpæ; & contra hanc valet maximè oratio: *Secundum* est augmentum gratiæ, & ad hanc maximè valet eleemosyna, quia bonæ facit sibi amicos, qui impetrant gratiam: *Tertium* est solutio pœnæ, & hoc maximè est in jejunio, & hoc est infimum in Satisfactione: alia duo præponderant.

XIII. Quænam pia opera sunt magis satisfactoria.

Sed quidquid sit, audiendus est S. Augustinus consulens, ac monens serm. 59. de tempore: *Qui vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas; id est, eleemosynam & jejunium, & ascendat celeriter, & exaudietur.* Idem habet in Psal. 42. circa finem: *Quàm celeriter*, inquit, *accipiuntur orationes bene operantium, & hoc justitia hominis in hac vita: jejunium, eleemosyna, oratio; vis orationem tuam flare ad Deum, fac illi duas alas, jejunium & orationem.*

QUÆRES I. *Utrum fieri possit Satisfactio per flagella divinitùs immissa, vel à causis secundis procurata?*

Affirmat *Trid. sess. 14. cap. 9.* ubi ait: *Docet præterea (S. Synodus) tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus.* Item Can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, &c. anathema sit.* Cúmque hic non fiat distinctio inter flagella, quæ à Deo infliguntur specialiter propter finem Satisfactionis, & inter illa, quæ Deus permittit naturaliter evenire ob alios fines, videtur idem de utriusque dicendum.

XIV. Fieri potest satisfactio per flagella divinitus immissa.

Ratio autem hujus assertionis non alia est, quàm Christi D. voluntas, quæ utique nobis innotescit per Ecclesiæ sententiam expressam in laudatis Concilii verbis, maximè quoad flagella, quæ à Deo specialiter infliguntur in Satisfactionem, & peccatoris emendationem: nam Proverb. 3. *Quem diligit Dominus corripit.* Similiter Hebræorum 12. *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit*; quia videlicet hujusmodi flagellis & castigationibus patienter toleratis peccatores pro suis delictis Deo satisfaciunt.

Quod utique præclarè confirmat sanctus Hieronymus in Commentario ad caput primum Prophetæ Nahum, ubi ait: Quid ergo (ut) contra Dominum cogitatis? Ipse, qui creavit mundum, & consummationem ejus faciet. Quòd si vobis videtur crudelis, rigidus & cruentus, quòd in diluvio genus delevit humanum, super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur pluit, Ægyptios submersit fluctibus, Israëlitarum cadavera prostravit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Certè aut vera sunt, quæ Prophetæ loquuntur, aut falsa. Si vera sunt, quæ de severitate ejus videntur docere, ipsi dixerunt: *Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione.* Sin autem falsa sunt, & falsum est, quod dicitur: *Non consurget duplex tribulatio:* Falsa est ergo & crudelitas, quæ in lege descripta est. Quòd si verum est, ut negare non poterunt, dicente Prophetâ: *Non vindicabit Dominus bis in id ipsum in tribulatione:* ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Si autem illi posteà punientur, Scriptura mentitur, quod dicere nefas est. Receperunt ergo & qui in diluvio perierunt, & Sodomitæ, & Ægyptii, & Israëlitæ in solitudine mala sua in vita sua.

Quæret hîc aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo posteà fiet. Aut enim punietur, & falsum est hoc, quod dicitur: *Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione*, aut non punietur; & optandum est de adulterio, ut impræsentiarum brevi, & citâ pœnâ cruciatus frustrentur æternos. Ad quod respondebimus, Deum ut omnium rerum, ita & suppliciorum quoque scire mensuras, & non præveniri sententiâ judicii: nec illi in peccatorum exercendæ dehinc pœnæ auferri potestatem: & magnum peccatum magnis diuturnisque lui cruciatibus. Si quis autem punitus sit, ut ille in lege, qui Israëlitis maledixerat, & qui in Sabbato ligna collegerat, tales posteà non puniri; quia culpæ levis præsenti suppliciô compensata sit.

Unde monet Doctor, *dist. 15. quæst. 1.* quòd Confessarius potest injungere pauperi pœnam illam, quam subit quotidie propter egestatem & inopiam in Satisfactionem suorum delictorum: Requiritur *(inquit in 13.)* discretio Sacerdotis, ut non imponat alicui pœnam nimis sibi disconvenientem, sed aliam, quæ magis sibi convenit, & quem fortè meliùs adimplebit: utpote pauper, nec eleemosynas potest dare, nec orare, sed oportet eum continuè laborare pro victu suo necessario: nec jejunare, quia tunc non sufficeret ad laborem necessarium pro victu necessario continuè acquirendo. Quia ergo ipse labor continuus est sibi jejunium continuum, quia continua maceratio carnis, tantummodò inducendus est, ut illum laborem subeat in remissionem peccatorum, intendens illum ad hunc finem referre, saltem quousque occurrat sibi opportunitas solvendi aliquam aliam Satisfactionem, & aliqua alia possunt ei ita temperatè, & diminutè imponi, ut sint sibi possibilia. Consimiliter, dives qui lapsus est ad peccatum carnis, si est adeo delicatus, quòd non velit jejunare, nec aliam macerationem notabilem subire, vel præsumitur quòd si sibi imponeretur, citò abjiceret, & sic peccaret novô peccatô, inducendus est ad orationem, & eleemosynam, & illud sibi imponendum est, quod libentiùs recipit, & quod creditur perseverantiùs adimplere.

XV. Unde illa possunt injungi in satisfactionem.

AAa iij

Vel si omnino nullam Pœnitentiam velit recipere à Sacerdote impositam, dicit tamen se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, & non est respuendus, ne cadat in desperationem, & nuntianda est sibi pœna, quæ esset pro peccatis facienda, & quòd eam in se, vel in æquivalenti absque impositione studeat adimplere, alioqnin solvet ad plenum in purgatorio. Hæc misericordia satis consonat illi Prophetiæ Isa 42. de Christo, quam Matth. 12. cap. recitat, *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Arundo quassata est peccator quassatus tentationibus, & peccatis; linum fumigans, est linum nimis humidum ex peccatis, tamen aliquid habens de igne charitatis, & hic extinguitur, si per duritiam Sacerdotis ad nimis difficile obligetur: sed non extinguitur, si prædicatur sibi, quòd oporter eum hîc, vel alibi pœnam solvere: & quòd studeat hîc tantam pœnam solvere, quanta peccatis debetur, ne alibi acrior exigatur. *Hæc Doctor.*

Quibus significat primò injungendam esse Satisfactionem, quantùm fieri potest, æquivalentem ac correspondentem peccatis, ut videlicet quæ satisfaciat & puniatur in eo genere, in quo peccavit; ubi autem id fieri non potest, sufficit, ut injungatur Satisfactio in alio genere, quæ sit æquivalens, ac proportionata facultati, & viribus pœnitentis: in quo maximè desideranda & spectanda est discretio, ne videlicet per nimiam indulgentiam leviorem Satisfactionem injungendo, particeps, & reus fiat alieni peccati, & vilem reddat medicinam infirmo necessariam; neve ex altera parte pœnitentis infirmitati non satis prudenter consulens, ei præscribat illum Satisfactionis modum, quem sine periculo desperationis, aut novi peccati implere non possit. *Secundò*, quòd ubi pœnitens non potest congruè, & suis peccatis correspondentem Satisfactionem persolvere, potest ei Confessarius injungere pro Satisfactione eas pœnas & calamitates, quas ipse patitur. Cujus utique ratio est manifesta; illud enim omne, quod acceptum est Deo in Satisfactionem pœnæ temporalis, etiam est medium congruum satisfaciendi: igitur quando facultas non suppetit ad aliud persolvendum, Sacerdos, qui est Judex inferior & ministerialis, debet se conformare legi & voluntati Dei, & præscribere in Satisfactionem ea, quæ quandam cum delicto correspondentiam habent, etsi non omnimodam, nec proportionatam.

QUÆRES 2. *Vtrum pœnitens satisfacere possit Deo per opera aliunde præcepta?*

XXVI. Fieri posse Satisfactionem per opera aliunde præcepta non est improbabile.

Respondeo, triplicem hac de re apud Doctores scholasticos esse sententiam, quarum *prima* negat, Satisfactionem fieri per opera aliunde præcepta, ex eo quòd, ut sit perfecta, fieri debeat ex aliàs indebitis: ita plerique Scotistæ contendunt, maximè Faventinus in dist. 29. disp. 35. cap. 7. *Secunda* affirmat, posse satisfieri per opera præcepta jure humanô, non verò jure divinô, aut naturæ. Ita Sylvester verbo *Satisfactio*. *Tertia* denique sententia docet, etiam in operibus aliunde præceptis posse Satisfactionem præscribi, quæ apud recentiores Theologos jam communior videtur, nobisque etiam probabilior apparet. *Tum*, quia id colligitur ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 10. ubi ait: *Per observationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ in ipsa Iustitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus, crescunt atque magis justificamur.* Et cap. 6. *Nihil ipsis justificatis ampliùs deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi, pro vita hujus statu, satisfecisse, & vitam æternam suô etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam verè promeruisse censeantur.* Quid nî igitur pari ratione censeri possent verè satisfecisse pro pœna temporali, maximè si opera ista præcepta pœnalia sint? Si enim opera bona ex hoc præcisè, quia debita ex hoc præcepto non perdunt vim merendi gratiam & gloriam, cur opera bona & pœnalia perderent vim satisfaciendi, ex eo quòd aliunde sunt præcepta?

Deinde, Ecclesia præcipit jejunia in Satisfactionem: igitur censet opera præcepta posse esse satisfactoria. Patet antecedens ex Collecta, quæ dicitur Sabbato ante Dominicam tertiam Quadragesimæ: *Da, quæsumus Domine, nostris effectum jejuniis salutarem, ut castigatio carnis assumpta ad nostrarum vegetationem transeat animarum.* Et S. Leo Papa, serm. 4. de Quadragesima, sic ait: *Magna divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad recuperandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & jejunia casta decoquerent*, per extinctionem pœnæ temporalis.

Denique, ut ait Lugo disp. 27. num. 35. tota condignitas Satisfactionis fundatur in eo, quòd homo laudabiliter se castigans, eô ipsô placet iram Judicis, ne illum iterum puniat: ille autem, qui ex præcepto se castigat, non minùs, sed magis laudabiliter se castigat; non enim minùs, sed potiùs magis honestum & laudabile est, cæteris paribus, facere aliquid ex præcepto, quàm absque illo: ergo magis placet Deo, & per consequens magis placat illum ejusmodi castigatio per opera præcepta, quàm per spontanea.

Dices primò: Non potest quis satisfacere duplici debito eâdem solutione, quia non esset æqualitas inter debitum & pretium: igitur si aliquod opus sit jam Deo debitum ex præcepto, non potest per illud solvi debitum contractum ex peccato.

XVII. Quando illa opera habet multiplicem bonitatem.

Distinguo antecedens: Si res illa, quæ offertur in solutione, non habeat multiplicem bonitatem & valorem, concedo: secus, nego: tunc enim secundùm diversum sui valorem pluribus debitis satisfacere poterit. Porro opera præcepta habere possunt duplicem valorem, unum quidem moralem & *meritorium* desumptum ex objecto, & circunstantiis ejus, nec-non ex fine, propter quem elicitur, & ex principio gratiæ habitualis, quô mediante producitor: alterum verò *satisfactorium* petitum ex difficultate illius, seu ex pœna & labore, qui in exercitio ejus reperitur. Ratione primi valoris, possumus implere debitum præcepti, & satisfacere debito obedientiæ & religionis: ratione verò secundi possumus satisfacere Deo de condigno pro pœna temporali peccato mortali debita: Si enim v.g. nummus aureus duplicem habet valorem, unum ratione metalli, alterum ratione imaginis, aut sigilli principis in eo exarati; & ratione primi valeret quinque nummos argenteos, & totidem ratione secundi: posset aliquis debens alteri decem nummos argenteos, quinque ratione mutui accepti, & quinque ratione mercium, utrique debito, &

pro utroque titulo, ad æqualitatem satisfacere, A ipsi tradendo hunc nommum aureum: ita à simili dicendum de operibus præceptis, quæ duo possunt impendi in Satisfactionem virtutis obedientiæ, & Religionis, & in Satisfactionem pro peccatis. Si enim quis unicô jejuniô v.g. possit satisfacere triplici præcepto, nempe, dum Religiosus virtute suæ regulæ tenetur jejunare singulis diebus Veneris, & ex præcepto Ecclesiæ per totam Quadragesimam, nec-non in Feriis quatuor Temporum; ubi enim tria hæc simul concurrunt, unicô jejuniô eis fit satis: quidnî pari ratione poterit etiam eôdem jejuniô satisfacere, & præcepto Ecclesiæ, & mandato Confessarii hoc jejunium præscribentis.

Dices secundò: Si quis debeat Ecclesiæ unum B Calicem ex voto, & alterum ex Testamento, & legatione illius, cujus est hæres, non fatisfaciet dando unicum Calicem: quod enim ex voto donat, non solvit, & quod solvit ex vi Testamenti, non donat. Similiter si quis debeat centum nummos Petro ratione mutui, & insuper alios centum ab eo fuerit furatus, non satisfacit dando semel ei centum nummos: igitur nec quis Deo satisfaciet per unicum jejunium, quando jejunare tenetur ob præceptum, & propter compensandam injuriam Deo irrogatam.

Nego consequentiam: Et ratio disparitatis est petenda ex materia: nam materia Justitiæ commutativæ consistit in omnimoda æqualitate solu- C tionis cum debitis, aut juribus, quæ salvari non potest in unica solutione, quando debita illa aut jura sunt plura aut diversa. Secus veró est in debitis legalibus, putà voti, legis, Pœnitentiæ injunctæ, & similibus, in quibus magis attenditur mens & intentio Legislatoris, quàm res ipsa: cùm autem intentio Legislatoris possit tendere in idem opus faciendum ex diverso motivo, putà siquis eôdem die teneatur jejunare ex Ecclesiæ præcepto: quia dies ille est Vigilia alicujus Sancti, & ex voto, quia ad id tenetur ex regula, quam professus est, si quis Confessarius pro Pœnitentia præscribat jejunium ejusdem diei pœnitenti, quem aliunde scit obligari ex voto & Ecclesiæ præcepto ad jejunandum, pœnitens ille eôdem D jejuniô satisfaciet & voto & legi, & injunctæ sibi Pœnitentiæ.

QUÆRES 3. *Utrum pœnitens implens in statu peccati mortalis injunctam sibi Satisfactionem, reverà ita eam exequatur, ut omnino debitum solvat, nec iterum teneatur ad eam in statu gratiæ implendam?*

XVIII. *Respondet* Doctor, *num.* 15. affirmativam partem sibi non videri improbabilem: Quia, *inquit*, negativa sententia videtur nimis dura contra peccatores, & occasio majoris obstinationis. Si enim iste hodie verè pœnitens, & humiliter recipiens Satisfactionem, estò jejunium trium dierum, E recidivat in peccatum mortale, & de illo non pœnitens, secundô die jejunat, quia sibi fuit impositum. *Si dicas*, quòd illud jejunium secundæ diei non est aliqua Satisfactio exterior, magis occasio est inducendi istum jam lapsum, ut tertiô die non jejunet, & per consequens ad novum peccatum mortale: quia transgrediendo istam pœnam injunctam à Sacerdote, & receptam, videtur esse peccatum mortale, cùm sit transgressio præcepti Ecclesiæ, & Vicarii Dei in illo actu.

Satisfactionem in statu peccati non esse inutilem docet Doctor.

Ex isto potest formari talis ratio. Si post lapsum, & ante Pœnitentiam novam, non exequatur quis Satisfactionem pristinam sibi impositam, peccat mortaliter novô peccatô: ergo si exequatur, bene facit, quia actum obedientiæ facit: sed non facit actum obedientiæ, nisi in quantùm illud est sibi impositum tanquam pars Satisfactionis. Dico ergo sine præjudicio, quòd qui semel verè pœnitet, & recipit Satisfactionem, vel Pœnitentiam condignam sibi impositam ab Ecclesia, clave non errante, quantumcunque posteà recidivet, nunquam tenebitur, nisi ad illam unicam Satisfactionem adimplendam: & si eam impleat in charitate, melius est: quia non tantùm solvit pœnam, sed meretur. Sed si adimpleat eam voluntariè extra charitatem, solvit quidem pœnam, sed non meretur gratiam. Si autem ipsa ab eo extra charitatem exigitur, solvitur pœna, licèt ipse non solvat. Et in primo est Satisfactio simpliciter, quia reconcilians & placans: in secundo est quidem Satisfactio, quia voluntaria redditio, sed nec reconcilians, nec placans. In tertio autem est Satisfactio, ultra quam non exigetur pœna ulterior. Ex secundo membro sequitur, quòd si magnam partem Satisfactionis sibi impositæ explevit in peccato mortali, & pòst iterum pœnitet de peccato novo, non est sibi iteratò Pœnitentia imponenda pro peccato, de quo satisfecit, licèt extra charitatem: sed tantùm de novis peccatis, quæ fuerunt causa quare illa Satisfactio fuit mortua.

Objicit Doctor: Si arguas, mortua est: ergo non est Satisfactio. *Respondet:* Non sequitur, nisi quòd non est Satisfactio placans nec reconcilians in amicitiam. *Instat.* Et si dicitur: ergo non est Satisfactio. *Respondet:* Non sequitur, quia sufficit Deo, quòd quis voluntariè solvat pœnam debitam ad punitionem peccati commissi: quia etiam quod minùs apparet, sufficit satispassio. Patet in actibus humanis: si enim alicui offensæ in Regem correspondeat præcisè secundùm legem abscissio manûs, si isti etiam invito abscinditur manus, satispatitur, & in tantùm sufficit Regi, quòd secundùm legem & justitiam, non debet ab eo pœnam ulteriorem exigere, & tamen non recipit eum in gratiam, vel amicitiam: multò magis ergo posset sufficere pro punitione culpæ, si aliquis sibi pœnam debitam infligeret, licèt non esset in gratia, vel amicitia ipsius Judicis offensi.

Ex tertio membro potest dici, quòd talis, si propter novum peccatum, in quod recidivat, damnaretur, antequam complesset totam pœnam sibi impositam, puniretur in inferno temporaliter pœnâ correspondente illi, quæ non fuit hîc soluta: & illa soluta post tempus aliquod non puniretur amplius illâ pœnâ, sicut & de veniali, quia moriens in peccato veniali simul cum mortali, non puniretur æternaliter pro veniali, ut dicetur inferiùs. Et eôdem modô in proposito: ex quo enim secundùm plenam justitiam punitivam semel imposita est pœna temporalis isti pro peccato, de quo verè pœnituit, nunquam isti pro illo debebitur, nisi pœna temporalis, & illâ solutâ, nulla alia. *Hæc Doctor.*

Ex quibus apparet, Doctorem probabile censere, Satisfactionem reverà fieri posse validè in statu peccati, quod maximè probat ex impugnatione oppositæ sententiæ: *Primò*, quia hæc sententia est nimis dura. *Secundò*, quia causat obstinationem peccatorum: *Tertiò*, quia dat ansam peccandi, eò quòd pœnitens relapsus, judicando

Satisfactionem sibi impositam non prodesse, illam non persolvere, quod est peccatum inobedientiæ contra præceptum Confessarii.

Quod utique confirmatur, quia non debet aggravari onus peccatoris, aut excludi ab eo beneficium Sacramenti, & mortis Christi: sed nullum est fundamentum asserendi, Pœnitentem non posse satisfacere, nec validè implere satisfactionem sibi præscriptam; si enim esset aliquod fundamentum hujus assertionis, maximè *vel* quia Satisfactio est effectus, *vel* pars Sacramenti, *vel* quia est speciale Dei beneficium: *vel* quia fieri debet per Christum: sed nulla ex his rationibus id concludit. Non quidem ex eo quòd sit effectus Sacramentalis: nam etiam impressio characteris est effectus Sacramentalis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, ad quam tamen non requiritur status gratiæ. Non ex eo, quòd sit singulare aliquod & extraordinarium Dei beneficium, quô peccator indignus est: nam etiam impressio characteris est tale beneficium, quod tamen confertur peccatori. Non ex eo, quòd Satisfactio nostra sit per Christum Jesum, id est, virtute Sacramenti, per quod merita Christi applicantur, seu communicantur fidelibus, nam accipit characterem impressum: Ergo consimiliter peccator poterit satisfacere, & satisfaciet ex opere operato *per Christum*, id est, per virtutem sacramenti Pœnitentiæ, per quod fidelibus applicantur seu communicantur merita & Satisfactiones Christi.

Reponunt adversarii, non solùm propter præfatas rationes, Satisfactionem in statu peccati esse nullam, sed quia ut sit valida, debet acceptari à Deo, & ei per Christum offerri: Satisfactio autem in statu peccati non potest acceptari à Deo, dona enim iniquorum non probat Altissimus. Quod utique confirmat Concilium Tridentinum, cùm ait locô mox laudatô, *In quo* (Christo) *vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Unde Catechismus Romanus *part. 2. cap. 5. num. 103.* ait: *Duo præcipuè in Satisfactione requiruntur: Primum est, ut is qui satisfacit, justus sit, ac Dei amicus; opera quæ sine fide & charitate fiunt, nullò modò grata esse Deo possunt: alterum, ut ejusmodi opera suscipiantur, quæ naturâ suâ dolorem & molestiam afferunt.*

XIX. Nam ad validam satisfactionē non requiritur absolutè status gratiæ.

Verùm contra. Non plus requiritur status gratiæ ad validam Satisfactionem, quàm ad perfectum actum Contritionis: sed Contritio ut sit valida, non præsupponit statum gratiæ: igitur, &c. Major constat: quia Contritio non solùm delet peccatum, sed etiam partem pœnæ temporalis peccato debitæ, imò interdum totam solvit pœnam, ut supponit Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 2.*

Deinde, status gratiæ idcirco requireretur, ut persona satisfaciens Deo esset grata & accepta: sed hoc non est absolutè necessarium ad dignam Satisfactionem: quia personæ dignitas consistit in amicitia Dei, & filiatione in ordine ad hæreditatem consequendam, nec-non & ad ea, quæ proximè ad eam ordinant, ut sunt merita: sed solutio pœnæ temporalis potest fieri seorsim ab his circunstantiis: ergo ad validam illam solutionem non est necesse, quòd persona satisfaciens sit Deo grata & accepta. Minor patet: quia non augetur jus ad hæreditatem præcisè ex tali solutione pœnæ temporalis, quando maximè illa fit in operibus non meritoriis, quamvis tollatur impedimentum removens, ac retardans ejus assecutionem; ac subinde per illam solutionem non augetur amicitia hominis cum Deo, quæ fundatur in gratia sanctificante, ex qua provenit ipsius hominis dignitas, neque per se confertur major gloria essentialis virtute ipsius Satisfactionis, quando aliunde non est meritoria, & consequenter non crescit Satisfactio ex dignitate personæ, nisi præcisè in quantùm Satisfactioni adjunctum est meritum: dignitas enim personæ justæ non influit in actum, nisi dum actus elicitur ex inclinatione ipsius Justitiæ, quæ est ipsa charitas: sed actus boni indifferentes in ratione meriti, non fundant meritum, neque eliciuntur secundùm prædictam inclinationem, neque ad vitam hôc modô magis conferunt in homine justo, quàm in peccatore: ergo neque etiam Satisfactio indifferens in ratione meriti, seu quæ non est præcisè meritoria gratiæ aut gloriæ, recipit valorem à justitia, aut dignitate personæ, quando non elicitur ab homine justo, secundùm inclinationem charitatis.

XX. Duplex est Satisfactio: una solutiva debiti, altera meritoria.

Unde ad Concilium Tridentinum: dici, illud verbis laudatis loqui de Satisfactione simpliciter, nempe quatenus est reconciliativa, & meritoria de condigno, ad quam haud dubiè requiritur vita in Christo, seu status gratiæ: de hac autem Satisfactione hîc non est sermo, sed tantùm de Satisfactione, quatenus est solutio debiti, & vindicativa peccati: quæ utique fieri potest quovis in statu. De hac etiam Satisfactione reconciliativa & meritoria loquitur Catechismus Romanus, ut colligitur ex num. præcedenti, ubi ait: *Atque ita fit, ut Justis nihil deesse videatur, cùm operibus, quæ Dei virtute efficiunt & divina legè pro humana, mortalique conditione satisfacere, & vitam æternam, quam scilicet, si Dei gratiâ ornati è vita decesserint, consequentur, mereri possint.* Quibus verbis, ut apparet, loquitur Catechismus de Satisfactione reconciliativa, & meritoria de condigno vitæ æternæ, non autem ut est solutiva pœnæ debitæ peccato.

Quam utique duplicem Satisfactionis acceptionem etiam agnovit idem Catechismus, cùm ait num. 89. *Nonnulli definierunt Satisfactionem sic:* Satisfacere est Deo debitum honorem impendere. *Quòd autem nemo debitum honorem Deo possit tribuere, nisi qui peccata omnino vitare constituat, satis apparet. Et satisfacere est peccatorum causas excidere, & eorum suggestioni aditum non indulgere, in quam sententiam alii assenserunt, satisfactionem esse purgationem, quâ eluitur quidquid sordium præter peccati maculam in anima resedit, atque à pœnis tempore definitis, quibus tenebamur, absolvimur.* Quæ duæ partes Satisfactionis, purgatio sordium, & absolutio à pœnis; quarum prima non convenit Satisfactioni peccatoris: quia (ut ait Scotus suprà) *nec est reconcilians, nec placens.* Altera autem competit: quia est voluntaria redditio debiti, sive est rei debitæ integra solutio. Cùm enim virtute Clavium pœna temporalis Purgatorii mutata sit in pœnam temporalem hujus vitæ: qui hanc voluntariè reddit, integrè solvit rem debitam: amicus ejus sit, vel inimicus, cui solvit, quid interest? Nonne inimicus potest satisfacere debito Justitiæ commutativæ, solvendo pretium rei emptæ? Nemo dubitat. Cur non similiter possit satisfacere debito Justitiæ vindicativæ, seu punitivæ?

Objiciunt adversarii: Scriptura sacra apertè testatur,

testatur, Deum reprobare omnem Pœnitentiam & Satisfactionem oblatam ab homine pœnitente in statu peccati. Sic Isai. 58. *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, &c.* Et Proverb. 15. *Longè est Dominus ab impiis, & orationes Justorum exaudiet.* Et 1. ad Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Respondeo, prioribus Scripturæ oraculis, idcirco reprobari opera peccatorum, non præcisè, quia fiunt in statu peccati, sed quia eliciuntur cum affectu peccandi: ideo namque Isaias dicit reprobari jejunia Judæorum, quia aonexa habebant levia peccata contentionis & inimicitiæ: *Ecce*, inquit *ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugnò impiè, &c.* Ad Apostolum *dico*, ipsum non loqui tantùm de charitate babituali, sed etiam de actuali. Porro constat, sine charitate actuali aliquem posse justificari, ut fit in infantibus qui martyrium subeunt, nec-non & in eo adulto, qui bonâ fide pro Christo moritur, quamvis ejus memoriæ non occurrat peccatum quò reus tenetur, quodque affectu charitatis detestari deberet. Non igitur loquitur Apostolus generaliter, sed tantùm de homine adulto, qui suis bonis operibus intendit promereri vitam æternam. Quod utique exequi non potest, nisi sit in statu gratiæ, & habeat charitatem habitualem.

XXI. *Quo sensu Deus reprobat pœnitentiam peccatoris.*

Objiciunt secundò. Pœnæ quæcumque hujus vitæ per se, ac nudè sumptæ, non sunt comparabiles, nec ullam proportionem habent cum pœna vitæ futuræ, ac subinde per se non babent valorem, ut remittant illam pœnam: igitur necessaria est gratia, à qua hunc valorem recipiant: hæc autem gratia est sanctificans, à qua Satisfactio dignificatur, & proportionem moralem habet ad pœnam alterius vitæ: igitur talis gratia prærequiritur ad validam Satisfactionem.

XXII. *Quomodo pœnæ hujus vitæ sint æquales debito peccati.*

Distinguo primam consequentiam: Ad eam necessaria est gratia auxilians, & adjuvans, concedo; quia, ut diximus, illa Satisfactio fieri debet per Christum: hoc est, beneficiò ipsius gratiæ sanctificantis & habitualis, nego, maximè quando Satisfactio est tantùm solutiva debitæ pœnæ.

Urgent: Satisfactio illa in statu peccati esset solutiva pœnæ debitæ, vel de coogruo, vel de condigno: Non primum, quia pœnitens in statu peccati indignus est cujusvis boni; ac subinde incapax ut satisfaciat aut mereatur de condigno; & ideo gratia est principium omnis justitiæ apud Deum.

Insuper ad id requiritur promissio divina, in qua justitia tam Satisfactionis, quàm meriti fundatur: hæc autem non fit hominibus in peccato mortali manentibus, sed justis. Secundum etiam dici non potest, nisi merè gratis: ubi enim revelatum est, aut unde constat, Deum hâc liberalitate uti cum inimicis suis, ut eis remittat pœnas, pro quibus ipsi verè non satisfaciunt; cùm lex generalis sit, ut quantùm quis glorificavit se in deliciis, tantùm ei detur tormentorum; & è contra generalis etiam lex sit, ut, quod sine charitate fit, nihil prosit. *Ita Suarez.*

Respondeo primò, prorsus esse indifferens ad rationem Satisfactionis, quòd fiat sive de condigno, sive de congruo, dummodò debitum exolvat: sicut ipsi pariter indifferens est, quòd liberaliter & ex misericordia, vel exactè, seu ex justitia à Deo acceptetur.

Respondeo secundò: Satisfactionem in statu peccati exhibitam, esse solutivam pœnæ de condigno, quantùm ad solutionem pœnæ temporalis debitæ: non autem quantùm ad reconciliationem: Hæc enim Satisfactio, inquit Doctor, *non est reconcilians, nec placans*; & idcirco non disponit satisfacientem ad vitam æternam, nec removet impedimentum ab ejus consecutione præpediens, nempe peccatum. Porro Satisfactio illa non est de condigno ex opere operantis, nec suum mutuatur valorem, suamque moralem proportionem ad debitum persolvendum ex dignitate personæ: sed habet illam condignitatem ex opere operato, seu quatenus Sacramentalis est, & suum valorem, suamque moralem proportionem ad debitum persolvendum accipit ex dignitate Sacramenti, per quod opus istud elevatur & constituitur pars integralis Sacramenti: quia injungitur virtute clavium, & acceptatur à Deo, quatenus condonando peccatum per Absolutionem Sacramentalem, commutavit pœnam æternam in hanc temporalem Satisfactionem.

XXIII. *Satisfactio in statu peccati est solutiva de condigno.*

Fateor itaque, Satisfactionem impensam in statu peccati mortalis, non esse condignam ex opere operantis: sed nullus hactenus probavit, eam sic non debere fieri, nec quòd sufficere non possit, si sit tantùm condigna ex opere operato. Nihilominus, quamquam hæc fortè vera sint, quantùm ad speculationem; attamen si praxim attendas, tutius est suadere pœnitentibus, ut omni studiò incumbant injunctas sibi Satisfactiones implere in statu gratiæ, secundùm prudentem eorum existimationem, hoc est, quando non sunt conscii alicujus peccati mortalis; quia Satisfactio in eo statu exhibita, non solùm est solutiva pœnæ debitæ, sed etiam promeritoria ulterioris gradûs gratiæ, sicut & novi juris ad augmentum gloriæ.

XXIV. *Qualiter hæc assertio sit accipienda.*

APPENDIX.

De Satisfactione, seu Pœnitentia publica.

NOTUM est ac compertum apud Theologos, duplicem esse Satisfactionem, *Sacramentalem* unam, *Canonicam* alteram. Prior est, quæ à Sacerdote ad nutum pœnitenti injungitur post emissam suorum delictorum Confessionem, & ante concessam Absolutionem sacramentalem: posterior verò, quæ præscribitur ab Ecclesia, & statuitur vel in Conciliis, vel in Canonibus Pœnitentialibus pro gravioribus delictis diluendis.

I. *Duplex est Satisfactio, Sacramentalis & Canonica.*

Hæc rursus duplex est, *privata* videlicet & *publica*, seu quæ privatè, & in particulari fit à pœnitente, ac remotis omnibus arbitris, vel quæ in conspectu Ecclesiæ, & fidelium, ex præcepto Ministrorum, ac Pastorum Ecclesiasticorum exercetur.

Hæc est vel particularis, vel publica.

Insuper hæc iterum duplex: nempe quæ fiebat ab adultis ante Baptismum, ut ad illum suscipiendum sese disponerent: altera verò, quæ pro peccatis post Baptismum commissis expiandis suscipiebatur. Quòd enim nemo adultus sine aliqua publica pœnitentia ad Baptismum admitteretur, colligitur ex Actor. 2. ubi S. Petrus monet: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.* Hujus pariter veritatis testes sunt Patres, atque imprimis Tertullianus lib. de Pœnit. usque ad 7. caput, ubi ait: *Saluti hominis præministrat*

Publica iterum duplex: una ante, altera post Baptismum.

Pœnitentiam destinare purgandis mentibus præpositam, & mundam pectoris domum superventuro Spiritui sancto parare. Unde cap. 6. necessitatem hujus pœoitentiæ indicat, quia *lavacrum assignatio est fidei*; seu vitæ Christianæ, quia *justus ex fide vivit*, quæ fides à Pœnitentiæ fide incipitur & commendatur, quâ nimirum corda purificantur: *Non ideo abluimur*, inquit, *ut delinquere desinamus, sed quia desiimus, quoniam jam corde loti sumus; hæc enim prima abdicantis tinctio est metus integer.*

Huic omnes Patres adstipulantur, maximè S. Augustinus homil. 27. cap. 1. ubi ait: *Neque ad Baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quisquam bene accedit, nisi agendo Pœnitentiam de vita pristina; nemo enim elicit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet.* Et homil. 50. cap. 11. Pœnitentiam hanc *novum hominem parturire*, ait: *Donec per Baptismum salutare omnium præteritorum fiat ablatio peccatorum, at tanquam puero nato dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur. Omnis enim qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cùm accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare.* Et posteà: *Ab hac pœnitentia cùm baptizantur, soli parvuli sunt immunes, nondum enim uti possunt liberò arbitriò. Cæterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse quod erat.*

Hoc ipsum etiam docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. ubi inter cæteras dispositiones ad justificationem, maximè per Baptismum obtinendam, Pœoitentiam annumerat, cùm ait: *Moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*, &c.

Hujus autem Pœnitentiæ ritum luculenter explicat S. Augustinus, sed maximè homil. 27. ex 50. occ-non & lib. 11. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. pariter lib. 4. etiam cap. 1. ubi varios hujus Pœnitentiæ ritus enarrans, quibus nocte ante Baptismum proximâ Catechumenus initiabatur, refert quod susceptus in utero ab Ecclesia matre parturiebatur, meminit signi crucis, exorcismorum, orationum, Canticorum spiritualium, insufflationum, cilicii, inclinationis cervicum, humilitatis pedum, pavorisque, cum quô quis ex loco secreto producebatur in conspectum totius Ecclesiæ, ibique cervice humiliatâ, quæ malè fuerat antea exaltata, in humilitate pedum, seu nuditate, cilicio substrato excommunicatus petebat, *Proba me Deus, & scito cor meum*; sicque purgatus Cantatô salutis canticô accipiebat symbolum, & profitebatur renuntiare se diabolo, pompis & Angelis ejus. Hanc autem Pœnitentiam non agebat Catechumenus, ut pro peccatis Deo satisfaceret; eorum enim remissionem gratuitam plenissimam in Baptismo accepturus erat, sed ut se ad gratiam suscipiendam, & vitam novam profitendam veteris odiô, & detestatione pararet. Ita *Bagotius* dissert. 1. cap. 2. sect. 2.

II.
Quis scopus præsentis dissertationis.

Hîc autem non est futurus sermo de Pœnitentia & Satisfactione publica, quæ fiebat ante Baptismi susceptionem, sed duntaxat de ea, quæ post susceptum Baptismum fieri solebat à fidelibus, qui in grandia peccata lapsi fuerant: de qua utique Pœnitentia tria sunt delibanda: *Primum*, quotuplex illa fuerit: *Secundum*, quot illius erant gradus: *Tertium*, de quibus peccatis fieri solebat: quæ utique omnia in sequentibus paragraphis discutiemus.

§. I.

Quotuplex sit Pœnitentia publica?

III.
Triplex erat Pœnitentia publica.

Respondeo: Pœnitentiæ publicæ tria fuisse genera; alia enim erat *imperata*, & præcepta ab Ecclesia; alia *voluntariè à pœnitentibus petita*, & eis concessa; alia denique *solemnis*, quæ utcunque ab illis duabus erat distincta: Prioris pœnitentiæ exempla plurima supperunt in historia Ecclesiastica, constatque nedum ex Conciliorum decretis & sanctionibus, sed ex antiquissimis Canonibus & Ritualibus pœnitentialibus, in quibus decernuntur & præscribuntur pœnæ pro certis quibusdam criminibus eluendis subeundæ à Pœnitentibus.

Imperata;

Imò idipsum colligitur ex Scriptura sacra: nam Christus Dominus conferens Apostolis, & eorum Successoribus, Matth. 18. v. 15. potestatem ligandi peccatores, & eos absolvendi, quomodo quivis juridicè hâc suâ potestate uti debeat, sic præscribit, ut si peccatum occultum fuerit, clam reum castiget; si verò admonitus non resipuerit, adhibeat unum, aut alterum testem, quos si non audierit, tandem eum ad Ecclesiam deferat: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe testem unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

Ex quo præcepto Christi S. Augustinus in cap. ultimo lib. de Corrept. & Gratia infert, quòd Paulus vult, *peccantes coram omnibus corripi, ut cæteri timorem habeant*, de his peccatis accipiendum esse, quæ non latent. Et in serm. 16. de verbis Domini cap. 6. & sequentibus, duo hæc Christi & Apostoli præcepta concilians, ait, *in secreto corripiendum esse fratrem, cùm in te peccaverit*, idest, *cùm tu scis, quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quære, cùm corripis quòd peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.* Et allatô exemplô S. Joseph B. Virginis conjugis, sic pergit: *Peccavit ergo in te frater tuus, si tu solus nosti, tunc verè in te solùm peccavit. Nam si multis audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos testes suæ iniquitatis effecit*: hanc rationem reddit: *Quando me audiente fratri meo quisque injuriam facit, absit ut à me injuriam illam alienam putem. Prorsus & mihi fecit: imo & mihi plus fecit, cui putavit placere quod fecit: ergo ipsa corripienda sunt secretiùs quæ peccantur secretiùs. Novit nescio quem homicidam Episcopus, & nemo alius eum novit*, nec prodit, inquit Augustinus, nec negligit, corripit in secreto, & persuadet Pœnitentiam. *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus; nos non prodimus in palam, sed in secreto arguimus, ut ubi contigit malum, ibi moriatur malum.*

Quibus verbis S. Augustinus designat crimina, ob quæ maximè Pœnitentia publica esset agenda, nempe adulterium & homicidium, quæ cùm secreta dicit, non ita intelligit fuisse occulta, ut non in aliquorum notitiam venerint: nam adulterii

illius uxor accosatrix erat conscia, & tum illud probare posset, aliquos domesticos testes habebat; nihilominus vult sanctus Augustinus adulterum illum non publicè, id est, in conventu totius Ecclesiæ argui, sed privatim, hoc est, in conspectu peccatorum, nempe vel in præsentia ipsius uxoris; quæ criminis erat conscia, nec-non & domesticorum, vel etiam fortè quorumdam Sacerdotum secreti tenacium.

IV. Pridem enim in Ecclesia viguit mos cogendi peccatores publicos ad pœnitendum publicè.

Quòd autem ea perpetua fuerit in Ecclesia praxis, nempe cogendi aliquos peccatores ad ineundam Pœnitentiam publicam, constat ex libro 2. Constitutionum Apostolicarum, ubi cap. 38. legimus: *Sin aliquis durus, obstinatusque erit, dic Ecclesia: si non audierit, sit tibi ut Ethnicus & Publicanus: & ne ad Ecclesiam tanquam Christianum admittas; &c. Si autem vult agere Pœnitentiam, suscipe, &c.* Et cap. 41. *At verò quem à Pœnitentia alienum videris, & obduruisse, hunc tu cum mœrore ut insanabilem ejice ex Ecclesia. Tollatis*, inquit, *improbum ex vobismetipsis, & facietis reverentes filios Israël.* Euthychianus Papa apud Burchardum *lib.* 12. *cap.* 14. ad rem nostram directiùs collimare videtur: *Si quis verò perpetratâ perjuriô, aut quôlibet criminali peccatô, timens Pœnitentiam longam, ad Confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive à consortio & communione fidelium. ut nullus cum eo comedat, atque bibat, neque oret, neque in sua domo eum recipiat.*

Antiqol istios moris testis est S. Cyprianus epist. 52. adversus Novatianos disputans, cùm dixit: *Nec ad Pœnitentiam quis à nobis compelli potest, si fructus Pœnitentia substrahatur.* Ad Pœnitentiam igitur compelli solebant, quos crimina perpetrasse constabat. Idque probat Cyprianus argumentô sanè notandô; Eò quòd authoritatem peccata remittendi Deus Ecclesiæ concesserit, credens authoritatem cogendi ad Pœnitentiam ex authoritate absolvendi necessariò consequi. Ad eundem morem respiciens quoque Pacianus scribebat epist. 3. contra Sympronianum: *Sive baptizamus, sive ad Pœnitentiam cogimus, seu veniam relaxamus, Christo id auctore tractamus.*

Hioc publici peccatores de crimine quomodocunque convicti, si spontè Pœnitentiam publicam agere nolebant, non solùm ad eam per gravem Ecclesiæ interminationem, & sententiam excommunicationis cogebantur; sed & si Censuris Ecclesiasticis non deferrent, ad id cogebantur authoritate Principum, & virtute brachii sæcularis, ut constat ex Concilio Moguntino sub Rabano can. 28. ubi legimus: *Ut Episcopi incestuosos penitus investigare studeant, omnino decrevimus. Quod si pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur. Quod si Sacerdotum admonitionibus, noluerint aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, oportet eos per sæcularis potentia disciplinam à tam prava consuetudine coërceri.* Similis Canon legitur in Concil. Turon. sub Carolo *cap.* 41. *lib.* 2. *cap.* 43. Burchard. lib. 7. cap. 29. *Vormac.* Concil. cap. 79. *Suession.* verò cap. 12. Ivo parte 9. cap. 65. *Obtentum est etiam à devotissimo Principe, ut incesti, & quilibet alii perditi, examen Episcoporum refugientes, per Judices publicos ad eorum præsentiam deducantur, ne ulteriùs illecebram peccandi nutriat impunitas vitiorum.*

V. Etiam ad id invocatô Principum sæcularium auxiliô.

Hinc fit manifesta ratio, quâ Reges ac Principes commoti tam lubenter Episcopis, & eorum Ministris authoritatis suæ auxilium commodârunt. Tunc enim vitiis regna purgantur, cùm disciplina Ecclesiastica in iis diligenter custoditur. Unde in Concilio Tullensi 2. cap. 2. sic statuitur de Virginum & Viduarum corruptoribus. *Viri autem, qui vim eis intulerunt, & ipsi censurâ Ecclesiasticâ ad Pœnitentiam constringantur, Principes & Judices hanc in populo Dei diligentiam adhibeant, ut ubicunque tales in potestate eorum ab Episcopis requisiti fuerint, absque mora eos exhibeant, ne fortè si dissimulaverint, aut mandatum Episcopi contempserint, ab Ecclesia Dei projecti, nec sepulturam cum fidelibus accipiant.*

Si Comites, aut eorum Ministri auxilium Episcopis, vel eorum vices gerentibus denegabant, tum gravissimè pro ratione denegationis a Principibus puniebantur. Explicari hoc meliùs & discretiùs non potest, quàm verbis Carolini Capituli, quod habetur lib. 7. Capitularium cap. 330. aliàs 335. & ferè ante octingentos annos in suos Canones retulit Isaacus Lingoniensis tit. 4. c. 13. *Si aliquis, tam liber, quàm servus, aut Ecclesiasticus, vel Fiscalinus proprio Episcopo, vel suo Sacerdoti, aut Archidiacono inobediens, vel contumax, sive de hoc, sive de alio quolibet scelere extiterit, omnes res ejus à comite, aut à Misso Episcopi contendantur, usque dum Episcopo suo obediat, aut canonicè pœniteat. Quòd si nec se ita correxerit, & ad Episcopum, & Canonicam Pœnitentiam venire distulerit, à Comite comprehendatur, & in carcerem sub magna ærumna retrusus teneatur, nec rerum suarum potestatem habeat, quousque Episcopus jusserit. Quod si Comes, vel ejus Ministri hæc adimplere distulerint, canonicè ab Episcopo, vel à suo Ministro excommunicentur, & usque dum hæc pleniùs adimpleat, semper Communione Catholicorum careat, usque dum ipsi Episcopo humaniùs erga eum aliquid agere placuerit. Si verò, quod non optamus, ipse Comes aut de prædictis causis, aut de ipsa Excommunicatione inobediens aut negligens apparuerit, honore Comitatûs, pariter & Communione careat, usque dum ambo in nostram præsentiam veniant, ut nos illum Episcopali authoritate, atque imperiali metu ita corrigamus, ut cæteri timorem habeant, ne deinceps talia committere ullatenus audeant.* Hæc Morinos quæ mihi necessarium ascribere visum est, eò quòd illius temporis praxim evidentissimè admodum explicent.

Similiter in Capitulis Caroli Calvi ex Synodo Pissensi ann. 862. cap. 4. *Vos autem Episcopi, Evangelica & Apostolica, atque Episcopali authoritate, seniorem, & regni quemlibet potentem, si commonitus juxta Evangelicum præceptum se suosque homines corrigere noluerit, & licèt ipse talia non faciat; tamen si sui, vel in suo obsequio manentes talia fecerint, si eos non correxerit, & emendari quæ faciunt non obtinuerit, eosque ad Pœnitentiam non produxerit, ipse excommunicetur secundùm sacros Canones, donec suos homines ad emendationem, & Pœnitentiam reducat.* Deinde hujus rei ratione redditâ, pergit: *Si autem ipse potens, vel senior satisfecerit Episcopo, & Missis regiis, quia suos homines ad emendationem, & ad Pœnitentiam non potest adducere; sed seipsum vult, aut talibus immunem ostendere, aut dignè satisfacere, & hujusmodi molestias à suo obsequio rejicere, & Dei inimicos persequi, tunc aut non excommunicetur, aut ab excommunicatione solvatur.* Nec minùs evidenter præcedens hoc capitulum quod contendimus confirmat.

Nihil hac in causa legi potest illustrius & augustius lege Arnulphi Imperatoris, quæ refertur

Pœnitentiam destinare purgandis mentibus præpositam, & mundam pectoris domum superventuro Spiritui sancto parare. Unde cap. 6. necessitatem hujus pœnitentiæ indicat, qnia *lavacrum assignatio est fidei*; seu vitæ Christianæ, quia *justus ex fide vivit*, quæ fides à Pœnitentiæ fide incipitur & commendatur, quâ nimirum corda purificantur: *Non ideo abluimur*, inquit, *ut delinquere desinamus, sed quia desiimus, quoniam jam corde loti sumus; hæc enim prima abdicantis tinctio est metus integer.*

Huic nmnes Patres adstipulantur, maximè S. Augustinus homil. 27. cap. 1. ubi ait: *Neque ad Baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quisquam bene accedis, nisi agendo Pœnitentiam de vita pristina; nemo enim elicit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet.* Et homil. 5n. cap. 11. Pœoitentiam hanc *novum hominem parturire*, ait: *Donec per Baptismum salutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum, ut tanquam puero nato dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur. Omnis enim qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cùm acceditur ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare.* Et posteà: *Ab hac pœnitentia cùm baptizantur, soli parvuli sunt immunes, nondum enim uti possunt liberò arbitriò. Cæterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse quod erat.*

Hoc ipsum etiam docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. nbi inter cæteras dispositiones ad justificatiooem, maximè per Baptismum obtinendam, Pœnitentiam annumerat, cùm ait: *Moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*, &c.

Hujus autem Pœnitentiæ ritum luculenter explicat S. Augustinus, sed maximè homil. 27. ax 5n. nec-non & lib. 11. de Symboln ad Catechumenns cap. 1. pariter lib. 4. etiam cap. 1. ubi varios hujus Pœnitentiæ titus enartans, quibus noćte ante Baptismum pnximâ Catechumenus ioitiabatur, refert quod susceptus in utetn ab Ecclesia matre parturiebatur, meminit sigoi crucis, exorcismorum, orationum, Canticorum spiritualium, insufflatiooum, cilicii, inclinatinnis cervicnm, humilitatis pedum, pavorisque, cum quô quis ex loco secreto producebatur in conspectum totius Ecclesiæ, ibique cervice humiliatâ, quæ malè fuerat antea exaltata, in humilitate pedum, seu nuditate, cilicio substratn excommunicatus petebat, *Proba me Deus, & scito cor meum*; sicqne purgatns Cantatô salutis canticô acciepiebat: symbolum, & profitebatur renuntiare se diabolo, pnmpis & Angelis ejus. Hanc autem Pœnitentiam non agebat Catechumenus, nt prn peccatis Deo satisfaceret; eorum enim remissionem gratuitam plenissimam in Baptismn accepturus erat, sed nt se ad gratiam suscipiendam, & vitam nnvam pnfitendam veteris odiô, & detestatiooe pararet. Ita *Bagotius* dissert. 1. cap. 2. sect. 2.

II. Quis scopus præsentis dissertationis.

Hîc autem non est futurus sermo de Pœnitentia & Satisfactione publica, quæ fiebat ante Baptismi susceptionem, sed duntaxat de ea, quæ pnst susceptum Baptismum fieri snlebat à fidelibus, qui io grandia peccata lapsi fuerant: de qua utique Pœnitentia tria sunt delibanda: *Primum*, quotuplex illa fuerit: *Secundum*, qnot illius erant gradus: *Tertium*, de quibus peccatis fieri solebat: quæ utique omnia in sequentibus paragraphis discutiemus.

§. I.

Quotuplex sit Pœnitentia publica?

III. Triplex erat Pœnitentia publica.

Respondeo: Pœnitentiæ publicæ tria fuisse genera; alia enim erat *imperata*, & præcepta ab Ecclesia; alia *voluntariè à pœnitentibus petita*, & eis concessa; alia denique *solemnis*, quæ utcunque ab illis duabus erat distincta: Prioris pœnitentiæ exempla plurima suppetunt in historia Ecclesiastica, constatqne nedum ex Concilinrum decretis & sanctionibus, sed ex antiquissimis Canonibus & Ritnalibus pœnitentialibus, in qnibus decernuntur & præscribuntur pœnæ pro certis quibusdam criminibus eluendis subeundæ à Pœnitentibus.

Imperata;

Imò idipsum colligitur ex Scriptura sacra: nam Christus Dnminus cnnferens Apnstolis, & eorum Successoribus, Matth. 18. v. 15. potestatem ligandi peccatores, & eos absolvendi, quomodn quivis judicâ hâc suâ potestate nti debeat, sic præscribit, nt si peccatum occultum fuerit, clam reum castiget; si verò admonitus non resipuerit, adhibeat unum, aut alterum testem, quos si nnn audierit, tandem eum ad Ecclesiam deferat: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe testem unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

Ex quo præcepto Christi S. Augustinus in cap. ultimo lib. de Corrept. & Gratia infert, quòd Paulus vult, *peccantes coram omnibus corripi, ut cæteri timorem habeant*, de his peccatis accipiendum esse, quæ non latent. Et in serm. 16. de verbis Domini cap. 6. & sequentibus, duo hæc Christi & Apostoli præcepta coocilians, ait, *in secreto corripiendum esse fratrem, cùm in te peccaverit*, idest, *cùm tu scis, quia peccavit. Quia enim secretum fuis, quando in te peccavit, secretum quære, cùm corripis quòd peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.* Et allatô exemplô S. Joseph B. Virginis conjugis, sic pergit: *Peccavit ergo in te frater tuus, si tu solus nosti, tunc verè in te solum peccavit. Nam si multis audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos testes suæ iniquitatis effecit*: hanc rationem reddit: *Quando me audiente fratri meo quisque injuriam facis, absit ut à me injuriam illam alienam putem. Prorsus & mihi fecit: imò & mihi plus fecit, cui putavit placere quod fecit: ergo ipsa corripienda sunt secretiùs quæ peccantur secretiùs. Novit nescio quem homicidam Episcopus, & nemo alius eum novit*, nec prodit, inquit Augustinns, nec negligit, corripit in secretn, & persuadet Pœnitentiam. *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus; nos non prodimus in palam, sed in secreto arguimus, ut ubi contigit malum, ibi moriatur malum.*

Quibus verbis S. Augustinus designat crimina, nb quæ maximè Pœnitentia publica esset agenda, nempe adulterium & homicidium, quæ cùm secreta dicit, non ita intelligit fuisse occulta, ut non in aliquorum notitiam venerint: nam adulterii

illius uxor accusatrix erat conscia, & tum illud probare posset, aliquos domesticos testes habebat; nihilominus vult sanctus Augustinus adulterum illum non publicè, id est, in conventu totius Ecclesiæ argui, sed privatim, hoc est, in conspectu peccatorum, nempe vel in præsentia ipsius uxoris; quæ criminis erat conscia, nec-non & domesticorum, vel etiam fortè quorumdam Sacerdotum secreti tenacium.

IV. Pridem enim in Ecclesia viguit mos cogendi peccatores publicos ad pœnitendum publicè.

Quòd autem ea perpetua fuerit in Ecclesia praxis, nempe cogendi aliquos peccatores ad ineundam Pœnitentiam publicam, constat ex libro 2. Constitutionum Apostolicarum, ubi cap. 38. legimus: *Sin aliquis durus, obstinatusque erit, dic Ecclesiæ: si non audierit, sit tibi ut Ethnicus & Publicanus: & ne ad Ecclesiam tanquam Christianum admittas; &c. Si autem vult agere Pœnitentiam, suscipe, &c.* Et cap. 41. *At verò quem à Pœnitentia alienum videris, & obduruisse, hunc tu cum mœrore ut insanabilem ejice ex Ecclesia. Tollatis*, inquit, *improbum ex vobismetipsis, & facietis reverentes filios Israël.* Euthychianus Papa apud Burchardum *lib.* 12. *cap.* 14. ad rem nostram directiùs collimare videtur: *Si quis verò perpetratô perjuriô, aut quôlibet criminali peccatô, timens Pœnitentiam longam, ad Confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive à consortio & communione fidelium, ut nullus cum eo comedat, atque bibat, neque oret, neque in sua domo eum recipiat.*

Antiqui istius moris testis est S. Cyprianus epist. 52. adversus Novatianos disputans, cùm dixit: *Nec ad Pœnitentiam quis à nobis compelli potest, si fructus Pœnitentiæ substrahatur.* Ad Pœnitentiam igitur compelli solebant, quos crimina perpetrasse constabat. Idque probat Cyprianus argumentô sanè notandô; Eò quòd authoritatem peccata remittendi Deus Ecclesiæ concesserit, credens authoritatem cogendi ad Pœnitentiam ex authoritate absolvendi necessariò consequi. Ad eumdem morem respiciens quoque Pacianus scribebat epist. 3. contra Sympronianum: *Sive baptizamus, sive ad Pœnitentiam cogimus, seu veniam relaxamus, Christo id auctore tractamus.*

Hinc publici peccatores de crimine quomodocunque convicti, si spontè Pœnitentiam publicam agere nolebant, non solùm ad eam per gravem Ecclesiæ interminationem, & sententiam excommunicationis cogebantur; sed & si Censuris Ecclesiasticis non deferrent, ad id cogebantur authoritate Principum, & virtute brachii sæcularis, ut constat ex Concilio Moguntino sub Rabano can. 28. ubi legimus: *Ut Episcopi incestuosos penitus investigare studeant, omnino decrevimus. Quòd si pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur. Quòd si Sacerdotum admonitionibus, noluerint aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, oportet eos per sæcularis potentiæ disciplinam à tam prava consuetudine coërceri.* Similis Canon legitur in Concil. Turon. sub Carolo *cap.* 41. *lib.* 2. *cap.* 43. Burchard. lib. 7. cap. 29. *Vormac.* Concil. cap. 79. *Suession.* verò cap. 12. Ivo parte 9. cap. 65. *Obtentum est etiam à devotissimo Principe, ut incesti, & quilibet alii perditi, examen Episcoporum refugientes, per Judices publicos ad eorum præsentiam deducantur, ne ulteriùs illecebram peccandi nutriat impunitas vitiorum.*

V. Etiam ad id invocatô Principum sæcularium auxiliô.

Hinc fit manifesta ratio, quâ Reges ac Principes commoti tam lubenter Episcopis, & eorum Ministris authoritatis suæ auxilium commodârunt. Tunc enim vitiis regna purgantur, cùm disciplina Ecclesiastica in iis diligenter custoditur. Unde in Concilio Tullensi 2. cap. 2. sic statuitur de Virginum & Viduarum corruptoribus. *Viri autem, qui vim eis intulerunt, & ipsi censurâ Ecclesiasticâ ad Pœnitentiam constringantur, Principes & Judices hanc in populo Dei diligentiam adhibeant, ut ubicunque tales in potestate eorum ab Episcopis requisiti fuerint, absque mora eos exhibeant, ne fortè si dissimulaverint, aut mandatum Episcopi contempserint, ab Ecclesia Dei projecti, nec sepulturam cum fidelibus accipiant.*

Si Comites, aut eorum Ministri auxilium Episcopis, vel eorum vices gerentibus denegabant, tum gravissimè pro ratione denegationis à Principibus puniebantur. Explicari hoc meliùs & discretiùs non potest, quàm verbis Carolini Capituli, quod habetur lib. 7. Capitularium cap. 330. aliàs 335. & ferè ante octingentos annos in suos Canones retulit Isaacus Lingoniensis tit. 4. c. 13. *Si aliquis, tam liber, quàm servus, aut Ecclesiasticus, vel Fiscalinus proprio Episcopo, vel suo Sacerdoti, aut Archidiacono inobediens, vel contumax, sive de hoc, sive de alio quolibet scelere extiterit, omnes res ejus à comite, aut à Missô Episcopi contendantur, usque dum Episcopo suo obediat, aut canonicè pœniteat. Quòd si nec se ita correxerit, & ad Episcopum, & Canonicam Pœnitentiam venire distulerit, à Comite comprehendatur, & in carcerem sub magna ærumna retrusus teneatur, nec rerum suarum potestatem habeat, quousque Episcopus jusserit. Quòd si Comes, vel ejus Ministri hæc adimplere distulerint, canonicè ab Episcopo, vel à suo Ministro excommunicentur, & usque dum hæc pleniùs adimpleat, semper Communione Catholicorum careat, usque dum ipsi Episcopo humaniùs erga eum aliquid agere placuerit. Si verò, quod non optamus, ipse Comes aut de prædictis causis, aut de ipsa Excommunicatione inobediens aut negligens apparuerit, honore Comitatûs, pariter & Communione careat, usque dum ambo in nostram præsentiam veniant, ut nos illum Episcopali authoritate, atque imperiali metu ita corrigamus, ut cæteri timorem habeant, ne deinceps talia committere ullatenus audeant.* Hæc Morinus quæ mihi necessarium ascribere visum est, eò quòd illius temporis praxim evidentissimè admodum explicent.

Similiter in Capitulis Caroli Calvi ex Synodo Pissensi ann. 862. cap. 4. *Vos autem Episcopi, Evangelica & Apostolica, atque Episcopali authoritate, seniorem, & regni quemlibet potentem, si commonitus juxta Evangelicum præceptum se suosque homines corrigere noluerit, & licèt ipse talia non faciat; tamen si sui, vel in suo obsequio manentes talia fecerint, si eos non correxerit, & emendari quæ faciunt non obtinuerit, eosque ad Pœnitentiam non produxerit, ipse excommunicetur secundùm sacros Canones, donec suos homines ad emendationem, & Pœnitentiam reducat.* Deinde hujus rei ratione redditâ, pergit: *Si autem ipse potens, vel senior satisfecerit Episcopo, & Missis regiis, quia suos homines ad emendationem, & ad Pœnitentiam non potest adducere; sed seipsum vult, aut talibus immunem ostendere, aut dignè satisfacere, & hujusmodi molestias à suo obsequio rejicere, & Dei inimicos persequi, tunc aut non excommunicetur, aut ab excommunicatione solvatur.* Nec minùs evidenter præcedens hoc capitulum quod contendimus confirmat.

Nihil hac in causa legi potest illustrius & augustius lege Arnulphi Imperatoris, quæ refertur,

Can. 3. Concilii Triburiensis, quod celebratum est anno 895. sedente Papâ Formosô. Postquam præclarum procemium legi suæ texuit ex variis Scripturæ locis, tandem sic colligit: *Idcirco non potentiam ostendentes, sed justitiam exhibentes, præcipimus, & authoritate nostrâ injungimus omnibus regni nostri Comitibus, postquam ab Episcopis anathemate Excommunicationis percelluntur, & tamen ad Pœnitentiam non inclinantur, aut ab ipsis comprehendantur, & ante nos perferantur, ut qui divina judicia non verentur, humanâ sententiâ feriantur, &c. Si tam rebelles fuerint, ut comprehendentibus repugnare studuerint, & in tali temeritate interfecti fuerint, judiciô Episcoporum interfectoribus nulla imponatur Pœnitentia, & preceptô nostrô; Vueregildi nulla ab eis extorqueatur compositio.* Ipsi Comites ab Episcopis excommunicati ad Pœnitentiam agendam ab ipsis Episcopis coguntur, & Imperatori ab eo puniendi sistuntur. *Vueregeldi* vox Germanica significans illis temporibus mulctam pecuniariam homicidii causâ impositam. Ita Morinus lib. 7. de Pœnit. cap. 11.

VI. *Pœnitentia publica ab aliquibus voluntariè petebatur.*

Ex quibus apparet, aliquos peccatores ad ineundam publicam Pœnitentiam fuisse coactos, non solùm per Ecclesiæ interminationem & imperium, sed etiam per authoritatem Principum, nec-non & Magistratûs sæcularis.

Pœnitentia publica etiam fieri solebat ab aliquibus, qui voluntariè, ac liberè sese ultrò ei subjiciebant, cujus quidem voluntariæ Pœnitentiæ meminit S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, ubi ait: *Si quis occulta crimina habens, propter Christum tamen studiosè egerit, quomodo istic recipitur, si ei communio non refunditur?* Ubi vocabulum *studiosè* significat Pœnitentiam voluntariè susceptam, maximè cùm loquatur S. Ambrosius de crimine occulto, propter quod eluendum Pœnitentia publica nusquam imperabatur. Quòd autem sermonem faciat S. Ambrosius de Pœnitentia publica, apparet ex his, quæ subjicit: *Volo veniam reus speret, petat cum lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur, & obsecret, cùm secundò, & tertiò fuerit dilata ejus Communio, credat remissiùs se supplicasse, fletus augeat miserabiliter, posteà revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, &c.*

Nec obscurè idipsum colligitur ex his sancti Augustini verbis homiliâ 50. cap. 4. *Nemo arbitretur, fratres, propterea se consilium salutifera hujus debere Pœnitentia contemnere, quia multos fortè advertit, & novit ad sacra altaria accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus; multi tolerantur, ut Iudas, multi nesciuntur.* Quia nimirum non deferuntur ad Ecclesiæ Antistites. *Nos verò à Communione prohibere quemquam non possumus, quamvis hac prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, sive sæculari, sive Ecclesiasticô judiciô nominatum, atque convictum.* Quibus significat, aliquos peccatores non convictos ultrò, ac spontè confiteri peccata, prohiberi à Communione, & salutiferæ illius Pœnitentiæ consilium amplecti.

Huc denique spectat, quod S. Leo epistolâ 80 de Confessione publica non divulgatorum peccatorum, quam imperiti Sacerdotes nonnulli ab hujusmodi pœnitentibus spontaneis exigebant, quia in aliis usurpatam videbant, differens, laudat *quidem nonnullorum plenitudinem fidei, qua propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, eam tamen consuetudinem, aut potius abusum vetat, ne multi à Pœnitentia remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli.* Quorum fidei plenitudinem laudat, non id tantùm, ad quod vi legis tenebantur, sed aliquid amplius sponte fecisse, quosque multos indiscretô illô rigore Confessionis publicæ à Pœnitentiæ remediis arceri, ait Leo, eam non coactos, sed spontaneâ pietate amplexos esse, valde probabile est.

Hujus autem spontaneæ Pœnitentiæ varia proferuntur exempla à SS. Patribus, inter quæ præclarum refert S. Hieronymus epist. 30. quæ Fabiolæ est epitaphium, ubi narrat quomodo Fabiola ob illicitas nuptias, utpote superstite maritô contractas, sed quas sibi licitas fuisse, bonâ fide crediderat, Pœnitentiam egerit: *Fabiola*, inquit, *quia persuaserat sibi, & putabat à se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio viventibus viris fœminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit.* Et posteà ait, *illam sic doluisse, quasi adulterium commisisset*, seu quasi ejus rea fuisset; nec ob ignorantiam, veniam meruisse. Quare quandiu bonâ fide illi secundo viro juncta haud dubiè, ut tunc moris erat, Eucharistiam percepit, nec ab ea per Episcopi imperium prohibita est; *at post mortem secundi viri in semetipsum reversa*, Pœnitentiam poposcit, & induta saccô errorem publicè confessa est, cùm scilicèt *Evangelii vigore cognitô, peccatum suum agnovit, saccum induit, & stetit in ordine pœnitentium ante diem Pascha, aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra cum Maria sorore Moysi separata consedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret.* Quamobrem Fabiola Pœnitentiam hanc non coacta subiit, sed volens poposcit ob crimen toti Romæ notum, non occultum.

VII. *Quænam fuerit pœnitentia solemnis.*

Solemnis Poenitentia ea dicitur, quam pœnitens perpetuò observandam suscipiebat, & ad vitæ austerioris institutum se obstringebat vel in Monasterio, vel sub Monachorum cura & disciplina. Unde status ille non tantùm habebat officia aliqua Pœnitentiæ publicæ sive imperatæ, sive concessæ, sed etiam in his perseverantiam, & quandam immobilitatem annexam inducebat: in quo differebat ab ea conditione pœnitentium, quæ tantùm erat via & præparatio ad reconciliationem obtinendam; quâ obtentâ cessabat obligatio agendæ ulteriùs. Pœnitentiæ publicæ. Secus namque erat de iis, qui austeriorem vitam fuerant professi: nam ad ejus observantiam reverà per Ecclesiæ Antistites poterant cogi: & si ab eo instituto deviassent, ad illud Censuris Ecclesiasticis debebant revocari. Pœnitentes autem illi dicebantur *Conversi*, non quòd omnes, qui hoc Pœnitentiæ genus & institutum suscipiebant, graviorum criminum rei fuissent, plerique enim ex pietate spontè illud assumebant, sed quia distincti erant à Monachis cum quibus degebant, quamquam ab eo instituto non possent deflectere. Hinc Canon 55. Concilii Toletani 4. ejusmodi pœnitentes, & Monachos in eadem velut classe collocat, deficientesque tanquam Apostatas anathemate percutit: *Quicumque, inquit, ex sæcularibus accipientes Pœnitentiam totunderunt se, & rursus prævaricantes*

Laïci effecti sunt, comprehensi ab Episcopo, ad Pœnitentiam, ex qua recesserunt, revertentur. Quòd si aliqui per Pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, veri ut Apostata coram Ecclesia, anathematis sententiâ condemnentur. Et idem statuens de Monachis Apostatis, subjungit: *Quæ forma servabitur etiam in Viduis, Virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt; & posteà aut vestem mutârunt, aut ad nuptias transierunt.*

In idem conspirat Concilium Toletanum octavum Can. 7. ubi renovans præfatum decretum, ait: *Quoniam tanta existit perversitas hominum, ut hi quos sub religioso habitu Pœnitentia professio per peccatorum veniam ad manum Sacerdotis deducit, vel adduxit, iterum redivivâ malitiâ ad pristina vitæ sordes revocet; hujus rei causâ Synodus decernit, ut si qui ingenuorum utriusque sexûs, sub nomine Pœnitentiæ in habitu religioso sunt conversati; post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id quod reliquerant, redierunt, aut redierint, ad Episcopos Civitatis, in cujus territorio sunt conversi, comprehensi rursus legibus Pœnitentiæ in Monasteriis subdantur inviti. Quòd si facere propter aliquem potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicut pristinorum Canonum statuerunt Decreta, quousque ad dimissum ordinem revertantur, excommunicati habeantur.*

Ex quibus apertè constat, hujusmodi Pœnitentes longè diversos fuisse ab aliis pœnitentibus publicis; tantùm enim abest, ut qui in eo statu versabantur, alieni essent à Communione & participatione Sacramentorum Ecclesiæ; imò eis Ecclesia excommunicationem comminatur, nisi ad statum, quam deseruerant, revertantur.

Cujus utique solemnis Pœnitentiæ luculentum ac præclarum exemplum profert Concilium Toletanum 12. cap. 1. in persona Vuambæ Regis Hispani, qui cùm à gravissimo morbo convaluisset, audiens pro se factum fuisse votum, quòd si illi restitueretur sanitas, perpetuam Pœnitentiam ageret, omni habitu & jure regiô se abdicavit, & susceptô Religionis debitô cultu, & venerabilis Tonsuræ sacræ signaculô, Pœnitentiæ institutum suscepit. Qualis autem, quàmque acerba & austera fuit quorundam hujusmodi conversorum, seu pœnitentium Satisfactio, non obscurè enarrat S. Joannes Climacus in scala perfectionis, maximè verò gradu V.

VIII. Eius egregium specimen exhibet S. Ioannes cognomento Climacus.

» Cùm intellexissem ego imbecillis homo, esse quandam raram & inusitatam, abjectissimamque vivendi rationem quorundam, qui in privato & separato quodam loco, quem Carcerem dicunt, degunt, subjecto tamen illi alteri, quod suprà laudavi siderum sideri cœnobio, & adhuc ibi morarer, rogavi sanctum illum Præsidem, uti mihi liceret sedem illam coram inspicere. Cessit precibus meis ille inclytus Cœnobii Antistes, quòd nollet me ullâ ratione offensum. Cùm ergo ad locum illum pœnitentium; imò verò ad regionem lugentium (Carcerem inquam) venissem, vidi reverà, si fas est dicere, quæ, uti solet, hominis ignavi oculus non vidit, & inertis aures non audierunt, quæque in cor pigri non ascenderunt: facta, inquam, & verba quæ Deo quodammodo possint vim inferre; studia & habitus quæ clementiam ipsius statim inflectant. Vidi quosdam ex innocentibus illis reis totas noctes ad usque manè sub dio immotis pedibus stantes, & miserabiliter cum somno & natura luctantes, vi-

que hujus pene fractos, dum nullam sibi penitus quietem indulgerent, imò seipsos graviter adhuc objurgarent, & convitiis insuper & contumeliis excitarent. Alios cœlum intuentes, & illinc opem cum lamentabili voce gemituque implorantes. Alios item, qui in precibus perseverabant, manus post terga sceleratorum ritu revincti vultus altô mœrore confusos humi defigebant, ut qui se indignos judicarent, qui cœlum respicerent, nihil ausos loqui, nec ullam vocem mittere, nec precari, Deumve præ cogitationum turba & conscientiæ trepidatione, & ignominia appellare, non habentes quid & quomodo dicerent, undeque precum exordia ducerent, sed solam animam ratione confusam, mentemque Deo, pleni tenebris & subtili quasi desperatione affecti, repræsentantes. Sedebant alii humi in pavimento super cinerem & saccum, genibusque vultum tegebant, frontibus humum ferientes: alii assiduè pectus tundebant, animæ suæ statum primum vitamque præteritam (quam cum virtute traduxerant) revocantes. Ex his ergo alii pavimentum lacrymis inundabant, alii lacrymarum fonte destituti, seipsos diverberabant. Alii tanquam in funere animas suas lamentabantur, nec magnitudinem doloris pectore poterant continere. Alii intus (Leonum instar) rugiebant & spiritu fremebant, sed interim strepitum lamentorum reprimebant, quamvis vim doloris nonnunquam non potuerint sustinere, sed repente in apertos clamores eruperint. Spectavi ego ibi quosdam eô corporis habitu, ac si ab seipsis excessissent, & altô mœrore defixi ad stuporem animi, & æternum silentium redacti essent, tenebris enim altissimis confusos, & ad omnia vitæ officia velut stupentes extensos.

Cæterùm animô ad extremum humilitatis gradum demissos, & igne mœstitiæ lacrymas eliquantes. Spectavi alios, qui capitibus in terram pronissis meditabundi sedebant, cervicesque assiduè motabant, & ex imo pectore, & intimis visceribus, ritu Leonum, rugiebant & ingemiscebant. Ex quibus alii veniam omnium delictorum spei pleni petebant, & obsecrabant: alii se indignos veniâ ex altissima humilitate judicabant, nec posse pro delictis suis Deo respondere vociferabantur. Nonnulli, ut hîc pœnas darent, & ibi gratiam misericordiamque consequerentur, rogitabant. Alii simul oneris conscientiæ gravitate depressi, & supplicia æterna deprecabantur, & indignos tamen se cœlo sincerè proclamant, & dummodo hoc, inquiunt, fiat, sufficit nobis. Vidi illic animas humiles contritas, & oneris pondere depressas, quæ saxa ipsa verbis, & vociferationibus, precibusque ad Deum fusis ad sensum commiserationis possent flectere. Nutantibus quippe pronisque in terram capitibus dubitabant. Ita sanè non ignoramus, sed probè novimus, nos deinceps omni pœnâ & suppliciô dignissimus, & meritò sanè: non possumus enim præ numero & multitudine peccatorum nostrorum satisfacere, etiam si totus mundus convocatus nobiscum plangeret. Illud enim rogamus, illud deprecamur, illud deinceps unum obtestamur, *Ne in furore tuo arguas nos, neque in ira tua, sed* misericordia *corripias nos.* Satis enim nobis est, si à gravissima tua comminatione, & inexplicabilibus & reconditis suppliciis liberemur. Ut enim omnis prorsus pœna nobis remittatur, veniaque donetur, petere non audemus: quâ fronte enim id audeamus,

qui votum sanctum violavimus, & post primam culparum omnium gratiam pro singulari tua clementia factam tam fœdè inquinavimus? Erat ibi, erat, amici, verè tibi, claréque videre Davidis verba; spectare, inquam, *afflictos & curvatos usque ad finem* totius vitæ, qui *totô die contristati incedebant*, olentibus jam & corruptis putrefactisque corporis cicatricibus, ut qui nullam corporis curam haberent, & *obliti erant comedere panem suum, & potum aqua lacrymis, & fletu miscebant: & pulverem & cinerem pro pane comedebant. Ossa cuti adhærebant, & ipsi tanquam fœnum exaruerant.* Nec aliud apud illos audire erat, quàm hujuscemodi voces, Væ væ miseris nobis, meritò, meritò; parce, parce Domine. Alii clamabant; miserere, miserere, rursus alii miserabiliùs: Ignosce Domine, ignosce, si ullus veniæ locus, &c.

Videre erat in illis linguas ardentes, & pro ritu canum ex ore promissas. Alii in gravi Solis æstu se cruciabant; alii frigore se torquebant: alii cùm modicum quid aquæ libassent, desierunt, ut ne siti enecarentur: alii cùm panem gustassent duntaxat, illum rursus procul abs se rejiciebant, se indignos dictitantes, qui cibum humanum sumerent, qui bestiarum opera exercuissent. Ubi signum apud illos risûs? ubi otiosæ fabulæ? ubi subitus furor, aut ira? apud quos jam nesciebatur utrum adhuc inter homines ullus esset iræ locus: adeò luctus æternus omnem in illis iræ motum extinxerat. Ubi verborum concertatio? ubi feriæ? ubi nimia loquendi libertas? ubi cura corporis? ubi vestigium vanæ gloriæ? ubi deinceps deliciarum spes? ubi de vino cogitatio? ubi vel pomi gustatio? ubi culinæ & ollæ solatium? ubi gulæ illecebræ? Omnium horum deinceps in omni præsenti vita spes apud illos penitus sublata, & deleta erat. Ubi cura inter illos ulla rerum humanarum? ubi judicandi quemcunque alium libido? nusquam. Sed hæc apud illos perpetuò ingeminabantur; hæc ad Dominum illi vociferabantur. Alii quippe pectus graviter tundentes, perinde ac si ad cœli starent limina ad Dominum clamitabant: Aperi nobis, Judex, aperi nobis, quando nobis ipsi peccatis nostris fores cœli occlusimus. Aperi nobis. Alii dictitabant: *Ostende nobis* solùm *faciem tuam, & salvi erimus*... Erat videre in illis genua, quæ ex assidua geniculationum consuetudine callum obduxerant: oculos exesos & debiles, altosque in sinus capitis recedentes: genas habebant saucias, & ardore ferventium lacrymarum adustas, vultusque pallentes, & emaciatas facies, nihil à mortuis, si conferres, differentes: pectora plagarum ictibus lucentia, & è crebris pugnorum verberibus cruenta, sanguinis ex pectore rejecta sputa. Ubi illic lectus quieti positus? ubi munditiæ, & adversus frigora vestis munimentum? rupta & lacera omnia & inquinata, sordibusque vermium scatentia. Nihil ad horum patientiam obsessorum à dæmonibus vexatio: nihil mortuorum luctus; nihil in exilio degentium calamitas: nihil supplicium parricidarum: nihil reverà illorum pœnæ, & inflicta tormenta ad voluntariam horum castigationem & carnificinam: Rogo, Fratres, nolite putare, me vobis fabulas narrare... Sed enim extremâ vitæ horâ cuipiam imminente, tum verò quale, & quàm tremendum miserandumque spectaculum videres. Nam quando socii Pœnitentiæ, aliquem præcedere se ad mortem sensere, sibi adhuc præsentem & sentientem, omnes in orbem circumstabant, sitique æstuantes, & luctu mœrentes, ardentesque desideriô miserabili oris habitu, tristique sermone capita agitantes, jam deficientem summâ commiseratione prosecuti cogitabant: Quid est, frater, & commilito noster, quomodo habes te? quid dicis? quid tibi spei superest? quid sentis? assecutus ne es quod tantô labore quæsivisti? an nondum etiam? Ingressus es portam salutis, an adhuc fluctuaris animô? attigisti metam? an aberrasti? donatus es libertate, an adhuc tumultuantur, & torquent te cogitationes tuæ? Illustrata ne mens tua est cœlesti lumine, an adhuc confusa tenebris, & ignominiâ hæret in nocte? accepistine vocem aliquam tibi in corde respondentem: *Ecce sanus factus es; remittuntur tibi peccata tua*: aut, *fides tua te salvum fecit*: aut fortasse illam terribilem adhuc sententiam audis, *Convertantur peccatores in infernum*, &, *Ligate manus & pedes ejus*: &, *tollatur impius, ne videat gloriam Domini*. Quid respondes omnino? frater, dic nobis, obsecramus te, ut & nos sciamus, quæ nos sors expectet. Tuum quippe vitæ tempus jam effluxit, quod in omnem æternitatem non redibit. Ad hæc alii morientium dixere; *Benedictus Dominus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me.* Alii verò iterum, *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Alii autem admodum dolenter respondebant: *Forsitan pertransivit anima nostra aëream potestatem, intolerabilem aquam?* incerti adhuc salutis & anxiè cogitantes, quid in illo tremendo judicii tribunali futurum esset: Alii verò multò hôc tristiùs responderunt: Væ, inquiebant, animæ, quæ voti sui professionem non inviolatam custodivit: Hæc in hora hac sola experietur, quid illi sit paratum. Hæc ergo tùm apud illos coram spectassem & audivissem, parum abfuit, quin meam negligentiam cum illorum patientia & afflictione comparando, desperarem. Nam qualis non erat ipsius loci aspectûs habitatio? tota domus obscura & tenebrosa, tota olens & fœtens, tota sordida & squalida. Carcer enim & damnatorum ergastulum, non immeritò appellata est: adeo ut solius loci contemplatio spectatorem ad Pœnitentiam & luctum incitaret. Enim verò quæ aliis gravia & intolerabilia videntur, hæc iis, qui virtutis & cœlestium gratiarum jacturam fecerunt, prona faciliaque sunt, & promptè suspiciuntur, &c. ita *S. Ioannes Abbas*, dictus *Climacus* à scala perfectionis quam composuit.

§. II.

Quot, & qui fuerint Pœnitentiæ publicæ gradus?

Quamquam Ecclesia semper eadem, ac invariata perseveret, eôdemque divinitus instillatô amoris ac zeli incendiô filios suos ad vitæ sanctitatem & puritatem stimulet, & ad vitiorum ac peccatorum expugnationem & expurgationem, quâ potest curâ ac sollicitudine provocet; nihilominus non eadem semper fuit illius circa pœnitentes exterior disciplina; aliquando enim indulgentiùs egit cum peccatoribus, aliàs autem acerbiùs: idcirco varia circa disciplinam agendæ publicæ Pœnitentiæ distinguenda sunt tempora: *Primò*, quidem ab Apostolis usque ad exortam Montani hæresim: *Secundò*, à Montano usque ad Novatum. *Tertiò*, à Novato usque ad septimum

aut Octauum sæculum: Denique à septimo sæculo usque ad hodiernom tempus. In quibus varia apparet Ecclesiæ in peccatores animadversio, non solùm pro variis criminibus: sed etiam ratione temporum, conditionum, ætatum, sexuum, sanitatis aut infirmitatis, nec-non & pro diversa animi compunctione, & vario ardore aut tepore ipsorum pœnitentium.

IX.

Lenior erat & rarior publica pœnitentia ante Montani hæresim.

Dico itaque primò, ab ipsis Ecclesiæ primordiis usque ad Montanuni, longè majorem ac leniorem fuisse Ecclesiæ clementiam circa peccatores, quàm postmodum apparuerit, ut colligere licet ex facto Apostoli, qui 1. Cor. cap. 5. enarrat crimen horrendum cujusdam Corinthii; *Auditur inter vos*, inquit, *fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes; itaut uxorem fratris sui aliquis habeat.* Consideremus & pœnæ durationem, & qualitatem, Epistolâ 2. cap. 2. jubet S. Paulus huic pœnitenti Corinthios parcere: *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hac, qua fit à pluribus, itaut è contrario magis donetis & consolemini.* Causa hujus indulgentiæ pensitanda, *Ne forte abundantiori tristitiâ absorbeatur, qui ejusmodi est.* Indulgentiæ igitur & remissionis peccatorum accelerandæ legitima causa est, vehemens animi compunctio. Unde statim adjicit, *Propter quod obsecro, ut confirmetis in eam charitatem.*

Ut constat exemplò S. Pauli.

Secundò idem constat ex S. Clemente Apostolorum discipulo, qui lib. 2. Constitut. cap. 16. Episcopum informaos de disciplina servanda circa pœnitentem, ait: *Cùm deliquisse videris, jube ejici foras, de quo ejecto doleant etiam Diaconi, qui eam observent, & extra Ecclesiam contineant, idemque in Ecclesiam ingressi pro eo te rogent: postea jubebis ingredi, & factâ examinatione an pœniteat, sitque dignus, qui in Ecclesia ex toto admittatur, castiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut septem hebdomadarum, ut delicti genus & ratio poposcerit; atque ita dimitte illum eo locutus, qui eum, qui de peccato commisso alium admonendi causâ increpat, docere & monere convenit, &c.* Quibus, ut apparet, S. Clemens tempus multò brevius assignat agendæ Pœnitentiæ, & suscipiendæ reconciliationi, quàm S. Paulus Corinthio præscripserat.

Aliud etiam ejusdem veritatis nobis suppeditat argumentum Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 2. cap. 17. de quodam adolescente, quem S. Joannes Apostolus cuidam Episcopo instituendum & educandum tradiderat. Verùm adolescens ille vir factus Præceptoris ac Magistri conspectum fugiens, omni se vitiorum genere polluit, & per plures annos prædonum dux extitit, donec S. Joannes ab exilio reversus eum quæsivit, & inventum ad pœnitentiam revocavit. Quam utique diuturnam esse noluit, sed brevi transacto Pœnitentiali tempore, eum Ecclesiæ reconciliavit. Rem autem sic enarrat Clemens Alexandrinus: *Senem ad se adventantem complectitur. Prædo pœnitens, fletu & mœrore quoad poterat pro culpa satisfecit, & dexterâ solâ occultatâ lacrymarum undâ secundò baptizatur. Apostolus ratâ & constanti asseveratione, ei se à Servatore veniam & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur, atque ad genua accedens, ipsam manum dextram tanquam aquâ Pœnitentiæ ablatam, purgatamque osculatus; illum ad Ecclesiam reducit, & crebris precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis unà cum eo se macerat, variis divinæ Sapientiæ sententiis ejus animum, quasi quibusdam lenociniis mitigat, tranquillatque; nequè priùs, ut fertur, inde discessit, quàm illum Ecclesiæ restituisset.*

X.

Et S. Joannis Evangelistæ.

Ex quibus evidens est, Pœnitentiam illam non diuturnô, sed brevi tempore fuisse confectam, siquidem S. Joannes discesserat Ephesо, tantùm ut illam Ecclesiam visitaret.

XI.

Et ex libro Pastoris.

Quartò, idem constat ex libro 2. *Pastoris*, ubi Hermes S. Pauli discipulus enarrat modum agendæ Pœnitentiæ, tempus autem, quô sit conficienda, distinctè non præscribit. Et lib. 3. colligit, pœnas æquari voluptatibus, licèt in punitionem annalis voluptatis, unius diei pœna imponatur: *Dulcedo*, inquit, *& voluptas nullam memoriam habent propter stultitiam, quæ insita est illis. Cùm verò unô die accesserit hominis cruciatus, ac pœna, totô anni tempore torquetur, &c.*

Et ex Tertulliano.

Patet denique ex Tertull. qui licèt omnem suô tempore agendæ Pœnitentiæ disciplinam disertè ac luculenter expresserit: non tamen meminit temporis præscripti; quô illa esset agenda: Quod utique non siluisset, si ut posteà factum est, Satisfactiones pœnales præscriberentur ad decem, quindecim, & viginti annos. Cujus utique disciplinæ meminerunt omnes, qui post assignatum ab Ecclesia faciendæ Pœnitentiæ tempus, de ejusmodi disciplina scripserunt. Imò Tertullianus ibidem cap. 10. significare videtur, non esse diu pertrahendam Pœnitentiam; ait enim cap. 10. *Cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras, æquè illi cùm super te lachrymas agunt, Christus patitur. Christus Patrem deprecatur: facilè impetratur semper, quod filius postulat.* Non dixisset autem facilè impetrari peccatorum veniam, si septem, aut decem anni essent insumendi in illa exoranda, & obtinenda.

Nec obstat, quòd Canon 14. Apostolorum proroget in tres annos Pœnitentiam laïci, qui seipsum mutilaverat, quia vitæ suæ fuerat insidiator.

Dico enim *primò*, hôc solô peccatô certum Pœnitentiæ tempus fuisse præscriptum, eò quòd casus ille omninò esset extraordinarius.

Dico secundò: probabile esse has voces (*Can.* 13.) additas fuisse Canoni Apostolorum: nam Canone 1. Concilii Nicæni, ubi eadem lex statuitur, nulla fit mentio ejusmodi pœnæ, sed tantùm prohibet, ne ad Clerum promoverentur, qui ejusmodi scelus admisissent.

Si opponas Clementem Alexandrinum lib. 6. Stromatum, ubi refert S. Petrum prædicantem, hanc ex verbis Domini sententiam protulisse: *Si quis velit ex Israël duci Pœnitentiâ, & propter nomen meum crediderit in Deum, remittuntur ei peccata post duodecim annos.* Respondebo, hæc Clementem desumpsisse ex nonnullis libris apocryphis, ut & pleraque alia, quæ universæ Ecclesiæ praxi contraria sunt, maximè verò hic duodenarius agendæ Pœnitentiæ annorum numerus; siquidem constat ex allatis exemplis illô ipsô Apostolorum tempore, non ita diu prorogatam fuisse Pœnitentium reconciliationem.

Ratio autem cur prioribus temporibus Ecclesia mitiùs ageret cum pœnitentibus, petenda est ex vehementia Contritionis, quâ afficiabantur Ecclesiæ nascentis filii, cùm in peccatum aliquod lapsi fuissent: nam id semper Ecclesia constituit, ac ratum habuit pro Contritionis vehementia pœnas esse minuendas: cùm verò sequenti tempore, jam refrigescente charitate, minùs esset intensa Contritio, hinc duriùs oportuit agi cum pœniten-

tibus, ac proinde longiori, atque graviori Satisfactione opus erat.

Hoc maximè constat à temporibus Montani hæretici, qui cùm negaret mœchis, homicidis, & idololatris veniam dari posse ab Ecclesia; cujus cootrarium Catholici tuebantur, inde pauló severior fuit erga Pœnitentes Ecclesiæ disciplina, maximè in eos, qui mœchiæ, homicidii, & idololatriæ rei essent, ut constat ex epistola 55. S. Cypriani ad Cooroelium, ubi inter varia scelera Presbyterorum, hoc enumerat quòd essent indulgentiores erga pœnitentes: *Et primò*, inquit, *flato persecutionis die, cùm recentia delinquentium facinora ferverent, & sacrificiis nefandis non tantùm diaboli altaria, sed adhuc manus ipsa lapsorum, atque ora fumàrent, communicare cum Lapsis, & Pœnitentia agenda intercedere non destiterunt, &c.* Et in lib. de lapsis, in hujusmodi reos criminum sine longiori Pœnitentia recoociliatos invehitur, his verbis: *A diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt: Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus Domini corpus invadunt.*

XII.
Gravior autem & acerbior fuit post Montani tempora.

Hæc tamen ita non sunt accipienda, quasi eô tempore indiscriminatim reis concederetur Absolutio, absque prævia severa Satisfactione & Pœoitentia publica, ut videre est apud Tertullianum, maximè libro de pudicitia; quem licèt jam Montanista scripserit; nihilominus significat, quæ fuerit disciplina noo solùm apud Montanistas, sed & apud Catholicos erga reos graviorum criminum, ut ad Pœnitentiam publicam admitterentur. Sic enim scribit cap. 5. *Adsistit Idololatres, adsistit homicida: in medio eorum adsistit & mœchus. Pariter de Pœnitentia officio sedens in sacco, & cinere inhorrescunt, eôdem flatu ingemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eandem invocant matrem. Quid agis mollissima & humanissima disciplina? Idololatrem quidem & homicidam semel damnas, mœchum verò de medio excipis, &c. Planè si ostendas de quibus patrociniis exemplorum, præceptorumque cœlestium soli mœchia, & in ea fornicationi quoque januam Pœnitentia expandas.* En postremis verbis declarat propter quid præcedentia dixerit, & quid in sacco & cinere cum precibus tantopere criminum rei ambiebant, januam scilicet Pœnitentiæ ipsis aperiri.

XIII.
Quod fuerit erroneū eius dogma de Pœnitentia.

Eâdem diligentiâ lapsorum causam examinabat Clerus Romanus, ut resciret, ex epistola 31. apud S. Cyprianum, ubi quid intereà agendum esset lapsis, donec ipsis concederetur facultas agendæ publicæ Pœnitentiæ, declarat his verbis: *Pulsent sanè fores, sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant. Castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestiâ, quâ intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed quâ non bellicum clangant, &c. Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant Legatos pro suis doloribus lacrymas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitùs, dolorem probantes commissi criminis & pudorem.* Ita monentur Pœnitentiam & pacem petere, donec persecutione sedatâ Concilii celebrandi copia fiat, quô modus Pœnitentiæ illis agendæ defioiatur.

His suffragatur oiultis aliis locis S. Cyprianus, ut in fine libelli de lapsis, ubi Lapsos docet quâ ratione ad Pœnitentiam suscipiendam sese præparare debeant: *Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus pastus, & saginâ largiore distentus cruditates suas postridie eructat, nec cibos, & potus suos cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris & lætus incedit, quomodo mortem suam deflet? &c.* Et pauló ante medium Tractatûs, Casti & Æmilii, qui tormentis vexati lapsi erant, Pœnitentiæ postulationem descripserat: *Deprecabantur illi non lacrymarum miseratione, sed vulnerum; nec suâ lamentabili voce, sed laceratione corporis & dolore. Manabat pro fletibus sanguis; & pro lacrymis cruor semiustulatis visceribus defluebat.* Ideo brevissimâ actâ Pœnitentiâ, reconciliatio illis concessa: *Potest*, inquit, *citò proficere ad veniam causa talis, potest ejusmodi excusatio esse miserabilis.*

XIV.
Quatuor postmodū distincti sunt Pœnitentiæ publicæ gradus.

Verùm ab exorta & propagata Novati hæresi usque ad 7. sæculum, loogè austerior & exactior fuit circa Pœnitentes Ecclesiæ disciplina; tuoc enim in quatuor gradus, classes, seu stationes distributus fuit Pœnitentiæ labor, quorum primus dicebatur *fletus*, secuodus *erudicio*, tertius *substratio*, quartus verò *consistentia*. Duorum primorum, seu Lamentantium locus erat extra portam oratorii seo loci, in quo orationis, ac faciendæ sacræ Synaxis causâ convenire solebant fideles; sicque Pœnitentes illi degebant sub dio, & à tecto Ecclesiæ prohibiti rogabant fideles ingredientes, ut pro se orationes funderent.

Lamentantium.

Audientium.

Audientes stabant intra portam in loco, quem Græci *ferulam* appellabant; Zonaras verò in Can. 30. S. Basilii eos in Ecclesiæ vestibulo collocat, unà cum Catechumenis, ex quo scilicet lectionem Scripturarum, & conciones ad Catechumenos factas audire poterant: at deinceps ejiciebantur à consortio Catechumenorum; nam legimus in Canone 11. S. Gregorii. *Audiens*, inquit, *post Scripturas & doctrinam ejiciatur, nec precatione dignus habeatur*: quia videlicet illi ad manuum impositionem non accedebant sicut Catechumeni, qui dicebaotur *competentes*, & exorcismis, aliisque ritibus, quos Catechumenorum Sacramenta appellat S. Augustinus, ad Baptismum præparabaotur.

Substratorum.

In tertio gradu erant *Substrati*, sic appellati, quòd auditis Scripturis & Missâ Catechumenorum ad pedes Presbyterorum se se prosternebant, ut manûs impositionem acciperent: Hi nunquam stantes, sed semper ipsis etiam diebus remissionis genuflexi orabant in parte templi sinistra, nudis pedibus, crine demissô, & facie squalidâ, ut ex *Laodicenæ* Synodi can. 19. *Carthag.* 4. Can. 92. & *S. Cæsarii Arelatensis*, homil. 34. intelligitur. Quòd autem crine demissô fuisse dicuntur; id eos comam nutrivisse significat; non quidem, ut opinor, ubique; sed illis in locis, in quibus qui lugebant, capillum non tondebant: nam in Africa, & in Hispania pœniteotibus coma tondebatur, ut ex S. Augustini serm. 38. de tempore intelligitur.

Et Consistentium.

Quartus gradus dicitur *Consistentia*, in quo purgatis per opera laboriosa concedebantur manûs impositiones Episcopi & Cleri, oec amplius ejiciebantur extra Ecclesiam, sed in ea stabant; concedebaturque illis Missæ Fidelium interesse, & omnibus, quæ ad sacrificium pertinent; ita tamen ut nec oblationem facere, nec Christi D. corpori communicare fas esset. *Porrò* horum pœnitentium stationis locus erat amboni proximus,

seu

ſeu medius, inter ambonem & fideles participantes corpori Chriſti.

Horum autem graduum expreſſa fit mentio in poſtremo Canone epiſtolæ Canonicæ ſancti Gregorii Neocæſarienſis, ubi legimus: *Fletus eſt extra portam oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur: Auditio eſt intra portam in Narthece ubi oportet eum qui peccavit, ſtare uſque ad Catechumenos, & illinc egredi; audiens enim*, inquit, *Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus cenſeatur: Subſtratio autem eſt, ut intra portam templi ſtans cum Catechumenis egrediatur: Conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum Catechumenis non egrediatur: poſtremò eſt participatio Sacramentorum.* Hic tamen Canon non videtur à S. Gregorio conditus, ſed ab aliis ex S. Baſilii Canonibus collectus, & S. Gregorii Canonibus annexus: nam in antiquiſſima Canonum Græcorum collectione à Gregorio ante octingentos annos elaborata, quæ eſt in Bibliotheca Regia, cæteros Gregorii Canones præter iſtum complectitur.

In idem conſpirat Harmenopulus in epitome Canonum ſect. 5. tit. 3. ubi Canonem 58. S. Baſilii abbrevians, ſic ait: *Qui adulterium commiſit, annis quidecim pœniteat, quatuor quidem annis plorans, quinque verò ſtudens, quatuor ſe ſubſternens, & unò conſiſtens.* Poſtmodum verò omnes eos gradus ſigillatim & breviſſimè explicans, ait: *Primus gradus eſt ſtantis extra ad Eccleſiam & ingredientes orantis, ut pro ſe preces fundant: Secundus eſt ſtantium foris in Narthece. Tertius eſt ſtantium intra Eccleſiam poſt ambonem, & cum Catechumenis ingredientium: Quartus eſt cum fidelibus orantium, qui nondum tamen Sacramentis digni cenſentur.*

Omnium autem luculentiſſimè hos quatuor gradus explicat Matthæus Blaſtares in Nomocanone, ubi ſcribit: *Pœnitentes in quatuor ordines diſtinguuntur, Flentes, Audientes, Subſtratos, & Conſiſtentes. Flentes illi ſunt, qui ſtant extra portam Oratorii, & ab ingredientibus & egredientibus fidelibus, precum ſubſidium expoſtulant, & peccati condonationem. Audientes illi ſunt, qui ſtant intra portam in loco, qui Narthex dicitur, & divinas Scripturas, communiſque doctrina explicationem audiunt, & poſteà cum Catechumenis exeunt. Subſtrati verò ſunt, qui intra Eccleſiam ſtant, ſed poſt Ambonem, ipſique cum Catechumenis exeuntes, cùm ſolemne illud.* Quicunque Catechumeni, *à Diacono promulgatur. Conſiſtentes denique, qui cum fidelibus precantur & pſallunt, ſed tamen Sanctorum participatione abſtinent, donec elapsò tempore ſtatutò divinæ Communionis perfectio eos exceperit.*

XV. Quibusnam in locis iſti Pœnitentes degebant.

Ut autem evidentiùs appareat, quibuſnam in locis degerint pœnitentes in iſtis quatuor gradibus, ſciendum eſt, veteres Græcos & Latinos primùm Eccleſiam in duas partes diſtinxiſſe, nimirum in Aulam, ſive Atrium Laïcorum, & Sanctuarium, in quo conſiſtere ſolis Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis licebat. Poſtmodum verò diſtribuerunt in tres partes, nimirum in ſacram, ubi erat altare, & celebrabatur Lyturgia, in qua ſoli Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi conſiſtebant: in templum, ſeu partem illam, quam Græci

XVI. Quæ fuerunt apud veteres templi in diſtinctas partes diſtributio.

Naos ſive templum, ad cæteros Clericos & Monachos: Ibi ſedebant & cantabant Monachi, & præcipua Officia celebrabant. Nonnulla enim in Narthece peragebant. Narthex autem dicebatur, quidquid Eccleſiæ ſupererat ad portas uſque exteriores, quas etiam complectebatur. Ideo nonnulli duplicem fecerunt νάρθηκα interiorem, & exteriorem. In interiore Monachorum Idiotarum, Laïcorum fidelium; & in inferiori parte uſque ad Narthecem exteriorem, erat Catechumenorum, & pœnitentium ſubſtratorum locus. Ut autem Sanctuarium à templo, tabulato aliquo, aut etiam murò dividebatur, in quo erant portæ ab illis Sanctæ dictæ, ita templum à Narthece in quo ſimiliter portæ erant, quas ſpecioſas vocant, quibus templum cum Narthece communicabat. Eadem planè diviſio in omnibus majoribus noſtris Eccleſiis conſpicitur, niſi quòd rarò Sanctuarium, ſive pars, quæ ad altare, & Miſſæ celebrationem pertinet, à Cantorum & Canonicorum choro tabulatis ſeparatur. Hujus triplicis diſtinctionis occaſione, quæ Antiquis non erat in uſu, Græci Canonum Commentatores, Pœnitentium loca cum fidelium locis, aliquando videntur confundere, inquit Morinus lib. 6. cap. 1. num. 10.

XVII. Lamentantes degebant ſub dio.

Solus itaque primus Pœnitentiæ gradus agebatur ſub dio, & ante fores Eccleſiæ, maximè in aliquibus Eccleſiis, ut colligitur ex S. Baſilio, ad Amphilochium cap. 96. ubi de voluntario homicida ſic loquitur: *Debet quatuor annis deflere extra fores oratorii, & Fideles ingredientes rogare, ut pro eo precentur.* Et can. 75. de eo qui cum propria ſorore rem habuit, ſic decernit: *Triennio defleat, ſtans præter fores domûs oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, ut unuſquiſque pro ipſo miſericorditer ad Dominum intenſas fundat preces.*

Hinc fortè intelligitur quis ſit ſenſus Canonis 17. Concilii Ancyrani, ubi ſic ſtatuitur: *Eos, qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leproſi ſunt, vel fuerunt, juſſit S. Synodus, inter hyemantes orare.* Nam inter hyemantes orare, ut obſervat, Albaſpinaceus in notis ad eundem Canonem, idem eſt, ac orare, & Pœnitentiam agere inter eos, qui propter graviora peccata Pœnitentiæ addicti ſub dio orare tenebantur: & idcirco dicebantur *Hyemantes*; quia ſub aperto aëre omnibus tempeſtatibus expoſiti degebant; vel quia, ut interpretatur Martinus Bracharenſis, per hyemantes intelliguntur ſpiritibus immundis agitati, qui extra Eccleſiam degere compellebantur, ſemoti videlicet à loco fidelium, Catechumenorum & Pœnitentium.

Ideo appellabantur Hyemantes.

PETES: *Utrum quatuor illi Pœnitentiæ gradus neceſſariò eſſent decurrendi, priuſquam peccatores Abſolutionis gratiam conſequerentur?*

XVIII. Omnes illi quatuor gradus non erant neceſſariò decurrendi.

Reſpondeo, interdum accidiſſe, ut peccatores à gradu flentium, ad Subſtrationem abſque media Auditione pervenerint, ut colligitur ex Can. 12. Concilii Nycæni, ubi legimus: *Quicunque metu & lacrymis, tolerantiâ & bonis operibus, converſionem opere & habitu oſtendunt: hi impletò auditionis tempore quod præfinitum eſt, meritò orationum communionem habebunt, cum eo quòd etiam liceat Epiſcopis humanius aliquid de eo ſtatuere.* Similiter ex Concilio Ancyrano can. 7. *Viſum eſt, cùm bienniò ſubſtrati fuerint, eſſe recipiendos.* Imò non ſemper Pœnitentes inchoabant Pœnitentiam à primo gradu, ſed pro variis circumſtantiis, & animi Contritione ac dolore, nunc ab auditione, nunc à conſiſtentia Pœnitentiæ laborem ordiebantur. Quod maximè colligitur ex S. Gregorio Neocæſarienſi cap. 12. ubi ſic habet: *Qui in campo aliquid invenerint, vel in ſuis ædibus à barbaris reli-*

ctum, si accusati quidem convicti fuerint, sint similiter cum iis, qui substernuntur, (id est, constituantur in tertio gradu Pœnitentiæ) si autem *seipsos denuntiaverint, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur, id est*, constituantur in quarto gradu. Similiter aliquando Polygami in secundo Pœnitentiæ gradu constituti; absque tertio gradu emensu ad quartum perveniebant, ut significat sanctus Basilius Canon. 4. ubi loquens de Polygamis, ait: *Oportet eos non omnino arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus vel tribus annis, & postea permitti quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, à boni tamen communione abstinere, & sic postquam aliquem Pœnitentiæ fructum ostenderint, communionis loco resistere.*

PETAS SECUNDÒ.

Utrum liceret pluries propter iterata crimina Pœnitentiæ publicæ gradus decurrere, & ad Absolutionem, & sacram Communionem mediâ Pœnitentiâ publicâ promoveri?

XIX. Semel duntaxat videtur concessa agendæ publicæ Pœnitentiæ facultas.

Respondeo verisimilius esse, ejusmodi Pœnitentiam publicam semel de gravissimis criminibus actam, eis iteratis, non fuisse denuò ab Ecclesia præscriptam. Ita maximè colligitur ex Origene homil. 15. in caput 29. Levitici, ubi explicans versum, in quo enarratur differentia redemptionis, domorum, quæ in pagis, & quæ in urbibus, quòd videlicet domus venditæ in pagis, redeunte Jubilæô possint redimi: quæ verò in urbibus, annô præteritô redemptionis jus perimitur, allegoricè hæc adaptans remissioni levium & graviorum delictorum, dicit iterari posse levium delictorum redemptionem: Si nos, *inquit*, aliqua culpa moralis (aliàs mortalis) invenerit, quæ non crimine mortali, non in blasphemia fidei, quæ mutô Ecclesiastici & Apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat: hoc est vendidisse domum, quæ in agro est, vel in vico cui murus non est. Hæc ergo venditio, hujusmodi culpa, semper potest reparari; nec aliquando tibi interdicitur de commissis hujusmodi pœnitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus semel tantùm, vel raro Pœnitentiæ conceditur locus. Ista verò communia, quæ frequenter incurrimus, semper Pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.

Origeni concinit sanctus Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 10. ubi disertè ait: *Meritò reprehenduntur qui sæpiùs agendam Pœnitentiam putant, quia* LUXURIANTUR IN CHRISTO: *nam si verè agerent Pœnitentiam, iterandam posteà non putarent: quia sicut unum Baptisma, ita una Pœnitentia, quæ tamen publicè agitur: nam quotidiani nos debet pœnitere peccati; sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Quibus sanctus Ambrosius docet axioma illud *unam esse Pœnitentiam*, intelligendum esse de Pœnitentia publica, quæ fit ob graviora peccata; quia semel duntaxat concedebatur; non autem quæ levioribus peccatis indicitur, quæque quotidie fieri potest.

Idem docet Siricius, summus Pontifex cap. 4. epistolæ 1. ad Himerium Tharaconensem Episcopum, qui hanc ei quæstionem proposuerat: *De his verò non incongruè dilectio tua Apostolicam sedem credidit consulendam, qui actâ Pœnitentiâ tanquam canes ad suos vomitus pristinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates; & nova conjugia, & inhibitos denuò appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post Absolutionem filii prodiderunt.* Respondet Pontifex: *De quibus quia jam suffugium non habent pœnitendi, id diximus decernendum, ut solâ intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacra mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: à Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hâc saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viaticô munere cùm ad Dominum cœperint proficisci, per Communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ se post Pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.*

His accedit sanctus Augustinus epist. 54. ad Macedonium, ubi clarissimè hunc idem illam graviorum peccatorum Pœnitentiam non repeti docet: *In tantùm autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam Pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant, & tamen Deus facit etiam super tales oriri Solem suum; nec minùs tribuit quàm tribuebat largissima munera vitæ ac salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ Pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur, &c.* Et paulò post idem argumentum tractans, scribit, *cautè salubriterque provisum esse, ut locus illius humillimæ Pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis, minùs utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minùs contemptibilis fuerit.*

Adeo autem hæc disciplina publica erat, ut Macedonius in Africa Præses aut Proconsul ex ea consuetudine argumentaretur adversus Episcopos Africæ, qui pro quibuscunque suppliciô afficiendis intercedebant: *Vehementer*, inquit, *ambigo, utrum istud à Religione descendat. Nam si à Domino peccata adeo prohibentur, ut ne pœnitendi quidem copia post primam Pœnitentiam tribuatur; quemadmodum nos possumus ex religione contendere, ut à nobis qualecumque illud crimen fuerit, dimittatur.*

Ex his, & similibus SS. Patrum oraculis constanter docuerunt veteres Theologi, antiquitus crimina post actam publicè Pœnitentiam iterantibus, non esse per aliam publicam Pœnitentiam succursum; sed tantùm per privatam; ita enim nonnullas ex his authoritatibus interpretatur *Alensis* 4. parte quæst. 14. memb. 6. art. 2. ubi respondens ad 2. ait: *Ipsa solemnitas dicit quandam confirmationem & excellentiam propter quod repugnat, ut in quantùm solemnis iteretur: quod enim solemniter fit, perpetuitatem importat; & ideo repugnat ei mutabilitas, & per consequens iterabilitas: sed non repugnat quin iterum puniatur, si recidivetur; debet enim puniri tantâ pœnâ, ut confusio solemnis Pœnitentiæ, in acerbitate & magnitudine recompensetur.* Quibus verbis apertè duo significat; *Primum* quòd semel tantùm concederetur & præscriberetur facultas agendæ Pœnitentiæ publicæ: *Secundum*, quòd iterata crimina, post illam peractam Pœnitentiam publicam, deberent Pœnitentiâ privatâ puniri.

§. III.

Quænam peccata Pœnitentiæ publicæ subjacebant?

XX. Peccata in tres Classes antiquitus distinguebantur.

OBservandum imprimis, SS. Patres, ac veteres Ecclesiæ Doctores peccata in tres classes distinxisse, & unicuique classi ordinariâ lege peculiarem assignasse castigationis & remedii rationem & normam: *Prima classis* erat gravissimorum criminum, quæ capitalia, & nonnunquam mortalia simpliciter dicebantur, inter quæ tria potissimùm recensebantur crimina, nimirum Idololatria, Mœchia, & Homicidium, unà cum eorum manifestis speciebus & ramusculis; quæ etiam interdum dicebantur Canonica, propter Censuras eis à Canonibus præscriptas. *Secunda* verò *classis* erat eorum criminum, quæ mortalia quidem censebantur, sed præcedentibus erant leviora. *Tertia* denique *classis* erat peccatorum venialium, & levium, quæ quotidiana etiam sæpiùs à SS. Patribus appellantur; quanquam etiam inter quotidiana reverà fuerint aliqua verè mortalia, ut colligere licet ex S. Augustino in lib. 83. quæstionum, q. 26. ubi omnia ignorantiæ & fragilitatis peccata, venialia & quotidiana appellat: *Alia sunt*, inquit, *peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ: infirmitas contraria est virtuti, imperitia contraria est sapientiæ; malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus & sapientia Dei, potest existimare quæ sunt peccata venialia: & quisquis novit, quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hîc & in futuro sæculo: quibus bene tractatis probabiliter judicare potest, qui non sunt cogendi ad Pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, quamvis peccata fateantur, ex quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per Pœnitentiam.*

Certum est autem aliqua peccata fragilitatis aut ignorantiæ per se mortalia, & peccatorem à regno Dei excludere, nisi per Sacramentalem Confessionem & Pœnitentiam expientur: Unde dicuntur venialia, non quatenus veniale peccatum distinguitur à mortali, sed quatenus faciliùs de eis veniam impetrabat peccator, nec ita severam pro eis Pœnitentiam agere debebat sicut pro eluendis peccatis primæ Classis.

XXI. Et quomodo curabantur.

Primum enim peccatorum genus castigabatur Pœnitentiâ publicâ, juxta præscriptas à Canonibus pœnas. *Secundum* verò genus peccatorum curabatur antiquitus eôdem modô, quô nunc etiam curari solent, videlicet Sacramentali Confessione, & Absolutione, ac Satisfactione privatâ: Quamquam interdum contingeret, quòd aliqua ex ejusmodi peccatis etiam castigarentur pœnâ canonicâ, sed non humili luctuosâque Pœnitentiâ: *Tertium* verò peccatorum genus, quæ scilicet non erant verè mortalia, non curabantur aliquô onere præscriptô ab Ecclesia, sed vel orationum recitatione, vel eleemosynarum largitione, vel pectoris percussione, aut aliquô ex illis remediis, quibus jam pluries diximus peccata purè venialia expiari.

Hæc omnia luculentissimè docet S. Augustinus lib. de Fide & bonis operibus cap. penult. ubi ait: *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, Congregatis vobis, & meo spiritu tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu: Unde etiam dicit: ne lugeam multos ex iis qui antè peccaverunt, & non egerunt Pœnitentiam super immunditiem, & fornicationem quam gesserant. Item, nisi essent quædam non eâ humilitate Pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: Corripe eum inter te, & ipsum solum, & si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Postremò, nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, ut dicamus, Dimitte nobis, &c.*

XXII. Tria tantùm criminum genera videntur fuisse primitus eluenda per pœnitentiam publicam.

Dico itaque, tria tantùm peccatorum mortalium genera per publicam seu luctuosam & humilem Pœnitentiam fuisse emendata, nimirum *Idololatriam, Homicidium, & Mœchiam*: quod utique præ cæteris luculenter docet S. Pacianus, ubi ex instituto in sua parænesi, cùm de luctuosæ Pœnitentiæ materia disputat, sic ait: *De modo criminum edisserens, ne quis existimet omnibus peccatis summum discrimen impositum, sedulòque requirens, quæ sint peccata, quæ crimina, ne quis existimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscretâ pœnitendi lege constringere.* Docet in lege Mosaïca minimi quoque peccati reos graviter punitos fuisse; Christianos verò per Christi sanguinem redemptos à servitute legis in libertatem vocatos esse, hancque libertatem sic explicat. *Hæc illa libertas, quod non omnes adstringimur, quibus veteres tenebantur, sed donatâ, ut ita dixerim, sylvâ debitorum, & remediorum indulgentiâ destinatâ, in pauca conclusi sumus & necessaria.*

Ut docet Pacianus.

Deinde Actor. cap. 15. ubi Christianis per decretum Concilii Hierosolymitani interdicitur idolothytis, sanguine, & fornicatione (sic enim pro suffocato legis S. Pacianus cum aliis tunc temporis Patribus) ita subjungit: *Hæc est novi Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus sanctus hæc nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur. Hæc verò tria crimina, ut Basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arunda metuenda sunt; non enim vitiare animam, sed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, convitium satisfactione pensabitur, tristitia jucunditate, asperitas lenitate, gravitate levitas, honestate perversitas. & quæcunque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Nunquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit, aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? Ita sunt capitalia, fratres, ista mortalia.*

Ex quibus constat Pacianum non alia crimina, nec capitalia, mortaliaque peccata*, quàm tria illa, idololatriæ, homicidii, & adulterii agnoscere, non quia iis solis charitas Dei justitiaque perditur, sed quia ea tunc solâ Pœnitentiæ publicæ pœnâ emendabantur, reliqui peccatores ab Ecclesia quidem abstinebant, donec aliis remediis, Sacramentoque Pœnitentiæ purgarentur, at seipsos excommunicabant; non ita verò de idololatriæ, homicidii, adulteriique criminibus convicti, qui ab Ecclesia excommunicati, non nisi per publicam Satisfactionem & Pœnitentiam reconciliati Communioni restituebantur.

XXIII. Et Tertullianus.

Idque ipsum ante S. Pacianum docuit Tertullianus, qui in libro de Pudicitia, quamvis jam hæreticus, fidem tamen hac in parte meretur,

quia ob suum nimium erga peccatores rigorem, & austeritatem erravit, nec tam suum, quàm Ecclesiæ, suique temporis Christianorum sensum refert; ibi autem reprehendit Zephyrinum Papam, & Catholicos, quód erga fornicatores tunc essent indulgentiores, & non solùm ad Pœnitentiam, sed etiam ad Communionem Pœnitentiâ functos admitterent, iisque restituerent pacem plenam, quam idololatris & homicidis negabant. Nec enim Montanistas Novatianorum antesignanos tunc Pœnitentiam Sacramentalem, aut Absolutionem hanc, sed solummodò Communionem, & pacem, quæ duo planè diversa erant, Mœchis denegasse probabile est: Sed quidquid hac de re dicatur, perspicuum est, Tertullianum non alia, quàm quæ ad illa tria capitalia crimina pertinebant, mortalia, ut loquitur, appellasse.

Idque planum faciunt verba ista, quibus conatur diluere, quod sibi objectum fuerat à Catholicis, æquè mœchos recipiendos esse, ac ovem & drachmam, quarum illa errans, ista latitans, ambo requisitæ, & repertæ cum gaudio gregi, & thesauro, seu, ut loquitur, armario restitutæ dicuntur: Ita enim cap. 7. loquitur: *Licèt periisse dicatur, erit & de perditionis genere retractare, quia & ovis non moriendo, sed errando, & drachma non intereundo, sed latitando perierunt: Ita licet dici periisse, quod salvum est: periit igitur & fidelis: elapsus est in spectaculum quadrigarii furoris, & gladiatorii cruoris, & scenica fœditatis, Xystica vanitatis, in lusus, in convivia sæcularis solemnitatis, in officium, in ministerium aliena idololatria aliquas artes adhibuit curiositatis, in verbum ancipitis negationis impegit, ob tale quid extra gregem datus est, vel & ipse fortè irâ, tumore, æmulatione, quod denique sæpe fit de dignatione castigationis abrupit, debet requiri atque revocari. Quod potest recuperari non periit, nisi foris perseveraverit. Bene interpretaberis parabolam, viventem adhuc revocans peccatorem. Mœchum verò & fornicatorem, quis non mortuum statim admissò pronuntiârit.*

XXIV. Et S. Gregorius Nyssenus.

Idem præclarè & eruditè docet S. Gregorius Nyssenus totâ epistolâ ad Leroïum Mitilenes Episcopum, ubi Pœnitentiæ solis præfatis tribus criminibus impositæ rationem petit, non à decreto Apostolico, sed à tribus præcipuis animæ humanæ facultatibus, seu affectibus, videlicet ratione, concupiscentiâ & irâ. A ratione ait procedere idololatriam & hæresim; à concupiscentia adulterium, & fornicationem: ab ira homicidium & cædem; quæ tria dicit Pœnitentiâ publicâ & humili necessariò debere puniri. *His itaque hôc modò distinctis*, inquit, *quæcumque quidem peccata ratione præditam animæ partem attingunt, esse graviora à Patribus judicata sunt, & majori, ac sufficientiori, & laboriosiori conversione digna. Quemadmodum fidem in Christum negavit, vel ad Iudaïsmum, vel idolorum cultum, vel Manichæismum, vel ad aliquod aliud impietatis genus descivisse visus sit; qui voluntariè quidem ad id malum se contulit, deinde seipsum condemnavit, totum tempus vita sua habet Pœnitentia tempus; nunquam enim, si mystica pergatur oratio, Deum unà cum populo adorare dignus censebitur, sed seorsum precabitur; à Sacramentorum autem Communione omnino erit alienus, &c.*

Idem dicit de adulterio, & cæde seu homicidio. Quamvis autem plurima sint peccata, quæ tribus suprà dictis adjungi solent, ut avaritia, quæ dicitur Idolorum servitus, & idololatriæ species: *Tamen*, inquit, *hæc morbi species inconsiderata, & absque ulla ejus cura prætermissa est, quò fit ut hic morbus in Ecclesia redundet, & nemo in his, qui ad Clerum adducuntur, inquirit, num eorum aliqui eô genere idololatria polluti sint.*

Idem docet de fœnore & usura, quæ nullis pœnis Canonicis subjecta erant, maximè quando fiebant à laïcis; nam Canon. 17. Nycænus depositionem interminatur Clericis fœnerantibus; tres tamen alias peccatorum species refert, nempe *furtum, sepulchrorum effossionem, & sacrilegium*, quorum Pœnitentia imponi solebat. Sed iis tantùm imponebatur, ut ipse docet, quatenus ad unum ex præfatis tribus capitalibus perspicuè referuntur: furtum enim dividit in *violentum*, cùm latro paratus est armis, ad id quod inhiat, occupare, & prohibentem interficere: Est & *clandestinum*, cùm latenter rem alienam subripit, eamque tollit. Prius ideo ut homicidium punit; posterius nullâ pœnitentiâ publicâ castigat. *Sepulchrorum effossionem* duplicem quoque facit: Priorem, cùm tantùm lapides moventur, & in alium usum rapiuntur; sed corpus intactum relinquitur, nec soli illius turpitudo detegitur: *Hoc*, inquit, *licèt laudabile non sit, ut tamen veniâ dignum esset, effecit consuetudo.* Posteriorem cui pœnitentia annexa est: sic describit: *Sed carnis in terram redacta pulverem perscrutari, & ossa movere, spe aliquem ex defossis lucrifaciendi ornatum, id eôdem judiciô condemnatum est, quô fornicatio simplex.* Pœnitentiâ hanc speciem damnârunt, eò quòd sit quasi fornicatio. Denique *sacrilegium* scribit pœnâ minùs severâ, quàm adulterium, aut homicidium puniri, cujus rei causam fortè brevitatis causâ, instabat enim epistolæ finis, prætermisit.

XXV. Et ex variis Canonibus.

Idem prætereà probatur ex universo Canonum consensu, qui ante Gregorium Nyssenum & ipsius ætate conditi sunt. Nullus enim aliis peccatis, quàm tribus istis, & eorum ramis, & variis speciebus Pœnitentiam imponunt. Hos Canones descripsit S. Basilius in epistolis ad Amphilochium, nullusque est qui ad hæc disertè pertineat, Nam quod de furto statuit *Canone 61.* de eo furto est intelligendum, quod S. Gregorius Nyssenus explicavit: Quod de perjurio *cap. 64.* id facilè ad Religionis abnegationem reducitur; non secus ac præstigiatores, & incantatores, idque etiam ex gravitate pœnæ colligitur. Quod denique de sepulchrorum effossoribus decernit *cap. 66.* cum ea distinctione intelligendum est, quam ex S. Gregorio jam enarravimus. Ita Morinus lib. 5. cap. 2.

Idem colligit Morinus ibidem n. 15. ex Concilio *Eliberitano*, cujus licèt tot sint Canones, nusquam tamen pœnitentiam, nisi ob hæc tria peccata indicunt: Can. 73. 74. 75. Delatoribus & falsis testibus pœnitentiam imperant; sed delationes illæ sunt criminum, ut ipsi Patres testantur, quæ mortem accusato inferunt. Idem dicendum de Can. 14. Concilii *Arelatensis* 1. ut ex Pœnitentia imposita, quæ ad finem usque vitæ protogatur, manifestum est. Idem velut in speculo conspicere est ex Concilio *Ancyrano*, ubi tribus his criminibus non modò pœnitentia imponitur, sed nonnunquam additur. *Talis Pœnitentia ex antiqua consuetudine illi convenit.* In Concilio *Neocæsariensi* nulli alii crimini, quàm ex his tribus alicui infligitur. Nihil dissimile apud S. Cyprianum reperitur. De Pœnitentia agenda sæpiùs ver-

ba facit, sed semper de lapsis, hoc est, iis qui idolis sacrificaverant, aut idolothyta comederant, illi sermo est, si duo loca excipias, in quibus agit de Mœchia sive adulterio. Nullum dubium est, quin idem de homicidio pronuntiasset, quod de Mœchia, si se occasio dedisset. *Hac Morinus.*

XXVI. Postmodùm tamen plura peccata ei pœnitentiæ subjacuerunt.

Progressu tamen temporis, non solùm hæc tria præfata crimina unà cum suis appendicibus per publicam Pœnitentiam sanata, & punita fuerunt, sed etiam quæcunque gravissima judicabantur, ut colligere licet ex Concilio Toletano primo cap. 2. cùm sic pœnitentem definit: *Pœnitentem dicimus de eo, qui post Baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis, publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altari.* Ex quibus liquet, non tria tantùm peccata, sed gravissima quæque obnoxia fuisse Pœnitentiæ publicæ. Idem pluribi docet S. Augustinus, maximè verò serm. 41. qui de Sanctis inscribitur, ubi postquam varia recensuisset gravia peccata, nempe sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapinam, superbiam, invidiam, avaritiam, juramentum, ebrietatem assiduam, & ea distinxisset à minutis peccatis, quæ facili negotiô redimuntur, maximè visitatione infirmorum, eleemosynæ largitione, &c. subdit: *Pro capitalibus verò criminibus non hoc solùm sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, rugitus & gemitus, continuata longô tempore ac protracta jejunia, & largiùs, eleemosyna eroganda, ultrò nos ipsos à Communione Ecclesiæ removentes, in luctu & in tristitia multô tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes, quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdiderat, cum multorum ædificatione se redimat.*

Hinc vulgatum axioma apud SS. Patres, *Crimina, quæ leges sanguine vindicant, Pœnitentiâ publicâ in Laicis, & depositione in Clericis vindicanda sunt.* Quod utique præclarè annotavit S. Prosper lib. 2. de Vita contemplativa cap. 7. ubi scribit: *Qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod occultè crimen admittunt, ipsi se vanâ persuasione decipiunt, si eis videtur propterea communicare, & officium suum implere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parva sunt, ut caveri non possint, pro quibus expiandis quotidie, Deo clamamus & dicimus, Dimitte nobis debita nostra, &c. Illa crimina caveantur, quæ publicata suos Authores humanô faciunt damnare judiciô. Qui autem ea commiserint, & ideo prodere malunt, ne sententiam justæ excommunicationis excipiant, sine causa communicant. Imò verò dupliciter contra se iram divinæ indignationis exaggerant, &c.*

Maximè ea quæ per Leges civiles morte erant expianda.

Cæsarius Arelatensis Homil. 42. eandem omnibus regulam præscribit: *Nemo se circumveniat fratres: Omnis homo, qui post Baptismum mortalia crimina commiserit, hoc est homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, vel reliqua crimina perpetraverit, unde per legem mundanam mori poterat, si pœnitentiam non egerit, eleemosynam justam non fecerit, nunquam habebit vitam æternam.* Strictiùs videtur hoc intelligere, cùm crimina illa morte puniri per leges civiles esse asserat, non tamen negat publicâ Pœnitentiâ puniendà ea quoque crimina, quæ gravi tantùm, sed non capitali pœnâ plectuntur. Concilium *Toletanum* 4. cap. 46. Clericum non modò vult deponi, sed etiam ad Pœnitentiam redigi, qui crimen sanguine à legibus vindicandum commiserit. *Si quis Clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, oportet Canonibus in tali scelere proditum Clericatûs ordine submoveri, & Pœnitentiæ trienniô deputari.* Unde S. Augustinus lib. 5. in Deuteronomium cap. 39. scribit: *Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Cùm enim Ecclesiæ nunquam licuerit sanguinem fundere, sanguinis vicem subiit excommunicatio, luctuosaque Pœnitentia. Licèt enim plura crimina antiquitùs morte, aut gravi aliquâ & corporali pœnâ afficiebantur, quæ humili Pœnitentiâ non castigabantur; verum tamen est nullum gravi illâ Pœnitentiâ plexum fuisse, quod lege vel Mosaicâ, vel Civili, non fuerit gravissimâ pœnâ vindicatum.

§. IV.

Utrum Pœnitentia publica pro peccatis duntaxat publicis fuerit præscripta?

XXVII. Pœnitentia publica pro solis publicis peccatis videtur fuisse præscripta.

Respondeo: Id videri probabilius, colligiturque ex variis Canonibus, maximè verò ex Canone 4. Concilii Neocæsariensis, ubi decernitur: *Si quis mulierem concupiscens proposuerit cum ea dormire, & ejus desiderium non pervenerit ad effectum, manifestum est, quod per gratiam fuerit liberatus.* Ubi per *liberationem* non intelligit exemptionem à culpa mortali, quam haud dubiè contraxit ille, qui mœchatus est in corde suo, nec consequenter etiam intelligit exemptionem à Satisfactione Sacramentali, quam utique pro admisso interno reatu luere debet: sed intelligit exemptionem à Pœnitentia publica & Canonica, pro cujus Canonibus condendis ac consummandis Synodus illa versabatur.

Quòd autem hoc veterum Ecclesiæ Doctorum & Patrum institutum fuerit, colligitur ex Concilio quod in villa *Inguilemheim*, sub Ludovico Pio annô 826. habitum refertur in tomo 2. Concil. Galliæ, cujus Canon apud Burchardum lib. 11. cap. 57. & Yvonem Carnot. parte decreti 13. c. 43. Aurelianensi Concilio attributus decernit juxta *sanctorum Canonum sanctiones, ut si quis rapinam publicam, seu furtum fecerit, publicam agat Pœnitentiam: si verò occultè, Sacerdotum consilio pœniteat.* Idem quoque Burchardus lib. 19. cap. 28. & Yvo parte decreti 15. cap. 46. aiunt, *secundùm antiquorum Canonum institutionem, sacrarum Scripturarum authoritatem, & Ecclesiasticam consuetudinem discretionem servandam à Sacerdotibus inter Pœnitentes publicè & absconsè. Nam qui publicè peccat, oportet, ut publicè mulctetur Pœnitentiâ?* Qui Canon habetur in cap. 25. Concilii Cabilonensis 2. & Arelatensis 6. cap. 26. quô decernitur, *ut qui de publicô crimine convicti sunt, rei publicè judicentur, & publicam Pœnitentiam agant secundùm Canones*, ut refertur in eodem secundo tomo Conciliorum Galliæ: Frustra autem fieret mentio publicorum criminum, si pro quibuslibet peccatis mortalibus etiam occultis, eadem Pœnitentia publica injuncta fuisset; unde hoc semper discrimen fuit inter publicè pœnitentes, & occultè, quòd illi Pœnitentiâ publicâ; isti verò non-nisi secretâ Satisfactione, & Pœnitentiâ corrigerentur, idque, ut mox dictum est, secundùm antiquorum Canonum institutionem, sacrarum Scripturarum authoritatem, & Ecclesiasticam consuetudinem: quæ utique tres authoritates tantæ sunt, ut etiam unica ex illis ad hoc firmandum sufficeret.

Hoc ipsum confirmat Ivo variis testimoniis ex antiquis Canonibus collectis, maximè verò in

parte decreti 15. cap. 53. in quo habetur, *ut si quis incestum occultè commiserit, & Sacerdoti occultè confessionem egerit, indicetur ei remedium Canonicum quod subire debuisset, si ejus facinus publicatum fuisset. Verùm, quia latet commissum, detur ei à Sacerdote consilium, ut saluti animæ suæ per occultam Pœnitentiam proficiat. Hoc est, ut veraciter ex corde se graviter deliquisse confiteatur, & per jejunia, & eleemosynas, vigilias, atque sacras orationes cum lacrymis se purgare contendat, & sic ad spem veniæ pro misericordia Dei pervenire confidat.* Quibus verbis Ivo, non tam propriam sententiam aperit, quàm sensum Ecclesiæ antiquæ; siquidem fatetur se id duntaxat usurpare.

His addere licet Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. ubi cùm dixisset, *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri; etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam graviùs sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur;* ubi manifestè loquitur de peccatis mortalibus; subjicit paulò post: *Etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non esse tamen hoc præceptum divinum mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publicâ essent Confessione aperienda.* Ex quibus sic argumentari licet: Publica Pœnitentia & Confessionon fuit à Christo præcepta, nec ab Ecclesia consultè potuit imperari, ne videlicet pœnitens infamaretur: sed eadem oriretur infamia ex Satisfactione publica pro occultis peccatis; si quis enim subire cogeretur Pœnitentiam publicam de peccatis occultis, ille procul dubio alicujus mortalis peccati reus meritò existimaretur; siquidem non nisi pro ejusmodi peccatis, illam imperari ab Ecclesia noverint: igitur quâ ratione non potuit præcipi ab Ecclesia Confessio publica peccatorum occultorum; ita nec præcipi potuit Satisfactio, seu Pœnitentia publica pro peccatis occultis.

XXVIII. Duplex excommunicatio apud S. Aug.

Confirmatur authoritate S. Augustini homil. 50. cap. 4. ubi cùm distinxisset duplicem excommunicationem, quâ quis removetur à participatione Eucharistiæ, *spontaneam* videlicet & *coactam*, seu imperatam ab Ecclesiæ Antistibus, dixissetque: *Implicatus ergo quis tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terris, ut sit solutus in cœlo; & audet sibi post hanc vitam, quia tantùm Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri:* paulò post infert: *Indicet ergo seipsum homo, in istis voluntate non potest.... & cùm ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis Sacramentorum accipiat Satisfactionis suæ modum.*

Quibus verbis significat, quòd antequam pœnitens ad Antistites & clavium ministros accedat, jam certum constituit, & peccati conscium se Communione indignum judicat, nec ad Ecclesiæ Ministros accedit, ut hanc Excommunicationis sententiam accipiat, sed modum quô Deo & Ecclesiæ, si eam aliquô scandalô offenderit, satisfaciat; subdit enim: Ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum; atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam, non recuset, non resistat, non lethali & mortiferâ plagâ per pudorem addat timorem. Quibus verbis S. Augustinus satis apertè significat, solùm peccata publica, esse Pœnitentiâ publicâ corrigenda; monet enim Antistites, ut in imponenda Pœnitentia cum magna cautione se gerant, ut quod non grave solummodò peccatori malum esset, sed vertere etiam in scandalum aliorum, de eo peccato Pœnitentia in notitia multorum, vel etiam totius plebis pro Antistitum judicio ageretur. Quòd autem de peccato publico loquatur; non autem indifferenter de quolibet peccato mortali, ut vult Morinus *lib.* 5. *cap.* 9. apertè significant verba sequentia: Quid est infelicius, *inquit*, quid perversius, quàm de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura ejus erubescere?

Idem docet S. Doctor serm. 41. de Sanctis, ubi explicatô leviorum peccatorum remediô, graviorum curationem sic explicat: *Pro capitalibus verò criminibus*, inquit, *non hoc solùm sufficit, sed addenda sunt lacrymæ, rugitus & gemitus, continuata longò tempore, ac protracta jejunia, & largiores eleemosynæ erogandæ, ultrò nos ipsos à Communione Ecclesiæ removentes, in luctu & in tristitia multô tempore permanentes, & Pœnitentiam etiam publicè agentes; quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdiderit, cum multorum ædificatione se redimat.* Quibus posterioribus verbis apertè significat, eum duntaxat obligari ad faciendam Pœnitentiam publicam, qui plures suô scandalosô peccatô offenderat; ac subinde non censet S. Augustinus Pœnitentiam publicam esse agendam de oceulris peccatis.

Quòd autem reverà S. Augustinus censeat publicam Pœnitentiam non esse agendam pro quolibet peccato mortali, sive occulto, sive publico eluendo, apertè constat ex epistola 54. ubi loquens de iis, qui aliena bona furati, ea restituere recusant, ait: *Agimus, quantùm Episcopalis facultas datur, & humanum quidem nonnunquam, sed maximè ac semper judicium divinum comminantes: nolentes autem reddere quos novimus & malè abstulisse, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, & detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diversitas personarum, diversam videtur recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad insaniam concitari. Aliquando etiam, si res magis curanda non impedit, sancti altaris Communione privamus.* Non igitur censet S. Augustinus quodlibet peccatum mortale esse necessariò publicè arguendum.

Ei subscribit S. Leo epist. 15. ad Rusticum cap. 12. ubi requirenti Rustico, quæ Pœnitentia esset imponenda his, qui convivio Gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, ita respondet: *Qui conviviô solò Gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis, & manûs impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes, Sacramentorum Christi possint esse participes: si autem idola adoravere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt, ad Communionem eos, nisi per Pœnitentiam publi-

tam non oportet admitti. Quibus verbis, ut apparet, loquitur S. Leo de peccatis mortalibus, quæ poterant fuisse publica, & aliquid sacrilegii habuisse: unde monet ea debere jejuniis & manûs impositione purgari, quod utique non convenit tantùm venialibus: quæ tamen eximit à Pœnitentia publica, ad quam obligat reos idololatriæ, homicidii, & mœchiæ. Itaque non censet, omnia peccata mortalia, etiam occulta, debere curari Pœnitentiâ publicâ.

Concinit pariter S. Cæsarius Arelatensis homil. I. ubi distinguens peccata in delicta levia, quæ privatâ compunctione delenda sunt, & in facinora, seu capitalia, quæ lacrymis, rugitu, & gemitu, ac longô tempore protractis jejuniis expianda sunt, ait, pro his eluendis abstinendum esse à Communione: *Nos ipsos*, inquit, *ab Ecclesia Communione removentes in luctu & tristitia multò tempore permanentes, & Pœnitentiam etiam publicè agentes; quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.* Quibus postremis verbis, *per facinora capitalia*, quæ dicit Pœnitentiâ publicâ debere expiari, hauddubiè intelligit, peccata publica, quæ cum Ecclesiæ scandalo facta fuerant, & cum multorum destructione. Non censet igitur omnia omnino peccata mortalia necessariò debere Pœnitentiâ publicâ expiari.

Eis adstipulatur S. Eligius Homil. 13. ubi cùm admonuisset publicè pœnitentes, *ut gravia facinora, quæ fallente diabolô commiserant, cum gemitu & suspiriis quandiu viverent, lugerent*; ad peccatores de Pœnitentia non publica, sed ejusdem rationis cum ea, quæ modò in usu est, agenda, orationem hanc in die cœnæ convertit. *Vos etiam fratres post exhortationem, quam hac die habuimus ad pœnitentes meum admoneo, ut unusquisque vestrum recurrat ad conscientia sua secreta, interroget semetipsum, qualiter per totum annum (maximè his sacris diebus) conversatus est. & si invenerit in corde suo spinas & tribulos delictorum, studeat auxiliante Deò, quantociùs evellere, & evellendo eradicare; hisque eradicatis effodiat vomere salutari, ac stercora, id est, bona opera immittat, ut possit facere fructum: & si hodie pariter confessus fuerit, ut valeat dignus interesse solemnitati præsentis diei, quæ, quia in eo Dominus cum Apostolis suis cœnavit, Cœna vocatur. Vnde summoperè, ut Sacramenta corporis & sanguinis Domini dignè recipere queat, quatenus potius salutem, quàm damnationem* ACQUIRAT. His subjungit: *Non ergo abhorreamus pœnitentes istos propter magnitudinem scelerum suorum, quia fieri potest, quod multi sunt inter vos, qui pejora commiserint.* Audis pœnitentes publicos nonnisi ob *graviora facinora*, seu *propter magnitudinem scelerum* ad eum gradum detrusos esse? audis fieri posse, ut alii, *qui pejora commiserint*; quia Ecclesiæ noti non sunt, nec de illis convicti, ab ea agenda liberi sunt? Audis præter illos pœnitentes esse alios in Ecclesia peccatores, qui conscientiam spinis & tribulis obsitam habent, quos evellere, & eradicare eos oporteat, ut dignè fiant corporis Christi participes, hos si ipso die cœnæ Domini pariter confessi, & consequenter ante Satisfactionem, quæ à Sacerdote injungitur perfectam absoluti fuerint, dignè posse recipere Sacramenta corporis & sanguinis Domini, quæ nostra hodierna disciplina est, quam adversarii duodecim primis sæculis Ecclesiæ inauditam esse inaniter garriunt?

Quod autem dixerat Homil. 13. postmodum fusissimè repetit Homil. 15. ubi pœnitentes more nostrô Pœnitentiam agentes, & a publicis pœnitentibus distinctos alloquens, sic hortatur ad agendam Pœnitentiam: *Interim dum cogito, dumque in corde meo requiro, quibus verbis moneam vos fugere à ventura ira, nulla præstantiora visa sunt, quàm ea, quibus Dominus in initio suæ prædicationis omnibus persuadere contendit, dicens, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Quicumque ergo vestrum his quadragenum dierum observationibus Pœnitentiam & Confessionis suæ debitum se exercuisse recolit, agat Domino gratias, & quidquid Dei templum in se violando destruxerit, non desperet, sed citò à malo iniquitatis suæ consurgat. Non enim qui peccat, sed qui in peccato perseverat, odibilis est. Vt ergo verbis Domini secundùm Marcum utar, quibus dicit, quod vobis dico, omnibus dico, vigilate: Similiter quod dico, omnibus vobis dico, Clericis, Laicis, ac Sanctimonialibus, ut quisquis se recolit invidiæ, aut detractionis, odii quoque & fornicationis, sive incœstûs, & perjurii, cæterorumque vitiorum contagione attactum, saltem hodie per divina salutis medicamentum, in quantùm prævalet, se purificare procurat. Confiteatur adversum se injustitiam suam Domino, ut remittat impietatem cordis sui, & reliquiæ cogitationum ejus diem festum agant Domino. Tum enim reliquiæ cogitationis diem festum agunt Domino, quando quilibet peccator post prius datam Confessionem se cohibere pollicetur ab iniquitate sua, totusque prorumpit in lacrymas, & in afflictionem cordis, quoniam cor contritum & humiliatum Deus non spernit, & ejusmodi festivitas exultantibus Angelis fit, Veritate attestante, quæ ait: Quia gaudium est in cœlo super uno peccatore coram Angelis Dei. Quia ergo majora crimina admittentibus, majora sunt adhibenda remedia, convertam me ad vos, quos Ecclesia ex more pœnitentes vocat, &c.* Quibus verbis S. Eligius Clericos, Laicos, & Sanctimoniales, quantumvis fornicationis, incœstûs, perjurii, cæterorumque vitiorum ejusmodi, non tamen publicorum, reos, nec inter publicè pœnitentes numerat, nec pro expiandis criminibus ad illam Pœnitentiam publicam diuturnamque compellat: sed monet tantùm, ut si Quadragesimæ initiô aut progressu Confessionis suæ debitum non exolverunt, saltem eô ipsô die cœnæ Domini injustitiam suam & peccata confiteantur, ut ab eis per Absolutionem Sacramentalem mundati, diem festum agant, & sacram cum aliis cœnam percipiant. Nota.

Dicet primò: Pro quolibet crimine olim præscripta fuit & injuncta luctuosa Pœnitentia: sed ex SS. Patribus, quodlibet peccatum mortale crimen est: igitur pro quolibet peccato mortali, sive occulto, sive publico illa Pœnitentia fuit injuncta.

Nego minorem: Constat enim ex jam dictis, non omne peccatum, quod *mortale* appellamus, crimen à SS. Patribus dictum fuisse, imò pleraque verè mortalia à nonnullis Patribus levia & quotidiana appellata fuerunt, ut constat tum ex S. Augustino, tum ex S. Paciano: Ille enim lib. 83. quæstionum q. 16. omnia ignorantiæ & fragilitatis peccata venialia appellat; inter quæ certum est, plurima esse mortalia: hic verò in sua Parænesi non alia crimina, nec capitalia peccata agnoscit, quàm idololatriæ, homicidii & adulterii: constat autem plurima alia peccata esse reverà mortalia; ac proinde non omnibus peccatis mortalibus injuncta fuit Pœnitentia publica.

Vrgebis: Canones adulterio cuivis sive publicè, sive occultè facto injungunt eandem Pœnitentiam, & Gennadius lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. asserit, quòd si quis mortalia peccata commisit, publicâ Pœnitentiâ satisfacere debeat.

Similiter Fulbertus Carnotensis serm. 2. ad populum, docet, propter quælibet peccata mortalia, peccatores ab Ecclesia separari, hoc est, excommunicari, & deputari cùm veniam postulant inter publicos pœnitentes: igitur quodlibet peccatum mortale subjici debet Pœnitentiæ publicæ.

Nego consequentiam: & ad Gennadium dico, Eum duntaxat loqui de solis gravioribus criminibus; nam alia agnovit peccata mortalia, quæ Pœnitentiâ privatâ possent expiari; ait enim ibidem: *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor, si tamen sine affectu peccandi sit: nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari. Et ideo quamvis quis peccatò mordeatur, & peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lacrymis, & orationibus, confidens de Domini miseratione, qui peccata pia Confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus.* Quibus verbis generalibus per peccatum conscientiam peccatoris mordens, non aliud quàm mortale intellexit, quodque non solâ oratione Dominicâ, sed lacrymis & oratione, ipsâque piâ Confessione Sacramentali sit mundandum. Unde non quodlibet peccatum mortale intellexit, sed tantùm graviora aliqua crimina, cùm subdit: *Sed de illo dico quem capitalia & mortalia peccata non gravant, nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor priùs publicâ Pœnitentiâ satisfacere, & ita Sacerdotis judiciò reconciliatum Communioni sociari, si non vult ad judicium, & condemnationem sui Eucharistiam percipere.* Quibus verbis non tam Sacramentalem, quàm Canonicam reconciliationem & Absolutionem intelligit.

Ad Fulbertum dico, eum duplicis generis peccata agnoscere, quorum alia sint mortalia; alia verò crimina, quibus omnibus Baptismi munditia polluitur; ait enim: *Si permansissemus in illa munditia, quæ nobis per Baptismum data est, verè fœlices essemus, sed non permansimus, cecidimus enim per nostram culpam, non solùm in peccata, sed etiam in crimina; propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapina, furta, falsa testimonia, superbia, invidia, avaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua.* Quibus verbis Fulbertus delicta, quibus Baptismi munditia polluitur triplicia agnovit: quædam enim solùm sunt peccata, quibus maculatur, & perditur Baptismatis innocentia, alia verò sunt crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia excommunicantur.

Nec obstat, quòd varia peccata mortalia recenseat, inde namque inferre non licet quodlibet peccatum mortale excommunicationis pœnâ esse plectendum; licèt enim avaritiam, invidiam, & superbiam in eo numero posuerit, non tamen licèt inferre, eum omne id genus peccatorum censere excommunicatione esse plectendum: nam aliqui ex ejusmodi peccaminosis actibus veniales esse possunt; quemadmodum igitur, quantumvis

A ebrietas omnis plenè libera & voluntaria mortalis est, nec tamen, nisi diutina sit, censet Fulbertus eam excommunicationis pœnâ esse plectendam, nec pariter iracundiam simili pœnâ esse afficiendam, nisi dum est assidua: ita non existimavit Fulbertus omnem avaritiam, aut invidiam, aut superbiam esse afficiendam Excommunicatione; sed tantùm eùm ob aliquas circunstantias, ac potissimùm scandali, hâc pœnâ in hujusmodi peccatores animadvertendum esse Ecclesiæ Prælati censuerunt: non secus ac solent aliqui Præsules sub excommunicationis pœna prohibere, ne quis choreas agat in Quadragesima; & sub interdicto; nequis Clericus cauponas ingrediatur, ratione scilicet scandali.

Objicies secundò: SS. Patres triplicem duntaxat B Pœnitentiam agnovêrunt: Primam ante Baptismum, secundam venialium, tertiam reliquorum peccatorum, quam luctuosam & publicam fuisse colligitur ex S. Augustino Homil. 50. & 27. & lib. de Fide & operibus, nec-non epist. 108. nam Homil. 50. cap. 9. cùm dixisset S. Augustinus: *Tertia actio est Pœnitentia, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Postmodum enumerat ejusmodi peccata cum Apostolo ad Ephes. 5. & ad Galat. 5. & tandem colligit: *In hac ergo Pœnitentia majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut à seipso judicatus non judicetur à Deo, sicut idem Apostolus ait, si enim nos judicaremus, à Domino non judicaremur.* C *Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod oportet nos exhibere ante tribunal Christi, ut illud recipiat unusquisque quod per corpus gessit, sive bonum: sive malum: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens: Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde judiciò, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat: Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis &* D *sanguinis Domini; Ut qui separari à regno cœlorum timet per ultimam sententiam summi Iudicis, per Ecclesiasticam disciplinam, à Sacramento cœlestis panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri judicii: ut cùm alii accedunt ad altare Dei, quò ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, quâ percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam. Ad hoc enim altare, quod nunc in Ecclesia est in terra positum terrenis oculis expositum, ad mysteriorum divinorum signacula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere: quoniam Deus commendat in hoc tempore patientiam suam, ut in futuro exerat severitatem suam. Ad illud autem altare, quò præcursor pro nobis introivit Iesus, quò caput Ecclesiæ præcessit,* E *membris cæteris secuturis: nullus eorum accedere poterit, de quibus, ut jam commemoravi, dixit Apostolus; Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Solus enim Sacerdos, sed planè ibi totus assistet, adjunctò scilicet corpore, cui caput est, quod jam ascendit in cœlum. Iste est cui dixit Apostolus Petrus. Plebs sancta, regale Sacerdotium: Quomodo ergo in interiora veli, & in illa invisibilia Sanctorum introire audebit, aut poterit, qui medicinam cœlestis disciplinæ contemnens, noluit paulisper à visibilibus separari? Qui enim voluit humiliari, ut exaltaretur, cùm exaltari noluerit, dejicietur, & in cæterum se jungetur ab æternis Sanctis,*

quisquis

quisquis hôc tempore per merita obedientia, & per Satisfactionem Pœnitentia non sibi providus locum in corpore Sacerdotis.

XXVIII. Quô sensu SS. Patres triplicis generis Pœnitentiam distinguãt.

Distinguo antecedens : SS. Patres triplicis generis Pœnitentiam publicam agnoverunt, concedo; nempe eam, quæ fieri solebat ante Baptismum, & quæ fiebat pro gravioribus delictis post Baptismum commissis, nec non & eam quæ fieri solebat pro levioribus, & quotidianis peccatis, quæ pariter erat publica, ut etiam ex hujus temporis usu constat; quæ enim Confessio & Pœnitentia fit initiô Missæ, & ante Eucharistiæ perceptionem, ab omnibus Catholicis pectora tundentibus, seque peccatores profitentibus, verè Pœnitentia publica est, per quam venialia, & quotidiana peccata diluuntur: nullam aliam præter hanc triplicem publicam agnoverunt, nego. Licèt enim hujus triplicis generis Pœnitentiæ publicæ meminerint SS. Patres, nihilominus agnoverunt etiam Pœnitentiam privatam & secretam, quæ fieri solebat, nedum ex Pœnitentium arbitrio, sed etiam ex injunctione Sacerdotum, quibus fideles sua peccata fuerant confessi; unde neganda est consequentia.

Ad S. autem Augustinum dico, eum verbis suprà laudatis, sermonem facere, non de Pœnitentia publica, & separatione à participatione Eucharistiæ, quæ fieret per Ecclesiæ Præsulum animadversionem, & sententiam in pœnitentes publicos: sed duntaxat de ea, quâ fidelis quisque se propter peccata tantô beneficiô indignum judicans, propriâ suâ ac privatâ sententiâ sese ab Altari revocabat, ob affectum humilitatis, & devotionis. Est ergo aliqua peccatoris excommunicatio, quam Ecclesia non facit, sed ipse pœnitens: Est & altera, quâ pœnitens publicè ob crimen per Ecclesiæ Prælatos excommunicatur. Utramque excommunicationem notat S. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 9. cùm ait, *Christianum ad reconciliationem currere, si fortè per Pœnitentiam, malamve conscientiam à corpore Christi separatus est.* Nisi enim crederet aliquem à corpore Christi separari, qui per illam Pœnitentiam, judiciô Ecclesiasticô, & sententiâ Sacerdotis excommunicatus non est, utramque illam, alteram Pœnitentiæ, alteram malæ conscientiæ separationem non discerneret.

XXIX. Pœnitentia publica pro solis gravioribus delictis fiebat etiam tempore Hugonis Victorini.

Porrò quòd reverà Pœnitentia publica non pro quibuslibet mortalibus peccatis, sed duntaxat pro gravioribus & publicis injoncta fuerit, tum tanquam certissimam, & suô tempore doctrinam receptissimam tradit Hugo Victorinus, qui sæculô duodecimô vixit; nam tract. 6. cap. 12. summæ Sentent. ait: *Solemnis Pœnitentia dicitur, qua fit in manifesto extra Ecclesiam, scilicet qua de gravibus peccatis tantùm injungitur, & de iis manifestè Ecclesiam læserunt: & olim illa Pœnitentia non iterabatur, & adhuc quidem in quibusdam Ecclesiis observatur, pro reverentia Sacramenti, nec injungitur illa solemnis Pœnitentia iterum criminaliter peccâti, sed datur aliquod consilium.* Quòd autem Hugo ait, illam non fuisse iteratam pro reverentia Sacramenti; non idcirco existimat eam fuisse Sacramentalem, qualiter Pœnitentia Sacramentalis nunc accipitur, alioqui Sacramentalis Pœnitentia tunc temporis iterata non fuisset; sed idcirco Pœnitentiam illam solemnem Sacramentum, appellat, quia signum erat ejectionis illius, quâ Adam ex Paradiso expulsus est: quemadmodum ille enim ex ipso deliciorum hortulo ejectus fuit, ne vesceretur fructu ligni vitæ: ita pœnitens publicus ejiciebatur ab Ecclesia, ne Christi Domini corpore & sanguine saginaretur.

A Idem apertissimè docet Hincmarus Rhem. in tract. de divortio Lotharii & Tetbergæ, nam inter. 5. sic loquitur. *A communione vivifica*, scilicet Eucharistiæ, *peccantes publicè gravibus criminibus, quæ leges condemnant publicè, medicinali ferramentô Sacerdotes abscindunt, & post Satisfactionem, ut congruere viderint, salutari refectione redintegrare procurant. Quoniam Ecclesia medici spiritales, videlicet Domini Sacerdotes, de secretè sibi confessis peccatorum infirmitatibus medicinalia, atque salubria possunt dare consilia: judiciô autem Ecclesiasticô, idest, separatione à Communione Ecclesia, vel à gradu, sive à consortio conjugali, neminem rationabiliter possunt secernere, nisi de criminibus aut publicè sponte confessum, aut apertè convictum. Et habet modum & ordinem suum Confessio, vel convictio in Ecclesiasticis* B *gradibus, quæ hic ponenda non ducitur: & habet modum ac ordinem suum publica Confessio, vel convictio sæcularium hominum, quô publicè debeant judicari. Non quòd crimina gravia non solvantur etiam secretâ Confessione ac Pœnitentiâ, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant causas: sed quod plurimorum constat perpetratum notitiâ, fiat sanatum scientiâ, & qui in Ecclesia peccavit, per sinceritatem illi debitam exhibere studeat Satisfactionem, & qui plures quantùm ex se fuit, suô destruxit exemplô, plures sanet humilitatis antidotô, sicut de se Paulus dicit: Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus. Et videbant, inquiens, quoniam qui prius expugnabat hanc fidem, idem nunc illam prædicat, & in me glorificabant Deum.* C *Est etiam ut qui in pluribus offendit, pluribus pro eo Dominum deprecantibus citiùs remedium consequantur.* Idque probat ex Gregorii epistola 32. lib. 12. ad Felicem Siciliensem Episcopum.

Et Hincmari Rhemensis.

Ex his, inquit Bagotius Dissert. 1. de Pœn. cap. 10.) intelligitur temporis illius usus ac disciplina, atque imprimis ab Hincmaro agnoscitur duplex excommunicatio, altera mortalis, altera medicinalis; nec enim medicinale Sacramentum appellaret, nisi sciret aliud esse, quô membrum putre penitus abscinditur, non sanatur, *Secundò*, ait hôc pœnæ genere non animadverti, nisi in peccatores D publicè gravioribus criminibus, quæ leges condemnant publicè. *Tertiò*, id ita fieri vult, ut neget quemquam rationabiliter posse secerni, vel de gradu dejici, seu deponi, si Clericus est, vel excommunicatione plecti, si Laïcus est, nisi de criminibus, aut publicè sponte confessum, aut apertè convictum. *Quartò*, cum publica Pœnitentia criminis, publicam confessionem semper conjunctam fuisse ait, si ea Ecclesiasticô judiciô imperata fuit, ita tamen ut non fuerit eadem Clericorum & Laïcorum judicii, Confessionis, convictionisque ratio. *Quintò*, hanc criminum graviorum & publicorum Pœnitentiam publicam distinguit à secreta Confessione & Pœnitentia, videlicet Sacramentali, quâque illa crimina gravia solvebantur, itaut E publica illa Pœnitentia non esset instituta pro illorum solutione, seu remissione coram Deo, sed ob alia commoda quæ recenset. *Sextò* tandem tres Pœnitentiæ agendæ rationes & causas affert: Prima est, ut tollatur Ecclesiæ scandalum, quodque plurimorum constat perpetratum notitiâ, fiat sanatum scientiâ: Secunda, ejusdem Ecclesiæ ædificatio, & ut quos ille peccator exemplô suô destruxerat, quantùm in se fuerat, eosdem atque alios plures sanaret suæ humilitatis antidotô, aut etiam à peccato simili deterreret. Tertia est, ut pœnitens Ecclesiæ suffragiis citiùs remedium, & pœnæ, quæ exolvenda superest, remissionem ac-

XXX. Triplex agendæ publicæ Pœnitentiæ ratio.

eiperet. Denique Hincmarus insinuat, Sacerdotes de secretè sibi confessis peccatis salubria consilia dare posse, seu consulere, ut eorum rei spontaneam Pœnirentiam illam agant; adeo ut probabile sit ibi eam, quam oos superiùs docuimus Pœnitentiam publicam, alteram spontaneam ac petenti concessam, alteram imperatam intelligi. Sed ut hæc probabilia sint, aut omninò dubia, id unum quod in quæstione positum est, certum ac exploratum efficitur, neminem rationabiliter secerni, aut publicæ Pœnitentiæ subdi judició Ecclesiasticô posse, nisi peccantem publicè, & de gravibus criminibus, quæ leges publicè condemnant, aut spontè confessum publicè, ant apertè coovictum. *Ita Bagotius.*

DISPUTATIO TERTIA

De Sacramento Extremæ-Unctionis.

MIrum nemini videri debet, qnòd præter usurpatam à nonnullis Recentioribus tractandi methodum, qui Sacramentum *Extremæ-Vnctionis* in extrema tantùm vitæ periodo conferri solitum, omnium etiam Sacramentorum ordine postremô delineandum suscipiunt; Nos verò tertiô locô explicandum aggrediamur. Nedum enim ad hujus tractationis seriem stimulat illustriorum Theologiæ principum, maximè sententiarum Magistri, ac Subtilis Doctoris agendi ratio; sed etiam imprimis provocat Concil. Trident. sess. 14. ubi explanatâ Sacramenti Pœnitentiæ doctrinâ, statim ea tradit, ac edocet, quæ spectant ad sacram Unctionem, quâ morientes homines muniuntur, & ad æternæ beatitudinis portum, viam & accessum sibi parant. Cujus utique usurpatæ methodi præclaram hanc subjungit rationem: *Visum est sanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea quæ sequuntur de Sacramento Extremæ-Vnctionis, quod non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus.*

I. Cur præter aliorum tractandi morem hâc Disputationem adnectimus præcedenti.

Quibus verbis luculenter significat, tantam esse utriusque Sacramenti opitulantis, vel peccatô mortuis, vel vitæ morientibus confœderationem, ut meritò sacra vitæ morientium Unctio videatur consummativum fœlix ac illustre complementum salutaris Pœnitentiæ, per quam peccato mortui novam in Christo gratiam induunt.

Et sapienter quidem, nemo enim nescit Pœnitentiæ Sacramentum divinitus à Christo D. institutum, ut peccatorum sordes, quas in hujus mortalis vitæ decursu homines contrahunt, eluere possint. Verùm necessarium erat aliud remedium, quô homini in extremis posito, nec sibi jam per proprios actus succurrere valenti, concederetur sacra medicativa virtus, quæ nedum peccatorum, ac morborum reliquias exttergeret, sed & integram, ac perfectam animæ sanctitatem restauraret. Id verò præstantissimum est sacræ morientium Unctionis, munus; nam ut præclarè ait Trident. cap. 2. *Res & effectus hujus Sacramenti gratia est Spiritûs S. cujus Vnctio delicta, si quæ sint expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Est & alia hujus sacræ Unctionis cum Sacramento Pœnitentiæ collatio, quæ utriusque societatem & nexum ostentat. Quemadmodum enim per Pœnitentiam expungitur, ac solvitur peccatorum reatus, ita per sacram Unctionem diluuntur illæ peccatorum reliquiæ, seu infesta eorundem recordatio, quæ hominem in extremis positum angere solent & cruciari: nam, ut ibidem loquitur Concil. Trid. *Vnctio hæc ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert.*

II. Extrema-Unctio est veluti pœnitentiæ complementum.

Non itaque ordine præposterô hujus Sacramenti explicationem elucidationi Pœnitentiæ Sacramenti adjungimus, utpote cùm hæc duo sauciatæ naturæ humanæ remedia in eundem finem ac scopum colliment; & quemodmodum Pœnitentiæ Sacramentum secunda est post naufragium tabula, quâ fideles ad innocentiæ portum in Ecclesia militante fœliciter pertingunt: ita per Extremam-Unctionem ad Ecclesiæ triumphantis, & æternæ fœlicitatis portum aspirante divinæ gratiæ aurâ, fœlici successu appellunt.

Porro cùm pauca sint, quæ à Theologis de hujus Sacramenti doctrina in controversiam evocentur; idcirco præsentem disputationem tribus duntaxat Quæstionibus absolvemus, quarum *Prima* hujus Sacramenti existentiam: *Secunda*, illius essentiam: *Tertia*, ejusdem effectus explicabit.

Disputationis series.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum Extrema-Vnctio reverà sit Sacramentum?

N*Otandum primò* cum Hugone à S. Victore lib. 2. de Sacramentis part. 15. cap. 2. in Ecclesia militante triplex esse sacrum oleum, & tria Unctionis genera, quibus fideles perungi solent, ac veluti consecrari; *Primum* est, quô Catechumeni & Neophyti unguntur in pectore & inter scapulas, ad Sacramentum Baptismi percipiendum. *Secundum* est Chrisma, quô baptizati inunguntur ad recipiendam Spiritûs S. plenitudinem in Sacramento Confirmationis; unde Hugo appellat illud *oleum principalis Chrismatis*: Quia, inquit Magister sententiarum dist. 2. *ea Vnctione principaliter Paraclesus datur; unde & propter abundantiam gratiæ duos liquores mixtos habet, oleum scilicet & balsamum, oleum conscientiæ, & balsamum bonæ famæ.* CHRISMA *verò græcè, dicitur* UNCTIO *latinè, nec tamen omne oleum ad Vnctionem sanctificatum Chrisma vocatur, sed illud solùm quod miscetur cum balsamo, quô capita Regum & Pontificum unguntur, quô etiam baptizatos Sacerdos ungit in vertice & Pontifex, per impositionem manûs confirmandos ungit in fronte. Tertium* verò olei genus, illud est quod dicitur *oleum infirmorum*, de quo duntaxat hîc futurus est sermo.

I. Quadruplex est principalis Unctio in Ecclesia. Prima fit in Baptismo.

Secunda in Confirmatione.

Tertia in extrema infirmitate.

4. In omni morbo.

: Fuit præterea apud Fideles usitata alia celebris unctio, quæ adhiberi solebat ad curationem corporalem morborum, & dæmonum ejectionem; cujus quidem meminit Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 4. ubi refert Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, per oleum curasse Euhodeæ procuratorem, nec-non & Antoninum Imperatorem: Motis etiam hujus Christianorum, qui morbos oleô curabant, meminit B. Hieronymus in vita B. Hilarionis, quòd agricolæ à serpentibus, & venenatis animalibus percussi, acceptô oleô ab illo benedictô vulnera sua ungentes, pristinæ sanitati fuerunt restituti. Idem refert Ruffinus Hist. Eccles. lib. 2. cap. 4. de Discipulis B. Antonii, & Sulpitius Severus in vita S. Martini, demuta & paralytica oleô benedictô ab eo curatis, & Palladius de duobus Macariis similia refert. Ut prætermittam plures alios, quarum miracula per oleum recensentur 6. Voluminibus vitarum Sanctorum Surii, quos ex indicibus licebit petere. Sic pariter S. Didacus omnes ægrotos ad se curationis causâ accedentes, oleô lampadis Ecclesiæ perungebat, & sic eorum languores & infirmitates curabat.

II. Extremam unctionem è Sacramentorum numero cespoune Hæretici.

Notandum secundò: Extremam-unctionem, quæ infirmis periclitantibus in Ecclesia solet adhiberi, verum esse novæ legis Sacramentum, varios Hæreticos negasse: *Primò* namque illud apertè negârunt Vvaldenses & Albigenses, nec-non & cum eis Vviclefus lib. 4. trialogi cap. 25. ubi contendit hujusmodi cæremoniam non fuisse à Christo, vel ab Apostolis institutam. Ei subscribit Lutherus lib. de captivitate Babylonica, ubi sic in Catholicos Doctores ob loquitur: *Si unquam, in Extrema-unctione, nunc præcipuè deliratum est, figmentum est, ex hac Apostoli sententia: Si quis infirmetur in vobis, &c. à nobis oportere hominem inungi, cùm non Sacramentum, sed figmentum sit.* Adstipulatur Calvinus lib. 4. Instit. num. 18. & sequentibus, ubi contendit, Unctionem à S. Jacobo memoratam, ad solam gratiam curationum pertinuisse, quæ duntaxat viguit tempore Apostolorum. Quæ, *inquit*, unctio ab Apostolis usurpabatur in infirmorum sanatione, non ut esset curationis organum, sed symbolum duntaxat, quô imperitorum ruditas admoneretur unde tanta virtus prodiret, ne scilicet ejus laudem Apostolis tribuerent. Oleô autem significari Spiritum sanctum, ejusque dona, vulgare ac tritum est: ceterùm evanuit gratia illa curationum, quemadmodum & reliqua miracula, quæ ad tempus voluit Dominus, quô novam Evangelii prædicationem in æternum admirabilem redderet. Idem sentiunt omnes horum Hæresiarcharum Sectatores, qui duo duntaxat cum eis Sacramenta agnoscunt, Baptismum videlicet, & Eucharistiam, contra quorum errorem pugnandum erit in præsenti quæstione.

III. Aliqui Theologi contendunt eam non fuisse à Christo D. institutam.

Notandum tertiò: Quòd etsi plures Theologi asseruerint Extremam-Unctionem esse reverà Sacramentum, censuerunt tamen, illud non fuisse à Christo D. institutum, sed tantùm ab Apostolis. Ita præ cæteris Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis cap. suprà laudatô, nec-non & Magister sententiarum in 4. dist. 32. & Seraphicus Doctor ibidem part. 1. q. 2. ubi cùm improbasset sententiam eorum, qui dicunt omnia Sacramenta à Christo fuisse instituta, *subdit*: Et ideo probabiliùs alii dicunt, & Magister videtur hoc sentire, imò apertè dicit, quòd Spiritus S. per Apostolos hoc Sacramentum instituit, sicut suprà dictum est de Sacramento Confirmationis. Et quòd potuerit esse, manifestum est, cùm ipse sit Doctor præcipuus, sicut & Christus. Et exemplô patet; quia Apostoli, de Spiritu scilicet dictante, formam Baptismi à Christo institutam, & confirmatam, ad tempus mutaverunt, quantò magis quod Christus insinuavit instituere potuerunt? Et quòd ita fuerit congruum, manifestum est, si attendatur diversitas Sacramentorum. Quædam enim sunt Sacramenta communia Legi veteri & novæ, quædam propriissima legi novæ, quædam medio modo. Communia sunt illa, quæ sunt quodammodò ex dictamine naturæ, quòd quia semper idem manet, illa Sacramenta ab initio cucurrerunt, ut matrimonium & pœnitentia, secundùm quod Deus reconciliat; & hæc quidem Dominus Jesus consummavit, & confirmavit in lege nova, & non evacuavit. Quædam sunt propriissima legi novæ, & hæc sunt, quæ signant gratiam in tali statu, quæ propriè competit legi novæ: Hæc autem duo sunt, Confirmatio & Unctio, ubi signatur gratia Spiritûs S. secundùm quam inungitur quis in pugilem, ut pro Christo audeat mori: & in Regem, ut in regnum cœlorum possit intrare, tanquam in suum. Hoc est novæ Legis proprium; ideò in veteri Testamento, non habuerunt certam figuram hæc duo Sacramenta, quia signant Spiritûs S. gratiam in aliqua abundantia: & Spiritus sanctus abundanter non fuit datus, quousque Jesus non glorificatus, sicut dicitur: ideo hæc duo Sacramenta à Christo fuerunt instituta. Quædam sunt Sacramenta media, quæ in veteri Lege non fuerunt in veritate; fuerunt tamen in figura & significatione, sicut Baptisma, Eucharistia, & Ordo. Et quia Christus legem implevit, & figuras evacuavit, hæc tria Sacramenta per seipsum instituit: sic patet quô modô congruentissimè statuta & instituta sunt Ecclesiastica Sacramenta; ut nihil sit gestum per oblivionem, sed secundùm inenarrabilem Dei dispensationem. Duo itaque hîc sunt statuenda. Primum, quod Extrema-unctio sit Sacramentum. Secundum, quòd à Christo D. fuerit instituta.

Conclusio Prima.

IV. Extrema-Unctio est verum Sacramentum.

Extrema-Unctio, *quæ solet adhiberi fidelibus infirmis, est verum & propriè dictum novæ legis Sacramentum.* Hæc est de fide declarata in Concilio Cabilonensi celebrato temporibus Caroli Magni sub Leone III. circa annum 818. cap. 48. ubi decernitur: *Secundùm B. Jacobi Apostoli documentum, cui etiam Decreta Patrum consonant, infirmi oleô, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent.* Et allegatis S. Jacobi verbis subdit: *Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.*

Ut definitur in Conciliis.

Idem statuitur in Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi inter septem novæ legis Sacramenta numeratur hæc Extrema-Unctio. Idipsum pariter traditur in Concilio Moguntino celebrato annô Domini 1549. ubi cap. 34. sic de Extrema-Unctione decernit: *Sacram Unctionem doceant Pastores nostri, esse infirmorum, & eorum, qui ad vitæ exitum vergunt præsidium, & per Dominum traditam esse, quam ejus jussu primi Apostoli exercuerunt. Quæ dum per orationem fidei infirmis adhibetur, per divinæ virtutis operationem contra corporis infirmitates & terrores conscientiæ, alleviationem & hilaritatem ritè sumentibus præbet, leviora peccata tollit,*

& graviorum restantes reliquias expurgat. juxta Apostoli testimonium, & receptam consentientis Ecclesiæ doctrinam. His accedit Synodus Constantiensis, nam sess. 15. Martinus V. decernit, ab eo qui de hæresis suspectus est, quærendum an credat quòd Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ-Unctionis, peccet mortaliter.

Verùm omnium luculentissimè & apertissimè hanc veritatem tradit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. de Extrema-unctione, ubi ait: *Instituta est autem sacra hac Vnctio infirmorum tanquam verè & propriè Sacramentum novi Testamenti à Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Et Can. 1. *Si quis dixerit, Extremam Vnctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo D. institutum, & à B. Iacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

V. Colligitur ex Epistola S. Jacobi.

Probatur autem Conclusio: *Primò* quidem: Illud est verum ac propriè dictum Sacramentum, quod est signum visibile divinitus ac permanenter institutum, cui annexa est promissio gratiæ per illud conferendæ: sed Extrema-Unctio tres illos habet characteres: igitur est verum & propriè dictum Sacramentum: Major constat ex his, quæ diximus de Sacramentis in genere. Minor verò probatur authoritate S. Jacobi cap. 5. suæ epistolæ, ubi ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleô in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus Apostoli verbis, tres declarantur conditiones ad Sacramentum desiderandæ. *Primò* namque est signum externum & sensibile, tùm ratione materiæ, cùm ratione formæ, cùm dicitur: *Vngentes oleô in nomine Domini*; non secus ac cùm de Baptismo dicitur: *baptizantes eos in nomine Domini*: ut utrobique significetur signum certum effectum suum consequens ex virtute Dei. *Secundò*, apparet constitutio constans & permanens ex his verbis: *Infirmatur quis in vobis?* quæ verba absolutè, & sine ulla temporis limitatione prolata diriguntur non solùm ad eos, ad quos suam epistolam dirigebat sanctus Apostolus, sed etiam ad omnes omninò fideles futuros, utpote cùm illa epistola sit Catholica, hoc est, universalis, & omnibus Christi fidelibus inscripta. *Tertiò*, habetur promissio gratiæ mediante illô ritu conferendæ his verbis: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei.* Ubi duplex declaratur effectus Sacramenti; primarius quidem remissio peccati, ac subinde gratiæ infusio: non enim remittitur peccatum de via ordinaria sine infusione gratiæ: igitur Extrema illa Unctio habet omnes veri Sacramenti characteres.

VI. Cujus authoritatem frustrà elevare tentāt Hæretici.

Reponunt hæretici: Primò quidem Unctionem, de qua loquitur S. Jacobus, fuisse tantùm ad curationem corporum ordinatam per donum miraculorum, quod tunc vigebat in Ecclesia; ac subinde non fuisse verum Sacramentum. Probant antecedens: nam S. Jacobus non aliam præscribit faciendam Unctionem, quàm eam, de qua loquitur S. Marcus cap. 6. quando de Apostolis ad prædicandum missis, refert, quòd *ungebant oleô multos ægrotos & sanabant*: sed hæc Unctio tantùm erat curativa, non autem Sacramentalis: ergo non alia est Unctio, de qua sanctus Jacobus loquitur.

Verùm contrà, Apostolus expressè asserit, per illam Unctionem reverà fieri remissionem peccatorum: *Si in peccatis sit*, inquit, *remittentur ei*: igitur non solùm loquitur de curatione corporis per donum miraculorum, sed etiam de sanatione mentis per gratiæ infusionem, & remissionem peccatorum. Ad probationem autem nego majorem; siquidem Unctio, quam commendat S. Jacobus, longè diversa erat ab ea, cujus meminit sanctus Marcus, ut colligitur tum ex parte ministri, tum ex parte suscipientis, tum ex parte effectûs. Ex parte quidem Ministri: nam Unctio de qua loquitur S. Jacobus, fieri debet per Sacerdotes, illa verò, cujus meminit S. Marcus fiebat per Apostolos, qui nondum erant Sacerdotes, quippe cùm duntaxat initiati fuerint, & constituti Sacerdotes Evangelii in nocte cœnæ pridie quàm Christus pateretur. Apparet etiam distinctio inter utramque Unctionem ex parte subjecti; siquidem Unctio de qua loquitur S. Marcus, conferebatur indiscriminatim tam fidelibus baptizatis, quàm infidelibus; imò præcipuè instituta videtur propter infideles, ut nempe visis miraculis, quæ per illam Unctionem fiebant, faciliùs ad fidem pellerentur; *Signa enim*, inquit S. Paulus 1. Cor. 14. *sunt non fidelibus, sed infidelibus.* Unctio verò de qua loquitur S. Jacobus, non nisi fidelibus baptizatis debet adhiberi; siquidem solos fideles alloquitur Apostolus, cùm ait; *Infirmatur quis in vobis?* unde etiam subdit. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c. Tertiò* denique discrimen inter utramque Unctionem apparet ex parte effectûs; nam Unctio illa, cujus meminit S. Marcus, tantùm ordinabatur ad curationem corporum, maximè verò ad fugandos dæmones ab energumenis; illa verò, cujus meminit S. Jacobus, ordinatur ad sanitatem animarum.

Reponunt secundò: S. Jacobum illis verbis, *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*: non significare quòd peccatorum remissio fiat ex divina promissione effectus illius Unctionis, sed solùm quòd Apostoli, sive Presbyteri utentes hâc Unctione ad curationem morborum corporalium, infirmos priùs admonebant, ut pœnitentiam agerent, monerentque eos peccata plerumque esse causam infirmitatis, ac subinde illa esse per Pœnitentiam removenda, ut radicitùs ægritudo evelleretur.

Sed contrà: Gratis concessô quòd hæc ita sint, nullum inde sui erroris patrocinium habent hæretici, nec possunt exinde inferre, Extremam-Unctionem non esse verum Sacramentum; quippe cùm doceant gratiam in Baptismate & Eucharistia non causari ex opere operato, sed tantùm per fidem & pœnitentiam suscipientis excitatam per vocem & prædicationem Ministri conferentis Sacramentum. Adde quòd hæc interpretatio omninò fictitia sit, utpote cùm S. Jacobus ibi ne verbum quidem faciat de illa Ministrorum admonitione, quæ fidem & pœnitentiam excitare debeat in infirmo.

VII. Idem docent SS. Patres. S. Dionysius, Origenes.

Probatur secundò conclusio authoritate & traditione veterum Patrum, qui hujusmodi sacræ Unctionis meminerunt. Imprimis namque eam insinuare videtur S. *Dionysius Areopagita*, cap. de Ecclesiastica Hierarchia circa finem, ubi loquitur de unctione vivorum, quæ post Communionem fiebat, & hominem sanctificabat. Similiter *Origenes* homil. 2. in Leviticum colligit ex præfatis

S. Jacobi verbis, Saeerdotes novæ legis habere facultatem remittendi peccata. Idipsum docet Tettullianus lib. 1. contra Marcionem ubi mentionem facit Baptismi, Extremæ-Unctionis & Eucharistiæ, eùm ait: *Christus nec aquam reprobavit, quâ suos abluit, nec oleum quô suos unxit, nec mellis & lactis societatem, quâ suos infantat, nec panem, quô ipsum suum corpus repræsentat.* Habetur etiam apud Burchardum lib. 18. cap. 11. Canon. Eusebii Papæ & Martyris, quô jobetor Sacerdos circa ægrotum officio linguæ privatum, *si Pœnitentia ejus testes adsint & signa, perficere ea omnia, quæ circa alios fieri solent, id est, orationes dicere, & ungere eum sanctô oleô, & Eucharistiam ei donare.*

Tertullianus.

His consentit S. Chrysustomus lib. 3. de Sacerdotio cap. 6. ubi hoc Sacramentum quoad effectum comparat cum Baptismo, dum inter alia Sacerdotum dignitatem commendans, ait: *Neque enim solùm cùm nos regenerant, sed postmodum etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Quod utique confirmat ex prædictis Jacobi verbis. Sanctus etiam Augustious lib. 5. de Baptismo cap. 20. quatuor agnuscit Sacramenta novæ legis, nempe Baptismum, Extremam-Unctionem, Eucharistiam, & Pœnitentiam, ait enim: *Si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exandit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponuntur?* Numirum per tecouciliatiooem. Et serm. 215. de tempote aote medium, Extremæ-Unctionis usum, & effectum Sacramentalem commendat, his verbis: *Quoties infirmitas aliqua supervenerit, Corpus & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & inde* (seu deinde) *corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur in eo: Infirmatur quis ex vobis? &c.* Et expressiùs Author tractatûs de rectitudine Catholicæ fidei, inter ejus opera tomô 9. *Qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, Eucharistiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungatur, & secundùm Apostolum, oratio fidei salvabit infirmum.* Item Innocentius primus Augustini contemporaneus, & ab eodem, nec-non à Chrysustomo & Hietunymo mirificè commendatus, interrogatus à Decentio Eugubino Episcopo, utrum Extrema-Unctio danda esset pœnitentibus, quibus cæteta Sacramenta negabantur; sic respondet in epistola ad ipsum scripta cap. 8. *Pœnitentibus istud infundi non potest* (oleum scilicet Extremæ-Unctionis) *quia genus est Sacramenti: Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Petrus Damianus serm. 1. in Dedicatione Ecclesiæ: *Tertium*, inquit, *Sacramentum est Unctio infirmorum.* Deinum S. Bernardus in vita sancti Malachiæ, circa finem, refert illum in fine vitæ hoc Sacramentum postulasse.

S. Chrysostomus. S. Augustinus. Author ignotus, sed antiquus. Innocentius I. S. Petrus Damianus. S. Bernardus.

His adde consensum Ecclesiæ Græcæ cum Latina, quæ Extremam-Unctionem inter novæ legis Sacramenta numerant; unde Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ, cap. 29. Extremam-Unctionem verum esse Sacramentum agnoscit; scribit enim: Peccatorum temissionem, & ultimum olei Sactamentum perficit Sacerdotum oratio, quod utique Apostolicam Traditionem habere ait, idque probat ex suprà dictis S. Jacobi verbis.

VIII. Idem ratione insinuat Doctor.

Denique hanc veritatem tatione ptobat Doctor dist. 33. num. 2. *Primò* quidem, quia possibilis fuit Deo instituere signum efficax, quô homini in Extremis jacenti remitterentur peccata venialia: *Secundò*, quòd hæc institutio fuerit congrua: *Tertiò*, quòd sit peracta. Primum sic probat: Possibile est, *inquit*, Deum finaliter remittere venialia: ergo possibile est sibi institui signum efficax istius temissionis. Consequentia patet, quia possibile est hominem iostituere signum efficax practicum cujuscunque operis sui: ergo multò fortiùs est Deo possibile; & ita potest quodcooque signum sensibile, cujus institutio non includit contradictionem, instituere tanquam signum practicuoi efficax istius effectûs. Hoc etiam congtuum est, teeessurum scilicet ab hac vita, finaliter à venialibus absolvi: quia ista non remissa esseot impedimentum gloriæ consequendæ, & non remissa possent esse usque ad exitum, quia peccatot quasi continuè peccat talibus peccatis. Hoc etiam factum est. Probatut ex illo verbo Jacobi 5. *Si in peccatis est, remittentur ei*; non intelligit de mortalibus, quia hæc non temittuntur, nisi in Baptismo, vel Pœnitentia: ergo de venialibus.

IX. Et Concilium Tridentinum.

Aliam rationem hujus institutionis profert Concilium Tridentinum intio doctrinæ de sacramento Extremæ-Unctionis; quam utiqoe reperit ex eminente periculo, ac impendente hominibus in extrema vitæ periodo constitutis: Tum ex timore divini Judicii, tum ex dæmonum tentationibus diriùs ac duriùs tunc tempotis infestantium. Ait autem: *Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quòvis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum: quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent ab omni graviori Spiritûs incommodo possint: ita Extremæ-Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimô quôdam præsidiô munivit: nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquô modò possit, nullum tamen tempus est, quò vehementiùs ille omnes versutiæ suæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam (si possit) misericordiæ divinæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit.*

Objiciunt Hæretici. Primò quidem, ritum illum ungendi desumptum fuisse partim ab hæteticis Valentinianis, partim ab Ethnicis, ut docet S. Irenæus, lib. 1. cap. 18. igitur non videtur usurpandus à Fidelibus.

X. Quàm dispar sit Extrema-Unctio ab Unctione hæreticorum & Ethnicorum.

Respondeo primò negando antecedens; Valentiniani namque, ut observat S. Epiphanius hæresi 37. ungebant oleô & aquâ permixtâ, non quidem moribundos, sed mortuos, ut talis unctio eis pro Baptismo prodesset; ad idque adhibebant quædam verba Hebraica & inaudita, quibus terrotem aut stupotem audientibus ingeretent. Ethnici pariter non ungebant morientes, sed jam vitâ functos; ac subinde sacer Extremæ-Unctionis ritus nihil commune prorsus habet, cum illis profanis unctionibus. Adde quòd non abjicienda videri debeat sacra Unctio, quia illam Ethnici usurpârunt; alioquin respuendus etiam esset Baptismus, quippe cùm Ethnici mortuorum corpora baptizare, sicut & ungere solerent.

XI. Quomodo Extrema-

Objiciunt secundò: Sacramenti virtus & efficacitas, ut diximus, nullatenus pendet à fide Ministri; sed virtus Extremæ-Unctionis petitur ab

Vnctio pec. catum remittat.

ipsa Ministri virtute & fide; ait enim S. Jacobus: *Oratio fidei salvabit infirmum*; quibus denotat salutem & sanitatem per hanc unctionem consequendam, oriri ab efficacitate orationis & fidei Ministri.

XII. Epistolam S. Jacobi ut canonicam pridē agnovit Ecclesia.

Nego minorem: Nec id significat Apostolus; siquidem ibi non est sermo de fide Ministri, sed Ecclesiæ, in cujus fide Sacramenta administrantur. Per orationem fidei in præcitatis verbis non debet intelligi fides Ministri subjectiva, sed objectiva; quia nimirum oratio adhibita à Ministro ad hoc Sacramentum conficiendum, Verbum Dei continet, & mysterium fidei, quod saltem objectivè debet Minister in mente præhabere, dum infirmo hoc ministrat Sacramentum, quô sensu etiam fidem habere debet in aliorum administratione, hoc est intentionem faciendi quod Ecclesia intendit.

Objiciunt tertiò: Sacramenta novæ legis instituta sunt, vel ad remissionem peccati, vel ad collationem gratiæ sanctificantis: sed ad neutrum juvat Unctio-Extrema: igitur non est novæ legis Sacramentum: Major patet ex dictis de Sacramentis in communi: Minor verò probatur; Extrema Unctio non ordinatur ad remissionem peccati originalis; quia jam supponitur remissum per Baptismum, neque actualis mortalis, quod deletur per Pœnitentiam; neque venialis, quod nedum per Pœnitentiam, sed etiam per plura alia remedia & media potest expiari; nec etiam ordinatur ad collationem gratiæ, quia prima gratia confertur, vel per Baptismum, vel reparatur per Pœnitentiam: secunda autem tribuitur per susceptionem Eucharistiæ; ac subinde ad id inutilis est Extrema-Unctio.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico, Extremam-Unctionem ordinari tum ad remissionem finalem venialium, tum pariter ad augmentum gratiæ finalis, quem utique effectum cætera Sacramenta non præstant eôdem modô, ut dicemus quæst. 5.

Objiciunt denique: Si aliquod esset hujus rationis fundamentum, peteretur maximè ex epistola S. Jacobi: sed hæc authoritas nullius est momenti; quippe cùm epistola illa sit dubiæ fidei, nec certò constet, eam à S. Jacobo fuisse scriptam: igitur, &c.

Nego minorem: Illam enim epistolam inter Canonicas Scripturas reponunt nedum Concilia *Laodicense*. Can. 59. *Milevitanum*, Can. 7. *Carthaginense quartum* cui subscripsit S. Augustinus Can. 47. & *Florentinum*, ac *Tridentinum*, sed etiam SS. Patres, maximè S. *Athanasius* in Synopsi, *Hieronymus*. epist. ad Paulinum, *Augustinus* lib. 2. de doctrina Christiana, & plures alii, quos laudat Hiquæus noster in Commentario ad distinct. 23. num. 6.

Conclusio Secunda.

XIII. Sacramentum hoc fuit à Christo D. institutum.

Sacramentum Extremæ-Unctionis fuit immediatè à Christo D. institutum, idque post suam Resurrectionem. Hæc Conclusio duabus partibus constat, quarum primam tradit Doctor dist. 23. num. 7. ubi ait: *Dicitur hoc Sacramentum fuisse institutum à Christo.... Iacobus autem non erat nisi promulgator, sive præco hujus Sacramenti à Christo instituti.* Idipsum apertè docet Concil. Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere, Can. 1. ubi ait: *Si quis dixerit, Sacramenta nova legis non fuisse omnia à Christo D. nostro instituta... anathema sit.* Et sess. 14. Can. 1. de Extrema-Unctione: *Si quis dixerit Extremam-Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo D. nostro institutum, & à B. Iacobo promulgatum, .. anathema sit.*

Licèt autem Concilium in hac definienda veritate non utatur particulâ *(immediatè)* eam tamen satis apertè subintelligit, dum ait, Sacramentum fuisse à B. Jacobo promulgatum: nam si ab aliquo Apostolorum fuisset institutum per virtutem à Christo communicatam, maximè à Beato Jacobo, qui solus in sua Canonica Epistola hujus Sacramenti mentionem facit: igitur dum Concilium negat, S. Jacobum hujus Sacramenti fuisse institutorem, multò magis hanc institutionem aliis Apostolis non concedit: sed censet eam soli Christo D. esse tribuendam.

Cui utique veritati etiam ratio Theologica suffragatur, tum quia Apostolicam, & omnem creatam authoritatem excedit Sacramenta instituendi Sacramenti: quia solius Dei est adhibere signum efficax, ad cujus positionem & applicationem infallibiliter gratia conferatur: Tum quia cùm Christus fuerit immediatus fundator Ecclesiæ, ita conveniens fuit, ut esset immediatus author & institutor omnium Sacramentorum: quare sicut in potestate Petri aut Jacobi non fuit condere novum articulum fidei: ita ad eorum potestatem non pertinuit novi Sacramenti institutio, sed eorum tantùm, quæ instituta sunt, dispensatio; juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Tum denique, quia non est potior ratio, cur Sacramentum istud non fuerit immediatè à Christo institutum, æquè ac cætera Sacramenta, maximè cùm hoc ordinetur ad remissionem peccati, solius autem ei est proprium est peccata dimittere. Adde quòd si Christus conferre debuisset alicui Apostolorum virtutem instituendi hoc Sacramentum, nulla apparet ratio cur eam facultatem fecisset potius Jacobo, quàm vel Petro Ecclesiæ visibili Capiti, vel toti Collegio Apostolico. Nec obstat quòd solus sanctus Jacobus ex Apostolis de tali Sacramentali Unctione sermonem faciat; non enim de ea loquitur tanquam Institutor & Author, sed duntaxat ut illius promulgator & præco, qui primus Sacramentum istud scriptô promulgaverit, quod priùs vivâ voce ab aliis duntaxat fuerat promulgatum.

XIV. Quô sensu audiendi sint qui videntur contrarium asseruisse.

Quòd igitur post Hugonem à S. Victore Magister sententiarum asserit, ab Apostolis institutum esse hoc Sacramentum, id non accipiendum est, inquit Estius dist. 23. §. 3. de prima illa institutione, quâ lex aliqua, seu quodcunque decretum Legislatoris, seu Principis authoritate ac potestate conditur; sed de legis, seu decreti promulgatione, non quomodocumque, sed quasi primus hominum scriptô tradens, & commendans hoc Sacramentum posteritati: quô sensu dici potest aliquô modô hujus Sacramenti institutor. Sic enim legimus à Romanis Pontificibus instituta quædam fuisse, velut à Lino, ne qua mulier, nisi velatô capite in Ecclesiam introiret: ab Alexandro, ut tantummodò panis & vinum aquâ mixtum in mysterio offerretur: à Victore, ut sacrum Pascha die Dominicô celebraretur, & ab aliis alia, quæ tamen partim divinæ, partim Apostolicæ sunt institutionis. Sed quia ab his Pontificibus lege scriptâ promulgata sunt; aut cùm neglecta essent, in usum revocata, ab iis instituta dicuntur. Certè non magis dici potest Jacobum hoc Sacramentum propriè instituisse, eò quòd ejus

quasi legem in epistola sua scripserit, quàm dicendum sit Petrum instituisse Baptismi Sacramentum, quando in prima sua concione, qoasi præcipiens dixit ad populum, Actor. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum*, &c. Sed sicut hîc nuda promulgatio fuit cum adhortatione & commendatione Sacramenri, sic & ibi. Ita Estius.

XV.
Fuit hoc Sacramentum institutum duntaxat post Christi D. Passionem.

Probatur etiam secunda pars, nempe quòd sacramentum Extremæ-Unctionis duntaxat fuerit institutum post Christi D. Resurrectionem: Tum quia hoc Sacramentum supponit in Ministris potestatem remittendi peccata, nec non & authoritatem Episcopalem, per quam benedicatur oleum, ut sit materia debita & apta hujos Sacramenti: at Christus D. potestatem plenariam ad remittenda peccata, tantùm contulit Apostolis post suam Resurrectionem, cùm nempe iis dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Tum, quia sacramentum Extremæ-Unctionis est completivum & consummativum sacramenri Pœnitentiæ, ejusque effectum supponit quantùm ad remissionem peccati mortalis, ac subinde conveniens fuit, quòd ejus institutio supponeret institutionem sacramenti Pœnitentiæ, quæ tantùm facta est post Resurrectionem: Tum denique, qoia cùm hoc Sacramentum sit proxima dispositio ad gloriam consequendam, nulla apparet necessitas illud instituendi, quàm eô tempore, quô ad æternam fœlicitatem huminibus patere debebat aditus per triumphalem Christi Ascensionem.

Dices: Concilium Tridentinum capite 1. de Extrema-Unctione, dicit hoc Sacramentum fuisse insinoatum Marci 6. ubi de Discipulis à Christo ad concionandum missis legimus, *quòd ungebant oleô multos ægros, & sanabant:* sed hæc designatio fuit vera institutio; siquidem ibi designatur hujus Sacramenti materia, nempe oleum; & subjectum, nempe ægroti, & effectus, videlicet restitura sanitas: igitur, &c.

Confirmatur authoritate Doctoris, qui in 4. dist. 2. q. 1. nu. 5. loquens de Extrema-Unctione, ait: Dicitur quòd Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? &c.* institura sit, sed licèt ibi promulgaverit illud Sacramentum, est melius dicere, quòd fuerit institutum à Christo: Legimus enim Marci 6. quòd Apostoli ungebant oleô multos infirmos, & sanabantur: constat aotem, quòd hoc non fecerunt, nisi in virtute Christi, qui instituerat illam Unctionem virtuosam. Quibus verbis Doctor significat, hoc Sacramentum tunc temporis fuisse instirutum.

Nego minorem: Unctio enim illa, quâ utebantur Apostoli Marci 6. *non tam* ordinabatur ad salutem animæ, quàm ad sanitatem corporis; ac subinde non erat propriè Sacramentalis. *Insuper* fiebat ab Apostolis antequam essent Sacerdotes.

Denique indiscriminatim omnibus tam fidelibus & baptizatis, quàm Infidelibus & non baptizaris conferebatur. Unde quando Concilium Tridentinum ait, hoc Sacramentum fuisse insinuatum apud Marcum, solùm vult tunc illud fuisse adumbratum & figuratum; eô videlicet modô, quô Christi D. baptismus fuit adumbratus in Baptismo Joannis, quia hic fuit illius umbra & figura.

Cui assertioni non contradicit Concilium Tridentinum.

Ad confirmationem dico, Doctorem eô loci duntaxat loqui in communiori tunc temporis Authorum sententia, qui contendebant, Extremam-Unctionem non à S. Jacobo, sed à Christo D. fuisse institutam, ut pote cùm eam Christus D. designaverit Marci 6. sive interim eam ibi Christus instituerit, sive duntaxat posteà: de quibus ibi non agit Doctor. Quòd autem hæc nostra assertio ipsius doctrinæ consonet, patet ex dist. 24. ubi num. 2. ait, *quòd Sacerdoti competit duplex potestas spiritualis, scilicet conficiendi Eucharistiam, & absolvendi Pœnitentem, quæ non sunt una potestas, quia una videtur prior fuisse altera; cùm in cœna contulit Deus primam, secundam autem non nisi post Resurrectionem Joan.* 20. Cùm igitur sentiat Doctor, Christum D. non contulisse Apostolis in nocte cœnæ integrum & totale Sacerdotium, sed partiale tantùm, nimirum potestatem supra suum corpus verum & reale consecrandum, non autem potestatem supra corpus mysticum, quantùm ad remittenda peccata; quam utique potestatem Apostoli duntaxat receperunt, Joan. 20. & post Christi Resurrectionem, inde fit consequens, eum pariter docere, quòd Extrema Unctio duntaxat post Resurrectionem fuerit instituta; quippe cùm illa ordinetur ad remissionem peccati.

Nec subtilis Doctor.

Nec obstat, quòd Evangelistæ non meminerint distinctè & expresè illius institutionis, sicut & aliorum Sacramentorum: idcirco enim aliquorum Sacramentorum institutionem commendant ac recensent, quoniam illa spectant vel ad salutem, vel ad salutis necessitatem, vel ad Ecclesiæ dispositionem & statum, illiusque ab aliis distinctionem: Sacramentum autem Extremæ-Unctionis non est ad salutem absolutè necessarium, nec ad Ecclesiæ statum & dispositionem. Idcirco mirum videri non debet, quòd expressam illius institutionis mentionē non fecerint Apostoli; judicârunt quippe ad id sufficere Traditionem, sive scriptis, seu vivâ voce promulgatam. Constat enim, Christum D. ore tenus Ecclesiæ suæ per Apostolos præscripsisse, ut colligitur ex primo capite Actorum, ubi dicitur Christus per quadraginta dies Discipulis apparuisse, & cum eis convescentem de regno cœlorum locutum fuisse, instruentem, & erudientem eos de omnibus ad Ecclesiæ gubernationem pertinentibus. Adde quòd multa etiam sunt à Christo præscripta, & ab Apostolis prædicata, quæ scripta non sunt; nam Andræas, Thomas, Bartholomæus plura prædicaverunt, & non scripserunt: Extrema autem Unctio non tantùm fuit ab Apostolis prædicata, sed etiam à Jacobo scripto consignata, & promulgata, quæ scriptio præsupponit, hanc Sacramentalem Unctionem fuisse à Christo ore tenus institutam, & ab Apostolis prædicatam.

Quæstio Sxcunda.

Quænam sit materia & forma Sacramenti Unctionis?

I.
Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum.

NOtandum primò, seu potius revocandum ex jam pluries dictis, duplicem esse Sacramentorum in usu rei sensibilis consistentium materiam, remotam videlicet & proximam: *Remota* est id qood assumitur, ut sit signum sensibile gratiæ per Sacramentum conferendæ: sic aqua naturalis dicitur materia remota Baptismi; proxima verò est ejusdem rei applicatio & osus: sic in Baptismate, ablutio actualis censetur materia proxima. Porrò conveniunt omnes Catholici, ma-

teriam remotam Sacramenti Extremæ-Unctionis A esse oleum olivarum ab Episcopo benedictum: ita namque definit Concilium Florentinum in Decreto unionis, nec-non & Tridentinum cap. 1. de Extrema-Unctione, ubi ex verbis S. Jacobi colligit, quòd ex Apostolica Traditione Ecclesia didicit, ac *docet materiam, formam, proprium Ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti: intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam Unctio aptissimè Spiritûs S. gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Hoc ipsum significavit S. Jacobus, cùm ait: *Ungentes eum oleo*; quamvis enim non exprimat speciem illius olei; attamen hôc loquendi modô intelligitur oleum commune & B usuale, quod est solùm oleum olivarum, ut expressè in Decreto Eugenii declaravit Concilium Florentinum; unde Catechismus Romanus agens de Extrema-Unctione *nu.* 9. dicit, oleum illud esse *liquorem, non ex quavis pingui & crassa natura, sed ex olearum baccis tantummodò expressum*; Unde subdit: *Aptissimè autem hac materia illud significat, quod vi Sacramenti interiùs in anima efficitur: nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnoperè proficit: ita Sacramenti virtus animæ tristitiam, ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet: tum verò ad recreandas defatigati corporis vires maximè accommodatum est. Quæ omnia, quid in ægroto divinâ virtute per C hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant.* Difficultas autem est, an oleum istud debeat esse ita necessariò ab Episcopo benedictum, ut ad id non sufficiat simplicis Sacerdotis benedictio.

II. Materia autem proxima est Unctio. *Notandum secundò*, omnes pariter Theologos convenire, materiam proximam Extremæ-Unctionis, esse Unctionem ipsam, seu applicationem ipsius olei, ut constat ex præfatis verbis Concilii Tridentini, imò etiam ex verbis S. Jacobi: *Ungentes eum oleo.* Cui pariter veritati ratio Theologica suffragatur: Sacramenti enim, quod est in usu, materia, nihil aliud est, quàm ipsemet usus, aut applicatio remotæ materiæ ad subjectum ido- D neum: at Extrema-Unctio non consistit, sicut Eucharistia, in materia permanenti, sed sicut Baptismus, & Confirmatio in usu; nullus autem potest esse alius usus in Extrema-Unctione præter Unctionem, per quam oleum applicatur subjecto idoneo; ac subinde actio ipsa est materia proxima hujus Sacramenti. Porrò Concilium Florentinum requirit septem hujusmodi Unctiones: Primam in oculis propter visum: Secundam in auribus propter auditum: Tertiam in naribus propter odoratum: Quartam in ore propter gustum: Quintam in manibus propter tactum: Sextam in pedibus propter gressum: Septimam E in renibus propter delectationem ibi vigentem. Quamvis autem utraque manus sit ungenda, tamen hæ duæ Unctiones pro una accipiuntur. Et idem est de oculis, naribus & pedibus. Quæritur autem, utrum illæ septem Unctiones sint absolutè necessariæ ad integritatem, & validitatem hujus Sacramenti, utrum verò aliquæ legitimè possint etiam citra casum necessitatis omitti.

Notandum tertiò, formam hujus Sacramenti variam proferri: nam communis apud Latinos concipitur in his verbis: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum*; vel per alium sensum, cui ipsa unctio adhibetur. Quæ utique forma traditur in Decreto Eugenii, & ab universali Ecclesia in praxi est. Nonnullæ tamen aliæ proferuntur formæ hujus Sacramenti usitatæ ab aliquibus Ecclesiis; nam Ecclesia Mediolanensis temporibus S. Ambrosii utebatur hâc formâ indicativâ: *Ungo te oleô sanctificatô in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: ut more militis uncti præparatus ad certamen aëreas possis superare potestates.* Ita refert S. Bonaventura dist. 23. art. 1. quæst. 4. cui affinis est illa forma, quam habet liber Sacramentalis Venetorum confirmatus per Leonem decimum, ubi forma Extremæ-Unctionis exprimitur his verbis: *Ungo te oleô sanctô, ut hâc unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aëreas catervas in nomine Patris, &c.*

III. Multiplex proferatur hujus Sacramenti forma. Similiter antiquum Rituale, quod laudat Menardus observationibus ad Gregorii Sacramentarium adjectis. *Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicitè visu deliquisti, hujus olei unctione expietur, per Dominum nostrum Iesum Christum. Ungo aures has sacrati olei liquore, ut quidquid delectatione noxiâ auditûs admissum est, medicina spiritualis evacuet. Ungo has nares de oleo sacrato, ut quidquid noxa contractum est odoratu superfluô, ista mundet medicatio. Ungo labia ista consecrati olei medicamentô, ut quidquid otiosâ, vel criminosâ peccasti locutione, divinâ clementiâ miserante, expietur hâc unctione, &c.*

Et in Codice antiquo Halitgarii, qui vixit circa annum Domini 820. talis reperitur forma (ut habetur Herbipoli in Bibliothecâ Patrum Societatis Jesu, teste Nicolao Serario:) *Ungo te de oleo sanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen, aëreas possis superare catervas. Operare creatura olei in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, ut non lateat hic spiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum hujus hominis, sed operetur in eum virtus Christi Filii Dei Altissimi, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

Tandem Arcudius lib. 5. cap. 5. hanc refert usitatam à Græcis formam: *Pater sancte, Medice animorum & corporum, qui misisti unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, omnem morbum sanantem, & à morte liberantem, sana quoque hunc servum tuum à corporali, spiritualique infirmitate, quâ continetur, & vivifica eum per gratiam Christi tui, potentiâ pretiosa, & vivificæ crucis, precibus sanctissimæ Dominæ nostræ, Deiparæ Mariæ semper Virginis, patrociniis honorabilium incorporearum cœlestium, divinarum Virtutum, honorandi gloriosi Prophetæ Præcursoris & Baptistæ Ioannis, Sanctorum, clarorum, ac celebratissimorum Apostolorum, sanctorum, gloriosorum, ac egregium victorum Martyrum, sanctorum ac Deiferorum Patrum nostrorum, sanctorum sanandi vim habentium, ac mercedem pro sanitate collatam non accipientium, Cosmæ & Damiani, Cyri, atque Ioannis, Panteleonis, ac Hermolai, Serapionis, ac Diomedis, Photii, & Aniceti, sanctorum atque justorum Dei genitorum Ioachim & Annæ, omniumque Sanctorum. Quoniam tu Deus noster es fons curationum, tibique gloriam offerimus, Patri, Filio, & Spiritui sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Quæritur autem quænam illarum formarum sit præferenda.

Conclusio

Conclusio Prima.

IV.
Materia legitima est oleum olivarum.

Materia legitima sacramenti Extremæ-Unctionis est oleum olivarum ab Episcopo benedictum: non tamen ita necessario, quin ex dispensatione Episcopi, vel summi Pontificis a simplici Sacerdote possis benedici. Hæc est communior quantùm ad tres partes, quarum *prima*, nempe quòd materia hujus Sacramenti debeat esse oleum olivarum jam constat ex primo notabili; id siquidem apparet ex constanti Ecclesiæ Traditione, ac Conciliorum definitione, colligiturque ex epistola S. Jacobi, ubi ait: *Vngentes eum oleò*. Cujus utique alia ratio non suppetit a priori, quàm Christi D. voluntas, & institutio, quæ nobis per Ecclesiæ sententiam, & praxim nunquam immutatam innotescit. Colligitur verò à posteriori ex convenientia & analogia olei cum effectu Extremæ-Unctionis; oleum enim dolores mitigat, ægritudinem lenit, confert claritatem, robur membris conciliat, luminis est fomentum, & lætitiam ac pinguedinem in Scriptura designat. Unde Theophilactus in 6. caput Marci: *Sicut oleum*, inquit, *& ad labores utile, & lucis fomentum, & hilaritatis est effectivum: ita & Dei misericordiam, & gratiam S. Spiritùs, per quam à labore liberamur, & lucem & gaudium, hilaritatemque spiritualem, quam accipimus, significat.* Quæ omnia, ut suprà notavimus ex Catechismo Rom. mirum in modum conveniunt Extremæ-Unctioni.

Nec obstat, ut diximus, quòd S. Jacobus, non dixerit, ungentes oleô olivarum; enimverò oleum simpliciter dictum, ex vi vocis, & in communi modo loquendi significat oleum solùm, quod ex baccis olivarum exprimitur: quemadmodum cùm aqua dicitur materia Baptismi, intelligitur aqua naturalis & elementaria; & cùm dicitur, panem & vinum esse Eucharistiæ materiam, ex vi communis locutionis, & significationis, intelligitur panis triticeus & vinum ex vite.

Observandum tamen, oleum purum non ita esse materiam necessariam huic Sacramento, quin si admisceretur aliquid balsami, materia illa foret invalida; dummodò per talem mixtionem, olei natura, vel ipsius usus communis non corrumpatur; sicut enim mixtio aquæ, vel alterius liquoris vini naturam non corrumpentis, non impedit quin sit legitima materia calicis consecrandi: ita nec mixtio balsami alteriusve liquoris, olei naturam non destruentis materiam Extremæ-Unctionis non destruit.

V.
Cur potest admisceri Chrisma.

Nec his obstat, quòd glossa in Canonem a. dist. 95. asserat chrisma sufficere ad Extremam-Unctionem; nec quòd Innocentius primus epist. ad Decentium capite 8. significet, Extremam Unctionem fuisse solitam fieri Chrismate. *Respondeo* enim tam glossam, quàm Innocentium nomine *Chrismatis* intelligere unctionem, seu designare materiam proximam, non verò remotam hujus Sacramenti; chrisma enim Græcè, Latinè unctionem significat. Unde in Pontificali Romano, cùm benedicitur oleum infirmorum, illud appellatur chrisma: *Vt sit*, inqoit, *chrisma tuum perfectum, Domine, nobis.*

Nec his contradicit Doctor, cùm ait dist. 23. num. 5. *Non oportet ibi esse aliquid confectum ex olea & balsamo, ut in materia Confirmationis, quia Confirmatio est ad Confessionem & confirmationem fidei; & ideo in confirmato requiritur non tantùm puritas conscientiæ significata per oleum, sed odor bonæ famæ significatus per balsamum: sed hic qui habet exire in brevi de vita ad terminum, sufficit conscientia pura.* Quibus verbis Doctor solùm significat, non esse necessarium quòd admisceatur aliquid balsami; nec aliud etiam probat congruentia, quam adducit; certum enim Chrisma significare nitorem conscientiæ; atque ideo illa balsami mixtio efficaciæ & significationi hujus Sacramenti oon derogat.

Probatur secunda pars, nempe quòd oleum necessario debeat esse benedictum: id enim expressè decernitur in Conciliis suprà laudatis, nec-non docetur ab Innocentio tertio epist. citatâ ad Decentium: quam utique praxim venerabilis Beda in cap. 6. Marci docet ex Traditione Apostolica derivari: *Patet*, inquit, *ab ipsis Apostolis hujus S. Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleò Pontificali benedictione consecratò.* Cujus utique praxis hanc rationem subjicit Doctor, num. 5. *Consecratio autem Episcopalis est necessaria ad hoc ut sit materia apta; quia communiter in Sacramentis consistentibus in usu, solus Baptismus non requirit materiam specialiter consecratam, quia Christus tactu mundissimæ carnis suæ, quando voluit à Ioanne baptizari, totam consecravit, hoc est, in usum istum dedicavit.* Aliam rationem subministrat Seraphicus Doctor dist. 23. art. 1. quæst. 3. petitam ex parte finis hujus Sacramenti: quoniam *hic*, inquit, *datur gratia sanans languores spirituales, & datur gratia ordinans ad sanitatem perfectam, quæ quidem est gloria; ideo debet signari per oleum, quod est curativum, ratione curationis; & per oleum consecratum ratione ordinationis ad supereminentem curationem; & per oleum simplex, non permixtum: quia ad ingressum in gloriam requiritur & sufficiens est bona conscientia.*

Debet esse benedictū ab Episcopo.

Dices: S. Jacobus solùm dicit: *Vngentes eum oleô*, non verò addit *oleô benedictô*: igitur oleum simplex & naturale est essentialis & sufficiens materia hujus Sacramenti.

Nego consequentiam: Licèt enim explicitè & evidenter S. Jacobus non significaverit, oleum illud debere benedici, sufficit quòd id colligatur ex Apostolica Traditione, ad nos per assiduam Ecclesiæ praxim derivata; neque enim materia distincta omnium Sacramentorum expressè traditur in Scriptura sacra, sed ex Apostolica Traditione, & Ecclesiæ praxi colligitur.

Vrgebis: Non aliter ratiocinandum est de materia Extremæ-Unctionis, quàm aliorum Sacramentorum: sed idcirco colligimus materiam Baptismi esse aquam naturalem, etiamsi noo sit benedicta, quia ad Baptismom Scriptura duntaxat significat aquam requiri, nulla factâ mentione prærequisitæ benedictionis: igitur idem dicendum de materia hujus Sacramenti.

Nego majorem; non enim eadem est paritas olei cum aqua: *Tum, quia*, ut supra dicebat Doctor, aqua naturalis specialiter dedicata fuit à Christo D. ad effectum Baptismi per contactum suæ mundissimæ carnis, dum ipse baptizatus est, secus autem est de oleo: *Tum, quia* cùm Baptismus sit Sacramentum adeo necessarium, conveniens fuit, ut ejus materia communis esset, & obvia, ne videlicet propter defectum benedictionis aquæ, plurimi infantes sine Baptismo decederent, & sic damnarentur. At cùm Extrema-Unctio non sit ad salutem simpliciter necessaria, conveniens fuit, ut ejus materia esset benedicta ad reverentiam, & decorem ipsius Sacramenti, nec-non & ad aptiorem significationem.

Vel à Sacerdote per Commissionem.

Probatur denique tertia pars, nempe quòd per dispensationem summi Pontificis, vel Episcopi, possit interdum sufficere ad sacramentum Extremæ-Unctionis, quòd oleum fit à simplici Sacerdote benedictum; id enim patet ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ Græcæ, in qua simplices Sacerdotes ex commissione Episcopi oleum infirmorum benedicunt; quam utique consuetudinem Clemens VIII. approbavit, monens in instructione de ritibus Græcorum, quæ habetur tomô 3. Bullarii, non esse cogendos eorum Presbyteros, ut accipiant oleum ab Episcopo benedictum, quia ex antiquissima Orientalis Ecclesiæ consuetudine, ex commissione Episcopi possunt Presbyteri oleum infirmorum benedicere.

Quam utique consuetudinem & approbationem refert, & expendit Arcudius lib. 5. cap. 2. circa finem: Chrisma, *inquit*, apud Græcos, solus Episcopus conficit, & diu asservatur: oleum autem infirmorum tunc temporis benedicitur, quando æger ungendus est. Ut etiam benedicitur aqua, & oleum Catechumenorum, quando quis apud Græcos baptizatur. Cur autem non asservetur, ratio est, quia cùm sit commissum Presbyteris, possunt illi pro necessitate quôvis tempore illud consecrare, & simul administrare; at contra, Chrisma diutiùs asservant, quòd careant facultate illud conficiendi. Hoc autem totum etiam indicat, & approbat instructio illa Clementis octavi ad Episcopos Latinos directa, ubi de hoc argumento titulus est. *Circa oleum sanctum Catechumenorum & infirmorum.* Deinde sequitur. *Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere. Cùm hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur: Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum benedici potest, cogantur accipere. Sic ibi.* Quamvis autem Episcopi, approbante Romanô Pontifice, benedictionem hujus olei Presbyteris commiserint, propterea que non asservetur; ipsi tamen Græcorum Pontifices, non se privârunt hâc suâ jurisdictione, sed semel in anno more Latinorum feriâ quintâ sacratioris Hebdomadis solemni pompâ, & apparatu, peractô sacrô illud consecrant. Quô deinde præsentes, qui divinis officiis intersunt, deliniunt. Rectè ne hoc an temerè fiat, ex subsequentibus clarum facere conabimur. Si priùs tamen, sicuti ordinis ratio postulare videtur, de numero Ministrorum, quorum hactenus mentio facta est, egerimus.

VII. Quod facere solent Sacerdotes Græci.

Observat ibidem Arcudius hanc facultatem benedicendi oleum ad Presbyteros Ecclesiæ Orientalis dimanasse ex concessione Episcoporum. Quemadmodum enim, inquit, Episcopi qui assiduô suô munere incumbebant, multa per seipsos præstabant, quæ postea Presbyteris commiserunt, vel quia ipsi aliis occupationibus, potissimùm verò munere concionandi de rebus sacris imperiti erant, vel quia totam Diœcesim propter amplitudinem, frequentiam item maximam populorum fidem Christi recipientium commodè lustrare non potuerant: ita etiam dicendum existimarem de benedictione hujus olei.

Petes: *An ritus benedicendi oleum à Christo fuerit institutus?*

Respondeo negativè: Id enim nec ullâ authoritate Scripturæ, nec Conciliorum, vel Traditione probari potest; unde licèt Christus D. ordinaverit, ut materia hujus Sacramenti benediceretur; tamen ritum & modum benedicendi reliquit penes arbitrium Ecclesiæ, ut nempe pro libito preces ad eam benedictionem deservientes præscriberet. Unde sequitur, quòd oleum Catechumenorum sit sufficiens materia hujus Sacramenti; quippe cùm non differat ab oleo infirmorum, nisi diversâ benedictione, quæ non variat essentialiter materiam; non debet tamen, nisi gravi urgente necessitate ministrari Sacramentum Extremæ-Unctionis in ipso oleo pro ungendis Catechumenis destinato: Tum propter Ecclesiæ consuetudinem, quæ oleô Catechumenorum non utitur pro infirmorum unctione, sed in diversis vasis utrumque oleum pro ungendis ægrotis & Catechumenis vult conservari: Tum, quia materia Extremæ-Unctionis non est oleum quâcunque benedictione consecratum, sed oleum quod est consecratum eâ benedictione, quam Ecclesia determinavit pro benedicendo Infirmorum oleo, quæ omnino diversa est à benedictione, quâ chrisma seu oleum Catechumenorum consecratur.

Conclusio Secunda.

IX. Materia proxima est unctio.

Materia proxima sacramenti Extremæ Unctionis, citra casum indecentiæ & necessitatis, debet esse septaplex unctio: ubi verò casus necessitatis urget, unica potest sufficere. Prima pars constat ex Concilio Florentino, ubi ejusmodi septem unctiones assignat: *In oculis propter visum; in auribus propter auditum: in naribus propter odoratum: in ore propter gustum vel locutionem: in manibus propter tactum: in pedibus propter gressum: in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Cujus utique ordinationis hanc rationem præmiserat Seraphicus Doctor dist. 23. art. 2. q. 3. *Quoniam*, inquit, *istud Sacramentum principaliter ordinatur ad venialium deletionem, secundùm quod ex textu beati Iacobi innuitur; & venialia perpetrantur ab anima, secundùm unionem ipsius ad carnem corruptam, & hoc est per potentias, per quas unitur corpori, ut organico: & ideo rectè in deletione talium peccatorum debet medicamentum exterius adhiberi, secundùm, id quod habet sensibile circa organa ipsarum potentiarum. Est autem triplex potentia animæ, secundùm quam regitur corpus, & erudítur, & nutritur, secundùm quam ad exterius comparatur, scilicet sensitiva, generativa & progressiva: & ideo organa istarum potentiarum debent ungi. Et quoniam quinque sunt organa deservientia quinque sensibus, scilicet os, oculi, nares, aures, & manus, & lumbi deserviunt generativæ, pedes verò virtuti progressivæ: ideo ista septem partes inunguntur: & sic patet, quòd nec totum corpus debet inungi, nec una pars determinata.*

X. Quæ debet esse septuplex.

Hunc autem ungendi ritum (*inquit Catechismus Rom. num. 21.*) universalis Ecclesia retinet, atque etiam hujus Sacramenti naturæ optimè convenit, medicamenti enim est instar. At quoniam in corporis morbis, quamvis universum corpus malè affectum sit, tamen illi tantùm parti curatio adhibetur, à qua, tanquam à fonte, & origine, morbus manat: ideirco non totum corpus, sed ea membra, in quibus potissimùm sentiendi vis eminet, renes etiam, veluti voluptatis, & libidinis sedes unguntur: tum pedes, qui nobis ingressûs, & ad locum movendi principium sunt.

XI. Nisi obstet indecentia.

Nihilominus omitti possunt aliquæ unctiones, imò prætermitti debet ob honestatem unctio renum in fœminis, ut constat ex Rituali Romano approbato authoritate Pauli V. ac subinde septem illæ unctiones non sunt absolutè necessariæ ad integritatem hujus Sacramenti.

Vel necessitas.

Probatur itaque secunda pars, nempe quòd urgente gravi necessitate sufficiat unica duntaxat Unctio: *Tum quia* Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. aperiens materiam & formam hujus Sacramenti, nullum certum unctioonm oumerum pro determinata materia assignat. Licèt autem Florentinum septem assigoet, scilicet in quinque sênsibus, & præterea in pedibus & renibus; cùm tamen constet, unctionem renum debere interdum omitti, sicut etiam in aliquibos Ecclesiis omirritur unctio pedum: consequens est, quòd septuplex illa unctio non sit de necessirate Sacramenti. *Tum, quia* Pastotale Mechlmiense de Sacramento Unctionis Cao. 9. oec-oon & Passaviense Can. 11. consulunt, quòd peste grassante, aut urgente morbo contagioso, fiat unctio in organo sensûs magis obvio, idque ea Decreto & sententia Facultatis Lovaniensis his verbis: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensûs organum magis ad unctionem expositum aut detectum, dicendo, Per istam sanctam unctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum deliquisti: & tunc preces quæ præmittendæ & subjungendæ forent, poterunt in Ecclesia coram venerabili Sacramento devotè legi.* Tum, quia Ecclesia non improbat morem Græcorum, qui in conferendo Eatremæ-Unctioois Sacramento non observant septuplicem illam unctionem, sed ungunt duntaxar caput, pectus, manus & pedes, ut refert Arcudius cap. 7. ubi ait, in hoc eos à Latinis discrepare, quòd Latini, *inquit*, in viris expresfé ungunt oculos, aures, nares, os, & maous proprer quinque sensus, deinde renes, obi est sedes concupiscentiæ, ac tandem pedes ob vim progressivam, & executionem. Quod sanè libenter refero propter Græcos, ut hunc modum ungendi diligenter ipsi considerent, si eum fortè voluerint imitari, qui tutissimus est. In fœminis ratio hooestatis id postulare videtur, ut renes non ungantur. Græcorum verò Sacerdotes ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas; itaut fieri videatur unctio in capite ad modum crucis, deinde pectus, tom manus, idqne ex utraque parte, postremò pedes.

Nec solùm id Græcis commune est, sed eriam quibusdam Ecclesiis Latinis familare; nam, ot observat Albertus Magnus in 4. dist. 23. art. 16. ad 2. in quibosdam Ecclesiis unguntur tantùm eatremitates, ut os & nares, & oculi; & aures: alii autem præter hæc ungunt scapulas & pectus, & renes. Hinc Nicolaus Serarius opusc. de Eatrema-Unctione cap. 9. affirmat in Herbipoleosi Ecclesia uoctionem renum omitti, probatque qoòd quomodocumque fiat, servetur inregrum Sacramentum: *Primò*, quia quædam formæ, ot Ambrosiana, Veneta, & nonnullæ aliæ, istarum partium sigillatim non meminerint. *Secundò*, quia si sensuum organa necessariò inungenda essent, tanquam ad essentiam Sacramenti spectantia, cùm in essentialibus res una alterius vicem non obeat, locô linguæ, aut palati, si os, aut labia ungerentur, ut re ipsa unguntur, ne aliter ungendo nauseam pariant, non esset Sacrameotum. Vel si cuipiam oculi effossi forent, vel aores, vel nares truncatæ, & illarum partium unctio ad essentiam Sacramenti necessaria foret, non juberent Theologi, vel ipsa abscissarum partium extrema, vel proximas partes iouogendas esse, cùm tamen id jubeant. *Tertiò*, quia Theologi veteres etiamsi doceant conveoienter illas partes inungi, non tamen aliter fieri non posse cōtendunt, eaceptis Durandô, Michaële de Calonio, & Sotô. Concilium autem Florentinum eoumerat quidem istas partes, sed ut jam usitatas, non simpliciter ad Sacramenti naturam spectantes, quia etiam renes annumerat, qoi ex communi consensu oon necessariò inunguntur. Idcirco, infert Serarius, quòd vel solùm cor, è quo peccatorum omnium seorina; vel solùm caput, io quo vitiorum fenestræ, sensus; vel quæcunqoe alia corporis pars inuncta, cùm nomine carnis vitiorum omnium seminarium in Scripturis significetur, satis quidem ad unctionis effectum foret. Postremò prudenter monet Serarius, non privatô jodiciô alicujus, usitatam consuetudinem noo esse permurandam, aut inferendam. Ita ex eo Arcudius cap. 6.

Confirmatur, ex proportione Sacramenti Extremæ-Unctionis cum sacrameoto Pœnitentiæ, ad quod licèr Confessionis integritas per se necessaria videatur; tamen quando rimendū occurrit immineos mortis periculum, vel ubi accidit impotentia loquendi, conferri potest Sacramentalis Absolutio absqoe hujusmodi prævia integra Coofessione, dummodò Pœnitens certa proferar signa, quibus designet se Absolutionē requirere; imò dum aliqui fide digni testantur, ægrum, Confessarium eaoptasse: ergo pariter congruum fuit, ut Sacrameotū Extremæ-Unctionis ita institueretur, ut in casu necessitatis uoa duntaxar unctio sufficeret ad gratiam Sacramentalem conferendam; quamvis fortè citra hunc oecessitatis casum oon esset sufficiens. *Observandum* est autem quòd in eo casu debeat fieri mentio quinque sensuum in verbis formæ; nam si fieret mentio tantùm de uno sensu, v. g. visu, forma non significaret sufficientem effectum, ad quem conferendum hoc Sacramentum est institutum, quia est gratia, quâ remittantur peccata quinque sensuum, vel illis mediantibus patrata. Si tamen in forma nullus exprimeretur sensus expresfè, ot fiebat in forma Ambrosiana, & Veneta superiùs relatis, satis probabile est, quòd adhuc sufficeret, quia adhuc per verba in eis contenta totus Sacramenti effectus sufficienter sigoificatur, scilicet, remissio peccatorum per sensus commissorum.

Conclusio Tartia.

XII. Forma Extremæ-Unctionis est deprecativa.

Forma legitima Sacramenti Unctionis est ea, quâ utitur Ecclesia Latina, nempe: Per istam sanctam unctionem, &c. quæ reverà deprecativa est; non tamen ita necessario, quin validè conferretur Sacramentum sub forma indicativa. Prima pars hujos conclusionis patet ex dictis, siquidem ejusmodi formam approbant Concilia Florentiuom & Tridentinum cap. 1. de Extrema-Unctione; illamque continent, antiquissima Ritualia, ea quibus apparet, Ecclesiam Latinam eam formam continuâ Traditione usurpasse.

Non abnuo tamen, quin Græcorum forma sit pariter legitima, quippe cùm Ecclesia Latina, (quæ io ministratione Sactamentorum errare non potest) illam non improbet, sed approbet; & aliunde vix à præfata Ecclesiæ Latinæ forma discrepet, cùm pariter eaprimatur per modum deprecationis aut orationis.

Nec obstat, qoòd ejusmodi forma sub conceptis illis verbis non habeatur in Scriptura sacra: sufficit enim, quòd inferatur ex illis S. Jacobi verbis, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui orent super*

eum, ungentes, &c. Sic enim significat formam hujus Sacramenti debere illius effectum significare per modum deprecationis, & orationis, qualis est utraque forma Ecclesiæ Græcæ & Latinæ.

Cur autem hoc Sacramentum præ cæteris deprecatotiam formam obtineat, triplex proferri potest congruentia, quas Seraphicus Doctor reperit ex triplici capite, nempe suscipientis, modi curandi, & morbi: *Prima*, inquit, est ex parte suscipientis, qui propter infirmitatem est destitutus: ideo oratione est relevandus. *Secunda* est ex parte modi curandi, qui est per devotionem, & elevationem animæ ad spiritualia: & quia quod super omnia excitat animam, ad hoc est oratio, ideo, &c. *Tertia* ratio est ex parte morbi, quoniam hîc fit remissio peccati interveniente ministeriô Sacerdotis: & quoniam in remissione culpæ, Sacerdos non se habet, nisi per modum deprecantis, unde & in Absolutione sua utitur oratione deprecativâ, ut in præcedentibus habitum est: hinc est quòd optimè institutum fuit Unctionem non fieri sine oratione, cujus expressio est forma Sacramenti. *Quartam* rationem profert Catechismus Romanus *num.* 14. dicens: » Nec verò quisquam miretur, inquit, cur factũ sit, ut aliorum Sacramentorum forma vel absolutè significet quod efficit, ut cùm dicimus: *Ego te baptizo:* aut, *Signo te signô crucis:* vel tanquam ab imperantibus pronuntietur, ut cùm in Sacramento Ordinis administrando dicitur: *Accipe potestatem:* hæc una verò Extremæ-Unctionis forma precatione quâdam absolvatur. Id enim optimô jure constitutum est: nam cùm hoc Sacramentum propterea adhibeatur, ut præter spiritualem gratiam, quam tribuit, sanitatem etiam restituat ægrotis: tamen, quia non semper sequitur, ut ægri à morbis convalescant, ob eam causam precationis forma conficitur, ut à Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis constanti & perpetuô ordine efficere non solet. Adhibentur autem ritus proprii in hujus quoque Sacramenti administratione. Sed eorum maxima pars precationes continet, quibus Sacerdos ad ægroti salutem impetrandam utitur: nullum enim est aliud Sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur: ac rectè quidem: quoniam eô potissimùm tempore fideles piis obsecrationibus adjuvandi sunt, quare & alii omnes, quos tum adesse contigerit, & præcipuè Parochi, debent orare Deum ex animo, & ejus misericordiæ, laborantis vitam & salutem omni studiô commendare.

Propter quadruplicem rationem.

XIII. Nec minùs producit gratiam ex opere operato.

Dices: Si forma hujus Sacramenti esset deprecatoria, sequeretur hoc Sacramentum producere gratiam, non quidem ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, & consequenter non habere eandem vim & efficacitatem, quam habent novæ legis Sacramenta: sed falsum consequens: ergo & id onde infertur.

Nego sequelam majoris: licèt enim hujus Sacramenti forma consistat in oratione, nihil obest quominus gratiam possit producere ex opere operato; cùm ad hoc ut gratiam eô modô producat, non indigeat devotione ministri vel suscipientis; sed id totum consequatur ex meritis & institutione Christi; qui utique potuit orationis formulam in hujus Sacramenti administratione usurpatam evehere ad efficaciam & dignitatem Sacramenti novæ legis, non secus ac extulit contractum matrimonialem ad dignitatem, & virtutem Sacramenti novæ legis.

Vrgebis: Illa oratio, quæ fit in administratione hujus Sacramenti, vocatur à S. Jacobo *oratio fidei*, hoc est, quæ elicitur ex merito fidei ministri: sed hujus orationis meritum pendet ab ipsius dispositione: igitur, &c.

XIV. Licèt dicatur oratio fidei.

Respondeo ad majorem, illam orationem idcirco appellari à S. Jacobo orationem fidei, ex eo quòd concipiatur per fidem supernaturalem, & sola fide intelligatur: eô modô, quô S. Augustinus tract. 80. in Joan. omne verbum Sacramentale, quod cum elemento operatur, appellat verbum fidei.

Dices secundò: Sacramenta novæ legis debent habere eandem formam per universam Ecclesiam: sed orationes & preces, quæ proferuntur ab Ecclesia Græca & Latina, non sunt eædem, ut constat ex tertio notabili: igitur ejusmodi preces non debent censeri forma legitima hujus Sacramenti.

Distingue majorem: Debent habere per universam Ecclesiam formam communem secundùm significationẽ essentialem, concedo: secundùm accidentalem, nego. Porrò utraque forma tam Græcorum, quàm Latinorum eadem est secundùm significationẽ essentialem; quia utraque ordinatur ad significandam remissionem peccatorum levium, nec-non ad recuperandam sanitatem spiritualem & corporalem. Idem dicendum de formis Ambrosiana & Venetiana, quæ licèt indicativô modô proferantur, non propterea differunt essentialiter ab aliis formis, quia nempe ordinantur ad eundem effectum significandum, scilicet liberationem ab infirmitate corporali & spirituali.

XV. Potest tamen esse indicativa.

Unde apparet *probatio secundæ partis*, nempe quòd valida etiam sit forma verbis indicativis expressa: *quia* id constat ex praxi Ecclesiæ Mediolanensis & Venetianæ, quæ in conferendo hoc Sacramento utuntur formâ verbis indicativis expressâ, quarum Ecclesiarum ritum non proscripsit, nec damnavit Ecclesia.

Dices primò: in prædictis formis Ecclesiæ Mediolanensis & Venetæ, intelligi posse, eas esse deprecatorias, cùm dicitur: *Vt more militis uncti aëreas possis superare potestates;* quæ utique loquendi formula optativa est, idemque sonat, ac si diceretur: Ungo te oleô sanctificante, optando ut ope divinâ possis aëreas superare potestates; verbum enim *valeas*, est optativum, quod conjunctum cum sequentibus, efficit formam deprecatoriam; quia addit illi divinum nomen, ut principalem causam, in cujus virtute & auxilio debet infirmus sacrô oleô unctus generosè pugnare adversus hostes, eum in illo agone extremo impugnantes: igitur hæ formæ peculiares non sunt indicativæ.

Ut constat ex forma Ambrosiana & Veneta.

Nego consequentiam & ad antecedens dico, ejusmodi formam habere rationem deprecationis & orationis, potius quàm formam aliorum Sacramentorum, in quibus pariter invocatur Dei nomen, si enim Eucharistiam excipias, omnia Sacramenta conferuntur cum invocatione sanctissimæ Trinitatis.

Adde quòd præfata in objectione verba, sufficienter determinentur per prima: *Vngo te oleô sanctificatô, &c.* quæ utique indicativa sunt, ac subinde totam formam indicativam efficiunt.

Dices secundò: Concilium Florentinum & Tridentinum solam formam deprecativam proponunt & approbant: igitur indicativam reprobant.

Nec Concilia damnant.

Nego consequentiam: Concilia enim eam formam proponunt, quæ in usu est per universam Ecclesiam Latinam, licèt non proscribat diversos ritus quarundam Ecclesiarum particularium,

quæ utique utuntur aliâ formâ ab universali Ecclesia pridem toleratâ, vel etiam approbatâ à Sede Apostolica: Quod utique constat à simili; licèt enim ritus celebrandi divinum Officium idem præscribatur pro universali Ecclesia, qui servari solet Romæ; nihilominus plurimæ sunt Ecclesiæ, quæ suos peculiares ritus habent Romanis ritibus non conformes.

Nec Concilia damnant.

Dices tertiò: S. Jacobus appellat Extremæ-Unctionis formam, orationem fidei: igitur illa forma debet esse necessariò deprecativa.

Neque S. Iacobus.

Nego consequentiam: Nam per orationem fidei intelligi potest quæcunque forma sufficiens ad validè conferendum hoc Sacramentum, quâ ratione aliorum etiam Sacramentorum formæ plerumque dicuntur à SS. Patribus orationes, maximè verò forma Sacramenti Pœnitentiæ; licèt ipsa non possit esse deprecativa, cùm exerceatur per modum judicii. Licèt autem hæc vera sint; nihilominus certum est, non posse formam indicativam usurpari citra peccatum mortale in illis Ecclesiis, in quibus ejusmodi praxis non viget: quisque enim tenetur sese conformare praxi universalis Ecclesiæ, ubi Ecclesia particularis, cujus est, non habet praxim contrariam tacitè vel expressè approbatam.

PETES 1. *Quænam sint particulæ essentiales formæ hujus Sacramenti?*

XVI. Quænam particulæ sint essentiales.

Respondeo 1. Istas solas essentiales esse, *per Unctionem indulgeat tibi Dominus:* quia solùm per ablationem illarum, aut saltem aliquarum ex illis sensus à Christo intentus in hujus Sacramenti forma destruitur. Quod tamen non impedit quominus debeat integra ea forma proferri, ut præcepto Ecclesiæ satisfiat extra necessitatis casum.

Unde conveniunt omnes Theologi, expressam invocationem Trinitatis non pertinere ad essentiam hujus Sacramenti: imò neque esse necessariam necessitate præcepti affirmat Suarez, contra nonnullos ab ipso citatos; & ratio est, quia neque hoc Sacramentum est professio fidei, sicut Baptismus, neque in hoc Sacramento aliqua specialis occurrit ratio invocationis trium divinarum personarum, neque in Conciliis declaratur, neque in Rituali Romano, nec etiam communis consuetudo id habet; nullum ergo sufficiens fundamentum afferri potest ad asserendam talem præcepti obligationem.

PETES 2. *Utrum per singulas Unctiones cum suis formulis producatur gratia?*

Respondeo, circa hujus quæstiunculæ solutionem tres præcipuas esse Theologorum sententias; quarum *Prima* censet gratiam habitualem non conferri, nisi per Extremam-Unctionem, quæ reverà ultima sit ex intentione Ministri, sive hoc Sacramentum ministretur quinque Unctionibus, quæ tantùm sunt de essentia, sive septem, quæ solùm sunt de integritate Sacramenti. Ita communiter Thomistæ cum Soto in 4. dist. 23 qu. 1. art. ult. ubi docet, quòd si Minister vult Sacramentum ministrare per septem Unctiones, non producetur effectus, nisi post septimam; si verò per quinque, gratia dabitur tantùm in fine quintæ Unctionis.

XVII. Singulas Unctiones conferre gratiam specialem negant Thomistæ.

Verùm hæc sententia rejicitur: *Tum, quia* si duæ postremæ Unctiones ex illis septem, scilicet renum, & pedum, non sint de essentia, ut etiam fatentur Thomistæ, efficere non potest Minister per suam intentionem, quin completò essentialiter Sacramentò per illas quinque Unctiones, suum effectum non conferat, siquidem statim ac Sacramentum perfectum est, & essentialiter completum, producit suum effectum, neque suspendi potest ille effectus per privatam intentionem Ministri, quæ ad validitatem Sacramenti non est necessaria, sed sufficit intentio generalis faciendi quod facit Ecclesia. *Tum, quia* fieri posset, ut infirmus totum susciperet Sacramentum quantùm ad essentiam, nec tamen gratiam reciperet, putà si completis quinque Unctionibus infirmus moriatur antequam recipiat duas ultimas Unctiones, post quas duntaxat Minister intendit Sacramentum consequi suum effectum: sed hoc omninò absurdum est; siquidem Sacramenta censentur idonea, & in actu primo vim habere ad producendum suum effectum, statim ac sunt essentialiter completa & perfecta, siquidem agunt instar causarum naturalium; quæ positis omnibus ad actionem prærequisitis suum effectum producunt: igitur quando Sacramenta sunt essentialiter completa suum producunt effectum independenter à privata intentione Ministri. *Tum denique, quia* si posset Minister suspendere effectum hujus Sacramenti post septem Unctiones, quamvis duæ postremæ non sint essentialiter necessariæ, tali ratione suspendere posset post vigesimam & trigesimam Unctionem; nam hæ sunt eòdem modò extra numerum quinque Unctionum essentialium, ac sexta & septima Unctio: sed hoc dici nequit; alioqui Minister per suam privatam intentionem posset suspendere essentiam & efficacitatem Sacramenti: igitur, &c.

Secunda sententia docet, gratiam per hoc Sacramentum conferri; statim ac omnes illæ quinque Unctiones cum suis formis correspondentibus complentur, & perficiuntur. Ita Suarez disp. 41. sect. 2. & plures alii Recentiores.

XVIII. Et Recentiores plurimi.

Verùm hæc sententia pariter rejicitur: *Tum, quia*, ut diximus, quinque Unctiones non sunt ita necessariæ ad essentiam hujus Sacramenti, quin interdum unica sufficiat: *Tum, quia*, si non conferretur effectus Sacramenti, nisi completâ ultimâ Unctione, & prolatione formæ, sequeretur, non esse proferendas omnes partiales formulas, nisi dum completur ultima Unctio: omnis enim prior prolatio esset inutilis; siquidem effectum suum signatum non haberet, nec quando profertur actu, nec dum proferetur formula correspondens ultimæ Unctioni; nam Sacramentum consistens in usu non censetur aliquid causare, quando jam transivit, si nullum post se relinquat effectum, in cujus virtute gratia conferatur: sed quando fit ultima Unctio, & profertur forma ei correspondens, priores Unctiones non sunt actu, nec etiam remanet aliquis effectus per eas productus: neque ultima Unctio, aut ejus forma alias præcedentes Unctiones & formas essentialiter continet: igitur inutiliter præcedentes formulæ proferrentur ante hanc ultimam Unctionem. *Tum denique, quia* omnes illæ singulæ Unctiones non ordinantur ad unicum indivisibilem effectum; siquidem quælibet Unctio cum forma sibi correspondente habet essentialiter suum subjectum determinatum, nempe organum sensûs: Unde pro diversitate organorum, quæ sunt instrumenta peccandi, diversæ fiunt

Unctiones, & variæ proferuntur preces ac formulæ, quæ completum habent sensum; ac subinde habent completam rationem formalem Sacramenti, in ordine ad illud organum sensûa, quod ungitur, & ad quod forma prolata dirigitur: ergo debet pariter habere suum effectum; nam completâ essentialiter materiâ & formâ Sacramenti, poni debet effectus.

XIX. Sed affirmamus cũ Subtili Doctore.

Itaque magis probanda videtur *tertia sententia* affirmans per singulas Unctiones dari singulos gradus gratiæ sanctificantis; ita quòd sicut sunt quinque unctiones partiales; & totidem partiales formæ eis correspondentes: ita videntur quinque distincti gratiæ gradus, qui adæquatum hujus Sacramenti effectum constituunt: quæ utique sententia videtur esse Doctoris citatâ dist. 23. num. 7. Nam respondens ad secundum argumentum, nempe quòd Extrema-Unctio non erat unum Sacramentum, quia habet plurimas materias, & diversas formas, ait: *Dico, quòd est unum Sacramentum unitate integritatis, sed non unitate indivisibilitatis, sicut effectus ejus non est unus indivisibiliter, quia non est remissio unius venialis; sed unus unitate plenaria remissionis omnium venialium, ut omnibus remissis, nihil remaneat retardans à perceptione beatitudinis, quam nobis concedat, &c.* Quibus Doctor apertè significat, Sacramentum hoc constare ex pluribus partibus, quarum quælibet habeat rationem Sacramenti, & verè gratiæ sanctificantis gradum conferat.

Quod utique probatur: *Tum, quia* quælibet Unctio cum sua forma habet essentialiter completam significationem illius effectûs, ad quem significandum assumitur, nempe remissionem eorum, quæ per visum, vel auditum, &c. commissa sunt: igitur quælibet Unctio cum forma sibi correspondente habet rationem Sacramenti gratiam conferentis; Sacramentum enim ex divina institutione efficit quod significat in ultimo instanti prolationis formæ, & applicationis materiæ, nisi adsit obex ex parte subjecti: igitur cùm quælibet Unctio cum forma sibi correspondente habeat significatum partiale ab aliis distinctum, etiam habere debet effectum proprium partialem ab aliis condistinctum: *Tum quia* quælibet species Eucharistica, & quilibet ex septem Ordinibus confert partialem effectum: igitur etiam quælibet Unctio cum sua forma debet effectum partialem conferre. Patet consequentia à paritate rationis, quæ intercedit maximè inter sacram Unctionem, & Sacramentum Ordinis: idcirco enim singuli Ordines conferunt gratiam specialem, & habent proprios effectus, quia sunt partiales respectu totius: & singuli Ordines unum duntaxat totale Sacramentum Ordinis constituunt, quia singuli habent partialem materiam & formam distinctam: at idem est de singulis Unctionibus, quæ diversæ sunt, ratione diversarum partium, quibus applicantur, & habent etiam diversas formulas sibi correspondentes: igitur est utrobique paritas.

Dices 1. Non esse paritatem, quia formæ partiales in Eucharistia sunt indicativæ; in Ordine verò imperativæ; unde licèt illæ debeant habere suum effectum partialem, hæ idem sibi non vendicant: nam formæ deprecativæ non eam habent efficaciam, quæ debeat poni ad singulas particulas præfationis; sed sufficit quòd ponatur pro illo tempore, pro quo petitur & completur ratio.

Verùm, ut optimè advertit Hiquæus *num.* 89. perinde est ad efficaciam formæ Sacramentalis, quòd illa sit indicativa, aut imperativa, aut deprecativa; quippe tota ejus efficacia pendet ex institutione Christi, & fundatur in speciali assistentia Dei, qui infallibiliter producit effectum significatum per formam, statim ac illa suum completum sensum Sacramentalem obtinet: completur autem ille sensus cujuslibet formulæ ad Unctionem sibi correspondentem: igitur tunc poni debet effectus per eam formam significatus.

Dices 2. Effectus Sacramenti est indivisibilis: gratia enim non datur per partes, nec peccata dimittuntur per frusta, quia Deus perfectè sanat quemcunque sanat: igitur non confertur effectus partialiter per singulas Unctiones.

Nego antecedens: Non enim est inconveniens gratiam partialiter conferri per illa Sacramenta, quæ sunt unum unitate integritatis tantùm, non autem indivisibilitatis: & remissio omnium peccatorum venialium, quæ est propria hujus Sacramenti, non esse necessariò connexa, sicut est in mortalibus; unde quando mortalia per accidens hôc Sacramentô tolluntur, dicendum est per primam gratiam partialem, quæ in prima Unctione confertur, remitti omnia illa peccata mortalia, si quæ in subjecto sunt, invisibiliter ignorata.

QUÆSTIO TERTIA.

Quinam sint fructus & effectus hujus Sacramenti?

I. Extrema-Unctio habet potissimum quinque effectus.

NOtandum primò: Hîc difficultatem non moveri de fructibus & effectibus, quos hoc Sacramentum communes habet cum aliis novæ legis Sacramentis, putà gratiæ sanctificantis, aut ejus augmenti collatione; cùm enim S. Jacobus dixerit, per eam fieri remissionem peccatorum, si suscipiens eis adhuc inquinaretur; inde liquet etiam conferri gratiam sanctificantem, aut illius augmentum, quippe cùm non fiat peccati remissio de via ordinaria sine ejusmodi gratiæ infusione; Unde Concilium Trident. Can. 2. de Extrema-Unctione, ait: *Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec dimittere peccata ... anathema sit.* Solùm itaque sermo est de effectibus huic Sacramento particularibus, quos omnes declarat Concilium Trident. sess. 14. Cùm enim in præludio dixisset, sacram Unctionem esse firmissimum præsidium adversus tentationes diaboli, qui imminente morte omnes suæ versutiæ nervos intendit, ad perdendos nos, & animas nostras devorandas, subdit cap. 1. *Unctio delicta, si qua sint adhuc expianda ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam allevias & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, ac labores leviùs fert; & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedies, consequitur.* Ex quibus Theologi colligunt sex effectus illius Sacramenti, quorum *primus* communis cum aliis Sacramentis est gratia sanctificans: *Secundus* est speciale gratiæ auxilium, tum ad superandas tentationes in articulo mortis occurrentes; tum ad spem & confidentiam faciliùs & firmiùs in Deum erigendam; tum ad morbi & mortis molestias animô constanti ferendas. *Tertius* est remissio peccatorum venialium, quæ per se ab ipso Sacramento intenditur. *Quartus* est remissio mortalium peccatorum, secundariò ta-

men & per accidens, si quæ adhuc babeat infirmus, quæ tamen invincibiliter ignorat, ne se eis inquinari existimet. *Quintus* est absterfio reliquiarum peccati. *Sextus* denique est sanitas corporis restituenda, si hæc animæ salori expediar. Quæritur autem quis sit præcipuus & primarius ejusmodi effectus.

II. Quid sint peccati reliquiæ controvertitur.

Notandam secundò, non consentire Theologos circa explicationem *reliquiarum peccati*, quarum absterfionem Concilium Tridentinum inter effectus Extremæ-Unctionis deputat. *Quidam* enim per eam volunt designari peccata venialia. Verùm revincuntur ab ipsis Concilii verbis dicentis non solùm per hoc Sacramentum deleri ipsas reliquias, sed etiam delicta, si quæ sint: certum est autem peccata venialia esse reverà delicta, ac verè peccata. *Aliqui* existimant per peccati reliquias intelligi pronitatem & habitum ex peccato relictum. Verùm hic non removetur, nisi per frequentationem contrariorum actuum; & jugiter etiam in viris justificatis interdum perseverat. Censent alii; per *peccati reliquias* intelligi languorem & torporem ad faciendum bonum, & mentis infirmitatem ad intuenda & meditanda cœlestia; quæ quidem reliquiæ peccata non sunt; sed ex primo peccato relictæ, aliisque peccaris subinde confirmatæ; Unde S. Augustinus lib. ult. de Trinit. cap. 27. animam suam alloquens, ait: *Quæ*, inquit, *causa est, cur acie fixâ lucem illam incommutabilem videre non possis, nisi infirmitas, & quid eam tibi facit, nisi iniquitas?* Porro hæc animi infirmitas, seu torpor & difficultas ad bene operandum, per hoc Sacramentum tollitur: quapropter appellatur spiritualis animi sanatio, sicut Baptismus ejusdem est regeneratio, & Pœnitentia ipsius spiritualis Resurrectio à morte peccati.

III. Effectus Sacramenti variè considerantur.

Notandum tertiò, cujuslibet Sacramenti duplicem esse effectum, nempe communem, & proprium: *Communis* est, qui convenit omnibus Sacramentis novæ legis, nempe gratia sanctificans, vel ejus augmentum; siquidem omnia novæ legis Sacramenta producunt gratiam in suscipiente, obicem non ponente: *Proprius* est, ad quem producendum quodlibet Sacramentum ordinatur. Insuper proprius effectus attendi potest dupliciter: *Primò* quidem ut intentus per se, ac directè: *Secundò*, ut intentus per accidens, quando scilicet Sacramentum producit aliquem effectum, occasione alterius rei, quæ incompatibilis est cum effectu proprio Sacramenti. *Denique* effectus per se ac directè intentus, est duplex, scilicet principalis, & minùs principalis, seu primariò, aut secundariò intentus, ut patet exemplô Sacramenti Pœnitentiæ, cujus effectus proprios per se ac directè intentus primariò, est remissio peccatorum mortalium debitè confessorum: effectus verò per se quidem directè intentus, non tamen primariò, sed tantùm secundariò, est remissio peccatorum venialium.

Porrò triplex est Theologorum sententia circa primarium ac potissimum hujus Sacramenti effectum. *Quidam* enim docent cum S. Thoma 3. q. 65. art. 1. nec-non & in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. principalem ac magis proprium Extremæ-Unctionis effectum, esse augmentum gratiæ habentis jus ad removendas peccati reliquias, & conferenda specialia auxilia contra languorem & debilitatem ad operandum. *Nonnulli* cum Suare docent, effectum proprium, & primarium hujus Sacramenti esse confortare animam infirmi contra difficultates, & tentationes in articulo mortis occurrentes, quibusdam divinis auxiliis, ad hoc specialiter ordinatis; consequenter verò, non quidem merè per accidens, sed aliquô modô per se, non tamen ex primaria, sed ex secundaria intentione, esse remissionem omnis culpæ tam mortalis, quàm venialis, nec-non reatûs pœnæ ex peccato relictæ, modò in subjecto non sit obex, quod accidit quando ægrotus hoc Sacramentum suscipit cum peccato invincibiliter ignorato. *Cæteri* denique docent cum Subtili Doctore effectum primarium ac principalem hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum venialium; alios autem effectus esse duntaxat minùs principales & secundarios, cui sententiæ utpote veriori, ut subscribamus, sit

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Extrema-Unctio maximè ordinatur ad eam rationem peccati venialis.

PRIMARIUS *ac principalis hujus Sacramenti effectus est infusio gratiæ habitualis, quatenus habet annexam remissionem finalem peccati venialis, non autem mortalis: licèt hoc etiam remittat per accidens.* Ita Subtilis Doctor dist. 23. n. 3. Cujus utique rationem congruam præmiserat, dicens: Congruum est, recessurum ab hac vita finaliter à venialibus absolvi, quia ista non remissa essent impedimentum gloriæ consequendæ, & non remissa possunt esse usque ad exitum, quia peccator quasi continuè peccat talibus peccatis: quasi diceret: Quemadmodùm institutum est Sacramentum Baptismi pro expiando peccato originali, & Pœnitentiæ pro delendis mortalibus & venialibus, quæ per totam vitam, dum homo est rationis compos, fiunt: ita congruum fuit, ut institueretur Sacramentum pro eluendis peccatis venialibus, quæ supersunt expianda homini in extremis posito, & post ultimum Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum, ubi scilicet propter acerrimam morbi & imminentis mortis agitationem non est amplius libertatis compos, nec consequenter capax agendi Pœnitentiam, per quam ejusmodi peccata posset eluere. Idem docet Seraphicus Doctor locô suprà laudatô, ubi cùm dixisset: *Extrema-Unctio est contra peccatum veniale, & per accidens confert ad alleviationem corporalis infirmitatis, & ad animæ vigorem*, subdit: Sed notandum, quòd de veniali peccato est loqui dupliciter, aut prout est quis in statu viæ, aut prout est quis in egressu. Si prout est in statu viæ, sive in itinere: sic morbus venialis est quasi inseparabilis, vel quâdam necessitate iterabilis, ac per hoc quodammodò incurabilis, & ideo non debuit contra ipsum aliqua medicina specialiter, & principaliter ordinari: Imò quodammodò omnia Sacramenta valent ad ejus curationem secundùm plus aut minùs: Si autem loquamur, prout anima est in statu egrediendi: sic possunt curari sine iteratione: & sic cùm anima possit trahere talia cremabilia, quæ retraherent à gloria, instituit divina misericordia remedium quo anima curari posset, quantùm ad remissionem culpæ, & etiam partis pœnæ, & hoc est Sacramentum Unctionis-Extremæ.

Ut optimè docet Seraphicus Doctor.

Modus autem curandi veniale peccatum in hoc Sacramento correspondet modo infirmitatis. Veniale autem peccatum gravat animam deprimendo deorsum, ut non ita intendat in Deum per devotionem & amorem pro eo, quod est ibi conversio inordinata ad commutabile bonum, & pro eo quod est minor amor Dei, sicut tangit Augusti-

» nus in libro Confessionum. Et ideo cùm curatio directè sit per contrarium : per illud curatur, quod animam aggravatam per devotionem sursum elevat. Et quoniam corpus quod corrumpitur, aggravat animam, cùm illud Sacramentum sit ad elevandam animam per devotionem, in qua anima recipit vigorem quemdam, in quo semper est deletio venialium, si sunt in anima : & per consequens repressio molestiarum corporalium, si expedit ipsi animæ; hinc est quòd istud Sacramentom principaliter est ad curationem & alleviationem infirmitatis spiritualis, scilicet peccati venialis, & per accidens est ad curationem & alleviationem infirmitatis corporalis, quodammodo ad vigorandam animam, quæ regit corpus, B & sic patet, quid sit in hoc Sacramento res tantùm, quid signum, & quid res & signum. Signum tantùm est Unctio exterior. Res tantùm est venialis curatio. Res & signum, in ipsa anima devotionis excitatio, quæ non est aliud, quàm quædam spiritualis Unctio.

V.

Ex probatur ratione petita ex verbis formæ.

Probatur insuper conclusio : Ille censendus est effectus primarius Sacramenti, quem forma Sacramentalis significat & exprimit : sed forma Sacramenti Pœnitentiæ, quâ utitur Ecclesia Romana & Græca significat & exprimit remissionem peccatorum : igitur hæc est effectus primarius Sacramenti. Major constat; cùm enim Sacramenta novæ legis efficiant quod significant, & C ipsorum significatio spectet ad eorum causalitatem, haud dubium est, quòd ille censendus sit primarius effectus, qui potissimùm declaratur & significatur per formam Sacramentalem, in qua potissimùm Sacramenti ratio ac cursus consistit. Minor etiam patet ex verbis utriusque formæ tam Græcæ, quàm Latinæ, in quibus significatur exorata peccati remissio per illa vocabula: *Indulgeat*, seu, *parcat* : vel remittat tibi Deus quidquid deliquisti : &c.

Et Concilii Tridentini.

Confirmatur ex Concilio Tridentino assignante hanc remissionem tanquam potissimum effectum, ait enim cap. 2. ubi agit de effectibus Sacramenti: *Res etenim*, inquit, *hac gratia est Spiritûs S. cujus Unctio delicta, si qua sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* D Posteriori autem locô alios designat effectus, ut nempe significet, illam remissionem, quam primariò loco assignat, esse potissimam inter effectus hujus Sacramenti: quod utique repetit Can. 2. cùm ait: *Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos .... anathema sit.* Quibus verbis significat in hoc Sacramento conferri gratiam habitualem, cujus proximus effectus est ipsa peccatorum remissio. Idipsum evidentiùs patet ex Catechismo Romano num. 27. ubi ait: *Docebunt igitur Pastores hôc Sacramentô gratiam tribui, qua peccata, & imprimis leviora quidem, & ut communi nomine appellantur, venialia remittit : exitiales enim culpa Pœnitentia Sacramentô tolluntur : neque enim hoc Sacramentum primariò locô ad graviorum criminum remissionem institutum est; sed Baptismus tantùm & Pœnitentia vi suâ id efficiunt, &c.* E Quibus verbis significatur effectum primarium hujus Sacramenti esse ipsam peccati remissionem, non quidem mortalis & gravioris, sed duntaxat venialis.

Probatur secundò : Ille censendus est primarius effectus, ex quo cæteri, tanquam ex fonte emanant & profluunt : at omnes à Concilio Tridentino assignati effectus hujus Sacramenti proveniunt ex ipsa peccati remissione, illamque necessariò præsupponunt; siquidem curari non potest languor infirmitatis animæ, nec evacuari possunt peccati reliquiæ, nisi peccatum ipsum evacuetur : *Nec* potest conciliari animi tranquillitas in morte, nisi deleatur peccatum ipsum, quod Domini adventum ac judicium tremendum exhibet. *Nec* potest quis adversus infensum humani generis hostem fœliciter armari, quandiu peccatum in se continet, per quod diabolus alignatenus ei dominatur. *Nec* denique restaurari potest integra corporis sanitas, nisi eluatur peccatum, propter quod fortè infirmitas accidit : igitur illa peccati eliminatio censeri debet primarius hujus Sacramenti effectus.

VI.

Non ordinatur ad remissionem mortalis.

Sed peccatum illud, quod per Extremam-Unctionem removeri debet, non est mortale, ut constat tum ex supradictis Catechismi Romani verbis; tum quia peccatum mortale post Baptismum commissum deleri tantùm potest per Pœnitentiam, ut docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. *Fuit enim Pœnitentia hominibus, qui se mortali aliquò crimine inquinassent quôvis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria.* Ita *cap.* 1. & idem *cap.* 4. ubi docet: *Fuit autem quôvis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum. Ita demum praparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divina misericordia, cum voto prastandi reliqua conjunctus sit, qua ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur, &c.* Et infrà docet, Contritionem perfectam non justificare, nisi cum voto Sacramenti Pœnitentiæ, neque imperfectam sine Sacramento reipsà suscepto. *Tum, quia* Pœnitentia est per se instituta; ut sit secunda post naufragium tabula, per quam salvari potest peccator à mortalibus : nullibi autem legitur dari tertiam naufragii tabulam inter Sacramenta; ac subinde Sacramentum Extremæ-Unctionis non potest hanc virtutem & appellationem sibi vindicare : haberet autem utramque rationem, si per se ordinaretur ad remissionem peccati mortalis : igitur duntaxat per accidens ad ejusmodi peccati mortalis remissionem ordinatur. *Tum denique, quia* mortalia debent simul remitti, quippe cùm non remittatur mortale peccatum sine infusione gratiæ sanctificantis, quæ de via ordinaria cum peccato mortali subsistere non potest : sed peccata quæ per Extremam-Unctionem remitti debent, non possunt simul remitti virtute Sacramenti, quippe hoc Sacramentum citra casum necessitatis non potest simul conferri; etenim ad singulas partes ungendas, iteratur tam Unctio, quàm forma, quæ est deprecativa remissionis eorum peccatorum, quæ per ejusmodi facultatem corporis commissa sunt; ac subinde singulæ illæ hujus Sacramenti applicationes operari debent aliquam peccati remissionem; non quidem mortalis, ut dictum est : igitur tantùm venialis; quia cùm peccatum veniale subsistat cum gratia sanctificante, inde est, quòd unum remitti possit seorsim ab alio.

Dices : Peccatum veniale remitti potest sine infusione gratiæ, & per varia media, ut jam pluries diximus : igitur ad illius peccati remissionem necessarium non fuit, ut institueretur aliquod Sacramentum.

Distinguo antecedens : Ita remitti potest peccatum veniale, quando homo capax est adhuc agendæ Pœnitentiæ, & applicandi media ordinata

nata ad ejusmodi peccati remissionem, concedo: quando versatur in eo statu, ut nec actus Pœnitentiæ possit elicere, nec ejusmodi media applicare, ut contingit in ultima vitæ periodo, nego.

Vrgebis; Monent sacra Ritualia, nec-non & Catechismus Romanus num. 18. ut conferatur hoc Sacramentum, cùm suscipiens adhuc habet mentem integram estque rationis compos; ac subinde dum adhuc est in eo statu, ut peccare possit iterum simul & pœnitere: igitur Sacramentum hoc non est institutum ad finalem peccati remissionem.

Nego consequentiam: Et ad antecedens dico, idcirco hæc ita præmonere, non quòd ita necessariò Sacramentum sit conferendum, sed ut suscipiens propter majorem suam dispositionem, uberiorem Sacramenti effectum consequatur, & majori cum reverentia istud recipiat. Cæterùm, ad validitatem hujus Sacramenti non requiritur, ut quis istud recipiat, dum est adhuc rationis compos, quia potest suum sortiri effectum, etiam in homine sensibus & ratione orbato, & jam morti proximo.

Instabis: Si hoc Sacramentum per se institutum esset ad remissionem peccatorum venialium, non esset expectanda ultima vitæ periodus, ut ministraretur, sed etiam conferri deberet in plena sanitate, & sæpius iterari: sed falsum consequens: igitur & illud unde sequitur.

Nego sequelam majoris: Non enim, ut dictum est in probatione Conclusionis, Sacramentum hoc ordinatur per se ad remissionem venialium simpliciter; sed duntaxat pro eo statu, in quo suscipiens non est capax adhibendi alterius remedii ad expiationem venialium, licèt interim majoris dispositionis adhibendæ gratiâ conferatur homini adhuc ratione utenti; ac consequenter capaci iterum peccare venialiter; quâ ratione Sacramentum hoc non afferret finalem remissionem peccatorũ, quia peccata illa post ejus receptionem commissa non remitterentur illius virtute, sed per alia media, nempe per Pœnitentiam, & Confessionem ac Sacramentalem Absolutionem, quam potest suscipere, si adhuc sufficienti ratione donetur, ut peccare possit: quandiu enim homo peccare potest, tandiu & pœnitere.

Dices tertiò: Forma Ambrosiana & Veneta sufficiens est & valida ad essentiam hujus Sacramenti: sed in ea non fit ulla mentio remissionis peccati, sicut in Romana & Græca: igitur hoc Sacramentum per se primariò non ordinatur ad remissionem peccati.

Distinguo minorem: Non fit mentio expressa & distincta, quemadmodum in aliis formis, concedo: implicitè & æquivalenter, nego: nam hæc verba, *ut more militis præparatus ad certamen*, significant gratiam sanctificantem tollentem impedimentum peccati, ratione cujus conceditur non solùm gratia actualis ad victoriam de hoste reportandam; sed etiam plena innocentia finalis, & mundities ab omnibus peccatis, quæ gravare possent militem, & eum minus dignum divinæ protectionis reddere.

VII. Nisi duntaxat per accidens.

Probatur secunda pars, nempe quòd Sacramentum hoc licèt non ordinetur per se ad remissionem peccatorum mortalium, ex vi suæ propriæ institutionis, nihilominus illa remittat per accidens, quando videlicet infirmus habet ejusmodi peccata, quæ bonâ fide & invincibiliter ignorat; quamvis enim hoc Sacramentum ordinetur duntaxat per se ad conferendam secundam gratiam, id est, ut gratiæ sanctificantis augmentum conferat, supponatque hominem à peccato mortali per Sacramentum Pœnitentiæ, aut perfectam Contritionem jam purgatum; nihilominus secundariò etiam, & per accidens primam interdum gratiam conferre potest, & peccata mortalia delere; si fortè Confessio Sacramentalis citra culpam invalida fuit, & aliàs infirmus se in statu peccati mortalis esse invincibiliter ignoret, & de illis saltem in genere attritus sit; & hoc satis apertè colligitur tum ex præcitatis S. Jacobi verbis, *Si in peccatis sit, remittentur ei*: tum ex illis Concilii Tridentini *cap. 2. Delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergit*: tum denique ex ipsius formæ verbis: *Indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti*: cùm enim hæc verba sit indefinita, ac sine ulla restrictione, de peccatis etiam mortalibus intelligi possunt modô jam explicatô, nempe secundariò, & per accidens.

Hoc etiam significavit S. Augustinus serm. 215. de Tempore, ubi ait, quòd *quoties aliqua infirmitas supervenit, corpus, & sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & deinde corpus suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur, qui infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui ungant eum.* In quo discursu supponit S. Doctor, quòd Eucharistiæ receptio, sit prævia susceptioni Extremæ-Unctionis: cùm ergo Eucharistiæ receptio gratiam in anima supponat, cùm sit Sacramentum vivorum, idem pariter de Extrema-Unctione dicendum erit, & per consequens directè, & per se dicetur esse Sacramentum vivorum, ex accidenti tamen, ac veluti indirectè poterit dici quoque remedium, & antidotum mortuorum, ut de aliis quatuor Sacramentis suô locô dictum est. Et hoc etiam Doctor noster expressit locô citatô supra dum ait quòd nullus est capax istius Sacramenti dignè, nisi sit in gratia; istud enim Sacramentum, non est remedium acquirendi gratiam, quia ad hoc sunt tantùm Baptismus & Pœnitentia; quibus verbis significat Doctor, hæc tantùm duo Sacramenta per se ordinari ad remissionem peccati mortalis; alia autem quinque indirectè solùm & per accidens, quatenus scilicet gratia habitualis, quam efficiunt, ut sunt Sacramenta, est incompossibilis cum peccato mortali.

Dices: Hoc Sacramentum per se ordinatur ad remissionem illius peccati, quòd conditionaliter inesse potest; ait enim S. Jacobus: *Si in peccatis est, dimittentur ei*: sed si peccatum, quod conditionaliter inesse potest, est mortale; non est locus conditionali propositioni; de venialibus; siquidem apprimè noverat S. Jacobus, vix aliquem esse liberum quôvis modicô tempore ab ejusmodi peccatis, ait enim cap. 2. *In multis offendimus omnes*: igitur oportet loquatur de peccatis mortalibus; ac subinde censet, non solùm per accidens, sed etiam hoc Sacramentum per se ordinari ad remissionem peccati mortalis.

Nego majorem: Nam particula *(si)* non est semper conditionalis, nec dubium ingerens, sed interdum est absoluta, maximè quando conjungitur rei factæ, ut patet ex oratione prima Ciceronis in Catilinam, ubi ait: *Si illustrantur, si erumpunt omnia, non dubitat fuisse illustrata, & erepta*, sed supponit tanquam probata, ut inde Catilina mores mutet. Unde ad minorem dico, S. Jacobum ita locutum fuisse, ut nempe significaret hoc Sacramentum ordinati ad remissionem peccatorum venialium, ex hypothesi quòd illa non fuissent jam per Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, vel per Sacramentalia remissa, eô fere sensu, quô de singulis Sacramentis dici solet, illa suum effectum in-

fallibiliter producere, si non sit obex ex parte suscipientis.

PETES: *Quid sentiendum sit de aliis effectibus & fructibus spiritualibus hujus Sacramenti?*

VIII. Explicantur alii effectus.

Respondeo: Catechismum Romanum illos luculenter, ac præclarè expendere nom. 28. ubi post declaratam hujus Sacramenti primariam utilitatem, nempe remissionem peccati, *subjungit*: Altera est sacræ Unctionis utilitas, quod animam à languore & infirmitate, quam ex peccato contraxit, & à cæteris omnibus peccati reliquiis liberat. Tempus autem huic curationi opportunissimum existimandom est, cùm gravi morbô affligamur, ac vitæ periculum impendet. Etenim homini naturâ insitum est, ut nihil in rebus humanis æquè, ac mortem pertimescat: auget autem magnopetè hunc timorem præteritorum actum memoria: cùm præsertim gravissima conscientiæ nostræ accusatio nos urgeat, ut enim scriptum est: *Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.*

Deinde, illa cura, & cogitatio vehementer angit, quòd paulò post stare oporteat ante tribunal Dei, à quo de nobis justissima pro eo, ac meriti fuerimus sententia ferenda sit. Sæpe autem evenit, ut fideles hôc terrore percussi, se miris modis exagitari sentiant. Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quàm si tristitiam abjiciamus, & lætô animô Domini adventum expectemus, paratique simus, depositum nostrum, quandocunque illud à nobis repetere voluerit, libenter reddere. Ut igitur hâc sollicitudine fidelium mentes liberentur, animusque piô & sanctô gaudiô repleatur, Extremæ-Unctionis Sacramentum efficit.

Præterea aliud etiam, quod meritò omnium maximum videri potest, ex eo consequimur; nam etsi humani generis hostis, quoad vivimus, nunquam desinit de interitu, & exitio nostro cogitare: nullô tamen tempore, ut nos omnino perdat, ac si fieri possit, spem nobis divinæ misericordiæ eripiat, vehementiùs omnes nervos contendit, quam cùm supremum vitæ diem appropinquare animadverterit. Quamobrem fidelibus arma, & vires hôc Sacramentô subministrantur, quibus adversarii vim & impetum frangere, & illi fortiter repugnare possint. Allevatur enim & erigitur ægri animus divinæ bonitatis spe: eàque confirmatus morbi incommoda omnia fert leviùs, ac ipsius dæmonis calcaneo insidiantis artificium, & calliditatem faciliùs eludit.

CONCLUSIO SECUNDA.

IX. Sanitas corporis est etiam effectus hujus Sacramenti.

SAnitas corporis restituenda, est effectus per accidens hujus Sacramenti. Hæc debet esse communis apud Theologos. Quòd autem corporea restituenda sanitas sit effectus hujus Sacramenti, patet ex Trident. sess. 14. cap. 2. ubi recensitis hujus sacræ Unctionis effectibus spiritualibus, addit: *Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Quod etiam colligitur ex verbis S. Jacobi, dicentis: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*: Hæc enim *alleviatio* nedum spectat ad illam animæ erectionem, quâ per gratiam in hoc Sacramento concessam, anima ex corpore, mœstitia & anxietate erigitur, & assurgit in Deum, ac spe ejus misericordiæ confirmatus infirmus, morbi incommoda omnia fert leviùs; sed etiam tendit ad levamen ipsius corporeæ infirmitatis ægrum vexantis; cùm enim de infirmitate corporis loqueretur Apostolus, consequens erat, ut alleviatio, quam per sacram Unctionem spondet, spectaret nedum ad animæ, sed etiam ad corporis sanitatem. Unde etiam in Decreto Concil. Florentini de Extrema-Unctione sanationis nomen ad utrumque refertur: *Effectus*, inquit, *est mentis sanatio; in quantùm autem expedit, etiam corporis.*

Et certè singulari divinæ providentiæ beneficiô factum est, ut huic Sacramento præ cæteris annecteretur virtus curativa, ac medicativa corporis: cùm enim inter omnia hujus sæculi mala nihil sit ipsâ morte terribilius, ita nihil vitâ ac sanitate expetendum magis; qui quidem appetitus tum maximè viget, & impetum suum exerit, quando homo ad vitam ulteriùs propagandam, videt ex ingravescente infirmitate, se humanis ac naturalibus præsidiis destitui; tunc enim sæpe tentari solent ægroti ad conquirenda remedia quædam illicita & superstitiosa; quibus vitæ protogationem obtineant, ut patet exemplo Ochosiæ 4. Reg. cap. 1. Quamvis igitur primaria hujus Sacramenti virtus spiritualis sit, sicut & aliorum Sacramentorum; attamen Christus D. hominum infirmitati & imbecillitati consulens, voluit huic sacro signaculo etiam adjungere virtutem curativam infirmitatis corporis, ne fortè desperatô morbi remediô ad illicita & superstitiosa auxilia confugerent ægroti. Quam utique rationem indicavit S. Augustinus, aut quisquis est Author libri de rectitudine Catholicæ conversationis, ubi ait: Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non divini, non sortilegi, sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat; & secundùm Apostolum: *Oratio fidei salvabit infirmum.*

Sed tantum intentus per accidens.

Hic autem effectus, non est per se intentus, sed tantùm per accidens in hoc Sacramento; quippe, inquiunt Concilia Tridentinum & Florentinum; hic solùm effectus producitur cùm expedit saluti animæ suscipientis. Adde quòd licet rariùs contingat, hominem periculosè ægrotantem, & hôc sacrô oleô inunctum pristinæ sanitati restitui, sæpe tamen accidit, ut morbi levamen aliquod ægrotus sentiat, simul cum interna Spiritûs S. consolatione, quam propriè hæc Unctio significat & operatur.

QUÆRES 5. *Quis est hujus Sacramenti Minister?*

X. Minister est solus Sacerdos.

Respondeo: Hoc Sacramentum non ab alio posse, quàm à Sacerdote validè ministrari. Ita definit Concil. Trident. Can. 4. *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos D. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-Unctionis Ministrum non esse Sacerdotem, anathema sit.* Idque colligitur ex verbis S. Jacobi dicentis: *Si quis infirmatur inducat Presbyteros*, ubi nomine Presbyteri non intelligitur senior, & qui majore pollet ætate, ut perperam interpretantur hæretici; sed reverà intelligitur Sacerdos, juxta illud 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam* (idest per sacram ordinationem) *cum impositione manuum Presbyterii*; idest cœtûs Sacerdotum. Confirmatur primò, quia non senes, sed Pontifices & Sacerdotes sunt constituti,

ut orent pro aliis: ut dicitur ad Hebr. 6. *Secundò*, quia aliàs non seniores, sed sanctiores fuissent introducendi; siquidem eorum orationes longè efficaciores essent, utpote Deo magis acceptæ & gratæ.

Hujus autem veritatis rationem hanc profert Seraphicus Doctor dist. 23. art. 2. q. 1. Dicendum, *inquit*, quòd hujus Sacramenti dispensatio ex officio spectat ad Sacerdotes, & illud confirmat authoritas & ratio: Quia dicitur: *Inducat Presbyteros, &c. & orent super eum.* Ratio, quia cùm hujus Sacramenti materia sit oleum consecratum, non debet administrari, nec contingi, nisi ab eo, qui habet manus consecratas, & talis est Sacerdos; ideo non se extendit ad omnes. Nec ad solos Episcopos, quia cùm hoc sit Sacramentum periclitantium, qui non possunt adire Prælatos, sed magis è converso, oporter multos perire, si à solis Episcopis dari deberet. Ideo disposuit Spiritus S. quòd unguentum non solùm esset in capite, vel in barba Aaron, sed etiam descenderet usque in oram vestimenti, scilicet usque ad inferiores Sacerdotes. Nec solùm sumitur ratio à parte unctionis, verùm etiam à parte orationis. Quoniam enim officium mediationis Sacerdotibus competit, sicut competit offerre dona, & sacrificia pro peccatis: nec solis Episcopis, nec etiam laïcis; sic etiam dispensatio hujus Sacramenti, cujus efficacia principaliter consistit in oratione fidei, cujus est Sacerdos minister de ratione sui officii.

Dices primò: Innocentius I. epist. ad Decentium exponens verba S. Jacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, scribit: *Non est dubium de fidelibus ægrotantibus intelligi debere, qui sanctô oleô chrismatis perungi possunt, quò ab Episcopo confectò, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet in sua aut suorum necessitate*: igitur non solùm Sacerdotibus, sed omnibus etiam Christianis, saltem in casu necessitatis, licitum est hoc Sacramentum ministrare.

XI.
Cujus contrarium nô docet Innocentius primus.

Nego consequentiam: Loquitur enim Pontifex de Unctione, non quidem activâ, & ex parte Ministri, sed passiva, & ex parte suscipientis, ut nempe sit sensus, quòd promiscuè omnes fideles Christiani, non soli Sacerdotes oleô infirmorum inungi possint; sed non quòd promiscuè permittatur omnibus, ut hoc Sacramentum conferant. Quòd autem ea sit illius sententia, apparet ex sequentibus illius verbis, ubi subjungit, non solùm Sacerdotem, sed Episcopum esse hujus Sacramenti Ministrum: *Cæterum*, inquit, *illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quòd Presbyteris licere non dubium est: Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si Episcopus potest; aut dignum ducit aliquem à se visitandum benedicere, & tangere chrismate, potest cujus est ipsum chrisma conficere.*

Dices secundò: Idcirco hujus Sacramenti ministratio non solis Episcopis, sed Presbyteris est concessa; quoniam episcopi non possent singulis infirmis adesse; sed neque id possunt Sacerdotes, maximè in illis locis, ubi rari sunt: igitur non solis Sacerdotibus, sed etiam quibusque fidelibus in casu necessitatis hoc Sacramentum ministrare licet.

Nego consequentiam: Cùm enim hoc Sacramentum non sit absolutè necessarium ad salutem, cùmque illius defectum, & Sacerdotis absentiam supplere possit infirmantis devotio; idcirco non fuit necessarium, quòd illius ministratio concederetur omnibus fidelibus.

XII.
Non requiruntur plures Sacerdotes.

Licèt autem S. Jacobus moneat, *inducendos esse Presbyteros*; hoc monitum non sic accipiendum est, quasi plures Presbyteri sint necessarii ad validam hujus Sacramenti collationem, ut existimant Græci, qui septem convocant Presbyteros, ut Extremam-Unctionem ægrotis administrent. Cujus praxis hanc rationem profert Simon Thessalonicensis, apud *Arcudium cap.* 3. Dei frater (*Iacobus*) horum Presbyterorum, *inquit*, numerum non exprimit: at verò septem esse vocandos consuetudine traditum est, quod fieri arbitror propter septem dona, quæ apud Esaïam enumerantur, Spiritûs. Vel propter illos septem antiquæ legis Sacerdotes, qui divinô jussu circumeuntes urbem Jericho, septies tubis cecinerunt, atque mœnia diruerunt. Ut etiam hîc septem Sacerdotes malitiæ urbem, duraque mœnia altitudinum peccati demoliuntur. Vel etiam tanquam mortua existente animâ, ut supra puerum illius Sunamitidis ad imitationem Prophetæ, septies orent Sacerdotes, & eam suscitent, prout sanè excitavit puerum Elisæus septies reversus, septies item precatus. Vel quemadmodum Elias septies orans, cœlum, quod peccantibus clauserat, rursus aperuit, atque deduxit pluviam; sic isti septies deprecati solvant quidem squallorem peccati, acceptâ verò gratiæ clave, non secus atque Petrus aperiant cœlum, atque misericordiam à Deo remissionis, velut imbrem deducant. Is ergo sensus est, ut mea fert sententia septenarii numeri.

XIII.
Ut perperam docent Græci Recentiores.

In necessitate autem & pauciores Sacerdotes conficiunt. *Et infrà*. Nonnulli verò, ubi penuria est Sacerdotum, tres tantùm convocant, idque non est reprehendendum. Erit enim imprimis propter potentiam Trinitatis. Deinde verò etiam propter aliud factum Eliæ in testimonium, & prædicationem Trinitatis: Quando mortuum filium Seraphaithæ trinâ prædicatione, trinâque vice in eum incumbens suscitavit. Cæterùm non est curiosiùs inquirendum de numero, quando neque numerus scriptus est. Nisi quòd, quamvis non sit scriptus, necessarium tamen est, antiquam observare Traditionem, & sint quidem septem, ut veteris moris est, si verò necessitas fuerit, tres fiant ad minùs, eaque omnia recitent, quæcumque per traditionem dicenda esse acceperunt. Quoniam quæ à Patribus sunt, ea quoque Spiritûs esse, fatendum est.

Quod optimè refellit Arcudius.

Verùm, ut ibidem respondet Arcudius, unde colligit Simon ex eo quòd Apostolus dixerit, vocet Presbyteros Ecclesiæ, non unum intelligere Presbyterum? si propter numerum multitudinis, frequenter is numerus in Scripturis sanctis accipitur pro numero singulari? Nam & Apostolus ad Hebræos scribens de Prophetis dicit: *Obturaverunt ora leonum, lapidati sunt, secti sunt, circumierunt in melotis & pellibus caprinis*; & tamen qui obturavit ora leonum unus fuit Daniel, & qui lapidatus est unus Hieremias fuit, & qui sectus est unus Isaias: Et similiter S. Matthias, & S. Marcus referunt, latrones cum Christo crucifixos imbecillitatem illi exprobrasse: cùm tamen S. Lucas disertè scribat, unus autem de his, qui pendebant latronibus blasphemabat eum. Sed eôdem modô respondendum est, illos accepisse numerum multitudinis pro numero singulari, ut S. Augustinus observavit in lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 16.

Deinde sæpe Scriptura utitur communi modô

loquendi. Commnniter autem dicimus, confitenda sunt peccata Sacerdotibus; in ægritudine vocandi sunt Medici, cùm tamen semper noi Sacerdoti patefaciamus peccata, & sæpissimè unus Medicus curet ægrotum. Itaque quòd Jacobus Apostolus dixerit, *vocet Presbyteros*; perinde est, ac si dixisset, vocet unum ex Presbyteris. Sic Christus D. dixit leprosis, Ite, ostendite vos Sacerdotibus, cùm alteri leproso dixerit, Vade, ostende te Sacerdoti. Et Levitici 13. de leproso scriptum est, adducetur ad Aaron Sacerdotem, vel ad uoum quemlibet filiorum ejus. Et profectò si omnes illi decem leprosi uni Sacerdoti se ostendissent, præceptô Christi D. cumulatè satisfecissent.

Et infrà: Unus Presbyter seorsim consideratus verè, propriè, ac per se etiam secundùm Græcos veram adhibet subjecto materiam, & integram formam hujus Sacramenti: ergo verè, & propriè solus confert hoc Sacramentum. Quare cæteri videntur esse superflui, superfluos dico, si exequantur Sactameotum recitantes eandem formam: imò utrum etiam graviter peccent, dum sine ratione iterant Sacramentum, nec-ne, dicam posteà suô locô.

Denique, si Thessaloniceosis coogruentias quærit, ut ipse requirit ad minùs tres ad significandam saoctissimam Trinitatem; ita nos unum ad declarandam unicam Divinitatem, vel unam personam Christi incarnati, vel aliquid simile; oon enim desunt ingeniosis similitudines rerum & congruentiæ. Quare si vel adetit Presbyter, sufficit solus præsertim in necessitate. *Hæc Arcudius.* Consequens est ergo, qoòd cùm S. Jacobus, ait: Inducat Presbyteros, potius qualitatem Ministri, quàm oumerum commendat, hocque ab eo dictum est per enallagen; quomodo sæpè dicitur, quòd peccator sua crimina debet confiteri Sacerdotibus, idest homini, qui sit Sacerdos, vel uni ex Sacedotibus.

XIV. Ab unico Sacerdote integra est ministrãda.

Ex his collige: Sacramentum Extremæ-Unctionis integre administrari debere ab eodem Ministro; ita quòd singulæ Uoctiones cum sois formulis, & precationibus, ab eodem Sacerdote adbibeantur; sanctus eoim Jacobos dicit, uogentes debere orare super ægrotum; una autem oratio à pluribus partialiter prolata, non potest habere perfectum sensum, secundùm communem usum loquendi. Possent tamen diversorum sensuum Uoctiones unà cum formulis sibi correspoodentibus à diversis Sacerdotibus ministrari extra necessitatem quidem validè, sed illicitè, quia id fieret cootra Ecclesiæ praxim, qoæ maximè in Sacramentorum administratiooe est attendenda: licitè verò in necessitate, putà si prior Sacerdos post primam Uoctionem uoius sensûs deficiat, & tunc alter reliquas Unctiones absolvat.

XV. De licentia proprii Pastoris.

Collige secundò: Ministrum ordinarium Extremæ-Uoctionis esse proprium Pastorem cujusque Ecclesiæ; licèt enim omnis Sacerdos validè possit hoc Sacramentum etiam extra necessitatem conferre, noo potest tamen licitè id exequi, nisi sit vel proprius suscipientis Sacerdos, vel ab eo licentiam obtinuerit: *Tum, quia* ministrare Sacramentum, est officium Pastoris, quod nullus potest sibi vindicare, nisi vel ab eo Pastore, vel ab ejus Superiore facultatem obtinuerit. Unde Catechismus Concilii Tridentini, cùm dixisset num. 26. soli Sacerdoti hujus Sacramenti administrationem esse commissam, subdit: Neque tamen Ecclesiæ decretô cuivis Sacerdoti, sed proprio Pastori qui jurisdictionem habeat, sive alteri, cui ille ejus muoeris fungendi potestatem fecerit, hoc Sacramentum admioistrare licet. *Tum, quia* ex Clementina prima de Privilegiis, sub excommunicationis pœna prohibetur Religiosis, ne absque licentia proprii Sacerdotis, seu Presbyteri Parochialis, hoc Sacramentum administrent Clericis aut Laïcis sibi non subditis.

QUÆRES 2. *Quibusnam hoc Sacramentum conferri debeat?*

XVI. Conferri debet solis baptizatis.

Respondeo: Hujus Sacramenti suscipiendi capacem esse solum Christianum viatorem adultum & infirmum.

Prima pars coostat: nullus enim homo capax est Sacramenti suscipiendi, nisi charactere Baptismali sit insigoitus, quippecùm, ut jam diximus pluries cum Concilio Tridentino, Baptismus sit omnium Sacramentorum janua: Unde si boc Sacramentum conferretur non baptizato, quantumvis ille Catechumenus esset, & in gratia existens, prorsus irritum esset, & invalidum.

Viatoribus.

Secunda pars etiam coostat, oempe quòd solus homo vivus & viator hujus Sacramenti recipiendi sit capax: *Tum, quia* sanctus Jacobus dicit, eum cui conferri debet hæc sacra Uoctio, debere esse infirmum, ac subinde vivum & viatorem: *Tum, quia*, ut diximos agendo de Sacramentis in communi; Sacramenta novæ legis sunt remedia, quæ noo prosunt mortuis finaliter ac damnatis, nec perpetuâ sanitate fruentibus, quales sunt Beati, sed duntaxat infirmis, ut sunt viatores.

Adultis.

Tertia pars, nempe quòd conferri debeat tantùm adultis, sufficienter colligitur ex dictis; cùm enim præcipuus hujus Sacramenti effectus sit remissio peccati venialis, & ex accidenti etiam mortalis, illi soli debet ministrari, qui hujusmodi peccati committendi capax est: pueri autem ante ratioois usum noo sunt capaces ullius committendi peccati: ergo oeque hujus Sacramenti suscipiendi.

Nec obstat, quòd siot capaces gratiæ & illius augmenti; nam augmentum, vel infusio gratiæ est generalis effectus Sacramentorum, qui per singula Sacramenta, non confertur, nisi ut conjunctus propriis effectibus ipsorum Sacramentorum; & ideo ubi non est capacitas primarii & proprii effectûs, nec etiam est capacitas Sacramenti, neque effectus communis Sacramentorum per tale Sacramentum conferendus est.

Vel dico, cum Mastrio, Sacramenta esse quidem instituta ad causandam gratiam, cùm hæc sit communis eorum effectus, non tamen instituta sunt ad eam quomodocumque causandam, sed tanquam oecessariam ad aliquem peculiarem effectum eis proprium; alioquin sequeretur, quòd cùm gratia habitualis ab omnibus causata, sit ejusdem speciei, eosdem quoque effectus produceret in singulis Sacramentis, & omnia quoque Sacramenta ejusdem essent speciei. Hinc diximus in superioribus, Baptismum esse institutum ad causandam gratiam, quâ deletur originale, & cætera actualia: Pœnitentiam ad causandam gratiam, quâ homo valeat fortiter coofiteri fidem, & sic de aliis; sic ergo in proposito Extrema-Unctio instituta est ad causandam

Non autem parvulis.

gratiam deletivam ſecundùm ſe venialium in homine eorum capaci, ad confortandum contra tentationes, & ad alleviandam animam, ut conſtat ex dictis: cùm ergo parvuli nec peccatorum nec tentationem dæmonis ſint capaces, nec gratiæ per illud collatæ, quæ de ſe eſt deletiva venialium in ſubjecto capaci eorum: Ita Maſtrius, *quæſt. 6. num.* 506.

Nec etiam obſtat, quòd infantes ſint capaces recipiendæ ſanitatis, quæ recenſetur inter effectus Extremæ-Unctionis: Nam, ut diximus, effectus iſte eſt tantùm intentus per accidens, non autem primò, & per ſe; ac ſubinde illius ſolius producendi gratiâ non debet Sacramentum adminiſtrari: igitur ſolis adultis, qui aliquando uſum rationis habuerunt, legitimè conferri poteſt hoc Sacramentum, dummodò certò non conſtet, eos B antequam uſum rationis amiſerunt, fuiſſe in peccato, & de illo non pœnituiſſe, putà ſiquis blaſphemando, aut adulterando ratione, ac ſenſibus deſtitueretur, & periculosô morbô laboraret; hac enim in occaſione ei non deberet conferri hoc Sacramentum, quia non ordinatur directè ad remiſſionem peccati mortalis, & aliunde ſupponit hominem pœnitentem, aut in ſtatu gratiæ.

XVIII. Aliis autem quibuſcumque adultis etiamſi de facto nullum rationis uſum habeant, dummodò illum antea habuerint, debet hoc Sacramentum miniſtrari: quia primarius hujus Sacramenti effectus non eſt tantùm animi roboratio contra C tentationes dæmonis, ſed etiam eſt peccatorum venialium remiſſio, nec-non mortalium inculpabiliter oblitorum; vel quæ per alia Sacramenta non fuerunt remiſſa; quamvis ergo amentes in eo ſtatu, ſint horum effectuum incapaces, ſunt tamen capaces alterius, ſcilicet remiſſionis peccatorum; fieri enim poteſt, ut aliquis in peccato mortali exiſtens cum ſola Attritione in amentiam incidat, quo in caſu virtute hujus Sacramenti gratiam recipiat, & de attrito fiat æquivalenter contritus.

Conceditur tamen poteſt quibuſdam amentibus.

Nec obſtat, quòd S. Jacobus dixerit, *inducat Presbyteros*; hæc enim non ſignificant, neceſſa- D riam eſſe in infirmo petitionem formalem & expreſſam hujus Sacramenti; ſufficit enim virtualis & interpretativa, quam unuſquiſque habet de propria ſalute; enimverò ſi hæc interpretativa, & virtualis petitio ſufficiat ad receptionem Baptiſmi, multò magis ſufficiet ad conferendam ſacram Unctionem.

XIX. Patet denique *ultima pars*, nempe quòd ſolus homo infirmus, ſit Extremæ-Unctionis capax; id enim à Chriſto D. inſtitutum fuiſſe creditur ex verbis S. Jacobi dicentis: Infirmatur quis in vobis. &c. Quod utique declarat Concilium Florentinum, cùm dixit: *Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*: Et Tridentinum dicens: *Non niſi infirmis, qui in* E *exitu vitæ conſtituti videantur.* Unde Sacramentum hoc validè conferri non poteſt homini bene valenti, quamvis in evidenti vitæ periculo conſtituatur, putà damnatis ad mortem, aut periculosè navigaturis, aut præliaturis; hi namque non ſunt infirmi, & poſſunt ſibi conſulere per alia Sacramenta, maximè per Sacramentum Pœnitentiæ.

Solis infirmis debet conferri.

XX. Hæc omnia luculenter ac nitidè explicat Doctor *diſt.* 23. *num.* 3. ubi tradit ac declarat definitionem Extremæ-Unctionis in hunc modum: *Extrema-Unctio eſt unctio hominis infirmi Pœni-* A *tentis, facta in determinatis partibus corporis, cum oleo conſecrato ab Epiſcopo, miniſtrata à Sacerdote, ſimul verba certa cum intentione debita proferente, ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium.* Iſta ratio *(inquit)* apparet bona, quia non eſt in ſe falſa, ex 5. Metaph. cap. 17. quia nulla pars ejus repugnat alteri. Exponendo ergo partes, primò ponitur, quòd eſt *unctio*, cujus congruentia eſt, quia iſtud ſignum ſenſibile congruit effectui, ſcilicet unctioni curativæ; ſubditur, *hominis infirmi*; ideo non debet conferri ſano, nec qualitercunque expoſito periculo mortis, quia non ei cui imminet mors ex periculo extrinſecæ violentiæ, ut armorum, vel ſubmerſionis, vel hujuſmodi, nec qualitercunque infirmo, ſed periculosè; ita quòd probabiliter immi- B neat ſibi exitus de ſtatu viatoris ad terminum. Quod additur *pœnitentis*, patet; quia nullus eſt capax iſtius Sacramenti dignè, niſi ſit in gratia: iſtud enim Sacramentum non eſt remedium acquirendi gratiam, quia ad hoc ſunt tantùm Baptiſmus, & Pœnitentia. Ex hoc excluduntur non utentes ratione, ut parvuli, & qui non habent materiam Pœnitentiæ, ſaltem qui non habent Pœnitentiam de venialibus, ut perfectè innocentes: quia etiam non utentes ratione non poſſunt eſſe pœnitentes; excluduntur furioſi & amentes; & hoc niſi per voluntatem præcedentem expreſſam præſumantur illud velle.

Traditur & expenditur definitio Extremæ-Unctionis à Doctore.

Quod additur, *in determinatis partibus*; iſtæ C partes ſunt organa potentiarum, per quarum actus peccatur frequenter venialiter, utpote organa quinque ſenſuum, & potentiæ motivæ. Et hoc aliquando reſpectu ejuſdem ſenſûs, vel potentiæ geminatæ, ut organa potentiæ viſivæ, ut oculi duo, organa potentiæ auditivæ, duæ aures, organa potentiæ olfactivæ, nares, organa potentiæ tactivæ manus. Et ſic iſtis prædictis, ſicut geminantur organa, ita geminantur unctiones; organum guſtûs eſt lingua, in qua non fit propter abominationem tollendam, unctio: ſed exteriùs ſuper os; propter autem organum potentiæ generativæ fit unctio ad lumbos, juxta D illud Gregorii ſuper illud Lucæ: *Sint lumbi veſtri præcincti*, &c. *Viris*, inquit, *luxuria in lumbis eſt.* Propter organum motivæ quantùm ad progreſſivam, quæ eſt principalis motiva, fit duplex unctio in duobus pedibus tanquam organis ad illum motum ordinatis. Alia motio, quâ frequenter peccatur, eſt motio linguæ, juxta illud Jacobi 3. *Qui non offendit verbô, hic perfectus eſt vir*, & multa alia ibi. Et contra illud eſt unctio oris, ita quòd ipſa eſt remedium contra duplex peccatum veniale, ſicut lingua congruit in duobus operi naturæ. 2. *de anima*, in guſtum ſcilicet & loquelam. Sunt ergo undecim unctiones, ſcilicet partiales, ſed aliquæ ſunt geminatæ quaſi una; ita quòd ſunt ſeptem principales, quinque E in organis quinque ſenſuum, ſexta in organo principali potentiæ motivæ progreſſivæ, ſeptima in organo principali generativæ.

Doctori concinit Catechiſmus Concilii Tridentini, nu. 17. ubi *ait*: Sed docendi ſunt fideles, quamvis hoc Sacramentum ad omnes pertineat, quædam tamen hominum genera excipi, quibus adminiſtrandum non ſit. Ac primùm excipiuntur, qui ſanô & firmô corpore ſunt: iis enim Extremam-Unctionem tribuendam non eſſe, & Apoſtolus docet, cùm inquit: *Infirmatur quis in vobis?* & ratio oſtendit; ſiquidem ob eam rem inſtituta eſt, non modò ut animæ, ſed etiam

Cui concinit Catechiſmus Romanus.

ut corpori medicinam afferat. Cùm igitur illi tantùm, qui morbô laborant, curatione indigeant; idcirco iis etiam, qui adeo periculosè ægrotare videntur, ut, ne supremus illis vitæ dies instet, metuendum sit, hoc Sacramentum præberi debet. In quo tamen gravissimè peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent; cùm, jam omni spe salutis amissâ, vitâ & sensibus carere incipiat; constat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimùm valere, si ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque & religiosam animi voluntatem afferre potest, sacrô oleô leniatur. Quare Parochis animadvertendum est, ut eô potissimùm tempore cœlestem medicinam adhibeant, illam quidem semper vi suâ admodum salutarem, cùm eorum etiam pietate, & religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint. Nemini igitur, qui gravi morbô affectus non sit, Sacramentum Unctionis dare licet, tametsi vitæ periculum adeat, vel quia periculosam navigationem parat, vel quia prælium initurus sit, quo certa mors illi impendeat, vel etiam si capitis damnatus ad supplicium raperetur: Omnes prætereà, qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt; & pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus sit: amentes item, & furiosi, nisi interdum rationis usum habuerint, & eô potissimùm tempore pii animi significationem darent, peterentque ut sacrô oleô ungerentur; nam qui ab ipso ortu nunquam mentis & rationis compos fuit, ungendus non est: secus verò si ægrotus, cùm mente adhuc integrâ hujus Sacramenti particeps fieri voluisset, posteà in insaniam & furorem incidit.

PETES: *Quanam sit obligatio suscipiendi hoc Sacramentum?*

Respondeo primò, quòd si Extrema-Unctio attendatur secundùm se, & absolutè in ordine ad hominem constitutum in morbo periculoso, Fideles adultos ad sui receptionem non obligat; siquidem ad id tenerentur, vel necessitate medii, vel necessitate præcepti. Non *primâ*, quia hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, ut sine ejus receptione salus non possit comparari; siquidem nullo ex capite talis necessitas colligitur, quia nullum extat præceptum vel in Scriptura, vel in Traditione, vel in Canonibus, aut praxi Ecclesiæ: non quidem in Scriptura: si enim aliquod hujus Sacramenti suscipiendi esset præceptum, maximè peteretur ex verbis S. Jacobi: at ita non est; siquidem S. Jacobus solùm ibi promulgat hoc Sacramentum, & magis hortatur fideles ad ejus receptionem, quàm illam præcipiat: igitur non est obligatio illud suscipiendi sub peccato. Neque etiam ex Canonibus, aut praxi Ecclesiæ, quia praxis Ecclesiæ non fundatur in obligatione, sed in utilitate consequenda ex hujus Sacramenti receptione. Neque etiam ex Canonibus; nullus enim canon apparet, ex quo colligatur hæc necessitas: quare Ecclesia tempore interdicti prohibet dari moribundis Sacramentum Extremæ-Unctionis cap. *quod in te de Pœnit. & remissione.* quod certè non prohiberet, si esset illis necessarium necessitate medii vel præcepti; ob eam enim rationem non prohibet illis dari sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ per modum viatici.

Respondeo secundò, quòd si hoc Sacramentum consideretur per ordinem ad quasdam circunstantias speciales, putà scandali, vel contemptûs, aut conscientiæ, aliquando fideles adulti ad ejus receptionem obligantur; quisque enim tenetur vitare scandalum, & ea sibi media procurare, quæ ex conscientia judicat esse necessaria ad salutem consequendam: at ex omissione receptionis hujus Sacramenti potest interdum oriri scandalum, putà vel suspicio hæresis, vel hujus Sacramenti contemptus, si nempe aliquis bene audiens apud omnes, sciat se constitutum in morbo periculoso, & communem esse fidelium praxim, ut hoc Sacramentum in tali statu recipiatur, illud tamen respuit coram pluribus, sicque dat occasionem suspicandi, quòd sit hæreticus; vel ex parte conscientiæ, si nempe infirmus dubitet de sua Contritione, nec possit suscipere sacramentum Pœnitentiæ, cujus ope fiat ex Attrito Contritus, in eo casu tenetur sibi procurare hujus Sacramenti receptionem, ut nempe habeat media sufficientia ad salutem.

PETES DENIQUE: *Quanam dispositiones prærequirantur in suscipiente ad dignam receptionem hujus Sacramenti?*

Respondeo, requiri *primò*, ut suscipiens sit ab omni peccato mortali purgatus; unde hoc Sacramentum conferri solet duntaxat post Absolutionem Sacramentalem: *Secundò*, ut suscipiens habeat fidem & spem consequendæ sanitatis animæ & corporis, si hæc corporis sanitas saloti expediat. *Tertiò*, ut suam intentionem & preces jungat & uniat intentioni, & precibus Ecclesiæ. *Quartò denique*, ut exinde speret sibi concedendum divinum auxilium & patrocinium adversus omnes dæmonum infestationes. Quas omnes dispositiones optimè explicat Catechismus Rom. *num.* 28. ubi scribit: *Quoniam verò omni studiô curare oportet, ne quid Sacramenti gratiam impediat: ei verò nihil magis adversatur, quàm alicujus peccati mortiferi conscientia: servanda est Catholicæ Ecclesia perpetua consuetudo: ut ante Extremam-Unctionem, Pœnitentia, & Eucharistia Sacramentum administretur. Ac deinde ægroto persuadere Parochi studeant, ut eâ fide se ungendum Sacerdoti prabeat, quâ olim, qui ab Apostolis sanandi erant, seipsos offerre consueverant. In primis autem anima salus, deinde corporis valetudo cum illa adjunctione, si ea ad æternam gloriam pro futura sit, expetenda est. Nec verò dubitare Fideles debent, quin sancta illa, & solemnes preces à Deo audiantur, quibus Sacerdos non suam, sed Ecclesia, & Domini nostri Iesu Christi personam gerens utitur. Quâ unâ maximè re cohortandi sunt, ut hujus saluberrimi olei Sacramentum sanctè & religiosè sibi administrandi curent, cùm & acrior pugna instare, & vires cùm animi, tum corporis deficere videantur.*

TRACTATUS SECUNDUS

DE SACRAMENTIS ORDINATIS AD FIRMANDAM ET ROBORANDAM ANIMÆ SANITATEM AC SANCTITATEM.

INNUMERIS *licèt gloriæ titulis celebranda sit, ac mirum in modum commendanda cœlestis nostri Medici, & divini Samaritani pietas, & effusa in nos misericordia, quòd nostris morbis & animi longuoribus nedum succursum esse voluerit per ea Sacramenta, quæ ad sananda peccati vulnera, & eluendas eorum sordes, ac reliquias abstergendas, instituit, ac ordinavit: sed novô ac geminatô beneficiô restauratam animæ sanitatem, ac sanctitatem per Sacramenta Eucharistiæ ac Confirmationis confirmare, & propagare dignatus fuerit.*

Ea enim est hujus utriusque Sacramenti virtus & efficacia, ut acceptam ab homine Christiano, & justo sanctificantem gratiam, geminatô ac uberiore irriguo fœcundatam, in singulos Christi fideles derivent, ac diffundant. Per EUCHARISTIAM *enim nutrimur ac vegetamur: per* CONFIRMATIONEM *autem adversus omnes dæmonum & hominum infestántes occursus armamur ad prælium, & ad victoriam & coronam accingimur.*

Quanquam autem, (ut in huius quarti libri præfatione ac delineatione prænotatum est) nobis mens fuerit priùs de Ordine *ac* Matrimonio, *(quibus gratia propagatur, ac diffunditur in alios) quàm de Eucharistia & Confirmatione disputare: nihilominus re maturiùs libratâ, consultiùs judicavimus præscriptum nobis ordinem tantillum invertere, ut quorundam ex nostris Fratribus Eucharistiæ delineationem ac tractationem, quam primùm expostulantibus, votis, ac desideriis faceremus satis.* Quare variatâ methodô priùs de Eucharistia quàm de aliis Sacramentis posterioribus disputemus.

Est & aliud huiusce nostri suscepti laboris, ac innovatæ ordinationis argumentum; ipsa videlicet Eucharistiæ dignitas & præeminentia; quæ utique tanta est, tamque à nostris sensibus, ac animi conceptibus remota, ut vix ullus sit mortalium, qui illam rudiori licèt penicillô delineare audeat, ac repræsentare. Quis enim, etsi eloquentissimorum hominum linguis loquatur, aut Angelorum, verbis exprimere possit infinitam illam benignitatem, quâ subministratô nobis in terra eôdem cibô, quo Beati in cœlo regnantes pascuntur, Ecclesiæ triumphantis delitias nobis adhuc medios inter hostes militantibus conferre voluit adorandus Salvator, ac sempiternam Paradisi felicitatem anticipatô beneficiô nobis propinare? Nullum certè divinius ab eo beneficium amantissimis filiis hac in vita conferri, nullum æternæ, quam in futuro sæculo parat, felicitatis dulcius ac illustrius pignus præbere potuit, quàm stupendum hoc Eucharistiæ Sacramentum, in quo idem conviva &

Libro de resurr. carnis, cap. 8. convivium, *inquit S. Hieronymus, & quô effectum est, ut divinitate unctæ Christi carni agglutinati, spiritu Christi, & ipsâ Divinitate viveremus. Nam, ut præclarè ait Tertullianus:* Caro corpore & sanguine Domini vescimur, ut anima de Deo saginetur. *Scilicet Deus corpore suô, ac divinô sanguine homines alit, ut eos pristinâ vilitate relictâ, ad generosam cœli prosapiam, ac fœlicitatem sublimaret; quidquid enim dulcedinis & gloriæ ex divinitate corpori suo accedit, largissimè communicat corpus suum in Eucharistia sumentibus, ut meritò de Eucharistia dictum, ac in ea consummatum Christi D. oraculum censuerit S. Cyrillus, quô Patrem æternum de Discipulis alloquens, aiebat:* Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. *Quô certè vota hominum vincit Dei liberalitas, & huius Sacramenti munificentiam, audacem eorum superat ambitionem: quis enim tantâ elatione superbiret, ut præsumat æquè generosum sanguinem habere, ac ipsum Deum, & claritatem ac gloriam Christi ambire?*

Adversus Iudæos, cap. 14. *Vnde in hoc divinissimo mysterio divinus amor meritò Tertulliani verbis dici potest:* Sublimatus in consummationem; *de illo namque S. Cyprianus intelligit illud Davidicum:* Omnis consummationis vidi finem: *& optimô quidem iure; nam in Eucharistia consummatur planè divina omnipotentia, memoriam faciens mirabilium suorum; quando misericors & miserator Dominus semetipsum dat escam timentibus se: consummatur Sapientia, totam claudens in exiguo, quando ædificans sibi domum miscuit vinum, & posuit mensam: consummatur amor, quia, ut festivè quidam ait: In hoc Sacramento* Hercules fixit columnas, & dixit, Non plus ultrà: *Nam, inquit sacer Evangelista: huius Sacramenti delineationem referre gestiens,* cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos; *scilicet excurrit, quantùm potuit divinus amor, ut in homines suæ munificentiæ pignora effunderet: at verò cùm ultimam metam, extremumque limitem in Eucharistiæ Sacramento attigisset, suæ exundantis in homines veluti prodigalitatis magnitudinem miratus, ac penè stupens, stetit, positisque columnis, dixit:* Non plus ultrà.

Sess. 13. c. 2. *Quæ omnia præclarè colligit & expendit Concilium Tridentinum, cùm ait:* Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcipit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quô alantur, & confortentur viventes vitâ illius qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me: & tanquam antidotum, quô liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus prætereà id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ fœlicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei & charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

Cap. 2. de Euchar. Quin etiam (addit Arcudius) divini hujus Sacramenti excellentiæ, dignitas, & majestas tanta est, ut præ illo neque bona censeantur esse cætera. *Quid enim* (inquit sacer ille Vates Zacharias) *bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum Electorum, & vinum germinans virgines?* In alia quippe Sacramenta influit quidem Christus D. atque concurrit ad producendam gratiam, cæterùm universalis instar causæ, quæque in

cælo

cœlo existit, non adeo immediatè attingit effectum; hîc præter illam πλουτουργὸν δύναμιν, divinam vim effectricem, quàm impartit aliis Sacramentis, ipsemet Author virtutis est præsens, & cum suscipiente mediis speciebus mirâ conjunctione se se devincit. Unde in aliis mysteriis, veluti per rivulos quosdam cœlestem gratiam à capite ductam participamus, hîc in proprio fonte Authorem bonorum spiritualium uberrimè degustamus: Quanta igitur dignitas inde in hominem derivetur, qui honos, quæ nobilitas, quæ divitiæ, quod pignus amoris, quæ emolumenta inde emanare soleant, quis mortalium aut verbis explicare, aut mente assequi poterit? *Hæc ille.*

Nihilominus tamen quoniam silere non patitur tam referta, tamque necessaria dicendi materies, idcirco huius divini Sacramenti delineationem, quantùm ex aliorum dictis & scriptis, maximè subtilis Doctoris, lumen affulgebit, in sequenti Disputatione auspicabimur.

DISPUTATIO PRIMA.

De sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

TANTA est hujus divini Sacramenti magnitudo, ut cùm illius eximias dotes, ac cœlestes prærogativas perspicacissimi quique, juxta ac elegantissimi, sacri Authores, nec verbô, nec mente possent assequi, plurimas in illius commendationem & encomium illustres appellationes congesserunt. Sic ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, illud appellavit S. Dionysius, *sacrificium divinissimum*. Ignatius autem *antidotum mortis, pharmacum immortalitatis*. Origenes, *panem beatitudinis*. Tertullianus, *Eucharistiam medicam*. Amphylochius junior, *feretrum immortalitatis*. Athanasius, *panem beatificans*: Chrysologus, *æternæ vitæ cibarium*: Cyprianus, *alimoniam immortalitatis, & vitæ æternæ portionem*: Hieronymus, *omnium novitatum novitatem*: Damascenus, *omnium officinam miraculorum*: Bernardus, *sanctum sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amorem amorum, dulcedinem dulcedinum.*

Quàm varia SS. Patres congesserunt encomia in Eucharistiæ laudem.

Sic cæteri quique SS. Patres encomiis, ac periphrasticis nominibus, in hujus divini Sacramenti commendationem & laudes excurrunt. *Verùm*, quoniam longum esset omnia ejusmodi encomia prosequi, idcirco ne diutiùs in limine detineamur, solùm juvat hîc ea percensere nomina, quæ ad institutum nostrum juvant, & rerum dicendarum elucidationem.

Sciendum igitur imprimis, hoc Sacramentum à vocabulo Græco εὐχαριστία appellatum *Eucharistiam*, id est, *bonam gratiam*, seu *gratiarum actionem*; nam εὖ significat bene, & χάρις idem est ac *gratia*. Appellatur, inquam, *bona gratia*: Tum, quia continet in se Christum D. qui vera gratia dici potest, atque charismatum fons: *Tum quia* vitam æternam, de qua scriptum est, *gratia Dei vita æterna*, præsignificat. Nec verò minùs aptè *gratiarum actio* appellatur: *Tum, quòd* in ejus institutione Christus gratias egit, etenim *accipiens panem fregit, ac gratias egit, dicens: Hoc est Corpus meum*, Matth. 16. *Tum, quòd* ad gratias Deo pro universis beneficiis referendas, nihil hâc purissimâ hostiâ Deo acceptius offerre possumus: nam, inquit S. Augustinus lib. de spiritu & littera cap. 11. *Cultus Dei in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata; unde in verissimo & singulari sacrificio Domino Deo nostro agere gratias jubemur. Tum denique*, quia Sacramentum hoc est memoriale mirabilium omnium, præcipuè verò Redemptionis, quô vel unô cætera gratiæ beneficia continentur; nam ex 1. Cor. 10. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Quapropter S. Chrysost. homil. 25. in cap. 8. Matth. *Optima*, inquit, *beneficiorum custos, est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio: propterea & tremenda, ac salutaria illa mysteria, quæ in omni synaxi celebramus, Eucharistiam nuncupamus; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos providentiæ ostendunt, nosque faciunt debitas semper gratias exsolvere.*

Quare appelletur, 1. Eucharistia.

Secundò, ratione materiæ, ex qua potissimùm conficitur, appellatur *panis*: Sic Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quam utique appellationem sortitur, *tum* propter materiam præcedentem, ex qua conficitur; *tum* propter accidentia panis, quæ post consecrationem permanent, ratione quorum extrinsecam panis formam & figuram præfert: quemadmodum *Gen.* 18 & 19. Angeli in humana specie apparentes, appellantur homines; *tum* demum, quia sicut pane corpus hominis vescitur & saginatur: ita Christus D. se in convivio Eucharistiæ manducantibus dat spiritûs pinguedinem.

2. Panis.

Dicitur etiam *fractio panis*: *Tum, quia* frangere panem in Scripturis, idem est ac panem comedere, vel comedendum distribuere: Sic Act. 2. *Frangentes circa domos panem, sumebant cibum*; Eucharistia autem distribuitur fidelibus: *Tum, quia* in ipsa institutione Christus D. *Lucæ* 22. dixit Discipulis: *Accipite & dividite inter vos*: Unde S. Paulus 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Hinc *Lucæ* 24. Discipuli euntes in Castellum Emaüs *cognoverunt Dominum in fractione panis.*

3. Fractio panis.

IV. Corpus Christi. *Ratione significati*, appellatur corpus & sanguis Christi D. quia nimirum utrumque sub speciebus continetur: unde Tertullianus lib. de resurr. carnis cap. 8. præclarè ait, *Caro corpore & sanguine Domini vescitur, ut & anima de Deo saginetur.*

V. Sacramentum corporis Christi. Ratione verò *signi & significati simul*, dicitur, *sacramentum corporis & sanguinis Christi*, Ita S. Aug. lib. 1. de peccatorum mer. cap. 24. *Optimè*, inquit, *Punici Christiani, baptismum nihil aliud quàm salutem; & sacramentum corporis Christi, nihil aliud quàm vitam vocant.*

VI. Sacramentum altaris. Ratione *loci* in quo celebratur & conficitur, nominatur soliò *Sacramentũ altaris*. Ita idem S. Aug. ep. 50. *Convivium Domini* inquit, *unitas est corporis, non solùm in sacramento altaris, sed etiam in vinculo pacis.* B

VII. Sacramentum fidelium. Ratione suscipientium appellatur *sacramentum fidelium* à S. Aug. serm. 2. de verbis Apost. cap. 1. tum quia soli fideles sunt illius suscipiendi capaces: tum quia illis solis licebat quæ de hoc divino mysterio clarè dicebantur audire; nam coram Catechumenis nonnisi obscurè & cum maxima cautela de eo fiebat sermo: tum maximè quia in illo velut centro unitur fidelium religio, & nonnisi ad exhibendum debitum Deo cultum fideles solebant ad illud convenire.

VIII. Synaxis. Unde etiam hac ratione appellatur *Synaxis*, id est Conventus seu Congregatio. Ita S. Dionysius lib. de Eccles. Hierarchia cap. 3. Tum quia præcipuus fidelium Conventus fit ad hujus divini Sacramenti venerationem & participationem; hinc S. Ignatius epist. ad Ephesios monebat fideles, *Date operam ut sæpius congregemini ad Eucharistiam & agere Synaxes.* Tum quia est Sacramentum unionis, concordiæ & pacis inter fideles.

IX. Communio. Quâ etiam ratione vocatur *Communio*, hoc est, communis fidelium unio; cùm inter se, tum cum Christo; nam communicatione corporis & sanguinis Christi, fideles non solùm cum ipso Christo D. sed etiam invicem sociantur; quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se; unde Apostolus 1. Cor. 10. *Unus panis, & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Quæ verba expendens S. Augustinus tract. 26. in Joannem exclamat: *O Sacramentum pietatis! ô signum unitatis! ô vinculum charitatis... Litigabant utique ad invicem Iudæi; quoniam panem concordiæ non intelligebant, nec sumere volebant: nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem; quoniam unus panis.*

X. Mensa Domini. Eâdem pariter ratione dicitur *mensa Domini*: Tum, quia fideles ad Eucharistiam convenientes, ad sacras Christi D. corporis & sanguinis epulas, & cœleste convivium, quô anima Deô saginatur, ad Altaris cancellos, tanquam ad sacram mensam accedebant. Unde Apostolus 1. ad Cor. 10. *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum, &c.* Tum quia post susceptam divinam E Eucharistiam solebant fideles ad communes epulas accedere, in quibus pauperes à ditioribus reficiebantur, & eidem mensæ accumbebant.

Quid fuerit Agape. Quæ utique refectio, seu quod convivium vocabatur *Agape*, cujus meminit S. Judas in Canonica Epistola, dum arguit fideles, qui ventri nimiùm indulgebant post sacram Synaxim: *Hi sunt*, inquit, *in epulis suis*, (græcè in agapis) *macula, convivantes sine timore, &c.* Et Apostolus 1. ad Cor. 11. scribens: *Cum convenitis*, inquit, *ad manducandum*, scilicet corpus Domini, *invicem expectate: Siquis esurit, domi manducet. Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicã Cœnam manducare, unusquisque enim suam cœnam præsumit ad man-* A *ducandum, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum; aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? &c.* Quibus arguit nonnullorum divitum inter fideles ventris ingluviem, qui ut lautiùs post sumptam Eucharistiam epularentur, sese substrahebant à consortio pauperum, & seorsim ab eis mensæ accumbebant.

Ritum Agaparum describit S. Chrysost. hom. 27. in cap. 11. 1. ad Cor. ubi de fidelibus nascentis Ecclesiæ ita scribit: *Statis diebus mensas faciebant communes, & peractâ Synaxi post Sacramentorum communionem inibant convivium, divitibus quidem cibos suppeditantibus pauperibus vocatis, & omnibus* B *communiter vescentibus.* Ipsi præiverat Tertullianus in Apologetico scribens: *Cœna nostra de nomine suo rationem sui ostendit; vocatur enim* AGAPE, *quod est apud Græcos dilectio; quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum; siquidem inopes refrigeriô istô juvantur.* Solebant autem hæc convivia fieri in templis & sacris locis: verùm propter quorundam fidelium immodestiam sancitum est in Concilio Laodicæno can. 28. *Non oportet in dominicis locis seu Ecclesiis Agapem facere, & intus manducare, vel accubitus sternere.* Quæ utique sanctio innovata est in Synodo 7. can. 74.

XI. Viaticum. Ratione *subsidii, & solatii*, quô vegetari, ac C recreari solent fideles in extrema infirmitate hôc divinô cibô refecti, appellatur *Viaticum*: id est, *cibus itinerarius.* Tum, quia hoc Sacramentô ad æternam fœlicitatem via sternitur, & munitur: *Tum, quia* fidelibus in periculo mortis constitutis ex præscripto Ecclesiæ sacramentum hoc ministrari debet, quô arctam viam, quæ ducit ad vitam in illis momentis extremis grandiori periculô septam inoffensô pede possint decurrere; unde in Concilio Nycæno can. 16. statuitur, *De iis, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut siquis egreditur è corpore, ultimô & necessariô viaticô minime privetur.*

XII. Cœna Dominica. Ratione temporis, & horæ, quô primùm insti- D tuta fuit, appellatur *Cœna*, quia videlicet Sacramentũ hoc in novissima Cœna à Christo D. priusquam pateretur institutum est; Cujus utique sacræ Cœnæ appellationem nonnulli desumunt ex illis *Apostoli verbis* suprà laudatis, *Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam Cœnam manducare.* Hæc enim de Eucharistia dicta esse volunt S. Aug. epist. 18. & S. Eligius homil. 15. Quamvis etiam non pauci existiment Apostolum eo loci de Cœna Dominica & Eucharistica non esse locutum, sed de convivio communi, quô nascentis Ecclesiæ fideles una reficiebantur simul in unum dives & pauper.

Ratione *dignitatis*, & *variorum effectuum* variis E aliis nominibus, & gloriæ titulis a SS. Patribus illustratur ut patebit in hujus Disputationis decursu.

Disputationis series. Ut autem hujus divini Sacramenti (quod Germanus Constantinopolitanus vocat *arcam luminum*) tractatui aliqua lux affulgeat, præsentem disputationem, ut fieri assolet, tres in Articulos totidem Sectionibus dividendos distribuemus, quorum *Primus* hujus divini Sacramenti existentiam, institutionem & naturam aperiet: *Secundus* realem Christi D. corporis & sanguinis præsentiam sub speciebus panis & vini, & utriusque substantiæ in idem corpus & sanguinem transsubstantiationem, & existendi, operandi, ac patiendi modum declarabit: *Tertius* denique illius Ministrum, Susceptores, & effectus designabit. Quoniam autem Eucharistia nedum Sacramentum est, sed etiam Sacrificium novæ legis, idcirco tribus his articulis addemus Appendicem de augustissimo Missæ Sacrificio.

ARTICULUS PRIMUS.

De Sacramento Eucharistiæ secundum se.

Articuli distributio.

CONSENTIUNT omnes quotquot Christo per sacrum Baptisma nomen dederunt, ipsum pridie, quàm pateretur, & absolutâ cœnâ legali Eucharistiam instituisse, cùm accipiens panem, similiter & calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas, dedit Discipulis suis, dicens: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum: &, Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus, &c.* Hanc enim apertam veritatem restantur nedum sacri Evangelistæ, disertis verbis semel & iterum explicat Apostolus, docent cujusvis sæculi SS. Patres, Concilia definiunt, Fideles omnes profitentor; sed nequidem ipsi Heterodoxi reclamaot. Verùm triplex capitalis occurrit libranda difficultas & controversia de hujus divini Sacramenti institutione, & realitate. Cùm enim inquit sentent. Magister dist. 8. tria hîc sint distinguenda: *unum, quod tantùm est Sacramentum: alterum quod est Sacramentum & res; & tertiumquod est res, & non Sacramentum*, seu quod idem est, cùm in Sacramento sit ratio formalis, ratio significans, & id quod significatur. Hinc triplex capitalis movetur controversia. *Prima* circa hujus Sacramentalis signi existentiam, essentiam, & institutionem. *Secunda* circa res significantes, nempe species panis & vini: *Tertia* circa rem significatam, videlicet carnem & sanguinem Christi. Quæ utique triplex controversia, ut perspicaciùs ac distinctiùs libretur, & discutiatur, ipsam tribua in sequentibus Sectionibus examinabimus.

SECTIO PRIMA.

De existentia, essentia & institutione Sacramenti Eucharistiæ?

TRIA maximè hîc occurrunt determinanda: *Primum*, utrum reverà Eucharistia sit Sacramentum: *Secundum*, utrum sit unicum Sacramentum, vel multiplex: *Tertium* quâ die & horâ fuerit institutum; quorum resolutio patebit ex tribus sequentibus quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum Eucharistia sit unum ex nova legis Sacramentis?

NOtandum primò, seu potius repetendum ex jam pluries dictis, ad perfectam Sacramenti rationem & constitutionem, tria potissimùm desiderari; nimirum *Primò*, quòd sit signum sensibile divinitus institutum: *Secundò*, quòd significet gratiam ordinatam ad hominum sanctificationem: *Tertiò*, quòd sit permanens, & Ecclesiæ, quandiu perseverabit illius in hoc sæculo status, à Deo concessum. Quærimus ergo utrum tria hæc Eucharistiæ competant, unde veri & perfecti novæ legis Sacramenti rationem obtineat.

I. Quænam sequantur

Notandum secundò, quòd etsi omnes hujus temporis hæretici ultrò fateantur, Eucharistiam esse novæ legis Sacramentum; attamen non ita consentiunt in assignanda hujus divini Sacramenti ratione, nam illam in solo usu, non autem in re permanenti volunt consistere; *Lutherani* namque docent usum, in quo reponunt Eucharistiæ Sacramentum, eas omnes actiones esse, quas ipse Christus D. exercuit in hujus Sacramenti institutione, nimirum acceptionem panis in manus, benedictionem, fractionem, distributionem, & manducationem: Ita explicat Kemnitius in examine Concilii Tridentini 2. parte ad caput 3. & Canonem 4. Sessionis 13. *Calvinus* autem lib. 4. Instit. cap. 17. contendit, panem & vinum Eucharisticum non habere rationem Sacramenti, nisi cùm actu sumitur, ait enim nu. 37. *Quæro quâ virtute putant, hostiam esse ritè consecratam? nempe verba illa proferunt*, HOC EST CORPUS MEUM: *ego verò contrà objiciam, simul dictum esse*, ACCIPITE ET MANDUCATE, *neque id de nihilo faciam; cùm enim præcepto annexa sit promissio, dico hanc sub illo ita inclusam, ut separata fiat omnino nulla.* Et num. 39. impudenter non minùs, quàm impiè Ecclesiæ doctrinam vellicat, cùm ait: *Totam siquidem vim consecrationis à Sacerdotis intentione pendere voluerunt, quasi hoc nihil ad populum pertineret, cui mysterium maximè explicari oportuerat: inde autem natus est hic error, quòd non observabant promissiones illas, quibus conficitur consecratio: non ad elementa ipsa, sed ad eos, qui recipiunt, destinari: atqui non panem alloquitur Christus ut corpus suum fiat, sed Discipulos jubet manducare, atque illis corporis & sanguinis sui communicationem pollicetur.... His rationibus clarè patet, repositionem Sacramenti, quam nonnulli urgent, ut ægrotis extra ordinem distribuatur, inutilem esse.* Eis ex parte subscribit Antonius de Dominis lib. 5. de Repub. Christiana cap. 6. nu. 257. ubi asserit Eucharistiæ Sacramentum ab una quidem publica Communione, ad aliam usque manere pro iis, qui non participârunt in publica Communione, velut advenis aut ægrotis; non verò si diutiùs subsistat Eucharistia, habebit rationem Sacramenti.

ad rationẽ Sacramenti.

II. Hæretica Novatorũ sententia de Eucharistia.

Notandum tertiò, Sacramentum Eucharistiæ congruentissimè fuisse institutum; cujus utique quatuor congruentiæ rationes profert Doctor dist. 8. q. 1. n. 3. Congruum, *inquit*, est Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, ut magis excitetur quilibet ad reverentiam & devotionem ad Christum, & hoc patet de facto, quòd quasi omnis devotio in Ecclesia est in ordine ad illud Sacramentum; propter hoc enim Clericus majori diligentiâ persolvit officium divinum in ordine ad Missam. Propter hoc etiam populus devotus audit Missam, cùm sit aliquod aliud officium Ecclesiasticum. Propter hoc etiam singuli cum majori diligentia confitentur, quando intendunt secundùm ordinationem Ecclesiæ, saltem semel in anno communicare. *Secundò*: Congruum fuit post generationem spiritualem conferri etiam nobis nutrimentum spirituale, & illud magis congruè nobis datur sub similitudine nutrimenti corporalis: nutrimentum autem corporale præcipuum consistit in pane & vino. *Tertia* congruitas; quòd signum sensibile, sub quo nobis Deus voluit se dare, haberet ordinem ad verba aliqua ab aliquo Ministro proferenda: quia aliter nesciremus, quando in tali signo esset Christus, & quando non, & sic periret reverentia debita & devotio. *Quartò*: Congruum fuit, quòd in prolatione illorum verborum Minister esset in Ecclesia excellens, scilicet Sacerdos, per cujus actum ministerialem Christus sic incipiat esse nobiscum. *Ita Doctor*: quibus ita præ-

III. Cur fuerit institutũ hoc Sacramentum.

missis, duo hîc supersunt determinanda: *Primum*, utrum Eucharistia sit verum novæ legis Sacramentum: *Secundum*, an consistat in usu, vel in esse permanenti.

Conclusio Prima.

IV. Eucharistia habet omnes conditiones ad verum Sacramentum.

E*ucharistia est verum ac propriè dictum novæ legis Sacramentum.* Hæc est de fide, determinata in variis Conciliis, maximè *Nyceno* can. 18. & lib. 3. de divina mensa, *Constantinopolitano sexta* actione 8. *Trullensi* can. 28. *Nyceno secundo* actione 6. *Lateranensi* sub Innocentio tertio cap. *firmiter*: sed præcipuè *Florentino* in decreto Eugenii, & *Tridentino* in omnibus Canonibus de Eucharistia.

Idem docent omnes SS. Patres cujusvis sæculi, & ea veritas ita constantissima est, ut nullus unquam extiterit hæreticus, qui eam expressè negaverit: licèt enim plurimi malè senserint de hujus venerandi Sacramenti efficacia, repræsentatione, ritu & usu; nullus tamen, ut observat Vasquez, disp. 167. cap. 1. negavit unquam Eucharistiam esse verum, ac propriè dictum Sacramentum: vel siqui eam veritatem in dubium revocaverint, ita absurdè dogmatizaverunt, ut insanientes magis quàm aliquid, quod levi rationis indiciô niteretur, proferentes apparerent; quemadmodum *Bogomili* apud Eutychium 2. parte Panopliæ tit. 23. can. 27. qui Eucharistiam, nihil aliud esse, quàm orationem Dominicam & Evangelii lectionem somniabant. Imò, ut notat Pratteolus parte 11. verbô *Mahumetes*, infamis ille Pseudo-Propheta, qui omnes prope Evangelicas veritates, in suo Alcorano pessundavit & interpolavit, nihilominus in 4. cap. fatetur, hoc Sacramentum esse veneratione dignum.

Idipsum etiam aperta suadet ratio: Sacramentum enim est signum sensibile ex institutione divina significans effectum gratuitum ordinatum ad nostram sanctificationem: sed Eucharistia est ejusmodi: *Primò* namque, est signum sensibile per species panis & vini: *Secundò*, significat effectum gratuitum, nempe corpus & sanguinem Christi, idque ex institutione divina: licèt autem præcisè non significet immediatè gratiam accidentalem; tamen (inquit Doctor dist. 8. num. 4.) significat effectum aliquem Dei gratuitum, scilicet *esse* corporis & sanguinis Christi sub tali specie: gratia autem in definitione Sacramenti non accipitur tantùm pro gratia accidentali, sed pro effectu Dei gratuito.

Adde quòd etiam gratiam sanctificantem hoc Sacramentum significat & infert suscipientibus, nam Joan. 6. cùm dixisset Christus: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*: statim subdit. *Qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum.* Et rursus: *Qui manducat me, vivet propter me.*

Dices primò: Sacramentum novæ legis est signum gratiæ, quæ confertur illud suscipienti: sed Eucharistia non est ejusmodi. Major constat ex dictis de Sacramento in communi. Minor pariter; quia Eucharistia perseverat in Altari post consecrationem, ubi nemini gratiam confert: igitur, &c.

V. Quam gratiam significet.

Respondet Doctor, num. 6. quòd gratia duplex est, una subsistens; altera accidentalis, sive inhærens; *Prima* est corpus Christi, sive Christus ipse: *Secunda* verò est gratia habitualis animam sanctificans. Primam gratiam immediatè significat, ac repræsentat Eucharistia; secundam verò mediatè. Unde distinguenda est minor: Eucharistia non significat gratiam sanctificantem immediatè, tran- seat: mediatè, nego. *Adde quòd* etiam hanc gratiam immediatè significet & conferat, quoties Eucharistia dignè recipitur.

Dices secundò: Sacramenta novæ legis efficiunt quod significant: sed id Eucharistia non præstat; significat enim verum corpus & sanguinem Christi contineri sub speciebus consecratis; species autem ejusmodi præsentiam non efficiunt; nulla enim virtus finita potest eam præsentiam causare.

VI. An efficiat quod significat.

Respondet Doctor ibidem, argumentum quidem optimè concludere adversus Thomistas, qui contendunt Sacramenta causare physicè quod significant; non autem contra suam doctrinam, asserentem, Sacramenta esse duntaxat causas morales gratiæ, quam significant. *Unde*, inquit Doctor, *propositio*, Sacramenta efficiunt quod significant, *accipienda est disjunctivè, & per accommodationem: ita quòd si Sacramentum significet aliquid fieri & conferri, illud reverà per Sacramentum, tanquam per signum efficax fit, & conceditur; quemadmodum contingit in Sacramentis, quæ in usu consistunt: si autem significat aliquid esse, sicut contingit in hoc Sacramento, quod est permanens, illud per Sacramentum, tanquam per signum verax est. Nam sicut Deus instituit assistere signo sensibili ad gratiam conferendam in Sacramentis successivis; instituit assistere per consecrationem speciebus panis & vini, ut sub eis præsentialiter contineatur corpus, & sanguis Christi. Et ideo cùm dicitur: Nulla virtus finita potest agere ad esse corporis Christi in Sacramento, concedo propriè loquendo de actione physica; potest tamen aliqua virtus finita, vel aliquid virtutis finitæ esse dispositio immediata, hoc est, causa moralis ad esse corporis Christi ibi: non à se, sed à Deo assistente ibi, & hoc modò instituit istas species, ut post consecrationem assistat eis, tanquam causis moralibus ipsum moventibus ad efficiendam hanc præsentiam corporis Christi.*

Dices tertiò: Sacramenta novæ legis constant rebus pro materia, & verbis pro forma: sed Eucharistia non est ejusmodi, quia verba, quæ sunt forma Sacramenti, debent simul esse cum Sacramento: verba autem Eucharistiæ non sunt simul cum Eucharistia, tum quia illa subsistit, verbis non remanentibus, tum quia dum verba actu proferuntur, nondum est Eucharistia, sed tantùm in fine prolationis verborum: igitur Eucharistia non est Sacramentum novæ legis.

VII. Quomodo constare debeat materia & forma.

Respondet ibidem Doctor, majorem esse veram de Sacramentis habentibus esse successivum, & quorum tota virtus & ratio consistit in usu; non autem de sacramento Eucharistiæ, quod habet esse permanens, quodque propterea non potest habere verba, quæ sint successiva, pro forma sui esse permanentis. Quanquam requirat verba pro forma consecrationis, seu, ut fiat Sacramentum, non verò ut factum perseveret: unde non est de ratione essentiali Sacramenti, quòd intrinsecè constet rebus pro materia, & verbis pro forma; sed solùm, quòd res & verba necessaria sint, ut Sacramentum conficiatur: Unde verba consecratoria requiruntur in hoc Sacramento, tanquam forma extrinsecè efficiens, non autem ut afficiens, & constituens.

Dices quartò: Duo Sacramenta non possunt ordinari ad eundem effectum: sed Eucharistia ordinatur ad conferendum animæ robur, & gratiæ augmentum, quod per Confirmationem tribuitur: igitur cùm Confirmatio sit Sacramentum, hanc rationem sibi vindicare non potest Eucharistia.

Distinguo majorem: Ad producendum eundem effectum specificum, concedo: genericum, nego: & similiter distinctâ minore, neganda est consequentia: Quamvis enim Confirmatio & Eucharistia ordinentur ad augendam gratiam in homine justificato; hoc tamen augmentum ab utroque Sacramento collatum, non est ejusdem rationis, quia Confirmatio confert augmentum gratiæ per modum roboris, & spiritualis fortitudinis ad fidem propugnandam: Eucharistia verò, ut nutrimentum per modum refectionis spiritualis ad resarciendas deperditas animæ vires per assiduos passionum motus & æstus imminutas, nec-non ad eas augendas, ut homo fiat expeditior & vegetior in suis spiritualibus muniis obeundis.

Conclusio Secunda.

IX. Est permaneus.

SAcramentum Eucharistia non consistit in solo usu, seu sumptione: Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino sess. 13. Can. 4. his verbis: *Si quis dixerit, peractâ consecratione in admirabili Eucharistia Sacramento, non esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantùm in usu dum sumitur, non ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.* Et cap. 3. sic ait: *Illud in Eucharistia excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat, & semper hæc fides in Ecclesia fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis, & vini specie, unà cum ipsius anima, & Divinitate existere.* Quibus verbis Concilium nedum decernit, sed etiam ratione probat nostram assertionem.

Ut optimè probat Concilium Tridentinum.

Tunc enim reverà est Sacramentum Eucharistiæ, quando verum est, adesse corpus Christi, & sanguinem: at ante sumptionem & usum, id verum est; igitur hoc Sacramentum non consistit in sumptione & usu: Majorem negare non possunt hæretici, quippe ideo volunt hoc Sacramentum consistere in solo usu; quia existimant, tunc tantùm in eo esse corpus & sanguinem Christi. Minor autem probatur; tunc in nocte cœnæ aderat corpus Christi præsens, cùm ipse Christus dixit: *Hoc est corpus meum*: si enim tunc præsens non fuisset, hæc propositio fuisset falsa, & Christus mendacium protulisset: sed antequam comederetur, & biberetur Eucharistia Christus D. illa verba protulit in præsenti: *Hoc est corpus meum*: non autem in futuro, hoc erit corpus meum: igitur tunc reverà præsens erat Christi corpus.

X. Et colligitur ex S. Scriptura.

Confirmatur ex eo quòd Lucæ 22. Christus D. ministrando calicem Apostolis, dixit: *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur, &c.* Igitur sanguis Christi fuit in calice, priusquam esset in ore bibentium, maximè cùm Apostoli omnes ex uno & eodem calice biberint, nec Christus ea verba protulerit, nisi duntaxat semel. *Insuper* Apostolus 1. ad Cor. 10. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*: Censet ergo Corinthios, quos ibi docet & arguit, potuisse discernere Domini corpus à communibus cibis, sed nisi corpus illud ante manducationem fuisset, non potuisset discerni: igitur, &c.

Confirmatur iterum: Tunc est Eucharistiæ Sacramentum, quando panis fit Sacramentalis per Ministrum, ut docent Calvinistæ, & quando Christus Deus homo substantiæ panis & vini realiter præsens adest, & fit verum ejus corpus, ac verus sanguis, ut volunt Lutherani: sed hæc fiunt ante manducationem, & bibitionem actualem: panis enim fit Sacramentalis per Ministrum, quando ab illo benedicitur, ad prolationem horum verborum, *Hoc est corpus meum*: nam, ut fatetur Beza, illa verba non sunt merè historica, sed operatoria; quia præstant, ut substantia panis transeat ab usu communi ad Sacramentalem, qui utique transitus præcedit manducationem & bibitionem Eucharistiæ: nam Minister, sive Calvinista, sive Lutheranus, longè pridem hæc verba profert super panem & vinum præparatum, antequam quisque ex sumentibus particulam accipiat, maximè quando plurimi adsunt communicaturi: igitur oportet, ut jam sit Sacramentum, quando quisque panem & vinum accipit, ac proinde Sacramentum istud non potest consistere simpliciter in usu.

Nec-non ex doctrina ipsorum Hæreticorum.

Reponunt Hæretici primò: Christum D. non priùs verba consecrationis protulisse, quàm panem & vinum manducandum & bibendum suis Discipulis dederit, idque probant ex verbis, Math. 26. ubi legimus, *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum.*

XI. Verba consecrationis non sunt accipienda eô ordine quô dicuntur.

Verùm respondeo, quòd non ex verborum ordine, sed ex vero sensu & significatione, quid Christus D. priùs aut posteriùs in ultima cœna fecerit, sit intelligendũ; alioquin liceret inferre, Christum nonnisi post actionem bibendi verba consecrationis calicis protulisse; nam S. Marcus c. 14. ait: *Acceptô calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex eo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Hæc tamen illatio prorsus esset absurda, quia pronomen (*hic*) demonstrativum est; ac subinde indicat præsentiam sanguinis Christi: Si autem Christus ea verba protulisset, post bibitionem Apostolorum, non potuisset indicare præsentem suum sanguinem; quia nihil ejus amplius remansisset; nec etiam Apostoli sumpsissent Sacramentum, quia jam manducatus fuisset panis, & potatum vinum, antequam verba prolata fuissent, per quæ illa materia Sacramentalis fieret: igitur nulla est præfata hæreticorum responsio.

XII. Non sunt promissoria, sed demonstrativa.

Reponunt alii secundò, cum Calvino locis in 2. Notabili laudatis, verba illa, *Hoc est corpus meum*, prolata quidem fuisse ante manducationem, sed non fuisse impleta, nec habuisse effectum, nisi in ipsa manducatione: Quia, *inquit*, cùm aliquid promittitur sub conditione præcepti, non impletur promissio, nisi præceptum impleatur: Christus autem simul conjunxit promissionem & præceptum; promissio siquidem fuit, *Hoc est corpus meum*: præceptum verò; *Accipite & manducate*: igitur corpus Christi non fuit præsens, vel significatum, nisi cùm Apostoli susceperunt, & comederunt panem.

Verùm, hæc gratis, & omnino liberè fingit Calvinus: Si enim ea verba, *Hoc est corpus meum*, promissionem includerent, deberent exprimi per verbum futuri temporis, sicut fit in omnibus promissionibus, quæ exarantur tam in veteri, quàm in novo Testamento, ut constat maximè in repro-

misso effectu hujus Sacramenti, Joan. 6. *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: sed Christus D. non dixit, hoc erit corpus, sed, *Hoc est corpus meum*: ergo falsum est, ea verba promissionem continere.

Deinde, si illa verba promissionem præcepto conjunctam continerent, illius promissionis impletio sequeretur, non autem comitaretur actualem Eucharistiæ manducationem; ideoque fideles Eucharistiæ Sacramentum, & Domini corpus non haberent, dum panem & vinum suscipiunt, sed tantùm postquam manducassent & bibissent: in omnibus enim ejusmodi promissionibus, actio quæ fuit imperata, præcedit impletionem promissi, quia promissionis impletio est effectus actionis imperatæ. Causa autem, ut constat ex Philosophia, naturâ saltem suum effectum antecedit.

Adde quòd consequens etiam istud censeatur absurdum, ex ipso Calvino; nam eôdem cap. num. 34. asserit, malos visibile Sacramentum in Eucharistia dente premere, corde verò non comedere; bonos verò sumere etiam Sacramentum, & Sacramenti virtutem: igitur priùs incipit esse Sacramentum Eucharistiæ, quam à bonis, vel malis comedatur.

Probatur secundò Conclusio ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ quôvis sæculô consuevit asservare sanctam Eucharistiam, tum ut esset in venerationem fidelibus, tum ut deferri posset ad absentes, tum ut ministraretur tanquam viaticum infirmis; id siquidem testantur plurimi è SS. Patribus, maximè verò Justinus Martyr Apostolorum discipulus, qui Apologiâ 2. circa finem affirmat, quòd sacris in Ecclesia peractis, Diaconi solebant ad absentes deferre sanctificatum panem & vinum, quod alimentum Eucharistiæ dicitur: *Postquam*, inquit, *Antistes gratiarum actionem perficit, & populus omnis apprecatus est, Diaconi ex pane & vino consecratis partes dividunt unicuique præsentium & ad absentes portant: Hic cibus vocatur Eucharistia.*

Legimus etiam in actis S. Luciani Presbyteri Antiocheni, apud Surium prima Januarii, quòd eùm in carcere positus supra proprium pectus, veluti vivum altare divina celebrasset mysteria, & Christi corpus consecrasset, partem hostiæ consecratæ sumpsit, alteram præsentibus fidelibus distribuit, aliam verò ad fideles absentes per manus Diaconorum direxit.

Similiter S. Irenæus epist. ad Victorem Papam, quæ extat apud Eusebium lib. 5. historiæ cap. 24. refert, quòd illius temporis consuetudo erat, ut Papa mitteret Eucharistiam ad alios Episcopos in signum pacis & Communionis.

Tertullianus pluribi significat, fideles suô tempore solitos esse hostiam in manibus accipere, & eam domum deferre, ut urgente necessitate, aut persecutione, illam secretò sumerent. Hinc lib. 2. ad Uxorem c. 5. eam adhortans, ne, dum vitâ functus fuerit, alterum ducat maritum maximè verò infidelem, ait: *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes: & si sciverit, panem non illum credit esse, qui dicitur.* Unde lib. de Orat. cap. 14. hujus etiam piæ consuetudinis mentionem faciens, ait: *Acceptô corpore Domini, & reservatô, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.* Idipsum testatur S. Cyprianus serm. de Lapsis, ubi refert, quòd cùm *quædam mulier arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Addit: *Est alius: qui & ipse maculatus, sacrificiô à Sacerdote celebratô, partem cum cæteris ausus est latenter accipere: sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documentô unius ostensum est, Dominum recedere, cùm negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse, quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente mutetur.*

XIII. Eucharistia servabatur olim à suscipientibus.

Idipsum præ cæteris luculentô testimoniô confirmat S. Basilius epist. 289. quæ est ad Cæsariam Patriciam, ubi cùm dixisset, *quaternos singulis septimanis communicamus, Dominicâ die, feriâ quartâ in parasceve, & sabbato: scilicet per dies etiam alios si Martyris alicujus memoria celebretur*; subdit: Quoniam verò per tempora illa persecutionem cogebantur homines necessariò à Sacerdote, vel Ministro non præsente, propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacaneum ut demonstrem, illam ipsam rem non esse graviter & iniquè ferendam: eò quòd inveterata consuetudo, hoc ipsum reipsâ confirmatum dederat. Nam & illi omnes, qui per Eremos vitam Monasticam instituunt, ubi copia non suppetit Sacerdotis, cùm habeant domi Communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem, & per Ægyptum, unusquisque etiam de plebe, ut plurimùm habet domi suæ Communionem. Nam cùm semel Sacerdos sacrificium peragat, & distribuat, qui susceperit illud integrum simul, & quotidie de illa sumpserit, quam à dante acceperat Sacerdote, credere debet, & tenetur nec injuriâ se eandem suscipere, & percipere. Nam & in Ecclesia ipsa, Sacerdos partem aliquam in manus tradit, & illam apprehendit, qui percipit, cum omni libera potestate, atque ita suis propriis manibus eandem suo ori admotam ingerit. Idem igitur, quoad potestatem est, sive quis de manu Sacerdotis partem unam aliquam percipiat, sive partes simul quamplurimas.

Eandem veritatem confirmat S. Ambrosius lib. de obitu Satiri fratris circa medium, ubi ejus in Deum observantiam probat maximè ex eo quòd in periculo naufragii constitutus requisierit Eucharistiam à Christianis, qui simul erant in eadem navi, quâ acceptâ ligavit in orario, & cum ipsa se confidenter in mare dejecit, ac faciliter ad littus pervenit: *Quid igitur*, inquit, *observantiam ejus erga Dei cultum prædicem? Qui priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cùm ea, quâ veheretur navis scopulosô illisa vadô, & urgentibus hinc atque inde fluctibus solveretur, non mortem metuens; sed ne vacuus mysterii exiret è vita: quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos inferret arcanis; sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resoluta tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desideravit.* Simile quid refert S. Hieronymus epist. ad Rusticum de S. Exuperio Episcopo Tolozano: *Nihil*, inquit, *illô ditius, qui corpus Domini canistrô vimineô, sanguinem portat in vitro.*

Porrò hanc consuetudinem abrogavit, ac proscripsit Concilium Toletanum primum annô Christi 400. ubi Can. 14. ita decernitur: *Si quis autem acceptam è Sacerdote Eucharistiam non*

Quod fieri prohibuit Concilium Toletanum primum.

sumpserit, nec ut sacrilegus propellatur. Quibus verbis prohibetur sub anathemate, ne quis deinceps acceptam Eucharistiam conservaret, & eam secum deferret. Idem vetitum fuit in Concilio Rothomagensi laudato ab Ivone Carnotensi Can. 2. Nihilominus his Ecclesiasticis interminationibus nonobstantibus, nonnulli fideles diversis agitati motibus acceptam Eucharistiam diutinò adhuc tempore servaverunt. Narrat enim *Krantzius* lib. 6. hist. Vuandalorum cap. 14. quòd circa annum 1183. quidam Pastor Vvandalus acceptum in die Paschatis sacrum non deglutivit, sed reposuit in summitate sui pedi Pastoralis, ut esset in propugnaculum sui gregis, quô factô noctibus singulis cùm ingentes ignis faces super dictum illud pedum pastorale apparerent, hoc prodigiô concitatus loci Episcopus una cum commissa sibi plebe Pastorem accersit, requirunt utrum sciat illius prodigii causam. Rem ille ex ordine pandit, quibus auditis Episcopus unà cum loci plebeio Rectore, & universo Clero, ac ingenti populi multitudine pedum illud pastorale summa cum reverentia ad Monasterium Orbacense deferunt, ubi plurima miracula patrata fuêre.

XIV. Ministrabatur etiam defunctis.

Secundò, Mos erat antiquitus servandi Eucharistiam pro communicandis fidelibus vita functis, qui sacrum Viaticum ante mortem recipere non potuerant, ut refert S. Gregorius Magnus lib. 2. Dialogorum cap. 24. ubi narrat, quòd cùm S. Benedictus audivisset juvenem ex suis Monachis mortuum ac tumulatum, semel & iterum è sepulchro à terra rejectum, mandavit super demortui pectus recondi sacram Eucharistiam, & cum ea sepeliri: quò factô quievit in sepulchro tumulatum cadaver, nec, ut priùs, à terra fuit rejectum.

Hæc autem ceremonia maximè servabatur erga Episcopos; refert enim S. Amphilochius Episcopus Iconiæ (si reverà ipse sit Author vitæ S. Basilii, ut putat Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ sacræ) quòd cùm S. Basilius certâ quâdam die sacra mysteria celebrasset, panem Eucharisticum tres in partes distribuit, quorum unam servari voluit, ut cum ea post mortem sepeliretur. Idem contigisse in funere S. Cutberti Episcopi Lindisphatnensis, qui mortuus est annô 587. narrat Fortunatus Episcopus Trevirensis lib. 4. de Officiis Ecclesiasticis cap. 41. Quam utique consuetudinem colligit diu in Ecclesia viguisse doctissimus Albaspina Episcopus Aurelianensis lib. 1. Observationum, Observatione 9. & 10. quandoquidem hujusmodi prohibita fuerit in Concilio Carthaginensi tertio, ubi decernitur: *Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur: Dictum est enim à Domino, Accipite & edite, cadavera autem nec accipere possunt, nec edere: cavendum est etiam ne mortuos baptizari posse, fratrum infirmitas credat; quibus nec Eucharistia dari licitum est.* Idem definitum est in Concilio Antissiodorensi celebrato annô 590. Can. 12. ubi legimus: Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velô, nec palliis corpora eorum involvi.

XV. Parvuli Eucharistiæ reliquias solebant sumere

Quartò, servabantur etiam antiquitus, quæ superarant post fidelium communionem divini Sacramenti reliquiæ, ut postmodum convocatis innocentibus puerulis baptizatis manducandæ, ac consumendæ traderentur. Unde Nicephorus infrà laudandus asseruit, eos puerulos debuisse esse jejunos. Cujus utique praxis occasione, idem ibi refert Constantinopoli magnum accidisse miraculum temporibus Justiniani Imperatoris, & Patriarchæ Mennæ, nempe, quòd filius Judæi cujusdam arte vitriarii, unà cum aliis puerulis ad edendas divinæ Eucharistiæ reliquias fuisset advocatus, & eas sumpsisset: hoc ubi rescivit illius Pater, in odium facti, ipsum ligatis manibus & pedibus in fornacem ardentem projecit, ubi cùm tribus diebus, mediis in flammis stetisset incolumis, à propria matre inde ereptus, miraculum evulgavit. Idipsum refert etiam Evagrius lib. 4. Historiæ cap. 35. & Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 10.

Quintò, servari solebat in altari propter fidelium devotionem, ut docet S. Chrysostomus Homil. 24. in priorem ad Cor. *Si sanguinem cupis*, inquit, *Christus non idolorum aram brutorum cæde, sed meum altare, verò sanguine cruentat... pro cæde brutorum seipsum jussit offerri.... quando ipsum videris, propositum Dei corpus, dic: Propter hoc corpus non sum amplius terra, & cinis, sed liber homo, corpus clavis confixum, & flagellis cæsum non tulit mors: Hoc corpus etiam jacens in præsepi reveriti sunt Magi; tu verò non in præsepi vides, sed in altari; non fœminam ipsum tenentem, sed Sacerdotem adstantem.*

XVI. Servabatur etiam in Altari tum pro devotione fidelium.

In idem conspirat S. Cyrillus in epistola ad Calosyrium, de quibusdam, qui dicebant, quòd corpus Christi non remanebat sub hoc Sacramento, si in crastinum reservaretur; quia, inquiebant, de Agno Paschali, qui erat figura hujus Sacramenti, non remanebat quicquam usque mane, ut præcipitur Exod. 12. De illis, inquam, qui id asserebant, sic ait: *Insaniunt quidam, dicentes, mysticam benedictionem cessare à sanctificatione, si qua ejus reliquia remanserint in diem subsequentem: Non enim mutatur Sacramentum corporis Christi, sed virtus benedictionis, & vivificans gratia jugis est.* Hujus veritatis illustre profert exemplum S. Gregorius Nazianzenus infrà laudandus de sorore sua, quæ ante altare coram augustissimo Sacramento procumbens, sanitatem obtinuit.

Tum ut deferretur ad ægrotos.

Sextò servabatur in altari ut deferretur ad ægrotos, sic enim statuitur in Concilio Nycæno Can. 13. his verbis: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servatur; ita ut si quis egreditur de corpore, ultimò & necessariò viaticô minimè privetur. Quòd si desperatus, & consecutus Communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos, qui Communionem orationis tantummodò consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi Communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione debebit.* Ex quibus colligit Groperus lib. de asservatione corporis & sanguinis Christi art. 2. cap. 16. Eucharistiam à reddita Ecclesiæ pace in templis servari solitam, ut deferri posset ad ægrotos: Si enim nullum esset reservatum viaticum, multi haud dubiè, vel nocturnis, vel aliis, quibus fas non est consecrare, viaticum, horis, subitò exitialibus correpti morbis, atque supremô illô necessariò è corpore emigrassent: cùm tamen Concilium velit curâ & diligentiâ atque probatione Episcopi agendum esse, ut ne quis Viaticô defraudetur.

Hinc decernitur in Concilio Turonensi secundo, ut corpus Domini componatur in Altari sub Crucis titulo, qui nempe reponi solet in Altaris meditullio: & Felix Episcopus Bituricensis, qui ipsi Concilio interfuit, curavit elaborari vas aureum insigne instar turris ad asservandam Eucharistiam,

ut refert Venantius Fortunatus in Epigrammatibus; Unde Clerici & Monachi Antiocheni conqueruntur in Conc. Constantinop. sub Menoa att. 5. de suo Patriarcha Severo, quòd fregerit, & vendiderit columbas aureas, in quibus Eucharistia servabatur. Eandem querimoniam instaurat Antonius Monachus in Concilio Nicæno secundo actione 7.

Idipsum confirmat S. Clemens, vel quisquis est Author constitutionum Apostolicarum lib. 8. c. 13. ubi loquens de Eucharistiæ reliquiis, remanentibus post Communionem fidelium, ait: *Sumant Diaconi reliquias, & in tabernaculum inferant.* Nam, inquit epist. 2. *Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ac cùm id negligenter agitur, corpori Domini gravis injuria inferatur.* Porrò per sacrarium & tabernaculum intelligit locum, in quo propter varios usus, & nominatim propter Communionem infirmorum, sacræ hostiæ reconduntur, & asservantur, sicut jam olim asservari solebant. Inde usus argentearum, vel aurearum columbarum, idest, vasorum, vel pixidum, quæ sub illa figura, in symbolum Spiritûs S. formabantur, ad sacram ibi Eucharistiam asservandam. Hinc etiam in primitiva Ecclesia usus turrium argentearum, in quibus corpus Christi asservari solebat, ut colligitur ex Gregorio Turonensi lib. de Gloria Martyrum cap. 86. ubi sic ait: *Acceptâ turre, in quâ ministerium (seu mysterium) Dominici corporis habebatur, ferre hanc ad ostium cœpit Diaconus, ac templum ingressus est, ut eam Altari superponeret.* Inde pastophorii quoque nomen, quod juxta Græcum παστοφόριον sponsi thalamum significat, & propterea illi arculæ vel pixidi olim inditum, in qua includebatur corpus Christi asservandum. Hinc denique *ciborii* nomen, quo passim à Latinis eadem pixis, vel arcula appellari solet, eò quòd verum animæ cibum contineat, scilicet Christum, qui Joan. 6. ait: *Caro mea verè est cibus.* Ex quibus omnibus apertè constat, semper in Ecclesia Dei creditum esse, quòd non simul cum usu desinat esse corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ, sed quòd permanenter in eo conservetur.

Dices primò: Veterum Patrum sententia fuit nil ex Eucharistia esse servandum, ut constat 1. capite *Tribus* de consecratione, dist. 2. quod petitur ex S. Clementis epist. 2. *Tanta in Altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint in crastinum, non reserventur, sed Clericorum diligentiâ consumantur*: igitur Eucharistia non est asservanda.

XVII.
Quo sensu S. Clemens dicat reliquias Sacramenti non esse servandas.

Nego consequentiam: Ita quippe constituit S. Clemens Ecclesiæ nascentis tempore; quia Communio sacra tam frequens erat, ut Sacramentum ægris asservare necesse non esset: id autem noluit observandum secututis ætatibus, in quibus Eucharistiæ non erat futurus adeo frequens.

Adde quòd. Eucharistiæ reliquiarum comestio præcipiatur Clericis, quoad minores particulas fragmentorum corporis Domini; sed exceptis partibus illis, quæ servarentur in usus infirmorum. Hinc *ibidem* antea scribitur: *Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta divinorum secretorum, Presbytero, Diacono, & Ministro. qui cum timore & tremore Clericorum reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in Sacrario inveniatur. ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Dominici gravis inferatur injuria*, ut suprà dictum est.

Objicies secundò Origenem in 7. Levitici Homil. 5. scribentem: *Dominus panem, quem Discipulis dabat, & dicebat iis, Accipite & manducate, non distulit, nec servari jussit in crastinum*: ergo contra Domini præceptum militant qui servant Eucharistiam.

Et Origenes.

Nego consequentiam: Multa quippe Dominus per Apostolos & Ecclesiam ordinavit, quæ per se non jussit; Unde nec Origenes ibi probare vult Eucharistiam asservari non posse; sed placere Deo sacrificium laudis recens, novum, spirituale; non autem vetus, ut erat apud Judæos & Gentiles, id autem ostendit exemplô Domini, qui Eucharistiam à se consecratam continuò manducari jussit: Addit etiam quòd panem portari vetat in via, *at semper, inquit, recentes quos intra se gerit Verbi Dei panes proferat.* Unde constat Origenem tropologicè omnino loqui.

Dices tertiò: S. Ambrosius in 1. Cor. 11. indignum, *inquit*, dicit Apostolus eum esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quàm ab eo sit traditum: ergo nihil in eo potest agi, nisi quod agit Christus; nihil etiam omitti potest eorum, quæ Christus egit.

Nego consequentiam: Nam datô quòd hujusmodi commentaria sint reverà S. Ambrosii, particula hæc *(aliter)* opponitur devotioni, & reverentiæ huic Sacramento debitæ, non cæremoniis accidentalibus institutionis hujus Sacramenti; conqueritur enim ibi S. Paulus de Corinthiis, qui multa Christianis indigna, suis in Agapis admittentes, accedebant ad Eucharistiam. Inde subjicit Commentator: *Non enim potest devotus esse, qui præsumit aliter, quàm datum est ab Authore*; ideoque præmonet, ut secundùm ordinem traditum, id est, sublatis dissentionibus, & ebrietatibus, quas arguit Apostolus ibi: *Devota mens sit accedentis ad Eucharistiam Domini.* Et explicans quod ait Apostolus: *Probet autem seipsum homo*, subjicit: *Devotô animò & cum timore accedendum ad Communionem docet* (Apostolus) *ut sciat mens reverentiam se debere ei, ad cujus corpus sumendum accedit.*

Dices quartò: Hesichius lib. 2. in Levit. cap. 8. ait: Quod reliquum est de carnibus & panibus in igne incendi præcepit; quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcunque remanere contigerit inconsumpta, non omnino ea, quæ unâ die, vel duabus, aut multis servata sunt; ut enim apparet, non hoc Legislator præcepit: sed quod reliquum est incendi jubet: ergo vetitum erat Hesichii tempore reliquias Eucharistiæ servare.

Et Hesichius.

Distinguo consequens: Reliquias, quæ præ nimiâ vetustate, vel asservatione putredinem, aut aliquid simile contrahunt, ex quo manducanti nauseam, aut horrorem afferre possent, concedo; ne fiat enim injuria Sacramento, tradebantur illæ species igni, velut elemento omnium purissimo consumendæ; sicuti Missale Romanum cap. 10. Rubricarum de defectibus circa Missam, jubet, ut vomitus ejus, qui sumpserit Eucharistiam, comburatur, si species in eo consumptæ non appareant; Reliquias, quæ fuerint immunes ab ejusmodi periculis, & integræ, nego: nam ex Hesichio, tradi ea igni oportet, ut ea consumat, quæ sunt inedibilia, idest, non manducabilia.

Dices quintò: Ex *Evagrio* 4. hist. cap. 35. vetusta consuetudo Constantinopoli fuit, ut, si quando multæ admodum particulæ puri, & immaculati corporis

Et Evagrius.

corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentarent, accerserentur, easque manducarent. Nicephorus 17. hist. cap. 25. scribit pueros, quibus Eucharistiæ reliquiæ dabantur, incorruptos esse debuisse, & jejunos, ex iis qui ludum litterarium frequentarent; & se quondam ex eorum numero fuisse, quia vehementer à prima ætate studebat in sacris Ædibus versari. Et ex Matisconensis Concil. 2. Canon. 6. Quæcumque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in Sacrario supersederint 4. vel 6. feriâ apud illos, utrum interest, ad Ecclesiam adducantur, & indictô eis jejuniô easdem reliquias vinô conspersas percipiant: ergo partes Eucharistiæ non asservabantur in Ecclesia.

Distinguo consequens: Partes minores, quæ non ita facile poterant asservari; vel etiam majores, quæ non erant necessariæ ad ægrotantium Communionem, concedo: majores, quæ necessariæ fuerunt in Viaticum & Communionem infirmorum, nego: nam ubi consecratio Dominici corporis & sanguinis adeo frequens non erat ob persecutiones infidelium, asservabantur Eucharistiæ formulæ in usum infirmorum, & absentium.

Et Humbertus. *Dices sextò*: Humbertus Cardinalis lib. contra Nicetam, qui est in appendice tomi 12. Baronii, dicit: *Dominus non benedixit sanctum panem, & servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantùm & reposuit, sed fractum statim distribuit*: igitur censet, panem Eucharisticum asservari non debere, sed statim præsentibus, ac debitè paratis astantibus ministrari.

Distinguo consequentiam: Censet non debere conservari panem Eucharisticum jam consecratum, ut iterum inserviat in oblationem & sacrificium pro diebus sequentibus: quemadmodum facere solebant nonnulli Græci, concedo: censet non debere servari in usum & communionem infirmorum, aut absentium, vel etiam ut fidelibus exhibeatur in venerationem, nego: Humbertus enim ibi arguit Græcos, quòd tempore Quadragesimæ, duobus solùm diebus, Sabbatô scilicet, ac Dominicâ, nec-non & Annuntiationis die consecrarent, ac Eucharistiam offerrent. Aliis verò quinque diebus hebdomadæ præsanctificatis uterentur, & ita fieret apud illos istis diebus sacrum præsanctificatorum, idest, oblatio sacrificii jam antea peracti, ut decernitur in Concilio Trullano can. 52. cujus utique Can. hæc ratio erat, quia dies jejunii, dies luctûs, & expiationis est: offerre verò sacrificium Deo, festum est agere, cùm ipsâ Communione corporis & sanguinis Dominici jejunia solvi putabant vulgò Græci, quod apertum est ex Humberti verbis, ait enim: Hodie, sive tertia, sive quacunque fiat à vobis, Missa non fit, nisi perfecta, nec reservatur ex oblatione pars aliqua, ut per dies quinque agatur inde Missa imperfecta; quia nec Apostoli leguntur quidquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa cœna distributo reservasse: nec actus eorum indicant, eos aliquando tale quid egisse aut præcepisse; quin imò S. Lucas ita narrat Actor. 1. Erant fideles perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione portionis panis, quæ communicatio qualiter, & quibus diebus fieret, post pauca demonstrat, dicens: Quotidie perseverantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant. Ex se verax Evangelista testatur sub Apostolis Fideles quotidie orasse, & panem fregisse: Et vos qui estis? qui dicitis duobus tantùm diebus Missam perfectam fieri debere; reliquis quinque imperfectam? nempe si in panis fractione & communicatione nonnisi perfectam actionem Missæ debemus accipere; quemadmodum & ipsum Dominum legimus non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis Discipulis tradidisse in pane à se benedicto; & mox ab eo distributo.

Dices septimò: Ecclesia non aliô fine volebat servari Eucharistiam, nisi ut ministraretur ægrotis & eis inserviret in Viaticum. Unde Morinus lib. 8. de Pœnit. cap. 14. n. 2. ait: Consuetudo hodierna, corpus Christi propter fidelium Communionem reservandi recens est, à Monachis Mendicantibus primùm introducta, deinde ab aliis plerisque usurpata, quæ nondum tamen Romani Ritûs Rubricas expungere potuit.

Nego antecedens: Contrarium enim apparet ex dictis; Eucharistiam enim servabant priores fideles, tum ut eâ reficerentur, tum ut a periculis ejus beneficiô liberarentur, & ad eam, tanquam ad propugnaculum & subsidium recursum haberent. Cujus utique illustre exemplum profert S. Gregorius Nazianzenus Orat. 11. quæ funebris laus est Gorgoniæ sororis suæ; *Ea cùm ægrotaret, desperatis omnibus aliis auxiliis, intempestâ nocte fugit ad omnium Medicum, ad ejus altare cum fide procumbit, eumque, qui super ipso honoratur* (Christum interpretatur Helias Cretensis) *imitata mulieris, qui diuturnum sanguinis fluxum patiebatur, audaciam; & peccatricis amorem invocans magno clamore, multisque lacrymis, & variis eum nominibus appellans, & ejus omnia prodigia commemorans, ait, se non dimissuram priusquam sanitatem obtinuisset: & si quid uspiam antityporum pretiosi corporis & sanguinis manus recondiderat, veluti thesaurum aliquem lacrymis admiscens, & eô veluti pharmacô totum corpus perungens, statim liberatam se morbo sensit.*

Constat igitur jampridem consuetudinem fuisse in Ecclesia servandi Eucharistiam, ut esset motivum & objectum devotionis fidelium, nec non ut fidelibus in cœlestem alimoniam ministraretur; cùm enim divinum hoc Sacramentum maximè fuerit institutum, ut deserviret spirituali animarum nutritioni, haud dubium est, quin potissimùm ob hunc finem jugiter asservata fuerit in templis: ac subinde aperte liquet Morinum turpiter hallucinari, cùm audacter & temerariè pronuntiat, corpus Christi reservandi consuetudinem propter Communionem fidelium, à Monachis esse introductam.

Dices ultimò: Nusquam Christus asservationem Eucharistiæ præcepit: ergo non est asservanda.

Distinguo antecedens: Non præcepit explicitè, concedo: implicitè, nego: Dedit enim Eucharistiam ut cibum, qui permanens est, & diu interesse paratus omnibus Christianis; idcoque debet asservari. *Secundò*, nego consequentiam; Ecclesia quippe jubere potest ea, quæ spectant ad Sacramentorum, & mysteriorum reverentiam, & ad fidelium utilitatem; cùm ei credita sit dispensatio mysteriorum Dei, ex Trident. sess. 21. cap. 2. Tum Apostolis speciatim de iis, quæ spectant ad Eucharistiæ dispensationem, & curam, & venerationem, 1. Cor. 11. scribit Paul. *Cætera, cùm venero, disponam.* Hinc enim sequitur non tantùm a Christo, sed etiam ab Apostolis, & ab Ecclesia ritus Eucharistiæ præcipi posse, ut evidentiùs constabit ex dicendis.

ut refert Venantius Fortunatus in Epigrammatibus; Unde Clerici & Monachi Antiocheni conqueruntur in Conc. Constantinop. sub Menna art. 5. de suo Patriarcha Severo, quòd fregerit, & vendiderit columbas aureas, in quibus Eucharistia servabatur. Eandem querimoniam instaurat Antonius Monachus in Concilio Nicæno secundo actione 7.

Idipsum confirmat S. Clemens, vel quisquis est Author constitutionum Apostolicarum lib. 8. c. 13. ubi loquens de Eucharistiæ reliquiis, remanentibus post Communionem fidelium, ait: *Sumant Diaconi reliquias, & in tabernaculum inferant.* Nam, inquit epist. 2. *Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cùm id negligenter agitur, corpori Domini gravis injuria inferatur.* Porrò per sacrarium & tabernaculum intelligit locum, in quo propter varios usus, & nominatim propter Communionem infirmorum, sacræ hostiæ reconduntur, & asservantur, sicut jam olim asservari solebant. Inde usus argentearum, vel aurearum columbarum, idest, vasorum, vel pixidum, quæ sub illa figura, in symbolum Spiritûs S. formabantur, ad sacram ibi Eucharistiam asservandam. Hinc etiam in primitiva Ecclesia usus turrium argentearum, in quibus corpus Christi asservari solebat, ut colligitur ex Gregorio Turonensi lib. de Gloria Martyrum cap. 26. ubi sic ait: *Acceptâ turre, in quâ ministerium (seu mysterium) Dominici corporis habebatur, ferre hanc ad ostium cœpit Diaconus, ac templum ingressus est, ut eam Altari superponeret.* Inde pastophorii quoque nomen, quod juxta Græcum παστοφόριον sponsi thalamum significat, & propterea illi arculæ vel pixidi olim inditum, in qua includebatur corpus Christi asservandum. Hinc denique *ciborii* nomen, quo passim à Latinis eadem pixis, vel arcula appellari solet, eò quòd verum animæ cibum contineat, scilicet Christum, qui Joan. 6. ait: *Caro mea verè est cibus.* Ex quibus omnibus apertè constat, semper in Ecclesia Dei creditum esse, quòd non simul cum usu desinat esse corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ, sed quòd permanenter in eo conservetur.

Dices primò: Veterum Patrum sententia fuit nil ex Eucharistia esse servandum, ut constat t. capite *Tribus* de consecratione, dist. 2. quod petitur ex S. Clementis epist. 2. *Tanta in Altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint in crastinum, non reserventur, sed Clericorum diligentiâ consumantur:* igitur Eucharistia non est asservanda.

XVII. Quo sensu S. Clemens dicat reliquias Sacramenti non esse servandas.

Nego consequentiam: Ita quippe constituit S. Clemens Ecclesiæ nascentis tempore; quia Communio sacra tam frequens erat, ut Sacramentum ægris asservare necesse non esset: id autem noluit observandum secuturis ætatibus, in quibus Eucharistiæ non erat futurus adeo frequens.

Adde quòd, Eucharistiæ reliquiarum comestio præcipiatur Clericis, quoad minores particulas fragmentorum corporis Domini; sed exceptis partibus illis, quæ servarentur in usus infirmorum. Hinc *ibidem* antea scribitur: *Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta divinorum secretorum, Presbytero, Diacono, & Ministro, qui cum timore & tremore Clericorum reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Dominici gravis inferatur injuria,* ut suprà dictum est.

Objicies secundo Origenem in 7. Levitici Homil. 5. scribentem: *Dominus panem, quem Discipulis dabat, & dicebat iis, Accipite & manducate, non distulit, nec servari jussit in crastinum:* ergo contra Domini præceptum militant qui servant Eucharistiam.

Et Origenes.

Nego consequentiam: Multa quippe Dominus per Apostolos & Ecclesiam ordinavit, quæ per se non jussit; Unde nec Origenes ibi probare vult Eucharistiam asservari non posse; sed placere Deo sacrificium laudis recens, novum, spirituale; non autem vetus, ut erat apud Judæos & Gentiles, id autem ostendit exemplô Domini, qui Eucharistiam à se consecratam continuò manducari jussit: Addit etiam quòd panem portari vetat in via, *ut semper*, inquit, *recentes quos intra se gerit Verbi Dei panes proferat.* Unde constat Origenem tropologicè omnino loqui.

Dices tertio: S. Ambrosius in 1. Cor. 11. indignum, *inquit*, dicit Apostolus eum esse Dominô, qui aliter mysterium celebrat, quàm ab eo sit traditum: ergo nihil in eo potest agi, nisi quod agit Christus; nihil etiam omitti potest eorum, quæ Christus egit.

Nego consequentiam: Nam datô quòd hujusmodi commentaria sint reverà S. Ambrosii, particula hæc *(aliter)* opponitur devotioni, & reverentiæ huic Sacramento debitæ, non cæremoniis accidentalibus institutionis hujus Sacramenti; conqueritur enim ibi S. Paulus de Corinthiis, qui multa Christianis indigna, suis in Agapis admittentes, accedebant ad Eucharistiam. Inde subjicit Commentator: *Non enim potest devotus esse, qui præsumit aliter, quàm datum est ab Authore;* ideoque præmonet, ut secundùm ordinem traditum, id est, sublatis dissentionibus, & ebrietatibus, quas arguit Apostolus ibi: *Devota mens sit accedentis ad Eucharistiam Domini.* Et explicans quod ait Apostolus: *Probet autem seipsum homo,* subjicit: *Devotô animô & cum timore accedendum ad Communionem docet* (Apostolus) *ut sciat mens reverentiam se debere ei, ad cujus corpus sumendum accedit.*

Dices quartò: Hesichius lib. 2. in Levit. cap. 8. ait: Quod reliquum est de carnibus & panibus in igne incendi præcepit; quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, igniqùe tradi quæcunque remanere contigerit inconsumpta, non omnino ea, quæ unâ die, vel duabus, aut multis servata sunt; ut enim apparet, non hoc Legislator præcepit: sed quod reliquum est incendi jubet: ergo vetitum erat Hesichii tempore reliquias Eucharistiæ servare.

Et Hesichius.

Distinguo consequens: Reliquias, quæ præ nimiâ vetustate, vel asservatione putredinem, aut aliquid simile contrahunt, ex quo manducanti nauseam, aut horrorem afferre possent, concedo; ne fiat enim injuria Sacramento, tradebantur illæ species igni, velut elemento omnium purissimo consumendæ; sicuti Missale Romanum cap. 10. Rubricarum de defectibus circa Missam, jubet, ut vomitus ejus, qui sumpserit Eucharistiam, comburatur, si species in eo consumptæ non appareant; Reliquias, quæ fuerint immunes ab ejusmodi periculis, & integræ, nego: nam ex Hesichio, tradi ea igni oportet, ut ea consumat, quæ sunt inedibilia, idest, non manducabilia.

Dices quintò: Ex *Evagrio* 4. hist. cap. 35. vetusta consuetudo Constantinopoli fuit, ut, si quando multæ admodum particulæ puri, & immaculati corporis

Et Evagrius

corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentarent, accerserentur, easque manducarent. Nicephorus 17. hist. cap. 25. scribit pueros, quibus Eucharistiæ reliquiæ dabantur, incorruptos esse debuisse, & jejunos, ex iis qui ludum litterarium frequentarent; & se quondam ex eorum numero fuisse, quia vehementer à prima ætate studebat in sacris Ædibus versari. Et ex Matisconensis Concil. 2. Canon. 6. Quæcunque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam in Sacrario superfederunt 4. vel 6. feriâ apud illos, utrum interest, ad Ecclesiam adducantur, & indictô eis jejuniô easdem reliquias vinô conspersas percipiant: ergo partes Eucharistiæ non asservabantur in Ecclesia.

Distinguo consequens: Partes minores, quæ non ita facile poterant asservari; vel etiam majores, B quæ non erant necessariæ ad ægrotantium Communionem, concedo: majores, quæ necessariæ fuerunt in Viaticum & Communionem infirmorum, nego: nam ubi consecratio Dominici corporis & sanguinis adeo frequens non erat ob persecutiones infidelium, asservabantur Eucharistiæ formulæ in usum infirmorum, & absentium.

Et Humbertus. *Dices sextò*: Humbertus Cardinalis lib. contra Nicetam, qui est in appendice tomi 11. Baronii, dicit: *Dominus non benedixit sanctum panem, & servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantùm & reposuit, sed fractum statim distribuit*: igitur censet, panem Eucharisticum asservari non debere, sed statim præsentibus, ac debitè paratis C astantibus ministrari.

Distinguo consequentiam: Censet non debere conservari panem Eucharisticum jam consecratum, ut iterum inserviat in oblationem & sacrificium pro diebus sequentibus: quemadmodum facere solebant nonnulli Græci, concedo: censet non debere servari in usum & communionem infirmorum, aut absentium, vel etiam ut fidelibus exhibeatur in venerationem, nego: Humbertus enim ibi arguit Græcos, quòd tempore Quadragesimæ, duobus solùm diebus, Sabbatô scilicet, ac Dominicâ, nec-non & Annuntiationis die consecrarent, ac Eucharistiam offerrent. Aliis verò D quinque diebus hebdomadæ præsanctificatis uterentur, & ita fieret apud illos istis diebus sacrum præsanctificatorum, idest, oblatio sacrificii jam anteà peracti, ut decernitur in Concilio Trullano can. 52. cujus utique Can. hæc ratio erat, quia dies jejunii, dies luctûs, & expiationis est: offerre verò sacrificium Deo, festum est agere, cùm ipsâ Communione corporis & sanguinis Dominici jejunia solvi putabant vulgò Græci, quod apertum est ex Humberti verbis, ait enim: » Hodie, sive tertia, sive quacunque fiat à vobis, » Missa non fit, nisi perfecta, nec reservatur ex » oblatione pars aliqua, ut per dies quinque aga» tur inde Missa imperfecta: quia nec Apostoli le» guntur quidquam ex illo [illegible]mo corporis & san- E » guinis Christi mysterio sub ipsa cœna distributo » reservasse: nec actus eorum indicant, eos ali» quando tale quid egisse aut præcepisse; quin imò » S. Lucas ita narrat Actor. 1. Erant fideles perseve» rantes in doctrina Apostolorum, & communi» catione portionis panis, quæ communicatio qua» liter, & quibus diebus fieret, post pauca de» monstrat, dicens: Quotidie perseverantes una» nimiter in templo, & frangentes circa domos pa» nem sumebant. Ex se vetat Evangelista testatur » sub Apostolis Fideles quotidie orasse, & panem » fregisse: Et vos qui estis? qui dicitis duobus tan» tùm diebus Missam perfectam fieri debere; re» liquis quinque imperfectam? nempe si in pania » fractione & communicatione nonnisi perfectam » actionem Missæ debemus accipere; quemadmo» dum & ipsum Dominum legimus non imperfe» ctam, sed perfectam commemorationem suis Dis» cipulis tradidisse in pane à se benedicto; & mox ab » eo distributo. »

Dices septimò: Ecclesia non aliô fine volebat servari Eucharistiam, nisi ut ministraretur ægrotis & eis inserviret in Viaticum. Unde Morinus lib. 8. de Pœnit. cap. 14. n. 2. ait: Consuetudo » hodierna, corpus Christi propter fidelium » Communionem reservandi recens est, à Mo» nachis Mendicantibus primùm introducta, » deinde ab aliis plerisque usurpata, quæ non» dum tamen Romani Ritûs Rubricas expungere » potuit. »

Nego antecedens: Contrarium enim apparet ex dictis; Eucharistiam enim servabant primitua fideles, tum ut eâ reficerentur, tum ut à periculis ejus beneficiô liberarentur, & ad eam, tanquam ad propugnaculum & subsidium recursum haberent. Cujus utique [illegible]llustre exemplum profert S. Gregorius Nazianzenus Orat. 11. quæ funebris laus est Gorgoniæ sororis suæ; *Ea cùm ægrotaret, desperatis omnibus aliis auxiliis, intempestâ nocte fugit ad omnium Medicum, ad ejus altare cum fide procumbit, eumque, qui super ipso honoratur* (Christum interpretatur Helias Cretensis) *imitata mulieris, quæ diuturnum sanguinis fluxum patiebatur, audaciam; & peccatricis amorem invocans magno clamore, multisque lacrymis, & variis eam nominibus appellans, & ejus omnia prodigia commemorans, ait, se non dimissuram priusquam sanitatem obtinuisset: & si quid uspiam antityporum pretiosi corporis & sanguinis manus recondiderat, veluti thesaurum aliquem lacrymis admiscens, & eô veluti pharmacô totum corpus perungens, statim liberatam se morbo sensit*.

Constat igitur jampridem consuetudinem fuisse in Ecclesia servandi Eucharistiam, ut esset motivum & objectum devotionis fidelium, nec-non ut fidelibus in cœlestem alimoniam ministraretur; cùm enim divinum hoc Sacramentum maximè fuerit institutum, ut deserviret spiritualli animarum nutritioni, haud dubium est, quin potissimùm ob hunc finem jugiter asservata fuerit in templis: ac subinde apertè liquet Morinum turpiter hallucinari, cùm audacter & temerariè pronuntiat, corpus Christi reservandi consuetudinem propter Communionem fidelium, à Monachis esse introductam.

Dices ultimò: Nusquam Christus asservationem Eucharistiæ præcepit: ergo non est asservanda.

Distinguo antecedens: Non præcepit explicitè, concedo: implicitè, nego: Dedit enim Eucharistiam ut cibum, quippe manens est, & dicitur esse paratus omnibus Christianis; ideoque debet asservari. *Secundò*, nego consequentiam; Ecclesia quippe jubere potest ea, quæ spectant ad Sacramentorum, & mysteriorum reverentiam, & ad fidelium utilitatem; cùm ei credita sit dispensatio mysteriorum Dei, ex Trident. sess. 21. cap. 2. Tum Apostolis speciatim de iis, quæ spectant ad Eucharistiæ dispensationem, & curam, & venerationem, 1. Cor. 11. scribit Paul. *Cætera, cùm venero, disponam*. Hinc enim sequitur non tantùm à Christo, sed etiam ab Apostolis, & ab Ecclesia ritus Eucharistiæ præcipi posse, ut evidentiùs constabit ex dicendis.

Quæstio Secunda.

In quo præcisè, ac formaliter consistat ratio essentialis hujus Sacramenti?

I. Tria sunt in Sacramentis novæ legis.

NOtandum primò: In Sacramentis legis Evangelicæ, tria potissimùm solere distingui: *Primò* quidem, id quod est Sacramentum tantùm, seu signum sensibile & efficax gratiæ, ac subinde quod significat, non autem significatur; ut lotio corporea per aquam in Baptismo sub præscripta verborum forma, quæ significat interiorem animæ ablutionem à peccatis. *Secundò*, res Sacramenti, seu id quod significatur, & declaratur per signum sensibile, estque effectus, aut fructus Sacramenti, nempe gratia sanctificans sub aliquo speciali charactere; sic in Baptismo res Sacramenti, seu significata est gratia regenerans, sive emundans ab omni sorde peccati tam originalis, quàm actualis. *Tertiò*, id quod est Sacramentum, & res Sacramenti simul, idest, signum, & res significata, seu quod significat & quod significatur; sic in Baptismo character spiritualis animæ impressus, dici potest aliquô sensu res significata per ablutionem aquæ cum expressa invocatione sanctissimæ Trinitatis, & etiam signum spirituale, quia ipse significat gratiam sanctificantem, quâ regeneramur in filios Dei per Christum. Citra controversiam est, quòd in Eucharistia res Sacramenti sit gratia nutriens, seu per modum alimoniæ spiritualis animam reficiens: Sacramentum autem, & res Sacramenti simul, sit corpus, & sanguis Christi, quod equidem significat gratiam nutrientem, seu reficientem, & significatur per species panis & vini. Dubium autem est, quid sit Sacramentum tantùm formaliter & propriè sumptum.

II. Quatuor sunt in Eucharistia.

Notandum secundò: Quatuor potissimùm in Eucharistia posse considerari: *Primò* quidem consecrationem panis & vini: *secundò*, species panis & vini consecrati: *tertiò*, corpus & sanguinem Christi sub consecratis speciebus realiter delitescentis: *quartò* tandem usum & sumptionem hujus Sacramenti, putà manducationem, & bibitionem corporis & sanguinis Christi. Quæritur autem in quonam eorum constituenda sit ratio formalis Sacramenti, circa cujus resolutionem quadruplex est capitalis Theologorum sententia: *Prima* contendit, Sacramentum Eucharistiæ consistere formaliter in consecratione, seu actione illa mirabili, quâ convertitur panis in corpus Christi, & vinum in ejus sanguinem: quæ utique actio idcirco dicitur consecratio, quia per illam species consecrantur; hoc est, sacræ ac venerandæ fiunt, continentque rem sacratissimam, nempe corpus & sanguinem Christi; quæ utique sententia tribuitur Gabrieli, Marsilio, & Cajetano, q. 63. a. 6. in quam etiam propendet Lugo disp. 1. sect. 6. ubi probabiliter tuetur, actionem transsubstantiativam, quâ ponitur Christus sub speciebus, non esse omnino à ratione intrinsecâ Sacramenti Eucharistiæ excludendam. *Secunda sententia* ait, Sacramentum Eucharistiæ consistere formaliter in aggregato, seu composito ex speciebus & verbis consecrationis, tanquam pro fundamento proximo, & integro relationis significationis Sacramentalis, cujus terminus est corpus & sanguis Christi per species & verba consecrationis connotatus in rectò. Ita plurimi

Vnde quadruplex Authorum sententia de ejus ratione formali.

Recentiores cum Valentia & Suare. *Tertia* censet Sacramentum Eucharistiæ essentialiter constare ex speciebus simul & ex corpore, & sanguine Christi; itaut utrumque ad essentiam & substantiam hujus Sacramenti pertineat. *Quarta* tandem sententia contendit, hoc Sacramentum essentialiter consistere in speciebus consecratis significantibus corpus & sanguinem Christi realiter ac substantialiter sub illis contineri. Ita sentiunt Alensis q. 10. memb. 3. art. 3. S. Bonaventura dist. 9. part. 2. art. 1. qu. 2. nec-non & Subtilis Doctor dist. 8. q. 1. Cui subscribunt omnes fidelissimi ejus Discipuli, unô aut alterô exceptô, putà Centino qui disp. de Eucharistia n. 15. cum quibusdam Thomistis arbitratur hoc Sacramentum essentialiter consistere in aggregato ex speciebus & corpore ac sanguine Christi.

III. Consecratio est duplex.

Notandum tertiò: Consecrationem distingui duplicem: unam quidem interiorem, & exteriorem alteram. Exterior & sensibilis est usus & prolatio verborum sacramentalium facta per Sacerdotem ex debita intentione supra materiam idoneam; interior verò & insensibilis est miranda illa conversio substantiarum panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Porrò certum est, hanc internam consecrationem non habere rationem formalem Sacramenti, seu signi Sacramentalis; nam omne Sacramentum sensibile est; interna autem consecratio non est sensibilis; ac subinde solùm superest difficultas de consecratione exteriori, utrum videlicet concurrat ad rationem formalem hujus Sacramenti constituendam per modum formæ informantis, & constituentis ipsum Sacramentum, aut per modum causæ intrinsecæ illud efficientis.

Conclusio Prima.

COnsecratio exterior non est pars intrinsecè constituens formaliter Sacramentum Eucharistiæ. Hæc est Doctoris locô suprà laudatô *num. 6.* ubi *ait*: « Illud Sacramentum non habet aliqua verba « pro forma, quia tunc non esset Sacramentum per- « manens, cùm verba non possint esse, nisi in suc- « cessione: tamen ipsa consecratio Sacramenti con- « sistit in *fieri*: & ideo requirit aliquam formam « verborum. Sed illa, non est forma Sacramenti, « sed consecrationis Sacramenti: & pro tanto illa « possunt dici verba Sacramentalia, quia ad Sacra- « mentum pertinentia, tanquam forma consecra- « tionis ejus, quæ consecratio est inceptio Sacra- « mentalis: sed non dicuntur sic Sacramentalia, si- « cut verba Baptismi, illa enim sunt Sacramentalia, « quia forma Sacramenti.

IV. Consecratio non est pars essentialiter constituens Eucharistiam.

Quibus verbis Doctor apertè probat, verba consecrationis non esse Sacramentum Eucharistiæ, nec aliquid ad illud specialiter spectans: quia, *inquit*, Sacramentum Eucharistiæ est permanens, ut patet ex præcedenti conclusione; unde non consistit in usu ut cætera Sacramenta, sed consecratio non est quid permanens; verba enim consecratoria effluunt factâ prolatione, ac proinde non possunt essentialiter spectare ad constitutionem hujus Sacramenti.

Deinde, Sacramentum hoc, est essentialiter animæ cibus, & alimonia spiritualis: sed actio per quam cibus conficitur, non est cibus ipse, sed tantùm via, & tendentia ad cibum: igitur consecratio, quæ est actio, per quam conficitur Eucharistia, non potest esse illius pars essentialis.

Denique, actio causæ efficientis, non est ipsa res, cujus est efficiens causa, vel efficientia, eoque confectio Sacramenti, seu causa Sacramentum operans & efficiens est ipsum Sacramentum: sed consecratio est confectio, vel actio effectiva Eucharistiæ Sacramenti: consecratio enim est Christi sermo operatorius, quo fit & conficitur hoc Sacramentum, ut præclarè docet Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 2. & refertur dist. 2. de consecratione, cap. *panis est*, ubi *ait*. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo Christi sermo hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia: jussit Dominus, & factum est cœlum: jussit Dominus, & facta est terra: jussit Dominus, & facta sunt maria: jussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo, quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur. Et sic, quod erat panis ante consecrationem, jam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam motat, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis consecratione verbi cœlestis.

V. Quia est illius causa efficiens.

Confirmatur: Quia in Eucharistia id propriè habet rationem Sacramenti, quod practicè significat gratiam cibantem, & immediatè fit ipsius applicatione ad subjectum debitè dispositum in eo gratiam illam producit: Sacramentum enim novæ legis est signum efficax gratiæ sanctificantis in eo cui applicatur, sed consecratio non applicatur immediatè ei, qui suscipit Eucharistiam, sed tantùm materiæ consecrandæ, quam transsubstantiat in Christi corpus & sanguinem, nec in suscipiente gratiam nutrientem efficit; hæc enim producitur, quando de facto sumitur Eucharistiæ Sacramentum; quam utique sumptionem præcedit ipsa consecratio, nec cum ea subsistit.

VI. Nec significat spiritalem refectionem.

Nec valet reponere eam subsistere moraliter in speciebus consecratis, tanquam in effectu; sicut consensus matrimonialis, quamvis physicè transierit, tamen remanet in effectu. Hæc, inquam, responsio nulla omnino est; moralis enim existentia non est physica & Sacramentalis, seu signi sensibilis, quæ utique necessaria est ad existentiam propriè dicti Sacramenti, alioqui forma Baptismi collati, & absolutio præterita Sacramentalis, tandiu dici possent existere, quandiu perseverat eorum effectus, scilicet gratia & character; quod utique falsum est; alioqui æquè dici potest Baptismi Sacramentum adhuc formaliter perseverare in nobis, ac perseverat Eucharistiæ Sacramentum in altari facta consecratione: igitur talis existentia moralis formæ consecrationis, non sufficit ut dicatur perseverare sub ratione Sacramenti sensibilis & permanentis.

Dices primò: Si consecratio non possit esse de essentia Sacramenti Eucharistiæ, maximè quia repugnat rem aliquam esse simul causam formalem & efficientem ejusdem compositi: sed ita non est; licèt enim Sacerdos suâ benedictione conficiat aquam lustralem, seu benedictam, ipsa benedictio est simul causa efficiens & formalis; quia simul aquam benedictam efficit & constituit. Similiter licèt anima sit causa efficiens illius partis substantiæ quæ aggeneratur per nutritionem, nihilominus est ejus forma, quia ipsam informat, sicut & totum compositum: igitur à simili, verba consecrationis simul efficienter concurrunt ad constituendum corpus Christi sub speciebus, & sunt causa formalis illius compositi, quod ex speciebus, & ejsdem verbis resultat.

Nego minorem: Repugnat enim, aliquid esse simul causam formalem & efficientem ejusdem compositi, quia tunc idem esset causa suiipsius; in tantùm enim aliqua dicitur causa efficiens alicujus compositi substantialis, in quantùm formam producit in materia; unde si eadem esse posset causa formalis & efficiens respectu ejusdem compositi, idem esset causa efficiens suiipsius.

VII. Non potest aliquid simul esse causa efficiens & formalis.

Neque exempla adducta contrarium evincunt: Non quidem primum, quia benedictio passiva in aqua, est aliquid morale, non verò quid physicum; & benedictionem illam passivam concipimus in aqua, ut distinctam à benedictione activa Sacerdotis. Similiter pars, quæ de novo aggeneratur per nutritionem, non habet pro forma solam animam rationalem, sed novam formam mixti, quam in viventibus præter animam admittimus: cùm autem anima rationalis sit indivisibilis, hâc novâ parte corporis productâ, ad eam informandam anima se se indivisibiliter protendit.

Dices secundò: Sacramenta novæ legis efficiunt quod significant: sed sola consecratio in Eucharistia efficit præsentiam corporis Christi: igitur illa præcisè habet rationem Sacramenti.

Respondeo primò, minorem esse veram de Sacramentis, quæ consistunt in usu, ut jam diximus; non verò de Eucharistia, quæ consistit in esse permanenti: *Secundò* dico, verba consecrationis concurrere quidem ad constitutionem Sacramenti in fieri, non verò in facto esse. Unde, inquit Doctor, num. 5. usus verborum sacramentalium est quædam via ad Sacramentum; quia in termino prolationis verborum incipit esset Sacramentum.

Dices tertiò: Ex Concilio Florent. Sacramenta novæ legis *perficiuntur rebus ut materiâ, & verbis ut formâ:* Unde postmodum loquens de Sacramento Eucharistiæ, dicit, illius materiam esse panem & vinum; formam autem verba, quibus conficitur Sacramentum: igitur reverà verba consecrationis sunt de essentia sacramenti. *Confirmatur*; ideo enim in aliis Sacramentis verba sunt forma intrinseca, & pars essentialis, quia determinant materiam ad significandam gratiam: ergo sicut in aliis Sacramentis verba sunt forma intrinseca, & pars essentialis: ita & in Eucharistia. Major constat. Minor verò probatur: Species enim consecratæ non significant corpus Christi præsens, nec gratiam sanctificantem, nisi ratione consecrationis, quæ fit per verba determinata: igitur species illæ non habent vim significandi, nisi quatenus determinantur per verba ad significandam gratiam.

Nego antecedens: Et ad probationem desumptam ex authoritate Concilii Florentini, dico illius sententiam debere per distributionem accommodam applicari diversimodè diversis Sacramentis; itaut de illis, quæ consistunt in usu,

dici possit ipsa constare ex tebus & verbis intrinsecè; de Enchatistia verò quæ non consistit in usu, duntaxat extrinsecè, quatenus videlicet verba consecratoria concurrunt ad illiua confectionem, suntque forma consecrationis.

VIII. Quomodo Eucharistia constet aut perficiatur verbis.

Quæ utique explicatio quadrat intentioni Concilii. Cùm enim jam dixisset, omnia novæ legis Sacramenta tribus perfici, materiâ, formâ, & Ministrô; posteà loquens de Sacramento Eucharistiæ, dicit materiam ejus esse panem, & vinum; formam autem verba, quibus conficitur Sacramentum: sed panis & vinum sunt materia, non Sacramenti Eucharistiæ, ut satis ex se constat, sed consecrationis: ejus ergo verba quoque erunt forma Sacramenti, quatenus sunt forma consecrationis. Ex qua doctrina facilè conciliari possent prædictæ sententiæ, ut inquit Hiquæus locô citatô, dicendo Eucharistiam dupliciter considerari posse, vel duplicem babere rationem; aliam in fieri, & sic constitui intrinsecè per formam verborum; aliam in facto esse, & ut est Sacramentum permanens, & sic forma ejus sunt species Sacramentales: & ad rationem superiùs allatam, quâ probatum est, Consecrationem non esse signum sacramentale; quia non potest applicari ad causandam gratiam proximè, sicut applicantur species Sacramentales, dici potest, quòd proximè causat gratiam subsistentem, remotè verò gratiam sanctificantem eô modô, quô diximus disp. præced. Baptismum, causare gratiam fictione recedente; quod sufficit ad efficaciam ipsius Sacramenti salvandam in eo casu, etiam in ordine ad effectum gratiæ, ut ibi dictum est.

Dices 4. Quod est signum rei sacræ nutrientis animá, est Eucharistiæ Sacramentum; Eucharistia quippe Sacramentum est Evangelicæ legis ad spiritalem animæ nutritionem institutum: at consecratio sensibilis, est signum rei sacræ nutrientis animam, putà corporis & sanguinis Domini: ergo, &c.

Distinguo majorem: Rei sacræ formaliter, idest, quæ sacra sit ut forma, nempe gratiæ formaliter animam sanctificantis, concedo: Rei sacræ causaliter & effectivè, ut Christi corpus & sanguis est res sacra, quia formam sanctitatis in anima suscipientis efficit, & gratiam alimentitiam in anima suscipientis operatur, nego: quia consecratio non applicatur immediatè homini suscipienti, sed materiæ transubstantiandæ, idest, substantiæ panis & vini mutandæ in corpus & sanguinem Christi.

Conclusio Secunda.

IX. Corpus & sanguis Christi D. non sunt partes essentiales Sacramenti.

Sacramentum Eucharistia non est formaliter quid compositum ex speciebus consecratis, & ex corpore & sanguine Christi D. Ac subinde corpus & sanguis Christi non sunt partes intrinseca & essentiales hujus Sacramenti formaliter accepti. Probatur. In eo non est statuenda ratio formalis Eucharistiæ, quod ex se non habet rationem signi sensibilis: sed Christi D. corpus & sanguis non habent rationem signi sensibilis: igitur nec possunt concurrere ad constituendam rationem formalem Sacramenti. Major constat; ratio enim signi sensibilis, est quid essentialiter pertinens ad Sacramentum novæ legis, nec minùs Eucharistiæ, quàm aliis Sacramentis convenire debet, ut docet Tridentinum sess. 3. cap. 8. *Commune*, inquit, *hoc quidem est sacratissima Eucharistia cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacra, & invisibilis gratia formam visibilem: verùm illud in ea excellens & singulariter reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est.* Minor etiam constat, siquidem corpus & sanguis Christi non sunt signa sensibilia, & visibilia, ac subinde non habent rationem partialem Sacramenti formaliter accepti: igitur sacramentum Eucharistiæ non est quid formaliter constitutum ex corpore & sanguine Christi.

Repones fortè, Corpus & sanguinem Christi esse sensibilia per aliud, scilicet per species consecratas; quæ utique sensibilitas videtur sufficiens ad rationem formalem Sacramenti: nam Contritio, quæ est pars sacramenti Pœnitentiæ, est tantùm sensibilis per aliud, nempe per Confessionem, aut signa externa doloris.

X. Quia non sunt per se sensibilia.

Verùm si tantùm Christi corpus & sanguis sint sensibilia per accidens, consequens erit, quòd etiam duntaxat per accidens, & extrinsecè, non autem intrinsecè, spectabunt ad rationem Sacramenti, sicque non concurrent partialiter ad illam intrinsecè constituendam. Nec quidquam urget exemplum allatum de Contritione: Tum quia, ut diximus, actus pœnitentis non pertinent ad rationem formalem sacramenti Pœnitentiæ, sed sunt tantùm illius partes integrantes, aut materia circa quam tendit Absolutio Sacerdotis: Tum, quia sensibilitas signi Sacramentalis talis esse debet, ut proveniat ex aliquo signo ex natura rei significante.

Unde etiam gratis concessô quòd Contritio esset pars sacramenti Pœnitentiæ, nulla esset paritas inter eam, & corpus & sanguinem Christi; quia actus anteriores voluntatis possunt esse sensibiles, ratione alicujus signi exterioris ex natura rei illum significantis; dolor enim internus per signa externa significari solet ex natura rei: secus autem est de speciebus Eucharisticis; quia nihil habent post consecrationem, quod inducere possit sensibiliter in cognitionem præsentiæ corporis & sanguinis Christi sub illis; quippe quantùm ad sensibilitatem, eôdem modô prorsus se habent post consecrationem ac ante; unde illorum sensibilitas non potest inducere in notitiam corporis & sanguinis Christi ex natura rei, sed solùm ex fide, & institutione Christi: igitur illa corporis & sanguinis Christi sensibilitas per accidens non sufficit ad formalem rationem Sacramenti.

XI. Nec significant, sed significantur.

Confirmatur: Corpus & sanguis Christi sunt significatum in Eucharistia; igitur non habent rationem significantis, nec subinde Sacramenti. Consequentia patet: quia implicat idem simul esse signum & signatum: signatum enim, est duntaxat terminus relationis signi. *Adde quod* in aliis Sacramentis signum non constituitur essentialiter à signato, tanquam à tota sua essentia, vel ejus parte: Baptismus enim non constituitur per gratiam, quam significat, tanquam per partem sui, vel totam suam essentiam; & consequenter res significata non potest habere rationem formalem signi. Antecedens patet ex Concilio Tridentino suprà laudato; expressè enim distinguit symbolum & formam visibilem à corpore & sanguine Christi, quæ significat, Christus enim in Eucharistia non potest esse symbolum, aut forma visibilis suiipsius; ac subinde nec habere potest rationem partialem Sacramenti.

Repones: Illud omne, quod à Christo institutum est ad significandam practicè gratiam, debet

intrinsecè pertinere ad rationem Sacramenti: sed Christi corpus significat practicè gratiam; ac subinde licèt sit res significata per Sacramentum, nihilominus potest esse ejus pars intrinseca: quamvis enim implicet, ut idem respectu ejusdem sit simul signum & signatum; attamen respectu diversorum utrumque potest sortiri; Unde corpus Christi respectu specierum habet rationem signati; quia species sunt signum corporis Christi; non speculativum duntaxat, hoc est repræsentans corpus Christi; sed practicum, idest, efficaciter, & practicè significans sub illis speciebus realiter corpus Christi contineri; respectu verò gratiæ sanctificantis nobis conferendæ in Sacramenti sumptione, ipsum quoque corpus Christi habet rationem signi practici, & efficacis, ideoque hac ratione spectat intrinsecè cum speciebus ad rationem Sacramenti.

Verùm hæc solutio vim argumenti non tollit, quia Sacramentum est id, quod à Christo institutum pro signo practico gratiæ, quæ est primarium significatum Sacramenti Eucharistiæ; nam primaria consideratio hujus Sacramenti est esse permanens; ac proinde Tridentinum hanc differentiam ejus statuit ab aliis cap. 3. cit. Unde in hac solutione fit transitus à gratia subsistente, cujus hoc Sacramentum est signum, ad gratiam accidentalem.

XII. Quò sensu sunt intelligendi SS. Patres contrarium insinuantes.

Dices primò: Plurimi è SS. Patribus apertè asserunt, Sacramentum Eucharistiæ constare ex corpore & sanguine Christi; ita enim S. Ignatius epistolâ ad Smyrnenses, ubi loquens de quibusdam hæreticis, ait: *Eucharistias & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit, &c.* Similiter Justinus in Apologia ad Antoninum Imperatorem: *Alimentum hoc appellatur Eucharistia, neque ut communem panem ista sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei caro factus est Christus Iesus Salvator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit: ad eundem modum etiam eam alimoniam..... Incarnati illius Iesu carnem, & sanguinem esse hujus edocti, &c.* Et S. Irenæus lib. 4. cap. 34. ait: *Eucharistiam duabus rebus constare, nimirum terrenâ & cælesti.* Et S. Augustinus, vel potius S. Prosper in libro sententiarum, ut refertur de consecratione dist. 2. cap. *Hoc est*, apertè docet Sacrificium Ecclesiæ duobus constare, scilicet visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine: "Modis omnibus, *inquit*, approbare contendimus, sacrificium scilicet Ecclesiæ, duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine, Sacramentô, & re Sacramenti, idest, corpore Christi, sicut Christi persona constat, & conficitur Deô, & homine: cùm ipse Christus verus sit Deus, & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam, & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ Sacramentô & re Sacramenti, idest, corpore Christi. Est igitur Sacramentum, & res Sacramenti, idest, corpus Christi. *Item:* Caro ejus est, quam formâ panis opertam in Sacramento accipimus, & sanguis ejus, quem sub vini specie, & sapore potamus. Caro videlicet carnis, & sanguis Sacramentum est sanguinis: carne & sanguine, utroque invisibili, intelligibili, spirituali significatur visibile Domini nostri Jesu Christi corpus, palpabile, plenum gratiâ omnium virtutum, & divinâ majestate. *Item:* Sicut ergo cœlestis panis, qui verè Christi caro est, suô modô vocatur corpus Christi, cùm reverà sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale, in cruce est suspensum, vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysteriô, sic Sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est."

Idem habet *Lanfrancus*, & *Algerus*, lib. 1. de Sacram. cap. 4. Sacramentum, *inquit*, non solummodò pro alterutro, idest, pro signo, vel pro signato, sed etiam pro utroque invenitur: Igitur reverà Christi D. corpus & sanguis habent rationem Sacramenti, saltem partialiter.

Nego consequentiam: Dum enim SS. Patres, & Ecclesiæ Doctores, dicunt Sacramentum Eucharistiæ duobus constare, scilicet ex visibili elementorum specie, & ex invisibili corpore, & sanguine Christi; hôc modô loquendi nihil aliud docere prætendunt, quàm quòd Christi D. corpus & sanguis simul sint cum speciebus consecratis; nihil interim curantes, an utrumque sit de ratione formali Sacramenti, nec-ne, de quibus ipsis non erat cum hæreticis controversia. Quantùm verò ad Capitulum. *Hoc est*, nil ex eo contra nostram assertionem evincitur: Tum, quia ibi agitur de Sacrificio, non verò de Sacramento Eucharistiæ: Tum, quia sufficienter ibi Christi D. corpus distinguit à ratione Sacramenti, cùm ait: Sacramentum Eucharistiæ esse species consecratas, corpus verò Christi esse rem Sacramenti; quæ utique veritas evidentiùs patebit ex sequenti Conclusione.

Conclusio Tertia.

XIII. Species habent formalem rationem Sacramenti.

SACRAMENTUM *Eucharistiæ formaliter & essentialiter consistit in solis speciebus consecratis, quatenus connotant corpus & sanguinem Christi sub ipsis contineri.* Ita Subtilis Doctor num. 7. *Si autem omnino quæras*, inquit, *quæ sit forma hujus Sacramenti; Dico, quòd ipsæ species visibiles sunt materia, idest, proximum fundamentum relationis significationis, & ipsa significatio est ibi formale, sicut in aliis Sacramentis.* Probatur primò authoritate Ecclesiæ, quæ in officio diei in honorem hujus Sacramenti, in sequentia Missæ canit: *Fractô demum Sacramentô, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum totô tegitur.* Fractio autem est duntaxat specierum, non autem rei sub speciebus contentæ, ut colligitur ex sequentibus verbis: *Signi tantùm fit fractura, quâ nec status, nec statura signati minuitur.*

Ut colligitur 1. ex Innocentio III.

Idem docet Innocentius III. ut refertur cap. *Cum Martha de* celebratione Missarum, ubi ait: *Distinguendum est subtiliter inter tria, quæ sunt in Sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualem. Forma est panis & vini, veritas carnis & sanguinis, virtus unitatis & charitatis. Primum est Sacramentum & non res. Secundum est Sacramentum & res. Tertium est res & non Sacramentum: Sed primum est Sacramentum geminæ rei: Secundum est Sacramentum unius, & alterius res existit. Tertium est res gemini Sacramenti. Credimus igitur, quod formam verborum, sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperunt Successores.*

Idem docent Magister sentent. dist. 8. & Hugo

XIV. 2. Ex Hugone Victorino.

Victorinus lib. 2. de Sacramentis *part.* 8. *cap.* 7. Cùm unum sit Sacramentum, *inquit*, tria ibi discreta proponuntur, species visibilis, quæ visibiliter cernitur; veritas corporis & sanguinis, quæ sub visibili specie invisibiliter creditur, virtus gratiæ spiritualis, quæ cum corpore & sanguine invisibiliter & spiritualiter percipitur. Quod enim videmus, species est panis & vini: quod autem sub specie illa credimus: verum corpus Christi est, & verus sanguis Jesu Christi, quod pependit in cruce: & qui fluxit de latere. Nec per panem & vinum corpus & sanguinem tantùm significari credimus: sed sub specie panis & vini verum corpus, & verum sanguinem consecrari; & speciem quidem visibilem Sacramentum esse veri corporis, & veri sanguinis: corpus autem & sanguinem Sacramentum esse gratiæ spiritualis. Et quemadmodum species illic cernitur, cujus res, vel substantia ibi esse non creditur: sic res ibi veraciter & substantialiter præsens creditur, cujus species non cernitur. Videtur enim species panis & vini, & substantia panis & vini non creditur: creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur. Quod ergo videtur secundùm speciem, Sacramentum est, & imago illius, quod creditur secundùm corporis veritatem: & quod creditur secundùm corporis veritatem, Sacramentum est illius, quod percipitur secundùm gratiam spiritualem. Sacramentum ergo Altaris, & Eucharistia divina, in vero corpore & sanguine Christi, Domini nostri Jesu Christi imago est, secundùm speciem panis & vini, in qua cernitur: & res est secundùm substantiæ veritatem, in qua creditur illic atque percipitur: Et rursum quod nunc visibiliter secundùm Sacramenti speciem, & corporaliter secundùm carnis & sanguinis Christi veritatem Christum in altari sumimus, Sacramentum est, & imago quòd ipsum eundem invisibiliter & spiritualiter secundùm gratiæ infusionem, & Spiritûs S. participationem in corde sumere debemus. Ergo divinissima Eucharistia, quæ in altari, & secundùm panis & vini speciem, & secundùm corporis & sanguinis Christi veritatem visibiliter & corporaliter tractatur, Sacramentum est & signum: & imago invisibilis & spiritualis participationis Jesu, quæ intus in corde per fidem & dilectionem perficitur. *Ita Hugo Victorinus*, quibus apertè significat, species consecratas habere rationem Sacramenti, seu signi Sacramentalis, corpus autem & sanguinem Christi D. esse rem significatam in hoc Sacramento.

XV. 3. Ex professione fidei Berengarii.

Eadem veritas confirmatur ex confessione fidei Berengarii, quæ habetur de consecratione dist. 2. cap. *Ego Berengarius*, ubi coram 113. Episcopis in Synodo Romana collectis profitetur. Consentio S. Romanæ & Apostolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ mensæ, eandem fidem me tenere, quam Dominus, & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc S. Synodus authoritate Evangelicâ, & Apostolicâ tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solùm Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, jurans per sanctam, & homousion Trinitatem, & per hæc sacro-sancta Christi Evangelia: Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis æternô anathemate dignos esse pronuntio. Quòd si ego ipse aliquando contra hæc aliquid sentire, aut prædicare præsumpsero, subjaceam Canonum severitati, lectô & perlectô sponte subscripsi.

Dices primò: Ex Concilio Florentino, materia hujus Sacramenti est panis & vinum; sed panis & vinum non sunt materia specierum consecratarum; illæ namque non fiunt ex pane & vino, neque panis & vinum in ipsas convertuntur: igitur species Eucharisticæ, non sunt formaliter Sacramentum Eucharistiæ.

XVI. Quâ ratione panis & vinum sint materia specierum.

Distinguo minorem: Si illæ species spectentur secundùm se, concedo: si secundùm usum & rationem Sacramentalem, & ut in se continent Christi D. corpus, nego: licèt enim panis & vinum non sint materia specierum consecratarum, sunt tamen materia ex qua illæ species habent ut sint Sacramentum, & in se contineant Christi D. corpus, habeantque rationem ad ipsum ut præsens substantialiter.

Dices secundò: Ex eodem Concilio, Sacerdos in persona Christi D. loquens conficit Eucharistiæ Sacramentum per verba consecrationis: sed non conficit species panis & vini: igitur ex mente Concilii, species illæ non sunt Sacramentum Eucharistiæ.

XVII. Quô sensu Sacerdos species conficiat.

Distinguo minorem: non conficit eas simpliciter, & secundùm entitatem, seu prout sunt opus naturæ; non enim Sacerdos efficit colorem rubeum, vel alium, neque rotunditatem, neque quantitatem specierum, concedo: non eas efficit, quatenus sunt consecratæ, & ut sunt Sacramentum, ac opus gratiæ, nego: Sacerdos enim consecrando panem & vinum, & per verba consecrationis efficiendo utriusque transsubstantiationem, facit Sacramentum, & species efficit consecratas.

Dices tertiò: ex Concilio Tridentino, sess. 13. cap. 5. Sacramentum Eucharistiæ secundùm se est adorandum verô cultu latriæ: *Nullus enim*, inquit, *dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant; neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit à Christo D. ut sumatur institutum: nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit;* ET ADORENT EUM OMNES ANGELI DEI, &c. Atqui species consecratæ non debent cultu latriæ adorari; quia, ut sæpè docet septima Synodus: solus Deus hôc latriæ cultu debet adorari.

XVIII. Quomodo species Sacramentales debeant adorari.

Respondeo primò, distinguendo majorem: Sacramentum Eucharistiæ debet adorari cultu latriæ secundùm id quod in eo continetur, concedo; nam illud est Christi D. corpus quod reverà adorandum est cultu latriæ, propter unionem hypostaticam, ut diximus in tractatu de Incarnatione, agendo de Adoratione Christi D. ita debet adorari secundùm signum continens, per se, nudè, & simpliciter sumptum, nego: Dum enim Concilium Tridentinum decernit, Sacramentum Eucharistiæ adorandum esse cultu latriæ, dici potest, quòd ibi accipiat continens pro contento, scilicet Sacramentum pro Christo, qui in eo continetur; unde cùm doctrina illa reducitur ad definitionem fidei, sic proponitur in Canone 6. *Siquis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento, Christum unigenitum Dei filium non esse cultu la-*

tria etiam externò adorandum, anathema sit. Ubi Christus dicitur adorandus in Sacramento.

Respondeo secundò, negando minorem: Species enim consecratæ dici possunt adorari *vel* simul cum ipso Christo D. & prout conjunctæ sunt ejus corpori & sanguini, quem continent; *vel* prout à Christo D. & ejus corpore & sanguine distinctæ sunt, & habent secundùm se propriam dignitatem oriundam ex eo, quòd Christi D. corpus & sanguinem contineant. *Priori modò*, adorantur eôdem cultu, quô Christus D. ita tamen ut res primò adorata sit Christus ipse: concomitanter autem, & quasi implicitè adorantur illæ species. Et certè si accidentia naturalia corporis Christi cultu latriæ sunt adoranda, quia ita unum cum corpore Christi faciunt, ut ea qui tangit & videt, corpus Christi tangere & videre censeatur: quidni idem de speciebus Eucharisticis dici licebit, quas qui tangit & videt, corpus Christi tangere & videre juxta Patrum loquendi modum censetur? Nudas ergo species in illo cultu non apprehendimus, sed in Christum verum adorationis motivum mentem attollimus: Adorantur species illæ, non quòd rationem formalem, ob quam adorentur in se habeant; sed quia Christo eam rationem habenti conjunguntur. Hâc ratione adoratur humanitas Salvatoris, quia cultum terminat, cujus motivum est solus Deus.

Si verò species considerentur posteriori modô & tantùm secundùm se, & ut distinctæ à Christo D. censent aliqui Theologi, adorationem illam non esse perfectam adorationem latriæ, sed hyperduliæ, quia licèt dignitas, quam mutuantur illæ species ex sui conjunctione ad Christum, sit major omni excellentiâ creatâ, minor tamen est dignitate humanitatis Christi, consideratæ quatenus hypostaticè unitur Verbo divino; ac subinde minori adoratione est adoranda.

Sunt tamen aliqui Theologi, qui affirmant, ipsismet speciebus secundùm se consideratis adorationem latriæ respectivæ esse impendendam. Ita censet Caspensis: Notanda enim sunt, *inquit*, illa verba Concilii Tridentini, *(Huic Sacramento sanctissimo)* quæ de speciebus ipsis consecratis sunt intelligenda; unde non solùm Christus in hoc Sacramento existens adoratur latriâ, sed etiam species ipsum continentes; sicut adoratur crux & imago Christi, & potiori jure, quia imago repræsentat nobis Christum solùm objectivè præsentem; species verò consecratæ repræsentant corpus Christi etiam realiter præsens. Porrò, inquit Hiquæus, ad adorationem latriæ respectivæ sufficit repræsentatio & tactus, ut patet in cruce & imaginibus: ac in venerabili Sacramento species realiter continent Christum, & ipsum realiter præsentem demonstrant.

Non verò Tabernaculum aut Ciborium.

Instabis: Si species Eucharisticæ possent adorari, ex eo quòd Christum in se contineant, sequeretur pariter posse adorari Ciborium & Tabernaculum; quippe cùm pari ratione Christum D. præsentem contineant: sed falsum consequens: ergo & antecedens.

Nego sequelam majoris: Non enim est paritas inter Tabernaculum, aut Ciborium, & species Sacramentales; quia inter Ciborium & Sacramentum non datur illa Sacramentalis & inseparabilis unio ex pacto divino, qualis reperitur inter species consecratas, & corpus Christi D. sub illis realiter contentum.

Dices quartò: Eucharistia est verus cibus animæ; sed species consecratæ non sunt animæ cibus: *Tum, quia* nullibi in Scriptura hôc nomine appellantur, quod solùm tribuitur corpori Christi dicentis Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Tum, quia* gratia quæ animam spiritualiter cibat ac reficit, non producitur à speciebus consecratis, sed ab humanitate Christi: igitur illæ species non habent rationem formalem Sacramenti.

XIX. Qualiter species Eucharisticæ sint animæ cibus.

Distinguo minorem: Species Eucharisticæ non sunt animæ cibus spiritualis & immediatus, concedo: sensibilis, & mediatus saltem, nego. Sciendum est enim, quòd in Eucharistia distingui potest triplex animæ cibus, unus quidem sensibilis, putà accidentia panis & vini, quæ sensibiliter manducantur, & bibuntur: & alii duo insensibiles, quorum unus est corpus & sanguis Christi, quæ sub illis sensibilibus sumuntur; alter verò est gratia, quâ anima cibatur, & nutritur spiritualiter, quæ producitur, & suscipitur in receptione Sacramenti: species autem Sacramentales sunt cibus sensibilis, & continent utrumque alium cibum insensibilem & invisibilem; corpus quidem Christi actualiter & realiter, gratiam autem virtualiter & causaliter: Dum igitur dicimus, quòd Sacramentalis animæ cibus sunt species, hoc intelligendum venit de cibo sensibili, & duos insensibiles cibos continente, ac conferente.

Traditur sacramenti Eucharistiæ definitio.

Ex his itaque sequitur, Sacramentum Eucharistiæ definiri posse: *Sacramentum novæ legis significans effectum gratuitum, nempe corpus & sanguinem Christi, realiter contineri sub speciebus consecratis, ordinatum ex institutione divina ad producendam gratiam sanctificantem, quatenus est animæ cibus:* Vel, ut definit Doctor dist. 8. q. 1. n. 2. *Eucharistia est Sacramentum corporis Christi, & sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis & vini, post consecrationem factam à Sacerdote sub certis verbis cùm debita intentione prolatis, ex institutione divina, veraciter signans corpus Christi, & sanguinem sub eis realiter contineri.*

Circa quam postremam definitionem duo observat Doctor: *Primum*, quòd illa sit vera, quia nimirum nulla pars ipsius repugnat alteri: at ex Aristotele 5. Metaphysicorum, illa ratio, seu definitio non est falsa, cujus nulla pars alteri repugnat: igitur, &c. Probat majorem, nempe quòd nihil in ea definitione repugnet: possibile est enim sine contradictione, corpus Christi contineri sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ut probabitur inferiùs; possibile est etiam ista signa instituta esse à Deo, ad significandum veraciter illa signata sub eis contineri; quia quod Deus potest facere, potest per aliquod sensibile signum à seipso impositum significare. *Secundum*, quòd reverà effectum significatum contineat, scilicet corpus Christi; quod utique probat authoritate Scripturæ sacræ, maximè ex illo Matthæi 26. ubi Christus post Cœnam istud Sacramentum instituit, ut sub istis speciebus verum corpus ejus, & verus sanguis veraciter contineretur: & non tantùm tunc, quando ipsemet confecit, sed quòd postea hoc Sacramentum à Sacerdotibus in Ecclesia conficeretur, ad quod dedit authoritatem, subdens ibi, & dicens Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ita Subtilis Doctor.

Quæstio Tertia.

Vtrum Sacramentum Eucharistia sit unum specie infimâ.

I. Sacramentum Eucharistiæ est unum ratione signati, & finis.

NOtandum primò, citra controversiam esse, quòd Sacrameotum Eucharistiæ sit aliquô modô unum; quippe sub omnibus speciebus consecratis idem Christus D. qui onus est, continetur. Et insuper ordinatur ad compaginandam fidelium unitatem; quippe per hujus divini Sacramenti participationem omnes Christi fideles in unum corpus mysticum adunantur, juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 10. *Vnus panis, unum corpus, multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus*; unde S. Augostinus tract. 26. in Joan. præclarè observat, Christum D. *corpus & sanguinem suum in eis rebus commendasse, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis; namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit.* Verùm difficultas est, & controversia non levis inter Theologos de modo hujus unitatis; cùm enim duo sint genera specierum consecratarum; una panis, altera vini, & duæ consecrationis formulæ, una corporis, altera sanguinis Christi Domini, ambigitur an Eucharistia ratione diversarum specierum consecratarum dicenda sit unum, vel plura Sacramenta, idque vel specie, vel numerô.

II. Vnitas specifica est duplex.

Notandum secundò, unitatem specificam esse duplicem: unam quidem intermediam & mediatam, quæ respectu scilicet superioris sit species, respectu autem inferiorum sit genus; sic in linea prædicamentali, omnia genera sub ente supremo dici possunt species per comparationem ad superiores gradus, qui de eis enuntiantur: alia verò est species infima, seu atoma, quæ videlicet de diversis specie subjectis non potest enuntiari, sed duntaxat de distinctis numerô; sic homo dicitur species atoma, quia de solis numerô diversis enuntiatur. Porrò cùm Sacramenta non habeant aliquam unitatem physicam aut metaphysicam, quia constant rebus & verbis naturâ diversis, sed duntaxat moralem, qualis reperitur in rebus artificialibus, & dependentibus ex instituentis arbitrio; quæ eâ ratione non habent unitatem; nisi quatenus integræ sunt, & partibus sibi convenientibus absolutæ, ut exercitus, domus, &c. Idcirco hîc non movetur difficultas de unitate physica, aut metaphysica Sacramentorum, sed tantùm de ipsorum unitate morali, quæ aliquam habet analogiam cum rebus unitate metaphysicâ constantibus.

III. Status quæstionis

Notandum tertiò: Sacramentum Eucharistiæ considerari posse, vel materialiter, seu penes materiam, ac substantiam panis & vini, nec-non utriusque species post consecrationem perseverantes; vel formaliter, hoc est penes rationem formalem signi, seu quatenus ordinatur ad significandum Christi D. corpus & sanguinem, vel nutritionem spiritualem animæ, aut spiritualem, aut mysticam fidelium invicem unionem. Quæritur ergo quâ ratione Eucharistia censeri possit unum, aut multiplex Sacramentum; circa cujus resolutionem duplex capitalis quantùm ad unitatem specificam fuit veterum Theologorum sententia: *Prima* quidem Majoris, & Gabrielis in 4. dist. 8. q. 2. asserentium Eucharistiam esse simpliciter plura Sacramenta, specie infimâ; unum verò specie subalternâ, seu genere proximô; *Altera* verò opposita sententia est *Alensis* p. 4. q. 10. memb. 5. art. 1. *S. Bonaventura* dist. 8. part. 2. art. 2. q. 2. & *S. Thoma* part. 3. q. 73. art. 2. quibus subscribit Subtilis Doctor dist. 8. q. 1. Tria itaque hîc sunt statuenda: *Primum*, utrum Eucharistia sit unum, vel multiplex Sacramentum, tam materialiter, quàm formaliter, idque specie non solùm subalternâ, sed infimâ: *Secundum*, ex quo maximè petenda sit ejusmodi specifica unitas: *Tertium*, utrum plures species consecratæ sint unicum duntaxat Sacramentum, an verò multiplex numerô.

Conclusio Prima.

IV. Eucharistia ratione diversarum specierum dici potest multiplex Sacramentum materialiter.

E*Vcharistia materialiter sumpta dici potest multiplex Sacramentum; formaliter verò, & propriè, ac simpliciter loquendo, dici debet unum unitate specificâ infimâ.* Hæc est communior & verior quoad utramque partem, quarum *prima* constat ex modo loquendi, tum SS. Patrum, tum Ecclesiæ, & Conciliorum, non rarò appellantium Eucharistiam *Sacramenta*: sic de consecratione *dist.* 2. sæpiùs Eucharistia dicitur in plurali numero *Sacramenta*; nam ex Alexandro primo epist. 1. cap. 4. refertur; *in Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est.* Et cap. *Comperimus* ex Gelasio Papa epist. ad Majoricum & Joannem Episcopos, legimus: *Comperimus autem, quòd quidam sumptâ tantummodò corporis portione à calice sacri corporis abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Et cap. *Tribus gradibus*, ex Clemente Papa epist. 2. *Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta divinorum secretorum, idest, Presbytero, Diacono, & Ministro: qui cum timore & tremore Clericorum reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent.*

Similiter ex Concilio Carthaginensi Can. 24. *In Sacramentis corporis & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm Dominus ipse tradidit, idest, panis, & vinum aqua mixtum.* Et Can. 29. *Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur.*

Ratio conclusionis est, quia Sacramenta materialiter plura sunt, ubi duplex est materia significans primariò res diversas: at in Eucharistia duplex est materia significans primariò res diversas, putà panis & vinum; nam panis primariò significat Christi carnem, & secundariò tantùm sanguinem: vinum significat primariò sanguinem, & secundariò tantùm carnem.

V. Formaliter verò est unicum.

Probatur secunda pars, nempe quòd Eucharistia formaliter sumpta, sit una unitate specificâ, eâque infimâ. *Primò* quidem authoritate Catechismi Tridentini de Eucharistia num. 10. ubi *ait:*
" Licèt duo sint elementa, panis scilicet & vinum,
" ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum
" conficitur: non tamen plura Sacramenta, sed
" unum tantùm esse, Ecclesiæ authoritate docti
" confitemur: aliter enim septenarius Sacramento-
" rum numerus, quemadmodum semper traditum,
" atque à Conciliis, Lateranensi, Florentino, &
" Tridentino, decretum est, constare non poterit.
" Nam cùm hujus Sacramenti gratiâ unum corpus
" mysticum efficiatur, ut Sacramentum ipsum rei,
quam

quam efficit, conveniat, unum esse oportet: atque unum quidem, non quia individuum sit, sed quia unius rei significationem habet. Nam quemadmodum cibus, & potio, quæ diversæ res sunt, ad unam tantùm rem adhibentur, ut scilicet vires corporis reficiantur: ita etiam duas illis diversas Sacramenti species respondere consentaneum fuit, quæ cibum spiritualem significarent, quô mentes sustinentur, & recreantur. Quare a Domino Salvatore dictum est: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ex Conciliis citatis, Lateranense generale sub Innocentio secundo, non numerat quidem distinctè septem Sacramenta, sed ex variis canonibus satis clarè colliguntur, maximè ex Florentino in Decr. de Sacramentis, Tridentino sess. 7. can. 1.

Confirmatur hæc veritas ex modo loquendi Ecclesiæ, quæ Eucharistiam nomine singulari Sacramentum appellare solet; maximè in Officio festi corporis Christi, ubi dicitur: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.* Et frequentiùs Patres ac Concilia loquuntur de Eucharistia tanquam de unico Sacramento. Constat maximè ex Lateranensi cap. *Firmiter*, ex Florent. in instructione Armenorum, & ex Tridentino, sess. 7. ubi asseritur esse duntaxat septem novæ legis Sacramenta, & non plura, numerantque Eucharistiam tanquam unicum ex illis Sacramentis: igitur ex sententia eorum Conciliorum constat, Eucharistiam esse unicum Sacramentum specie infimâ; si enim esset specie multiplex, seu unum duntaxat specie intermediâ, non posset dici unum Sacramentum; quemadmodum leo & homo, licèt conveniant in ratione animalis, tanquam generis proximi, vel speciei subalternæ, non possunt dici simpliciter unum animal, sed dici debent plura animalia.

Hanc autem veritatem sic explicat Doctor q. 1. num. 4. *De unitate hujus Sacramenti, dico, quod bene possibile esset plura sensibilia concurrere in fundamento unius Sacramenti simpliciter, ut suprà dictum est de ablutione, & verbis in fundamento relationis Baptismi: sed ubi neutrum illorum est aliquid illius Sacramenti, sine altero: Hîc autem, & species panis continet suum signatum sine speciebus vini, & è converso. Ideo dico, quod corpus Christi potest accipi strictè, prout includit partes animatas animâ Christi, cujusmodi non est sanguis, licèt sit in potentia propinqua, ut convertatur in carnem animatam: & sic corpus est aliud essentialiter à sanguine, & in se etiam potest esse aliud signatum, & per consequens, potest esse hujus proprium signum, sicut est, & propria definitio. Aliô modô corpus potest accipi, ut omnia illa includit, quæ pertinent ad totum corpus organicum, sive sint partes animata, sive sint alia non formaliter animata, ut humores, & spiritus. Et hôc modô sanguis est aliquid corporis, primô modô accipiendo corpus, licèt ipsum, & sanguis sint primò diversa signata; tamen constituunt unum totale, quod est corpus secundô modô: & ita signum pro unitate integritatis, non autem indivisibilitatis. Congruit autem, hoc Sacramentum habere talem unitatem integritatis, & non indivisibilitatis, quia est ad completam nutritionem animæ, quæ significatur per completam nutritionem corporis: completa autem nutritio corporis fit ex aliquo uno unitate integritatis, non unitate indivisibilitatis, scilicet ex alimento: non enim nutrit sufficienter cibus sine potu, nec è converso.*

VI.
Idque unitate non indivisibilitatis, sed integritatis essentialis.

Ex quibus inferunt, Hiquæus, Mastrius, Aretinus & plurimi Scotistæ, hoc Sacramentum non esse unum *unitate indivisibilitatis*; siquidem duas habet partes, ex quibus integratur, scilicet speciem panis, & vini; id autem quod est simplex, aut indivisibile non habet partes, ut constat ex angulo, & puncto: sed tantùm esse unum *unitate integritatis*, quia in se includit duo signa particularia, quæ primò significant propria significata, & proxima, scilicet corpus & sanguinem Christi, & duo remota, scilicet cibationem, & potum spiritualem.

Itaque, inquit *Mastrius* disp. 3. qu. 2. num. 38. sicut in rebus physicis plures substantiæ diversæ speciei possunt concurrere ad unam substantiam unius speciei, etiam atomæ, integrandam, ut patet de carne, ossibus, & nervis ad constitutionem corporis humani unius speciei atomæ, concurrentibus; ita pariter in præsenti species panis, & vini concurrunt ad componendum totum integrale Sacramentum per modum partium distinctæ speciei, quia reverà forma & materia corporis est tam distinctæ speciei à forma, & materia sanguinis, quam à materia & forma cujuscunque alterius Sacramenti; & prætereà in ratione signi formaliter sunt instituta ad significanda signata omnino diversa, loquendo de significatis tam proximis, vel primariis, quàm remotis, vel secundariis.

Etenim quando consecratur panis ex vi verborum, continetur & ponitur ibi tantùm corpus Christi primô modô sumptum, & ex concomitantia solùm ponitur ibi sanguis; quia verum Christi corpus sine sanguine non reperitur: similiter dum consecratur vinum, ex vi verborum est sanguis Christi; & corpus per concomitantiam, ut notat Doctor 4. *dist.* 10. *qu.* 4. *ad* 2. Et prætereà sunt instituta ad significandam & communicandam gratiam secundùm diversissimam considerationem; species enim panis significant gratiam, ut remotum & secundarium signatum, quatenus habent proportionem aliquam cum cibo, & species vini significant gratiam, quatenus habent proportionem cum potu, quæ omnia arguunt specificam earum distinctionem, etiam in ratione signi ob specificam diversitatem significati uniuscujusque tam primarii, quàm secundarii. Et quidem, quando dicimus utramque speciem habere se tanquam partem integralem hujus Sacramenti, non in eo sensu intelligendum est, ut illud integrent tantùm secundùm aliquam perfectionem debitam, non tamen essentialem, sicut pes & manus, hominem integrare dicuntur: sed quòd quâlibet earum deficiente, desinat esse hoc Sacramentum quoad suam integritatem essentialem. Unde species panis & vini sunt partes essentiales materiæ hujus Sacramenti; itaut ex utraque specie integretur materia essentialis ejus, & ex partialibus formis, quibus consecratur panis & vinum, integretur una integra forma essentialis. Ex quo sequitur, quòd quando Doctor in hac quæstione docet, quòd caro, & sanguis Christi pertinent ad integritatem hujus Sacramenti, non loquitur de quacunque integritate, sed de integritate essentiali, ut etiam notavit Aretinus *dist.* 8. *quæst.* 1. *art.* 2. *Ita Mastrius.*

VII.
Species enim dici possunt côcurrere partialiter ad constituendum integrum Sacramentum.

Inde tamen inferre non licet, utramque speciem consecratam seorsim ab alia, non habere rationem veri, ac propriè dicti Sacramenti; contrarium enim expressè docuit Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 3. ubi ait, *fatendum esse sub altera tantùm specie totum atque integrum*

Nec obstat, quòd hoc Sacramentum fuerit institutum, ut esset refectio spiritualis animæ; hic namque finis non fuit unicus ejus institutionis; sunt enim & alii fines, propter quos Christus voluit permanenter esse præsens in Eucharistia, nempe ut à nobis adoraretur, ut esset nobiscum usque ad consummationem sæculi, nec-non ut esset Sacerdos, victima, & juge sacrificium.

Conclusio Secunda.

X. Eucharistia est multiplex numerô Sacramentum.

SACRAMENTUM *Eucharistiæ est numerô diversum, non quidem ex pluralitate & numero sumentium, sed ex pluralitate numerica specierum consecratarum.* Hæc conclusio tribus partibus constat, quarum probatur *Prima*.

Primò, quia ubi sunt plures materiæ & formæ, plures etiam adæquatæ significationes, & gratiæ Sacramentales alicujus Sacramenti numerô distinctæ, plura sunt utique numerô Sacramenta; quare plura sunt numerô Baptismata? quia numerô multiplicantur ablutiones, & invocationes Trinitatis, & regenerationes, aut gratiæ regenerantes: at ubi plures in pluribus Ecclesiis, aut Altaribus Sacerdotes Eucharistiam celebrant, sunt plures in Eucharistia materiæ, formæ, & significationes numerô distinctæ: tum ubi sunt multi communicantes, multæ sunt spirituales animæ refectiones, multæ nutrimentales gratiæ. *Secundò*, species consecratæ Parisiis existentes, & Romæ, non sunt eædem numerô; nam alioquin eædem species simul essent in duobus locis adæquatis; & in uno desinerent, in alio permanerent, quod nemo dixerit: at Eucharistiæ Sacramentum supponit pro speciebus consecratis, ut in se corpus Christi continent, & in iis ita sumptis essentialiter Eucharistia consistit, & una species significat gratiam refectionis independenter ab altera. *Tertiò*, si esset unicum duntaxat numerô Sacramentum, maximè propter unitatem corporis & sanguinis Christi sub singulis speciebus existentis: sed hæc ratio nulla est; quippe ex præcedenti quæstione constat, corpus & sanguinem Christi non constituere formaliter hoc Sacramentum, nec habere rationem signi, sed duntaxat significati: igitur cùm Eucharistia sit essentialiter signum sensibile, continens corpus & sanguinem Christi realiter, nihil obstat, quin plura sint numerô Sacramenta, & plures significationes, licèt sit unum & idem numerô significatum.

XI. Non ex pluralitate numerica sumentium.

Probatur secunda pars, nempe quòd hæc unitas non petatur ex parte suscipientium: *Tum, quia* Eucharistiæ sacramentum, antequam inserviat ad unam, aut plures animæ refectiones, supponitur esse reverà Sacramentum in esse suo singulari, aut individuali constitutum; existit enim in rerum natura; igitur illius unitas numerica non petitur ex ordine ad unam animæ refectionem, aut sumptionem: *Tum, quia* quodlibet ens permanens habet principium unitatis numericæ permanens, & independens à quolibet extrinseco: sed Eucharistiæ sacramentum est ens permanens: igitur habet suum esse, suamque unitatem independenter à quolibet suscipiente. *Tum denique, quia* una & eadem numerô hostia potest à pluribus sumi, putà si aliquis hostiam jam ab alio sumptam & ob stomachi debilitatem ejectam speciebus incorruptis sumeret, quo in casu esset idem numerô Sacramentum, quia esset eadem species significans idem Christi corpus, essent tamen distincti sumentes: igitur unitas numerica Sacramenti stare potest cum pluralitate sumentium; ac subinde ab eis non est repetenda Sacramenti unitas, aut pluralitas numerica.

Tertia pars ex dictis facilè colligitur; qualibet enim species consecrata est significativa præsentiæ corporis & sanguinis Christi, estque significatio practica & effectiva gratiæ independenter ab alia; ac subinde ejus numerica distinctio petitur à diversitate speciei consecratæ; sicut enim pluralitas numerica aliorum Sacramentorum desumitur à pluralitate numerica signorum sensibilium, ex quibus constituuntur; ita dicendum est de Eucharistia. Sed specierum.

Dices primò: Eô modô sacramentum Eucharistiæ est unum, quomodo multi fideles sunt unum Christi corpus mysticum; Apostolus enim ait, unitatem panis & calicis, quibus aluntur fideles, esse rationem cur omnes sint unum Christi corpus. 1. Cor. 10. *Unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus*: sed omnes ubique fideles unum numerô Christi corpus mysticum, nempe Ecclesiam unam numerô componunt: igitur, &c.

XII. Fideles invicem præcisè non sunt unum corpus, eo quòd Eucharistiã sumant.

Nego majorem: Omnes enim fideles sunt unum numerô corpus Christi mysticum eò quòd habeant unum numerô caput Christum, cui maximè, cùm accipiunt uniuntur ejus corpus, & sanguinem in Eucharistia contentum; non autem quòd unum numerô sumant Eucharistiæ sacramentum: Hinc Apostolus unum ibi panem & calicem accipit methonimicè pro re una contenta sub specie panis & in calice, non pro speciebus panis aut vini; nam hæ sunt numerô plures & distinctæ.

Dices secundò: Ex Canone *in Christo semel* de consecratione, dist. 2. ex S. Ambros. in cap. 10. epist. ad Hebr. *Sicut quod ubique offertur unum est corpus, & non multa corpora; ita & unum sacrificium*; id est, unum numerô, sicut & Christi corpus: igitur unum est etiam ubique sacramentum Eucharistiæ, non multa numerô.

Respondeo sensum canonis esse, quòd Sacrificium est unum ratione principalis offerentis, & ratione rei oblatæ, scilicet hostiæ seu victimæ: quia Christus ipse præcipuus est offerens, & hostia, quæ offertur, concedo: ratione ritûs & modi sacrificandi, nego: quia sacrificium crucis fuit cruentum, absolutum, & redemptionis consummativum: sacrificiũ autem Altaris est incruentum, relativum, commemorativum, & applicativum; unde verbis objectis subjicitur; *Pontifex enim ille est, qui hostiam obtulit, nos mundantem: ipsam verò offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata consumi non potest; quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est, hoc enim facite, ait, in meam commemorationem.* Et iisdem verbis ita præmittitur: *Offerimus quidem, sed ad recordationem mortis ejus, & una est hostia, non multa: Quomodo una, & non multa? Quia semel oblatus est Christus; hoc enim sacrificium exemplum est illius, idipsum, & semper idipsum; proinde unum est hoc sacrificium: alioqui quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi, nequaquam, sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus.* Unde diversa sunt etiam numerô sacrificia, quia sunt oblationes, & Missæ distinctæ, hinc Ecclesia pluraliter in Collectis appellat sacrificia: *Sacrificiis præsentibus, quæsumus Domine, placatus intende.*

XIII. *Dices tertiò*: Si Dei filius distinctas assumeret

Conclusio Prima.

IV. Eucharistia instituta est ad manifestationem Dei in nos *Amoris*.

COnvenienter admodum institutum fuit Eucharistiæ Sacramentum. Probatur primò: Ut Deus suam in nobis sapientiam, potentiam, & dilectionem commendaret: *Dilectionem* quidem & amorem: *Cùm enim dilexisset suos, in finem dilexit eos*; idest, ultra finem vitæ, vel usque ad ultimum finem amoris, seu ultra omnem amoris modum; namque, inquit S. Chrysostomus in cap. 13. Joan. *Nihil omisit, quod vehementer amantem decet.* Unde Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit.*

Sapientia.

Sapientiam verò; nam Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam, cùm hoc divinum Sacramentum instituit, ut omnes filius propriò carnis ac sanguinis edulliô reficeret, sicque pretioso veluti amoris & charitatis vimine ac vinculo homines ad Divinitatis contubernium promoveret.

Et *potentia.*

Potentiam denique, Eucharistia namque tot miraculis fulget, quod stellis cœlum: cùm enim miraculorum tria distinguantur genera, quorum aliqua præter naturam, alia supra naturam, alia contra naturam: hæc omnia in hujus Sacramenti institutione mirum in modum effulgent. Enimverò præter naturam est, totam substantiam in aliam, nullâ remanente materiâ, transire, & transsubstantiari: supra naturam est, idem corpus pluribus simul adesse locis, nullâ prorsus ratione continuis, aut contiguis; contra verò naturam, quòd sine subjecto accidentia subsistant, & corpus sine extensione locali vivum & integrum appareat, qualiter Christi D. corpus est in adorando Eucharistiæ Sacramento.

V. Nec-non & ad maiorem Christi gloriam.

Secundò, conveniens erat in ipsius Christi D. gloriam & honorem, ut institueretur divinum illud sacramentum: *Primò* quidem, ut majori ac perpetuâ veneratione apud nos esset, cùm ipsum habeamus præsentem, cui vota simul & obsequia impendamus: cùm ergo discessurus esset à Discipulis in propria specie, conveniens erat, ut apud ipsos maneret in specie Eucharistica, utque in absentia Imperatoris exhiberetur veneranda ipsius imago. Quam utique rationem eleganter expendit Eusebius Emissenus homil. 4. de Paschate: *Quia*, inquit, *corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, ut die cœna Sacramentum nobis corporis, & sanguinis sui consecraret: ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Ut quia quotidiana, & indefessa currebat pro hominum salute redemptio: perpetuò esset etiam redemptionis oblatio, & perennis victima illa viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia verè unica, & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu.*

Deinde, non modicùm cedit in Christi D. gloriam, quòd jugiter apud nos recolatur Passionis ejus beneficium; cùm enim sine fide Passionis Christi, nunquam omnino salus esse potuit. Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*: Hinc oportuit omni tempore quidpiam apud homines esse repræsentativum Dominicæ Passionis, cujus in veteri Testamento præcipuum erat Agnus Paschalis: 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ei verò successit Sacramentum Eucharistiæ, quod est rememora- A tivum præteritæ Christi Passionis, sicut illud fuit præfigurativum futuræ: fuit igitur conveniens, ut imminente Passione celebratô veteris legis Sacramentô novum institueret; *Ut umbra cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novô tollitur Sacramentô, hostia in hostiam transit*, inquit S. Leo serm. 7. de Passione.

VI. Et hominũ salutem.

Conveniens etiam fuit nostri causâ, ut institueretur hoc divinum sacrificium, non solùm ut Ecclesia haberet juge sacrificium, sine quo nulla B unquam vera Religio consistit, sicque haberemus divinam victimam, quâ Deo supremo Domino divinos impenderemus honores, & iratum nobis numen ipsius immaculati Agni sanguine placaremus; sed maximè ut hâc cœlesti alimoniâ spiritualem nostram vitam in Baptismate acceptam foveremus. Sicut enim vita animalis quotidianô cibô indiget, quô caloris nativi humidum radicale continenter depascentis jacturas resarciat: ita suscepta in Baptismo gratia, & in Confirmatione aucta intestinis concupiscentiæ æstibus in justis etiam ad agonem manentibus citò deperiret, nisi frumentô Electorum, & vinô virgines germinante per lignum vitæ præsignatô novæ creaturæ vita repararetur.

C Hinc S. Chrysostomus homil. 45 in Joan. *Hic sanguis*, inquit, *facit ut imago in nobis regia floreat: hic sanguis pulchritudinem & nobilitatem animæ, quam semper irrigat & nutrit, languescere non sinit.* Qua in re suavissima clementissimi Domini providentia mirè relucet, ut sicut vetiti fructûs esu protoparens, ejusque propago in mortem & infinitas calamitates incurrit; ita cœlestis cibi esu vitam habeamus, & abundantiùs habeamus, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & medela ferretur inde hostis unde læserat. Nam sicut de priori cibo dictum est, Gen. 2. *Quâcumque die ex eo comederis, morte morieris*: ita de posteriori, Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Rectè Basilius in cap. 3. Isaiæ: *Quem-* D *admodum corpora nostra convalescunt, ac firmantur sub alterna sumptione congruentium alimentorum: ita quiddam est, quod consentaneè pascit animam, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem consectandam. Quid illud tandem est? Nimirum quod dixit Dominus, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quibus autem non suppetunt hæc, iis utique deficit robur panis & aquæ.*

Conveniens etiam instituta fuit Eucharistia ut implerentur Prophetarum oracula.

Probari potest insuper convenientia institutionis Eucharistiæ, ex eo quòd congruentissimum fuit, ut Christus D. impleret omnia, quæ de ipso vaticinati fuerant Prophetæ, & præsignârant veteris Testamenti imagines, ac figuræ: at plurimæ E fuerant hujus augustissimi Sacramenti in veteri Testamento Prophetiæ & figuræ, quod utique constat, *primò* quidem quantùm ad oracula Prophetarum; nam, inquit sanctus Ambrosius in Psal. 38. *Eorum quæ celebrarentur in hoc Sacramento, vetustissima prædictio fuit in sermonibus Prophetarum.* Et quidem Genes. 49. dicitur de hoc Sacramento: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*: at ut explicat S. Cyprianus lib. 2. epist. 2. *Quid aliud*, inquit, *dicitur sanguis uvæ, quàm vinum calicis Dominici sanguinis?* Eundem locum simul cum isto Hierem. 1. *Mittamus lignum in panem ejus*, de eodem Sacramento explicat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem in fine. Præterea Proverb. 9. dicitur, *Sapientia mactavit hostias suas, miscuit in cratere vinum suum, &c.* Quod idem S. Cyprianus ibidem de hoc

Sacramento vult intelligi. Insuper Psal. 21. dicitur: *Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ.* In quem locum ita Augustinus: *Tunc manducaverunt, quando adducti sunt ad mensam Domini, & ibi accipiunt de corpore, & sanguine ejus.* Insuper Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus.* Quem locum S. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 12. interpretatur de adoratione Eucharistiæ. *Itaque*, inquit, *per scabellum terra, intelligitur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adoraverunt.* Cui concinit S. Augustinus in eadem Psalmi verba: Quo modo, *inquit*, adorabimus terram, cùm dicat apertè Scriptura, Dominum Deum tuum adorabis: B & hic dicit: Adorate scabellum pedum ejus? Exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum ejus, dicit, Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura: Terra scabellum pedum meorum: fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hîc, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de C terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. *Hæc S. Augustinus.*

VIII.
Et figuræ veteris Testamenti.

Congruebat pariter, inquit Alensis 3. parte q. 10. memb. 1. art. 1. Sacramentum hoc variis figuris adumbrari, tum ratione dignitatis, tum ratione difficultatis ad credendum, tum ratione significationis: *Ratione quidem dignitatis*, quia D Sacramentum istud inter Sacramenta novæ legis erat excellentissimum, ut dicunt Expositores Scripturæ; unde quia expectabatur quasi donum Dei excellentissimum, congruebat ut præfiguraretur, & sic quôdam modò certificarentur, & ex hoc magis consolarentur, & expectati dignitas ostenderetur. *Ratione difficultatis* quia cùm inter cætera credibilia sit difficillimum ad credendum: conveniebat, ut manuductione figurarum progrederetur ad illius credulitatem. *Ratione signationis* quia Christus passus, quô datur vita fidelibus, hôc Sacramentô signatur & continetur; congruebat ante Christum passum aliquâ figurâ præfigurari, similiter & hoc Sacramentum, quô E signatur & continetur.

Maximè verò Octo.

Quamvis autem Magister sententiarum duntaxat enumeret quatuor figuras hujusce Sacramenti, nihilominus octo solent præcipuæ recenseri, inquit ibidem Alensis: *Prima* præfiguratio fuit in oblatione panis & vini Melchisedech, Genes. 14. *Secunda*, in Agno Paschali, Exodi 12. *Tertia* in manna, Exod. 16. *Quarta* in aqua, quæ fluxit de petra, *num.* 20. & 1. *Cor.* 10. *Quinta*, in diversis sacrificiis in lege, de quibus *Levit.* 1. & sequentibus. *Sexta* in hædo, quem coctum obtulit Manue, *Iud.* 13. *Tulit hædum de capris, & libamenta, & posuit supra petram*, &c. *Septima*, 1. *Reg.* 13. in favo mellis, quod Jonathas virgâ convertit ad os suum: *Octavo* in fluxu aquæ, & sanguinis, quæ A fluxerunt de latere Christi, Joan. 19. dicit enim Augustinus, quòd fluxus ille fuit figura Baptismi & Eucharistiæ.

1. Oblatio Melchisedech.

Prima autem figura fuit signum hujus Sacramenti, quantùm ad exteriorem formam, & effectum primum, scilicet refectionem spiritualem; in illa enim oblatione panis & vini repræsentata fuit forma exterior, & refectio spiritualis: unde sicut hîc in re, ita ibi fuit in figura.

2. Agnus Paschalis.

In *secunda*, scilicet Agno Paschali fuit figura Sacramenti & rei, idest Christi, qui est Sacramentum & res; ipse enim est res contenta & figurata, & sicut Agnus paschalis datus fuit in signum B liberationis à servitute Ægypti; ita Agnus iste in signum liberationis à servitute diaboli: non enim debet dari hoc Sacramentum nisi existentibus in gratia. Præterea, innocentia Christi figurata fuit per agnum. Præterea, datus est in refectionem & ita congruit refectioni spirituali, quæ fit in hoc Sacramento. *Præterea* per hædum, qui offerri debuit, si agnus non haberetur, signatur, quòd Christus fuit offerendus pro peccatis nostris. *Præterea* in Agno paschali figurata fuit sumptio hujus Sacramenti: quod patet per hoc, quod maximè tangitur ibi modus comedendi.

3. Manna.

In *tertia* figura, scilicet in manna, signatur ef- C fectus suavitatis; qui concipitur in hoc Sacramento, & delectatio: *Panem de cœlo præstitisti eis*, &c. Suavitas enim saporis in manna signat plenitudinem gratiæ in Christo, de cujus plenitudine accipiens anima delectatur.

4. Aqua fluens è petra.

In *quarta*, scilicet in aqua, quæ fluxit de petra, signatur effectus hujus Sacramenti, scilicet extinctio æstûs peccati, & ablutio peccati, ut patet ex verbo S. Ambrosii suprà dicto.

5. Sacrificia Aaronica.

In *quinta* figura, idest, in sacrificiis signatur oblatio Christi, quæ in hoc Sacramento repræsentatur: oblatus enim fuit in Passione, tanquam holocaustum, & tanquam hostia pacifica, & quasi victima pro peccato. In quantùm enim innocens D erat, & nullius debitor; immolatio illius holocaustum fuit, quod non obtentu aliquô offertur, sed solùm in obsequium Dei. In quantùm autem fiebat in reconciliationem hominis faciendam cum Deo & Angelis; fuit ejus immolatio hostia pacificorum: quâ fecit unam Ecclesiam ex Angelis & hominibus. Quantùm autem ad satisfactionem pro peccatis nostris, scilicet in quantùm fuit redemptio nostra, fuit victima pro peccato. Unde in victima pro peccato pars sanguinis fundebatur circa basim Altaris holocausti, pars aspergebatur in tabernaculo contra Dominum: quâdam parte liniebantur cornua Altaris thymiamatis Levit. 4. Effusio sanguinis circa Altare holocaustorum, fuit generale in omni sacrificio: sed in victima pro E peccato inferebatur in tabernaculum, & aspergebatur contra velum, sive Dominum, quô notatur redemptio à culpa: & liniebantur cornua Altaris thymiamatis, quô notatur redemptio à pœna.

6. Oblatio Manüe.

In *sexta*, scilicet in oblatione Manüe, ubi offerebatur hædus super lapidem, *Iud.* 13. figuratum fuit, in quo debet fieri oblatio, sive super quod: quia super Christum, idest, in fide Christi: *Petra autem erat Christus.*

7. Mel à Ionatha gustatum.

In *septima*, de qua 1. *Reg.* 14. figuratum fuit: quale erat, quod erat offerendum, & qualis debet esse offerens, qui debet habere vitæ sanctitatem, (Jonathas enim gratia interpretatur) & Ordinis dignitatem: quod significatum fuit in hoc, quòd

virgâ intinctâ convertit mel in os suum, talis enim debet esse, qui debet tractare illum, qui per favum mellis signatur: idest, habens in se duas natnras, divinitatis, & humanitatis.

8. Sanguis & aqua è latere Christi.

In *octava* autem, scilicet in fluxu sanguinis & aquæ figuratur, à quo habet virtutem hoc Sacramentum, scilicet a Christo passo, sive à sanguine Christi: & non è converso.

Potissima autem ac præcipua hujusmodi figurarum fuit *Agnus Paschalis*: quia Eucharistia cibus est, & Eucharistia simul in omnium redemptionem, eorumque captivitatis pretium offertur; immolatur enim & offertur, ut hostia Deo: datur autem accipientibua, ut vitæ æternæ cibus & alimonia immortalitatis: Christi verò sanguis in ea contentus, est pretium Redemptionis, & delet chirographum nostræ damnationis: Agnus autem Paschalis eas omnes Eucharistiæ rationes præfigurabat; non enim præcipiebatnr immolari solùm, sed etiam comedi: Et sanguis ejus (quô Israëlitæ linierunt postes, & superliminaria suarum ædium, ut ab Angelo exterminatore protegerentur, & eriperentur è durissimo Pharaonis jugo) non obscurè præfigurabat Christi sanguinem, quô nos exterminio peccati, duraque tyrannide dæmonis eximimur.

At omnium figurarum præcipua fuit Agnus Paschalis.

Præterea Israëlitici Agni circumstantiæ repræsentabant ea, quæ spectant ad Eucharistiam: panes enim azimi, cum quibus edebatur, indicabant Eucharistiæ materiam, & puritatem, cum qua manducari debet: Civitas Hierosolymorum, in qua sola poterat immolari, significabat Ecclesiam Catholicam, in qua duntaxat Eucharistia verè ac legitimè consecrari manducarique potest: Lactucæ agrestes, & amaræ quævis berbæ, cùm quibus edebatur, arguebant amaritudinem Pœnitentiæ, quâ disponi debemus ad Eucharistiam. Omnes cœtus filiorum Israël, & universa populi multitudo, quæ quotannis eum edere debebat, figurabat Ecclesiam quotannis Eucharistiam accipere debere. Manducari solùm poterat à circumcisis, & non contaminatis, ut indicaretur Eucharistiam edendam esse solùm à Baptizatis, & ab omni peccato mundis. In una domo comedi debebat, ut significaretur Euchatistia in sola Ecclesia Catholica sumenda cum unitate charitatis, quâ Fideles inter se jungerentur, & cum Christo. Edebatur à stantibus ad iter agendum accinctis, ut Viaticum; quô significabatur Eucharistia velut Viaticum in hacce vita peregrinantium ad vitam, & patriam cœlestem. Repræsentabat Christi Passionem; unde sicuti confringenda non erant ejus ossa, sic in cruce Joan. 19. non fregerunt Christi crura: ut Scriptura impleretur, *Os non comminuetis ex eo:* Sic Eucharistia Christi Passionem ut memoriale repræsentat, & quamquam species dividantur, nulla Christi divisio fit in Eucharistia. Carnes Agni solùm assæ poterant edi, quia coquuntur citiùs ea, quæ assantur, ut ostendatur accedentes ad Eucharistiam, amoris Dei fervore accendi debere, &c.

Conclusio Sacunda.

VII. Potuit Eucharistia institui ante factam Incarnationem.

Sacramentum Eucharistiæ absolutâ Dei potentiâ potuit institui ante Incarnationem, ut de facto peracta est. Ita Doctor dist. 10. q. 4. n. 6. ubi cùm probasset modum Sacramentalem non dependere ab existentia naturali simpliciter, concludit, *quòd ante Incarnationem potuit ita verè Eucharistia fuisse sicut & nunc, & hoc tam quoad significationem, quantùm ad rem signatam & contentam.*

Quod utique sic probat: Quod est indifferens ad modum existendi naturaliter, vel sacramentaliter, potest alterutrô modô existere: sed corpus Christi ita est: ergo sicut de facto extitit modô naturali, antequam existeret modô sacramentali: ita vice-versâ potuit existere modô Sacramentali, priusquam existeret modô naturali. Probat minorem: Si existentia Sacramentalis dependeret ab existentia naturali, maximè vel tanquam effectus à causa, vel tanquam proprietas ab essentia, vel tanquam accidens à subjecto: sed neutrô modô taliter dependet; non quidem tanquam effectus à causâ; quia præsentia Sacramentalis non causatur per præsentiam naturalem, sed fit per omnipotentiam divinam: neque etiam tanquam proprietas ab essentia; siquidem præsentia Sacramentalis non fluit necessariò ex præsentia naturali; hi enim duo modi existendi non sunt inter se necessariò connexi, & sine invicem subsistere possunt; nam de facto priùs extitit præsentia naturalis, quàm Sacramentalis, & si Christus deperderet suam præsentiam naturalem, seu modum existendi quantitativum, & extensum, nihilominus subsistere posset secundùm modum existendi Sacramentalem sub speciebus Eucharisticis. Nec tandem una dependet ad alia, tanquam accidens à subjecto; quippe, ut mox dictum est; una seorsim ab alia potest subsistere quod apparebit evidentiùs ex solutione objectionum.

Dices primò: Non potest esse, nec concipi Eucharistia sine Christi D. sanguine & corpore: utrumque enim connotat & continet: sed non potuit esse Christi D. corpus & sanguis ante Incarnationem; siquidem hæc est ipsa humanitatis à Verbo assumptio: igitur, &c.

VIII. Incarnatio concipi potest dupliciter.

Distingue minorem: Ante Incarnationem absolutè & simpliciter acceptam, ut est unico Filii Dei cum humana carne quôcunque modô sumpta, concedo: ante Incarnationem, ut est actu peracta, prout est unio cum humana carne, naturali, seu locali quantitatis extensione prædita, nego: per Incarnationem enim hoc posteriori modô sumptam, incarnati Verbi corpus habuit ubi naturale seu locale quantitativum & extensivum in utero Virginis, sine quo quidem Ubi Eucharistia potuit absolutâ Dei potentiâ constitui, per solam Dominici corporis & sanguinis præsentiam Sacramentalem.

Instabis: Sacramentalis præsentia necessariò naturalem supponit; quia non potest absolutè Christi corpus habere Sacramentalem in Eucharistia præsentiam, antequam habeat esse naturale: sed habere non potest esse natnrale ante Incarnationem, ut est actu peracta; per hanc enim babuit, ut esset homo naturaliter.

IX. Christus potuit habere verum esse sacramentaliter, antequam illud haberet naturaliter.

Nego majorem: Aliud enim est, esse naturale Dominici corporis; aliud ipsius in loco præsentia naturalis; cùm enim aliqnid è loco movetur in locum, mutatur præsentia naturalis in loco; nam ipsum ejus esse naturale, nihil est aliud, quàm ejus existentia substantialis, aut substantia naturalibus affecta proprietatibus; ipsa verò naturalis ejus in loco præsentia modum aliquem habuit occupandi locum externæ quantitati, & extensioni corporis accommodatum: omnis autem præsentia naturalis, aut Sacramentalia essentialiter à corpore pendet ut à subjecto, quod afficit atque modificat: & ejus esse, vel existere natura-

le necessariò supponit, saltem prioritate naturæ, quia sine illo nec esse, nec concipi potest, ut nec figura sine te figurata, nec unio sine re unita: Sacramentalis ergo præsentia supponit existentiam substantialem; aut naturalem substantiam corpocis, non autem ejus in loco præsentiam naturalem, seu localem; absque bac enim esse potest.

Vrgebis : Priùs est rem existere simpliciter, quàm secundùm quid: sed naturalis existentia est existentia simpliciter; Sacramentalis autem tantùm secundùm quid: igitur bæc illam præsupponit necessariò, & consequenter ubi non præcedit naturalis existentia, Sacramentalis sequi non potest.

Nego minorem, quantùm ad secundam partem; cùm enim modus existendi simpliciter, nihil aliud significet, quàm tem aliquam esse realiter, sequitur, quòd in ea hypothesi, quâ Christi D. corpus tantùm existeret modô Sacramentali, reverà existeret simpliciter; quippe tunc ibi haberet esse reale, & reverà productum, non autem solùm esse adductum, ut nunc est: nunc enim reverà non producitur Christi corpus sub speciebus Eucharisticis, sed jam productum & existens adducitur, & ibi fit realiter præsens, ut patebit articulo sequenti.

Instabis iterum: Si corpus Christi ea in hypothesi baberet esse simpliciter sub speciebus Euchaisticis, sequeretur, quòd postmodum non posset formari ex purissimo Virginis sanguine, sicque illa fieri non posset Mater Dei, ac subinde ea in bypothesi Incarnatio esset impossibilis: sed consequens est absurdum: ergo & id unde infertur.

Nego majorem : Quamvis enim corpus Christi præexisteret in Eucharistia, posset Deus convertere purissimum Virginis sanguinem in corpus Christi, quod fieret præsens in utero Virginis dependenter ab ejus consensu; non secus ac idem corpus, licèt existens in cœlo, fit præsens sub speciebus Eucharisticis per conversionem substantiæ panis in ipsum. Quam utique solutionem sic expendit & explicat Doctor num. 8. ubi ait: *Dico, quòd possibile esset, illud idem corpus fuisse formatum de sanguinibus Virginis, & boc sub modo essendi naturali; non obstante, quòd Eucharistia præcessisset vera: sed illa formatio non fuisset tunc acceptio corporis, nisi secundùm quid, & tota ratio est, quia quod sic incipit, prahabet esse simpliciter.* Quibus verbis Doctor significat corpus Christi D. in ea hypothesi formari posse ex conversione sanguinis Virginis in ipsum, & produci in utero ipsius: non quidem quoad esse simpliciter & primarium, quia jam habet esse verum & reale in Eucharistia, sed quoad existendi modum connaturalem, boc est, extensum & circumscriptivum; quem utique existendi modum in Eucharistia non obtinet.

X.
Quomodo ea in bypothesi B. Virgo censeretur Mater Christi.

Porrò bac in hypotbesi non aliter B. Virgo concurreret ad formationem corporis Cbristi, ut doctè observat Hiquæus in Commentario num. 19. quàm subministrando materiam prærequisitam ad formationem, seu existentiam illius corporis modô naturali, nec-non & concurrendo ad illius nutritionem & augmentum, & reliquas dispositiones & affectiones, quæ consequerentur ad animationem, & existentiam naturalem ipsius corporis in suo sinu; unde non concurreret ad formationem primariam corporis, sed tantùm ad secundariam, quam Doctor appellat in-

A ceptionem secundùm quid: Si autem requiras; utrum in eo casu B. Virgo dicenda esset Mater Christi?

Respondeo, quòd tantùm esset illius Mater secundum modum, quô procederet ab ipsa, & non aliter; unde cùm jam illud corpus baberet esse præexistens, B. Virgo non concurreret ad illius formationem in fieri simpliciter, sed tantùm secundùm quid, boc est secundùm modum existendi naturalem; quæ utique formatio dici posset conceptio saltem secundùm quid, propter locum, in quo fieret, siquidem corpus fieret præsens modô naturali in eo loco, ubi posset formari quoad esse simpliciter, nisi jam aliunde
B illud esse haberet.

Dices secundò : Impossibile est aliquod corpus priùs esse realiter alicubi, quàm illud ex quo formari debet, reverà existat in rerum natura: sed corpus Christi secundùm Dei ordinationem formari debuit ex purissimo Virginis sanguine: igitur non potuit esse alicubi, nec subinde habere existendi modum naturalem, priùsquam existeret B. Virgo, & subministraret materiam formandi illius corporis.

XI.
Vnum corpus potest esse alicubi sacramentaliter priùs quàm sit alibi naturaliter.

Distinguo majorem : Si tale corpus formetur modô naturali, & per veram generationem, concedo: si fiat supernaturali, & per creationem, aut per transsubstantiationem alicujus materiæ
C præexistentis in ipsum, nego: ea autem in hypothesi Christi D. corpus formaretur, & fieret præsens per transsubstantiationem materiæ panis præexistentis in ipsum, ut existeret modô Sacramentali, eoque vero & reali; ac subinde ut bunc haberet modum existendi, non prærequireret sanguinem B. Virginis.

Dices tertiò : Illud, quod potest esse alicubi sacramentaliter pro eodem instanti, divisim potest esse naturaliter, & modô sibi connatutali: sed corpus Christi ante Incarnationem Verbi non potuit existere naturaliter: igitur nec Sacramentaliter.

Distinguo majorem: Si res spectentur secundùm præsentem dispositionem, concedo: si ut fieri
D possent in præsenti hypothesi, nego. Fateor equidem, quòd nunc temporis corpus Cbristi non possit esse alicubi sacramentaliter, quin alibi modô connaturali existat. Verùm in præfata hypothesi posset existere sacramentaliter absque eo quòd alibi connaturaliter existeret; quia in Eucharistia baberet verum esse & reale secundùm entitatem, quamvis non baberet connaturalem modum existendi.

Dices quartò : Existentia Sacramentalis ita dependet à connaturali, ut hâc pereunte illa pereat; quia Sacramentalis existentia tantùm addit modum existendi supra corpus Christi existens mo-
E dô naturali: igitur cùm modus non possit subsistere sine re, cujus est; ita nec existere potest corpus Christi sacramentaliter, quin præexistat modô naturali; ac subinde non potest esse præsens sub speciebus Eucharisticis ante Incarnationem.

XII.
Existentia enim sacramentalis non pendet absolutè à naturali.

Distinguo: Ita dependet rebus stantibus & ordinatis, ut sunt à Deo de facto ordinatæ, concedo: aliter de possibili ordinandæ, nego: sicut enim ad desitionem Sacramentalis existentiæ, non desinit existentia naturalis; ita nec positâ hypothesi, ad desitionem existentiæ naturalis, non esset necesse, quòd Sacramentalis desineret; cùm Deus unam ponere & conservare possit independenter ab alia.

CONCLUSIO

Conclusio Tertia.

XIII. Potuit institui Eucharistia etiamsi Adamus non peccasset.

Probabile est, quòd Sacramentum Eucharistiæ fuisset institutum, etiamsi Adamus non peccasset. Probatur, *tum quia* Deus non minùs homines innocentes dilexit, quàm reos & perduelles; ac subinde non minora eis contulisset beneficia: sed omnium præstantissimum est corpus Christi in Eucharistia; est enim summa divini in nos amoris effusio, nec-non & ultima divinæ dilectionis meta; ac subinde probabile est quòd in statu innocentiæ, hoc Sacramentum foret instituendum. *Tum quia* quod maximè congrueret divinæ sapientiæ & bonitati, verisimile est Deum esse facturum; sed Eucharistiæ institutio Adamô non peccante, talis esset, enimverò id deceret: *Primò*, ut cæteris individuis naturæ humanæ communicaretur Incarnationis beneficium; Eucharistia namque, ait S. Chrysost. est veluti quædam Incarnationis extensio: *Secundò*, ut majoris sanctificationis & gratiæ plenitudo in omnes & singulos homines exundaret; longè enim uberior gratia confertur per hoc Sacramentum, quàm per quodcumque aliud medium à Deo instituendum. *Tertiò*, ut homines haberent dignum Deo offerendum juge sacrificium, cùm infiniti pretii victimam ei offerant in oblatione incruenta proprii Dei Filii; quâ certè immolatione nulla potest esse Deo dignior, nec hominibus utilior.

Advertendum autem, quòd ea in hypothesi Eucharistiæ Sacramentum non foret in memoriam Passionis Christi; cùm enim Christus D. in eo statu non foret mortalis, nec moriturus, quia assumpsisset corpus impassibile, non potuisset aliquod Sacramentum institui in commemorationem mortis, quam non esset passurus.

SECTIO SECUNDA.

De Materia ex qua confici debeat Sacramentum Eucharistiæ.

I. Circa Eucharistiæ Materiam varii hæretici erraverunt.

CUM Eucharistiæ Sacramentum fuerit institutum ad spiritualem animæ nutritionem, & refectionem per modum cœlestis & divini convivii, conveniens fuit duplici ex materia confici: altera panis, ex cujus consecratione ac transsubstantiatione Christi D. corpus fit substantialiter ac realiter præsens sub remanentibus speciebus consecratis: altera vini, ex qua sanguis efficitur.

Maximè Gnostici.

Porro circa utramque varii errârunt hæretici: imprimis enim *Gnostici* à Simone Mago exorti, & à Nicolao uno ex septem Diaconis confirmati & adaucti, horrendum in modum prolapsi sunt, quorum spurciloquia quoniam horret animus cogitare, satiùs duxi eorum deplorandas execrationes ac abominationes ex S. Epiph. lib. 1. adversus hæreses hæresi 26. n. 4. referre, ubi sic de eis spurcissimis hominibus scribit: Cùm salutandi ac complectendi causa manum porrigunt, eam infra palmam contrectando ac defricando leniter titillant, eôque signô ejusdem religionis hospitem esse demonstrant. Inde posteaquam mutuò se agnoverint, ad convivium accinguntur. Quod ipsum tametsi pauperes sunt, ingenti epularum apparatu, vinoque & carnibus instructissimum præbent. Finitô conviviô cùm satietate venas distenderint ad libidinem proritantur. Tum vir ab uxore discedens sic eam alloquitur: Surge, & fratri charitatem exhibe. Ita ad concubitum venitur. Pudet me bonâ fide, quæ apud illos turpissimè perpetrantur, exponere, quemadmodum ait Apostolus: Quæ apud ipsos fiunt, turpe est dicere. Verùm quæ illos facere nihil pudet, neque me pudebit eloqui, ut qui fœdissima illorum flagitia audierunt, horrore quôdam afficiantur. Etenim peractô stuprô, subinde contumeliosis cœlum vocibus apperentes, utrique maris profluvium cavis manibus excipiunt, ac sublatis sursum oculis fœdum illud, & abominabile, manibus præferentes consistunt: ac preces concipiunt: Militares quidem & Gnostici ad universorum, ut aiunt, parentem, cui & quod manibus gestant offerunt, cum hoc solemni carmine. Hoc tibi munus, nimirum Christi corpus, offerimus; atque ita tum eô vescuntur, & impurissimas suas sordes degustant, itaque dicunt: Hoc est corpus Christi: & hoc est Pascha: Idcirco corpora nostra patiuntur, & Christi supplicia confiteri coguntur. Eôdem modô quoties mulier menstruos fluxus patitur, fœdissimum illum sanguinem collectum unà omnes absorbent. Atque hoc est, inquiunt, sanguis Christi.

Propterea in Apocryphis legunt: *Vidi arborem duodecim fructus quotannis ferentem, & dixit mihi: Hoc est lignum vitæ.* Idipsum de menstruis mulierum profluviis interpretantur. Cæterùm cùm inter sese venerem exerceant, liberos tamen suscipere prohibent. Non enim prolis studiô, sed ut libidini suæ serviant, ei corruptelæ vacant. Ita miseris hominibus diabolus illudit, & opus Dei fraudibus suis implicatum per ludubrium traducit. Proinde sic libidini satisfaciunt suæ, ut impurissimum semen in seipsos recipiant, neque illud ad propagandam sobolem emittant, sed suâ ipsi turpitudine pascantur. Quòd si fortè quispiam excreti seminis immissionem anteverterit, & ex eo gravida facta sit mulier, audi quid demum flagitiosiùs aggrediantur. Nam informem adhuc fœtum ex utero detractum quôcunque iis tempore visum, infantem, inquam, abortione projectum in mortario pistillô tundunt. Cui ad vitandam nauseam mel ac piper cum aliis aromatibus, & unguentis admiscent. Tum in unum collectô porcorum ac canum sodalitiô, unusquisque è comminuto infantuli corpusculo digitô delibat: Sic humanis carnibus pasti ad orandum Deum se se convertunt. Et cupiditatis, inquiunt, princeps nequaquam nobis illusit; sed quod exciderat fratri nostro collegimus. Atque id perfectum esse Pascha demum existimant. Præter hæc alia insuper dira, atque execranda committunt. Cùm enim rursus in se mutuò bacchari ac furere cœperint, respersis spurcissimi humoris profusione manibus consurgunt, atque ita fœdatas gerentes totô corpore nudi comprecantur, ut eâ re majorem sibi apud Deum fiduciam acquirant. *Ita S. Epiphanius.*

Ophitæ.

Ophitæ, sicut ait Augustinus hæresi 17. à colubro, seu serpente nominati, coluber enim, seu serpens Græcè dicitur *Ophis*, colubrum, qui decepit Adam & Evam, Christum arbitrantur; sed & verum colubrum nutriunt & venerantur, qui & incantante Sacerdote, egreditur de spelunca, & ascendit super Altare innixum speluncæ, & oblationes eorum lambit, & involvens se circa eas regreditur ad speluncam; & ita confingunt oblationes in Eucharistiam, quasi à serpente Christo, ut illi putant, sanctificatas. Hi videntur

statuisse, hujusce serpentis contactum, ut quid pertinens ad proximam Eucharistiæ materiam.

Artotyritæ. *Artotyritæ*, ex S. Augustino hæresi 28. panem & caseum offerunt in hoc Sacramento, dicentes à primis hominibus oblationes de frugibus terræ, & ovium fuisse celebratas; ideo dicti sunt à nomine, *artos*, idest panis, & caseus, à mixtura panis & casei. Vasquez existimare videtur Artotyritas noluisse caseum esse materiam corporis Christi in hoc Sacramento, quia Epiphanius hæresi 49. solùm ait, eos ita dictos esse, quia suis in mysteriis panem & caseum apponebant, quod non evincit eos in Sacramenti materia statuisse caseum. Verùm S. Augustinus ait, eos obtulisse panem & caseum in hoc Sacramento; quod autem offertur in eo, videtur esse materia. *Deinde* dicuntur hæretici, quòd obtulerint caseum: at si non obtulissent, ut Eucharistiæ materiam, ideo non essent hæretici.

His successerunt scelerum turpitudine non minùs infames *Cataphryga*, à Phrygia, quam incolebant, nominati, qui aliam materiam pro Eucharistia assignabant, sin æquè impuram, certè magis feram. Nam, ut refert S. Augustinus, *lib. de Hæresibus hæresi* 26. Sacramenta funesta habebant; infantis enim anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quasi Eucharistiam suam conficiebant, admixtâ tamen farinâ, ut panem conficerent, puerum inde mortuum habebant pro Martyre, superstitem pro magno Sacerdote. Ortum duxit hic non tam hominum, quàm belluarum grex à Montano hæreticorum post hominum memoriam amentissimo, qui se Spiritum Paracletum adjutricibus insanis mulieribus Priscâ & Maximillâ somnia inanissima pro veris Prophetiis venditantibus, comminiscebatur, cùm ne quidem sensu communi præditus esset. Istos hæreticos secuti sunt Pepusiani idem de sanguine infantium pro Eucharistiæ materia conficientes, ut *Hæresi* 27. refert S. Augustinus.

Aquarii. Errârunt pariter *Aquarii*, qui, ut refert S. Augustinus hæresi 64. aquam duntaxat in poculo Sacramentali adhibebant, abstinentes à vino: Unde *Encratitas*, seu abstinentes, referente Theodoretô se nominabant: Ideo autem solùm aquam adhibebant: quia, ut scribit S. Cyprianus epist. 63. timebant, ne fervente Decii persecutione, ex potati Sacramentalis vini odore proderentur, in quo apparet eorum animi imbecillitas; qui enim sanguinem Christi erubescebant bibere, quomodo propter Christum sanguinem fudissent? Idem censuerunt Manichæi, qui vinum ut fel draconis, & veluti liquorem diabolicum execrabantur.

Armeni. Ipsis è diametro adversati sunt *Armeni* quidam, contendentes vinum purum nullâ prorsus aquâ permixtum adhiberi debere ad consecrationem calicis, ut colligitur ex Canone 32. Synodi Quini sextæ, seu Trullani, ubi legimus: *Quoniam ad nostram cognitionem pervenit, quòd in Armenorum regione vinum tantùm in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum sacrificium peragunt, adducentes Ecclesiæ Doctorem Ioannem Damascenum: hæc dicentem in interpretatione Evangelii secundùm Matthæum Homiliâ* 83. QUAMOBREM NON AQUAM BIBIT, CÙM SURREXIT, SED VINUM.... *Ut non ab hoc tempore imposterùm ignorantiâ teneantur, e Patris sententiam orthodoxi aperimus: cùm enim improba Hydroparastatarum, hoc est, eorum, qui aquam offerebant, antiqua hæresis esset, qui pro vino solâ aquâ in proprio sacrificio usi sunt, refellens, hic divinus vir detestabilem ejusmodi hæresis doctrinam, & ostendens quòd directè Apostolicæ Traditioni adversetur, quod & jam dictum est affirmavit; nam & suæ Ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit*, &c.

Lutherus. Hunc errorem restaurare visus est *Lutherus*, lib. 1. contra regem Angliæ, ubi docet melius esse, si aqua vino non misceatur; cùm hæc mixtio, inquit, sit merum figmentum humanum, pessimamque & sinistram habeat significationem.

Græci. His accensendi sunt *Græci Recentiores*, qui quamvis panem, & vinum aquâ permixtum pro legitima conficiendæ Eucharistiæ materia admittant, valde tamen exorbitant circa qualitatem panis, existimantes nullam fieri consecrationem, nisi fiat in pane fermentato; unde irritam censent Latinorum consecrationem in azimis. Qui omnes errores, ut proscribantur, tria hæc in Sectione statuenda: *Primum*, quòd panis & vinum sit legitima materia conficiendæ Eucharistiæ: *Secundum*, quòd panis ille potius debeat esse azimus, quàm fermentatus: *Tertium*, quòd vinum in calice debeat misceri aquâ, ut digna sit ac legitima conficiendi Christi sanguinis materia.

QUÆSTIO PRIMA.

Quisnam panis, & quale vinum legitima sit materia conficiendi Christi D. corporis, & sanguinis?

I. Eucharistia congruè conficitur ex pane & vino.

NOtandum primò, ex Seraphico Doctore in 4. dist. 11. part. 2. art. 1. Sacramentum Eucharistiæ sapienti, ac justâ ordinatione confici ex speciebus panis & vini; siquidem Sacramentum istud, *inquit*, non solùm continet corpus Christi verum, sed etiam connotat mysticum, ad cujus sanctificationem ordinatur; ac subinde conveniens fuit, ut hoc Sacramentum eis in rebus institueretur, quæ utrumque corpus repræsentarent & exprimerent. Et quoniam, inquit, corpus mysticum est ex multis aggregatis in unum, talia elementa esse debuerunt, quæ ex multis aggregantur in unum: tale autem est panis, quia est ex multis granis puris: tale etiam est vinum, quod est ex multis racemis puris: ideo rectè unionem corporis Christi mystici signat. Corpus autem Christi verum continetur in hoc Sacramento ut cibus, quia propter hoc institutum est Sacramentum, non ut cibus qualiscumque, sed ut cibus conveniens, cibus efficax, cibus sanans, cibus omnibus communis: ideo debuit institui signum, quod quidem esset cibus habens istas proprietates. Cibus autem magis conveniens est panis de frumento, & vinum: & hujusmodi signum est, quod naturæ non generat ex frequentatione fastidium, quod non convenit de aliquo cibo. Est etiam efficax in confirmando, quia panis confortat, & vinum lætificat. Est etiam sanus, sicut dicit Isaac in diætis, quia uterque ad sanitatem facit. Ulteriùs est cibus communis, & usitatus, maximè inter Gentes rationabiliter viventes. Unde Damascenus: Consuetudo est hominibus manducare panem, & bibere vinum: ideo conjugavit eis Dominus Divinitatem, & fecit ea corpus, & sanguinem suum; ut per hæc, quæ sunt secundùm naturam consueta, in quibus vita conservatur, ad ea, quæ sunt supra naturam, anima transferatur.

Notandum secundò : Panem esse moltiplicis speciei, maximè verò triplicis, ratiooe videlicet rerum, ex quibus conficitur : alius enim fit vel ex

II. Triplex est panis species.

fructibus arborum, ot castancis, ficubus, amigdalis, nucibus, &c. nec-non & radicibus, qualis est ille, qui fit in Insulis Americæ, vulgóque appellatur *casave:* Alius ex leguminibus, putà ex fabis, &c. quæ io siliquis, aut tegminibus, vel follibus crassioribus nascuntur : *Alius* denique ex granis, quæ generali appellatione frumenta dicuntur : quamquam enim frumenti vox per antonomosiam triticum significet ; tameo generaliter comprehendit omnia semiua, quæ habent culmum, & spicas ; quæve falce metuntur ; sicque frumenti nomeo genericum est ad triticum : hordeum, siligiuem, avenam, &c. Quæritur ergo quisnam ex eis panibus sit materia necessaria non B solùm necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti ; itaut irritum foret Sacramentum, si in alia materia cooficeretur.

III. Duplex etiam est vini species.

Notandum tertiò : Vioi etiam multiplicem esse speciem; aliud enim est, quod exprimitur ex arborum fructibus, quale est vinum malorum granatorum, vel pomorum, aut mororum ; aliud verò vinum de vite, seu vitigineum, quod per excellentiam & antonomasiam *vinum* appellâtur. Quæritur itaque quale debeat esse vinum, ut censeatur apta & idonea materia hujus Sacramenti.

Conclusio Prima.

IV. Eucharistia confici debet ex pane & vino.

P*Anis & vinum sunt materia necessaria conficienda Eucharistia.* Hæc est de fide ; ea siquidem est Eucharistiæ conficieodæ materia oecessaria, quam Christos D. usurpavit, & quam servandam Apostolis, & eorum Successoribus tradidit: sed hæc sunt panis & vinum : panis quidem ; nam Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. ac 1. Cor. 11. legimus, quòd Jesus accepit panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis, dicens: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum:* Vinum pariter, licèt enim Evangelistæ recitando institutionem, dicant tantùm Christum D. acce-

Ut testantur Evangelistæ.

pisse calicem ; attamen Matthæus & Marcus statim interpretantur, calicem istum fuisse calicem vini : subjiciunt enim, Christum statim dixisse : *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec bibam illud,* &c.

Nec obstat, quòd S. Lucas videatur fecisse mentiooem duplicis calicis, communis scilicet, & sacri, atque inouere prædicta verba potius de calice communi esse intelligenda, quàm de sacro ; cùm illa refert à Christo dicta, aote consecrationem paois. Non, inqoam, id obstat, quia S. Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 2. docet uoum eundemque calicem à S. Luca bis memoratum : semel quidem præoccupando, iterum autem post panis consecrationem : Eaque E constans est, ac firma Ecclesiæ traditio, ut constat

Concilia docent.

Primò quidem ex Concilio Apostolorum can. 3. obi decernitur : *Si quis Episcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quadam in sacrificio offerat super Altare, idest, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quadam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruô tempore deponatur.*

Idem decernit Concilium Braccharense cap. 54. *Non oportet,* inquit, *aliud in Sacramento offerri* A *præter panem, vinum, & aquam, qua in typo Christi benedicuntur : quia cùm in cruce penderet, de corpore ejus sanguis fluxit & aqua : Hac tria unum sunt in Christo Iesu : hac hostia & oblatio Dei in odorem suavitatis.* Similiter Carthaginense Tertium cap. 24. *In Sacramentis corporis & sanguinis Domini,* inquit, *nihil amplius offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua immixtum.* Idem ex Triburiensi cap. 19. *Confitemur, & confirmamus, ne ullus sine commixtione vini & aqua sacra mysteria conficiat ; sed ut dua partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi.* Idem tradunt Concilia Florentinum in Decreto Eugenii, & Trident. sess. 13. cap. 3.

Ratio congrua suadet.

Ratio hujusce institutionis & ordinationis, non B alia est, quàm Christi D. instituentis voluntas : congruentiæ autem hujus plurimæ sunt, maximè verò quatuor, quas sic egregiè expendit Catechismus Romanus de Eucharistia *num.* 19. „Primum enim, inquit, panis & vini symbola Christum nobis significant, ut vera est hominum vita ; ipse enim Dominus ait : *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Cùm igitur corpus Christi D. vitæ æternæ alimentum illis præbeat, qui ejus Sacramentum porè & sanctè suscipiunt : rectè iis potissimùm rebus conficitur, quibus hæc vita continetur, ut fideles facilè possint intelligere, pretiosi corporis & sanguinis Christi communione mentem animumque saturari. Non- C oihil etiam hæc ipsa elementa ad id valeot, ut cam cogoitiooem accipiant homines esse in Sacramento corporis & sanguinis Domini veritatem. Nam cùm panem & vinum in humanam carnem & sanguinem vi naturæ quotidie immutari animadvertamus : faciliùs adduci possumus hâc similitudine, ut credamus panis & vini substantiam in veram Christi carnem, verumque ejus sanguinem cœlesti benedictione converti. Affert etiam aliquid adjumeoti hæc elementorum mutatio ad adumbrandum quod fit in anima. Ut enim, etsi oulla extrinsecus panis, & vini mutatio apparet ; tameo eorum substantia in carnem, D & sanguinem Christi verè transit : ita etiam tametsi in nobis nihil immutatum videtur, interiùs tamen ad vitam Eucharistiæ Sacramenta accipimus. Accedit ad hæc, quòd cùm unum Ecclesiæ corpus ex multis membris compositum sit, nullâ re magis elucet ea coojunctio, quàm panis vinique elementis. Panis enim ex multis granis conficitur, & vioum ex multitudine racemorum existit ; atque ita nos, cùm multi simus, hujus divini mysterii vinculô arctissimè colligari, & tanquam uoum corpus effici declarant. *Ita Catechismus.*

Quibus denotat congruom fuisse panem & vinum io Eucharistiæ sacramenti materiam adhiberi, quadruplici de causa: videlicet ; quia panis & E vinom sunt materia conveniens admodum usui, significationi & effectui Eucharistiæ, cùm respectu cujusque sumentium, tum respectu totius Ecclesiæ. *Usui* quidem, qui est manducatio, habetur enim communiùs ; nam, ut aqua sumitur in Baptismo ad usum spiritualis ablutionis ; quia corporalis ablutio communiter in aqua fit : ita panis & vinum, quibus homines communiùs reficiuntur, in Eucharistia sumuntur ad usum manducationis spiritualis ; instituta quippe fuit ut spirituale conviviom : at in convivio perfecto præcipuus est usus panis & vini. *Significationi,* quæ est Christi Passio: hanc enim imitantur expressiùs ;

nam, ut in Passione Christi sanguis à corpore separatus est; ita hoc in Sacramento, quod est ejus memoriale, seorsim accipitur panis, ut Sacramentum corporis, vi verborum ita confectum; & vinum ut Sacramentum sanguinis, aliorum etiam verborum vi consecratum: Unde Christi corpus ut passum, & affixum cruci repræsentatur per panem, Hierem. 11. *Mittamus lignum in panem ejus*, idest, crucem in corpus ejus; ex Hieronymo in Hieremiam, & Tertulliano contra Judæos, c. 11. & 4. contra Marcionem cap. 19. nam ut panis fit ex granis, quæ magnô labore metuntur in agro, teruntur in area, commoliuntur in pistrino, tum in clibano coquitur: ita Christi corpus attritum labore & tribulatione incredibili, tum & afflictionis igne percoctum est. Vinum autem exprimit sanguinem effusum in Passione, Genesis 49. *Lavabis in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, idest, in proprio cruore suam humanitatem. Hinc Isaiæ 63. Christus dicitur calcasse torcular, & expressisse vinum ex uva: quia sicuti vinum ex uvis in torculari calcatis, & expressis prælô fluit, ita Christi sanguis laborum & cruciatuum vi fluxit ex ejus corpore.

Denique respondent, *Effectui* spectato in unoquoque sementium, operatur enim efficaciùs, quia panis sustentat & reficit, vinum excitat & animat, Psalmô 103. *Panis cor hominis confirmet: Vinum lætificet cor hominis.* Unde Ezechielis 4. panis vocatur *baculus*, & alibi *robur*: & vinum *hominum lætitia*: quia pane ut baculô innitimur; ideo minatur Deus se populo baculum, & robur panis erepturum: at ex Commentario 1. Corinth. apud Ambrosium cap. 11. hoc Sacramentum valet ad tuitionem animæ & corporis; ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis: sanguis verò sub specie vini pro salute animæ offertur: quia Levit. 17. *Anima carnis in sanguine est.*

Respondes etiam, *Effectui* respectu totius Ecclesiæ; siquidem integrantur aptiùs, & uniuntur arctiùs: Ecclesia quippe constituitur è diversis fidelibus, ut panis fit è pluribus granis, & vinum è multiplicibus uvis, & acinis, 1. Cor. 10. *Multi unum corpus sumus*, &c.

Dices 1. Omne quod repræsentat Spiritualem alimoniam, est legitima & sufficiens Eucharistiæ materia; quia cujuscumque Sacramenti materia dijudicari debet ex intentione Christi; porrò intentio Christi, cùm instituit Eucharistiam, fuit exhibere, seu repræsentare spiritualem alimoniam, & sui corporis ac sanguinis communicationem per elementa, seu signa communis & usitati potûs & cibi: sed ubi panis & vinum non reperiuntur, alia, quæ substituuntur eorum locô, communem in cibum & potum, repræsentant alimoniam spiritualem, & Dominici corporis & sanguinis communicationem, ut carnes, pulmenta, cervisia, & similia: ergo hæc sunt sufficiens & legitima Eucharistiæ materia.

Distinguo majorem: Quod repræsentat ex institutione Christi, concedo: ex aliqua solùm congruitate, convenientia, vel idoneitate, nego: Duplex enim est hominum cibus & potus, unus qualiscumque, quô homines utcumque vescuntur, & aluntur, & quô citra singulare, perfectum, exquisitumve convivium utuntur, esto satis ordinariè quibusdam in locis ratione caritatis ciborum, sterilitatis regionum, & paupertatis incolarum; & ejusmodi, sint radices aliquæ, castaneæ & similia bene multa, quibus utuntur pro pane nonnulli. Alter exquisitus, quô solent homines uti, quando perfectum, lautum & singulare convivium celebrant, & ejusmodi sunt panis & vinum; panis equidem, in Scriptura quippe manducare panem, est refectionem sumere, Matth. 15. *Non lavant manus suas, cùm panem manducant*, Aut epulari, seu convivari, Lucæ 14. *Cùm intrasset Iesus domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbatô, manducare panem*, idest, epulari; quare quempiam invitare ut manducet panem, idem est, ac illum ad convivium hortari; Sapientia quippe Proverb. 9. sic ad suum invitat convivium: *Venite, comedite panem meum*: vinum autem, ut habet adagium, est anima convivii; quare Sapientia ad suum convivium ita hortatur, *Et bibite vinum, quod miscui vobis.* Christus autem instituit Eucharistiam, ut convivium exquisitum, & omnino perfectum, Isaiæ 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiarum, convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ*; vel, ut habent Septuaginta, *Faciet convivium omnibus Gentibus super montem istum: bibent lætitiam, seu bibent in lætitia, bibent vinum, ungentur unguentô*, Quod Eusebius 1. de demonstratione Evangelica cap. 10. tribuit Eucharistiæ: quare Christus in Eucharistiæ materiam instituit panem & vinum, nec aliquid aliud eorum locô substitui potest.

Dices secundò: Sacramentum Eucharistiæ ubique Gentium debet celebrari, juxta illud Malachiæ 1. *Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Sed plurima sunt loca, in quibus nec vinum nec panis propriè dictus possunt reperiri; imò etiam nec deferri, aut in eis conservari: igitur dicendum est, Christum D. instituisse Eucharistiam in pane & vino duntaxat analogicè sumptis, putà panem verum, & verum vinum, ubi possent haberi; qualemcumque verò cibum & potum, qui panis & vini vices gererent, ubi panis & vinum haberi non possent. Major constat. Minor probatur: primò quidem quantùm ad panem; quia plures Americæ populi non alio pane vescuntur, quam è radicibus plantarum confectô; quantùm autem ad vinum, asserit Vollaterranus in Geographia, quòd in Norvergia, ob immensa frigora vinum deportatum non possit conservari, sed citò acescat. Unde Innocentii VIII. concessione asserit permissum fuisse, sine vino calicem sacrificare: igitur, &c.

Nego minorem: Quamvis enim triticum & vinum in omnibus mundi plagis non nascantur, tamen in omnes possunt deportari, maximè quantùm ad usum Eucharistiæ, ut experientia in dies demonstrat; unde narratio Vollaterrani tota videtur fictitia. Primò, quia nullum extat concessionis illius instrumentum; si autem ea foret vera, fieri non posset, ut in re tam inusitata, tantique momenti aliquod non extaret ejus facti monumentum: Secundò, falsa est hujus concessionis ratio: tantùm enim abest, ut vinum acescat in Norvergia; imò ibi tam accommodatum potu reperitur, ut in ea regione Laïci nolint communicare, nisi sub utraque specie.

VI. Varia olim offerebantur ad Altare, non ad consecrationis materiam.

Dices tertiò: Illa censenda est legitima materia conficiendæ Eucharistiæ, quæ offerri consueverat à fidelibus ad Altare: sic nedum panem & vinum, sed etiam alia plurima offerre consueverant, putà lac, uvas, oleum, spicas, mel, &c. igitur ex iis poterat confici Eucharistia.

Distinguo majorem: Quod offerebatur ad consectationem, concedo: quod offerebatur in gratiarum actionem, aut ad Religionis exercitium, & Clericorum victum ac sustentationem, nego: Fateor equidem, quòd antiquitùs fidelas offerre solerent ab Altare iostante tempore consectationis, oleum, lac mel, &c. ut colligitur ex prædicto, cap. 24. Concilii tertii Carthaginensis; nam post laudata verba subjicit: *Primitia verò, seu mel, seu lac, seu alia. qua solent offerri, quamvis in Altari, tamen habent propriam benedictionem, & à divinis Sacramentis distinctam.* Varùm hæc non offerebantur in oblationem, sed in gratiarum actionam, ut constat ex Can. 3. Apostolorum; unde Can. 4. subditur. *Offerre non licet aliquid ad Altare prater novas spicas & uvas, & oleum ad luminaria. & thymiama, id est, incensum, tempore quô sancta celebrantur.* Et Can. 5. *Reliqua poma omnia ad domum Primitia Episcopo, & Presbyteris dirigantur, non offerantur in Altari.*

Hoc ipsum luculenter explicat Concilium Vvormaciensa, cap. 4. ubi ait: Cùm omne crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificiis dalaatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus anim quosdam schismaticâ ambitiona detentos, contra divinos Ordines, & Apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare: Alios quoque iotinctam Eucharistiam populis pro complemento Communionis porrigere: Quosdam etiam axpressum vinum in Sacramento dominici calicis offerre: alios verò pannum lineum musto intinctum per totum aooum reservate, & in tampore sacrificii partem ejus aquâ laaare, & sic offerre. Quod quàm sit Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt, Cùm enim Magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret Discipulis, non illis lac, sed panem tantùm, & calicem sub hoc Sacramento cognovimus dedissa. Legitur enim in Evangelica veritate. Accepit Jesus panem, & calicem, & benedicens dedit Discipulis suis.) Cesset ergo lac sacrificando offerri, quia manifestum, & evidens Evangelitæ veritatis exemplum illuxit, quòd præter panem & vinum, aliud offerri non licet.

Idem decernit Concilium Braccharense tertium c.10. ubi, *ait: Audivimus quosdam schismaticâ ambitione detentos, contra divinas & Apostolicas institutiones, mel & lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare.... Quod quàm sit Evangelica atque Apostolica doctrina contrarium. & consuetudini Ecclesiastica adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probatum, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt; ait enim Evangelista:* ACCEPIT JESUS PANEM, ET CALICEM, &c. *Cesset ergo lac in sacrificio offerri, quia per evidens exemplum ad Altare, mel & lac afferre non licet.* Et ex Altissiodorensi Canone 8. *Non licet in Altario in sacrificio divino mellitum (quod mustum appellatur) vel ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum; quia illud grandem reatum, & peccatum pertinent Presbytero illi, quicunque aliud poculum extra vinum in consecratione sanguinis Christi offerre præsumpserit.* Ex Matisconensi secundo, Can. 4. *Statuimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis, quàm vini.* Ex Lateranensi, cap. firmiter: *Christi corpus & sanguis in Sacramento Altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vinô in sanguinem.* Idem habent posteriora Concilia supra à nobis laudata.

CONCLUSIO SECUNDA.

VII. Materia conficiendi corporis est panis triticeus.

MATERIA *conficiendi Christi D. corporis, debet esse necessario panis triticeus aquâ naturali coalescens, & igne decoctus.* Hæc conclusio tribus partibus constat, quarum prima certa ast apud omnes Catholicos, & expresse colligitur ex Concilio Florentino, Tum sess. ult. ubi interrogati Græci à summo Pontifice de materia Eucharistiæ conficiendæ, respondent his verbis: *De pane, sive azimus, sive fermentatus fuerit, Graci non curant, dummodo ex tritico constet.* Tum ex litteris unionis, in quibus definitur: *In azimo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter conficitur:* Tum denique ex decreto unionis pro instructione Armenorum, ubi egimus: *Tertium est Eucharistia Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.*

Nec valet reponera, Concilium Florentinum varbis illis significasse solùm panem triticeum essa de naccessitata præcepti, non verò de necessitate Sacramenti: Non valet, inquam, quia de aqua naturali, quæ à Conciliis Trident. & Florent. eôdem modô definitur esse materia Baptismi, dici non potest, quòd sit solùm necessaria necessitate præcepti, & non Sacramenti: *Tum, quia* eô modô definitur ibi panis triticeus esse materia necessaria conficiendi corporis, quô vinum de vita, consecrandi sanguinis: sed hoc ast materia necessaria simpliciter, non solùm ratione præcepti, sed etiam Sacramenti: ergo & ille: *Tum, quia* hæc censetur Apostolica Traditio, quam Ecclesiæ authoritas firmavit, ut docet Catechismus Romanus, num. 13. *Tum denique quia* panis illa dicitur materia hujus Sacramenti à quo Eucharistia dicitur panis, & sub quo fuit prænuntiata: at is est triticeus: Nam Psalm. 147. *Adipe frumenti satiat* te. Oseæ 14. *Vivent tritico.* Quos textus da Eucharistia omnes Patres & Doctores interpretantur.

VIII. Ex propriè dicto tritico confectus.

Dices primò: Concilia & Patres dum de materia Eucharistiæ conficiendæ loquuntur, sæpè dicunt esse *panem ex frumento:* sed teste S. Isidorô lib. 17. ethymolog. cap. 3. & Plinio lib. 18. historiæ cap. 7. & Varrone de ra rustica cap. 48. frumentum est genus ad omnem speciem grani quod habet aristas: ergo, &c.

Distinguo minorem, apud profanos transeat: apud sacros Authores & juxta Scripturæ modum loquendi, nego. Siquidem Deuteronomii 7. Hierem. 41. Ezech. 4. Joël 1. Frumentum distinguitur ab hordeo, milio & aliis granis: Ergo non ast genus ad illa, sed pro tritico usurpatur; ut aaidenter constat ex. his verbis 46. Genes. *Ioseph jussit ministris, ut implerent saccos eorum tritico, & illi portantes frumenta in asinis suis profecti sunt.*

Dices secundò: Quodlibet vinum de vite sufficit ad consecrationem calicis, sive interim sit album, siva rubrum. Ergo & quilibet panis.

Nego consequentiam: Siquidem unum vinum ab alio tantùm differt accidantaliter; hoc ast, vel ratione coloris, saporis, aut majoris vel minoris

virtutis: Panis autem ex diversis specie granis A diversus est specie: Ergo sicut quælibet aqua non sufficit ad Baptismum, ita nec quilibet panis ad Eucharistiam.

Urgebis: Ex quolibet pane fit eadem nutritio corporea & ijsdem sanguis: Ergo ex quolibet etiam fieri potest corpus Christi in animæ cibum. Nego paritatem; aliàs sequeretur quodlibet edulium, sive fructus, sive herbæ, &c. posse consecrari: ex iis enim fit ijsdem sanguis & eadem nutritio.

Dices tertiò: Conficiendæ Eucharistiæ materia est panis usualis & communis, ut omnes fatentur: sed talis non idem est in omnibus Provinciis, in plu- B ribus namque (ut diximus suprà) triticum non reperitur, ut apud plures Americæ Provincias, &c.

Concedo majorem & minorem distinguo. Non idem est per accidens, concedo: per se, nego: statim namque ac triticum serere & metere nôrunt, eum cuilibet pani omnes præferunt: indicium est ergo hunc panem per se esse usualem & communem.

Nec reor Evangelium alicubi prædicari, quin pariter divina providentia ibidem triticum suppediter, ut in tali regione hoc adorandum Sacramentum possit confici. Quare, si in aliquibus Regionibus non reperitur triticum; vel ibi deportari debet, ut habeatur materia necessaria conficiendæ Eucharistiæ; quemadmodum ex India, & aliis partibus Orientalibus asportatur balsamum in plagas Occidentales, & Septen- C trionales pro conficiendo Chrismate: vel certè abstinendum erit à consecratione, maximè cùm realis Eucharistiæ sumptio non sit necessaria necessitate medii; sed tantùm præcepti.

IX. Aqua naturali coalescens.

Probatur secunda pars, nempe quòd panis ille confici debeat ex aqua naturali. Tum quia panis usualis est necessaria hujus Sacramenti materia: sed panis quò solent uti homines ex aqua naturali coalescit. Tum quia farina compacta ex butyro, oleo, &c. non habet rationem panis, sed placentæ aut tortæ.

Nec refert quòd humor ille possit absorberi, & in speciem panis absumi; quia sive absumatur, sive substantialiter remaneat, semper fieri debet D mixtio; hæc autem usualiter fit ex aqua naturali. *Insuper* triticum non remanet in substantia panis, nihilominus necessariò requiritur: ergo licèt aqua absumatur; nihilominus est necessaria. Nec etiam obstat, quòd panis ex aqua rosacea confectus fortè non differat specie physicâ ab eo, qui conficitur ex aqua naturali; quippe cùm potissima substantia illius mixti, sit farina, quæ ejusdem rationis est in utroque. Non obstat, inquam, sufficit enim, quòd differat specie morali; quemadmodum panis ex amylo confectus non censetur materia sufficiens consecrationis, sive specie distinguatur, sive non; quia non est E panis usualis.

X. Igne decoctus.

Probatur denique tertia pars, nempe quòd panis debeat igne decoqui. Tum quia tali pane Christus est usus; ergo & nos debemus uti. Tum quia pasta non est panis, nec cibus aut alimentum hominum: ergo nec potest esse signum alimenti spiritualis. An autem panis & pasta specie differant, non arbitratur Doctor, quippe cùm per decoctionem pastæ in furno, vel alio modo, fit solùm exhalatio aquei humoris commixti cum partibus farinæ; talis autem mixtio fit per intrapositionem; ergo separatio non mutat speciem. Verùm esto pasta tantùm accidentaliter differat à massa cocta panis, non potest tamen esse legitima materia consecrandæ Eucharistiæ; quia non est panis usualis, & ad nutritionem hominis ordinatus; quem utique panem Christus D. ad consecrationem usurpavit: quâ etiam ratione neque massa frixa, neque elixa, est sufficiens materia consecrationis; quia non est simpliciter panis communis, & usualis.

CONCLUSIO TERTIA.

MATERIA *conficiendi Christi D. sanguinis, debet esse vinum vitigineum.* Hæc Conclusio constat ex præcedentibus, in quibus declaratum est, tum ex Scriptura, tum ex Conciliis, maximè verò ab exemplo Christi D. qui peractâ hujusmodi Sacramenti institutione, dixit Matth. 26. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*, ubi *ly hoc* designat materiam, quæ erat in illo calice: ergo erat vinum de vite. Secundò, quia solùm vinum de vite propriè & simpliciter dicitur vinum, sicut solum oleum de oliva, propriè & simpliciter vocatur oleum: Tertiò, quia vinum vitis magis convenit effectui hujus Sacramenti, quia est spiritualis lætitia; de illo enim dicitur Psalm. 103. *Vinum lætificat cor hominis.* Cùm autem vitigineum possit considerari sex modis: *Primò*, quatenus exprimitur de uvis non maturis, quomodo dicitur *agresta*, seu umphacium: *Secundò*, quatenus adhuc continetur in uvis jam maturis non expressum, & dicitur *botrus*, seu racemus: *Tertiò*, quatenus est recenter expressum, habetque multas adhuc fæces admixtas, & dicitur *mustum*: *Quartò*, quatenus est defæcatum, & dicitur *defrutum*: *Quintò*, quatenus est *congelatum*: *Sextò*, quatenus est *acetosum*. Dubium autem est in quonam horum valida fiat consecratio; quod ut innotescat;

XI. Materia calicis est vinum vitigineum.

Dico primò, nullam esse consecrationem in agresta: Tum, quia id decernitur in Missali Romano in defectibus Missæ ex parte materiæ: Tum, quia non minùs à vino specie discrepat, quàm sanguis à carne; diversas enim à vino habet qualitates; siquidem illud digestum est, hoc indigestum; illud odoriferum habet liquorem, hoc penitus nullum: illud virtutem habet calefaciendi, hoc frigefaciendi.

Non agresta.

Idem dicendum de *botro*: Tum, quia vinum non est sufficienter Sacerdoti præsens, cùm illud neque tactu, neque odoratu percipiat: Tum, quia, quandiu liquor est in uva, magis habet rationem comestibilis, quàm bibilis; non enim dicimus bibisse, sed manducasse uvas & racemos; ac proinde non est aptus ad significandum effectum spiritualem hujus partis Sacramenti, quæ est spiritualis animæ potus. Insuper sicut materia conficiendi corporis, est simpliciter esus, & res manducabilis: ita à pari materia conficiendi sanguinis, debet esse simpliciter potus, seu res potabilis. Si tamen concederetur, vinum substantialiter & formaliter in uvis contineri; (quod plerique non immeritò negant; quippe cùm eadem sit ratio vini in uva, ac olei in olea: oleum autem non est formaliter in olea, cùm sit tantùm subtilior pars mixti, quæ per compressionem exprimitur) non videremus cur sic contentum & inclusum vinum, non esset sufficiens consecrationis materia; nam licèt ejus accidentia non appareant per se, sed tantùm ratione vasis includentis, quid inde? quippe cùm vinum in dolio reclusum possit consecrari, licèt per sola dolii ac-

Nec in botro.

evidentia innotescat: habet pariter ab intrinseco rationem potabilis, & potûs, quæ taotùm per accidens impeditur, *ratione* scilicet uvæ includeotis, & tam benè pronomen *hic* illod demonstrabit, ac demonstrat in calice & in dolio. Verùm hæc esset contra praxim.

Dico tertiò, mustum validè consecrari: Tum quia est verè vinum substantialiter : Tum quia habet rationem potûs, estque per se & immediatè præsens consecranti. Tom denique quia id edocet Innocentius lib. 4. de sacrificio Missæ, cap. 30. *Licit*, inquit, *diligeati studio optimum vinum sit qaarendum, ut sacrificium offeratur, vitium tamen vini non maculat munditiam sacramenti; quocirca sive vinum novam quod dicitur mustum, sive vinum acidum quod appellatur acetum, in sacrificium offerantur, Sacramentum conficitur, & divinitus consecratur.* Idem definivit Julius Papa epist. ad Episcopos Ægypti, ejusque definitionem approbavit ac innovavit Concilium Braccharense III. cap. 1. ubi legitimam conficiendi Christi corporis & sanguinis materiam aperiens, hæc habet. *Nam quod de expresso botro, id est, de uvarum granis populus communicatur, valdè est omnino confusum: sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur, quia juxta canonem calix Dominicus vino & aquâ permixtus debet offerri, &c.* quæ babentur de coosecrat. dist. 2. cap. 7.

Dico quartò, Acetum esse ad consecrationem insufficiens: Tum quia, non habet rationem potûs: Tum quia specie differt à vino, ut constat, tum ex diversis utriusque effectibus; tum authoritate Aristot. 8. Meteor. c. 14. ubi acetum comparat cadaveri, ita quòd sicut cadaver, ut volunt aliqui, discrepat substaotialiter à corpore vivo, ita acetum à vino; & Galenus in Commentario Aphorism. confert vini corruptionem per acetum, corruptiooi sanguinis, ita qoòd sicut corruptus sanguis nullâ vi primam potest recipere formam, ita nec corruptum vinum primum in statum potest restitui. Unde cùm Innocentius suprà dixit, acetum posse consecrari, intelligendus est non de acero formaliter, sed de vino acescente; sic pariter intelligendus venit Isidorus lib. 20. Etymol. cap. 3. ubi acetum inter species vini recenset.

Proscribitur error Aquariorum.

Ex his apertè resellitur Aquariorum insulsum dogma, quod etiam egregiè explodit ac refellit S. *Cyprianus epist.* 63. ad Cecilium: 1. quidem ex facto Christi. *Admonitos*, inquit, *antem nos sciat, ut in calice offerendo Domiaica traditio servetur, nec aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.*

2. Ex figuris & prophetiis Sacramentum hoc in vino offerendum præsignantibus: quarum plures refert, præsertim oblationem Melchisedech io pane & vino. *Nam*, ioquit, *quis magis Sacerdos Dei summi quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & idem obtulit, quod Melchisedech obtulerat panem & vinum; suum scilicet corpus & sanguinem.* Plures pariter citat Prophetias. Prov. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum.* Genes. 49. *Lavabit in vino stolam suam & in sanguine uva, &c.* Quibus subdit. *Namquid rubicunda vestimenta aqua potest facere, aut in torculari aqua est qua pedibus calcatur aut pralô exprimitur? Vini utique mentio est, & ideo ponitur, ut Domini sanguis vino intelligatur & quod in calice Dominico postea manifestatum est Prophetis: ut ab annuntiantibus prædiceretur.*

3. Ex mystica vini significatione & effectu, quorum præcipuos assignat his verbis: *Ut in sanguine Domini & poculo salutari exprimitur memoria veteris hominis, & fit oblivio conversationis pristina sacularis, & mæstum pectus ac triste quod prius peccatis angentibus premebatur, divina indulgentia lætitiâ resolvatur.*

Post hæc in eos invehitur, qui mane aquam, vespere autem vinum in sacrificio adhibebant: Ea enim quarumdam Ecclesiarum vetus fuit consuetudo, ut aliquæ bis in die, semel mane & semel Vespere sacrificium offerrent, ut ibidem indicat Cyprianus: his verbis, *cum illa sibi contemplatione aliquis blanditur, quod & si mane sola offerri videtur, tamen cùm ad cænandum venimus, mixtum calicem offerimus.*

Quam utique consuetudinem ibidem redarguit: ex eo, qoòd etsi Christus D. mixtum calicem post cœnam obtulerit, non proptereà post cœnam Eucharistiam celebrare non debemus: *Christum*, inquit, *offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsâ sacrificii ostenderet casum, & vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est: Et occident illum omne vulgus filiorum Israël ad vesperam. Et iterum in Psalmis: Alleviatio manuum mearum sacrificium est vespertinum: nos autem Resurrectionem mane celebramus. Et quia Passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus (Passio enim est Domini sacrificium, quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit facere debemus, &c.* Quibus verbis sanctus Cyprianus profert rationes, quare Christus D. vespere celebraverit, nos autem mane; nempe Christus in memoriam Passionis suæ, quæ fieri debebat ad vesperam, ut sacrificium vespertinum, ideo celebrare voluit ad vesperam, nos autem Resurrectionem Domini matutinô tempore recolentes, etiam mane celebramus.

Verùm hæ rationes non ita fuerunt efficaces, ut omnes Ecclesias in eandem sententiam pellicerent; constat enim consuetudinem diu viguisse in Ecclesiis quibusdam, ut Eucharistia consecraretur, & sumeretur etiam post vesperam, ut colligere licet ex Concilio tertio Carthaginensi celebrato annô 397. in eo namque can. 29. legimus: *Ut Sacramenta, non nisi à jejunis hominibus celebrentur, exceptô unô die anniversariô, quô cœna Domini celebratur.* Quam utique consuetudinem celebrandæ post cœnam die Jovis majoris Hebdomadæ, suô adhuc tempore viguisse testatur S. Augustinus epist. 118. ubi ad Janvarium requirentem, an Feriâ 5. ultimæ Hebdomadis Quadragesimæ offerendum esset mane, & rursus post cœnam: *Ad hæc* (inquit S. Augustinus,) *ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divina Scriptura præscribit authoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus, ut jam non quomodo faciendum, sed quomodò Sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia; Nam & hinc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est. Sed neque hoc, neque illud inest in eo, quod tu quæris. Restat igitur, ut de illo tertio genere sit, quòd per loca regionesque variatur. Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit.* Quibus apertè significat sanctus Augustinus, eam consuetudinem bis celebrandi Feriâ 5. majoris Hebdomadæ suô adhuc tempore vigere apud quasdam Ecclesias; quam utique abrogavit Honorius III.

Olim fiebat sacrificium mane & vespere in quibusdam Ecclesiis.

Cùm autem Aquarii hunc errorem invexisſent in Eccleſiam, ne ad ſacram Synaxim horis matutinis accedentes, & ſumentes Chriſti D. ſanguinem ſub ſpeciebus vini in ſuis cœtibus antelucanis, poſtmodum deprehendi & accuſari poſſent ut Chriſtiani: ut inquam; hanc, perſecutionis anſam declinarent, cenſuerunt matutinis horis poſſe offerri ſolam aquam, veſpertinis verò calicem vini aquâ permixti, quos in eadem epiſtola ſic carpit S. Cyprianus: *Cæterùm,* inquit, *omnis Religionis & veritatis diſciplina ſubvertitur, niſi id quod ſpiritaliter præcipitur, & fideliter reſervetur: niſi ſi in ſacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per ſaporem vini redoleat ſanguinem Chriſti Si ergo incipit & à Paſſione Chriſti in perſecutionibus fraternitas retardari; dum in oblationibus diſcit de ſanguine ejus, & cruore confundi. Porrò autem Dominus in Evangelio dicit: Qui confuſus me fuerit, confundet eum Filius hominis. Et Apoſtolus quoque loquitur, dicens: Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Quomodo autem poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere, qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere.*

Quæstio Secunda.

Vtrum Panis, ex quo conficitur Eucharistia, debeat esse azymus aut fermentatus:

NOtandum primò, nomine panis *azymi*, eum panem intelligi, qui abſque fermento conficitur; *fermentati* verò, qui ex fermento coagulatur & intumeſcit. Quæritur autem uter eorum ſit conveniens materia conficiendæ Eucharistiæ. Circa quam reſolutionem gravis eſt controverſia inter Eccleſiam Latinam & Græcam: Cùm enim Græci authore Photio Patriarchâ Conſtantinopolitano à Latinis inſenſo ſchiſmate circa annum 660. deſcivissent, Romanam Eccleſiam plurium errorum cœperunt accuſare, maximè verò circa annum 1053. quô tempore Michaël cognomentô Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Leo Archiepiſcopus Acridanus vehementem aduerſus Latinos epiſtolam ad Epiſcopum Tranenſem ſcripſerunt, in qua Eccleſiam Latinam accuſabant, quòd Sabbata in Quadrageſima cuſtodiret, cùm eô die jejunaret, quòd ſuffocatis veſceretur, quòd Alleluya in Quadrageſima non pſalleret, quòd demum in azimo Euchariſtiam conficeret: Ultimum autem morem inde ibi reprehendunt, quòd vox ἄρτος, quæ in Evangelio habetur, ſignificat panem elevatum, ſic dictum à fermento & ſale, à quibus calorem habet & elevationem: azymus autem eſt ſimilis luto, nihil ſaporis habens, vel elevationis. Habetur hæc epiſtola tom. 4. Bibliothecæ Patrum editionis Pariſienſis, quam Humbertus Cardinalis Epiſcopus Silvæ Candidæ in Latinum idioma tranſlatum, ad Leonem IX. quintum Pontificatûs ſui annum agentem miſit.

I. Unde ortus Græcorum error circa azyma.

Scripſit etiam ad Michaëlem Patriarcham, & Leonem Archi-Epiſcopum Leo Papa, cujus epiſtola ordine prima in voluminibus Conciliorum legitur. Ad ſummum Pontificem reſcripſit Patriarcha, Eccleſiæ unitatis, & pacis cupidus, vel certè ſimulator: cui Leo Papa epiſt. 6. in Domino congratulatus eſt. Annô ſequenti 1054. Humbertum & Fridericum Cardinales Legatos ſuos Conſtantinopolim miſit Papa, per quos ad Imperatorem Conſtantinum Monomachum ſcripſit, laudans ejus pacis zelum, & Michaëlis damnans audaciam, qui apertâ perſecutione in Latinam exardeſcens Eccleſiam, anathematizare non timuerat omnes qui Sacramenta attrectant ex azymis. Scripſit etiam idem Papa ad Patriarcham, quem novum Eccleſiæ Latinorum calumniatorem, & publicum perſecutorem appellat. Præſentibus Imperatore, Proceribus, & Legatis, Nicetas Monachus Pectoratus, librum de azymo adverſus Latinos ſub ipſius nomine editum reprobavit, qui liber inſiſtentibus Legatis juſſu Imperatoris in ignem projectus eſt. Sequenti verò die Nicetas Legatos adivit, & anathemate in ſuos errores iterum à ſe latô, in Legatorum gratiam & familiarem amicitiam receptus eſt. Ita refertur in Actis brevioribus, quæ extant *tom. 4. Bibliotheca Patrum.* Michaël verò in errore pertinax, colloquium & præſentiam Legatorum vitavit. Hinc Græci ſchiſmatici Latinos *Azymitas* palam vocitare cœperunt, nec non eorum in azymis conſecrationem nedum irritam, ſed & omnino profanam non minùs erroneè, quàm impiè dixerunt.

Notandum 2. Græcos cum Latinis circa hanc controverſiam enodandam in plurimis conſentire: *Primò* quidem, quòd Judæi ſoliti eſſent ſuum celebrare Paſcha die 14. primæ menſis ad veſperam, ita præcipiente Deo. Exodi 12. & Num. 9. his verbis: *Faciant filii Iſraël Phaſe in tempore ſuo decimâ quartâ die menſis hujus ad veſperam,* id eſt, primi menſis. Sic enim decernit Deus: Exodi 12. *Menſis iſte,* in quo præcipit ut comedant Paſcha, *vobis erit principium menſium, primus erit in menſibus anni:* Primus autem menſis erat *Niſan,* teſte Joſephô, ſeu Martius, qui ordiebatur à Novilunio propiùs accedente ad æquinoctium vernale; ſicque dies ille decimus quartus menſis, erat aliquis dies Aprilis, apud Nationes computantes dies & Annos non ſecundùm Lunæ curſum, ut Judæi, ſed juxta ſeriem, quâ Sol Zodiacum perluſtrat. Qui verò immundi erant apud Judæos, differebant celebrationem Paſchatis ad menſem ſequentem: ita præcipiente Deô, ibidem: *Homo, qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul de Gente veſtra, faciat Phaſe Domino in Menſe ſecundo decimâ quartâ die menſis ad veſperam.*

II. Judæi ſuum Paſcha celebrabant die 14 primi menſis.

Conveniunt ſecundò, eôdem die, quô Paſcha celebrabant Judæi, ipſis pariter interdictum fuiſſe uſum fermentati panis; ita præcipiente Dominô: Exodi 12. num. 18. & ſequentibus. *Primô Menſe quartâ decimâ die Menſis ad veſperam comedetis azyma, uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam: ſeptem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris; qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Iſraël, tam de advenis, quam de indigenis terræ: Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris comedetis azyma.* Idem præcipitur Levitici 23. his verbis: *Menſe primò quartâ decimâ die Menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt, & quintâ decimâ die Menſis hujus, ſolemnitas azymorum Domini eſt, ſeptem diebus azyma comedetis, &c.*

A quo die per ſeptem ſequentes ſolis azymis veſci licebat.

Ex quibus liquet, duas feſtivitates, nimirum Agni Paſchalis, & Azymorum unâ eâdemque Veſperâ celebrari ſolitas, diverſæ tamen erant: *Primò* quia ſolemnitas Agni Paſchalis unius tantùm diei fuit, & ad veſperam ſolùm illius diei celebrabatur: Azymorum autem ſolemnitas prorogabatur ad dies ſeptem: *Secundò,* quia duæ illæ

III. Feſtivitates azymorum & Paſchæ eodem die celebrabantur.

illæ celebritates fiebant ob distincta Dei erga Israëlitas beneficia; axymorum enim solemnitas ex eo fluxit, quòd populus Israël ab Ægypto liber egressus asportatam inde farinam absque fermento sub cineribus in deserto coxerit, & panem azymicum comederint; unde Deus. Exodi 12. *Observabitis azyma, in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti.* Festivitas verò Agni Paschalis originem habuit ex conservatione Primogenitorum Israël eô tempore, quô primogenita Ægyptiorum ab Angelo exterminatore interficiebantur: Unde Exodi 12. præcipit Deus Israëlitico populo: *Decimâ die Mensis hujus tollat unusquisque Agnum per familias & domos suas. Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum Agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus annicalus, juxta quem ritum tolletis & hœdum. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam, & sument de sanguine ejus, ac ponent super utramque postem, & in superluminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igni. Caput cum pedibus ejus, & intestinis vorabitis. Nec remanebit quidquam ex eo usque mane, si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Phase (id est transitus Domini.) Et transibo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamque primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus, & in cunctis diis Ægypti faciam judicia; ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti; habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiternô.* Ex quibus liquet, solemnitates agni Paschalis, & azymorum diversas fuisse, eôdem tamen die celebrari solitas.

Erant tamen distinctæ.

IV. Omnes Judæorum festivitates à vesperam vesperam celebrabantur.

Nec moveri debet, quòd Pascha celebrabatur decimâ quartâ die primi mensis ad vesperam; solemnitas autem azymorum duntaxat die decimâ quintâ; inde namque non licet inferre, ejusmodi solemnitates diebus distinctis fuisse celebratas; enimverò Judæi solemnitates celebrare solebant, à prima vespera ad aliam vesperam diei festi, Deô ita ordinante Levitici 23. *à vespera in vesperam celebrabitis Sabbata vestra:* vespera autem duas in partes distribuebatur: prior incipiebat paulò post meridiem Sole jam vergente, & declinante ad occasum: posterior ab occasu Solis ad finem crepusculi vespertini. In priori parte vesperæ, Agnus Paschalis parabatur in victimam & immolabatur: in posteriori autem parte comedebatur in legali cœna; sicque secunda vespera diei Paschatis erat prima vespera diei azymorum, ex qua die necessum erat omnem fermentatum panem eliminare, & removere à domibus filiorum Israël.

Notandum tertiò. ex S. Chrysostomo hom 82. in Matthæum, Judæos solitos esse duplicem facere cœnam eô die, quô suum Pascha celebrabant, prima *legalis* erat, idest, à lege præcepta in memoriam transitûs Israëlitarum ab Ægypto, quæ utique fiebat à stantibus, & cum reliquis cæremoniis suprà recensitis: *Secunda communis erat*, & vulgaris post legalem celebratam, fieri solita pro corporali refectione totius familiæ; quæ ubi numerosa erat, non poterat unicô agnô anniculô cum panibus azymis, & modicis agrestibus lactucis satiari. Difficultas autem est, utrum Christus D. eô annô, quô mortuus est, solam hanc vulgarem cœnam celebraverit, non autem legalem, ut censet Author incertus, cujus meminit Photius in sua Bibliotheca num 115. in quam utique sententiam propendet Antonius de Dominis lib. 5. Reipublicæ cap. 6. num. 275. licèt dicat eam à se potius dubitativè tractatam. Idem docuit Villagagnonus, ut refert Sanctesius repetit. 1. de Eucharistia cap. 7. quam pridem antea aliqui docuerant, ut testatur Theophilactus in cap. 26. Histor.

V. Duplex apud Judæos die Paschatis fiebat cœna: legalis & vulgaris.

Quatuor itaque hîc præcipuè sunt statuenda: *Primum*, quòd uterque panis, tam azymus, quàm fermentatus sit materia sufficiens Eucharistiæ conficiendæ: *Secundum*, quòd azymus sit convenientior, utpote cùm in eo Christus D. consecraverit. *Tertium*, quòd Christus comederit agnum Paschalem eô annô quô mortuus est: *Quartum*, quòd instituerit Eucharistiam die 1. azymorum.

Conclusio Prima.

PANIS *tam azymus, quàm fermentatus est sufficiens materia consecranda Eucharistia.* Hæc est communis apud Catholicos, eamque tradit Doctor dist. 11. quæst. 6. nu. 6. ubi ait: Hoc ergo simpliciter tenendum, quòd de necessitate panis consecrabilis, non est, neque quòd sit azymus, neque quòd sit fermentatus; quia secundùm sanctum Anselmum lib. de azymo & fermentato, non differunt essentialiter azymus & fermentatus, & ideo non negamus verè conficere Græcos.

VI. Uterque panis, azymus & fermentatus est sufficiens ad validam materiam consecrationis.

Probatur tum ex Concilio Florentino ubi legimus: *Item definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro, ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque juxta Ecclesiæ suæ, sive Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem.* Patet hujus assertionis veritas: *Tum*, quia uterque panis triticeus est, & censetur panis propriè dictus: de fermentato non dubitant Græci, sed nec dubitare debent de axymo; quippe *Matth.* 26. *Marci* 14. *Luca* 22. id ex quo Christus confecit suum corpus, verè panis dicitur: is autem fuit azymus, ut dicemus conclusione sequenti. *Tum*, quia panis, quem fregit in Castello Emaüs, *Luca* 24. revera fuit azymus; quippe cùm hoc factum sit secundùm nos tertiâ die azymorum; aut, ut volunt Græci secundâ die quô tempore apud Judæos nullus erat fermentati usus: at panis, ille quem ibi fregit, & benedixit Christus, simpliciter dicitur panis: *Factum est*, inquit, *dum recumberet, cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Et infrà, *Cognoverunt eum in fractione panis.*

VII. Quô sensu panis azymus dici possit usualis.

Dices primò: Ille panis est apta materia conficiendæ Eucharistiæ, qui propriè dicitur panis usualis: sed talis est solus fermentatus: igitur, &c.

Distinguo minorem: Talis est per accidens, concedo: simpliciter & per se, nego: is enim panis dicitur per se usualis, qui ex triticea farina, & aqua naturali confectus, igne decoquitur, & in

usum ac notritionem hominum cedit, qualis utique est etiam panis azymus; unde etiam inserviebat Judæis per septem dies ad eorum nutritionem; idcirco autem fermentatus magis frequentatur, quàm azymus, quòd in fermentato sit major delectatio, & ad satietatem, & refectionem amplior dispositio videatur.

Dices secundò: Panis Eucharisticus apud Græcos appellatur ἄρτος, quòd verbum eùm elevationem significet, & deducatur ab αἴρω, quod est tollo, etiam connotat fermentum, quô massa panis attollitur, & elevatur: igitur non est alius panis simpliciter dictus, quàm fermentatus.

Nego consequentiam: Primò namque vanum est argumentari ab ethymologia nominis; nam à diversis diversæ traduntur ethymologiæ; aliunde verò nomina non semper ex proprietate & natura sua, sed ut plurimùm ex beneplacito, & hominum instituto significant. Dico secundò; utrumque panem, azymum scilicet, & fermentatum in Scripturis indiscriminatim ἄρτον appellari: nam Genes. 18. & 19. panes subcinericios quos dedit Abraham, & Loth Angelis ἄρτους, [illegible] erant azymi, ut patet *Levit.* 2. quos Scriptura vocat ἄρτους [illegible]. Psal. 74. panem cœli, &c. panem Angelorum ἄρτον οὐρανοῦ, ἄρτον ἀγγέλων, &c. Videatur de hac quæstione Humbertus tom. 11. Biblioth. Patrum.

Dices tertiò, cum Calvino lib. 3. Institut. cap. 17. num. 43. Ecclesiam semper usurpasse panem fermentatum, & vulgarem ante tempus Alexandri Romani Episcopi, qui primus azymô pane delectatus est, ut rudis & ignaræ plebis oculos traheret magis in admirationem, hôc novô spectaculô, quam ut animos probâ religione pelliceret; à verâ Religione institueret: igitur panis azymus non est præ cæteris usurpandus.

VIII. Falsò dicit Calvinus Ecclesiam primitus usam fuisse fermentato.

Nego antecedens: Impudentissimè enim, ut assolet, mentitur Calvinus, nec solùm malitiam, sed & ignorantiam in hac sua fabulosa narratione prodidit; unde etiam quis fuerit Alexander ille hujus moris institutor, omninò tacet, ne aperti mendacii convinceretur: Quod utique facili negotiô contingere poterat; quòd enim Ecclesia semper usurpaverit azymum panem pro materia legitima conficiendæ Eucharistiæ, haud obscurè colligitur ex S. Epiphanio hæresi 3. ubi Ebionitarum hæresim referens & refellens, ait: *Mysteria autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Ecclesia ab anno in annum per azymos, hoc est, non fermentatos panes; & alteram mysterii partem per aquam solam.*

Hoc etiam apertè testatur Leo nonus in epistola 6. ad Michaëlem Constantinopolitanum, ubi inter cætera scribit: *Quis non stupescat, quòd post tot Sanctos & orthodoxos Patres, per mille & viginti à Passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans, quicunque participarentur Sacramentum ex azymis.* Idem tradit Innocentius III. lib. 4. Mysteriorum Missæ cap. 4. ubi de ritu panis azymi erroris à Græcis insolenter accusato agens sic habet: " Ab ipsis ergo " beatis Apostolis Petro & Paulo, quos vivos ha" buit, & defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu " servavit. Idem tradit Algerus lib. 6. cap. ult. *Nulla,* inquit, *ratio cogit, ut azymum à Christi sacrificio repellatur: dignum est ut quod Christus instituit (omnis autem Ecclesia præter Græcam à primordio sui ex Traditione Principum Ecclesiæ Petri scilicet & Pauli celebravit) indesinenter conservet.* Testatur etiam Rupertus lib. de divinis officiis cap. 22. Consuetudini S. Romanæ Ecclesiæ numquam in Sacrificio fermentatum admittendi totam Græciam, nescio quâ authoritate suffragante refragari.

Conclusio Secunda.

IX. Panis azymus est convenientior quàm fermentatus.

PANIS *azymus consecranda Eucharistia convenientior est, quàm fermentatus. Tum,* quia Christus D. id probavit suô exemplô, quippe primô die azymorum, quô nihil fermentati apud Judæos erat, Eucharistiæ sacramentum confecit: *Tum,* quia panis ille magis congruit significandis proprietatibus hujus Sacramenti: azymus enim puritatem, candorem, simplicitatem, humilitatem & incorruptionem denotat, quæ tum Christo sub Eucharistia latenti, tum Fidelibus ad hoc Sacramentum accedentibus propriè conveniunt: è contra verò fermentum in Scriptura plerumque morum corruptionem, & ementitam virtutem denotat: Sic *Lucæ* 12. Christus Discipulos monet: *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis:* Unde Apostolus 1. ad Cor. 5. *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit: expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis;* sinceritatis quidem contra peccati corruptionem, veritatis autem contra figuras veteris legis.

Dices: Christus D. abrogavit omnia legalia: sed panis azymus est cæremonia legalis, ut constat ex dictis in præcedenti conclusione: igitur non est apta Eucharistiæ conficiendæ materia.

Distinguo majorem: Abrogavit legalia, quæ significabant Christum venturum, & quæ Evangelicis præceptis, & institutis adversantur, concedo: omnia prorsus, nego: *Ad minorem dico,* quòd si argumentum quidquam efficeret, etiam probaret abstinendum esse à fermentato, utpote legali; siquidem *Levitici* 7. & 13. panes fermentati erant Deo offerendi.

X. Quare que Græci licitè fermentato utantur.

Ex his sequitur, non improbandum esse morem Græcorum pane fermentatô utentium: *Tum,* quia id decernit Concilium Florentinum: & expressè monet Leo nonus in prima epistola ad Michaëlem Constantinopolitanum, in qua inter cætera conqueritur de ejus in Latinos sævitia; *Vt fertur,* inquit, *omnes Latinorum Basilicas, penes vos clausistis, Monachis monasteria, & Abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis: ecce in hac parte Romana Ecclesia, quantò discretior & clementior vobis; siquidem cùm intra & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monasteria, sive Ecclesiæ, nullum eorum adhuc turbatur: vel prohibetur à paterna traditione, sive consuetudine. Quin potius suadetur, & admonetur eam observare: Tum,* quia mos ille celebrandi Græcorum in fermentato suis congruentiis non caret: *Primò,* quia panis fermentatus habet quandam elevationem, quâ significat, Christum panem esse vivum, qui de cœlo descendit, quô fideles vegetati ad cœlestia promoventur: *Secundò,* fermentum panem simpliciorem efficit, nec-non & ferventiorem; fermentum enim à fervore dictum videtur, quô denotat gratiæ suavitatem, & charitatis fervorem, ex hoc Sacramento amoris, & spi-

ritualis ſuavitatis excipiendum: *Tertiò*, quia ideirco Latini in azymis conſecrant, ut deſignent, Verbum ſine ulla commixtione carnem ſuſcepiſſe; Græci verò offerunt fermentatum, quia Verbum indutum eſt carne, eſtque verus Deus, & verus homo: igitur unuſquiſque ſive Græcus, ſive Latinus ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem, ac ritum in celebrando ſervare poteſt.

XI. Quiſque tenetur ſervare more ſuæ Eccleſiæ.

Imò tenetur, ut patet ex Decreto Eugenii, in Concilio Florentino, & ex litteris unionis, necnon & ex motu proprio S. Pii V. qui incipit Providentia Romani Pontificis, &c. annô 1566. ubi revocans omnes facultates, vel licentias celebrandi, Græcos more Latinô, & Latinos more Græcô, ſubdit: *Quibuſvis Presbyteris tam Græcis, quàm Latinis præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac perpetuæ ſuſpenſionis à divinis pœnis, diſtrictiùs inhibemus, ut deinceps Presbyteri Græci (præſertim uxorati) Latinô more; & Latini, Græcô ritu, hujuſmodi licentiarum & facultatum, aut aliquovis prætextu, Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere non præſumant.*

CONCLUSIO TERTIA.

XII. Chriſtus ante inſtitutam Euchariſtiam Paſcha Judæorum celebravit.

CHRISTUS D. *reverà eô annô, quô mortuus eſt; Paſcha Judæorum celebravit, & unà cum Diſcipulis Agnum Paſchalem comedit.* Probatur perſpicuis Scripturæ teſtimoniis, maximè ex cap. 26. S. Matthæi, ubi legimus: *Primâ die azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? At Ieſus dixit. Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis. Et fecerunt Diſcipuli, ſicut conſtituit illis Ieſus, & paraverunt Paſcha. Veſpere autem factô diſcumbebat Ieſus cum duodecim Diſcipulis ſuis; cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, &c.* Marci 14. *Primâ azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha?.. & paraverunt Paſcha. Veſpere autem factô venit cum illis duodecim & diſcumbentibus eis... & manducantibus illis accepit Ieſus panem.* Lucæ 22. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Et miſit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus: at illi dixerunt: Vbi vis paremus?.. & dicetis Patri familias domûs: Dicit tibi Magiſter, Vbi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?... & paraverunt Paſcha, & cum facta eſſet hora, diſcubuit & duodecim Apoſtoli cum eo.* Ex quibus apertis teſtimoniis in idem collineantibus, ſic ratiocinari licet. Chriſtus D. ex iis locis opere complevit quod promiſerat per hæc verba, *Facio Paſcha*, quia Chriſtus neque falli potuit, cùm eſſet omniſciens; nec fallere, cùm eſſet optimus: at ea verba Chriſti, *apud te facio Paſcha*, ſignificant eſum agni Paſchalis; licèt enim in Scriptura facere Paſcha, occidere Paſcha, immolare, ſacrificare Paſcha, & ſimiles locutiones etiam ad victimas præter agnum Paſchalem accommodentur: attamen comedere Paſcha, non invenitur in Scriptura, niſi ad eſum agni Paſchalis pertinere.

Deinde, Chriſtus eô modô ſenſuque reſpondet, ſe facere Paſcha, quô Diſcipuli interrogaverant; alioquin enim æquivocatio fuiſſet in reſponſione Chriſti: Sed Diſcipuli ſciſcitati fuerant de vera & propriè dicta manducatione Paſchæ: dicunt enim Matth. 26. *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Marci 14. *Quò vis eamus ut paremus, & manduces Paſcha?*

Deniquè Chriſtus ipſe facere Paſcha per manducationem explicat, ait enim, Marci 14. *Vbi eſt refectio, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?* Lucæ 22. *Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus.... Dicit tibi Magiſter, Vbi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?* Et in ipſa Cœna dixit: *Deſideriô deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar: dico enim vobis, quia non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei:* Sed hoc Paſcha fuit agnus Paſchalis, quem Chriſtus eô comedit annô, quô mortuus eſt; deſiderabat enim illius manducationem, quia tempus erat conſummandæ redemptionis hominum, ob quam homo factus eſt: 1. Cor. 11. *Chriſtus accepit calicem poſtquam cœnavit:* at ea cœna, poſt quam conſecravit calicem, alia non eſt, quàm legalis, in qua manducabatur agnus Paſchalis; non poteſt enim eſſe communis & vulgaris cœna; nam in hac Euchariſtiam inſtituit; hanc enim inſtituit in aliqua cœna, Matth. 26. *Cœnantibus eis:* in ea cœna diſcumbebat cum Diſcipulis, Marci 14. *Diſcumbentibus eis, & manducantibus:* ergo non poteſt fuiſſe cœna legalis, in qua convivæ ſtantes agnum edebant: ergo ſupereſt ut ſit cœna vulgaris.

Confirmatur; quia Chriſtus D. non venit legem ſolvere, ſed implere, & ut teſtatur, Matth. 5. *Iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*; igitur cùm ſtrictè præceptum eſſet Judæis ut Paſcha comederent, non eſt veriſimile Chriſtum D. illud præceptum non impleviſſe.

Dices primò: Si Chriſtus comediſſet agnum Paſchalem, maximè eô die; quô dixit Diſcipulis, ut ſibi pararent Paſcha: at id dici nequit. *Tum*, quia ſeriùs ac tardiùs ipſe cogitaſſet de parando agno Paſchali, præcipuè cùm hôc ipsô die ipſe cum Diſcipulis non eſſet in urbe Hieroſolymitana: dixit enim eis; *Ite in civitatem*, &c. *Tum*, quia Exodi 12. præcipitur, ut die decimâ primi menſis agnus adduceretur in domum, & ibi ſervaretur uſque ad 14. diem, donec immolaretur; quod utique Chriſtus D. facere non potuit; cùm eâdem die quâ erat immolandus agnus, nondum haberet domum præparatam, ubi Paſcha celebraret; ac ſubinde nec paratum haberet agnum: igitur eôdem die, quô Euchariſtiam inſtituit, non comedit agnum Paſchalem.

XIII. Ieroſolymitani parabant agnos Paſchales pro Advenis.

Nego minorem: Nam, ut optimè obſervat Sanctesius *repetitione* 1. *cap.* 7. ex Joſepho lib. 5. de bello Judaico, cap. 45. fuit apud Judæos in more poſitum, ut Hieroſolymitani cives externis in urbem adventantibus Paſcha celebrandi gratiâ, agnos, cœnacula, & omnia neceſſaria præpararent, & pretiô acceptô, aut gratis poſtulantibus miniſtrarent: cùm ergo Hieroſolymitani agnos neceſſarios pro ſe, & pro exteris decimâ die menſis primi præparare eſſent ſoliti, & eos ſervare uſque ad diem 14. conſultô potuit Chriſtus D. ipſô die 14. primi Menſis ſuos delegare Apoſtolos ad eum, quem erant reperturi portantem aquæ amphoram, qui jam comparaverat Agnos in uſum Paſchæ.

Dices ſecundò: Si Chriſtus manducaſſet agnum Paſchalem, maximè in ea cœna, quam fecit cum Diſcipulis: ſed ita non eſt; ſiquidem agnus Paſchalis manducabatur à ſtantibus, & baculos

tenentibus in manibus, idque cum festinatione, & quidem assus, non autem aquâ, aut aliô liquore coctus, ut præcipitur, Exodi 12. ac subinde nullum in ea cœna erat jus carnium, in quo panis posset intingi: sed talis non fuit cœna, quam Christus fecit cum Discipulis, illa namque fuit prolata, longô permixta sermone, lotione pedum interrupta, institutione Sacramenti Eucharistiæ insignis: in ea Christus cum Apostolis accumbebat mensæ: jus aliquod carnium erat, in quo panis Judæ porrectus intinctus est: igitur indicia valida probant observatam à Christo non esse legalem cœnam; neque Paschalem agnum ab eo manducatum esse, cùm Eucharistiam instituit.

XIV. Christus D. duplicem eodem die fecit cœnam.

Respondeo, hæc omnia facili negotiô conciliari, dicendo Christum D. ut facere solebant Judæi, duas cœnas celebrasse, legalem unam, in qua Christus & Apostoli stantes, & baculos tenentes in manibus, Agnum ex legis præcepto festinanter comederunt; communem alteram & usualem, in qua Christus cum Apostolis discubuit, quam prolixô sermone miscuit, & ex qua surrexit, ut Discipulorum pedes lavaret, & cætera præstitit, quæ ab Evangelistis narrantur.

Dices tertiò: Non erat conveniens, ut agnus typicus comederetur eôdem tempore, quô verus agnus in novo Paschate erat edendus, quia figura non stat simul cum veritate, nec umbra cum luce: at in ultima cœna, quam fecit Christus, verus agnus erat comedendus in Eucharistia: igitur in ea agnus Paschalis non fuit manducatus.

Distinguo majorem: Non fuit conveniens, ut id fieret in eadem omnino cœna, concedo: in diversa, & distincta, nego: nihil enim convenientius erat, quàm ut post celebratam figuram veritas succederet. Quæ egregiè sic explicat S. Leo ser. 7. de Passione:

XV. Et agnum mysticum ac verum edendum dedit.

Oportet, inquit, *ut manifestô impleretur effectu, quæ diu fuerant figuratô promissa mysteriô, ut ovem significativam ovis vera removeret, & unô expleretur sacrificiô variarum differentia victimarum. Nam omnia illa, quæ de immolatione agni divinitus per Moysem fuerant præstituta, Christum prophetârunt, & Christi occisionem propriè nuntiârunt. Vt ergo umbra cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novô tollitur Sacramentô, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festivitas dum mutatur, impletur.*

Conclusio Quarta.

XVI. Eucharistia instituta est in pane azymo.

CHristus D. *comedit agnum Paschalem ritu Iudaïcô, scilicet die decimâ quartâ primi mensis; ac subinde verè consecravit in azymis.* Hæc jam sufficienter patet ex dictis, & probatur manifestissimis Scripturæ sacræ textibus; nam Matth. 26. legimus: *Primâ die azymorum accesserunt Discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? At Iesus dixit: Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli, sicut præceperat eis Iesus, & paraverunt Pascha, &c.* Subditque Evangelista; *vespere factô recubuisse, & manducasse cum Discipulis suis, & cœnantibus eis, accepit Iesus panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, &c.* ergo primô die azymorum consecravit, ac proinde in azymis. Et Marci 14. *Primô die azymorum, quando Pascha immolabant.* Et Lucæ 22. *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha.* Ex quibus sic argumentari licet: Prima dies Azymorum in qua Judæi Pascha immolabant, erat dies decima quarta primi mensis ad vesperam, à quo tempore ad septem usque dies non licebat Judæis habere fermentum in suis domibus: sed Christus D. Pascha comedit, & Eucharistiam instituit hâc primâ azymorum die: igitur consecravit in azymis.

XVII. Impia Græcorum evasio præcluditur.

Respondent Græci his evidentibus concussi & fracti oraculis, hos tres Evangelistas esse lapsos errore, & eos à S. Joanne emendatos. Verùm hæc responsio aperta est blasphemia in Spiritum sanctum, qui non minus trium illorum Evangeliorum est Author primarius, quàm quarti; nam Evangelistæ fuerunt tantùm Amanuenses Spiritûs S. qui cùm semper sit infallibilis, ut pote Spiritus veritatis: quemadmodum censetur non errasse in dictando Evangelio S. Joannis; ita nec in aliis utique dictandis errare potuit; alioquì tota nutaret Scripturæ authoritas & veritas; quâ enim ratione unus, aut alter Evangelista errasse dicitur, pari ratione cæteros errore lapsos quis poterit cogitare.

Adde, quòd hæc etiam erronea responsio ab ipsomet S. Joanne proscribatur; quæcunque enim scribit ab his verbis capitis decimi tertii: *Ante diem festum Paschæ*, ad historiam usque Passionis; illa omnia fuerunt peracta post cœnam legalem, pridie mortis Christi, ut colligitur ex his verbis: *Sciens Iesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Hæ enim voces, *Ante diem festum Paschæ*, idem significant, ac pridie Paschæ. Similiter hæc verba: *Venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo*, idem significant, ac instare diem Passionis ejus: sed Christus mortuus est die decimâ quintâ: igitur dies immediatè præcedens erat dies decima quarta. *Probatur minor:* Passio & mors Christi in eum diem incidit, quô Præses unum ex vinctis dimittere solebat, & quô Pilatus dimisit Barrabam: ex calce 18. cap. & initio 19. Joannis, ubi dimissio Barrabæ, Christi flagellatio, tum & crucifixio referuntur, ut unô eôdemque die factæ. Porrò Barrabæ dimissio facta fuit 15. Luna vel in illa die prima solemni azymorum; ibi quippe Pilatus apud Joannem ait: *Est consuetudo vobis, ut unum vobis dimittam in Pascha.*

Etiam ex S. Joanne.

Matth. 26. *Per diem solemnem.* Marci 15. Lucæ 23. *Per diem festum:* dies autem in Paschate festus, non erat alius, quàm primus & ultimus azymorum; *Exodi* 12. Cùm igitur conveniant Græci, Christi D. Passionem non incidisse in ultimum diem azymorum, qui pariter solemnis erat; etiam fateantur necesse est, eam fuisse peractam die decimâ quintâ; ac subinde Christum D. die præcedente, nempe 14. manducasse agnum Paschalem, & Eucharistiam instituisse.

XVIII. Et ex SS. Patribus Latinis.

Quam utique veritatem apertè tradunt Latini Patres: nam Author sermonis de cœna Domini apud Cyprianum, ait: *Inter Sacramentales epulas obviârunt sibi instituta antiqua & nova, & consumptô agnô, quem antiqua Traditio proponebat, consumptibilem cibum Magister apponit Discipulis.* Et S. Hieronymus in cap. 26. Matth. *Primâ azymorum 14. primi mensis, quando agnus immolatur, & Luna plenissima est, & fermentatum abjicitur.* Similiter S. August. epist. 85. reddens rationem, quare 4. & 6. feriâ jejunare solet Ecclesia, circa finem epistolæ ait: Illa ratio reddi videtur, quòd consideratô Evangeliô, ipsa quarta Sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Intermissô autem unô die, cujus vesperâ Dominus

„ Pascha cum Discipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati, deinde traditus est eâ nocte, quæ jam ad sextam Sabbati, qui dies Passionis ejus manifestus est, pertinebat. Hic dies primus azimorum fuit a vespera incipiens. Sed Matthæus Evangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam diem azimorum, quia ejus vesperâ sequente futura erat cœna Paschalis, quâ cœnâ incipiebat azimum, & ovis immolatio manducari. Ex quo colligitur quartam Sabbati fuisse, quando ait Dominus: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur. Ac per hos dies ipse jejunio deputatus est, quia sicut Evangelista loquitur, & dicit: Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caïphas, & fecerunt consilium ut Jesum dolô tenerent, & occiderent. Intermissô autem unô die, de quo dicit Evangelium: Primâ autem azimorum accesserunt Discipuli ad Jesum: dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Hoc ergo die intermissô passus est Dominus, quod nullus ambigit, sextâ Sabbati, quapropter & ipsa sexta rectè jejunio deputatur; jejunia quippe humilitatem significant.

Subscribit S. Leo serm. 7. de Passione Domini: *Divinô*, inquit; *intelligimus dispositum fuisse consiliô, ut sacrilegi Iudaorum Principes, & impii Sacerdotes. qui saviendi in Christum occasiones sape quasiverant, nonnisi in solemnitate Paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem.*

Ac Græcis.

Idem docent Græci Patres, ut optimè probat Arcudius lib. 3. cap. 4. & 5. Primò quidem Origenes tract. 35. in Matthæum, exponens illud Christi D. ad Discipulos: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*: ait: *Si post biduum; utique Luna decimâ quartâ*. Similiter Epiphanius lib. 1. hæresi 30. agens contra Ebionitas, qui esum carnium damnabant, eos confutat exemplô Christi, qui tempore Paschatis comedit carnes: *Quomodo verò*, inquit, *de esu carnium non statim ipsorum dementia redarguetur: Primùm quidem Domino edente Pascha Iudaorum? Pascha autem Iudaorum erat agnus & azima, &c.*

Hoc præcipuè testatur S. Chrysostomus, cujus authoritate suum errorem potissimùm tueri nituntur Græci Schismatici; scribit autem homil. 81. in Matthæum: *Alius*, inquit, *Evangelista dicit: quia vesperi ille non solum comedebat Dominus Pascha, verùm etiam comedendo dicebat: Desideriô desideravi hoc Pascha manducare vobiscum: quare* HOC PASCHA, *idest, hoc anne comedere Pascha desideravit? quia videlicet tunc salus orbi offerenda, tunc mysteria tradenda, & tristia per mortem essent fuganda*. Quòd autem hæc verba non solùm de Paschate Judæorum; verùm etiam de Eucharistia novô Paschate intelligenda sint, tradit S. Chrysostomus homil. 82. dicens: *Hac de causa desideriô desideravi hoc Pascha vobiscum comedere, hoc est tradere vobis res novas, & Pascha dare, quod vos spirituales faciat*. Et iterùm *propterea neque anteà tradidit mysteria, sed cùm deinceps cessare debebant legalia*. Quibus verbis proscribit quorumdam Græcorum elusionem, dicentium Christum celebrasse quidem Pascha, sed anticipatô die; hoc est, decimâ tertiâ, non autem decimâ quartâ, dicit autem S. Chrysostomus, quòd non antea Christus tradidit mysterium Eucharistiæ; sed illâ vesperâ, quando Judæi comedebant Pascha.

XIX. Maximè S. Chrysost.

Idem testatur homil. 33. *Tunc*, inquit, *immiserunt in eum manus, & tenuerunt illum ipsâ nocte, in qua comederunt Pascha, tantâ insaniâ, tantâque furore agitabantur*. Testantur autem Evangelistæ, Christum a Judæis captum esse, statim atque Pascha manducavit, & Eucharistiam instituit: nam S. Joan. cap. 18. cùm retulisset egregium illum ac prolixum sermonem, quem Christus habuit ad Discipulos post peractam cœnam, & institutam Eucharistiam, ait: *Hac cùm dixisset, egressus est cum Discipulis suis, trans torrentem Cedron*. Et tandem homil. 84. exponens illud Joan. *Non intrârunt in Pratorium, ne contaminarentur, sed ut comederent Pascha*, ait: *Quid igitur dicendum est? videlicet cupiditate ita occidendi Christum, eos legem dissolvisse, & aliâ die Pascha comedisse? Neque enim Christus tempus Paschatis violasset, qui sub vesperam illud comederit, sed illi audacissimi homines, & vel sexcentarum legum conculcatores; cùm enim irâ accensi valde essent, & sape conati occidere ipsum minimè potuissent, ex insperato cùm eum cepissent, tempus Paschatis negligere maluerunt, modo ardentes cade animos suos explerent*. Quibus verbis Chrysostomus non contradicit iis, quæ dixit homil. 83. nempe Judæos Christum apprehendisse ipsâ nocte quâ comederant Pascha; enimverò hîc loquitur de Judæis universim, seu de plebe Judaica: Homil. autem 84. loquitur de Principibus Sacerdotum, quos dicit legum conculcatores, etiam non observasse tempus edendi Paschatis, quòd eorum animus valde intentus esset ad inferendam necem Domino.

Confirmatur mens S. Chrysostomi ratione, quâ utitur homil. 82. *Cujus rei gratia venit ad Pascha*, inquit, *omnibus semper ad ultimum Passionis diem, non esse adversarium legi se ostendit*: quare cùm diceret Christus, legis antiquæ observantissimus, juxta illud Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere*: non est credibile illum prætermissurum fuisse esum Paschatis, qui utique tot divinis mandatis præcipiebatur.

XX. Proferuntur fundamenta Græcorum ex Scriptura.

Objiciunt Graci; *Primò*, varios Scripturæ textus, quibus probare nituntur Christum D. anticipasse solitum diem comedendi Paschatis, & illud comedisse die 13. Primò quidem proferunt illud Joan. 13. *Ante diem festum Pascha, sciens Iesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, &c.* Igitur eô tempore, quô lavit pedes Discipulorum, nondum erat inceptum festum Paschatis, nec incepti dies azimorum; alioqui non diceret Evangelista, *Ante diem festum Pascha*: sed in ipso die festo Paschæ.

Secundò, proferunt illud Joannis 18. *Ministri Iudaorum adducunt Iesum ad Caipham in pratorium: erat autem mane: & ipsi non introierunt in pratorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*: igitur nondum Pascha comederant, sed ipsum erant comesturi, ac subinde dies ille erat 14. & consequenter Christus, qui nocte præcedente comederat agnum, anticipavit solitum diem Paschatis.

Tertiò proferunt illud Joannis 19. *Erat autem parasceve Pascha horâ quasi sextâ*, quando Pilatus sedit pro tribunali judicaturus Christum; Parasceve autem idem est, ac vigilia, seu dies præparatoria, in qua nempe disponebantur omnia, quæ pro celebrando Paschate necessaria erant.

Quartò proferunt illud Matth. 26. ubi dicitur, quòd Principes Sacerdotum *consilium inierunt, ut Iesum dolô tenerent & occiderent*: dice-

bant autem, Non in die festò, ne fortè tumultus fieret in populo.

XXI. Nomen Paschæ sumitur quatuor modis.

Respondeo primò, nomen Paschatis variis, sed maximè quatuor modis in Scriptura usorpati, ut observat Innocentius tertius lib. 4. de celebratione Missarum cap. 2, *Primò*, pro eo solo die, in quo immolabatur Agnus Paschalis, sic Lucæ 22. *Appropinquabat dies festus Iudæorum, qui dicitur Pascha.* Secundò, pro ipso agno Paschali, sic ibidem: *Venit autem dies azimorum, in quo necesse erat occidere Pascha*: Tertiò, pro cibis Paschalibus, seu victimis, quæ diebus illis azimorum offerri solebant, & quibus per septem dies vesci licebat: animalia enim sic à populo oblata dicebantur *phase*, juxta illud 2. Paralippomenon cap. 25. ubi legimus: *Dedit Iosias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos & hædos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia... ad faciendum phase.* Quartò denique pro vero Agno Paschali; sic 1. ad Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*: alterutrô ex quatuor prædictis modis intelligi ac dissolvi possunt præfatæ Scripturæ authoritates: sed ut faciliùs diluantur, placet eam sigillatim expendere & explicare.

XXII. Dies Paschæ erat legalis aut artificialis.

Respondeo ad primum, diem *festum Pascha* dupliciter accipi, nempe vel pro *die artificiali*, idest ab ortu Solis, ad ejusdem occasum; vel pro *die legali*; idest à prima vespera incipiente, ad secundam desinentem: Prior dicebatur propriè dies festus, posterior verò primus dies azimorum: prior erat dies decima quinta integra, quæ utique solemnis erat: posterior verò erat dies decima quarta, à cujus quidem pomeridiana parte incipiebat ritus celebrationis Paschæ, sicut etiam nunc fit in nostrarum solemnitatum vigiliis; non autem erat solemnis & festiva, ut declaratur num. 28. v. 16. *Mense autem primô, decimâ quartâ die mensis, phase Domini erit, & decimâ quintâ solemnitas.* Porrò Christus D. Paschalem agnum comedit cum Discipulis die 13. ad vesperam, & sic ante diem festum Paschæ, idest in vespera antecedente diem solemnem artificialem.

XXIII. Nomen Paschæ conveniebat etiam victimis.

Ad secundum dico, nomine *Pascha* ibi non intelligi Agnum Paschalem, sed Paschales victimas, quæ etiam Pascha dicebantur; juxta illud Deuteronomii 16. *Immolabitis Domino Phase de ovibus & bobus, &c.* quorum quidem sacrificiorum pars una cremabatur in holocaustum, secunda cedebat in usum Sacerdotum, tertia verò comedebatur à populo, ut præcipitur Num. 28. postulabatque legalem in edentibus munditiam, ut observat Josephus lib. 3. antiquitatum cap. 3. Quoniam autem Judæi immunditiam legalem contrahebant ex societate & contubernio cum infidelibus; idcirco illi qui Jesum duxerunt ad Pilatum, noluerunt ingredi in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, idest, illas victimas Paschales.

Repones cum Spalatensi, hanc equidem munditiam pro ejusmodi sacrificiorum participatione requisitam fuisse in Sacerdotibus & Levitis, non verò in Laïcis, ut colligitur ex 2. Paralipp. c. 30. v. 15. ubi legimus: *Congregati sunt in Ierusalem populi multi, ut facerent solemnitatem azimorum in mense secundo... Immolaverunt autem Phase 14. die mensis secundi: Sacerdotes quoque & Levitæ sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini... Suscipiebant verò Sacerdotes effundendum sanguinem de manibus Levitarum, eò quòd multa turba sanctificata non esset, & idcirco immolarent Levitæ Phase iis, qui non occurrerant sanctificati Domino: magna etiam pars populi de Ephraim & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctifica non fuerat, comedit Phase*, proindeque sanctificatio legalis necessaria non erat in populo & Laïcis: sed qui duxerunt Jesum ad Pilatum, non erant Sacerdotes, sed eorum Ministri: igitur non desiderabatur in eis munditia legalis ad comedendas victimas Paschales; & consequenter munditiæs, quam requirebant, non erat ad eas victimas manducandas, sed reverà ad manducandum agnum Paschalem: igitur dies illa, quâ crucifixus est Dominus, erat tantùm dies decima tertia.

XXIV. Quæ cum munditia debebant manducari.

Respondeo ad majorem, quòd etsi major munditiæs requireretur in Sacerdotibus, quàm in laïcis, aliqua tamen in his desiderabatur; nam etsi Regis Ezechiæ jussu magna populi pars, quæ sanctificata non fuerat ab immunditiis legalibus; tamen id eis concessum est per dispensationem, scilicet ob urgentem necessitatem reconciliandi filios Israël inter se dissidentes circa cultum Dei, qui per hujusmodi solemnitatem Paschalem invicem sociati sunt in eundem Dei cultum.

Adde quòd hæc victimarum mandocatio; ab immundis laïcis ibidem notetur facta contra legis præscriptum; scribitur enim: *Magna pars populi .... quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est; & oravit pro eis Ezechias dicens: Dominus Deus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum suorum, & non imputabit eis, quod minùs sanctificati sunt. quem exaudivit Dominus, & placatus est populo* Igitur reverà peccasset populus manducando Paschales victimas, cum immunditia legali, nisi cum eo divinitus fuisset dispensatum.

Ad minorem dico, falsum esse, quòd soli Laïci recusârint ingredi in Prætorium ne contaminarentur; siquidem cum eis erant Sacerdotum Principes & Levitæ; legimus enim Marci 15. *Summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis, & universo Concilio vincientes Iesum duxerunt, & tradiderunt eum Pilato*; cùm autem Præses soleret eis dimittere per diem festum unum ex vinctis, quemcunque petiissent, & vellet dimittere Jesum, Pontifices concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. Itaque dici potest, eos, qui noluerunt ingredi Prætorium, ne contaminarentur, sed ut comederent Pascha, fuisse Principes Judæorum, Scribas, Sacerdotes, & Pontifices, qui intermittentes ea, quæ necessaria erant ad celebritatem diei festi, se totos impendebant in procuranda Christi morte.

XXV. Quid significet nomen Parasceve.

Ad tertium dico, nomine *Parasceve*, non intelligi vigiliam, sed diem præparatoriam, seu feriam sextam, in qua præparabantur ea, quæ necessaria erant; non quidem ad esum Agni Paschalis, ut volunt Græci, sed ad victum pro sequente Sabbato: Quamvis enim primâ die azimorum liceret Judæis cibaria parare, ut legitur Exodi 12. id tamen vetitum erat diebus Sabbati, ut habetur Exodi 15. & 35. Quòd autem S. Joannes hîc *Parasceve* nomen usurpaverit, non respectivè ad Pascha, sed ad diem Sabbati, ipsemet luculenter indicat, cùm ait cap. 19. *Iudæi quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbatô, &c.* sed id evidentiùs explicat S. Marcus cap. 15. cùm ait: *Erat Parasceve; quod est ante Sabbatum;*

Et cur potius dicatur Parasceve Paschæ quàm Sabbati.

dicitur autem *Parasceve Paschæ* potiusquam *Parasceve Sabbati*; vel quia erat unus ex septem diebus Paschalibus; vel quia erat pridie Sabbati incidentis in dies azimorum, seu Paschales. A

Ad quartum dico, illam quidem sententiam fuisse quorumdam ex una parte consilantium, verùm alteram partem prævaluisse, judicando scilicet, non esse negligendam occasionem oblatam de Christo capiendo; quamquam dies festus immineret.

Objiciunt secundò: Diebus festivis, maximè in azimorum solemnitate, nihil operis servilis facere Judæis licebat, ut habetur Exodi 20. at eô ipsô die, quô Christus crucifixus est, Joseph ab Arimathia mercatus est syndonem in sepulturam corporis Jesu, quod à Pilato petiit & obtinuit: ipsum de cruce deponens involvit ipsâ syndone, & reposuit in monumento, quod erat excisum in lapide, & advolvit lapidem ad ostium monumenti, ut legitur Marci 15. & ibidem, piæ mulieres emerunt aromata, ut venientes ungerent corpus Jesu: sed hæc opera die festô non erant licita, utpote servilia: igitur Christus non fuit cruci affixus die festô azimorum, qui erat 15. sed die 14. præcedente, & consequenter si manducavit agnum Paschalem cum Discipulis, id præstitit anticipatô tempore, nempe die 13. B

XVI. Licebat Judæis sepelire die festô.

Nego minorem: Josephi enim, & piarum mulierum opera erga Christi D. corpus, tumulandum, minimè erant servilia, sed eximiæ charitatis: quæ utique diebus festivis licebat exequi; legimus enim Tobiæ 2. *Post hæc verò, cùm esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ: dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos de Tribu nostra, timentes Deum ut epulentur nobiscum. Cùmque abiisset, reversus nuntiavit ei, unam ex filiis Israël jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus: tollensque illud portavit ad domum suam occultè, ut, dum Sol occubuisset: cautè sepeliret eum. Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu & tremore; memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam: Dies festi vestri convertentur in lamentationem & luctum. Cùm verò Sol occubuisset, abiit & sepelivit eum.* Igitur diebus festivis licebat mortuos sepelire; ac subinde ea sibi comparare, quæ necessaria erant ad illud impendendum obsequium. C D

Nec refert, quòd Judæis non liceret diebus festivis aliquem accusare aut damnare; hoc, inquam, non obstat, cùm enim Christum D. tanquam Pseudo-Prophetam Dei adversarium, & Mosaïcæ legis expugnatorem existimarent, idcirco putabant se obsequium Deo præstituros, si eum ipsômet die Paschali occiderent, ut sic Deo fieret satis, & irrogata ipsi injuria resarciretur.

Objiciunt tertiò: varias S. Chrysostomi sententias, maximè verò ex homil. de proditione Judæ, ubi inter cætera scribit; *nam, & circumcisionem sustinuit, & Sabbata observavit, & festivitates celebravit, & azima!* Nota) *comedit, & Hierosolymis cuncta hæc peregit: sed nulli horum nos subjecti sumus. Quippe clamat Paulus, Si circumcidamini, nihil vobis Christus proderit. Et de azimis rursus ait: Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azimis sinceritatis & veritatis. Nostra enim azima non sunt farina humore macerata, & temperata, sed sincerum institutum, vitaque honesta.* Cùm igitur S. Chrysostomus dicat nulli horum nos subjacere, non debemus celebrare in azimis. E

Respondet, rectè dicere Arcudius lib. 3. c. 6. S. Chrysost. meritò dicere nos nulli horum subjectos esse, quia neque azima in sacrificio adhibemus tanquam lege quâdam Christi D. adstricti, cùm sacrificium optimè fiat etiam in pane fermentato.

XXVII. Quô sensu sanctus Chrysostomus dixerit nobis non esse licitum uti azimis.

Urgebis: Eôdem modô loquitur S. Chrysostomus de azimis, ac de circumcisione, & de observatione Sabbati, aliisque festivitatibus. Et tamen si quis modò circumcideretur, vel alias Judæorum festivitates observaret, peccaret graviter: ergo eôdem modô si azima offerat.

Respondet idem inter ea, quæ refert S. Chrysostomus, esse nonnulla ἀδιάφορα qualia sunt azima, & etiam locus Hierosolymorum. Nam etiam Hierosolymis possemus sacrificare, non ita tamen ac si alibi non possimus, ut Judæi non poterant. Ita etiam uti azimis, non tamen de necessitate simpliciter, quasi etiam in fermentato confici nequeat. Quamvis modò non sit liberum cuique, sed institutum proprium, & antiquum unicuique servandum est.

Deinde, absolutè dicit, uti azimis more Hebræorum, omnino prohibitum esse, non secus atque prohibita est circumcisio, & observatio reliquarum celebritatum, & ita nulli horum subjicimur, ut si aliquid horum observaremus, gravissimè peccaremus: at uti azimis more Latinorum, nullum prorsus esse peccatum, imò fieri ad imitationem Christi. Quod ex eodem Chrysostomo facilè probari potest. Nam Chrysostomo nonnulli objiciebant, Pascha eum azimis fieri debere; hæc sunt ejus verba in eadem oratione: *Nam hoc etiam audio, multos dicentes, Pascha cum azimis esse.* Non negat autem Chrysostomus ita solitum fuisse fieri, sed negat Judæos ex defectu loci habere azima, quamvis reverà haberent. Non enim celebrabant Pascha Judæi Hierosolymis: *Quod autem apud vos (Judæos) non sint azima, audi Legislatorem dicentem: Non poteris celebrare Pascha in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dat tibi; sed in loco ubi invocatum fuerit nomen ejus, Hierusalem intelligens.*

Præclarè explicat Arcudius.

Si igitur Chrysostomus negat, Judæos celebrare Pascha cum azimis, quia non debitô locô celebrant, quantô magis negaret hic Doctor Latinorum azima esse azima, quæ non unâ aut alterâ, sed omnibus prorsus Judaïcis carent circumstantiis. Alioquin si absolutè & universè ea damnaret, damnaret etiam factum Christi, qui, eôdem Chrysostomo teste, peractô legali Paschate, novum Pascha in eodem mense per azima instituerat. Quia tamen non ita instituerat, quasi de necessitate requireretur azima, propterea Chrysost. per azima interpretatur sanctimoniam vitæ morumque puritatem; quæ nimirum azima necessariò exiguntur ab his, qui verum Pascha celebrant, sive illud materialiter cum fermentato pane, sive cum azimis celebrêt. Et quoniam Christiani illis judaïzantes factum Christi opponebant: *Cur igitur eô tempore Christus fecit?* Quod est dicere, cur Christus & tempus cum Judæis observavit, & adhibuit azima.

Ad hoc respondet Chrysostomus: *Quoniam vetus Pascha figura erat alterius Paschatis futuri: opportebat autem veritatem figuræ succedere, ostensâ prius umbrâ, tunc in eadem mensa veritatem induxit, inductâ autem veritate, umbra deinceps subducitur, & extra suum tempus est* (hoc est cessavit umbræ tempus) sic Chrysostomus. Quare azima per se nullô modô sunt improbanda, ut neque fermentata, nisi adsint circumstantiæ Judaïcæ, & ritus antiquæ legis. Tunc enim utraque impro-

barentur. Quâ ratione damnat ea Canon Apostolicus 70. *Si quis*, inquit, *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo jejunat cum Iudæis, vel cum ipsis festos dies agit, vel ab ipsis Xenia accepit ut azyma, vel quidpiam simile, deponatur. Si verò sit Laicus, segregetur.*

Quanquam, ut verum fateat, eum esse Canonem Apostolorum non existimo. Quomodò enim in Asia Joannes & Philippus Apostoli, aliique non pauci Antistites cum Judæis Pascha celebrassent? ut refert Polycrates. Quomodo plures alii Christiani cum Judæis jejunassent; teste Chrysostomô, si id Apostoli sancitô canone prohibuerant? & cur ipse Chrysostomus agens contra illos Judaïzantes, & Patres Nycænos, pro se citans, præsentem canonem citare prætermisit. Imò & ipsi Patres Concilii Nycæni cur Apostolorum decreta ad persuadendum cæteris in medium afferre neglexerunt. *Hæc Arcudius.*

Addit insuper quòd ejusmodi Canonem semper servârunt æquè Latini atque Græci, neutri enim accipiunt à Judæis azyma, neque jejunant, neque dies festos agunt cum Judæis, aut more Judæorum.

Objiciunt quartò: Christus instituit Eucharistiam pridie quàm pateretur: sed passus est Lunâ 14. igitur instituit Eucharistiam Lunâ 13. ac proinde ante diem azymorum, & sic non consecravit in azymis. *Major patet* ex Evangelio. *Minor probatur*, passus est tribus diebus & tribus noctibus antequam resurrexit, siquidem tribus diebus, & tribus noctibus jacuit in sepulchro, ut ipse prædixerat, *Matth.* 12. his verbis, *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus:* at Christus resurrexit primâ Sabbati, id est die Dominica: igitur reverà mortuus est & sepultus die 14.

XXVIII. Quomodo Christus D. dicatur tribus diebus & noctibus jacuisse in sepulchro.

Nego minorem, contrarium enim apertè colligitur ex dictis: Unde ad ejus probationem dico tres dies & noctes, quibus Christus D. jacuit in sepulchro, non esse intelligendas de diebus & noctibus completis & integris, sed per Synecdochem, ut præclarè explicat Alensis 3. part. q. 20. memb. art. 3. *Sexta feria*, inquit, *cum nocte præcedente erit una dies, & ita per Synecdochem fuit ibi illa die: item fuit ibi per totum diem Sabbati cum nocte præcedente, & ita per totum illum diem naturalem absque Synecdoche: item nox præcedens Dominicam Resurrectionis cum ipsa die est una dies naturalis, & per illam noctem fuit ibi, & ita per diem naturalem, id est, per Synecdochen, & ita per tres dies naturales fuit in sepulchro.*

Instabis. Eâ die Resurrexit Christus D. quâ Ecclesia ejus resurrectionem celebrat, tertiâ videlicet ab ejus morte: at sæpè Ecclesia celebrat ejus resurrectionem Lunâ 15. semper enim celebrat Christi resurrectionem primâ die Dominica post diem 14. quô Judæi suum Pascha celebrant, ne videlicet eorum ritus videatur imitari, si eodem, ac illi, die festum Paschatis celebret; porrò ea dies 15. interdum est Dominica, quando videlicet Pascha Judæorum seu Luna 14. primi Mensis incidit in diem Sabbati; ergo signum est, quòd Christus mortuus sit Lunâ 13. alioqui tres dies & noctes etiam per Synecdochem non occurrerent inter diem mortis Christi & ejus resurrectionis: Et insuper celebraretur Christi D. resurrectio eô tempore, quô ipse adhuc mortuus jacebat in sepulchro.

Distingue majorem, eodem naturali, nego: Ecclesiasticô, concedo: Ecclesia enim non celebrat Christi Domini resurrectionem aliquo die qui determinatè correspondeat Lunæ seu diei 17. primi mensis in qua resurrexit, alioqui cùm dies illa incidat plerumque in aliquam feriam Hebdomadæ, & non semper in diem dominicum, Ecclesia deberet festum Paschæ non semper celebrare die dominico, sed quovis die in quem Luna 17. incideret, sicut celebrat Christi D. nativitatem die 25. Decembris quâcumque die occurrat sive feriali, sive Dominicâ. Hoc igitur unum intendit Ecclesia, ut primâ die Dominicâ post Pascha Judæorum, Pascha novum celebrat; tum ut significet Christum D. surrexisse à mortuis ipsâ primâ die Dominicâ post celebratum Judaicum Pascha; tum ut testetur ex hac diversitate diei, quô novum Pascha celebrat, se fateri vetus Pascha Judaicum fuisse omnino abrogatum.

XXIX. Pascha est necessariò celebrandum die Dominica.

Unde districtè sancitum est, ne Christiani eodem die quô Judæi Pascha celebrent. Legimus enim in Canone 7. Apostolorum, *Si quis Episcopus, Presbyter, Diaconus sacri Paschæ diem ante vernum æquinoctium cum Iudæis celebraverit, deponatur, abjiciatur.* Hinc S. Ignatius epist. 8. ad Philipp. *Si quis cum Iudæis Pascha celebret, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt & Apostolos ejus.* Quod utique præclarè explicat S. Victor. 1. summus Pontifex epist. 1. ad Desiderium Viennensem, in qua scribit, *Vt sancta fraternitas tua à Presbyteris, qui Apostolos in carne viderunt; erudita est, qui & Ecclesiam ad sua usque tempora vixerunt, non 14. Luna cum Iudæis, sed à 15. usque ad 21. Pascha celebravit Ecclesia Catholica: non enim jam umbram, sed veritatem quæ umbra legis celabatur, quærit. Hanc doctrinam Romæ Petrus & Paulus instituerunt, ut in azymis sinceritatis & veritatis Pascha ageretur: qui enim cum Iudæis Pascha agere volunt, quid nisi umbram diligunt, ut agni carnes non in veritate, sed in umbra figurante manducent? Presbyteris Galliarum litteræ mittentur ut observent Pascha, non cum Iudæis negatoribus Christi, sed cum sequacibus Apostolorum prædicantibus veritatem Christi.*

Objiciunt quintò: Id in praxi habebant Judæi ex Majorum Traditione, quòd quando Luna 15. contingebat feriâ 6. non ordiebantur solemnitatem Paschæ feriâ 15. ad vesperam primam, sed tantùm ad secundam; sicque differebant festum Paschatis in sequentem diem, ut traditum fuerat à temporibus Esdræ post reditum à captivitate Babylonica, & instaurationem templi perfectam, sicque Sabbatum erat primus dies solemnitatis: Sed, inquiunt, ita contigit annô, quô Christus passus est; unde Judæi tantùm inceperunt solemnitatem Paschalem ad eam vesperam diei 15. in qua Christus passus est; sicque Christus hanc solemnitatem præveniens, suum Pascha manducavit feriâ 5. cum pane quidem azymo ad id necessario: sed manducatô Paschate, assumptôque fermentatô pane adhuc eô die licitô propter translatum Pascha in sequentem diem, cœnam usualem iniit, & inter cœnandum Eucharistiam instituit; non quidem in azymis, sed in fermentato, quô utebatur.

XXX. Non differebatur Pascha Iudæorum in sequentem diem Sabbati.

Nego majorem: Si enim viguisset ea legis interpretatio tam antiquâ Traditione firmata, quare tum Apostoli nullô monente Christum rogassent; *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha*, si illô ipsô die Pascha non fuisset comedendum? Quorsum assererent Evangelistæ, diem azymorum venisse, in

in qua necesse erat comedere Pascha, si verè A Paschalis dies in sequentem esset procrastinandus, quonam pactò induci potuisset homo ille Hierosolymitanus, ut commodaret suum cœnaculum ad Pascha comedendum contra ritum Gentis, & ordinationem Principum Sacerdotum? Quomodò tandem tam altum hujus Traditionis, & Interpretationis legis silentium esset apud Philonem & Josephum accuratissimos cæremoniarum & legum Israelitici populi Scriptores, nec-non & apud Patres Græcos & Latinos, qui persæpe meminerunt Paschæ Judæorum; & ex eis plurimi constantissime asserunt, Judæos in suo Paschate celebrando, semper observasse lunam 14.

Objiciunt sextò: Si Christus D. passus esset & mortuus primo die azimorum, dies Pentecostes eò B anno incidisset in diem Sabbati: at hoc est contra communem Ecclesiæ traditionem quæ existimat diem Pentecostes & Spiritûs sancti descensum contigisse die Dominicâ, ut scribunt S. Clemens lib. 5. Constit. cap. ultimo, August. serm. 154. de Tempore, S. Leo Epist. 81. Ergo non est mortuus primò die festò azimorum. Probatur major. A secunda die azimorum, in quo Judæi offerebant Deo manipulum, jubetur Levitici 23. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem hebdomadæ septimæ*, idest quinquaginta dies, *& sic offeretis sacrificium no-* C *vum Domino*, scilicet in die Pentecostes: sed in hypothesi dies ille cadit in diem Sabbati, nam 7. hebdomadæ faciunt 49. dies, & hæ in prædicta hypothesi finiunt Feria 6. & proinde cùm dies sequens sit Sabbatum in quo completur quinquagesimus, sequitur inferendum quòd istò annò festum Pentecostes incidit in diem Sabbati.

XXXI. A quo die essent computandi 50. dies à Pascha ad Pentecostem.

Respondet Bellarminus id fuisse consuetudinis apud Judæos ut quinquaginta illi dies numerarentur à primo die profano post festum Azimorum; unde quando secundus dies erat Sabbatum, tunc non à secundo, sed à tertio hæc incipiebat numeratio: Ratio enim cur non à primo, sed à secundo die azimorum hæc fieret numeratio, non alia assignari potest, quàm quia secun- D dus dies profanus erat, & in ea plura fiebant opera servilia, ut manipulorum collectio, &c. quæ primo die facere non licebat ob festivitatem; sed dies Sabbati non minùs erat festivus; unde meritò suprà dixit Scriptura, *ab altero die Sabbati*; non verò *ab altero die Pascha*, ut fortè si quod aliud festum, putà Sabbatum incideret in secundam diem azimorum, tunc computatio fieret non à secunda illa die, sed à die sequenti, quæ esset profana. At ita contigit eo anno, ut secundus dies esset Sabbatum. Ita Bellarminus.

Respondent alii, hanc numerationem fieri à secunda die azimorum non inclusivè, sed exclusivè, E quæ computatio satis familiaris est in Scriptura, sic 2. Paral. cap. 3. dum dicitur, *Facta est grandis celebritas in Jerusalem, qualis à diebus Salomonis non fuit, &c.*

Qua in supputatione tempus Salomonis non includitur. Et ideo cùm secundus dies ille azimorum anno, quò Christus mortuus est, incideret in Sabbatum, certum est hanc computationem inceptam fuisse à die sequente, nomine Dominica, qualiter etiam nos supputationem ordinamus.

Nec refert, quòd die Sabbati omne opus servile, qualis erat ista manipulorum collectio, secundo die azimorum facienda prohiberetur. Dico enim quòd cùm talis manipuli collectio esset in usum religiosum & in divinum cultum, sicut eo die licebat occidere, purgare, & lavare sacrificanda animalia, quidni & licuisset colligere manipulos Deo offerendos?

Ex his patet facilis solutio illius vocabuli *Sabbatum secundò primum*, de quo S. Lucas cap. 6. *Factum est autem Sabbato secundo primo, cùm transiret per sata Discipuli ejus vellebant spicas, &c.* XXXII. Quid sit Sabbatum secundò primum.

Cùm enim 7. hebdomadæ integræ, ac proinde 7. Sabbata numerarentur à secundo die azimorum ad festum Pentecostes; primum Sabbatum dicebatur & primum & secundum. Primum quidem respectu aliorum: secundum autem respectu primi diei azimorum, qui etiam ob solemnitatem, Sabbatum dicebatur, ut patet ex dictis.

Reponit Maldonatus: Mensis in quo numeratio hebdomadarum fieri debebat, erat *Nisan* respondens nostro Martio: sed ille non erat in quo Discipuli vellebant spicas: tum quia eo mense nondum maturæ erant: tum quia tempore Passionis, Ministri calefaciebant se ad prunas, quia frigus erat: Ergo segetes non erant maturæ.

Nego minorem, & ad primum dico, quòd mense Martiò segetes erant maturæ in Palestina; siquidem Deuteron. 16. hic mensis dicitur novarum frugum; *Observa mensem novarum frugum & verni primum temporis*: Insuper Levitici 23. præcipitur, ut postridie diei primæ azimorum offeratur manipulus spicarum: credibile autem non est eos manipulos & segetes oblatas fuisse, antequam grana formata fuissent & aliquatenus maturassent.

Ad secundum dico, mirum non debere videri, quòd eâ nocte quâ captus est Christus D. milites tanto frigore premerentur, ut opus haberint recurrendi ad prunas; interdum enim contingit ut noctes etiam mense Augusto sint frigidissimæ; ut maximè accidit anno præcedente 1675; quidni mense Martio vigere ac surgere potuerit vehementissimum frigus noctis tempore in Palæstina; quamquam diu propter Solis æstum segetes ad maturitatem propenderent?

QUÆRES 1. *Utrum vespera, in qua Christus & Judæi comederunt Agnum Paschalem, fuerit secunda seu præcedens noctem diei artificialis 15. sequentis?*

Affirmo. *Tum quia* vespera ibi debet accipi qualiter accipitur in aliis Scripturæ locis: sed in aliis intelligitur pro secunda vespera. Sic Exodi 18. *De mane usque ad vesperam*: 2. Reg. 2. *Jejunaantes usque ad vesperam, &c. Tum quia* eo die & in ea vespera comedi debebat Agnus ille, quò Judæi in Ægypto primùm Deo præcipiente id celebrârunt: at id celebrârunt in posteriori vespera diei 14. nam Exodi 12. eâdem nocte comedunt Agnum Paschalem & egrediuntur de Ægypto: at egressi sunt nocte præcedente diem 15. artificialem, ut patet ibidem, unde etiam ob id ab ea incipiebat usus azimorum. XXXIII. Christus manducavit Agnum Paschalem in secunda vespera diei 14. & primâ diei 15.

Dices 1. Eâ nocte, quâ comederunt, prohibiti sunt egredi è domibus suis: Igitur eadem nocte non sunt egressi.

Nego consequentiam: Et dico, prohibitionem illam factam fuisse duntaxat propter vitandum percussorem Angelum: at ubi Israelitæ audivissent ex clamore Ægyptiorum jam trucidatos fuisse omnes primogenitos, ac subinde exterminatorem Angelum recessisse, securi egressi sunt de domibus suis, nec-non & de terra Ægypti, ut

legitur Exodi 12. v. 41. *Eâdem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.* Et v. 51. *Eâdem die eduxit Dominus Filios Israël de terra Ægypti per turmas suas.* Itaque Moyses non præcepit Israëlitis, ut è domibus suis eâ nocte non exirent absolutè, sed ut non exirent quandiu percuterentur Ægypti primogenita, seu donec Angelus interficiens illa transiisset, & ab Ægyptiis urgerentur, & cogerentur exire.

Dices 2. Mutuati sunt Israëlitæ ab Ægyptiis aurea & argentea vasa, multamque supellectilem, & abstulerunt Exodi 12. at non id potuissent, si eâdem nocte comedissent agnum, se continuissent in domibus, dum exterminarentur Ægypti primogenita, & exiissent ex Ægypto; vix enim una dies integra satis erat istis omnibus exequendis, & alioquin nocturnô tempore mutuari non potuissent ea vasa.

Nego minorem: Cùm enim Israëlitæ præmoniti fuissent à Moyse de brevi futuro suo discessu, facilè potuerunt colligere suas sarcinas, & ab Ægyptiis petere vasa, priusquam in unum aliquem locum convenirent, & ederent Pascha; maximè cùm Deus dedisset eis gratiam coram Ægyptiis, ut postulata eis commendarent, sicut legitur Exodi 12. & insuper Ægyptii plurimis jam fracti plagis eos quamprimùm egredi cogerent.

Dices 3. Priusquam egrederentur Israëlitæ, convenerunt in Ramesses, ut legitur Num. 33. ex quo loco profecti sunt die alterâ Phase, ut ibidem legitur: *Profecti de Ramesse mense 1o. 15. die mensis primi, & alterâ die Phase filii Israël in manu excelsa, videntibus Ægyptiis, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus castra metati sunt in Socoth*: igitur cùm altera dies Phase sit illa, quæ sequebatur immediatè celebrationem Paschæ, non eâdem nocte comederunt agnum, & exierunt ex Ægypto; igitur comederunt Agnum Paschalem ad primam vesperam.

Nego consequentiam: Quia manducaverunt Agnum in fine diei 14. discesserunt ex Ægypto die 15. summô mane ante Solis ortum; si enim ad primam diei 14. vesperam comederunt agnum, non alterâ die profecti sunt è Ramesse, sed tertiâ die post esum agni; fuisset enim inter esum agni decimâ tertiâ lunâ ad vesperam, tota dies 14. & initium 15.

Instabis: Non potuerunt filii Israël convenire in Ramesses eâ nocte, quâ manducaverunt Pascha: igitur nulla solutio. Probatur anteced. Cùm Ramasses oppidum non esset ita amplum & dilatatum, ut in eo tota Israëlitarum multitudo posset congregari, oportuit ut ibi convenientes habitarẽt in tentoriis: sed eâ nocte, quâ mandocaverunt Pascha, non erant in tentatoriis: Tum quia Deus jussit, ut Agni sanguine Israëlitæ linirent postes, & superliminaria domorum: id autem non potuissent exequi, si Agnum Paschalem occidissent & manducassent in tentoriis: Tum quia vetuit Moyses ne quis egrederetur usque mane de domo sua; non autem dixit de tentoriis suis: igitur eâ nocte, quâ comederunt agnum Paschalem, non convenerunt in Ramesses, sed tantùm die sequenti; & consequenter manducaverunt Agnum Paschalem ad primam, non autem ad secundam vesperam.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, Hebræos non dici congregatos in Ramesses, quasi omnes fuerint in oppido Ramesses: sed in ea regione, quæ Ramesses vocabatur ab oppido, quod erat in ea præcipuum; Hebræi namque, quandiu fuerunt in Ægypto, habitaverunt in terra Gessen prope Ramessen. Nam Genesis 47. cùm Pharao dixisset Josepho, ut patri & fratribus suis traderet terram Gessen, statim subditur: *Joseph verò patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco Ramesses, ut præceperat Pharao.* Porrò Israëlitæ à Moyse Deo jubente admoniti accesserunt ad loca viciniora oppido Ramesses, quò forent ad exitum expeditiores: videntur autem in iis partibus admixti fuisse Ægyptiis, & non in tentoriis habitasse, alioquin non potuissent ab amicis & vicinis vasa vestesque mutuari.

Nec obstat, quòd Josephus lib. 2. Antiquitatum cap. 5. scribat: *Illucescente 14. lunâ, omnes ad exitum animalia sacrificabant.* Non, inquam, obstat; hæc enim vox, illucescente, non significat, cùm instaret decima quarta dies, sed cùm adfuit, seu cùm jam adesset illa dies. Quæ utique significatio ex eodem colligitur; nam lib. 3. Antiquitatum cap. 10. scribit: *Mense Xanthicô, qui nostris Nisan vocatur, & annum exorditur lunâ 14. Sole Arietem obtinente, quandoquidem hôc mense ab Ægyptiaca servitute liberati sumus; sacrificium quod tunc exeuntes fecisse diximus Pascha nominatum, quotannis instaurare lege jubemur, celebramusque per sodalitia, nihil è victimis in sequentem diem relinquentes, quæ est 15. & azimorum festivitas prima.*

QUÆRES 2. *Utrum Christus D. instituerit Eucharistiam, dum adhuc cum Discipulis Iudas præsens adesset?*

XXXIV. Eucharistia instituta fuit præsente Judâ,

Affirmo; Id enim apertè docet & testatur S. Lucas; siquidem ubi dixit Christum consecrasse panem & calicem, ac utriusque prolata consecratoria verba retulit, immediatè subdit Christum dixisse: *Veruntamen ecce manus tradentis mecum est in mensa.* Ergo Judas consecrationi præsens aderat.

Insuper consecratum panem & calicem omnibus præsentibus obtulit, teste S. Marco qui fatetur omnes ex consecrato calice bibisse, *& biberunt ex eo omnes*: at Judas erat ex Apostolis: Ergo cum aliis Christi corporis & sanguinis particeps fuit.

Repones fortè SS. Matthæum 26. & Marcum 14. asserere Judam visâ unguenti pretiosi in Bethania supra Christi pedes effusione ægrè tulisse, obmurmurasse, & à Christo reprehensum deseruisse cæteros Apostolos, ipsumque ad principes sacerdotum illicò properasse: igitur cœnæ cum cæteris non adfuit.

Nego consequentiam: Hæc enim apertè militant & in prædicta Lucæ verba, & in S. Joannem testantem Christum Judæ cœnâ factâ pedes lavisse: imò Matthæus ipsemet asserit Judam in cœna cum cæteris Christum rogasse, *numquid ego sum Rabi?* ait illi, *Tu dixisti*; & immediatè subjungit, *Cœnantibus illis, &c.* Idem ibidem habet Marcus. Ergo *vel* dicendum cum S. Augustino sæpè facta, non secundùm factorum ordinem, sed veritatem Evangelistas referre. *Vel* asserendum Judam quidem secretò abiisse à Bethania ad principes Sacerdotum, & iterum ad Christum rediisse, ut exploraret locum apportuniorem eum tradendi Sacerdotum ministris.

Confirmatur ex Actorum cap. 1. Iudas dicitur

Episcopus & Sacerdos, sicut scriptum est Psal. 68. *Episcopatum ejus accipiat alter*: sed Apostoli ordinati sunt Sacerdotes & Episcopi tantùm in institutione Eucharistiæ: igitur cum aliis Judas præsens aderat.

Eandem veritatem affirmant Origenes tract. 35. in Matth. S. Chrysost. homil. de proditione Judæ S. Cyrill. lib. 9. in Joannem & Author serm. de cœna apud S. Cyprianum, ubi loquens de Apostolis manducantibus agnum Paschalem, ait, *Necdum Iudas ad veterem vitam pertinens diabole invadente & occupante animum ejus, egredi cogebatur; sed ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intravit, parricidialis animus vim tanti sacramenti non sustinens, quasi palea de area exsufflatus est, & praeceps cucurrit ad proditionem & pretium, ad desperationem & laqueum.*

S. Hieronymus in illud Marci: *Biberunt ex eo omnes*, ait: *Et Iudas bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis aterni, qui indignè mysteria Christi sumpsit.*

S. Aug. in Psalm. 10. in ea verba: *Iustus autem quid fecit?* ait: *Christus quid fecit vobis, qui traditorem suum tantâ patientiâ pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut cateris Apostolis traderet.* Idem affirmant S. Leo serm. 3. & 7. de Pass. ante medium; & plures alii, quos citat Vasquez disp. 217. cap. 2.

Objicies primò plures è sanctis Patribus expressè aut tacitè contrarium tenentes. Expressè quidem S. Clementem lib. 5. constit. cap. 13. *Cum autem tradidisset nobis antytipa mysteria pretiosi corporis & sanguinis sui absente Iudâ egressus est.* Innocent. III lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 13. S. Damian. epist. 64.

Respondeo ad S. Clementem, hæc verba *absente Iudâ*, non ad præcedentia, sed ad sequentia *egressus est*, esse referenda, sicque testantur Evangelistæ; nam Judas priùs exierat, quàm Christus egressus iret in hortum. Ad alios Patres dico, fortè aliquos in ea versari sententia; vel fortè velle Judam non fuisse quidem participem effectûs sacramenti, ac sic caruisse tali sacramento, quid enim prodest sacramentum absque illius effectu?

Objicies secundò: Judas acceptâ intinctâ buccellâ continuò exivit ab Apostolorum consortio, ut Christum traderet: sed nec illa buccella fuit sacramentum, ut definit Concil. 3. Braccharense, & asserit S. August. tract. 62. in Joan. neque etiam post institutum sacramentum fuit porrecta. Ergo Judas præsens non adfuit, dum Eucharistia fuit instituta.

Concedo maj. & primam partem minoris: sed nego posteriorem. Hunc siquidem ordinem servavit Christus, ut *primò* cœnam legalem cum Discipulis faceret. *Secundò*, ea peractâ cæremoniali cœnâ, quæ fieri debebat à stantibus, & succinctis, ac baculum in manu per modum viatorum gerentibus, recubuit & accubuit usualiter mensæ cum duodecim, ac inter-cœnandum proditorem præsignavit, ac futuram instantemque suam Passionem pronuntiavit. Hâc autem peractâ cœnâ, surrexit à mensa, pedes lavit, & iterum recumbens sermonem habuit de humilitate, & postea ex residuo pane & vino Eucharistiam instituit ac ministravit singulis. Demum cùm id moris esset apud Hebræos, referente Baronio, ut mensæ præfectus buccellam panis, in embammate ex lactucis aggrestibus confecto intingeret,

A intinxit & Christus buccellam panis usualis, quam Judæ tradidit, & ei dixit: Quod facis fac citiùs. *Cùm autem*, ait Joannes, *accepisset buccellam, exivit continuò*: Hoc est, non expectavit prolixum illum sermonem, quem eò absente Christus ad Discipulos habuit.

Ita pariter sentit, S. Aug. nam præcitatâ homil. 62. sic loquitur: *Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas corpus Christi accepit; intelligendum est enim quòd suum omnibus distribuerat Dominus sacramentum corporis & sanguinis sui. Vbi & ipse Iudas erat, sicut S. Lucas evidentissimè narrat, ac deinde ventum est ubi secundùm narrationem Ioannis apertissimè Dominus* B *per buccellam tinctam suum exprimit traditorem.*

PARTE 3. *Vtrum panis azymus fuerit semper in Ecclesia Latina, & Occidentali frequentatus?*

Affirmo, idque colligitur primò ex Leone IX. epist. 6. quæ est ad Michaëlem Constantinopolitanum, his verbis: Illud, autem, *inquit*, quis non stupescat, quod post tot Sanctos & Orthodoxos Patres, post mille & viginti à Passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans, quicunque C participarentur Sacramentorum ex azymis. Quibus verbis significat per mille & viginti annos, hoc est, a Passione Christi ad sua usque tempora Ecclesiam Romanam confecisse ex azymis.

Ecclesia Latina semper confecravit in azymis.

Probatur secundò ex Innocentio Tertio lib. 4. Mysteriorum Missæ cap. 4. ubi verba faciens de differentia ritûs Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ circa azyma, simulque de insolentia Græcorum Ecclesiam Romanam in eo hæresis accusantium, ita loquitur: Ab ipsis ergo beatis Apostolis Petro & Paulo, quos vivos habuit, & defunctos custodit, hunc sacrificandi ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit.

Probatur tertiò ex Algero lib. 1. cap. ult. Quia D ergo, *inquit*, nulla ratio cogit, ut azymum à Christi sacrificio revellamus, dignum est, ut quod Christus instituit, (omnis autem Ecclesia præter Græcam à primordio sui ex Traditione Principum Ecclesiæ, Petri scilicet & Pauli celebravit,) indesinenter conservet.

Probatur quartò ex Ruperto lib. 2. de divinis Officiis cap. 22. his verbis: Cur sancta Romana Ecclesia nunquam in sacrificio fermentatum admiserit, non otiosè quæritur, nec inutiliter scitur; maximè quia consuetudini huic tota Græcia refragatur; nam de fermentato Græci immolant, nescio quâ authoritate suffragante. Denique opposita sententia nullis fulcitur solidis rationi- E bus.

Objicies primò: Olim confectabatur in pane à fidelibus oblato, ut ex Concilio secundo Matisconensi can. 4. suprà dictum est; imò verò Ebionitæ notati sunt propterea, quòd panibus azymis mysteria celebrarent.

Respondeo, panem à fidelibus oblatum ad usum Eucharistiæ non fuisse fermentatum, sed azymum; quid enim vetat fideles obtulisse azymum? Quantùm ad Ebionitas, hæresis notati sunt; non quia azymis utebantur, sed quia illis utendo existimabant se legem Mosaïcam unà cum Evangelio observare: in eo itaque notati sunt, in quo errabant; error autem non est conficere in azymis, sed animô Judaicô conficere.

Cur Ebionitæ notati sint hæresis.

Objicies secundò ex sancto Ambrosio lib. 4. de

Sacramentis cap. 4. Panis, qui est materia Eucharistiæ, est panis usitatus: talis autem non est azymus, sed fermentatus: ergo, &c.

Respondeo concessâ majore, nego minor. Panis enim azymus est panis usualis, quamvis non ita delectabilis. Responsio est Humberti locô suprà citatô.

Adde S. Ambrosium opponere panem usitatum „ pani consecrato, hæc sunt ejus verba: Tu forte „ dicis, Meus panis est usitatus: sed panis iste, pa„ nis est ante verba Sacramentorum, ubi accidetit „ consecratio, de pane fit caro Christi: igitur hoc „ in loco panis usitatus idem est, quod panis pro„ fanus.

Objicies tertiò: Ante tempora schismatis Photii, azyma non erant in usu, fuissent enim Latinis objecta à Græcis, qui omnia in quibus Latini eis adversabantur, tanquam crimina opponebant; imò huc usque nullus canon azymorum meminit: ergo, &c.

Respondeo negando antecedens: Erant enim azyma in usu ante Photii tempora, sed nondum crimini vertebatur: *Primò* itaque sub Leone IX. exprobratum est Latinis, quod azyma consecrarent, ex quo non sequitur tunc primò invaluisse usum azymorum: aliàs dicendum esset, Ecclesiam Latinam tunc primò abstinuisse à canendo *Alleluya* in Quadragesima, & quia tunc primò suffocata comedit; quia tunc primò id fuit objectum à Græcis.

PARS 4. *Utrum Ecclesia universalis intermiserit celebrationem Eucharistiæ propter hæresim* Ebionitarum *&* Quartodecimanorum.

XXXIV. Ecclesia universalis non censuit esse consecrandum in fermentato propter cavendā hæresim Ebionitarum.

Respondeo id non videri probabile. Primò quidem de Ebionitis: *Tum*, quia nullus è sanctis Patribus aut Pontificibus aut veteribus historicis id asserit, sed solùm quidam Scholastici id sine ulla authoritate aut fundamento affirmant; dicentes cum S. Thom. 3. p. q. 74. art. 4. Alexand. q. 10. membr. 4. &c. utramque Ecclesiam Græcam & Latinam à tempore Apostolorum in azymo instar Christi consecrasse; postea verò exortâ Hæresi Ebionitarum, qui dicebant post Christum legalia esse servanda (ut referunt *S. Epiphan.* Hæres. 30. & *Irenæus* adversus Hæres. cap. 36. libro primo. *Augustinus* libro de Hæresibus ad Quod vult Deus hæresi 9.) utramque Ecclesiam in fermento consecrasse; hac verò cessante occasione, Latinam Ecclesiam ad pristinum morem rediisse, Græcam autem fermentatum obstinato animo conservasse; quibus etiam obiter subscribit Doctor in 4. dist. 11. quæst. 6.

Et quidem confirmant authoritate Leonis Papæ. *Verùm* quis fuerit ipse Leo Papa non affirmant; & meritò quidem; quippe cùm nullus à primo ad nonum hujus controversiæ meminerit: nec ipse Leo nonus id concessit, imò in epistolis ad Michaëlem contrarium statuit, ac ipsum hac de re novum Ecclesiæ Latinæ reprehensorem asserit; multò minus id asseruit Imò sanctus Epiph. suprà laudatus dicit eos hæreticos imitatos fuisse Sanctorum consecrandi morem in azymis.

Nec pariter id congruè fecisset Ecclesia, ab intentoque fine id faciendo excidisset. Nam cùm in hoc imitaretur Christum, multòque magis hoc modo dignitatem hujus mysterii significaret, non erat rationi consentaneum hunc panem relinquere, cùm plura alia Ecclesia retineat à Christo tradita, quibus Judæi in suis cæremoniis utebantur; nam utebantur aquâ in suis baptismatibus, oleo in suis unctionibus, &c. nec tamen aquam in Baptismate, nec oleum in Confirmatione aut Extrema-Unctione propterea abjicere licet.

Adde quod, cùm Ebionitæ in eo erraverint, ut temperantiæ prætextu in sola aqua calicem consecrarent, ad vitandum hunc errorem, Ecclesia tamen nusquam abstinuit a mixtione aquæ cum vino, ne in tali mixtione aliquid cum Ebionitis commune haberet.

Denique si ab eo tempore Ecclesia Græca in fermentato consecrasset; id fuisset usitatum tempore SS. Chrysostomi, Basilii, & Epiphanii, qui multò post sepultam Ebionitarum hæresim vixerunt: at id falsum esse deprehenditur testimoniô Epiphanii.

Confirmatur authoritate Innocentii III. lib. 4. de mysterus Missæ cap. 4. ubi referens & refellens Græcorum argumentum, quô contendunt nos judaizare in azymis consecrantes, hæc ait. *Sciendum ergo, quòd non omnes antiqua legis consuetudines abjecit Ecclesia, sed quasdam providâ consideratione retinuit, dicente sponsâ ad sponsum in Canticis. Omnia poma nova & vetera dilecte mi servavi tibi. Adhuc enim conficit oleum unctionis, & thus suavitatis incendit; adhuc solvit decimas & primitias, adhuc habet candelabrum, & lucernas, & vestes, & vasa, & Pontifices, & Levitas. Nam si propterea repudiandum est azymum, quia lex illud admisit, pari ratione repudietur fermentum, quia lex statuit in Levitico, offerens panes fermentatos cum hostia gratiarum. Non solùm enim de constitutionibus legalibus; verùm etiam de scriptis Gentilium libenter assumit Ecclesia, si quid in eis probè dictum, vel saltem agnoscit; & tanquam mulieris captiva resecat ungues, pilosque superfluos, at ab alienigena falsitate mundata, thalamum veritatis digna sit introire.* Post pauca subdit. *Cæterum id solam Latinis sufficere contra Græcos, quòd Constantinopolitanam Ecclesiam multarum hæreseon corruptio fermentavit, ut non solùm hæreticos, verùm etiam hæresiarchas produceret: Romanam autem Ecclesiam super Apostolica fidei petram stabili soliditate fundatam, nulla prorsus hæretica pravitatis procella potuit conquassare, sed illud semper integrâ fide servavit, quod ab ipsis acepit Apostolis. ... Ab ipsis ergo B. Apost. Petro & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit.* Græci verò postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt, *at perpetua divisionis scandalum interponerent, sacrificii ritum temerè mutavere; quos Leo nonus per epistolam ad Imperatorem Constantinopolitanum directam super variis confutavit erroribus.* Nota.

Siquidem illa gravis Latinos inter & Græcos anno 159. primùm innovata & 198. renovata Controversia, non movebatur de azymis non edendis: sed de Paschate, quod Asiana Ecclesia celebrabat 14. Luna Martii quâque die incideret, Dominicâ aut feriali; Latini verò, secus sentientes affirmabant celebritatem Paschalem tantùm esse faciendam die Dominicâ, quô scilicet Christi Resurrectio contigerat. Eam litem primus omnium movit Polycarpus; cùm enim Romam venisset, convenissetque Anicetum tunc Romanum Pontificem, usitatam in Asia consuetudinem de celebrando Paschate invertere tentavit Anicetus, verùm reluctantem Polycarpum à sententia dimovere non potuit, eo quòd assereret id Asiaos accepisse à S. Joanne Evangelista, ejus ille Discipulus & auditor fuerat, & *sic pace*

XXXV. Nec propter Quartodecimanos.

integra, charitate illæsa, unusquisque in sua sententia permansit. Ut loquitur S. Irenæus natione Græcus, officiô Lugdunensis Episcopus in epistola ad Victorem.

Cùm autem diversus celebrandi Paschatis ritûs, formandi schismatis esset occasio, Judaismique renovandi, Ebionitis non leve præberet argumentum, Pius summus Pontifex anno 159. referente Eusebio in suo Chronico, decretum tulit, quô omnes ad festum Paschatis die Dominico celebrandum adigebat.

XXXVI. Gravis cõtroversia fuit inter Asianas & alias Ecclesias pro die Paschatis.

Verùm cùm nitamur in vetitum, inde factum est ut plures Ecclesiæ rebellaverint, magnaque in eis orta fuit hac de re contentio; quæ ut sedaretur plura pluribi, imperante & sollicitante Victore coacta sunt Concilia, putà *Romanum*, cui ipsemet Victor; *Ponticum* cui Palmas; *Palestinum*, cui Theophilus Cæsariensis; *Gallicum* cui Irenæus; *Osroenum*, & alia innumera, inquit, Euseb. lib. 5. historiæ cap. 22. in quibus unô sensu sententiâque unâ decretum est, Pascha esse die Dominico celebrandum, juxta Apostolicam traditionem, quam omnes isti Patres ab Apostolis acceptam sibi vendicabant, inquit Eusebius.

Idque meritò, nam sanctus Protherius Alexandrinus Episcopus epist. ad sanctum Leonem Romanum Pontificem, quam hâbet venerabilis Beda lib. de ratione temporis cap. 42. affirmat sanctum Petrum eandem veritatem Romæ docuisse, & ab eo acceptam sanctum Marcum Ægyptiis tradidisse. Si autem eo antiquiorem desideres, habes S. Ignatium qui temporibus Apostolorum vixit, & Alexandrinam Ecclesiam quam Petrus fundârat & Paulus edocuerat administravit; quem proinde nonnisi quod ab Apostolis acceperat scripsisse nemo sanæ mentis denegabit: Is enim epistolâ 6. ad Magnesianos Asiæ populos, ait: *Celebrandum diem Dominicum ut dierum principem & resurrectioni Christi dicatum.* Et ad Philippenses, de non celebrando Paschate more Judaïco hæc contestatus inculcat: *Si quis cum Judæis celebrat Pascha aut Symbola festivitatis eorum recipit, particeps est eorum qui Dominum occiderunt & Apostolos ejus.*

Imo ipsius S. Joannis testimoniô rata haberi videtur celebratio Paschæ die Dominico; nam cùm Apocalyps. 1. ejus diei meminerit tanquam celebris in Ecclesia; quænam quæso potuit esse ratio talis solemnitatis, nisi quòd esset jam Christi resurrectioni dicatus, in eoque fideles religiosis studiis Dominicæ resurrectionis sacramentum recolerent? At si more Judaïco 14. Luna esset illa dies habenda; cum incerta esset, utpote quæ singulis annis mutaretur, omnis diei Dominicæ (quæ prima erat) celebrandi ratio cassa videretur. Non tamen inficior S. Joannem id statuisse initiò nascentis Ecclesiæ, ut Judæis ad fidem amplexandam faciliorem viam sterneret, Paulum imitatus qui Timotheum Episcopum circumcidit, ne Judæis infensus & odiosus videretur.

Exinde tamen nullatenus firmanda & probanda erat Asianorum sententia, licèt in suo Concilio ex Victoris ordinatione hac de causa inito statuerint servandam esse Patrum suorum traditionem de celebrando Paschate die 14. in eoque cessanda Ecclesiastica jejunia, ut patet ex epistola quam Polycrates Ephesiorum Episcopus hujus Concilii præpositus misit, aliorum & suo nomine, ad Victorem; in qua plures ex suis prædecessoribus nominat, qui eundem ritum servavere, & subdit: *Ego igitur fratres qui sexaginta quinque annis in Domino vixerim, qui multis cum fratribus per orbem dispersis de fide communicaverim, qui universam Scripturam studiosè evoluerim, his quæ nobis ad terrorem objiciuntur minimè conturbor: mei enim majores dixerunt; magis Deo, quàm hominibus obtemperandum.* Ex quo infero Victorem Asianis minitatum fuisse excommunicationem, nisi priorem de celebrando Paschate 14. die mutarent sententiam, ut die Dominico resurrectioni Domini sacro, unà cum cæteris Ecclesiis agerent.

Verùm, ut patet, nihil in obduratis profuit tanti Pastoris communicatio? quapropter, ubi Victor ex accepta Asianorum epistola novit eorum in veteri suo tuendo ritu pertinaciam, emisso novo ad eos edicto, à Fidelium communione rescidit, & rescissos omnibus aliis notificavit, ut referunt Nycephor. lib. 4. cap. 38. & Eusebius lib. 5. cap. 24. ubi cùm uterque proferat Victorem nimis concitatâ diligentiâ, & nemine consulto talem edidisse sententiam, quam proinde plures Episcopi non probârunt: subdit Eusebius S. Irenæum id pariter cum cæteris ægrè tulisse. Unde quamvis de Paschate die Dominico celebrando eandem cum Victore haberet sententiam, tamen suo & cæterorum Galliæ Episcoporum nomine: *Victorem arguit, quòd non rectè fecerit abscindere à corporis unitate tot ac tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent.*

Plura autem momenta protulit in Victorem S. Irenæus; sed præcipuum petebatur ex Victoris prædecessoribus, putà Aniceto, Pio, Hygino, Telesphoro, Sixto, qui licèt ipsi cum Asiania festum eodem die non colerent, nec colere aliis permitterent, tamen cum Asianis Episcopis pacem & concordiam perpetuò retinuerunt, nec ab Ecclesia propter id unquam fuerunt ejecti; imò ipsis Eucharistiam, (& ut habet Nycephorus) *Sacramentum corporis & sanguinis Christi ad eos direxerunt.*

Verùm S. Irenæi pace dixerim, eum rem non eâ quâ decebat attentione ponderasse; siquidem quandiu cum Catholicis tantùm actum est, tolerabile visum fuit Romanis Pontificibus permittere Asianos more Judæorum 14. Luna celebrare: at cùm hæc indulgentia hæresis validandæ esset occasio, ab ea desistere consultius visum est; Cùm enim his temporibus invaluissent in Asia Montani asseclæ, qui eadem cum Asianis sentientes; nisi quòd illi Lunæ cursum Judæorum more, hi autem Solis, observabant, Pascha celebrandum esse 14. die affirmabant, secus verò facientes errore insimulabant, ut testis est Pacianus libro de Catholico nomine ad Sympronianum.

Cum itaque hæc hæresis ita serperet ut nullatenus intra Asiæ limites contineretur, sed in alias mundi Provincias grassaretur, ipsam etiam pervaderet Ecclesiam Romanam, ex eoque Blastum, aliquam frustrà ambientem Ecclesiæ dignitatem infecisset, ut Author est Tertull. lib. de Præscript. cap. 53. eam indulgentiam diutiùs tolerare, idem videbatur, quòd Schismaticis favere. Quamobrem etsi durum ac violentum visum est multis remedium Victoris Papæ, pernecessarium tamen ad ulcus intrinsecus, extrinsecusque serpente tabo curandum; cum præsertim non eadem esset Asianorum causa, quæ fuerat antea tempore Policarpi, quandoquidem olim illi ex Indulgentia, hi ex necessitate tali die Pascha celebrandum esse affirmabant. Hæc Baronius ad annum 198.

Quæstio Tertia.

Vtrum, & quo jure aqua sit vino consecrando miscenda?

I. Quare Armeni nolebant aquam admiscere vino consecrando.

NOtandum primò, unum fuisse ex Armenorum erroribus[1], quòd existimarent aquam non esse vino consecrando admiscendam, ut apparet ex Canone 32. Concilii Trullani, ubi hic error, ut suprà notavimus, refertur & refellitur; illos autem in ipsum errorem induxit sententia quædam S. Chrysostomi perversè & malè ab eis intellecta: hic enim expendens illa verba Christi B D. *Non bibam de hoc genimine vitis*; homil. 83. in Matthæum scribit: *Cujus rei gratiâ non aquam, sed vinum post Resurrectionem bibit, perniciosam quandam hæresim radicitùs evellere voluit: quandoquidem enim sunt nonnulli, qui aquâ in mysteriis utantur, ut ostenderet quia & quando hoc mysterium tradidit, & quando post Resurrectionem sine mysteriis nudam mensam appofuit, vinô usus est, Ex genimine, ait, vitis; qua certè vinum, non aquam producit.* Ideo autem Armeni nolebant admiscere aquam vino consecrando; quoniam eâm inficerentur hæresi Eutychianâ, duarum in Christo naturarum unionem nolebant agnoscere, ut notat Nycephorus libri 18. cap. 53. *Vinum*, inquit, C *aquâ non temperatum adhibent in divina re facienda, unam in Christo naturam designantes; neque sicuti nos calicem miscent, per quam mixtionem duarum in Christo naturarum & unionem declaramus.* Hunc autem errorem pridem damnatum ac sepultum restaurârunt hujus temporis hæretici; Lutherus enim primò contra Regem Angliæ scriptô, fatuos & stolidos putat eos qui peccatum esse sentiunt sine aqua celebrare. Nonnulli autem Calvinistæ graviùs exorbitantes, sacrilegos, falsarios esse, ac blasphemos hæreticos pronuntiant, qui vinum cœnæ miscent aquâ, eò quòd ad Evangelii puritatem sua adjiciant commenta. Contra quos Errores reclamant omnes D Catholici, affirmantes vinum consecrandum debere necessariò esse aquâ delibutum.

II. Non conveniunt Theologi circa huius mixtionis necessitatem.

Notandum secundò, quòd etsi Catholici Doctores invicem consentiant de necessitate miscendi aquam vino consecrando, non conveniunt tamen circa rationem hujusce astruendæ necessitatis: Quidam enim tempore S. Bernardi contendebant mixtionem illam necessariam esse necessitate Sacramenti, non secus ac panis & vinum; scribens enim ad Guidonem Abbatem de tribus fontibus: *Aiunt*, inquit, *sensisse alium Scriptorem, non posse videlicet absque tribus, idest pane, vino, & aqua hoc sacrificium esse; itaut si quodlibet deesse contigerit, reliqua non sanctificentur:* Quam E utique sententiam S. Bernardus videtur non improbare; subdit enim, *sed de hujusmodi unusquisque in suo sensu abundat.* Eam autem expressè tuetur Armacanus lib. 9. de quæstionibus Armenorum cap. 9, ubi docet mixtionem illam ita necessariam esse; ut si Sacerdos aquam in calice vel incuriâ, vel oblivione non admisceat, irrita prorsus ac invalida sit consecratio; contra quem licèt reclament cæteri Theologi, affirmantes, hanc aquæ cum vino consecrando admixtionem non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed præcepti; dissentiunt tamen, utrum præceptum istud divinum sit, an duntaxat Ecclesiasticum. Duo itaque hîc maximè sunt statuenda: *Primum*, A utrum reverà fieri debeat hæc aquæ cum vino consecrando admixtio: *Secundum*, quò jure id debeat impleri.

III. Duplex est Eucharistiæ significatio sacramentalis & mystica.

Notandum tertiò, duplicem esse Eucharistiæ significationem, respectivè ad duplex Christi D. corpus; naturale videlicet & mysticum, *Primò*, in quantum ordinatur ad repræsentandum Christi D. corpus & sanguinem, quæ realiter & substantialiter continet, utpote cùm utrumque sit verè ac substantialiter præsens sub speciebus Eucharisticis, ac per eas repræsentetur, & significetur: *Secundo* verò ordinatur ad repræsentandum Christi D. corpus mysticum; siquidem ait Apostolus 1. ad Cor. 11. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Prior autem significatio sacramentalis est, posterior verò tantùm moralis & mystica.

Conclusio Prima.

IV. Aquam in calice esse miscendam vino. Probatur 1. exemplô Christi D.

AQua vino consecrando est permiscenda. Probatur primò ab exemplô Christi D. qui vinum aquâ mixtum consecravit, ut colligitur ex Liturgiis S. Jacobi: *Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, & permiscens ex vino & aqua.* Tum S. Marci: *Similiter*, inquit, *& calicem postquam cœnavit, accipiens, factâque vini & aqua commixtione.* Tum S. Basilii: *Similiter*, inquit, *& cùm calicem ex genimine vitis accepisset, miscuisset*, &c. *Probatur secundò*, ex Concilio Carthaginensi 3. Can. 24. suprà laudatô: *Vt*, inquit, *in Sacramentis corporis & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum.* Idem ex Concilio Trullano Can. 32. ubi liturgiæ S. Jacobi & S. Basilii fit mentio.

V. 1. Ratione SS. Patrum. 1. Quia hæc mixtio repræsentat Christi D. Passionem.

Hanc veritatem probant SS. Patres ex mysticis significationibus, & repræsentationibus, quas hujusmodi mixtio ostentat: *Primò* namque repræsentat Dominicæ Passionis Sacramentum, & sanguinem, & aquam, quæ ex Christi Domini pectore lanceâ transfixo fluxerunt; ita Alexander primus Pontifex epist. 1. cap. 4. In *Sacramentorum oblationibus*, inquit, *quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, Passio Domini miscenda est: ut ejus, cujus corpus & sanguis conficitur, Passio celebretur: itaut repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum, & vinum aquâ permixtum in sacrificium offerantur: Non enim debet (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solùm, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum; quia utrumque ex latere ejus in Passione sua profluxisse legitur.*

Secundò probant ex significatione unionis fidelium cum Christo capite; cùm enim Sacramentum Eucharistiæ repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, vinum & aqua id aptissimè significant, quia vinum significat Christum, ex Zach. 9. *Vinum germinans Virgines*: sive, inquit S. Heron, vinum bo- " ni odoris ad Virgines per quod intelligimus Do- " minum Salvatorem, ipse est vinum, quod lætifi- " cat cor hominis, & bibitur ab his Virginibus, quæ " sunt sanctæ corpore & spiritu, ut inebriatæ & " gaudentes sequantur Ecclesiam. *Aqua* autem populos significat: Ita præ cæteris Julius II. epistolâ ad Episcopos per Ægyptum, ut refertur de consecratione dist. 2. cap. *Cùm omne crimen*, ubi ait: *Cùm in calice vino aqua miscetur, Christo popu-*

VI.
2. Quia significat unionem Christi cum Ecclesia.

lus adunatur & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & jungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ, & vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis. Si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: ergo, quando borrus solus offertur, in quo vini tantùm efficientia designatur, Sacramentum nostræ salutis negligitur, quod per aquam significatur. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur. Et ideo: quia jam ex hoc plurima, & multiplex majorum manavit sententia, omnis deinceps talis error, atque præsumptio cessare debet, ne perversorum inordinata compago statum veritatis enervet. Et ideo nulli deinceps licitum sit aliud sacrificiis divinis offerre, nisi juxta antiquorum sententiam Conciliorum, panem tantùm, & calicem vinô & aquâ permixtum: de cætero aliter quàm præceptum est, faciens, tandiu à sacrificando cessabit, quandiu legitimâ Pœnitentia satisfactione correctus, ad gradûs sui officium redeat, quod amisit.

Idem docet S. Cyprianus epist. 63. quæ est ad Cæcilium, ubi loquens de hac mixtione, *ait*: Aquas namque populos significare in Apocalypsi Scriptura divina declarat, dicens: *Aquæ, quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi, & turba, & gentes Ethnicorum sunt & linguæ.* Quod scilicet perspicimus, & in Sacramento calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat; videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde Ecclesiam, idest, plebem in Ecclesia constitutam, fideliter & firmiter in eo quod credidit, perseverantem, nulla res separare poterit à Christo, quominùs hæreat semper, & maneat individua dilectio. Sic autem in sacrificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest; nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusâ sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spiritale & cœleste perficitur. Sic verò, calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum & copulatum, & panis unius compage solidatum. Quô & ipsô Sacramentô populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta & commolita, & commixta panem unum faciunt, sic in Christo, qui est panis cœlestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus & adunatus.

Idem legimus in Matthæi Commentario apud Anselmum *cap.* 16. Quia & vos in Christo, & in vobis Christum manere oportet, vinum Dominici calicis aquâ miscetur; attestante enim Joanne, *aquæ populi sunt*; & neque aquam solam, neque vinum solum, ut nec granum frumenti solum sine aquæ mixtione in pane cuiquam licet offerre, ne talis oblatio, quasi caput à membris secernendum esse significet, & ibi Christum sine nostræ Redemptionis admixtione mortem pati potuisse, vel nos sine illius Passione salvari, ac Patri offerri posse confingat.

VII.
3. Duarum naturarum unionem in Christo.

4. Transformationē nostræ mortalitatis in statum immortalem.

Tertiò, hæc mixtio etiam deservit ad significandam unionem duarum in Christo naturarum, ut notat Nycephorus suprà à nobis laudatus. *Quartò*, etiam indicat transformationem nostræ mortalitatis in immortalitatem; nam, ut notat S. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 1. *Tangit Sacerdos calicem, redundat aqua in calice, & salit in vitam æternam.* Has rationes complectitur Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. ubi scribit: *Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quòd Christum D. ita fecisse credatur; tum etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hâc mixtione: & cum aqua in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.*

Dices primo: Veritas debet respondere figuræ: sed in sacrificio Melchisedech, quod fuit figura Eucharistiæ, fuit tantùm panis & vinum, non autem aqua: ergo neque in Eucharistiæ Sacramento debet aqua admisceri.

Distinguo majorem: Aliqua ex parte, concedo: omni ex parte, nego.

VIII.
Mysteria novæ legis non debêt omnimodè responderetue figuris.

Ad minorem respondet S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. Diximus ergo, *inquit*, quòd in Altari constituatur calix & panis. In calicem mittitur vinum. Et quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? Quid sibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe. Primò omnium, figura quæ ante præcessit tempore Moysi, quid habet? Quia cùm sitiret populus Judæorum, & murmuraret, quòd aquam invenire non posset, jussit Deus Moysi, ut tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra undam maximam fudit, sicut Apostolus ait: *Bibebant autem de consequenti eos petra: petra autem erat Christus.* Non immobilis petra, quæ populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide mysterium. Moyses, hoc est Propheta: Virga, hoc est, verbum Dei. Sacerdos verbô Dei tangit petram & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergo Sacerdos calicem, redundat aqua in calice, salit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est. Didicisti ergo hoc, &c.

Dices secundò: Scriptura sacra damnat ac reprobat mixtionem aquæ cum vino; nam Isaiæ 1. Deus Judæis exprobrat, quòd aquam vino miscerent: *Vinum tuum*, inquit, *mistum est aquâ*: igitur hæc aquæ in calice mixtio est improbanda.

IX.
Quare S. Scriptura improbet mixtionem aquæ vino.

Distinguo antecedens: Scriptura improbat mixtionem, quæ fit in fraudem à cauponibus, qui purum vinum se vendere professi, decipiunt ementes eâ mixtione, concedo; nam Propheta per ejusmodi mixtionem exprobrat Judæis corruptam animi sinceritatem, ita interpretatur S. Hieronymus: quæ fit ad sobrietatem ab iis qui bibunt, nego: nam est opus temperantiæ, quod multa bona significare potest & efficere; ideo Sapientia Proverb. 9. dicit: *Bibite vinum, quod miscui vobis.*

Dices tertiò: Si fieri deberet aquæ mixtio in calice, maximè propter exemplum Christi D. vel propter significationem aquæ illius, quæ ex perforato ejus latere fluxit: sed neutrum rectè

asseritur : Primò, qnia noo constat Christum bibisse aquam ; imò S. Chrysostomus id apertè negar, ut ohservavimus in primo notahili. Similiter Innocentius III. ut refertur Can. *In quadam nostra*, de celebratione Missarum, negat posse verò argumentô probari, quòd in sacramento Eucharistiæ admiseenda sit aqua vino, ex eo quòd aqua de latere Christi fluxerit; noo enim aqua, sed phlegma inde manavit : igitur non ita est faciendum.

Nego miaorem : Cnjus contrarium apparet ex dictis. Ad S. antem Chrysostomum dico cum Patribus Trullanis Can. 32. eum ibi reprobare Hydroparastatas hæreticos, qui (teste Theodoretô lib. 1. hæretic. fabularum cap. 20.) puram aquam in sacrificium offerebant : ideo non vetuit aquæ mixtionem eum vino, utpore eùm Ecclesiæ suæ, putà Constantinopolitanæ, id faciendum esse tradiderit. Ad Innocentium autem dieo, illum quidem coocedere, qoòd ex hoc solo argumento & momento ea veritas & praxis efficaciter non possit probari; non autem denegat aliis rationibus suaderi posse, maximè aotem ex continua praxi totius Ecclesiæ.

Conclusio Secunda.

X. Mixtio aquæ non est de essentia Sacramenti.

ADmixtio *aqua in calice non est de essentia calicis consecrandi, neque de jure divino pracepta; sed tantam Ecclesiastico.* Hæc est communis quantùm ad omnes partes primamque apertè docet Concilium Tridentinum suprà laudatum his verbis : Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesiæ Sacerdotibus, ut aqnam vino in calice offerendo misceant. Si enim id à Christo D. præceptum esse crederet, frustrà adderet *ab Ecclesia Sacerdotibus* ; alioquin pari jure dicere potuisset, ab eis præceptum esse, ut non nisi in vino fieret consecratio : qnod sanè ridiculum esset, & ineptum. Unde Coocilium Florentinum reprehendit Armenos, quòd non miscentes aqnam vino, ab universali utriusqoe Ecclesiæ ritu discreparent ; hisque verbis statuit. *Decernimus igitur ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumqne Sacerdotes in calicis ablutione paululum aqua, prout dictum est, admisceant vino.*

Si autem hoc divinô præceptô faciendum esse arbitraretur, id sane subjecisset; nec solam universalis Ecclesiæ consuetudinem assignasset.

Hoc ipsum indicat Julius Papa epistolâ ad Episcopos per Ægyptum; & habetur de consecr. dist. 2. eap. *Cum omne crimen*, ait, honc ritum fieri juxta canonum ordinationem. *Calix Dominicus*, inqnit, *juxta canonam pracepta vino & aquâ permistus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero sanguinem Christi:* subditque integram S. Cypriani seotentiam suprà memoratam.

XI. Neque à Christo D. præcepta.

Dices. Quod præceptum est à Christo, non solô Ecclesiæ præceptô faciendum est: sed hæc aquæ cum vino mixtio, est à Christo instituta & sub præcepto tradita : Ergo. Prob. 1. ex regula sancti Augustini lib. 2. de bapt. contra Donatistas cap. 7. & lib. 4. cap. 34. *Ea qua communiter & perpetuò in Ecclesia servantur, nec probantur primitus, constituta ab aliquo Concilio aut Ecclesiæ pracepto ordinata, credendam est à Christo fuisse instituta & ordinata :* Sed admixtio aquæ enm vino est ejusmodi; nam Alexander I. qui fuit 5. Pontifex à Petro, ait : se accepisse à Patribus hanc mixtionem esse faciendam.

Secundò, idem affirmant Concilia : siqnidem Carthag. 3. Can. 24. & Africanum, Can. 4. hoc præceptum divinum & Dominicam traditionem appellant. *In Sacramentis corporis & sanguinis Domini*, inquit, *nihil amplius offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit : & hoc est panis & vinum aquâ mistum.* Et Concilium Aurelianense IV. cap. 4. id evidentiùs aperit, nam postquam dixit vinum aqnâ miscendum in ealice, rationem hujns reddens, ait : *Quia sacrilegium judicamus aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Imò Concilium Vvormacense, Can. 4. eandem aquæ ac vini necessitatem insinuat, eùm dicit, *Non potest in calice Domini esse aqua solùm, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur.*

Idem habet S. Cyprianus laudatâ epist. ubi loquens de aquariis, ait: *Non hoc faciunt, quod Iesus Christus Dominus Deus noster sacrificii hujus author & Doctor fecit & docuit.* Paucis interpositis. *Sed quando aliquid Deo inspirante & mandante pracipitur, necesse est Domino servus fideliter obtemperet.* Et eirca medium illius epistolæ, ait : *Invenimus non observari à nobis quod mandatum est, nisi ea qua Dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem Domini pari ratione miscentes à divino magisterio non recedendum, &c.* quid evidentiùs ad præceptum divinum indicandum?

XII. Cui assertioni non repugnant Concilia.

Respondeo ad 1. concessâ majore; ad ejus minorem, hanc aqoæ admixtionem sufficienter probari ab Ecclesia fuisse institutam, ut patet ex dictis, & ex eo quòd Alexander asserat se hunc ritum à Patribus aecepisse, qnô denotatur hanc institutionem antiqoam esse, non verò à Christo.

Ad Concilia Carthaginense, Africanum & Aurelianens. dico ea non loqui de mistione aqoæ cum vino, dum dicunt, *sicut Dominus tradidit*, sed de oblatione vini in calice ; ita quòd non aliud quàm vinum lieeat offerre, nec aliquid vini locô supplere, etsi liceat aquam vino miscere : qood colligitur ex Concilio Antisiodorensi, anno 590. celebrato : ubi alludens ad ea, quæ in prioribus Conciliis decreta fuerant, cap. 8. hæc habet : *Non licet in Altario in sacrificio divino mellitum quod mulsum apellant, nec allum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre : quia ad grandem reatum & peccatum pertinet Presbytero illi quicumque aliud poculum extra vinum in consecratione sanguinis Christi offerre prasumpserit.*

Ad Concilium Vvormacense dico non posse qnidem licitè ealicem Domini in vino solo consecrari propter Ecclesiæ præceptum, posse verò validè.

Ita pariter respondendum est ad S. Cyprianum. Dum verò ait, nos esse admonitos, & edoctos à Christo; non præceptum, sed exemplum intelligit. Dum verò id esse maodatum & à Christo traditum loquitur, oon de mixtione aquæ, sed de vino; noo autem de simplici aqua offerenda intelligendus est. Vel per *mandatum* iotelligit exemplom à quo recedere nefas esset.

XIII. Nec S. Cyprianus.

Vrgebis : Nefas est recedere à Christi exemplo : sed vinum in calice miscuit; ergo & nos miscere debemns. Concedo totum.

Subsumes : Sed quod Christus fecit, præcepit ut idem fieret à Sacerdotibus novæ legis.

Distinguo : Omnia tum substantialia, tum accidentalia & cæremonialia, nego : substantialia sacramentorum, putà materiam & formam, concedo; aliàs priusquam fieret consecratio essent lavandi

vandi pedes, agnus Paschalis comedendus, &c. A

Urgebis: Eò modò mixtio vini & aquæ sese habet ad calicem consecrandum, quò farina triticea & aqua sese habent ad componendum panem consecrandum in corpus Christi: sed hæc sunt essentialia, ut dictum est. Ergo & illa. Probatur major authoritate tum Julii Papæ suprà laudati de Consecr. dist. 2. cap. *Cùm omne crimen*: tum S. Cypriani citata epist. *Sic calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque admixtum fuerit, & copulatum & panis unius compage solidatum.*

Respondeo materiam consecrandi calicis posse considerari vel ut est ordinata, ad Sacramentum: B vel ad mysticam significationem unionis populi cum Christo: Potiò non de priori, sed de posteriori Patres illi sunt intelligendi: nam S. Cyprianus subdit. *Sicut grana multa in unum collecta & commolita & commixta panem unum faciunt: sic in Christo unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus & adunatio.* Hanc autem genuinam ejus mentem esse, evidenter constat ex iis quæ priùs dixerat & probaverat, ex figuris & textibus sacræ Scripturæ, nempe vinum esse necessariam materiam consecrandi & offerendi calicis; ibi enim concludens, ait: *Unde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici; nec sacrificium Dominicum legitimâ sanctifica-* C *tione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderet Passioni.* Non ergo censet aquam esse materiam necessariam, cùm solius vini meminerit.

Instabis: Si consecratio fieret in solo vino, non minùs repræsentaret illam mysticam unionem Christi nobiscum; eò enim modò quò dicimur ab Apostolo unus panis, unum corpus; etiam dici possemus unus calix, unitate incorporationis cum capite, & unitate vitæ à capite ad nos emanantis: Ergo non ob eam unionem significandam dicitur aquæ cum vino mixtio necessaria.

Distinguo antecedens: Representaret simpliciter D concedo: æquè propriè & secundùm Christi exemplum & intentionem, nego: cùm enim, inquit S. Cyprianus aqua populum, vinum autem Christum significet, utriusque commixtio hanc unionem perfectissimè significat.

Urgebis iterum: Idem S. Cyprianus ibidem ait: „ In sanctificando Christi D. calice, offerri aqua „ sola non potest, quomodo nec vinum solum potest: ergo paris necessitatis censet esse aquam, ac vinum.

Nego consequentiam: Et ad antecedens dico, S. Cyprianum intelligendum esse secundùm aliquam comparationem; ita quòd aqua sola non possit offerri sine peccato, sicut nec vinum so- E lum; non autem vult, quòd irrita foret consecratio in solo vino, sicut si fieret in sola aqua: unde etiam non subdit: Si offeratur vinum solum, non erit sanguis Christi, imò ait: Si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: ergo supponit sanguinem Christi posse esse in solo vino; non autem idem dicit de sola aqua, ait enim: Si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.

Subsumes: Statim addit S. Cyprianus: *Quando utrumque miscetur, & adunatione confusâ sibi invicem copulantur, tunc Sacramentum spirituale & cæleste perficitur*: igitur censet, Sacramentum non posse confici, nisi ex permixtione vini cum aqua.

Distinguo antecedens: Sacramentum spirituale perficitur accidentariò, quoad significationem speculativam unionis Ecclesiæ membrorum cum capite suo, concedo: essentialiter, nego: nam etsi desit aqua, vinum in Christi sanguinem convertitur. Unde videtur ibi sanctus Cyprianus accipere Sacramentum non strictè, pro signo gratiæ practico, qualia septem in Evangelica lege numerantur; sed universim & latè, pro signo quocunque rei spiritualis, etiam speculativo: ita quòd, perficiatur spirituale Sacramentum & mystica significatio, cùm aqua miscetur vino; nam, ut ait ibi, Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur, & „ sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si incipiat offerri, secundùm „ quod ipsum Christum videat obtulisse, putà „ si vinum est solum, & non aqua, sacrificium „ est verum, at non plenum, quia non habet significationis & repræsentationis plenitudinem: „ si sola sit aqua sine vino, neque plenum est sacrificium, neque verum: si vinum est cum aqua, „ sacrificium est verum & plenum, quia sacrificii naturam habet, & omnem effectum, atque significationem.

PETES PRIMÒ: *Quanam aqua sit in calice miscenda?*

Respondeo, illam debere esse naturalem & elementarem: *Tum quia*, id suadet exemplum Christi D. qui talem aquam vino miscuisse creditur: *Tum, quia* Concilia, & SS. Patres aquam calici miscendam, appellant aquam simpliciter, qualis est sola naturalis, & elementaris: *Tum denique, quia* hæc aquæ mixtio idcirco fit, ut significet unionem populi fidelis cùm Christo capite, & aquam, quæ è latere perfosso Christi D. emanavit: sed aqua, quæ in Apocalypsi repræsentat populum, est naturalis; similiter illa, quæ fluxit ex latere Christi fuit vera elementaris, & naturalis, ut docet Innocentius III. lib. 3. constitutionum constitutione 134. ubi improbat sententiam illius, qui asserebat in Eucharistia aquam converti in flegma, docetque, quòd sicut fuit verus spiritus, & verus sanguis in Christo: ita vera fuit aqua, quæ è latere ejus exivit, dicente S. Joanne: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis & aqua.* XIII. Aqua naturalis debet misceri in Calice.

Addis quòd si non fuisset aqua, sed flegma, non dixisset Joannes: *Qui vidit aquam exivisse,* „ sed *flegma*: nec in homine verum generationis „ Sacramentum fuisset ostensum, cùm per sacramentum Baptismi non regeneremur in flegmate, sed in aqua. „

An verò aqua vino consecrando permiscenda debeat relinqui in sua naturali frigida conditione, an verò calefieri; apud Latinos in sua naturali conditione relinquitur; apud Græcos calefit, ut significet fervorem Spiritûs sancti: utriusque Ecclesiæ consuetudo approbatur in Concilio Florentino, ac proinde à Theologis improbari non debet. Perinde est utrum, frigida sit aut calida.

PETES SECUNDÒ: *In quanam quantitate aqua sit vino consecrando miscenda?*

Respondeo, debere misceri in modica quantitate. *Probatur* primò ex Honorio summo Pontifice, ut refertur de celebratione Missarum, cap. *perniciosus*; scribit enim: *Perniciosus in tuis partibus increvit abusus, videlicet quòd in majori quanti-* XIV. Misceri debet in modica quantitate.

tate de aqua in sacrificio ponitur, quàm de vino. Cùm secundùm rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus scilicet de vino, quàm de aqua sit ponendum. Similiter ex Eugenio io Florentino: *Eucharistia vino ante consecrationem aqua modicissima debet admisceri.* Decernit *ibidem*, ut Armenii Sacerdotes paululum aquæ vino misceant.

Ratio est, quia si tantùm aquæ poneretur, ut solveretur vini species, non perficeretur Sacramentum; non enim perfici potest, nisi sit vinum: at non esset amplius vinum; quia per nimiam aquæ copiam destrueretur. *Deinde* parva quantitas aquæ sufficiens & convenieos est ad significationes mysticas, ob quas hæc aquæ mixtio B fit. *Primò*, quia per excessum vini supra quantitatem aquæ, designatur excessus dignitatis personæ naturæque Christi divinæ, supra natoram ejus humanam. *Secundò*, per excessum vini super aquam, indicatur excessus meritorum Christi supra hominum peccata: ergo repræsentantur homines ad Eucharistiam, ot par est, accedentes, in Christum aliquô modô mutari, non verò Christum in homines. Nam, inquit S. Augustinus lib. 7. Confessionum, cap. 10. loquens in persona Christi: *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me. nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

PETES 3. *Vtrum aqua vino mixta convertatur in sanguinem Christi per consecrationem?*

Respondeo, hac de re varias olim fuisse Theologorum sententias, quarum præcipuas declarat Innocentius III. ut refertur de celebratione Mis-

XV. sarum §. *quæsivisti*, ubi scribit Archiepiscopo Lugdunensi: Quæsivisti etiam, utrum aqua cùm vino

Quæ priùs cõverti debet in vinũ quàm in sanguinẽ Christi D. in sanguinem convertatur? Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur. *Aliquibus* enim videtur, quòd cùm de latere Christi duo præcipua fluxerint. Sacramenta, Redemptionis io sanguine, ac regenerationis in aqua; in illa duo vinum & aqua, quæ commiscentur in calice, divinâ virtute mutantur: ut in hoc Sacramento plenè sit veritas & figura. *Alii* verò tenent, quòd aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem, D cùm in vinum transeat mixta vinô, licèt Physici contrarium asseverent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. *Præterea* potest di-

XVI. Ut docet Innocentius III. ci, quòd aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa; ita quòd vini saporem assumit, quod inde convincitur, quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum corpori, quod sub eis latet, undique circunfunditur, non madidans circunsusum: ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur afficere, quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. Contingit E igitur accidentia mutare subjectum, sicut & subjectum contingit accidentia permutare: cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Sed nec inconveoiens creditur aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cùm legatur de illius latere processisse. *Et infrà:* Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam vino mixtam in sanguinem transmutari: ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti: Nam cùm aqoæ multæ sint multi populi, juxta quod alibi legitur: *Beati qui seminatis super omnes aquas*; ideo vino aqua unitur,

A ut Christo populus adunetur: per hoc enim quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo: tam insolubili nexu conjungimur, ut qui est unum cum Patre per ineffabilem unitatem, fiat unum oobiscum per admirabilem oojonem, ac per hoc, ipsô communiter mediante cum Patre unum efficimur. *Pater*, ioquit, *sancte, serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos: non pro his rogo tamùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut & ipsi in nobis unum sint, & mundus credat, quia tu me misisti.*

Innocentio subscribuot illustriores Theologiæ Principes, P. Alensis 4. p. q. 10. num. 4. art. 10. S. Thomas 3. parte, q. 74. art. 8. Subtilis Doctor dist. 11. quæst. 7. num. 2. ubi ait: *Quia quando aqua apposita non convertitur in sanguinem, nisi priùs conversa sit in vinum, ita modica est apponenda, & ita tempestivè quod ante consecrationem possit conversa fuisse in vinum.* Probatur autem hæc sententia: Illud tantùm immediatè vertitur io sanguinem Christi, quod est materia calicis consecrandi: sed aqua non est materia consecrandi calicis: igitur illa noo potest immediatè converti in sanguinem Christi: Major constat. Minor verò probatur: *Tum, quia* sancti Patres & Concilia agendo de materia calicis in Eucharistia consecrandi, docent esse vinum de vite, non autem aquam: sic sanctus Hieronymus lib. 2. contra C Jovinianum de Christo D. sic ait: *In typo sanguinis sui, non obtulit aquam, sed vinum.* Et S. Augustinus lib. 3. de Trinitate, cap. 4. *Corpus Christi & sanguinem dicimus*, inquit, *illud tantùm, quod de fructibus terræ acceptum, & prece mysticâ consecratum ritè sumimus ad salutem spiritualem & memoriam pro nobis Dominicæ Passionis.* Et ex Concilio Carthaginensi III. Can. 24. *Nec amplius in sacrificiis offeratur, quàm de vinis & frumentis.*

XVII. Cui subscribunt Theologiæ Principes.

Deinde, illud solùm immediatè convertitur in sanguinem Christi, quod ab eo institutum est pro legitima materia consecrandi calicis; siquidem solus ipse materias Sacramentorum novæ legis instituit: sed Christus non instituit aquam tanquam materiam consecrandi calicis & transsubstantiationis, quia illa noo miscetur vino consecrando ex mandato Christi, sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ: igitur, &c. *Deinde*, illud solùm immediatè transsubstantiatur io Christi sanguinem, sub cujus accidentibus, aut speciebus sanguis Christi consecratus continetur & conservatur in calice substantialiter: at Christi sanguis continetur solùm & conservatur sub speciebus vini, non sub speciebus aquæ; Tridentinum enim aliud non asserit.

Denique, si sub aquæ speciebus in calice Christi sanguis esse posset, in iis à vino, vinique speciebus separatis adhuc posset existere; ex aliquibus enim Physicis aqua vino mixta, per artem chimicam ab eo separari potest, ut ipsi volunt: ergo species aquæ consecratæ possent à speciebus vini separari: si aotem Christi sangois in calice sub aquæ speciebus fuisset, post ejusmodi separationem, eum adhuc servare possent; solâ quippe separatione Christi sanguis ab iis non recederet, quia tamdiu consecratæ species Christi corpus & sanguinem servant, quandiu maneret in iis substantia rerum coosecratarum, si conversa non esset: at aquæ substantia maneret adhuc in iis speciebus, si tantùm à vino separarentur: ergo consecratæ Christi sanguinem seorsim à vini speciebus in se retinerent: at hoc est ab-

surdum, si possent enim aquæ species in se Christi sanguinem habere seorsim à vini speciebus, aqua seorsim à vino consecrati posset, quod est hæreticum.

Repones, matetiam quidem pet se consecrationis, esse vinum de vite duntaxat, materiam autem per accidens, & ratione alterius, esse particulas aquæ vino permixtas; siquidem ex ipsis & vino fit potus aptus ad nutrimentum: cùm autem Concilia, & SS. Patres dicunt solum vinum esse materiam Sacramenti, loquuntur de materia per se, non verò per accidens.

Verùm contrà: Sicut sacramentum Eucharistiæ est per se non solùm in toto sensibili, sed etiam in singulis particulis materiæ consecratæ; ita ratio materiæ idoneæ adhoc Sacramentum debet non solùm consistere in toto sensibili vini, sed etiam in singulis ejus partibus, ut possint per consecrationem converti in sanguinem Christi. Deinde Concilium Tridentinnm sess. 13. can. definit factâ consecratione, & conversione panis in corpus, & vini in sanguinem, manere solas species panis & vini, nullâ factâ mentione aquæ, & specierum ejus: ergo vult rationem materiæ consecrationis convenire solùm vino. Et in eadem sess. can. 3. definit, in sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus factâ separatione, esse corpus & sanguinem Christi: sed sub illis particulis, in quibus non sunt qualitates, & proprietates vini (siquidem in illis non fuit substantia vini, sed solùm aquæ) si separentur ab illis, non erit sanguis Christi, cùm non habeant proprietates vini: ergo particulæ aquæ vino admixtæ, quæ non sunt conversæ in substantiam vini, non sunt partes alicujus speciei consecratæ: ergo nec materia consecrationis.

XVIII. Sanguis Christi non potest fieri præsens nec conservari sub speciebus aquæ separatis à vino.

Repones iterum, probabile esse quòd sub illis speciebus aquæ à vino separatis maneat sanguis Christi, sicut manet sub speciebus vini, quamvis aqua à vino separata, non sit apta consecrationis materia; plura enim interdum requiruntur ad rei effectionem, quàm ad illius conservationem.

Contrà. Hæc responsio directè militat, tum in Concilium Tridentinum, docens, non nisi sub speciebus panis & vini conservari corpus & sanguinem Christi; tum in ipsam rationem; siquidem solæ illæ species possunt Christum continere, ex quarum substantia Sacramentum potest confici: at ex sola aquæ substantia non potest Sacramentum confici: ergo neque sub solis speciebus aquæ poterit conservari.

Adde quod eôdem modô Patres & Concilia asserant, vinum esse materiam Eucharistiæ conficiendæ & conservandæ, sicut panis triticeus est materia conficiendi ac conservandi corporis Christi: sed si hostiæ consecrandæ admisceatur aliqua pars farinæ hodeaceæ, aut alterius generis in notabili quantitate, illa nullô modô convertitur in corpus Christi; neque, si separaretur à partibus panis triticei consecrati, conservaret præsentiam corporis Christi: sicut enim antequam pani triticeo uniretur, non erat materia apta ad consecrationem; ita neque fiet talis, eò quòd pani triticeo uniatur, nisi in panem ipsum substantialiter convertatur: igitur à simili aqua vino permixta, aut ab eo consecrato separata, non potest esse materia apta ad consecrationem, & conservationem sanguinis; si enim antequam uniretur, non erat materia ad consecrationem

A sanguinis idonea; ita neque talis fieri potest per solam unionem & juxtapositionem cum vino, sed per solam conversionem in vini substantiam.

XIX. Objiciuntur SS. Patres qui videntur asserere aquam immediatè converti in sanguinem Christi.

Objicies primò varias SS. Patrum, & Conciliorum authoritates suprà à nobis expressas, asserentes vinum aquâ permixtum esse materiam calicis consecrandi. Ita præcipuè Alexander I. *Epistolâ ad orthodoxos*, & habetur de consecratione dist. 2. cap. 1. *Non debet*, inquit, *in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri: sed utrumque permixtum offeratur, quia utrumque ex latere ejus in Passione profluxisse legitur, &c.* ubi dicitur, æquè offerri aqua, ac vinum: sed vinum non offertur nisi per consecrationem: ergo æquè in sua B substantia manet aqua ante consecrationem, ac vinum. Urget etiam S. Cyprianus *suprà* citatus illâ *epist.* 3. art. 63. qui ait, *tunc Sacramentum cœleste effici, quando aqua & vinum confusa admixtione copulantur, &c.* quod non fit, nisi utrumque in sua substantia maneat. Item *cap.* 4. *de consecr. dist.* 2. quod sumptum est ex Concilio Martini Papæ, dicitur, *Vinum & aqua dicuntur offerri, & benedici, &c.* quod nequit fieri, nisi aqua maneat in substantia ante consecrationem. Item S. Ambrosius *lib.* 4. *de Sacramentis, cap.* 5. *Ante verba Christi, calix est vinô, & aquâ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur.* S. Augustinus 4. de Trinitate, cap. 14. *Aqua mitti- C tur in calicem, & fit sanguis conversione verbi cœlestis.* Similiter Paschasius Corbeiensis lib. 1. de corpore Christi, cap. 11. *Nec dubium*, inquit, *quin sub hoc mysterio bibamus aquam, quam, inquit, ego dabo ei, & fiat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: propterea non inconvenienter etiam ob hoc ibidem aqua consecratur; non quòd aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem, ut significet quid fides præcipiat.* Ex quibus inferre licet: Aqua dicitur à Patribus & Conciliis benedici, offerri, consecrari, converti in sanguinem: igitur remanet in sua substantia, donec sic convertatur: & consequenter ex sententia SS. Patrum aqua immediatè convertitur in sanguinem.

Sed solvuntur.

Nego consequentiam: Dum enim SS. Patres do- D cent, vinum aquâ mixtum offerri debere, intelligendi sunt de oblatione præparatoria, & sic verum est, quòd aqua nondum in vinum conversa offeratur: Vel intelligendi sunt de oblatione essentiali, seu consecratoria, & sic pariter verum est, quòd aqua in vinum conversa mediatè convertatur in sanguinem Christi; nemo enim eorum dixit, aquam immediatè in sanguinem converti, sed quòd simpliciter & absolutè convertatur in Christi sanguinem, dum ipsa priùs in vinum conversa est.

Instabis: Si aqua non converteretur in sanguinem Christi immediatè, & quin priùs converteretur E in vinum, inepta esset SS. Patrum locutio, dum asserunt aquam converti in sanguinem Christi, sicut ineptè & ridiculè diceretur quis convertere herbam in propriam substantiam, quia manducat agnum, qui herbam in suam carnem converterat: igitur intelligendi sunt SS. Patres de conversione immediata.

Nego antecedens: Conversio enim mediata rectè & legitimè vera censeri potest, quanquam res quæ dicitur converti, non existat in sua substantia dum fit illa conversio; nam panis & vinum rectè dicuntur in carnem & sanguinem mutari, quamvis hæc non subsistant in sua substantia, dum fit illa in carnem conversio, sed per stomachi decoctionem in chilum transierint, & per hu-

jus converſionem in ſanguinem, & ſanguinis in carnem. Poteſt igitur hôc communi loquendi modô, aqua dici permanere, etiamſi in vinum ſit converſa; maximè cùm ipſa aqua in vinum converſa adhuc aquæ appellationem retineat, ut legimus 2. *Ioan.* Ut autem guſtavit Architriclinus aquam vinum factam.

Adde quòd ſicut elementa dicuntur manere in mixto in quod convertuntur, licèt non maneant ſecundùm propriam formam; ita eâdem proprietate dici poſſet aquam mutari in ſanguinem, quamvis priùs fiat vinum. Non tamen cum tanta proprietate dici poteſt quis convertere in propriam ſubſtantiam herbam, quam agnus ab eo comeſtus manducavit, quia hæc comeſtio herbæ à manducante agnum nimium remota eſt, & pluribus converſionibus intermixta. Hâc ratione ſolvendus eſt pariter S. Juſtinus Martyr apologiâ 2. pro Chriſtianis, ubi ait circa finem: *Poſteaquam & is qui præeſt, gratias egit, & populus omnis benedixit, ii, qui apud nos Diacones dicuntur, dant unicuique eorum qui adſunt, percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, & ad eos qui adſunt, perferunt: atque cibus hic apud nos Euchariſtia nominatur, &c.* Ubi dicit dari poſt conſecrationem panem, vinum, & aquam, ratione ſpecierum. Intelligendus eſt enim ſanctus Juſtinus, non quidem litteraliter, quaſi ſpecies aquæ remaneant poſt conſecrationem, ſicut & vini: ſed præparatoriè, quia calix conſecrandus debet eſſe permixtus aquâ & vinô.

Objicies ſecundò Concilium Triburienſe, cap. 19. in quo præcipitur, ut in calice apponantur duæ partes vini, & tertia pars aquæ: ſed dum tanta apponitur aqua, facilè non poteſt in vinum converti ante conſecrationem: igitur ex mente Concilii non eſt neceſſe, quòd aqua priùs in vinum convertatur, quàm fiat conſecratio, & conſequenter poteſt immediatè conſecrari, & in Chriſti ſanguinem converti.

XX.
Explicatur Concilium Triburienſe.

Reſpondeo primò, Concilium illud fuiſſe duntaxat Provinciale, cujus decretum reſciſſum eſt & emendatum per Concilium Florentinum præſcribens toti Eccleſiæ, ut aqua modiciſſima vino conſecrando apponeretur. *Dico ſecundò*, Concilium iſtud in ſuo Decreto non attendiſſe ad converſionem aquæ, ſed ſolùm ad retinendam myſticam ſignificationem unionis populi cum Chriſto; ad quam retinendam voluit, ut nunquam major, quàm tertia pars aquæ miſceretur, ut conſtat ex ipſius Concilii verbis; ait enim: *Non debet in calice vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere Chriſti fluxit; ſed ſic, ut duæ partes ſint vini, tertia verò aquæ; ratio eſt, quia major eſt dignitas ſanguinis Chriſti, quàm fragilitas populi.* Quòd autem ob illum alium finem ab Eccleſia intentum, ut ſcilicet aqua convertatur priùs in vinum quàm in ſanguinem, multò minor aquæ portio ſit admiſcenda, patet ex Concilio Florentino cit. quod præcipit, ut admiſceatur modiciſſima.

Objicies tertiò: In prima Calicis conſecratione aqua converſa fuit immediatè in ſanguinem Chriſti: igitur etiam ita nunc fieri credendum eſt. Probatur antecedens: Cùm enim Chriſtus D. ſobrietatis, ſicut & aliarum virtutum ſectator eſſet zelantiſſimus, haud dubium eſt, quòd uberiorem aquam infuderit calici conſecrando: ſed aqua illa non potuit converti in vinum; refert enim Evangeliſta, quòd accipiens calicem benedixit, & dedit Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes: tam modicò autem tempore non potuit hæc aqua largiter ſuper vinum infuſa in vinum converti: igitur immediatè converſa eſt in Chriſti ſanguinem.

XXI.
Chriſtus D. modicam aquam calici infudit.

Nego minorem: Chriſtus enim in inſtitutione hujus Sacramenti piè creditur calicem vini aquâ duntaxat modicâ miſcuiſſe; maximè cùm id faceret non modò uſuali, & ſolius temperantiæ cauſâ, nec ut communem potum præpararet: ſed propter ſignificationes myſticas, primâ concluſione expreſſas. *Adde quòd*, ut colligitur ex Liturgia S. Jacobi, Chriſtus D. poſt illam mixtionem aquæ multas interpoſuit actiones ante benedictionem, & conſecrationem calicis; ac ſubinde ſat temporis effluxit inter mixtionem & conſecrationem, ut aqua illa poſſet in vinum tranſmutari. Unde etiam Eccleſia ad imitationem Chriſti ſtatuit, ut modica aqua vino conſecrando admiſceretur, non quidem immediatè ante conſecrationem, ſed tali morâ interpoſitâ, quanta ſufficere poſſit ad ipſius aquæ in vinum converſionem.

Objicies quartò: Forma calicis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel *hic eſt ſanguis meus*, deſignat totum liquorem in calice tranſire in Chriſti ſanguinem: ſed ſæpiùs accidit, quòd dum hæc verba proferuntur, aqua nondum ſit in vinum converſa, putà ſi infuſa fuerit in majori copia, vel ſi vinum ſit minùs generoſum, & valdè debile: igitur aut illa aqua remanet ſecundùm ſubſtantiam in calice, aut immediatè convertitur in ſanguinem Chriſti: ſed dici nequit, quòd remaneat ſecundùm ſubſtantiam: *Tum, quia* daretur occaſio idololatrandi Chriſti fidelibus, quippe eis proponitur adorandum id omne, quod eſt in calice, & conſequenter ſi aqua remaneret ſecundùm ſubſtantiam, fideles id, quod eſt in calice adorantes, committerent idololatriam quippe cùm puram creaturam adorarent. *Tum, quia* Sacerdos liquorem calicis, in quo eſſet illa aqua, bibens, non remaneret jejunus; atque adeo non poſſet illô die aliam Miſſam celebrare, quando id jure aut privilegiô conceditur, ut in die Natalis Domini.

XXII.
Licèt aqua in calice conſecrato remaneat, non committitur idololatria.

Nego poſteriorem partem ſequelæ minoris: Illa enim forma conſecrationis calicis ſolùm indicat vinum, & non alium liquorem; calix enim ſupponit pro vera & neceſſaria materia conſecrationis, quale eſt ſolum vinum; unde ſi muſca, aut gutta mellis, vel aquæ roſaceæ caderet in calicem paulò ante conſecrationem, illa non tranſirent in Chriſti ſanguinem; quippe cùm non ſint materia conſecrabilis; idem autem dicendum eſt de aqua nondum in vinum converſa, quippe cùm hæc non ſit materia neceſſaria calicis, ſed tantùm illius appendix.

Ad primam autem probationem dico, inde non ſequi ullam committi idololatriam, quia populo non offertur adorandum, niſi quod eſt adorationis capax, nempe ſanguinem Chriſti D. Neque fideles adorando calicem, ſuô cultu in aliud feruntur quàm in Chriſti ſanguinem & ea quæ ipſi per ſe connectuntur, non verò in ea quæ ei junguntur per accidens: unde ſi muſca vel aliquid aliud cadat in calicem conſecratum non adoratur à populo, neque ibi ulla eſt idololatria.

XXIII.
Nec Sacerdos eum calicem ſumendo, ſol-

Ad ſecundum dico, quòd in eo caſu ſolvetur quidem jejunium naturale, quod conſiſtit in abſtinentia cujuſvis potûs & cibi, non verò jejunium Eccleſiaſticum, ſeu Canonicum, id eſt, ab Eccleſiæ Canonibus præceptum; ea ſiquidem aquæ

vie ieiunium Canonicum.

bibitio cùm Sacramento conjuncta, non prohibetur ab Ecclesia ante iteratum sacrificium in diebus ab Ecclesia concessis; hanc enim admixtionem aquæ tanti facit, ob ejus mysticas significationes Ecclesia, ut non prohibeat iterari sacrificium à Sacerdote, qui naturale jejunium haustu aquæ Sacramento mixtæ solvebit: cùm enim jejunium imperavit Ecclesia, solùm ad Eucharistiæ venerationem & majestatem commendandam; & ea majestas imprimis commendatur aquæ mixtione cum vino: Et ne prætermittatur ea mixtio, maluit Ecclesia Sacerdotem, qui potando parùm aquæ Dominico sanguini mixtum, aliquâ ratione solvit jejunium naturale, iteratò posse Missam eôdem ipsô die celebrare, quàm ab aqua vino consecrando miscenda etiam in his angustiis cessare.

Objicies quintò: Aqua est corpus simplex, quod nequit transire in mixtum, nisi concurrentibus tribus aliis elementis, ut docet Aristoteles, *lib. de Generatione cap.* 10. Quod utique confirmatur experientiâ, quia per artem chimicam separari etiam potest aqua à vino consecrato: igitur illa non potest converti in vinum: ac subinde converti debet immediatè in sanguinem Christi.

XXIV. Quomodo converti possit in vinum.

Nego antecedens: Quamquam enim aqua sit elementum, tamen reverà converti potest in mixtum: falsum enim est, quòd ex elemento non possit fieri mixtum; siquidem pisces formantur ab aquis, ut docet Doctor, in 2. dist. 25. Ad Aristotelem dico, eum ibi non negare aquam converti posse in corpus mixtum, maximè in vinum; ibi enim contrarium asserit; agit enim de distinctione augmenti, quæ fit per nutritionem à mixtione vini cum aqua: dicit autem: „Cùm in hac quoque mixtione id quod imperat, id est, prædominatur; ut si id vinum fuerit, excrevisse dicatur: omnes enim istius mixtionis congestæ partes, non aquæ, sed vini naturam retinent, & illius opera efficiunt: igitur censet vinum convertere in se aquam, quia ejus naturam & efficaciam retinet.

Ad experientiam autem peritam ex chimicis, respondeo, quòd aqua, quæ ex vino consecrato posset elici, non esset aqua substantialis & elementaris, sed quidam aqueus humor, quem vinum etiam depuratum, in superficie quandoque continet, estque ipsius vini pars tennior & subtilior, quæ licèt colorem aquæ præ se ferat, tamen saporem, & alias affectiones vini redolet.

XXV. Conversio aquæ in vinum priùsquàm in sanguinem Christi cõvertatur dicitur novum commentum scolasticorum.

Objicies denique: Hanc sententiam de conversione aquæ in vinum, priùsquam in sanguinem Christi, recens esse commentum excogitatum à Theologis scholasticis; nam ante ipsorum tempora communis erat Ecclesiæ sententia, aquam in calice, sicut & vinum converti immediatè in sanguinem Christi, ut colligitur ex epistola Gaufredi Clarevallensis Monachi, quam scripsit ad Albanensem Episcopum Cardinalem, quam refert Baronius sub finem anni 1188. in qua observat circa hoc tempus magnam in Gallia hac de re subortam fuisse controversiam, nonnullis affirmantibus aquam in Christi sanguinem converti, cæteris verò id negantibus; scribit enim: „Ad partes enim Galliæ, sicut nostis, hôc annô cum vestra benedictione, novam & mihi hactenus inauditam ventilari inter aliquos reperi quæstionem, de substantia aquæ, quæ vino mixta in calice similiter offertur: & an ipsa similiter, cum eodem vino in sanguinem convertatur? *Et cùm attulisset quædam, quibus probat, Christum mis-* A *cuisse aquam vino, deinde subjungit:* Igitur circa hoc, & ejusmodi, affirmantium totius mixti liquoris, qui in calice continetur, in sanguinem Domini conversionem, ratiocinatio studiosa versatur. Authoritates etiam quasdam protulêre, quas præsentis Scripturæ consummationi duximus reservandas: nam qui iis super hoc adversantur, ex nullis Antiquorum, sive etiam Modernorum scriptis, tam evidentia testimonia protulêre suæ assertionis. Cæterùm innituntur potissimùm uni verbo, quod principales Sancti in duabus speciebus panis & vini consecrationem perfici perhibentes, nullam in verbo illo alicujus diversæ speciei, nullam aquæ fecerint mentionem. B Ad quod respondetur eis, quòd non consuevêre homines mixturam vini & aquæ, nec si quantitas aquæ prævaleat, aquam nuncupare, sed vinum. Præterea calicem legitur Dominus accepisse, non vinum: quamvis continens Evangelista posuerit pro contento. Sacerdos quoque cùm Missam celebrat, quid dicere soleat attendendum: Similiter postquam cœnatum est, accipiens & hunc sacro-sanctum calicem (in quo videlicet continetur vinum mixtum aquâ) benedixit, & dedit Discipulis suis: Accipite & bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, &c. *Affert deinde Patrum authoritates, quibus affirmans sententia comprobatur, quas suprà citavimus, & subjungit:* Cæterùm pars adversa authoritates priores C utcumque permittit, dicens: Vinum quod aquâ mixtum est converti, sed non propterea aquam mutari. Testimonium verò Paschasii, quod evidens est, eadem pars contemnit, licèt magnum ipsius B. Papa Gregorius in libro Dialogorum perhibeat testimonium sanctitati, sicut Hildebertum aiunt versificatorem fuisse, non Ecclesiasticorum dogmatum assertorem. De Algero dictum, Nescimus hominem: ipsius tamen nullum adhuc comperi librum, & Sancti, vel cujuscumque Doctoris authoritatem similiter suffragari. *Deinde petit quid tenendum sit doceri: Subdit Baronius:* Quid autem rescripserit ad petitam consultatio- D nem Cardinalis Episcopus Albanensis, non invenimus, sed aliud rescribere non potuisse certum est, quàm quod credidit & custodivit semper sancta Romana Ecclesia, nimirum aquam simul & vinum transsubstantiari in sanguinem Christi. *Qui etiam infrà in fine annô* 1192. *contrariam sententiam vocat nuper exortam hæresim.*

Ex quibus infert Coninck q. 74. n. 16n. *Primò,* fuisse tunc temporis communissimam opinionem, aquam non converti in vinum ante consecrationem; quia cùm hâc conversione admissâ, potuisset tam facilè utraque sententia concordari, aut altera alterius argumentis respondere, incredibile omnino est, potuisse accidere, ut neutra pars ullam ejus faceret mentionem, si credidis- E sent vel probabiliter eam fieri. *Secundò* ait, affirmantes ipsam conversionem locutos fuisse de conversione immediata: cùm tunc nemini veniret in mentem mediata illa conversio. Infert *tertiò*, cùm Gaufredus dicat, usque ad illa tempora fuisse inauditum in Ecclesia, aquam non converti in sanguinem: fuisse communem omnium opinionem eam absolutè semper converti in sanguinem, sive convertatur priùs in vinum, sive non. Infert *quartò*, Innocentium III. non approbasse nostram sententiam; imò verò improbasse, si verba illius attendantur, imò probabilius est eum nullam fecisse illius mentionem.

Verùm respondet Hicquæus commentariô in

XXVI. Sed immeritò.

dist. 11. q. 7. n. 28. contrarium postremæ hujus A illationis apparet ex verbis Innocentii: *Quærebatur*, inquit, *utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur: Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur*; ALIQUIBUS *enim videtur, quòd cùm de latere Christi duo fluxerint præcipua Sacramenta Redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo, vinum, & aqua; quæ commiscentur in calice, divina virtute mutantur, ut in hoc Sacramento plenè sit veritas & figura.* ALII *verè tenent, quòd aqua cum vino transsubstantietur in sanguinem, cùm in vinum transeat aqua mixta, licèt Physici contrarium asseruerint, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Propterea potest dici, quòd aqua non transit in san uinem, sed remanet prioris vini accidentibus circunfusa, &c.* Deinde infrà concludit: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti, &c.* Assignat rationem, quam aliàs adducunt priora Concilia, ut populus Christo maneat coadunatus. Hæc, quam veram censet Pontifex, est secunda in ordine, quia *prima* dicit aquam mutari in aquam, quæ fluxit ex latere Christi: *secunda* dicit manere in propria substantia: *tertia* autem cum vino mutari in sanguinem, quia convertitur in vinum: nam illud quod dicit de Physicis, non spectat ad Theolngos, & in responsione sequitur contrarium, ita omnes Thenlngi interpretantur Canooem.

Nam Innocentii III. eam ut communiorem approbat.

Confirmatur. Interpretatio ex ipso Innocentio lib. 4. mysteriorum Missæ cap. 29. ubi disserit an aqua in sanguinem convertatur, & partem affirmativam docet contra eos, qui negant aquam converti, *cap.* 30. rejiciens opinionem eorum, qui dicunt non aquam naturalem, sed phlegma exivisse ex corpore Christi, docet modum, quô convertitur: *Quibusdam verè*, inquit, *non absurdum videtur, quòd aqua cum vino transit in sanguinem, eâ videlicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem* D *transit in sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aqua? Alioquin tota vini substantia propter guttam aquæ mutatur, ut quoddam fiat ex ipsis confusum, quod nec sit aqua, nec vinum, &c.* Ecce quomodo Pontifex resumens casum propositam in capito; *Cùm Martha*, doceat aquam cum vino mutari sanguinem; ita ut priùs mutetur in vinum aqua. Hæc ergo fuit communis sententia Theologorum tunc temporis, quam Pontifex, tam in illo Decreto, quàm etiam in doctrinali discursu super Missa est secutus.

Addit Hicquæus, quod cùm Innocentius tertius E Parisiis studuerit, & à Clemente Tertio inter Cardinales fuerit assumptus, eô tempore quô Gaufredus suprà dictus florebat, ac tandem paulò post ad summum Pontificatum evectus, haud dubium est, eum resolvisse sensum quæstionis & controversiæ, de qua fuerat interrogatus. Porrò controversia illa erat, an aqua superinfusa vino consecrando converteretur in sanguinem Christi. Communis sententia id affirmabat, quam etiam docet Innocentius; negabant verò alii, putantes ex opinione Physicorum aquam, utpote elementum, non posse ullà ratione converti in corpus mixtum, quale est vinum; ac proinde eam manere in propria substantia in calice. Neque aliam controversiam insinuat Gaufredus in sua epistola: propositâ enim sententiâ inter A affirmantes & negantes, subjungit fundamenta sententiæ affirmativæ, quam communem appellat: *Primò*, quia calix Domini fuerat mixtus: *Secundò*, quia aqua mixta similæ, non remanet conversô pane in corpus: ergo etiam nec mixta vino: *Tertiò*, quòd falsum esset elementa non posse converti in corpus mixtum: igitur communis sententia affirmans tunc temporis erat, quòd aqua posset converti in vinum, virtute agentis naturalis; ac subinde idem docebant, quod posteà docuerunt, ac communiter docent Theologi, nempe aquam priùs converti in vi- B num quàm in sanguinem, virtute ipsius vini prædominantis; alioqui hæc ratio non fuisset ad propositum, si nempe sustinuissent aquam immediatè converti in sanguinem virtute divinâ; siquidem de hoc nullus salvâ fide dubitare potuit. Ac subinde, ut colligit Hicquæus, perperam nonnulli Recentiores cum Coninck, colligunt, communem fuisse sententiam tempore Gaufredi, quòd immediatè verteretur in sanguinem.

Nec contrarium colligi potest ex illis omnibus Authoribus, quos ipse Gaufredus laudat, nempe Algerum lib. de Sacramento Altaris cap. 5. Adonem Cameracensem Episcopum in canonem Missæ, Berengosium Abbatem, de laude & in- C ventione sanctæ crucis lib. 1. cap. 16. Stephanum Eduensem Episcopum lib. de Sacramento Altaris cap. 14. & Paschasium Corbeïensem lib. de vero corpore & sanguine Christi cap. 11. Hi namque omnes expressè ac disertè docent, vinum converti in sanguinem; ac subinde censent aquam vino permixtam, esse jam in vinum conversam, dum fit illa vini conversio in sanguinem.

SECTIO TERTIA.

De forma per quam consecratur Eucharistia?

I. Quàm pessimè & erroneè de forma consecrationis different hæretici.

D CONSENTIUNT omnes Catholici Doctores, formam consecrationis corporis & sanguinis Christi in his maximè verbis consistere, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*: Id enim apertè docet Apostolus, 1. Cor. 11. ubi referens formam quâ Christus D. consecravit, hanc profert: *Hoc est corpus meum*, &. *Hic est calix sanguinis mei.* Verùm dissentiunt hæretici, maximè Lutherus lib. de abroganda Missa privata, ubi deridet sacram Ecclesiæ Romanæ praxim, quòd verba consecrationis minimè velit esse vulgara, solisque reservata Sacerdotibus; nec ab iis, nisi in intimo sacrarum rerum secreto agentibus tractanda: *Quibus*, inquit, *in toto orbe oportet nihil esse notius, neque vulgatius.*

Calvinus autem lib. 4. Instit. cap. 17. num. 19. eandem Ecclesiæ doctrinam & praxim, eâ quâ solet impudentiâ damnans, scribit: *Nihil magis præposterum fieri in cœna potest, quàm si vertatur in mutam actionem; quòd sub Papa tyrannide factum est: totam siquidem vim consecrationis à Sacerdotis intentione pendere voluerunt, quasi hoc nihil ad populum pertineret, cui mysterium maximè explicari oporteret. Inde autem natus est hic error, quòd non observabant promissiones illas, quibus conficitur consecratio, non ad elementa ipsa, sed ad eos, qui recipiunt destinari. Atqui non panem alloquitur Christus, ut corpus suum fiat: sed Discipulos jubet manducare, atque illis corporis & sanguinis sui communicationem pollicetur. Nec alium ordinem docet Paulus, quàm ut unà cum pane, & calice pro*

missionis fidelibus efferantur. Ita est sanè : Non hîc magicam aliquam incantationem imaginari nos decet, ut satis sit verba demurmurasse, quasi ab elementis exaudiantur, sed verba illa vivam prædicationem esse intelligamus, quæ Auditores ædificet, quæ intus penetret in eorum animos, quæ cordibus imprimatur ac insideat, quæ efficaciam in complemento ejus quod promittit exerat.

Ejus hæresiarchæ impietatem, & in Ecclesiam Catholicam odium æmulatur, & vincit Ostinianus *lib. 1. & 2. historia Sacramentaria cap.* 1. ubi cùm dixisset benedicere, consecrare, seu sanctificare panem & vinum, non esse incantare, & occultâ quâdam vi verborum panem & vinum transelementare, transsubstantiare; sed esse ea divinis sacrisque usibus destinare, nimirum ut quæ communia erant corporum alendorum adminicula, fiant efficacia deinceps symbola carnis & sanguinis Christi. In Ecclesiam deinde Romanam ore petulcô blasphemans, ait eam hac in re, quemadmodum in aliis, Ethnicos egregiè imitari, quin & Magos, eorumque artem æmulari, dum verba consecrationis tam sollicitè occultat, & à vulgi auribus removet. *Scarpius* verò controversiâ 2. de sacra Cœna quæst. 4. preces & totam institutionem ad consecrationem pertinere ait, quem sequitur *Chamierus* lib. 6. cap. 5. addit tamen consecrationem distingui à forma, ut totum à parte : consecrationem autem vult esse in tota Christi institutione, ne exclusis quidem Ecclesiæ precibus, quibus à Deo postulat fieri, quod Christi institutione continetur : formam verò non diffitetur illis verbis consisteri : *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus.*

Deinde verò iræ acerbitatisque suæ virus adversus Ecclesiam geniô hæreticô & infrunitô, atque ore mendaci evomens subjungit, se cum suis improbare magicam illam vim, quam Papistæ verbis ipsis tribuunt, quasi iis indita quædam potentia mysterium peragat, & aliter operetur, quàm per significationem in animis humanis. Hæc Hæretici, quid Catholici, ex sequentibus clarebit.

Testatur etiam Cardinalis Bessarion lib de Sacramento Eucharistiæ, Græcos recentiores censere Eucharistiam confici precibus Sacerdotum, quia suis in Liturgiis hôc modô habetur : *Rogamus Pater, ut mittas spiritum tuum super nos, & super hæc apposita munera, & fac panem istum pretiosum corpus Filii tui, & quod est in calice, pretiosum sanguinem Filii tui.* Hujus sententiæ præcipui defensores fuerunt Nicolaus Cabasilas in expositione liturgiæ cap. 27. Marcus Ephesinus in speciali opusculo de forma Eucharistiæ, & Simeon Thessalonicensis in Liturgia, qui omnes licèt doceant debere verba Christi proferri, illis tamen opposita elementa non consecrari asserunt, nisi Sacerdotis oratione applicentur.

Tria itaque hac in Sectione sunt determinanda: *Primum*, utrum Christus D. in consecratione sui corporis & sanguinis aliquibus verbis usus fuerit : *Secundum*, utrum eisdem verbis uti debeant Sacerdotes novæ legis in consecrando Christi D. corpore & sanguine : *Tertium*, quænam verba consecrationis sint de essentia formæ, & quomodo proferri debeant significativè, seu assertivè, vel solùm historicè & recitativè.

Quæstio Prima.

Utrum Christus D. aliquibus verbis usus fuerit in consecratione sui corporis & sanguinis?

II. An & quibus verbis Christus D. consecraverit : triplex sententia.

Notandum primò, eam esse plurium Theologorum sententiam, maximè *Innocentii III.* lib. 4. de mysterio Missæ cap. 6. *Archidiaconi*, ut refertur cap. *Qui scelerati*, de consecr. dist. 2. *Francisci Mayronis* in 4. dist. 8. q. 1. a. 5. *Catharini* in opusc. de hac re edito in Concilio Tridentino, &c. docentium Christum D. ratione potestatis excellentiæ absque omni verborum forma consecrasse, verba tamen postmodum protulisse, quibus in Ecclesia futuris temporibus Eucharistia à Sacerdotibus novæ legis consecraretur. Sunt etiam qui existimant, Christum D. verbis quidem & oratione consecrasse, sed nobis ignotis. Ita præcipuè Erasmus, qui in suis annotationibus in 1. epist. ad Cor. cap. 11. dixit : *Utinam Paulus traderet nobis illa verba, quibus consecratus est panis ille à Christo : nam illa, Hoc est corpus meum, potius sunt porrigentis, quàm consecrantis.* Cæteri verò Theologi docent, Christum D. reverà verbis consecrasse suum corpus & sanguinem, his videlicet, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus.* Quæ utique sententia apud Catholicos jam receptissima, ut evidentiùs appareat, & firmetur efficaciùs;

III. Christus D. Eucharistiam instituendo quatuor simul fecit.

Notandum secundo, Christum D. cùm hoc Sacramentum instituit, quatuor juxta narrationem Evangelistarum fecisse, nempe gratias egisse, benedixisse, & fregisse panem, ac Discipulis distribuisse.

Porrò, inquit illustriss. Marca in dissert. de Eucharistia, Christus D. morem istum benedicendi panis Christus usurpavit Judæis familiarem, qui cibum nullum aut vinum sumere soliti, nisi priùs tanquam Conditori, Donatorique χορηγῷ τῆς τροφῆς laudes & grates egissent addictâ precatione, ut notum non solùm ex Thalmudicis scriptoribus, sed etiam ex Philone, atque Josepho. Precatio isthæc, à Judæis *sanctificatio* dicitur, quoniam nisi ea præcessisset, cibus pro profano habebatur : eâ verò adhibitâ, *sanctus*, idest, quò vesci fas esset. Quem morem commendat Paulus, cibum nullum recipiendum docens, quin *cum gratiarum actione* sumatur, quippe sanctificari per verbum Dei, & *orationem.* Ubi observabit lector, *gratiarum actionem*, per *orationis* verbum à Paulo ipso explicari : quia duo hæc pietatis officia unicâ formolâ conjuncta erant. Nempe, ut adnotavit Josephus, *Justa est gratiarum actio, quæ & ad recipiendum beneficium jam acceptum refertur, & ad futura mala amolienda.* Ex quo factum, ut passim, quando de panis benedictione sermo instituitur, promiscuè pro eodem ponantur, *Benedicere*, & *gratias agere.* Quòd in historia panum multiplicandorum Matthæus, & Lucas dixere, *Cælum intuens benedixit*, Joannes sic expressit, *Gratias agens dedit.* Marcus verò, *Gratias agens fregit.* Non mirum ergo, si in recitandis verbis de sacrato pane Lucas, & Paulus dixerunt, *Gratias agens*, quod Matthæus & Marcus, *Benedicens.*

Plena autem & propria locutio est, *Gratias agere Deo*, quæ integra reperitur, & quidem in mentione frangendi panis, Actor. 27. quod tantumdem valet, ac Lucæ illud cap. 1. & 2. & 24. &

Jacobi 3. *Benedicere Deo*. Sed Hebræi, atque istos secuti Hellenistæ, qui Græcè scribentes, vim Hebraïcarum dictionum in Græcas invexerunt, amant locutionis compendia; quare *benedicere alicui* dicunt, pro plena phrasi, quæ est *benedicere Deo pro aliquo*. Quod loquendi genus non solùm apud 70. Interpretes, sed etiam in Evangeliis reperire est, ut Marci 10. Lucæ 2. 9. & 24. Hâc ratione, *Benedicere pocula*, dixit in hoc argumento Paulus, & *Gratias agere*. Non enim modò rectè dicitur ... aut ... *Gratias agere pani, vel poculo*, quàm ... benedicere. Quò Apostolorum exemplô Christiani veteres usi sunt, ut patet ex Justino, qui dixit ..., panem Eucharisticum, sive, in quo gratiæ actæ sunt.

Cæterùm formula communis *benedictionis*, *sive gratiarum actionis*, apud Hebræos hæc erat. *Benedictus Deus noster, Dominus mundi, qui produxit panem de terra*. De vino similiter dicebant: *Benedictus Deus noster, Dominus mundi, qui creavit genimen vitis*. Sed diebus festis accedebat mentio beneficii, cujus tum memoria celebrabatur, ut in Paschate, liberationis ex Ægypto. Quare Christus in hac Eucharistiæ institutione, non pro veteri tantùm panis creatione gratias egit, sed etiam pro redemptione generis humani, quæ in eo articulo posita erat, ut quasi peracta haberi possit, cujus memoriam hôc Sacramentô consignabat. Veteres Christiani hac in re secuti sunt Dominum, conjungentes in peragendæ Eucharistiæ formulis, gratiarum actiones, tum pro veteri creationis rerum aspectabilium ad usum hominis beneficio, tum præcipuè pro liberatione à peccatis per Christi mortem adepta, ut patet ex Justino, & Irenæo. Quo sensu in vetustissima quoque Missa Latina hæc leguntur: *Per Christum D. nostrum, per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis*. Hæc Marca.

Observat insuper Vasquez disp. 96. num. 39. Christum nunquam usum in cœna, aut prandio cum Discipulis fractione panis, nisi una ex duabus causis, aut quia non satis haberent panem ad manducandum, aut quia corpus suum consecrare voluit, & discipulis suis distribuere. Ob priorem causam usus est Matth. 14. Marci 6. & Lucæ 9. & Joan. 6. cùm ex quinque panibus pavit quinque millia virorum, ut fractione ipsâ illis ostenderet virtutem suam, quâ panes illos multiplicavit: ob posteriorem autem causam fregit panem Matth. 26. & Marci 14. & Lucæ 22. ut ipsâ fractione Discipulis suis significaret effectum peculiarem Sacramenti, quod statim operaturus erat, nempe unionem, eò quòd ex eodem pane manducaturi, sicut etiam ex eodem calice bibituri essent. Et ideo existimo, hunc peculiarem morem frangendi panem inter plures, Christum semper retinuisse; atque à Discipulis euntibus in Emaüs Lucæ 24. in ipsa fractione prius agnitum fuisse, quòd numquam eâ uterentur in communi mensa, sed in sola Eucharistiæ administratione.

IV. *Notandum tertiò*: in Christo D. duplicem fuisse potestatem, circa Sacramentorum institutionem & confectionem, videlicet potestatem ordinariam, seu exemplatem, & potestatem capitis, seu excellentiæ: Prior fundabatur in dignitate Legislatoris, quâ Christus D. ab æterno Patre in Dominum, Ducem ac Legislatorem delegatus, Ecclesiam tanquam cœleste ac spirituale regnum

Duplex in Christo D. potestas, aut duplex ejusdem potestatis usus.

A instituit, legibus, ac divinis sanctionibus & præceptis informavit, ac Sacramentis, tanquam fontibus aquæ salientis in vitam æternam ditavit ac fœcundavit: Posterior verò ortum ducebat ab ipsa incarnati Verbi persona, quæ nullis creaturarum adminiculis, utpote divina, in suis moliendis operibus egebat; sed pro nutu & absolutæ voluntatis imperio quidquid placitum erat, poterat exequi. Porrò hîc non est sermo de potestate excellentiæ; siquidem ultrò fateor, Christum D. potuisse, si ita placuisset, solô divinæ suæ voluntatis nutu, absque ullius sermonis adminiculo, suum corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini constituere: sed duntaxat sermo est de potestate ordinaria, & exemplari, B ea scilicet, quâ in cæteris Sacramentis usus est, utrum videlicet reverà in consecratione sui corporis & sanguinis usus fuerit iisdem verbis, quæ Sacerdotes novæ legis ad hujus Sacramenti confectionem usurpant, cui quæstioni ut fiat satis, sit

Conclusio Unica.

Christus D. consecravit suum corpus per hæc verba, Hoc est corpus meum, *& suum sanguinem his verbis*: Hic est sanguis meus, *vel*, Hic est calix sanguinis mei. Probatur primò authoritate Concilii Tridentini sess. 13. cap. 4. ubi hæc habet: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ, &c.* Ex quo sic argumentor: Christus per id consecravit, ex quo Ecclesia colligit factam fuisse & fieri transsubstantiationem: sed illa facta est, & fit per prædicta verba: ergo, &c. V.

Christus in consecrando suo corpore & sanguine usus est verbis.

Idem insinuant SS. Patres: *Primò*, Justinus in secunda Apologia pro Christianis circa finem: D *Hic etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo recepimus, consecratus est, & quô sanguis, carnesque nostra communione aluntur Iesu Christi ejus, qui homo factus est, & carnem & sanguinem accepimus*. Ex quo infero *primò* Christum consecrasse per preces sermonis, idest, per verba: *secundò*, consecrasse per sermonem, quem ab eo accepimus: sed nullum alium sermonem ab eo accepimus, præter: *Hoc est corpus meum, &c.*

Item Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum panem & distributum Discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum*, dicendo.

Ut docent SS. Patres.

Similiter Author sermonis de Cœna apud S. Cyprianum: *Ex quo à Domino dictum est*, inquit, *Hæc est caro mea, &c. Hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis, & hâc fide dictum est, panis iste supersubstantialis, & calix solemni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit*: Chrysostomus pariter homil. 60. ad populum Antiochenum, loquens de consecratione à Christo in cœna facta, ait, *Qui namque dixit, Hoc est corpus meum, & verbô factum confirmavit*. Idem docet S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 17. cùm ait: *Cùm panem accipiens diceret, Hoc est corpus meum, planè monstratur, verbum illud operatorium fuisse*.

Denique, omissis aliis S. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 15. ait: *Sicut Deus dicendo, Fiat lux, fecit lucem: ita dicendo, Hoc est corpus meum, & Hic*

Hic est sanguis meus ; perfecit hoc Sacramentum. Quod pariter insinuat Apostolus, 1. ad Cor. 11. dicens : *Accepit Iesus panem, & fregit, ac dixit, Hoc est corpus meum.*

VI. Quæ fuerit panis benedictio à Christo D.

Dices primò : Christus D. panem consecravit, antequam diceret, *Hoc est corpus meum* : siquidem panem tum consecravit, cùm eum benedixit : sed priùs benedixit, quàm verba illa protulerit, id testante Evangelistâ Matthæô 26. à nobis memoratô. *Insuper* Marci cap. 14. apparet Apostolos jam bibisse calicem, quando Christus dixit : *Hic est sanguis meus.* Denique Discipulis in Castello Emaüs Eucharistiam sine verbis ullis consecratam porrexit, dicente S. Lucâ cap. ult. *Accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis :* igitur Christus non consecravit per præfata verba.

Respondeo negando consequentiam: & ad *primum* dicunt aliqui, per benedictionem ibi expressam, non debere intelligi consecrationem, sed piam aliquam super panem precationem & orationem, & divinæ potentiæ, ac munificentiæ super illum invocationem, quâ ipsius mox futuram consecrationem & transmutationem postulabat : Quod utique docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. dicens : *Post panis vinique benedictionem, se suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est.*

VII. A nonnullis dicitur consecratio.

Verùm quoniam plurimi è SS. Patribus asserere videntur, quòd illa benedictio Christi fuerit sui corporis & sanguinis consecratio; maximè sanctus Chrysostomus, homil. 25. ubi ait : *Cùm benedictionem dico, Eucharistiam dico.* Et S. Ambrosius lib. de iis qui initiantur cap. 9. *Hic est panis, quem benedictio consecravit : major est jus benedictionis, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Similiter Author sermonis de cœna Domini apud S. Cyprianum: *Calix,* inquit, *benedictione Domini sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit.* Idem pariter docet *S. Remigius* in caput 10. epistolæ ad Cor. & *S. Bruno* in cap. 11. ejusdem epistolæ; quam utique sententiam pariter docent *Innocentius III.* lib. 4. de mysterio Missæ cap. 6. *Lyranus* in 1. ad Cor. cap. 11. & *Catechismus Romanus* loquendo de forma Eucharistiæ, &c.

Idcirco *respondeo* 2. negando minorem, & ad ejus probationem dico cum sancto Augustino lib. de consensu Evangelistarum cap. 30. & 44. sacros Evangelistas non semper eundem ordinem in recitando servavisse, quô res gestæ sunt : atque adeo cùm Evangelistæ dicunt, quòd Jesus accepit panem, *benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, dicens : Accipite & manducate, hoc est corpus meum,* hæc non sic sunt intelligenda, quasi eô ordine facta fuerint, quô referuntur : sed sensus eorum est, *Accepit Iesus panem, & gratias agens, benedixit, dicens, Hoc est corpus meum,* ten dum Jesus benediceret, frangeret, & daret Discipulis suis, hæc verba dixit : *Accipite & manducate, hoc est corpus meum.* Ita explicat Catechismus Romanus laudandus infrà *quæst. 3. num. 15.*

Quantùm autem ad factum Christi in Castello Emaüs memoratum Lucæ ult. dico, quòd Christus tunc Eucharistiam confecerit, proferendo verba consecratoria, quamquam S. Lucas hanc circunstantiam non expresserit : *vel* si eam formam omiserit, tunc usus est potestate excellentiæ, quâ pro suæ voluntatis arbitrio potuit suum corpus præsens fecisse sub speciebus panis. Ad authoritatem petitam ex S. Marco, jam factum fuit satis in præcedentibus.

Dices secundò : Verba illa : *Hoc est corpus meum*, sunt demonstrativa rei jam præsentis & existentis : ergo jam corpus Christi præsens erat, quando illa Christus D. protulit.

Distinguo antecedens : Sunt demonstrativa rei præsentis, & ibi realiter existentis, concedo : præexistentis, & priùs ibi positæ, nego.

VIII. Quare potius Christus usus fuerit formâ Eucharistiæ, quàm aliorum Sacramentorum.

Dices tertiò : Quando Christus instituit Sacramenta, & materiam & formam designavit, quam usurpare deberent Ministri in Sacramentis conferendis, ipse talem formam conferendo ejusmodi Sacramenta non usurpavit : igitur etiam si dicendo, *Hoc est corpus meum*, præscripserit Sacerdotibus novæ legis formam consecrandi sui corporis ; inde non est consequens, quòd eâ pariter fuerit usus. Patet antecedens ; dum enim Christus remisit peccata, sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam, non usurpavit ea verba, quæ postmodum designavit pro forma utriusque Sacramenti ; non enim legimus eum baptizasse, dicendo : *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* nec quando condonavit peccata pœnitentibus refertur dixisse, *Ego te absolvo :* igitur, &c.

Nego consequentiam : Et ratio discriminis est, quòd, ut optimè notat Arcudius lib. 3. cap. 27. quando Salvator dixit : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, tunc illis verbis Christus neminem baptizavit, sed instituit, quomodo Apostoli Baptismum exercere deberent : Similiter quando dixit : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, designavit materiam saltem remotam hujus Sacramenti, nempe peccata, & formam, nimirum verba, quæ hanc remissionem explicarent : illô tamen tempore cùm hæc diceret, ipse nullum remisit peccatum.

Idem dicendum de cæteris formis ac materiis Sacramentorum : at verò quando dixit, *Hoc est corpus meum*, non solùm formam præscripsit, quâ confici posset illius adorandum corpus, sed reverà etiam panem propositum consecravit, & suum corpus effecit. Porrò hujus quæstionis solutio & resolutio planior ac plenior apparebit ex sequenti.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrum Sacerdotes novæ legis eisdem omnino verbis consecrent corpus & sanguinem Christi, quibus ipsemet consecravit?

I. Eucharistia considerari potest in fieri aut in facto esse.

NOtandum primò, sensum quæstionis non esse, utrum eadem numerô verba, quæ Christus D. cùm Eucharistiam institueret, & consecraret, protulit, physicè & entitativè considerata, quatenus reverà à Christo prolata fuerunt, nunc operentur confectionem ejusdem corporis & sanguinis : certùm enim est, quòd illa Christi D. verba præterita, jam verè & realiter non existant, sed statim ac illa protulit, ita effluxerint, ut nullâ ratione amplius possint physicè existere aut

agere. Sed tantùm quæstio movetur de repetitione eorundem verborum quæ à Sacerdote proferuntur: utrum, inquam, repetita eorumdem verborum prolatio sit efficax & necessaria ad constituendum corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini; quod ut evidentiùs appareat. *Observandum* insuper, Eucharistiam considerari posse duobus modis, scilicet in fieri, vel in facto esse, seu quatenus efficitur actu, vel quatenus confecta permanet, ac jugiter perseverat: in hoc enim discrepat Eucharistia à cæteris Sacramentis novæ legis, quòd alia in usu duntaxat consistant; hæc autem maximè habeat esse permanens, ac post suam confectionem tandiu perseveret, quandiu integrè & incorruptè conservantur & subsistunt species Eucharisticæ. Hîc autem non est sermo de Eucharistia quatenus consideratur in facto esse; certum enim est, quòd sic spectata nullam habeat formam verborum; siquidem verba formæ Sacramentalis simul cum illo Sacramento subsistunt: Eucharistia autem perseverat, non permanentibus verbis quibus illa conficitur; ac subinde verba non possunt dici propriè forma Eucharistiæ, sed potius consecrationis; nisi fortè eô sensu, quô Concilium Florentinum panem appellat Eucharistiæ materiam, non quòd panis remaneat cum Eucharistia, sed quòd sit materia ex qua conficitur.

II. Græcorum error quòd consecratio non fiat per verba Christi.

Notandum secundò: Eam esse peculiarem quorundam recentiorum Græcorum sententiam, quòd sola verba, quibus diximus Christum consecrasse, & quibus Ecclesia Latina pro forma consecrationis utitur, non sufficiant ad consecrationem, nisi adjiciantur preces, & orationes quædam, quibus à Deo postulatur, ut panis convertatur in corpus Christi, & vinum in ejus sanguinem. Ita præ-cæteris docuit Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ cap. 27. 29. & 30. scribit enim cap. 27. *Deinde*, inquit, *pretiosa dona* (Sacerdos) *consecrat, & totum sacrificium peragitur. Et quônam modò? Cùm venerandam illam cœnam narravit, & quomodo ipsam ante Passionem dedit sanctis suis Discipulis, & quòd accepit calicem; & quòd accepit panem, & actis gratiis sanctificavit, & quòd dixit ea, per quæ significavit mysterium; & cùm ea ipsa verba dixit, deinde procidit, & orat, & supplicat, ut divinas illas voces ipsius unigeniti Salvatoris nostri etiam ad dona proposita applicet, & suscepto ejus sanctissimô & omnipotente spiritu, convertatur quidem panis in ipsum pretiosum, & sanctum ejus sanguinem. Hac cum oravit, & dixit, universum sacrificium peractum, & perfectum est.*

Idem docet Marcus Ephesiorum Antistes in lib. de verbis consecrationis, ubi ait, *quòd non solùm à voce dominicorum verborum sanctificantur divina dona; verùm à consequente oratione & benedictione Sacerdotis.* Similiter Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in censura Augustanæ Confessionis cap. 10. *Invocatione*, inquit, *& gratiâ Omnipotentis, sacrorumque rituum Antistitis Spiritûs, sacrarum precationum, & divinorum oraculorum intervenitur, panis quidem in ipsum Domini corpus; vinum verò in ipsum Christi D. sanguinem convertitur & transmutatur.* Quibus verbis, si per *preces* & *divina oracula*, nihil aliud intelligat, quàm Christi D. verba; reverà nobiscum sentit; sin autem, recentium Græcorum erroneæ sententiæ subscribit. Porrò quàm absurda sit hæc sententia, demonstrabit sequens Conclusio.

III. Aliquid dicitur vel historicè & recitativè; vel assertivè.

Notandum tertiò, aliquid dici ac pronuntiari posse duobus modis, nempe vel *historicè*, seu *recitativè*; aut materialiter, quod tantùm refertur tanquam ab alio dictum; itaut illud ipsum non asseratur, nec negetur ab eo, qui ejusmodi dictum refert, ut cùm dicimus: *Aristoteles dixit mundum esse ab æterno, & Deo coævum*; neque enim hæc dicendo affirmamus, aut negamus esse verum: vel formaliter & *significativè*, seu *assertivè*, quando videlicet per verba, quæ pronuntiamus, aliquid affirmare, vel negare intendimus, ut cùm dicimus, Filius Dei factus est homo. Hinc controversia emergit inter Theologos, quônam ex his modis verba consecrationis à Sacerdote proferantur; quidam enim dicunt, verba formæ tantùm recitativè & historicè proferri: Ita *Innocentius III.* lib. 4. de mysterio Missæ, cap. 17. *Durandus* in 4. dist. 8. q. 2. *Picus Mirandulanus* in Apologia suarum assertionum q. 10. *Catharinus* opusculô de verbis consecrationis, & plures alii Recentiores. E contra verò Gabriel sect. 48. in Canonem. *Vasquez* 3. p. disp. 200, cap. 3. & aliqui ex Recentioribus, existimant ea assertivè tantùm, seu formaliter, & significativè proferri. Cæteri verò contendunt illa verba recitativè, & significativè dici; non enim pugnat aliquid dici recitativè simul & significativè: nam cùm dicimus, Christus D. dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*; hæc recitativè dicimus, nempe Christum ea verba dixisse: & assertivè, nimirum Baptismum esse necessarium ad vitam æternam consequendam.

Duo itaque hac in quæstione occurrunt determinanda: *Primum*, utrum Sacerdotes novæ legis conficiant Eucharistiam per eadem verba, quæ Christus D. protulit: *Secundum*, utrum ea verba proferant recitativè simul & assertivè.

Conclusio Prima.

IV. Sacerdotes verbis Christi consecrant.

Revera *Sacerdotes novæ legis conficiunt Christi D. corpus & sanguinem per eadem verba, quibus primò ipsemet Christus D. Eucharistiam confecit.* Ita definitur in Decreto Eugenii, ubi docet summus Pontifex consecrationem fieri verbis Salvatoris, quibus Sacerdos in persona Christi loquens Sacramentum hoc conficit: sed hæc sola verba, *Hoc est corpus meum, &c.* sunt verba Christi, eaque Sacerdos in persona Christi pronuntiat: igitur censet ad formam consecrationis sufficere ea Christi D. verba.

Probatur itaque Conclusio authoritate SS. Patrum, maximè Græcorum, imprimis verò Justini Martyris, qui apolog. 2. pro Christianis ita scribit: *Non ut communem panem; nec ut communem potum hæc sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Iesus Christus Salvator noster & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit; sic etiam per orationem verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum, ex quo sanguis & carnes nostra per mutationem aguntur, illius incarnati Iesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Quibus verbis comparat Justinus Eucharistiam cum Incarnatione, & ad eum modum fieri docet, sicut & Incarnatio: non ergo censet eam fieri per humanas preces.

V.
Vt docent Patres Græci.

Et subscribit S. Gregorius Nyssenus in oratione Catechetica cap. 37. *Rectè igitur*, inquit, *etiam nunc Dei verbò sanctificatum panem, in Dei verbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud panis erat potentiâ, sanctificatum est autem inhabitatione Verbi, quod in carne habitavit. Itaque quâ ex causa panis in eo corpore mutatus in divinam virtutem transiit; eâdem de causa nunc etiam idem fit. Vt enim illic Verbi Dei gratia sanctum efficit illud corpus, cujus firmamentum ex pane constabat, & ipsum etiam quodammodo panis erat; sic etiam hic panis, ut ait Apostolus, per verbum Dei & orationem sanctificatur, non quia comeditur, eò progrediens, ut Verbi corpus evadat, sed statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est à Verbo, Hoc est corpus meum.*

B

Favet etiam S. Chrysostomus homil. 2. in 2. ad Timoth. *Volo tamen*, inquit, *adjicere planè mirabile. Et nolite mirari, neque turbemini. Quid verò istud est? Sacra ipsa oblatio, sive illam quilibet Sacerdos, sive illam Paulus, sive Petrus offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque Sacerdotes modò quoque conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minùs. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus qui illam antè sacraverat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant: ita & oblatio eadem est. Eademque ratio Baptismi est.*

C

Adjungi potest Eusebius Emissenus homil. io tamis palmarum: *Qui dixit tunc per se*, inquit, *modò dicit per suos Ministros, Hoc est corpus meum: & tanta est ejus verbi virtus & efficacia: ut statim fiat quod dicitur.* Et in sermone de corpore & sanguine Domini: *Quando*, inquit, *benedicenda verbis cœlestibus creaturæ sacris Altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini; post verba autem Christi corpus, & sanguis est Christi.* Theophilactus in cap. 6. Joannis: *Transformatur*, inquit, *arcanis verbis panis iste per mysticam benedictionem, & accessionem Spiritus sancti in carnem Domini:* at quæ talia possunt esse arcana verba, si non sunt Christi? Quæ non

D

propterea dicuntur arcana, quòd secretò pronuntientur, cùm Sacerdos Græcus clarâ voce ea proferat, sicut & Christus; sed tum quia celabantur Gentilibus, tum etiam propter significarum, & mirabilem vim in eis contentam. Hæc ex Patribus Græcis.

VI.
Et Latini.

Idem docent Latini Patres, imprimis Author sermonis de cœna apud S. Cyprianum: *Hoc est*, inquit, *corpus meum. Manducaverant, & biberant de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, & vita corporalis subsidium ministrabat; sed ex quo à Domino dictum est,*

E

Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus; quotiescumque his verbis, & hâc fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit; simul medicamentum, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.

S. Ambrosius in libro 4. de Sacramentis cap. 4. *Tu*, inquit, *fortè dicis, Meus panis est usitatus: panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Quæ sit ista consecratio, explicat in eodem capite, his verbis: *Quomodo potest, quod panis est, corpus esse Christi?*

A

Consecratione: Consecratio igitur, quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua cùm dicuntur, laus Deo offertur, &c. ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Et in libro de iis qui Mysteriis init. cap. 9. *Quod si tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret* (recenset miracula Moysis, Heliæ, & Helisæi) *quid dicemus de ipsa consecratione divina? ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur.* Et in Psal. 38. *Et si nunc Christus videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur. Imò ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur.* S. Augustinus serm. 28. de verbis Domini: *Ante verba Christi, quod offertur in Altari, panis dicitur: Vbi Christi verba deprompta fuerint; jam non panis dicitur, sed corpus appellatur.*

His adde Paschasium lib. de corpore Domini cap. 5. dicentem: *Hoc Sacramentum non meritis, non verbis humanis, sed proculdubio divinis efficitur, & consecratur mandatis: Sed verbo Creatoris, Hoc est corpus meum, in hoc verbo creatur illud corpus, quia divinum verbum est, & omnipotentiâ plenum.*

Adde quoque Remigium Altissiodorensem de celebratione Missæ: *Christi ergo virtute*, inquit, *& verbis, iste panis & calix ab initio est consecratus, & semper consecratur, & consecrabitur. Ipse enim loquens per Sacerdotes verba sua cœlesti benedictione sanctum corpus & sanguinem suum perficit.* Adjice quoque Stephanum Eduensem de Sacramento Altaris cap. 14. aientem: *Credimus & quòd cum benedixit, corpus suum fecit, & in his verbis, Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei, data est virtus Sacramenti, dixit enim & facta sunt.* Et cap. 15. *Fides nostra est, & verè credendum est, quòd Sacerdote proferente hæc verba, Hoc est corpus meum, jam non est panis terrenus, sed ille panis, qui de cœlo descendit: Item virtute verborum istorum, Hic est calix sanguinis mei, vinum convertitur in sanguinem.* Adde & Odonem Cameracensem in expositione Canonis: *Tolle*, inquit, *verba Christi, non fiunt Sacramenta Christi: Vis fieri Christi corpus & sanguinem? appone Christi sermonem: facit sermo veritatis, quod dicit, quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Sine dubio fit in creatura, quod Christi sermo dicit de creatura. Est enim omnipotens sermo tuus, ô Genitor: fit ergo sermone Christi corpus & sanguis Christi.*

Hâc traditione permotum Concilium Trident. sess. 13. cap. 1. docet Christum Eucharistiam his perspicuis verbis, *Hoc est corpus meum*, instituisse. Et cap. 3. docet vi verborum, solum corpus sub specie panis, solum sanguinem sub specie vini poni. Ergo supponit verbis illis consecrari panem, quibus solum corpus significatur; consecrari vinum illis, quibus unus sanguis significatur: at ejusmodi verba non sunt alia, quàm recensita verba Salvatoris: ergo: &c.

VII.
Suadet etiam ratio Theologica.

Eandem veritatem suadet ratio Theologica: *Tum quia* Sacerdotes Christi vices obeunt: ergo non aliis verbis, quàm iis, quibus usus est, & quæ instituit, uti debent; hæc autem non sunt illæ Græcorum preces, quas nulla Scriptura sacra continet, sed verba à nobis assignata: *Tum quia* idcirco Græci, imò & hæretici colligunt hæc verba, *Ego te baptizo*, esse formam Baptismi,

quia Christus dixit, *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. sed ipsemet hoc Sacramentum instituendo, dixit: *Hoc est corpus meum*: Ergo hæc verba formæ rationem obtinent. *Tum denique quia*, Sacramentorum materiæ debent esse perpetuæ & immutandæ, ut diximus: sed Ecclesiæ preces hoc in mysterio celebrando usitari solitæ, tales non sunt; quippe cùm pro Ecclesiæ libito mutari possint, ut decernit Concilium Milevitanum secundum, cui S. Augustinus interfuit, in quo Can. 12. statuitur, *Vt preces vel orationes, seu Missæ quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manûs impositiones, ab omnibus celebrentur: nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint*, &c.

VIII. Objiciuntur SS. Patres qui videntur asserere Eucharistiam confici per orationem.

Objicies primo, SS. Patres asserentes, Eucharistiam confici, ac consecrari oratione Sacerdotum; ita enim docet Justinus Martyr Apolog. 2. ubi dicit *oratione confici Eucharistiam*. Et S. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. docet consecrationem fieri post illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*; loquens enim de Consecratione, ait: *Postquam divinus Pontifex laudavit, & venerandam intellectualemque speculationem* (operum Christi) *mentis oculis perspexit, ad symbolicam eorum consecrationem venit: idque secundum Traditionem divinam; unde religiosè simul, & ut Pontificem decet, post sacras divinorum operum laudes, se purgat, dum primò devotè ad eum clamat: Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem: deinde cùm rogavit ut dignus fiat hâc consecratione, & ad similitudinem Christi hæc divina perficiat, castéque distribuat, & ii, qui Sacramenta participaturi sunt, dignè sumant, consecrat divinissima*, &c. Quibus verbis significat consecrationem fieri tantùm post laudata verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Porrò hæc duntaxat proferuntur post prolata verba, *Hoc est corpus meum*: igitur censet corpus Christi confici solùm per orationes. Unde cap. ult. vocat formas Sacramentorum *consecratorias invocationes*.

Similiter Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 34. docet Eucharistiam fieri invocatione Dei: *Quemadmodum*, inquit, *qui est à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non est communis panis, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti, sic & corpora nostra*, &c. Idem docet Eusebius Emissenus serm. 5. de Paschate, dicens: *Benedicenda verbis cœlestibus creatura sacris Altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur*, &c. Idem etiam Origenes in cap. 15. Matthæi, ubi Eucharistiam appellat *Cibum, qui per verbum Dei, & orationem sanctificatur*. Similiter S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 37. scribit: *Invocationis verba in ostensione panis Eucharistiæ, & poculi benedictionis: quis Sanctorum nobis scriptò reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus, aut Evangelium mentionem fecit, sed ante, & post alia dicimus, veluti magnum robur ad mysteria habentia, quæ ex doctrina scriptò non prodita nos accepimus*.

Idem docent Latini Patres, maximè Optatus Milevitanus lib. 6. contra Parmenianum: *Quid*, inquit, *est tam sacrilegum, quàm Altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis, frangere, radere, removere, quô Deus omnipotens invocatus sit, quò postulatus descendit Spiritus sanctus*, &c. quæ posteriora verba propter consecrationem dicta esse videntur. Similiter S. Hieronymus epist. 85. quæ est ad Evagrium: *Quis patiatur*, inquit, *mensarum & viduarum Minister, ut supra eos se tumidas efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque efficitur*. Et S. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. ait: *Eucharistiam esse id, quod prece mysticâ consecratum sumimus ad salutem*. Et lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 20. ait: *Deum exaudire homicidam deprecantem super Eucharistiam*. Et epist. 59. ad Paulinum, in solutione 5. quæstionis, *orationes* appellat *ipsam benedictionem & consecrationem Eucharistiæ*.

Sed explicantur & solvuntur.

Respondeo, SS. Patres idcirco formam consecrationis appellare preces aut orationes, vel propter preces, quas præmittere solet Ecclesia in canone Missæ, quibus Sacerdos Deum, ut panem in corpus & vinum in sanguinem dignetur convertere, deprecatur his verbis: *Hanc igitur oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat Domini nostri Iesu Christi*: Propter has, inquam, preces præmitti solitas, dixerunt SS. Patres Eucharistiæ Sacramentum confici orationibus Sacerdotum; non quòd Eucharistia illis precibus formaliter consecretur, sed quòd preces illæ ipsam consecrationem immediatè præcedant.

Vel dico, SS. Patres per preces & orationes, quibus confici Eucharistiam interdum aiunt, non aliud intelligere, quàm verba Salvatoris: quæ quia verba sunt, oratio dici possunt; quia videlicet per hujusmodi verba formaliter hostia immolatur, & mysticè mactatur: tunc enim Deum precari jure meritô censemur, cùm sacrificii immolatione divinæ ejus majestati litamus.

Vel denique dico, idcirco verba consecratoria Patres appellare preces & invocationem, quia per illa verba virtus divina ad sanctificationem & consecrationem materiæ panis & vini evocatur, Deusque adjuratur, & interpellatur, ut meminerit sui pacti cum hominibus initi de conferenda signis sensibilibus sanctificativa virtute; quâ ratione S. Augustinus contra Donatist. *lib.* 5. *cap.* 20. vocat omnes Sacramentorum formas deprecationes: *Homicida*, inquit, *exauditur deprecans super oleum, super Eucharistiam, super cætera capita eorum quibus manus imponitur*. Imò & ipse Theophilactus in cap. 26. Matth. verba consecrationis preces appellat, dicens: *Id quod etiam nos facimus preces adjungendo, Hoc est corpus meum*. Idem penè habet Gregorius Nyssenus oratione Catechecticâ cap. 37.

IX. Quô sensu S. Gregorius dixerit ad Orationem Dominicam confici corpus Christi.

Objicies secundò. S. Gregorium lib. 7. epist. 63. ubi ait: *Orationem Dominicam idcirco post precem* (id est canonem) *mox dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent*. Ergo censet Eucharistiam per Dominicam orationem confici.

Nego consequentiam: Nec enim ea mens est S. Gregorii; sed respondet ad quorumdam querimoniam, qui (ut ibidem habet) ægrè ferebant quòd ipse statuisset, ut oratio Dominica statim post canonem diceretur. *Respondet* huic querimoniæ se hac in re imitari Apostolos, & subdit: *Et valde inconveniens mihi visum est, ut precem quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam orationem quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus & sangui-*

nem taceremus. Id est, si verba & preces à Scholastico compositas consecrationi præmittimus, & subjicimus; quantò magis inter-celebranda divini sacrificii mysteria, debemus adhibere orationem Dominicam? Quæ, *inquit* Tertullianus lib. de oratione *est Breviarium Evangelii*; nec-non authore Cypriano, cœlestis *doctrina compendium*, & ut loquitur S. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. Est *cunctarum plena virtutum.* Non ergo negat S. Gregorius per Christi D. verba fieri consecrationem corporis & sanguinis: sed contendit quòd huic consecrationi, nec-non & Canoni Missæ adjicienda sit oratio Dominica secundùm praxim & Traditionem Apostolorum; quòd enim Apostoli recitarent Dominicam orationem in sacrificio Missæ post consecrationem, etiam ex traditione Christi docet sanctus Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos circa finem.

Objicies tertiò: Ex Liturgiis SS. Marci, Basilii, Chrysostomi & Jacobi, postquàm Sacerdos protulit verba: *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus*, precatur in hæc verba, *Rogamus te S. Pater, ut mittas Spiritum sanctum tuum super nos, & super hæc apposita munera: & fac panem istum pretiosum corpus filii tui, & quod est in calice sancto, pretiosum sanguinem Christi tui, &c.* Ergo censent illi per prædicta vocabula corpus Christi non fieri præsens.

Nego consequentiam, & ad antecedens, respondet Cardinalis Bessarion in Opusculo de hac controversia edito. Vel illas preces scriptorum incuriâ aut studiô & malitiâ fuisse transpositas post verba consecrationis, cùm eis præmitti deberent; more scilicet Latinorum qui ante consecrationem hanc præmittunt orationem, *Quam oblationem tu Deus quæsumus benedictam, acceptam, &c.* Et ita notavit Scholiastes Liturgiæ S. Basilii in margine. *Verùm* hæc solutio non satis arridet, quippe cùm nullæ apud veteres hæ legantur postpositiones: imò Germanus Patriarcha Constant. qui vixit tempore 7. Synodi in sua Mystica contemplatione rerum Ecclesiasticarum quæ est in 6. tom. Bibliothecæ sacræ, ubi præmisit & exposuit verba: *Hoc est corpus meum*, rursus exponit orationem quam Deo & *Patri recitat Sacerdos*, & ait. *Et rursus consecrat ut conficiatur mysterium filii ejus, & fiat sive transmutetur panis & vinum.*

IX. Explicantur verba Liturgiæ Græcorum.

Vnde respondeo cum illis Græcis qui in Concilio Florentino ab Eugenio rogati cur hanc verbis consecratoriis orationem postponerent, dixerunt se profiteri ac firmiter credere Eucharistiæ sacramentum confici verbis illis: *Hoc est corpus, &c.* Sed quemadmodum Latini confectô sacramentô solent uti hac oratione: ut legebatur in veteri Missali Romano. *Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam, &c.* Ita ipsi orant ut sanctissimum Christi corpus fiat in salutem animarum, &c. ut patet ex verbis S. Basilii infrà. *Confirmatur* ex eo quòd in iisdem Liturgiis Sacerdos communicaturus orat in hunc modum. *Fiat mihi Domine Iesu Christe corpus tuum in remissionem peccatorum meorum, & sanguis tuus pretiosus in vitam æternam.* Quod in Latina Ecclesia dicimus, *corpus Domini nostri Iesu Christi fiat accipientibus, &c.*

Instabis: Epiphanius Diaconus, cujus asserta probantur in septima Synodo, respondens ad ea quæ ex Pseudo-synodo septima referebantur, quibus sola Eucharistia imago veneranda dicebatur, suum discursum concludendo, hæc habet. *Ergo liquidò demonstratum est quòd nusquam Dominus vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus & ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem antitypa quibusdam Sanctorum hæc piè visum est nominare. quorum est Eustathius propugnator orthodoxæ fidei & Arianæ destructor vesaniæ, & Basilius ejusdem infœlicis superstitionis depositor, qui omne quod sub Sole est plenam rectorum dogmatum basim edocuit. Ex uno enim eodemque spiritu disputantes: unus quidem eorum interpretans Salomonicum dictum, quod in Proverbiis legitur,* COMEDITE PANSM MEUM ET BIBITE VINUM QUOD MISCUI VOBIS, *hic dicit, Per panem & vinum typos corporalium Christi prædicat membrorum. Alter verò ex eodem fonte hauriens (ut noverunt omnes Sacerdotii mystici cultores, in oratione divinæ oblationis* (id est in canone Missæ) *ita dicit*, CONFIOENTSS APPROPINQUAMUS SANCTO ALTARI ET PROPONENTES TYPOS SANCTI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI TUI, TE DEPRECAMUR ET TE ROGAMUS; *& quod deinceps infertur, certiorem patris hujus perfecis intellectum, qualiter antequam sanctificata fuerint, vocata sunt typi, post sanctificationem autem corpus propriè ac sanguis Christi dicuntur.* Ex quo sic argumentor. Per ea verba dicendum est corpus Christi confici, post quæ prolata panis non dicitur à sancto Basilio typus corporis: sed post prolationem verborum, *Hoc est corpus meum.* & ante illam orationem, sanctus Basilius vocat panem typum corporis in sua Anaphora. Ubi enim præmisit narrationem omnium Christi mysteriorum, Sacerdos extollens vocem suam dicit. *Cùm esset exiturus ad crucem suam voluntariam ac salutarem, in ea nocte quâ tradebatur pro vita & redemptione mundi, accepto pane in sanctas, incontaminatas & illibatas manus suas, gratias egit, benedixit, sanctificavit & fregit, & dedit Discipulis suis & Apostolis sanctis dicens: Accipite & comedite de ipso, hoc est corpus meum, quod pro vobis & pro multis frangitur & dividitur in expiationem culparum & remissionem peccatorum & in vitam æternam. Populus respondet. Amen, &c.*

Post plura quæ precatur Sacerdos & respondet populus, Diaconus clamat, *Quàm veneranda est hora & hoc tempus dilectissimi, cùm Spiritus vivus & sanctus è supremis cœlorum sedibus descendit atque incubat manetque supra hanc Hostiam propositam, eamque consecrat: tacitè igitur & reverenter orate. Sacerdos inclinatus, plura orat, postque subjungit: Cum fiducia jam accedimus ut contingamus altare tuum sanctum, & qui proposuimus typon corporis & sanguinis tui, adoramus ac supplices rogamus te per bonitatis tuæ benignitatem, veniat Spiritus tuus super nos, & super hæc quæ proposuimus dona ac sanctificet ipsa.* Sublatâ voce, *Domine exaudi me* populus, *Kyrie eleison*, Sacerdos, *& efficiat panem corpus gloriosum Domini Dei nostri Iesu Christi, corpus cœleste & corporis vitæ efficiens, corpus pretiosum in expiationem culparum, & remissionem peccatorum, vitamque æternam iis qui accipiunt:* populus, *Amen.* Et Sacerdos prosequitur orationem super calice.

X. Quare à Patribus Græcis Eucharistia post consecrationem dicatur antitypa corporis Christi.

Nec satisfit dicendo illa verba antitypon præpostero ordine in Liturgia esse posita: Nam Germanus suprà laudatus exponens *Liturgiam* §. *tua ex tuis*, meminit antitypon post verba illa: *Hoc est corpus meum, ut diximus suprà.* Insuper id gratis dicitur & absque ullo fundamento.

Itaque respoodent aliqui non incongruè materiam, oblatam ad consecrandum dici, typon corporis & sanguinis Christi; non pro tempore quò verba prædicta proferuntur; sed pro eo tempore quo talis materia oblata est ad conservandum: nec enim, ait Basilius: *Qui proponimus typon*, sed *qui proposuimus*, quasi diceret. Supplices rogamus te per booitatis tuæ benignitatem, ut veniat sanctus tuus Spiritus super nos, & super bæc quæ proposuimus dona (quæ ante consecrationem erant typon corporis filii tui nunc autem sunt ipsummet corpus.) Nec contrarium videtur posse elici ex Epiphaoio; siquidem is solùm intendit probare neminem Patrum appellasse Eucharistiam typum corporis, ubi confecta est, licèt plures consecrandam materiam hoc nomine appellaverint.

Verùm in hoc fallitur Epiphanius ille; etenim plurimi Patres Græci, etiam post consecrationem, munera sacra vocaverunt [illegible], nam S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri sororis Gorgoniæ, ubi testatur miraculosè sororem sanatam à morbo fuisse ex perceptione sacratissimæ Eucharistiæ, quam olim Christiani pro necessitatibus suis asservare solebant: *Si quid*, inquit, *uspiam antitypotum pretiosi corporis, aut sanguinis, manus* (Gorgoniæ) *thesaurizaverat, hoc est, instar thesauri recondiderat*: At non asservabant panem non consecratum, sed veram Eucharistiam; ut propterea etiam Nazianzenus utatur illô verbô [illegible], quasi tem, sicut est, pretiosissimam. *Adde quòd* Nazianzenus dicit, hæc antitypa super Altare collocata, & servata fuisse, ibique à S. Gorgonia adorata. Eôdem nomine post consecrationem, Eucharistiam apertissimè vocat Eustathius Episcopus Ancyræ, exponens dictum illud in Proverbiis Salomonis: *Edite meum panem, & bibite vinum quod miscui vobis*: *Hæc*, inquit, *per panem & vinum* [illegible] *membrorum corporalium Christi prædicat.*

Unde Arcudius lib. 3. cap. 34. proponit tres alias solutiones, quarum *prima* est, quòd corpus Christi verum in Eucharistia sit figura corporis Christi mystici, quia illud significat & repræsentat: Quemadmodum enim panis ex multis constans granis, ita compositus est, ut nusquam grana videantur. Et sunt quidem grana, sed propter conjunctionem nullô discrimine discernuntur; ita nos quoque & invicem, & Christo conjungimur. Et sanctus Augustinus: *Quemadmodum*, inquit, *ex multis granis unus conficitur panis, & ex racemis unus calix exprimitur; sic ex multis fidelibus unum corpus mysticum integratur.* Hanc solutionem dant Cardinalis Bessarion, & Roffensis Martyr, qui in proœmio 2. libri de veritate corporis Christi adversus Oecolampadium, ait: *Panis & vinum jam in Christi corpus, & sanguinem versa, exemplaria sunt colligationis Christianorum ad invicem, velut membrorum sub uno capite.* Quamvis hi Authores alias quoque dent solutiones.

Secunda solutio est, quòd hoc mysterium dicatur antitypum, seu signum & symbolum corporis, & sanguinis Domini, partim [illegible]tione specierum panis & vini, quæ sub oculorum sensum cadunt, & sunt signa corporis & sanguinis ibi reverà existentium: Quæ, *inquit Arcudius*, solutio omnium est optima: Nihilominus hanc *Tertiam* subjicit, nimirum Eucharistiam dici *antitypum* corporis Christi veri, & visibilis, quod est in cœlo. Sic S. Ambrosius in libro primo Officiorum cap. 48.

A *Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, quasi homo, quasi recipiens Passionem, & offert seipsum quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit. Hîc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus; illic facie ad faciem, ubi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est.*

QUÆRES: *Utrum Græci non existimantes verba Christi sufficere ad consecrationem, reverà consecrent?*

B

Respondet Arcudius lib. 3. cap. 37. Quòd quamvis Græci opinentur, verba Christi non sufficere ad consecrationem; quando tamen celebrant, si non habent contrariam intentionem actu, & intendunt facere quod jussit Christus, verè consecrant. Quippe illorum universalis intentio, cùm sit veluti formalis, corrigit particularem errorem, & intentionem, quæ materialis est. Nam hæc particularis alteri universali se subjicit. Secus si non haberent hanc universalem intentionem. Sed nemo est adeo temerarius, qui directè generalem intentionem excludat, si suæ privatæ repugnet. Si quis enim intendat non proferre verba Christi formaliter, etiamsi ex Christi institutione sciat formaliter esse proferenda, certè is nihil conficit. Ut in dissimili materia quidam Ruthenus Consul Vilnensis, cùm urgeretur testimoniis Scripturæ in materia genuflexionis, quam Christus D. & Apostoli sæpè in precibus adhibuerunt, & in usu habuerunt; respondit, ita quidem esse, se tamen nolle genua flectere, ne cum Latinis in hoc conveniat, & eos imitari videatur. Siquis ergo similis adeo stultus esset, ut in despectum Latinorum, quamvis sciret veram formam, eam tamen intentione minùs formaliter enuntiaret, nihil sanè efficeret. Sed vix puto aliquem hujusmodi posse inveniri. Unde colligit, quòd si quis Sacerdos Græcus, dum celebrat, expressè intendat, se nolle tunc consecrare, quando profert verba Christi, *Hoc est corpus meum*, sed tantùm quando dicit hanc orationem expressam in canone suæ Ecclesiæ, *Fac hunc panem, &c.* reverà eum non consecrare, cùm enim in conficiendis Sacramentis tria requirantur, scilicet materia, forma, & intentio Ministri; Sacerdos hanc habens intentionem non consecraret, quia haberet intentionem contrariam intentioni Ecclesiæ. Ita Arcudius.

XI. Utrum Græci reverà consecrent.

CONCLUSIO SECONDA.

E VERBA *formæ proferuntur à Sacerdote recitativè simul & assertivè*: Hæc est communior & verior; quòd autem *historicè & recitativè* dicantur, patet ex canone, ubi Sacerdos panem consecrandum in manus accipiens, dicit: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas & venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum ad te Deum suum Patrem omnipotentem, tibi gratias agens benedixit & fregit, deditque Discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum.* Quibus verbis, duo declarant, hæc verba recitativè proferri; particula enim, *dicens*, manifestè declarat, Christum D. verba illa consecratoria dixisse, & Sacerdotem ea referre, tanquam ab ipso dicta. Id etiam

XIII. Verba formæ assertivè & recitativè proferuntur.

significat particula, *enim*, quam verbis consecratoriis adjecit Ecclesia; etenim nisi verba formæ recitativè proferrentur, frustra adjuncta fuisset hæc particula; siquidem additur tantùm ad connectenda verba formæ cum præcedentibus, quæ utique tantùm recitativè proferuntur; eatenus autem connectuntur, quatenus referuntur eôdem modô à persona Christi prolata.

Quòd etiam ea dicantur *significativè* à Sacerdote, patet: *Tum, quia* ex SS. Patribus Sacerdos verba proferens, loquitur in persona Christi, ut docet Concilium Florentinum in Decreto unionis: sed non loqueretur in persona Christi, si tantùm historicè referret Christum illa verba dixisse, qui enim tantùm recitat verba alterius, non censetur in illius persona loqui, sed in propria; quippe cùm ejus personam non inducat, nec illam in se repræsentet: igitur Sacerdos non profert merè historicè verba consecrationis; sed etiam assertivè ea pronuntiat. *Tum, quia* Sacerdos non solùm recitat, quæ Christus dixit, sed etiam affirmat hîc & nunc eorum verborum à Christo D. prolatorum virtute significari, & effici corpus Christi: simplex autem recitatio non habet annexam affirmationem; dum enim refero, v.g. Aristotelem docuisse, mundum esse ab æterno, non propterea affirmo mundum esse Deo coævum & ab æterno. Itaque cùm affirmetur, & simul efficiatur præsentia corporis Christi, per verba consecrationis, consequens est, quòd ea non solùm recitativè; sed etiam significativè proferantur. *Tum denique*, quia si Sacerdos verba consecrationis historicè duntaxat, & recitativè proferret; sequeretur, quòd ea verba dirigerentur, non ad præsentem materiam, quam Sacerdos habet præ manibus, sed ad illam, quam Christus D. in ultima cœna accipiens in sanctas ac venerabiles manus suas consecravit; siquidem Sacerdos duntaxat enuntiaret actionem à Christo factam, & significaret tantùm conversionem materiæ, quam Christus tunc accepit in manus, & præsentiam corporis & sanguinis Christi sub ejusdem materiæ speciebus, non autem significaret actionem, seu consecrationem, quæ statim est facienda: sed hoc rectè non potest affirmari: ergo nec illud.

Dices primò: Eô modô Sacerdos profert verba consecrationis, quô modô præcedentia; nempe *Accipite, & manducate ex hoc omnes:* sed ea tantùm recitativè proferuntur à Sacerdote; siquidem hæc solùm refert, ut à Christo dicta, ut indicat particula, *dicens:* ergo & verba consecrationis tantùm recitativè profert.

XIII. *Nego majorem:* Sacerdos enim omnia hæc verba simul proferendo, duo significat: *Primò* quidem id, quod fecit & dixit Christus D. in ultima cœna, instituendo & ministrando Eucharistiam per seipsum solùm & immediatè: *Secundò*, id quod ipsemet Sacerdos facit, & dicit in persona Christi, proferendo videlicet verba consecrationis, & simul consecrationem efficiendo; hinc antecedentia verba dicit solùm recitativè; subsequentia verò recitativè & significativè simul. Unde participium *dicens*, significat quidem Christum verba Sacramentalia dixisse, sicut & illa; *Accipite & manducate ex hoc omnes*; non tamen denotat Sacerdotem, verba consecratoria tantùm historicè & recitativè proferre; siquidem ea etiam significativè & assertivè profert in persona Christi, quam repræsentat.

Sacerdos consecrans gerit personam Christi & suam propriam.

Instabis: Eô modô profert Sacerdos, verba consecrationis panis, quomodo consecratoria sanguinis; sed hæc profert tantùm recitativè: ergo & illa. Probatur minor: Eôdem modô profert hæc verba consecratoria calicis: *Hic est calix sanguinis mei*, quomodo hæc sequentia: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur:* sed hæc profert tantùm recitativè; alioquin falsum enuntiaret, quia sanguis Christi jam non est effundendus; quippe cùm Christus gloriosus sit & immortalis: igitur, &c.

Respondeo primò, negando minorem, nec-non & minorem illius probationis; quemadmodum enim verba antecedentia formam consecrationis dicuntur tantùm recitativè proferri, pari ratione quæ subsequuntur hujusmodi formam, etiam recitativè proferri possunt; maximè cùm illa non spectent ad essentiam formæ consecrationis calicis.

Respondeo secundò, negari posse Minorem probationis; nam illa verba, *pro vobis effundetur*, aliquô sensu dici possunt significativè proferri, non solùm quatenus Sacerdos repræsentat personam Christi loquentis eâ nocte, quâ tradebatur, & sub speciebus vini ponit eundem sanguinem, qui quô tempore hæc Christus D. dixit & fecit, erat fundendus in cruce, sed etiam quia cùm vi verborum sanguis ponatur sub speciebus vini seorsim à corpore delitescente sub speciebus panis, mysticè videtur fundi, maximè cùm etiam in Altari offeratur in remissionem peccatorum. Quam utique explicationem confirmat lectio Græca; locô enim *effundetur*, legimus ἐκχυνόμενον id est, qui funditur; eô autem tempore, quô Sacerdos ea profert, sanguis Christi effunditur oblatione incruentâ, & immolatur. XIV.

Sanguis Christi in sacrificio Missæ funditur mysticè.

QUÆSTIO TERTIA.

Quænam verba sint de essentia formæ consecrationis Christi corporis & sanguinis.

NOtandum primò ex Doctore subtili in 4. dist. 8. quæst. 2. num. 3. quòd sicut istud Sacramentum est unum unitate integritatis, non indivisibilis, quia in se includit duo signa partialia, quæ primò signant duo propria signata, & proxima, scilicet corpus & sanguinem, & remota, scilicet cibationem, & potum spiritualem: ita etiam est una consecratio unitate integritatis, & tamen duæ consecrationes partiales. Sicut enim aliqua res est una, sic est una ejus inceptio; & sicut plures, sic plures ejus inceptiones: & sicut consecratio est plures, sic ejus inceptio est plures. Est ergo consecratio plures partiales consecrationes: tamen una unitate integritatis, & sic est una forma consecrationis unitate integritatis: sed tamen continens in se plures formas partiales: distinctio autem formarum illarum partialium, patet, quia una est efficax sine alia, quod manifestum est; alioquin enim fideles corpus adorantes ante consecrationem sanguinis, essent idololatræ, quod falsum est. *Ita Doctor.* quibus verbis significat, duas esse partiales formas consecrationis corporis & sanguinis, quarum quælibet efficax est seorsim ab altera; siquidem per formam consecratoriam corporis, fit corpus Christi præsens sub speciebus panis, & adoratur à fidelibus, antequam vinum consecretur. Difficultas autem est, quænam verba sint de essentia utriusque partialis consecrationis. I.

Duplex est partialis consecratio, & una totalis.

Notandum secundò, consecrationem corporis Christi fieri per hæc verba, quæ in persona Christi inter consecrandum profert Sacerdos: *Qui* (Christus) *pridie quàm pateretur, accipiens panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem: item tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque Discipulis, dicens: Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur, &c.*

II. Quænam sit forma consecratoria corporis.

Quæritur autem utrum omnia illa verba sint de essentia hujus formæ, circa quod triplex capitalis videtur sententia: *Prima* tribuitur subtili Doctori affirmanti probabiliter *num. 5.* requiri ad efficacitatem consecrationis corporis, non solùm verba; *Hoc est corpus meum*, sed etiam antecedentia: *Qui pridie, quàm pateretur, &c.* Unde, inquit, non sine causa Ecclesia ita connexuit totum Canonem Missæ, quòd ab illo loco, *Communicantes*, usque ad illum locum post consecrationem; *Supplices te rogamus omnipotens Deus*, non est aliqua oratio, quæ non necessariò connectatur cum præcedente, vel per conjunctionem copulativam, sicut *Hanc ergo oblationem*, & hujusmodi; vel per pronomen infinitum, ut, *Quam oblationem tu Deus*, &, *Qui pridie, quàm pateretur*, & post consecrationem, *Supra quæ propitio*; vel per relationem, ut ibi, *Simili modo*. Secunda est quorundam Græcorum contendentium ultra hæc quatuor verba: *Hoc est corpus meum*, alia sequentia; nempe, *quod pro vobis tradetur, seu frangetur*, etiam esse absolutè necessaria ad veritatem consecrationis. *Tertia denique* est communis inter Theologos, docentes consecrationem corporis essentialiter consistere in illis quatuor verbis: *Hoc est corpus meum.*

III. Et sanguinis.

Notandum tertiò, in consecratione calicis, hæc à Latinis Sacerdotibus verba usurpari: *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ubi *calix* accipitur per metonymiam, quâ res continens pro re contenta usurpatur, juxta vulgare effatum, quò dicitur, *bibe calicem vini*, id est, vinum in calice contentum. Advertendum autem cum Catechismo Romano *num. 21.* plura ex his verbis colligi ex Scriptura, quædam verò ex Apostolica Traditione: Nam, *inquit*, quòd dicitur: *Hic est calix*, à S. Luca, & ab Apostolo scriptum est; quòd verò sequitur, *Sanguinis mei, vel sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, partim à S. Luca, partim à S. Matthæo dictum est: verba autem illa, *æterni & mysterium* fidei, sancta Traditio Catholicæ veritatis interpres, & custos nos docuit.

[illegible] explicatur.

Docet præterea idem Catechismus his verbis explicari tres sanguinis Christi in Passione fusi mirabiles effectus ad hoc Sacramentum potissimè pertinentes, nimirum aditum ad æternam vitam, qui nobis novi & æterni Testamenti jure patefecit: *Habemus* enim *fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi*, ut dicitur *Hebr.* 10. Secundus effectus est accessus ad justitiam, quæ est per fidem dilectione operantem, juxta illud Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.* Tertius effectus est remissio peccatorum, quibus uterque aditus intercludebatur; unde dicitur Hebr. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Primi effectûs designandi gratiâ apponuntur illa verba: *Novi & æterni Testamenti*; ratione secundi additur, *mysterium fidei*; ratione tertii subjungitur: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Unde subdit.

Quoniam verò hæc ipsa consecrationis verba plena mysteriorum sunt, aptissimèque ad rem conveniunt, diligentiùs perpendere ea oportet. Quod ergo dicitur: *Hic est calix sanguinis mei*, sic intelligendum: *Hic est sanguis meus*, qui hôc calice continetur. Rectè autem, & appositè, dum sanguis hic, ut est fidelium potus, consecratur, calicis mentio facienda est; neque enim sanguis hujusmodi potionem satis significare videtur, nisi vase aliquô receptus esset. Sequitur deinde, *Novi Testamenti*: quod quidem ob eam rem additum est, ut intelligeremus Christi D. sanguinem non figurâ, quemadmodum in veteri Testamento fiebat (de eo enim apud Apostolum ad Hebræos legimus; Sine sanguine Testamentum dedicatum non esse) sed verè & reipsa hominibus tradi: quod ad novum Testamentum pertinet. Quare Apostolus, inquit: *Ideo novi Testamenti mediator est Christus, ut, morte intercedente, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Verbum verò, *Æterni*, ad hæreditatem æternam, quæ Christi D. æterni testatoris morte ad nos jure pervenit, referendum est. Quod subjungitur, *Mysterium fidei*; non rei veritatem excludit, sed, quod occultè latet, atque ab oculorum sensu remotissimum est, certâ fide credendum esse significat. His ita præmissis duo hîc occurrunt determinanda. *Primum*, quænam verba sint de essentia & necessitate formæ consecratoriæ corporis. *Secundum*, quænam verba sint essentialia formæ calicis.

Conclusio Prima.

IV. Quatuor verba sunt de essentia formæ consecratoriæ corporis.

QUATUOR *hæc verba*. HOC EST CORPUS MEUM, *sunt de essentia formæ consecrationis corporis: nihilominus præcedentia*: QUI PRIDIE, QUÀM PATERETUR, &c. *videntur necessariò præmittenda.* Hæc conclusio duabus partibus constat: quarum prima communis est apud Theologos, & colligitur ex omnibus illis authoritatibus tum Patrum, tum Conciliorum, quibus probatum est in præcedenti conclusione, Eucharistiam confici per verba Christi D. non quidem per alia, quàm per quatuor assignata, ut optimè colligit Catechismus Romanus num. 20. *scribens*: A sanctis Evangelistis Matthæo & Luca, itemque ab Apostolo docemur illam esse formam: *Hoc est corpus meum*; scriptum est enim, *Cœnantibus illis, accepit Iesus panem, & benedixit, & fregit, deditque Discipulis suis & dixit: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum.* Quæ quidem consecrationis forma, cùm à Christo D. servata sit, eâ perpetuò Ecclesia Catholica usa est. *Et infrà*: Sed ratione etiam id facilè persuaderi potest: nam forma ea est, quâ illud significatur, quod in hoc Sacramento efficitur: cùm autem hæc verba id, quod fit, significent, ac declarent, hoc est, panis conversionem in verum Domini nostri corpus, sequitur, formam in illis verbis constituendam esse, in quam sententiam, quod ab Evangelista dictum est, *Benedixit*, licet accipere; perinde enim videtur intelligendum, ac si dixisset: *Accipiens panem, benedixit, dicens: Hoc est corpus meum.* Quamvis enim Evangelista verba illa, ACCIPITE ET COMEDITE, præposuerit: illis tamen non materiæ consecrationem, sed usum tantummodò

» modò significari, perspicuum est: qoare à Sacerdote quidem omninò proferri debent, sed ad Sacramentom conficiendum necessaria non sunt.

V. *Praecedentia tamen videntur necessaria ad distinctam eorum significationem.*

Secunda pars videtur esse subtilis Doctoris dist. 8. quæst. 2. nu. 4. ubi inquirens utrum sola præfata quatuor verba sufficiant ad consecrationem, *ait:* Dicitur quòd sic, quia ista sunt præcisa forma; alia sunt propter reverentiam, *vel* propter orationem præmittenda. *Sed contrà*, inquit, istud arguitur; quia verba Sacramentalia ex vi verborum debent significare illud, quod efficitur ex vi Sacramenti: sed ex vi consecrationis hujus, efficitur ibi esse verum corpus Christi: ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi contineri. Sed hæc verba, *Hoc est corpus meum*, prolata sine præcedentibus, hoc non significant absolutè, quia ly *meum* significat referri ad personam ipsius loquentis; quia licèt Minister possit intendere, ut loquatur in persona Christi; non tamen propter hoc, significatum illorum verborum esset, qood ly *meum* demonstraret corpus Christi, sed corpus loquentis. Sicut si ego inciperem loqui in persona Christi: tamen ex vi verborum non habetur, quòd ista doctrina sit Christi, sed mea; & per consequens, non esset propositio falsa secundùm sensum, pro quo fieret; tamen non erat significatum propriè hujus orationis, quòd ly *ego* supponeret pro persona Dei. *Ita Doctor.*

VI. *Ut indicat subtilis Doctor.*

Quibus verbis, inquit Hiquæus in Commentario num. 8. Doctor apertè significat, quatuor C verba antecedentia prædicta esse formam Sacramentalem, & perfectam illius significationem; qood utrique sic probat: Verba Sacramentorum ex vi verborum debent significare illud quod efficitur ex vi Sacramenti; sed ex vi hujus consecrationis efficitur ibi esse verum corpus Christi: ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi contineri: sed hæc verba: *Hoc est enim corpus meum*, prolata sine præcedentibus, hoc non significant absolutè; quia pronomen significat referri ad personam ipsius loquentis; nam licèt Minister possit intendere loqui in persona Christi, id non facit, quòd oratio D significet corpus Christi, sicut qui intenderet in persona Christi dicere: *Doctrina mea, non est mea*: vel hæc est doctrina mea; ex vi verborum non haberetur, quòd illa doctrina esset Christi: sicut quando Angelus loquebatur in persona Dei: *Ego sum Deus Abraham*, &c. ex vi sermonis non significabatur persona Dei.

Confirmatur hæc ratio Doctoris. Tam Patres, quàm Ecclesia, ex vi verborum, & proprietate probant præsentiam realem: ergo forma in ea determinatione facit sensum Sacramentalem ex vi verborum, quâ ex expressa significatione non possit torqueri in aliud cum proprietate: ideo Patres Tridentini improperant hæreticis, E quòd abusivè torqueant formam in tropos, & sensum alienum à proprietate verborum: sed hæc oratio prolata absolutè, ex vi verborum significat corpus loquentis, non alterius: ergo nisi aliud addatur, significat corpus Sacerdotis loquentis. Probatur subsumptum ex particula, *meum*, quæ pronomen est possessivum, & denotat loquentem, nisi aliud addatur: Unde ex eo quòd Christus, protulerit illam formam, ex vi pronominis illius, intelligunt omnes eum locutum fuisse

A de corpore proprio; aliàs nullum esset fundamentum colligendi ex vi verborum realem præsentiam corporis Christi: ergo eum sensum facit ex vi verborum forma illa absolutè, & sine limitatione ulla prolata, quem fecit sic prolata à Christo, qui protulit eam absolutè; ac proinde denotavit ex vi pronominis corpus suum: ergo etiam prolata à Sacerdote non denotat aliud ex vi sermonis, quàm proprium ejus corpus, & non corpus Christi; & consequenter sic prolata non facit sensum Sacramentalem ex vi verborum, & erit invalida. Quæ ratio fundatur in iisdem principiis, quibus Patres, & Doctores ex vi verborum colligunt præsentiam realem.

Secundò probatur idem: Quia Ecclesia in Ca- B none, ideo adjecit verba antecedentia, ut forma faceret sensum Sacramentalem. Probatur: non enim ad orationem proferuntur, quia in illis nihil petitur; non ut essentialia formæ, quod supponitur: ergo ad narrationem, quæ præponi debet, ut forma in sensu Sacramentali, & in persona Christi proferatur.

Repones Sacerdotem intendere in persona Christi proferre formam. *Contrà*, intentio non facit, ut oratio significet ex vi verborum, quod non est nata significare: sed ex vi verborum non est nata significare, nisi corpus proferentis eam absolutè, & sine limitatione: ergo, &c. Major patet, quia oratio est significativa, non ex beneplacito proferentis, sed ex instituto, quia est signum commune; sed ex communi instituto non significat, nisi corpus proferentis; neque alius conceptus in audiente eam, ex vi verborum præcisa, causari potest: ergo non sufficit intentio proferentis, ut aliud significet.

Deinde intentio est occulta, neque cognoscitur, nisi ex vi sermonis: ergo nequit limitare orationem, ut faciat alium conceptum vi sermonis in audiente, nisi aliàs ex communi instituto competat; & maximè quando ipsa oratio non est ambigua, sed limitata ad sensum determinatum per particulam specificantem, qualis est in proposito pronomen possessivum *meum*. *Ita Hiquæus.*

VII. *At opposita est probabilior.*

Verùm quanquam illa opinio probabilitate non careat, nihilominus opposita videtur probabilior: *Tum, quia* eam tuentur plures Theologiæ Principes, nimirum *Alensis* 4. part. qu. 10. memb. 5. *Sanctus Bonaventura* distinct. 8. parte 2. art. 1. quæst. 1. *Richardus* ibidem, art. 3. quæst. 1. *Durandus* parte 2. memb. 6. & *S. Thomas* 3. quæst. 78. cum suis Discipulis: *Tum, quia* hoc ipsum suadet ratio Theologica; siquidem illa solùm verba necessaria sunt ad consecrandum corpus Christi, quæ Christus protulit conficiendo hoc Sacramentum, & quæ profert Sacerdos, quatenus gerit personam Christi, ut docet Florentinum in Decreto unionis, his verbis: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus conficitur Sacramentum; Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum:* sed verba antecedentia; nempe, *qui pridie quàm pateretur, &c.* neque à Christo consecrante dicta sunt; neque proferuntur à Sacerdote, tanquam ex persona Christi, sed referuntur merè historicè, & non tanquam à Christo dicta: igitur non sunt necessaria ad consecrandum corpus Christi.

Confirmatur: Si illa verba præcedentia essent absolutè necessaria ad efficiendam consecratio-

nem, maximè quia non sufficeret Sacerdotis intentio, ut significetur eum loqui in persona Christi, cùm dicit: *Hoc est corpus meum*; neque etiam ut corpus Christi vi verborum ponatur sub speciebus panis: sed hoc falsum est; nam quantumcumque Sacerdos verba præcedentia præmittat, si tamen non habeat intentionem ea verba proferendi eô modô, quô Christus instituit, & efficiendi quod efficit, Sacramentum non efficiet; quippe sine tali intentione ea verba proferendo, tantùm proferret materialiter & recitativè, non verò significativè & formaliter. Quod utique constat; quia quantumvis Sacerdos initiatus, qui cæremonias discit, hujusmodi verba proferat super præsentem materiam, tamen reverà non consecrat; quamvis hæc agendo referat personam Christi; quia scilicet non habet intentionem consecrandi: igitur illa verba non sufficiunt ad hoc, ut ponatur corpus Christi sub speciebus panis, nisi adsit intentio; ac subinde illa intentio Sacerdotis sufficit, ut cùm profert hæc verba, *Hoc est corpus meum*, censeatur loqui in persona Christi.

VIII. Sacerdotis intentio sufficienter determinat verba consecrationis.

Quod utique non negat Doctor; siquidem postquam fusè disseruit de sensu illius orationis, *Hoc est corpus meum*, secundùm rigorem & sensum logicum, subjungit *num.* 25. sufficere Ministro, quòd illam orationem proferat sub ea intentione, quâ Christus D. instituit eam proferendam: *Sufficiet*, inquit, *Ministro non disputanti eô tempore, quô illa profertur oratio, intendere proferre istam orationem eô modô quô Christus instituit eam proferendam: & sic habetur intentio debita, & instrumentum debitum, scilicet illa oratio prolata, cui instrumento à tali agente adhibita, Deus assistit ad causandum in ultimo instanti talem effectum.*

Ut admittit Doctor.

Unde etiam celebriores & graviores Scotistæ oppositam sententiam tuentur, putà Bassolius, Aretinus, Hiquæus, Tartaretus, qui ait, Doctorem oppositum docuisse solùm disputandi gratiâ, nec ipsi sententiæ oppositæ firmiter adhæsisse, sed duntaxat dubitativè.

Quod utique ipsemet Doctor luculenter significat *num.* 50. *ubi* ait: „Dico, quòd siquis Sacerdos inciperet sic loqui: *Hoc est corpus meum*, non prædicens verba præmissa totaliter; quòd in omnibus talibus non est adorandum, nisi sub conditione, si verè consecratum est. Et nunquid iteranda sunt verba? Dico, quòd non absolutè. Sed nunquid sub conditione? Dico, quòd hîc non est talis necessitas, sicut in Baptismo, quia ibi quando dubitatur de baptizatione, dubitatur de salute: ideo licitum est ibi quandoque sub conditione baptizare. Sed hîc si probabiliter dubitatur, in altero istorum casuum, an consecratio sit completa, nullum periculum salutis imminet, si non hæretur, nec absolutè, nec sub conditione? Quid ergo? Estne illa materia semper servanda? Dico, quòd non, quia putresceret, sed Sacerdos post Communionem, in sua Missa potest illam materiam recipere, sub intentione conditionata tali, si istud est consecratum, recipio ut consecratum: sed si non, non, sed ut tale; de quo est incertum: nec in hoc potest esse periculum, quia jejunus est ante perceptionem vini ablutionis, etsi non est sanguis, quem percipit, non tamen facit irreverentiam copori, & sanguini jam perceptis, quia mox post sanguinem jam perceptum statim in Altari, percipimus purum vinum."

Unde ad rationes superiùs allatas ex Doctore, respondet *Aretinus* quæst. 2. negando minorem; sufficit enim, quod talia verba ex intentione Christi, & ex intentione Ministri significent effectum suum: nam si requireretur, quod ex vi sermonis significarent effectum Sacramentalem, sequeretur, quòd etiam cum verbis canonis præcedentibus non fieret consecratio: quia verba præcedentia, scilicet, *Qui pridie, quàm pateretur, &c.* non recitantur ibi ut dicta à Christo, quapropter quoniam post illa verba diceret Sacerdos: *Hoc est corpus meum*, non significaretur ex vi sermonis, quòd corpus Christi esset sub speciebus illis, quas Sacerdos tenet in manibus, sed significaretur fuisse sub illis speciebus, quas ipsemet Christus tenebat, quando primùm dixit; *Hoc est corpus meum.*

Cuius rationes in oppositum solvuntur.

Dices: Intentio Sacerdotis non sufficit, ut Sacerdos censeatur verba consecrationis proferre in persona Christi: Igitur ad id necessariò adhibenda sunt verba præcedentia.

Probatur antecedens. Ut censeatur Sacerdos illa verba proferre in persona Christi, oportet ut verba quæ profert ex naturali sua significatione, designent aliquando fuisse prolata à Christo absque ullo prorsus respectu ad intentionem Sacerdotis proferentis; nam hoc vocabulum *panis*, verbi gratiâ ex vi sua panem significat independenter ab intentione proferentis; & licèt proferens vocabulum panis, intenderet significare lignum, non propterea lignum significaret, sed panem: at hæc verba, *Hoc est corpus meum*, non aliud significant, quàm corpus loquentis ex hominum instituto: igitur quantumcumque alia accedat intentio Sacerdotis loquentis, non aliud significabunt.

Deinde, si intentio proferentis salvare posset significationem verbis competentem ex propria natura, sequeretur posse aliquem in forma Baptismi his verbis uti, *Baptizo te*, intendendo tamen Baptismum dare alteri; nam ad id dirigeretur significatio ex vi verborum ob intentionem dicentis: at hoc est absurdum: igitur, &c. *Tandem* verba significant eô modô, quô à primis imponentibus sunt deputata & instituta; neque si proferens verba illa, intendat aliud significare, talia verba fient proinde significativa illius, quod intendit: sed hæc verba, *Hoc est corpus meum*, sunt imposita ad significandum corpus illius qui loquitur: ergo nulla intentio proferentis poterit ea reddere non significativa eô modô, sed aliter.

IX. Attamen ea significatio à sola Ministri intentione non pendet.

Respondeo, hæc & similia argumenta fore quidem vera, si assereretur significatio verborum consecrationis pendere à sola intentione Ministri proferentis nudè & absolutè sumpta; quod utique non asserimus, sed solùm quòd ea significatio verborum consecrationis pendeat ab intentione Ministri, ut subordinatur intentioni Christi, qui instituit, ut verba illa cum debita intentione à Sacerdote prolata, talem vim significandi haberent; unde concesso antecedente, negatur consequentia; quamvis enim verba illa, *Hoc est corpus meum*, ex vi sua, corpus loquentis significent, quando is loquitur in propria persona; possunt tamen significare etiam corpus alterius, quando proferens loquitur in aliena persona, ut

contingit in proposito, ad hunc enim effectum à Christo instituta fuêre, ut per illa cum debita intentione prolata supra materiam debitam, Sacerdos sacramentum Eucharistiæ conficeret, & quidem loquens in persona ipsius, non autem propria.

Ad secundum, nego sequelam majoris, non enim sola voluntas loquentis, aut intentio proferentis tribuit verbis vim significandi, sed voluntas Christi instituentis verba illa cum intentione debita à Ministro prolata talem vim significativam habere; & ita instituit formam Baptismi, ut is solùm diceretur baptizari, qui aquâ ablueretur à Ministro formam pronuntiante cum debita intentione faciendi quod Christus instituit. *Ad ultimum patet* per idem, quamvis enim verba illa sint imposita ad significandum corpus loquentis, quando ea profert in propria persona; possunt tamen significare corpus alterius, etiamsi proferens loquatur in persona aliena, & cum debita intentione ab illo alio ordinata, & instituta, ut tali modô proferantur, & ad talem effectum significandum, ut contingit in proposito nostro.

Dices secundò: Verba consecrationis non possunt habere vim effectivam præsentiæ corporis & sanguinis Christi, nisi præcisè quatenus sunt verba in persona Christi prolata: sed talis censeri non possunt, nisi præcedant aliqua verba, quæ faciant hanc determinationem; nam hæc determinatio debet fieri per aliquod signum sensibile; at nullum est magis sensibile, & significativum, quàm verba: ergo hæc determinatio debet fieri per verba præcedentia.

Confirmatur, quia certum est Sacerdotem illa verba proferre materialiter, & recitativè, licèt quoque dicat formaliter, & significativè: sed illa verba absolutè sumpta absque præcedentibus, ex propria natura & vi non habent, ut recitativè dicantur à Sacerdote, sed ut propria verba Ministri, & significativè, ut patet in quacunque simili locutione, ut si dico, *hæc est doctrina mea*, vel *hæc est caro mea*, semper istæ locutiones supponunt pro persona loquentis, & dicuntur significativè, non materialiter, & recitativè. *Tandem* sacramentum Eucharistiæ est simul Sacramentum, & sacrificium: at de ratione sacrificii est, ut sit oblatio externa facta soli Deo, in qua res sensibilis consecratur: ergo in hoc Sacramento debet esse aliqua oblatio; hæc autem non potest fieri, nisi verbis, & signis præcedentibus consecrationem rei sensibilis: ergo in hoc Sacramento debent verba aliqua præcedere ipsam consecrationem ut censeatur fieri nomine Christi.

Respondes Mastrius quæst. *6 num.* 152. negando minorem: Nam, *inquit*, sufficienter determinantur illa verba ad personam Christi, quatenus proferuntur supra materiam debitam à Christo institutam, & cum intentione illa proferendi, sicut Christus præcepit, & protulit, & efficiendi, quod ipse effecit; & intentio Ministri satis est, ut proferatur oratio illa in persona Christi formaliter, & falsum est determinationem istam debere fieri per aliquod signum sensibile præcedens sensibilitatem formæ, ut satis constat ex dictis.

XI. Quomodo verba consecrationis dici possint proferri in persona Christi.

Ad confirmationem, dicit nihil concludi; non enim conficit Sacerdos Sacramentum, quatenus verba consecrationis profert materialiter, & recitativè, sed quatenus illa profert formaliter & significativè, hoc est, cum intentione proferendi illa, ut sunt à Christo institota, & efficiendi quod ipse effecit; unde si illa solùm formaliter & significativè proferret, adhuc Sacramentum conficeret. *Ad ultimum* negat minorem, ultimam nempe oblationem, quæ de ratione sacrificii Altaris ponitur, fieri debere signis, & verbis consecrationem præcedentibus; quia sufficiens est oblatio ipsa implicitè facta per positionem victimæ in Altari, præterquam quod licèt de facto in Eucharistia ex institutione divina Sacramentum, & Missæ sacrificium sint simul conjuncta, unum tamen non est de ratione intrinseca alterius, & absolutè separari possunt.

CONCLUSIO SECUNDA.

FORMA *consecrationis essentialiter consistit in his solis verbis*; HIC EST CALIX SANGUINIS MEI, *vel* HIC EST SANGUIS MEUS. Ita subtilis Doctor quæst. 2. nu. 6. ubi cùm objecisset: *De verbis autem consecrationis sanguinis, est dubium magis, quantùm ad duo; Primum est, quia formam, quâ utimur, nullus Evangelistarum recitat; ideo non videtur ex Evangelio certa. Græci etiam aliâ formâ utuntur, dicentes*: Hic est sanguis, &c. *& per consequens forma nostra non est præcisa*: Ita opponit contra ordinariam formam Ecclesiæ Latinæ. Respondet autem: *Non dubito, quin forma nostra sit certa secundùm authoritatem illam Innocentii* cap. *Cùm Martha* de Celeb. Miss. *quia multa tradita sunt Ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamen non sic scripta sunt in Evangeliis.* Verba autem Innocentii Pontificis sunt: *Sanè multa tam de verbis, quàm de factis Dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli vel supplevisse verbô, vel factô expressisse leguntur.* Quod utique probat Pontifex: Paulus enim, *inquit*, in Actibus Apostolorum sic ait: *Meminisse vos oportet verbi Domini Iesu, qui dixit, Beatius est magis dare, quàm accipere: Hæc autem nullus quatuor Evangelistarum descripsit.*

XII. In quibus verbis præcisè consistat forma consecrationis calicis.

Unde Doctor num. *6.* dicit: Communiter tenetur, quòd ista: *Hoc facite in meam commemorationem*, non pertinent ad illam formam hôc modô. Quod probatur, quia non magis facit illud: *Hoc accipite*, &c. ad sanguinem, quàm ad corpus; præcepit enim Christus ita fieri consecrationem corporis, sicut sanguinis: ergo si illud pertinet ad consecrationem sanguinis, pari ratione & corporis, & per consequens quando hostia levatur, adhuc non est ibi corpus Christi, & sic est idololatria, quod non est dicendum. *Ita Doctor.* Quin imò etiam sanguis adoratur ante illa verba; nam juxta Rubricas consecratione factâ, Sacerdos reponit calicem consecratum super Altare, & statim illum adorat, ac postmodum populo adorandum exhibens, profert illa verba: *Hæc quotiescunque feceritis*, &c. Igitur prolatio illorum verborum supponit consecrationem jam esse factam.

XIII. Verba *hoc facite in meam commemorationem* non sunt de essentia,

Deinde præceptum de usu consecrationis *(inquit Doctor)* non est consecrationis forma: sed illa verba: *Hæc quotiescunque feceritis*, &c. præ se ferunt præceptum usûs calicis consecrati: igitur, &c. *Denique*, ait ibidem Doctor: Per ista verba contulit Apostolis potestatem consecrandi: per hoc enim ordinavit eos Sacerdotes: collatio autem potestatis consecrandi non fit per verba pertinentia ad consecrationem: quia verba

consecrationis, materiam respiciunt, quæ consecratur; vel terminum, in quem tendit consecratio: verba autem potestatem respicientia, respiciunt potestatem, quam conferunt, & illum, cui confertur; ac subinde non spectant ad legitimam & essentialem consecrationis formam.

Probatur itaque conclusio, primò quidem ab authoritate SS. Patrum; nam sanctus Justinus apologiâ 2. ad Antoninum Imperatorem. *Apostoli*, inquit, *in Commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Iesum præcepisse tradiderunt, cum acceptò pane cum gratias egisset dixisse: Hoc facite in memoriam mei: Hoc est corpus meum; dixisse etiam accepto poculo: Hic est sanguis meus, ipsisque solis dedisse.* Illis etiam mox prolatis consecrari vinum, & in sanguinem Christi converti, docet non solùm Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, capite 5. sed etiam Sermone de cœna Domini apud S. Cyprianum: *Ex quo*, inquit, *à Domino dictum est: Hoc est caro mea, & hic est sanguis meus: quotiescunque his verbis, & hâc fide actum est, panis iste supersubstantialis, & calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam, salutemque proficit.* Quod totidem ferè verbis reperit Innocentius tertius lib. 4. *De Mysteriis Missæ, cap. 6.*

XIV. Neque alia antecedentia, aut consequentia hæc, *Hic est calix sanguinis mei*, vel hic est *sanguis meus*.

Nec valet reponere, Sanctos Patres non fuisse sollicitos referre integram formam Sacramenti: Hæc, inquam, responsio non valet: *Tum, quia* Patres illi testantur verbis consecratoriis ab eis laudatis, vinum converti in sanguinem Christi: quod utique non efficerent, nisi integram formæ rationem haberent. *Tum, quia* idem omnino sentiunt de verbis illis: *Hic est sanguis meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei*; atque de istis, *Hoc est corpus meum*: sed ex dictis constat integram formam consecratoriam corporis consistere in quatuor illis verbis: igitur idem sentiendum est de forma consecrationis calicis: *Tum, quia* asserunt, ex quo verba illa prolata fuerint, calicem benedictione solemni sacrari; ac subinde censent cætera verba ad essentiam formæ calicis consecratoriæ non pertinere.

XIV. Ut docent SS. Patres.

Confirmatur ex sententia & Liturgiis Græcorum; refert enim Arcudius lib. 3. cap. 16. *quòd forma consecrationis Eucharistiæ apud Græcos, sunt hæc certa & determinata, eaque sola verba:* HOC EST CORPUS MEUM, & HIC EST SANGUIS MEUS; Quæ, inquit, sunt verba Salvatoris. Idem asserit de Lyturgiis Maronitarum Cardinalis de *Lugo*, disp. 11. sect. 4. num. 6. obi loquens de Lyturgiis Maronitarum sic ait: In aliis vero Lyturgiis, scilicet S. Joannis Evangelistæ, sanctorum Apostolorum, S. Eustasii, sancti Joannis Patriarchæ verba sunt: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* In Liturgia S. Marci Evangelistæ: *Corpus meum est hoc, sanguis meus est hic.* In Liturgia sancti Matthæi seu Pastoris: *Hoc caro mea est, Hoc sanguis meus est.* Quas formas inquit, ex Missali manuscripto Maronitarum, à Monte Libano Romam misso, dedit mihi perdoctus vir Victorius Scialach, Abbas sancti Gregorii, natione Maronita, & in urbe Roma à multis annis linguarum publicus interpres. Hæc prædictus Cardinalis: igitur omnia verba, quæ in consecratione calicis proferuntur à Sacerdotibus Ecclesiæ Latinæ, non sunt de essentia formæ; alioquin nec Græci, nec Maronitæ Christi D. sanguinem consecrarent. Quod utique absurdissimum est.

XV. Et indicent Liturgiæ Græcorum & Maronitarum.

Denique probatur ratione: Illa sola verba sunt de essentia consecrationis calicis, quæ sufficienter significant præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini: sed sola illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus*, id sufficienter significant: ergo, &c. Major patet: Illa enim verba sufficiunt ad essentiam formæ, quæ id omne significant, quod est de essentia Sacramenti. Minor verò patet; tum quia illa verba significant id omne, quod sub speciebus vini continetur, esse Christi sanguinem antecedenter ad prolationem sequentium verborum; ac subinde causant præsentiam sanguinis Christi sub speciebus, cùm necessariò sint vera, & ex institutione divina efficiant, quod significant: ergo ipsa sola sunt de essentia consecrationis calicis; quia antecedenter ad sequentia verba continent veritatem, & verissima sunt. *Tum, quia* non sunt minoris efficaciæ verba illa: *Hic est sanguis meus*, in consecratione calicis, quàm ista: *Hoc est corpus meum* in consecratione panis: ergo sicut hæc sufficiunt ad conversionem panis in corpus Christi; nec sunt de essentia alia sequentia verba, *quod pro vobis tradetur*; ita & illa ad conversionem vini in sanguinem, nec erunt de essentia alia sequentia verba, *qui pro vobis effundetur*.

XVI. Et suadet ratio Theologica.

Objicies primò: Illa verba sunt de essentia formæ consecrationis calicis; quæ non possunt salvâ Sacramenti essentiâ prætermitti: sed Ecclesia Latina censet, aliquid eorum verborum non posse prætermitti: igitur censet ea omnia verba esse de essentia formæ. Major constat: Verba enim, quæ non pertinent ad essentiam formæ, possunt omitti, quippe cùm eis omissis salva sit Sacramenti essentia. Minor verò probatur; Ecclesia enim non solùm omnia illa verba vult proferri à Sacerdote eòdem ritu & modò, cùm calicem in manu tenet, antequam adorandus populo ostendatur, & eisdem characteribus majusculis in Missali notantur, sed etiam ubi aliquid fuerit omissum, jubet ex integro formam repeti. Insuper in Concilio Coloniensi parte 7. cap. 14. omnia verba hæc ponuntur prò forma calicis, & statim subjungitur: *Reliqua, quæ dicuntur, vel ad usum Sacramenti pertinent, vel laudes, vel gratiarum actiones sunt, vel petitiones: tam autem apertus est sermo Christi, quò hoc Sacramentum conficitur, ut planè insani sint, qui depravare contendunt*: Igitur constat illa verba esse essentialia, atque eis omnibus confici Sacramentum.

Denique in Catechismo Romano B. Pii V. summi Pontificis jussu edito, ea omnia verba simul scribuntur pro forma consecrationis; unde idem Pontifex censuit expungendam illam Cajetani commentariorum partem in art. 3. quæst. 78. partis; quà Cajetanus sancti Thomæ opinionem deserens, affirmabat hanc nostram sententiam: igitur censuit summus Pontifex oppositam sententiam esse veriorem & certiorem.

Nego minorem: Et ad primam ejus probationem dico, idcirco omnia verba illa eòdem ritu & modò à Sacerdote proferri, quia sunt formæ essentialis explicatio & declaratio, atque integram & adæquatam propositionem determinando, præcipuum prædicatum componunt: sicut

& Catholicum tangit; aliud est enim nescire for- in forma Pœnitentiæ, omnia verba hæc: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, à Sacerdote eòdem ritu & modò proferuntur, licèt non omnia peræquè ad essentiam pertineant.

XVII. *Quare, & quando Ecclesia jubet formam consecrationis repeti.*

Cùm verò dicitur interdicere Ecclesia, ne ex illis verba ulla prætermittantur; id probat quidem necessitatem præcepti, at non necessitatem Sacramenti. Quod verò additur Ecclesiam in casu omissionis alicujus particulæ formæ illius, totam ex integro repeti velle; sollicitudinem & cautelam Ecclesiæ in Sacramentis conficiendis securiora sectantis ostendit; cùm enim omnia verba illa ad essentiam desiderari multi Doctores teneant, illa præsertim, quæ effusionem sanguinis significant, & aliunde in possessione illius formæ Ecclesia sit, eam retinere, & omissam instaurare prudentissimè studet, ut in re omnium maxima, centro nimirum Religionis & pietatis Eucharistiâ, nullum prorsus dubium supersit.

XVIII. *Explicatur Concilium Coloniense.*

Ad Concilium *Coloniense* & *Catechismum* dico, in eis non affirmari omnia verba illa esse de essentia formæ, & necessitate Sacramenti, sed tantùm quòd in eis contineatur forma, quodque necessariò omnia proferenda sint ex præcepto & consuetudine Ecclesiæ.

Ad censuram B. Pii respondeo varias illius proferri causas, sed potissima est quòd Cajetanus, qui S. Thomæ sententiam elucidare ac tueri susceperat, non eâ, quâ par erat, reverentiâ illam tractaverit; quippe cùm hac in parte reprobaverit, & eâ rejectâ contrarium docuerit.

Objicies secundò: Verba sequentia pertinent ad eandem orationem cum præcedentibus: igitur etiam spectant ad eandem formam Sacramenti: *Probatur* antecedens, primò quidem de illis verbis, *qui pro vobis effundetur*: nam ratione illius relativi, *qui*, ad eandem orationem pertinent, ad quam spectat antecedens, nempe *sanguinis mei*: sed antecedens illud est de forma essentiali consecrationis: ergo & illud consequens, nempe, *qui pro vobis effundetur*, etiam ad formam consecrationis spectat. Idem constat de vocabulis, *novi & æterni Testamenti*; sunt enim determinatio illius prædicati, *sanguinis mei*: sed determinatio, & determinabile ad eandem orationem pertinent: ergo sicut illa verba, *calix sanguinis mei*, sunt de essentia formæ: ita *novi & æterni Testamenti*, erunt pariter de essentia.

XIX. *Verba quæ spectant ad essentiam orationis, non semper sunt de essentia formæ.*

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, non omnia verba, quæ pertinent ad eandem orationem, pertinere etiam ad eandem formam Sacramentalem; alioqui in Absolutione Sacramentali, verba illa, *In nomine Patris, &c.* quæ determinant prædicatum formæ Sacramenti Pœnitentiæ, essent de essentia illius Sacramenti, cujus tamen contrarium apparet ex dictis in Tract. de Pœnit. Igitur sola verba, quæ determinant prædicatum ad conversionem vini in sanguinem, sunt de essentia formæ calicis: Unde quemadmodum illa verba, *pro vobis tradetur*; licèt determinent prædicatum illud, *corpus meum*, in consecratione panis; tamen ad integritatem formæ non pertinent, ita quamvis illa verba, *novi & æterni Testamenti*, determinent illud prædicatum, *sanguinis mei*, in consecratione calicis, non tamen spectant ad eandem essentiam.

Instabis: Ista verba censenda sunt essentialia quæ necessaria sunt ad explicandum effectum conversionis vini in sanguinem, nempe quòd illa fiat in remissionem peccatorum: sed præfata verba, *qui pro vobis effundetur, &c.* talia sunt: igitur censenda sunt de essentia formæ. Probatur major à simili; licèt enim in Sacramento Baptismi per verba illa, *Ego te Baptizo*, significetur spiritualis ablutio, tamen ante prolationem illorum verborum, *In nomine Patris, &c.* non censetur ablutio Sacramentalis: ita à pari, quamvis illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, habeant sensum perfectum, requiruntur tamen sequentia verba, ut explicetur beneficium Passionis, & effectus effusi sanguinis.

XX. *Quare verba quæ necessaria sunt ad significandum effectum non sint de essentia.*

Nego majorem: Et ratio disparitatis est, quòd illa verba, *Ego te baptizo*, internam ablutionem spiritualem non significent, nisi adjiciatur expressa invocatio Trinitatis; quia cùm Baptismus sit janua legis novæ, per quam homo incipit esse membrum Ecclesiæ per fidem, idcirco necessum est, ut in eo fiat professio præstantissimi fidei objecti & mysterii, nempe divinæ Trinitatis: verba autem illa, *Hic est calix sanguinis mei*, conversionem vini independenter à posterioribus significant, ideo statim ac proferuntur, fit conversio & consecratio.

Urgebis: Eucharistia non solùm est Sacramentum, sed etiam Sacrificium; ac subinde sub hac utraque ratione exprimi debet per formam consecrationis: sed exprimi nequit sub ratione sacrificii, nisi fiat mentio fusi sanguinis per hæc verba, *qui pro vobis effundetur*: igitur saltem illa verba spectant ad essentiam formæ.

XXI. *Forma eadem quæ pertinet ad Sacramentum, etiam confert ad sacrificium.*

Respondeo primò, quòd licèt Eucharistia habeat rationem Sacramenti simul & sacrificii, tamen hæc utraque ratio separari potest, ut diximus; siquidem in Altari conservata hostia habet rationem Sacramenti, non tamen sacrificii; ac subinde non requiritur essentialiter, quòd in forma consecrationis explicetur repræsentatio sacrificii cruenti.

Deinde dico, quòd quamvis Eucharistia sit Sacramentum & simul sacrificium, tamen utrumque essentialiter significant verba hæc, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Cùm enim significent corpus mysticè separatum à sanguine, imò & significando illud mysticè separent, sacrificium & significant, & significando peragunt, & adorandam victimam Deo immolant.

Concludendum est ergo cum Doctore num. 9. *Quòd*, inquit, *non est nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam consecrationis sanguinis pertineant aliqua verba post illud*, sanguinis mei, *vel an aliquod illorum sequentium usque illic*, Hoc facite; &c. *ideo periculosum est hoc asserere, de quo sufficiens authoritas non habetur: non est autem periculosum ignorare, quia videtur ignorantia invincibilis.*

XXII. *Non est necesse quòd consecrans sciat determinatè quænam verba consecrationis sint essentialia.*

Nec valet reponere cum Soto, quòd laxa sit nimis hæc ignorandi licentia, quænam sit forma Sacramenti, neque sit valdè tuta; nam cùm Ecclesia præscriptis formis Sacramentorum utatur, quamvis licitum sit, verbum aliud pro alio æquivalens usurpare; tamen non licet liberiùs rem extendere. Haud enim pium est credere, quòd Christus, ac subinde Apostoli in re tam necessaria, quàm sunt materia, & forma Sacramentorum, Ecclesiam tam ancipitem & perplexam reliquerint. Hæc, inquam, criminatio non est ad rem, neque sensum Doctoris verum

mam sufficientem Sacramenti; & aliud nescire, quæ verba formæ sint præcisè essentialia, eaque à non essentialibus & adjectis discernere: Primum non negat Doctor, sed postremum, unde subdit: *Ex hoc patet improbatio cujusdam dicti minùs discreti, quod necesse est in quolibet Sacramento scire præcisè, quæ verba sunt de forma, ad hoc, ut aliquis conferat Sacramentum. Istud enim manifestè falsum est, non solùm in proposito, sed etiam in Baptismo, & Pœnitentia, & Sacramento Ordinis.* Quod utique verissimum est; alioquin unde tot altercationes inter Doctores de hac, vel illa particula formæ, sive Baptismi, sive Pœnitentiæ, an necessaria necessitate Sacramenti, an solùm præcepti? Hic asserit ly *Te*, in forma Baptismi requiri ad valorem, ille negat, Iste prætendit formam Pœnitentiæ non valere, nisi addatur ly *A peccatis tuis*, hic docet valere sine tali particula, & ita in pluribus aliis verbis, imò & in ipsa materia plurimæ inveniuntur oppositæ sententiæ circa illius necessitatem.

Nota.

Unde Doctor (inquit Hicquæus num. 28.) verissimè docet, non requiri ad valorem Sacramenti, ut Minister sciat præcisè hæc, aut illa verba formæ esse practica, & essentialia, ut discernantur ab aliis: quia idiotæ validè conficiunt Sacramentum, quamvis hoc discrimen nesciant: & inter ipsos Doctores circa verba essentialia formæ decertatur, perinde ac de materia, ut pervium est, cum qua discrepantia opinionum nemini dubium est, quin forma, & materia, quæ est in usu Ecclesiæ, sint certa: rectè ergo stat Sacramentum validè fieri, & debitam formam & materiam applicari, stante illâ ignorantiâ discernendi inter essentialia aliqua, & alia adjecta. Recte proinde Doctor admonet talem scientiam non requiri ad valorem Sacramenti in Ministro, licèt requiratur in eo scientia, quâ cognoscat hanc formam esse, quam adhibet, sicut & materiam; quia sine hac scientia nequit stare intentio efficax, & requisita: sine priori stare potest; imò nihil facit ad Sacramenti completionem.

Ut disertè tradit Doctor.

Hinc prudenter addit Doctor: *Dico, quòd Sacerdos intendens facere quod facit Ecclesia, legens distinctè verba Canonis à principio usque ad finem, verè conficit: nec est tutum alicui se reputare valde peritum de scientia sua, & dicere, Volo uti præcisè istis verbis pro consecratione sanguinis: sed securior est simplicitas, Volo ista verba proferre sub ea intentione, sub qua Christus instituit ea esse proferenda, ut quæ ex Christi institutione sunt de forma, dicam ut de forma, & quæ ad reverentiam, ad reverentiam.*

Nota.

QUÆRES I. *Utrum & quando hæ propositiones,* Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei, *sint vera?*

XXIII. Verba consecratoria vera sunt pro ultimo instanti consecrationis.

Respondet Doctor dist. 8. q. 2. n. 14. eas orationes & propositiones esse veras pro ultimo instanti earum prolationis. Quod probatur, *inquit*, quia non habetur conceptus omnium partium orationis ante illud instans: conceptus enim totius orationis non habetur sine conceptibus omnium partium. Hoc confirmatur per simile, quia conceptus formatus per dictionem, non habetur ante instans ultimum prolationis illius dictionis: ergo à simili de oratione: & ratio similitudinis est, quia sicut partes dictionis non significant conceptum simplicem, quem dictio significat: ita dictio non significat conceptum aliquem complexum, quem significat tota oratio. Sed differentia est, quia pars orationis aliquem conceptum simplicem significat; sed ad propositum non est ista differentia; quia utrobique totus conceptus non habetur, nisi in fine omnium dictionum prolatarom.

Repones: Si hæc ita sunt, sequitur, quòd oratio causat conceptum, quando non est, quia quando completè prolata est oratio, nihil orationis est.

Respondet Doctor ibidem, quòd argumentum non cogit, quia idem posset argui de conceptu importato per dictionem: ideo dico, quòd cùm conceptus fiat in instanti in intellectu post prolationem orationis, vel dictionis, non fit per illam, quia illa non est sicut arguitur: sed in fine prolationis cujuscunque dictionis per aliquid causatum in phantasia à dictione, dum fuit in prolatione, intellectus causat in se conceptum aliquem dictionis: vel ad propositum magis, per aliqua derelicta à singulis dictionibus dum proferebantur, intellectus in ultimo instanti per collationem suam, causat intellectum, vel conceptum totius. Ideo autem dixi *de conceptu*, qui causatur per orationem: quia secus potest esse de conceptu illo signato; qui non causatur per eam, utpote conceptus, qui est apud loquentem; quem scilicet intendit per orationem exprimere.

Instabis: Significatum totius orationis consistit ex significatis partium: sed partes significant, quando proferuntur: igitur oratio non significat tantùm in ultimo instanti suæ prolationis.

Respondet Doctor ibidem, quòd significatio illa non est ratio formalis causandi illum conceptum in audiente; sed est quædam dispositio præambula, ad quam per collationem intellectûs sequitur causatio totius conceptûs ex specialibus conceptibus causatis per partes orationis.

Dices: Si propositiones illæ essent veræ, earum objectum, seu significatum prius esset, quàm earum propositionum veritas, aut tantùm posterius: sed neutrom dici potest: non quidem primum; siquidem, ut mox diximus, illa propositio in quantùm vera, efficit suum objectum: nam propositio, *Hoc est corpus meum*, ponit corpus Christi sub speciebus panis: igitur objectum non potest esse prius ipsâ propositiona: omnis enim effectus est posterior suâ causâ. Secundum etiam dici nequit; quia ex eo, quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, ut ait Aristoteles 1. *Perihermenias:* igitur priùs est objectum propositionis esse, quàm sit veritas illius propositionis, quæ illud denuntiat.

XXIV. Quia propositiones illæ sunt effectivæ.

Distinguo secundam partem dilemmatis: Objectum & significatum illarum propositionum est posterius posterioritate temporis, vel durationis; nego: naturæ, aut signi, concedo: Cùm enim hæ propositiones sint practicæ, earum significatum existit eôdem instanti temporis, quô completur illarum sensus & significatio, licèt posterius dici possit posterioritate signi, vel naturæ; siquidem priùs intelligitur completus sensus illarum propositionum, quàm intelligatur significatum quod denotant; unde *ad effatum Aristotelis* dico, ex eo quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera aut falsa, speculativa, concedo: practica, nego: Porrò propositiones præfatæ sunt practicæ & effectivæ, sive conversivæ: Qui enim,

inquit Doctor *num.* 18. principaliter faceret in instanti, pro quo enuntiat illud, quod ista oratio tunc signat, ipse principaliter convertunt. Nam facere principaliter hoc ens esse corpus Christi, est realiter facere conversionem, per quam corpus Christi accipit esse hoc: quia eadem est factio, quâ hoc ens fit corpus Christi, & quâ corpus Christi fit hoc ens, hoc est, fit ens, quod est sub istis speciebus: Sed illa oratio dicitur esse conversiva, quæ significativè agit pro illo instanti, pro quo convertens agit realiter: ergo ista oratio est simpliciter effectiva.

Instabis: Propositio practica rem affirmat, quæ reverà est: igitur supponit rem esse.

Unde affirmant rem quæ fit, non quæ prius extitit.

Distinguo antecedens: Affirmat rem, quæ tunc fiat, concedo: quæ facta sit pro aliquo instanti temporis antecedente, nego: Unde Seraphicus Doctor dist. 8. part. 2. art. 1. q. 1. docet verbum *est*. in illis propositionibus non significare identitatem, sed transitum, seu conversionem; ita quòd idem significet, ac fit vel transit: *Ideo*, inquit, *hoc verbum* EST *in hac oratione, non identitatem, nec similitudinem signat, sed hoc esse corpus: Hoc est, ad hujus verbi prolationem, hoc totum transire in corpus. Unde oratio ista in ore alterius, quam in ore Sacerdotis falsa est, quia non convertit, nec transsubstantiat in illud, nec vera est per identitatem.* Et post pauca: *Nec videatur inconveniens dicere, quòd hoc verbum* est, *non identitatem dicit, sed potius conversionem in hac oratione, quæ non tantum est significativa, sed etiam operativa; magis tamen debuit poni verbum essendi, quàm operandi; quia magis competebat formæ, ut simul esset efficacia cum veritatis enuntiatione; simul etiam notaretur termini immutabilitas cum conversione.*

An autem valeret consecratio, si locô verbi *est* constitueretur verbum *fit*, aut *transit*. Negant communiter Theologi: at si verum sit, quod scribit Seraphicus Doctor, nempe verbum *est* non significare identitatem, sed effectionem, non video cur consecratio foret invalida; quamvis graviter peccaret, qui sic ageret.

QUÆRES 2. *Cùm in his propositionibus*, Hoc est corpus meum, *&*, Hic est calix sanguinis mei; *possit distingui veritas à significatione, utrum illæ producant corpus & sanguinem Christi, quatenus vera sunt, aut quatenus sunt significativa.*

XXV.
Suum effectum producūt ut significativæ, non autē ut veræ.

Respondeo, non producere quatenus sunt veræ, sed quatenus sunt significativæ, ut docet Doctor q. 2. *num.* 23. ubi postquam veritatem harum propositionum utrinque libravit, in tredecim conclusionibus, tandem resolvit, & suam ponit sententiam sub his verbis. Propter hoc dico, quòd tota illa disputatio in tredecim conclusionibus, & earum probationibus, vel improbationibus, subtilis est, & logica de veritate hujus propositionis salvanda: sed Theologo sufficit, quòd ista oratio, ut est tale signum sensibile, institutum à Deo, est instrumentum Dei ad consecrationem illam, quæ sequitur in ultimo instanti; ita quòd Deus assistat sibi tanquam cuidam dispositioni præviæ efficaci, ut eâ completâ causet talem effectum invisibilem: non autem ipsa veritas præcedit ut talis dispositio actionem Dei, quia est ut signum sensibile in fieri, & per consequens in tempore intelligitur habere suam propriam veritatem; quando etiam habet eam, illa veritas sequitur ordine naturæ actionem Dei. Breviter ergo diceret Theologus, quòd qualitercumque Logicus solvet istam propositionem esse veram, saltem non est oratio Sacramentalis ut vera, sed ut tale signom sensibile præcedens fortè tempore, & ad minùs naturaliter suam veritatem: sicut dispositio continua in tempore præcedit ultimum instans, & conditionem cujuscunque in ultimo instanti: causa etiam præcedit conditionem causati.

Et si quæras tunc, qualis, aut ut vera, aut ut falsa est propositio conversa? Dico, quòd neque sic, neque sic, sed tantùm ut est propositio nostra, & prior naturaliter, & fortè tempore suâ veritate.

Ut præclarè docet Doctor.

Quæ est nostra conclusio, & probatur primò, quia juxta Philosophum 1. Perih. 9. Ab eo, quod res est, propositio dicitur vera: priùs igitur est, corpus & sangoinem Christi per propositionem practicam poni in esse, quàm ipsa sit vera. Priùs, inquam, saltem naturaliter; neque enim objectum dependet à veritate propositionis, sed è contra ratio formalis verborum, sive verba, ut vera veritate formali, dependent, sive includunt existentiam objecti: ergo ut sic non possunt illud causare, nisi idem causet seipsum.

Quòd si objicias: quia Sacerdos antequam proferat verba consecrationis, credit illa esse vera: ergo prior est veritas, quàm operatio verborum.

Respondet Bosco: sufficere ad veracitatem in propositionibus vocalibus & practicis, quòd proferens sciat causari per sua verba tale objectum, quale enuntiatur. Sic quippe Rex non mentitur, quando dicit alicui simplici nobili: *Tu es Comes*, vel *hic sit Comes, Comes sit Ioannes, &c.* tametsi ante prolationem talis non sit Comes. Aliud autem est in prolationibus merè speculativis, quæ prærequirunt cognitionem existentiæ sui objecti, ut enuntians non mentiatur. Sanè consecrans manifestat mentem suam, non quam habet de veritate, sive existentia objecti præcedente, sed consequente, seu dependente à suis verbis. Sicuti si aliquis scriberet alteri in hæc verba: *Iam non poteris amplius dicere, te non vidisse à me scriptam aliquam propositionem*; quis dubitaret scripturam esse veracem? Et tamen scribens scit, hoc solùm esse verum dependenter à sua scriptura: manifestat ergo per scripturam scientiam, quam habet eâ mediante. *Ita Bosco.*

Si urgeas; verba consecrationis à parte rei, & per ordinem ad intellectum divinum, vel sunt vera, vel non.

Respondet idem Bosco esse vera, sed cum ordine posterioritatis, saltem naturæ, ad significationem, quem ordinem etiam ipse Deus cognoscit. Porrò hunc ordinem probat Doctor suprà hâc ratione: *Quia omne fundamentum prius est naturaliter relatione suâ accidentali: propositio autem, seu conceptus est fundamentum respectu veritatis, quæ est relatio accidentalis: quia potest inesse, & non inesse, sicut potest esse conformis, & difformis rei: Sorte enim sedente, vera est oratio quæ dicit Sortem sedere.... Ergo prior est naturaliter conceptus orationis, ut in re talis, quàm ut verus.* Adhuc etiam prior duratione est ipsa oratio, ut variabilis, & in fine, quàm conceptus ejus causatus per eam, eô modô, quô tempus dicitur esse prius suô ultimô instanti terminante.

Confirmatur exemplô Discipuli: Priùs enim aliqua conclusio non demonstrata concipitur à Discipulo, & tunc quidem ut neutra: & tamen totus per se ejus conceptus percipitur, vel con-

cipitur. Secundò, demonstratione ad ipsam applicatâ concipitur ut vera.

Confirmatur secundò, quia oratio ex vi suæ impositionis significat, sive id, quod per eam significatur, ita sit, sive non: portò veritas insuper requirit, noo significatam esse: Itaque pto illo ptioti, ptopositio est neutra, idest, neqoe vera, neque falsa, tametsi significativa. Et sanè vetitas, aut falsitas noo desumitut ab instanti naturæ, sed temporis; ita qoòd illa ptopositio similitet sit vera, quæ pro oulla parte, vel instanti temporis aliter dicit objectum esse, quàm io se sit: igitur forma consecrationis est vera, licèt in aliquo instanti naturæ priùs significet, quàm objectum ejus existat. Enimverò talem vim habent verba consectationis ex divina voluotate, ut io eodem instanti tempotis efficiant id, quod significaot, suam significationem in seipsis complendo per ptoductionem effectûs, ne verba divinitos assumpta, & in persona Christi ptolata, falsa (quod absit) inveniantut, si in aliquo iostanti temporis effectu suo frusttentur. *Hæc Bosco.*

Ex quibus patet, veritatem præfatarum ptopositionum pendere à convetsione panis & vini in cotpus & sanguinem Chtisti; non enim ideo illa verba veta sunt, quia pet illa facta est convetsio, sed quia convertunt, ideo sunt veta; ita quòd cooversio sit causa veritatis, non è contra. Hioc quando Tridentinum suptà cap. 3. dicit ex vi verborum sub specie panis existete corpus Christi, & sub specie vini sanguioem; per vim vetborum intelligere debes eorum significationem, quatenus efficiunt & sigoificant præscotiam cotpotis & sanguinis Christi sub speciebus.

XXVI. *Potuit tamen instituì Eucharistia in verbis non significativis.*

Noo abnuo tamen, Chtistum D. potuisse instituere aliquam orationem non significativam, ad cujus ptolationem à Sacetdote corpus & sanguis Chtisti fierent præsentia sub speciebus: *Quia*, inquit Doctot num. 24. *posset Deus instituisse aliquam orationem non significativam, ad cujus prolationem à Ministro, ipse assisteret ad causandum effectum in fine prolationis: ergo qualitercunque sit de ista disputatione Logica, qualiter ista propositio est vera, hoc est teneudum pro certo, quòd ipsa, ut signum vocale, & in fieri extra. est signum efficax respectu consecrationis, quia dispositio prævia, cui Deus ex pacto assistit ad causandum effectum efficaciter in termino, sive ipsa propositio significet talem effectum (quod verum est in proposito, & congruum, & hoc nudè, scilicet nec ut vera, nec ut falsa, scilicet in quantùm est dispositio) sive significet illud ut propositio vera, & hoc vel pro tunc, quando est dispositio, vel pro instanti illo, pro quo causabitur illud, ad quod est dispositio: & hoc vel priùs naturaliter, quàm in illo instanti causetur ille effectus, vel posteriùs naturaliter.* Unde concludo hanc controvetsiam verbis Doctoris nostri sup. num. 25. *Sic ergo breviter sufficiat Ministro non disputanti tunc, pro quo intelligitur oratio, intendere proferre istam orationem eô modô, quô Christus instituit eam proferendam: & sic habetur intentio debita, & instrumentum debitum, scilicet illa oratio prolata, cui instrumento, à tali agente adhibito, Deus assistit ad causandum in ultimo instanti talem effectum.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De existentia Christi Domini sub speciebus Eucharisticis.

ORoo doctrinæ, ratioque postulat, ut declaratis Eucharistiæ signis & symbolis, jam ad eorum explicationem, quæ hujusmodi symbola continent, ac significant, accedamus: in cujus utique veritatis indagatione, ac assertione, nobis maximè lis erit cum hæreticis hujus tempotis, quorum nonnulli tealem Christi cotpotis & sanguinis in Eucharistia præsentiam insectantur, ut *Calvinistæ*: aliqui panis ac vini in corpotis, & sanguinis cooversionem ac transsubstantiationem in dubium revocant, ut *Lutherani*: *Cæteri* denique modum, quô Christus sub consecratis speciebos existat, latitet & humanâ ratione curiosiùs inqoirentes, nec ptopter genii imbecillitatem certè deptehendentes, tanti mysterii arcanum, & secretum infuscare potius, quàm elucidare tentaot. Quocirca ttia hoc in Atticulo occutruot examioanda: *Primò*, utrum reverà Christus D. sit realiter, ac sobstantialiter ptæsens sub speciebus Euchatisticis: *Secundò*, uttum fiat transsubstantiatio ac cooversio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi: *Tertiò*, quomodo Christus sub iis speciebus latitet, & opetetut: Quæ utique ttia capitalia dogmata in tribus sequentibus Sectionibus expendemus. *Articuli distributio.*

SECTIO PRIMA.

De vera, reali, ac substantiali Christi D. præsentia sub speciebus Eucharisticis: nec non & de erroribus in eam pugnantibus.

CUM nullum sit post Vetbi Incarnationem hominibos concessum beneficium Eucharistiâ præstantius; quippe cùm omnes amoris sui divitias erga homines in eo Deus effudetit: cùmque illa sit *turris David ex qua pendent mille clipei omnis armatura fortium*, nullum etiam est, quod infestô magis bellô impugnare simul & expugnare diabolus, per suas asseclas molitus fuerit. Vix enim Christus D. ingens hoc beneficium hominibus se concessurum spoponderat, Joan. 6. dicens: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: cùm illico mormotantes Capharnaitæ, litigabant ad invicem, dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Quibus aoditis cùm teposuisset Christus: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; multi ex Discipulis ejus eadem incredulitate laborare cœperunt, dixeruntque: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Uode abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant.

I. *Primi Eucharistiæ impugnatores fuerunt Capharnaitæ.*

Illos secuti sunt ptimùm Simonis Magi, & Menandri sectatores: *Nam*, ut ait S. Ignatius epistolâ ad Smirnenses, *illi hæretici Eucharistias oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benegnitate suâ suscitavit.* *a. Simoniaci.*

Fateor quidem, eam S. Ignatii sententiam non inveniri in ea, quæ jam extat ad Smitnenses, epistola; nihilominus à Theodoreto refertur

[illegible] ibitur, *Impatibilis* [illegible] erroris [illegible] sunt qui [illegible] D. pe[illegible], sive veritatem [illegible] humanitatis [illegible] humani[illegible] è unum [illegible] averunt [illegible] at Lan[illegible] f[illegible] antu[illegible] & [illegible] nem convert[illegible] & [illegible] illa conve[illegible], [illegible] de hæ[illegible] ant [illegible], per [illegible] nem [illegible] um [illegible] & [illegible] p[illegible] & [illegible] *Alsqui* vero [illegible] ab [illegible] esse [illegible] ca[illegible] em [illegible] pa[illegible] & [illegible] C[illegible] tur e[illegible] declarat [illegible] tilum, [illegible] Synodi a S. [illegible] hæc h[illegible] *sanctum ac vivificum* [illegible] *ac tamquam in Ec*[illegible] *sacrificium pera unus corpus quod propinitur* [illegible] *& preti*[illegible] *sanguinem non communis* . [illegible] *hominis cum* [illegible] *credentes* . [illegible] *potius tanquam pro*[illegible] *& sanguinem etiam Verbi* [illegible] *omni*[illegible] *cat ac* [illegible] *siquidem commu*[illegible] *caro* [illegible] *care non potest Et hoc Salvator ipse testatum*[illegible] *Caro, inquiens non prodest quidquam, spiritus* [illegible] *qui vi*[illegible]*cat.* [illegible] *caro Verbi fac*[illegible] *est propria ob* [illegible] *intelligitur, & ei vi*[illegible]*ca, quemadmodum ipse Sal*[illegible]*rat: Sicut misit me* [illegible] *vens Pater, &c.*

Cæterum [illegible] omnes ve[illegible] hæretici non tam corporis & [illegible] D. veritatem, & actualem atque c[illegible] in E[illegible] præsentiam [illegible] videntur, quam negasse veritatem ar[illegible] in Incarnatione [illegible] contendebant enim C[illegible]stum solùm habuisse carnem apparenter & secundum existimationem, non realiter & secundùm veritatem: Unde quamvis non crederent conv[illegible] substantiæ panis & vini in carnem & s[illegible] Christi, non tamen hujus mysterii [illegible] es [illegible] a S. Epiphanio, P[illegible], Augustino, Theo[illegible], & aliis, [illegible] hæ[illegible] contex[illegible].

It quep[illegible] D[illegible] corporis & san[illegible] in E[illegible] impug[illegible] [illegible] Iconom[illegible], imagi[illegible] ho[illegible] es, qui, ut habetur in [illegible] Synod. [illegible] 6. contendebant un[illegible] esse C[illegible] imagi[illegible] ipso [illegible] [illegible] Eucharistia, quæ Christi [illegible] & [illegible] hæreti[illegible] dogma impugn[illegible] *demonstratum est, quod nusquam Do*[illegible] *Apostoli, aut Patres imaginem* [illegible] *runt,* [illegible] *guine* [illegible] *& ante significationis* [illegible] *ac p*[illegible] *&c p* [illegible] *tem c*[illegible] *prop*[illegible] *ac* [illegible] *nguis C*[illegible] *creduntur* [illegible] *ver*[illegible] *ab*[illegible] *ina*[illegible] *duxerunt, qua*[illegible] *est* [illegible] E[illegible] eest q[illegible] at in corporis [illegible] E[illegible] etur [illegible] [illegible] pre [illegible] [illegible] tamen [illegible]

Th[illegible] *Fr*[illegible], Tom. IV.

Ne [illegible] *repone* [illegible] asseruerunt, Eucharist[illegible] Christi [illegible] substan[illegible] in [illegible] conver[illegible] dic[illegible]ant enim *panem Euchari*[illegible] *genere natu alis* [illegible] *per S. Spiritu*[illegible] *sancti*[illegible] *cat* [illegible] *corpus esse volui*[illegible] *sicut placuit Me*[illegible] *autem venit Sacerdos, qui e*[illegible] *hac à illa anaphorâ*: est autem *anaphora* [illegible] pa[illegible] illa Missæ, in [illegible] hæc inquam, res[illegible] p[illegible], qu[illegible] hæreti[illegible] pravè de rea[illegible] co[illegible] Christi in Eucha[illegible] [illegible] corp[illegible] hæ[illegible] & [illegible] llat in[illegible] [illegible] præsentiam corporis Christi, [illegible] Eucharisticas vocant [illegible], & [illegible] corporis, & sanguinis C[illegible], modo autem sacrum & divinum corpus a[illegible], [illegible] confiteremur [illegible] [illegible] sub speciebus. Ex quibus [illegible] [illegible] hæretico[illegible] Christi D. in Eucharistia præsentiam non [illegible], [illegible] fide cre[illegible] inde [illegible] hac de re anceps sententi[illegible] & mo[illegible] endi de Eucharistia, cùm [illegible] figuram Christi D. corporis & [illegible], exte[illegible] grav[illegible], ac [illegible] hanc realem præ[illegible] impug[illegible] ansam præbuerunt.

Primus autem, [illegible] ema erectâ fronte induxit ac p[illegible], fuit qu[illegible] *Joannes Scotus*, non ille quidem Subtilis Doctor de Fide & Ecclesia bene meritus, sed is qui [illegible] nominatus fuit *Erigena*, ex Hibernia oriundus, quæ patrio idiomate *E*[illegible], seu *Eri* nominatur; quæ vero a[illegible] Hibernia etiam complectitur S[illegible]tiam, inde Joannes ille, etiam *Scotus* fuit subnominatus ob[illegible] anno 883. vel 884. IV. Joannes Scotus dictus Erigena.

Ut autem ex nomin[illegible] oriunda controversia præcaveatur, a[illegible] tendum est in primis, varios apud Authores mem[illegible] hoc no[illegible] *Joannis Scoti* donatos. N[illegible] A[illegible] dunensis lib. *de luminaribus E*[illegible] [illegible] ejusdam *Joannis* [illegible] quem vixisse memorat temp[illegible] & Juliani Pome[illegible] ac subinde 300. annis ante Scotum Erigenam, [illegible] Paschasi[illegible] florebat circa finem imperii Theodosii junioris. Julianus autem P[illegible] sub Zenone.

Baleus autem *centuriâ* 14. *cap.* 32. & Cellotius S[illegible] J[illegible] lo. Godef[illegible] op[illegible] nomine *Joannis Scoti* [illegible] Joan[illegible] Scotum E[illegible] eram [illegible] Calvo Cal[illegible] Franc[illegible], *alterum* Bedæ [illegible]pulum, & Alcui[illegible] quem volunt [illegible] sse sub Carolo Magno Imperatore ac unum fuisse ex fundatoribus U[illegible] Par[illegible] indicat Anonymus apud V[illegible] [illegible] vacen[illegible] in *speculo historiarum* [illegible] *cap.* [illegible]3. his verbis: *Alcuinus* [illegible] *studium de Roma Parisius transtulit, quod illuc à Græcia translatum fuerat à Romanis. fueruntque Parisius fundatores* [illegible] *studii quatuor Monachi Bedæ discipuli scilicet Rabanus, & Alcuinus, Claudius & Joannes* [illegible]. V. Vox præter Erigenam & ubilem Doctorem videntur appellari nomine Joannis Scoti.

Verùm, [illegible] m lev[illegible] h[illegible] momentum, in[illegible] apparet, quòd nullus fuit [illegible] Scotus Bedæ discipulus & Facultatis P[illegible] fundat[illegible] quippe cùm Anonymus ille Author eandem appellationem tribuat Rabano Archiepiscopo Mo[illegible], [illegible] obiit anno 856. nec-non & Claudio [illegible] At quæ d[illegible] vir[illegible] momen[illegible] & [illegible] eundem Joannem [illegible] ex parte quadran[illegible]

Qqq

[illegible] qui [illegible] etat [illegible] 9. ut [illegible] in [illegible] pos[illegible] [illegible] cui [illegible] a [illegible] *Au*[illegible] [illegible] J[illegible] [illegible], d[illegible] ap[illegible] & [illegible] T[illegible]en[illegible] [illegible] Ano[illegible] in. Q[illegible] [illegible] J[illegible] S[illegible] v[illegible] [illegible] æt[illegible] g[illegible] & do[illegible], n[illegible] a[illegible] [illegible] Joannis Scoti, [illegible] [illegible] are volu[illegible]t.

Sed quidquid [illegible] de illa contr[illegible] circa Joannis Erigenæ personam & æt[illegible], c[illegible] est [illegible] fuisse suspectæ fidei circa Eucharistiam, si [illegible] negavit fieri conversionem [illegible] panis & vini in substantiam corporis & [illegible] Christi; quod [illegible] grav[illegible] [illegible] detur. P[illegible] ex epistola, quam [illegible] Berengarius ad L[illegible], quæ incipit, *Pe*[illegible], & extat in [illegible] co- [illegible] Biblioth[illegible] Regiæ, in qua conqueritur Be[illegible], quod [illegible] Lanfrancus pro hæretica [illegible] doctrinam Joannis Scoti de Sacramento Altaris. *Secundò* [illegible] epistola ej[illegible] Berengarii ad Adelmannum, quem redarguit Berengarius, quod hæreticum appellaret & censeret Joannem Scotum, idque inconsideratè, impiè, & indignè Sacerdotiô suo; cui respondens Adelmannus: *Joannem verò Scotum*, inquit, *nec inconsideratè, nec impiè, nec indignè Sacerdotio meô hæreticum habeo, quem totô nisu, totâque intentione ad h*[illegible] *solum tendere video, ut mihi persuadeat. Hoc videlicet, quod in Altari consecratur, neque verè corpus, neque verè sanguinem*, hoc autem astruere nititur ex SS. Patrum opusculis, quæ pravè exponit. *Tertiò*, quia ejusdem Joannis Scoti liber lectus & damnatus fuit in Concilio Vercellensi, ut testatur Lanfrancus [illegible] de Eucharistiæ Sacramento contra Berengarium, his verbis: *In audientia omnium, qui de d*[illegible] *partibus* [illegible] *apud Vercellas* [illegible] *enerunt. Ioannis Scoti liber de Eucharistia lectus est, ac damnatus*. Testatur etiam idem Lanfrancus, Berengarium non ex alio fonte, quam ex [illegible] Joannis Scoti virus suæ hæresis hausisse; quem propterea tanquam Authorem [illegible] erroris, [illegible] conjicere coactus est in Concilio Romano sub [illegible] Secundo anno 1059. [illegible]c enim, Lanfrancus Berengarium alloquitur cap. 1. *Tu quoque* [illegible], *inclinatò corpore, sed non humiliatò corde, ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti Concilii in ignem conjecisti*. Inter [illegible] bustos autem [illegible] recens[illegible] Joannis Scoti codex in fragmento [illegible] quod laudat An[illegible] Andegavensis Fran[illegible] R[illegible] in suo [illegible] *In præsentia Papæ & multorum* [illegible] *porum, ait* [illegible] *Ioannem Scotum igni comburens* [illegible] *nefariam* [illegible] *one ad hanc nefariam devolutus* [illegible].

VI. He erravit circa Eucharistiam.

R[illegible] *es* Joannem Scotum à plurimis haberi ut Sanctum & Martyrem; ita enim testantur M[illegible] V[illegible] ensis, Vincentius B[illegible], S. A[illegible], ex G[illegible] Malme[illegible] q[illegible] 2. de [illegible] Regum Angliæ cap. 4. [illegible] *H*[illegible]*c tempori*[illegible] *Joannes Scotus, vir perspicaci* [illegible] *multa acumin*[illegible] [illegible] *bus in* [illegible] *m* [illegible] *ar* [illegible] *C* [illegible] *Suc*[illegible] [illegible] *annis mu*[illegible] [illegible] *in* [illegible], *&* [illegible] *pue*[illegible]

A[illegible] *graphum* [illegible] *Ammo*[illegible] *matus sit qu*[illegible] *anima no*[illegible] *ter A*[illegible] *ri quidem* [illegible] *te p*[illegible] *acar*[illegible]

Qui [illegible] *tus era*[illegible] *ens* [illegible]
Mar[illegible] *tandem* [illegible] *cen*[illegible]
[illegible] *ant per a*[illegible]

[illegible] Simon D[illegible] in [illegible] *R*[illegible] *Al*[illegible] *in A*[illegible] *Joan*[illegible] *tus, vir* [illegible] *fœcundiæ qui dudum* [illegible] *Carolum Ca*[illegible] *putatus* [illegible]. *Hujus* [illegible] *nosc*[illegible] *Papa* [illegible] *ad Carolum R*[illegible] *P*[illegible] *er* [illegible] *tunc e*[illegible] *enim* [illegible] *ad Regem* [illegible] *& Magisterio ejus* [illegible] *Regis* [illegible], *Meldunum sedit, ubi p*[illegible] *aliquot ann*[illegible] *à pueris, quos docebat* [illegible] *exutus, tormentò gravi & acer*[illegible] *dum iniq*[illegible] *va*[illegible] *manus infirma sæpe* [illegible] *& à*[illegible] *pe impeteret, amaram mo*[illegible] *quandiu inhonora sepultura in B. Laurentii Ecclesia, quæ fuerat nefandæ necis conscia. Sed ubi di*[illegible] *nus favor multis noctibus super eum lucem* [illegible] *igneam, admoniti Monachi in majorem* [illegible] *Ecclesiam, & ad sinistram Altaris posuerunt*.

Verùm his non obstantibus dubius [illegible] & [illegible] anceps est de Martyrio Joannis Scoti [illegible]. *Primò* quidem, quia quotquot [illegible] videntur maximè [illegible] testim[illegible] & [illegible] Guilelmi Malmesburiensis [illegible] G[illegible] id duntaxat dubitand[illegible] & ex incerta fama re[illegible], ut colligitur ex duobus locis, in [illegible] maximè de Martyrio Jo[illegible] sermonem [illegible], ut e[illegible]: Hoc [illegible] creditur fuisse Joannes Scotus [illegible] hanc [illegible] credo, tædiû eum Franciæ. Gra[illegible] ut fertur, perforatus, et [illegible] Martyr æstimat[illegible]. Quæ omnia verba omnino e[illegible], a[illegible] m[illegible] de relatione, q[illegible] suscipit, m[illegible] sufficit. *Secundò*, [illegible] Guillelm[illegible], Joannem Scotum ideo in Gallis [illegible] notatum, quod cum [illegible] de fide suspectum, ad se tr[illegible] attend[illegible] rat Nicolaus II. Pontifex, & ideo [illegible] ex tunc m[illegible] se in Angliam, qu[illegible] fuerat ev[illegible], [illegible] Regis Æ[illegible] quæ utrique [illegible] te non possunt, quippe cùm Ælfredus [illegible] rit Angliæ Rex [illegible] post m[illegible] Nicolai Papæ, & per [illegible] Re[illegible] ita be[illegible] & [illegible] b[illegible] inf[illegible]atus [illegible] ne tan[illegible] q[illegible] Joannem S[illegible] [illegible] mig[illegible] e[illegible] R[illegible] Æ[illegible] [illegible] attribuit Joannem Scotum [illegible] quem [illegible] Asserius [illegible] P[illegible] præc[illegible] [illegible] verbum qu[illegible] quamquam [illegible] nes [illegible] A[illegible] le[illegible] in Angl[illegible] est [illegible] M[illegible] tas & [illegible] s Scoti [illegible]

fuere in Ecclesia, scilicet toto tempore à Scoti morte, donec Guillelmus Malmesburiensis suam scripsisset historiam de Regibos Angliæ, quomodo enim Berengarius, qui Joannem Scotum in sui erroris patronum toties advocavit & laudavit, nosquam illius sanctitatis & martyrii meminisset?

Adde quòd Ascelinus non tantâ constantiâ scribens adversus Berengarium asseruisset Joannem Scotum esse hæreticum, & se illum pro hæretico semper habituum, si reverà illâ ætate Joannes Scotus pro Martyre in Ecclesia fuisset celebratus.

Vrgent hæretici: Thomas Fulbertus in historia Ecclesiæ Anglicanæ, testatur Joannem Scotum haberi pro Martyre, & quòd ejus anniversaria Commemoratio fiat 4. Idus Novemb. ut habetur in Martyrologio typis mandato Antuerpiæ, jussu summi Pontificis Gregorii XIII. annò 1586. Idem habet Dominus do Saussais Episcopus Tullensis in supplemento Martyrologii Ecclesiæ Gallicanæ 4. Idus Novembris. Idem pariter Molanus in Ecclesia Scotica.

Respondeo primò, falsum esse quod refert ipse Thomas Fulbertus; in nullo siquidem Martyrologio Romano reperitur Commemoratio Joannis Scoti ad 4. Idus Novembris jussu Gregorii XIII. annò 1586. nam ipsò annò jam Sixtus Quintus Gregorio successerat mense Maïo. Similiter quod referunt Dominus du Saussay & Molanus, nullius debet esse momenti; quippe cùm id omne nitatur authoritate Hectoris Boetii Deidonati, quem noverunt omnes esse levioris fidei Authorem, utpote qui pro libito adjiciat, vel detrahat ex antiquioribus Scriptoribus id, quod sibi arriserit; unde non mirum si Molanus hôc levi fundamentò nixus, graviter lapsus fuerit, cùm ipsum Joannem Scotum in album Sanctorum reposuerit in appendice ad Martyrologium Usuardi, quod typis mandari voluit Antuerpiæ annò 1583. Unde Arnaldus Vuion lib. 3. ligni vitæ, sumpsit ansam scribendi, Joannem Scotum insertum esse in Martyrologio Rom. Antuerpiæ typis mandato. Censerem ergo, hæc omnia, quæ referuntur de Martyrio Joannis, vel esse supposititia: vel si vera sint, intelligenda esse de Joanne Saxonico. Vel tandem si sint accipienda de Joanne Scoto, dicendum est eum à suo errore resipuisse, dum viveret; cujus indicium est, quòd verisimile sit, illum à Nicolao II. errorum fuisse admonitum & emendatum; siquidem Nicolaus Pontifex de Joanne Erigena scribens ad Carolum Calvum Francorum Regem, inter cætera hæc habet: Licèt multæ scientiæ esse prædicetur (Erigena) non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore dicitur: quocirca rogat Pontifex, ut ad sedem Romanam ipse Erigena transmittatur, quatenus ab eo resciat, utrum vera sint ea, quæ de illius erronea doctrina vulgabantur.

IX. *Ratramnus huius etiam erroris insimulatur.*

Ejusdem erroris insimulatur Bertramus, aut *Ratramnus* primùm Corbeiensis Monachus & Presbyter, deinde Abbas Orbacensis, ut testatur Flodoardus lib. 3. historiæ Ecclesiæ Rhemensis cap. 28 Ille enim scripsisse dicitur librum *de corpore & sanguine Domini* circa annum 850. in quo videtur Sacramentariis & Calvinistis facem prætulisse. Unde illum Authorem non solùm suum esse glorientur Calvinistæ: sed etiam ipsum hæreticis accenset è Catholicis *Genebrardus* in Chronologia. *Verùm* ab hac nota illum liberant plurimi; imprimis verò Cardinalis *Perronius*, qui arbitratur errores, qui in eo libro inveniuntur, inspersos fuisse malitiâ & vafritie Oecolampadii, qui opus illud primus publici juris fecit annò 1532. non enim infrequens est hæreticis, Catholicorum operibus, quibus edendis invigilant, nonnulla assuere & attexere, ut illos in sui erroris patrocinium asciscant.

At rectiùs sentire videntur illi, qui existimant cum illustrissimo *Petro Marca*, non ita pridem Parisiensi Episcopo, in sua epistola apud P. Lucam Dachetium, præfixa ejus Spicilegii *tomo* 2. librum illum *de corpore & sanguine Christi* editum quidem fuisse à Joanne Scoto Erigena, sed vulgatum fuisse sub ementito nomine Bertrami, quò faciliùs sub tanti viri auspiciis hæresis virus spargeret. Quam utique suppositionem Bertramo factam, asserit quoque *Sanctesius* repetitionis cap. 14. & *Sixtus Senensis* in præfatione Bibliothecæ sanctæ, & *Espencæus* lib. 2. de Adoratione Eucharistiæ cap. 41. sed omnium efficacissimè id probat *D. Antonius Arnaldus* in suis dissertationibus libro 12. de perpetuitate fidei Ecclesiæ Catholicæ circa Eucharistiam; cujus utique falsæ & ementitæ adscriptionis plurima apparent indicia.

Primò, quòd Trithemius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis: & Sigebertus cap. 96. Ratramnum tanquam virum Catholicum laudibus celebrant; scribit enim Trithemius; *Bertramus Presbyter & Monachus in divinis Scripturis, & in litteris disciplinarum sæcularium egregiè doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, nec minùs vitâ, quàm doctrinâ insignis, præclara opuscula, de quibus ad me inter notitiam pauca pervenerunt, ad Carolum Regem fratrem Lotharii Imperatoris scripsit commendabile opus de corpore & sanguine Domini*. Non est autem verisimile Trithemium Abbatem Catholicum, ita Bertramum commendare, si Catholicum de Eucharistia dogma impugnasset. X. *Sed immeritò.*

Secundò, per totos 700, annos nemo Bertramum hæreseos reprehendit, quasi malè scripsisset, nec ab ullo Scriptore hæresis insimulatus deprehenditur. Imò in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ut vir non minùs vitâ, quàm ingeniò, doctrinâ & eloquiò illustris adscriptus est. Unde etiam hæretici lib. de *Eccles. Christi success. & statu cap.* 2. fatentur Clerum Gallicanum eum selegisse, ut responderet objectionibus Græcorum adversus Latinos, quas objectiones ad Præsules Gallos direxerat Nicolaus summus Pontifex.

Tertiò, quia in gravissimis controversiis tempore Berengarii circa realem Christi præsentiam in Eucharistia, & panis ac vini in ejus corpus & sanguinem conversionem, nulla fuit Bertrami mentio, quem dubio procul in sui patrocinium advocasset Berengarius, si reverà ex illius scriptis causæ suæ aliquod subsidium accedere potuisset.

Quartò, si reverà Bertrami scripta Berengarianæ hæresi facem prætulissent, haud dubiè in Concilio Vercellensi unà cum libro Joannis Erigenæ proscriptus, ac damnatus fuisset; quod cùm factum non fuerit, inde argumentum est, Bertrami scripta, tanquam erroneo dogmati adstipulantia eô tempore non habita fuisse.

Quintò, liber ille, qui inscribitur *Ratramno*, seu *Bertramo*, diu vulgatus est absque ullo nomine Authoris, ut colligere licet ex Ruperto Abbate in caput 6. Joannis, ubi sic incipit respondere objectionibus hujus libri: *Hôc locô silendum non*

est, malè quosdam iguotos, & absconditi nominis homines, opinari suis quoque defendere dictis & scriptis, panem verum, quem in sancto Altari sumimus Patres illos manducasse tunc temporis, & bibisse, & nihilo magis hoc esse verum corpus & sanguinem Christi, quam fuit illud manna, quod ille populus comedit, &c. Hic enim Rupertus librum Bertramo tributum indieat, ut ex lectione libri patere potest, cujus tamen Authorem ait ignotum, & absconditi nominis: ergo verè Bertrami noo erat, sed alterius cujuspiam.

XI.

Liber enim de corpore Christi non ab eo, sed à Scoto Erigena videtur editus.

Neo alterius certè quam Scoti Erigenæ, quod eolligere licet tum ex conformitate dogmatum, tum quia Berengatius epist. ad Richardum, duo de libro Joannis Erigenæ notat: primò, quòd fuerit editus ad instantiam Regis Franciæ, secundò, quòd Rex ille non alius fuerit, quàm Catolus Magnus: *Noverit regia Majestas*, inquit, *qua scribit Ioannes Scotus, monitum illum scripsisse precariâ Caroli Magni... Vnde ferat oportet defuncto patrocinium contra calumnias nunc viventium, nisi se mavult exhibere indignum Successore, & Sede illius magnifici Antecessoris sui.* Porro hæc duo maximè conveniunt libro Joannis Scoti; author enim illum inscribit Catolo Magno, testaturque se illius jussu ad scribendum de Eucharistia fuisse provocatum; sic enim habet: *Bertrami Presbyteri de corpore & sanguine Domini ad Carolum Magnum Imperatorem: Iubes gloriose Princeps, ut quod de sanguinis & corporis Christi mysterio sentiam, vestra magnificentia significem, imperium quàm magnifico vestro principatu dignum, tam nostræ parvitatis viribus, constat difficillimum.* Ex quibus verisimile fit, librum istum primùm à Discipulis Berengarii sub ementito Bertrami nomine vulgatum, ut videlicet Joannis Scoti in Conciliis Romano & Vercellensi damnati injuriam declinarent, & nihilominus inde suo errori patrocinium accerserent.

Et evulgatus sub ementito nomine Bertrami.

Quod utique confirmatur, *primò*, quia nullus videtur Author nomine Bertrami; quamquam enim Sigebertus, Trithemius, & Anonymus asserant, Authorem nomine *Bertramum* scripsisse librum *de corpore & sanguine Domini*, & *de Prædestinatione*, nihilominus in hoc videntur lapsi; quia manifestè declarant, se levissimam duotaxat illius Bertrami notitiam habuisse; nam Sigebertus, qui in quibusdam exemplaribus manuscriptis eum vocat Ratramnum, non indicat, an Sacerdos fuerit, aut Monacbus, Abbas aut Episcopus: Trithemius quidem Bertramum Sacerdotem & Monachum appellat, ut diximus suprà; nihilominus licèt ter illius meminerit in suis opusculis sub numinibus *Bertrami*, *Bertramni*, & *Bertranni*: attamen significare non potuit, cujusnam Diœcesis & Monasterii fuit; quamvis ipse ex 100. circiter & 50. Scriptoribus Benedictinis, quos laudat in secundo libro Vitorum illustrium ejus Ordinis, neminem alium præter Bertramum tesert, quin illius Monasterium, Diœcesim, & locum in quo vixerit, declaret.

Qui Author omnino videtur suppositi-tius.

His adde, quòd, ut Bertramus ille non videatur confictus, & opusculum de corpore & sanguine Christi ipsi adscriptum, distinctum appareat ab opusculo Joannis Scoti, necessum esset astruere, ac probare, *primò*, quòd circa medium noni sæculi duo fuissent Authores, unus subnominatus *Ioannes Scotus* author primæ versionis Latinæ operum S. Dionysii, alter appellatus *Bertramus*, aut *Ratramnus*, & *Intramnus*, aut *Ratramus* & *Bertramnus*, aut *Bertrammus*: sic eum diversimodè à diversis authoribus laudatur. *Secundò*, quòd uterque fuisset adversarius Paschasii cootraria ipsius doctrinæ scribendo, ac docendo: *Tertiò*, quòd eorum quisque duo composuisset opuscula ad instantiam Caroli Calvi, unum de eorpore & sanguine Christi; alterum de Prædestinatione: *Quartò*, quòd utrumque opusculum breve, ac compendiosum fuisset: *Quintò*, quòd neutrum eorum opuscolorum nuncupatum fuisset Carolo Calvo: quamquam plurimi Authores illius sæculi, qui de eadem materia scripserunt, suas elucubrationes ipsi Regi nuncupaverint, ot Ratramnus Monachus Corbeiensis, & Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis: *Sextò*, quòd oterque in sui dogmatis patrocinium emendicasset sententias depromptas ex SS. Patribus, Ambrosio, Hieronymo, & Augustino, quas parùm sinceris explicationibus in suam sententiam detorsisset, & alia plura ejusmodi, quæ cùm stare ooo possint; inde colligere licet, *Bertrami* oomen, sub quo præfatum opusculum de eorpore & sanguine Domini vulgatum est, omnino larvatum ac suppositițium fuisse.

Adde quod etiamsi opuseulum illud de corpore & sanguine Christi à Ratramoo Corbeïensi fuisset editum, non tamen redderet Authoris illius fidem suspectam; imò quàmplurima in illo opusculo testimooia doctrinam Catholicam de realitate eorporis & sanguinis, nec-non & de transsubstantiatione cootestaotur, & apertè eoufirmant: respondens enim ad prioreu quæstionem, qoam initiò libri proposuerat, scribit: *Panis, qui per Sacerdotis ministerium Christi corpus efficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod antè fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur: est interius longè aliud, multoque pretiosius, multóque excellentius intimatur, quia cœleste, quia divinum, idest, Christi corpus ostenditur.... Post mysticam consecrationem nec panis jam dicitur, nec vinum, sed Christi corpus & sanguis.... Sub velamento corporei panis corporeique vini spirituale corpus Christi, spiritualisque sanguis existit.* Et infrà: *Panis, qui offertur, ex fructibus terræ cùm sit assumptus, in Christi corpus transponitur, sicut & vinum, cùm ex vite defluxerit, divini tamen significatione mysterii efficitur sanguis Christi; non quidem visibiliter, sed operante invisibiliter Spiritu sancto.* Denique sic concludit: *Ex his omnibus quæ hactenus dicta sunt, monstratum est quòd corpus & sanguis Christi, quæ fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figuræ sunt secundùm speciem visibilem; at verò secundùm invisibilem substantiam, idest, divini potentiam Verbi corpus & sanguis Christi verè existunt: unde secundùm visibilem creaturam corpus pascunt, juxta verò potentioris virtutem substantiæ mentes fidelium & pascunt & sanctificant.* Hac de causa non solùm *Galerius*, sed ipsi eriam *Magdeburgenses*, centuriâ 9. cap. 4. 6. & 8. contendunt non solùm Bertramum eredidisse corpus, & sanguinem Domini super Altare poni, & inde populo distribui, sed etiam transsubstantiationis habere semina: Utitur enim, inquiunt, vocabulis *commutationis* & *conversionis*.

XII.

Attameo author ille possit benignè explicari.

Admittit enim realē præsentiam & transsubstantiationem.

Nec obstat, quòd in eo libro scripserit, *primò*, in Eucbaristia figuram esse, & quod in Ecclesia fidelium ore sumitur, fieri corpus & sanguinem Christi in mysterio seu figura: *Secundò*, quòd corpus ex Virgine oatum, non sit id, quod ore fidelium per Sacrameotòrum mysteria sumitur in Ecclesia: *Tertiò*, quòd creaturæ secundùm substantiam fuerunt ante consecra-

tionem, hoc posteà consistunt. Hæc enim tria capita sunt, quæ doctrinam illius opusculi erroris insimulant. Hæc, inquam, non obstant, facilè enim ex aliis ejusdem opusculi locis benignè possunt explicari: Primus quidem locus solvi potest hâc regulâ Facondi Hermianensis lib. 10. cap. 6. *Solitum est*, inquit, *hæreticis ex dubiis & obscuris, quæ apud Authores certa & manifesta sunt, malè interpretari: solitum etiam est prudentiæ, ac pietati Catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus firmare ambigua, & latentia declarare.* Sed ex mox dictis constat Authorem illius opusculi veram & Catholicam tradere doctrinam de Eucharistia; ac subinde obscuri illi loci benignè sunt interpretandi; non quasi voluerit solam in Eucharistia Christi figuram existere, sed quòd species panis & vini, quibus corpus & sanguis obvelantur, sint eorum figuræ; nam, ut ipsemet ait, figura est obumbratio quædam quibusdam velaminibus, quæ intendit ostendens. *Secundus* verò locus æquè facilem patitur interpretationem: solùm enim vult, quòd corpus ex Virgine natum, non sit eôdem modô in Eucharistia, quô visibiliter natus est, sed in ea existat modô speciali ac spirituali sub speciebus Eucharisticis delitescens, ac prætereà sit figurativum, & rememorativum suipsius, quatenus modô visibili ex Virgine natum, cruci fuit affixum. *Denique*, tertiô locô vult solùm panem & vinum post consecrationem remanere secundùm apparentiam substantiæ, non quòd substantia panis remaneat, sed quia mediis accidentibus illa sensibus apparere videtur.

XIII. Berengarii hæresis, & iteratæ sæpius perfidia declarantur.

Berengarius Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus, Joannis Scoti hæreticâ doctrinâ imbutus, illius virus jampridem sopitum restaurare cœpit, ac propagare circa annum Domini millesimum quinquagesimum. Juveniles egerat annos in Academia Carnotensi sub præceptore Fulberto Carnotensi, ut colligitur ex epistola Adelmanni Brixiensis Episcopi ad Berengarium ipsum: *Collactaneum*, inquit, *te meum vocavi propter dulcissimum illud contubernium, quod cum te adolescentulo, ipse ego in Academia Carnotensi, sub nostro illo venerabili Socrate Fulberto, jucundissimè duxi.* Sectæ suæ ipse nomen dedit, quem tamen plurimum adiuvit in hæresi sua disseminanda Bruno Andegavensis Episcopus, de quo Deoduinus Leodiensis Episcopus epistolâ ad Henricum Francorum Regem, & extat tomô 9. Bibliothecæ Patrum, sub nomine Durandi Leodiensis, cujus tamen esse non potest; nam obiit Durandus annô 1025. ut Sigebertus refert in Chronico: tunc verò nondum erat coronatus Henricus, qui annô duntaxat 1028. coronatus est, solusque regni habenas suscepit annô 1032.

Accusatur autem Berengarius à prædicto Leodiensi Episcopo: *Primò*, quòd Baptismum parvulorum everteret: *Secundò*, quòd legitima conjugia destrueret: *Tertiò*, quòd astrueret corpus Domini non tam corpus esse, quàm umbram & figuram corporis Domini. Huic accusationi subscribit *Guitmundus Archiepiscopus Aversanus*, in l. 1. de corporis & sanguinis Christi veritate in Eucharistia, ubi Berengarii mores & errores in hunc modum refert ac perstringit: Is, *inquit*, cùm juveniles adhuc in scholis ageret annos (ut ajunt, qui eum tunc noverunt) elatus ingenii levitate, ipsius Magistri sensum non adeo curabat, condiscipulorum pro nihilo reputabat, libros insuper artium contemnebat. Sed cùm per se attingere Philosophiæ altioris secreta non posset; neque enim homo ita acutus erat, sed & tunc temporis liberales artes intra Gallias penè obsolverant: novis saltem verborum interpretationibus, quibus etiam nunc nimirum gaudet, singularis scientiæ laudem sibi arrogare, & cujusdam excellentiæ gloriam venari, qualitercunque poterat, affectabat. Factumque est, ut pompaticô incessu, sublimi præ cæteris suggestu, dignitatem Magistri potius simulans, quam rebus ostendens, profundâ quoque inclusione intra cucullum, ac simulatione longæ meditationis, & vix tandem satis desideratæ diu vocis lentissimô quasi plangore incautos decipiens, doctorem sese artium penè inscius profiteretur. Sed postquam à D. Lanfranco in dialectica de re satis parva turpissimè est confusus; cúmque per ipsum D. Lanfrancum virum æquè doctissimum liberales artes Deus recalescere, atque optimè reviviscere fecisset: desertum se iste à Discipulis dolens, ad eructanda impudenter divinarum Scripturarum Sacramenta, (ubi ille adhuc adolescens, & aliis eatenus detentus studiis nondum adeo intenderat, sese convertit. Sed & ibi insipiens, quippe *in malevolam animam non introibit sapientia*, & ea, quorum novitate omnium corda permoveret, atque ad se omnium oculos traheret, studiosè perquirens, maluit esse sub aliqua admiratione hominum hæreticus, quam sub oculu Dei privatè vivere Catholicus. Tunc illa, quibus mundanis hominibus (etsi incultè) licèt semper peccare cupientibus, placeret, aperuit: legitima videlicet conjugia, quantùm in ipso erat destruens, & parvulorum Baptisma evertens. Ita ut in altero, pessimis hominibus diabolus per os ejus licitè omnibus fœminis abutendum esse: in altero cassatô Baptismate infantiæ in profundum omnium malorum; ut pote postmodum baptizandis impunè ruere suaderet. Lege epistolam Leodiensis Episcopi contra Berengarium ad Henricum Regem Francorum; & eisdem penè verbis eadem ipsa sibi scripta reperies. Illis sanè diebus, & hanc quoque (contra quam Deô propitiô acturi sumus) est ausus dementissimè propinare blasphemiam, adhoc etiam hic diabolo militans, ut ablatâ veritate Dominici corporis, peccare volentes, nulla reverentia, nullus motus percipiendæ sacræ Communionis ab aliquo scelere revocaret. De cæteris sanè impietatibus, quas satis multas per id temporis evomuit, nunc te remorari nolo. Ita igitur hujus pestis initium accepimus.

Subdit infrà, Berengarii Discipulos, varios in errores fuisse divisos: Omnes quidem, *inquit*, in hoc conveniunt, quia panis & vinum essentialiter non mutantur, sed ut extorquere à quibusdam potui, multùm in hoc differunt, quòd alii nihil omnino de corpore & sanguine Domini Sacramentis istis inesse, sed tantummodò umbras hæc, & figuras esse dicunt. *Alii* verò rectis Ecclesiæ rationibus cedentes, nec tamen à stultitia recedentes, ut quasi aliquô modô nobiscum esse videantur, dicunt ibi corpus & sanguinem Domini reverà, sed latenter contineri, & ut sumi possint quodammodò (ut ita dixerim) impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam aiunt. *Alii* verò non quidem jam Berengariani, sed acerrimè Berengario repugnantes, argumentis tamen ejus, & quibusdam verbis Domini paulisper offensi (quod suô locô dicemus uberiùs) solebant olim putare, quòd pa-

„ nis & vinum ex parte mutentur, & ex parte remaneant. *Aliis* verò irrationabilem istorum sensum longè horrentibus, eadem verba Domini, quibus isti moventur, non satis aptè intelligentibus, videbatur panem & vinum ex toto quidem mutari, id cùm indigni accedunt ad communicandum, carnem Domini & sanguinem, iterum in panem & vinum reverti.

XIV. De quibus erroribus accusatus fuerit.

Verùm de duobus primis errorum capitibus difficultas est; siquidem de ipsis erroribus in Conciliis, in quibus damnatus est Berengarius, nulla eorum errorum fit mentio, neque in opusculis adversus ipsum editis hujusmodi errores confutati fuerunt, quos haud dubiè non siluissent Authores, si reverà de iis Berengarius fuisset insimulatus. Guitmundus id quidem asserit ex epistula Durandi Episcopi Leodiensis; Durandus autem ex fama, quæ omnium, ut ait, repleverat aures, fama autem, ut plurimùm mendax est; ac proinde Conciliorum & Patrum hac in re silentium, argumentum est Berengarium de his duobus erroribus non fuisse accusatum.

Igitur propria & singularis Berengarii hæresis in eo sita fuit, quòd negaret in Eucharistia veram fieri substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi conversionem; quamvis enim initiô Berengarius cum Discipulis inficiaretur realem Christi præsentiam, nihilque corporis & sanguinis Domini Sacramentis inesse contenderet, sed umbras tantùm & figuras; in progressu tamen Ecclesiæ rationibus convictus, dixit in Sacramento corpus & sanguinem Domini reverà inveniri, sed unà cum pane & vino; unde transsubstantiationem apertè negabat.

Porrò Berengariana hæresis (si Durando Leodiensi p. 9. credatur) talem habuit progressum, cùm annô 1050. Berengarius Normanorum finibus irrepsisset, atque in cœnobium *Pratellis* nuncupatum appulisset, honestè exceptus est, atque fortiter confutatus ab Abbate, qui Durandi familiaris erat, & cum quo de blasphemiis ipsius collocutus fuerat: inde digressus, Normanorum Principem adiit festinus, quem suâ quoque irretire perfidiâ subtiliter attentavit, sed frustra: nam Princeps apud *Brionam* viros, quos potuit, eruditos coëgit, præfatumque hæresiarcham cum alio quodam Clerico, in cujus eloquentia victoriæ spem posuerat, ita coram omnibus confutavit, ut ei silentium imponeretur, atque extorqueretur assensus fidei Catholicæ. Hinc non sine pudore evadens, Carnutum petiit, ubi Clericis ejusdem urbis illum interrogantibus de eadem quæstione, promisit, se responsurum, si opportunitas daretur. Posteà verò instante tempore Concilii Vercellensis, respondit per litteras multâ vanitate refertas.

XV. Damnatur in Concilio Parisiensi.

Cùm tamen virus latenter & apertè jam propagaretur, Henricus Francorum Rex, Concilium *Parisiis* cogi præcepit 17. Kalend. Novembris, in quo Berengarius audiretur, sed nec comparere ausus est, nec Bruno Andegavensis interesse. In eo Concilio, lectis quibusdam litteris Berengarii ad amicum (quæ interceptæ fuerant) damnatus est Author, damnati complices, unà cum codice Joannis Scoti, ex quo sumpta videbantur ea quæ damnabantur: Author cum sequacibus ejuraret errorem, aut morte plecteretur, decretum fuit.

Et in Turonensi.

Eâ autem ordinatione territi Berengarii Discipuli, fidem Catholicam professi sunt, juxta mentem hujus Concilii. Eôdem quoque annô tria adversus hanc nascentem hæresim coacta fuerunt Provinciæ Turonicæ Concilia, de quibus meminit Bruno epist. citatâ.

XVI. Et in Romano sub Leone IX.

Dum autem hæc in Galliis agerentur, Leo Pontifex hujus nominis IX. annô 1050. aut, ut volunt alii, 1053. adversus eandem hæresim Synodum Romæ convocavit, in qua quid actum fuerit, ostendit Lanfrancus in commentario, quem contra Berengarium edidit, his verbis: *Tempore S. Leonis Papæ delata est hæresis tua* (alloquitur Berengarium ipsum) *ad Apostolicam Sedem. Qui cùm Synodo præsideret, ac resideret, secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique Ordines è diversis Regionibus religiosarum Personarum: jussum est in omni audientia recitari, quas mihi de corpore & sanguine Domini litteras transmisisti. Portitor quippe earum legatus tuus me in Northumania non repertò, tradidit eas quibusdam Clericis: quas cùm legissent, & contra usitatissimam Ecclesiæ fidem scriptas animadvertissent; zelô Dei accensi, quibusdam ad legendas eas porrexerunt. Itaque factum est, ut non deterior de te, quàm de me fuerit exorta suspicio, ad quem videlicet tales litteras destinaveris, putantibus multis, me fovere ac favere, quæ à te dicerentur, vel gratiâ, quâ te diligerem; vel fide, quâ reverà ita esse indubitanter tenerem. Igitur cùm à quodam Rhemensi Clerico Romam perlatas recitator legeret, intellectô quòd Ioannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de Eucharistia fidei adversa sentires; promulgata est in te damnationis sententia, privans te communione sanctæ Ecclesiæ, quam tu privare sanctâ ejus communione satagebas. Post hæc præcepit Papa ut surgerem, pravi rumoris à me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris authoritatibus, quàm argumentis probarem. Itaque surrexi; quod sensi dixi, quod dixi probavi: omnibus placuit, nulli displicuit.* Hactenus de Synodo Romana Lanfrancus, in qua damnatô Berengariô, ipse Lanfrancus Absolutionis sententiam tetulit.

XVII. Et in Vercellensi.

Insuper eôdem annô 1050. aut 1053. celebratum est Concilium Vercellense, ad quod evocatus Berengarius, & comparere detrectans, damnatus fuit unà cum libro Joannis Scoti, ut refert Lanfrancus in Commentario: *Deinc*, inquit, *declarata est Synodus Vercellensis quæ tunc proximo Septembri, eôdem præsidente Pontifice est celebrata Vercellis, ad quam vocatus non venisti. Ego verò præceptô & precibus præfati Pontificis usque ad ipsam Synodum suam remansi. In qua, in audientia omnium, qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Ioannis Scoti liber de Eucharistia lectus est ac damnatus: sententia tua exposita ac damnata: fides sanctæ Ecclesiæ, quam ego teneo, & tenendam astruo, audita & concordi omnium sensu confirmata. Duo Clerici, qui legatos tuos se esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim congressu defecerunt, & capti sunt. Ab hac sententia nunquam discessit S. Leo in omnibus suis Conciliis, seu quibus ipse præsentiam suam exhibuit, seu quæ per Legatos suos in diversis Provinciis congregari instituit. Quæ sententia non effugit successorem quoque suum fœlicis memoriæ Papam Victorem.* Huc usque Lanfrancus de Synodo Vercellensi. Cujus meminit etiam Guitmundus in libris, quos scripsit de corpore & sanguine Christi, eidemque præfuisse Leonem Pontificem tradit.

Defunctô Leone IX. Berengarius verbis & scriptis memoriam ejus infuscare tentavit, cumque *infatuatione Lanfranci infatuatum, vanitatis Con-*

[illegible] cujus [illegible] Victor II. [illegible] Concil. [illegible] [illegible] 5. [illegible]

[illegible] ad [illegible] Romæ Concilium ex [illegible] garius interfuit [illegible] Diaconus [illegible] S. Mauritii Andegavensis [illegible] Episcopos [illegible] formulam [illegible] : *Ego Berengarius, indignus Diaconus Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis*, [illegible] *anathematizo omnem hæresim*, [illegible] *de qua hactenus infamatus sum*, [illegible] *panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter, in solo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de Sacramento Dominicæ mensæ eam fidem tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus authoritate Evangelicâ, & Apostolicâ tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: & [illegible] non solum Sacramenta, sed in veritate [illegible] Sacerdotum manibus tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri; jurans per sanctam & [illegible] Trinitatem, & per hæc Sacro-sancta [illegible] Evangelia. Eos verò, qui contra hanc [illegible] venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quòd si ego ipse aliquando contra id [illegible] ac prædicare præsumpsero, subjaceam [illegible] severitati.* [illegible] perfectè pont[illegible] Ita refert Lanfrancus [illegible] [illegible], habetur [illegible] de consecrat. dist. 2. [illegible] ft. 1.

[illegible] [illegible] solemne Sacramentum, Pr[illegible] [illegible] Berengarius, fidefragus & sacrilegus [illegible] veritatem Catholicam iterum impugnat [illegible] ac [illegible] nefas [illegible] Ecclesiam regi[illegible] [illegible] Concilium Romæ in Ecclesia [illegible] 1079. [illegible] apud eundem [illegible] lib. 6. epist. [illegible] epist. [illegible] ibi firmitate [illegible] veritate [illegible] Berengarius veniam exo[illegible] hanc [illegible] professionem [illegible] *ng[illegible] corde [illegible] & ore confiteor [illegible] quæ ponuntur in Altari per mysterium [illegible] verba [illegible] Redemptoris, [illegible] in veram ac propriam ac [illegible] carnem, & sanguinem Jesu Christi*

Domini nostri & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris, & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum & virtutem Sacramenti, sed in veritate naturæ & proprietate substantiæ. Sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligetis, sic credo, nec contra hanc fidem ultra docebo. Ita habetur in Epist. [illegible] lib. [illegible] 154. operâ [illegible] Q[illegible] vetusto codice [illegible] Quamvis enim [illegible] Confessionem [illegible] Alexandri Papæ, ad quem Lanfrancus ad Archiepiscopatum [illegible] opus suum [illegible] fidelitatem [illegible], utpote argumento [illegible] ex actis Concilii Romani habeat [illegible] Berengario præcipuè Gregorium VII. [illegible] de corpore & sanguine Domini [illegible] nisi forte eorum, qui ejus doctrina [illegible] et eorem prolapsi fuerant, ad fidem [illegible] reducendorum gratiâ. Absolutè [illegible] aliquod tempus, Berengarium [illegible] Pontifex detinuit [illegible] toties lapsi hæreret, & [illegible] probaret. Explosâ verò [illegible] hæresi [illegible], cum post [illegible] ad proprios [illegible] commendatitiis [illegible] testatus est, [illegible] ne ullum vel personæ, vel bonis ejus nocumentum importaretur.

XX Berengarius obiit in fide Ecclesiæ.

Quis autem fuerit exitus Berengarii, & utrum in fide Ecclesiæ ad finem usque constans perseveraverit, non convenit inter Catholicos & hæreticos; hi namque contendunt cum *Bertoldo* continuatore Hermanni ad annum 1083. ipsum in errorem relapsum [illegible] obiisse. *Verùm* communis Catholicorum sententia est, Berengarium peractâ suarum culparum, aut [illegible] Pœnitentiâ, in Ecclesiæ Romanæ fide & communione diem ultimam clausisse. Ita imprimis testatur Guilelmus Malmesburiensis lib. 3. de [illegible] Anglorum, ubi [illegible] moriens extrema voce, fidei professionem continentia refert [illegible], inquit, *Berengarius primum aliquarum hæresum defensione infamatus fuerit, ævo posteriori ita resipuit, ut sine retractatione habeatur sanctus: innumeris bonis, maximè autem humilitate & eleemosynis approbatus est. Secundo*, e[illegible] laudibus ac epitaphiis celebratum est ab Hildeberto, qui posteà fuit Episcopus Cenomanensis, & a Baldrico Abbate Burguliensi; quod utrique argumentum est manifestum, ipsum in Ecclesiæ Romanæ communione vitâ fuisse functum. *Tertiò* quia sepulturâ Ecclesiasticâ donatus fuit in claustro S. Martini Turonensis, ut scribit Papyrius Massolib. 3. Annalium Franciæ, ex chronico Turonensi Joannis Monachi nec-non ex chronico S. Martini Turonensis. *His adde* quòd idipsum testentur quam plures historici, nec dissentit Baronius, ipse ad annum 1088. quamvis Hildebertum arguat quòd gloriosiùs quam hæresiarchæ toties facti relapsi conditio postularet epitaphium ei scripserit; neque enim iis honoribus excipiendus est hæreticus etiam pœnitens; quamvis enim ipse resipiscat, tamen erroris sui pestifera semina reliquit quod maximè verum est de Berengario; ut notavit Guilelmus Malmesburiensis lib. [illegible] de gestis Anglorum, ubi hæc scribit: *Berengarius plane quamvis ipse sententiam correxerat,*

omnes tamen, quos ex totis terris dep[rav]erat, convertere nequivit. Adeo pe[r]nam est a[d] exemplo, aut a bon[o] [illegible] *quia* [illegible] *peccatum te gravabit* [illegible] *deleum* [illegible] *tuum.* Et sane cum Ber[engarius] [illegible] olim, ejus errores extin[cti] non sunt, sed [illegible] pullularunt div[illegible] apud [illegible] hæreticorum. Unde apparet [illegible] forte [illegible] to dum, non tollit quia Berengarius non est mortuus [illegible] verum etiam [illegible] cæteri historici [illegible] authoritati sunt præferendi.

His hæret[icis] [illegible] numerandi sunt *Petrobusianas*, Petri *de Bruis* Discipuli circa annum 1136. qui nolebat infantes extra ætatem discretionis baptizari, & inter alios similes errores, etiam veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia, ejusque juge in Ecclesia offerri [illegible] dendebat.

His accensendus est *Ioannes Vviclefus* An[glus] circa annum 1412. Nam, ut in Concilio Constantiensi sess. 8. refertur substantiam panis & vini in Sacramento Altaris permanere affirmavit, & accidentia panis non manere [illegible] sustinuit: & Christum in eodem Sacramento realiter adesse negavit, & Sacerdotem in peccato mortali existentem non conficere, neque consecrare Eucharistiam tradidit. Ejus errores secutus est *Ioannes Hus* Boëmus, ut patet ex sess. 15. ejusdem Concilii, & ex processibus contra Hussum factis, ac per testes idoneos & locupletes probatis. Nihil tamen contra Eucharistiam scripsit, nec illum errorem omnes ej[us] discip[uli] secuti sunt.

Denique orti sunt *Lutherani*, & Calvinistæ, quorum [illegible] nitæ ad [illegible] Eucharistiam, mu[illegible] que inter se [illegible] antes sunt erroneæ sententiæ. Etenim, inquit Gamachæus, Lutherus initio ne[g]av[it] [illegible] Christi in Sacramento præsentiam, ut colligitur ex ejus libro *ad Valdenses*, ubi negat Eucharistiam adorandam esse, dubitat etiam an Divinitas Christi sit in Eucharistia simul cum humanitate. Et *lib. de captivit. Babyl.* asserit, Sacramenta legis novæ esse nuda signa: Legi adhuc potest sermo, quem scripsit *de Natali D[omini]* [illegible] ex [illegible] tamen, cùm sæpiùs opinionem [illegible] Christum realiter esse in Sacramento, sed simul cum substantia panis & vini, ut liquet ex [illegible] epistola ad Argentinenses. *Vellem, inquit, posse mihi* [illegible] *nihil esse in Eucharistia præter panem & vinum, magno ille beneficio me devinxisset jam sæpe gravibus curis in hac materia* [illegible] *modo plurimum posse Papatui incommodare verum ego me captum video* [illegible] *textus* [illegible] *evangelii nimis est apertus.* [illegible] Lutherus [illegible] Christum Sacra[illegible] præ[illegible] neque in eo fuit [illegible] quod dixerit [illegible] substan[illegible] cum C[illegible] & [illegible] inferius [illegible] stendetur [illegible] Lutheri [illegible] doctrinam [illegible] sed *Calvinus* [illegible] hær[illegible] est [illegible] uterque [illegible].

C[illegible] anno 1534. [illegible]

[illegible] quod aff[illegible] tent [illegible] in Sacra[mento] [illegible] figuratam corporis & [illegible] Carl[illegible] docet [illegible] corpus Christi [illegible] *Quamvis Christ[us]* [illegible] *totum, quod in eo est, ubique* [illegible]

[illegible] Sacramentariorum [illegible] dogma.

Conclusio Unica.

V[illegible] *real*[illegible] *Christ*[illegible] XXIII [illegible]

Eucharistia Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem; unà cum anima, & divinitate Domini nostri Iesu Christi, proinde totam Christum; sed dixerit tantummodò esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit. Hanc Catholicam veritatem Doctor subtilis, tanquam verus Ecclesiæ Catholicæ filius, apertissimè tradidit 4. dist. 10. quæst. 1. nu. 3. *De primo* inquit, *dico, quod corpus Christi esse ibi vere realiter, est simpliciter de substantia fidei, eò modò, quò veritas alicujus Sacramenti pertinet ad articulos fidei: ista enim veritas à principio fuit expressè tradita, ex quo Eucharistia fuit instituta.*

§. I.

Probatur vera, realis, & substantialis corporis & sanguinis Christi in præsentia Eucharistia ex verbis Christi D. Eucharistiam promittentis.

XXIV. Ut colligitur 1 ex Verbis promissionis Christi.

CUM Christus D. sit ipsa veritas & sapientia, apertè constat, quòd nec falli, nec fallere, nec subinde promissa negare potest; unde sic argumentari licet: Quod Christus promisit se daturum, reverà concessit & implevit: sed promisit constantissimè se daturum verè & realiter ac substantialiter corpus & sanguinem suum in cibum & potum: igitur revera utrumque concessit: at non aliter, nec alibi, quàm instituendo Eucharistiam: igitur hæc Christi D. corpus & sanguinem verè ac realiter continet. Majorem ultrò admittunt hæretici. Minor verò clarissimè patet ex illis verbis *Ioan.* 6. ubi Christus ex occasione celebris illius miraculi, quò multiplicatis quinque panibus, quatuor & amplius hominum millia satiaverat: *Primum* eos instruit de suæ Incarnationis mysterio. Cùm enim turba ei dixisset: *Quid faciemus, ut operemur opera Dei? respondit Iesus & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Cúmque circunstantes dixissent: *Quod ergo tu facis signum, ut videamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est, panem de cœlo dedit eis manducare*; hoc est, Moyses suam ad homines à Deo delegationem probavit ex concessione manna: Tu verò quodnam signum profers, ut probes te verum esse Messiam? Dum respondet adorandus Salvator: *Primò*, quòd Pater dederit ipsis panem de cœlo verum, fide percipiendum, nempe credendo eum esse verè Messiam: *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen, dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum; panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Cùm autem ei dixissent Judæi: *Domine, da nobis hunc panem:* respondit Jesus: *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam.* Cùm autem murmurarent Judæi; quòd dixisset: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*, & dicerent: *Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cujus nos novimus Patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo descendi?* Respondit *ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. & ego ressuscitabo eum in novissimo die. Est scriptum in Prophetis: Et erant omnes docibiles Dei, &c.* Quibus omnibus declarat, se verum Messiam fide credendum, quatenus videlicet ipsa fides de ipsius Incarnatione animam illustrando eam præparet, ac disponat ad recipiendum irriguum gratiæ, & donorum cœlestium, quibus anima velut divinô cibô & potu reficiatur ac saginetur.

XXV. Ubi loquitur de duplici pane, nempe de veritate suæ incarnationis peractæ

Quæ per vivam ac vivificam fidem apprehensa animam reficit.

Secundò respondens ad præfatam Judæorum objectionem, ut verum se Messiam probet, & longè Moyse præstantiorem, utpote qui concessurus sit panem de cœlo verum & longè excellentiorem manna, quia qui manducaverunt manna in deserto mortui sunt; qui verò manducaverit panem, quem ipse daturus erat, vivet in æternum: tum, quis sit ille panis concedendus, statim aperit, dicens: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Cùm autem litigarent Judæi ad invicem, dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* statim subdit, prius assertum confirmans: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego ressuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea, verè est cibus: & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Et de realitate sui corporis & sanguinis in cibum & potum instituendorum.

Reponunt Hæretici Christum ibi loqui de manducatione spiritali, quæ fiat non ore corporis, sed mentis, seu per fidem, quâ quis sumendo Eucharistiam, credit se recipere corpus & sanguinem Christi.

XXVII. Non enim loquitur de manducatione & potatione duntaxat spirituali, sed de vera & reali.

Contrà: Manducatio panis illius cælestis, quem Christus promittit se daturum, diversa est ab ea, de qua prius sermonem instituerat, dicendo se panem esse verum ab æterno Patre datum: sed hæc fit per fidem, ut mox dictum est: igitur Eucharistica manducatio non fit solùm per fidem. Probatur major: *Primò*, quia Christus, cùm de manducatione sui per fidem loquitur, non loquitur in futuro; sed in præsenti vel præterito, ait enim: *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*, quia objectum fidei semper est præsens: fides enim, inquit S. Bernardus, est exemplar quoddam æternitatis, quæ præterita, præsentia, futura suô vastissimô sinu comprehendit: manducatio autem panis; quem dicit esse carnem suam, non dicitur præsens, sed futura; ait enim: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, quia videlicet hoc Sacramentum nondum instituerat.

Secundò, Christus ibi expressè distinguit manducationem suæ carnis à potione sui sanguinis, dicens: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* at si loqueretur solùm de manducatione per fidem, illa distinctio inanis erat & superflua; siquidem comestio & potio per fidem, sunt unum & idem, fiuntque eòdem modô, videlicet credendo in Christum: igitur ibi non erat sermo de sola manducatione per fidem.

Tertiò, Christus D. ibidem ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* at si caro manducaretur, & sanguis biberetur solùm per fidem (sicut volunt Calvinistæ) caro non esset verè cibus, nec sanguis verò potus, sed tantùm metaphoricè; sicut enim fides est tantùm animæ gustus, & os animæ metaphoricum; ita ejus cibus & potus, est tantùm cibus & potus metaphoricè; non autem verè & propriè: igitur manducatio Christi in Eucharistia non solùm fit per fidem, sed

verè realiter & substantialiter Christi D. corpus & sanguis sumuntur à fidelibus; quod præclarè explicat S. Hilarius lib. 8. de Trinit. *De veritate carnis & sanguinis*, inquit, *non relictus est ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.*

Ut apertè colligitur ex Christi D. verbis.

Quartò, Panis, quem spondet Christus longè præstantior est mannâ; ait enim: *Hic est panis, qui de cœlo descendit: non sicut manducaverunt Patres vestri manna & mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* sed si Eucharistia esset tantùm figura corporis Christi, non debuisset præferre ipsam manna; nam manna fuit etiam figura Christi corporis, ut diximus suprà. Et Patres, qui manducaverunt manna in deserto, in Christum crediderunt, ac subinde spirituali manducatione per fidem corpus ejus comederunt.

Quintò, præfata Redemptoris verba: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, eam manducationem & potionem significabant, quæ non solùm Judæis litigio fuit & scandalo; his enim auditis Judæi *litigabant ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*; sed etiam quibusdam Discipulis, qui dixerunt; *Durus est hic sermo, quis potest illum audire?* Sed illi reverà intelligebant realem & substantialem manducationem & potionem; neque enim vel tenuissimam causam habuissent litigii, scandali, vel offensionis, si Christum de spirituali manducatione, vel de signo corporis sui instituendo locutum existimassent. *Insuper* Christus D. nullô negotiô hoc scandalum sedare potuisset, ac removere unicô verbô, declarando se loqui duntaxat de manducatione figurali, & per fidem; sicut priùs fecerat; nam, ut sedaret eorum murmur, quòd dixerat: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*, statim dixit, *qui credit in me, habet vitam æternam:* sed tantùm abest, ut hâc interpretatione removeat illam existimationẽ, quam ipsi habebant de futura reali manducatione sui corporis & potione sui sanguinis, quod utique eorum offensionem & scandalum eliminaret; quin imò illam existimationem confirmat, subjungendo: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitã in vobis:* ut autem tanti mysterii fidem conciliaret, iterum subdit: *Hoc vos scandalizat: si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat priùs.* Quasi volens rem mirabilem aliâ æquè mirabili, nempe reali sui corporis in cœlum ascensione confirmare: quis autem credat, Christum D. totum ad hominum salutem comparatum, qui verbô unô, & facili dictorum explicatione potuisset Discipulos, & Capharnaitas ab errore liberare; eorum tamen intelligentiam, quantumvis rationi duram, (& reipsâ, si vera esset Calvinistarum sententia, falsam) confirmare voluisse, subindeque erroris tenebras non repulisse, sed auxisse; per tot attestationes & confirmationes?

XXVII. Ex declarant Concilia. Ephesinum.

His adde, quòd illa Christi D. verba de vera Christi carne in cibum danda, & ore sumenda intellexit Concilium Ephesinum in approbatione epistolæ Cyrilli ad Nestorium, ubi S. Doctor ex eo Joannis loco, carnem Christi esse verè, realiter, & substantialiter unitam Verbo divino confirmat, quia ab eo haurit, ut in Sacramento accedentes vivificet. *Confitemur*, inquit, *incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eâque ratione sanctificari, ut pote sancta carnis, & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem suscipimus: absit hoc, aut rursus tanquam viri cujuspiam sanctificati, aut dignitatis tantum æqualitate Verbo consociati, aut divinam inhabitationem sortiti; sed tanquam verè vivificati, ipsiusque Verbi propriam. Nam cùm vita sit ut Deus secundùm naturam, simul atque unum quoddam cum ipsa carne effectus est, mox vivificandi virtutem illi contulit. Quamvis ergo ad nos dicat, Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis; nequaquam tamen illam communem, hoc est hominis cujuspiam nostræ conditionis carnem existimare esse debemus. Quomodo enim hominis caro secundùm suam ipsius naturam vivifica esse queat? Sed verè illius propriam, qui nostri causâ Filius hominis & factus, & appellatus est.* Eôdem modô locum illum de reali carnis Christi præsentia intelligit Concilium Nicænum II. Act. 2. *Nullus*, inquit, *incruentum sacrificium nostrum dixit imaginem corporis ejus; sed audiunt Evangelicè, dicente eô: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis.*

Et Nicænum.

XXVIII. Et SS. Patres. Cyrillus.

In eundem sensum locum illum SS. Patres interpretati sunt. Cyrillus enim Alexandrinus in Joannem, ad hæc verba: *Qui manducat meam carnem*, &c. *Quemadmodum*, inquit, *siquis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera esse videbit: eôdem quoque (opinor) modô, qui Salvatoris nostri carnem suscipit, & bibit pretiosum ejus sanguinem, ut ipse ait, unum quiddam cum eo reperitur, commixtus quodammodò, & immixtus ei per illam participationem: itaut in Christo quidem ille reperiatur, & vicissim Christus in ipso.*

Hilarius, &c.

Idipsum clarissimè docet S. Hilarius *lib. 8. de Trinit.* ubi ex verbis illis probat, Patrem & Filium unum esse, non solùm effectu & consensu, sed etiam naturâ, quia Christus nobiscum in Eucharistia non solùm charitate & fide, sed verè etiam, & realiter unitur: *Eos nunc*, inquit, *qui inter Patrem & Filium ingerunt voluntatis unitatem, interrogo, utrumne per naturæ unitatem hodie Christus in nobis sit; an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibò Dominicò sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ tam inseparabilem sibi natus homo assumpsit.* Et post plura in hanc rem per opportuna, sic habet: *Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officiò fungemur. De naturali enim in nobis Christi unitate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait, Caro mea verè est cibus: de veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus.* Eôdem modô præfatam Christi D. promissionem interpretantur *Irenæus* lib. 4. cap. 34. *Origenes* homil. 16. in lib. Num. *Cyprianus* lib. de orat. Dominica. *Ambrosius* lib. 4. de Sacramentis; & omnes alii Patres infrà laudandi.

Instant hæretici, Christus D. luculenter aperuit, ac declaravit, se duntaxat loqui de manducatione spirituali, quæ fiat per fidem; nam ut corrigeret murmur Judæorum, & offensionem Discipulorum, qui illius verba de promissa manducatione suæ carnis, & potione sui sanguinis, ægrè & acerbè audierant, subjunxit: *Spiritus & vita sunt*, id est, verba, quibus promitto vobis carnem meam in cibum, & sanguinem meum in potum, spiritualiter intelligenda sunt; neque de manducatione corporali, quæ fiat per os corporis, sed de spiritali, quæ fiat per fidem, sunt accipienda; unde statim subjicit: *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt;* igitur præfata Christi

promissio, non infert illius realem præsentiam in Eucharistia.

XXX. Et S. Aug. Eucharist. esse figuram.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, Judæos & Discipulos offensos ex verbis Christi, duo in illis apprehendisse, nempe realem carnis Christi præsentiam, & carnalem illius comedendi modum, quò caro in frusta dividitur, dentibus premitur, in stomachum trajicitur, & concoquitur; ac multiplici factâ mutatione, convertitur in substantiam comedentis: *Priorem* apprehensionem & intelligentiam non correxit; imò confirmavit Christus D. ut suprà diximus: *Posteriorem* verò emendavit, docendo modum, quô caro ejus esset comedenda, & sanguis potandus; nimirum realiter quidem, non tamen in propria specie carnis, & sanguinis, ut existimabant Judæi Capharnaitæ, ac Discipuli offensi, sed in aliena: ac propterea dixit: *Caro non prodest quidquam*, si videlicet carnaliter, ac more carnis animalium manducetur, & deglutiatur: sed *verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, continent enim spiritualem hunc vivificum, & reconditum sensum, quòd caro Filii hominis manducanda vobis erit, sumendo eam sub aliena quidem specie; sed tamen credendo sub hujusmodi specierum involucris corpus & sanguinem Christi realiter delitescere. Ita præfata Christi D. verba interpretatur S. Augustinus tract. 27. in Joannem: *Non prodest quidquam*, inquit, *sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. proinde sic dictum est:* CARO NON PRODEST QUIDQUAM: *quomodo dictum est*, SCIENTIA INFLAT? *jam ergo debemus odisse scientiam. absit. sola & sine charitate: & ideo adjungit:* CHARITAS VERÒ ÆDIFICAT, *adde ergo & scientiæ charitatem, & utilis erit scientia, non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quidquam: accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum: nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis.* Et paulò post subjicit: *Sicut illi intellexerunt carnem: non sic ego do ad manducandam carnem meam*, hoc est, dentibus mandendam & commolliendam; quia sic comesta nihil prodesset, sed horrorem potius ingeneraret.

Instans: Ipsemet S. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16. tradendo regulam, quâ locutiones figuratæ in Scripturis discernantur à genuinis, & litteralibus, scribit. *Si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficientiam jubens, non est figurata: si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem ac beneficientiam vetare, figurata est.* Quod ut probet, profert in exemplum hæc Christi D. verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus, vel flagitium videtur jubere: figura est ergo, præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suaviter, atque utiliter recolendum, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit*: igitur ex mente S. Augustini Christus D. Joan. 6. promittens suam carnem in cibum, non intelligit carnem ipsam suam realiter, & substantialiter, sed solùm in figura [illegible]nandam.

Nego consequentiam: Sanctus enim Augustinus ibi tantum ait, Eucharistiam esse quidem figuram crucifixionis Christi, cui præcipimur communicare: non verò dicit esse figuram corporis Christi. Unde non negat in Eucharistia contineri verum corpus & sanguinem Christi, quasi hæc esset duntaxat corporis & sanguinis figura; sed solùm, quòd figurata sint illa verba Christi D. secundùm existimationem, quâ quis cogitaret carnem Christi visibili & cruentô modô esse comedendam, ex eo quòd Christus præcipiat ut sumendo Eucharistiam recolatur memoria ejus Passionis; si enim modô cruentô præciperetur manducanda Eucharistia; sicut modô cruento fuit Christi corpus crucifixum, hoc esset flagitium; cùm autem flagitium non sit, carnem Christi incruentô, invisibili, & spirituali modô, realiter tamen porrectam comedere; ita respectu illius existimationis, Christi verba non sunt figurata.

Quòd autem hæc sit genuina mens S. Augustini, apertè colligitur ex cap. 10. ubi inquirens quomodo distinguenda sit figurata locutio à propria: *Demonstrandus est*, inquit, *modus inveniendæ locutionis, propria-ne an figurata sit: iste omnino modus est, ut quidquid sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum & proximum: fidei veritas ad cognoscendum Deum & proximum pertinet.* Cùm autem distribuisset peccata in flagitia & facinora; *Quod agit*, inquit, *indomita cupiditas, ad corrumpendum animum, & corpus suum, flagitium vocatur: quod autem agit, ut alteri noceat, facinus dicitur, & hæc sunt duo genera omnium peccatorum.* Post pauca subdit. *Quæ autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantùm dicta, sive etiam facta sint, vel ex Dei persona, vel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt.* In cujus veritatis exemplum profert unctionem pedum Christi D. à Magdalena, quæ in aliis vulgi hominibus luxui deputaretur; in Magdalena verò magnæ cujusdam rei signum est; quod etiam declaravit Christus D. nam cùm de ejusmodi ungoenti effusione murmuraret Judas Iscariotes, & diceret: *Quare hoc unguentum non venit 300. denariis, & datum est egenis?* respondit Jesus, Matth. 26. *Quid molesti estis huic mulieri. opus enim bonum operata est in me: nam semper pauperes habetis vobiscum. me autem non semper habetis, mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Subjicit etiam in hujus figuratæ locutionis confirmationem S. Augustinus conjunctionem Ozeæ Prophetæ cum meretrice, Deô jubente initam; similis enim conjunctio in perditis hominibus est flagitiosa; in Ozea verò grandis mysterii fuit figura.

XXXI. Aliqua possunt esse simul figura & veritas.

Porrò hujusmodi figuræ, rei veritatem non excludunt: nam, ut testatur S. Augustinus epist. 119. cap. 8. Sabbatum Judæis præceptum est in otio corporaliter celebrandum, ut esset figura spiritalis quietis in æterna beatitudine consequendæ; attamen præceptum illud, ad otium corporale Judæos etiam obstringebat. Sic pariter ex eodem S. Aug. lib. contra mendacium cap. 13. Quando Christus interrogavit de Lazaro mortuo & sepulto: Ubi posuistis eum? & quando apparens Discipulis euntibus in castellum Emaüs, finxit se longiùs ire; constat quia verè interrogavit, & verè finxit se longiùs ire: igitur illa verba Christi *Joan.* 6. non eô sensu figurativa sunt, quòd non significent id quod exprimunt; nempe corpus & sanguinem Christi; sed quia aliud minimè expressum figurant, videlicet modum spiritualem & incruentum, quô caro Christi manducari debeat, & sanguis ejus potari.

§. II.

Probatur eadem veritas ex verbis Christi D. instituentis Eucharistiam.

XXXII. Realitas corporis & sanguinis Christi in Eucharistia constat ex verbis institutionis.

TAm aperta sunt, tamque perspicua Christi D. Eucharistiam instituentis oracula, quibus contestatur, se verum suum corpus, verumque sanguinem suis Discipulis tradere, ut in meridie quærat tenebras, quisquis illa verba ad tropologicas locutiones, & figurales interpretationes nititur detorquere; ait enim *Matth.* 26. *Marci* 14. & *Lucæ* 22. tradendo corpus suum sub specie panis: *Accipite, & manducate; Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, &c. & porrigendo sanguinem sub specie vini: *Bibite ex hoc omnes; Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quæ utique verba*, inquit Concilium Trident. sess. 13. cap. 1. *cùm propriam illam, & apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam à Patribus intellecta sunt, indignissimum sanè flagitium est, ea à quibusdam contentiosis, & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri, quæ tanquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.* Hucusque Concilium.

Ut patet tum ex eorum significatione.

Porrò ex his Christi D. verbis elici potest hæc Theologica demonstratio; Illud est verè, realiter, ac substantialiter in Sacramento, quod demonstratur per ista pronomina, *hic*, & *hoc*, & quod intelligitur per ista nomina, *corpus*, & *sanguis*; siquidem hæc pronomina sunt demonstrativa; ac subinde modus ille loquendi, significat rem de qua Christus loquitur, reverà esse præsentem: sed per ista pronomina, *hic* & *hoc*, & per ista nomina, *corpus* & *sanguis*, intelliguntur ac demonstrantur verum & reale corpus, verusque sanguis Christi: igitur illa in Eucharistia verè sunt ac realiter præsentia. Probatur minor: Ea verba significant illud corpus, de quo Christus D. ibidem dixit: *Quod pro vobis tradetur, quod pro vobis frangitur, quod pro vobis datur.* Similiter de eo sanguine, de quo pariter dixit: *Quod pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* atqui non figura & imago, sed verum, reale ac substantiale corpus Christi pro nobis traditum, fractum & datum est. Item verus Christi sanguis pro multis effusus est in remissionem peccatorum: igitur corpus & sanguis, de quibus Christus loquebatur, & quæ tradebat Apostolis, reverà erant ejus reale, ac substantiale corpus & sanguis.

Tum ex circumstantiis.

Confirmatur primò ex circumstantiis rei, quam tunc Christus instituebat; siquidem primò tradebat dogma fidei; Eucharistia enim dicitur *mysterium fidei*. 2. Sacramentum instituebat, 3. Discipulis præceptum dabat: dixit enim *hoc facite in meam commemorationem*. 4. novum Testamentum condebat: sed *fidei dogma* non patitur tropologicas locutiones, & amphibologica, ac obscuriora verba; dogmata siquidem fidei concipi debent verbis conceptis secundùm suam propriam significationem; non autem in significatione figurata; quæ cùm varias patiatur explicationes, & unus immò, alius aliterô sensu illam interpretetur, haud dubiè foret errandi occasio. Similiter *Sacramenti institutio* exigit verba non figurata, A sed perspicua, & distincta, ne scilicet occasio præbeatur circa hujusmodi Sacramenti materiam, formam, & ministrum, errandi. *Præceptum* pariter clarè cognosci, & perspicuè sciri debet à subditis; alias ambiguitas & obscuritas foret occasio transgressionis: siquidem de sensu illius præcepti homines invicem non convenirent: Quomodo ergo hoc præceptum (quod Christus Eucharistiam instituendo præscribit Apostolis, & Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi servandum) executioni demandari potuisset, si obscurioribus verbis fuisset expressum?

Præcepti quod mandabat.

Testamenti quod condebat.

Denique ut dictum est, Christus D. Eucharistiam instituendo Testamentum suum condebat; siqui-B dem *Lucæ* 22. & 1. *Cor.* 11. legimus: *Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo.* Unde SS. Patres Eucharistiam *hæreditarium munus novi Testamenti* appellant; sed Testamenta à viris & sapientibus, non nisi verbis propriis & perspicuis, non autem tropologicis & metaphoricis condi solent; risu enim & cachinnô exciperetur testator, qui amico sui corporis imaginem ac tabellam delegans, in Testamento scriberet: Do tali corpus meum. Unde in lege *non aliter ff. de legatis* statutum, ut in significatione verborum alicujus Testamenti non liceat ab eorum proprietate recedere, nisi ubi manifestum est Testatorem aliter sensisse, igitur præfata verba: *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*, quibus Christus Eucha-C ristiæ Sacramentum instituit, & suum Testamentum condidit, non debent in sensu figurali aut metaphorico intelligi. Hinc Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. scribit: *In calicis mentione Christus Testamentum constituens sanguine suò obsignatum, substantiam corporis confirmavit.*

Personarum quas alloquebatur.

Confirmatur secundò ex circumstantia personarum, quas alloquebatur; siquidem hæc verba dixerit ad Apostolos, quibus privatim, ut amicus amicis, Magister Discipulis familiari colloquio, absque ambagibus, distinctè mysteria pandebat; unde & dicebat Lucæ 8. *Vobis datum est* D *nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Et Joan. 15. *Iam non dicam vos servos, sed amicos quia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis* Propter quod cap. 16. dicebant ei Discipuli. *Nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.* Adde quòd, ubi Apostoli non intelligebant figuratum sermonem, interrogabant Dominum, ut patet Matth. 15. *Edissere nobis parabolam istam.* Et tamen quantùm ad præsens mysterium, nullus eum interrogat; quod utique indicium est, eos hæc verba, secundùm naturalem, non autem figurativum sensum excepisse: igitur non est verisimile, in ultimis illis amoris indiciis, & omnigenæ charitatis significationibus solitò eos orbasse privilegiô, qui desideriô desi-E derabat hoc Pascha manducare cum Discipulis, extrema ut benevolentiæ argumenta, ultimumque sinceræ amicitiæ conatum demonstraret atque omnes teneritudinis notas fusissimô sermone non tam daret, quam profunderet. *Forte*, ut verbis Hilarii *lib.* 8. *de Trinitate*, utar, *qui Verbum est, & qui veritas est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui, quæ vellet intelligi.* Nullâ ergo tum figurâ usus est, cùm illud implendum erat, quod *Ioan.* 16. spoponderat: *Venit hora, cùm jam non in Proverbiis loquar vobiscum.* His adde, quòd ubi aliquis Evangelista oracula Christi verbis obscurioribus expresserit, alter quasi subsidiariam opem conferens, ejusmodi verba clariùs

Et temporis in quo hæc dicebat.

enarrat. Sic cùm Matthæus Joannem Baptistam à Christo Domino nuncupatum Eliam scripsisset, quô sensu ita sit appellatus S. Lucas indicat, scribens, *Venit Ioannes in virtute & spiritu Eliæ.* Et vicissim, quia S. Lucas scribit ejectum fuisse dæmonium in digito Dei, quis sit ille Dei digitus, exponit S. Matthæus, scribens esse spiritum Dei. Sic quia Joseph non semel Christi Pater sine additamento vocatur, ne falleremur ambiguitate dictionis, existimantes ipsum genuisse Christum; S. Lucas addit, *ut putabatur.* Sic quia S. Matthæus, & Marcus scripserant, Christum accusatum, quod dixisset: *Solvite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, ne quis existimaret, hoc dictum fuisse de templo Hierosolymitano, sicut perperam id acceperant falsi testes, subdidit S. Joannes, hoc fuisse dictum à Christo de templo corporis sui. Nec tamen cùm sermonem faciunt de institutione Eucharistiæ, eorum aliquis verba institutionis ab aliis scripta interpretatus est, utendo verbô *significat*, vel nomine *figura*, vel significandum unanimi consensu referunt Christum dixisse, *Hoc est corpus meum*: igitur argumentum est verba illa non figurativè, sed literaliter esse accipienda.

Quod minus apertè ab uno Evangelista dicitur, explicatur ab alio.

A

Reponunt aliqui hæretici primò, illa verba, *Hoc est corpus meum*, &. *Hic est sanguis meus*, hunc facere sensum, hîc sedet corpus meum, & est sanguis meus: vel, hic panis est corpus meum, id est à me creatum.

B

XXXIII. Explodiuntur ridicula quorumdam hæreticorum expositio.

Verum hæc expositio ridenda magis, quàm impugnanda videtur: quis enim seipsum oculis præsentem, & in conspectu eorum, quos alloquitur, digito videndum commonstret? Adde quòd Christus non dixit, *hic*, quod est adverbium, sed hoc quod est pronomen, ac subinde ridicula est omnino illa expositio; idcirco

C

XXXIV. Proferuntur momenta aliorum hæreticorum.

Reponunt Alii, ex illis verbis solùm colligi in Eucharistia esse figuram & imaginem corporis Christi; quod utique probant *primò*, quia illud tantùm in Eucharistia invenitur, quod Christus D. præ manibus accepit, benedixit, fregit, deditque Discipulis: at Christus non proprium corpus, sed panem accepit, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis: suum autem corpus figuratè duntaxat accepit & fregit. *Secundò*, si hæc propositio demonstrativa, *Hoc est corpus meum*, non esset figurata, significaret illud, quòd Christus demonstrabat, nempe panem, & ipsius accidentia esse corpus suum: sed hoc dici non potest: fieri enim nequit, ut panis sit proprium & naturale corpus Christi; una enim substantia non potest prædicari de alia specie differente: igitur, &c. *Tertiò*, quia particula, *est*, in utraque forma idem denotat, ac *significat*, ut colligitur ex variis Scripturæ textibus: sic Genes. 14. *septem spicæ plenæ, septem anni ubertatis sunt.* Et Exodi 12. Agnus Paschalis vocatur *phase, est enim phase, idest, transitus Domini*, quasi diceret, significat phase, hoc est, transitum Domini. Sic pariter Lucæ 8. dicitur: *Semen est verbum Dei*, idest, significat verbum Dei. Et 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*, id est, significabat Christum: igitur eòdem modò cùm Christus ait: *Hoc est corpus meum*, idem denotare voluit, ac hoc significat corpus meum. *Quartò*, verba consecrationis calicis non possunt, nisi figuratè accipi: sic enim refert S. Lucas *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine qui pro vobis effundetur.* Quæ verba non nisi figuratè possunt accipi; calix enim sanguis non est, nisi figuratè Testamentum, seu signum pacti, & initi fœderis Dei cum hominibus.

D

Denique apertè satis Christus indicat, se duntaxat figurativè loqui, cùm post illa verba, subdit Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, seu memoriam: memoria autem non est de præsentibus, sed de præteritis: igitur cùm imperaret Apostolis, ut Eucharistiam celebrarent, non intendebat, quòd eam accipiendo existimarent se reverà accipere corpus, quod esset præsens, sed tantùm quòd recolerent memoriam illius qui hæc instituerat: igitur corpus & sanguis Christi sunt tantùm figuratè in Eucharistia.

XXXV. Verùm eorum argumenta retunditur ac futilitas demôstratur.

Nego consequentiam, & generatim dico, quòd si ita liceret Scripturæ verba in metaphoricum sensum detorquere, nutaret omnino veritas omnium prorsus mysteriorum fidei, maximè Trinitatis, & Incarnationis: iisdem enim argumentis veteres & novi Ariani censebunt figurativè esse accipienda illa verba Joan. 1. *In principio Deus erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est.* Hæc enim non ad Verbum divinum & substantiale, sed ad verbum Evangelicum & accidentale spectare volunt Sociniani, ut notavimus in priori volumine pag. Similiter ubi Christus dixit: *Ego & Pater unum sumus*; & Joannes testatur in 1. epist. cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*: figurativè dicta asserere poterant Ariani, ita quòd illa unitas non esset naturæ, sed concordiæ & affectûs; quemadmodum Actor. 4. dicitur, *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una*: ad cujus utique hæreticæ cavillationis & falsæ interpretationis confirmationem, multò opportuniora videbantur Scripturarum oracula, quam sint ea, quibus abutuntur Calvinistæ ad eludendam veritatem illorum verborum: *Hoc est corpus meum*: siquidem ipsemet Christus significare videtur se non aliam, quàm affectûs & concordiæ habere cum æterno Patre unitatem; ait enim Joan. 17. Patrem alloquens de Discipulis, & Fidelibus: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint... Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Similiter S. Joannes idem innuere videtur; nam statim subdit: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* Porrò hæc tria non sunt unum unitate naturæ, sed duntaxat significationis, & mysterii; ac subinde illa verba non sunt magis perspicua ad adstruendam fidem Incarnationis & Trinitatis, quàm ista, *Hoc est corpus meum*, ad designandam realem Christi corporis in Eucharistia præsentiam: igitur si hæc non sint accipienda secundùm propriam significationem, nec illa. Ut autem omnis cavillandi ratio hæreticis eripiatur, placet ad singula eorum momenta respondere.

Respondeo itaque ad primum, distinguendo majorem. Illud tantùm est in Eucharistia, quod Christus accepit, deditque Discipulis post factam consecrationem, concedo: Illud tantùm est in Eucharistia, quod accepit, & quale erat, antequam proferret verba consecratoria; *Hoc est corpus meum*, nego. Neque hanc distinctionem rejicere possunt Calvinistæ; ultrò enim nobiscum fatentur, quòd quando Christus accepit panem, antequam proferret verba; *Hoc est corpus meum*, nondum erat Sacramentum, sed tantùm panis

usualis. Itaque quemadmodum illi fatentur, panem a Christo acceptum habuisse duntaxat vim & rationem Sactamenii, post prolata illa verba, ita nos ultrò concedimus panem à Christo acceptum non fuisse corpus Christi eòdem instanti, quô Christus D. illum accepit; sed duntaxat in ultimo instanti, quô peracta est consecratio.

XXXVI. Quot modis Christi corpus dici possit frangi in Eucharistia.

Ad id autem, quod adjiciunt hæretici, corpus Christi non frangi, optimè dicit Contenson, illud posse dici frangi in vero sensu & non figurato: *Primò*, quia revera distribuitur multis per fractionem specierum; sicut enim substantia verè, & non figuratè dicitur visibilis ratione coloris, quô obducitur; ita corpus Christi fractis speciebus distributum verè dicitur frangi. *Secundò*, dicitur corpus Christi frangi, idest, immolari; ex vi enim verborum corpus Christi in sacrificio Eucharistiæ à sanguine separatur, & Deo immolatur, ut alibi dicemus: Et quia poterat esse difficultas in hac voce *frangitur*, quam habet textus Apostoli 1. Cor. 11. ideo in Evangelio habetur, *quod pro vobis traditur, vel tradetur*. Dedit autem Christus corpus, quod traditur in sacrificio Altaris, vel tradetur in sacrificio crucis.

Denique quamvis Christus non confractus, non divisus, sed integer in Eucharistia accipiatur à singulis, *frangi* tamen quadamtenus dici verè potest, quatenus cùm sit totus sub qualibet specierum particula, & continuam habeat sub illis præsentiam, dissolutâ per fractionem specierum continuatione, Christus prout sub una parte a seipso ut sub alia parte existit, sejungi intelligitur, fractione non sub partes, sed sub totum Christum cadente. Unde semper verum est; quòd nulla rei fit scissura, sed signi tantùm fit fractura, quâ nec status, nec statura signati minuitur.

XXXVII. Quid præcisè significant pronomina *hoc* & *hic*.

Ad secundum dicit Doctor in 4. dist. 8. num. 26. quòd ly *hoc*, *demonstrat singulare ens, non panem, nec accidentia*. Cui concordat S. Thomas q. 78. art. 5. ubi docet, quòd verba illa demonstrant substantiam absque determinatione; non quòd significent substantiam in communi, seu genericè vel specificè consideratam esse corpus Christi; sed sensus est, quòd hoc ens, seu illa substantia, quæ prius erat panis, peractâ consecratione fit corpus Christi; unde ly *hoc* eô instanti quô pronuntiatur demonstrat aliquid, quod videtur esse commune substantiæ panis, & corpori Christi, quæ sibi invicem in Eucharistia succedunt; ita quòd initiô prolationis connotat substantiam panis, in fine verò substantiam corporis Christi.

Ad tertium dico, quòd etsi particula *est*, interdum figuratè accipiatur in Scriptura; non tamen ita semper est accipienda; alioqui nulla prorsus esset distincta mysteriorum notitia, si quidquid per verbum *sum, es, est*, affirmatur, liceret ad sensum tropologicum detorquere: nulla autem apparet ratio, cur particula, *est*, hîc figuratè accipiatur; siquidem, ut docet S. Augustinus, verba Scripturæ in proprio semper sensu sunt accipienda, nisi evidenter appareat latens aliquis tropus, qualis utique hîc non apparet; siquidem ubi de Sacramentis agitur, verba secundùm naturalem significationem sunt accipienda.

Ad exempla autem adducta ab hæreticis, dico, illa huic assertioni non officere, nonnulla enim, ut *spicæ sunt septem anni*, & *semen est verbum Dei*, apertè tropologicum sensum redolent, ac proinde de eis non est difficultas. *Ad Agnum Paschalem dico*, ly *est*, in proprio sensu accipi: Agnus quippe Paschalis reverà erat victima à Deo instituta in memoriam præservationis primogenitorum Israël, à vastatione Angeli interficientis omnia primogenita Ægyptiorum: familiare autem est Scripturæ, ut quando de sacrificio, vel victima loquitur, nomen sacrificii, aut victimæ reticeat; solùmque explicetur nomen illius, propter quod sacrificium offertur, & victima quæ immolatur. Hôc sensu Sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi*, idest, oblationes factas à populo pro assequenda remissione peccatorum. Sic pariter 2. Cor. 5. Christus dicitur *pro nobis factus peccatum*, idest sacrificium & hostia pro peccato. Itaque Agnus Paschalis propriè dicitur *phase*, idest victima phase, sic enim eum ibidem appellat Moises, dicens, *Victima transitus Domini est*. Adde quòd nomen *phase* non soli agno, sed & toti cæremoniæ tribuatur, ut patet ex versu 25. ubi narratis omnibus servandis in immolatione Agni Paschalis, dicit Moyses, *Cum introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis caremonias istas: & cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis, Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans*. Unde hæc vocabula, *transitus Domini*, non solùm in agnum qui immolabatur, sed & in omnem cæremoniam, quâ offerebatur, cadunt, ac subinde illa vocabula, quæ significant hanc religionem, non sunt figurativa, sed in proprio, & naturali sensu accipienda.

Quantùm autem ad alia momenta, apparet evidenter, vocabulum *est*, figuratè accipi, quod maximè constat de verbis Apostoli; apertè enim ibidem declarat se duntaxat figurativè loqui: Tum, quia ibi ait: *Omnia in figuris contingebant illis*: Tum, quia ibi petram, de qua loquitur, appellat spiritualem: *Bibebant*, inquit, *de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus*. Quibus significat, se simul figuras proponere & explicare; ænigmata exhibere, & simul eorum sensum detegere. Adde, quòd licèt vocabulum *est*, bis in locis sumeretur tropologicè, inde non est consequens, quòd perpetuo, & in omnibus locis ita debeat accipi; maximè autem in verbis institutionis Sacramentorum, quæ debent esse perspicua, & citra omnem obscuritatem.

XXXVIII. Verba metaphorica consecrationis calicis per se manifestantur.

Ad quartum dico, quòd etsi in illis verbis; *Hic est calix sanguinis mei*, sit aliquis, quia videlicet continens sumitur pro contento; attamen hic tropus facilè per se patet, & ultrò se ingerit intelligendum, secundùm vulgarem modum loquendi, quô quis dicitur bibere poculum vini, idest, vinum in vase contentum. *Adde quod*, etsi hæc præ se ferrent quandam obscuritatem, per se nullô negotiô intelligerentur ex verbis Matthæi & Marci, qui distinctè & clarè referunt, Christum dixisse, porrigendo calicem: *Hic est sanguis meus*.

XXXIX. Sanguis Christi propriè dicitur Testamentum.

Ad id autem, quod objicitur, sanguinem Christi dici *novum Testamentum* tantùm tropologicè; respondeo, id esse falsum: Testamentum enim, sive fœdus ibi propriè sumitur; siquidem duo significat, pactionem videlicet & victimam, cujus oblatione fœdus seu pactum sancitur, quæque est causa instrumentalis hujus sanciendi. Hinc apud sacros & profanos Authores dicitur fœdus ferire, mactari, dividi in partes, &c. Unde retorqueo argumentum Christus illud dedit bibendum in Eucharistia, quô tanquam victimâ

novum Testamentum sancitum est: atqui hoc non est aliud à verò & substantiali sanguine Christi; sicut enim victimis & sanguine animalium vetus Testamentum sancitum fuit, ita novum verò Christi sanguine sanciri debuit. *Dici* potest etiam cum Cardinali Perronio lib. 1. de Eucharistia cap. 26. quòd phrasi usitatâ Hebræis, sacrificium pro ineundo fœdere vocatur fœdus, sicut sacrificium pro peccato expiando, appellatur peccatum. Unde Ozeæ 4. Sacerdotes dicuntur comedere peccata populi, idest, victimas pro peccatis populi eluendis oblatas: Unde cùm Christi D. sanguis in calice positus, sit victima pro peccatis nostris, meritò juxta phrasim Scripturæ appellatur fœdus, & novum Testamentum.

Ad ultimum denique dico; Eucharistiam non esse commemorationem Christi simpliciter, & præcisè, sed Christi patientis & morientis, juxta illud 1. ad Cor. 11. Quotiescunque manducabitis " panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domi- " ni annuntiabitis, donec veniat: Porrò Christi D. " passio & mors jam præterierunt; unde potest earum memoria fieri in Eucharistia, licèt Christus ibi sit verè & realiter; memoria enim alicujus rei, non semper illius excludit realitatem & præsentiam: sic manna repositum in Tabernaculo juxta præceptum Domini Exodi 14. in memoriam quod Deus plueret Israëlitis manna ad manducandum, erat simul tanti beneficii realitas & recordatio.

XXXX. In Eucharistia simul est commemoratio & rei præsentia.

Adde quòd etiamsi Eucharistia esset commemoratio ipsius Christi, ut sic, & non tantùm mortis ejus, posset tamen esse memoria rei simpliciter præsentis, dummodò sit absens secundùm quid, videlicet secundùm eam rationem, quâ ejus memoria, & commemoratio datur: sicut ad rationem signi, non requiritur, ut sit rei simpliciter & absolutè absentis, sed tantùm latentis nos; quare cùm Christus sit nobis sub aliqua ratione invisibilis in Eucharistia, quia delitescit sub speciebus; ideo totum Sacramentum posset nobis illum repræsentare, nostrumque intellectum in ejus præsentiæ notitiam perducere.

Concludendum ergo, Calvinistis meritò quadrare id, quod ait S. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana: *Si animum*, inquit, *occupaverit alicujus erroris opinio, quidquid asseruerit Scriptura, figuratum arbitrantur*; quia nimirum, addit S. Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 85. *Coguntur hi tales semper typos typorum, & imagines imaginum adinvenire, & tanquam figere animum suum in uno & vero Deo.* Sive, ut loquitur Feuardentius noster in Commentario cap. 12. lib. 2. *Umbris & metonymiis inhiantes, veri corporis Christi usu excidunt: Similes Æsopicani, qui panem quidem reliquit, in umbram autem ejus impetum fecit, & perdidit escam.* Ut eòdem cap. 12. S. Irenæus ait. Hôc eòdem apologô utitur S. Epiphanius contra Cerdonianos: *Contigit*, inquit, *his canis proverbium, qui umbra intentus non continuit quod habebat in ore, & in aquam intuens, & majorem umbram aquæ esse putans, quàm cibum, quem in ore ferebat, apertò ore etiam eum, quem habebat, amisit. Sic & hi, cùm quam repererint, & umbram assequi velint in suspicione eorum obortam, non solùm cibum, qui in ore ipsorum, ut ita dicam, erat ex Deo donatus, amiserunt, sed etiam perniciem sibi ipsi attraxerunt.*

XXXXI. Quàm familiare sit hæreticis figuras, & umbras sectari.

Urgent hæretici: Id Christus in ultima cœna dedit Apostolis, quod ipse comedit; siquidem tunc cum Discipulis comedebat & bibebat: sed ipse solùm panem manducavit; nemo enim dixerit, quòd corpus suum manducaverit; siquidem inanis prorsus, ac inutilis fuisset ipsa manducatio: igitur solùm panem Apostolis manducandum dedit.

XLII. Probabile est Christum D. comedisse suum corpus in Eucharistia.

Nego minorem: Nam plurimi è SS. Patribus, maximè S. Hieronymus in epist. 150. Chrysostomus homil. 83. docent, Christum fuisse convivam simul & convivium, comedentem, & id quod comedebatur, quod utique non videtur absurdum: Nam si S. Augustinus in Psalmum 33. docet, quòd Christus suum corpus ferens ac porrigens adumbratus fuisset per Davidem, qui 1. Reg. cap. 21. arreptitium & stultum se simulans, ferebatur manibus suis. *Manibus aliorum*, inquit, *potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David, secundùm litteram non invenimus; in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans corpus suum*, ait: *Hoc est corpus meum: ferebatur enim illud corpus in manibus suis.* Addit Concione 2. Quomodo ferebatur in manibus suis? *Quia cùm commendaret ipsum corpus suum, & sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles, & ipse se portabat quodammodò, dum diceret: Hoc est corpus meum.* Non videtur autem magis absurdum & incredibile, quòd Christus corpus suum comederit, quàm quòd corpus suum portaverit.

Hæc autem suipsius manducatio non erat omnino inutilis; primò enim conveniens erat, ut ipse sacrificiô suô incruentô participaret. Secundò, decebat, ne Apostoli abhorrerent ab illa corporis & sanguinis sumptione, ut ipse utrumque pariter sumeret. Tertiò, fructum aliquem spiritualem exinde suscipere potuit; non quidem gratiam sanctificantem, cujus utique plenitudinem habebat, sed cœlestem quandam consolationem, & spiritualem dulcedinem ac suavitatem, quæ est alter hujus Sacramenti effectus.

XLIII. Licèt Christus non sit amplius in terra præsentia aspectabili, est tamen præsens præsentia supernaturali, & sacramentali.

Instant hæretici: Non aliter Apostoli Christi corpus & sanguinem susceperunt, quàm suscipere debebant fideles: at reverà Christi D. corpus & sanguinem fideles non erant suscepturi; siquidem ipsemet Christus testatur Joan. 12. Discipulis murmurantibus, quòd pretium unguenti in caput ipsius à Magdalena effusi non esset potius servatum pauperibus erogandum. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Similiter Joan. 16. protestatur, dicens: *Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Et Actuum 3. testatur S. Petrus, quòd *oportet cœlum* (Christum D.) *suscipere, usque ad tempora restitutionis omnium*; hoc est, usque ad diem generalis hominum resurrectionis: igitur Christus post Ascensionem in cœlo est, non in terra: at si realiter & substantialiter esset præsens in Eucharistia, adhuc remaneret in terra: ergo verè ac substantialiter non est in Eucharistia.

Distinguo minorem, esset in terra præsentia aspectabili, & humana ac familiari cum hominibus conversatione, nego: Sacramentali, supernaturali & miraculosâ, concedo: Porrò, illi textus qui negant Christum adhuc esse in terra, loquuntur duntaxat de priori præsentia; quod utique patet ex *primo* textu; pauperes enim ob oculos positos visibiliter cernimus: patet etiam ex *secundo*, subdit enim, *Et non videbitis me*, oculis videlicet corporis. Patet denique ex *tertio*: Chri-

stus enim ascendit in cœlum, ibique manet usque in diem judicii, visibili nimirum modô, quo homines *tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate magna, & majestate.* Hæc verò non efficiunt, quominus adhuc præsens sit in terra præsentiâ miraculosâ, Sacramentali, & omnino supernaturali, juxta id, quod spondet Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum* (in Sacramento Altaris cujus conficiendi habetis potestatem) *usque ad consummationem sæculi.* Porrò non est, quòd Calvinus irrideat hanc distinctionem de duplici Christi præsentia lib. 3. cap. 17. num. 27. Enimverò ipsemet adorandus Salvator hanc duplicem sui præsentiam cum Apostolis haud obscurè significat, dum ait Lucæ 24. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum.* Verè namque cum illis erat, dum hæc loqueretur; sed præsentiâ miraculosâ & supernaturali; antea verò erat cum eis præsentiâ ordinariâ & familiari.

§. III.

Probatur hæc eadem veritas ex Traditione Divina & Apostolica.

XLIV. Idem insinuat divina & Apostolica Traditio. Hanc divinam Traditionem imprimis nobis ministrat Apostolus 1. Cor. 11. ubi disertè ait: *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Quam egregiè commendat Apostolus. Quô utique divinô oraculô Apostolus quatuor præclara nobis momenta subministrat, ad rejiciendam, & frangendam hæreticorum perfidiam: *Primò* enim ait, hanc doctrinam se accepisse à Domino; quod utique asserere non possunt hæretici; quippe nullibi Christus D. dixit, se tradidisse Discipulis imaginem & figuram sui corporis & sanguinis, quam ex dæmonis suggestu in Eucharistia comminiscuntur. Unde etiam Lutherus initiô libri de abroganda Missa privata, ingenuè fatetur, se omnes ratiunculas; & argumenta singula, quibus divinum istud sacrificium, & Catholicam de eo doctrinam impugnat; à dæmone (cum quo familiariter ait se conversatum) audisse. Quapropter Petrus Faber clarissimus Jurisconsultus meritò ei objicit, quòd aliter quàm Paulus loqui debeat; siquidem Apostolus ait: *Quod accepi à Domino, hoc tradidi vobis.* Lutherus verò dicere: *Quod accepi à diabolo, hoc tradidi vobis.*

Secundò, Apostolus distinctè, ac perspicuè, ait, Dominum tradidisse Apostolis idem corpus, quod tradendum erat Judæis crucifigendum: at Christi corpus, quod crucifixum est, non erat duntaxat larvatum, & imaginarium, sed verum, & naturale ac substantiale; igitur non dedit Apostolis in Eucharistia duntaxat imaginem & figuram sui corporis & sanguinis.

Tertiò, ut ait Apostolus, fieri posse, ut quis divinum hoc alimentum suscipiat indignè, ac sic judicium sibi manducet, & bibit; ex quo sic licet argumentari: Eucharistia, quam Christus D. instituit, quamque Apostolus ab eo accepit, & fidelibus tradidit, suscipi potest indignè: sed Eucharistia à Calvinistis, juxta eorum dogma, nusquam indignè suscipi potest: igitur Eucharistia, quam ipsi tradunt, non est ea, quam Christus instituit, quamque Apostolus tradidit fidelibus. Major constat: Minorem probo: Quicunque panem illum cœlestem manducat, vel fidem habet, vel fide caret: si fidem habet, dignè suscipit, quantumvis plurimis sceleribus & peccatis sit inquinatus; siquidem docent Calvinistæ homines justificari per fidem. Ita namque contestatur Calvinus lib. 3. Instit. cap. 11. ubi colligens ea, quæ priùs de fide justificante docuerat, scribit: *Summa*, inquit, *hæc fuit, Christum nobis Dei benignitate datum, fide à nobis apprehendi, ac possideri: cujus participatione duplicem potissimùm gratiam recipiamus, nempe ut ejus innocentiâ Deo reconciliati, jam propitium habeamus in cœlis Patrem; deinde, ut ejus spiritu sanctificati; innocentiam, puritatemque vitæ meditemur.* Et paulò infrà: *Iustificationis ratio levius ideo attacta est, quoniam ad rem pertinebat intelligere primum, & quàm otiosa non sit à bonis operibus fides, quâ solâ gratuitam justitiam Dei misericordiâ obtinemus.* Si fide caret, cùm ad Eucharistiam accedit, Christi corpus & sanguinem nullatenus suscipit; quia secundùm doctrinam & professionem Calvinistarum, solâ fide, seu, ut loquuntur, ore fidei suscipi potest: igitur Eucharistia, quam suscipiunt Calvinistæ, non ea est, quam Christus instituit, & Apostolus ab eo accepit, atque fidelibus tradidit. XLV. Validum adversus Calvinistas argumentum.

Quartò denique, Apostolus panem hunc & calicem indignè usurpantes, reos esse corporis & sanguinis Domini, & judicium sibi manducare, ac bibere asserit: *Quia*, inquit, *non dijudicans corpus Domini:* sed si in pane Eucharistico, nihil nisi figura Dominici corporis haberetur, profectò non idcirco peccaret comedens, quòd non discerneret, dijudicaretque corpus Domini, hoc est, non statueret discrimen inter corpus Domini, & cibum usualem; sed corpus illud non secus ac panem communem absque ulla conscientiæ disquisitione & probatione manducaret: imò potiùs judicare deberet, ibi non esse corpus Domini: igitur in Eucharistia Apostolus reverà censet, esse realiter ac substantialiter Christi D. corpus.

Reponunt hæretici: Apostolum ibidem Eucharistiam appellare panem, etiam post prolata verba consecrationis; *Qui manducat*, inquit, *panem hunc:* igitur reverà censet in Eucharistia non esse realiter corpus Christi, sed duntaxat Sacramentaliter, hoc est, in pane tanquam in signo, & imagine.

Verùm nego consequentiam: Idcirco enim Apostolus Eucharistiam appellat panem: *Primò*, quia per consecrationem fit conversio panis in corpus Christi: Scriptura autem solet eum terminum, qui per conversionem existit, appellare nomine termini, seu rei, ex qua facta est conversio. Sic *Genes.* 2. Eva vocatur os, quia ex osse per conversionem facta erat. Et *Exodi* 7. serpens factus ex conversione virgæ Moysis, vocatur virga. Item *Ioan.* 1. vinum factum ex conversione aquæ, vocatur aqua. *Secundò*, quia Eucharistia XLVI. Quare Eucharistiam Apostolus panem appellat.

retinet

retinet similitudinem & accidentia panis & vini, vocari potest panis & vinum, ut in Scriptura *Gen.* 18. & *Actuum* 1. Angeli, qui habebant exteriùs speciem hominis, vocantur viri. *Tertiò*, cibus in Scriptura vocatur panis; unde cùm caro Christi in Eucharistia sit verus animæ cibus: ipsô attestante Joan. 6. *Caro mea verè est cibus*; non mirum, quòd illa interdum nomine panis designetur, sicut & sanguis nomine vini. Per quod explicatur etiam locus S. Marci; maximè quia verè species vini, sub quibus continebatur sanguis Christi, erant ex vitis genimine.

XLVII. Ipsum confirmatur ex Liturgiis Apostolicis. *Probatur eadem Traditio Apostolica* ex Liturgiis, & Actis, quæ feruntur nomine Apostolorum: *Primò* namque in Liturgia S. Jacobi fratris Domini, hæc habentur: *Sileat omnis humana, ac mortalis caro, stetque cum metu & tremore, ac nihil terrestre apud seipsam cogitet: Rex enim regnantium, Dominus dominantium, Christus Deus noster progreditur ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus, ipsum autem antecedunt Angelorum chori cum omni imperio & potentia.* Ibi etiam oblatio appellatur *venerandum & incruentum sacrificium.* Dicitur etiam, quòd *Christus in partes distribuitur, at non divisus, & fidelibus impertitus, in ore fidelium est.* Idem etiam constat ex Liturgia *S. Marci*, quæ operâ Cardinalis Sirleti in lucem prodiit. Idem pariter docetur ex Lyturgia *S. Petri*, in cujus exordio Sacerdos orat, ut panis & vinum fiant corpus & sanguis Christi. Idem denique habet Missa Æthiopum, quam à S. Mathæo volunt esse traditam.

Reponunt hæretici, maximè *Philippus Mornayus* lib. 1. de Missâ & partibus ejus cap. 2. nec-non & *Viretus* lib. 1. Critici sacri cap. 3. has omnes Liturgias esse suppositiias, & novum Catholicorum figmentum: *Primò* quidem de Liturgia

Quarum authoritatem elevare tentant hæretici. S. Jacobi evincunt hæc argumenta, inquit Viretus, quòd in Ephesino & Chalcedonensi Conciliis, moltùm desudârunt Patres, ut io antiquioribus Authoribus, Virginem, fuisse Deiparam appellatam; demonstrarent, & unum aut alterum; duntaxat locum Origenis & Eusebii protulerunt; unde liquet, hanc Liturgiam illis non præsto fuisse, in qua sexies hæc vox repetita est, quam Apostoli testimoniô firmare potuissent. *Secundò*, in Synodo Constantinopolitana adversus Macedonianos, non meminerunt Patres in Liturgia S. Jacobi, Spiritum sanctum dici consubstantialem Patri, nempe quia illa nondum extabat. Nec etiam illius meminerunt Patres Niceni in asserenda consubstantialitate Filii, & vocabulô ὁμοούσιον, quod toties in illa Liturgia inculcatur. *Tertiò*, in ea Liturgia hymnus *trisagion*, canitur cujus in Ecclesia usus refertur ad tempus Felicis III. Romani Pontificis, qui vixit annô 480. *Quartò*, ea Liturgia Confessori meminit, quod nomen nonnisi longo post tempore non fuit in usu. Unde Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 20. conatur evincere canonis Romani antiquitatem, quòd Confessorum non meminerit. *Insuper*, in ea Liturgia oratur pro degentibus in Monasteriis, quæ eô sæculô constituta nulla erant. *Denique*, hæc Liturgia indocit templa, altaria, thurificationes, thuribula, quæ tempore sævientis in Christianos persecutionis nulla erant; tunc enim omnis Dei cultus, in ædibus privatis, & cryptis impendebatur.

Idem ferendum judicium de *Liturgia S. Marci*; quippe cùm in ea fiat mentio Monasteriorum, Monachorum, Thurificationum, & vocabulorum ὁμοούσιον, ac ϑεοτόκον, quæ nonnisi posteà diuturnô tempore fuerunt in usu. *Insuper*, in ea oratur pro Alexandrina civitate, & Marco Martyre: at quis ille Martyr, nisi qui fingitur author? Oratur pro Rege, ut eum conservet Deus in pace & fortitudine. At quis ille Rex tempore Marci? Offertur incensum in remissionem peccatorum nostrorum, & totius populi. Oratio trisagii subjungitur, quod recentioris est instituti. An Marcus Evangelista petiisset à Deo, ut memor esset ubique degentium sanctorum Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Monachorum, semper Virginum, Viduarum, Laicorum? Quis credet sanus, tempore Marci illos ordines fuisse institutos? Vel eôdem tempore τὸ ὁμοούσιον in usu fuisse? Ideo etiam Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus interrogatus, an Liturgiæ, quæ conscriptæ dicuntur à SS. Apostolis Jacobo Fratre Domini, & Marco, recipiendæ à S. Ecclesia Catholica sint, nec-ne? Respondet ad quæstionem Marci Alexandrini. *Dicimus nos neque à sacra Scriptura, neque à Canone Synodici edito, edoctos fuisse sacrum ministerium à S. Apostolo Marco traditum.* Addit Canonem Apostolorum LXXXV. & Laodicænum LIX. enumerantes veteris & novi Testamenti, ipsosque Apostolicos libros, qui in usu nobis esse debent, nullam sacrificii S. Marci & S. Jacobi mentionem facere; neque Constantinopolitanam Ecclesiam ullô modô illas Liturgias agnoscere. Unde pronuntiat, non esse recipiendas in Ecclesia.

Idem judicium de *Liturgia S. Petri* faciendum, quam nonnulli eandem esse volunt cum ea, quæ Marco tribuitur, quam Ecclesia Romana, inquit Viretus, deboisset suscipere, si à Petro præscripta fuisset. Cui tamen Missam Gregorii, vel Scholastici cujusdam prætulit; hancque urbe exactam in montes Apuliæ relegavit; quod manifesto est indicio, eam genuinum Petri fœtum non judicasse. *Insuper*, Petrus non docuisset orare pro venerando Patriarcha nostro, qui tunc nullus erat. Item pro religiosissimis Augustis. Neque tempore Petri ullus erat Sacerdos, quô nomine usus est Petrus pro Ecclesiastico officio. Nec ϑεοτόκου vox tunc tĕporis in usu erat, nec tempore Petri recolebatur memoria Xisti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Cosmæ & Damiani, quæ omnes in hypoboli mea sub Petri nomine Liturgia reperiuntur.

Missa Æthyopum, quæ Matthæo tribuitur, meminit Epactæ, & aurei numeri longè post tempora Matthæi inventi. Item in ea oratur pro Papis, Patriarchis, Archiepiscopis, non tum institutis, non longô post intervallo instituendis. Fit in ea mentio Synodi Nicenæ, cujus & symbolum cantatur; Constantinopolitanæ etiam & Ephesinæ. Imò Basilii, Chrysostomi, Gregorii Magni, &c. qui ad 600. usque annum pertingunt, multorumque adeo Regum Christianorum, quamquam non ullius tempore Apostolorum.

Respondeo, hæc & similia momenta, non solùm ab hæreticis, sed etiam à nonnullis Catholicis obtrudi; non quòd inficiantur, Apostolos, Liturgias, & ritum sacrificandi conscriptos habuisse: sed quoniam plurima successu temporis ipsis à posterioribus ita adjecta sint, ut non sit facilè dijudicare, inquit Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis annô 34. *quæ pars ejus Liturgia S. Jacobum* (idem dicendum est de cæteris) *habeat authorem.* Verùm quidquid sit, nihilominus non leve nobis contra Calvinistas ex hujusmodi Liturgiis affulget argumentum: nam quod in illis de Eucharistia dicitur, vel fuit à sanctis illis Apostolis assertum, aut ab eorum Successoribus; vel ab hæreticis insertum. Si

Sed frustrà, quamquam enim illæ non essent ab Apostolis, nihilominus veritati Catholicæ suffragarentur.

primum, veritas Catholica inde firmissimum fundamentum sibi vendicat: Si secundum, cùm illæ Liturgiæ sint vetustissimæ, ut probat Baronius lib. 1. ad ann. 63. consequens est, quòd aliqua olim fuerit hæresis, quâ infecti hæretici, ut sui erroris patrocinium adsciscerent, illas Liturgias corrupissent: at id asserere, fingere est; quippe cùm omnes Patres, & Scriptores Ecclesiastici, qui hæreseon indices accuratissimè texuerunt, nunquam ejusmodi hæresis meminerunt; Igitur quæ de veritate Eucharistiæ in illis Liturgiis scribuntur, Catholicum Ecclesiæ sensum sapiunt.

XLVIII. *Acta passionis S. Andreæ idem confirmant.*

His accedit testimonium S. Andreæ Apostoli, qui, ut referunt acta ejus passionis, conscripta à Presbyteris Achaiæ oculatis testibus, cùm suaderetur ab Ægea, ut diis immolaret, constantissimè respondit: *Ego omnipotenti Deo immolatum agnum quotidie sacrifico; non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnes postquam omnis populus manducaverit, agnus qui sacrificatus est integer perseverat, & vivus.* Porrò hæc acta non debent esse dubiæ fidei: *Tum quia* quæ in illis Presbyteri Achaiæ de martyrio S. Andreæ referunt, digna existimata sunt, quæ in Ecclesia recitarentur: Ecclesia autem omnino abhorret à confictis historiis, & hæreticorum fabulis. *Secundò*, quia hujusmodi acta laudantur à S. Bernardo serm. 2. de S. Andrea. Et serm. 16. de diversis à Petro Damiano serm. 2. de eodem Apostolo, ab authore lib. de vera & falsa Pœnit. cap. 8. ab Ivone Carnotensi lib. de convenientia veteris & novi Testamenti: à Lanfranco lib. de Euchar. & Missa Ambrosiana in præfat. festi S. Andreæ, hæc habet: *Ut quod liberâ voce prædicaverat, nec pendens in cruce taceret.* Quæ utique verba non aliunde, quàm ex ejusmodi actibus videntur esse deprompta; non enim alibi legitur, quòd S. Andreas populum docuerit, dum in cruce penderet.

Proferuntur momenta quibus hæretici ea acta impugnant.

Respondent hæretici: Acta illa omnino esse apocrypha: *Tum, quia* Eusebius lib. 3. histor. c. 25. reponit Acta SS. Andreæ & Joannis inter libros ab hæreticis conscriptos sub nomine Apostolorum.: *Tum, quia* Epiphanius docet Encratitas, Apostolicos, & Origenistas uti maximè solitos fuisse Actibus Andreæ, Joannis & Thomæ. *Tum, quia* illa Acta approbasse Manichæos, testatur August. lib. 1. de fide contra Manichæos cap. 4 & 38. Unde Baronius ad annum 69, nu. 34. de Passione S. Andreæ verba facturus, scribit: *Cunctabunda diu hæsit oratio, apocryphorum præpedita timore, quominus liberè, ut assolebat, in rebus certâ fide exploratis, ac veris hactenus prosiliret... Illud tantùm de Andreæ Martyrii tempore in Passionibus Apostolorum (quas, qualescunque sint, ante Gelasii tempora lectitari consuevisse certum est) licuit reperisse, ipsum scilicet post Petrum coronatum esse martyriô, licèt quotô Domini annô, vel sub quô Imperatore inexploratum penitus relinquatur; illi enim ipsi à Ioanne Apostolo per visum dictum habetur post ascensum Petri: Andrea poculum Petri bibiturus es. De reliquis autem, quoniam S. Andreæ acta à Manichæis corrupta, ab eisque citari solita fuerunt, remansit illorum in Ecclesia dubia fides.* Tum, quia Gelasius Papa in decreto de libris apocryphis, his accenset acta S. Andreæ Apostoli. Igitur illa eorum authoritas nullius est momenti.

Solvuntur.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, Eusebium, Epiphanium, Gelasium, & Baronium non loqui de actis passionis S. Andreæ, seu de epistola conscripta à Presbyteris Achaiæ: sed de actis, quæ ab ipso S. Andrea veniente de Ponto in Græciam, conscripta fuisse volebant Manichæi: in quibus utique actis plurima inserta erant hæreticorum deliria, ac figmenta: Unde hujusmodi acta summoperè probabant. Nec aliud certè voluit Baronius; siquidem tomô 1. ad annum 45. ex Philastrio de hæresibus cap. 89. ostendit, factitatum ab hæreticis, ut falsa acta Apostolorum nomine scripserint: sed & Manichæos, qui ab Andreæ discipulis de rebus gestis à Ponto in Græciam scripta erãt, alia addentes, alia verò detrahentes corrupisse, & Innocentium Papam epi. 3. tractantem de his commentitiis Apostolorum Actibus, authores, qui eos confinxerunt, prodidisse, dum ad Exuperium scribens, hæc diceret: *Cætera, quæ sub nomine Mathiæ, sive Iacobi Minoris; vel sub nomine Petri, & Ioannis, quæ à quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ à Nexocharida & Leonide Philosophis, & sub nomine Thomæ, & si quæ sunt alia, non solùm repudianda, verùm etiam noveris esse damnanda.*

Itaque omnes præfati Authores improbant quidem acta sub nomine S. Andreæ, quorum Author ipse circumferebatur; vel loquuntur de actis peregrinationis & prædicationis ejus; quæ ab ejus discipulis fingebantur scripta: non verò loquuntur de epistola Presbyterorum Achaiæ, in qua passio ipsius B. Andreæ enarratur; nam, ut scribit Bellarminus, *epistola illa nihil continet, quod novitatem redoleat*: tum, quia *genus passionis S. Andreæ, & illa ejus verba*, SALVE SANCTA CRUX *in tota Ecclesia celeberrima, ex hoc libro sine dubitatione sumpta sunt*: Tum, quia *Petrus Damianus in serm. 2. de S. Andrea, de hac historia sic loquitur*: NON IMMERITÒ IN SINGULAREM AUTHORITATIS ARCEM SUSCEPTA EST, QUAM QUI VIDERUNT, SCRIPSERUNT ORBI, ET MINISTRI FUERE SERMONIS: Tum denique, quia *Ioannes à Lovania in sua censura de passionibus Sanctorum, quæ habetur in Martyrologio Molani, hunc librum omnibus modis legendum censet, & idem judicavit Aloysius Lippomanus, ut omittam, quòd in Breviario Romano nuper recognito, suum locum habet passio S. Andreæ ex hoc loco.*

§. IV.

Probatur eadem veritas ex Traditione, & constanti doctrina SS. Patrum.

XLIX. *15. Patres venitur realem Christi D. corporis in Eucharistia præsentiam.*

Etsi post egregias ac numeris omnibus absolutas Eminentissimorum Cardinalium Alani, Bellarmini, Perronii, Richelli, & plurium aliorum non minori pietate quàm scientia illustrium hac de controversia lucubrationes, nihil ferme dicendum superesse videatur; attamen quoniam veritatis Catholicæ tuendæ necessitas, & in dies recrudescentia hæreticorum vaniloquia, nos aliquid post tam uberem ab aliis collectã ex SS. Patrum authoritatibus hac de re messem, aliqua etiam ex nostro promptuario cogunt suppeditare: Idcirco ne in immensum excrescat, & absque ullo ordine diffundatur hæc dicendi materies; potissima ex SS. Patrum doctrina depromenda oracula placet cum illustrissimo nostro Meurissio Madaurensium non ita pridem Antistite, ad novem capita perstringere.

1. Quia figuræ rationem ab ea removent.

Primum itaque argumentorum caput petitur ex illis authoritatibus, quæ distinctè, & expressè omnem figuræ rationem ab Eucharistia excludunt. Ita imprimis S. Damasc. lib. 4. de Fide cap. 14. *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi; absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipsô Domino dicente, Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus, non figura sanguinis, sed sanguis.* Similia habet Theophilactus in cap. 26. Matth. *Non enim dixit, Hoc est figura, sed hoc est corpus meum: ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis, quoniam infirmi sumus, & abhorremus nudas carnes comedere, maximè hominis, ideo panis quidem apparet, sed caro est.*

Simile habet S. Ambrosius lib. 6. de Sacram. cap. 1. *Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris; vera caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus sanguis, quem potamus.* Et infra: *Fortè dices, quomodo vera? quia similitudinem video, non video corporis & sanguinis veritatem. Primò omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur, ut possit mutare, & convertere genera instituta natura.*

Hæc præclarè declarat & expendit Nicæna II. Synodus *Actione 6. tom. 3.* ubi scribit: *Nullus aliquando tubarum spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus: Neque enim acceperunt a Domino sic dicere, vel confiteri, sed audiunt Evangelicè, dicente eo: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum. Et qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Et acceptò pane gratias agens fregit, & dedit Discipulis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et non dixit: Accipite, & comedite imaginem corporis mei. Sed & Paulus divinus Apostolus ex divinis Domini vocibus hauriens, ait: Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite in meam commemorationem. Ergo liquido demonstratum est, quod nunquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem,* (pergit S. Synodus nondum, subortâ controversiâ de realitate corporis Christi) *typos,* (seu, ut alii legunt, *antitypa*) *quibusdam SS. Patrum hoc pie visum est nominare, quorum est Eustathius propugnator orthodoxa fidei, & Ariana destructor vesania; & Basilius ejusdem infœlicis superstitionis depositor, qui omne, quod sub sole est plenam rectorum dogmatum basim edocuit.* Recensitis autem utriusque Patris testimoniis, sic concludit: *Quod deinceps offertur, certiorem Patris hujus* (Basilii) *perfecit intellectum, qualiter antequam sanctificata fuerint, vocata sunt typi; post sanctificationem autem, corpus propriè, ac sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur.*

2. Idipsum probant qui dicunt Christi corpus ore corporeo sumi.

Secundum caput, est eorum, qui expressè & distinctè affirmant, in Eucharistia corpus & sanguinem Christi uon solùm reverà esse post consecrationem, & in ea subsistere, sed etiam ore corporeô sumi: Ita imprimis S. Justinus Martyr in Apologia 2. ubi de Eucharistia ita loquitur: *Non us communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus, Salvator noster, & carnem & sanguinem salutis nostra causa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratia sunt acta, alimoniam: Unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse docti sumus. Nam Apostoli Commentariis à se scriptis, qua Evangelia vocantur; ita tradiderunt pracepisse sibi Iesum; cum enim pane acceptò, cùm gratias egisset, dixisse, Hoc facite in mei recordationem, hoc est corpus meum: & poculò similiter acceptò, & gratiis actis dixisse; Hic est sanguis meus.* Observa non esse panem communem, sed carnem & sanguinem Christi; eôdem modô, quô in Incarnatione est vera caro Christi.

Nec obstat, quòd dixerit, panem, & vinum Eucharisticum esse corporum nostrorum alimoniam; vel enim intelligitur de pane & vino, ante consecrationem, ut sensus sit, id quod in corporum alimoniam institutum est, fit consecratione caro & sanguis Salvatoris, quibus animæ reficiuntur; vel si loquatur de pane, & vino consecratis, significat per hunc divinissimum cibum corporibus nostris semen immortalitatis, & gloriosæ Resurrectionis inseri. Unde à Patribus, Eucharistia appellatur *pharmacum immortalitatis*; juxta illud Christi D. Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

His præclarè adstipulatur S. Irenæus Episcopus & Martyr *lib. 4. cap. 34.* qui floruit secundô & tertiô sæculô, loquens enim de Valentinianis docentibus non esse unum, eundemque Deum Creatorem cum Patre Christi Domini; & insuper negantibus resurrectionem carnis; Quomodo, *inquit*, constabit eis panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatorem mundi Filium dicant, idest Verbum ejus, per quod lignum fructificat & defluunt frondes; terra dat primùm quidem fœnum, post spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicam carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam; quæ à corpore & sanguine Domini alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. *Et paulò post:* Quemadmodum enim qui est à terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus constans, ex terrena & cœlesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. *Idem habet lib. 5. cap. 2.*

Eis subscribit Tertullianus lib. de Resurrect. carnis cap. 8. *Caro*, inquit, *corpore, & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Et lib. de Oratione cap. 14. *Acceptò corpore Domini, & reservatô, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.*

Et nobis uniri non fide tantùm sed reipsà.

Hoc ipsum momentum confirmatur eis omnibus authoritatibus SS. Patrum, qui dicunt, Christum nobis in hoc Sacramento uniri, non solâ fide, sed reipsà; nec per voluntatum concordiam, sed per corporum contactum. Ita Chrysostomus homil. 83. *Neque illi satisfuit hominem fieri, colaphis cadi, & crucifigi; verùm & semetipsum nobis commiscet; & non fide tantùm, verùm & ipsâ re suum efficit corpus.* Et homil. 45. in Joan. *Ut autem non solùm per dilectionem, sed reipsâ in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem vellet indicare, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus suum cum capite uniretur, hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob indicavit de servis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem pra se ferentes, dicebant; quis daret*

nobis, ut ejus carnibus impleremur? Quod Christus fecit, ut majori nos charitate astringeret, & ut suum in nobis ostenderet desiderium, non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desideriò sui omnes impleri.... Parentes sæpenumero liberos suos aliis alendos dederunt: Ego autem meâ carne alo.

Sed præclarè S. Hilarius disserens contra Arianos lib. 3. de Trinit. *Interroga istos*, inquit, *utrum per natura veritatem, Christus in nobis sit: an per concordiam voluntatis?* Et paucis interpositis; *Verè cibò Dominicò, Verbum carnem sumimus, naturamque carnis suæ, sub Sacramento nobis admiscuit.* Et paulò inferiùs: *Hæc idcirco à nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantum unitate, hæretici divinas personas unitas esse interpretantur; & ad id, exemplò unitatis nostræ cum Deo utuntur, quasi nobis ad filium voluntate tantùm Religionis unitis, nulla per Sacramentum carnis naturalis communionis proprietas indulgeretur.* Et quidem ad exprimendam hanc unionem realem & substantialem *S. Chrysostomus* homil. 33. in Matth. utitur comparatione fermenti coagmentantis totam massam farinæ. Et *S. Dionysius* de cœlesti Hierarchia, comparatione ferri candentis. Et *S. Cyrillus* lib. 4. in Joan. comparatione duarum cerarum liquefactarum & mixtarum: quæ omnia apertissimè probant veritatem corporis Dominici in hoc Sacramento.

3. Qui docent Christum ideo latitare sub speciebus panis & vini, ne horrori esset sumentibus

Tertium caput est eorum, qui reddunt rationem, cur hîc voluerit Christus adesse sub aliena specie; videlicet ne horrori esset alioqui sumentibus: quæ ratio locum non haberet, si Christus verè & substantialiter non sumitur hîc ore corporis. Ita S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Vt nullus horror cruoris sit, & pretium tamen sit redemptionis.* Et Theophilactus in cap. 26. Matth. *Non enim dixit, Hoc est figura, sed, Hoc est corpus meum; ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videtur panis, quoniam infirmi sumus, & abhorremus nudas carnes comedere, maximè hominis, ideo panis quidem apparet, sed caro est.* Hoc præclarè explicat S. Augustinus in Psalm. 33. ubi scribit: *Vnde autem commendavit corpus, & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant superna Virtutes, manducant cœlestes spiritus, & manducant, & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo possit ad illum cibum? Vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lactesieret, & ad parvulos perveniret? Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur. Nam mater hoc facit, quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minùs idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humiditatem mammillæ, & lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit homo.... idest Verbum illud quò pascuntur Angeli sempiternum quod est æquale Patri, manducavit homo; quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: saginantur ergo illò Angeli: sed semetipsum exinanivit, ut manducaret panem Angelorum homo formam servi accipiens, &c. ut jam de cruce commendatur nobis caro & sanguis Domini, novum sacrificium.*

4. Quià maximè in hoc mysterio fidem exigunt.

Quartum caput est eorum, qui dicunt, non esse hîc credendum sensibus, sed verbis Christi, proponuntque articulum hunc, tanquam creditu difficillimum; & ideo Christi omnipotentiam, & authoritatem exaggerant; & magnam fidem requirunt, quæ omnia sunt vana, si panem tantùm significantem Christi corpus in hoc Sacramento comedamus. Ita S. Chrysostomus homil. 83. Matth. *Credamus ubique Deo*, inquit, *nec repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit; superet & sensum, & rationem nostram sermo, quæso, ipsius: nam verbis ejus fraudari non possumus: sensus verò noster, deceptu facillimus est, quoniam ipse dixit, Hoc est corpus meum; nullâ teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectûs id perspiciamus.* S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mystagogycâ: *Ne ergo consideres*, inquit, *tanquam panem nudum, & vinum nudum; corpus enim est, & sanguis Christi, secundum Domini verba: quamvis enim tibi sensus hoc non suggerat, tamen fides te confirmet; nec ex gustu rem judices, quin potius habeas ex fide, pro certissimo, itaut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus, & sanguinem.* Et infrà: *Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi, & vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui vinum videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.*

5. Quia magnum in Eucharistia miraculum intervenire testantur, ex eo quòd Christus sit simul in cœlo & in terra.

Quintum caput est eorum, qui dicunt, hîc intervenire magnum quoddam miraculum; ut nimirum Christus existens in cœlo, simul reperiatur in Altari. Ita Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio: *O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur.* Et homil. 3. in Epist. ad Ephes. *Elias ascendens, pallium Discipulo dimisit: Filius autem Dei ascendens nobis suam carnem dimisit; sed Elias quidem exutus; Christus autem nobis suam carnem reliquit, & ipsam habens ascendit:* Sed id præclarissimè homil. 24. in 1. ad Cor. ubi æquat præsentiam, quam Christus habet in Altari, ei quam habet in cœlo, docetque per consecrationem sacrorum mysteriorum Eucharistiæ, terram fieri quodammodò cœlum, & hoc ipsum quod pretiosissimum est in cœlo, in terra collocari. Verba ejus sunt: "Hic terram tibi cœlum facit hoc mysterium: Aperi ergo cœli portas, & perspice, & tunc videbis quod dictum est. Nam quod illic est omnium pretiosissimum, & maximè honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in Regio id quod est omnium magnificentissimum, non parietes, non tectum aurum, sed corpus Regis sedens in solio. Sed hóc tibi non licet videre in terra. Non enim Angelos, nec Archangelos, neque cœlos, & cœlos cœlorum, sed ipsum eorum ostendo Dominum. Vidisti quemadmodum quod est omnium præstantissimum, & maximè honorandum vides in terra: neque solùm vides, sed etiam tangis, & eô acceptô domum reverteris. *Subscribit S. Basilius in Liturgia:* Veni ad sanctificandum nos, qui sursum Patri consides, & hic nobis invisibiliter coëxistis. *Demum Gregorius Nyssenus Orat. de Paschate:* Sicut Divinitas replet mundum, & tamen una est, ita innumerabilibus locis corpus Domini consecratur, & tamen unum corpus est."

6. Ex eo quòd qui species contrectat di-

Sextum caput, est eorum, qui dicunt, in quibus locis Eucharistia existit, & à quibus rebus, aliquô modô, aut aliquô sensu attin-

citur tangere Christi corpus.

gitur, in iiſdem exiſtere, & ab iiſdem rebus attingi Chriſti corpus, ratione videlicet Euchariſtiæ; quod non rectè diceretur, niſi reipsâ exiſteret in Euchariſtia. S. Chryſoſtomus hom. 60. ad populum, dicit, *Chriſtum videri, & tangi, & intra nos ſumi; & dentes ejus carni infigi.* Et hom. 83. in Matth. 7. *Os igne ſpiritali impleri, & linguam admirabili ſanguine cruentari.* Et S. Cyprianus ſerm. de lapſis: *Iacere corpus Domini in arca, contrectari manibus, concludi viſceribus.*

7. Quia ex hoc myſterio alia cõfirmant.

Septimum caput, eſt eorum, qui ex hoc myſterio, alia noſtræ Religionis myſteria confirmant. Sic S. Irenæus lib. 4 contra Valentinianos cap. 24. probat, Chriſtum eſſe verum Deum, quia potuit convertere panem in corpus ſuum. Et cap. 35. ex eodem myſterio, diſputat contra negantes Reſurrectionẽ ut vidimus ſupra. S. Chryſoſtomus etiam homil. 83. in Matthæum, ex eodem confutat eos, qui veram Chriſti carnem negant. S. Hilarius lib. 8. de Trinit. ex eodem probat ſubſtantialem Filii Dei generationem, & ex ipſa reali, ſeu naturali (ut vocat) conjunctione noſtri cum Chriſto, in eodem Sacramento, probat circumínceſſionem divinarum perſonarum inter ſe: ait enim; *Eos nunc, qui inter Patrem, & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per naturæ unitatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum carnem cibò Dominicò ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ tam inſeparabilem ſibi natus homo aſſumpſit?* Et poſt plura in hanc rem per opportuna, ſic habet: *Quæ ſcripta ſunt, legamus, & quæ legimus intelligamus, & tunc perfectâ fide officiò fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti unitate quæ diſcimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè, atque impiè diſcimus. Ipſe enim ait, Caro mea verè eſt cibus: de veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus.*

8. Quia Chriſtus in Euchariſtia adoratur.

Octavum caput, eſt eorum, qui docent, Sacramentum Euchariſtiæ propter Chriſtũ in eo exiſtentem eſſe adorandum; niſi enim Chriſtus in eo verè & realiter contineretur, non liceret panem Euchariſticum adorare; alioqui manifeſta eſſet idololatria; quippe cultus latriæ impenderetur puris creaturis; nempe pani, & vino. Porrò Euchariſtiam eſſe adorandam, apertè docent imprimis S. Gregorius Nazianzenus oratione funebri ſororis ſuæ Gorgoniæ, ubi ait illam *ad altare cum fide procubuiſſe, ipſumque, qui ſuper ipſo honoratur, cum ingenti clamore invocaſſe.* S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12. Itaque, *inquit*, per ſcabellum terra intelligatur; per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus. *Idem docet Sanctus Auguſtinus epiſt. 120. cap. 27. ubi ait: quòd* Fideles veniunt ad menſam, manducant, & adorant. *Idem aſſerit in Pſalm. 21. Expoſit. 1. ſuper illud*, Manducaverunt, & adoraverunt, *ſed expreſſiùs, & pleniùs in Pſalm. 98. ſuper illud:* Adorate ſcabellum pedum ejus: *ubi ſcabellum terram, & ipſam terram explicat carnem Chriſti:* Quia in ipſa carne hic ambulavit (*inquit*) & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem carnem illam manducat, niſi priùs adoraverit. Inventum eſt quomodo tale ſcabellum pedum Domini, ut non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus, non adorando. *Sed omnium præclariſſimè hoc argumentum expendit S. Chryſoſtomus homil. 24. in 1. ad Cor.* Hoc corpus, *inquit*, in præſepi reveriti ſunt Magi & viri impii & barbari longò itinere confectò cum timore & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur ſaltem barbaros, nos qui cœlorum cives ſumus. Illi illi enim cùm ad præſepè, & tigurium tantùm, nec eorum quicquam, quæ nunc intueris viderent, ſummâ acceſſerunt reverentiâ & honore. Tu verò non in præſepi, ſed in Altari; non mulierem, quæ in ulnis teneat, ſed præſentem Sacerdotem, & ſpiritum ſuperabundè ſuper propoſito diffuſum ſacrificio vides. Nec ſimpliciter, ut illi, corpus intueris, ſed & ejus potentiam, & omnem cognoſcis adminiſtrationem, & nihil eorum, quæ per ipſum facta ſunt ignoras. *Et homil. 3. in epiſt. ad Epheſios:* Cogitemus ad illum ſurſum ſedentem, qui ab Angelis adoratur, hunc deguſtemus: conſidera, quæſo, menſa regalis eſt appoſita, Angeli menſæ miniſtrantes, ipſe Rex adeſt, & tu aſtas oſcitans? Igitur adora, & communica.

Nec ſolùm homines, ſed etiam Angelos Chriſtum in hoc Sacramento adorare, diſertè docet variis in locis, præſertim lib. 6. de Sacerdotio, ubi hæc ſcribit: Per id tempus (*quò nimirum Sacerdos ſacrificium offert*) & Angeli Sacerdoti aſſident, & cœleſtium poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt: id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo ſacrificio, quod tunc peragitur. Ego verò & commemorantem quendam audivi, cùm diceret ſenem quendam, viſum admirabilem, ac cui revelationum myſteria multa divinitus fuiſſent detecta ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum à Deo fuiſſe: ac per illud quidem tempus repentè Angelorum multitudinem conſpexiſſe (quatenus aſpectus humanus ferri poterat) fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circundantium: denique ſic capite inclinatorum, ut ſiquis milites præſente Rege ſtantes videat. Nota. *Et homil. 3. contra Anomæos verſus finem:* Tempore illò (*inquit*) non ſolùm homines clamorem illum tremendum reddunt, ſed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant: habent ſibi tempus ad id idoneum, habent ſacram illam oblationem in favore. Itaque ut homines ramos olearum gerentes, movere Reges conſueverunt, eoque arboris genere, miſericordiam commemorant, & humanitatem; ſic Angeli tunc pro ramis oleaginis, corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant: Pro his, Domine, rogamus, quos tu adeo dilexiſti, ut pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares: Pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum elargitus es ſanguinem: Pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti. *Similia docet S. Gregorius lib. 4. dial. cap. 58. his verbis:* Quis fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jeſu Chriſti myſterio, Angelorum choros adeſſe, ſumma imis ſociari, terrena cœleſtibus jungi, unum quoque ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri?

Nec ſolùm Angelos ſponte adorare Chriſtum poſitum in altari, ſed etiam dæmones cogi illum adorare, tradit S. Chryſoſtomus hom. citatâ contra Anomæos: *Agitatos*, inquit, *Diaconus tempore illò adducit, & jubet capita tantùm inclinare, atque illò corporis geſtu ſupplicare.*

9. Quia in Euchariſtia fit converſio panis & vini in corpus

Tandem hæc veritas evidentiſſimè probatur ex miranda converſione ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti per verba conſecrationis; quæ utique ſtupenda converſio ſignifica-

pus & sanguinem Christi.

tur in omnibus Liturgiis Ecclesiæ tam Occidentalis, quàm Orientalis. Etenim in Missa Latina de pane & vino propositis in altari, sic precatur Sacerdos: Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam adscriptam, ratam, rationabilē, acceptabilēque facere digneris, ut nobis fiat corpus & sanguis dilectissimi filii tui D. nostri Jesu Christi. *Liturgia S. Iacobi seu Hierosolymitana Ecclesiæ:* Rogamus ut Spiritus sanctus adveniens, sancta; bona: & gloriosâ suâ præsentiâ sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui, ut sit omnibus ex his sumentibus in remissionem peccatorum. *Liturgia Æthiopica:* Benedic, sanctifica, munda, & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in sanguinem tuum pretiosum. *Liturgia S Basilii:* Effice panem istum, corpus gloriosum Domini oostri Jesu Christi. *Liturgia S. Chrysostomi:* Emitte Spiritum tuum super nos, & super proposita dona hæc: Et fac panem quidem hunc, pretiosum corpus Christi tui, & quod est in calice illo, pretiosum sanguinem Christi filii tui, transmutans Spiritu sanctô tuô. Unde egregiè Proclus Constantinopolitanus Episcopus, reddens rationem, cur in veteribus Liturgiis à S. Basilio in compendium redactis, tot orationes ipsum ordinem agendi, sive consecrationem antecedant ait: Per has preces adventum Spiritûs sancti expectabant, ut ejus divinâ præsentiâ propositum in sacrificium panem & vinum aquæ permixtum, ipsum illud corpus & sanguinem Servatoris nostri Jesu Christi efficiat.

Præter Liturgias verò, ubi, quod à Deo postulatur, beneficium absque ambage ulla proponi necesse est, veteres illi Magistri, qui recèns tinctos fideles docebant; quid de hoc mysterio ipsis credendum esset, apertè traduor, panem videlicet fieri verum corpus Christi, ex vi verborum ab ipso Domino semel prolatorum. Et ut illius potentiam in mutaoda paois natura demonstrent, accersunt varia exempla è Scripturis petita; ex quibus discant fideles, Dei potestati subjici naturas, ut eas ex nihilo condat, vel semel productas, in alias naturas convertat.

S. Cyrilli locus insignis est in Catechesi 4. Myst. Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane; Hoc est corpus meum, quis deincepa audeat dubitare? Ac eôdem quoque confirmante, & dicente; Hic est sanguis meus: quis, inquam, dubitet; & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ, solâ voluntate: Et non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas invitatus, stupendum miraculum operatus est, & non multò magis corpus, & sanguinem suum filiis sponsæ dedisse illum confitebimur? Quare cum omni certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, ut sumptô corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis σύσσωμος ϗ σύναιμος. Christophori erimus, cùm ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, ut B. Petrus dicit, divinæ consortes naturæ efficiemur; &c. Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi; & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.

Elegantissima est in hanc sententiam Gregorii Nysseni oratio Catechetica in caput 37. Ubi postquam docuisset, alimentum hominis præcipuum in pane, & vino aquâ temperato consistere, quod in aliti substantiam vertitur, subjunxit Christum D. quando versabatur in terris, pane vitam suam fovisse: qui semel comesus viribus naturæ in corporis Christi substantiam transibat: quod quidem corpus ob conjunctionem cum Verbo ad divinam dignitatem evectum erat. Quæ autem fiebat naturæ viribus panis transmutatio in corpus Christi cum Verbo divino unitum, nunc fieri ostendit, in Eucharistia verbis Christi: Rectè ergo nunc quoque, *inquit*, Dei verbo sanctificatum panem, in Dei Verbi corpus credo transmutare. *Mox:* Igitur unde in illo corpore transmutatus panis transivit in divinam virtutem, per idem nunc fit similiter. Nam & illic Verbi gratia sanctum fecit corpus, cui ex pane erat substantia, & quôdam modô ipsum quoque erat panis: Et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per Verbum Dei & orationem, non per cibum, & potum procedens ad corpus Verbi, sed à verbo, quemadmodum dictum est, transmutatum; nempe, corpus meum.

Ipsis concinit S. Chrysostomus homil. de proditione Judæ, ubi scribit: Et nunc ille præsto est Christus, qui illam ornavit mensam, istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit & sanguinem: sed ille qui crucifixus est pro nobis Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratiâ: Hoc est, ait, Corpus meum. Hôc verbô proposita consecrantur, & sicut illa vox quæ dicit, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante naturâ: Ita vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum, præstat sacrificiis firmitatem.

In idem conspirat S. Cyrillus Alexandrinus, qui epist. ad Calosyrium ita scribit: *Non dubites an hoc verum sit, eô manifestè dicente: Hoc est corpus meum: Sed potius suscipe verba Salvatoris in fide; cùm enim sit veritas, non mentitur.* Mox docet, carnem humanam, quam Verbum assumpsit, sibique propriam fecit, vivificandi vim ex Verbo sibi unito trahere. Et cùm eadem caro sit in Eucharistia, non recedere vivificandi vim à reliquiis ejus, quæ in diem sequentem supersunt; quoniam Christi corpus non mutatur. His deinde verbis concludit: Decebat ergo eum nostris quodammodò uniri corporibus per sacram ejus carnem, ac pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictione vivificata in pane & vino. Ne enim horreremus carnem & sanguinem apposita sacris Altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ quasi quoddam semen vivificativum inveniatur in nobis. Unde subdit; Hoc facite in meam commemorationem.

Accedit tamen illius ætate posterior, sed eruditione, & nominis famâ insignis Joannes Damascenus, qui fusè docet lib. 4. Orth. fidei cap. 14. Quemadmodum Dei verbô efficaci orbis universus conditus est, sic ex pane corpus Christi,

& ex vino, & aqua sanguinem ejus fieri. *Mox addit:* Quô tandem modô mihi fiet istud, aiebat sancta Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Archangelus Gabriel: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis Christi, & vinum cum aqua conjunctum sanguis Christi fiat? Tibi item respondeo: Spiritus sanctus supervenit, æque efficit, quæ orationis facultatem & mentis intelligentiam excedunt. *Mox:* Quoniam ita fert hominum usus, ac consuetudo, ut panem edant, vinumque & aquam bibant, idcirco Divinitatem suam cum ipsis conjunxit, eaque corpus & sanguinem suum fecit, ut per usitata naturæque consentanea, ad ea, quæ supra naturam sunt, assurgamus. Sanè corpus Divinitati verè unitum, est illud corpus, quod ex sancta Virgine ortum est; non quòd assumptum illud corpus ex cœlo descenderit; sed quia panis ipse, & vinum in corpus & sanguinem Dei immutantur. *Mox:* Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in comedentes & bibentes corpus & sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque a priore ipsius corpore diversum: sic propositionis panis, ac vinum, & aqua per sancti Spiritûs invocationem, & adventum mirabili modô, in Christi corpus & sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum & idem.

Eadem sententiam tuentur ac propugnant Latini Patres: at omnium luculentissimè miram hanc conversionem celebrat, ac commendat S. Ambrosius lib. de initiandis cap. 9. ubi sic scribit: Quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus, non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit: majorem vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictionibus etiam natura ipsa mutatur. Virgam, tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertit. Vides igitur propheticâ gratiâ bis mutatam esse naturam, & serpentis & virgæ. Et productis in medium variis conversionum, & transsubstantiationum divinitus effectarum exemplis, subdit: Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam, quàm naturam, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum illud, quod accipis, Christi sermone conficitur..... Incarnationis exemplô astruamus mysterii veritatem. Nunquid naturæ usus præcessit, cùm Dominus Jesus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mista fœmina generare consuevit: Liquet ergo, quòd præter naturæ ordinem Virgo generavit; & hoc, quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: verè ergo illius carnis Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium species vocatur; post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum: ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur, & tu dicis panem, hoc est, verum est. Verbis illis non solùm sententiam Catholicam exposuit Ambrosius apertissimè, sed invictissimè illam hæreticorum Sophismatis præfocatis confirmavit.

Quod omnium præclarissimè declarat S. Ambrosius.

Idem præstitit *lib. 4. de Sacramentis cap. 5.* his verbis: Antequam ergo consecretur panis, panis est, ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Et ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte, quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde Dominus Jesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus ac sanguinem; nunquid debemus de ejus fide, ac testificatione dubitare? Magnum quidpiam & venerabile, quòd Manna Judæis pluit è cœlo; sed intellige, quid est amplius, manna de cœlo, an corpus Christi? Corpus Christi utique, qui author est cœli. Quid clarius dici potuit, quàm illud, quod ante consecrationem panis est, consecratione fieri, & esse corpus Christi, & vinum fieri sanguinem, qui plebem redemit, & hanc conversionem esse miraculum omnipotentiæ Dei, & aliô modô Eucharistiam esse corpus Christi, quàm manna, quæ tamen signum erat corporis Salvatoris.

Sed & capite 4. antecedente, omne Calvinistarum effugium præcluserat S. Ambrosius, his verbis: Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi....... Quomodo potest qui panis est, esse corpus Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu; nam reliqua omnia quæ dicuntur, laudem Deo deferunt: Oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur Christi sermonibus. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is, quô facta sunt omnia. Jussit Dominus, & factum est cœlum. Jussit Dominus, & facta est terra. Jussit Dominus, & facta sunt maria. Jussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo, quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant; quantò magis operatorius est, ut quæ erant in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quòd jam corpus est Christi. Observa, de pane fit Christi caro sermonibus Christi, qui sermo est is, quô facta sunt omnia. Verbis illis quid luculentius, & unà efficacius?

Respondent hæretici. S. Ambrosium dicere, post consecrationem corpus Christi significari, qui modus loquendi innuit solam figuram.

Contrà, primò. S. Ambrosius hoc assumit in exemplum mutationis substantialis: *Secundè*, comparat corpus Christi in Eucharistiæ sacramento, cum ipso Incarnationis mysterio: ergo quemadmodum realiter, verè, ac propriè Incarnationis mysterium peractum est; ita etiam corpus Christi realiter existit in Eucharistiæ sacramento: *Tertiè*, docet, quòd quemadmodum præter naturæ ordinem Virgo concepit, ac genuit Christum; ita præter naturæ ordinem idem corpus, quod est ex Virgine, habetur in Eucharistia:

Quartò, eôdem modô post consectationem corpus Christi significatut, qoô ante conseerationem species oominatur: atqui ante consecrationem species & est, & nominatut: igitur post conseerationem corpus Chtisti & est, & significatur; hîc enim vox *significatur*, idem est ac nominatur. *Lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & 5.* eandem habet doctrinam.

Verùm tespondent hæretici, post eonsecrationem est corpos Christi sacramentaliter & virtualiter, non autem veiè, substantialiter ac propriè.

Contrà, vetba S. Ambtosii distinctè inferunt tealem cotporis Christi præsentiam: *Panis*, inquit, *iste, panis est ante verba Sacramentorum, abi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et infrà: *Quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi? Consecratione: consecratio igitur quibus verbis, & cajus sermonibus? Domini Iesu, &c.* Capite sequenti: *Antequam consecretur, panis est, ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est Christi: ante verba Christi calix est vini & aqua, ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit: ergo videte quantis generibus poteat est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus, & sanguinem: nunquid debemus de ejus fide, & testificatione dubitare? Magnum quiddam & venerabile, quod manna Iudæis pluit è cælo; sed intellige, quid est amplius manna de cælo, an corpus Christi?* Ex quibus sic argumentor: Dicitur post consecrationem eorpus & sanguis Christi: dicitur, quòd sanguis efficitur Christi, qoi plebem redemit: dieitur fieri per conversionem ab omnipotentia Dei: Dicitur denique aliô modô corpus Christi esse io Eucharistia, quàm io manna: arqoi in manna erat significativè, & Sacramentaliter corpus Christi, cujus scilicet erat figura: sanguis, qui plebem redemit, est verus ac proprius sanguis Christi: denique figurativa repræsentatio non est ab omnipotentia Dei: ergo ex mente S. Ambrosii non tantùm figurativè, & Sacramentaliter; sed tealiter & propriè existit corpus Christi in Eucharistia.

Instabit: S. Ambrosius comparat motationem, quæ fit per consecrationem, illi mutationi, quæ fit per Baptismom, per quam scilicet homo ex veteri mutatur in novam creaturam: atqui hæc mutatio est tantùm accidentalis: ergo, &c. Deinde utitur nomine similitudinis, quasi panis & vinum sint tantùm similitudo & figura corporis & sanguinis Christi.

Respondeo ad primum, comparationem in eo taotùm esse, quòd qoemadmodum in Baptismo ex veteri fit nova creatura, per operatorium Christi sermonem; ita in confectione Eucharistiæ de pane fit eorpos Christi: quæ verba non exeludunt realem præsentiam: addocit enim exempla physicarum motationum. Itaque vult operatorium Christi sermonem omnia transmutare suô modô, alia seilicet substantialiter, ut fit in Eucharistia: alia aotem accidentatiò, ut fit in Baptismate.

Respondeo ad secundum, verba Authoris perspicua satis esse, ut non tantùm similitudinem ac figuram, sed etiam substantialem corporis Christi præsentiam importent; quamvis, ne ctuoris horror deterreat, obvoloatur specie panis.

Proferuntur hæreticorum momenta contra libros de sacramentis S. Ambrosii.

Respondent secundò, libros de Sacramentis falsò attribui S. Ambrosio. *Probant primò*, quia stylus diversus est à stylo S. Ambrosii; est eoim submissus, rudis ac barbarus, ut constat ex libri primi cap. 3. & 5. *Secundò*, quia Author librorum istorum plures facit observationes leves, ridiculas, & indignas S. Ambrosiô; V. g. observat eap. 1. lib. 1. quòd baptizati, Ron æ fideles dicebantur: quasi verò tempore sancti Ambrosii per universum orbem oon ita cognominarentur. Cap. 5. expendens hæc verba Christi Matth. 3. *Decet nos implere omnem justitiam*, ait: *Vide, quia omnis justitia in Baptismate constituta est.* Lib. 6. cap. 3. ad hæc verba: *Clausô ostiô ora Patrem tuum: Audi*, inquit, *quòd ostium habeas, quod debeat claudere, quando oras, utinam mulieres audirent.* Cap. 4. ait, nos secretò magis orare debere, quàm cum vociferatione: quod ut probet, ridiculam hanc adducit rationem sanctô Ambrosiô indignam: *Ne aliter putetur Deus, non nisi clamorem audire.* Nonoulla affert repugnantia, & contradictoria, v. g. lib. 3. cap. 3. profitetur se in omnibus sequi Ecclesiam Romanam, à cujus tamen ritibus & cæremoniis Ecclesia Mediolanensis discrepabat: ipse etiam Author liberè recedit. Denique falsa profert, v. g. lib. 5. cap. 4. exponens otationem Dominicam, legensque, *ne patiaris induci nos in tentationem*, subjungit: *Non dicit, non inducas in tentationem*, & tamen constat ex Evangelistis, Christum dixisse, *Ne nos inducat. Tertiò*, Author iste utitur versione aliâ, ab ea quâ S. Ambrosius usus est. *Quartò*, quia prædictus Author ludit allegoriis. *Quintò*, denique, quia libri de Sacramentis ideo habent argumentum, quod liber de initiandis.

Contrà primò, consensus omnium Editionom bos libros S. Ambrosio tribuit: *Secundò*, eodices manoscripti omnes consentiunt: *Tertiò*, sub nomine sancti Ambrosii citantur libri illi de Sacramentis à Magistro sententiarum Gratiano, Algero, Guitmundo, Ivone Carnotensi, Lanfranco, Durando Troalnensi, Hugone Lingonensi, Deoduino Leodiensi, Berengario apud Lanfrancum, Rattamo, & Paschasio, id est, ab octo & amplius sæculis. Unde patet quàm falsò asserat Rivetus libros istos non citari à priscis Authoribus ante Lanfrancum. Taceo qoòd teste S. Augustinô lib. 2. tetract. cap. 4. beatus Ambrosius scripsit librum de Sacramentis; nam ibi Sacramentorum nomine intelligit mysteria fidei, (ut patebit legenti.) Denique quia oullios est momenti, quod nobis ab hæreticis objicitur.

Sed diluuntur.

Primum quidem petitum ex styli diversitate: nam, ut observat sanctus Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana cap. 21. ubi agitur de fidei dogmatibus, sanctus Ambrosius utitur submissô dicendi genere: affert ibidem exempla, quæ legi possunt: at in libris de Sacramentis Author dat documenta fidei, qualia passim in ejus sermonibus ad populum reperiontur. *Observa* libros istos de Sacrameotis pro concione ad populum habitos fuisse, ut constat ex sermonibus 2. 4. 5. 34. in quo etiam hæc habet: *Solent*, inquit, *dicere, non possumus laborare & jejunare; sed ideo non possunt, quia nolunt*; saltem laborent minùs, ut jejunare possint moneo, ea propter & contestor vos in Domino, ut nullus vestrum, nisi fortè sit infirmus, aut infans usque ad Pascha, nisi in Dominicis diebus aote Nonam manducet, aut bibat: moneo etiam, ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam, & qui potest omnino nocte ad matutinum Officium veniat. *Observa* denique ex iis sermonibos duntaxat controversiam esse an trigesimus quartus sit S. Ambrosii. Videtur non esse

esse illius, quia suô tempore servabatur mos Græcorum de non jejunando die Sabbati: at in eo sermone reprehenditur Quinquagesima quam loeô Quadragesimæ aliqui introduxerunt; addemus unam hebdomadam, ut detractis Sabbatis, & Dominicis, quibus non jejunabatur, idem dierum numerus rediret.

Respondeo ad secundum. Primò non habetur, quòd Romæ fideles dicuntur, qui baptizati sunt: id, inquam, non habetur in variis Editionibus, Parisiensi anni 1614. Coloniensi anni 1616. neque in multis codicibus manuscriptis; sed habetur simpliciter; *ideo rectè Fideles dicuntur, qui baptizati sunt.* Habetur quidem Romæ in codice manuscripto Bibliothecæ S. Michaëlis *in periculo maris*, sed facilè oculis ipsis deprehenditur vocem istam locô alterius suppositam fuisse. Ex codicibus manuscriptis & impressis, qui hanc vocem habent, Romæ, alii præmittunt particulam copulativam*(&)* & alii omittunt; credibile est in quibusdam repertas fuisse duas istas litteras *(Re)* unde factum est, ut aliqui legerint Romæ, cùm legere debuissent rectè. Nec obstat, quòd scribatur per*(æ)*nam in veteribus manuscriptis una ex iis litteris indiscriminatim scribitur pro alia.

Secundum caput hujus objectionis verissimum est, omnem scilicet justitiam in Baptismo constitutam esse; nec indignum est, nec contra mentem S. Ambrosii, si Catholicô sensu propositio, ut debet, intelligatur scilicet pro plena remissione peccatorum. Tertio cap. sanctus Ambrosius conformiter ad Evangelium rectè docet, intrandum esse in cubiculum, hoc est, secretò orandum esse, ut vana gloria atque jactantia fugiatur: nisi velis S. Ambrosium reprehendere promiscuas vociferationes virorum ac mulierum, quales sint in templis nostrorum hæreticorum. Ubi de lotione pedum sermo est, nulla barbaries, sed submissum dicendi genus continetur. Nihil etiam falsi in eo quòd dicit Author se in omnibus sequi Ecclesiam Romanam; quamvis tunc Mediolanensis in pluribus discreparet: illa enim convenientia vel intelligenda est moraliter, hoc est in pluribus; vel in his quæ spectant ad fidem. Audiatur S. Ambrosius lib. 7. Epistolarum epist. 4. *De Ecclesia,* inquit, *Romana in omnes veneranda Communionis jura dimanant.* Item epist. 7. *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & servat.* Epist. 9. quæ est ad Theophilum Alexandrinum, cui contentio de Episcopatu Antiocheno Flavianum inter & Evagrium à Capuana Synodo commissa erat: Theophilo quærenti quid esset agendum, respondit S. Ambrosius. *Referendum arbitramur ad S. Fratrem nostrum Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem; postea ut nos quoque acceptâ vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum ejusmodi examinis adipiscamur.* Ecce quomodo S. Ambrosius in omnibus sequebatur typum & formam Ecclesiæ Romanæ; cum quo tamen bene stat quòd in jejunio Sabbati, vel in aliis privatis ritibus Ecclesia Mediolanensis discreparet.

Denique, falsi Author reprehendi non potest, propterea quòd scripserit, Christum non dixisse, *ut nos inducas,* sed, *ne patiaris nos induci in tentationem*; id enim facilè solvitur ex S. Augustino lib. de dono perseverantiæ cap. 6. ubi distinguit tentationem duplicem, aliam utilem, aliam verò noxiam: *Deus,* inquit, *neminem tentat, tentatione scilicet noxiâ*; nam est utilis, quâ

A non decipimur, vel opprimimur, sed probamur, secundùm quod dictum est: *Proba me Domine.* Secundâ ergo illâ noxiâ tentatione, quam significat Apostolus, dicens: *Ne fortè tentaverit vos, qui tentat, & inanis fit labor vester: Deus, ut dixit, neminem tentat, hoc est, nemini vim infert, vel inducit in tentationem: nam tentari, & in tentationem non inferri, non est malum; imò etiam bonum, &c.*

Tertium caput objectionis petitum ex diversitate versionum, non magis urget; nam eâ operum S. Ambrosii lectione satis constat, illum B non semper iisdem terminis, eosdem Scripturæ locos citasse.

Quartum non est validius; quia certum est S. Ambrosium sæpe sæpiùs Origenem imitari in adducendis allegoriis. *Denique* leve est quod quintô & ult. locô adducitur, quia non rarò SS. Patres de eodem argumento tum diverso tempore, tum diversis libris disseruisse, constat ex libris S. Augustini de Symbolo ad Catechumenos; tum maximè quia libri de Sacramentis longè tutiores, pluraque continent, quàm libri de initiandis.

L. Quo sensu SS. Patres appellârint Eucharistiã figurã corporis Christi.

Objiciunt hæretici primò, aliquos Patres Græcos, qui panem & vinum etiam post consecrationem appellant *signum, figuram, symbolum, antitypa, memoriale, & repræsentationem corporis, & sanC guinis Christi.* Sic præcipuè *S. Gregorius Nazianz.* orat. funebri de S. Gorgonia sua sorore, & *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 5. quibus concordant plurimi Latini Patres, maximè Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum,* inquit, *panem, & distributum Discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, id est figura corporis mei.* Similiter sanctus Augustinus contra Adimantum Manichæum, *cap.* 10. sic ait: *Non enim dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.* Et in Psal. 3. *Iudam adhibuit ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram Discipulis commendavit, & tradidit.*

Respondeo primò, quòd dum Patres EuchariD stiam appellant signum, figuram, vel symbolum corporis Christi, non intendunt negare realem ipsius Domini corporis in Eucharistia præsentiam; duplex enim est figura; una, quæ rem absentem repræsentat; alia verò, quæ rem præsentem exhibet. Sic ad Hebr. 1. Christus dicitur, *figura substantiæ Patris,* & ad Coloss. 1. *Imago Dei,* & ad Philipp. 2. dicitur *ad similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo:* at hæc ratio figuræ non removet ab eo consubstantialitatem cum Patre; nec ratio similitudinis negat in eo veram humanitatem. Igitur quemadmodum Apollinaristæ perperam negabant ex præE fato Pauli ad Philipp. oraculo, veram & realem in Christo esse humanitatem & carnem; pari ratione totô cœlô à veritate Catholica aberrant Calvinistæ, dum colligunt, Christi corpus non esse realiter in Eucharistia, ex eo quòd aliqui ex SS. Patribus ipsam Christi corporis figuram appellent. Nam, ut egregiè ait Algerus; *Sicut res antiquæ legis, erant figura sine veritate; res alterius vitæ, veritas sine figura; ita res præsentis status sunt figura & veritas.* Porrò Eucharistia dicitur figura, tum ratione symbolorum externorum, sub quibus Christi corpus & sanguis obvelantur; tum ratione gratiæ invisibilis, quam Christi corpus etiam secundùm veritatem significat & efficit: tum ratione ejusdem Christi olim in terra existentis, & patientis, nec-non & jam in cœlo visibiliter triumphantis.

Non omnis figura rei veritatem excludit.

Respondeo secundò ad authoritatem Tertulliani & S. Augustini, quibus maximè adversarii niti videntur: *Primò* quidem Tertulliani textum & phrasim cum distributione accommoda esse accipiendam; vox enim *figura*, non applicatur corpori, sed particulæ *hoc*, quæ ex mente Tertulliani supponit pro pane, itaut sensus sit: Christus acceptum panem, qui erat figura corporis sui, corpus suum fecit dicendo: Hoc, id est, figura corporis mei, est corpus meum. Unde Tertullianus transpositione usus est, ne ordinē verborum Christi D. interpositione particulæ *hoc* interrumperet. Sicut *lib. contra Praxeam, cap.* 29. explicans quâ ratione Christus, cùm sit Deus, potuerit mori, illud Apostoli 1. *Cor.* 15. refert: *Quoniam Christus mortuus est*, atque: *Dicendo, Christus mortuus est, id est, unctus; id quod unctum est, mortuum ostendit, id est, carnem.* Ubi particulam, *id est unctus*, immediatè post ly *Christus* non subjecit, ne verborum Apostoli series interrumperetur.

LI. Quâ mente Tertullianus dixerit Eucharistiā esse figurā corporis Christi.

Porrò quòd ea sit mens Tertulliani, perspicuum fiet consideranti Marcionem duplici potissimùm errore laborasse, nam & Christo spectrum, & figuram corporis affinxit, & legem veterem à malo Deo mundi hujus opifice conditam, à Christo tandem abolitam fuisse somniavit: & hôc librô suô antithesеon legis & Evangelii suadere conatus est. Priorem errorem hujus libri confutavit Tertullianus; posteriorem quartô librô adoritur, probans non venisse Christum, ut legem solveret, sed adimpleret, exhibereretque Servator in novo Testamento eorum veritatem, quorum figuræ in veteri habebantur. Hôc præmissô audiamus Tertullianum: Professus itaque, *inquit*, se concupiscentiâ concupisse edere Pascha, ut suum (indignum enim, ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributū Discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei: figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate: ergo debuit panem tradere pro nobis. Faciebat ad veritatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis locô habuit? non intelligimus veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam: Adversus me cogitaverunt cogitatum, dicentes: Venite mittamus lignum in panem ejus (scilicet crucem in corpus ejus.) Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem: Sic & in Calicis mentione Testamentum constituens, sanguine suô obsignatum substantiam corporis confirmavit; nullius enim sanguis esse potest, nisi carnis: nam etsi quæ corporis qualitas non carnea, opponetur nobis, certè sanguinem, nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis. Ut autem & sanguinis veteres figuram in vino recognoscas, aderit Esaias: *Quis*, inquit, *qui advenit ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor, sed decorus in stola violenta cum fortitudine? Quare rubra vestimenta tua, & indumenta, sicut de foro torcularis pleno conculcato?*..... Multò manifestiùs in benedictione Judæ, ex cujus Tribu carnis census Christi processurus, jam tunc Christum in Judæa delineabat: *Lavabit*, inquit, *in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum*; stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem; ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguinem figuravit.

Quibus verbis Tertullianus colligit veritatem carnis & sanguinis Christi, ex eo quòd utrumque figurarum fuit in veteri lege per panem & vinum. Unde sic ratiocinatur: Panis & vinum, quæ erant corporis & sanguinis Christi figuræ legales, verbis suis fecit verum corpus suum, & sanguinem in Eucharistia: at figura non est nisi alicujus veritatis: igitur Christus habuit verum corpus, verúmque sanguinem. Nullum autem foret hujusmodi Tertulliani argumentum, si panis & vinum in Eucharistia essent duntaxat figura corporis & sanguinis Christi; inde enim foret consequens, quòd panis & vinum in veteri lege fuissent figuræ, non veri corporis, sed duntaxat illius umbræ, & imaginis: igitur tantùm abest, ut Tertullianus patrocinetur hæreticorum errori; imò disertè ac luculenter veritatem Catholicam astruit & confirmat, quippe ex veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, apertè colligit, Christum habuisse verum corpus, verumque sanguinem. Unde etiam subdit; Panis & calicis Sacramentô jam in Evangelio probavimus corporis & sanguinis Dominici veritatem adversus phantasma Marcionis.

LII. Expenditur mens S. Augustini appellantis Eucharistiam figuram corporis Christi.

Ad S. Augustinum respondeo, cum Contensone, ipsum priori locô arguere ad hominem Adimantum, qui cùm esset Manichæorum hæresi infectus, non solùm cum aliis Sectariis existimabat, Eucharistiam non consecratione, sed naturâ suâ esse signum corporis Christi; non quidem veri, sed duntaxat apparentis, quod secundùm simulatam speciem corporis passum fuerat in cruce, ut observat sanctus Augustinus hæresi 36. Sed præter illum Christum in phantasmate, sub Pontio Pilato crucifixum, duplicem adhuc Christum delirantes Manichæi fingebant, alium, quem terra concipiens patibilem gignit, ut observat ipse S. Augustinus libri de fide contra Manichæos, cap. 34. *Dicitis magnô errore, sed tamen dicitis, Christum quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori. Numquid fortè in eis, qui credunt, & pro nomine ipsius tribulationes mortemque patiuntur? Non, inquiunt, sed in cucurbitis, & in poris, & in portulaca, & in cæteris hujusmodi rebus, magna ridicula, magna cæcitas: superiùs Passionibus dæmonum, hic passionibus olerum homines liberantur à peccatis.* Alium verò Christum impassibilem admittebant, per Solem, Lunamque distinctum, ut ait idem Augustinus. Porrò corpus Christi patibilis (quod erat quilibet fructus, & olus, ac proinde panis) secundùm Manichæos, erat tantùm signum corporis phantastici, in quo impassibilis Christus simulatè passus & mortuus est. Etenim panis non fiebat consecratione corpus Christi patibilis, cùm esset corpus Christi patibilis naturâ suâ: non fiebat etiam verum Christi impassibilis corpus; alioquin Christus impassibilis, in pane passibilis evasisset; nam in ejusmodi escis Christus, secundùm Manichæos, quotidie patiebatur, quotidie moriebatur. Unde juxta Manichæos, panis erat tantùm figura corporis phantastici Christi in cruce passi. Quare S. Augustinus juxta principia Manichæorum locutus est, cùm dixit: *Non dubitavit Dominus dicere; Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.* Id est, non dubitavit Dominus dicere; Hoc est corpus meum, cùm illud daret, quod secundùm vos est tantùm

signum corporis sui. Locô enim illô contra Adimantum responder hæretico illi vetus Testamentum calumnianti ex eo, quòd Deuter. 12. cavetur, ne sanguis animalis comedatur, *sanguis enim eorum pro anima est*, nec debet comedi anima cum carnibus. Hoc autem testimonium impugnabat Adimantus, quia in novo Testamento Dominus dicit, non esse timendos eos, qui occidunt corpus, animæ autem nocere non possunt; quæ duo, inquiebat, pugnantia sunt, si anima sit sanguis, isti enim homines nocere possunt: Cui objectioni respondet S. Augustinus, *primò* in Deuteronomio sermonem esse de anima brutorum, in Evangelio de anima hominum: nullibi enim veteris Testamenti scriptum est, animam humanam esse sanguinem. *Secundò* respondet, illud præceptum in signo positum esse, hoc est, sanguinem appellari animam, non quòd sit anima propriè, sed quia est signum animæ. In hujus autem responsionis confirmationem addit, quòd Dominus non dubitavit dicere corpus suum, cùm illud daret secundùm vos, ô Manichæi, esse tantùm signum corporis sui: ergo sanguis, qui est signum animæ, potuit anima appellari. Postquam verò ex Manichæis ipsis ostendit figuram nomine rei, cujus est figura, nuncupari; illud ipsum confirmat, quia in veteri lege omnia erant figuris plena: utiturque exemplô petræ, quæ Christus dicitur figurativè, non solùm ex adversariorum, sed ex propria etiam sententia. Ita appositè Contensonus ex Perronio, Bellarmino & aliis.

LIII. *Solvitur posterior illius authoritas.*

Ad alteram authoritatem sancti Augustini depromptam ex Psal. 3. *Respondeo*, eam non esse intelligendam *de figura quadam inani*, & merè duntaxat repræsentativa corporis & sanguinis absentis: sed *de figura* & speciebus Sacramentalibus, quæ continent, & demonstrant ipsummet corpus verè præsens cum sanguine; quemadmodum figura corporis naturalis, est verè demonstrativa ejusdem corporis, cujus est figura. Id tamen interest, quòd hæc sit corpori naturali propria, eique inhærens & adhærens; illa verò nec inhæreat, nec adhæreat corpori & sanguini Domini: sed modô existendi prorsus miraculosô, verè contineat & designet corpus & sanguinem Domini sub aliena specie occultatum.

Confirmatur hæc responsio: quia cùm Christus *faceret Pascha cum Discipulis suis*, & tum agno Paschali, tum aliis consimilibus figuris finem imponeret, non instituebat novas, ac imperfectiores (quandoquidem nudæ panis & vini figuræ longè imperfectiùs significarent corpus & sanguinem, vel etiam Passionem, aut mortem Christi, quàm *agnus Paschalis*) sed substituebat multò perfectiores, quæ nimirum continerent, & designarent ipsum verum corpus, & ipsum verum sanguinem: Nam sic aiebat: *Accipite & comedite, Hoc est enim corpus meum: Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quòd si *novi Testamenti*: ergo & *terminativi* (ut ita loquar) figurarum antiqui Testamenti.

Addo à S. Doctore Augustino, *mirandam prædicari patientiam Christi, qui Iudam adhibuit ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram tradidit.* Si enim solam, meram, nudam, & quodammodò inanem figuram tradidisset, non adeo miranda foret patientia Christi D. Sed in hoc maximè elucebat, quòd perfidissimo proditori simul cum figura corpus & sanguinem suum porrigeret; prout idem S. Augustinus clariùs expressiúsque aperit, & semetipsum explicat in Psalm. 10. dum ait: *Christus traditorem suum tantâ patientiâ pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suô commendatam; sicut cæteris Apostolis traderet:* Vocat primam hostiam confectam manibus Christi, id est, ipsius potentiâ consecratam; neque enim ipse panem conferebat.

LIV. *Quare dixerit Christum fide manducari.*

Vrgent: S. Augustinus apertè docet, corpus Christi in Eucharistia solummodò fide percipi: ignur non censet ibi verè, ac substantialiter sub speciebus delitescere. Probant antecedens ex tract. 25. in Joan. *Quid paras dentem, & ventrem, crede & manducasti.* Et tract. 26. *Credere in eum, hoc est, manducare panem vivum.*

Verùm respondeo, S. Augustinum ibi loqui de manducatione Christi spirituali, quæ fiat per fidem Incarnationis, non autem de Eucharistia. Quòd autem S. Augustinus excludat modum sumendi Eucharistiam tantùm per fidem, constat ex tract. 11. in Joan. ubi expendens hæc verba: *Illi crediderant in eum, & Iesus non se credebat eis*, ait: *Tales sunt omnes Catechumeni. Ipsi jam credunt in nomine Christi, sed Iesus non se credit eis. Intendas & intelligat charitas vestra. Si dixerimus Catechumeno:* CREDIS IN CHRISTUM? *Respondet*, CREDO, *& signat se cruce Christi, portat in fronte, non erubescit de cruce Domini sui, Ecce* CREDIT *in nomine ejus. Interrogemus eum,* MANDUCAS CARNEM FILII HOMINIS, ET BIBIS EJUS SANGUINEM? *Nescit quid dicimus,* JESUS *non se credit ei.* Cernis quemadmodum Augustinus discernat *fidem à manducatione*, dum asserit Catechumenum, *credere in Christum*, negat tamen eum scire quid sit *manducare carnem filii hominis, & bibere ejus sanguinem.* Igitur mens S. Augustini non est, quòd Christi D. corpus debeat duntaxat sumi per fidem, alioqui frustrà negaret Catechumenum comedere corpus Christi, quippe cùm Christum per fidem; apprehendat. Pari ratione interpretandus est libro 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 26. *Quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum tamen est quoniam sacramentum.* Ibi enim loquitur de pane Catechumenorum, quem vocat sacramentum laxiori significatione, quia panis ille benedictus, erat signum unitatis fidei & Ecclesiæ, nec-non & symbolum Eucharistiæ, cujus vice ministrabatur.

Adde quòd vocabula illa, *Quid paras dentem & ventrem*, distinctè non inveniantur apud S. Augustinum, sed solùm colligantur ex Tract. 25. & 26. in Joan. sicut notatum reperies de consecr. dist. 2. ante capitulum: *Vt quid paras dentem & ventrem?* Notâ.

Instant iterum: Reverà S. Augustinus censuit, Christum in Eucharistia sumi tantùm per fidem, & in ea duntaxat esse significativè, seu ut in Sacramento fidei: nam epist. 3. ad Bonifacium scribit in hunc modum: *Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento non solùm per omnes Pascha solemnitates, sed omni die populis immolatur? Nec utique mentitur qui interrogatus responderit eum immolari. Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum (quarum Sacramenta sunt) non haberent, omninò Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm* QUEMDAM MODUM, *Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, & Sa-*

LV. *Quâ ratione Sacramentū corporis appelletur corpus.*

cramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est; ita Sacramentum fidei, fides est.

Respondeo cum nostro d'*Astrey*, controversiâ de Eucharistia; *Primò* his verbis, non negari à S. Augustino, imò expresse asseri, *quod Christus verè immoletur, itaut non mentiatur, qui interrogatus responderit eum immolari in Sacramento*: sed negari, quod immoletur *in seipso*, id est, *sensibiliter* & cruentè; quia immolatio illa non afficit Christum *in seipso intrinsecè*, quantomvis illic præsentissimum; sed afficit *Sacramentaliter* duntaxat, & *incruentè*, repræsentando cruentam illius immolationem olim in cruce factam, seu corpus instar occisi, ac sanguinem instar effusi, & hoc ipsum, *non solùm per omnes Pascha solemnitates, sed omni die* fit pro multis in remissionem peccatorum.

Respondeo secundò, secundùm quemdam modum, *Sacramentum corporis Christi esse corpus Christi*, nimirum in *sensu causali*, id est per *modum* causæ moralis verè & realiter continentis suum figuratum, & saltem moraliter causantis, ac conservantis veram, & realem illius præsentiam: quemadmodum *fidei Sacramentum*, (hoc est, Baptismus) *fides est*; non solummodò significativè, sed etiam causaliter & efficaciter, tanquam signum causativum, & demonstrativum sui effectûs præsentis in fieri. Nam, ut ait S. Doctor lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 9. *Christus, in quo omnes vivificabuntur, præter quàm quòd se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit; dat etiam sui Spiritûs occultissimam fidelibus gratiam, quam* LATANTER INFUNDIT ET PARVULIS. Ex hac igitur comparatione Sacramenti fidei, seu Baptismi, cum Sacramento corporis Christi, sequitur ex mente S. Doctoris Augustini, *Sacramentum corporis esse corpus*, non nudè significativè, hoc est, ut signum duntaxat rememorans, & abstrahens ab effectu & præsentia sui significati; sed ut signum efficax præsentiæ ipsius eamque continens, & demonstrans in fieri & conservati, prout loqui solent, qui Theologiam Scholasticam tractant.

LVI. *Objiciunt secundò eundem*, S. Augustinum in Psal. 98. ubi Christum sic loquentem ad Capharnaitas inducit: *Spiritaliter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus, quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis: spiritaliter intellectum vivificabit vos, caro autem non prodest quidquam.*

Quomodo S. August. dixerit homines non manducaturos corpus Christi quod videbant.

Respondeo, S. Augustinum intelligendum esse de manducatione corporis passibilis, & bibitione sanguinis modô sensibili & cruentô, ut seipsum explicat in epistola ad Irenæum, verbis relatis de consecr. dist. 1. cap. 45. *Non hoc corpus*, inquit, *quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Ipsum quidem, & non ipsum. Ipsum invisibiliter, & non ipsum visibiliter.* Unde præfata verba eô modô sunt accipienda, quomodò ipsemet S. Augustinus explicat illud dictum Christi D. Joan. 16. *Iam non videbitis me*; ait enim tract. 95. *Quid ergo est: nisi quomodo sum, cùm vobiscum sum?* HUNC *ergo Christum*, ID AST TALEM *Christum non erant visuri*. Quòd si negandum sit *verum corpus Christi in Eucharistia*, quia dixit Augustinus: *Non* HOC CORPUS, *quod videtis, manducaturi estis*: eôdem planè modô negandus erit *verus Christus suscitatus à mortuis*, quia idem S. Augustinus dixit; HUNC CHRISTUM *non esse jam videndum*: quod quàm impium sit ac blasphemum, & à tanti Doctoris mente alienissimum, nemo non videt. Imò verò ne cui vel minimæ saltem suspicionis umbram relinqueret, cùm dixisset, *Apostolos* HUNC *Christum non visuros*, statim quô sensu id foret intelligendum, manifestissimè declaravit, cùm subdidit, ID AST TALEM. Eôdem itaque prorsus modô, quando suprà dixit: NON HOC CORPUS, *quod videtis manducaturi estis*, subintelligendum est, NON TALE *corpus quod videtis, manducaturi estis*. sic etiam S. Paulus dicebat *ad Galat.* 2. *Vivo ego, jam non ego.* Unde de eodem homine notabiliter accidentariè mutato, dicitur, non est amplius idem, qui fuerat. Hinc S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitent. cap. 10. refert, quemdam rectè dixisse, *Ego non sum ego.* Quòd autem aliud noluerit S. Augustinus eò loci, manifestè patet; siquidem ibi scripserat: *Christum suscepisse de terra terram, quia caro de terra est: & de carne Mariæ accepisse carnem: in ipsa carne hic ambulasse; & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedisse; neminem autem illam carnem manducare, nisi priùs adoraverit; & non solùm non peccari adorando, sed peccari non adorando.* Quomodo autem post hæc tam clarè, tam evidenter expressa & inculcata, S. Augustinus in eodem sermonis contextu, velut sui oblitus, veritatem corporis Christi in Eucharistia negasset, adeoque idololatriam statuisset; si enim ibi non est Christi caro, ibi non est adoranda.

Nota.

Ut autem omnes similes ex S. Augustino depromendas authoritates, facili negotiô discutias; placuit hîc attexere nonnullas observationes, quas ex doctrina sanctissimi illius Doctoris selegit *P. d'Astroy* locô suprà laudatô, *pag.* 558. *Primò* quidem monet S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 8. *Arbitror sanè*, inquit, *tardiores* (addo & præsumptiores) *in quibusdam locis librorum meorum opinaturos, me sensisse, quod non sensi; aut non sensisse quod sensi. Quorum errorem mihi tribui non debere, quis nesciat? Quandoquidem nec ipsis Sanctis divinorum librorum authoribus, ullô modô quisquam rectè tribueret tam multos & varios errores hæreticorum.*

Monet *secundò* lib. de dono perseverantiæ cap. ult. *Qui legunt, si intelligunt; agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent. Qui verò me errare existimant, etiam atque etiam, quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent.* LVII.

Monita observanda in doctrina S. Augustini.

Monet tertiò lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 18. *Non ea colligenda, & commemoranda sunt quæ obscurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta sunt: quæ quisque sicut voluerit, interpretetur secundùm sensum suum: talia enim rectè intelligi, exponique non possunt, nisi priùs ea quæ apertissimè dicta sunt, firmâ fide teneantur.*

1. Quòd aliqui ejus scripta pessimè erant interpretaturi.

Monet quartò, Sacramenti mysterium propter suam summam ipsius profunditatem, non esse temerè coram Catechumenis, & Gentilibus exponendum: *Catechumenis*, inquit tract. 96. in Joan. *Sacramenta fidelium non produntur; non ideo quòd ea ferre non possunt, sed ut ab eis tantò ardentiùs concupiscantur, quantò honorabiliùs occultantur.* Idem docet in Psalm. 109. nec-non & lib. 10. de civitate cap. 26. sed evidentissimè serm. 46. de verbis Domini; *Sicut audivimus, cùm sanctum Evangelium legeretur, Dominus Iesus Christus exhortatus, est promissione vitæ æternæ, ad manducandam carnem suam, & bibendum sanguinem suum. Qui audistis hæc, nondum* OMNES INTELLEXISTIS, *qui enim* FIDELES ET BAPTISATI

2. Quòd dicta figuratè, sint ex aliis dictis explicanda.

3 Quòd mysterium Eucharistię non erat perspicuè declarandum coram Catechumenis.

estis, quid dixerit, NOSTIS. *Qui autem inter vos adhuc Catechumeni, vel audientes vocantur, potuerunt esse (cùm legeretur) audientes, nunquid & intelligentes? ergo sermo noster ad utrosque dirigitur. Qui jam manducant corpus Domini, & bibunt sanguinem ejus, cogitent quid manducent & bibant. Qui autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas invitati festinent. Per istos dies Magistri pascunt. Christus quotidie pascit, mensa ipsius est illa in medio constituta. Quid causa est, ô audientes* (Cathecumeni) *ut mensam videatis, & ad epulas non accedatis? Et fortè modò cùm Evangelium legeretur, dixistis in cordibus vestris: Putamus quid est hoc quod dicit: Caro mea verè esca est, & sanguis meus verè potus est? Quomodo manducatur caro Domini, & bibitur sanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis contra se clausit, ut hoc nescias? Velatum est, sed si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem, & solvisti quæstionem: Quid enim dixerit Dominus* JESUS *jam* FIDELES NOVERUNT.

Et Paganis.

Quòd ad Paganos seu Gentiles, seu Infideles attinet, satis patet ex *Maximi Madaurensis* idololatræ epistola, quis eorum sensus fuerit, & quàm nòn temerè ejusmodi hominibus proponenda fuerint nostræ fidei arcana. Ille enim Ethnicus sic scribit sancto Doctori Augustino: *Illud quæso, vir sapientissime, ut remotò facundiæ robore, atque explosò, quò cunctis clarus es: omissis etiam quibus pugnare solebas Chrysippeis argumentis: postpositâ paululum dialecticâ, quæ nervorum suorum luctamine nihil certè cuiquam reliquere nititur:* IPSA RE *approbes, quis sit* ISTE DEUS, *quem vos Christiani, quasi* PROPRIUM VENDICATIS, *& in* LOCIS ABDITIS PRÆSENTEM *vos videre componitis? Nos etenim Deos nostros luce palam ante oculos atque aures omnium mortalium, piis precibus adoramus, & persuaves hostias nobis propitios efficimus, & à cunctis hæc cerni, & probari contendimus.*

Similiter S. Chrysostomus homil de proditione Judæ: *Accepit panem Christus & dixit: Hoc est corpus meum: agnoscant quid loquar, qui mysteriis initiati sunt.* Theodoretus dialogo 1. *Non est consentaneum apertè loqui, nam hic fortassè aliqui sunt infideles.* Confirmatur; si enim de aliis arcanis obscurè loquendum erat ad vitandum scandalum, multò magis de Eucharistia, quæ est mysterium mysteriorum; unde etiam vocatur *mysterium fidei* in consecratione calicis.

Advertendum insuper, cum illustrissimo nostro Meurissio, quòd quotiescumque, Patres verba Sacramentalia transferunt ad spiritualem divinæ doctrinæ manducationem, non secundùm sensum literalem, sed mysticum, sunt intelligendi; qui tamen sensus mysticus cum literali non pugnat, sed potius in eo fundatur. Sic Origenes in cap. 26. Matth. *Panis iste, quem Deus corpus suum fatetur, verbum est nutritorium animarum.* Aliàs tamen, si nullus supponeretur sensus literalis, nullum relinqueretur Sacramentum Eucharistiæ.

Nota.

Sic pariter caput sextum S. Joannis nonnulli Patres metaphoricè explicant de manducatione spirituali per meditationem, per fidem, per lectionem Scripturarum, per charitatem & dilectionem. Ita S. Hieronymus in Psal. 146. S. Augustinus in tract. 25. & 26. in Joan. Quamvis itaque nonnulli Patres hoc caput sextum Joannis metaphoricè exposuerint; tamen nemo ipsorum docuit non posse aliter, quàm figuratè explicari; imò prædictus S. Hieronymus epist. 150. qu. 2. & S. Augustinus tract. 26. in Joan. interpretantur de vera manducatione reali: Unde idem Origenes homil 16. in *Numeros*, utrumque sensum conjungit, dicens: *Bibere dicimur sanguinem Christi, & ritu Sacramentorum, & cùm sermones ejus recipimus.*

LVIII. Sensus mysticus non officit litterali.

Quarta observatio: Cùm dicunt iidem Patres, oportere manducare corpus Christi spiritualiter per fidem, non negant realem manducationem, sed spiritualem addunt, ut realis sit fructuosa. Ita debet intelligi S. Augustinus tract. 25. in Joan. *Ut quid paras dentem, & ventrem? crede & manducasti.* Nam mox superiùs dixit: *Fideli corde atque ore Christum à nobis suscipi.* Et S. Chrysost. etiam suprà: *Non fide tantùm, sed reipsâ.* Ita etiam debent intelligi, cùm dicunt Christi corpus à malis non posse manducari, ut Origenes in caput 15. Matth. *Verbum factum est caro, verusque cibus, quem qui comederit, omnino vivet in æternum, quem nullus malus potest edere.* (Supple prout oportet ad salutem, & ad animæ spiritualem refectionem.) Addo & per illum modum loquendi, velle indicare virtutem omnipotentiæ divinæ, quæ hoc efficit miraculum, quomodò Apostolus in epistola ad Galatas dicit, Isaac natum fuisse secundùm spiritum, idest, per miraculum omnipotentiæ divinæ.

Si autem SS. Patres sæpè obscuriùs de hoc mysterio locuti fuerint, mirum videri non debet; cùm enim exorta non esset circa hanc veritatem controversia, liberiùs loquebantur; quia sciebant se loqui in Ecclesia Catholica, mentemque suam à fidelibus satis intelligi, potissimùm nondum exortis hæreticis Sacramentum hoc negantibus, aut oppugnantibus; ideoque de veritate hujus Sacramenti stabilienda, ex professo nunquam egerunt. Unde hac in re meritò quadrat illud S. Augustini lib. de prædest. Sanctorum cap. 14. ubi generatim excusat omnes Patres, quos Semipelagiani in sui erroris patrocinium proferebant, dicens: *Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priùs, quàm illa hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentiant, breviter quibusdam Scripturum suorum locis, & transeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & exhortationibus ad quasdam virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera felicitate servitur.*

Objiciunt 3. authoritatem *Ruperti Abbatis Tuitiensis*, qui lib. 2. *de divinis Officiis*, docet Eucharistiam esse nudam corporis Christi figuram; unde opus illud Vuicleffus, ejusque sectatores maximè commendant: Hinc Thomas Vualdensis tom. 2. cap. 19, scripsit, Authorem de divinis Officiis serpere ut cancrum. Unde S. Anselmus in epistola præfixa tractatui de Sacramento Altaris, quam ad Rupertum dirigit, eum monet, illius libri de Eucharistia doctrinam, fuisse in Berengario damnatam: igitur tempore Ruperti hæc non erat constans doctrina de reali Christi corporis & sanguinis in Eucharistiæ Sacramento præsentia.

LIX. Perperam hæretici fingunt Rupertum errori suo patrocinari

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, apertam esse Vuicleffi calumniam & imposturam, quòd Rupertus realem Christi in Eucharistia præsentiam in dubium revocaverit; quinimò

eam acertimè propugnavit pluribi; maximè verò in epistola nuncupatoria Commentariorum in Joannem, quæ in editione Coloniensi 1526. extat, ubi quorundam in se calumnias referens, sic habet: *Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent, nisi quòd aliqui ex eis, dum volunt Sacramentum corporis & sanguinis Domini solummodò signum esse sacræ rei, juxta errorem quondam Berengarii Turonensis, etiam dictum S. Augustinum ita sentire putant, quod omnino falsum est. Ego autem dico verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, & verum esse de certo sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut Catholica Ecclesia tenet. Hæc quia probare conati sunt, Beato me derogare Augustino, contra illum sentiendo, quem in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malò sensu diripiendo. Verùm hæc jam ferè nemo palam profiteri aut defendere audet, universâ sentiente Ecclesiâ Catholicâ, quia verum corpus & verus sanguis Christi est.* Et in fine: *Credamus fideli Salvatori Deo, eo quòd non videmus, scilicet panem & vinum in veram corporis & sanguinis Domini transiisse substantiam.* Quibus verbis nihil luculentius.

Contrarium apertè docet pluribi.

Confirmatur insuper, ex eo quòd Rupertus existimavit, corpus Christi ab indignis comedi, non quidem ore fidei, sed corporis. Etenim lib. 6. in Joan. *Panis*, inquit, *semel consecratus nunquam posteà virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit, sed non prodest quidquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est... Quò ergo devenit, quod indignus manducat & bibit? Hoc certè pium sit & salutare credere per membra diffundi; ita ut non sit obnoxium secessui; sed hoc plus habet dignus indigno, quia huic ad salutem, illi proficit ad judicium.* Et lib. 1. in regulam S. Benedicti sub finem: *Habuerum*, inquit, *cum aliquo magni nominis, magnaque æstimationis Scholastico, sive Monacho certamen permolestum de Sacramento corporis & sanguinis Domini, qui inter cætera quibus deprimere conabatur majestatem tanti Sacramenti, illud mihi objecerat, quia Sacramentum illud Iudæ quoque traditori suo Dominus dedit, sicut cæteris Apostolis: hoc nimirum intendens, quòd nequaquam illi dedisset, si vera esset substantia corporis & sanguinis sui.*

Quin & lib. *de divinis Officiis*, doctrina de reali corporis Christi in Eucharistia præsentia non obscurè continetur: librô enim 2. cap. 2. *Panis & vinum*, inquit, *in verum corpus & sanguinem Domini transferuntur. Multi fidei oculos non habentes in sancto sacrificio præter panem & vinum nihil amplius intuentes, cùm diceretur eis, corpus & sanguis Domini est, murmuraverunt, dicentes, quomodo est? ... Verum Dei Verbum, verum Dei Filium sancta Ecclesia Catholica offert Creatori suo, credens corde, & ore confitens, pariterque manibus panem & vinum sicut sibi tradidit ipse Salvator offerens; nam pro quota suorum parte beneficiorum gratias ageret Ecclesia Creatori, Salvatori & Illuminatori suo, si nihil aliud ei, quàm panem & vinum offerret? ... Non ergo solum panem & vinum, quæ corporaliter videntur: sed & quod non nisi fidei oculis aspicitur Verbum Dei, Filium Dei offert sancta Ecclesia, novum & verum immolans sacrificium... Si hujus Verbi flumen super panem & vinum effuderis: & ordine, qui ab ipso statutus est, veritatem hujus Verbi protuleris, statim de sancto Altari panem ipsum, & vinum in corpus & sanguinem suum transferendo suscipit, eâdem virtute, eâdem potentiâ, vel gratiâ, quâ nostram de* MARIA *Virgine carnem suscipere potuit, quomodo voluit... Vnum corpus est, & quod de Maria genitum in cruce pependit, & in sancto Altari oblatum quotidie nobis ipsam innovat Passionem Domini.* Nihil certè dici potuit doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, quam propugnamus, magis consentaneum.

Maximè in in libris de divinis Officiis.

Nec obstat, quod idem Rupertus lib. 2. de divinis Officiis cap. 9. asserat, *in illum in quo fides non est, præter visibiles species nihil de sacrificio pervenire.* Hoc, inquam, non obstat; his enim verbis tantùm significat indignè communicantem, nihil sibi utile præter species accipere, quia corpus & sanguinem Christi ad judicium, non ad salutem comedit. Quemadmodum, inquit, asinos ad lyram cùm irrationales aures arrigit, sonum quidem audit, sed modum cantilenæ non percipit; quia etsi aures ejus realiter feriant sonus, & cantilenæ modus, harmoniæ tamen modum & suavitatem non distinguit.

LX.

Multò minùs eis favit Gregorius VII.

Objiciunt 4. authoritatem Gregorii VII. summi Pontificis, qui negavit realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento. Quod utique probant ex Concilio *Brixiensi* annô 1080. celebratô, in quo triginta Episcopi ipsum Gregorium VII. Pseudomonachum, totiusque velaniæ pestiferum principem, & præcipuè sanctæ Romanæ Sedis invasorem affirmantes, ab Apostolica sede depellendum, quamvis absentem dijudicarunt, & Vuigbertum Ravennensem Archiepiscopum ei substituendum elegerunt. Summa Decreti est: *Contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendensem, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, pythonicô spiritu laborantem, & idcircò à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum, & expellendum: nisi ab ipsa Sede descenderit, his auditis, in perpetuum condemnandum: facta sunt autem hæc 7. Kalend. Iulii, feriâ 5. Indict. 3.*

Confirmant, quia Benno Cardinalis, in vita Gregorii, refert Pontificem illum jejunium indixisse Cardinalibus, ut Deus ostenderet, quis rectiùs de corpore Domini sentiret, Ecclesiane Romana, an Berengarius; & de corpore Domini signum quæsivisse, quod petente Magnô Gregoriô ad firmandam infidelis mulieris fidem contigit: quod tamen Gregorius VII. post multas preces & jejunia non impetravit; aliaque fecisse, quibus (inquit Benno) se de veritate Eucharistiæ dubitasse monstravit; & per hoc manifestè probatur infidelis, cùm in Nicæno Concilio scriptum sit, dubium in fide infidelem esse.

Respondeo primò: Hæreticos hanc authoritatem objicientes, propriò mucrone jugulari: si enim Conciliabulum Brixiense legitimè Gregorium VII. exauctoravit, quòd de veritate realis Christi in Eucharistia præsentiæ, contra Catholicam & Apostolicam fidem dubitaret, consequens est, quòd assertio hujus realis præsentiæ, sit Catholicæ & Apostolicæ fidei consentanea.

L X I.

Concilium enim Brixiense fuit tantùm conciliabulum.

Respondeo secundò: Nihili faciendum esse decretum illius Conciliabuli Brixiensis, ut potè à schismaticis Episcopis, agente & urgente Henricô Imperatore excommunicationis sententiâ ab ipso Gregorio, fulminatô, emanatum. Scribit enim Marianus Scotus ad annum 1081. Henricum Imperatorem cum magno exercitu Romam profe-

ctum urbem obedisse, & Gregorium advertentem Romanorum plures Schismati favere, cum paucis Salernum abiisse, & ad obitum usque mansisse. Videns autem Henricus Pontificem aufugisse, congregatis triginta Episcopis fautoribus suis in ipsa Romæ obsidione Synodum haberi jussit, qua in Gregorius falsis & inauditis criminationibus ab Henrici fautoribus ficte compositis, absens accusatur, & alius in ejus Sedem obtruditur, quem Gregorius anathematis mucrone mulctavit, Henricum quoque cum fautoribus communione privavit.

Quàm autem justô judiciô id fecerit Pontifex, utpotè in apertum tyrannum, colligitur ex Concilio Romano annô 1083. celebrato, cujus acta referuntur in hunc modum: Annô ab Incarnatione Domini 1084. Pontificatûs verò Domini Gregorii Papæ Septimi annô 11. 12. Kalend. Decembris, præsidente eôdem Apostolicô, celebrata est tribus diebus in Lateranensi Basilica Synodus, in qua fuerant Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus, atque Apulia, pauci quoque Gallicani: nam plurimos Henrici tyranni perfidiâ iter retrovertere compulit, qui Ostiensem Episcopum de Apostolica legatione redeuntem, contra fas & juramenti fidem capi jussit, sive permisit. Tres autem Synodos quadragesimalis ejusdem H.... persecutio impedivit. Qui semel B. Petrum aggressus, demum post multum fusi sanguinis, non tam suorum fortitudine, quàm negligentiâ civium porticus muros surripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior civitatis, biennii bellô fatigatum, acri inediâ laborabat: cùm nec ipsis ad vicina oppida, vel castra ire liceret, nec illi jurato. H... urbem vellent negotiatum venire, multi quoque fame abacti urbem reliquerant: Proinde cæteri bellô remissiùs attenti, rem ex animo minùs gerebant, & à custodiis, prout cuique licebat, sine timore negligentiùs aberant. Hæc de Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit, perstrinxisse sufficiat. Cæterùm Dominus Apostolicus in eadem Synodo de fidei forma, & Christianæ Religionis conversatione, sed & de robore animique constantia ad præsentem pressuram necessaria, ore non humanô, sed Angelicô patenter edisserens, die tertiâ totum ferè conventum in gemitus & lacrymas compulit, sicque Concilium Apostolicâ benedictione lætificatum in pace dimisit.

LXII. Et Henricus Imperator qui ei adversabatur, schismaticus fuit.

Hanc autem sententiam excommunicationis innovavit annô sequenti in Concilio Romano, ut scribit Bertoldus: *Dominus autem Papa*, inquit, *collectâ Synodô, iterùm sententiam anathematis in Gilbertum Hæresiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod in festo S. Joannis Baptistæ præteritô jamdudum Romæ fecit, cùm Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam legati Sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis Episcopus in Francia, Otto Ostiensis Episcopus Tentonicorum usquequaque divulgârunt.* Hæc Bertholdus.

Mirum itaque videri non debet, quòd à schismaticis Episcopis, & anathemate perculsis emanaverit decretum adversus summum Pontificem, mendaciis, calumniis, & inauditis accusationibus refertum.

LXIII. Bennonis historia parùm certa.

Ad confirmationem dico Bennoni nullam hac in re fidem esse faciendam, utpote qui Henrici Imperatoris fautor, & Gilberti Ravennatis in Antipapam obtrusi partium sectator, non tam Gregorii historiam texuit, quàm satyram falsitatibus, fabulis, & calumniis consarcinatam. Unde Papyrius Massô opere de Episcopis urbis, in Gregorio VII. librum Bennonis, utpote plenum maledictis odii spirantem, schismaticæ factionis furore dictatum, respuendum omnino esse exertè profitetur. Quòd autem Gregorius signum à Deo ad firmandam veritatem Eucharistiæ poposcerit, dubiam ejus fidem non efficit; sicut nec dubius fuit in fide Magnus Gregorius, cùm miraculum ad eliminandam mulieris infidelitatem postulavit.

Insuper illibatam Gregorii fidem ac pietatem testantur non solùm Concilium Turonense, cui nomine Victoris secundi, cujus erat Legatus, præfuit, in quo Berengarius suum ejuravit errorem, sed & Romanum, in quo tandem Berengarius post plurimam suam perfidiam coram ipso Gregorio summo Pontifice Catholicam fidem ita professus est, ut in ea ad mortem usque perseveraverit; eum namque summus Pontifex tandiu detinuit apud se, donec illum ampliùs in fide non esse dubium constaret. Unde plurimi Scriptores, hujus Pontificis eximiam pietatem & doctrinam commendant, maximè Lambertus Scaphnaburgensis ad annum 1073. qui testatur Pontificem illum ita Apostolicè vitam instituisse, ut plurimis prodigiis, ac miraculis in vita, ac post obitum conspicuus fuerit.

LXIV. Gregorius VII. ante & post mortem miraculis clarus.

Inter quæ miranda opera, istud silentio non est prætereundum, quod contigit in Concilio Lugdunensi, cui Gregorius VII. tunc Legatus Victori II. præfuit; cùm enim celebraretur hoc Concilium annô 1055. adversùs Præsules Simoniacâ labe infectos residentibus in ea Synodo Archiepiscopis, Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis; Archiepiscopus vir quidam litteratus, & eloquens, accusatus est de crimine Simoniæ. Qui sequenti nocte omnes suos accusatores pecuniâ corrupit, & sibi amicos fecit. Mane autem factô rediens ad Synodum, audacter dixit: Ubi sunt, qui me accusant? Exeat in publicum quicunque me voluerit damnare. Tunc obmutescentibus omnibus, prædictus Archidiaconus, tanquam vir disertus & sapiens, convertens se ad illum, dixit: Credisne, ô Archiepiscope, Spiritum sanctum cum Patre & Filio unam esse substantiam Deitatis? Quô respondente, Credo: addit Archidiaconus: Dic, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*. Tunc ille, *Gloria Patri & Filio*, expeditè dicebat, sed Spiritum sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cùm frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns se per divinum judicium omnino confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confessus est propriô ore se Simoniacum esse. Postquam verò à Sacerdotali & Episcopali officio est depositus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, liberâ & clarâ voce decantavit. Quod factum Simoniacos in tantùm perterruit, quòd præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, Episcopi quadraginta quinque Simoniacos se esse confessi sunt, & suis honoribus absque ulla alia accusatione renuntiaverunt.

LXV. Simoniacus non potest integrum referre *Gloria Patri, &c.*

Objiciunt 5. Facundum Hermianensem lib. 9. cap. ult. ubi suscipiens defensionem Theodori Mopsuesteni, asserentis Christum D. assumpsisse adoptionem filiorum; sic scribit: *Adoptionem quoque filiorum suscepisse Christum, etsi antiqui Patres docuisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesia, quæ tales Doctores habuit, judicari debent*

hæretici: nam Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut Sacramentum corporis & sanguinis ejus, quod est in pane, & poculo consecrato, corpus ejus & sanguis dicitur: non quòd propriè corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem, quem Discipulis tradidit, corpus & sanguinem vocavit. Quocirca sicut Christi fideles Sacramentum corporis & sanguinis Christi rectè dicuntur suscepisse, sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cùm suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse.

Respondeo primò, non magni faciendam esse authoritatem Facundi, utpote qui animô schismaticô trium capitulorum defensionem susceperit adversus Vigilium, & Pelagium summos Pontifices, quibus erat infensus, ut ex aliis ejus operibus constat. Ille autem dobiæ fideiac veritatis suspectus est, qui Ecclesiæ unitatem scindere non veretur.

LXVI. Facundus Hermianensis non favet Calvinistis.

Respondeo secundò: Quòd etsi schismaticô animô libros illos nón scripserit; attamen ex illius dictis, nihil patrocinii accedit hæreticorum errori; quando enim comparat Sacramentum adoptionis cum Sacramento corporis & sanguinis Christi, ipse nomine Sacramenti, intelligit solas species panis & vini, de quibus, quatenus præcisè sunt signa, non sunt propriè corpus Christi; sunt tamen signa continentia corpus & sanguinem Christi, nec id negat Facundus: quia verò signa appellari solent nomine rerum quas significant; ideo species appellantur corpus Christi, cùm hôc sensu sint tantùm signa corporis Christi. Hic modus loquendi ei similis est, quem usurpat D. Augustinus epistola 23. ubi ait: *Sacramentum corporis Christi, esse corpus Christi, quemadmodum Sacramentum fidei, fides est.*

Respondeo tertiò: Datô quòd Facundus per *Sacramentum corporis Domini*, totum ex signo continente & re contenta intellexerit, verè dixit ad mentem adversariorum, quos ad hominem impugnabat, Sacramentum corporis Domini, non esse corpus Domini; licèt ad mentem Ecclesiæ verum ejus corpus sit; Facundus enim opere illô agit adversus hæresim Eutychianorum, (ut constat ex cap. 2. lib. 1.) qui sub trium capitulorum nomine & obtentu, Concilium Chalcedonense fraudulenter oppugnabant, Theodorumque, Ibam, & Theodoretum in ea absolutos, damnabant. In eo autem præcisè posita erat hæc hæresis, quòd ante Incarnationem Christus fuisset ex quidem duabus naturis; at post incarnationem, unam fuisse factam, conversione scilicet humanitatis in Divinitatem: ex quo sequebatur juxta illorum sententiam, in Christo post adunationem non fuisse veram carnem, sed duntaxat apparentem, ut docet S. Leo, tum epist. ad Pulcheriam Augustam, tum epist. ad Julianum Coënsem, tum denique serm. 6. de jejunio septimi mensis, & 8. de Nativitate Domini. Ex quibus sic ad hominem arguit Facundus: Si secundùm vos, ô Eutychiani, Sacramentum corporis corpus Christi dicitur, tametsi verum Christi corpus non esse censeatis, quippe qui doceris ipsum apparens & similitudinarium duntaxat corpus habuisse, quidni Sacramentum adoptionis adoptio dici poterit, quam significat & figurat?

§. V.

Probatur eadem realis Christi D. corporis & sanguinis in Eucharistia præsentia rationibus Theologicis.

LXVII. Rationes Theologicæ idem probantes.

Primò quidem, lex Evangelica longè præstantior est ac nobilior lege veteri & Mosaycâ; ac subinde excellentiora debet habere Sacramenta, ac majori dignitate & efficacitate prædita: sed ita non esset, si Eucharistia duntaxat esset simplex & nuda figura Christi D. corporis & sanguinis: igitur talis non est æstimanda. Major constat ex S. Paulo, tum ad Galat. tum ad Hebr. 9. & 10. ubi maximè demonstrat legis Evangelicæ præstantiam supra Mosaycam, quòd illa figuras, hæc veritatem; illa umbras, hæc realitatem & corpus complectatur. Major verò probatur; in veteri namque lege longe præcellentiores, ac clariores erant figuræ Christi D. corporis, & passionis, quam sit panis Eucharisticus, si duntaxat sit simplex panis secundùm substantiam, nec aliud dignitatis habeat, quam esse figuram corporis & passionis Christi. Enimverò Manna, & Agnus Paschalis longè præstantiùs significabant Christum, ejusque Passionem, quam nudus panis Eucharistiæ Calvinisticæ; nam Manna de cœlo pluebat, nullâque hominum, sed Angelorum operâ fiebat, & habebat in se omnis saporis suavitatem; atque ita repræsentabat Filium Dei descensurum è cœlo, sine opera viri in Virginis utero assumpturum carnem, fideles animas in eo omnem consolationem & delectationem reperturas: quæ omnia dici nequeunt de pane cibario & usuali; qualis est panis Calvinisticus.

1. Quia lex Evangelica cùm sit præstantior lege Mosaycâ, etiam debet habere præstantiora sacramẽta;

Similiter idem de Agno Paschali facilè ostenditur; etenim Agnus ille, quem Judæi mactabant, erat animal vivum, panis noster substantia est inanimata, vitâ & sensu carens; nemo autem dubitare potest, quin vivens substantia sit nobilior inanimatâ, cùm scilicet plures entis gradus habeat.

Deinde, meliùs quoque caro Christi per veram carnem Agni exprimebatur, & mors per veram ejus mortem, & sanguis per sanguinem, quàm per solum panem, vel per fractionem panis; siquidem nec panis mori potest propriè, sicut Agnus vivens; nec carne etiam, aut sanguine præditus est.

Insuper: Agnus Hebræorum multò aptiùs repræsentabat innocentiam, & mansuetudinem Christi, quàm solus panis, ut per se manifestum est; unde & Christus in Scripturis toties Agnus vocatur. Joan. 1. *Ecce Agnus Dei*; Isai. 16. *Emitte Agnum dominatorem terræ*; & cap. 53. *Quasi agnus coram tundente se obmutuit, & non aperuit os suum:* Apocal. 5. *Seniores stant coram Agno.*

Denique, caro agni meliùs etiam referebat effectum spiritalem Eucharistiæ, qui est nutritio; magis enim nutrit caro agni, quàm solus panis. Igitur si Eucharistia esset duntaxat panis usualis, nec aliâ dignitate ac præstantiâ polleret, quàm quia est figura & repræsentatio corporis & passionis Christi, sequeretur legem veterem longè præstantiorem esse Evangelicâ, utpote quæ excellentiores figuras habebat.

Reponunt hæretici primò, veterem legem comparari umbris, nostram autem corpori; non quòd Sacramenta nostra præstantius aliquid contineant, quàm Judaïca, sed quia hæc solùm significabant

cabant Chriſtum venturum, & quaſi adhuc abſentem; noſtra verò jam præſentem, & in cœlo actu exiſtentem: longè autem præſtantius eſt, inquiunt, ſignificare rem præſentem & exiſtentem, quàm futuram.

Verùm contrà; *primò* namque conſtat ex dictis de Sacramentis in communi, Sacramenta noſtra ab antiquis diſcrepare, non ſolùm ratione objecti, id eſt Chriſti futuri, aut jam exiſtentis, ſed potius ratione efficacitatis; ſiquidem illa duntaxat conferebant gratiam ex opere operantis; noſtra verò eam conferunt ex opere operato.

Non ſolùm rem præſentem exhibent quàm illa præfigurabant.

Inſuper, quòd Sacramenta ſignificent rem futuram aut præſentem, non efficit quòd aliqua ſint magis ipſa veritas, quàm illa; ac ſubinde ſi panis Euchariſticus tantùm ſignificet, non verò B contineat corpus Chriſti, nullâ ratione potiori dici poterit corpus & caro Chriſti, quàm Agnus Paſchalis, aut Manna: ſed ultrò admittunt Calviniſtæ Manna, & Agnum Paſchalem, nonniſi impropriiſſimè appellari poſſe corpus & ſanguinem Chriſti: igitur idem dicendum eſſet de Euchariſtia, ſicque perperam Chriſtus Euchariſtiam tradendo, dixiſſet; *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.*

Reponunt ſecundò, hoc Sacramentum nobis exhibere Chriſtum, & eum repræſentare diſtinctiùs, quàm Sacramenta veteris legis, non quidem ratione ſui, ſed ratione verborum ipſius Chriſti D. C quare Euchariſtiam appellavit ſuum corpus.

Verùm hæc reſponſio non minùs futilis eſt, & inanis, quàm præcedens; idem enim eſt ac ſi quis dicat, truncum ligni omninò inculrum diſtinctiùs repræſentare Cæſarem, quàm effigiem & imaginem Cæſaris, quia ego dico truncum illum eſſe Cæſarem.

Nec quia perfectiùs Chriſtum repræſentant.

Inſuper, quòd una imago aliquid perfectiùs repræſentet, quàm alia; inde dici quidem poteſt perfectior imago, non autem res ipſa, quam repræſentat; hinc non deſinit eſſe imago & umbra, ac figura illius rei, quam exhibet: igitur licèt panis Euchariſticus diſtinctiùs repræſentaret corpus & ſanguinem Chriſti, quàm Agnus Paſchalis & Manna, inde non eſſet conſequens, quòd non D foret ſimplex imago & figura; cùm tamen Apoſtolus dicat, legem novam non continere amplius umbras & figuras; ſed ipſam veritatem.

Denique, hæc ſolutio, hæreticorum doctrinæ repugnat, negant enim verba, quibus in Sacramentis utimur, eſſe partes & formas Sacramentorum, ut diximus agendo de Sacramentorum formis: Nec eſt quòd recurrant ad verbum concionale, illud enim non eſt internum, nec eſſentiale Sacramentis noſtris, ut ibidem demonſtravimus.

Adde quòd conciones non ſolùm vigent in lege Evangelica, ſed etiam vigebant in Moſayca.

Reponant tertiò alii, noſtra Sacramenta eſſe nobiliora veteribus, eò quòd uberiorem gratiam E conferant.

Nec ſolùm quia uberiorem gratiam continent & conferunt.

Verùm hæc reſponſio apertè in ipſos hæreticos militat; nam aut volunt gratiam conferre Sacramenta novæ legis ex opere operato, aut ex opere operantis.

Non *primum*; ſiquidem hæretici abſolutè negans, Sacramenta novæ legis eam habere efficacitatem, ut gratiam conferant ex opere operato: quapropter has loquendi formulas, *opus operatum*, tanquam ineptas & barbaras derident.

Non etiam *ſecundum*; nam in parvulis conſtat nullam inveniri talem actionem, quæ ſit ſufficiens

A diſpoſitio ad gratiam per Sacramentum Baptiſmi conſequendam: in adultis verò hæretici deridens cooperationem ad gratiam, & omnia noſtra merita reſpuunt, aiuntque opera noſtra non eſſe peccati expertia.

Deinde, ſi concedant hæretici, Chriſtianos poſſe ſeſe diſponere ex opere operantis ad gratiam per novæ legis Sacramenta conſequendam, ratione eorum virtutis & pietatis, non eſt cur inde aſtruant Sacramenta novæ legis eſſe præſtantiora Sacramentis veteribus; ſiquidem plurimi in veteri lege fuerunt longè ſanctiores, quàm nonnulli Fideles; nam ipſe Moyſes, David, Ezechias, Prophetæ, & plerique alii Patres veteris Teſtamenti innumeris Chriſtianis legis Evangelicæ ſanctiores B fuerunt; ac ſubinde habuerunt nobilius opus operantis; proindeque majorem gratiam fuerunt conſecuti; & conſequenter hâc ratione nobiliora habuiſſent Sacramenta. Concludendum eſt ergo, quòd ſi panis Euchariſticus eſſet duntaxat figura corporis Chriſti, Sacramenta novæ legis imperfectiora eſſent Sacramentis legis veteris, quod apertè militat, nedum in doctrinam S. Apoſtoli, ſed etiam SS. Patrum, ut probatum eſt in prima Diſputatione hujuſce libri.

Sed quia illa erāt duntaxat figuræ, hæc verò ſunt veritates.

LIX.

Cœna Calviniſtica non poteſt eſſe ea quā commendat Apoſtolus.

Probatur ſecundò hæc veritas: Si Euchariſtia non contineret verè, realiter ac ſubſtantialiter corpus & ſanguinem Chriſti, ſequeretur juxta C hæreticorum doctrinam, corpus & ſanguinem Chriſti non poſſe indignè manducari & bibi ab hominibus, quantumvis perverſis & peccatoribus: ſed falſum conſequens: ergo & antecedens. Minor patet ex Apoſtolo ſcribente 1. ad Cor. 11. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Quibus verbis apertè fatetur Apoſtolus, Euchariſtiam à fidelibus poſſe indignè ſuſcipi. Major pariter admitti neceſſariò debet ab hæreticis; volunt enim fideles, dum panem Euchariſticum manducant, duntaxat recipere corpus D Chriſti, *per os fidei*, hoc eſt beneficiò fidei apprehendentis Chriſtum quaſi realiter præſentem, & ſeipſum eis communicantem: docent pariter nos juſtificari per fidem, ut dictum eſt agendo de gratia juſtificante; ac ſubinde fateri debent non poſſe corpus Chriſti ſuſcipi, niſi à juſtificatis; quippe cùm non ſuſcipiatur, niſi ab habentibus fidem, quæ in eorum doctrina eſt forma juſtificans: igitur ſi corpus Chriſti non eſſet verè, ac realiter ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſed tantùm per fidem ſuſciperetur, conſequens eſt, quòd non poſſet à fidelibus indignè ſuſcipi. Unde inferendum eſt, cœnam Calviniſticam non eam eſſe, E quam Chriſtus inſtituit, & Apoſtolus ſervandam docuit. In hac enim, ut docet Apoſtolus, poteſt indignè ſuſcipi corpus Chriſti; in Calviniſtica autem non poteſt.

Reponunt hæretici, idcirco indignè accedentem ad Euchariſtiam cenſeri reum corporis & ſanguinis Chriſti, non quòd utrumque ſine debita diſpoſitione & reverentia ſuſcipiat, ſed quòd irrita faciat ſymbola, quibus mediantibus, corporis & ſanguinis Chriſti particeps eſſe debuerat; non ſecus ac ille diceretur reus læſæ majeſtatis regiæ, qui vitam ſibi clementiâ Regis donatam, & diplomate Regiô ſigillô munitô gratiam conſignatam, non ſolùm reſpueret, ſed etiam diploma illud pedibus conculcaret, ac laceraret; ille enim

indignus esset gratiâ sibi oblatâ, & pœnas debitas jure meritò lueret. Simile autem quid præstat quisquis indignè panem Eucharisticum suscipit; siquidem vacua & irrita efficit signa, & symbola vitæ cœlestis, quam consequi debuerat.

Verùm, facilè præcluditur hæc elusio, & illusio: primò namque Apostolus non dixit, eum esse reum corporis Christi, quia illud manducare debuerat, nec tamen manducat propter indignitatem suam, & ob defectum fidei: sed quia reverà illud manducat & bibit indignè; ait enim: *Qui manducat, & bibit indignè, &c.* Quæ utique loquendi formula connotat manducationem Christi D. corporis, non quæ fieret, sed quæ reverà fit: igitur vanum, & prorsus futile est hæreticorum effugium.

Deinde, allatum exemplum est prorsus impertinens; siquidem diploma regium supponit jam vitam à Rege donatam reo, quâ quidem gratiâ reus ille fit indignus, dum symbola in quibus continetur, indignè tractat: at panis Eucharisticus non supponit jam corpus Christi D. concessum, & reverà præsens in sententia hæreticorum, sed tantùm concedendum beneficiô ejusmodi symbolorum; ac subinde inter utrumque nulla prorsus est paritas.

Objiciunt hæretici varia argumenta petita à ratione humana, quæ omnia ad quinque præcipua capita reduci solent: *Primò*, inquiunt, implicat contradictionem, quòd idem corpus indivisum manens, eôdem tempore in diversis locis existat, quia sequeretur idem sibi dextrum & sinistrum esse, quiescere posse & moveri simul, summè calere & frigere, mori & vivere; subindeque corpus Christi non potest simul in cœlo empyreo sedens in dextera Patris, & in terra realiter existens in Eucharistiæ Sacramento, & consequenter multò minùs simul poni in pluribus Altaribus per consecrationem diversarum specierum; alioquin fieri posset immensum, cùm non magis repugnet ipsum in infinitis locis, quàm pluribus, distinctisque collocari.

LXIX. *Non repugnat quòd idem corpus sit simul in diversis locis.* *Respondeo*, nihil quidquam absurdi esse, quòd unum & idem corpus simul existat in diversis locis secundùm diversos existendi modos, nempe in uno circunscriptivè, & in aliis Sacramentaliter: sic enim est unum quidem substantiâ, virtute tamen plura, & in diversis existendi modis diversum, quatenus pluries & diversimodè existit, ut disertè docet Tridentinum: *Docet sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Christum realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri; nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & in multis nihilominus aliis locis Sacramentaliter præsens, suâ substantiâ nobis adsit.* Simile videmus in anima, quæ est tota in singulis membris, & movetur locô in manu, dum quiescit in capite, simul movetur sursum in dextra, & deorsum in sinistra; in illa sentit calorem, in hac frigus. Quòd si Deus hoc tribuerit spiritui, ut naturaliter totus in pluribus locis partialibus sit: & cùm nulla sit ratio negandi, quin Deus animam in abscissa manu, & consequenter in distinctis omnino locis possit conservare: cur hoc ei circa corpus denegemus?

Item plurimos Sanctorum eôdem tempore diversis in locis fuisse, plurimæ referunt historiæ. Nec potest commodè intelligi, quomodo Christus Act. 9. & 22. B. Paulo apparuerit, & cum eo collocutus, & ab astantibus auditus fuerit, nec tamen è cœlo (ut ipsi hæretici communiter fatentur) discesserit; nisi dicamus eum simul in duobus locis fuisse, Omnino enim Scriptura ibidem innuit, cum B. Paulo præsentem & propinquum fuisse.

Objiciunt secundò: Repugnat corpus humanum ita esse inextensum localiter, ut possit existere absque omni extensione, & in loco omnino indivisibili: igitur corpus Christi non potest contineri intra parvam hostiam, multò minùs subsistere sub qualibet ipsius hostiæ particula. Patet antecedens: Extensio enim localis est effectus formalis quantitatis; ac subinde non potest, sicut nec ipsa quantitas, ab ipso humano corpore realiter separari, ipso realiter perseverante.

Nego antecedens, eoc-con & ejus probationem; siquidem, ut probavimus in nostra Physica, quantitas est accidens absolutum realiter distinctum à materia & corpore, & ab utroque omnino separabile divinitùs. LXX. *Nec in loco minimo.*

Adde quòd, ut ibidem probatum est, effectus formalis quantitatis, non sit illa actualis partium extensio & dispositio in ordine ad locum, sed in ordine ad se, quæ consistit in ipsa partium distinctione, ex quibus coalescit corporis entitas apta coëxistendi loco, & spatio divisibili. Unde licèt Christi D. corpus in Eucharistia non habeat extensionem localem, & subsistat modò indivisibili; non propterea desinit habere partes sibi debitas, & secundùm dispositionem naturalem ordinatas; itaut caput immediatè uniatur collo, collum scapulis, scapulæ pectori, & sic de cæteris.

Quòd autem corpus aliquod possit divinâ virtute denudari ac spoliari suâ quantitate, colligitur ex Scriptura sacra; testatur enim Christus D. Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 18. Deum efficere posse, ut camelus transeat per foramen acûs.

Non potest autem camelus foramen acûs pervadere, nisi locum occupando modò inextensô; alioqui sequeretur, quòd corpus majus esset minus suô minori: ac subinde potest aliquod corpus suâ extensione naturali sibi connaturaliter debitâ spoliari.

Confirmatur hæc responsio: Quia non minùs connaturale est corpori esse naturaliter impenetrabile ratione sibi inexistentis quantitatis, quàm esse extensum in ordine ad locum. Tria siquidem corpori quanto conveniunt: *Primum* est habere partes extra partes: *Secundum*, commensurari loco: *Tertium*, aliud corpus extensum ab eodem loco expellere; idcirco enim unum corpus non patitur aliud secum in eodem loco, quia habet partes extensas, & commensuratas loco, ac subinde ipsum locum replet, sed fieri potest supernaturaliter; quòd unum corpus locum occupet, nec tamen aliud ab eodem loco expellat, sicque fiat penetratio corporum. *Quia corpus potest suâ quantitate spoliari.*

Quod utique probatur exemplô ejusdem Christi D. corporis exeuntis ex utero Virginis, manente illibatâ ejus integritate, juxta Ezechielis 44. vaticinium, ubi beatissimæ Virginis uterus designatur per portam clausam; sic enim interpretatur sanctus Ambrosius lib. de Instit. Virginis cap. 7. *Quæ est porta*, inquit, *nisi Maria, per quam Christus intravit in hunc*

Et aliud corpus penetrare.

mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit, manserit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cùm exiret ex Virgine. Et cap. 8. *Hac porta clausa erit, & non aperietur: bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur; transivit per eam Christus, sed non aperuit.*

Hinc S. Augustinus serm. 159. de tempore, ex illo miraculo colligit, Christum D. potuisse pervadere in cænaculum januis clausis, ubi erant
„ Discipuli congregati; Moli corporis, *inquit*, ubi
„ Divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt,
„ ille quippe non eis apertis intrare potuit, quô
„ nascente, virginitas Matris inviolata permansit.
Quod utique miraculum eleganter expendit S. Cyrillus lib. 12. in Joan. exponens enim verba illa Joannis: *Cùm ergo serò esset die illô una Sabbatorum, & fores essent clausæ, &c.* hæc scribit: *Obseratis foribus, in medio stetit Christus, inæstimabili quâdam virtute, Deoque convenienti supra rerum ordinem, omnemque rationem humanam. Nemo dicat, quomodo, quæso, in crasso corpore cùm esset Dominus, nullô tamen negotiô, tametsi janua clausæ essent penetravit? sed apud se cogitet potiùs divinum Evangelistam haud quaquam hæc de aliquo nostri simili dicere: sed de eo potius, qui Deo ac Patri assidet, atque omnia quæcunque vult facit. Oportebat enim, cùm Deus secundum suam naturam sit ac verus, nequaquam subjacere rerum ordini, sicuti res ab ipso creata: sed necessitati ipsi & omnium quæ aguntur rationi dominari. Aliòqui enim quô pacto mare pedibus suis subjiceret, fluctusque siccô pede tranaret; neque enim nostris corporibus aqua substernuntur; aut quodammodo alia miracula virtute Deo convenienti ederet?*

Objiciunt tertiò: Admissâ præsentiâ reali corporis Christi in Eucharistia, absurdissima quædam, & Christo prorsus indigna sequuntur: quid enim Christi majestati indignius, quam ipsum in Eucharistia non solùm in terram, sed etiam in sordes interdum dejici, dentibus atteri, à muribus & aliis animalibus rodi, putrescere & acescere, cum panis & vini corruptione, in stomachum trajici, & in secessum ire? Ea omnia gloriosum Christi D. corpus dedecent: igitur non est verisimile ipsum sub speciebus Eucharisticis realiter delitescere.

Respondeo primò, mysteria nostræ fidei eô ipsô diviniora censeri, quô Dei majestate secundùm humanam sapientiam prorsus videntur indigna. *Stultum quippe*, inquit S. Gregorius homil. 6. in Evangelia, *hominibus visum est, ut pro hominibus Author vitæ moreretur; & inde contra eum homo scandalum sumpsit; unde ei amplius debitor fieri debuit: nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit.* Hinc præclarè Tertullianus in lib. de carne Christi: *Quodcunque Deô indignum est, mihi expedit: salvus sum, si non confundar de Domino meo. Natus est Dei Filius; non pudet, quia pudendum est:*

LXXI. Deus eò magis ab homine est honorandus quantò propter eum indigna suscepit.

& mortuus est Dei Filius: prorsus incredibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile. Et lib. 2. contra Marcionem: *Assumpsisse Deum quædam sibi indigna*, inquit, *nobis autem necessaria; & ideo jam Deô digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm salus hominis.* Quemadmodum ergo Christus D. nostræ salutis gratiâ, dum homo factus est, ea assumpsit, & passus est, quæ Dei majestate indigna visa sunt Judæis & Gentilibus, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Ita ejus ergà homines charitas ipsum impulit ad instituendum Eucharistiæ Sacramentum, in quo variis indignitatibus hæreticis videtur subjici; at illa summam ejus charitatem commendant.

Respondeo secundò, illa omnia inconvenientia futiliter ab hæreticis objici, atque ex fidei nostræ ignoratione vel dissimulatione; si enim attenderent Christum esse in Eucharistia modô impassibili; & omnem alterationem solis panis speciebus obvenire; quippe cùm illæ duntaxat dentibus atterantur, solæ putrescant, solæ acescant & moveantur, haud dubiè desinerent Catholicam doctrinam calumniari, nec iis vilioribus mutationibus Christi D. corpus obnoxium esse blaterarent.

Quemadmodum enim Solis radii paludum & fimorum sordibus non inquinantur, sic gloriosum Christi D. corpus nullis specierum Sacramentalium qualitatibus, vel injuriis afficitur, aut mutatur. Vel, ut loquitur Author de Cœna Domini apud S. Cyprianum: *Integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur, & non injuriatur, recipitur, & non includitur.* Cui concinit S. Augustinus apud Bedam in cap. 10. prioris ad Cor. *Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuus vivificat; quando manducatur, reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare istum panem, ne fortè finiamus illum, & posteà quod manducemus, non inveniamus: Manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus.*

LXXII. Corpus Christi ad specierum corruptionem non corrumpitur.

Concludo tandem hanc refertissimam adversus Calvinistarum errores probationum segetem, iisdem verbis, quibus Guitmundus suum adversus Berengarianos tractatum coronavit. Multa, *in-* „
quit, contra istos jam diximus, multa quoque dici „
possunt: sed piis mentibus (ut arbitror) ista suf- „
ficiunt. Quid enim ampliùs adversus istos quæ- „
rerem, cùm objectionem eorum, sive per ratio- „
nes, sive per Scripturas, nostræ fidei nihil obesse; „
imò vero ipsas easdem Scripturas nobiscum ma- „
gis esse satis, lucidéque monstratum sit: cùm isto- „
rum dementias, & singulatim, & communiter „
tam venerabilium Authorum, quàm Propheticis „
& Evangelicis testimoniis teneant plenissimè de- „
structas: nostram verò fidem usquequaque fir- „
missimam, utilissimam, excellentissimam, sum- „
méque necessariam, videant evidentissimè decla- „
ratam? At verò impiis quid sufficiet, si duriores „
saxis tot argumentorum malleis percussi credere „
nolunt; si tenebrosiores infernô, tantâ fortissi- „
marum rationum luce collustrari non possunt; „
aut certè meretricum similes de sua turpitudine, „
vel pervicacia erubescere nesciunt, aut dæmonum „
simillimi cœptam semel vecordiam tantâ pertina- „
ciâ diligunt, ut veritatem gratis odiô habeant, „
& à falsitate vel manifestissima nunquam resipis- „
cant? O miserrimos homines, & immensô lacry- „
marum imbre lugendos, si tanta pervasit eos pro- „
pagandæ famæ cupiditas, ut à blasphemiis pro- „
palatis nec clarissima veritas, nec summa ipsorum „
infamia, nec vitæ æternæ amor, nec æterna dam- „
natio valeant revocare! Redite quæso, *Redite præ-* „
varicatores ad cor. Quare moriemini gratis? Non „
talis hæc disputatio est, quæ utrobique valeat le- „
viter compensari. Non hîc, sicut in Scholis, pro „
victoria, aut sicut in judiciis, pro quibuslibet ter- „
renis commodis agitur: sed, sicut coram Deo pro „
vita æterna, atque cœlesti disputatur: falsam „
etenim partem sempiterna mors devorat; veram „

Egregia ad hæreticos admonitio.

cramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est; ita Sacramentum fidei, fides est.

Respondeo cum nostro d'*Astroy*, controversiâ de Eucharistia; *Primò* his verbis, non negari à S. Augustino, imò expressè asseri, *quod Christus verè immoletur, itant non mentiatur, qui interrogatus responderit eum immolari in Sacramento*: sed negari, quod immoletur *in seipso*, id est, *sensibiliter* & cruentè; quia immolatio illa non afficit Christum *in seipso intrinsecè*, quantumvis illic præsentissimum; sed afficit *Sacramentaliter* duntaxat, & *incruentè*, repræsentando cruentam illius immolationem olim in cruce factam, seu corpus instar occisi, ac sanguinem instar effusi, & hoc ipsum, *non solùm per omnes Pascha solemnitates, sed omni die* fit pro multis in remissionem peccatorum.

Respondeo secundò, secundùm quemdam modum, *Sacramentum corporis Christi esse corpus Christi*, nimirum in *sensu causali*, id est per *modum* causæ moralis verè & realiter continentis suum figuratum, & saltem moraliter causantis, ac conservantis veram, & realem illius præsentiam: quemadmodum *fidei Sacramentum*, (hoc est, Baptismus) *fides est*; non solummodò significativè, sed etiam causaliter & efficaciter, tanquam signum causativum, & demonstrativum sui effectûs præsentis in fieri. Nam, ut ait S. Doctor lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 9. *Christus, in quo omnes vivificabuntur, præter quàm quòd se ad justitiam exemplum imitantibus prabuit; dat etiam sui Spiritûs occultissimam fidelibus gratiam, quam* LATENTER INFUNDIT ET PARVULIS. Ex hac igitur comparatione Sacramenti fidei, seu Baptismi, cum Sacramento corporis Christi, sequitur ex mente S. Doctoris Augustini, *Sacramentum corporis esse corpus*, non nudè significativè, hoc est, ut signum duntaxat rememorans, & abstrahens ab effectu & præsentia sui significati; sed ut signum efficax præsentiæ ipsius eamque continens, & demonstrans in fieri & conservari, prout loqui solent, qui Theologiam Scholasticam tractant.

LVI. Quomodo S. August. dixerit homines non manducaturos corpus Christi quod videbant.

Objiciunt secundò eundem, S. Augustinum in Psal. 98. ubi Christum sic loquentem ad Capharnaitas inducit: *Spiritaliter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus, quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis: spiritaliter intellectum vivificabit vos, caro autem non prodest quidquam.*

Respondeo, S. Augustinum intelligendum esse de manducatione corporis passibilis, & bibitione sanguinis modô sensibili & cruentô, ut seipsum explicat in epistola ad Irenæum, verbis relatis de consecr. dist. 1. cap. 45. *Non hoc corpus*, inquit, *quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Ipsum quidem, & non ipsum. Ipsum invisibiliter, & non ipsum visibiliter.* Unde præfata verba eô modô sunt accipienda, quomodò ipsemet S. Augustinus explicat illud dictum Christi D. Joan. 16. *Iam non videbitis me*; ait enim tract. 95. *Quid ergo est: nisi quomodo sum, cùm vobiscum sum?* HUNC *ergo Christum*, ID EST TALEM *Christum non erant visuri.* Quòd si negandum sit *verum corpus Christi in Eucharistia*, quia dixit Augustinus: *Non* HOC CORPUS, *quod videtis, manducaturi estis*; eôdem planè modô negandus erit *verus Christus suscitatus à mortuis*, quia idem S. Augustinus dixit; HUNC CHRISTUM *non esse jam videndum*: quod quàm impium sit ac blasphemum, & à tanti Doctoris mente alienissimum, nemo non videt. Imò verò ne cui vel minimæ saltem suspicionis umbram relinqueret, cùm dixisset, *Apostolos* HUNC *Christum non visuros*, statim quô sensu id foret intelligendum, manifestissimè declaravit, cùm subdidit, ID EST TALEM. Eôdem itaque prorsus modô, quando suprà dixit: NON HOC CORPUS, *quod videtis manducaturi estis*, subintelligendum est, NON TALE *corpus quod videtis, manducaturi estis.* sic etiam S. Paulus dicebat *ad Galat.* 2. *Vivo ego, jam non ego.* Unde de eodem homine notabiliter accidentariè mutato, dicitur, non est amplius idem, qui fuerat. Hinc S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitent. cap. 10. refert, quemdam rectè dixisse, *Ego non sum ego.* Quòd autem aliud noluerit S. Augustinus eô loci, manifestè patet; siquidem ibi scripserat: *Christum suscepisse de terra terram, quia caro de terra est: & de carne Mariæ accepisse carnem: in ipsa carne hîc ambulasse: & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedisse: neminem autem illam carnem manducare, nisi priùs adoraverit; & non solùm non peccari adorando, sed peccari non adorando.* Quomodo autem post hæc tam clarè, tam evidenter expressa & inculcata, S. Augustinus in eodem sermonis contextu, velut sui oblitus, veritatem corporis Christi in Eucharistia negasset, adeoque Idololatriam statuisset; si enim ibi non est Christi caro, ibi non est adoranda. Nota.

Ut autem omnes similes ex S. Augustino depromendas authoritates, facili negotiô discutias; placuit hîc attexere nonnullas observationes, quas ex doctrina sanctissimi illius Doctoris selegit *P. d'Astroy* locô suprà laudatô, *pag.* 158. *Primò* quidem monet S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 8. *Arbitror sanè*, inquit, *tardiores* (addo & præsumptiores) *in quibusdam locis librorum meorum opinaturos, me sensisse, quod non sensi; aut non sensisse quod sensi. Quorum errorem mihi tribui non debere, quis nesciat? Quandoquidem nec ipsis Sanctis divinorum librorum authoribus, ullô modô quisquam rectè tribueret tam multos & varios errores hæreticorum.*

LVII. Monita observanda in doctrina S. Augustini.

Monet *secundò* lib. de dono perseverantiæ cap. ult. *Qui legunt, si intelligunt; agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent. Qui verò me errare existimant, etiam atque etiam, quæ sunt dicta considerent, ut fortassis ipsi errent.*

1. Quòd aliqui ejus scripta pessimè etiam interpretaturi.

Monet tertiò lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 18. *Non ea colligenda, & commemoranda sunt quæ obscurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta sunt: quæ quisque sicut voluerit, interpretetur secundùm sensum suum: talia enim rectè intelligi, exponique non possunt, nisi priùs ea quæ apertissimè dicta sunt, firmâ fide teneantur.*

2. Quòd dicta figuratè, sint ex aliis dictis explicanda.

Monet quartò, Sacramenti mysterium propter suam summam ipsius profunditatem, non esse temerè coram Catechumenis, & Gentilibus exponendum: *Catechumenis*, inquit tract. 96. in Joan. *Sacramenta fidelium non produntur; non ideo quòd ea ferre non possunt, sed ut ab eis tantò ardentius concupiscantur, quantò honorabilius occultantur.* Idem docet in Psalm. 109. nec-non & lib. 10. de civitate cap. 26. sed evidentissimè serm. 46. de verbis Domini; *Sicut audivimus, cùm sanctum Evangelium legeretur, Dominus Iesus Christus exhortatus, est promissione vitæ æternæ, ad manducandam carnem suam, & bibendum sanguinem suum. Qui audistis hæc, nondum* OMNES INTELLEXISTIS, *qui enim* FIDELES ET BAPTISATI

Quòd mysterium Eucharistię non erat perspicuè declarandum coram Catechumenis.

estis, quid dixerit, NOSTIS. *Qui autem inter nos adhuc Catechumeni, vel audientes vocantur, potuerunt esse (cùm legeretur) audientes, nunquid & intelligentes? ergo sermo noster ad utrosque dirigitur. Qui jam manducant corpus Domini, & bibunt sanguinem ejus, cogitent quid manducent & bibant. Qui autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas invitati festinent. Per istos dies Magistri pascunt. Christus quotidie pascit, mensa ipsius est illa in medio constituta. Quid causæ est, ò audientes* (Cathecumeni) *ut mensam videatis, & ad epulas non accedatis? Et fortè modò cùm Evangelium legeretur, dixistis in cordibus vestris: Putamus quid est hoc quod dicit: Caro mea verè esca est, & sanguis meus verè potus est? Quomodo manducatur caro Domini, & bibitur sanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis contra te clausit, ut hoc nesciat? Velatum est, sed si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem, & solvisti quæstionem: Quid enim dixerit Dominus* JESUS *jam* FIDELES NOVERUNT.

Ex Paganis.

Quòd ad Paganos seu Gentiles, seu Infideles attinet, satis patet ex *Maximi Madaurensis* idololatræ epistola, quis eorum sensus fuerit, & quàm non temerè ejusmodi hominibus proponenda fuerint nostræ fidei arcana. Ille enim Ethnicus sic scribit sancto Doctori Augustino: *Illud quæso, vir sapientissime, ut remotâ facundiæ robore, atque explosâ, quò cunctis clarus es; omissis etiam quibus pugnare solebat Chrysippus argumentis: postpositâ paululum dialecticâ, quæ nervorum suorum luctamine nihil certi cuiquam relinquere nititur:* IPSA RE *approbes, quis sit* ISTE DEUS, *quem vos Christiani, quasi* PROPRIUM VENDICATIS, *& in* LOCIS ABDITIS PRÆSENTEM *vos videre componitis? Nos etenim Deos nostros luce palam ante oculos atque aures omnium mortalium, piis precibus adoramus, & per suaves hostias nobis propitios efficimus, & à cunctis hæc cerni, & probari contendimus.*

Similiter S. Chrysostomus homil de proditione Judæ: *Accepit panem Christus & dixit: Hoc est corpus meum: agnoscunt quid loquar, qui mysteriis initiati sunt.* Theodoretus dialogo 1. *Non est consentaneum apertè loqui, nam hic fortassè aliqui sunt infideles.* Confirmatur; si enim de aliis arcanis obscurè loquendum erat ad vitandum scandalum, multò magis de Eucharistia, quæ est mysterium mysteriorum; unde etiam vocatur *mysterium fidei* in consecratione calicis.

Nota.

Advertendum insuper, cum illustrissimo nostro Meurissio, quòd quotiescumque, Patres verba Sacramentalia transferunt ad spiritualem divinæ doctrinæ manducationem, non secundùm sensum literalem, sed mysticum, sunt intelligendi; qui tamen sensus mysticus cum literali non pugnat, sed potius in eo fundatur. Sic Origenes in cap. 26. Matth. *Panis iste, quem Deus corpus suum fatetur, verbum est nutritorium animarum.* Aliàs tamen, si nullus supponeretur sensus literalis, nullum relinqueretur Sacramentum Eucharistiæ.

Sic pariter caput sextum S. Joannis nonnulli Patres metaphoricè explicant de manducatione spirituali per meditationem, per fidem, per lectionem Scripturarum, per charitatem & dilectionem. Ita S. Hieronymus in Psal. 146. S. Augustinus in tract. 25. & 26. in Joan. Quamvis itaque nonnulli Patres hoc caput sextum Joannis metaphoricè exposuerint; tamen nemo ipsorum docuit non posse aliter, quàm figuratè explicari; A imò prædictus S. Hieronymus epist. 150. qu. 2. & S. Augustinus tract. 26. in Joan. interpretantur de vera manducatione reali: Unde idem Origenes homil 16. in *Numeros*, utrumque sensum conjungit, dicens: *Bibere dicimur sanguinem Christi, & ritu Sacramentorum, & cùm sermones ejus recipimus.*

LVIII. *Sensus mysticus non officit literali.*

Quarta observatio: Cùm dicunt iidem Patres, oportere manducare corpus Christi spiritualiter per fidem, non negant realem manducationem, sed spiritualem addunt, ut realis sit fructuosa. Ita debet intelligi S. Augustinus tract. 25. in Joan. *Ut quid paras dentem, & ventrem? crede & manducasti.* Nam mox superiùs dixit: *Fideli corde* B *atque ore Christum à nobis suscipi.* Et S. Chrysost. etiam suprà: *Non fide tantùm, sed reipsâ.* Ita etiam debent intelligi, cùm dicunt Christi corpus à malis non posse manducari, ut Origenes in caput 15. Matth. *Verbum factum est caro, verusque cibus, quem qui comederit, omnino vivet in æternum, quem nullus malus potest edere.* (Supple prout oportet ad salutem, & ad animæ spiritualem refectionem.) Addo & per illum modum loquendi, velle indicare virtutem omnipotentiæ divinæ, quæ hoc efficit miraculum, quomodò Apostolus in epistola ad Galatas dicit, Isaac natum fuisse secundùm spiritum, idest, per miraculum omnipotentiæ divinæ.

C Si autem SS. Patres sæpè obscuriùs de hoc mysterio locuti fuerint, mirum videri non debet; cùm enim exorta non esset circa hanc veritatem controversia, liberiùs loquebantur; quia sciebant se loqui in Ecclesia Catholica, mentemque suam à fidelibus satis intelligi, potissimùm nondum exortis hæreticis Sacramentum hoc negantibus, aut oppugnantibus; ideoque de veritate hujus Sacramenti stabilienda, ex professo nunquam egerunt. Unde hac in re meritò quadrat illud S. Augustini lib. de prædest. Sanctorum cap. 14. ubi generatim excusat omnes Patres, quos Semipelagiani in sui erroris patrocinium proferebant, dicens: *Quid opus est, ut eorum scru-* D *temur opuscula, qui priùs, quàm ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentiant, breviter quibusdam Scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent; immorarentur verò in iis, quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & exhortationibus ad quasdam virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera fœlicitate servitur.*

Objiciunt 3. authoritatem *Ruperti Abbatis Tuitiensis*, qui lib. 2. *de divinis Officiis*, docet Eucharistiam esse nudam corporis Christi figuram; unde E opus illud Vuicleffus, ejusque sectatores maximè commendant: Hinc Thomas Vualdensis tom. 2. cap. 19, scripsit, Authorem de divinis Officiis serpere ut cancrum. Unde S. Anselmus in epistola præfixa tractatui de Sacramento Altaris, quam ad Rupertum dirigit, eum monet, illius libri de Eucharistia doctrinam, fuisse in Berengario damnatam: igitur tempore Ruperti hæc non erat constans doctrina de reali Christi corporis & sanguinis in Eucharistiæ Sacramento præsentia.

LIX. *Perperam hæretici fingunt Rupertum errori suo patrocinari*

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, apertam esse Vuicleffi calumniam & imposturam, quòd Rupertus realem Christi in Eucharistia præsentiam in dubium revocaverit; quinimò

eam acerrimè propugnavit pluribi; maximè verò in epistola nuncupatoria Commentariorum in Joannem, quæ in editione Coloniensi 1526. extat, ubi quorundam in se calumnias referens, sic habet: *Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent, nisi quòd aliqui ex eis, dum volunt Sacramentum corporis & sanguinis Domini solummodo signum esse sacræ rei, juxta errorem quondam Berengarii Turonensis, etiam dictum S. Augustinnm ita sentire putant, quod omnino falsum est. Ego autem dico verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, & verum esse de certo sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut Catholica Ecclesia tenet. Hæc quia probare conati sunt, Beato me derogare Augustino, contra illum sentiendo, quem in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malè sensu decipiendo. Verùm hæc jam fere nemo palam profiteri aut defendere audet, universâ sentiente Ecclesiâ Catholicâ, quia verum corpus & verus sanguis Christi est.* Et in fine: *Credamus fideli Salvatori Deo, eo quòd non videmus, scilicet panem & vinum in veram corporis & sanguinis Domini transiisse substantiam.* Quibus verbis nihil luculentius.

Contrarium apertè docet pluribi.

Confirmatur insuper, ex eo quòd Rupertus existimavit, corpus Christi ab indignis comedi, non quidem ore fidei, sed corporis. Etenim lib. *6.* in Joan. *Panis*, inquit, *semel consecratus nunquam posteà virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit, sed non prodest quidquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est... Quò ergo devenit, quod indignus manducat & bibit? Hoc certè pium sit & salutare credere per membra diffundi; ita ut non sit obnoxium secessui: sed hoc plus habet dignus indigno, quia huic ad salutem, illi proficit ad judicium.* Et lib. 1. in regulam S. Benedicti sub finem: *Habueram*, inquit, *cum aliquo magni nominis, magnaque æstimationis Scholastico, sive Monacho certamen permolestum de Sacramento corporis & sanguinis Domini, qui inter cætera quibus deprimere conabatur majestatem tanti Sacramenti, illud mihi objecerat, quia Sacramentum illud Iudæ quoque traditori suo Dominnm dedit, sicut cæteris Apostolis: hoc nimirum intendens, quòd nequaquam illi dedisset, si vera esset substantia corporis & sanguinis sui.*

Quin & lib. *de divinis Officiis*, doctrina de reali corporis Christi in Eucharistia præsentia non obscurè continetur: librô enim 2. cap. 2. *Panis & vinum*, inquit, *in verum corpus & sanguinem Domini transferuntur. Multi fidei oculos non habentes in sancto sacrificio præter panem & vinum nihil amplius intuentes, cùm diceretur eis, corpus & sanguis Domini est, murmuraverunt, dicentes, quomodo est?... Verum Dei Verbum, verum Dei Filium sancta Ecclesia Catholica offert Creatori suo, credens corde, & ore confitens, pariterque manibus panem & vinum sicut sibi tradidit ipse Salvator offerens; nam pro quota suorum parte beneficiorum gratias ageret Ecclesia Creatori, Salvatori & Illuminatori suo, si nihil aliud ei, quàm panem & vinum offerret?... Non ergo solum panem & vinum, quæ corporaliter videntur: sed & quod non nisi fidei oculis aspicitur Verbum Dei, Filium Dei offert sancta Ecclesia, novum & verum immolans sacrificium... Si hujus Verbi flumen super panem & vinum effuderis; & ordine, qui ab ipso statutus est, veritatem hujus Verbi protuleris, statim de sancto Altari panem ipsum, & vinum in corpus & sanguinem suum transferendo suscipis, eâdem virtute, eâdem potentiâ, vel gratiâ, quâ nostram de* MARIA *Virgine carnem suscipere potuit, quomodo voluit... Unum corpus est, & quod de Maria genitum in cruce pependit, & in sancto Altari oblatum quotidie nobis ipsam innovat Passionem Domini.* Nihil certè dici potuit doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, quam propugnamus, magis consentaneum.

Maximè in in libris de divinis Officiis.

Nec obstat, quod idem Rupertus lib. 2. de divinis Officiis cap. 9. asserat, *in illum in quo fides non est, præter visibiles species nihil de sacrificio pervenire.* Hoc, inquam non obstat; his enim verbis tantùm significat indignè communicantem, nihil sibi utile præter species accipere, quia corpus & sanguinem Christi ad judicium, non ad salutem comedit. Quemadmodum, inquit, asinos ad lyram cùm irrationales aures attigit, sonum quidem audit, sed modum cantilenæ non percipit; quia etsi aures ejus realiter feriant sonus, & cantilenæ modus, harmoniæ tamen modum & suavitatem non distinguit.

LX. Multò minùs eis favit Gregorius VII.

Objiciunt 4. authoritatem Gregorii VII. summi Pontificis, qui negavit realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento. Quod utique probant ex Concilio *Brixiensi* annô 1080. celebratô, in quo triginta Episcopi ipsum Gregorium VII. Pseudomonachum, totiusque vesaniæ pestiferum principem, & præcipuè sanctæ Romanæ Sedis invasorem affirmantes, ab Apostolica sede depellendum, quamvis absentem dijudicarunt, & Vuigbertum Ravennensem Archiepiscopum ei substituendum elegerunt. Summa Decreti est: *Contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromantium, pythonicô spiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum, & expellendum; nisi ab ipsa Sede descenderit, his auditis, in perpetuum condemnandum: facta sunt autem hæc 7. Kalend. Iulii, feriâ 5. Indict. 3.*

Confirmant, quia Benno Cardinalis, in vita Gregorii, refert Pontificem illum jejunium indixisse Cardinalibus, ut Deus ostenderet, quis rectiùs de corpore Domini sentiret, Ecclesiane Romana, an Berengarius; & de corpore Domini signum quæsivisse, quod petente Magnô Gregoriô ad firmandam infidelis mulieris fidem contigit: quod tamen Gregorius VII. post multas preces & jejunia non impetravit; aliaque fecisse, quibus (inquit Benno) se de veritate Eucharistiæ dubitasse monstravit; & per hoc manifestè probatur infidelis, cùm in Nicæno Concilio scriptum sit, dubium in fide infidelem esse.

Respondeo primò: Hæreticos hanc authoritatem objicientes, propriô mucrone jugulari: si enim Conciliabulum Brixiense legitimè Gregorium VII. exauctoravit, quòd de veritate realis Christi in Eucharistia præsentiæ, contra Catholicam & Apostolicam fidem dubitaret, consequens est, quòd assertio hujus realis præsentiæ, sit Catholicæ & Apostolicæ fidei consentanea.

LXI. Concilsum enim Brixiense fuit tantùm conciliabulum.

Respondeo secundò: Nihili faciendum esse decretum illius Conciliabuli Brixiensis, ut potè à schismaticis Episcopis, agente & urgente Henricô Imperatore excommunicationis sententiâ ab ipso Gregorio, fulminatô, emanatum. Scribit enim Marianus Scotus ad annum 1081. Henricum Imperatorem cum magno exercitu Romam profe-

ctum urbem obedisse, & Gregorium advertentem Romanorum plures Schismati favere, cum paucis Salernum abiisse, & ad obitum usque mansisse. Videns autem Henricus Pontificem aufugisse, congregatis triginta Episcopis faotoribus suis in ipsa Romæ obsidione Synodum haberi jussit, quâ in Gregorius falsis & inauditis criminationibus ab Henrici fautoribus fictè compositis, absens accusatur, & alius in ejus Sedem obtruditur, quem Gregorius anathematis mucrone mulctavit, Henricum quoque cum fautoribus communione privavit.

Quàm autem justô judiciô id fecerit Pontifex, utpotè in apertum tyrannum, colligitur ex Conciliô Romano annô 1083. celebrato, cujus acta referuntur in hunc modum: Annô ab Incarnatione Domini 1084. Pontificatûs verò Domini Gregorii Papæ Septimi annô 11. 12. Kalend. Decembris, præsidente eôdem Apostolicô, celebrata est tribus diebus in Lateranensi Basilica Synodus, in qua fuerant Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus, atque Apulia, pauci quoque Gallicani: nam plurimos Henrici tyranni perfidiâ iter retrovertere compulit, qui Ostiensem Episcopum de Apostolica legatione redeuntem, contra fas & juramenti fidem capi jussit, sive permisit. Tres autem Synodos quadragesimalis ejusdem H.... persecutio impedivit. Qui semel B Petrum aggressus, demum post multum fusi sanguinis, non tam suorum fortitudine, quàm negligentiâ civium porticu muros surripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior civitatis, biennii bellô fatigatum, acri inediâ laborabat: cùm nec ipsis ad vicina oppida, vel castra ire liceret, nec illi jurato. H... urbem vellent negotiatum venire, multi quoque fame abacti urbem reliquerant: Proinde cæteri bellô remissiùs attenti, rem ex animo minùs gerebant, & à custodiis, prout cuique licebat, sine timore negligentiùs aberant. Hæc de Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit, præstrinxisse sufficiat. Cæterùm Dominus Apostolicus in eadem Synodo de fidei forma, & Christianæ Religionis conversatione, sed & de robore animique constantia ad præsentem pressuram necessaria, ore non humanô, sed Angelicô patenter edisserens, die tertiâ totum ferè conventum in gemitus & lacrymas compulit, sicque Concilium Apostolicâ benedictione lætificatum in pace dimisit.

LXII. *Et Henricus Imperator qui ei adversabatur, schismaticus fuit.*

Hanc autem sententiam excommunicationis innovavit annô sequenti in Concilio Romano, ut scribit Bertoldus: *Dominus autem Papa*, inquit, *collectâ Synodô, iterùm sententiam anathematis in Gilbertum Hæresiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod in festo S. Ioannis Baptistæ præteritô jamdudum Romæ fecit, cùm Heinricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam legati Sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis Episcopus in Francia, Otto Ostiensis Episcopus Teutonicorum usquequaque divulgârunt.* Hæc Bertholdus.

Mirum itaque videri non debet, quòd à schismaticis Episcopis, & anathemate perculsis emanaverit decretum adversus summum Pontificem, mendaciis, calumniis, & inauditis accusationibus refertum.

LXIII. *Bennonis historia parùm certa.*

Ad confirmationem dico *Bennoni* nullam hac in re fidem esse faciendam, utpote qui Henrici Imperatoris fautor, & Gilberti Ravennatis in Antipapam obtrusi partium sectator, non tam Gregorii historiam texuit, quàm satyram falsitatibus, fabulis, & calumniis consarcinatam. Unde Papyrius Massô opere de Episcopis urbis, in Gregorio VII. librum Bennonis, utpote plenum maledictis odii spirantem, schismaticæ factionis furore dictatum, respuendum omnino esse exertè profitetur. Quòd autem Gregorius signum à Deo ad firmandam veritatem Eucharistiæ poposcerit, dubiam ejus fidem non efficit; sicut nec dubius fuit in fide Magnus Gregorius, cùm miraculum ad eliminandam mulieris infidelitatem postulavit.

Insuper illibatam Gregorii fidem ac pietatem testantur non solùm Concilium Turonense, cui nomine Victoris secundi, cujus erat Legatus, præfuit, in quo Berengarius suum ejuravit errorem, sed & Romanum, in quo tandem Berengarius post plurimam suam perfidiam coram ipso Gregorio summo Pontifice Catholicam fidem ita professus est, ut in ea ad mortem usque perseveraverit; eum namque summus Pontifex tamdiu detinuit apud se, donec illum amplius in fide non esse dubium constaret. Unde plurimi Scriptores, hujus Pontificis eximiam pietatem & doctrinam commendant, maximè Lambertus Scaphnaburgensis ad annum 1073. qui testatur Pontificem illum ita Apostolicè vitam instituisse, ut plurimis prodigiis, ac miraculis in vita, ac post obitum conspicuus fuerit.

LXIV. *Gregorius VII. ante & post mortem miraculis clarus.*

Inter quæ miranda opera, istud silentio non est prætereundum, quod contigit in Concilio Lugdunensi, cui Gregorius VII. tunc Legatus Victori II. præfuit; cùm enim celebraretur hoc Concilium annô 1055. adversus Præsules Simoniacâ labe infectos residentibus in ea Synodo Archiepiscopis, Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis; Archiepiscopus vir quidam litteratus, & eloquens, accusatus est de crimine Simoniæ. Qui sequenti nocte omnes suos accusatores pecuniâ corrupit, & sibi amicus fecit. Mane autem factô rediens ad Synodum, audacter dixit: Ubi sunt, qui me accusant? Exeat in publicum quicunque me voluerit damnare. Tunc obmutescentibus omnibus, prædictus Archidiaconus, tanquam vir discretus & sapiens, convertens se ad illum, dixit: Credisne, ô Archiepiscope, Spiritum sanctum cum Patre & Filio unam esse substantiam Deitatis? Quô respondente, Credo: addit Archidiaconus: Dic, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Tunc ille, *Gloria Patri & Filio*, expeditè dicebat, sed Spiritum sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cùm frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns se per divinum judicium omnino confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confessus est propriô ore se Simoniacum esse. Postquam verò à Sacerdotali & Episcopali officio est depositus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, liberâ & clarâ voce decantavit. Quod factum Simoniacos in tantùm perterruit, quòd præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, Episcopi quadraginta quinque Simoniacos se esse confessi sunt, & suis honoribus absque ulla alia accusatione renuntiaverunt.

LXV. *Simoniacus non potest integrum referre Gloria Patri, &c.*

Objiciunt 5. Facundum Hermianensem lib. 9. cap. ult. ubi suscipiens defensionem Theodori Mopsuesteni, asserentis Christum D. assumpsisse adoptionem filiorum; sic scribit: *Adoptionem quoque filiorum suscepisse Christum, etsi antiqui Patres docuisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesia, quæ tales Doctores habuit, judicari debent*

haretici: nam Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut Sacramentum corporis & sanguinis ejus, quod est in pane, & poculo consecrato, corpus ejus & sanguis dicitur: non quòd propriè corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem, quem Discipulis tradidit, corpus & sanguinem vocavit. Quocirca sicut Christi fideles Sacramentum corporis & sanguinis Christi rectè dicuntur suscepisse, sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cùm suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse.

Respondeo primò, non magni faciendam esse authoritatem Facundi, utpote qui animô schismaticô trium capitulorum defensionem susceperit adversus Vigilium, & Pelagium summos Pontifices, quibus erat infensus, ut ex aliis ejus operibus constat. Ille autem dubiæ fidei ac veritatis suspectus est, qui Ecclesiæ unitatem scindere non veretur.

LXVI. Facundus Hermianensis non favet Calvinistis.

Respondeo secundò: Quòd etsi schismaticô animô libros illos nón scripserit; attamen ex illius dictis, nihil patrocinii accedit hæreticorum errori; quando enim comparat Sacramentum adoptionis cum Sacramento corporis & sanguinis Christi, ipse nomine Sacramenti, intelligit solas species panis & vini, de quibus, quatenus præcisè sunt signa, non sunt propriè corpus Christi; sunt tamen signa continentia corpus & sanguinem Christi, nec id negat Facundus: quia verò signa appellari solent nomine rerum quas significant; ideo species appellantur corpus Christi, cùm hôc sensu sint tantùm signa corporis Christi. Hic modus loquendi ei similis est, quem usurpat D. Augustinus epistola 23. ubi ait: *Sacramentum corporis Christi, esse corpus Christi, quemadmodum Sacramentum fidei, fides est.*

Respondeo tertiò: Datô quòd Facundus per *Sacramentum corporis Domini*, totum ex signo continente & re contenta intellexerit, verè dixit ad mentem adversariorum, quos ad hominem impugnabat, Sacramentum corporis Domini, non esse corpus Domini; licèt ad mentem Ecclesiæ verum ejus corpus sit; Facundus enim opere illô agit adversus hæresim Eutychianorum, (ut constat ex cap. 2. lib. 1.) qui sub trium capitulorum nomine & obtentu, Concilium Chalcedonense fraudulenter oppugnabant, Theodorumque, Ibam, & Theodoretum in ea absolutos, damnabant. In eo autem præcisè posita erat hæc hæresis, quòd ante Incarnationem Christus fuisset ex quidem duabus naturis; at post incarnationem, unam fuisse factam, conversione scilicet humanitatis in Divinitatem: ex quo sequebatur juxta illorum sententiam, in Christo post adunationem non fuisse veram carnem, sed duntaxat apparentem, ut docet S. Leo, tum epist. ad Pulcheriam Augustam, tum epist. ad Julianum Coënsem, tum denique serm. 6. de jejunio septimi mensis, & 8. de Nativitate Domini. Ex quibus sic ad hominem arguit Facundus: Si secundùm vos, ô Eutychiani, Sacramentum corporis corpus Christi dicitur, tametsi verum Christi corpus non esse censeatis, quippe qui doceatis ipsum apparens & similitudinarium duntaxat corpus habuisse, quidni Sacramentum adoptionis adoptio dici poterit, quam significat & figurat?

§. V.

Probatur eadem realis Christi D. corporis & sanguinis in Eucharistia præsentia rationibus Theologicis.

LXVII. Rationes Theologicæ idem probantes.

Primò quidem, lex Evangelica longè præstantior est ac nobilior lege veteri & Mosaycâ; ac subinde excellentiora debet habere Sacramenta, ac majori dignitate & efficacitate prædita: sed ita non esset, si Eucharistia duntaxat esset simplex & nuda figura Christi D. corporis & sanguinis: igitur talis non est æstimanda. Major constat ex S. Paulo, tum ad Galat. tum ad Hebr. 9. & 10. ubi maximè demonstrat legis Evangelicæ præstantiam supra Mosaycam, quòd illa figuras, hæc veritatem; illa umbras, hæc realitatem & corpus complectatur. Major verò probatur; in veteri namque lege longe præcellentiores, ac clariores erant figuræ Christi D. corporis, & passionis, quam sit panis Eucharisticus, si duntaxat sit simplex panis secundùm substantiam, nec aliud dignitatis habeat, quam esse figuram corporis & passionis Christi. Enimverò Manna, & Agnus Paschalis longè præstantiùs significabant Christum, ejusque Passionem, quam nudus panis Eucharistiæ Calvinisticæ; nam Manna de cœlo pluebat, nullâque hominum, sed Angelorum operâ fiebat, & habebat in se omnis saporis suavitatem; atque ita repræsentabat Filium Dei descensurum è cœlo, sine opera viri in Virginis utero assumpturum carnem, fideles animas in eo omnem consolationem & delectationem reperturas: quæ omnia dici nequeunt de pane cibario & usuali; qualis est panis Calvinisticus.

2. Quia lex Evangelica cùm sit præstantior lege Mosaycâ, etiam debet habere præstantiora sacramēta;

Similiter idem de Agno Paschali facilè ostenditur; etenim Agnus ille, quem Judæi mactabant, erat animal vivum, panis noster substantia est inanimata, vitâ & sensu carens; nemo autem dubitare potest, quin vivens substantia sit nobilior inanimatâ, cùm scilicet plures entis gradus habeat.

Deinde, meliùs quoque caro Christi per veram carnem Agni exprimebatur, & mors per veram ejus mortem, & sanguis per sanguinem, quàm per solum panem, vel per fractionem panis; siquidem nec panis mori potest propriè, sicut Agnus vivens; nec carne etiam, aut sanguine præditus est.

Insuper: Agnus Hebræorum multò aptiùs repræsentabat innocentiam, & mansuetudinem Christi, quàm solus panis, ut per se manifestum est; unde & Christus in Scripturis toties Agnus vocatur. Joan. 1. *Ecce Agnus Dei.* Isai. 16. *Emitte Agnum dominatorem terræ*; & cap. 53. *Quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum:* Apocal. 5. *Seniores stant coram Agno.*

Denique, caro agni meliùs etiam referebat effectum spiritalem Eucharistiæ, qui est nutritio; magis enim nutrit caro agni, quàm solus panis. Igitur si Eucharistia esset duntaxat panis usualis, nec aliâ dignitate ac præstantiâ polleret, quàm quia est figura & repræsentatio corporis & passionis Christi, sequeretur legem veterem longè præstantiorem esse Evangelicâ, utpote quæ excellentiores figuras habebat.

Reponunt hæretici primò, veterem legem comparari umbris, nostram autem corpori; non quòd Sacramenta nostra præstantius aliquid contineant, quàm Judaica, sed quia hæc solùm significabant

cabant Christum venturum, & quasi adhuc absentem; nostra verò jam præsentem, & in cœlo actu existentem: longè autem præstantius est, inquiunt, significare rem præsentem & existentem, quàm futuram.

Verùm contrà; *primò* namque constat ex dictis de Sacramentis in communi, Sacramenta nostra ab antiquis discrepare, non solùm ratione objecti, id est Christi futuri, aut jam existentis, sed potius ratione efficacitatis; siquidem illa duntaxat conferebant gratiam ex opere operantis; nostra verò eam conferunt ex opere operato.

Non solùm rem præsentem exhibent quam illa præfigurabant.

Insuper, quòd Sacramenta significent rem futuram aut præsentem, non efficit quòd aliqua sint magis ipsa veritas, quam illa; ac subinde si panis Eucharisticus tantùm significet, non verò contineat corpus Christi, nullâ ratione potiori dici poterit corpus & caro Christi, quàm Agnus Paschalis, aut Manna: sed ultrò admittunt Calvinistæ Manna, & Agnum Paschalem, nonnisi impropriissimè appellari posse corpus & sanguinem Christi: igitur idem dicendum esset de Eucharistia, sicque perperam Christus Eucharistiam tradendo, dixisset; *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.*

Reponunt secundò, hoc Sacramentum nobis exhibere Christum, & eum repræsentare distinctiùs, quàm Sacramenta veteris legis, non quidem ratione sui, sed ratione verborum ipsius Christi D. quare Eucharistiam appellavit suum corpus.

Verùm hæc responsio non minùs futilis est, & inanis, quàm præcedens; idem enim est ac si quis dicat, truncum ligni omninò incultum distinctiùs repræsentare Cæsarem, quàm effigiem & imaginem Cæsaris, quia ego dico truncum illum esse Cæsarem.

Nec quia perfectiùs Christum repræsentant.

Insuper, quòd una imago aliquid perfectiùs repræsentet, quàm alia; inde dici quidem potest perfectior imago, non autem res ipsa, quam repræsentat; hinc non definit esse imago & umbra, ac figura illius rei, quam exhibet: igitur licèt panis Eucharisticus distinctiùs repræsentaret corpus & sanguinem Christi, quàm Agnus Paschalis & Manna, inde non esset consequens, quòd non foret simplex imago & figura; cùm tamen Apostolus dicat, legem novam non continere amplius umbras & figuras; sed ipsam veritatem.

Denique, hæc solutio, hæreticorum doctrinæ repugnat, negant enim verba, quibus in Sacramentis utimur, esse partes & formas Sacramentorum, ut diximus agendo de Sacramentorum formis: Nec est quòd recurrant ad verbum concionale, illud enim non est internum, nec essentiale Sacramentis nostris, ut ibidem demonstravimus.

Adde quòd conciones non solùm vigent in lege Evangelica, sed etiam vigebant in Mosayca.

Reponunt tertiò alii, nostra Sacramenta esse nobiliora veteribus, eò quòd uberiorem gratiam conferant.

Nec solùm quia uberiorem gratiam continent & conferunt.

Verùm hæc responsio apertè in ipsos hæreticos militat; nam aut volunt gratiam conferre Sacramenta novæ legis ex opere operato, aut ex opere operantis.

Non *primum*; siquidem hæretici absolutè negant, Sacramenta novæ legis eam habere efficacitatem, ut gratiam conferant ex opere operato: quapropter has loquendi formulas, *opus operatum*, tanquam ineptas & barbaras deridènt.

Non etiam *secundum*: nam in parvulis constat nullam inveniri talem actionem, quæ sit sufficiens dispositio ad gratiam per Sacramentum Baptismi consequendam: in adultis verò hæreticis derident cooperationem ad gratiam, & omnia nostra merita respuunt, aiuntque opera nostra non esse peccati experti.

Deinde, si concedant hæretici, Christianos posse sese disponere ex opere operantis ad gratiam per novæ legis Sacramenta consequendam, ratione eorum virtutis & pietatis, non est cur inde adstruant Sacramenta novæ legis esse præstantiora Sacramentis veteribus; siquidem plurimi in veteri lege fuerunt longè sanctiores, quàm nonnulli Fideles; nam ipse Moyses, David, Ezechias, Prophetæ, & plerique alii Patres veteris Testamenti innumeris Christianis legis Evangelicæ sanctiores fuerunt; ac subinde habuerunt nobilius opus operantis; proindeque majorem gratiam fuerunt consecuti; & consequenter hâc ratione nobiliora habuissent Sacramenta. Concludendum est ergo, quòd si panis Eucharisticus esset duntaxat figura corporis Christi, Sacramenta novæ legis imperfectiora essent Sacramentis legis veteris, quod apertè militat, non dum in doctrinam S. Apostoli, sed etiam SS. Patrum, ut probatum est in prima Disputatione hujusce libri.

Sed quia illa erant duntaxat figuræ, hæc verò sunt veritates.

LIX.

Cœna Calvinistica non potest esse ea quã commendat Apostolus.

Probatur secundò hæc veritas: Si Eucharistia non contineret verè, realiter ac substantialiter corpus & sanguinem Christi, sequeretur juxta hæreticorum doctrinam, corpus & sanguinem Christi non posse indignè manducari & bibi ab hominibus, quantumvis perversis & peccatoribus: sed falsum consequens: ergo & antecedens. Minor patet ex Apostolo scribente 1. ad Cor. 11. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quibus verbis apertè fatetur Apostolus, Eucharistiam à fidelibus posse indignè suscipi. Major pariter admitti necessariò debet ab hæreticis; volunt enim fideles, dum panem Eucharisticum manducant, duntaxat recipere corpus Christi, *per os fidei*, hoc est beneficiô fidei apprehendentis Christum quasi realiter præsentem, & seipsum eis communicantem: docent pariter nos justificari per fidem, ut dictum est agendo de gratia justificante; ac subinde fateri debent non posse corpus Christi suscipi, nisi à justificatis; quippe cùm non suscipiatur, nisi ab habentibus fidem, quæ in eorum doctrina est forma justificans: igitur si corpus Christi non esset verè, ac realiter sub speciebus Eucharisticis, sed tantùm per fidem susciperetur, consequens est, quòd non posset à fidelibus indignè suscipi. Unde inferendum est, cœnam Calvinisticam non eam esse, quam Christus instituit, & Apostolus servandam docuit. In hac enim, ut docet Apostolus, potest indignè suscipi corpus Christi; in Calvinistica autem non potest.

Reponunt hæretici, idcirco indignè accedentem ad Eucharistiam censeri reum corporis & sanguinis Christi, non quòd utrumque sine debita dispositione & reverentia suscipiat, sed quòd irrita faciat symbola, quibus mediantibus, corporis & sanguinis Christi particeps esse debuerat; non secus ac ille diceretur reus læsæ majestatis regiæ, qui vitam sibi clementiâ Regis donatam, & diplomate Regiô sigillô munitô gratiam consignatam, non solùm respueret, sed etiam diploma illud pedibus conculcaret, ac laceraret; ille enim

indignus esset gratiâ sibi oblatâ, & pœnas debitas jure meritò lueret. Simile autem quid præstat quisquis indignè panem Eucharisticum suscipit; siquidem vacua & irrita efficit signa, & symbola vitæ cœlestis, quam coosequi debuerat.

Verùm, facilè præcluditur hæc elusio, & illusio: primò namque Apostolus non dixit, eum esse reum corporis Christi, quia illud manducare debuerat, nec tamen manducat propter indignitatem suam, & ob defectum fidei: sed quia reverà illud manducat & bibit indignè; ait enim: *Qui manducat, & bibit indignè, &c.* Quæ utique loquendi formula connotat manducationem Christi D. corporis, non quæ fieret, sed quæ reverà fit: igitur vanum, & prorsus futile est hæreticorum effugium.

Deinde, allatum exemplum est prorsus impertinens; siquidem diploma regium supponit jam vitam à Rege donatam reo, quâ quidem gratiâ reus ille fit indignus, dum symbola in quibus continetur, indignè tractat: at panis Eucharisticus non supponit jam corpus Christi D. concessum, & reverà præsens in senteotia hæreticorum, sed tantùm concedendum beneficiô ejusmodi symbolorum; ac subinde inter utrumque nulla prorsus est paritas.

Objiciunt hæretici varia argumenta petita à ratione humana, quæ omnia ad quinque præcipua capita reduci solent: *Primò*, inquiunt, implicat contradictionem, quòd idem corpus indivisum manens, eôdem tempore in diversis locis existat, quia sequeretur idem sibi dextrum & sinistrum esse, quiescere posse & moveri simul, summè calere & frigere, mori & vivere; subindeque corpus Christi non potest simul in cœlo empyreo sedens in dextera Patris, & in terra realiter existens in Eucharistiæ Sacramento, & consequenter multò minùs simul poni in pluribus Altaribus per coosecrationem diversarum specierum; alioquin fieri posset immensum, cùm non magis repugnet ipsum in infinitis locis, quàm pluribus, distinctisque collocari.

LXIX. Non repugnat quòd idem corpus sit simul in diversis locis.

Respondeo, nihil quidquam absurdi esse, quòd unum & idem corpus simul existat in diversis locis secundùm diversos existendi modos, nempe in uno circumscriptivè, & in aliis Sacramentaliter: sic enim est unum quidem substantiâ, virtute tamen plura, & in diversis existendi modis diversum, quatenus pluries & diversimodè existit, ut disertè docet Tridentinum: *Docet sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Christum realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri; nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & in multis nihilominus aliis locis Sacramentaliter præsens, suâ substantiâ nobis adsit.* Simile videmus in anima, quæ est tota in singulis membris, & movetur locô in manu, dum quiescit in capite, simul movetur sursum in dextra, & deorsum in sinistra; in illa sentit calorem, in hac frigus. Quòd si Deus hoc tribuerit spiritui, ut naturaliter totus in pluribus locis partialibus sit: & cùm nulla sit ratio negandi, quin Deus animam in abscissa manu, & consequenter in distinctis omnino locis possit conservare: cur hoc ei circa corpus denegemus?

Item plurimos Sanctorum eôdem tempore diversis in locis fuisse, plurimæ referunt historiæ. Nec potest commodè intelligi, quomodo Christus Act. 9. & 25. B. Paulo apparuerit, & cum eo collocutus, & ab astantibus auditus fuerit, nec tamen è cœlo (ut ipsi hæretici communiter fatentur) discesserit; nisi dicamus eum simul in duobus locis fuisse. Omnino enim Scriptura ibidem innuit, eum B. Paulo præsentem & propinquum fuisse.

Objiciunt secundò: Repugnat corpus humanum ita esse inextensum localiter, ut possit existere absque omni extensione, & in loco omnino indivisibili: igitur corpus Christi non potest contineri intra parvam hostiam, multò minùs subsistere sub qualibet ipsius hostiæ particula. Patet antecedens: Extensio enim localis est effectus formalis quantitatis; ac subinde non potest, sicut nec ipsa quantitas, ab ipso humano corpore realiter separari, ipso realiter perseverante.

LXX. Nec in loco minimo.

Nego antecedens, nec-non & ejus probationem; siquidem, ut probavimus in nostra Physica, quantitas est accidens absolutum realiter distinctum à materia & corpore, & ab utroque omnino separabile divinitùs.

Adde quod, ut ibidem probatum est, effectus formalis quantitatis, non sit illa actualis partium extensio & dispositio in ordine ad locum, sed in ordine ad se, quæ consistit in ipsa partium distinctione, ex quibus constat corporis entitas apta coëxistendi loco, & spatio divisibili. Unde licèt Christi D. corpus in Eucharistia non habeat extensionem localem, & subsistat modô indivisibili; non propterea desinit habere partes sibi debitas, & secundùm dispositionem naturalem ordinatas; itaut caput immediatè jungatur collo, collum scapulis, scapulæ pectori, & sic de cæteris.

Quòd autem corpus aliquod possit divinâ virtute denodari ac spoliari suâ quantitate, colligitur ex Scriptura sacra; testatur enim Christus D. Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 18. Deum efficere posse, ut camelus transeat per foramen acûs.

Non potest autem camelus foramen acûs pervadere, nisi locum occupando modô inextensô; alioqui sequeretur, quòd corpus majus esset minus suô minori: ac subinde potest aliquod corpus suâ extensione naturali sibi connaturaliter debitâ spoliari.

Quia corpus potest suâ quantitate spoliari.

Confirmatur hæc responsio: Quia non minùs connaturale est corpori esse naturaliter impenetrabile ratione sibi inexistentis quantitatis, quàm esse extensum in ordine ad locum. Tria siquidem corpori quanto conveniunt: *Primum* est habere partes extra partes: *Secundum*, commensurari loco: *Tertium*, aliud corpus extensum ab eodem loco expellere; idcirco enim unum corpus non patitur aliud secum in eodem loco, quia habet partes extensas, & commensuratas loco, ac subinde ipsum locum replet, sed fieri potest supernaturaliter; quòd unum corpus locum occupet, nec tamen aliud ab eodem loco expellat, sicque fiat penetratio corporum.

Quod utique probatur exemplô ejusdem Christi D. corporis exeuntis ex utero Virginis, manente illibatâ ejus integritate, juxta Ezechielis 44. vaticinium, ubi beatissimæ Virginis uterus designatur per portam clausam; sic enim interpretatur sanctus Ambrosius lib. de Instit. Virginis cap. 7. *Quæ est porta, inquit, nisi Maria, per quam Christus intravit in hunc*

Et aliud corpus penetrore.

mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit, mansit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine. Et cap. 8. *Hac porta clausa erit, & non aperietur: bona porta Maria, qua clausa erat, & non aperiebatur; transivit per eam Christus, sed non aperuit.*

Hinc S. Augustinus serm. 159. de tempore, ex illo miraculo colligit, Christum D. potuisse pervadere in cœnaculum januis clausis, ubi erant Discipuli congregati; Moli corporis, *inquit*, ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt, ille quippe non eis apertis intrare potuit, quô nascente, virginitas Matris inviolata permansit. Quod utique miraculum eleganter expendit S. Cyrillus lib. 12. in Joan. exponens enim verba illa Joannis: *Cum ergo serò esset die illâ una Sabbatorum, & fores essent clausa, &c.* hæc scribit: *Obseratis foribus, in medio stetit Christus, inæstimabili quâdam virtute, Deoque convenienti supra rerum ordinem, omnemque rationem humanam. Nemo dicat, quomodo, quæso, in crasso corpore cùm esset Dominus, nullô tamen negotiô, tametsi janua clausa essent penetravit? sed apud se cogitet potiùs divinum Evangelistam haud quaquam hac de aliquo nostri simili dicere: sed de eo potius, qui Deo ac Patri assidet, atque omnia quæcunque vult facit. Oportebat enim, cùm Deus secundum suam naturam sit ac verus, nequaquam subjacere rerum ordini, sicuti res ab ipso creata: sed necessitati ipsi & omnium qua aguntur rationi dominari. Alioqui enim quò pacto mare pedibus suis subjiceret, fluctusque siccô pede tranaret; neque enim nostris corporibus aqua substernuntur; aut quodammodo alia miracula virtute Deo convenienti ederet?*

Objiciunt tertiò: Admissâ præsentiâ reali corporis Christi in Eucharistia, absurdissima quædam, & Christo prorsus indigna sequuntur: quid enim Christi majestati indignius, quam ipsum in Eucharistia non solùm in terram, sed etiam in sordes interdum dejici, dentibus atteri, à muribus & aliis animalibus rodi, putrescere & acescere, cum panis & vini corruptione, in stomachum trajici, & in secessum ire? Ea omnia gloriosum Christi D. corpus dedecent: igitur non est verisimile ipsum sub speciebus Eucharisticis realiter delitescere.

Respondeo primò, mysteria nostræ fidei eô ipsô diviniora censeri, quò Dei majestate secundùm humanam sapientiam prorsus videntur indigna. *Stultum quippe*, inquit S. Gregorius homil. 6. in Evangelia, *hominibus visum est, ut pro hominibus Author vita moreretur; & inde contra eum homo scandalum sumpsit; unde ei amplius debitor fieri debuit: nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit.* Hinc præclarè Tertullianus in lib. de carne Christi: *Quodcunque Deò indignum est, mihi expedit: salvus sum, si non confundar de Domino meo. Natus est Dei Filius, non pudet, quia pudendum est: & mortuus est Dei Filius; prorsus incredibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile.* Et lib. 2. contra Marcionem: *Assumpsisse Deum quadam sibi indigna*, inquit, *nobis autem necessaria; & ideo jam Deò digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm salus hominis.* Quemadmodum ergo Christus D. nostræ salutis gratiâ, dum homo factus est, ea assumpsit, & passus est, quæ Dei majestate indigna visa sunt Judæis & Gentilibus, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Ita ejus erga homines charitas ipsum impulit ad instituendum Eucharistiæ Sacramentum, in quo variis indignitatibus hæreticis videtur subjici; at illa summam ejus charitatem commendant.

LXXI. Dei eò magis ob homine est honorandus quantò propter eū indigna suscepit.

Respondeo secundò, illa omnia inconvenientia futiliter ab hæreticis objici, atque ex fidei nostræ ignoratione vel dissimulatione; si enim attenderent Christum esse in Eucharistia modô impassibili; & omnem alterationem solis panis speciebus obvenire; quippe cùm illæ duntaxat dentibus atterantur, solæ putrescant, solæ acescant & moveantur, haud dubiè desinerent Catholicam doctrinam calumniari, nec iis vilioribus mutationibus Christi D. corpus obnoxium esse blaterarent.

LXXII. Corpus Christi ad specierum corruptionem non corrumpitur.

Quemadmodum enim Solis radii paludum & fimorum sordibus non inquinantur, sic gloriosum Christi D. corpus nullis specierum Sacramentalium qualitatibus, vel injuriis afficitur, aut mutatur. Vel, ut loquitur Author de Cœna Domini apud S. Cyprianum: *Integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur, & non injuriatur, recipitur, & non includitur.* Cui concinit S. Augustinus apud Bedam in cap. 10. prioris ad Cor. *Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuus vivificat: quando manducatur, reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare istum panem, ne fortè finiamus illum, & posteà quod manducetur, non inveniamus: Manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus.*

Egregia ad hæreticos admonitio.

Concludo tandem hanc refertissimam adversus Calvinistarum errores probationum segetem, iisdem verbis, quibus Guitmundus suum adversus Berengarianos tractatum coronavit. Multa, *inquit*, contra istos jam diximus, multa quoque dici possunt: sed piis mentibus (ut arbitror) ista sufficiunt. Quid enim ampliùs adversus istos quærerem, cùm objectionem eorum, sive per rationes, sive per Scripturas, nostræ fidei nihil obesse; imò vero ipsas easdem Scripturas nobiscum magis esse satis, lucidéque monstratum sit: cùm istorum dementias, & singulatim, & communiter tam venerabilium Authorum, quàm Propheticis & Evangelicis testimoniis teneant pleuissimè destructas: nostram verò fidem usquequaque firmissimam, utilissimam, excellentissimam, summéque necessariam, videant evidentissimè declaratam? At verò impiis quid sufficiet, si duriores saxis tot argumentorum malleis percussi credere nolunt; si tenebrosiores infernô, tantâ fortissimarum rationum luce collustrari non possunt; aut certè meretricum similes de sua turpitudine, vel pervicacia erubescere nesciunt, aut dæmonum simillimi cœptam semel vecordiam tantâ pertinaciâ diligunt, ut veritatem gratis odiô habeant, & à falsitate vel manifestissima nunquam resipiscant? O miserrimos homines, & immensô lacrymarum imbre lugendos, si tanta pervasit eos propagandæ famæ cupiditas, ut à blasphemiis propalatis nec clarissima veritas, nec summa ipsorum infamia, nec vitæ æternæ amor, nec æterna damnatio valeant revocare! Redite quæso, *Redite prævaricatores ad cor.* Quare moriemini gratis? Non talis hæc disputatio est, quæ utrobique valeat leviter compensari. Non hic, sicut in Scholis, pro victoria, aut sicut in judiciis, pro quibuslibet terrenis commodis agitur: sed, sicut coram Deo pro vita æterna, atque cœlesti disputatur: falsam etenim partem sempiterna mors devorat; veram

cramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est; ita Sacramentum fidei, fides est.

Respondeo cum nostro d'*Astroy*, controversiâ de Eucharistia; *Primò* his verbis, non negari à S. Augustino, imò expressè asseri, *quod Christus verè immoletur, itaut non mentiatur, qui interrogatus responderit eum immolari in Sacramento*: sed negari, quod immoletur *inseipso*, id est, *sensibiliter* & cruentè; quia immolatio illa non afficit Christum *in seipso intrinsecè*, quantumvis illic præsentissimum; sed afficit *Sacramentaliter* duntaxat, & *incruentè*, repræsentando cruentam illius immolationem olim in cruce factam, seu corpus instar occisi, ac sanguinem instar effusi, & hoc ipsum, *non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die* fit pro multis in remissionem peccatorum.

Respondeo secundò, secundùm quemdam modum, *Sacramentum corporis Christi esse corpus Christi*, nimirum in *sensu causali*, id est per *modum* causæ moralis verè & realiter continentis suum figuratum, & saltem moraliter causantis, ac conservantis veram, & realem illius præsentiam: quemadmodum *fidei Sacramentum*, (hoc est, Baptismus) *fides est*; non solummodò significativè, sed etiam causaliter & efficaciter, tanquam signum causativum, & demonstrativum sui effectûs præsentis in fieri. Nam, ut ait S. Doctor lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 9. *Christus, in quo omnes vivificabuntur, præter quàm quòd se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit; dat etiam sui Spiritûs occultissimam fidelibus gratiam, quam* LATENTER INFUNDIT ET PARVULIS. Ex hac igitur comparatione Sacramenti fidei, seu Baptismi, cum Sacramento corporis Christi, sequitur ex mente S. Doctoris Augustini, *Sacramentum corporis esse corpus*, non nudè significativè, hoc est, ut signum duntaxat rememorans, & abstrahens ab effectu & præsentia sui significati; sed ut signum efficax præsentiæ ipsius eamque continens, & demonstrans in fieri & conservari, prout loqui solent, qui Theologiam Scholasticam tractant.

LVI.
Quomodo S. August. dixerit homines non manducaturos corpus Christi quod videbant.

Objiciunt secundò eundem, S. Augustinum in Psal. 98. ubi Christum sic loquentem ad Capharnaitas inducit: *Spiritaliter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus, quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis: spiritaliter intellectum vivificabit vos, caro autem non prodest quidquam.*

Respondeo, S. Augustinum intelligendum esse de manducatione corporis passibilis, & bibitione sanguinis modô sensibili & cruentô, ut seipsum explicat in epistola ad Irenæum, verbis relatis de consecr. dist. 1. cap. 45. *Non hoc corpus*, inquit, *quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Ipsum quidem, & non ipsum. Ipsum invisibiliter, & non ipsum visibiliter.* Unde præfata verba eô modô sunt accipienda, quomodò ipsemet S. Augustinus explicat illud dictum Christi D. Joan. 16. *Iam non videbitis me*; ait enim tract. 95. *Quid ergo est: nisi quomodo sum, cùm vobiscum sum?* HUNC *ergo Christum*, ID EST TALEM *Christum non erant visuri*. Quòd si negandum sit *verum corpus Christi in Eucharistia*, quia dixit Augustinus: *Non* HOC CORPUS, *quod videtis, manducaturi estis*; eôdem planè modô negandus erit *verus Christus suscitatus à mortuis*, quia idem S. Augustinus dixit; HUNC CHRISTUM *non esse jam videndum*: quod quàm impium sit ac blasphemum, & à tanti Doctoris mente alienissimum, nemo non videt. Imò verò ne cui vel minimæ saltem suspicionis umbram relinqueret, cùm dixisset, *Apostolos* HUNC *Christum non visuros*, statim quô sensu id foret intelligendum, manifestissimè declaravit, cùm subdidit, ID EST TALEM. Eôdem itaque prorsus modô, quando suprà dixit: NON HOC CORPUS, *quod videtis manducaturi estis*, subintelligendum est, NON TALE *corpus quod videtis, manducaturi estis*. sic etiam S. Paulus dicebat *ad Galat. 2. Vivo ego, jam non ego*. Unde de eodem homine notabiliter accidentariè mutato, dicitur, non est amplius idem, qui fuerat. Hinc S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitent. cap. 10. refert, quemdam rectè dixisse, *Ego non sum ego*. Quòd autem aliud noluerit S. Augustinus eô loci, manifestè patet; siquidem ibi scripserat: *Christum suscepisse de terra terram, quia caro de terra est: & de carne Mariæ accepisse carnem: in ipsa carne hîc ambulasse; & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedisse; neminem autem illam carnem manducare, nisi priùs adoraverit; & non solùm non peccari adorando, sed peccari non adorando.* Quomodo autem post hæc tam clarè, tam evidenter expressa & inculcata, S. Augustinus in eodem sermonis contextu, velut sui oblitus, veritatem corporis Christi in Eucharistia negasset, adeoque idololatriam statuisset; si enim ibi non est Christi caro, ibi non est adoranda.

Nota.

Ut autem omnes similes ex S. Augustino depromendas authoritates, facili negotiô discutias; placuit hîc attexere nonnullas observationes, quas ex doctrina sanctissimi illius Doctoris selegit *P. d'Astroy* locô suprà laudatô, *pag. 158. Primò* quidem monet S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 8. *Arbitror sanè*, inquit, *tardiores* (adde & præsumptiores) *in quibusdam locis librorum meorum opinaturos, me sensisse, quod non sensi; aut non sensisse quod sensi. Quorum errorem mihi tribui non debere, quis nesciat? Quandoquidem nec ipsis Sanctis divinorum librorum authoribus, ullô modô quisquam rectè tribueret tam multos & varios errores hæreticorum.*

LVII.
Monita observanda in doctrina S. Augustini.

Monet *secundò* lib. de dono perseverantiæ cap. ult. *Qui legunt, si intelligunt; agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent. Qui verò me errare existimant, etiam atque etiam, quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent.*

1. Quòd aliqui ejus scripta pessimè erant interpretaturi.

Monet tertiò lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 18. *Non ea colligenda, & commemoranda sunt quæ obscurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta sunt: quæ quisque sicut voluerit, interpretetur secundùm sensum suum: talia enim rectè intelligi, exponique non possunt, nisi priùs ea quæ apertissimè dicta sunt, firmâ fide teneantur.*

2. Quòd dicta figuratè, sint ex aliis dictis explicanda.

Monet quartò, Sacramenti mysterium propter suam summam ipsius profunditatem, non esse temerè coram Catechumenis, & Gentilibus exponendum: *Catechumenis*, inquit tract. 96. in Joan. *Sacramenta fidelium non produntur; non ideo quòd ea ferre non possunt, sed ut ab eis tantò ardentiùs concupiscantur, quantò honorabiliùs occultantur.* Idem docet in Psalm. 109. nec-non & lib. 10. de civitate cap. 26. sed evidentissimè serm. 46. de verbis Domini; *Sicut audivimus, cùm sanctum Evangelium legeretur, Dominus Iesus Christus exhortatus, est promissione vitæ æternæ, ad manducandam carnem suam, & bibendum sanguinem suum. Qui audistis hæc, nondum* OMNES INTELLEXISTIS, *qui enim* FIDELES ET BAPTISATI

3 Quòd mysterium Eucharistiç non erat perspicuè declarandum coram Catechumenis.

estis, quid dixerit, NOSTIS, *Qui autem inter nos adhuc Catechumeni, vel audientes vocantur, potuerunt esse (cùm legeretur) audientes, nunquid & intelligentes? ergo sermo noster ad utrosque dirigitur. Qui jam manducant corpus Domini, & bibunt sanguinem ejus, cogitent quid manducent & bibant. Qui autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas invitati festinent. Per istos dies Magistri pascunt. Christus quotidie pascit, mensa ipsius est illa in medio constituta. Quid causæ est, ô audientes* (Cathecumeni) *ut mensam videatis, & ad epulas non accedatis? Et fortè modo cùm Evangelium legeretur, dixistis in cordibus vestris: Putamus quid est hoc quod dicit: Caro mea verè esca est, & sanguis meus verè potus est? Quomodo manducatur caro Domini, & bibitur sanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis contra se clausit, ut hoc nescias? Velatum est, sed si volueris, erit revelatum. Accede ad professionem, & solvisti quæstionem: Quid enim dixerit Dominus* JESUS *jam* FIDELES NOVERUNT.

Et Paganis.

Quòd ad Paganos seu Gentiles, seu Infideles attinet, satis patet ex *Maximi Madaurensis* idololatræ epistola, quis eorum sensus fuerit, & quàm non temerè ejusmodi hominibus proponenda fuerint nostræ fidei arcana. Ille enim Ethnicus sic scribit sancto Doctori Augustino: *Illud quæso, vir sapientissime, ut remotè facundiæ robore, atque exploso, quò cunctis clarus es; omissis etiam quibus pugnare solebat Chrysippus argumentis: postpositâ paululum dialecticâ, quæ nervorum suorum luctamine nihil certi cuiquam relinquere nititur:* IPSA RE *approbes, quis sit* ISTE DEUS, *quem vos Christiani, quasi* PROPRIUM VENDICATIS, *& in* LOCIS ABDITIS PRÆSENTEM *vos videre componitis? Nos etenim Deos nostros luce palam ante oculos atque aures omnium mortalium, piis precibus adoramus, & per suaves hostias nobis propitios efficimus, & à cunctis hæc cerni, & probari contendimus.*

Similiter S. Chrysostomus homil de proditione Judæ: *Accepit panem Christus & dixit: Hoc est corpus meum; agnoscant quid loquar, qui mysteriis initiati sunt.* Theodoretus dialogo 1. *Non est consentaneum apertè loqui, nam hic fortassè aliqui sunt infideles.* Confirmatur; si enim de aliis arcanis obscurè loquendum erat ad vitandum scandalum, multò magis de Eucharistia, quæ est mysterium mysteriorum; unde etiam vocatur *mysterium fidei* in consecratione calicis.

Advertendum insuper, cum illustrissimo nostro Meurissio, quòd quotiescumque, Patres verba Sacramentalia transferunt ad spiritualem divinæ doctrinæ manducationem, non secundùm sensum literalem, sed mysticum, sunt intelligendi; qui tamen sensus mysticus cum literali non pugnat, sed potius in eo fundatur. Sic Origenes in cap. 26. Matth. *Panis iste, quem Deus corpus suum fatetur, verbum est nutritorium animarum.* Aliàs tamen, si nullus supponeretur sensus literalis, nullum relinqueretur Sacramentum Eucharistiæ.

Nota.

Sic pariter caput sextum S. Joannis nonnulli Patres metaphoricè explicant de manducatione spirituali per meditationem, per fidem, per lectionem Scripturarum, per charitatem & dilectionem. Ita S. Hieronymus in Psal. 146. S. Augustinus in tract. 25. & 26. in Joan. Quamvis itaque nonnulli Patres hoc caput sextum Joannis metaphoricè exposuerint; tamen nemo ipsorum docuit non posse aliter, quàm figuratè explicari; imò prædictos S. Hieronymus epist. 150. qu. 2. & S. Augustinus tract. 26. in Joan. interpretantur de vera manducatione reali: Unde idem Origenes homil 16. in *Numeros*, utrumque sensum conjungit, dicens: *Bibere dicimur sanguinem Christi, & ritu Sacramentorum, & cùm sermones ejus recipimus.*

Quarta observatio: Cùm dicunt iidem Patres, oportere manducare corpus Christi spiritualiter per fidem, non negant realem manducationem, sed spiritualem addunt, ut realis sit fructuosa. Ita debet intelligi S. Augustinus tract. 25. in Joan. *Ut quid paras dentem, & ventrem? crede & manducasti.* Nam mox superiùs dixit: *Fideli corde atque ore Christum à nobis suscipi.* Et S. Chrysost. etiam suprà: *Non fide tantùm, sed reipsâ.* Ita etiam debent intelligi, cùm dicunt Christi corpus à malis non posse manducari, ut Origenes in caput 15. Matth. *Verbum factum est caro, verusque cibus, quem qui comederit, omnino vivet in æternum, quem nullus malus potest edere.* (Supple prout oportet ad salutem, & ad animæ spiritualem refectionem.) Addo & per illum modum loquendi, velle indicare virtutem omnipotentiæ divinæ, quæ hoc efficit miraculum, quomodò Apostolus in epistola ad Galatas dicit, Isaac natum fuisse secundùm spiritum, idest, per miraculum omnipotentiæ divinæ.

LVIII. Sensus mysticus non officit literali.

Si autem SS. Patres sæpè obscuriùs de hoc mysterio locuti fuerint, mirum videri non debet; cùm enim exorta non esset circa hanc veritatem controversia, liberiùs loquebantur; quia sciebant se loqui in Ecclesia Catholica, mentemque suam à fidelibus satis intelligi, potissimùm nondum exortis hæreticis Sacramentum hoc negantibus, aut oppugnantibus; ideoque de veritate hujus Sacramenti stabilienda, ex professo nunquam egerunt. Unde hæc in se meritò quadrat illud S. Augustini lib. de prædest. Sanctorum cap. 14. ubi generatim excusat omnes Patres, quos Semipelagiani in sui erroris patrocinium proferebant, dicens: *Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priùs, quàm ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentiant, breviter quibusdam Scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & exhortationibus ad quasdam virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera fælicitate servitur.*

Objiciunt 3. authoritatem *Ruperti Abbatis Tuitiensis*, qui lib. 2. *de divinis Officiis*, docet Eucharistiam esse nudam corporis Christi figuram; unde opus illud Vuicleffus, ejusque sectatores maximè commendant: Hinc Thomas Vualdensis tom. 2. cap. 19, scripsit, Authorem de divinis Officiis serpere ut cancrum. Unde S. Anselmus in epistola præfixa tractatui de Sacramento Altaris, quam ad Rupertum dirigit, eum monet, illius libri de Eucharistia doctrinam, fuisse in Berengario damnatam: igitur tempore Ruperti hæc non erat constans doctrina de reali Christi corporis & sanguinis in Eucharistiæ Sacramento præsentia.

LIX. Perperam hæretici fingunt Rupertum errori suo patrocinari

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, apertam esse Vuicleffi calumniam & imposturam, quòd Rupertus realem Christi in Eucharistia præsentiam in dubium revocaverit; quinimò

eam acerrimè propugnavit pluribi; maximè verò in epistola nuncupatoria Commentariorum in Joannem, quæ in editione Coloniensi 1526. extat, ubi quorundam in se calumnias referens, sic habet: *Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent, nisi quòd aliqui ex eis, dum volunt Sacramentum corporis & sanguinis Domini solummodò signum esse sacræ rei, juxta errorem quondam Berengarii Turonensis, etiam dictum S. Augustinum ita sentire putant, quod omnino falsum est. Ego autem dico verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, & verum esse de certo sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut Catholica Ecclesia tenet. Hæc quia probare conati sunt, Beato me derogare Augustino, contra illum sentiendo, quem in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malò sensu diripiendo. Verùm hæc jam fere nemo palam profiteri aut defendere audet, universâ sentiente Ecclesiâ Catholicâ, quia verum corpus & verus sanguis Christi est.* Et in fine: *Credamus fideli Salvatori Deo, eo quòd non videmus, scilicet panem & vinum in veram corporis & sanguinis Domini transiisse substantiam.* Quibus verbis nihil luculentius.

Contrarium apertè docet pluribi.

Confirmatur insuper, ex eo quòd Rupertus existimavit, corpus Christi ab indignis comedi, non quidem ore fidei, sed corporis. Etenim lib. 6. in Joan. *Panis*, inquit, *semel consecratus nunquam postea virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit, sed non prodest quidquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est... Quò ergo devenit, quod indignus manducat & bibit? Hoc certè pium sit & salutare credere per membra diffundi; ita ut non sit obnoxium secessui; sed hoc plus habet dignus indigno, quia huic ad salutem, illi proficit ad judicium.* Et lib. 1. in regulam S. Benedicti sub finem: *Habueram*, inquit, *cum aliquo magni nominis, magnæque æstimationis Scholastico, sive Monacho certamen permolestum de Sacramento corporis & sanguinis Domini, qui inter cætera quibus deprimere conabatur majestatem tanti Sacramenti, illud mihi objecerat, quia Sacramentum illud Judæ quoque traditori suo Dominus dedit, sicut cæteris Apostolis: hoc nimirum intendens, quòd nequaquam illi dedisset, si vera esset substantia corporis & sanguinis sui.*

Quin & lib. *de divinis Officiis*, doctrina de reali corporis Christi in Eucharistia præsentia non obscurè continetur: librô enim 2. cap. 2. *Panis & vinum*, inquit, *in verum corpus & sanguinem Domini transferuntur. Multi fidei oculos non habentes in sancto sacrificio præter panem & vinum nihil amplius intuentes, cùm diceretur eis, corpus & sanguis Domini est, murmuraverunt, dicentes, quomodo est?... Verum Dei Verbum, verum Dei Filium sancta Ecclesia Catholica offert Creatori suo, credens corde, & ore confitens, pariterque manibus panem & vinum sicut sibi tradidit ipse Salvator offerens; nam pro quota suarum parte beneficiorum gratias ageret Ecclesia Creatori, Salvatori & Illuminatori suo, si nihil aliud ei, quàm panem & vinum offerret?... Non ergo solum panem & vinum, quæ corporaliter videntur: sed & quod non nisi fidei oculis aspicitur Verbum Dei, Filium Dei offert sancta Ecclesia, novum & verum immolans sacrificium... Si hujus Verbi flumen supèr panem & vinum effuderis; & ordine, qui ab ipso statutus est, veritatem hujus Verbi protuleris, statim de sancto Altari panem ipsum, & vinum in corpus & sanguinem suum transferendo suscipis, eâdem virtute, eâdem potentiâ, vel gratiâ, quâ nostram de MARIA Virgine carnem suscipere potuit, quomodo voluit... Unum corpus est, & quod de Maria genitum in cruce pependit, & in sancto Altari oblatum quotidie nobis ipsam innovat Passionem Domini.* Nihil certè dici potuit doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, quam propugnamus, magis consentaneum.

Maximè in in libris de divinis Officiis.

Nec obstat, quod idem Rupertus lib. 2. de divinis Officiis cap. 9. asserat, *in illum in quo fides non est, præter visibiles species nihil de sacrificio pervenire.* Hoc, inquam, non obstat; his enim verbis tantùm significat indignè communicantem, nihil sibi utile præter species accipere, quia corpus & sanguinem Christi ad judicium, non ad salutem comedit. Quemadmodum, inquit, asinus ad lyram cùm irrationales aures arrigit, sonum quidem audit, sed modum cantilenæ non percipit; quia etsi aurea ejus realiter feriant sonus, & cantilenæ modus, harmoniæ tamen modum & suavitatem non distinguit.

LX. *Objiciunt 4.* authoritatem Gregorii VII. summi Pontificis, qui negavit realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento. Quod utique probant ex Concilio *Brixiensi* annô 1080. celebratô, in quo triginta Episcopi ipsum Gregorium VII. Pseudomonachum, totiusque vesaniæ pestiferum principem, & præcipuè sanctæ Romanæ Sedis invasorem affirmantes, ab Apostolica sede depellendum, quamvis absentem dijudicarunt, & Vuigbertum Ravennensem Archiepiscopum ei substituendum elegerunt. Summa Decreti est: *Contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, pythonicô spiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum, & expellendum; nisi ab ipsa Sede descenderit, his auditis, in perpetuum condemnandum: facta sunt autem hæc 7. Kalend. Iulii, feriâ 5. Indict. 3.*

Multò minùs eis favit Gregorius VII.

Confirmant, quia Benno Cardinalis, in vita Gregorii, refert Pontificem illum jejunium indixisse Cardinalibus, ut Deus ostenderet, quis rectiùs de corpore Domini sentiret, Ecclesiane Romana, an Berengarius; & de corpore Domini signum quæsivisse, quod petente Magnô Gregoriô ad firmandam infidelis mulieris fidem contigit: quod tamen Gregorius VII. post multas preces & jejunia non impetravit; aliaque fecisse, quibus (inquit Benno) se de veritate Eucharistiæ dubitasse monstravit; & per hoc manifestè probatur infidelis, cùm in Nicæno Concilio scriptum sit, dubium in fide infidelem esse.

Respondeo primò: Hæreticos hanc authoritatem objicientes, propriô mucrone jugulari: si enim Conciliabulum Brixiense legitimè Gregorium VII. exauctoravit, quòd de veritate realis Christi in Eucharistia præsentiæ, contra Catholicam & Apostolicam fidem dubitaret, consequens est, quòd assertio hujus realis præsentiæ, sit Catholicæ & Apostolicæ fidei consentanea.

LXI. *Respondeo secundò:* Nihili faciendum esse decretum illius Conciliabuli Brixiensis, utpotè à schismaticis Episcopis, agente & urgente Henricô Imperatore excommunicationis sententiâ ab ipso Gregorio, fulminatô, emanatum. Scribit enim Marianus Scotus ad annum 1081. Henricum Imperatorem cum magno exercitu Romam profe-

Concilium enim Brixiense fuit tantùm conciliabulum.

ctum urbem obedisse, & Gregorium adverten- tem Romanorum plures Schismati favere, cum paucis Salernum abusse, & ad obitum usque mansisse. Videns autem Henricus Pontificem aufugisse, congregatis triginta Episcopis fautoribus suis in ipsa Romæ obsidione Synodum haberi jussit, quâ in Gregorius falsis & inauditis criminationibus ab Henrici fautoribus fictè compositis, absens accusatur, & alius in ejus Sedem obtruditur, quem Gregorius anathematis mucrone mulctavit, Henricum quoque cum fautoribus communione privavit.

Quàm autem justô judiciô id fecerit Pontifex, utpotè in apertum tyrannum, colligitur ex Concilio Romano annô 1083. celebrato, cujus acta referuntur in hunc modum: » Annô ab Incarnatione Domini 1084. Pontificatûs verò Domini Gregorii Papæ Septimi annô 11. 12. Kalend. Decembris, præsidente eôdem Apostolicô, celebrata est tribus diebus in Lateranensi Basilica Synodus, in qua fuerant Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus, atque Apulia, pauci quoque Gallicani: nam plurimos Henrici tyranni perfidiâ iter retruvertere compulit, qui Ostiensem Episcopum de Apostolica legatione redeuntem, contra fas & juramenti fidem capi jussit, sive permisit. Tres autem Synodos quadragesimales ejusdem H.... persecutio impedivit. Qui semel B. Petrum aggressus, demum post multum fusi sanguinis, non tam suorum fortitudine, quàm negligentiâ civium porticu muros surripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior civitatis, biennii bellô fatigatum, acri mediâ laborabat: cùm nec ipsis ad vicina oppida, vel castra ire liceret, nec illi jurato. H... urbem vellent negotiatum venire, multi quoque fame abacti urbem reliquerant: Proinde cæteri bellô remissiùs attenti, rem ex animo minùs gerebant, & à custodiis, prout cuique licebat, sine timore negligentiùs aberant. Hæc de Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit, præstrinxisse sufficiat. Cæterùm Dominus Apostolicus in eadem Synodo de fidei forma, & Christianæ Religionis conversatione, sed & de robore animique constantia ad præsentem pressuram necessaria, ore non humanô, sed Angelicô patenter edisserens, die tertiâ totum ferè conventum in gemitus & lacrymas compulit, sicque Concilium Apostolicâ benedictione lætificatum in pace dimisit.

LXII. Et Henricus Imperator qui ei adversabatur, schismaticus fuit.

Hanc autem sententiam excommunicationis innovavit annô sequenti in Concilio Romano, ut scribit Bertoldus: *Dominus autem Papa*, inquit, *collectâ Synodô, iterum sententiam anathematis in Gilbertum Hæresiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod in festo S. Ioannis Baptistæ præteritô jamdudum Romæ fecit, cùm Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam legati Sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis Episcopus in Francia, Otto Ostiensis Episcopus Teutonicorum usquequaque divulgârunt.* Hæc Bertholdus.

Mirum itaque videri non debet, quòd à schismaticis Episcopis, & anathemate perculsis emanaverit decretum adversus summum Pontificem, mendaciis, calumniis, & inauditis accusationibus refertum.

LXIII. Bennonis historia parùm certa.

Ad confirmationem dico *Bennoni* nullam hac in re fidem esse faciendam, utpote qui Henrici Imperatoris fautor, & Gilberti Ravennatis in Antipapam obtrusi partium sectator, non tam Gregorii historiam texuit, quàm satyram falsitatibus, fabulis, & calumniis consarcinatam. Unde Papyrius Massô opere de Episcopis urbis, in Gregorio VII. librum Bennonis, utpote plenum maledictis odii spirantem, schismaticæ factionis furore dictatum, respuendum omnino asse exertè profitetur. Quòd autem Gregorius signum à Deo ad firmandam veritatem Eucharistiæ poposcerit, dubiam ejus fidem non efficit; sicut nec dubius fuit in fide Magnus Gregorius, cùm miraculum ad eliminandam mulieris infidelitatem postulavit.

Insuper illibatam Gregorii fidem ac pietatem testatur non solùm Concilium Turonense, cui nomine Victoris secundi, cujus erat Legatus, præfuit, in quo Berengarius suum ejuravit errorem, sed & Romanum, in quo tandem Berengarius post plurimam suam perfidiam coram ipso Gregorio summo Pontifice Catholicam fidem ita professus est, ut in ea ad mortem usque perseveraverit; eum namque summus Pontifex tandiu detinuit apud se, donec illum amplius in fide non esse dubium constaret. Unde plurimi Scriptores, hujus Pontificis eximiam pietatem & doctrinam commendant, maximè Lambertus Scaphnaburgensis ad annum 1073. qui testatur Pontificem illum ita Apostolicè vitam instituisse, ut plurimis prodigiis, ac miraculis in vita, ac post obitum conspicuus fuerit.

LXIV. Gregorius VII. ante & post mortem miraculis clarus.

Inter quæ miranda opera, istud silentio non est prætereundum, quod contigit in Concilio Lugdunensi, cui Gregorius VII. tunc Legatus Victori II. præfuit; cùm enim celebraretur hoc Concilium annô 1055. adversus Præsules Simoniacâ labe infectos residentibus in ea Synodo Archiepiscopis, Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis; Archiepiscopus vir quidam litteratus, & eloquens, accusatus est de crimine Simoniæ. Qui sequenti nocte omnes suos accusatores pecuniâ corrupit, & sibi amicos fecit. Mane autem factô rediens ad Synodum, audacter dixit: Ubi sunt, qui me accusant? Exeat in publicum quicunque me voluerit damnare. Tunc obmutescentibus omnibus, prædictus Archidiaconus, tanquam vir discretus & sapiens, convertens se ad illum, dixit: Credisne, ô Archiepiscope, Spiritum sanctum cum Patre & Filio unam esse substantiam Deitatis? Quô respondente, Credo: addit Archidiaconus: Dic, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*. Tunc ille, *Gloria Patri & Filio*, expeditè dicebat, sed Spiritum sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cùm frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns se per divinum judicium omnino confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confessus est propriô ore se Simoniacum esse. Postquam verò à Sacerdotali & Episcopali officio est depositus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, liberâ & clarâ voce decantavit. Quod factum Simoniacos in tantùm perterruit, quòd præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, Episcopi quadraginta quinque Simoniacos se esse confessi sunt, & suis honoribus absque ulla alia accusatione renuntiaverunt.

LXV. Simoniacus non potest integrum referre *Gloria Patri, &c.*

Objiciunt 5. Facundum Hermianensem lib. 9. cap. ult. ubi suscipiens defensionem Theodori Mopsuesteni, asserentis Christum D. assumpsisse adoptionem filiorum: sic scribit: *Adoptionem quoque filiorum suscepisse Christum, etsi antiqui Patres docuisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesia, quæ tales Doctores habuit, judicari debent*

haretici: nam Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut Sacramentum corporis & sanguinis ejus, quod est in pane, & poculo consecrato, corpus ejus & sanguis dicitur: non quòd propriè corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quòd in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem, quem Discipulis tradidit, corpus & sanguinem vocavit. Quocirca sicut Christi fideles Sacramentum corporis & sanguinis Christi rectè dicuntur suscepisse, sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cùm suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse.

Respondeo primò, non magni faciendam esse authoritatem Facundi, utpote qui animô schismaticô trium capitulorum defensionem susceperit adversus Vigilium, & Pelagium summos Pontifices, quibus erat infensus, ut ex aliis ejus operibus constat. Ille autem dubiæ fidei ac veritatis suspectus est, qui Ecclesiæ unitatem scindere non veretur.

LXVI. Facundus Hermianensis non favet Calvinistis.

Respondeo secundò: Quòd etsi schismaticô animô libros illos nón scripserit; attamen ex illius dictis, nihil patrocinii accedit hæreticorum errori; quando enim comparat Sacramentum adoptionis cum Sacramento corporis & sanguinis Christi, ipse nomine Sacramenti, intelligit solas species panis & vini, de quibus, quatenus præcisè sunt signa, non sunt propriè corpus Christi; sunt tamen signa continentia corpus & sanguinem Christi, nec id negat Facundus: quia verò signa appellari solent nomine rerum quas significant; ideo species appellantur corpus Christi, cùm hôc sensu sint tantùm signa corporis Christi. Hic modus loquendi ei similis est, quem usurpat D. Augustinus epistola 23. ubi ait: *Sacramentum corporis Christi, esse corpus Christi, quemadmodum Sacramentum fidei, fides est.*

Respondeo tertiò: Datô quòd Facundus per *Sacramentum corporis Domini*, totum ex signo continente & re contenta intellexerit, verè dixit ad mentem adversariorum, quos ad hominem impugnabat, Sacramentum corporis Domini, non esse corpus Domini; licèt ad mentem Ecclesiæ verum ejus corpus sit; Facundus enim opere illô agit adversus hæresim Eutychianorum, (ut constat ex cap. 2. lib. 1.) qui sub trium capitulorum nomine & obtentu, Concilium Chalcedonense fraudulenter oppugnabant, Theodorumque, Ibam, & Theodoretum in ea absolutos, damnabant. In eo autem præcisè posita erat hæc hæresis, quòd ante Incarnationem Christus fuisset ex quidem duabus naturis; at post Incarnationem, unam fuisse factam, conversione scilicet humanitatis in Divinitatem: ex quo sequebatur juxta illorum sententiam, in Christo post adunationem non fuisse veram carnem, sed duntaxat apparentem, ut docet S. Leo, tum epist. ad Pulcheriam Augustam, tum epist. ad Julianum Coënsem, tum denique serm. 6. de jejunio septimi mensis, & 8. de Nativitate Domini. Ex quibus sic ad hominem arguit Facundus: Si secundùm vos, ô Eutychiani, Sacramentum corporis corpus Christi dicitur, tametsi verum Christi corpus non esse censeatis, quippe qui docetis ipsum apparens & similitudinarium duntaxat corpus habuisse, quidnî Sacramentum adoptionis adoptio dici poterit, quam significat & figurat?

§. V.

Probatur eadem realis Christi D. corporis & sanguinis in Eucharistia præsentia rationibus Theologicis.

LXVII. Rationes Theologicæ idem probantes.

Primò quidem, lex Evangelica longè præstantior est ac nobilior lege veteri & Mosaycâ; ac subinde excellentiora debet habere Sacramenta, ac majori dignitate & efficacitate prædita: sed ita non esset, si Eucharistia duntaxat esset simplex & nuda figura Christi D. corporis & sanguinis: igitur talis non est æstimanda. Major constat ex S. Paulo, tum ad Galat. tum ad Hebr. 9. & 10. ubi maximè demonstrat legis Evangelicæ præstantiam supra Mosaycam, quòd illa figuras, hæc veritatem; illa umbras, hæc realitatem & corpus complectatur. Major verò probatur; in veteri namque lege longè præcellentiores, ac clariores erant figuræ Christi D. corporis, & passionis, quam sit panis Eucharisticus, si duntaxat sit simplex panis secundùm substantiam, nec aliud dignitatis habeat, quàm esse figuram corporis & passionis Christi. Enimverò Manna, & Agnus Paschalis longè præstantiùs significabant Christum, ejusque Passionem, quam nudus panis Eucharistiæ Calvinisticiæ, nam Manna de cœlo pluebat, nullàque hominum, sed Angelorum operâ fiebat, & habebat in se omnis saporis suavitatem; atque ita repræsentabat Filium Dei descensurum è cœlo, sine opera viri in Virginis utero assumpturum carnem, fideles animas in eo omnem consolationem & delectationem reperturas: quæ omnia dici nequeunt de pane cibario & usuali; qualis est panis Calvinisticus.

2. Quia lex Evangelica cùm sit præstantior lege Mosaycâ, etiam debet habere præstantiora sacraméta;

Similiter idem de Agno Paschali facilè ostenditur; etenim Agnus ille, quem Judæi mactabant, erat animal vivum, panis noster substantia est inanimata, vitâ & sensu carens; nemo autem dubitare potest, quin vivens substantia sit nobilior inanimatâ, cùm scilicet plures entis gradus habeat.

Deinde, meliùs quoque caro Christi per veram carnem Agni exprimebatur, & mors per veram ejus mortem, & sanguis per sanguinem, quàm per solum panem, vel per fractionem panis; siquidem nec panis mori potest propriè, sicut Agnus vivens; nec carne etiam, aut sanguine præditus est.

Insuper: Agnus Hebræorum multò aptiùs repræsentabat innocentiam, & mansuetudinem Christi, quàm solus panis, ut per se manifestum est; unde & Christus in Scripturis toties Agnus vocatur. Joan. 1. *Ecce Agnus Dei*; Isai. 16. *Emitte Agnum dominatorem terræ*; & cap. 53. *Quasi agnus coram tundente se obmutuit, & non aperuit os suum:* Apocal. 5. *Seniores stant coram Agno.*

Denique, caro agni meliùs etiam referebat effectum spiritalem Eucharistiæ, qui est nutritio; magis enim nutrit caro agni, quàm solus panis. Igitur si Eucharistia esset duntaxat panis usualis, nec aliâ dignitate ac præstantiâ polleret, quàm quia est figura & repræsentatio corporis & passionis Christi, sequeretur legem veterem longè præstantiorem esse Evangelicâ, utpote quæ excellentiores figuras habebat.

Reponunt hæretici primò, veterem legem comparari umbris, nostram autem corpori; non quòd Sacramenta nostra præstantius aliquid contineant, quàm Judaica, sed quia hæc solùm significabant

cabant Christum venturum, & quasi adhuc absentem; nostra verò jam præsentem, & in cœlo actu existentem: longè autem præstantius est, inquiunt, significare rem præsentem & existentem, quàm futuram.

Verum contrà; *primò* namque constat ex dictis de Sacramentis in communi, Sacramenta nostra ab antiquis discrepare, non solùm ratione objecti, id est Christi futuri, aut jam existentis, sed potius ratione efficacitatis; siquidem illa duntaxat conferebant gratiam ex opere operantis; nostra verò eam conferunt ex opere operato.

Non solùm rem præsentem exhibent quam illa præfigurabant.

Insuper, quòd Sacramenta significent rem futuram aut præsentem, non efficit quòd aliqua sint magis ipsa veritas, quam illa; ac subinde si panis Eucharisticus tantùm significet, non verò contineat corpus Christi, nullâ ratione potiori dici poterit corpus & caro Christi, quàm Agnus Paschalis, aut Manna: sed ultrò admittunt Calvinistæ Manna, & Agnum Paschalem, nonnisi impropriissimè appellari posse corpus & sanguinem Christi: igitur idem dicendum esset de Eucharistia, sicque perperam Christus Eucharistiam tradendo, dixisset; *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.*

Reponunt secundò, hoc Sacramentum nobis exhibere Christum, & eum repræsentare distinctiùs, quàm Sacramenta veteris legis, non quidem ratione sui, sed ratione verborum ipsius Christi D. quare Eucharistiam appellavit suum corpus.

Verum hæc responsio non minùs futilis est, & inanis, quàm præcedens; idem enim est acsi quis dicat, truncum ligni omninò incultum distinctiùs repræsentare Cæsarem, quàm effigiem & imaginem Cæsaris, quia ego dico truncum illum esse Cæsarem.

Nec quia perfectiùs Christum repræsentant.

Insuper, quòd una imago aliquid perfectiùs repræsentet, quàm alia; inde dici quidem potest perfectior imago, non autem res ipsa, quam repræsentat; hinc non desinit esse imago & umbra, ac figura illius rei, quam exhibet: igitur licèt panis Eucharisticus distinctiùs repræsentaret corpus & sanguinem Christi, quàm Agnus Paschalis & Manna, inde non esset consequens, quòd non foret simplex imago & figura; cùm tamen Apostolus dicat, legem novam non continere amplius umbras & figuras; sed ipsam veritatem.

Denique, hæc solutio, hæreticorum doctrinæ repugnat, negant enim verba, quibus in Sacramentis utimur, esse partes & formas Sacramentorum, ut diximus agendo de Sacramentorum formis: Nec est quòd recurrant ad verbum concionale, illud enim non est internum, nec essentiale Sacramentis nostris, ut ibidem demonstravimus.

Adde quòd conciones non solùm vigent in lege Evangelica, sed etiam vigebant in Mosayca.

Reponunt tertiò alii, nostra Sacramenta esse nobiliora veteribus, eò quòd uberiorem gratiam conferant.

Nec solùm quia uberiorem gratiam continent & conferunt.

Verùm hæc responsio apertè in ipsos hæreticos militat; nam aut volunt gratiam conferre Sacramenta novæ legis ex opere operato, aut ex opere operantis.

Non *primum*; siquidem hæretici absolutè negant, Sacramenta novæ legis eam habere efficacitatem, ut gratiam conferant ex opere operato; quapropter has loquendi formulas, *opus operatum*, tanquam ineptas & barbaras derident.

Non etiam *secundum*; nam in parvulis constat nullam inveniri talem actionem, quæ sit sufficiens dispositio ad gratiam per Sacramentum Baptismi consequendam: in adultis verò hæreticis derident cooperationem ad gratiam, & omnia nostra merita respuunt, aiuntque opera nostra non esse peccati expertia.

Deinde, si concedant hæretici, Christianos posse sese disponere ex opere operantis ad gratiam per novæ legis Sacramenta consequendam, ratione eorum virtutis & pietatis, non est cur inde adstruant Sacramenta novæ legis esse præstantiora Sacramentis veteribus; siquidem plurimi in veteri lege fuerunt longè sanctiores, quàm nonnulli Fideles; nam ipse Moyses, David, Ezechias, Prophetæ, & plerique alii Patres veteris Testamenti innumeris Christianis legis Evangelicæ sanctiores fuerunt; ac subinde habuerunt nobilius opus operantis; proindeque majorem gratiam fuerunt consecuti; & consequenter hâc ratione nobiliora habuissent Sacramenta. Concludendum est ergo, quòd si panis Eucharisticus esset duntaxat figura corporis Christi, Sacramenta novæ legis imperfectiora essent Sacramentis legis veteris, quod apertè militat, nedum in doctrinam S. Apostoli, sed etiam SS. Patrum, ut probatum est in prima Disputatione hujusce libri.

Sed quia illa erãt duntaxat figuræ, hæc verò sunt veritates.

LIX.
Cœna Calvinistica non potest esse ea quã commendat Apostolus.

Probatur secundò hæc veritas: Si Eucharistia non contineret verè, realiter ac substantialiter corpus & sanguinem Christi, sequeretur juxta hæreticorum doctrinam, corpus & sanguinem Christi non posse indignè manducari & bibi ab hominibus, quantumvis perversis & peccatoribus: sed falsum consequens: ergo & antecedens. Minor patet ex Apostolo scribente 1. ad Cor. 11. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quibus verbis apertè fatetur Apostolus, Eucharistiam à fidelibus posse indignè suscipi. Major pariter admitti necessariò debet ab hæreticis; volunt enim fideles, dum panem Eucharisticum manducant, duntaxat recipere corpus Christi, *per os fidei*, hoc est beneficiô fidei apprehendentis Christum quasi realiter præsentem, & seipsum eis communicantem: docent pariter nos justificari per fidem, ut dictum est agendo de gratia justificante; ac subinde fateri debent non posse corpus Christi suscipi, nisi à justificatis; quippe cùm non suscipiatur, nisi ab habentibus fidem, quæ in eorum doctrina est forma justificans: igitur si corpus Christi non esset verè, ac realiter sub speciebus Eucharisticis, sed tantùm per fidem susciperetur, consequens est, quòd non posset à fidelibus indignè suscipi. Unde inferendum est, cœnam Calvinisticam non eam esse, quam Christus instituit, & Apostolus servandam docuit. In hac enim, ut docet Apostolus, potest indignè suscipi corpus Christi; in Calvinistica autem non potest.

Reponunt hæretici, idcirco indignè accedentem ad Eucharistiam censeri reum corporis & sanguinis Christi, non quòd utrumque sine debita dispositione & reverentia suscipiat, sed quòd irrita faciat symbola, quibus mediantibus, corporis & sanguinis Christi particeps esse debuerat; non secus ac ille diceretur reus læsæ majestatis regiæ, qui vitam sibi clementiâ Regis donatam, & diplomate Regiô sigillô munitô gratiam consignatam, non solùm respueret, sed etiam diploma illud pedibus conculcaret, ac laceraret; ille enim

indignus esset gratiâ sibi oblatâ, & pœnas debitas jure meritò lueret. Simile autem quid præstat quisquis indignè panem Eucharisticum suscipit; siquidem vacua & irrita efficit signa, & symbola vitæ cœlestis, quam consequi debuerat.

Verùm, facilè præcluditur hæc elusio, & illusio: primò namque Apostolus non dixit, eum esse reum corporis Christi, quia illud manducare debuerat, nec tamen manducat propter indignitatem suam, & ob defectum fidei: sed quia reverà illud manducat & bibit indignè; ait enim: *Qui manducat, & bibit indignè, &c.* Quæ utique loquendi formula connotat manducationem Christi D. corporis, non quæ fieret, sed quæ reverà fit: igitur vanum, & prorsus futile est hæreticorum effugium.

Deinde, allatum exemplum est prorsus impertinens; siquidem diploma regium supponit jam vitam à Rege donatam reo, quâ quidem gratiâ reus ille fit indignus, dum symbola in quibus continetur, indignè tractat: at panis Eucharisticus non supponit jam corpus Christi D. concessum, & reverà præsens in sententia hæreticorum, sed tantùm concedendum beneficiô ejusmodi symbolorum; ac subinde inter utrumque nulla prorsus est paritas.

Objiciunt hæretici varia argumenta petita à ratione humana, quæ omnia ad quinque præcipua capita reduci solent: *Primò*, inquiunt, implicat contradictionem, quòd idem corpus indivisum manens, eôdem tempore in diversis locis existat, quia sequeretur idem sibi dextrum & sinistrum esse, quiescere posse & moveri simul, summè calere & frigere, mori & vivere; subindeque corpus Christi non potest simul in cœlo empyreo sedens in dextera Patris, & in terra realiter existens in Eucharistiæ Sacramento, & consequenter multò minùs simul poni in pluribus Altaribus per consecrationem diversarum specierum; alioquin fieri posset immensum, cùm non magis repugnet ipsum in infinitis locis, quàm pluribus, distinctisque collocari.

LXIX. Non repugnat quòd idem corpus sit simul in diversis locis.

Respondeo, nihil quidquam absurdi esse, quòd unum & idem corpus simul existat in diversis locis secundùm diversos existendi modos, nempe in uno circumscriptivè, & in aliis Sacramentaliter: sic enim est unum quidem substantiâ, virtute tamen plura, & in diversis existendi modis diversum, quatenus pluries & diversimodè existit, ut disertè docet Tridentinum: *Docet sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Christum realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri; nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & in multis nihilominus aliis locis Sacramentaliter præsens, suâ substantiâ nobis adsit.* Simile videmus in anima, quæ est tota in singulis membris, & movetur locô in manu, dum quiescit in capite, simul movetur sursum in dextra, & deorsum in sinistra; in illa sentit calorem, in hac frigus. Quòd si Deus hoc tribuerit spiritui, ut naturaliter totus in pluribus locis partialibus sit: & cùm nulla sit ratio negandi, quin Deus animam in abscissa manu, & consequenter in distinctis omnino locis possit conservare: cur hoc ei circa corpus denegemus?

Item plurimos Sanctorum eôdem tempore diversis in locis fuisse, plurimæ referunt historiæ. Nec potest commodè intelligi, quomodo Christus Act. 9. & 22. B. Paulo apparuerit, & cum eo collocutus, & ab astantibus auditus fuerit, nec tamen è cœlo (ut ipsi hæretici communiter fatentur) discesserit; nisi dicamus eum simul in duobus locis fuisse. Omnino enim Scriptura ibidem innuit, eum B. Paulo præsentem & propinquum fuisse.

Objiciunt secundò: Repugnat corpus humanum ita esse inextensum localiter, ut possit existere absque omni extensione, & in loco omnino indivisibili: igitur corpus Christi non potest contineri intra parvam hostiam, multò minùs subsistere sub qualibet ipsius hostiæ particula. Patet antecedens: Extensio enim localis est effectus formalis quantitatis; ac subinde non potest, sicut nec ipsa quantitas, ab ipso humano corpore realiter separari, ipso realiter perseverante.

LXX. Nec in loco minimo.

Nego antecedens, nec-non & ejus probationem; siquidem, ut probavimus in nostra Physica, quantitas est accidens absolutum realiter distinctum à materia & corpore, & ab utroque omnino separabile divinitùs.

Adde quod, ut ibidem probatum est, effectus formalis quantitatis, non sit illa actualis partium extensio & dispositio in ordine ad locum, sed in ordine ad se, quæ consistit in ipsa partium distinctione, ex quibus constat corporis entitas apta coëxistendi loco, & spatio divisibili. Unde licèt Christi D. corpus in Eucharistia non habeat extensionem localem, & subsistat modô indivisibili; non propterea desinit habere partes sibi debitas, & secundùm dispositionem naturalem ordinatas; itaut caput immediatè uniatur collo, collum scapulis, scapulæ pectori, & sic de cæteris.

Quòd autem corpus aliquod possit divinâ virtute denudari ac spoliari suâ quantitate, colligitur ex Scriptura sacra; testatur enim Christus D. Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 18. Deum efficere posse, ut camelus transeat per foramen acûs.

Non potest autem camelus foramen acûs pervadere, nisi locum occupando modô inextensô; alioqui sequeretur, quòd corpus majus esset minus suô minori: ac subinde potest aliquod corpus suâ extensione naturali sibi connaturaliter debitâ spoliari.

Quia corpus potest suâ quantitate spoliari.

Confirmatur hæc responsio: Quia non minùs connaturale est corpori esse naturaliter impenetrabile ratione sibi inexistentis quantitatis, quàm esse extensum in ordine ad locum. Tria siquidem corpori quanto conveniunt: *Primum* est habere partes extra partes: *Secundum*, commensurari loco: *Tertium*, aliud corpus extensum ab eodem loco expellere; idcirco enim unum corpus non patitur aliud secum in eodem loco, quia habet partes extensas, & commensuratas loco, ac subinde ipsum locum replet, sed fieri potest supernaturaliter; quòd unum corpus locum occupet, nec tamen aliud ab eodem loco expellat, sicque fiat penetratio corporum.

Quod utique probatur exemplô ejusdem Christi D. corporis exeuntis ex utero Virginis, manente illibatâ ejus integritate, juxta Ezechielis 44. vaticinium, ubi beatissimæ Virginis uterus designatur per portam clausam; sic enim interpretatur sanctus Ambrosius lib. de Instit. Virginis cap. 7. *Quæ est porta*, inquit, *nisi Maria, per quam Christus intravit in hunc*

Ex aliud corpus penetrare.

mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit, man sit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravero signacula, cùm exiret ex Virgine. Et cap. 8. *Hæc porta clausa erit, & non aperietur: bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur; transivit per eam Christus, sed non aperuit.*

Hinc S. Augustinus serm. 159. de tempore, ex illo miraculo colligit, Christum D. potuisse pervadere in cænaculum januis clausis, ubi erant Discipuli congregati; Moli corporis, *inquit*, ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt, ille quippe non eis apertis intrare potuit, quô nascente, virginitas Matris inviolata permansit. Quod utique miraculum eleganter expendit S. Cyrillus lib. 12. in Joan. exponens enim verba illa Joannis: *Cùm ergo serò esset die illò una Sabbatorum, & fores essent clausæ,* &c. hæc scribit: *Obseratis foribus, in medio stetit Christus, inæstimabili quâdam virtute, Deoque convenienti supra rerum ordinem, omnemque rationem humanam. Nemo dicat, quomodo, quæso, in crasso corpore cùm esset Dominus, nullò tamen negotiô, tametsi janua clausa essent penetravit? sed apud se cogitet potius divinum Evangelistam haud quaquam hæc de aliquo nostrî simili dicere: sed de eo potius, qui Deo ac Patri assidet, atque omnia quæcunque vult facit. Oportebat enim, cum Deus secundum suam naturam sit ac verus, nequaquam subjacere rerum ordini, sicuti res ab ipso creata: sed necessitati ipsi & omnium quæ aguntur rationi dominari. Alioqui enim quô pacto mare pedibus suis subjiceret, fluctibusque siccô pede tranaret; neque enim nostris corporibus aquæ substernuntur; aut quodammodo alia miracula virtute Deo convenienti ederet?*

Objiciunt tertiò: Admissâ præsentiâ reali corporis Christi in Eucharistia, absurdissima quædam, & Christo prorsus indigna sequuntur: quid enim Christi majestati indignius, quam ipsum in Eucharistia non solùm in terram, sed etiam in sordes interdum dejici, dentibus atteri, à muribus & aliis animalibus rodi, putrescere & acescere, cum panis & vini corruptione, in stomachum trajici, & in secessum ire? Ea omnia gloriosum Christi D. corpus dedecent; igitur non est verisimile ipsum sub speciebus Eucharisticis realiter delitescere.

Respondeo primò, mysteria nostræ fidei eô ipsô diviniora censeri, quò Dei majestate secundùm humanam sapientiam prorsus videntur indigna. *Stultum quippe*, inquit S. Gregorius homil. 6. in Evangelia, *hominibus visum est, ut pro hominibus Author vitæ moreretur; & inde contra eum homo scandalum sumpsit; unde ei amplius debitor fieri debuit: nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit.* Hinc præclarè Tertullianus in lib. de carne Christi: *Quodcunque Deô indignum est, mihi expedit: salvus sum, si non confundar de Domino meo. Natus est Dei Filius; non pudet, quia pudendum est: & mortuus est Dei Filius; prorsus incredibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile.* Et lib. 2. contra Marcionem: *Assumpsisse Deum quædam sibi indigna*, inquit, *nobis autem necessaria; & ideo jam Deô digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm salus hominis.* Quemadmodum ergo Christus D. nostræ salutis gratiâ, dum homo factus est, ea assumpsit, & passus est, quæ Dei majestate indigna visa sunt Judæis & Gentilibus, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Ita ejus erga homines charitas ipsum impulit ad instituendum Eucharistiæ Sacramentum, in quo variis indignitatibus hæreticis videtur subjici; at illa summam ejus charitatem commendant.

LXXI. Deus eò magis ab homine est honorandus quantò propter eû indigna suscepit.

Respondeo secundò, illa omnia inconvenientia futiliter ab hæreticis objici, atque ex fidei nostræ ignoratione vel dissimulatione; si enim attenderent Christum esse in Eucharistia modô impassibili; & omnem alterationem solis panis speciebus obvenire; quippe cùm illæ duntaxat dentibus atterantur, solæ putrescant, solæ acescant & moveantur, haud dubiè desinerent Catholicam doctrinam calumniari, nec iis vilioribus mutationibus Christi D. corpus obnoxium esse blaterarent.

LXXII. Corpus Christi ad specierum corruptionem non corrumpitur.

Quemadmodum enim Solis radii paludum & fimorum sordibus non inquinantur, sic gloriosum Christi D. corpus nullis specierum Sacramentalium qualitatibus, vel injuriis afficitur, aut mutatur. Vel, ut loquitur Author de Cœna Domini apud S. Cyprianum: *Integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur, & non injuriatur, recipitur, & non includitur.* Cui concinit S. Augustinus apud Bedam in cap. 10. prioris ad Cor. *Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuus vivificat; quando manducatur, reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare istum panem, ne fortè finiamus illum, & postea quod manducetur, non inveniamus: Manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus.*

Concludo tandem hanc refertissimam adversus Calvinistarum errores probationum segetem, iisdem verbis, quibus Guitmundus suum adversus Berengarianos tractatum coronavit. Multa, *inquit*, contra istos jam diximus, multa quoque dici possunt: sed piis mentibus (ut arbitror) ista sufficiunt. Quid enim ampliùs adversus istos quærerem, cùm objectionem eorum, sive per rationes, sive per Scripturas, nostræ fidei nihil obesse; imò verò ipsas easdem Scripturas nobiscum magis esse satis, lucidéque monstratum sit: cùm istorum dementias, & singulatim, & communiter tam venerabilium Authorum, quàm Propheticis & Evangelicis testimoniis teneant plenissimè destructas: nostram verò fidem usquequaque firmissimam, utilissimam, excellentissimam, summéque necessariam, videant evidentissimè declaratam? At verò impiis quid sufficiet, si duriores saxis tot argumentorum malleis percussi credere nolunt; si tenebrosiores infernô, tantâ fortissimarum rationum luce collustrari non possunt; aut certè meretricum similes de sua turpitudine, vel pervicacia erubescere nesciunt: aut dæmonum simillimi cœptam semel vecordiam tantâ pertinaciâ diligunt, ut veritatem gratis odiô habeant, & à falsitate vel manifestissima nunquam resipiscant? O miserrimos homines, & immensô lacrymarum imbre lugendos, si tanta pervasit eos propagandæ famæ cupiditas, ut à blasphemiis propalatis nec clarissima veritas, nec summa ipsorum infamia, nec vitæ æternæ amor, nec æterna damnatio valeant revocare! Redite quæso, *Redite prævaricatores ad cor.* Quare moriemini gratis? Non talis hæc disputatio est, quæ utrobique valeat leviter compensari. Non hîc, sicut in Scholis, pro victoria, aut sicut in judiciis, pro quibuslibet terrenis commodis agitur: sed, sicut coram Deo pro vita æterna, atque cœlesti disputatur: falsam etenim partem sempiterna mors devorat; veram

Egregia ad hæreticos admonitio.

2. Ab ejusdem Catechismo. *stantiatio ex testimoniis Scripturarum facilè fuit* A *colligere : Primùm, quòd in ejus Sacramenti institutione ipse Dominus dixit :* HOC EST CORPUS MAUM; *vocis enim, hoc, ea vis est, ut omnem rei præsentis substantiam demonstret. Quòd si panis substantia remaneret, nullomodò verè dici videretur: Hoc est corpus meum.* Deinde, *Christus D. apud Ioan. Panis,* inquit, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita : panem videlicet carnem suam vocans. Ac paulò post subjecit : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et rursus : Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus. Cùm ergo tam claris, & perspicuis verbis carnem suam* B *panem, & cibum verum, sanguinem item verum potum nominaverit : satis videtur declarasse, nullam in Sacramento substantiam panis, & vini remanere.*

IV. 3. A SS. Patribus. *Eandem veritatem* ex ipsis verbis consecrationis colligunt SS. Patres, maximè S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mystagogicâ, his verbis. *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane. Hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? Ac eòdem quoque confirmante ac dicente; Hic est sanguis meus; quis, inquam, dubitat ac dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilaa solâ voluntate;* C *& non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset? Quare cum omni certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus : nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, ut sumptò corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cùm ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus.* Idem habet Author sermonis de Cœna Domini apud S. Cyprianum : *Panis iste,* inquit, *communis, in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi fit caro.*

Subscribit Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. ad Adeodatum, quæ reperitur tomô 1. Bibliothecæ Patrum, ubi sic ait : *Dubitari nefas est* D *ad cujus nutum cuncta ex nihilo subitò substiterunt, si ejus potentiâ in spiritualibus Sacramentis, terrena materies, natura & generis sui meritum transcendens, in Christi substantiam commutetur, cùm ipse dicat : Hoc est corpus meum, & paulò post: Hic est sanguis meus.*

Simili discursu utitur S. Gaudentius Brixiensis Episcopus tract. 2. in Exodum, ubi hæc scribit: *Quod annuntiatum est credas, quia quod accipis corpus est panis illius cœlestis, & sanguis est illius sacra vitis: nam cùm panem consecratum, & vinum Discipulis suis porrigeret, sic ait : Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus.* Item Goitmundus lib. 3. de corporis & sanguinis Christi E veritate, hæc habet : *Hos impanatores suos ipse Dominus verbô oris sui interfecit, cùm accipiens panem, gratiasque agens, ac benedicens, ait : Hoc est corpus meum. Non ait, in hoc latet corpus meum: nec dixit, in hoc vino est sanguis meus, sed dixit: Hic est sanguis meus.*

V. 4. A Ratione Theologica. *Idipsum suadet ratio Theologica :* Si enim non esset vera transsubstantiatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, consecrationis verba non essent vera; ut enim pronomen demonstrativum, *hoc*, verè sit demonstrativum corporis & sanguinis Christi, necessariò indigitare debet omnem substantiam sub accidentibus latentem, esse corpus Christi, ut nempe sit identitas inter prædicatum & subjectum : omnis enim prædicatio de alio supponit identitatem, vel unionem attributi cum subjecto; ex eo enim quòd res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa; panis autem & corpus Christi sunt res omnino disparatæ, nec inter se ullâ identitate, vel unione copulantur: igitur particula *hoc* non supponit pro substantia panis, quæ proinde non manet, cùm nulla panem inter & corpus Christi unio in Sacramento Eucharistiæ intercedat.

Confirmatur : Ut propositio constans pronomine demonstrante substantiam sub accidentibus sensibilibus latentem, sit vera, necessum est, quòd pronomen ejus demonstret omnem & quamlibet substantiam demonstrabilem ibi contentam, maximè si sit practica propositio; itaut removeatur omnis substantia delitescens, tali pronomine non demonstrata : sed hæc propositio: *Hoc est corpus meum*, est vera & practica, demonstratque substantiam latentem sub accidentibus panis, esse corpus Christi : igitur ut sit vera, necessum est, quòd sub speciebus panis sola sit substantia corporis & sanguinis Christi.

Dixi, *si propositio sit Practica*; nam, ut habet *secunda pars:* Propositio, *Hoc est corpus meum*, posset esse vera speculativè, seu in sensu speculativo, etiamsi non fieret transsubstantiatio, ut significat subtilis Doctor in 4. dist. 11. quæst. 3. nu. 14. *Ad primum*, inquit, *concedo, quòd etiam in creditis non sunt plura ponenda sine necessitate, nec plura miracula, quàm oportet : sed cùm dicitur in Minori, veritas Eucharistia posset salvari manente pane, vel sine transsubstantiatione; dico, quòd bene fuisset Deo possibile si instituisset, quòd corpus Christi verè esset præsens, substantiâ panis manente, cum accidentibus, pane annihilatô : & tunc fuisset ibi veritas Eucharistia, quia & signum verum, & signatum verum : sed hic non est modo tota veritas Eucharistia; non enim sic instituit, ut dicunt authoritates adducta; Et cùm dicitur, quòd ad veritatem Eucharistia nihil requiritur, nisi verum signum, & verum signatum.* — VI. Possent tamen verba consecrationis esse vera in sensu speculativo, quamvis non fieret Transsubstantiatio.

Respondeo, *verum est eô modò, quô signum est institutum, & quô sibi debet correspondere signatum: quod non est nunc præcisè, quòd corpus sit cum aliquo, scilicet cum pane, vel cum accidentibus panis indistinctè; sed institutum est nunc, quòd signatum sit tantùm sub accidentibus, ut sub signo.*

VII. Quo sensu Eucharistia post consecrationem adhuc dicitur panis. Quibus verbis Doctor tria declarat : *Primum*, quòd per divinam potentiam possit esse corpus Christi sub speciebus panis, simul cum ejusdem panis substantia; quod utique omnes ultrò fateri debent; nulla siquidem in eo apparet contradictio; quo in casu, Eucharistia non minùs esset verum signum præsentis Christi corporis, quàm fit de facto, dum fit transsubstantiatio. *Secundum*, quòd in ea hypothesi verba, quæ significant corpus Christi præsens, possent esse vera in sensu speculativo, sicut nunc vera sunt; quippe significarent realem Christi D. corporis præsentiam, sicut eam nunc designant. *Tertium*, quòd reverà tamen per verba consecrationis, *Hoc est corpus meum*, fiat transsubstantio substantiæ panis in corpus Christi; quia illa verba non solùm habent significationem speculativam ex institutione hominum, sed etiam practicam, & conversivam ex institutione Christi, quæ nobis apparet per definitionem & determinationem Ecclesiæ; ma-

VVu iij

eam acerrimè propugnavit pluribi; maximè verò in epistola nuncupatoria Commentariorum in Joannem, quæ in editione Coloniensi 1526. extat, ubi quorundam in se calumnias referens, sic habet: *Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent, nisi quòd aliqui ex eis, dum volunt Sacramentum corporis & sanguinis Domini solummodò signum esse sacræ rei, juxta errorem quondam Berengarii Turonensis, etiam dictum S. Augustinum ita sentire putant, quod omnino falsum est. Ego autem dico verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, & verum esse de certo sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut Catholica Ecclesia tenet. Hæc quia probare conati sunt, Beato me derogare Augustino, contra illum sentiendo, quem in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malò sensu diripiendo. Verùm hæc jam fere nemo palam profiteri aut defendere audet, universâ sentiente Ecclesiâ Catholicâ, quia verum corpus & verus sanguis Christi est.* Et in fine: *Credamus fideli Salvatori Deo, eo quòd non videmus, scilicet panem & vinum in veram corporis & sanguinis Domini transiisse substantiam.* Quibus verbis nihil luculentius.

Contrarium apertè docet pluribi.

Confirmatur insuper, ex eo quòd Rupertus existimavit, corpus Christi ab indignis comedi, non quidem ore fidei, sed corporis. Etenim lib. 6. in Joan. *Panis*, inquit, *semel consecratus nunquam posteà virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit, sed non prodest quidquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est... Quò ergo devenis, quod indignus manducat & bibit? Hoc certè pium sit & salutare credere per membra diffundi; ita ut non sit obnoxium secessui; sed hoc plus habet dignus indigno, quia huic ad salutem, illi proficit ad judicium.* Et lib. 1. in regulam S. Benedicti sub finem: *Habueram*, inquit, *cum aliquo magni nominis, magnaque æstimationis Scholastico, sive Monacho certamen permolestum de Sacramento corporis & sanguinis Domini, qui inter cætera quibus deprimere conabatur majestatem tanti Sacramenti, illud mihi objecerat, quia Sacramentum illud Iudæ quoque traditori suo Dominus dedit, sicut cæteris Apostolis: hoc nimirum intendens, quòd nequaquam illi dedisset, si vera esset substantia corporis & sanguinis sui.*

Quin & lib. *de divinis Officiis*, doctrina de reali corporis Christi in Eucharistia præsentia non obscurè continetur: librô enim 2. cap. 2. *Panis & vinum*, inquit, *in verum corpus & sanguinem Domini transferuntur. Multi fidei oculos non habentes in sancto sacrificio præter panem & vinum nihil amplius intuentes, cùm diceretur eis, corpus & sanguis Domini est, murmuraverunt, dicentes, quomodo est?... Verum Dei Verbum, verum Dei Filium sancta Ecclesia Catholica offert Creatori suo, credens corde, & ore confitens, pariterque manibus panem & vinum sicut sibi tradidit ipse Salvator offerens; nam pro quota suorum parte beneficiorum gratias ageret Ecclesia Creatori, Salvatori & Illuminatori suo, si nihil aliud ei, quàm panem & vinum offerret?... Non ergo solum panem & vinum, quæ corporaliter videntur: sed & quod non nisi fidei oculis aspicitur Verbum Dei, Filium Dei offert sancta Ecclesia, novum & verum immolans sacrificium... Si hujus Verbi flumen super panem & vinum effuderis; & ordine, qui ab ipso statutus est, veritatem hujus Verbi protuleris, statim de sancto Altari panem ipsum, & vinum in corpus & sanguinem suum transferendo suscipit, eâdem virtute, eâdem potentiâ, vel gratiâ, quâ nostram de* MARIA *Virgine carnem suscipere potuit, quomodo voluit... Unum corpus est, & quod de Maria genitum in cruce pependit, & in sancto Altari oblatum quotidie nobis ipsam innovat Passionem Domini.* Nihil certè dici potuit doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, quam propugnamus, magis consentaneum.

Maximè in libris de divinis Officiis.

Nec obstat, quod idem Rupertus lib. 2. de divinis Officiis cap. 9. asserat, *in illum in quo fides non est, præter visibiles species nihil de sacrificio pervenire.* Hoc, inquam, non obstat; his enim verbis tantùm significat indignè communicantem, nihil sibi utile præter species accipere, quia corpus & sanguinem Christi ad judicium, non ad salutem comedit. Quemadmodum, inquit, asinus ad lyram cùm irrationales aures arrigit, sonum quidem audit, sed modum cantilenæ non percipit; quia etsi aures ejus realiter feriant sonus, & cantilenæ modos, harmoniæ tamen modum & suavitatem non distinguit.

LX. *Multò minùs eis favit Gregorius VII.*

Objiciunt 4. authoritatem Gregorii VII. summi Pontificis, qui negavit realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento. Quod utique probant ex Concilio *Brixiensi* annô 1080. celebratô, in quo triginta Episcopi ipsum Gregorium VII. Pseudomonachum, totiusque vesaniæ pestiferum principem, & præcipuè sanctæ Romanæ Sedis invasorem affirmantes, ab Apostolica sede depellendum, quamvis absentem dijudicarunt, & Vuigbertum Ravennensem Archiepiscopum ei substituendum elegerunt. Summa Decreti est: *Contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromantium, pythonicô spiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum, & expellendum; nisi ab ipsa Sede descenderit, his auditis, in perpetuum condemnandum: facta sunt autem hæc 7. Kalend. Iulii, feriâ 5. Indict. 3.*

Confirmant, quia Benno Cardinalis, in vita Gregorii, refert Pontificem illum jejunium indixisse Cardinalibus, ut Deus ostenderet, quis rectiùs de corpore Domini sentiret, Ecclesiane Romana, an Berengarius; & de corpore Domini signum quæsivisse, quod petente Magnô Gregoriô ad firmandam infidelis mulieris fidem contigit: quod tamen Gregorius VII. post multas preces & jejunia non impetravit; aliaque fecisse, quibus (inquit Benno) se de veritate Eucharistiæ dubitasse monstravit; & per hoc manifestè probatur infidelis, cùm in Nicæno Concilio scriptum sit, dubium in fide infidelem esse.

Respondeo primò: Hæreticos hanc authoritatem objicientes, propriô mucrone jugulari: si enim Cooeiliabulum Brixiense legitimè Gregorium VII. exauctoravit, quòd de veritate realis Christi in Eucharistia præsentiæ, contra Catholicam & Apostolicam fidem dubitaret, consequens est, quòd assertio hujus realis præsentiæ, sit Catholicæ & Apostolicæ fidei consentanea.

LXI. *Concilium enim Brixiense fuit tantùm conciliabulum.*

Respondeo secundò: Nihili faciendum esse decretum illius Conciliabuli Brixiensis, utpotè à schismaticis Episcopis, agente & urgente Henricô Imperatore excommunicationis sententiâ ab ipso Gregorio, fulminatô, emanatum. Scribit enim Marianus Scotus ad annum 1081. Henricum Imperatorem cum magno exercitu Romam profe-

ctum urbem obedisse, & Gregorium advertentem Romanorum plores Schismati favere, cum paucis Salernum abiisse, & ad obitum usque mansisse. Videns autem Henricus Pontificem aufugisse, congregatis triginta Episcopis fautoribus suis in ipsa Romæ obsidione Synodum haberi jussit, qua in Gregorius falsis & inauditis criminationibus ab Henrici fautoribus fictè compositis, absens accusatur, & alius in ejus Sedem obtruditur, quem Gregorius anathematis mucrone mulctavit, Henricum quoque cum fautoribus communione privavit.

Quàm autem justô judiciô id fecerit Pontifex, utpote in apertum tyrannum, colligitur ex Concilio Romano annô 1083. celebrato, cujus acta referuntur in hunc modum: "Annô ab Incarnatione Domini 1084. Pontificatûs verò Domini Gregorii Papæ Septimi annô 11. 12. Kalend. Decembris, præsidente eôdem Apostolicô, celebrata est tribus diebus in Lateranensi Basilica Synodus, in qua fuerant Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus, atque Apolia, pauci quoque Gallicani: nam plurimos Henrici tyranni perfidiâ iter retrovertere compulit, qui Ostiensem Episcopum de Apostolica legatione redeuntem, contra fas & juramenti fidem capi jussit, sive permisit. Tres autem Synodos quadragesimalis ejusdem H.... persecutio impedivit. Qui semel B. Petrum aggressus, demum post multum fusi sanguinis, non tam suorum fortitudine, quàm negligentiâ civium porticu muros surripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior civitatis, biennô bellô fatigatum, acri inediâ laborabat: cùm nec ipsis ad vicina oppida, vel castra ire liceret, nec illi jurato. H... urbem vellent negotiatum venire, multi quoque fame abacti urbem reliquerant: Proinde cæteri bellô remissiùs attenti, rem ex animo minùs gerebant, & à custodiis, prout cuique licebat, sine timore negligentiùs aberant. Hæc de Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit, præstrinxisse sufficiat. Cæterùm Dominus Apostolicus in eadem Synodo de fidei forma, & Christianæ Religionis conversatione, sed & de robore animique constantia ad præsentem pressuram necessaria, ore non humanô, sed Angelicô patenter edisserens, die tertiâ totum ferè conventum in gemitus & lacrymas compulit, sicque Concilium Apostolicâ benedictione lætificatum in pace dimisit."

LXII. Et Henricus Imperator qui ei adversabatur, schismaticus fuit.

Hanc autem sententiam excommunicationis innovavit annô sequenti in Concilio Romano, ut scribit Bertoldus: *Dominus autem Papa*, inquit, *collectâ Synodô, iterùm sententiam anathematis in Gilbertum Hæresiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod in festo S. Ioannis Baptistæ præteritô jamdudum Romæ fecit, cùm Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam legati Sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis Episcopus in Francia, Otto Ostiensis Episcopus Teutonicorum usquequaque divulgârunt.* Hæc Bertholdus.

Mirum itaque videri non debet, quòd à schismaticis Episcopis, & anathemate perculsis emanaverit decretum adversus summum Pontificem, mendaciis, calumniis, & inauditis accusationibus refertum.

LXIII. Bennonis historia parùm certa.

Ad confirmationem dico *Bennoni* nullam hac in re fidem esse faciendam, utpote qui Henrici Imperatoris fautor, & Gilberti Ravennatis in Antipapam obtrusi partium sectator, non tam Gregorii historiam texuit, quàm satyram falsitatibus, fabulis, & calumniis consarcinatam. Unde Papyrius Massô opere de Episcopis urbis, in Gregorio VII. librum Bennonis, utpote plenum maledictis odii spirantem, schismaticæ factionis furore dictatum, respuendum omnino esse expertè profitetur. Quòd autem Gregorius signum à Deo ad firmandam veritatem Eucharistiæ poposcerit, dubiam ejus fidem non efficit; sicut nec dubius fuit in fide Magnus Gregorius, cùm miraculum ad eliminandam mulieris infidelitatem postulavit.

Insuper illibatam Gregorii fidem ac pietatem testantur non solùm Concilium Turonense, cui nomine Victoris secundi, cujus erat Legatus, præfuit, in quo Berengarius suum ejuravit errorem, sed & Romanum, in quo tandem Berengarius post plurimam suam perfidiam coram ipso Gregorio summo Pontifice Catholicam fidem ita professus est, ut in ea ad mortem usque perseveraverit; eum namque summus Pontifex tandiu detinuit apud se, donec illum amplius in fide non esse dubium constâret. Unde plurimi Scriptores, hujus Pontificis eximiam pietatem & doctrinam commendant, maximè Lambertus Scaphnaburgensis ad annum 1073. qui testatur Pontificem illum ita Apostolicè vitam instituisse, ut plurimis prodigiis, ac miraculis in vita, ac post obitum conspicuus fuerit.

Inter quæ miranda opera, istud silentio non est prætereundum, quod contigit in Concilio Lugdunensi, cui Gregorius VII. tunc Legatus Victori II. præfuit; cùm enim celebraretur hoc Concilium annô 1055. adversus Præsules Simoniacâ labe infectos residentibus in ea Synodo Archiepiscopis, Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis; Archiepiscopus vir quidam litteratus, & eloquens, accusatus est de crimine Simoniæ. Qui sequenti nocte omnes suos accusatores pecuniâ corrupit, & sibi amicos fecit. Mane autem factô rediens ad Synodum, audacter dixit: Ubi sunt, qui me accusant? Exeat in publicum quicunque me voluerit damnare. Tunc obmutescentibus omnibus, prædictus Archidiaconus, tanquam vir discretus & sapiens, convertens se ad illum, dixit: Credisne, ô Archiepiscope, Spiritum sanctum cum Patre & Filio unam esse substantiam Deitatis? Quô respondente, Credo: addit Archidiaconus: Dic, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Tunc ille, *Gloria Patri & Filio*, expeditè dicebat, sed Spiritum sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cùm frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns se per divinum judicium omnino confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confessus est propriô ore se Simoniacum esse. Postquam verò à Sacerdotali & Episcopali officio est depositus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, liberâ & clarâ voce decantavit. Quod factum Simoniacos intantùm perterruit, quòd præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, Episcopi quadraginta quinque Simoniacos se esse confessi sunt, & suis honoribus absque ulla alia accusatione renuntiaverunt.

LXIV. Gregorius VII. ante & post mortem miraculis clarus.

LXV. Simoniacus non potest integrum referre *Gloria Patri, &c.*

Objiciunt 5. Facundum Hermianensem lib. 9. cap. ult. ubi suscipiens defensionem Theodori Mopsuesteni, asserentis Christum D. assumpsisse adoptionem filiorum; sic scribit: *Adoptionem quoque filiorum suscepisse Christum, etsi antiqui Patres docuisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesia, quæ tales Doctores habuit, judicari debent*

haretici: nam Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut Sacramentum corporis & sanguinis ejus, quod est in pane, & poculo consecrato, corpus ejus & sanguis dicitur: non quòd propriè corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quòd in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem, quem Discipulis tradidit, corpus & sanguinem vocavit. Quocirca sicut Christi fideles Sacramentum corporis & sanguinis Christi rectè dicuntur suscepisse, sic & ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cùm suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse.

Respondeo primò, non magni faciendam esse authoritatem Facundi, utpote qui animô schismaticô trium capitulorum defensionem susceperit adversus Vigilium, & Pelagium summos Pontifices, quibus erat infensus, ut ex aliis ejus operibus constat. Ille autem dubiæ fidei ac veritatis suspectus est, qui Ecclesiæ unitatem scindere non veretur.

LXVI. *Facundus Hermianensis non favet Calvinistis.*

Respondeo secundò: Quòd etsi schismaticô animô libros illos nôn scripserit; attamen ex illius dictis, nihil patrocinii accedit hæreticorum errori; quando enim comparat Sacramentum adoptionis cum Sacramento corporis & sanguinis Christi, ipse nomine Sacramenti, intelligit solas species panis & vini, de quibus, quatenus præcisè sunt signa, non sunt propriè corpus Christi; sunt tamen signa continentia corpus & sanguinem Christi, nec id negat Facundus: quia verò signa appellari solent nomine rerum quas significant; ideo species appellantur corpus Christi, cùm hôc sensu sint tantùm signa corporis Christi. Hic modus loquendi ei similis est, quem usurpat D. Augustinus epistola 23. ubi ait: *Sacramentum corporis Christi, esse corpus Christi, quemadmodum Sacramentum fidei, fides est.*

Respondeo tertiò: Datô quòd Facundus per *Sacramentum corporis Domini*, totum ex signo continente & re contenta intellexerit, verè dixit ad mentem adversariorum, quos ad hominem impugnabat, Sacramentum corporis Domini, non esse corpus Domini; licèt ad mentem Ecclesiæ verum ejus corpus sit; Facundus enim operc illô agit adversus hæresim Eutychianorum, (ut constat ex cap. 2. lib. 1.) qui sub trium capitulorum nomine & obtentu, Concilium Chalcedonense fraudulenter oppugnabant, Theodorumque, Ibam, & Theodoretum in ea absolutos, damnabant. In eo autem præcisè posita erat hæc hæresis, quòd ante Incarnationem Christus fuisset ex quidem duabus naturis; at post incarnationem, unam fuisse factam, conversione scilicet humanitatis in Divinitatem: ex quo sequebatur juxta illorum sententiam, in Christo post adunationem non fuisse veram carnem, sed duntaxat apparentem, ut docet S. Leo, tum epist. ad Pulcheriam Augustam, tum epist. ad Julianum Coënsem, tum denique serm. 6. de jejunio septimi mensis, & 8. de Nativitate Domini. Ex quibus sic ad hominem arguit Facundus: Si secundùm vos, ô Eutychiani, Sacramentum corporis corpus Christi dicitur, tametsi verum Christi corpus non esse censeatis, quippe qui docetis ipsum apparens & similitudinatium duntaxat corpus habuisse, quidni Sacramentum adoptionis adoptio dici poterit, quam significat & figurat?

§. V.

Probatur eadem realis Christi D. corporis & sanguinis in Eucharistia præsentia rationibus Theologicis.

Primò quidem, lex Evangelica longè præstantior est ac nobilior lege veteri & Mosaycâ; ac subinde excellentiora debet habere Sacramenta, ac majori dignitate & efficacitate prædita: sed ita non esset, si Eucharistia duntaxat esset simplex & nuda figura Christi D. corporis & sanguinis: igitur talis non est æstimanda. Major constat ex S. Paulo, tum ad Galat. tum ad Hebr. 9. & 10. ubi maximè demonstrat legis Evangelicæ præstantiam supra Mosaycam, quod illa figuras, hæc veritatem; illa umbras, hæc realitatem & corpus complectatur. Major verò probatur; in veteri namque lege longe præcellentiores, ac clariores erant figuræ Christi D. corporis, & passionis, quàm sit panis Eucharisticus, si duntaxat sit simplex panis secundùm substantiam, nec aliud dignitatis habeat, quàm esse figuram corporis & passionis Christi. Enimverò Manna, & Agnus Paschalis longè præstantiùs significabant Christum, ejusque Passionem, quam nudus panis Eucharistiæ Calvinisticæ, nam Manna de cœlo pluebat, nullâque hominum, sed Angelorum operâ fiebat, & habebat in se omnis saporis suavitatem; atque ita repræsentabat Filium Dei descensurum è cœlo, sine opera viri in Virginis utero assumpturum carnem, fideles animas in eo omnem consolationem & delectationem reperturas: quæ omnia dici nequeunt de pane cibario & usuali; qualis est panis Calvinisticus.

LXVII. *Rationes Theologicæ idem probantes.*

Similiter idem de Agno Paschali facilè ostenditur; etenim Agnus ille, quem Judæi mactabant, erat animal vivum, panis noster substantia est inanimata, vitâ & sensu carens; nemo autem dubitare potest, quin vivens substantia sit nobilior inanimatâ, cùm scilicet plures entis gradus habeat.

1. Quia lex Evangelica cùm sit præstantior lege Mosaycâ, etiam debet habere præstantiora sacramenta.

Deinde, meliùs quoque caro Christi per veram carnem Agni exprimebatur, & mors per veram ejus mortem, & sanguis per sanguinem, quàm per solum panem, vel per fractionem panis; siquidem nec panis mori potest propriè, sicut Agnus vivens; nec carne etiam, aut sanguine præditus est.

Insuper: Agnus Hebræorum multò aptiùs repræsentabat innocentiam, & mansuetudinem Christi, quàm solus panis, ut per se manifestum est; unde & Christus in Scripturis toties Agnus vocatur. Joan. 1. *Ecce Agnus Dei*; Isai. 16. *Emitte Agnum dominatorem terræ*; & cap. 53. *Quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum*: Apocal. 5. *Seniores stant coram Agno.*

Denique, caro agni meliùs etiam referebat effectum spiritualem Eucharistiæ, qui est nutritio; magis enim nutrit caro agni, quàm solus panis. Igitur si Eucharistia esset duntaxat panis usualis, nec aliâ dignitate ac præstantiâ polleret, quàm quia est figura & repræsentatio corporis & passionis Christi, sequeretur legem veterem longè præstantiorem esse Evangelicâ, utpote quæ excellentiores figuras habebat.

Reponunt haretici primò, veterem legem comparari ombris, nostram autem corpori; non quòd Sacramenta nostra præstantius aliquid contineant, quàm Judaïca, sed quia hæc solùm significabant

cabant Christum venturum, & quasi adbuc absentem; nostra verò jam præsentem, & in cœlo actu existentem: longè autem præstantius est, inquiunt, significare rem præsentem & existentem, quàm futuram.

Verùm contrà; *primò* namque constat ex dictis de Sacramentis in communi, Sacramenta nostra ab antiquis discrepare, non solùm ratione objecti, id est Christi futuri, aut jam existentis, sed potius ratione efficacitatis; siquidem illa duntaxat conferebant gratiam ex opere operantis; nostra verò eam conferunt ex opere operato.

Non solùm rem præsentem exhibent quam illa præfigurabant.

Insuper, quòd Sacramenta significent rem futuram aut præsentem, non efficit quòd aliqua sint magis ipsa veritas, quàm illa; ac subinde si panis Eucharisticus tantùm significet, non verò contineat corpus Christi, nullâ ratione potiori dici poterit corpus & caro Christi, quàm Agnus Paschalis, aut Manna: sed ultrò admittunt Calvinistæ Manna, & Agnum Paschalem, nonnisi impropriissimè appellari posse corpus & sanguinem Christi: igitur idem dicendum esset de Eucharistia, sicque perperam Christus Eucharistiam tradendo, dixisset; *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.*

Reponunt secundò, hoc Sacramentum nobis exhibere Christum, & eum repræsentare distinctiùs, quàm Sacramenta veteris legis, non quidem ratione sui, sed ratione verborum ipsius Christi D. quare Eucharistiam appellavit suum corpus.

Verùm hæc responsio non minùs futilis est, & inanis, quàm præcedens; idem enim est ac si quis dicat, truncum ligni omninò incultum distinctiùs repræsentare Cæsarem, quàm effigiem & imaginem Cæsaris, quia ego dico truncum illum esse Cæsarem.

Nec quia perfectiùs Christum repræsentant.

Insuper, quòd una imago aliquid perfectiùs repræsentet, quàm alia; inde dici quidem potest perfectior imago, non autem res ipsa, quam repræsentat; hinc non desinit esse imago & umbra, ac figura illius rei, quam exhibet: igitur licèt panis Eucharisticus distinctiùs repræsentaret corpus & sanguinem Christi, quàm Agnus Paschalis & Manna, inde non esset consequens, quòd non foret simplex imago & figura; cùm tamen Apostolus dicat, legem novam non continere amplius umbras & figuras; sed ipsam veritatem.

Denique, hæc solutio, hæreticorum doctrinæ repugnat, negant enim verba, quibus in Sacramentis utimur, esse partes & formas Sacramentorum, ut diximus agendo de Sacramentorum formis: Nec est quòd recurrant ad verbum concionale, illud enim non est internum, nec essentiale Sacramentis nostris, ut ibidem demonstravimus.

Adde quòd conciones non solùm vigent in lege Evangelica, sed etiam vigebant in Mosayca.

Reponunt tertiò alii, nostra Sacramenta esse nobiliora veteribus, eò quòd uberiorem gratiam conferant.

Nec solùm quia uberiorem gratiam continent & conferunt.

Verùm hæc responsio apertè in ipsos hæreticos militat; nam aut volunt gratiam conferre Sacramenta novæ legis ex opere operato, aut ex opere operantis.

Non *primum*; siquidem hæretici absolutè negant, Sacramenta novæ legis eam habere efficacitatem, ut gratiam conferant ex opere operato: quapropter has loquendi formulas, *opus operatum*, tanquam ineptas & barbaras derident.

Non etiam *secundum*: nam in parvulis constat nullam inveniri talem actionem, quæ sit sufficiens dispositio ad gratiam per Sacramentum Baptismi consequendam: in adultis verò hæreticis deridentcooperationem ad gratiam, & omnia nostra merita respuunt, aiuntque opera nostra non esse peccati expertia.

Deinde, si concedant hæretici, Christianos posse sese disponere ex opere operantis ad gratiam per novæ legis Sacramenta consequendam, ratione eorum virtutis & pietatis, non est cur inde adstruant Sacramenta novæ legis esse præstantiora Sacramentis veteribus; siquidem plurimi in veteri lege fuerunt longè sanctiores, quàm nonnulli Fideles; nam ipse Moyses, David, Ezechias, Prophetæ, & plerique alii Patres veteris Testamenti innumeris Christianis legis Evangelicæ sanctiores fuerunt; ac subinde habuerunt nobilius opus operantis; proindeque majorem gratiam fuerunt consecuti; & consequenter hâc ratione nobiliora habuissent Sacramenta. Concludendum est ergo, quòd si panis Eucharisticus esset duntaxat figura corporis Christi, Sacramenta novæ legis imperfectiora essent Sacramentis legis veteris, quod apertè militat, nedum in doctrinam S. Apostoli, sed etiam SS. Patrum, ut probatum est in prima Disputatione hujusce libri.

Sed quia illa erant duntaxat figuræ, hæc verò sunt veritates.

LIX.

Cœna Calvinistica non potest esse ea quã commendat Apostolus.

Probatur secundò hæc veritas: Si Eucharistia non contineret verè, realiter ac substantialiter corpus & sanguinem Christi, sequeretur juxta hæreticorum doctrinam, corpus & sanguinem Christi non posse indignè manducari & bibi ab hominibus, quantumvis perversis & peccatoribus: sed falsum consequens: ergo & antecedens. Minor patet ex Apostolo scribente 1. ad Cor. 11. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quibus verbis apertè fatetur Apostolus, Eucharistiam à fidelibus posse indignè suscipi. Major pariter admitti necessariò debet ab hæreticis; volunt enim fideles, dum panem Eucharisticum manducant, duntaxat recipere corpus Christi, *per os fidei*, hoc est beneficiô fidei apprehendentis Christum quasi realiter præsentem, & seipsum eis communicantem: docent pariter nos justificari per fidem, ut dictum est agendo de gratia justificante; ac subinde fateri debent non posse corpus Christi suscipi, nisi à justificatis; quippe cùm non suscipiatur, nisi ab habentibus fidem, quæ in eorum doctrina est forma justificans: igitur si corpus Christi non esset verè, ac realiter sub speciebus Eucharisticis, sed tantùm per fidem susciperetur, consequens est, quòd non posset à fidelibus indignè suscipi. Unde inferendum est, cœnam Calvinisticam non eam esse, quam Christus instituit, & Apostolus servandam docuit. In hac enim, ut docet Apostolus, potest indignè suscipi corpus Christi; in Calvinistica autem non potest.

Reponunt hæretici, idcirco indignè accedentem ad Eucharistiam censeri reum corporis & sanguinis Christi, non quòd utrumque sine debita dispositione & reverentia suscipiat, sed quòd irrita faciat symbola, quibus mediantibus, corporis & sanguinis Christi particeps esse debuerat; non secus ac ille diceretur reus læsæ majestatis regiæ, qui vitam sibi clementiâ Regis donatam, & diplomate Regiô sigillô munitô gratiam consignatam, non solùm respueret, sed etiam diploma illud pedibus conculcaret, ac laceraret; ille enim

Et aliud corpus penetrare.

mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit, man sit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cùm exiret ex Virgine. Et cap. 8. *Hæc porta clausa erit, & non aperietur: bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur; transivit per eam Christus, sed non aperuit.*

Hinc S. Augustinus serm. 159 de tempore, ex illo miraculo colligit, Christum D. potuisse pervadere in cænaculum januis clausis, ubi erant Discipuli congregati; Moli corporis, *inquit*, ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt, ille quippe non eis apertis intrare potuit, quô nascente, virginitas Matris inviolata permansit. Quod utique miraculum clegaoter expendit S. Cyrillus lib. 12. in Joan. exponens enim verba illa Joannis: *Cum ergo serò esset die illô una Sabbatorum, & fores essent clausa,* &c. hæc scribit: *Obseratis foribus, in medio stetit Christus, inæstimabili quâdam virtute, Deoque convenienti supra rerum ordinem, omnemque rationem humanam. Nemo dicat, quomodo, quasò, in crasso corpore cùm esset Dominus, nullô tamen negotiô, tametsi janua clausa essent penetravit? sed apud se cogites potiùs divinum Evangelistam haud quaquam hæc de aliquo nostri simili dicere: sed de eo potius, qui Deo ac Patri assidet, atque omnia quæcunque vult facit. Oportebat enim, cùm Deus secundum suam naturam sit ac verus, nequaquam subjacere rerum ordini, sicuti res ab ipso creata: sed necessitati ipsi & omnium quæ aguntur rationi dominari. Alioqui enim quô pacto mare pedibus suis subjiceret, fluctusque siccô pede tranaret; neque enim nostris corporibus aquæ substernuntur; aut quodammodo alia miracula virtute Deo convenienti ederet?*

Objiciunt tertiò: Admissâ præsentiâ reali corporis Christi in Eucharistia, absurdissima quædam, & Christo prorsus indigna sequuntur: quid enim Christi majestati indignius, quam ipsum in Eucharistia non solùm in terram, sed etiam in sordes interdum dejici, dentibus atteri, à muribus & aliis animalibus rodi, putrescere & acescere, cum panis & vini corruptione, in stomachum trajici, & in secessum ire? Ea omnia gloriosum Christi D. corpus dedecent: igitur non est verisimile ipsum sub speciebus Eucharisticis realiter delitescere.

Respondeo primò, mysteria nostræ fidei eô ipsô diviniora censeri, quô Dei majestate secundùm humanam sapientiam prorsus videntur indigna. *Stultum quippe*, inquit S. Gregorius homil. 6. in Evangelia, *hominibus visum est, ut pro hominibus Author vitæ moreretur; & inde contra eum homo scandalum sumpsit; unde ei amplius debitor fieri debuit: nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit.* Hinc præclarè Tertullianus in lib. de carne Christi: *Quodcunque Deò indignum est, mihi expedit: salvus sum, si non confundar de Domino meo. Natus est Dei Filius; non pudet, quia pudendum est: & mortuus est Dei Filius; prorsus incredibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile.* Et lib. 2. contra Marcionem: *Assumpsisse Deum quædam sibi indigna*, inquit, *nobis autem necessaria, & ideo jam Deò digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm salus hominis.* Quemadmodum ergo Christus D. nostræ salutis gratiâ, dum homo factus est, ea assumpsit, & passus est, quæ Dei majestate indigna visa sunt Judæis & Gentilibus, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Ita ejus erga homines charitas ipsum impulit ad instituendum Eucharistiæ Sacramentum, in quo variis indignitatibus hæreticis videtur subjici; at illa summam ejus charitatem commendant.

LXXI. Deus eò magis ab homine est honorandus quantò propter eū indigna suscepit.

Respondeo secundò, illa omnia inconvenientia futiliter ab hæreticis objici, atque ex fidei nostræ ignoratione vel dissimulatione; si enim attenderent Christum esse in Eucharistia modô impassibili; & omnem alterationem solis panis speciebus obvenire; quippe cùm illæ duntaxat dentibus atterantur, solæ putrescant, solæ acescant & moveantur, haud dubiè desinerent Catholicam doctrinam calumniari, nec iis vilioribus mutationibus Christi D. corpus obnoxium esse blaterarent.

Quemadmodum enim Solis radii paludum & finorum sordibus non inquinantur, sic gloriosum Christi D. corpus nullis specierum Sacramentalium qualitatibus, vel injuriis afficitur, aut mutatur. Vel, ut loquitur Author de Cœna Domini apud S. Cyprianum: *Integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur, & non injuriatur, recipitur, & non includitur.* Cui concinit S. Augustinus apud Bedam in cap. 10. prioris ad Cor. *Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuus vivificat: quando manducatur, reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare istum panem, ne fortè finiamus illum, & posteà quod manducetur, non inveniamus: Manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus.*

LXXII. Corpus Christi ad specierum corruptionem non corrumpitur.

Concludo tandem hanc refertissimam adversus Calvinistarum errores probationum segetem, iisdem verbis, quibus Guitmundus suum adversus Berengarianos tractatum coronavit. Multa, *inquit*, contra istos jam diximus, multa quoque dici possunt: sed piis mentibus (ut arbitror) ista sufficiunt. Quid enim ampliùs adversus istos quærerem, cùm objectionem eorum, sive per rationes, sive per Scripturas, nostræ fidei nihil obesse; imo vero ipsas easdem Scripturas nobiscum magis esse satis, lucidéque monstratum sit: cùm istorum dementias, & singulatim, & communiter tam venerabilium Authorum, quàm Propheticis & Evangelicis testimoniis teneant plenissimè destructas: nostram verò fidem usquequaque firmissimam, utilissimam, excellentissimam, summéque necessariam, videant evidentissimè declaratam? At vero impiis quid sufficiet, si duriores saxis tot argumentorum malleis percussi credere nolunt; si tenebrosiores infernô, tantâ fortissimarum rationum luce collustrari non possunt; aut certè meretricum similes de sua turpitudine, vel pervicacia erubescere nesciunt: aut dæmonum simillimi cœptam semel vecordiam tantâ pertinaciâ diligunt, ut veritatem gratis odiô habeant, & à falsitate vel manifestissima nunquam resipiscant? O miserrimos homines, & immensô lacrymarum imbre lugendos, si tanta pervasit eos propagandæ famæ cupiditas, ut à blasphemiis propalatis nec clarissima veritas, nec summa ipsorum infamia, nec vitæ æternæ amor, nec æterna damnatio valeant revocare! Redite quæso, *Redite prævaricatores ad cor.* Quare moriemini gratis? Non talis hæc disputatio est, quæ utrobique valeat leviter compensari. Non hîc, sicut in Scholis, pro victoria, aut sicut in judiciis, pro quibuslibet terrenis commodis agitur: sed, sicut coram Deo pro vita æterna, atque cœlesti disputatur: falsam etenim partem sempiterna mors devorat; veram

Egregia ad hæreticos admonitio.

„ autem vita æterna continuat. Quocirca justo examine vestra & nostra perpendite; si quid dignum contra nos habetis, afferte: si non habetis, acquiescite. Quare moriemini gratis? Sed quid amplius istos prosequar? Jam disputationi huic ponendus est finis.

SECTIO TERTIA.

De Transsubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

I. *Quid significet Transsubstantiatio.* TRANSUBSTANTIATIONIS vocabulum usurpatur a Theologis ad significandam conversionem totius substantiæ præcedentis in substantiam sequentem, nullâ remanente prioris substantiæ materiâ & formâ; cujus utique mutationis & conversionis argumentum & exemplum habemus in adorando Eucharistiæ Sacramento. Quippe de fide est, totam panis & vini substantiam per verba consecrationis in corpus & sanguinem Christi ita transmutari, ut ne tantillum quidem substantiæ panis & vini sub speciebus Eucharisticis post consecrationem subsistat, sed tota utriusque substantia in Christi D. corpus & sanguinem transmutetur. B

Cùm autem nulla sit tam constans & aperta Catholica veritas, quam dæmon sibi famulantium hæreticorum ministeriô impugnare ac offuscare non tentaverit, hanc præcipuè hisce posterioribus sæculis convellere nisus est: pridem enim extinctam & ejuratam, ac anathemate fulminatam, adversus hanc veritatem, erroneam Berengarii sententiam ab inferis denuò suscitavit *Joannes Wicleffus* Anglus circa annum 1312. nam, ut in Concilio Constantiensi sess. 8. refertur, substantiam panis & vini in Sacramento Altaris permanere affirmavit, & accidentia panis non subsistere sine subjecto, sustinuit. C

Hanc pariter erroneam sententiam simili audaciâ propugnavit Lutherus, qui licèt initiò dissimulatæ suæ hæresis, fluctuaret circa asserendam, vel negandam transsubstantiationem, permitteretque affirmantem sententiam, modò negans hæresis non insimularetur: tamen impudentior postmodum factus annô 1522. Catholicum de transsubstantiatione dogma impiô calamô blasphemum pronuntiavit & scripsit, lib. contra Henricum Angliæ Regem, qui hujus novi Hæresiarchæ impia dogmata scriptis & suppliciis extirpare fuerat aggressus. Hanc autem erroneam doctrinam omni, quâ possunt, arte propugnare nituntur illius Sectatores & Discipuli, verba Christi D. *Hoc est corpus meum*, sic interpretantes: *In hoc*, aut *cum hoc*, aut *sub hoc pane est corpus meum*; aiuntque eôdem modô Christum porrigendo corpus suum in pane potuisse dicere, *Hoc est corpus meum*, quô quis habens diversi generis grana in saccis inclusa, eis successivè demonstratis saccis, diceret, hoc est avena mea, hoc est hordeum meum, hoc est frumentum meum; vel sicut scyphum vinô plenum porrigens, diceret, Hoc est vinum meum. D E

Demonstratâ itaque, quantùm nobis licuit, adversus Calvinistas reali corporis Christi in Eucharistia præsentiâ, jam demonstranda incumbit adversus Luthera nos panis & vini in corpus & sanguinem Christi transsubstantiatio, nec-non & aperiendus modus, quô hæc mutatio fiat; quod A utique pro modulo nostro præstabimus in sequentibus quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum tota substantia panis & vini in corpus & sanguinem Christi convertatur?

CONSTANTISSIMUM est apud Catholicos dogma, & certa fidei definitio, nihil de substantia panis & vini manere post consecrationem, sed totam in corpus & sanguinem Christi converti; ita namque traditum & definitum est in variis Conciliis: *Primò* quidem in eis omnibus, in quibus damnata ac fulminata fuit Berengarii hæresis, maximè verò in Concilio Romano sub Gregorio VII. ubi tandem suum errorem, quô transsubstantiationem negabat, ejuravit, ut in præcedenti Sectione dictum est. *Secundò*, in Lateranensi sub Innocentio III. ubi definitur, panem & vinum transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi. *Tertiò*, in Constantiensi sess. 8. ubi damnatur error Wicleffi, asserentis substantiam panis & vini manere in Sacramento Altaris. *Quartò*, in Florentino in Decreto Eugenii, ubi disertis verbis asseritur hæc mutatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi. *Tandem* in Concil. Trident. sess. 13. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini unà cum corpore & sanguine Domini nostri, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat, anathema sit.* Quoniam autem hæc veritas ex præcedenti Sectione jam satis apertè liquet; idcirco eam paucis aperiet & confirmabit. II. *De fide est admitti debere Transsubstantiationem in Eucharistia.*

CONCLUSIO UNICA.

Colligitur transsubstantiatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, ex verbis consecrationis practicè sumptis, non autem speculativè. III. *Colligitur Transsubstantiatio ex verbis consecrationis practicè sumptis.*

Hæc Conclusio duas habet partes, quarum *prima* communis est inter Catholicos contra Lutheranos, *secunda* verò controvertitur Scotistas inter & Thomistas.

Prima pars, traditur à Concilio Trident. sess. 13. cap. 4. ubi docet: *Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit; idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi D. nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus.* Quibus verbis significat idcirco persuasum esse in Ecclesia, panem & vinum transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi, eò quòd Christus D. consecrando panem & vinum, verè dixerit esse corpus & sanguinem suum; ac subinde censet, transsubstantiationem ritè colligi ex his verbis consecrationis, quatenus illa practicè usurpantur, hoc est, prout reverà corpus & sanguinem Christi efficiunt & significant præsentem sub speciebus Eucharisticis. 1. *A Concilio Trid.*

Confirmatur ex Catechismo Tridentino de Eucharistia cap. 37. ubi legimus: *Hac verò transsub-*

2. Ab ejusdem Catechismo.

stantiatio ex testimoniis Scripturarum facilè fuit A *colligere : Primùm, quòd in ejus Sacramenti institutione ipse Dominus dixit :* HOC EST CORPUS MEUM ; *vocis enim, hoc, ea vis est, ut omnem rei præsentis substantiam demonstret. Quòd si panis substantia remaneret, nullomodo verè dici videretur: Hoc est corpus meum.* Deinde, *Christus D. apud Ioan. Panis,* inquit, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita : panem videlicet carnem suam vocans. Ac paulò post subjecit : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et rursus : Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Cùm ergo tam claris, & perspicuis verbis carnem suam* B *panem, & cibum verum, sanguinem item verum potum nominaverit : satis videtur declarasse, nullam in Sacramento substantiam panis, & vini remanere.*

IV.
3. A SS. Patribus.

Eandem veritatem ex ipsis verbis consecrationis colligunt SS. Patres, maximè S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mystagogicâ, his verbis. *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane. Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eòdem quoque confirmante ac dicente; Hic est sanguis meus; quis, inquam, dubitat ac dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ solâ voluntate ;* C *& non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset? Quare cum omni certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus : nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, ut sumptô corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus.* Idem habet Author sermonis de Cœna Domini apud S. Cyprianum : *Panis iste,* inquit, *communis, in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi fit caro.*

Subscribit Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. ad Adeodatum, quæ reperitur tomô 1. Bi- D bliothecæ Patrum, ubi sic ait : *Dubitari nefas est ad cujus nutum cuncta ex nihilo subitò substiterunt, si suâ potentiâ in spiritualibus Sacramentis, terrena materies, natura & generis sui meritum transcendens, in Christi substantiam commutetur, cùm ipse dicat : Hoc est corpus meum, & paulò post: Hic est sanguis meus.*

Simili discursu utitur S. Gaudentius Brixiensis Episcopus tract. 2. in Exodum, ubi hæc scribit: *Quod annuntiatum est credas, quia quod accipis corpus est panis illius cœlestis, & sanguis est illius sacra vitis : nam cùm panem consecratum, & vinum Discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus.* Item Guitmundus lib. 3. de corporis & sanguinis Christi E veritate, hæc habet : *Hos impanatores suos ipse Dominus verbô oris sui interficit, cùm accipiens panem, gratiasque agens, ac benedicens, ait : Hoc est corpus meum. Non ait, in hoc latet corpus meum: nec dixit, in hoc vino est sanguis meus, sed dixit: Hic est sanguis meus.*

V.
4. A Ratione Theologica.

Idipsum suadet ratio Theologica : Si enim non esset vera transsubstantiatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, consecrationis verba non essent vera; ut enim pronomen demonstrativum, *hoc*, verè sit demonstrativum corporis A & sanguinis Christi, necessariò indigitare debet omnem substantiam sub accidentibus latentem, esse corpus Christi, ut nempe sit identitas inter prædicatum & subjectum : omnis enim prædicatio de alio supponit identitatem, vel unionem attributi cum subjecto; ex eo enim quòd res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa; panis autem & corpus Christi sunt res omnino disparatæ, nec inter se ullâ identitate, vel unione copulantur: igitur particula *hoc* non supponit pro substantia panis, quæ proinde non manet, cùm nulla panem inter & corpus Christi unio in Sacramento Eucharistiæ intercedat.

B *Confirmatur :* Ut propositio constans pronomine demonstrante substantiam sub accidentibus sensibilibus latentem, sit vera, necessum est, quòd pronomen ejus demonstret omnem & quamlibet substantiam demonstrabilem ibi contentam, maximè si sit practica propositio; itaut removeatur omnis substantia delitescens, tali pronomine non demonstrata : sed hæc propositio : *Hoc est corpus meum*, est vera & practica, demonstratque substantiam latentem sub accidentibus panis, esse corpus Christi : igitur ut sit vera, necessum est, quòd sub speciebus panis sola sit substantia corporis & sanguinis Christi.

VI.
Possent tamen verba consecrationis esse vera in sensu speculativo, quamvis non fieret Transsubstantiatio.

Dixi, *si propositio sit Practica*; nam, ut habet C *secunda pars:* Propositio, *Hoc est corpus meum*, posset esse vera speculativè, seu in sensu speculativo, etiamsi non fieret transsubstantiatio, ut significat subtilis Doctor in 4. dist. 11. quæst. 3. nu. 14. *Ad primum*, inquit, *concedo, quòd etiam in creditis non sunt plura ponenda sine necessitate, nec plura miracula, quàm oportet : sed cùm dicitur in Minori, veritas Eucharistiæ posset salvari manente pane, vel sine transsubstantiatione ; dico, quòd bene fuisset Deo possibile si instituisset, quòd corpus Christi verè esset præsens, substantiâ panis manente, cum accidentibus, pane annihilatô : & tunc fuisset ibi veritas Eucharistiæ, quia & signum verum, & signatum verum : sed hic non est modo tota veritas Eucharistiæ ; non enim sic instituit, ut dicunt authoritates adductæ ; Et cùm dicitur, quòd ad veritatem Eucharistiæ nihil requiritur, nisi ve-* D *rum signum, & verum signatum.*

Respondeo, *verum est eò modô, quô signum est institutum, & quò sibi debet correspondere signatum: quod non est nunc præcisè, quòd corpus sit cum aliquo, scilicet cum pane, vel cum accidentibus panis indistinctè; sed institutum est nunc, quòd signatum sit tantùm sub accidentibus, ut sub signo.*

VII.
Quo sensu Eucharistia post consecrationem adhuc dicitus panis.

Quibus verbis Doctor tria declarat : *Primum*, quòd per divinam potentiam possit esse corpus Christi sub speciebus panis, simul cum ejusdem panis substantia; quod utique omnes ultrò fateri debent ; nulla siquidem in eo apparet contradictio; quo in casu, Eucharistia non minùs esset verum signum præsentis Christi corporis, quam fit de facto, dum fit transsubstantiatio. *Secundum*, E quòd in ea hypothesi verba, quæ significant corpus Christi præsens, possent esse vera in sensu speculativo, sicut nunc vera sunt ; quippe significarent realem Christi D. corporis præsentiam, sicut eam nunc designant. *Tertium*, quòd reverà tamen per verba consecrationis, *Hoc est corpus meum*, fiat transsubstantio substantiæ panis in corpus Christi ; quia illa verba non solùm habent significationem speculativam ex institutione hominum, sed etiam practicam, & conversivam ex institutione Christi, quæ nobis apparet per definitionem & determinationem Ecclesiæ ; ma-

tionem non amplius est commune, sed sacrum; ita panis post consecrationem non est amplius panis, sed corpus Christi: unde signanter non dixit, unguentum post consecrationem esse Spiritum sanctum, sicut dixit panem esse corpus Christi: Quòd autem Cyrillus reverà non dubitaverit de transsubstantiatione, sed eam propugnaverit, apertè liquet ex his, quæ suprà ab ipso decerpta exscripsimus.

Et S. Chrysost.

Ad tertium dico, perperam citari illam Chrysostomi epistolam, quippe cùm omnino fictitia sit, nec inter illius sanctissimi Doctoris opera recenseatur.

Objiciunt tertiò authoritatem S. Ambrosii di» centis lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Si tanta vis
» est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse
» quæ non erant; quantò magis operatorius est,
» ut sint quæ erant, & in aliud commutentur?
igitur ex mente S. Ambrosii in Eucharistia cum Christi D. corpore manent, quæ erant, idest, substantia panis perseverat unà cum accidentibus.

Respondeo, S. Ambrosii mentem esse, quòd in Eucharistia cum Christi corpore maneant, quæ priùs erant secundùm visibilem sensibilium accidentium speciem, licèt non remaneant secundùm intrinsecam panis & vini substantiam, quæ in corpus & sanguinem Christi commutantur. *Adde*, quòd, ut observat Lanfrancus in aliis codicibus præfata S. Ambrosii sententia non ita exaratur, sed his verbis: *Si igitur tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ erant, quanto magis operatorius est, ut, quæ erant, in aliud commutentur?*

XI. Sicut & Gelasius summus Pontifex.

Objiciunt quartò authoritatem Gelasii Romani Pontificis, qui lib. 2. de duabus in Christo naturis contra Eutychen & Nestorium, confereos mysterium Eucharistiæ cum mysterio Incarnationis, sic loquitur; *Sacramenta, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi divina res est; propter quod & per eadem divina efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinunt, substantia vel natura panis & vini.* Igitur censet summus Pontifex non fieri transsubstantiationem.

Respondet Perronius negando consequentiam, & ad antecedens dicit primò, suspectum omnino haberi debere opusculum istud, eò quòd annô 1528. Basileæ hæreticorum studiô & curâ publici juris factum fuerit, ex codice incorrecto, & mendis scatente, ut patet ex collatione ejus cum Textibus à S. Fulgentio laudatis: quare suspicari licet vel à Basileensibus malâ fide fuisse correctum, vel saltem ex incorrecto codice editum fuisse.

Respondeo secundò, opusculum illud perperam adscribi Gelasio summo Pontifici, ut rectè demonstrat *Melchior Canus* lib. 6. de locis Theologicis cap. ult. ad 9. sed fortè editum fuit ab alio *Gelasio Cæsariensi* scriptore Græco, *tum quia* opus de duabus in Christo naturis à Gelasio Rom. Pontifice scriptum, appellatur grande volumen à Gennadio & Honorio Augustodunensi; additque Anastasius Bibliothecarius in vita Gelasii, opus illud fuisse divisum in quinque libros: sed liber ille, unde authoritas in objectione posita deprompta est, exiguus est: igitur non est is, quem edidit Gelasius adversus Eutychem: *Tum, quia* libelli illius Author referendo testimonia Patrum de duabus in Christo naturis, citat Eusebium Cæsariensem, qui fuit Arianorum signifer, & cujus opera ab ipso Gelasio inter apocripha de-

Non enim est author opusculi adversus Eutichem.

A clarata sunt: *Tum, quia* illius libelli scriptor testatur se pro duabus asserendis in Christo naturis referre testimonia veterum Patrum; attamen solos Græcos laudat; omissis Hieronymi, Augustini, Leonis Magni, & aliorum Latinorum Patrum clarissimis testimonis. Profert quidem nonnulla S. Ambrosii verba, sed omnino à genuinis aliena, & duntaxat juxta versionem Græcam Theodoreti; qui opus illud laudaverat: non est autem verisimile Romanum Pontificem Latinorum Patrum opera non calluisse, & quæ producit ex genuinis fontibus non excepisse. *Tum denique*, quia si ea fuisset Gelasii Pontificis sententia, haud dubiè illam in sui patrocinium Beren-
B garius, ejusque discipuli laudassent. His & similibus rationibus permoti Rivetus & Perkensus opusculum istud à genuinis Gelasii operibus respuunt.

Nec obstat, quòd Ecclesia Lugdunensis lib. de tribus epistolis, meminerit libri, cujus titulus est: *De duabus in Christo naturis*, quem librum scribit omnibus Ecclesiis notum, & celebriter commendatum: Respondeo enim hunc librum non esse eum, de quo controvertitur; siquidem liber cujus meminit Ecclesia Lugdunensis, refert sententias plurium orthodoxorum Patrum Græcorum & Latinorum, ad fidei ædificationem spectantes, scilicet Athanasii, Hieronymi, &c. At in libro nobis objecto, prædicti Patres non
C citantur; ac subinde liber, cujus Ecclesia Lugdunensis meminit, non is est, qui nobis objicitur.

XII. Proponitur & expenditur gravis difficultas ex verbis Theodoreti.

Objiciunt quintò authoritatem *Theodoreti*, qui dialog. 1. ita scribit: *Symbola, quæ videntur appellatione corporis & sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjiciens.* Et dialog. 2. ait: *Neque signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura; manent enim in priori substantia figura & forma, & videri & tangi possunt sicut prius:* igitur ex mente Theodoreti non fit mutatio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

D *Nego consequentiam*, & ad antecedens dicunt aliqui: *Primo*, non esse magnifaciendam authoritatē Theodoreti, ubi sermo est de Eucharistia; fuit enim de Nestorianismo suspectus: cui errori ut patrocinaretur, & occurreret authoritati SS. Patrum, qui ex Eucharistiæ Sacramento Incarnationis mysterium comprobabant, ut ex S. Cyrillo liquet, idcirco obscurè de Eucharistia locutus est. *Secundò* dico, non posse genuinam alicujus authoris mentem ex obscurioribus illius scriptis colligi, maximè quando duntaxat obiter de aliqua materia differit: testatur autem Theodoretus, se de Eucharistia nedum obiter agere, sed etiam obscuritatem affectare; Dialogô enim primô sic Orthodoxus loquitur: *Velim te paulò magis*
E *mysticè respondere; adsunt enim fortasse nonnulli, qui non sunt initiati mysteriis.* Cui Eranistes respondet: *Ita audiam, & ita respondebo.* Et dialog. 2. sic loquitur Orthodoxus. *Non oportet apertè dicere; est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos.* Cui Eranistes ait: *Respondeatur ænigmaticè.*

XIII. Videtur vulgatam versionem non esse genuinam.

Dico tertiò cum Cardinali Perronio, non sic esse legendum hunc Theodoreti locum, ut in objectione refertur, & plerique legunt, nempe *signa mystica post sanctificationem manent in priori substantia, forma & figura*; sed hôc modô *in prioris substantiæ figura & forma*, juxta quam lectionem sensus planus est; quippe significatur, quòd eadem accidentia, quæ in priori substantia panis

& vini existebant, post utriusque conversionem remaneant ut priùs immutata; nec recedant à natura sua, seu virtute naturali, quam habebant, vel afficiendi sensûs, vel nutriendi, &c. Cujus utique ratio est, quia consueverunt Græci elegantiæ causâ, regimen genitivorum transponere, atque ponere casus, qui post genitivos, quos regunt, ut norunt linguæ Græcæ periti.

Nec dicas particulam ꝫ præpositam secundo genitivo, significare utrumque genitivum regi per præpositionem præcedentem ἐπὶ; id enim falsum est, sed conjunctio præmittitur secundo genitivo, non ut illum copulet cum voce *ὄψιν*, sed cum tertio, per eum Grammaticorum tropum, quô aliqua oratio multis conjunctionibus connectitur, appellaturque polysintetou.

Si autem velis solitam retinere interpretationem, & vulgatam versionem, *dicc tertio*, & quidem rectiùs, & ad mentem Theodoreti accommodatiùs, Theodoretum illis verbis velle tantùm significare, quòd accidentia panis & vini maneant integra, ac vera post consecrationem, nec ullatenus in sua entitate & natura, forma & figura immutentur; ita quòd eadem omnino sit quantitas & qualitas, quæ priùs inerat pani & vino, licèt non eidem substantiæ inexistant. Quæ utique solutio ut percipiatur;

XIV. Tres adversus Eutichianum dogma scripsit dialogos.

Observandum est Theodoretum tribus dialogis impugnare hæresim Eutychianam, quæ contendebat, humanitatem Christi à Divinitate in unione hypostatica velut fuisse absorptam, & in eam quasi transmutatam, solis exceptis remanentibus humanis lineamentis, non quidem veris, sed apparentibus. Primus dialogus appellatur *immutabilis*, in quo immutabilem fidei dignitatem propugnat: Secundus vocatur *Inconfusus*, in quo demonstratur naturam divinam & humanam in Christo non esse inconfusas & permixtas: Tertius appellatur *Incompatibilis*, in quo ostendit Divinitatem Christi ab omnibus passionibus, atque animi perturbationibus alienam esse. Ut autem convenientiori ordine, ac evidentiori methodô procedat, duos collocutores introducit, nempe *Orthodoxum*, qui tueatur partes fidei Catholicæ, ac Ecclesiæ causam agat, & *Eranistem*, hoc est, emendicatorem, qui propugnet partes Eutychianorum, quorum hæresis sic à multis erroribus emendicatur, ut similis appareat mendicorum vestibus, quæ ex diversis pannis assuuntur, & consarcinantur.

Itaque illos impugnaturus Theodoretus dialog. *1.* docet Christum habuisse verum corpus, & Deum qui ex natura sua videri non poterat, carnem assumpsisse, ut videri posset, usumque fuisse vivô & verô quôdam, veluti velô, carnis integumentô. Exhorruit Eranista novitatem verbi, quæsivitque qua in parte Scripturæ caro Domini, *velum* appellatur. Objurgatâ illius ignorantiâ, docet Orthodoxus carnem Christi *velamen* appellari ad Hebr. *vestem* quoque & *indumentum* dici docet in Genesi, his verbis: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ indumentum suum.* Quæ ad Christi corpus pertinere manifestè docet, quòd in cruce suô ipsius sanguine irrigatum fuit. Qui quidem sanguis Domini rectè dici vinum, sive sanguinem uvæ probat, quia vitem se esse dixit: Unde concludit: *Sicut enim nos mysticum vitis fructum post sanctificationem, Domini sanguinem nominamus, ita vera vitis sanguinem, uvæ sanguinem nominavit.* Quæ Theodoreti comparatio futilis esset, & inepta, nisi ad-

XV. In primo Christum habuisse verum corpus quô Divinitas tegebatur, probat ex Eucharistia in qua panem suum corpus appellat.

mitteret verum Christi sanguinem esse in mysteriis: licèt ex illius mente, Sacramentum, *sanguis* dicatur, quia figura est veri sanguinis: ea tamen est istius figuræ ratio, ut adjunctam habeat veritatem & gratiam, ut postea parebit, sed noluit apertè pandere totius mysterii veritatem, etsi eâ sit usus, ut statim rectè monuit sub nomine Eranistæ: *Mysticè simul, & dilucidè, quod propositum fuerat ostensum est.*

Pergit in eadem materia Orthodoxus, docetque consentiente Eranistâ; Christum corpori suo panis nomen dedisse, imò verò & tritici nomine carnem suam significasse, *Ioan.* 12. Mox addit: *In mysteriorum autem Traditione corpus panem appellavit, & sanguinem, id quod in calice infusum, & commixtum est.* Eran. *Ita nominavit* Orthodox. *Atqui & quod est secundùm naturam corpus, corpus jure vocabitur, & itidem sanguis.* Eran. *In confesso est.* Quorum verborum hæc est sententia, pani collatum corporis nomen, & vino mixto, sanguinis, in Sacramento Eucharistiæ. Verùm quoque Domini corpus, & sanguinem rectè dici corpus & sanguinem. Ex quo concludit Orthodoxus, permutata fuisse rerum nomina à Christo, qui corpori quidem vero, Sacramenti nomen dedit, nempe panis: & Sacramento vice versâ imposuit nomen corporis. Eôdem modô cùm se vitem nominavisset, symbolo vini nomen sanguine dedisse. Servator quidem certè noster, *inquit*, nomina commutavit, & corpori quidem id quod erat symboli ac signi nomen imposuit: symbolo autem, quod erat corporis. Ita cùm se vitem nominavisset, sanguinem id quod erat symbolum appellavit.

Eranista consentiens sciscitatur causam istius mutationis nominum. Cui satisfaciens Orthodoxus præmittit cautionem consuetam, hæc nota esse initiatis: ne scilicet Eranista expectaret disertissimam explicationem, quamvis veram, ait autem Orthod. *Manifestum est institutum iis, qui sunt divinis mysteriis initiati. Volebat enim eos, qui sunt divinorum mysteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur; sed propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratia, credere. Qui enim quod natura corpus est triticum & panem appellavit, & vitem rursus seipsum nominavit, is symbola & signa quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjiciens.* Respondet Eranista: *Et mysticè mystica dicta sunt, & apertè declarata, quæ non sunt nota omnibus.*

XVI. Quare corpus Christi gratiam appellet.

Ex responsione patet, (inquit Illustrissimus ac doctissimus D. *de Marca* Parisiensium Archiepiscopus, in opusculo de mente Theodoreti) insignem alioqui locum, rei quidem veritatem explanasse, sed mysticè, & obscuris verbis: adeoque novô, & non cognitô omnibus modô illam aperuisse. Quare laborandum est tantisper, ut mens Authoris detegatur, ad quam nos manuducet fides, quâ mysteriis sumus initiati; manifestè quidem docet *gratiam adjunctam esse symbolis:* atque adeo totum mysterium constare *ex gratia & symbolis mysticis*; id est, *elementis visibilibus panis & vini, & carne & sanguine Christi invisibili & immortali*, ut loquitur Augustinus; *ex re sensibili, & ex intelligibili, seu corpore Christi,* secundùm Chrysostomum, *ex Eulogia & carne vivifica*, juxta Cyrillum Alexandrinum. Sed *gratiæ* nomine significat mysticè corpus Christi: quâ verè ipsum corpus Christi invisibile designatur.

Quoniam

Quoniam veritas cujusque Sacramenti habet suam gratiam: Baptismus gratiam regenerationis; Sacramentum verò corporis Christi, habet ipsum corpus immortale Christi pro gratia sibi conjuncta. Hæc mihi videtur afferri posse ratio, cur *gratia* mysticè significet, non Christum ipsum, sed corpus Christi. Quod enim quidam existimant gratiam hîc sumi pro Christo, qui est gratia per essentiam, non satis accuratè expendisse videntur, hîc agi principaliter de Christi corpore, quod est veritas & gratia Sacramenti, deinde ex consequentia de Christo D. cujus hoc est corpus.

Cæterum quo pactô gratia illa accedat ad symbola, Theodoretus significat; nempe per mutationem, quæ fit in Symbolis ex gratia, id est, ob adjectionem gratiæ. Corporis quippe substantiâ, mysteria consummantur, ut docuit Chrysostomus: quando, ut eum Justino loquamor, ex prece ab ipso verbo perfecta, panis fit caro Christi. Mysticè verò de hac quoque mutatione locutus est, quam universa tamen profitebatur Ecclesia. Quoniam verò incuriosiùs videbantur locuti plerique veterum, qui constitutâ semel hâc mutatione panis, nihil naturæ panis permanere edocebant, aut docere videbantur: Theodoretus audacter ait & verè, symbola post sanctificationem, eam naturam servare, quæ videtur: licèt appellatione corporis, & sanguinis decorata fuerint.

XVII. *Duplex mutatio in symbolis per consecrationem.* Mens itaque Theodoreti est, quòd per verba consecratoria duplex mutatio fiat in symbolis ex gratia: *Primò*, quòd ipsa symbola sub se contineant corpus & sanguinem Christi, & sic habeant præsentiam gratiæ substantialis: *Secundò*, quòd ipsa symbola visibilia, quæ in sua natura & entitate physica eadem permanent, sortiantur tamen appellationem corporis & sanguinis, fiantque Sacramentum & figura naturalis corporis & sanguinis Christi; quod utique ultrò fatetur Eranistes; nam Orthodoxus ab eo petens, cujus figuram & symbolum esse putet alimentum sanctissimum Divinitatis ac corporis & sanguinis Christi? *Respondet* Eranista, hujus esse symbolum, cujus appellationem susceperit, nempe corporis & sanguinis, quam responsionem approbat Orthodoxus, dicens: *Vt decet amicum veritatis, dixisti; etenim Dominus, cùm accepisset symbolum, non signum, non dixit; Hoc est Deitas mea, sed; Hoc est corpus meum, & rursus; Hic est sanguis meus: & alibi; Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.*

XVIII. *Probat Theodoretus corpus Christi verum fuisse etiam post Ascensionem.* Quibus verbis fatetur Theodoretus, symbola sanctificata, non esse nudam ac vacuam figuram corporis & sanguinis Christi, ut perperam interpretantur Calvinistæ; alioqui non fuisset ipsi ita cavendum, ne arcanum hoc pateret non initiatis: sed profitetur symbola esse signa corporis & sanguinis invisibilis, prout illa conjuncta sunt cum symbolis, & sub eis velantur. Ex quibus omnibus concludit Orthodoxus, Dominum habuisse verum corpus post unionem cum Verbo in mysterio Incarnationis.

Cùm autem Eranista contenderet, corpus Christi non fuisse appellatum *corpus* post Ascensionem in cœlos; ac subinde reverà fuisse absorptum à Divinitate: *Respondet* Orthodoxus, se quidem probationem illam jam implevisse, quoniam docuerat ex Scripturis, Christum in extremo Adventu, quando judicium, in homines exerciturus redibit, eôdem modô se videndum præbiturum quô in cœlos se sustulit. Interim apertis cœlis, visum à Stephano à dextris Dei, additâ quoque hâc ratione, ut ostendatur vis argumenti, *quod enim videtur, corpus est.* Attamen adjungit insuper locum Pauli in epistola ad Philippenses, ubi tradit corpus humilitatis nostræ conforme futurum corpori gloriæ Christi. Unde probat post Ascensionem in cœlos, corpus Christi, dici verum corpus ab Apostolo.

Mox gradum facit ad Eucharistiam, his verbis: Orthod. *Dic ergo mystica symbola, quæ Deo à Dei Sacerdotibus offeruntur, quorumnam dices esse symbola?* Eran. *Corporis & sanguinis Domini.* Orthod. *Optimè, oportet enim imaginis esse exemplar archetypum. Etenim pictores imitantur naturam, & eorum, quæ videntur, depingunt imagines.* Eran. *Verum.* Orthod. *Si ergo divina mysteria corpus, quod verè est, repræsentant: ergo corpus etiam nunc, Domini quoque corpus est, non in naturam Divinitatis mutatum, sed impletum divinâ gloriâ.*

Huic illationi nihil quidem respondet Eranista; sed, quod hæreticis familiare est, vim argumenti declinans, ad novas inquisitiones, & sciscitationes confugit: Et *primò* quidem quærit ab Orthodoxo, quid appellet *donum, quod offertur ante invocationem Sacerdotis.* Respondet Orthodoxus, *donum ante invocationem esse illud nutrimentum, quod fit ex ejusmodi seminibus: & commune hoc nomen, quod potiùs speciem significat.* Hoc est, panem & vinum. Pergit Eranista: *Post sanctificationem autem, quomodo ea appellas?* Respondet Orthodoxus: *Corpus & sanguinem Christi.* Instat Eranista: *Et credis te fieri, participem Christi corporis & sanguinis?* Respondet Orthodoxus: *Ita credo.* Quibus fatetur symbola sic esse Sacramenta, & signa, ut ipsius tamen corporis & sanguinis nos participes efficiant. Unde consequitur, verum corpus his symbolis contineri, licèt spiritali, & invisibili modô. XIX. *Præcluditur effugiũ Eutychianorum.*

Ex quibus sic Eranista colligit: *Sicut ergo symbola Domini corporis & sanguinis alia quidem sunt ante invocationem Sacerdotis, sed post invocationem mutantur, & alia fiunt: ita etiam corpus Domini post Assumptionem mutatum in divinam substantiam.* Cui respondet Author orthodoxus: *Quæ ipse texuisti, retibus captus es. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri, & tangi possunt ut priùs. Intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, utque illa sint quæ creduntur. Confer ergo imaginem cum exemplari, & videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse ei similem. Illud enim corpus habet priorem quidem formam & figuram, & circumscriptionem; & ut semel dicam, corporis substantiam. Immortale autem post Resurrectionem factum est, & potentius quàm ut ulla in ipsum cadat corruptio & interitus, sessioneque ad dexteram dignatum est, & ab omni creatura adoratur, ut quod appelletur corpus naturale Domini.*

Ex istis verbis, & superioribus testimoniis patet, quænam fuerit sententia Theodoreti de tota hujus mysterii veritate. Quemadmodum enim superiùs dixerat, hæc mystica symbola post invocationem Sacerdotis Deo offerri à Dei Sacerdotibus, & mutationem subiisse ex gratia, quæ accedit ad symbola: quæ quidem ita sunt Sacramenta corporis & sanguinis Domini, ut ipsius veri corporis & sanguinis Dominici nos participes efficiant: Sic iisdem inhærendo vestigiis, nunc XX. *Aperitur mens Theodoreti.*

ait, hæc ſymbola intelligi eſſe, quæ facta ſunt, A & credi, & adorari, utque illa ſint, quæ creduntur, id eſt, per mutationem ex gratia ſunt ſymbola carnis inviſibilis præſentis: & ideo adorantur; quoniam nemo carnem illam ſumit, quin priùs illam adoraverit, ut ait Auguſtinus. Quare habemus ex Theodoreto, ſymbolorum conſecrationem miniſteriô Sacerdoris, & verbis Chriſti factam, mutationem ſymbolorum ex gratia; præſentiam carnis Chriſti & ſanguinis; oblationem ſymbolorum ſanctificatorum, quæ Deo fit à Dei Sacerdotibus; ſymbolorum adorationem; & eorum interventu, participationem corporis & ſanguinis Dominici.

B De integro redit Eraniſta ad congreſſum, & ex mutatione appellationis, quæ fit in ſymbolo myſtico, quòd non amplius panis, ſed corpus vocatur, colligi poſſe putat, bujus Sacramenti veritatem, Deum dici debere, non autem corpus Chriſti. Eran. *Atqui ſymbolum myſticum priorem mutat appellationem, neque enim amplius nominatur, quod priùs vocabatur, ſed corpus appellatur. Oportet ergo etiam veritatem Deum, & non corpus vocari.*

XXI.
Cavillationem Eutychianorum optimè retundit Theodoretus.

Verùm ignorantiam Eraniſtæ arguit Orthodoxus, quòd myſterii bujus arcanum non penetrârit, factam ſcilicet nominum permotationem, ut pani tribueretur appellatio corporis Chriſti, corpori verò panis nomen inditum eſſet, de quibus egerat dialog. 1. Unde ſequitur, quòd in C hoc myſterio veritas Sacramenti non debeat corporis nomen deſerendo, Deus vocari, ſed corpus; ſymbola enim non ſunt Divinitatis ſigna, ſed corporis: Hinc Eraniſtæ cavillos ſic ſolvit Orthodoxus, & ejus ignorantiam inſtruit: *Ignarus mihi eſſe videris; non enim corpus ſolùm, ſed etiam panis vitæ nominatur; ita Dominus ipſe appellavit. Porro autem ipſum corpus, divinum corpus nominamus, & vivificum, & Dominicum, docentes non eſſe commune alicujus hominis, ſed Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt Deus & homo.*

D Ex iis omnibus inferre licet Theodoretum quinque capita habuiſſe certiſſima, quantùm ad Euchariſtiæ myſterium: *Primum eſt*, quòd in eo diſtinguuntur ſymbola & ſigna myſtica panis & vini à corpore & ſanguine Chriſti, quorum illa ſunt figuræ & imagines; quippe ſymbolum panis eſt imago corporis, quod *panis vitæ* appellatur, & ſymbolum vini eſt figura ſanguinis, qui eſt vinum germinans Virgines. *Secundum eſt*, quòd hujus myſterii pars altera ſit ipſum corpus Chriſti verum, quod ſub ſymbolis latet, & appellatur à Theodoreto *veritas & gratia divinum ac vivificum corpus Domini*. *Tertium eſt*, quod in hoc myſterio fiat appellationum permutatio; itaut facta ſymbola poſt ſanctificationem ex invocatione Sacerdotis factam, ſuſcipiant nomina E corporis & ſanguinis Chriſti; & viciſſim corpus Domini panis dicatur: *Quartum eſt*, quòd mutatio fiat in hoc myſterio, quando gratia & veritas, quibus myſticè & ænigmaticè ſignificatur corpus & ſanguis Chriſti, accedit ad ſymbolorum naturam, itaut naturalis eorum ſubſtantia mutetur in Chriſti corpus. *Quintum eſt*, quòd hâc mutatâ ſymbolorum ſubſtantiâ, ipſa tamen ſymbola non recedant à ſua natura viſibili, ſintque eadem poſt ſanctificationem, & ſuæ ſubſtantiæ permutationem, quæ priùs erant.

XXII.
Quid cenſuerit Theodoretus de Euchariſtia.

Porrò in hac adſtruenda ſymbolorum immutatione, idcirco maximè adlaboravit Theodoretus; quoniam videbat argumenta ab Eutychianis ad probandam naturæ humanæ in divinam converſionem trahi ex comparatione myſterii Euchariſtiæ cum Incarnatione; ex eo quod plurimi è SS. Patribus, maximè uterque Cyrillus, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, & Ambroſius, docerent in tranſſubſtantiatione fieri quoque ſymbolorum mutationem; itaut quæ priùs erant accidentia panis, nunc ſint para quædam, & velut acceſſio corporis Chriſti; ex quibus inferebant Eutychiani, quòd ſicut per conſecrationem totus panis convertitur in corpus Chriſti, licèt permanere videantur accidentia panis; ita pariter per Incarnationem, aut ſaltem poſt B Reſurrectionem humana natura ſic fuerat à Divinitate abſorpta, ut ipſa amplius non ſubſiſteret, licèt adhuc quædam ſervaret humanitatis lineamenta.

Quam utique argumentandi rationem ut ipſis eriperet Theodoretus, docuit mutationem quidem in ſymbolis fieri ex gratia; quia eorum ſubſtantia in corpus Chriſti convertebatur; ita tamen, ut ſigna, quæ videntur, à ſua natura non recedant: unde optimè inferebat contra Eutychianos, quòd quemadmodum factâ conſecratione, verè immutata manent ſymbola; ita pariter immutata perſeveravit natura humana factâ unione ipſius cum Verbo divino.

XXIII.
Quare præ cæteris SS. Patribus aſſeruerit ſymbolorũ immutationem.

Inſtabis: Ex dictis liquet Theodoretum nomi- C ne Orthodoxi, ex comparatione Euchariſtiæ colligere in Chriſto poſt unionem hypoſtaticam nedum ſupereſſe formam & figuram, ſed ipſam etiam corporis ſubſtantiam: at nullum protſus foret argumentum, niſi ſupponeret in Euchariſtia remanere ſubſtantiam panis: igitur talis fuit ejus ſententia.

Nego minorem: Orthodoxus enim non comparat in omnibus Euchariſtiam cum Incarnatione; quippe manifeſtum eſt, duo illa myſteria, ſicut in multis conveniunt, in multis quoque differre. Validè tamen ex Euchariſtia, ſuppoſitis aliis, ab adverſariis vel conceſſis, vel certè neceſſariò con- D cedendis, argumentatur. Ex eo enim quòd in Euchariſtia remaneant accidentia panis, infert Orthodoxus in Chriſto vera quoque fuiſſe accidentia, & proprietates humanitatis afficientes Chriſtum D. non ſecundùm naturam divinam: ergo ſecundùm naturam humanam: Quamvis enim accidentia poſſint divinitùs ſine ſubjecto exiſtere; tamen quia ex Scripturis, & communi ſententia conſtabat accidentia humanitatis verè Chriſtum affeciſſe, qui propterea verè dictus eſt flens, comedens, fatigatus, paſſus, &c. rectè inde inferebant Catholici, quòd cùm non poſſent Chriſtum afficere ſecundùm Divinitatem, humanitatem protſus afficiebant.

Itaque argumentum adverſarii colligentis in E Chriſto non eſſe humanitatem, ſed eſſe in Divinitatem converſam; quia ſubſtantia panis in Euchariſtia convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, argumentum, inquam, illud rectè retorquet Orthodoxus, dicens: In Euchariſtia nedum eſt corpus Chriſti, ſed etiam vera panis accidentia: ergo ſimiliter in Chriſto vera ſunt humanitatis accidentia propria. Ex quo, ſuppoſitô aliô principiô, inferebat eſſe quoque in Chriſto veram humanitatem: quia nimirum accidentia humanitatis verè Chriſtum afficiebant, ut tota Scriptura clamat: ergo aliquam in Chriſto naturam afficiebant, non divinam: ergo humanam. Ex conceſſis ergo ab adverſario validum

XXIV.
Cur potius colligatur vera in Chriſto humanitas ex accidentibus, quàm ſubſtantia in Euchariſtia.

ab Eucharistia argumentum deduxit Orthodoxus. A

Objiciunt denique authoritatem Ruperti Abbatis Tuitiensis, qui lib. 2. in Exodum videtur impanationem docuisse; docet enim panem Eucharistiæ assumi à Verbo, eo prorsus modò, quo natura humana à Verbo assumpta est: ex quo sequitur panem esse corpus Christi: scribit enim lib. ad hæc verba *Exodi: Sed comedetis assum tantùm igni. Id est*, inquit, *totam attribuetis operationi Spiritûs sancti, cujus affectus non est destruere, vel corrumpere substantiam quamcumque; sed substantiæ bono permanenti, quod erat, invisibiliter adjicere quod non erat: sicuti naturam humanam non destraxit, cùm illam operatione suâ ex utero Virginis Deus Verbo in unitatem personæ conjunxit: sic substantiam panis & vini secundùm exteriorem speciem quinque sensibus subactam non mutat aut destruit, eum ei'em Verbo in unitatem corporis ejusdem quod in cruce pependit, & sanguinis ejusdem, quem de latere suo fudit, ista conjungit.* B

XXV. Profertur sententia Ruperti.

Er rursum: *Quomodo Verbum à summo demissum, caro factum est, & non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic panis & vinum utrumque ab imo sublevatum fit corpus Christi & sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem; sed assumendo indivisibiliter utriusque, divinæ scilicet & humanæ, quæ in Christo est immortalis, substantiæ unitatem. Proinde sicut hominem, qui de Virgine sumptus in cruce pependit, rectè & Catholicè Deum confitemur, sic veraciter id quod sumimus de sancto Altari, Christum dicimus, Agnum Dei prædicamus.* Idem non minùs perspicuè tradit *lib. 6. in Ioan.* ubi docet: *Verbum jam dudum factum carnem, panem visibilem fieri, non mutatum in panem, sed assumendo, & in unitatem personæ transferendo panem.* Additque rationem illius assumptionis panem verè dici corpus Christi. Quod & *lib. 2. de officiis, cap. 2. & 9.* repetere videtur. C

Respondeo, quòd etsi Eminentissimi Cardinales Bellarminus & Baronius censuerint, Rupertum reverà in eo errore versatum esse, nihilominus ab eo vindicari potest & excusari; siquidem cùm ait operatione Spiritûs sancti non destrui, vel corrumpi simpliciter substantiam panis; sensus est, quòd non ita destruatur per simplicem annihilationem, sed conversionem, quæ fiat in melius; non enim absolutè negat fieri posse divinitus conversionem unius substantiæ in aliam: sed eò loci exemplô conversionis aquæ, in ipsis hoc ipsum astruit, & confirmat. D

Et explicatur.

Similiter, cùm ait permanere substantiam panis, usurpat ibi *substantiæ* nomen pro essentia accidentis, seu pro substantia *secundùm exteriorem speciem quinque sensibus subacta*, quam Commentario in Joan. appellat *substantiam visibilem*; substantia autem, quam in corpus Christi converti docet, & credit Ecclesia Catholica, non est visibilis, neque quinque sensibus subacta; ac subinde doctrina Ruperti non militat in Ecclesiæ dogma. Quòd autem hæc fuerit ejus sententia, confirmari potest ex eo, quòd ibidem videtur negare accidentia panis converti in accidentia corporis Christi, dum videlicet ait, panem & vinum in Christi corporis non converti saporem, vel sanguinis horrorem. E

Denique, dum comparat assumptionem panis cum assumptione humanitatis, non intendit, quòd intercedat unio hypostatica inter panem & Verbum; sed tantum quòd idem Verbum, quod assumpsit naturam humanam, convertat substan-

tiam panis in substantiam corporis à se assumpti, ratione cujus conversionis panis appellatur caro, & Verbum dicitur panis vivus, qui de cœlo descendit.

XXVI. Apertè agnovit transsubstantiationem.

Porrò, quòd Rupertus apertè fateatur panis & vini substantiam converti in corpus & sanguinem Christi, colligitur non solùm ex his, quæ diximus in Sectione præcedenti, solvendo authoritatem Ruperti ab hæreticis objectam; sed etiam ex lib. 2. de officiis cap. 2. ubi ait: *Panis, & vinum in verum corpus, & sanguinem Domini transferantur.* Quæ certè translatio nihil aliud, quàm transsubstantiationem sonat.

Objiciunt denique Confessionem Berengarii, quam fecit in Concilio Romano sub Nicolao II. & refertur de consecratione dist. 2. cap. 42. *Ego Berengarius*, fateor: *panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & sensualiter non solùm in Sacramento, sed veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.*

XXVII. Duplex fuit Berengarii capitalis error circa Eucharistiam.

Respondeo, quidquid sit de mente Berengarii in hac fidei professione, intentum Concilii, ac summi Pontificis fuisse, ut ille Hæresiarcha profiteretur palam, Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum, id est signum practicum gratiæ sanctificantis, aut signum speculativum corporis & sanguinis Christi, sed etiam illius esse signum practicum; quia panis & vinum reverà transferuntur in corpus & sanguinem Christi. Itaque in hac priori fidei professione, Berengarius primum suum errorem, quô docebat corpus Christi non esse realiter & verè in Eucharistia, reprobavit; qui quidem error primò damnatus fuerat sub Leone IX. in Concilio Vercellensi, deinde in Turonensi sub Victore II. ejus successore, ubi Berengarius primò hunc errorem ejuravit: sed eùm paolò post in ipsum relapsus esset, illum iterum reprobavit in Concilio Romano sub Nicolao II. Verùm cùm hôc abjuratô errore incidisset in alium, quô asserebat integram naturam panis & vini remanere in Eucharistia unà cum Christi corpore & sanguine, hunc tandem errorem abjuravit in Concilio Romano sub Gregorio VII. Plura etiam argumenta petita ex ratione proferunt Lutherani. Verùm illa convenientiori ordine solventur in sequentibus quæstionibus.

Solvuntur objectiones contra secundam partem Conclusionis.

XXVIII. Possent Verba Consecrationis esse vera in sensu speculativo, quamvis non fieret transsubstantiatio.

Objiciunt primò Thomistæ authoritatem Concilii Tridentini sess. 13. cap. 4. obi verbis suprà à nobis laudatis colligit transsubstantiationem ex verbis institutionis Christi, nempe, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*: sed hæc collectio & illatio non esset legitima, si verba consecrationis possent esse vera remanente panis & vini substantiâ; igitur falsum est, quòd sensus speculatius illorum verborum non connotet veram conversionem panis in corpus Christi.

Nego minorem, siquidem Concilium colligit transsubstantiationem tantùm ex sensu practico, prout Ecclesia ea verba semper intellexit; non enim censet Concilium eundem esse Articulum fidei, quòd Christus sit realiter præsens in Eucharistia, & quòd fiat transsubstantiatio; nam præsentiam docet Tridentinum cap. 3. Transsubstantiationem autem capite 4. præsentiam definit can. 1. Transsubstantiationem autem can. 2.

Et quidem præsentiam Christus inquit Concilium, disertis ac perspicuis verbis testatus est, nam ut ait, c. 1. ibi: *Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac sanguinem suum disertis ac perspicuis verbis testatus est.* At verò de transubstantiatione non sic loquitur Concilium, sed ut supra audivimus: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*, id est, quia Christus disertis ac perspicuis verbis testatus est præsentiam sui corporis sub specie panis, *ideo persuasum semper fuit; &c.* id est, ideo Ecclesia, edocta a Spiritu sancto, verba Christi, tametsi possent absolutè esse vera in sensu non conversivo, tamen semper intellexit in sensu conversivo, & declarat sic esse intelligenda: Igitur ex verbis Christi præcisè, seclusô hôc intellectu, & declaratione Ecclesiæ, non habetur, nisi probabile argumentum.

XXXIX. Realitas corporis non est idem articulus fidei cum transsubstantiatione.

Unde optimè subtilis Doctor in 4. dist. 10. qu. 1. num. 9. *Quantum ergo ad istum Articulum* (scilicet realem præsentiam Christi in Eucharistia sine mutatione locali) *non videtur necessarium fugiendum esse ad conversionem panis in corpus Christi præcipuè, cùm à principio, ex quo res hujus Sacramenti fuit credita, fuit semper creditum, quòd Christi corpus non mutatur de loco suo in cœlo, ut sit hic, & tamen non fuit à principio ita manifeste creditum de ista conversione.* Puta, quia præsentia *ex disertis ac perspicuis verbis*: conversio autem ex authoritate Ecclesiæ, verba illa sic interpretantis, quæ interpretatio non fuit à principio ita manifesta sicut post condemnatum Berengarii errorem

Objicit S. Thomas 3. parte quæst. 75. art. 2. Christo in Eucharistia debetur cultus latriæ: sed si ibi maneret substantia panis, non deberet talis cultus exhiberi propter idololatriam, adorando creaturam.

XXXX. Quare Eucharistia posset adorari cultu latriæ quāvis in ea panis remaneret.

Respondet Doctor subtilis 4. dist. 11. quæst. 3. num 9. *Modò non est idololatra, qui adorat Christum in Eucharistia: & tamen non potest negari, quin sit ibi creatura aliqua, scilicet species illa. Sed non est adorandum sensibile continens, sed Christus contentus: & eôdem modô tunc diceretur Christum contineri sub pane quanto, & quali, & ita non panem adorari, sed Christum contentum in pane ut in signo.* Præveniensque replicam. *Et si objicias*, inquit, *saltem simplices, qui non sic distinguunt, essent idololatræ. Dico quòd ita potest nunc argui contra te, quia simplices non distinguunt accidentia illa à corpore Christi. In omnibus autem talibus est una responsio: quia simplices adorant in fide Ecclesiæ* (id est, adorant quod Ecclesia adorat) *& hoc sufficit eis ad salutem. Majores autem distinctè adorant contentum, non signum continens, & hoc sive signum continens sit accidens tantùm, sive substantia panis cum accidente.* Quæ utique solutio est clarissima.

Vrgebis: Eucharistia debet primò significare corpus, ut primum significatum: sed si ibi maneret substantia panis, ipsa haberet rationem primi significati.

Respondet Doctor suprà: Quod est ad oppositum, quia si esset hîc substantia panis, illa duplex significatio esset vera, scilicet naturalis, quâ accidentia significant substantiam panis: & illa quæ est ex institutione divina, quâ sensibile significat corpus Christi: sed nunc non potest salvari, nisi præcisè altera vera. *Et post pauca*: Respondeo ergo, quòd primum significatum ex institutione debet esse corpus Christi: & ita est, sive maneat substantia panis, sive non: sed primum significatum accidentium, quod scilicet naturaliter significant, semper est substantia illa, quam primò affecerunt, vel nata essent afficere, quia illa significatio naturalis non mutatur.

Objicies secundò: Tollitur debitus usus Sacramenti; quia si maneret verè substantia panis, ipsa esset verè cibus corporalis: hujus autem Sacramenti usus est, quòd sit cibus spiritualis.

Non valet *(inquit Doctor noster suprà num. 10.)* quia modò manifestum est, quòd illæ species nutriunt secundùm Apostolum, 1. *Cor.* 11. *v.* 21. *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est*, & hoc ex perceptione specierum sacramentalium; & tamen non negatur hîc esse cibum animæ: tamen datur ipsum contentum sub nutrimento corporali: & ita si poneretur panis manere, esset ibi nutrimentum corporale, & tamen contentum sub illo esset tantùm nutrimentum animæ. *Ita Doctor.*

Instabis: Si substantia panis perseveraret sub speciebus, vel annihilaretur, & non converteretur, veriùs diceretur; *Hîc est corpus*, quàm, *Hoc est corpus*: ergo ut verba consecrationis sint vera, etiam secundùm sensum speculativum, necessariò debet fieri transsubstantiatio.

XXXI. Quare potius Christus dixerit hoc quam hic est corpus.

Respondet Doctor num. 10. utrumque posse dici: *Verum est enim*, inquit, *quòd*. HOC EST CORPUS MEUM, & HÎC EST CORPNS MEUM. *Sed non hoc accidens, sed contentum sub accidente. Eôdem modô, si esset panis, non hoc, quod est substantia panis, esset corpus, sed hoc quod est contentum sub pane, est corpus.* Ne autem quis existimaret, ipsum asserere, formam consecrationis posse concipi his verbis, *Hic est corpus meum*; statim subdit Doctor: *Maluit autem Salvator uti hôc vocabulô, quàm hic, quia magis exprimitur veritas, licèt utrumque dictum esset verum.* Magis, inquam, exprimitur veritas hujus mysterii per pronomen *hoc*, quàm per particulam *hic*: Quoniam ly *hoc* demonstrat ipsam rem primò, quàm particula, *hic* demonstrat ratione loci: Christus autem non est sub speciebus, ut in loco, licèt sit in loco specierum, seu ubi sunt species.

Ex his itaque seqnitur, vocabula ista, *Hoc est corpus meum*, secundùm sensum practicum, & prout illa usurpat Ecclesia, reverà denotare transsubstantiationem. Licèt enim alius eorum posset esse sensus; ita quòd, inquit Doctor, aliquis dicere posset per pronomen, *hoc*, non demonstrandum panem si maneret; sicut nec per idem pronomen, nunc demonstrantur accidentia, sed contentum sub pane, scilicet corpus Christi; cùm etiam hôc pactô ista propositio potuisset esse vera, si Christus decrevisset panem mansurum cum corpore suo: tamen simpliciter intellectus ille falsus est; non enim sic Chuistus instituit: nam hoc Sacramentum sic institutum est, ut significatum ejus non esset cum pane, sed solùm cum accidentibus, inqnit Doctor. Et ultra quòd iste intellectus facilè concipitur ex verbis ipsis; rursus accedit authoritas Ecclesiæ: *Eô enim spiritu*, inquit eleganter & notanter idem Doctor, *exposita sunt Scriptura, quô condita. Ex ita supponendum est, quòd Ecclesia Catholica eô spiritu exposuit, quô tradita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis*

edocta, & ideò hunc intellectum elegit, quia solus verus est. Non enim in potestate Ecclesiæ fuit, facere istud verum, vel non verum. sed Dei instituentis: sed intellectum à Deo traditum, Ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, Spiritu veritatis.

Neque enim putandum est (inquit noster *Bosco*) Doctorem aliquid detrahere voluisse veritati verborum consecrationis, quibus ponitur Christi corpus in Sacramento, non tantùm verè & realiter,

XXXII. Quæ fuerit mens Subtilis Doctoris in explicandis verbis consecrationis.

sed etiam per transsubstantiationem. Licèt enim, ut dictum est, & ut notavit ipse, potius inquirendo veritatem, & opponendo quod protervus aliquis posset opponere, detur quòd possent illa verba ad alium intellectum; tamen intellectus transsubstantiationis simpliciter verus est. Et hoc est quod intendit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. ex verbis Christi in Ecclesia Dei semper persuasum fuisse, fieri transsubstantiationem panis in corpus Christi, quasi scilicet Ecclesia Spiritu sanctô inspirata elegerit hunc sensum verborum, qui solus ex veritate instituentis verus est.

Nec inficeretur Doctor, quod addunt alii, scilicet hunc eundem intellectum manifestè satis ex verbis deduci; quia is magis est proprius: videtur enim, quòd pronomen, *hoc*, non potest applicari, nisi rebus, quæ vel naturâ suâ, vel arte & usu alias continent, cujusmodi non est panis: unde si simul cum corpore Christi panis maneret, non ita rectè diceretur, *Hoc est corpus meum.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Quanam sit actio transsubstantiativa, an scilicet productiva, vel solùm adductiva corporis Christi sub speciebus Eucharisticis?

I. Transsubstantiatio est actio.

NOtandum primò: in Transsubstantiatione intercedere actionem aliquam, quæ ex parte dicitur *transsubstantiatio activa*; cui ex parte panis & vini correspondet *transsubstantiatio passiva*: is enim modus loquendi Patrum & Conciliorum apertè declarat, utuntur enim nomine transelementationis, mutationis conversivæ, transitûs unius substantiæ in aliam; unde hoc Sacramentum appellant opus omnipotentiæ divinæ, & ad illud explicandum usurpant exempla Creationis, Incarnationis, & conversionis aquæ in vinum: quæ omnia quandam actionem denotant.

Insuper, per transsubstantiationem fit hîc aliquid de novo, quod anteà non erat, tum circa substantiam panis & vini, quæ desinunt esse sub speciebus Eucharisticis; tum circa corpus Christi, quod sub ipsis fit præsens, cùm antea non esset; quæ utique omnia actionem aliquam denotant.

II. Sed qualis sit actio, controvertitur.

Sed controvertitur inter Theologos, quæ & qualis sit illa actio, circa quam dirimendam controversiam, varia sunt eorum placita; Quidam enim existimant, actionem illam esse conservationem corporis & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis, virtute verborum continuatam & repetitam, quæ illa produceret de novo in rerum natura, nisi jam aliunde producta essent; ita Suarez disp. 40. sect. 4. ubi plures laudat ex veteribus & recentioribus Theologis, qui eandem sententiam tueri videntur. Thomistæ communiter cum Cajetano contendunt transsubstantiationem veram esse corporis & sanguinis Christi productionem, non quidem simpliciter loquendo, sed sub novo modo essendi, sive sub speciebus Eucharisticis. Quam utique sententiam pariter docet Doctor noster Quodlibetô 10. licèt aliam in 4. dist. 11. q. 3. & 4. proponat, nempe actionem illam non esse productivam, sed duntaxat adductivam corporis Christi sub species Eucharisticas; quæ ideo ad solam præsentiam localem formaliter terminetur; in quam utique sententiam cùm ipse magis inclinet, inde fit, quod omnes pene illius Discipuli eandem tueantur. Quibus subscribunt Bellarminus lib. 3. de Euchar cap. 18. Vasquez disp. 181. & plures alii Moderni.

Notandum secundò, ex Doctore in 4. disp. 15. q. 1. n. 12. actionis nomen quinque modis usurpari: *Primo* quidem pro operatione, putà pro intellectione, vel volitione, quæ dicitur operatio, tametsi in rei veritate sit qualitas. *Secundò*, pro respectu producentis ad productum, putà patris ad filium. *Tertiò*, pro respectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum, puta ignis ad calorem inductum in lignum; & actio sumpta his duobus modis est respectus intrinsecùs adveniens; & sic propriè est in genere relationis. *Quartò*, pro re acta includendo esse ab alio, & sic actio non constituit unum ens per se, quia connotatum ejus est semper ens aliquod absolutum, utpote quantitas, vel qualitas, quæ ex 3. phys. textu 19. est opus & finis, seu actus activi & passivi: activi ut ab ipso, passivi ut est in ipso; id autem quod principaliter significatur, est esse ab alio, scilicet ut à producente, vel inducente, vel transmutante; & quidem ab alio, ut producente vel inducente, dicit respectum intrinsecùs advenientem; ut autem à transmutante, dicat respectum intrinsecùs advenientem. *Quintò*, pro respectu transmutantis ad transmutatum, juxta illam descriptionem libri sexti principiorum cap. de actione: *Actio est secundum quam in illud quod subjicitur, agere dicimur*: Et actio hôc modô sumpta est respectus extrinsecùs adveniens, constituitque prædicamentum actionis, ut ibi fusè probat Doctor.

III. Actio sumitur quinque modis.

Notandum tertiò, conversionem esse transitum unius rei ad aliam: unde Subtilis Doctor transsubstantiationem sic definit in 4. dist. 11. q. 1. n. 2. *Transitio totalis substantiæ in substantiam*, in quo distinguitur à generatione substantiali, quæ secundùm Aristotelem 1. de generatione textu 10. & 24. *est transmutatio totius in totum*: *Quia*, inquit Doctor, *illud totum ex partibus, quod fuit verè totum scilicet per se unum non manet, sed aliud totum succedit, non tamen qualibet pars succedit; quia materia manet communis secundùm ipsum*; in transsubstantiatione autem nulla pars substantiæ manet communis, sed substantia tota, & talis collectivè, quæ fuit in termino *à quo*, transit in terminum *ad quem*.

IV. Transsubstantiatio est vera conversio.

Porrò ad veram & perfectam conversionem tres desiderantur præcipuæ conditiones: *Prima*, quòd illa fiat inter duos terminos positivos, seu inter duas res, quarum una sit terminus à quo, & altera sit terminus ad quem; in omni enim conversione debet aliquid transire in aliud. *Secunda* est, quòd terminus à quo conversionis aliquô modô esse desinat, & terminus ad quem aliquô modô incipiat esse de novo, tanquam quid succedens in locum illius quod esse desinit. *Tertia* est, ut sit aliqua cognatio & dependentia

V. Tres sunt conditiones ad conversionem.

inter desitionem unius, & successionem alterius; itaut desitio termini à quo, sit inceptio termini ad quem, quatenus hic vi desitionis prioris termini succedit in locum ipsius; nam si ista non essent connexa, non esset una actio, quæ dici posset conversio; sed essent duæ actiones per accidens se concomitantes, quarum una annihilatio, altera creatio diceretur: unde si Deus annihilaret unum Angelum, & in eodem loco alterum crearet, non fieret conversio prioris Angeli in subsequentem, propter defectum hujus connexionis, & dependentiæ. Contingit autem aliquando connexionem illam esse necessariam & naturalem, propter oppositionem formarum sibi succedentium in eodem subjecto, qualis reperitur in generatione & corruptione, & in omnibus alterationibus; aliquando verò hæc dependentia tantùm pendet ex voluntate divina, ut contingit in transsubstantiatione, in qua termini à quo, & ad quem non sunt oppositi, sed tantùm disparati; proindeque sibi succedentes tantùm non naturaliter, sed ex divina ordinatione.

Conclusio Unica.

Probabilius est Christi D. corpus fieri præsens sub speciebus Eucharisticis, & panem converti in substantiam corporis Christi, per actionem adductivam, quàm per productivam. Ita Doctor in 4. dist. 11. q. 3. n. 23. & q. 4. n. 15.

VI. Transsubstantiatio fit per actionem adductivâ.

Probatur primò, Quia, inquit Doctor q. 5. n. 1. transsubstantiatio fieri non posset per actionem productivam, quin panis fieret corpus Christi, vel corpus Christi fieret ex pane: sed neutrum dici potest, quia, *inquit Doctor*, Panis nec fit, nec factus est, nec fit corpus Christi, nec è converso: & ratio istorum est, quia *fieri*, quando prædicatur secundùm adjacens, prædicat *fieri* simpliciter ejus, de quo dicitur, & sic non conjungit aliquod oppositum ipsi subjecto, sicut panis fiebat, quando coquebatur, & hic corpus fiebat, quando in utero Virginis formabatur: sed nihil ad B. Sed quando *fieri* prædicatur tertium adjacens, tunc denotat subjectum fieri secundùm formam prædicati: sed panis pro nulla differentia temporis fit secundùm formam prædicati; scilicet corporis, nec è converso: & patet illud in simili per oppositum: ideo enim hæc est vera, *homo fit albus*, quia *hic homo* fit sub forma albedinis: & per oppositum hæc est impossibilis, homo fit asinus, & hoc, loquendo strictè de virtute sermonis: sic videtur esse in proposito.

Secundò, per transsubstantiationem Eucharisticam corpus Christi tantùm acquirit esse accidentale, & locale, nempe esse præsens sub speciebus Sacramentalibus: sed ad id sufficit actio adductiva ipsius corporis ad illas species: ergo ad transsubstantiationem sufficit adductio. Minor constat: Ut enim corpus aliquod sit alicubi præsens, non est necesse, quòd ibi de novo producatur, sed tantùm quòd ibi constituatur. Minor autem probatur: Istud solùm acquirit corpus Christi per transsubstantiationem, quod verba consecrationis efficiunt: sed nihil aliud efficiunt, quàm quod significant, nec aliud significant, quàm præsentiam corporis Christi sub speciebus Eucharisticis, & desitionem substantiæ panis & vini: igitur ad id sufficit actio adductiva.

Tertiò, ea sententia in explicandis mysteriis videtur esse probabilior, & magis recipienda, quæ minores difficultates involvit; & hujusmodi mysteria captu & intellectu faciliora cuilibet fidelium ostentat: at ita est de adductione corporis Christi sub speciebus Eucharisticis, nemo enim est tam rudis & aggrestis, qui facilè non concipiat, Deum per suam omnipotentiam posse constituere unum & idem corpus, in duobus locis; itaut fiat præsens uni loco, non deserendo alterum; ac subinde facilè concipiet Deum posse constituere corpus in Sacramento, non quidem deserendo locum, quem in cœlo obtinet, sed acquirendo novam præsentiam sub speciebus Eucharisticis: vix autem potest concipi; quomodo idem corpus reverà existens, & habens id omne, quod ad sui constitutionem & complementum desideratur, iterum censeatur produci.

Confirmantur hæ omnes rationes: Si corpus Christi denuò produceretur per transsubstantiationem, vel acciperet novum esse substantiale, & entitativum, vel duntaxat novum esse locale, & Sacramentale: *Primum* dici nequit; ut enim res aliqua accipiat novum esse entitativum, necessum est, quòd transeat ab illo non esse ad illud esse; nihil enim producitur secundùm id quod jam est; siquidem productio entitativa & substantialis connotat existentiam quæ acquiritur; res autem quæ jam existit, alteram existentiam suscipere non potest; ac subinde, si corpus Christi producatur per transsubstantiationem, necesse est, quòd duntaxat producatur secundùm esse locale & Sacramentale: sed ad illud novum esse sufficit actio adductiva: igitur ad id non opus est actione productivâ.

VII. Proponuntur authoritates SS. Patrum.

Objiciunt primò Thomistæ, nec-non & nonnulli Scotistæ, varias authoritates SS. Patrum expressè dicentium, quòd in consecratione corpus Christi fiat de pane; sic S. Ambrosius lib. 8. de Sacramentis cap. 4. *Ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Sic pariter S. Hieronymus epist. ad Heliodorum explicans Sacerdotum dignitatem, scribit: *Qui Christi corpus sacrô ore conficiunt.* Unde S. Ephremius Sacerdotium appellat, *Stupendum miraculum, omnium ornamentum præstantissimum, bonorum omnium, quæ in hominibus sunt, apicem, divinum quoddam, omniumque quæ inter homines expetuntur, velut extremam metam.*

Hinc etiam celebratur illa sententia, quæ S. Augustino & S. Gregorio tribuitur: *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur.* Sicut ergo Deipara Virgo verbo Verbum concepit in utero, ut lepidè expendit Bernardus homil. 4 super Missus est, ubi sic eam alloquitur: *Responde Virgo verbum, & suscipe Verbum, profer tuum, & concipe divinum: emitte transitorium, amplectere sempiternum. Quid tardas? quid trepidas? Crede, confitere; suscipe. Aperi Virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori.* Quibus verbis significat B. Virginem operationem habuisse in formando Christo: igitur similem etiam habent Sacerdotes, dum quotidie Christi D. corpus verbis consecratoriis producunt: ac subinde corpus Christi in Eucharistia accipit novum esse per actionem productivam.

VIII. Sed explicātur à Doctore subtili.

Respondet Doctor q. 5. n. 2. particulas *de* & *ex* non absolutè denotare, quòd unum reverà producatur ex alio, sed tantùm quòd unum succedat in locum alterius desinentis: *Accipiendo*, inquit, *utrumque extremum*, panem scilicet & cor-

pus in recto, non oportet alterum de altero prædicari. Si ergo vera debet esse prædicatio, oportet eorum alterum in obsequio accipere denotando ordinem extremi ad extremum, & hoc potest esse dupliciter: vel cum hac præpositione ex, *vel* de, *addendo ad terminum à quo, sicut dicit Philosophus 2. Metaphys. cap. 3.* quòd ex mane fit meridies, & non è converso, *& hôc modò potest concedi*, quòd ex pane, vel de pane fit corpus Christi. *Aliò modò addendo termino ad quem hanc præpositionem*, in, *quæ denotat ipsum esse terminum ad quem, hôc modò, panis transit in corpus Christi.*

Et si quæras, quæ sit magis propria ex illis duabus locutionibus, audi quod sequitur: *Et omnes*, inquit, *aliæ locutiones de virtute sermonis ad aliquam istarum reducuntur: sed secunda est magis propria, quia non denotat aliquid commune manere, sicut aliquò modò denotat ista præpositio, ex, secundum proprium modum recipiendi, ex, non enim ex opposito fit oppositum, nisi quia ex subjecto communicatur utrique secundùm* Philosophum 1. *Physicorum, 1. de generatione, & 2. Metaphysicæ.* Hæc Doctor.

Qui ibidem n. 1. respondet hanc conversionem non verè significari per verbum *Essendi*, neque per verbum, *Posse*, vel, *Possibile*, ut si dicas: *Panis est*, vel, *potest esse corpus Christi, fuit*, vel, *erit.* Ratio est, *Quia esse notat unionem extremorum essentialem, vel accidentalem pro illo tempore, quod assignat: sed pro nulla temporis differentia habent hæc extrema unionem essentialem, sed pro omni instanti, pro quo natum est, & aliud non est.* Et tamen ita loquitur S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ubi ait: *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione.* Similiter Berengarius in sua confessione, quæ habetur de consecrat. dist. 2. cap. 42. Dicens *panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse.* Sensus igitur istarum & similium propositionum est: panis transit, seu convertitur, vel est conversus in corpus, & vinum sanguinem Christi.

Monet quoque Doctor suprà num. 2. cavendum esse, & bonô sensu explicandam hanc propositionem: *Panis mutatur in corpus: Quia*, inquit, *non est hîc mutatio, ut dictum est in 1. quæst. istius distinctionis; transire autem, seu verti, abstrahit à ratione mutationis, quia ponunt habitudinem termini ad terminum, non importando subjectum commune manere.*

Nec obstat, quòd SS. Patres his loquendi formulis utantur: idcirco enim transsubstantionem appellant mutationem, aut aliquid hujusmodi; quia licèt in Eucharistia non remaneat materia prima per modum subjecti communis substantiæ panis & corporis Christi, manent tamen accidentia communia utrique substantiæ, sub quibus ad desitionem substantiæ panis, succedit corpus Christi; non quidem ex natura rei, ut fit in mutationibus naturalibus, sed ex voluntate & ordinatione Dei. Quòd si aliquæ SS. Patrum sententiæ expressè significarent corpus Christi reverà produci per consecrationem, intelligendæ essent, non de productione corporis Christi simpliciter, sed de productione secundùm esse Sacramentale, & quatenus corpus Christi unà cum speciebus Eucharisticis dicit aliquod totum, quod reverà de novo producitur, fit & creatur. Certum enim est, quòd ante transsubstantiationem, nec Christi D. corpus cum speciebus, nec species cum corpore totum aliquod constituebant, ac subinde verum est, quòd totum illud de novo producatur.

Objiciunt secundò: Transsubstantiatio, sive conversio substantialis debet habere pro formali termino *ad quem* aliquid substantiale; siquidem à tali termino substantiali denominatur: at terminus *ad quem* actionis adductivæ corporis Christi, non est substantialis, sed accidentalis; nam hujusmodi terminus est præsentia Sacramentalis, quæ nihil aliud est, quam respectus extrinsecùs adveniens, quem corpus Christi dicit ad species Sacramentales: igitur transsubstantiatio consistere nequit in sola adductione.

IX. Quomodo transsubstantiatio dicatur substantialis, licèt per eã nihil producatur.

Negat minorem Doctor dist. 11. q. 3. num. 23. quia substantia corporis Christi succedit substantiæ panis: non enim panis convertitur in præsentiam corporis, sed in ipsummet corpus Christi, licèt sola præsentia Sacramentalis reverà habeat esse de novo: Potest dici, *inquit Doctor*, quòd transsubstantiatio (hôc stante quòd sit inter terminos positivos, qui sunt substantiæ) potest duobus modis intelligi. Unô modô quòd sit ad substantiam, ut per ipsam accipientem esse. Aliô modô ut sit ad substantiam, ut per ipsam accipientem esse hîc. *Prima* potest dici productiva sui termini ad quem: *secunda* adductiva, quia per ipsam adducitur terminus, ut sit hîc. Et sub aliis verbis, potest esse, vel ad entitatem sui termini, vel ad præsentialitatem ejus pluribi seu in pluribus locis.

Sanè tametsi voluisset, non potuisset Doctoe clarioribus verbis exprimere omnem prorsus transsubstantiationem esse inter terminos positivos, qui sunt substantiæ: *Hôc*, inquit, *stante*; idest, tanquam indubitatô præsuppositô, *quòd sit inter terminos positivos, qui sunt substantia.*

Ergo transsubstantiatio Sacramentalis, occasione cujus Doctor hæc pertractat, & latiùs discutit, ex mente ipsius consistit inter duas substantias, panem scilicet, & corpus Christi: sic tamen quòd corpus Christi per eam de novo non producatur. Unde illud subjungit verbis prælllegatis: *Transsubstantiatio primô modô non potest esse ad substantiam, quæ præfuit, quia non videtur posse poni in substantiam manentem, secundùm suum esse antiquum.*

Et si objiciatur, *inquit Doctor ibidem*, quòd ista secunda non est transsubstantiatio, quia terminus ejus non est substantia ut substantia, sed est ista præsentia, quæ accedit substantiæ, sola enim illa acquiritur per istam actionem. Et prætereà tunc erit terminus *ad quem*, per transsubstantiationem alicubi, ubi priùs non fuit, cujus oppositum probatum est *in dist.* 10. *quæst.* 1. Et propterea tunc quot essent hîc præsentia, tot essent præsentialitates, & per consequens tot conversiones: multa autem sunt in Cbristo, quorum quodlibet est hîc præsens: ergo sunt multæ conversiones.

Ad primum potest dici, quòd substantia est terminus ipsius transsubstantiationis secundô modô sumptæ, quia ipsa substantia succedit substantiæ: non tamen habet *esse* substantiale novum, sed tantùm præsentiam novam.

Ad secundum dico, quòd transsubstantiatio primô modô dicta non facit terminum *ad quem* esse, ubi non præfuit, & ita debet intelligi conclusio probata *dist.* 10. sed transsubstantio secundô modô dicta includit mutationem quandam ad simplicem præsentiam circa terminum *ad quem*,

„ & ratione istius bene potest terminus ad quem „ esse per illam, ubi non præfuit.

„ *Ad tertium potest dici*, quòd non est ibi, nisi „ unicum primò præsens, scilicet illud, quod est „ primum signatum bujus signi; alia autem præ„sentia, vel sunt partes ipsius, vel concomitantia „ ipsum: conversio ergo est unica, quia unius „ substantiæ panis priùs præsentis istis speciebus „ in unum corpus, ut præsens eisdem. Ita Doctor, quibus significat ad rationem transsubstantiationis satis esse, quòd una substantia succedat alteri desinenti, sive illa interior desitio & successio fiat ex natura rerum invicem incompossibilium, sive duntaxat ex ordinatione divina.

Vrgent adversarii: Sola successiò unius substantiæ locô alterius est tantùm veluti translocatio, non verò transsubstantiatio; nam si Petrô per mortem sublatô, Paulus ejus loco substitueretur: fieret quidem successio, sed non conversio, sive transsubstantiatio unius in alium: igitur sola successio unius substantiæ in locum alterius desinentis non est vera, & propriè dicta transsubstantiatio.

X.
Non est simplex translocatio.

Distinguo majorem: Sola successio unius substantiæ locô alterius, non est vera transsubstantiatio, quando substantia desinens tantùm recedit, ut succedenti locum cedat, concedo; quando ita desinit, ut ad ejus desitionem alia fiat præsens per conversionem prioris substantiæ in ipsam, nego. Et similiter distinctâ minore, neganda est consequentia, ita enim ponitur Christi corpus sub speciebus Eucharisticis, ut ad ejus positionem desinat omnino panis, & in ipsum convertatur; unde ibi non fit solùm translatio unius corporis in locum alterius, sed est vera transsubstantiatio.

Vrgent: Ad veram conversionem substantialem, seu transsubstantiationem, requiritur, quòd terminus *ad quem* habeat incompossibilitatem cum termino *à quo*; alioqui posset terminus *à quo* in se remanere, quod repugnat ipsius conversioni ad terminum ad quem: sed si conversio panis in corpus Christi, esset tantùm adductiva, terminus *ad quem* illius, nempe corpus Christi præsens, non haberet incompossibilitatem cum substantia panis; siquidem terminus ad quem illius adductionis esset tantùm præsentia Sacramentalis corporis Christi, quæ cùm sit indivisibilis, & inextensa, non habet incompossibilitatem cum altera substantia extensa, sed similis est illi, quâ Angelus fit præsens loco: igitur sicut Angelus per hoc, quòd adducatur, sive transeat in aliquem locum, non propterea expellit substantiam corpoream, quæ est in illo; ita neque corpus Christi, si tantùm fieret præsens per adductionem sub speciebus, haberet incompossibilitatem cum substantia panis, nec postularet illam expellere.

XI.
Quomodo panis & corpus Christi sunt termini incompossibiles.

Respondet Doctor n. 24. quòd isti termini sunt incompossibiles eô modô, quô terminant, seu eâ ratione, quâ sunt termini, quia sic non sunt simul, licèt de potentia absoluta Dei possent esse simul: sicut licèt Deus possit facere aërem simul cum igne de potentia absoluta, tamen aër succedit igni, quia naturaliter sunt incompossibiles in simul essendo. Ita Doctor, quibus significat, quòd etsi substantia panis & corporis Christi non sint incompossibiles ex natura rei, tamen sunt incompossibiles ex ordinatione Dei volentis, ut substantia panis desinat, & motetur in corpus Christi.

Ex his sequitur, transsubstantiationem non solùm esse præsentiam localem, quæ de novo producatur, sed terminum illius actionis transsubstantiativæ esse ipsummet Christi D. corpus ut præsens, ut docet Doctor in 4. dist. 10. n. 10. ubi *ait*: Ad propositum, mutationem deperditivam „ illius *ubi* de cœlo nullus ponit in corpore Christi, „ secundùm Augustinum suprà adductum, *donec* „ *sæculum finiatur sursum est Dominus*. Et hoc intel„ligendo regulariter, nisi placeret sibi ex aliqua „ gratia speciali localiter descendere, quod non „ ponitur fieri propter veritatem Eucharistiæ. „ Oportet tamen ponere ad salvandam realem „ præsentiam corporis Christi hîc, quòd in ipso sit „ aliqua præsentia ad speciem panis, quæ priùs non „ fuit, alioquin non magis esset præsens hîc, quàm „ priùs. Illa enim mutatio, quæ est circa species, „ scilicet quòd priùs erant in subjecto, nunc au„tem non sunt in subjecto, nihil facit ad hoc, quòd „ corpus Christi de non præsente istis, fiat realiter „ præsens istis, quia illa habet alios terminos per „ se ab illa, quâ non præsens sit præsens.

Vbi, ut optimè notat Bosco, *Doctor Subtilis docet primò*. Corpus Christi per transsubstantiationem non perdere necessariò præsentiam localem circumscriptivam, quam habet in cœlo. *Secundò*, agnoscit necessitatem alicujus præsentiæ ad speciem panis, quæ priùs non fuit, ratione cujus nunc magis Christus suâ substantiâ nobis adsit, quàm priùs. Et sanè existentiam Christi in Sacramento rectissimè appellari præsentiam, testatur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. hisce verbis: *Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit.*

XII.
Quomodo per verba consecrationis corpus Christi fiat præsens Eucharistiæ.

Tertiò, asserit Doctor, corpus Christi non fieri formaliter præsens per destructionem substantiæ panis, quod verissimum esse clarè ostendit ratio subjuncta: *Quia illa habet alios terminos per se ab illa, quâ non præsens fit præsens*. Patet, quia per destructionem præsens fit non præsens: *Ergo*, infert Doctor, *necesse est ponere aliquam mutationem in corpore Christi requisitivam illius præsentiæ novæ*. Sed nunquid mutationem localem, cujus terminus ad quem est præsentia localis? Noli sic loqui, sed magis cum Doctore affirma eam mutationem non posse dici propriè mutationem localem propter duo, tum quia eam non concomitatur aliqua deperditio prioris ubi, sicut communiter est in motu locali; quia ibi terminum positivum à quo, & terminum positivum ad quem, concomitantur duæ privationes, eô modô, quô Philosophus dicit 5. Physicorum, quòd *Motus est à subjecto in subjectum*: tum etiam, quia hic propriè terminus istius mutationis non est *ubi*, quia in termino mutationis hujusmodi, corpus Christi non habet hîc propriè ubi; sed terminus est quædam præsentia simplex ipsi speciei, vera tamen & realis: terminus autem mutationis localis propriè acceptæ est ipsum *ubi*. Vellem scire, an evidentioribus verbis Adversarii possent negare præsentiam Sacramentalem, esse præsentiam propriè localem? Non puto.

XIII.
Illa præsentia non dicitur propriè localis.

Et si quæras (*prosequitur Doctor n.* 11.) ad quod „ genus pertinet hæc mutatio, & terminus istius „ mutationis? Dico, si Angelus ponitur de novo „ præsens alicui corpori, dicitur quidem esse in lo„co definitivè, eô modô, quô sibi potest conveni„re esse in loco: & sic dicitur mutari, licèt illa mu„tatio multùm differ à vera mutatione secundùm „ *ubi*: scilicet *circumscriptivum*, quod solùm videtur „

Doctor

Doctor hîc appellare præsentiam propriè localem. Absit autem, ut talem præsentiam attribuamus corpori Christi in Eucharistia. An ergo præsentiam Angelicam? *Adhuc*, (ait Doctor) *quantùm ad aliquas conditiones præsentia corporis Christi speciei*, ideft, quâ Christi corpus præsens est speciebus, *magis recedit à vera ratione ubi : quia nullo modò per istam præsentiam determinatur sic ad unum ubi, quod sibi repugnet aliud. Sed Angelus per unum ubi, sic determinatur ad illud, ut sibi repugnet aliud.* Hæc est una conditio discrepantiæ.

Alia autem ratio differentiæ est, quòd cùm Angelus sit substantia purè spiritualis, nequit locô circumscribi: unde sic est in toto loco, ut etiam sit in singulis ejus partibus, nec etiam per divinam potentiam aliter esse possit: quoniam non habet partes extra partes, nec in ordine ad locum, nec in ordine ad se. Secus est autem de corpore Christi D. quod cùm sit res materialis, constans diversis partibus extra se mutuò positis, inde fit quòd naturaliter postulet diversas partes corporis circumscribentis, quibus illud correspondeat. Unde dum in Sacramento totum est sub singulis speciebus, & sub qualibet earum particula, hæc positio non est ipsi connaturalis, sed supernaturalis; ac subinde Christi D. corpus non est præsens sub speciebus Eucharisticis præsentiâ locali, etiam definitivò modò, quemadmodum Angelus est in loco; sed præsentiâ Sacramentali, quæ omnino præternaturalis est, nec ullum propriè habet exemplum in rebus naturalibus.

XIV. Etiam definitivè.

XV. In quo formaliter consistat.

Qualis sit autem hæc Sacramentalis præsentia, pergit Doctor explicare *num.* 11. ubi sic scribit: Etsi habeas pro inconvenienti aliquam mutationem qualemcumque in corpore Christi realiter esse; *Dico* quòd necesse est ponere saltem aliquem respectum extrinsecùs advenientem, qui scilicet non necessariò sequatur fundamentum, & terminum posita in actu: quia omnis respectus sic consequens, necessariò est intrinsecùs adveniens, ut ostensum est in *quæst.* 2. de charactere, contra primam opinionem: ergo respectus potest advenire extrinsecùs de novo, sine alio quocunque novo, vel in fundamento, vel in termino. Sic ergo non est inconveniens corpus Christi esse de novo præsens alicui non habenti novam formam absolutam, nec novum respectum, respectu ejus; vel si habet hujusmodi novum respectum, pari ratione, & corpus Christi habebit novum respectum ejus: quia si species sunt de novo præsentes corpori Christi, & corpus est de novo præsens eis (etsi enim continentia non sit relatio realis mutua, tamen præsentia est relatio mutua) non erit tunc inconveniens dare in corpore Christi talem mutationem ad respectum extrinsecùs advenientem.

Etsi objicias, ad respectum non est mutatio, solutum est in quæstione de charactere. Et si omnino arguas, ille respectus extrinsecùs adveniens, qui dicitur *præsentia simplex*, ad quod genus pertinet? Potest dici, quòd magis propriè reducitur ad genus *ubi* inter omnia genera respectuum extrinsecùs advenientium, quia in pluribus cum illo respectu convenit: & si fortè non sit propriè in genere, sequitur, quòd decem genera sufficienter non evacuarent totum ens. Quod non est inconveniens, eô modô, quô Philosophi loquuntur de rationibus eorum; quia non repugnat sub ente invenire aliquem respectum, putà Angeli ad lapidem, qui non habet aliquam rationem respectûs in genere, ut ipsi loquuntur: non tamen sequitur ex hoc plura genera esse, quàm decem: sed quòd rationes eorum, vel ratio alicujus eorum non assignatur sub ratione communi, sicut potest assignari.

In quibus Doctor tria concludit (inquit Hiquæus in Commentario ad hunc locum:) *Primum* est, non posse salvari præsentiam Christi novam, & Sacramentalem sine aliqua mutatione in Christo reali, quia de novo fit hîc Christus realiter, ubi anteà non fuit: talis autem mutatio non repugnat Christo, quia licèt mutatio, *qua fit* ad corruptionem, non conveniat corpori glorioso, & impassibili; non tamen repugnant mutationes, quoad respectum, qui non infert mutationem substantialem: nam ante Ascensionem habuit plures tales, ut visionis, locutionis, manducationis, loci, post resurrectionem.

XVI. Christi D. corpus in Sacramento recipit novum respectum realem.

Secundum, quod docet, est, hanc præsentiam, & mutationem reduci ad mutationem secundùm *ubi*. *Tertium* est, præsentiam illam esse relationem extrinsecùs advenientem, de qua ipsum vide *dist.* 6. *quæst. ult.* Portò in hac littera Doctor tantùm differt de præsentia Sacramentali sub ratione termini acquisiti per mutationem acquisitivam, & non deperditivam, quâ præsentia ejus naturalis in cœlo destrueretur, quia hæc manet, ut patet in symbolis fidei, *Sedet ad dexteram Patris, &c.* & Lucæ ult. & ex S. Augustino locô cit. ut docet Doctor, nisi ex gratia speciali ipse apparere aliquando in terris voluerit; saltem ad Sacramentalem præsentiam acquirendam non desistitur. *Ita Hiquæus.*

COROLLARIA.

Ex his omnibus *sequitur primò*: Transsubstantiationem fieri à solo Deo, tanquam à causa principali; quippe ille solus potest hoc mysterium efficere, in cujus potentia activa extremum continetur vel ut fit, vel ut non fit simpliciter; seu quantùm ad totum suum esse, & quantùm ad suum non esse: sed esse totalis substantiæ, & non esse ejusdem, soli divinæ potentiæ subjacet; quælibet enim virtus creata subjectum exigit; unde, ut probavimus in Physicis, creatio est solius Dei; nulla siquidem creatura agere potest in non præexistens subjectum: igitur solus Deus potest efficere, ut tota substantia panis transeat in substantiam corporis Christi.

XVII. Solus Deus est causa efficiens principalis transsubst.

Nec obstat, quod agens naturale possit alterare species Sacramentales, & ex eis aliquam substantiam producere, putà cùm species illæ corrumpuntur, & ex eis generantur vermes, aut aliquid hujusmodi. Hoc, inquam, non officit; in illis enim generationibus, quæ fiunt ex corruptis speciebus, agens naturale non convertit species illas in substantiam non præexistentem; sed tota hæc conversio fit virtute solius Dei, qui, ut agens generale, non deficiens in necessariis, & supplens vices causarum secundarum, ubi earum virtus deficit, producit ipse substantiam novam sub speciebus corruptis.

Fateor tamen cum Doctore in 4. dist. 13. q. 2. Sacerdotem celebrantem habere rationem *causæ instrumentalis*, in hac efficienda Transsubstantiatione: Nam, inquit Doctor, agens dispositivum dicitur instrumentum respectu effectûs producendi, quando habet actionem præviam actioni divinæ productivæ illius effectûs: sed Minister est agens

XVIII. Sacerdos tamen habet rationem causæ instrumentalis.

diſpoſitivum, habens actionem propriam humanam præviam actioni divinæ, tanquam diſpoſitionem neceſſariam, non quidem ſimpliciter, ſed ex ordinatione Dei paciſcentis cum Eccleſia, quòd ad prolationem verborum conſecrationis, ipſe conſtitueret Chriſti corpus realiter præſens ſub ſpeciebus Euchariſticis, & tranſmutaret ſubſtantiam panis in ipſum corpus: igitur Miniſter habet rationem cauſæ inſtrumentalis in hac efficienda Tranſſubſtantiatione, non quidem, ut inſtrumentum attingens terminum & effectum; ſed eô modô, inquit Doctor, quô agens prævium dicitur agere inſtrumentaliter ad formam principalem, quam non attingit; ita quòd ejus actio eâ ratione tantùm dicitur inſtrumentalis, quia eſt diſpoſitio prævia ad effectum, qui per virtutem ſolius cauſæ principalis producendus eſt.

XIX. Tranſſubſtantiatio fit in inſtanti.

Sequitur ſecundò, Tranſſubſtantiationem fieri in inſtanti, ſive interim illa fiat per adductionem, ſive per productionem; mutatio enim triplici ratione poteſt eſſe inſtantanea: *Primò*, ex parte formæ, quæ non ſuſcipit magis & minùs: *Secundò*, ex parte ſubjecti, quod ad receptionem formæ ſucceſſivè non diſponitur: *Tertiò*, ex parte agentis, non indigentis temporis morâ, ut effectum producat: ſed his tribus modis Tranſſubſtantiatio dici poteſt inſtantanea; nam & ſubſtantia corporis Chriſti, ad quam iſta converſio terminatur, non ſuſcipit magis & minùs; quippe cùm corpus illud ſit glorioſum, incorruptibile, & inalterabile. *Inſuper*, in hac converſione nullum eſt ſubjectum, quod ſucceſſivis diſpoſitionibus præparari debeat ad formam recipiendam; quippe cùm nihil prorſus panis remaneat, quod ſit commune ſubjectum iſtius converſionis: ſed tota illius ſubſtantia in Chriſti corporis ſubſtantiam tranſeat.

Denique, hæc converſio fit principaliter ab agente, quod eſt infinitæ virtutis, & independentis ab omni temporis mora, omnique ſubjecto in ſuis extraordinariis effectibus producendis: igitur panis ſubſtantia in inſtanti deſinit, & Chriſti D. corpus in inſtanti advenit, ſtatim ac perficitur formæ conſecratoriæ ſenſus; ita quòd ultimum non eſſe illius prolationis formæ, ſit primum non eſſe deſitionis ſubſtantiæ panis; & primum eſſe ac inceptionis, ſeu præſentiæ realis corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis.

XX. Nihil remanet panis poſt tranſſubſt.

Sequitur tertiò, nihil omnino ſubſtantiæ panis remanere ſub ſpeciebus factâ conſecratione; ſi enim aliquid ipſius remaneret, maximè vel materia, vel forma, vel exiſtentia, vel ſubſiſtentia, aut aliquis modus illius ſubſtantialis: ſed nihil horum remanet; ut conſtat ex determinatione Concilii Trident. ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 2. ubi definitur totam ſubſtantiam panis converti in ſubſtantiam corporis Chriſti; itaut remaneant duntaxat accidentia: hoc autem verum non eſſet, ſi materia aut forma panis remanerent cum corpore Chriſti: falſum enim eſſet, quòd tota ſubſtantia panis tranſiret in ſubſtantiam corporis Chriſti.

Non forma.

Inſuper, hanc aſſertionem ſigillatim probat & declarat Illuſtriſſ. *Meuriſſius* noſter de Euchariſt. cap. 5. q. 10. *Primò* quidem, de *forma*: Quia, inquit, forma dat eſſe rei: ergo ſi forma panis remanet, eſſe panis remanebit, quod eſt hæreticum.

Nec materia.

Deinde, *de materia*; quia ſi materia remaneat, tranſſubſtantiatio nihil amplius erit, quàm generatio, quod implicat. Patet, quia in generatione fit ſucceſſio formarum, eâdem manente materiâ: ſed in hoc Sacramento illud idem fieret, ergo nihil amplius eſſet, quàm generatio.

Deinde, ſententia quæ id aſſerit, nititur multis falſis principiis, ſcilicet quòd materia panis, & materia Chriſti corporis ſit una & eadem numerô materia; præterquam enim quòd hoc eſt contra rectam philoſophandi rationem, ſequeretur, inquit Doctor, formam Chriſti corporis eſſe in materia panis ante converſionem; ſi enim forma Chriſti corporis exiſtat actu in rerum natura, & habeat materiam ſuam numerô diſtinctam à qualibet alia, debebit neceſſariò eſſe in ea materia: at materia panis eſt illa numerô materia, quæ eſt materia corporis Chriſti: ergo hôc ipsô, ſeclusâ omni converſione, materia corporis Chriſti erit in materia panis, quod eſt abſurdum. Quòd ſi intelligat Ægidius (cujus eſt hæc ſententia) materiam panis, & materiam corporis Chriſti eſſe ejuſdem rationis tantùm, exinde nihil concludit, quia non ſequitur propterea materiam panis remanere in Sacramento poſt converſionem.

Non remanet etiam exiſtentia: *Tum*, quia in ſententia Doctoris, hæc non diſtinguitur realiter ab eſſentia, & natura: ergo ſi hæc omnino deſinat, etiam deſinere debet exiſtentia: *Tum*, quia rem corrumpi, vel deſinere eſſe, aut in alterius ſubſtantiam tranſire, nihil aliud eſt, quàm ceſſare exiſtere: ſed hæc pani conveniunt in Euchariſtia: igitur ipſius exiſtentia poſt converſionem non remanet. — Nec exiſtentia.

Similiter non remanet ſubſiſtentia: *Tum*, quia hæc eſt modus illius entitatis, quam afficit: ergo deſinente propriâ illâ entitate, deſinit etiam illius modus: *Tum*, quia probabilius eſt exiſtentiam nihil aliud eſſe, quàm duplicem negationem communicationis ſubſtantiæ, ut probavimus in Metaphyſica: igitur pereunte ſubſtantiâ, perit etiam negatio illius communicationis: *Tum*, quia ſi ſubſiſtentia panis remaneret, maximè vel ut eſſet verum & proprium ſubjectum accidentium ejus: Et hoc dici non poteſt, quia de fide eſt accidentia illa exiſtere ſine ſubjecto vero & proprio. Vel ut redderet illa accidentia per ſe ſubſiſtentia: Et hoc etiam verificari nequit; repugnat enim naturæ accidentis, utpote cui debetur ineſſe ex natura rei, quod tamen deberi nequit rei per ſe ſubſiſtenti, quandoquidem ineſſe, & per ſe ſubſiſtere opponuntur. — Nec ſubſiſtentia.

XXI. Nec aliqua entitas.

Tandem non remanet eadem *individualis entitas* panis, ut ſuſtinere videtur Cajetanus poſt Henricum; non enim poteſt intelligi quomodo hic panis in ſingulari & in individuo deſinat per hanc numerô actionem Sacramentalem, & tamen individualis ejus entitas remaneat poſt converſionem.

Deinde, ex eo ſequeretur non eſſe idem corpus Chriſti in Sacramento, quod eſt in cœlo. Patet, corpus Chriſti, quod eſt in Sacramento, eſt ipſiſſima entitas individualis panis quæ præfuit: ſed corpus Chriſti in cœlo non eſt ipſa eadem entitas individualis, panis quæ præfuit: ergo Chriſti corpus in Sacramento non eſt illud idem, quod eſt in cælo.

Addo & hanc ſententiam non eſſe intelligibilem, & accedere ad errorem; non poteſt enim ſuſtineri entitatem aliquam individualem panis remanere poſt converſionem cum hac excluſiva Concilii Tridentini, *ita ut accidentia tantùm remaneant*: nam in ea ſententia, non modò accidentia remanerent, ſed etiam illa entitas individualis panis.

Eandem Henrici sententiam impugnat Doctor *dist.* 11. *q.* 4. *n.* 3. Cùm enim contenderet Henricus quodlibetô 9. q. 9. & quodlibetô 11. q. 4. per consecrationem panem non annihilari, sed post conversionem adhuc esse aliquid; non quidem illud, quod præfuit, sed illud, in quod panis conversus est; ita quòd illud esse panis post conversionem, sit ipsum esse corporis Christi, in quod conversus est, vel aliqualitas ejus, seu aliquis modus corporis. Ipsam explicationem impugnat Doctor quatuor rationibus: *Primò* sic: Terminus mutationis, in quantùm terminus, includit *non esse* alterius termini. Hoc probatur: quia in quantùm est terminus, habet aliquam incompossibilitatem ad alium terminum: ergo ut est terminus non includit aliquitatem alterius termini, nec alterùm terminum esse aliquô modô aliquid, quia contradictio est, quòd, ut includit non esse ejus, includat aliquitatem ejusdem.

Seu aliqualitas.

1. Quis unus terminus mutationis includit non esse alterius.

Secundò, quia corpus Christi nullô aliô modô se habet in se post conversionem, quàm ante: ergo nec aliquid aliô modô se habet in ipso: sed panis non conversus nullô modô habet aliquitatem suam in corpore Christi, nec aliquitatem corporis Christi: ergo nec post conversionem. Probatio primæ consequentiæ, esse secundùm *quid* in aliquo, est propter *esse* ejus simpliciter, quia enim aliquid in se est tale, ideo sic, vel sic habet aliquid in se, vel *esse* in alio: ergo non est differentia in modo essendi alicujus in aliquo, nisi propter differentiam ejus in se.

Esse secundùm quid supponit esse simpliciter.

Item cujus est aliquitas, illud etiam formaliter est aliquid: si ergo aliquitas corporis sit nunc ejus, quod fuit substantia panis: ergo illud, quod fuit substantia panis, est nunc formaliter aliquid illâ qualitate. Quæro quid aliquid? non panis, quia panis non est: & præterea contradictio videtur, quòd aliquitate corporis sit formaliter aliquid, illud quod est substantia panis, nec istâ aliquitate est illud, quod fuit panis corpus; quia quod fuit, substantia panis simpliciter desinit esse, corpus simpliciter manet in eodem *esse*, nec potest dici, quòd istâ aliquitate est aliquid, nisi panis, vel corpus.

Habens aliquitatem est formaliter aliquid.

Item, aliquid & res convertuntur secundùm Avicennam. *Primò Metaphysicæ suæ*: cujus ergo est aliqua aliquitas, illud formaliter est res: sed per consequens sequeretur, quòd illud, quod fuit panis, nunc esset res. Res autem secundùm istum Doctorem dicitur dupliciter: unô modô pro re opinabili, ut res dicitur *à reor, reris*: Aliô modô res rata, prout dicitur à ratitudine: hâc ergo aliquitate hoc quod fuit panis, vel erit res primô modô, tunc sequitur, quòd non magis sit res, quàm chimæra, quia chimæra est res ipsô modô secundùm eum: & tunc optimè stat cum tali aliquitate annihilatio panis: sicut si aliquid converteretur in chimæram, verè esset annihilatum. Si res secundô modô, tunc ut prius, aut res quidditate panis, & tunc panis non est quidditativè conversus, aut res quidditate corporis, & hoc est impossibile, propter quidditativam distinctionem ejus, quod fuit panis & corporis.

XXII. *Sequitur denique*, substantiam panis & vini in Eucharistia desinere *per annihilationem*, si corpus Christi fiat præsens per solam actionem adductivam; desinere verò per *simplicem conversionem*, si corpus Christi fiat præsens per novam sui reproductionem. Hæc mihi videtur genuina Subtilis Doctoris sententia, ut colligere licet non solùm ex *quodlibeto* 10. *art.* 3. ubi proponit communiorem

Quæ sit genuina Subtilis Doctoris sententia de desitione panis.

A sententiam, quòd panis non annihilatur in transsubstantiatione; quia ad ejus desitionem producitur de novo corpus Christi præsens, & sic substantia panis transit in substantiam corporis Christi; quam utique sententiam approbat & propugnat. Verùm etiam ex *distinct.* 11. *q.* 4. ubi propositis & impugnatis aliorum sententiis de hac desitione panis & vini, dicit *num.* 6. Dico, quòd in proposito nihil panis manet post conversionem; secundò, quòd panis non annihilatur, vel quod est facilius, quòd panis istâ conversione non annihilatur. Quod utique sic probat: Terminus ad quem transitûs ipsius panis, non est purum nihil: ergo panis non annihilatur.

B Consequentia probatur, quia terminus ad quem annihilationis est purum nihil, & hoc probatur à simili: sicut terminus à quo creationis est purum nihil; ita terminus ad quem annihilationis debet esse purum nihil. Antecedens probatur, quia terminus ad quem istius transitûs, est corpus Christi; quia etsi negatio panis concomitetur terminum ad quem; non tamen terminus iste est omnino nihil, sed in aliquo positivo. *Ita Doctor*, quibus significat; se magis propendere in communiorem sententiam, quòd panis non annihiletur, sed convertatur in corpus Christi, quod de novo producitur secundùm esse Sacramentale.

C Cùm autem plures, easque urgentissimas rationes adversus hanc assertionem proposuisset, & ex parte solvisset, tandem *num.* 14. apertè docet, quòd si transsubstantiatio esset productiva, panis non annihilaretur: secus verò cùm sit adductiva; scribit enim: Dico etiam, quòd hâc conversione, panis non annihilatur: quia, sicut dictum est in solutione quæstionis præcedentis, transsubstantiatio quædam est, quâ terminus accipit simpliciter *esse*: quædam autem, quâ accipit hîc *esse*. De prima, quâ terminus accipit simpliciter *esse*, & alius simpliciter *non esse*; fortè posset salvari, quòd desitio termini *à quo*, non est simpliciter annihilatio: quia ibi per se terminus *ad quem* ipsius inceptionis esset oppositus termino à

XXIII. *Si transsubstantiatio sit productiva, panis non annihilatur.*

D quo desitionis, sicut est de termino *à quo*, & *ad quem* generationis, & corruptionis: & ita posset ibi negatio termini *à quo*, ut in termino *ad quem*, terminare desitionem: sed in proposito, ubi tantùm est transitio adductiva, terminus *ad quem* per se mutationis positivè non opponitur termino *à quo* mutationis privativæ: & ita non potest esse ratio concludendi negationem ejus.

Posset ergo dici, quòd conversio ista est sicut substantiæ in substantiam, non quantùm ad *esse* substantiæ simpliciter, sed quantùm ad hîc *esse*, ut sicut corpus est hîc, succedit pani ut hîc; ita panis ut hîc convertitur in corpus ut hîc: & illæ mutationes licèt sint inter substantias, tamen

XXIV. *Quomodo panis desinat & corpus Christi incipiat esse sub speciebus panis.*

E non sunt inter substantias, ut inter terminos; termini enim sunt tantummodò præsentialitas, & non præsentialitas, quæ possunt reduci ad genus *ubi*, ut dictum est dist. 10. q. 1. Sicut ergo mutatione positivâ, non acquiritur simpliciter *esse* corpori, sed tantùm *esse* hîc; ita mutatione deperditivâ correspondente, quam inclusit conversio ista, in quantùm ista conversio est transsubstantiatio translativa, non autem productiva, istâ, inquam, non deperdit panis *esse* simpliciter, sed hîc esse: & pater satis pulchra correspondentia, quia sicut corpus Christi habet novam præsentiam, non deperdendo antiquam, & mutationem acquisitivam sine deperditiva, ut dictum est *dist.* 10. *q.* 1. ita etiam panis habet deperditivam

fine acquisitiva, quia desinit esse hîc, & non acquirit aliam præsentiam alibi; quia ergo non deperditur, sicut nec acquiritur per hanc conversionem, ut est translativa, nisi tantùm *esse* hîc, & *non esse* hîc; sequitur, quòd per hanc conversionem, ut hîc est, non deperditur *esse* substantiale: & per consequens non annihilatur, imò nec destruitur panis hâc conversione: quia tamen panis non manet in *esse* substantiali, & hâc conversione non destruitur, ut dictum est, oporter, quòd desinat esse aliâ desitione, quæ est à simpliciter *esse* ejus ad simpliciter *non esse* ejus. Illud autem *non esse* ejus, licèt quasi concomitetur præsentiam corporis ut hîc, non tamen ut terminum ejusdem generis, & per consequens, si ista desitio, secundùm se considerata, sit annihilatio, tamen nullô modô ista conversio est annihilatio. Exemplum hujus, Si panis destrueretur, & crearetur Angelus de novo, & fieret præsens speciei panis, conversio panis in Angelum esset panis, ut hîc in Angelum hîc præsentem, & per istam conversionem Angelus non acquireret, nisi illam præsentiam, concomitaretur tamen illam præsentiam novam novum *esse*, quod terminat creationem propriam. Per istum modum dicendi apparet, quæ transsubstantiatio potest esse in præexistens; & quæ non: & quæ potest esse manente terminô *à quo*, & quæ non: transitio enim, quæ est à termino in terminum secundùm *esse* simpliciter terminorum, & *non esse*, non potest esse alicujus conversi, & tamen manentis, nec in terminum præexistentem: sed transsubstantiatio, quæ est transitus substantiæ in substantiam quantùm ad hîc esse, potest esse, & termini *à quo* manentis, si desinat hîc esse, non tamen desinat simpliciter esse, & succedat sibi aliud, ut hîc. Potest etiam esse in terminum præexistentem, si incipiat hîc esse, absque hoc quòd incipiat esse. Potest etiam esse, quòd terminus *à quo* destruatur, sed non hâc conversione; & potest esse, quòd Angelo creato, &c. *Hæc Doctor*, quæ paulò longiùs exscribenda duxi, ut inde appareat, quænam sit genuina ipsius sententia; distinguit enim duplicem transsubstantiationem; unam, quâ terminus *ad quem* simpliciter recipit *esse* substantiale: aliam, quâ ipse terminus *ad quem* non producitur secundùm esse substantiale, sed tantùm secundùm rationem præsentiæ, seu essendi hîc; quod utique fit per adductionem: & sic, si terminus *à quo* desinat secundùm substantiam, necessariò desinit per annihilationem; quia nulla est substantia de novo producta secundùm esse substantiale, in quam ille terminus *à quo* desinens possit converti.

Dixi, *si desinat secundùm substantiam:* fieri enim potest, ut substantia panis v. g. desinat esse præsens sub speciebus, & alia in ejus locum succedat de novo producta, absque eo quòd illa panis substantia omnino desinat; quia posset alibi conservari, ut optimè declarat Doctor exemplô Angeli, qui de novo produci posset, & fieri præsens speciebus panis, ac succedere substantiæ panis, absque eo quòd substantia illa desinat esse. Igitur utramque sententiam Doctor probabilem existimat, nempe quòd substantia panis non desinat per annihilationem, si transsubstantiatio fiat per actionem productivam corporis Christi: secus verò si fiat per solam adductionem.

XXV. Quàm insulsè & stolidè Doctor à nonnullis carpatur.

Unde perperam nonnulli Recentiores cum Soto dist. 9. q. 2. art. 4. hîc Subtilem Doctorem vellicant, quasi simpliciter doceret, substantiam panis in transsubstantiatione conversiva annihilari: non enim ea mens est Doctoris; siquidem tantùm asserit, ut optimè notat *Hiquæus* in Commentario num. 42. desinere substantiam panis simpliciter per annihilationem, quatenus consideratur desitio ejus simpliciter; non autem quatenus intelligitur de pane, qui est terminus *à quo* conversionis; quia sic tantùm desinit esse sub speciebus, vel esse hîc, & hoc exigitur ad veritatem formæ tantùm: non autem quòd panis simpliciter desinat esse, quia licèt per miraculum conservaretur, modò non sub speciebus maneret, verificaretur forma juxta sensum, quem habet ex institutione Christi D. quòd ergo desinat simpliciter secundùm omne *esse*, non facit ad mysterium, sed est ex ratione jam declarata. Et desitio ejus secundùm *esse* simpliciter, est propriè annihilatio, & tantùm concomitanter se habet ad conversionem. Sicut si converteretur panis in Angelum, qui tum crearetur pro ultimo instanti verborum, illa creatio esset concomitans ad conversionem, non aliquid intrinsecè ad ipsam spectans, quia posset conversio fieri in præexistens: Transsubstantiatio ergo non est, nisi inter terminos, ut succedunt sibi invicem ut hîc, sive terminus *ad quem* incipiat esse simpliciter, & terminus *à quo* desinat esse simpliciter, sive non.

APPENDIX

De Accidentibus Eucharisticis.

QUÆRES I. *Utrum factâ conversione substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, utriusque accidentia immutata perseverent secundùm entitatem?*

I. Accidentia verè post consecrationem eadem perseverant.

AFFIRMO, idque non solùm fide divinâ certum est, & in Concilio Tridentino definitum sess. 13. can. 2. ubi dicit anathema ei, qui dixerit per *consecrationem non fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini*: sed etiam sensibus ipsis pervium ac notum est; siquidem factâ transsubstantiatione, videmus in Eucharistia eandem figuram & albedinem, gustamus eundem saporem panis & vini, percipimus utriusque eundem odorem, & eandem superficiem tangimus: constat autem, quòd sensus nullô vitiô laborantes, non possint decipi circa proprium sensibile debitè applicatum: igitur certissimum est eadem omnino accidentia perseverare.

QUÆRES 2. *Utrum hujusmodi accidentia sine omni subjecto substantiali existant?*

II. Et existunt sine subjecto substantiali.

Affirmo, hæcque conclusio est pariter de fide determinata in eisdem Conciliis, in quibus asserta fuit transsubstantiatio, maximè verò in Concilio Constantiensi, sess. 8. ubi damnat hoc erroneum dogma Joannis Hus, dicentis, quòd fingere accidens sine subjecto, sit blasphemare in Deum, scandalizare Sanctos, & illudere Ecclesiæ, per verba accidentis.

Probatur hæc assertio: Accidentia Eucharistica non inhærent substantiæ panis & vini; quia, ut probatum est, utraque desinit per transsubstantiationem; neque etiam corpori Christi, aliàs corpus Christi in Eucharistia esset alterabile, corruptibile,

& localiter extensum; neque etiam aëris circunstantis: *Tum*, quia non potest idem accidens de eodem subjecto transire in aliud: *Tum, quia* nullum accidens secundùm se totum, nec secundùm aliquam sui partem, distat locô & situ à suo subjecto primo: experientiâ autem constat, quòd partes accidentis hostiæ distent ab aëre circunstante, & hostia & aër occupant distincta loca: igitur, &c. *Tum denique*, quia hujusmodi species non sunt ubi est aer circunstans; siquidem ad motum aëris non moventur: igitur necessum est, quòd sint sine ullo subjecto.

Quia non dicunt dependentiâ essentialem à subjecto.

Deinde, si quid obesset, quominus sine subjecto existerent, maximè quia inhærentia actualis esset de essentia accidentium: sed hoc falsum est, ut optimè probat Doctor dist. 12. q. 1. num 9. maximè de accidentibus absolutis: „Si enim, *inquit*, accidens absolutum necessariò requireret subjectum, maximè propter illius essentialem dependentiam à subjecto: sed nulla est dependentia simpliciter necessaria alicujus absoluti ad aliud, quod non est de essentia ejus, sed tantùm causa extrinseca nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam, scilicet ad Deum: subjectum autem non est de essentia accidentis, quia tunc homo albus non esset ens per accidens, quod est contra Philosophũ 5. *Metaphys. cap. de ente*: quia addendo alicui illud, quod est de essentia ejus, non habetur ens per accidens, præcipuè si illud in se sit ens per se: accidens autem secundùm se est ens per se, secundùm Philosophum ibidem; unde & per se est in genere. Subjectum non est causa extrinseca simpliciter prima; sed Deus præcisè est ejusmodi causa, qui non est subjectum accidentis: ergo dependentia accidentis absoluti ad subjectum non est simpliciter necessaria: igitur accidens sine ea dependentia esse potest.

III.
Ut docent SS. Patres.

Confirmatur authoritate SS. Patrum, docentium quòd accidentia possint separari & existere sine omni subjecto. Sic S. Basilius homil. 6. in Hexameron docet primâ die [...]atam fuisse lucem per se subsistentem, & ab omni subjecto separatam: *Primò die*, inquit, *ipsa natura lucis producta est, quartò autem die Solis corpus, ut esset illi primogenita luci vehiculum, est conditum.* Et infrà: *Itaque ne mihi dixeris, fieri hoc non posse, ut lux à corpore Solis separetur; neque enim ego lucis à Solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico; sed asserendum esse censeo, quæ mentis solâ agitatione, cogitationeque disparari à se possunt, ea reipsâ sejungi facultate Creatoris, utriusque natura posse.* Idem docet S. Gregorius Nazianzenus orat. de novo die Dominico, & Theodoretus in quæstionibus super Genesim qu. 14. & 16. igitur ex sententia SS. Patrum virtute divinâ potest accidens existere absque omni subjecto, & carere actuali inhærentiâ.

Confirmatur ex mysterio Incarnationis.

Confirmatur insuper argumentô petitô ex mysterio Incarnationis: nam inhærentia actualis se habet ad accidens, sicut subsistentia actualis ad substantiam: non enim minus est de ratione substantiæ, & naturæ completæ per se subsistere, ac propriâ subsistentiâ terminari, quàm sit de ratione accidentis alicui subjecto inhærere: sed non obstante hâc naturali exigentiâ substantiæ, ut per se subsistat, & propriâ substantiâ terminetur, virtute divinâ humanitas Christi privatur suâ connaturali subsistentiâ, & subsistit tantùm subsistentiâ Verbi: igitur pari ratione accidens poterit spoliari suâ actuali inhærentiâ, & virtute divinâ absque subjecto existere.

IV.
Quomodo Deus possit supplere causalitatẽ materiæ.

Dices primò: Deus non potest supplere causalitatem causæ materialis, ut communiter docent Theologi, quippe cùm illa causalitas imperfectionem Deo repugnantem importet: ergo non potest efficere, quòd accidens sit independens à subjecto.

Distingue antecedens: Non potest supplere vicem causæ materialis, *ex qua*, concedo: causæ materialis *in qua*, nego: Porrò, inquit Doctor, dist. 12. qu. 1. num. 10. „Accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua: vel si habent ex qua, illud non est subjectum; quia subjectum cum accidente facit ens per accidens, ut dictum est, per se autem intrinsecum essentiæ accidentis, sive materia, sive forma, dum constituit ens per accidens; quia accidens ut totum quoddam est, est ex omnibus pertinentibus ad essentiam ejus. Ita Doctor, quibus fatetur, Deum non posse supplere causalitatem materiæ, quantùm ad influxum compositionis, neque quantùm ad existentiam accidentis in ea inhærentis, bene verò id posse, quantùm ad influxum efficientis & sustentantis.

Dices secundò: Accidens connaturaliter petit inhærere subjecto: igitur si in Eucharistia accidentia non sint in subjecto, erunt semper in statu violento: sed hoc non decet divinam sapientiam, ut tot accidentia per totum orbem terrarum tamdiu detineat in statu violento, quot sunt hostiæ consecratæ, & quandiu illæ conservantur: igitur non est verisimile, illa sine omni subjecto existere.

V.
Accidentia Eucharistica non sunt in statu violento.

Nego sequelam majoris: Etenim in re qualibet duplex est inclinatio naturalis, una ad bonum sibi proprium; altera ad obtemperandum suo Creatori: Hæc autem posterior longè connaturalior est priori; unde prior ipsi facilè cedit, sicut inclinatio cujuslibet entis particularis cedit inclinationi, quam habet ad bonum commune, cui quælibet universi pars inservit etiam cum boni sui particularis dispendio: cùm ergo accidentia in Eucharistia, sine subjecto existant ad imperium sui Creatoris, inde est, quòd nullam in se violentiam patiantur.

VI.

Respectivè habet aliā accidẽtia pro subiecto.

Signanter dixi in assertione, *sine subjecto substantiali*; controvertitur enim apud Theologos, utrum omne accidens in Eucharistia sit sine subjecto: *Primò* namque Doctor docet dist. 12. qu. 1. num. 5. accidentia respectiva ibi non existere sine subjecto. Quod utique probat *nu.* 8. „Quia, *inquit*, respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema; & ideo sicut tollere terminum ad quem est respectus, est tollere, vel destruere respectum, & destruere rationem respectûs. Non ergo, quia accidens respectivum est accidens, ideo requirit subjectum, vel fundamentum; sed quia respectus est respectus, ideo requirit cujus sit, & ad quod sit etiam in divinis.

VII.
Incertum est utrum omnia accidentia absoluta sint sine subiecto immediato.

Quantùm autem ad alia accidentia, non convenit inter Authores, utrum existant sine aliquo subjecto immediato; Quidam enim volunt qualitates subjectari in quantitate; Alii verò contendunt etiam per se existere sine subjecto: sed quidquid sit, quoniam hæc omninò Philosophica sunt, dicendum arbitror cum Subtili Doctore qu. 2. nu. 14. quòd tam qualitas, quàm quantitas possit existere sine subjecto, quia absoluto perfectiori magis convenit non esse in subjecto, quàm absoluto minùs perfecto: qualitas autem est forma absoluta, & perfectior quantitate: ergo tametsi qualitas in Eucharistia insit quantitati,

tamen absolutè potest esse sine subjecto, sicut & ipsa quantitas. Minorem probat Doctor oum. 9. pluribus momentis: *Primò*, quia qualitas est per se principium agendi, non ita quantitas: *Secundò*, quia nobilioribus substantiis nobiliores correspondent qualitates, oon autem quantitates; non enim semper nobilior substantia est major in quantitate: *Tertiò*, quia per qualitates substantiæ perfectæ consequuntur fines suos; siquidem actus beatificus est qualitas, quâ mediante substantiæ spirituales fiunt beatæ. *Quartò*, quia quantitas sequitur compositum ratione materiæ; qualitas autem ratione formæ; forma autem nobilior est materiâ.

Nec obstat, quòd quantitas sit propinquior substantiæ: Primò enim hoc est valde incertum; siquidem plures Philosophi existimant, omnia accidentia subjectari immediatè in substantia.

Deinde, dici potest propinquior substantiæ, non in agendo, sed in sustentando.

Dices: Si qualitas posset existere sine omni subjecto, & seorsim à quantitate, sequeretur, quòd simul esset sensibilis, & insensibilis: sensibilis quidem; quippe cùm sensibilitas sit de ratione tertiæ speciei qualitatis: esset autem insensibilis,
VIII. quia non esset quanta: quod autem non est quantum, non potest sentiri.

Qualitas existere potest sine substantia, & quantitate.

Respondet Doctor, qualitatem eo in statu fore sensibilem remotè, quia haberet formam sufficientem ad hoc ut sentiri posset; non esset autem proximè, quia non esset sub modo convenienti, scilicet quantitativo, & extenso, sub quo debet constitui, ut proximè sit sensibilis.

QUÆRES 3. *Utrum Accidentia Eucharistica easdem possint exercere operationes, tam reales quàm intentionales, quas poterant exercere, dum erant in subjecto.*

Affirmat Doctor *dist.* 12. *q.* 3. & sic probat, *n.* 17. Cujuscumque actionis aliqua forma est totale principium activum, illa si esset per se modô convenienti ad agendum, posset esse principium ejusdem actionis: sed qualitas *(in Eucharistia)* est & totale & formale principium utriusque actionis prædictæ; quando autem est separata à substantia, est tamen in quantitate, sive habens extensionem sicut ante separationem à substantia; ideo manet sub modo convenienti ad agendum, qui est modus extensivus. Ergo, &c. *Major* patet, quia totali principiô positô, & sub ratione, sub qua natum est esse principium, potest principiari illud, cujus ponitur principium. *Minorem* probat dupliciter: *Primò*, quia nihil aufertur isti formæ, per huc quòd per se est sine subjecto: illud enim non facit cum ipsa nisi unum per accidens: sed per se principium agendi in uno ordine est per se unum: ergo ablatio illius subjecti nihil aufert per se principio agendi.

Probat secundò: Illa forma est principium actionis, quæ est tale principium assimilandi sibi passum, non tantùm realiter ut in actione reali, quæ est in contrarium, sed in actione intentionali quæ est in sensum. De prima patet, quia terminus formalis simpliciter est similis formæ accidentali; ergo illa potest esse principium agendi *quô*: De secunda autem probatur, quia similitudo in sensu deficit quantùm ad aliquid à similitudine reali in passo: ergo quantùm est ex parte hujus formæ ut agentis; potest ita bene esse totale principium hujus actionis, sicut & illius: si autem in illa sensatione sit aliqua perfectio ulterior, hoc non est in quantùm est ab aliqua qualitate sensibili, sed in quantum est a potentia sensitiva: *Ita Doctor*. Cujus utique doctrinæ consonat experientia quotidiana; nam accidentia post consecrationem eôdem modô videntur, tanguntur, frigefaciunt, calefaciunt, humectant, &c. quô antea; non videtur autem cur hi omnes effectus soli Deo illa accidentia conservanti, tribuantur, cùm in ipsamet accidentia refundi possint.

Nihilominus quando illa accidentia alterantur, & postmodum pristinam suam qualitatem recupetant; putà cùm species vini calefactæ recupetant pristinum frigus; hujus restituti frigoris alia non subest causa præter Deum supplentem vicem substantiæ vini; si enim forma substantialis vini præsens foret, in eam, & non in accidentia referretur hæc frigoris recuperatio; adeoque illâ formâ absente, referenda est in causam primam quæ supplet omnes defectus substantiæ in Eucharistia ad hoc mysterium occultandum. Cæteras difficultates, quæ circa hujusmodi accidentia moveri possunt, partim dissolvemus in tertia Sectione sequenti; partim in nostra Philosophia jam sunt enodatæ.

SECTIO TERTIA.

De modo, quô Christus D. est & operatur in Eucharistia.

POst insinuatam & assertam realem Christi D. in Eucharistia præsentiam, nec-non & substantiæ panis & vini in ipsius corpus & sanguinem transsubstantiationem, explicandus superest modus, quô sub speciebus Eucharisticis præsens consistit & operatur. Certum est autem & citra controversiam apud omnes Catholicos, in qualibet specie consecrata tam panis, quàm vini, non solùm Christi D. corpus & sanguinem secundùm omnes sibi congenitas & connaturales partes integrantes & entitativas existere; sed & ipsius animam, personalitatem ac Divinitatem; hoc quippe Catholicum dogma definitum est ac traditum in Concilio Constantiensi sess. 13. his verbis: *Cùm firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri, &c.* I.

Christus D. verè totus est sub qualibet specie consecrata.

Clariùs Conciliùm Florentinum in decreto Eugenii id docet: *Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur; ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini.* Novissimè Tridentinum sess. 130. cap. 3. *Semper hac fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis & vini specie, unà cum ipsius anima, & Divinitate existere.* Et post pauca concludit: *Quapropter verissimum tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie.... totus item sub vini specie.... existit.* Errorem porrò contrarium expressissimis verbis damnat, can. 1. dicens: *Si quis negaverit in sanctissima Eucharistia Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, una cum anima & Divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, &c. anathema sit.* Similiter can. 3. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucha-*

Sicut Concilia definiunt.

ristia sub unaquaque specie.... totum Christum contineri, anathema sit.

II. Et ex Scriptura colligitur.

Colligitur hæc veritas ex Scriptura : nam Joan. 6. v. 51. Christus ait: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Et infra v. 59. *Hic est panis, qui de cœlo descendit :* Ergo in specie panis est totus Christus. Accedit testimonium Apostoli Rom. 6. v. 9. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Ergo in specie panis non est corpus Christi sine anima & sanguine, nam sic mortuum esset. Utrum autem Deus per absolutam potentiam facere possit, ut corpus in cœlo vivum, in terra sit mortuum, de quo egimus in Physica : saltem indecens apparet, quòd de facto id fiat in corpore Christi, qui amplius non subjacet mori. Hâc Scripturâ utitur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. illico subjungens verbis superiùs recitatis : *Sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum ; ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantia, quâ partes Christi D. qui jam ex mortuis surrexit non amplius moriturus, inter se copulantur.*

Cùm autem corpus, & anima Christi subsistant subsistentiâ Verbi, inde liquet eum eis pariter adesse hanc divinam subsistentiam, ac subinde etiam Divinitatem. *Omnis enim spiritus*, inquit S. Joan. epist. 1. cap. 4. *qui solvit Iesum, ex Deo non est.* Quibus verbis, ut optimè advertit Bellarminus, tametsi primariò condemnet hæresim Ebionis, qui solvebat Jesum, negans ipsum esse Deum & hominem ; attamen, quia generalis & indefinita est, etiam eos damnat, ac perstringit, qui quoquô modô solvunt hypostaticam unionem Dei, & hominis. Unde Concilium Tridentinum verbis suprà laudatis, statim adjungit : *Divinitatem porrò, propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima unionem*, pariter adesse non est relictus ambigendi locus.

Quis hujus Sectionis scopus.

Hæc itaque certissima sunt apud omnes Catholicos, & post assertam realem Christi D. in Eucharistia præsentiam, ac transsubstantiationis veritatem, non videtur opus esse in hac demonstranda, & confirmanda doctrina Catholica diutiùs immorari. Quocirca tria præcipuè hac in Sectione supersunt inquirenda & determinanda: *Primum*, quomodò Christi D. corpus & sanguis sub speciebus constituantur, & existant : *Secundum*, quas eo in statu operationes Christus eliciat : *Tertium*, utrum, & quid in hoc Sacramento pati possit.

Quæstio Prima.

Quomodo Christi D. corpus & sanguis sub speciebus Eucharisticis constituantur & existant.

III. Aliquid continetur in Eucharistia duobus modis : nempe vi verborũ & per concomitantiam.

NOtandum primò, ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. nec-non ex communi Theologorum sententia, duplici ratione aliquid contineri in hoc Sacramento ; unô quidem modô ex *vi Sacramenti*, seu ex verborum significatione ; sic ea omnia præcisè sub aliqua specie consecrata continentur, quæ per verba formæ significantur ; itaut forma esset falsa, si aliquid eorum quâcunque ratione abesset : *Secundò* verò *per concomitantiam*, seu vi naturalis connexionis, quam habent cum iis, quæ fiunt vi verborum, & constituuntur sub speciebus ; ita quòd per verba formæ non ita significentur, quin ipsa forma posset esse vera, etiamsi abessent ; attamen propter connexionem naturalem, quam habent cum iis, quæ vi verborum ibi continentur, etiam necessariò ibi debent constitui, non quòd Deus ea ab illis separare non posset ; sed quia Deus decrevit, & etiam decet, ut quæ sunt unita in Christo extra Sacramentum, etiam invicem uniantur in Sacramento.

Quæritur ergo, quid præcisè vi verborum sub qualibet specie constituatur : difficultas autem maximè est de corpore & anima Christi ; qui enim non admittunt aliam formam substantialem in homine præter animam rationalem, laborant hîc maximè in explicando, quid intelligatur per corpus, quod vi verborum ponitur sub speciebus panis ; *quidam* enim cum Vasque 3. p. disp. 186. cap. 3. per corpus intelligunt vel corpus informatum formâ cadaveris, vel informatum animâ intellectivâ disjunctim, quia vi verborum non ponitur definitè corpus vivum, neque definitè corpus mortuum : sed vivum, vel mortuum disjunctim. *Nonnulli* cum Ægidio apud Doctorem subtilem, per corpus intelligunt materiam cum aliquo modo quantitativo ; non autem cum quantitate, ne videlicet teneantur admittere corpus Christi in Eucharistia esse ens per accidens.

IV. Quid significatur nomine Corporis controvertitur.

Aliqui volunt, corpus illud habere adjunctam animam rationalem, non ut tribuit corpori gradum vitæ, sed ut dat esse corporeum ; ita omnes ferè Thomistæ cum Angelico Doctore *quæst.* 76. *art.* 6. *ad* 2. ubi scribit : *Anima est forma corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundùm quod dat esse corporeum ; non autem secundùm quod dat esse animatum tali animâ.*

Doctor verò subtilis *dist.* 11. *quæst.* 3. subtiliorem & faciliorem reperit philosophandi rationem, docens corpus humanum constitui in esse corporis humani per formam aliquam substantialem determinatam, quam appellat *formam mixti*, seu *corporeitatis*, & quam existimat coalescere ex variis formis partialibus ; ita tamen quòd hæc forma non sit completa & ultima, sed tantùm partialis forma hominis, constituens corpus humanum organicum in ratione partis essentialis hominis, quæ cum anima rationali altera comparte hominem constituat.

Notandum secundò, omnes Theologos invicem convenire, quòd Christus D. realiter existat in Eucharistiæ sacramento cum omnibus suis partibus *entitativis*, & substantialibus ; verùm invicem dissentiunt circa partes *quantitativas*, seu circa quantitatem & extensionem ipsius corporis. *Durandus* enim in 4. dist. 10. quæst. 2. & cum eo nonnulli è veteribus, putà Gabriele & Majore existimant Christum esse in hoc Sacramento, sine omnimoda quantitate ; quippe cùm in eo careat extensione partium, quam contendunt esse de essentia quantitatis. *Aliqui* apud Doctorem dist. 10. quæst. 1. concedunt quidem corpus Christi in Eucharistia habere suam quantitatem, sed duntaxat ad modum substantiæ ; id est, sine ulla ordinatione partium inter se : Quia, *inquiunt*, cùm quantitas sit tantùm concomitanter in Sacramento, debet ibi esse ad modum primi termini, qui quidem est substantia ; hæc autem de se nullam

V. Utrum corpus Christi habeat suam quantitatem in Eucharistia, disceptatur.

dicit ordinationem partium inter se. *Altissiodorensis* lib. 4. Summæ tract. 5. cap. 4. concedit quidem, totum corpus Christi esse actu in tota hostia indivisa; dicit tamen non esse totum in singulis partibus etiam separatim sensibilibus, ante earum à toto divisionem; nisi duntaxat in potentia, quæ reducitur ad actum per divisionem, non tanquam per causam, sed tanquam per conditionem *sine qua non*; eô modô, quô imago hominis speculum aspicientis est in singulis partibus speculi tantùm potentialiter ante ipsius divisionem; fit autem actualiter existens sub illis factâ speculi divisione. *Sunt* etiam, qui contendunt, Christi D. corpus totum sub particulis hostiæ etiam minimis, ac insensibilibus adhuc contineri. *Alii* veró id ipsum negant. Quid autem veriùs tenendum sit in tam multiplici, & varia Authorum sententia, priusquam aperiamus.

VI. Duplex est quantitatis positio seu extensio.

Notandum tertiò, cum illustrissimo nostro Meurissio cap. 5. quæst. 4. duplicem esse positionem quantitatis, unam intrinsecam, & aliam extrinsecam. *Intrinseca* est, per quam partes alicujus corporis habent ordinem inter se; itaut una sit extra aliam, quatenus corpus illud sit debitè figuratum, & organizatum ad recipiendam animam: & secundùm illam positionem intrinsecam & absolutam, partes corporis habent debitam distantiam inter se, sed non in ordine ad locum. Extrinseca duplex est, prior secundùm quam corpus aliquod coexistit toti loco, absque eo quód coextendatur secundùm partes, partibus loci, & illa dicitur *ubi*, quod quidem ex Doctore subtili non est ens aliquod absolutum, sed respectus extrinsecùs adveniens. *Posterior est*, per quam totum corpus coexistit loco, & partes ejus coextenduntur partibus loci, & illa dicitur *situs*, qui etiam secundùm Scotum, nihil aliud est, quàm respectus extrinsecùs adveniens, qui sæpiùs ab eo vocatur, modus quantitativus, vel dimensivus.

Positio seu extensio *intrinseca* est de ratione quantitatis, ab eaque inseparabilis; non est enim intelligibile, *inquit* Scotus, aliquid esse quantum dimensionatum, id est, longitudine, latitudine, & profunditate affectum, quin sit designare in toto illo ordinem hujus partis ad illam, putà capitis ad collum secundùm quantitatem, vel positionem inter jacentem inter illas. Positio autem *extrinseca* non est de ratione quantitatis, sed accidens per accidens ejus; unde possibile est Deum separare hujusmodi positionem à corpore quanto, manente etiam priore positione, & id quidem, non solùm per negationem termini, sicut posset facere v.g. aliquod corpus quantum existere extra universum; tunc enim non haberet istam secundam positionem, quia nullum esset continens, cui corpus illud coexisteret, & cujus partes, ejusdem continentis partibus commensurarentur; sed etiam positô terminô, cui scilicet præsenti posset fieri commensuratio, seu extensio alterius corporis, possibile esset Deum conservare quantum & coexistentiam ejus ad aliud quantum, & tamen sine ista coextensione partium unius, ad partes alterius, quam dicit ista positio, de qua loquimur. Hæc omnia apertissimè constant ex dictis in nostra Physica, ubi probavimus, rationem formalem quantitatis consistere in extensione partium in ordine ad se; non autem in ordine ad locum.

His ita præmissis, tria hîc occurrunt determinanda: *Primum*, quid ponatur directè, & vi verborum sub speciebus Eucharisticis: *Secundum*, quid adsit per concomitantiam: *Tertium*, quomodo Christi D. corpus sit sub singulis partibus specierum consecratarum ante, & post earum divisionem.

Conclusio Prima.

VII. Vi Verborum solum corpus & sanguis ponuntur sub speciebus.

Vi verborum forma ponitur sub speciebus panis Christi corpus constitutum ex materia & forma corporeitatis: & sanguis sub speciebus vini. Probatur hæc assertio a Catechismo Romano p. 2. cap. 4. nu. 32. ubi scribit: *Cum verba illa efficiant quidquid significant, id esse in Sacramento vi Sacramenti, divinarum rerum Scriptores appellârunt, quod verborum formâ exprimitur; ita si contingeret ut aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum esset, id solum quod forma significaret in Sacramento esse, cætera non item esse docuerunt.* Hoc est, illa ex vi formæ verborum in hoc Sacramento per se ponuntur; quibus positis veritas formæ consistit: atqui verbis consecrationis panis tantùm Christi D. corpus exprimitur; verbis verò consecrationis vini, solius sanguinis fit mentio: igitur ex vi verborum solum sub speciebus panis corpus, & solus sub speciebus vini sanguis continetur.

Quod autem illud corpus constet ex materia & forma corporeitatis; patet ex dictis in Philosophia nostra, ubi probavimus corpus humanum constitui per formam substantialem corporeitatis ab anima rationali distinctam; unde corpus Christi; quod præcisè ponitur vi verborum sub speciebus panis, nihil aliud per se connotat, quàm compositum ex materia & forma corporeitatis, seu forma organica; nec enim τὸ *corpus* aliud significare potest; non enim significat materiam primam solam; plus enim importat corpus organicum, quàm sola materia; invalida enim esset hæc forma: *Hoc est materia prima.*

Illud corpus non est materia nec cum accidentibus.

Nec potest etiam intelligi materia, ut connotat animam; alioqui anima vi verborum directè poneretur sub speciebus panis; *neque* ut involvit formam substantialem in communi; quia sic ex vi verborum poneretur totum compositum, adeoque anima rationalis, quæ sola jam inest composito; sic enim vi verborum ponuntur omnes sanguinis guttæ, licèt omnes tantùm significentur confusè & genericè sub ratione sanguinis spectantis ad Christum.

Nec ut connotat animam.

Non etiam ut disjunctivè involvit formam cadaveris, vel dispositiones accidentales viventis, cùm pars substantialis compositi accidentia non involvat, ut manifestum est in pane, sive tritico cocto, quod eôdem modô se ad animam vegetativam habet, ut corpus ad rationalem, & tamen non involvit accidentia, cùm tota substantia panis annihiletur remanentibus accidentibus.

Nec ut involvens formā substantialem in cōmuni.

Quapropter Doctor in 4. dist. 10. quæst. 4. nu. 3. apertè dicit, quód corpus illud, quod ponitur vi verborum sub specie panis, non contineat animam, nec sanguinem, nec accidentia: *Primò*, inquit, hoc est possibile, accipiendo corpus pro primo perfectibili animæ, quia non est contradictio corpus illud esse sine anima, sine sanguine, & sine accidentibus. *Secundò*, ostendit hoc fuisse congruum, quia species panis repræsentat Christi corpus sub ratione cibi; at verò sub illa ratione, non requirit animam, neque sanguinem, neque accidentia. *Tertiò*, dicit ita factum fuisse,

quoniam

Nec ut continens formam cadaveris.

quoniam si in triduo, *inquit*, Eucharistia consecrata fuisset, mansisset veritas verborum, & tamen verba consecrationis corporis non potuissent tunc significare animam & sanguinem: ergo vi verborum istorum ponitur tantùm corpus, & non anima, aut sanguis. *Quartò*, dicit hoc etiam fuisse possibile ex parte Sacramenti, quia alterius essentialiter potest esse aliud, & aliud signum: corpus autem strictè sumptum differt essentialiter ab anima & sanguine: ergo potest habere aliud signum ad placitum: & hoc confirmat à minori, quia potest habere, *inquit*, non idem signum naturale; sunt enim duo conceptus corporis & sanguinis essentialiter distincti, qui conceptus sunt signa rerum naturaliter ex 1. de interpretatione cap. 1. sanguis autem est essentialiter aliud à corpore, ut est primum perfectibile ab anima: ergo ejus potest esse non idem signum, quod est sanguis. *Ex his concludit* tenendum esse, quòd Christi corpus, ut est primum signatum speciei panis, non includit animam, nec accidentia, nec sanguinem.

Et tandem *dist.* 11. *q.* 3. *n.* 57. ita resolvit totam istam materiam. Quantùm ergo ad istud dubium, *inquit*, dico, quòd corpus Christi per se includit materiam, & ad minùs formam unam mixti priorem intellectivam, & per istam formam est in actu partiali, & est proximum receptivum animæ intellectivæ, licèt non sit per illam in genere corporis, ut corpus est genus, nisi per reductionem, & in istud compositum (quod tamen per se est pars hominis) fit per se conversio panis, quia fit conversio totius in totum, & partium in partes: & per consequens hæc forma est formalis terminus conversionis, sive forma termini conversionis; hæc autem manet eadem, sive anima uniatur illi; quia hæc est prior naturaliter, saltem in informando, ipsâ animâ; & in triduo mortis mansit illa forma, animâ non manente, & in eodem triduo fuisset eadem res hujus Sacramenti, si istud Sacramentum fuisset; quia in illo triduo forma corporeitatis non fuisset separata à materia sua in Christo, & per consequens nec separata à materia sua, ut in Eucharistia. Sicut enim idem numerô fuit res ista secundùm se in existentia naturali; ita etiam idem numerô compositum, quod est primus terminus conversionis, mansisset semper in Eucharistia. Nec valet pro ista identitate salvanda; fugere ad identitatem materiæ, vel hypostasis; quia contraria possunt inesse eidem identitati materiæ, quando succedunt sibi invicem: & si etiam Verbum assumpsisset lapidem, fuisset lapis idem materiæ suæ, identitate hypostasis. *Hæc Doctor subtilis.*

VIII.
Si conservata aut confecta fuisset Eucharistia in triduo mortis fuisset verum Christi corpus sine anima.

Ex his itaque constat, omnes corporis Christi partes, quæ de facto insunt ipsi corpori glorioso, reverà poni sub speciebus Eucharisticis; non autem illas, quæ aliquando in ipso corpore ante glorificationem extiterunt, & per activitatem caloris naturalis fuerunt consumptæ, sive ante, sive post ultimam cœnam. Cujus otique veritatis ratio est aperta; quoniam omnes & solæ partes, nunc verè sunt, & dicuntur partes Christi, quæ de facto ipsi inexistunt; non autem quæ fuerunt deperditæ, adeoque de illis solis Sacerdos consecrans in persona Christi verè affirmat: *Hoc est corpus meum.*

IX.
Non omnis sanguis quem habuit Christus ponitur sub speciebus.

Idem à simili dicendum est *de sanguine*, qui vi verborum sub specie vini ponitur; etenim sanguis, qui remansit, vel in Resurrectione fuit receptus intra venas corporis Christi, si reverà sanguis, non ponitur vi verborum, nec per concomitantiam sub speciebus vini; quippe cùm non sit pars corporis & sanguinis Christi gloriosi.

PETES: *An totus sanguis sit vi verborum sub specie vini; an verò solus ille, qui fuit in Passione effusus. Quod utique significasse videtur Christus; dixit enim Discipulis porrigendo calicem sanguinis, Matth.* 26. Qui pro vobis & pro multis effundetur?

Respondeo, totum sanguinem, qui nunc est in Christi corpore glorioso reverà poni sub speciebus vini vi verborum consecrationis calicis; quamvis fortè totus non fuerit in Passione fusus, maximè ille, qui in minutissimis venis, & extra venas per omnes arterias diffusus erat; nec obstant verba præfata, *qui pro vobis effundetur;* non enim limitant præcedentia ad significandum solum sanguinem, qui fuit in Passione fusus, sed ad expendendum primarium finem hujus Sacramenti; qui est repræsentatio Passionis Christi.

Nec solus qui in Passione fusus fuit.

Quemadmodum si Christus convertisset aquam in vinum, his verbis: *Hoc est vinum, quod à vobis potabitur;* posteriora verba non limitassent priora ad convertendam solam aquam in vinum, quod fuisset ab illis potatum, sed duntaxat ad ostendendum finem miraculi, licèt non totum vinum fuisset ab iis bibendum. Cujus utique responsionis ratio est obvia; nam in cœna fuit aliqua pars sanguinis Sacramentaliter præsens sub speciebus vini, qui tamen non fuit in Passione effusus, nempe ille, qui ante passionem per calorem naturalem, fuit vel assumptus, vel consumptus, vel in carnem mutatus: igitur ad verificanda verba consecrationis calicis, non est necesse, quòd totus sanguis fuerit in Passione effusus.

Sed omnis quem nunc habet.

CONCLUSIO SECUNDA.

X.
Corpus per concomitantiâ ponitur sub specie vini, & sanguis sub specie panis.

V*I naturalis concomitantia sanguis existit sub specie panis, & corpus sub specie vini: sub utraque autem anima rationalis Christi: unio quoque hypostatica & illâ mediante Divinitas, ac proinde tota sanctissima Trinitas.* Hanc assertionem tam expressis verbis tradidit Tridentinum, sess. 13. cap. 3. ut absque ingenti temeritate, magnoque errore non possit negari; ait enim: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie, unà cum ipsius anima, & Divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi D.... inter se copulantur. Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem.*

Idipsum præclarè docet Catechismus Roman. *parte* 2. *cap.* 4. ubi loquens de iis, quæ ponuntur sub speciebus Eucharisticis, dicit non omnia eâdem ratione, aut virtute in hoc Sacramento contineri. Quædam enim sunt, *inquit*, quæ ex vi, & efficientia consecrationis in Sacramento esse dicimus: nam cùm verba illa efficiant quidquid significant, id esse in Sacramento ex vi Sacramenti divinarum rerum Scriptores appellârunt, quod verborum formâ exprimitur: ita si contingeret ut aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum es-

» set, id solùm, quod forma significaret, io Sacramento esse, cætera non item esse docuerunt, quædam verò io Sacramento continentur, quòd illis rebus conjuncta sint, quæ forma exprimuntur; nam cùm forma, quæ ad panem coosecrandum adhibetur, corpus Domini significet: cùm dicitur: *Hoc est corpus meum*, ipsum Christi D. corpus ex vi Sacramenti in Eocharistia erit.

XI. Nec contrarium docet Doctor.

Qoòd aotem reverà corpus per concomitantiam ponatur sub speciebus vini, & sanguis itidem sub speciebus panis, ratio apertè demonstrat: quia Christi corpus pooitur nunc in Sacramento illud idem, quod est in cœlo, scilicet vivum & animatum: tale autem esse nequit sine sanguine, nec sanguis potest esse incorruptus absque novo miraculo, si existeret extra corpus: igitur necessum est quòd corpus per concomitantiam pooatur sub specie vini, & sanguis sob specie panis.

Quoniam autem Doctor ab aliquibus, maximè Suare 3. p. disp. 51. arguitur, qoasi dixerit sanguinem contineri sob specie panis vi verborum, audiendus est ipse Doctor dist. 8. quæst. 1. num. 4. obi *scribit*: Dico, quòd corpus Christi potest accipi strictè, prout includit partes animatas animâ Christi, cujusmodi non est sanguis, licèt sit in potentia proaima, ut convertatur in carnem animatam; & sic corpus est aliud essentialiter a sanguine, & in se etiam potest esse aliud signatum, & per coosequens potest esse hujus proprium signom, sicut est & propria definitio. Aliô modô corpus potest accipi, ut omnia illa includit, quæ pertinent ad totum corpus organicum; sive sint partes animatæ, sive sint alia non formaliter animata, ut sunt humores & spiritus, & hôc modô sanguis est aliquid corporis, *ita Doctor. Dist.* autem 10. qu. 4. nu. 13. respondens ad secundum argumentum, in quo inferebatur, quòd frustrà sanguis poneretur sub specie vini vi verborum consecrationis, cùm jam sit sub specie panis simul cum corpore, *scribit*: Si tenetur, quòd corpus, quod est primom signatum speciei panis, non continet per se sangoinem tanquam aliquid ejus, juxta illud, quod dictum est *suprà*. declarando suppositum, tunc facilis est responsio: quia tantummodò est sanguis concomitanter sub specie panis, & tunc non est ibi bis ex vi Sacramenti, nec tamen frustrà est concomitanter sub specie panis, cùm sit sub specie vini ex vi Sacramenti, quia hoc est ad salvandum veritatem rei contentæ, quæ, ubicuoque ponatur, semper habet eadem absoluta. Nec sequitur, quòd incipit esse hîc, postquam fuit hîc, loqoendo de eodem modo essendi: præfuit enim hîc concomitanter, & incipit hîc esse ex vi consecratioois. Si autem teneatur, quòd sanguis est per se pars corporis, ut corpus est primum signatum speciei panis, tunc oportet dicere, quòd bis est hîc sanguis ex vi Sacramenti Sed adhuc non eôdem modô: quia sub specie vini est per se, & primò, quia primum signatom ejus. Sub specie verò panis est per se, sed non primò, imò aliquid primi signati. Nec tunc est frustrà, quia per se est sub specie panis, ut salvetur veritas rei contentæ primò. Nec iocipit esse postquam est, eôdem modô essendi: sed incipit esse primò, postquam non fuit primò, licèt per se habuerit ibi esse. *Hæc Doctor*, quibus verbis minimè iotendit affirmare, quòd sanguis existat sub speciebus panis vi verborum, ut prætendit Suarez, sed tantùm quòd in ea hypothesi; quâ quis vellet, sanguinem esse partem corporis, necessum esset, quòd sanguis poneretur vi verborum sub speciebus panis, sicut & ipsum corpus: cum hoc tamen discrimine, quòd corpus primariò, & tanquam præcipuum, connotatum & significatum poneretur, sanguis autem tanquam ipsius corporis pars, & solùm virtualiter significata cum toto corpore.

XII. Sic etiam ponitur personalitas verbi & unio hypostatica.

Quod pariter per concomitaotiam sub utraque specie ponatur unio hypostatica, & personalitas Verbi, non solùm patet ex Concilio Tridentino suprà laudato, sed etiam ex epist. Concilii Ephesini ad Nestorium, & refertur de consecr. dist. 2. cap. 80. obi legimus: *Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati, & Verbo conjuncti secundùm dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed veri vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam.* Quibus *Aversa* quæst. 4. in hoc Sacramento sect. 1. oititur probare unionem hypostaticam adesse corpori & sanguini non solùm per coocomitantiam, sed etiam per se, directè, & vi verborum; quod confirmare nititur ex eo, quòd in forma consecrationis Christus non dixerit simpliciter *corpus* & *sanguis*, sed, *corpus meum*, & *meus*: Nam, *inquit*, sub ly *meum* & *meus* videtur rectè comprehendi ipsa unio hypostatica personæ Verbi com humanitate.

Cujus contrarium docuit Aversa.

Verùm, hæc fundamenta levia sunt: *Primò* oamque, verissima subsistit doctrina Coocilii Ephesini, quamvis unio hypostatica & personalitas Verbi ponantur duntaxat per concomitantiam sub speciebus; sic enim caro Christi verè erit vivificatrix, & ipsius Verbi propria: oeque id etiam potest colligi ex vi pronominis *meum*, vel, *meus*; quia si vi istius pronomiois *meum*, per se ponitur unio hypostatica, etiam per se ibi exister, ac ponetur personalitas Verbi, ad quam dicit intrinsecum & essentialem ordinem, & consequenter ibi etiam per se, & vi verborum aderit Divinitas, quod est cootra Concilium Trident. Meritò ergo noster *Bosco* colligit eum Cardinali *de Lugo* disp. 8. n. 119. sufficere ad veritatem pronominis *meum*, qoòd absolutè illud corpus terminetur personalitate Verbi, licèt non ibi: quippe ly *meum*, ex communi hominum usu, noo sumitur reduplicativè; itaut significet ibi esse rationem formalem, quâ coostituitur in esse *mei*: sed specificativè significando, illod corpus esse, quod absolutè est meum. Ex quo fit, ot licèt per possibile, vel impossibile corpus illud in Eucharistia haberet propriam subsistentiam creatam, & non divinam, posset tamen Verbum de illo dicere, ibi esse corpus suum; quia ad hoc satis esset, quòd in cœlo subsisteret subsistentiâ Verbi.

Sed levioti fundamento.

XIII. Quomodo pronomen possessivum *meum* usurpetur in forma Eucharistiæ.

Confirmatur; quia aliàs etiam unio cum natura humana deberet poni ex vi verborum, cùm ly *meum* sigoificet corpus, & partem naturæ ioquentis; per coosequens, ut statim insinnavimus, etiam debet poni ex vi verborum anima rationalis. Adde, licèt illud corpus nullibi de facto uniretur vel Verbo, vel naturæ humanæ, sufficeret unio præterita, ut anima Christi posset dicere, illud esse corpus suum: sicut anima S. Petri posset dicere de suo cadavere, illud esse corpus suum, nam juxta communem modum intelligendi, ly *meum* solùm significat illud corpus pertinuisse ad oaturam loquentis, quando oltimò corpus habuit. Et ita de facto in triduo mortis

Christi, corpus nusquam gentium pertinebat ad naturam humanam, utpote separatum ab anima; & tamen consecrans vere pronnotiasset: *Hoc est corpus meum*, scilicet, quòd aliquando, & ultimò pertinuit ad humanam naturam Christi.

XIV. Unio etiam præterita sufficere potest ut anima Christi posset dicere, *Hoc est corpus meum.*

Plus dico, lacrymæ, & similia absolutè dicuntur Christi, etsi nunquam fuerint personalitati divinæ hypostaticè unita. Unde sicut unio hypostatica non poneretur vi verborum (imò nec per concomitantiam) si conversio fieret in lacrymas Christi per hæc verba: *Hæ sunt lacrymæ meæ*; sic neque ponitur, dum fit in corpus aut sanguinem istis verbis: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Licèt ergo pronomen *meum*, aut *meus* connotet naturam humanam, & personalitatem Verbi, ejusque hypostaticam unionem, non tamen per se, & directè significat, imò neque connotat, ut ibi existentia, sed solùm significat: Hoc est corpus (eadem est ratio sanguinis) quod ad me, qui loquor, spectat, vel aliquando spectavit. Hucusque Bosco.

Dices: Si Christus D. dixisset; *Hoc est corpus meum organisatum*, organisatio ex vi verborum deberet esse præsens: ergo à simili, quando dixit, *Hoc est corpus meum*, ex vi verborum debet esse præsens unio hypostatica, per quam constituitur corpus in ratione corporis *mei*, id est, in ratione corporis Christi.

XV. Organizatio est forma intrinseca.

Nego consequentiam: & ratio disparitatis est, quòd organizatio sit forma intrinseca; ratio autem possessionis seu *mei*, sit quid extrinsecum ad rationem corporis præsentis; siquidem possum dicere de re etiam absente, quòd reverà est res mea; putà liber meus, vestis mea; unde homines dicentes, *Hoc est corpus meum*, præcisè non intelligunt rationem *mei* esse formaliter constitutivam corporis in ratione præsentis, sed solùm specificativè; quasi dicerent, hîc esse corpus, quod est meum. Aliud autem est de denominatione organizati, quia sicut hæc significat formam intrinsecam, sic etiam connotat formam præsentem ibi, ubi dicitur corpus organizatum. Cujus utique alia ratio non suppetit, quam communis usus loquendi hominum.

XVI. Divinitas adest per concomitantiam.

Tamen per concomitantiam huic divino Sacramento adest Divinitas; ac subinde tota adoranda personarum Trinitas, ut apertè docet S. Thomas opusc. 63. cap. x. part. 3. *Deus Pater*, inquit, *in Eucharistia totum, quod ipse est, & habet cum Spiritu sancto, in summo dedit.* Et infrà: *Quòcunque tempore, quòcunque loco, à quocunque Sacerdote bono vel malo, salutare illud sacrificium in forma Ecclesiæ oblatum fuerit, totus Deus Pater cum Filio, & Spiritusancto, se totum singulis animabus ad fruendum exhibet.* Idem præclarè exprimit Lanspergius tract. de Eucharistia, qui habetur cum pharetra divini amoris, ubi Christum D. ad animam sic loquentem inducit: *Cùmque non habeam corpus exangue, neque inanimatum, necesse est etiam, concomitanter in eodem corpore esse animam, sanguinem, gratias & virtutes meas: quibus omnibus Verbum cùm sit unitum, hoc est, persona una Trinitatis, à qua reliquæ duæ personæ sunt indivisæ, sequitur totam Trinitatem huic Sacramento inesse, non minùs verè, quàm in cœlo, licèt alienâ specie, putà Sacramentali velatam.*

XVII. Ac etiam SS. Trinitas.

Quærunt autem nonnulli Recentiores Theologi, utrum ratione hujus concomitantiæ, possimus asserere, quòd tres divinæ personæ in hoc Sacramento manducentur. *Respondet* Lugo *num.* 126. illam locutionem esse impropriam: Quia, *inquit*, manducari, importat motum localem, quô ab ore in stomachum trajicitur cibus; quod utique convenire non potest Patri & Spirituisancto; Verbo autem tribuitur propter communicationem idiomatum, quam habet cum humanitate, quæ manducatur.

Quæ usus rectè dici possit suscipi, ambigitur.

Vasquez autem disp. 185. num. 18. dixit, non esse inconveniens, quòd tres personæ divinæ in Eucharistia suscipiantur, sicut & ipsa Divinitas; quippe cùm ipsi Sacramento, non solùm ratione immensitatis, sed etiam ratione consecrationis, propter naturalem earum cum Verbo connexionem, adsint. *Nec obstat*, quòd nulla sit cõmunicatio idiomatum inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum ex una parte, & inter corpus & sanguinem Christi, ex altera. Sicut enim ad manducationem specierum panis, dicitur manducari corpus, & ad potationem specierum vini, corpus dicitur potari, etiamsi nulla sit inter sanguinem & corpus idiomatum communicatio: sic non obstante defectu communicationis idiomatum inter Patrem ac Spiritum sanctum, & inter corpus & sanguinem, non minùs dicentur suscipi in Eucharistia. Neque enim ad id necessariò requiritur idiomatum communicatio, sed sufficit, quòd eô ipsô, quô aliquid sumitur, pariter etiam sumatur quidquid est cum ipso peculiari modô connexum & conjunctum. Quidquid sit, mihi videtur esse quæstio de nomine, in qua neuter loquendi modus censurâ dignus apparet.

Quâ ratione tres personæ divinæ sint præsentes Eucharistiæ.

Si autem requiras, quâ ratione Pater & Spiritus sanctus censeantur peculiariter præsentes in Eucharistia? *Respondebo*, hunc specialem existendi modum ex eo censeri, quòd si per impossibile non essent ubique præsentes, præsentes fierent sub speciebus consecratis propter præsentiam humanitatis unitæ Verbo, cum quo naturalem habent connexionem, ratione unius & ejusdem dignitatis. Hinc Ecclesia in Hymno ad Laudes Feriæ secundæ piè canit: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

CONCLUSIO TERTIA.

XVIII. Totus Christus est sub qualibet parte hostiæ post divisionem.

Totum Christi D. corpus est in singulis partibus specierum consecratarum, non solùm post, sed etiam ante divisionem. Primam partem hujus assertionis expressè docuit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi loquens de Eucharistia, ait: *Sub qualibet parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione factâ, totus est Christus.* Idipsum pariter expressè definivit sacrum Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 14. *Si quis negaverit in venerabili Eucharistiæ Sacramento sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri, anathema sit.* Colligitur autem hæc veritas ex facto Christi, qui calicem consecratum *Lucæ* 22. dedit Discipulis, dicens: *Accipite, & dividite inter vos.* Ex quibus apparet, singulos Apostolos duntaxat particulam consecrati calicis sumpsisse: Nullus autem refragari potest, singulos accipientes partem calicis, Christum totum sumpsisse: igitur totus est sub qualibet particula hostiæ consecratæ.

Eandem veritatem docent SS. Patres, quos laudat & refert Gratianus dist. 2. imprimis verò S. Hilarius, ut refertur cap. 78. *Ubi pars*, inquit, *est corporis, ibi est & totum.* Quod utique probat à simili, exemplô Mannæ, dicens: Eadem ratio est

» in corpore Domini, quæ in manna, quod in ejus » figura præcessit, de quo dicitur, qui plus colle- » gerat non habuit amplius, neque qui minùs pa- » raverat, invenit minus; non est enim omnino » quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, » sed virtus Sacramenti spiritalis. Cui concinit Eu- » sebius Emissenus homil. 5. de Paschate: Eucha- » ristiæ sanctæ perceptio, *inquit*, non in quantitate, » sed in virtute consistit; nam corpus Sacerdote » dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse » constat in toto. Subscribit etiam S. Augustinus, ut refertur eâdem dist. cap. 75. dicens: *Manducetur Christus, vivit mandacatus, quia surrexit occisus: nec quando manducamus, partem de illo facimus, & quidem in hoc Sacramento sic fit: & nôrunt fideles, quemadmodum manducent carnem Christi, unusquisque accipit partem suam: unde & ipsa gratia, partes vocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus.*

Hæc omnia confirmat Ecclesia in Prosa decantari solita die sacrô corporis Christi, dicens: *Fractô demum Sacramentô, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum totô tegitur... Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, quâ nec status, nec statura signati minuitur.*

Et etiam ante divisionem.

Probatur etiam secunda pars, nempe quòd Christi D. corpus sit sub singulis partibus specierum consecratarum, etiam ante divisionem. Probatur, *inquam*, non solùm ex communi sententia Theologorum, sed etiam ratione Theologicâ, quam ex Alensi, & S. Bonaventura ad sex capita reducit *Maurissius* cap. 5. sect. 6. quarum *prima* desumitur ex *utilitate fidei*, nec-non & *vitatione erroris*; si enim totum Christi corpus contineretur sub tota specie, & non sub qualibet illius parte, facilè quis induci posset, ut crederet partem contineri sub parte, sicut totum sub toto, & inde fieret errandi occasio, scilicet existimandi, corpus Christi esse commensurabile hostiæ, per correspondentiam partium unius, ad partes alterius. *Secunda* sumitur ex *fractione* & *divisione*. Fractâ enim hostiâ, Christus est totus sub singulis partibus: sed constat, quòd non est ibi, nisi virtute consecrationis: igitur cùm consecrata sit hostia ante fractionem; nec fractio aliquô modô pertineat ad consecrationem, relinquitur quòd ante fractionem, sicut & post, erat totus Christus sub singulis partibus specierum. Unde Innocentius Tertius: *Reor salvâ fide Majestatis, quòd ubi est panis consecratus, totum in singulis partibus continetur; quod inde cognoscitur, quoniam in quotcunque partes species dividantur, in singulis est totus Christus.*

Tertia sumitur *ex conversione*; Christi corpus ponitur in Sacramento per transsubstantiationem panis in ipsum. Sed quælibet pars panis est pânis, quia est totum homogeneum; ergo quælibet pars panis convertitur in totum corpus: unde Innocentius. *Ego sanè concesserim, quòd totalis panis in totale corpus convertitur; ita tamen quòd nulla pars panis in aliquam partem corporis transit.*

Quarta sumitur ex *significatione* & veritate Sacramenti: Christus continetur in Sacramento, ut signatum in signo: sed ratio significandi est uniformiter in partibus, & in toto: ergo ad veritatem Sacramenti spectat, quòd Christi corpus uniformiter sit in partibus, & in toto.

Quinta: Designetur aliqua pars hostiæ; aut ibi est totum corpus, aut pars; si totum, habetur propositum; si pars, tunc dividatur, aut est pars; aut est totum; si pars, ergo Christus est divisus quod dici nequit; si totum, & prius non erat; ergo plus continet hæc pars hostiæ, quàm priùs; ergo de necessitate est aliquid ibi conversum in partes, quod priùs non fuerat quod est absurdum.

Sexta: Christi corpus sub Sacramento sublimatur ad excellentiorem modum essendi, quam spiritus; spiritus enim tantùm est in uno loco; corpus autem Christi fit præsens pluribus: ergo si spiritus ita est in toto, quòd etiam sit in qualibet parte, multò magis ita erit corpus Christi.

Dices primò: Explicari non potest modus, quô Christi corpus esset totum in tota, & totum in qualibet parte hostiæ consecratæ: igitur ille non est asserendus.

XIX. Hæc præsencia est ad modum præsentiæ Angeli.

Nego antecedens: Modus enim ille explicari potest per eum, quô anima est in corpore, vel Angelus in loco; quemadmodum enim anima ita tota est in toto corpore, ut etiam tota sit sub singulis ejusdem corporis partibus, nec minor in minimis partibus, quàm in toto; sic Christi D. corpus ita dici potest totum in tota hostia consecrata, ut etiam totum sit sub qualibet etiam minima illius parte; nam, ut canit Ecclesia, *Tantum manet sub fragmento, quantum totô tegitur.*

Instabis: Si totum Christi corpus esset actu sub singulis partibus hostiæ nondum divisis, sequeretur, quòd esset actu pluries, imò & infinities sub qualibet hostia consecrata per plures & infinitas actu præsentias totales; sed consequens est impossibile; non enim dari potest infinitum actu: ergo & antecedens. Patet sequela majoris, nam in qualibet hostia, sunt plures actu, imò & infinitæ partes proportionales: igitur si sub qualibet earum partium sit actu totum Christi corpus, sequitur, quòd sit pluries, imò & infinities totum in Eucharistia.

XX. Nec propterea sunt infinitæ præsentiæ.

Nego sequelam majoris, & ejus probationem distinguo: In qualibet hostia sunt plures, imò & infinitæ partes proportionales, quarum quælibet propriam præsentiam habeat, & sic numerum infinitum actu cum aliis efficiat, nego: Sunt infinitæ partes proportionales, unicâ duntaxat existentiâ actuali existentes, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quamvis enim anima sit tota in qualibet parte corporis, quæ in infinitum esset divisibilis; nihilominus non habet infinitas præsentias, sed duntaxat unicam; quia omnes illæ partes habent duntaxat existentias partiales, concurrentes ad unicam totalem corporis existentiam constituendam; ita proportione servatâ dicendum est de Christi D. corpore, respectivè ad partes hostiæ consecratæ.

Dices secundò: Nullibi ponitur corpus Christi, nisi ex intentione consecrantis: sed intentio consecrantis non dirigitur ad ejusmodi singulas partes hostiæ, sed duntaxat ad totam hostiam: igitur Christi D. corpus non ponitur sub hujusmodi partibus.

Distinguo minorem: Non dirigitur explicitè, concedo: implicitè, nego: Intentio enim consecrantis dirigitur quidem explicitè & directè ad totam hostiam, quæ cùm componatur, & constituatur ex partibus, consequens est quòd saltem implicitè intendat constituere sub illis Christi D. corpus.

QUÆRES 1. *Vtrum Christi D. corpus, non solùm sit sub partibus divisibilibus specierum, sed etiam sub indivisibilibus, seu punctis eas unientibus & terminantibus?*

XXI. Vtrum Christi corpus sit sub indivisibili, est incertū.

Respondeo, Doctorem videri negativam partem tueri dist. 10. q. 9. n. 3. ubi ait: *Corpus Christi non est præsens speciei alicui ad minùs, nisi minimo sensibili; quia nulli indivisibili est præsens.* Unde hanc sententiam tanquam genuinam Doctoris mentem, docet Hiquæus in Commentario ad illa verba n. 12. & inter ejus assertores numerat Albertum in 4. dist. 13. art. 10. Richardum dist. 10. art. 6. Ægidium Theoremate 11. Vasques disp. 189. cap. 4.

Verùm satiùs dicendum arbitror cum cæteris Scotistis, Doctorem Subtilem non recedere à communiori Theologorum sententia; nam tâdem dist. 10. q. 5. n. 5. comparat præsentiam corporis Christi in Eucharistia cum præsentia Angeli, dicens: *Nec illud* corpus, *est magis præsens hîc alicui corpori in ratione passi, quàm si Angelus esset hîc.* Angelum autem posse existere in puncto, docet problematicè 2. dist. 2. q. 6. n. 13. *Si tamen*, inquit, *posset* (Angelus) *esse in puncto, vel non, videtur ratio necessaria nec ad unam partem, nec ad aliam: quia licèt Angelus sit indivisibilis, non habet tamen indivisibilitatem limitatam, sicut punctus, & ideo non oportet ipsum esse in puncto, sicut in loco. Nec fortè repugnat sibi esse in puncto, sicut in loco; quia nullum inconveniens videtur ex hoc inferri: quia si ex esse in puncto, sicut in loco, hoc inferatur, quòd non possit moveri localiter, nisi spatium constares punctis, non sequitur, posset enim immediatè ex loco punctuali ferre se in continuum, cujus continui punctus est terminus.* Itaque hôc locô citatô ex lib. 4. dist. 10. q. 9. n. 3. videtur solùm argumentari ad hominem contra illos, qui admittebant corpus Domini esse præsens minimo sensibili, & tamen dicebant illud non esse naturaliter visibile, etiam oculo glorioso; quia non potest esse contactus physicus inter oculum, & corpus Christi, eò quòd illud in Sacramento non respiciat species ratione quantitatis: quam rationem rejicit, quia minimum sensibile potest percipi à sensu perfectissimo. Ex quibus liquet Doctorem hac in sententia nihil expressè definire; ac subinde liberum esse ipsius Discipulis utramlibet partem tueri.

XXII. Tamen sententia affirmans videtur probabilior.

Itaque ad quæsitum *respondeo*, mihi probabilius videri, corpus Christi reverà existere sub quolibet indivisibili: *Primò*, quia vi consecrationis ponitur sub speciebus, sub quibus ante consecrationem præerat substantia panis & vini: sed utriusque substantia, aut saltem aliquid ipsius præerat sub indivisibilibus: ergo cùm alicubi non possit existere aliquid corporis Christi, quin simul totum existat; quia est incorruptibile, & impartibile; consequens est, quòd totum debeat esse etiam sub illis indivisibilibus. Major patet ex dictis. Minor verò probatur: Quodlibet indivisibile quantitatis est accidens, & subinde requirit aliquod subjectum, cui inhæreat: igitur aliquid substantiæ panis correspondere debebat ipsis indivisibilibus, antequam fieret consecratio.

Deinde, vel singulis indivisibilibus hostiæ consecratæ antequam fieret consecratio, correspondebat aliquid è substantia panis, vel nihil: si nihil, igitur substantia panis erat sub sua quantitate discontinua, & divisa; & consequenter substantia corporis Christi pani succedens erit similiter sub quantitate panis discontinuata, & divisa, quod est absurdum; cùm enim Christi D. corpus sit sub speciebus simili modô, quô Angelus est in loco; quemadmodum Angelus intelligi non potest esse in loco continuè, nisi existat in indivisibilibus copulantibus partes loci, in quibus existit; etiam Christi D. corpus non potest intelligi existere continuè sub speciebus, nisi pariter existat sub indivisibilibus. Si verò aliquid de substantia panis ante consecrationem correspondebat indivisibilibus quantitatis eam afficientis; consequens est, quòd sub eisdem indivisibilibus existere debeat totum Christi D. corpus, quippe cùm occupet omnes partes specierum consecratatum, sub quibus præerat substantia panis & vini.

Dices primò: Corpus Christi, ex statim dictis, existit duntaxat sub iis, sub quibus præerat substantia panis & vini: sed hæc non præerat sub indivisibilibus: cùm enim sit corporea, trinam dimensionem exigit, sub qua existat.

XXIII. Licèt fortè substantia panis per se sub illis indivisibilibus non existeret per se primò.

Distinguo majorem: Corpus Christi est ubi præfuit substantia panis eôdem modô, quô illa præfuit, nego: modô diversô, concedo.

Ad minorem dico, quòd cùm substantia panis & vini sit corporea; ac subinde habeat partes entitativas, quæ sunt entitativè divisibiles, & naturaliter exigunt trinam dimensionem; inde fit, quòd illa non possit esse primò & per se sub istis indivisibilibus secundùm se spectatis: sed præfuit sub illis prout continentur in partibus; quippe cùm non possit esse continuè sub ejusmodi partibus, nisi pariter existat sub indivisibilibus unientibus & continuantibus partes quantitatis: secus autem est de corpore Christi D. quod licèt divisibile sit secundùm entitatem; quia tamen existit sub speciebus consecratis modô indivisibili; inde fit, quòd etiam per se capax sit existendi sub indivisibilibus specierum consecratarum.

Dices secundò: Si corpus Christi sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ reverà existeret, sequeretur quòd factâ divisione hostiæ consecratæ, Christus incipiat esse sub aliquibus indivisibilibus, sub quibus antea non erat, idque absque nova consecratione, quod est absurdum. Patet sequela; dum enim hostia consecrata dividitur in duas partes, ex illa divisione consurgunt puncta, linea & superficies de novo illas duas medietates hostiæ terminantes: igitur si totus Christus existat sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ, factâ illius divisione erit de novo, ubi antea non erat absque nova consecratione.

XXIV. Vtrum per divisionem hostiæ nova indivisibilia producantur, incertū est.

Respondeo primò, negari posse sequelam majoris; dici namque potest, quòd per divisionem hostiæ non producantur nova indivisibilia, sed ea solùm, quæ ante fractionem hostiæ actu continebant partes illius, & eas terminabant solùm in potentia, per fractionem fiunt actu terminantia partes, quæ sunt actu divisæ, cùm antea tantùm essent potentiâ divisæ, seu tantùm divisibiles. Unde cùm Christi D. corpus ex vi prioris consecrationis jam esset sub omnibus indivisibilibus, quæ partes hostiæ continuabant, non sequitur, quòd per divisionem incipiat esse de novo, ubi antea non erat: sed tantùm quòd existat novô modô; ita quòd cùm ante divisionem hostiæ consecratæ, esset in indivisibilibus, ut continuantibus partes illius, per divisionem autem existat in eis-

dem indivisibilibus, ut terminantibus partes, quæ ex hac divisione resultant.

Dico secundò, quòd quemadmodum Christi D. corpus per divisionem hostiæ incipit fieri præsens diversis & distinctis *ubi*, si partes illæ diversis in locis collocentur, idque absque nova consecratione, sic pariter per hostiæ divisionem posset fieri præsens quibusdam extremis, quibus antea præsens non erat, idque vi præcedentis consecrationis, quæ efficit, ut quomodocumque se habeat hostia consecrata, scilicet vel fracta, vel integra, vel quiescens, vel mota, semper sub illa existat corpus Christi.

QUÆRES 2. *Utrum Christi D. corpus in Eucharistiæ Sacramento habeat suam quantitatem.*

Affirmo cum Subtili Doctore in 4. dist. 10. q. 1. n. 52. & communiori sententia Theologorum; cujus utique assertionis ratio est, quòd Christi D. corpus existens in Eucharistia sit animatum; ac subinde perfectâ organizatione, ac membrorum dispositione constans: hæc autem organorum, & membrorum figuratio & dispositio necessaria est ad animationem: *Si enim*, inquit Doctor, *non distet caput à pede, sed totum subintret totum usque ad minimam partem naturalem, jam non habebit ordinem partium in loco necessariam ad corpus animatum, nec figuram: anima enim est actus corporis organizati potestate vitam habentis*, lib. 2. de Anima cap. 1. Hæc enim figuratio & organizatio tota non potest esse à forma corporeitatis, quæ tantùm confert distinctionem partium substantialium: igitur debet esse à quantitate, virtute cujus corpus illud habeat partes organizatas, distinctas & ordinatas tum in toto, tum inter se: unde sequitur, quòd corpus Christi non possit esse in Eucharistia ad modum substantiæ, sine ulla ordinatione partium: igitur necessum est, quòd Christi D. corpus habeat eandem quantitatem, quam habet in cœlo existens.

XXIV. Christus habet suam quantitatem in Eucharistia.

Confirmatur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. ubi ex vi naturalis connexionis inter corpus vivum Christi, & animam, & sanguinem, asserit hæc esse sub specie panis realiter: sed in teipsa major est connexio corporis ad quantitatem, & cæteras dispositiones naturales, & accidentales, quàm sit connexio ejus ad sanguinem, & animam, quantùm ad inseparabilitatem (quidquid sit de compositione per se, & substantiali quam corpus & anima, & sanguis efficiunt, quia separari possunt à corpore manente quantitate, & reliquis qualitatibus, ut separata fuerunt in morte, & manserunt in triduo; anima autem è contra nequit inesse sine quantitate, in corpore modò naturali: ergo ex vi connexionis naturalis, magis sequitur, quantitatem, & qualitatem inesse corpori Christi in Eucharistia, quàm animam & sanguinem.

Dices: Quantitas non potest esse sine extensione partium; siquidem ratio formalis illius est extensio & indivisibilitas: sed corpus Christi in Eucharistia est sine omni extensione, & divisibilitate; nam, ut statim dicebamus, ibi existit ad modum substantiarum spiritualium, & potest esse sub indivisibilibus specierum: igitur nullam habet quantitatem.

XXV. Idque in ordine ad se, non autem in ordine ad locū.

Respondeo, duplicem distingui debere extensionem in quantitate, ut diximus in tertio notabili; alteram in ordine *ad se*, alteram in ordine *ad locum*: Prior consistit in extensione & ordinatione partium inter se; itaut una immediatè uni continuetur & conjungatur; & illâ mediante aliis, sic per eam extensionem caput immediatè continuatur collo, & eô mediante corpori, cæterisque corporis partibus: Posterior verò consistit in situatione & extensione partium in ordine ad spatium; itaut una pars corporis correspondeat uni, & altera alteri parti loci & spatii. Prior, ut diximus in Physicis, est de essentia quantitatis, & ab ea inseparabilis. Posterior verò est accidentalis & separabilis. Unde hæc separari potest à quantitate corporis Christi, manente priori. Non enim minùs est de ratione quantitatis reddere subjectum impenetrabile cum alio corpore, quàm locô extensum: sed quantitas corporis Christi potuit privari suâ impenetrabilitate, ut patet ex eo quòd prodierit ex utero Virginis absque omni reseratione virginalis secreti, & exierit ex sepulchro, inmotô lapide & sigillô: similiter ingressum fuerit ad Discipulos januis clausis: igitur potitatione corpus quantum poterit spoliari suâ commensuratione, & extensione in ordine ad spatium. Cætera quæ solent objici, jam plenissimè dissolvimus, tum in Logicis, cùm in Physicis, ubi demonstravimus, essentiam quantitatis consistere formaliter in extensione partium in ordine ad se.

Adde, *quòd* non sit in hoc mysterio ratiocinandum, quemadmodum in cæteris rebus naturalibus: Nam, ut loquitur Innocentius III. lib. 4. de hoc mysterio cap. 9. *In hoc Sacramento credere jubemur, discutere prohibemur.* Unde Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. præclarè asserit, *corpus Christi esse Sacramentaliter præsens, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cognitione per fidem illustratâ, assequi possumus.*

Nec obstat, quod S. Augustinus *epist.* 150. ad Dardanum scribat: *Tolle spatia corporibus, & nusquam erunt, neque erunt.* Hæc enim dixit de rebus existentibus in loco naturaliter, non verò per comparationem ad omnipotentiam divinam; fatentur enim omnes SS. Patres, Deum posse quodlibet corpus cujusvis magnitudinis in quovis minimo loco constituere, ut præcipuè docent S. Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, &c. explicantes hunc locum Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acûs transire*, &c. Nam, ut præclarè ait S. Gregorius Nazianzenus orat. 36. *Quid prohibet, quominùs hæc fiant, si Dei voluntas ita tulerit?*

QUÆRES 3. *Utrum Christi D. corpus sit unitum speciebus Eucharisticis?*

Respondet Doctor dist. 10. q. 6. n. 4. corpus Christi non esse unitum speciebus aliquâ unione naturali, qualis est unio materiæ cum forma, actûs cum potentia, & partis cum toto; sed tantùm per actum voluntatis divinæ; quia Deus eâ voluntate, quâ instituit Eucharistiam, determinavit, ut corpus Christi fieret præsens sub speciebus post consecrationem, & tandiu illud subsisteret, quandiu species illæ incorruptæ perseverarent; ac subinde tota hæc unio duntaxat extrinseca est.

XXVI. Corpus non est unitum speciebus intrinsecè, sed tantùm extrinsecè.

Quod utique probatur: Si quæ enim esset unio intrinseca corporis Christi cum speciebus, illa esset vel accidentalis, vel substantialis, sed neutra est: non quidem substantialis; quia inter substantiam & accidentia non intercedit unio substantialis; porrò Christi corpus est substantia;

ſpecies verò ſunt accidentia : igitur , &c. Non etiam eſt accidentalis ; quia unita hîc ſe non afficiunt , ſicut in unione accidentaria ; neque enim corpus Chriſti eſt quantum quantitate ſpecierum, nec earum qualitate , potà colore , calore , frigore , aut ſapore afficitur : igitur , &c.

Dices : Corpus Chriſti ſuſtentat ſpecies ſacramentales ; ſiquidem idipſum præſtat quod præſtabat ſubſtantia panis circa ſpecies : ſed illa ſuſtentatio non fit niſi per conjunctionem , & unionem cum Chriſti corpore ; quemadmodum fiebat , cùm adeſſet ſubſtantia panis : igitur reverà ſpecies Chriſti corpori uniuntur.

Licèt ipſis ita ſit conjunctum ut eis pereuntibus illud pereat.

Nego minorem : Species enim illæ non per Chriſti corpus , ſed per divinam potentiam ſuſtentantur , nec aliud præſtat Chriſti D. corpus ſub ſpeciebus , quàm ut ibi ſit, ubi ſubſtantia panis priùs aderat , & ſub ipſis accidentibus deliteſcat. Nec obſtat , quòd ſpecies dicantur inſtrumentum conjunctum corpori Chriſti , & quòd ipſis corruptis corpus eſſe deſinat ; hæc enim facilè fieri poſſunt & intelligi per unionem extrinſecam , quâ divina voluntas voluit uti ſpeciebus ad conferendas uberes gratias , per collationem Chriſti corporis ; & tandiu duntaxat corpus conſervare præſens Sacramentaliter , quandiu ſpecies adeſſent incorruptæ.

Dices ſecundò. Sacramentum Euchariſtiæ conſtat ſignis & rebus : ergo inter illa reperitur vera conſtitutio , proinde compoſitio , ex qua quidpiam unum reſultet.

Reſpondeo , non ſatis inde colligi veram conſtitutionem , ſcilicet per unionem intrinſecam conſtituentium , ſed tantùm conſtitutionem moralem & Sacramentalem , ad quam ſufficit unio conſtituentium ex pacto , ex qua conſequenter reſultat unum quidpiam morale, & Sacramentale.

Dices tertiò : Ex unione extrinſeca non ſatis colligitur abſentia panis ; nam remanente ſubſtantiâ panis , poſſet Chriſtus fieri præſens in Sacramento : ſed deſtruitur ſubſtantia panis : ergo ex præſentia Chriſti debet colligi quædam perfectior unio, quàm ex ſolo beneplacito divino.

Reſpondeo , potuiſſe quidem Deum efficere Chriſtum præſentem in Sacramento , conſervando ſubſtantiam panis ; quia tamen aliter ſtatuit, voluit quoque , deſtruendo ſubſtantiam panis, Chriſti corpus unire remanentibus accidentibus, itaut quemadmodum deſitio panis procedit ex ſola divina voluntate ; ita quoque unio corporis cum accidentibus ex ea voluntate proveniat.

QUÆRIS 4. *Quid ſit formaliter præſentia Sacramentalis corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ?*

Præſentia formalis eſt aliquid reale.

Reſpondeo primò , eſſe aliquid reale ; cùm enim Chriſtus ſit realiter præſens ſpeciebus in Sacramento , fieri non poteſt ut illud per quod formaliter eſt præſens , non ſit aliquid reale. *Adde quòd* ratione hujus præſentiæ à nobis formaliter ſumatur, & eâdem ratione dicatur propinquum, vel diſtans ab aliis rebus , quibus comparatur. Similiter eſt aliquid intrinſecè afficiens , corpus Chriſti ; intelligi enim non poteſt , quomodo corpus Chriſti ſit reverà ſub ſpeciebus , cùm anteà non eſſet , niſi intelligatur nova præſentia in ſpeciebus ad corpus , & viciſſim in corpore ad ſpecies : Unde , inquit Doctor diſt. 10. q. 1. Si ſpecies habent novum reſpectum ad corpus Chriſti ; pari ratione corpus illud habebit novum reſpectum ad ſpecies : nam ſi ſpecies ſunt de novo præſentes corpori , etiam & corpus eſt de novo præſens ſpeciebus.

Non eſt aliquis modus ſubſtantialis.

Reſpondeo ſecundò , præſentiam illam formaliter non eſſe *modum aliquem ſubſtantialem* , ut vult Suarez 3. part. diſp. 47. ſect. 1. *Tum ,* quia modus ſubſtantialis adeſſe , vel abeſſe non poteſt , ſine reali ſubſtantiæ mutatione : ſed præſentia illa adeſt & abeſt ſine ſubſtantiali mutatione corporis Chriſti. *Tum ,* quia ſubſtantia non cenſetur perfectè completa ſine ſuo modo ſubſtantiali : ſed corpus Chriſti eſt omnimodè ſubſtantialiter completum ſine tali Sacramentali præſentia ; ac ſubinde illa non eſt formaliter aliquis modus ſubſtantialis.

Nec accidens abſolutum.

Non eſt etiam aliquod *accidens abſolutum : Tum ,* quia accidens abſolutum non advenit de novo alicui ſubjecto , ſine reali & phyſica illius immutatione : at corpus Chriſti cùm ſit glorioſum & impaſſibile , eſt incapax omnis mutationis realis & phyſicæ : *Tum ,* quia omnis illa nova præſentia Chriſti corporis ad ſpecies , eſt tantùm penes acquiſitionem novi *ubi* ; ita quòd corpus Chriſti ſub ſpeciebus habeat novum *ubi* ; quòd antea non habuerat : at ratio formalis *ubi* , non eſt aliquid abſolutum , ſed reſpectivum : igitur , &c.

Nec reſpectus intrinſecùs adveniens.

Non eſt etiam *reſpectus intrinſecùs* adveniens : ſiquidem ille reſpectus exurgit neceſſariò ex poſitis fundamento & termino ; non poſſunt enim eſſe duo alba , ſecundùm eoſdem gradus ; quin ſint omnino ſimilia : at præſentia corporis Chriſti ad ſpecies neceſſariò non exurgit ex poſitione utriuſque ; ſiquidem reverà poteſt eſſe , & de facto eſt corpus Chriſti in rerum natura abſque eo quòd ſit præſens ſub ſpeciebus etiam reverà exiſtentibus , ſi nempe panis ille , cujus ſunt ſpecies, non conſecretur.

Sed extrinſecus.

Reſtat igitur dicendum , quòd illa præſentia *Sacramentalis* ſit tantùm *reſpectus extrinſecùs* adveniens, ut optimè docet Doctor locô ſuprà laudatô *num.* 10. Oportet, *inquit,* ponere ad ſalvandam realem præſentiam corporis Chriſti hîc , quòd in ipſo ſit aliqua præſentia ad ſpeciem panis , quæ priùs non fuit ; alioquin non magis eſſet nunc præſens hîc , quàm priùs. Illa enim mutatio , quæ eſt circa ſpecies , ſcilicet quòd priùs erant in ſubjecto ; nunc autem ſunt in ſubjecto , nihil facit ad hoc , quòd corpus Chriſti de non præſente iſtis , fiat realiter præſens iſtis , ut ſuprà probatum eſt : quia illa habet alios terminos per ſe ab illa, quâ non præſens ſit præſens : ergo neceſſe eſt ponere aliquam mutationem in corpore Chriſti acquiſitivam illius præſentiæ novæ.

Paucis interpoſitis , ſubdit : Et ſi quæras, ad quod genus pertinet hæc mutatio , & terminus iſtius mutationis : Dico , ſi Angelus ponitur de novo præſens alicui corpori , dicitur quidem eſſe in loco definitivè , eô modô , quô ſibi poteſt convenire eſſe in loco: & ſic dicitur mutari , licèt illa mutatio multùm diſtet à vera mutatione , ſecundùm *ubi*. Adhuc autem quantùm ad aliquas conditiones , præſentia corporis Chriſti ſpeciei magis recedit à vera ratione *ubi* : quia nullô modô per iſtam præſentiam determinatur ſic ad unum *ubi* , quòd ſibi repugnet aliud. Sed Angelus per novum *ubi* ſic determinatur ad illud , ut ſibi repugnet aliud. Et ſi habes pro inconvenienti , aliquam mutationem qualemcumque in corpore Chriſti realiter eſſe : Dico , quòd neceſſe eſt ponere ſaltem aliquem reſpectum ex-

Vt optimè declarat Doctor.

trinsecùs advenientem, qui scilicet non necessariò sequatur fundamentum, & terminum posita in actu: quia omnis respectus sic consequens, necessariò est intrinsecùs adveniens, ut ostensum est in *quæst.* 2. de charactere, contra primam opinionem: ergo respectus potest advenire extrinsecùs de novo sine alio quocunque novo, vel in fundamento, vel in termino.

Sic ergo non est inconveniens, corpus Christi esse de novo præsens alicui non habenti novam formam absolutam, nec novum respectum respectu ejus; vel si habet hujusmodi novum respectum, pari ratione, & corpus Christi habebit novum respectum ejus: quia si species sunt de novo præsentes corpori Christi, & corpus est de novo præsens eis (etsi enim continentia non sit relatio realis mutua, tamen præsentia est relatio realis mutua) non erit tunc inconveniens dare in corpore Christi talem mutationem ad respectum extrinsecùs advenientem.

Et si objicias, ad respectum non est mutatio, solutum est in quæstione de charactere. Et si omninò arguas, ille respectus extrinsecùs adveniens, qui dicitur præsentia simplex, ad quod genus pertinet? Potest dici, quòd magis propriè reducitur ad genus *ubi* inter omnia genera respectuum extrinsecùs advenientium; quia in pluribus cum illo respectu convenit: & si fortè non sit propriè in genere, sequitur, quòd decem genera non sufficienter evacuarent totum ens. Quod non est inconveniens, eô modô, quô Philosophi loquuntur de rationibus eorum; quia non repugnat sub ente inveniri aliquem respectum, putà Angeli ad lapidem, qui non habet aliquam rationem respectûs in genere, ut ipsi loquuntur: non tamen sequitur ex hoc plura genera esse, quàm decem: sed quòd rationes eorum, vel ratio alicujus eorum non assignatur sub ratione communi, sicut posset assignari.

His omnibus, inquit Hiquæus in Commentario, Doctor tria docet: *Primum*, quòd non salvari possit præsentia Christi nova & Sacramentalis sine aliqua mutatione in Christo reali; quia de novo fit hîc Christus realiter, ubi antea non fuit: talis autem mutatio non repugnat Christo; quia licèt mutatio, quæ fit ad corruptionem, non conveniat corpori glorioso, & impassibili; non tamen repugnant mutationes quoad respectum, qui non infert mutationem substantialem: nam ante Ascensionem habuit plures tales, ut visionis, locutionis, manducationis, & loci post Resurrectionem. *Secundum* quod docet, est hanc præsentiam, & mutationem reduci ad mutationem secundùm *ubi*: *Tertium* est, præsentiam illam esse relationem extrinsecùs advenientem. *Ita Hiquæus.*

Quæstio Secunda.

Quid & quomodo Christus D. agere possit in Eucharistia?

I.
Duplex est actio: Immanens, & Transiens.

NOtandum primò, cum Doctore subtili in 4. dist. 10. q. 5. duplicem esse actionem, immanentem scilicet, & transeuntem: *Immanens* dicitur, quæ recipitur in agente, & in eo remanet: quæ quidem adhuc in homine duplex distinguitur; alia enim est corporea, ut sensatio, seu operatio sensuum; alia verò spiritualia, ut intellectio & volitio: *Transiens* dicitur, quæ non remanet in agente, sed transit in aliud: sic calefactio ab igne transit in lignum, quod calefit. Quæritur autem quænam ex hujusmodi actionibus Christo D. conveniat, quatenus in Eucharistia existit.

II.
Et aliquid dici potest inesse Christo D. duobus modis.

Notandum secundò, ex eodem Doctore ibidem *num.* 2. intelligi posse quòd duobus modis aliquid insit Christo D. scilicet vel primò, & per se, vel tantùm secundariò & concomitanter: *Primò, aliquid dicitur inesse Christo*, ut hîc inquit Doctor, *quod sibi inesset, etsi nusquam alibi esset, nisi hic: concomitanter autem dicitur aliquid inesse hic, quod primò inest sibi, ut alibi, & ex hoc sibi inest ut hic, propter identitatem subjecti & formæ.* Hoc est, aliquid censetur inesse Christo, ut existenti Sacramentaliter primò & per se, quando illud ita inest, ut absolutè ipsi inesset, etiamsi Christus D. alibi non existeret: Concomitanter autem, quando ipsi Sacramentaliter existenti, eâ tantùm ratione inest, quòd ipsi insit, ut alibi existenti, idque propter identitatem subjecti & formæ.

Notandum tertiò, quæstionem moveri posse, vel de ea operatione, quæ inest Christo D. de facto, virtute antiqui miraculi; vel de ea quæ ita est de novo per miraculum & extraordinariam Dei potentiam. Quibus præmissis Doctor ita luculenter ac planè hujus quæstionis solutionem tradit & expendit tribus conclusionibus, ut non aliud nobis incumbendum videatur, quàm illius resolutionem exscribere, ac nonnullis additis explanare.

Conclusio Prima.

III.
Christo in Sacramento concomitanter inest omnis operatio quæ primò inest ipsi in cœlo.

OMnis operatio immanens, quæ primò inest Christo D. ut in cœlo existenti, eidem concomitanter inest, ut existenti in Sacramento. Ita Doctor, & hanc conclusionem sic probat: Nullum absolutum desinit esse in aliquo, propter novum respectum extrinsecùs advenientem: sed operatio immanens est forma absoluta: igitur propter præsentiam Sacramentalem, quæ est novus respectus extrinsecùs adveniens, non desinit illa operatio inesse suo subjecto.

Reponunt aliqui, majorem esse veram de forma simpliciter absoluta, qualis non est operatio; ipsa enim habet respectum potentiæ ad objectum.

Quia operatio est forma absoluta independens à ratione loci.

Verùm, inquit Doctor, hæc responsio prorsus est evanida; nam qualitates *in fieri* dependent ab approximatione agentis, ut patet de calore & frigore, & aliis qualitatibus, ad quas est alteratio: & tamen in esse suo sunt simpliciter absolutæ. Similiter operationes in suo fieri non requirunt talem respectum, & hoc ubi fiunt concomitanter, & non primò: apparet enim, quòd si corpus Christi in cruce fuit infrigidatum, frigus etiam fiebat in corpore Christi, existentia in pixide concomitanter, sed non primò; & ad illud fieri non requirebatur approximatio agentis ad passum ibi: ergo à simili ista qualitas, cùm sit in se absoluta, licèt in fieri requirat præsentiam objecti ad potentiam, hoc non erit, nisi ubi primò insit; potest ergo concomitanter infieri sine tali respectu.

Instabis: Operatio est in continuo fieri, secus aliæ qualitates: ergo requirit continuam approximationem potentiæ ad objectum.

Respondeo cum Doctore nostro ibidem. Licèt sit in fieri continuè, tamen non sequitur quin concomitanter possit inesse, & continuè infieri sine objecti præsentia, vel approximatione. Sicut enim calor potest infieri corpori in Eucharistia sine approximatione agentis, ut ibi: ita si esse

caloris

calotis esset in fieri, semper posset causari calor in corpore in hostia, & tamen sine tali approximatione: non enim magis requiritur continnus respectus ad fieri continnum, quàm ad fieri transiens, respectus pro tunc præsens.

Etsi replices: Operatio respicit objectum, nòn tantùm nt est causa in fieri, sed etiam in ratione terminantis: sicut ergo impossibile est, operans esse, & non terminari ad objectum; sic impossibile est, quòd alicubi insit, & ut ibi non terminetur ad objectum præsens.

Respondet Doctor num. 4. Quòd non oportet, objectum esse præsens propter terminationem actûs, sed tantùm propter causationem; ita quòd quando est aliqua causa sufficiens ipsius actûs, non requiritur præsentia objecti, propter terminationem; quod utique probat à simili: Sicut, *inquit*, patet de vidente creaturam in essentia divina; dato enim, quòd illa sit causa visionis creaturæ, non requiritur creatura, ad quam terminatur hæc visio præsens propriâ præsentialitate.

Hîc videtur Doctor asserere ad cognitionem intuitivam non requiri objectum terminativum præsens; cujus contrarium docet variis in locis, ut infrà *dist.* 45. *quæst.* 2. §. *ad quæstionem*, &c. in probatione secundi; & in 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. & in 2. *dist.* 3. *quæst.* & aliàs sæpè, ubi Intuitivam esse ait rei existentis, & præsentis. Sed *respondet Hiquæus* eum loqui hîc de cognitione intuitiva latè sumpta; cujus plures modos assignat, ut patet in 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. ubi distinguit perfectam, & imperfectam intuitivam. Quando ergo dicit non requiri præsentiam objecti ad terminandam intuitivam, intelligit de intuitiva impropriè dicta, seu imperfecta, ut exemplum subjectum indicat: de quo in primo *dist.* 2. *quæst.* 4. Potest & teneri universaliter doctrina: quia ideò requiritur præsentia objecti; quia seipso immediatè concurrit in propria existentia, & præsentia ad intuitivam: quòd ergo sit ipsius, ut præsentis, tanquam terminativi, ideò est, quia sic est ipsius, ut motivi, & moventis.

Probat secundò Doctor, principaliter de sensatione: Si anima Christi, *inquit*, intelligeret præcisè secundùm modum intelligendi animæ viatoris, nimirum ex phantasmatibus, non haberet intellectionem intuitivam istius, vel alterius objecti, sine sensatione concomitante ejusdem objecti: ergo cùm illam intellectionem haberet eandem hîc, & alibi; sequitur, quòd etiam haberet ut hîc, sensationem requisitam ad ipsam, sed tamen non concomitanter, non autem primò, & per se.

Probat tertiò: Quia passio appetitûs sensitivi, ut pote dolor, eadem infuisset hîc & ibi: ergo sensatio eadem. Antecedens probatur, quia mors secuta fuisset hîc, sicut ibi: ibi autem sequebatur ad dolorem immoderatum: ergo & hîc. Consequentia primò probatur; quia non est idem sine eadam causa, & hoc non ponendo miraculum, & loquendo de causa naturali præcisa, dolor est effectus sensationis, vel objecti nonnisi sensati: ergo non potest esse idem dolor sine sensatione eadem absque miraculo.

Si respondeas, quòd ad hoc sufficeret actus imaginationis in Christo. *Contra hæc*, *inquit*, dupliciter: *Primò*, quia responsio destruit se; non enim possibile est actum imaginationis inesse, cui actus secundùm sensum non potest inesse: quia imaginatio est motus factus à sensu 2. de anima. *Secundò*, quia imaginatio non est causa doloris ejusdem secundùm speciem, cujus causa est sensatio exterior, alioquin somnians doleret dolore ejusmodi speciei cum dolore vigilantis.

Tandem addi potest ratio efficax, quam habet Doctor subtilis post argumentum: Operatio, *inquit*, est perfectio potentiæ operativæ, & in ipsa consistit beatitudo ipsius potentiæ; ipsam etiam consequitur delectatio proportionata perfectioni operationis, ut constat ex 10. Ethic. ergo si oculus Christi ut in Sacramento, careret visione quam habet in cœlo, careret hîc suâ propriâ beatitudine, eò modô, quô visus dicitur beatificabilis; careret etiam delectatione consequente illam operationem perfectam, & tunc sequeretur, quòd oculus Christi, ut in Sacramento, esset miser, & cum dolore & tristitia; quod enim tollit delectationem, est dolorosum & triste, quod tamen nemo dixerit.

Conclusio Secunda.

IV.
Christus habere potest operationes immanentes in Eucharistia.

Operatio spiritualis, ut intellectio & volitio, possunt primè, & per se inesse Christo existenti in Eucharistia, non autem sensatio. Utraque pars est Doctoris locô suprà laudatò, & primam probat *num.* 5. ubi ait: Quia anima Christi nunc beata intelligit, sicut Angelus quoad hoc, quod non dependet à sensibus, nec ex sensibilibus in intelligendo: ergo sicut Angelus alicubi existens posset intuitivè intelligere objectum sibi proportionaliter præsens; ita anima Christi ibidem existens potest illud objectum intueri: ergo anima Christi, ut hîc, potest intuitivè intelligere illa intelligibilia, quæ sunt, ut hîc, præsentia, sicut Angelus posset, utpote intuitivè videre Angelum hîc præsentem, & animam Sacerdotis: Hæc autem intuitio inest animæ Christi: Primò, ut hîc: quia non inest illi animæ primò, ut in cœlo, suppositô quòd immoderata distantia impediat intellectionem intuitivam creatam: sic enim Angelus existens in cœlo, intuitivè non videt quidquid præsens hîc videt intuitivè.

Ex quibus infert Doctor, quòd Christus propter suum *esse* in Eucharistia, non tantùm non privatur aliquâ operatione, quam habet, ut in cœlo: sed ut in Eucharistia est, habet aliquam operationem primò, quam per consequens concomitanter habet, ut in cœlo, utpote intellectionem, & volitionem cujuscunque objecti, cujus Angelus hîc præsens haberet: & per consequens non est ad imperfectionem suam, quòd sit in Eucharistia, sed ad ampliorem perfectionem.

Etiam sensationes saltem concomitanter.

Secundam autem partem sic probat: Primò, quia organum sensûs non est in corpore Christi in Eucharistia sub modo illo, qui requiritur ad hoc quod immutetur ab objecto: quia oportet, quòd tale habeat modum quantitativum, & sic sit localiter in loco, ad hoc ut patiatur à corpore objecto.

Probat secundò: Christo, ut in Eucharistia non est objectum approximatum: ita enim est hîc præsens cuicunque corpori, ut agenti, ac si non esset præsens; quia sic hîc est, ac si nusquam esset, quantùm ad rationem patiendi à corpore; esse enim corpus agens requirit passum sibi approximatum localiter; sic autem non est hîc corpus Christi localiter, sed solùm species est hîc istô modô: nec illud est magis præsens hîc alicui corpori in ratione passi, quàm si Angelus esset hîc: ergo nulla sensatio potest sibi inesse primò, ut in Eucharistia existit. Ita Doctor, ex quibus

inferre licet, Christum habere duntaxat sensationem in Eucharistia concomitanter & secundariò; non autem primariò & per se.

V. Quamvis ejus organa non sint localiter extensa.

Nec obstat, quòd ejus organa in Eucharistia non sint extensa, nec habeant modum quantitativum, & divisibilem, qui videtur necessarius ad sensationem: Nam, inquit Doctor *num.* 6. Modus ille quantitativus non requiritur, ut concomitanter recipiatur sensatio, sed tantùm ut primò & per se fiat: Iste enim modus quantitativus, inquit, requiritur in organo ad hoc quòd primùm sibi insiat sensatio: sed non requiritur ad hoc, quòd concomitanter sibi insiat, vel insit; quia non est causa necessaria recipiendi sensationem hujusmodi modus quantitativus, sed tantummodò conditio requisita per comparationem ad agens primò transmutans.

Conclusio Tertia.

VI. Christus ut est in Eucharistia non potest habere ullam actionem corpoream per se.

Christus ut in Sacramento existens agere potest actione physicâ transeunte in passum externum. Ita Doctor dist. 10. q. 7. ubi cùm probasset *num.* 2. quòd Christus in Eucharistia non potest uti aliquâ potentiâ corporeâ activâ; adeoque quòd non possit, ut in Sacramento existens primò nutriri, aërem respirare, localiter movere seipsum, vel aliud corpus sibi approximatum: *Quia*, inquit, *omnis potentia activa corporea requirit passum, in quod agat approximatum sibi localiter; ista autem potentia, ut est hic, non est alicui localiter approximata: ergo ut est hic non potest habere passum sibi approximatum, sicut requiritur ad actionem talis potentiæ. Major patet ex* 7. Physic. *ubi probatur, quòd oportet agens corporeum approximatum esse passo mediatè, vel immediatè.* Postmodum *num.* 3. affirmat, quòd Christus in Eucharistia potest uti quâcunque potentiâ activâ spirituali; quia illa non requirit ad actionem, quòd habeat esse localiter; quia etsi agens per principium spirituale sit in loco, non tamen requiritur, quòd sit ibi localiter, ad hoc quòd agat. Quam utique assertionem explicans, statim subjicit: Quòd Christus in Eucharistia potest uti quâcunque potentiâ activâ spirituali. Hoc probatur per medium oppositum; quia illa non requirit ad actionem, quòd habeat esse localiter: quia etsi agens per principium spirituale sit in loco, non tamen requiritur, quòd sit ibi localiter ad hoc, quòd agat.

VII. Potest tamen habere actionem spiritualē transeuntem.

Explicans verò istam conclusionem in speciali dicit: Quòd Christus in Eucharistia potest habere aliquam actionem merè spiritualem, tam ex parte principii, quàm ex parte termini: & potest habere aliquam spiritualem ex parte principii agendi, corpoream tamen ex parte termini.

Primum probat: Quia, *inquit*, si esset aliquis Angelus præsens Christo in Eucharistia, posset anima Christi illum Angelum illuminare, & illi loqui locutione mentali eô modô, quô Angelus existens, ubi Christus est, posset illum Angelum illuminare, vel alii loqui; nam ista illuminatio & locutio non requirit, nisi principium activum sufficiens in illuminante & loquente, & subjectum capax ex parte illuminati, sive cui fit locutio: & forte approximationem secundùm ubi definitivum, seu approximationem simplicem illuminantis ad illuminatum, vel loquentis ei cui loquitur: nec requiritur ibi localiter esse, sicut nec si unus Angelus loqueretur alii. Hæc autem omnia sunt in proposito: qualiter autem anima Christi habeat principium illuminandi Angelos, & loquendi eis intellectualiter, supponatur ex 3. lib. dist. 13. & 14.

VIII. Imò & loco-motivam corpoream ex parte termini.

Secundum, scilicet, quòd potest habere actionem spiritualem ex parte principii, tamen corporalem ex parte termini, declaratur sic, quia, *inquit*, Angelus habet potentiam motivam secundùm locum, non organicam. Patet, quia non potest habere potentiam aliquam organicam, illa enim potest esse principium movendi corpus secundùm totum, non secundùm partes, quomodo corpus nostrum movetur organicè; quælibet autem anima intellectiva talem potentiam habet: ergo potest esse principium motûs: & per consequens illa est merè spiritualis ex parte principii; quia nullô modô organica: & tamen corporalis ex parte termini, quia ejus terminus est motus localis corporalis.

Et si arguatur, quòd tunc anima hominis habet duplicem potentiam activam motivam, secundùm locum respectu corporis: habet enim unam organicam, & præter illam, aliam non organicam; hoc autem ponere, videtur superfluum: tum quia videtur esse rationis ejusdem cum altera; tum quia altera potentia non potest exire in actum suum, pro statu isto, ut manifestum est.

IX. Anima enim habet potentiam non organicam loco-motivam.

Respondeo, sicut anima quantùm ad multa alia, similis est Angelo; ita etiam, quantùm ad potentiam motivam corporis non organicam: non enim est ratio, quare ista substantia non habet hujusmodi potentiam motivam corporis: & universaliter nulli naturæ debet negari, quòd esset in ea perfectio, nisi manifestè appareat, quòd tale sibi repugnat: quia secundùm Philosophum 2. de generatione in fine: *Dignificanda est natura semper secundùm melius, quantùm possibile est.*

Quòd autem anima Christi habeat hanc potentiam loco-motivam, ita declarat, *num.* 5. Hanc potentiam loco-motivam, non organicam, *inquit*, suppono esse in anima Christi, quia etiam erit in anima cujuslibet Beati; non tantùm, quantùm ad habitum; sed quantùm ad actum, vel usûs possibilitatem: hâc etiam poterit uti mediatè, movendo aliquod corpus secundùm se totum, sicut Angelus posset movere. Hâc etiam fortè usus est Christus in vita ista, ut quando elapsus est de manibus Judæorum, qui ducentes eum ad montem, super quem erat civitas eorum sita, voluerunt ipsum præcipitare: quando etiam elapsus est de manibus parentum, & mansit in Hierusalem, ut patet secundùm Origenem super illud Luc. 2. *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim*: ergo anima Christi in Eucharistia existens, poterit uti istâ potentiâ, movendo species illas, vel hostiam, & fortè sic aliquando mota est hostia à Christo immediatè.

Et si quæras, numquid priùs novit corpus suum per istam potentiam motivam, quam hostiam?

Respondeo: Non fuit necessarium, sicut nec oportet Angelum priùs movere se localiter ad hoc, ut corpus sibi approximatum moveat localiter.

Petes: *Utrum Christus, quatenus existens in Eucharistia, possit per virtutem suam naturalem aliud in se transmutare?*

X. *Christus ut in Eucharistia non potest in se aliquid cōvertere.* *Negat Doctor ibidem num.* 2. & 6. ubi docet, quòd corpus Christi, quatenus in Eucharistia existens, non possit uti aliquâ potentiâ activâ corporeâ; quia omnis potentia activa corporea requirit passum, in quod agat, sibi approximatum localiter, hoc est modò divisibili, & inextensò in ordine ad locum: at Christi corpus non potest habere passum hac ratione sibi approximatum, ut illud in se convertat: igitur illud non potest in se transmutare.

Dices: Potentia activa, ex Philosopho 5. Metaphys. *est principium mutandi aliud, in quantum aliud:* sed Christus in Eucharistia habet potentiam activam; quia habet omnem formam absolutam, quam habet in existentia naturali: igitur, ut est in Eucharistia, habet principium transmutandi: atqui habens principium transmutandi, per illud transmutare potest aliquid in se: igitur, &c.

XI. *Posset tamen no[n] eriri.* *Respondet* Doctor *num.* 6. quòd ista descriptio „ de potentia activa, scilicet quod est principium „ transmutandi, &c. debet intelligi, quantùm est „ ex parte sui: sed multa impedimenta possunt provenire, vel ex parte habentis, vel ex parte objecti, „ vel medii, propter quæ non potest habens illam „ potentiam exire in actum. Ita Doctor, ex quibus inferre licet, quòd etsi Christus D. habeat omnem potentiam activam in Eucharistia, quam habet in cœlo, & habuit, dum viveret vitâ mortali, inde non est consequens, quòd ea possit uti; siquidem nec habet passum sibi debitò approximatum, nec virtutem extensam, & expeditam ad agendum actione corporeâ transmutativâ.

XII. *Ex respirare saltem con[-]comitáter, & penes effectum, non verò penes actum.* *Dices secundò:* Corpus Christi, ut in Eucharistia existens, potest nutriri: sed nutritio fit per transmutationem substantiæ alimenti in substantiam alii: igitur ut sic existens Christus potest aliquid in se transmutare. Major patet; Quia, inquit Aristoteles 2. de anima textu 47, *homo vivens vita mortali semper nutritur:* sed corpus Christi in Eucharistia vixisset vita mortali; si Christus semper mortalis fuisset: igitur semper nutriretur, & alimentum in suam substantiam converteret.

Distinguit majorem Doctor q. 5. n. 12. Corpus Christi in Eucharistia potest nutriri, quatenus nutritio sumitur pro aggeneratione partis substantiæ ipsi toti nutrito, concedit: Quatenus sumitur pro actione conversiva alimenti in substantiam aliri, „ negat: Quia, *inquit*, nutritio corporis Christi in „ Eucharistia non fieret per nutrimentum approxi„ matum, ut hic; sed tantùm esset hîc & concomi„ tanter, propter conversionem nutrimenti alibi „ approximati, & propter identitatem substantiæ „ hîc & ibi: quam oportet ubique habere easdem „ partes: Unde. ut addit q. 7. n. 6. bene sequitur, „ quòd corpus hîc nutritur, si nutritur in existentia „ naturali: sed non sequitur: ergo ut hîc agit; quia „ nutritio non est nisi aggeneratio partis substantiæ „ nutritæ, & ista aggeneratio potest esse per actio„ nem virtutis nutritivæ, sive ut hîc, sive ut „ alibi.

Dices tertiò: Homo vivens vitâ mortali, semper indiget respiratione aëris, & inspiratione; dum enim respirare cessat, suffocatur, & extinguitur; si autem Christus semper vixisset vitâ mortali, quatenus existens in Eucharistia fuisset mortalis, ac subinde debuisset aërem respirare: hæc autem respiratio fit per transmutationem aliquam, quippe per eam minuitur, & temperatur calor naturalis hominis: igitur, &c.

Respondet Doctor ibidem, quòd corpus Christi, ut existens in Eucharistia, non respirat aërem, nec expirat: Quia, *inquit*, necessum esset, quòd aër admitteretur simul cum corpore Christi in hostia, quod est absurdum. Attamen verum est, quòd corpus Christi sub hostia habeat pulmonem refrigeratum, sicut haberet alibi existens existentiâ naturali; quia frigus causatum per aërem ibi attractum, causatur hîc concomitanter, licèt non primò.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum, & quid corpus Christi pati possit in Eucharistia?

PRæsens quæstio non movetur de passione dolorem aliquem inferente; certum enim est, quòd cùm Christi D. corpus, quatenus existens in Eucharistia, sit omnino gloriosum, & immortale, etiam est prorsus impassibile & incorruptibile. Sed difficultas est de passione correlativa, & terminativa actionis. Unde duo potissimùm hîc occurrunt determinanda. *Primum*, utrum Christi D. corpus possit esse subjectum alicujus motûs corporalis, & localis. *Secundum*, utrum possit esse terminus alicujus operationis creatæ ad ipsum terminatæ, putà visionis intellectualis, aut corporeæ: quæ ut resolvantur & aperiantur facilius. *Status quæstionis.*

Notandum primò, aliquid moveri posse localiter duobus modis, nempe vel *per se*, vel *per accidens*. Movetur *per se*, quando videlicet motus in ipso immediatè recipitur: *per accidens* autem, quando scilicet movetur ad motum alterius, cum quo vel naturalem & necessariam habet connexionem, vel in quo includitur; sic ad motum corporis, anima dicitur moveri; & ad motum vasis alicujus, etiam movetur locô liquor in eo contentus; & ad motum navis, movetur homo in ea existens, licèt in se omninò maneat immotus. Quæritur autem utrum Christi D. corpus per accidens reverà moveatur ad motum specierum, propter necessariam illius cum ipsis conjunctionem; an verò hic motus fiat duntaxat à solo Deo, & per divinam ipsius voluntatem. I. *Motus localis est duplex; per se & per accidens.*

Notandum secundò, ex Doctore *dist.* 10. *quæst.* 8. *num.* 5. intellectum humanum considerari posse, vel quatenus est corpori conjunctus tam in via, quàm in patria; vel quatenus est ab eo separatus, & prout intelligit & operatur independenter ab omnibus phantasmatibus; quemadmodum intelligunt Angeli. Porrò de intellectu hôc utroque modô considerato, quæritur an videre possit naturaliter Christi corpus, ut existens in Eucharistiæ Sacramento: per *ly* autem *naturaliter*, inquit Doctor, non intelligitur sola natura intellectûs, quia anima est sicut tabula rasa, quæ nihil potest ex se sola cognoscere; sed intelligitur natura intellectûs, concurrentibus aliis causis naturalibus, scilicet activô & passivô. Ly autem *videre*, importat intellectionem intuitivam, ut distinguitur contra intellectionem abstractivam: *Intellectio autem intuitiva*, inquit Doctor ibidem, *est* II. *Intellectus variè potest considerari.*

cognitio rei ut in se est præsens: abstractiva autem potest esse ejus secundum quod relucet in aliqua similitudine, quæ potest esse existentis, & non existentis, præsentis, sive non.

Adeòque manifestum est, quòd noster intellectus etiam adhuc alligatus sensibus, possit abstractivè intelligere corpus Christi: Impossibile est enim, inquit Doctor *suprà*, aliquam complexionem concipere, cujus extrema non concipiuntur; possibile est autem intellectum nostrum concipere hanc complexionem: *corpus Christi in Eucharistia*, alioquin non posset illam formare: ergo intellectus noster, & istam complexionem, & ejus extrema potest cognoscere, & intelligere aliquâ intellectione. Hoc præclarè docet sanctus Augustinus 8. *de Trinit. cap. 4. & 5.* ubi diffusè docet, quomodo habeamus fidem de Christo, cùm tamen Christum non viderimus; utique in quibus intentionibus communibus acceptis à singularibus: quia *(inquit Doctor suprà num. 6.)* nihil interest ad fidem nostram, utrum erremus in quibusdam conditionibus singularibus conceptis de Christo: quia fides nostra non respicit per se illas conditiones singulares proprias, sed aliquem hominem singularem, cujus notitia potuit nobis infieri ex notitia cujuscunque singularis hominis; ita etiam existentia corporis Christi hîc, potuit nobis infieri ex alia existentia, utpote alicujus contenti in continente, seu signati in signo, vel tecti in tegente.

III. **Quomodo fides haberi potest de eo quod non est visum & cognitum in se.**

Notandum tertiò, corpus Christi videri ut existens in Eucharistia, dupliciter posse intelligi, scilicet secundùm sensum specificativum, vel reduplicativum. Per sensum *specificativum*, significatur corpus Christi existens quidem in Eucharistia videri posse præscindendo à modo, quô ibi existit; ita quòd ipsum corpus videatur quidem, non tamen secundùm modum, quô existit. Per sensum autem *reduplicativum* significatur idem corpus videri posse, non modò existens in Sacramento, sed etiam secundùm modum, quô ibi existit. Quæritur ergo, utrum hôc utrôque modô, aut saltem alterutrô, Christi D. corpus videri possit in Eucharistia ab oculo tum intellectuali, cùm corporali; idque tum glorificato, tum viatore; & tàm naturaliter, quàm supernaturaliter.

IV. **Quid sit videre corpus Christi specificativè & reduplicativè.**

Conclusio Prima.

Christi D. corpus in Eucharistia existens nullô modò moveri potest localiter ab agente creato, tam per se, quàm per accidens: sed ad motum specierum movetur immediatè à Deo. Prima pars, nempe quòd non possit per se moveri localiter, communis est apud Theologos, & facilè probatur, quia, quod non est propriè in loco, non potest moveri localiter: sed corpus Christi non est in Sacramento, tanquam in loco: igitur, &c. Major constat; moveri enim localiter est mutare locum, seu relinquere unum locum, & acquirere alterum: ergo quod non est in loco, non potest moveri per se localiter. Minor etiam patet ex dictis; siquidem Christi D. corpus non est sub speciebus, tanquam in loco circumscriptivo; quippe cùm ibi suas dimensiones quantitativas non habeat; neque definitivo, quia ubi definitivum spectat tantùm ad substantias spirituales, quæ cùm ex natura sua non sint quantæ, & divisibiles, etiam postulant esse naturaliter in loco modô omnino indivisibili: secus est autem de corpore Christi, quod cùm ex natura sua sit quantum, etiam postulat habere partes correspondentes partibus loci; unde tantùm per miraculum accidit, quòd existat sub speciebus ad modum substantiarum spiritualium.

V. **Christi D. corpus non movetur in Eucharistia per se.**

Secunda pars autem probatur à subtili Doctore *dist. 10. quæst. 6. num. 4.* Illud tantùm movetur per accidens ad motum alterius, quod est proportionatum virtuti motivæ illius agentis, quod movet ipsum alterum, & quod est cum ipso altero conjunctum naturali quâdam necessitate, seu sicut actus est in potentia, seu sicut pars est in toto: Sic enim v. g. ad motum lapidis, movetur per accidens tum gravitas, tum albedo ejus; quia utraque ista qualitas est proportionata virtuti motivæ illius moventis, quod movet lapidem, ac insuper est conjuncta lapidi naturali quâdam necessitate, vel tanquam proprietas, vel tanquam accidens suo subjecto: Sed si Angelus exhiberet se præsentem voluntariè lapidi, non sequeretur, quòd movens aliquod corporeum (v. g. Petrus) qui quidem moveret ipsum lapidem, moveret consequenter per accidens Angelum; tum quia Angelus non est proportionatus virtuti talis moventis. Tum quia Angelus nullâ necessitate, sed spontè & voluntariè est unitus lapidi: quò fit ut motô ipsô lapide, si Angelus moveatur, non movebitur per motionem talis moventis, sed per seipsum immediatè, qui voluntate continuâ decernit se fieri præsentem isti lapidi, quòcunque asportetur, & ubicunque existat. At res eôdem modô se habet in proposito, quia nec Christi corpus Sacramentaliter existens, est proportionatum virtuti Sacerdotis moventis species, nec est unitum speciebus naturali quâdam necessitate, sed voluntate divinâ: ergo Christi corpus non movetur per accidens ad motum specierum, sed immediatè à Deo.

Neque per accidens.

Quia movens unum conjunctû non movet alterum si tantùm per actum voluntatis sint conjuncta.

Dices primò: Quod movet aliquid per se, movet per accidens quidquid est in illo: sed Sacerdotes movent hostiam consecratam: igitur per accidens movent corpus Christi, quod per se est in hostia. *Respondet* Doctor majorem esse falsam, *Nisi*, inquit, *intelligatur de illo, quod est in moto, vel sicut actus in potentia* (ut anima in corpore) *vel sicut pars in toto* (ut caput in corpore) *vel sicut* aliquid necessitate naturali conjunctum, ut grave illi, cui innititur (v. g. homo navi, cui insidet, aut cervisia vasi, cui impenetrabiliter includitur.) *Si enim tantùm per actum voluntatis contingenter conjungitur hoc illi, movens istud non propter hoc movebit illud: sed oportet, quòd illa voluntas, quæ est causa conjunctionis, sit etiam causa motionis illius, quod nullâ naturali necessitate conjungitur moto.*

VI. **Explicatur quomodo movens aliquid per se, moveat etiam per accidens quod est in moto per se.**

Dices secundò: Si corpus Christi non moveretur ad motum specierum, sequeretur quòd quoties Sacerdos hostiam moveret, toties intercederet novum miraculum; quia illa translatio fieri non posset subsistente veritate Eucharistiæ absque speciali actione divina: sed hoc consequens gratis admittitur: ergo & id unde sequitur.

Negat sequelam Doctor ibidem: Quia, *inquit*, Deus eâ voluntate, quâ instituit Eucharistiam in Ecclesia, determinavit facere corpus Christi semper præsens speciei post consecrationem: & ideò specie manente, qualitercunque transferatur, quòd Deus faciat corpus præsens aliâ præsentiâ, loquendo de præsentia respectu continentis, sicut species habet aliam præsentiam & aliam, ut

VII. **Motio corporis Christi ad motum specierum non est novum miraculum.**

primò conteuta, non est novum miraculum, sed antiqua determinatio volnntatis divinæ: sicut si Angelus determinasset per voluntatem, quòd semper simul esset cum isto lapide, non diceretur miraculum, quia transfertur, translatō lapide: non tamen transferens lapidem, per actionem suam transferret Angelum, sed Angelus voluntate propriâ se moveret.

Dices tertiò: Corpus Christi continetur sub speciebus eô modô, quo continebatur substantia panis: sed substantia panis ita continebatur, ut moveretur per accidens ad motum specierum: igitur pariter corpus Christi moveri debet ad motum specierum. *Confirmatur:* Corpus Christi dicitur à Sacerdotibus publicè gestari in processionibus, deferri ad ægrotos, post consecrationem elevari, & deponi super altare: sed hæc essent falsa, nisi moveretur per accidens: igitur censendum est ita reverà moveri.

VIII. Licèt corpus Christi sit locô substantiæ, non tamen movetur localiter sicut substantia.

Distinguo majorem: Corpus Christi continetur sub speciebus eô modô quo panis substantia, quatenus ita realiter existit sub speciebus, sicut ipsis priùs inerat substantia panis, concedo: quatenus ipsi conveniat id omne, quod competebat substantiæ panis, nego: Et concessâ minore, nego sequentiam; sicut enim corpus Christi non est subjectum accidentium, quæ ipsi non inhærent, sicut inhærebant substantiæ panis; nec est in loco, nec per se recipit motum localem, sicut id præstabat substantia panis ratione specierum, ita nec movetur per accidens ad motum specierum, quia videlicet non habet naturalem connexionem cum ipsis speciebus.

Ad confirmationem, nego minorem: Ut enim hæc omnia vera sint, non est necesse, quòd Sacerdos moveat corpus Christi per aliquam virtutem & actionem physicam, de qua solùm hîc agitur; sed sufficit quòd id exequatur actione & virtute morali, ac ministeriali; quemadmodum eâ solâ virtute consecrat, & Christi corpus conficit.

Dices quartò: Major requiritur virtus ad constituendum Christi D. corpus præsens sub speciebus Eucharisticis, quàm ad illud movendum de loco in locum, ubi jam semel sub eis speciebus realiter existit: sed ad primum efficiendum sufficit quæcunque virtus supernaturalis: ergo ad præstandum secundum, sufficiet virtus naturalis.

IX. Non major requiritur virtus ad movendū corpus Christi jam existens in Eucharist. quàm ad illud ibi constituendum.

Respondeo negando majorem: Sicut enim nullum ens creatum potest virtute naturali conferre corpori primam præsentiam Sacramentalem; ita neque corpori jam habenti unam præsentiam Sacramentalem potest dare alteram, ut priorem auferat: quia non est minùs supernaturalis secunda, quàm prima; & quòd prima præcesserit, nihil refert, quia nec dedit corpori naturalem aptitudinem ad similem præsentiæ modum; neque auxit virtutem causæ agentis; nec minuit perfectionem, aut difficultatem effectûs: nam ipsamet præsentia prior appetit suam conservationem, & suô modô resistit formaliter alteri præsentiæ sibi incompossibili.

CONCLUSIO SECUNDA.

X. Intellectus viatoris non potest videre corpus Christi in Eucharistia.

INtellectus hominis viatoris non potest naturaliter videre corpus Christi existens in Eucharistia: id verò potest intellectus Angeli, vel hominis beati, sive solutus à corpore, sive ei conjunctus. Utraque pars est Doctoris dist. 10. q. 7. quarum primam sic probat: Intellectus, qui non intelligit nisi ex sensibilibus, eôdem modô intelligit, quando sensibilia eôdem modô permanent, neque variantur: sed intellectus noster pro statu viæ est ejusmodi; & accidentia sensibilia sunt ei eôdem modô præsentia, & omnino invariata, postquam corpus Christi jam est præsens, sicut erant antequam illud esset præsens; ac subinde objectum eôdem modô intelligit: sed priùs quàm Christus esset sub accidentibus panis & vini, intellectus noster videndo ejusmodi species non videbat intuitivè ibi corpus Christi; quia reverà ibi nondum erat: ergo cùm species eôdem modô remaneant ante & post consecrationem, sub eis intellectus hominis viatoris deprehendere non poterit corpus Christi.

XI. Id verò potest intellectus separatus, aut beatus.

Secundam partem probat Doctor, num. 7. nempe quod intellectus sive Angelicus, sive animæ separatæ, sive hominis beati, possit videre naturaliter existentiam corporis Christi in Eucharistia: Quia intellectus, *inquit*, se habens ad intelligibilia, sicut ipsa sunt intelligibilia, priùs intelligit istud, quod priùs est intelligibile in se, & per consequens, quod est priùs in se ens; quia unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem, id est intelligibilitatem secundùm se, inquit Aristoteles 2. *Metaphys.* Intellectus autem talis, nempe Angelicus, vel separatus respicit totum ens, & quodcunque secundùm ordinem suæ intelligibilitatis; substantia autem est prior sicut in entitate, sic in cognuscibilitate, quôcunque modô ipsius substantiæ: ergo talis intellectus priùs intelligit ipsam substantiam, quàm quemcunque modum ejus; & per consequens nullus modus, sub quo est substantia, potest impedire intellectionem substantiæ à tali intellectu. *Ita Doctor.*

XII. Quia omne ens creatum est objectum proportionatum intellectui creato.

Breviùs autem hanc rationem sic conficit: Modus accidentalis per se objecti, non impedit cognitionem illius objecti: sed ista præsentia in Eucharistia, est modus accidentalis substantiæ corporis Christi; ergo non impedit substantiam illam cognusci ab intellectu, cujus ipsa est per se objectum; est autem per se objectum istius intellectûs abstracti, qui non dependet in intelligendo à sensibilibus: igitur, &c.

Confirmatur: Quia si quid obesset, quominus corpus Christi, quatenus in Eucharistia existens, videri posset ab ejusmodi intellectu, maximè quia illius existentia est supernaturalis quoad modum: sed hæc ratio nulla est; siquidem supernaturalitas entis, etiam quoad entitatem, non impedit, quominus illud sit visibile ab intellectu Angelico, vel humano beato; idque quantùm ad cognitionem, tam abstractivam, quàm intuitivam: igitur, &c. Minorem probat Doctor, *num. 9.* Si quid obesset, quominus ens supernaturale videri posset à tali intellectu, maximè, quia gradus supernaturalitatis ei confert tantam perfectionem, ut istud objectum sit improportionatum tali intellectui: sed hæc ratio nulla est; nam, *inquit Doctor*, imperfectum ens posset esse supernaturale, & naturale aliquod posset esse perfectius eô; nam omnis substantia est perfectior omni accidente ex 7. Metaph. & tamen alicui substantiæ, quæ est ens naturale, potest inesse aliquod accidens supernaturale.

Confirmat Doctor, quia virtutes Theologicæ, ut charitas, & ejusmodi, sunt in determinata specie qualitatis; & secundùm multos, Angelus habet naturaliter principia cognoscendi istas virtutes, licèt sint entia supernaturalia, non tantùm in mo-

do, sed etiam in substantia, & specie physica, seu quatenus sunt virtotes in entitate à cæteris distinctæ, ut probavimus agendo de istis virtutibus: igitur, &c.

Dices 1. Factibile supernaturale, noo est naturaliter factibile: ergo cognoscibile superoaturale non est naturaliter cognoscibile.

XIII. Non valet consequentia tantum factibile supernaturaliter: ergo & supernaturale cognoscibile.

Distinguit consequentiam Doctor, nu. 12. Si supernaturale, *inquit*, ubique per se determinat illud, cui additur; potest concedi consequens, sicut etiam antecedens, & tunc minor est falsa, quòd ista scilicet existentia sit cognoscibile supernatorale, id est, nunquam adæquatè per vires naturales cognoscibile. Si autem sopernaturale, non determinat per se illud, cui additur, sed quoddam aliud implicitum ut pote ens, consequentia non valet; quia in antecedente per se determinat ipsum sub ratione factibilis, & ideo repugnat ei hoc, quod est fieri naturaliter; in consequente veró noo determinat cognoscibile sub fieri, & ideo non repugnat ei cognosci naturaliter.

Dices 2. De existentia Christi in Sacrameoto habemus fidem: igitur habere non possumus cognitionem oaturalem intuitivam. Conseqoentia patet; quia cogoitio fidei est emioentior omni cognitione naturali.

Respondeo primò, distinguendo antecedens: habemus fidem pro hoc statu viæ, in qoo non possumus hujusmodi existentiam corporis Christi intuitivè cognoscere; quia, ut sic intellectus in intelligendo dependet à phaotasmatibus, concedo: pro statu patriæ, quando intellectus omoino liber est in intelligendo ab hujusmodi sensibilibus, nego: *Adde, quòd* de eodem subjecto possit haberi cognitio oaturalis, & fides; nam fide credimus Deum existere, cujus tamen existentiam naturaliter novimus.

Ad probationem consequentiæ respondet Doctor, *num.* 12. quòd hæc propositio est falsa, scilicet, (quodcumque cognitum per fidem excellit quodcumque cognoscibile naturaliter,) loquendo de cognoscibili ab intellectu abstracto..... qoia Angeli intuitivè potuerunt naturaliter cognoscere Christum pati, & mori, sicut poterant naturaliter cognoscere ipsum vivere vitâ humanâ; nos autem de illa morte habemus cognitionem fidei; nulla autem cognitio intuitiva (in ratione corporis præcisè) multò perfectior est nostrâ ænigmaticâ & de eodem subjecto: Ita dico de existentia corporis Christi in Eucharistia. *Hæc Doctor.*

Dices 3. Si existentia Christi in Eucharistia, posset deprehendi ab intellectu Angelico, consequens esset, quòd dæmones possent hoc mysterium cognoscere; quia secundùm S. Dionysium 4. *de divinis nominibus*, in dæmonibus naturalia remanserunt integra: sed hoc consequens videtur falsum; non enim convenieos est, quòd inimici gratiæ possint cognoscere Sacramentum gratiæ: igitur hæc existentia non est naturaliter cognoscibilis ab Angelo.

Respondet Doctor ibidem, quòd si dæmones permittuntur à Deo uti suâ naturali potentiâ cognitivâ possunt intelligere qoodcunque intelligibile causatum, & per consequens possunt intelligere cogitationes cordium, & mysteria gratiæ, ex quo posita sunt in effectu: sed sicut dicit Magister lib. 2. dist. 2. multa possunt esse naturâ suâ, quæ non permittuntur eis; & ita supponitur, quòd non permittitur Angelo malo videre secretum cordis: Et hôc modô, & non aliô, posset videri corpus Christi in Eucharistia: sic ergo supponitur, quòd non permittitur videre mysteria gratiæ.

XIV.

Pari ratione Doctor expooit authoritatem SS. Ambrosii & Damasceni, quas sibi *num.* 2. pro negaote parte objecerat: authoritatem quidem S. Ambrosii dicentis in 1. cap. Lucæ, qoòd malignum spiritum latuerit mysterium Incarnationis: exponit, inquam Doctor de mysterio Incarnationis: Noo absolutè; inquit, siquidem quilibet Angelus malus posset videre, vel cognoscere integritatem Mariæ, tam in mente, quam in carne, æquè sicut potest cognoscere tactum digiti ad digitum, vel aliam intellectionem naturalem alicujus intellectûs: sed non fuit permissus propter certas causas, ne impediretur Redemptio nostra: Si enim cognovissent, nunquam Deum gloriæ crucifixissent, id est, nunquam me redimi ejus morte procurassent.

Dæmones possent cognoscere præsentiam corporis Christi, si Deus permitteret.

Ad Damascenum lib. 4. cap. 14. dicentem de hoc Sacramento: *Spiritûs operatio, ea, quæ naturam superant, efficit, quæque nisi solâ fide capi atque intelligi nequeunt.* Et pauló post: *Tu quoque nunc quæris, quomodo panis corpus Christi, & vinum cum aqua conjunctum sanguis Christi fiat? Tibi item respondeo, Spiritus sanctus supervenit, eaque efficit, quæ rationis facultatem, ac mentis intelligentiam excedunt:* Respondet Doctor eum loqui de nobis pro statu isto; vel si etiam de Angelo, non potest esse verum de naturali potentia intellectûs Angelici; sed tantùm de potentia Angeli ut permissi, & hoc de malo Angelo. Ita Doctor, *num.* 13.

Explicatur S. Ambros. & S. Damascenus.

Quòd si iteratò objicias: Nullus intellectus creatus potest cognoscere futurum contiogens: corpus Christi esse sub Eucharistia, est æquè indeterminatum, sicut futurum cootingens, quia dependet merè à voluntate divina, ad hoc contingenter se habeote: ergo, &c.

XV. Angeli possunt novas species sibi comparare.

Respondet continuò Doctor suprà: Quòd contingens, dum est contingeos, scilicet dum est in causa soa, non potest sciri ab intellectu creato, sed quantuncunque aliquid contingenter fit in causa sua, postquam tamen contingenter positum est in esse, sicut jam habet determinatam entitatem, ita etiam potest habere determinatam cognoscibilitatem, & hoc in qoocunqoe intellectu respiciente totum ens: licèt ergo aliquis intellectus non possit præscire quòd in illa hostia continebitur corpus Christi: tamen ex quo istod factum est, bene potest intellectus naturaliter intueri corpus Christi ibi existens.

Dicet tandem: Iotellectus Angelicus vel separatus oihil videt naturaliter, nisi per species congenitas; nullas enim potest à rebus accipere: sed intellectus ille non potest habere species congenitas de existentia corporis Christi modô Sacramentali; hoc enim mysterium est omnioò contingens, ut statim dictum est: igitur oec potest illam naturaliter videre.

Nego majorem: Nam, ut diximus in 2. volumine, cùm Angelus & anima separata habeant intellectum agentem, & possibilem, otriusque ope & beneficiô possunt novas species ab objectis depromere, & cudere, quarum beneficiô hujusmodi objecta videant, & intelligant, ut expressè docet Doctor in 2. *dist.* 3. *quæst.* 11. *num.* 4. Unde *num.* 5. concludit, quòd etsi Christus D. omnia viderit in Verbo ab instanti suæ Conceptionis; attamen cùm habuerit intellectum agentem & possibilem, potuit novas cognitiones acquirere circa objecta singularia: Pater, *inquit*,

Quia habent intellectũ agentem & patientem.

in Christo, qui licèt omnia viderit in Verbo ab instanti suæ Conceptiois in utero Virginis, tamen fuit in eo intellectus agens & possibilis, aliàs non fuisset perfectus: & eôdem modô si vidisset omnia in genere proprio, habuisset intellectum agentem & passibilem. Ideo similiter, posito quòd Angelus species omnium receperit ab instanti suæ creationis, & non possit non esse in actu, cùm sit præventus ab agente superiori, tamen est perfectionis naturalis suæ, quòd habeat potentiam, quâ possit in operationem suam, si non esset præventus à superiori agente.

Conclusio Tertia.

XVI. Corpus Christi in Eucharistia non potest videri naturaliter.

Corpus Christi in Eucharistia non potest videri naturaliter ab oculo corporeo, imò neque divinitus, si particula, ut existens, sumatur reduplicativè. Hæc conclusio quoad utramque partem videtur communior, & certior, quarum *prima* facile probatur: *Tum, quia* Christi corpus ut existens in Eucharistia, non potest approximari organo visûs localiter, quippe cùm ibi localiter non existat, sed sine tali approximatione videri non potest. Nam, ut videatur, debet immutare organum facultatis sensitivæ, non potest autem illud immutare, nisi ipsi localiter approximetur: igitur, &c. *Tum, quia*, inquit Doctor *quæst.* 9. *num.* 1. Quidquid videtur, videtur sub pyramide, cujus basis est in re visa, & conus in oculo: ergo corpus Christi videretur sub tali pyramide: sed dari non potest basis pyramidis, sub qua corpus Christi videatur, quia illa esset simul cum base pyramidis, sub qua videretur hostia; nam ubique est corpus cum hostia, & tunc corpus Christi, & hostia simul viderentur sub æquali angulo correspondenti, sed quæ videntur sub eodem angulo, videntur æqualia: ergo corpus Christi videretur æquale speciei: sequeretur etiam, quòd corpus Christi videretur ut rotundum, quia basis, sub qua videtur species, est rotunda.

Secundam partem sic probat idem Doctor ibidem, *num.* 5. Secundò dico, quòd nulla visio etiam sic causata posset esse corporis, ut hîc primò; quia hæc includeret corpus ut hîc, vel esse causam primò visionis, vel esse proprium, & primum terminum visionis: sed corpus ut hîc neque potest causare primò, neque terminare primò; quia tam causatio, quàm terminatio talis requirit in objecto primo causante, vel terminante dispositionem debitam, & hoc secundùm locum, utpote approximationem, & distantiam debitam: sed corpus istud ut hîc, non potest debitè approximari organo, vel distare debitè; quia non est in loco ut hîc, nec miraculum ad hoc juvat, quia corpus ut hîc absolutè non est visibile, nec ut causativum visionis, nec ut terminativum: miraculum autem non est ad illud, quod includit contradictionem. Simili modô loquitur in *Reportatis* (Coloniæ impressis) 4. *dist.* 10. *quæst.* 9. *num.* 8. Dico, quòd nec oculus, nec sensus glorificatus nec non glorificatus, nec per miraculum, nec naturaliter potest videre Christum in Altari. *Rationem subjicit:* Quia objectum terminativum visionis, quod immutat potentiam, est in loco determinato, quomodo non est corpus Christi in Eucharistia. Unde non potest Deus facere, quòd corpus, ut non dimensivè, vel ut non in loco, sit visibile, neque quòd ut sic manens terminet, vel immutet visum. Sed bene potest facere, quòd istud videatur non sic

XVII. Neque etiam divinitus ut ibi existens.

Ut optimè declarat Doctor.

A manens, sed non simul utrumque. Quibus verbis luculentissimè, ut sic loquar, negat omnipotentiæ productionem visionis sensitivæ corporis Christi, prout est in Eucharistia, saltem reduplicativè, imò fortè etiam specificativè, ut advertit Hiquæus in suo Commentario ad illum locum, *num.* 31. Quod probabile esse docet Suarez *disp.* 53. *sect.* 4. *conclusione* 2.

De cætero tota ratio Doctoris nostri, ob quam negat simpliciter, oculum corporeum posse cernere Christum, prout est in Sacramento, videtur in hoc consistere, quòd tam operatio, quàm tendentia potentiæ sit extensa, & non secundùm aliquod punctum indivisibile; adeoque minimè B possit in aliquod indivisibile tendere, præsertim si careat debitâ approximatione, & distantiâ secundùm locum.

Dices inde sequi, quòd Beatus possit decipi credendo in Eucharistia esse substantiam panis.

XVIII. Beatus clarè cognoscit in Eucharistia non esse substantiam panis.

Respondet 4. *dist.* 10. *quæst.* 9. *num.* 6. Quòd sensus etiam noster non decipitur circa Eucharistiam; quod enim percipit per se, hoc est ibi, scilicet quantitas, figura, color, & hujusmodi, nec est possibile modò, quòd circa Eucharistiam decipiatur visus noster: sed tantùm intellectus, arguens de his, quæ sensus apprehendit, quòd ibi est substantia panis. Hoc autem argumentum est sophisticum, licèt enim hoc eveniat, ut in pluribus, non tamen necessariò. Sanè in Beato evenire C potest, utpote qui, ut dictum est conclusione præcedenti, clarè videt per intellectum independentem pro illo statu à phantasmate, absentiam panis, & præsentiam corporis.

Instabis: Lux si esset punctualis, videretur, vel esset visibilis: tum quia sphæricè se diffunderet; tum quia reflexio fit à solo puncto corporis reflectentis & tamen illud videtur, à quo fit reflexio.

Respondet Doctor suprà num. 7. Quòd lumen punctuale non multiplicaret se ad organum corporale; ita quòd esset visibile secundùm communem opinionem, quæ dicit, quòd non est possi- D bile indivisibile moveri ex 6. *Physic.* sed hoc discussum est in 2. *lib. dist.* 2. de motu Angeli: ubi autem *num.* 36. usque ad 40. probat indivisibile posse moveri. Et cùm probas, *prosequitur Doctor*, quòd sphæricè se multiplicaret; negandum esset secundùm istam viam; imò priùs oporteret, quòd ipsum haberet in se indivisibilitatem quantitativam, quam ageret in quantùm passum.

Ad secundam probationem de reflexione luminis: Non cogit, *inquit*, quia in illa reflexione primum agens non est illa lux punctualis, quæ tangit corpus, à quo fit inflexio (si tamen lux punctualis esset ibi) sed est ipsum primum objectum, à quo multiplicatur illa lux: idem enim agit in visione recta, reflexa, & fracta. Unde punctus tangens E superficiem speculi non multiplicat radium reflexum, sed primum luminosum, quod usque ad speculum multiplicat lumen suum, illud etiam immediatè in ratione causæ multiplicat radium reflexum. *Rationem attexit:* Quia agens naturale, ex quo agit secundùm ultimùm suæ potentiæ, quando impeditur agere secundùm illam lineam, quæ est maximè conveniens actioni naturali, putà rectam, quæ est brevissima, agit secundùm eam, secundùm quam potest, scilicet secundùm lineam reflexam. Et hæc est ratio, quare non videtur in speculo imago ipsa corporis multiplicata usque ad speculum, sed ipsum corpus, cujus est imago.

ARTICULUS TERTIUS.

De Ministris, Susceptoribus, & Effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

Articuli distributio. POST dissolutos, ac partim dissectos omnes difficultatum nodos, quibus hæretici nedum, sed etiam Scholastici Doctores Catholici hunc Tractatum implicare solent, ac obnobilare; explicatu & conceptu longè faciliorem materiam (quæ agitanda supereſt) auſpicamur tribus in ſequentibus Sectionibus declarandam, quarum *prima* aperiet, quis ſit legitimus hujus Sacramenti Miniſter: *Secunda* quis & qualis eſſe debeat illius Suſceptor: *Tertia*, quinam ſint præcipui illius Effectus.

SECTIO PRIMA.

De Ministro Eucharistiæ.

I. Duplex est Eucharistiæ minister. CUM hoc Sacramentum, ut ex dictis liquet, ſit permanens, ac jugiter post conſectionem perſeverans, in eoque eſſentia ab uſu diſtinguatur, duplex eſt ejus Miniſter. Alter conficiens, cujus poteſtas & miniſterium maximè verſatur in conſecranda materia, & conficiendo hoc divino Sacramento: alter tantùm diſpenſans, qui priùs conſecratam materiam, & confectum Sacramentum diſtribuit. De utroque autem in hac Sectione diſſerendum eſt: utrum videlicet hujus Sacramenti conſectatio & diſpenſatio, ſoli & omni Sacerdoti novæ legis conveniat; quod utrumque præſtabimus in duabus ſequentibus Quæſtionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum conſecratio hujus Sacramenti ita ſit propria ac peculiaris Sacerdotibus novæ legis, ut à nullo alio, etiam in caſu neceſſitatis, fieri poſſit?

II. Quinam errârint circa Eucharistiæ ministrum. NOtandum primò, eum inter cæteros fuiſſe *Vvicleffi* errorem, ut refert *Vvaldenſis* tomô 2. cap. 28. ut hæreticus ille exiſtimaret Miniſtrum proprium & ordinarium hujus Sacramenti, eſſe quidem Sacerdotem; verùm ubi abſente Sacerdote conficiendæ Euchariſtiæ urgeret neceſſitas, quemlibet Laïcum ad hoc miniſterium poſſe evocari. Eundem errorem pridem ſepultum & extinctum denuò ſuſcitavit *Lutherus*, qui lib. de captivitate Babylonica cap. de Ordine, apertè docet, in caſu neceſſitatis quemlibet Chriſtianam virtute ſolius Baptiſmi abſque alia ordinatione poſſe Euchariſtiam conficere, & inſtitutos tantùm fuiſſe Miniſtros ad removendam confuſionem oriundam inter fideles, ſi unuſquiſque pro libito hoc myſterium conficere attentaſſet. Unde lib. de inſtituendis Miniſtris Eccleſiæ audacter pronuntiat: Dicimus, *inquit*, hoc officium conſecrandi eſſe omnibus commune, atque Sacerdotibus, idque non noſtrâ, ſed Chriſti aſſeremus authoritate, dicentis in cœna nuviſſima: Hoc facite in meam commemorationem. Idipſum docet Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 17.

III. Sacerdos *Notandum ſecundò*, certum eſſe ex dictis de Sacramentis in communi, quemlibet Sacerdotem, quantumvis pravum, & corruptis moribus, poſſe validè Euchariſtiam conſecrare, ſicut & alia Sacramenta miniſtrare, & conficere; quippe cùm hæc conſecratio fiat authoritate, & verbis Chriſti: Sicut enim, inquit Magiſter ſenteor. diſt. 13. ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt qui per Spiritum ſanctum ſuam efficit carnem & ſanguinem; unde S. Gregorius: *Putant quidam communionem corporis minùs eſſe ſanctificatam, ſi illorum fiat officiô, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu! in quàmmagnum laqueum incidunt, ut divina & occulta myſteria plus ab aliis ſanctificata poſſe fieri credunt: cùm unus idemque Spiritus ſanctus in tota Eccleſia inviſibiliter ea myſteria & operando ſanctificet, & ſanctificando benedicat.* Verùm difficultas eſt de Sacerdote hæretico, ſchiſmatico & degradato. quantumvis malus validè conſecrat.

IV. De hæretico & ſchiſmatico dubitat Magiſter ſent. *Notandum tertiò*, eam fuiſſe doctrinam Magiſtri ſent. quòd Sacerdos hæreticus, ſchiſmaticus & degradatus non haberet amplius poteſtatem conſecrandæ Euchariſtiæ: quia, *inquit diſt.* 13. nemo dicit in ipſa conſecratione *offero*, ſed *offerimus*, quaſi ex perſona Eccleſiæ; & ideo cùm alia ſacramenta extra Eccleſiam poſſint celebrari, de hoc non videtur: Verùm hæc doctrina ab omnibus Theologis reſpuitur; maximè à Doctore ſubtili, ut patebit infrà.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Solus Sacerdos eſt miniſter Euchariſtiæ conficiendæ. SOlius eſt Sacerdotis novæ legis Euchariſtiam *conficere & conſecrare*. Hæc eſt de fide determinata in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & refertur cap. *Firmiter:* his verbis: *Hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui ritè fuit ordinatus ſecundùm claves Eccleſiæ, quas conceſſit Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus Ieſus Chriſtus.* Idipſum docuerat Concilium Nicænum, can. 14. ubi correcturum abuſum Diaconorum, qui alicubi Euchariſtiam Sacerdotibus porrigebant, hanc rationem profert: *Hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut ſi qui offerendi ſacrificii non habent poteſtatem, his, qui offerunt corpus Chriſti porrigant.* Sed clariſſimè omnium Tridentinum, ſeſſ. 22. cap. 1. *Chriſtus*, inquit, *Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem. uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.* Quod & can. 2. repetit, oppoſitum ſentientibus anathemate percuſſis. Ut deſinitur Concilia.

VI. Docent SS. Patres. *Idem docent SS. Patres*, maximè S. Hieronymus dialog. adverſus Luciferianos, ubi de quodam Hilario ſchiſmatico dicit, quòd Euchariſtiam non potuerit conficere, quia Diaconus tantùm erat. Idem pariter affirmat S. Chryſoſtomus lib. de Sacerdotio, maximè verò ſecundò, ubi Sacerdotum dignitatem ſuper Angelicam evehit: *Quia*, inquit, *per Sacerdotes Chriſtum induimus, per ipſos membra beati ipſius capitis efficimur.* Unde infert quantæ ſit dignitatis munus, quod tametſi agitur in terra, cœleſtibus tamen negotiis continetur: *Non homo*, addit, *non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura, non Virtus, ſed ipſe Spiritus ſanctus hoc munus inſtituit, atque adhuc manentes in carne myſteriô fungi præſtitit Angelorum.*

Quomodo

Quomodo ergo nobis isti non solùm reverendi magis quàm Reges, aut Iudices, sed etiam nobis magis erunt honorabiles, quàm Parentes? Ergo Sacerdos ab aliis segregatur, unde ei soli in ordinatione dicitur: *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia Sacrificium tam pro vivis, quàm pro defunctis.*

Hanc autem conclusionem & veritatem sic exponit & declarat Doctor, *dist.* 13. *q.* 2. *num.*3. ubi » loquens de potestate ministeriali ad consecrandum, *ait:* Loquendo de posse simpliciter, nihil requiritur ultra materiam debitam, de qua dictum est *in fine dist.*11. nisi Minister debitus, ad quem requiruntur tres conditiones, scilicet quòd sit Sacerdos: quòd possit proferre verba consecrationis; & quòd possit habere intentionem debitã faciendi, scilicet quod intendit Ecclesia facere. Secunda conditio, & tertia, sunt communes hîc, & in ministrante alia Sacramenta: propter defectum secundæ, non potest mutus conficere. Propter defectum tertiæ, carens usu rationis non potest conficere. Et eôdem modô de baptizando, & conferendo quæconque alia Sacramenta. Sed potentia, conditio est hîc propria, scilicet quòd solus Sacerdos potest, & quilibet potest, cui possunt competere illæ duæ conditiones, scilicet prolatio, & intentio. Quòd solus, probatur per illud Extra. de summa Trinit. & fid. Cath. ubi dicitur: *Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui fuerit ordinatus secundùm claves Ecclesiæ.*

VII. Explicantur optimè Doctor subtilis,

Sed unde accipit Ecclesia fundamentum istius sententiæ? *Respondeo*, èx illo verbo Christi: *Hac quotiescunque feceritis, &c.* Ubi loquitur Apostolis, vel ad minùs, non nisi Discipulis, quibus in Ecclesia non succedunt, nisi Sacerdotes: Apostolis succedunt Episcopi: Discipolis Presbyteri, ut habetur dist. 21. *In novo Testamento.* Habetur idem etiam ex illa sententia Pauli 1. ad Corinth. cap. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?* Quem frangimus nos, *inquit*, SS. scilicet Apostoli, & Discipuli ejùs. Si enim quilibet fidelis posset conficere, non oporteret aliquem alium aliis frangere: sed quilibet posset de suo sacrificio communicare.

Aliam rationem subjicit Seraphicus Doctor, *dist.*13. *art.*1. *q.* 2. nempe quòd Sacramentum illud, *inquit*, quod magnâ reverentiâ habendum fuit, specialibus personis commissum est, & committi debuit: aut ergo ratione sanctitatis, aut ratione authoritatis. Si sanctitatis, ut dicunt hæretici: tunc ergo nemo est certus, utrum conficiat, & salus nostra pendet ex aliena bonitate. Si authoritatis, & authoritas potest tam bonis, quàm malis concedi, & hanc vocamus Ordinem Sacerdotii: constat ergo, quòd illi soli possunt.

Et Seraphicus.

Probant alii, ex eo quòd ille solus est Eucharistiæ cõficiendæ Minister, cujus est in nova lege religionis sacrificiũ offerre; nam, ut dicemus in appendice de sacrificio Missæ, Eucharistia sacrificando conficitur, & conficiendo sacrificatur: atqui non omnes promiscuè fideles potestatem habent sacrificandi; sed hoc munus ad solos Sacerdotes pertinet: *Tum quia*, ut docet Apostolus *ad Hebr.* 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: *Tum, quia* Sacerdos constituitur medius inter Deum, & hominem: nam, *inquit S.* Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio; *Per Sacerdotes Christum induimus; per ipsos Dei Filio conjungimur; per ipsos membra beata ipsius capitis efficimur. Tum, quia* hoc perpetua, ac constans confirmat Ecclesiæ Traditio, quam

VIII. Etiam suadet ratio Theologica.

A luculenter exhibet Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. ubi scribit: *Eucharistiæ sacramentum, & in tempore victùs, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu, quàm Præsidentium sumimus.* Undè lib. de præscriptionibus adversus hæreticos cap. 41. eos carpit, quòd Sacerdotalia & Episcopalia munera Laicis promiscuè concedant: *Alius*, inquit, *hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus. nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Ei prævertat Justinus Martyr apolog. 2. *Præsidens verò*, inquit, *postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione latâ eam approbavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia, &c.*

Confirmatur ex antiqua praxi Ecclesiæ, quâ licebat fidelibus Eucharistiam domum asportare; si enim fidelium quisque habuisset potestatem conficiendæ Eucharistiæ, necessum non fuisset, quòd de ea in Conventibus Ecclesiasticis accepta domum deportanda tantoperè fuissent sollicitì, cùm eorum quilibet illam momentô conficere potuisset.

IX. Et Ecclesiæ traditio.

Objiciunt hæretici nonnullas Scripturæ sacræ authoritates, quibus probare nituntur, omnes baptizatos reverà Sacerdotes esse, & Sacerdotale munus exercendi potestatem habere: Sic 1. Petri 2. sanctus Apostolus fideles omnes alloquens, ait: *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium.* Et Apocal. 1. de Christo dicitur: *fecit nos regnum & Sacerdotes Deo, & Patri suo.* Et cap. 5. *fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes.* Unde Tertullianus in exhortatione ad Castitatem cap. 7. scribit: *Nonne & Laici Sacerdotes sumus, scriptum est, regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem & plebem constituit Ecclesiæ authoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus à Deo: ubi Ecclesiastici Ordinis est consessus; & offert, & tinguit Sacerdos, qui est ibi solus. Sed & ubi tres, & Ecclesia est, licèt Laici. Vnusquisque enim de sua fide vivit.* Et paulò post: *Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas; oportet etiam disciplinam Sacerdotis necesse sit jus habere Sacerdotis.* Igitur quisque fidelis reverà Sacerdos censeri potest, & habet jus consecrandæ hostiæ, ubi selecti Sacerdotes non adsunt.

X. Proponuntur fundamenta hæreticorum,

Respondeo ad præfatos Scripturæ textus, eos esse intelligendos de Sacerdotio in laxiori usurpatione accepto, videlicet pro facultate offerendi Deo sacrificium bonorum operum: Hinc S. Petrus immediatè ante præfata verba hortatur fideles ad deponendam omnem malitiam, & omnem dolum; & ad amplectendam vitam innocentem, quales decet filios Dei adoptivos recèns in Christo genitos.

Sed exponuntur & solvuntur.

Pari modô accipiendi sunt textus Apocal. nam ibi eô modô Christiani dicuntur Sacerdotes, quô Reges: dicuntur autem Reges duntaxat secundùm mysticam, & moralem significationem, quatenus videlicet dum concupiscentias frænant, & passionum æstus moderantur, suis desideriis dominantur: igitur pari ratione dicuntur Sacerdotes, dum orationibus ad Deum fusis, sanctis operibus jugiter Deo oblatis, Deo offerunt sacrificium justitiæ & sanctimoniæ. De quo præ-

XI. Quâ ratione omnes fideles dicantur Sacerdotes.

clarè S. Chrysologus serm. 18. *In odorem thymiama semper orationis accende, arripe gladium Spiritûs, altare cor tuum pone, & sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam. Deus fidem, non mortem quærit; votum, non sanguinem sitit: placatur voluntate, non nece.* Et infrà expendens illud Apostoli: *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*, scribit: *Apostolus sic rogando omnes homines ad Sacerdotale fastigium provexit. O inauditum Christiani Pontificatûs officium! quando homo sibi ipse est & hostia & Sacerdos, quando hostia mactatur & vivit, & Sacerdos nescit occidere, qui litabit. Mirum sacrificium, ubi corpus sine corpore, ubi sine sanguine sanguis offertur, in tali victima mors expenditur, hostia permanet; vivit hostia, mors punitur.* Eôdem modô intelligendus est Tertullianus; non enim loquitur de sacrificio propriè dicto, nec de Sacerdotio consecrationis, sed de sacrificio orationis, Pœnitentiæ, & eleemosynarum, in quo unusquisque Christianus Sacerdos est. Quòd autem ea fuerit mens Tertulliani, inde liquet, quia Sacerdotium, & jus offerendi, de quo loquitur, fundat in fide, dicens: *Vnusquisque de sua fide vivit:* cùm autem fides æquè reperiatur in mulieribus baptizatis, ac in viris, sequeretur illas esse propriè Sacerdotes, & habere jus consecrandi; quod à doctrina Tertulliani prorsus alienum est; scribit enim lib. de velandis virginibus cap. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii sortem sibi vendicare.* *Adde, quòd* Tertullianus ibi loquatur de Sacerdotio, non quod reverà habeatur, sed quòd haberi possit; siquis videlicet Laïcus in Sacerdotem eligatur, & per Ordinum gradus ad Sacerdotium promoveatur. Scopus enim ejus in eo libro est damnare ac proscribere secundas nuptias, & hôc argumentô utitur: Bigami non possunt esse Sacerdotes, nec Sacerdotes possunt esse Bigami, sed Laïci, qui jam sunt Sacerdotes impropriè dicti per Baptismum, & per Ecclesiæ ordinationem possunt promoveri ad verum Sacerdotium, sunt virtute Sacerdotes: ergo non debent esse bigami, quia Ecclesia bigamos à Sacerdotio removet. Unde cùm scripsit: *Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas, &c.* Statim subdit: *Dicam, omnes nos Deus ita voluit dispositos esse, ut ubique sanctiones ejus obeundi sit disciplina; atque adeo nisi Laïci observent, per quæ Presbyteri adlegantur: quomodo erunt Presbyteri, qui de Laïcis adleguntur?*

Nota.

XII. Solvitur obscurus Tertulliani locus.

Vrgent hæretici: Illi omnes habent facultatem consecrandi, ad quos Christus D. Eucharistiam instituendo, hæc verba direxit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed ea direxit non solùm ad Apostolos & Sacerdotes, sed etiam ad omnes fideles, qui quoties panem Eucharisticum sumunt, toties mortem Domini annuntiant: igitur, &c.

Nego minorem: Nam, ut suprà notabat Concilium Tridentinum solis, Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus ea verba dicta fuisse, ac per illa potestatem consecrandi fuisse factam, semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.

Instant iterùm: Ecclesia non semper docuit, hanc facultatem consecrandi solis Presbyteris esse factam, si probaverit, consecrationem factam à Laïcis, ut legitimam & validam; sed ita esse probant, *Primò* ex Theodoreto lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. ubi narrat, quòd Frumentius cùm juvenis in India commoraretur, Christianos mercatores Romanos illuc appulsos ad celebranda divina mysteria, seu Liturgias invitavit: ipse autem non erat Sacerdos, sed Laïcus: igitur, &c. *Secundò*, legimus in Actis S. Petronillæ, quòd ipsa celebratis Dominicæ oblationis mysteriis & Eucharistiâ refecta, mortem obierit. *Tertiò*, in Prato spirituali cap. 25. narratur, quòd cùm Monachus Laïcus, super panes, quos secum habebat, verba consecrationis pronuntiasset, adstitit Angelus visibili formâ, qui panes reverà consecratos declaravit: igitur, &c.

Nego minorem: Et ad primam ejus probationem dico, Frumentium, ut narrat Ruffinus lib. 1. cap. 9. cum mercatoribus illis tantùm preces, Psalmos, & alia pietatis officia celebrasse, nec aliud habent, Nycephorus & Sozomenus, qui eandem historiam referunt. Quòd si ejusmodi actionem, Liturgiam nominavit Theodoretus, dico eum Liturgiæ nomen in latiori acceptione usurpasse, quatenus complectitur preces & orationes, quæ inter celebranda sacro-sancta mysteria referri solent, ac recitari, omissis verbis consecrationis, quâ ratione Missa nautica solitò dicitur Liturgia: Quia recitantur in ea omnes preces, quæ in Missa communi proferuntur, demptis verbis consecratoriis. Quòd si velis Theodoretum intelligendum de Liturgia propriè dicta; dico id equidem fortè verum esse, quia Frumentius ille tunc temporis potuit esse Sacerdos, cùm postmodum fuerit à S. Athanasio ordinatus in Episcopum Indorum. *Adde, quòd* illi mercatores potuerunt habere secum unum Sacerdotem tantæ peregrinationis comitem, ut fieri solet à Catholicis in remotissimas regiones navigantibus.

XIII. Expenditur factū Frumentii.

Ad factum S. Petronillæ dico, in ipsius Actis non haberi distinctè, quòd ipsa celebraverit divina mysteria, sed quòd spiritum emiserit celebratis mysteriis fortè ab aliquo Sacerdote, qui eam inviserat in carcere, ut fieri solebat tunc temporis: In primitiva namque Ecclesia Sacerdotibus solemne erat ad Christianos in carcere ergastulisque detentos convenire, quò afflictis solatium, angustiatis auxilia, certantibus verbi & Eucharistiæ potissimum robur conferrent, ut in Cypriani operibus passim legere est. Sufficient hæc ex lib. 1. epist. 2. *Quomodo docemus, aut provocamus eos in Confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Domini denegamus? Viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus. Cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimentô Dominicæ saturitatis armamus.*

XIV. Et S. Petronillæ.

Ad tertium, dico primò dubiam esse veritatem historiæ, quam falsam aliqui subodorantur, sicut librum in nonnullis vitiatum fuisse dicunt. Dico secundò quòd si vera sit, totum miraculosè, & de potentia extraordinaria contigisse; ex facto autem insolito, ordinariam Ministrorum potestatem dimetiri absurdissimum est. Ex rei portò gestæ narratione clarebit solâ Dei absolutâ potentiâ illud miraculi evenisse. *Frater quidam erat in Cœnobio Cuziba, qui sancta oblationis verba, ritumque didicerat: die ergo quôdam ut benedictiones ferret, cùm jam rediret ad Monasterium, verba sancta oblationis, quasi versus aliquos caneret, dixit: Easdem verò benedictiones imposuerunt Diaconi sancto Altari. Quas cùm Abbas Ioannes Presbyter offerret, qui postea Cæsareæ Palestinæ Epis-*

XV. Nec non & historia deprompta ex Prato spirituali.

copus fuit, non vidisset ut solitus erat sancti Spiritûs adventum. Contristatusque valde, & cogitans, ne quid fortè peccasset in mente, atque adeo se Spiritus sanctus avertisset, ingressus est Sacrarium plorans, corruitque in faciem suam. Apparuit autem ei Angelus Domini dicens: Quoniam frater ille, qui oblationes attulit, verba sancta oblationis in via dixit, sanctificata jam ac perfecta sunt. Ex tunc igitur statuit senior, ut nullus deinceps addisceret sancta oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quispiam diceret quocunque tempore absque loco consecrato.

Ex his manifestum est, consecrationem illam (si vera fuerit) factam fuisse duntaxat extraordinariô modô; nam certù constat ex dictis de Sacramentis in communi, Sacramentorum confectionem requirere intentionem ex parte Ministri; Sacerdos enim qui tantùm lectionis gratiâ legeret historiam institutionis Eucharistiæ ex Evangelio in officina pistoris, vel in alio loco, ubi plures panes adessent, ejusmodi panes non consecraret propter defectum intentionis. Constat autem, quod Monachus ille non habuit intentionem consecrandi, utpote qui quasi versus aliquos verba benedictionis, quæ didicerat, canebat. Porrò Deus hôc singulari eventu significare voluit, verba consecrationis, non nisi summâ veneratione; & à solis Sacerdotibus esse proferenda, neque puerilibus jocis, & ludis exponenda.

XVI. Grande miraculum quod accidit occasione puerorum Missam ludicrè celebrantium.

Hinc refertur in eodem *Prato spirituali, cap.* 196. miraculum aliud, quod pueris quibusdam Provinciæ Appamiensis contigit; cùm enim isti puerili consuetudine luderent, & Missæ sacrificium in Ecclesia celebrari solitum, positis supra saxum pane & vinô, celebrare attentassent; & eorum unus verba consecrationis, quæ à Sacerdote voce altiori inter ipsa Missarum solemnia proferente didicerat, protulisset, & omnia secundùm Ecclesiasticam consuetudinem fecissent: priusquam panes frangerent & communicarent, ignis cœlitùs delapsus, quæ proposita erant, consumpsit omnia; itaut ut nihil omnino, neque saxi, neque eorum, quæ fuerant apposita, residuum appareret; ut inde innotesceret omnibus quantâ reverentiâ verba, quibus tremenda mysteria conficiuntur, habenda sint. Nihil ergo ex hujusmodi historiis patrocinii hæreticorum errori accersitur; quinimò ipsis incutiendus est non exiguus timor, quòd sacrosancta hæc mysteria penes quemlibet plebeium reponenda esse contendentes, divinam in se animadversionem, & ultionem concilient.

Objiciunt secundò aliquos Conciliorum Canones, quibus removeri videtur à Diaconis facultas conficiendi Christi corporis; ex quibus inferunt, illam non esse solis Sacerdotibus propriam. Proferunt verò maximè Canonem secundum Concilii Ancyrani celebrati annô 314. ubi de Diaconis, qui idolis immolaverant, ita statuitur: *Diaconi similiter, qui immolaverunt, honorem quidem habeant, cessare verò ab omni sacro ministerio, sive à pane, sive à calice offerendo, vel prædicando. Quòd si quidam Episcoporum conscii sunt laboris eorum, & humilitatis, & mansuetudinis, & voluerunt eis aliquid amplius tribuere, penes ipsos erit potestas.* Similiter Concilium Laodicenum celebratum annô 320. can. 25. statuit: *Quòd non oporteat Subdiaconos panem dare; vel calicem benedicere.*

Nego consequentiam: Et ad Canonem Ancyranum dico, Diaconis illis, qui idolis sacrificaverant, prohiberi ne proprium suum officium implerent, quod in eo maximè consistebat, ut Sacerdoti sacrificaturo panem & calicem de more conferrent, & consecratam Eucharistiam fidelibus paratis distribuerent, ac sacrum Dei verbum ad populum facerent; quibus utique muniis privantur in præcedentis delicti, & scandali satisfactionem, donec intuitu laboriosæ suæ Pœnitentiæ, & piæ conversationis ad prædicta ministeria de consilio Episcopi restitui mererentur.

Ad canonem autem Laodicenũ dico, Subdiaconis prohiberi, ne usurparent officium Diaconi, quod erat panem Sacerdoti sacrificaturo offerre, & calicem ab inferioribus Ministris acceptum priùs benedicere, quàm Presbytero offerenti porrigeret.

Objiciunt tertiò: Qui potest majus, potest & minus: sed fidelis quisque, etiam Laïcus, sumere potest, & sumit Eucharistiam; quæ utique sumptio cùm sit finis consecrationis, est consequenter quid majus & nobilius, quàm consecratio: igitur etiam Laicus potest consecrare.

XVIII. Quomodo sumptio Eucharistiæ nobilior sit consecratione, & vice versâ.

Respondet Doctor, dist. 13. *quæst.* 2. *nu.* 20. distinguendo minorem: Sumptio est quid nobilius, & melius, quantùm ad utilitatem, concedit; quantùm ad potestatem, negat: Magis autem necessarium, *inquit*, licèt in se aliquando nobilius, pluribus tamen quandoque competit, quàm minùs nobile, quod est minoris nobilitatis; & ratio est, major, sive communior necessitas. Ita est hîc; quia Christus expressè docuit, se velle sumi in Eucharistia à quolibet Christiano, dicens: *Ioan.* 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis; & ibi loquitur omnibus: sed consecrationem, seu dispensationem noluit ita esse communem; quia non fuit necessarium, ut esset communis, possunt enim pauciores dispensare, quàm suscipere.

Conclusio Secunda.

XVIII. Quilibet Sacerdos validè consecrat.

Qvilibet Sacerdos, etiam hæreticus, schismaticus, & degradatus potest validè conficere Eucharistiam; non autem licitè, nisi habeat debitas conditiones. Hæc est communis, & eam expressè tradit Doctor, *dist.* 13. *quæst.* 2. *num.* 3. & sequentibus, ubi expressè docet, ad validè consecrandum, non ultrà requiri præter debitam materiam, quàm legitimum Ministrum, ad quem tres conditiones requiruntur, scilicet quòd sit Sacerdos, quòd possit proferre verba consecrationis, & quòd possit habere intentionem debitam faciendi scilicet, quod intendit Ecclesia facere. Propter defectum secundæ conditionis, mutus non potest consecrare; propter defectum tertiæ, carens usu rationis non potest conficere; propter defectum Sacerdotii nullus id potest attentare: Quia, ut subdit Doctor, *num.* 10. si non est Sacerdos, & attendat facere ut Sacerdos, non solùm peccat mortaliter, & nihil facit, sed irregularis est, ut habetur *Extra de Clerico non ordinato ministrante cap.* 1. *&* 2. & universaliter quicunque exequens, vel attentans actum alicujus Ordinis, quem non habet, irregularis est.

Porrò hujus primæ partis conclusionis veritas apertè constat ex iis, quæ diximus de legitimo Ministro Sacramentorum, ubi probatum est, omnes peccatores, etiam hæreticos, schismaticos, & degradatos, posse validè conficere & ministrare Sacramenta, quando aliunde ad id legitimam authoritatem habent.

Probat insuper Doctor, hîc *nu.* 2. ex quodam Canone qui habetur qu. 1. *quòd quidam dicant*, nulla causa ostenditur, cur ille, qui Baptismum non potest amittere, jus amittere possit baptizandi: ergo

à simili, qui Ordinem Sacerdotalem amittere non potest, nec jus conficiendi amittere potest: sed nullus Sacerdos potest amittere potestatem Sacerdotalem, quia character est indelebilis.

Dices: Degradatus non remanet Sacerdos; quia spoliatur privilegiô Clericali, & traditur Curiæ sæculari: igitur non potest validè conficere.

XIX. Etiam degradatus. *Distinguo antecedens:* Non remanet Sacerdos, quantùm ad licitum usum Sacerdotii, concedo: quantùm ad validum, nego: Nam (inquit Doctor nu. 5) non est essentiale Ordini habere illud privilegium concomitans; quia illud privilegium videtur concessum ab Imperatore Constantino, qui primus Principum admisit hoc privilegium in Concilio Nicæno, quando pronuntiavit Episcopos à solo Deo judicandos; quod utique prius decretum fuerat per *Alexandrum primum* epist. ad omnes Orthodoxos, & per *Caium* epist. ad Felicem Episcopum, & per *Marcellinum* epist. ad universos Episcopos Orientales.

Instabis: Qui potest conferre authoritatem consecrandi, potest & auferre: sed Ecclesia confert illam authoritatem Sacerdoti illum ordinando, & Sacerdotem instituendo: ergo potest hanc authoritatem consecrandi ab eo removere, ipsum degradando.

Negat majorem Doctor, num. 4. Non conceditur, *inquit*, quòd si quis potest aliquid ministerialiter conferre, sic possit etiam ministerialiter auferre, quia Deus non sic eum instituit Ministrum in amotione, sicut in collatione: & tunc illa regula 7. Topicor. cap. 8. *Facilius est destruere, quàm construere*, non conceditur de ministerialiter agente in Sacramentis, juxta illud Pauli 2. ad Cor. cap. ult. *Non dedit nobis Deus potestatem in destructionem, sed in ædificationem.*

Dices secundò: Sacerdos non consecrat & offert in persona propria, sed in persona Ecclesiæ: sed hæreticus & schismaticus non potest offerre in persona Ecclesiæ; quippe cùm ab ea sit præcisus: igitur nec consecrare potest. *Major patet*, siquidem Sacerdos consecrans non dicit, *Offero*, sed, *Offerimus*.

XX. Et hæreticus. *Respondet Doctor* ibidem primò, quòd oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessariò requiritur, quòd offeratur; offertur enim hostia non consecrata, & tunc est sacrificium, non Sacramentum: sicut Eucharistia consecrata conservata in pixide, est Sacramentum, licèt non ut ibi sit sacrificium, nisi aptitudinaliter. *Ita Doctor*, qui dum ait in sacrificio offerri hostiam non consecratam, sumit sacrificium pro termino *à quo*, & intelligendus est de materia *ex quâ*, eô sensu, quô SS. Patres docent, in sacrificio offerri panem & vinum; nam quòd Christus ipse sit hostia oblata, apertè docet cum communi Theologorum sententia, quodlibetô 20.

Respondet secundò, quòd etsi verùm sit, quemlibet conficientem debere conficere in persona Ecclesiæ, attamen tam schismaticus, quàm hæreticus, poterit validè conficere, quia potest habere intentionem Ecclesiæ in conficienda Eucharistia, intendendo videlicet facere quod Christus instituit faciendum, & quod Ecclesia facit, licèt non intendat in speciali, quia credit Eucharistiam nihil valere; eò quòd erret circa hoc Sacramentum.

XX. Quænam sint quæ impediãt à legitima confectione. *Secundam partem* declarat Doctor, *num.* 7. ubi requisita ad licitè consecrandum reducit ad tria capita, quæ sic exponit: Restat ergo, *inquit*, videre secundum membrum, scilicet de posse ordinatè conficere, & ad hoc multa concurrunt, quæ tamen omnia reduci possunt ad tria, loquendo de illis, quæ non requiruntur ad simpliciter posse: quia vel ista requiruntur ex parte Ministri, vel loci, vel temporis. Et secundùm hoc tres sunt articuli. *Primò*, videndum est de requisitis *ex parte Ministri* ad hoc, ut ordinatè possit conficere, supposito, quòd habeat materiam convenientem & possit verba proferre cum intentione debita superaddita hujusmodi. Ex parte Ministri sunt in duplici differentia, quædam sunt amotiones impedimentorum, & quædam appositiones convenientium, seu idoneorum. *De primo* impedimento ejus, quod est ordinatè conficere, sunt vel culpa tantùm, vel pœna tantùm: vel hæc pœna, nec culpa. 1. Impedimentũ culpæ. De impedimento culpæ, quomodo scilicet existens in peccato mortali non potest ordinatè conficere, dictum est *dist.* 9. de impedimento autem, quod nec est culpa, nec pœna, scilicet cùm quis non est jejunus jejuniô naturæ, dictum est ibidem. 2. Defectus jejunii.

Restat ergo hîc præcisè videre de impedimento, quod est pœna; nulla autem talis pœna est naturalis, sive in corpore, sive in anima, quia talis pœna non simpliciter impedit; sed tantùm pœna Canonica, vel naturalis, in quantùm super eam fundatur pœna Canonica. Pœna autem canonica (ut breviter dicam) est aliqua prohibitio actûs exercendi, vel gradum recipiendi, qui aliàs competeret non prohibito. 3. Pœnæ Canonicæ. Hujusmodi autem pœnæ multæ sunt non fundatæ super aliquam pœnam, vel defectum naturalem, ut degradatio, irregularitas, excommunicatio major, suspensio ab executione eorum, quæ sunt ordinis, simonia, infamia, & quædam alia hujusmodi ad ista reducibilia, ut sub infamia potest contineri esse publicum peccatorem, quod continet multa, scilicet publicum fornicatorium, publicum usurarium, & hujusmodi.

Aliquæ autem pœnæ Canonicæ fundantur super defectus naturales: non enim voluit Ecclesia, quascunque personas defectuosas ministrare in Altari: 4. Defectus naturales. & meritò, quia in veteri lege *Levit.* 21. ponitur lex homini, qui habuerit maculam, quòd non offerret Deo suo panem, nec ad ministerium ejus accederet. Isti autem defectus sunt, in quibus esset scandalum pusillorum, si taliter defectuosus in naturalibus, ministraret: & rationabiliter, quia quidquid sine peccato mortali potest dimitti, vitandum est, si ex exercitio ejus oriatur scandalum pusillorum; tale scandalum oriretur, si notabiliter defectuosi in naturalibus, ut mutilati, vel horribili infirmitate infirmi, ut leprâ, & hujusmodi, ministrent altari. Ideo Ecclesia rationabiliter talibus defectibus naturalibus adjunxit pœnas canonicas, scilicet prohibitiones ministrandi propter reverentiam Sacramenti, & ad vitandum scandalum pusillorum. Et istæ probitiones patent ex Canone *dist.* 25. & *extra de corpore vitiatis*. Requiritur ergo in ordinatè conficiente ablatio omnium horum impedimentorum: quia habens quodcunque istorum si conficit, facit contra prohibitionem Ecclesiæ, & per consequens non ordinatè.

Secundum requisitum ex parte Ministri, est appositio convenientium, scilicet ornamentorum, ut habetur *de consf. dist.* 1. *Vestimenta*. Dicitur ibi, quòd vestimenta Ecclesiæ, quibus Deo ministratur, debent esse sacrata, & honesta, quibus in aliis usibus non debent uti, quàm in Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis. Quæ autem sint hæc 5. Carentia ornamentorũ requisitorum.

" indumenta, exponit Innocentius de Offic. Missæ part. 1. cap. 10. *Sunt*, inquit, *sex indumenta communia Episcopis, & Presbyteris. scilicet amictus, alba, cingulum, stola, manipulus, & planeta*. In quibusdam tamen locis consuetudo obtinuit, quòd non oportet cingulum benedici, & sic non apparet, quin liceat uti cingulô non benedictô. Plura alia his similia habet ibidem Doctur, quorum nonnulla referemus agendo de Missæ sacrificio.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quis sit legitimus Minister dispensandæ Eucharistiæ?

I. *Plura requiruntur ad dispensationem quàm ad confectionem Eucharistiæ.*

NOtandum primò, ex Doctore Subtili in 4. dist. 13. q. 2. n. 20. quòd licèt dispensare Eucharistiam, minus sit, quàm conficere; plura tamen requiruntur ad dispensationem, quàm ad confectionem, quia dispensatio non respicit tantùm Christi corpus verum, sed etiam mysticum, nempe fideles, in quos dispensans debet habere quandam authoritatem; unde præter potestatem Ordinis, quæ ad conficiendum sufficit, videtur prætereà requiri potestas jurisdictionis, ad dispensandum.

II. *Duplex est potestas jurisdictionis.*

Notandum secundò, duplicem distingui posse potestatem jurisdictionis; ordinariam videlicet, quæ convenit ex officio, & delegatam, quæ conceditur ab habente ordinariam jurisdictionem. Quæritur autem utrum hæc utraque potestas dispensandæ Eucharistiæ, omnibus, & solis Sacerdotibus conveniat.

III. *Etiam duplex est Eucharistiæ dispensatio.*

Notandum tertiò, duplicem distingui posse dispensationem Eucharistiæ, sive ordinariam, sive delegatam, nempe vel principalem, vel subsidiariam: *Prima* est, quâ corpus & sanguis Christi traditur suscipienti ab habente jurisdictionem. *Secunda* verò est, quâ vel vasa sacra, quibus corpus & sanguis continentur, deferuntur ac portantur ad eum, qui facultatem habet dispensandi, ut scilicet utrumque possit conferre suscipienti; vel quâ ministrans tantùm Eucharistiam confert ad imperium ministri ordinarii vel delegati, sed ad id ex se non habet jurisdictionem.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. *Solus Sacerdos habet Jurisdictionem dispensandæ Eucharistiæ.*

SOlius Sacerdotis est Eucharistiam ex principali officio dispensare: sive ex Iurisdictione ordinaria, sive delegata. Hæc est communis apud Theologos, & colligitur ex 1. ad Cor. 4. ubi Apostolus quot Sacerdotes appellat *Ministros Christi*, eosdem vocat *dispensatores mysteriorum Dei*. Hinc Concilium Trident. sess. 13. cap. 8. hanc doctrinam ex Apostolica Traditione manasse affirmat: *In Sacramentali*, inquit, *sumptione, semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos tanquam ex Traditione Apostolica descendens, jure ac meritò retineri debet*. Rationem congruam accipio ex Doctore Subtili 4. dist. 13. q. 2. num. 20. Quia sicut ab anima, mediante corpore, derivantur virtutes animæ ad cætera membra, & in corde est principalis sedes: & etiam in qualiber politia actus principales pertinentes ad illam politiam, pertinent ad aliquam personam principalem in illa politia; ita rationabile est istum actum conficiendi, & dispensandi Eucharistiam residere apud illum, qui est principalis in Hierarchia Ecclesiastica: hujusmodi autem est Sacerdos: ergo, &c. *Confirmatur*, quia non minoris reverentiæ, vel authoritatis est, posse super corpus Christi verum, quàm super corpus Christi mysticum: secundum autem soli Sacerdoti convenit: æquè ergo, vel magis, propter reverentiam corporis Christi veri, soli Sacerdoti conveniet authoritas respectu ipsius conficiendi, & regulariter dispensandi. Non enim potest in Ecclesia minùs digna persona, nec minùs dignus gradus inveniri ad consecrationem, vel dispensationem istius Sacramenti, in quo veraciter & realiter continetur ille, qui est Sanctus Sanctorum.

Aliam similem rationem profert S. Thomas in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. ubi ait: Quòd sicut in corpore naturali sunt quædam membra principalia, per quæ virtutes & operationes vitæ, à principio vitæ ad cætera membra decurrunt: ita & in Ecclesia Sacerdotes sunt, quasi membra principalia, quibus mediantibus Sacramenta ritè populo ministrari debent, & ideo laicis, quantumcunque sanctis, sicut nec consecratio, ita nec dispensatio hujus Sacramenti competit.

Si requiras unde constet soli Sacerdoti hoc ministerium competere? *Respondeba* id constare ex verbis Christi, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus utique verbis sicut consecrationem sui corporis principaliter, sic etiam secundariò ejusdem distributionem commisit Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus. Hinc in hymno festi corporis Christi canit Ecclesia: *Cujus* (Sacramenti conficiendi) *officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit ut sumant & dent cæteris*. Sicut ergo solus Sacerdos ex officio, & ex vi suæ ordinationis verum Christi corpus consecrat, & sumit: ita pariter solus Sacerdos ex officio aliis distribuit.

V. *Eamque vel ordinariam.*

Dixi in conclusione *ex jurisdictione ordinaria, vel delegata*; ut enim licitè fiat hæc Eucharistiæ dispensatio, requiritur ut Minister ad id jurisdictionem & authoritatem habeat; idque vel ordinariam, vel delegatam. Portò ordinariam habent summus Pontifex in universa Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi, Parochus in sua Parochia, & Religionum Superiores in sibi subditos respectivè; ac subinde hæc ordinaria dispensandæ Eucharistiæ jurisdictio non competit omnibus Sacerdotibus. Licèt enim Eucharistiæ administratio non sit actus jurisdictionis propriè dictæ, sicuti est absolutio Sacramentalis; est tamen proprius actus Pastoris, cujus est sibi creditas oves pascere, non solùm prædicatione verbi Dei, sed etiam cœlesti pabulô corporis & sanguinis Christi; unde præclarè S. Leo epist ad Theodutum Episcopum Forojuliensem scribit: *Mediator Dei & hominum Christus Iesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Quæ solis Pastoribus,

Idipsum colligitur ex Concilio Carthaginensi 1. tempore Julii Papæ I. cap. 7. ubi sic loquitur: *Cassianus Vsulensis Episcopus dixit: Statuat gravitas vestra, ut unusquisque Clericus vel Laicus non communicet in aliena plebe, sine litteris Episcopi sui. Gratus Episcopus dixit: Nisi hoc observatum fuerit, Communio fiet passim. Nam si cum litteris receptus fuerit, & concordia inter Episcopo servatur, & nemo subditus alterius fugiens Communionem, ad alte-*

rum latenter accedit. Vniversi (Episcopi) *dixerunt: Omnibus provides, & Clero, & Laicis consulis.* Idem reperitur in Concilio Milevitano II. cap. 18. his verbis: *Placuit, ut quicunque non communicat in provincia propria, & in aliis provinciis vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, jacturam Communionis, vel Clericatûs excipiat.*

Quibus locis, ut optimè notat *Bosco* sect. 12. num. 5. licèt prohibitio fiat ex parte communicantium, ne ab alienis Eucharistiam percipiant; tamen relatio hæc mutua est, & reciproca obligatio, fundata quoque in ipso jure naturali; supposità Reipublicæ institutione, & debitâ gubernatione, ut nemo mittat falcem in messem alienam, nec jus alienum usurpet; alioquin nec justitia, aut pax servari possunt, nec divina mysteria convenienter dispensari; neque animabus fidelium pro eatum captu, vel necessitate providere-

VI. Vel delegatam quæ etiam Religiosis privilegiatis comperit.

tur. Et idcircò antiquâ consuetudine servatum est, ut, qui præest, hoc Sacramentum populo dispenset, uti colligere licet ex cap. 12. *Omnis utriusque sexûs*, de Pœnitentiis & remissionibus ibi: *Suscipiens reverenter ad minùs in Pascha Eucharistia Sacramentum, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Quamvis autem in isto capite solùm sit sermo de Communione præcepta, quam constat ex manibus proprii Pastoris esse accipiendam; eadem tamen videtur esse ratio Communionis liberæ. Alioquin quid opus fuisset tot privilegiis, quibus Religiosis Mendicantibus conceditur ista facultas? Sed de hoc infrà. Quòd autem Religiosi Mendicantes, maximè Franciscani verè possint, exceptâ Communione Paschali ministrare sacram Eucharistiam in suis Ecclesiis, apertè constat ex concessione Nicolai V. Sixti IV. Leonis X. Pauli IV. & Innocentii X. quorum concessiones referunt Rodriguez & Pontius in summâ Theologiæ disp. 46. num. 121.

CONCLUSIO SECUNDA.

VII. Diaconi in necessitate possunt dispensare Euchar. stiam.

D*iaconi ex speciali commissione Sacerdotis, & urgente casu gravis necessitatis, possunt dispensare corpus & sanguinem Christi, non quidem ut principaliter dispensantes, sed ut famulantes, & obsequentes.* Prima pars colligitur ex antiqua Ecclesiæ praxi, quâ constat Diaconos solitos fuisse Eucharistiam ministrare, ut notat S. Justinus apolog. 2. pro Christianis, ubi scribit: *Absolutâ gratiarum actione Præsulis, & oratione totius plebis, Diaconi, quos vocamus, dant singulis præsentibus, partem panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, quod alimentum, apud nos vocatur Eucharistia.* Item habet S. Cyprianus serm. de Lapsis, ubi scribit: *Solemnibus adimpletis, Diaconus calicem offerre præsentibus cœpit.* Colligitur pariter ex Concilio Niceno can. 14. ubi legimus: *Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam & civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant: hoc neque regula, neque consuetudo tradidit... Sed & illud innotuit, quòd quidam Diaconi etiam ante Episcopum Sacramenta sumant. Hæc ergo omnia amputentur, & accipiant secundùm ordinem post Presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero sacram Communionem; quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant.* Quibus verbis conceditur Diaconis facultas sibiipsis ministrandi Eucharistiam in absentia Sacerdotum. Quòd etiam aliis eam potuerint porrigere præsente Episcopo & Presbytero, constat ex Concilio Carthaginensi 4. & ex epist. 10. Gelasii Papæ. Hæc autem praxis communis erat in primitiva Ecclesia, quia propter inopiam Sacerdotum, & frequentationem sacræ Communionis, Eucharistiam communiter dispensabant Diaconi.

Porrò quòd id non præstabant authoritate propriâ, neque ex commissione principali, sed tantùm sicut Ministri & famuli Sacerdotum, apertè docet S. Clemens Papa lib. 8. Constit. cap. 28. & significat S. Laurentius, qui sanctum Sixtum summum Pontificem ad martyrium properantem sic alloquebatur: *Experire, utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Ubi signanter dicit: *Cui commisisti*, ut significaret potestatem illam tantùm esse delegatam, ac Sacerdotio subordinatam.

VIII. Non ex authoritate principali, sed tantùm subsidiaria.

Unde Doctor *dist.* 13. *q.* 2. *num.* 10. ait, congruè quidem concessam fuisse S. Laurentio, sicut & cæteris Diaconis dispensationem sanguinis Christi: Quia, *inquit*, sanguis non dispensatur, nisi in calice; tactus autem calicis conceditur « Diacono: sed corpus non dispensatur, nisi spe- « cies panis tangatur; unde colligit, quòd Diaco- « nus ordinariè poterat ministrare sanguinem eò « tempore, quò fiebat communio sub utraque « specie; non poterat autem ministrare corpus « Christi, nisi ex præcepto Sacerdotis, & urgente « necessitate. «

Quod etiam approbat S. Thomas *q.* 82. *art.* 3. *ad* 1. dicens, quodcùm Diaconus sit quasi pro- « pinquus Ordini Sacerdotali; aliquid participat « de ejus officio, ut scilicet dispenset sanguinem, « non autem corpus, nisi in necessitate jubente « Episcopô vel Presbyterô: *Primò* quidem, quia « sanguis Christi continetur in vase, unde non « oportet, quòd tangatur à dispensante, sicut tan- « gitur corpus Christi. *Secundò*, quia sanguis desi- « gnat Redemptionem à Christo in populum derivatum; unde & sanguini admiscetur aqua, quæ « significat populum, & quia Diaconi sunt inter « Sacerdotem & populum, magis convenit Dia- « conis dispensatio sanguinis, quàm dispensatio « corporis. «

IX. Unde Diaconus potest ministrare Viaticum absente Sacerdote.

Ex his collige; quòd absente Sacerdote posset Diaconus urgente mortis periculô Eucharistiam infirmo periclitanti ministrare, ut communiter Theologi recentiores cum Soto in 4. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. Multò magis poterit, eôdem urgente periculô sibiipsi Eucharistiam ministrare; utrumque autem interdicitur tum Subdiacono, tum Laïco ut colligitur ex Concilio Rhemensi cap. 2. ubi legimus: *Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam Presbyteri in tantum parvi pendant divina mysteria, ut laïco, vel fœmina sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec de altari appropinquent, illis Sancta Sanctorum committuntur: quod quàm sit horribile, quàmque detestabile; omnium Religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio alteriùs fiat, sed omnimodis Presbyter per semetipsum infirmum communicet; quod si aliter fecerit, gradûs sui periculo subjacebit.*

X. Non verò Subdiaconus aut Laicus.

Hæc tamen dicta sint, quantùm ad prohibitionem ex jure Ecclesiastico; nam de jure divino laïcis, multò minùs Subdiaconis non interdicitur contrectatio, & administratio hujus Sacramenti. Hoc enim usitatum erat antiquitus apud fideles: nam teste Eusebio *lib.* 6. *historiarum cap.* 36.

Presbyter quidam infirmus misit particulam consecratam ad Serapionem senem moribundum per puerum, è cujus manibus juxta Presbyteri mandatum illam sumpsit. Similiter S. Gregorius *homil. 40. in Evangelia*, refert, quòd S Romula in extremis communionem acceperit à Redempta Magistra sua. Hinc antiquitus fideles accipiebant Eucharistiam de manu Sacerdotis, eamque secum domum deportabant, ut congruenti tempore propriis manibus eam sumerent: quæ utique praxis adhuc vigebat tempore S. Augustini, scribit enim serm. 252. de tempore: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant.* Quam utique veritatem pluribus momentis & exemplis confirmavimus, quando probavimus, Eucharistiæ Sacramentum esse permanens. Solô itaque Ecclesiasticô jure vetitum est, ne etiam urgente necessitate Laïci, vel Clerici inferiores Eucharistiam contrectent, & ministrent. Sicut ergo id prohibet Ecclesia, ita permittere potest rationabili de causa, quemadmodum Pius V. summus & sanctus Pontifex permisit inclitæ *Maria Stuart* Reginæ Scotiæ, ut sibimet sactam Eucharistiam à Sacerdote acceptam ministraret, quatenus adversus impiæ Elizabethæ Angliæ Reginæ tyrannidem & crudelitatem sacrô divinæ Communionis clipeô muniretur.

Licèt id factum fuerit antiquitùs.

SECTIO SECUNDA.

De Suscipientibus Eucharistiam.

QUAMQUAM Eucharistiæ Sacramentum in re permanenti potissimùm consistat, idque habeat peculiare præ cæteris novæ legis Sacramentis, quòd ejus entitas, & formalis ratio ab usu & susceptione distinguatur; nihilominus certum est, illud efficacitatem suam non exerere, nisi dum sumitur. Quocirca etiam maximè illius confectio ad sumptionem tanquam ad finem primarium ordinatur, qui licèt in executione sit posterior, in intentione tamen prior censendus est; unde rectâ ac congruâ methodô, post declaratam confectionem, ac dispensationem hujus Sacramenti, nunc agendum occurrit de illius Susceptoribus. In quo tria præcipuè in quæstionem veniunt: *Primum*, quantæ sit necessitatis Eucharistiæ sumptio: *Secundum*, quibusnam concedi possit, aut negari: *Tertium*, quis apparatus sit necessarius ex parte suscipientis ad debitam & proficuam illius receptionem.

Status Sectionis.

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ & qualis sit necessitas Eucharistiæ suscipiendæ?

I. Sacramentum dici potest necessarium, vel necessitate medii, vel præcepti.

NOtandum primò, dupliciter Sacramentorum usum censeri posse necessarium, videlicet necessitate medii, aut præcepti. *Necessitas medii* ea dicitur, quâ Sacramenti alicujus susceptio tantam, tamque necessariam cum salute consequenda connexionem habet, ut illius omissio sufficiat ad æternam damnationem: sic gratia sanctificans in omnibus, & opera meritoria in multis necessaria sunt ad vitam æternam obtinendam: *Necessitas* verò *præcepti* ea est, quæ ex natura sua non habet necessariam connexionem cum salute stabilienda, sed tantùm ex præcepto divino, vel Ecclesiastico,

A ut jam pluries diximus, agendo de necessitate Sacramentorum in communi, nec non & de necessitate suscipiendi Baptismatis.

II. Triplex est modus sumendæ Eucharistiæ.

Notandum secundò, triplicem esse sumendæ Eucharistiæ modum: alius enim est purè Sacramentalis, alius purè spiritalis, alius verò Sacramentalis & spiritalis simul, ut præclarè docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. ubi ait: *Quoad usum autem* (hujus Sacramenti) *rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum suscipiendi distinxerunt: quosdam enim docuerunt, Sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores, alios tantùm spiritualiter, illos nimirum, qui votô propositum illum cælestem panem edentes, fide vi-* B *vâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt: Tertios porrò Sacramentaliter & spiritualiter, hi autem sunt, qui ita se priùs probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.*

Quæ utique triplex Eucharistiæ susceptio assimilari potest triplici Verbi divini conceptioni, quæ vel mente duntaxat, vel corpore solùm, vel utrôque simul modô contingere potest; quemadmodum enim inanis prorsus & frustranea foret sola conceptio corporis, si abesset conceptio mentis, ut præclarè observat S. Bonaventura in c. 11. Lucæ, scribens: *Maria non tantùm beata fuit, quia Christum gestavit in carne: verùm etiam beatior,* C *quia ipsum perfectissimè gestavit in mente: secundùm quod dicit Augustinus: Beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi, quàm carnem Christi.* Ita à simili non solùm nil prodest, sed multùm obest sola Sacramentalis susceptio Christi corporis à peccatoribus, qui impurô ore & corde tam pura mysteria tractantes judicium sibi manducant, & bibunt. Secunda autem conceptio Verbi divini utilissima est, & Christianis omnibus necessaria; ad hoc enim Christiani sumus, ut Spiritu renovati, & regenerati Christum induamus, & Christus ipse ita in nobis formetur, ut unusquisque nostrum cum Apostolo dicere possit: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Sic pariter uti- D lis est susceptio spiritalis Christi corporis, quæ fit à viris pietate & charitate illustribus, qui erga Christum, maximè tempore sacrificii Missæ simili desideriô ac votô afficiuntur, quô famuli Job, cùm dicerent cap. 31. *Quis det de carnibus ejus ut saturemur?* Denique sicut tertia Conceptio Christi longè cæteras antecellit, in quo eximiè elucet dignitas Deiparæ Virginis, quæ corpore Filium Dei genuit, quem mente conceperat: ita longè cæteris præstat tertius modus suscipiendi Christi corporis; qui enim corpore simul & religiosâ mente Eucharistiam recipit, tantam inde gratiæ, & divinorum charismatum segetem mutuatur, ut Deiparæ maternitatis fœlicitatem quadamtenùs vi- E deatur æmulari.

III. Duplex est votum rei faciendæ, vel suscipiendæ.

Notandum tertiò, votum alicujus rei suscipiendæ, vel faciendæ esse duplex, explicitum scilicet, & implicitum. *Explicitum*, est desiderium rei ad ipsam rem expressè cognitam terminatum. *Implicitum* verò, est desiderium ejusdem rei, non in seipsa distinctè cognitæ, sed in aliquo alio cum illa aliquam connexionem habente. Quæritur autem, an realis susceptio Eucharistiæ, vel saltem votum ejus explicitum sit omnibus ad salutem necessarium necessitate medii: circa quam controversiam multiplex est sententia: *Prima* hæreticorum, nam ut ex Guidone Carmelita refert Vualdensis tomô 2. de Sacramentis c. 91. *Armeni* quidam hæretici existimârunt, realem susceptionem

Eucharistiæ omnibus hominibus esse medium necessarium ad salutem; unde simol eum Baptismo parvulis Euchatistiam ministrabaot. Idem de *Iacobitis* & *Nestorianis* refert Prateolus. Catholici verò tres in sententias distribuuntur; *Aliqui* enim quos refert Vasquez disp. 169. asseiunt Eucharistiæ susceptionem in voto explicito necessariam esse ad salutem. Quidam verò docent ad id sufficere & requiri votum implicitum & virtuale, quod in susceptione Baptismi, & aliorum Sacramentorum imbibitur; quia nimirum Eucharistia se habet per modum finis omnium Sacramentorum, & cætera ad ipsam tanquam media ordinantur; quicunque verò appetit medium, virtualiter censetur ipsum finem desiderare. Cæteri verò Theologi communiter docent, Eucharistiam neqoe in re, oeque in voto esse medium necessarium ad salutem. His ita præmissis, tria occurrunt hîc determinanda: *Primum*, utrum & quomodo realis Eucharistiæ susceptio medium sit necessarium ad salutem. *Secundum*, an ad illam teneantur omnes adulti fideles præceptô divinô: *Tertium*, an & quando ad ipsam obligentur ex præcepto Ecclesiastico?

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Eucharistia non est necessaria ad salutem necessitate medii. *Sacramenti Eucharistiæ realis susceptio nec in re, nec in voto explicito necessaria est ad salutem necessitate medii.* Hæc est communior & verior, & quantùm ad primam partem est certa de fide; quod utique constat ex Traditiooe, & consuetudine Ecclesiæ; si enim esset medium necessarium ad salutem, sine ea non possent salvari tam adulti, quàm parvuli: sed falsum consequens: ergo, &c. Major constat exemplô Baptismatis, quod cùm sit necessarium necessitate medii ad salutem in lege Evangelica, nullus absque eo in re vel in voto suscepto salvari potest. Minor verò constat de adultis ex consuetudine Ecclesiæ, quæ *nec* phreneticis, *nec* vomitum patientibus, *nec* ad mortem damnatis, aut quodcunque periculum alicujus indecentiæ, & irreverentiæ erga sacram Eucharistiam habentibus, eam solet porrigere, etiam in mortis articulo. Quod utique evidens argumentum est, realem & sacramentalem Eucharistiæ susceptinnem oon esse necessariam necessitate medii ad salutem; nunquam enim Ecclesia censeret, hujusmodi homines tali mediô ad salutem necessariô esse privandos.

Tam adultis. Quantùm autem ad parvulos id apertè tradit Concilium Trident. sess. 21. cap. 4. his verbis: Eadem sancta Synodus docet *parvulos usu rationis carentes nullâ obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt: neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt:* *Quàm parvulis.* *ita certè eos nullâ salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Unde Can. 4. sic pronuntiat: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit:* igitur oec adultis, nec parvulis actualis Euchatistiæ susceptio, vel votum illius explicitum oecessarium est ad salutem necessitate medii.

Eandem veritatem apertè comprobat ratio Theologica: Illud enim tantùm oecessarium est necessitate medii ad salutem consequendam, sine quo gratia sanctificans nequit obtineri: sed realis Eucharistiæ susceptio, aut illius votum explicitum non sunt absolutè necessaria ad gratiam saoctificantem obtinendam: igitur nec ad salutem. Major constat; gratia namque sanctificans sufficit ad æternam salutem; & consequenter qui potest habere gratiam sanctificantem independenter ab aliquô, eô absolutè noo eget ad consequendam salutem. Mioor verò probatur: Illud absolutè necessarium est ad obtinendam gratiam sanctificantem, quod per se institutum est ad remissionem peccati: sed Eucharistia ad id oon est per se primò iostituta; imò supponit peccatum remissum, & statum gratiæ: igitur, &c. *Adde, quòd* plurimi inter sanctos Cœlites computantur, qui tamen Eucharistiam non susceperunt, putà Martyres, qui videndo aliorum in fide tuenda mediis in tormentis coostantiam, Christi fidem professi sunt, & illicò propriô sanguine sunt baptizati.

V. Unde non est eiusdem necessitatis ac Baptismus. *Objicies primò:* Quâ ratione de Baptismo dicitur Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei:* eâdem ratione dicitur Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* sed ex prioribus verbis colligitur, Baptismum esse necessarium ad salutem necessitate medii: igitur idipsum colligi debet ex posterioribus. *Confirmatur* ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ Sacramentum Eucharistiæ etiam parvulis unà cum baptismate conferebat, ut testatur S. Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. & 3. & S. Cyprianus serm. de Lapsis, & S. Augustinus epist. 107. quæ est ad Vitalem; quam utique consuetudinem adhuc suô tempore viguisse scribit S. Anselmus in cap. 2. Lucæ: sed aliunde hanc praxim oon usurpavit Ecclesia, quàm quia judicavit Eucharistiam ita susceptam oon minùs ad salutem esse necessariam, quàm Baptismus: igitur, &c.

Respondeo paritatem utriusque in eo consistere, quòd quemadmodum Baptismus est de necessitate salutis in re vel in voto susceptus; ita quòd sicut adulti sine voto Baptismi salvari oon possint, licèt absque eo reipsà suscepto, & cum solo ipsius voto interdum salventur; ita sine aliquo Eucharistiæ voto, saltem implicito nullus adultus salutem potest consequi; etiamsi absque illius actuali susceptione aliquando obtineat. Hoc tamen interest inter utrumque Sacramentum, quòd Baptismus sit principium vitæ spiritualis, & janua aliorum Sactameorotum; Eucharistia verò sit ipsius vitæ spiritualis fastigium & consummatio, ac veluti finis: qoippe cùm alia Sacramenta idcirco animæ sanctificationem instituant, vel perficiant, ut persectinri modô Eucharistia suscipiatur.

VI. Vtriusque discrimen optimè declaratur. Unde receptio Baptismi est absolutè necessaria ad vitæ spiritualis inchoationem; ac subinde sine eo in re, vel in voto suscepto nemo salvari potest: secùs autem est de Eucharistia, quæ cùm tantùm videatur necessaria ad ipsius vitæ spiritualis consummationem; hinc est, quòd absque ejus actuali susceptione, vel voto explicito possit hæc spiritualis vita, ac subinde salus haberi. Parvuli autem per Baptismum ordinantur ad Eucharistiam, & sic habent illius votum implicitum, hôc enim ipsô, quô quis baptizatur, per Ecclesiam ordinatur ad receptionem aliorum Sacramentorum, maximè Eucharistiæ, & sic habet illius votum implicitum: sicut enim parvuli ex fide Ecclesiæ credunt, ita ex voto & intentione Ecclesiæ recipiunt aliquem

aliquem fructum Eucharistiæ, licèt eum reipsà non suscipiant. Ad Baptismum autem non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum; & ideo ante susceptionem Baptismi pueri non possunt habere Baptismum in voto, sicut adulti, ac proinde effectum Baptismi sine ipsius actuali susceptione non possunt recipere. Ex quibus apparet, Baptismi susceptionem longè majoris esse necessitatis, quàm Eucharistiæ.

Ad confirmationem dico cum Concilio Trident. Patres illius temporis id quidem fecisse rationabili de causa, non tamen hâc praxi necessitatem absolutam Eucharistiæ suscipiendæ agnovisse; alióqui paris necessitatis censenda esset Confirmationis susceptio; nam hæc parvulis post Baptismum unà cum Eucharistia continuò conferebatur; nemo tamen dixerit, Confirmationis susceptionem ad salutem esse absolutè necessariam.

VII. Nec aliter sensit S. Augustinus.

Instabit: Talis per ea verba Joan. 6. intelligitur necessitas Eucharistiæ suscipiendæ, qualem agnoverunt SS. Patres, maximè S. Augustinus: sed ipse censuit susceptionem Eucharistiæ non minùs ad salutem esse necessariam, quàm Baptismi: igitur, &c. Major constat. Minor probatur ex ipsomet S. Augustino lib. de peccatorum meritis & remiss. cap. 20. ubi cùm probasset ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. existentiam peccati originalis, & Pelagiani vim hujus argumenti eludere cupientes, distinguerent inter regnum Dei, & vitam æternam, vellentque illud solis baptizatis esse donandum; istam verò parvulis etiam Baptismate non initiatis: S. Augustinus hanc elusionem præcludens, ostendit, quòd à vita æterna excludendi etiam essent non baptizati, propter illud Christi D. oraculum: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. scribit autem: *Auferatur ergo jam dubitatio, Dominum audiamus, non suspiciones conjecturasque mortalium: Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de Sacramento lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ, ad quod nemo ritè nisi baptizatus accedit:* Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. *Quid ultrà quærimus? Quid ad hoc respondere poterunt, nisi pertinaciâ pugnaces nervos adversus constantiam perspicuæ veritatis intendant? An verò quispiam etiam hoc dicere audebit, quòd ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus & sanguinis in se habere vitam, quia non ait:* Qui non manducaverit, *sicut de Baptismo:* Qui non renatus fuerit, *sed ait:* Si non manducaveritis, *velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore, & sanguine Filii Hominis vitam habere non possint, frustrà etiam ætas major id curat: potest enim si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis tunc videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur; quia non ait:* Qui non manducaverit, *sed,* si non manducaveritis. *Et ubi est, quòd de eodem loco de hac ipsa re ait:* Panis, quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita? *Secundùm hoc enim etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat; quia non possumus dicere ad sæculum nos pertinere, pro cujus vita Christus carnem suam dedit. Quis autem ambigat sæculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc sæculum venimus? Ac etiam pro parvulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita: & si non manducaverint carnem Filii Hominis; nec ipsi habere possunt,*

Cujus authoritas proponitur

Idem repetit *lib. 1. ad Bonifacium cap. 22.* & *lib. 3. contra Iulianum cap. 1.* & *lib. de prædest. Sanct. cap. 13.* & alibi non semel.

VIII. Sicut & Innocentii primi,

Idem docet *Innocentius Primus* in epistola, quam scripsit ad Patres Concilii Milevitani approbans eorum acta contra Pelagianos, & quæ est num. 93. inter epistolas S. Augustini; in ea enim scribit: *Illud verò, quòd eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est; nisi enim manducaverint carnem Filii Hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis: qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur, non-nisi Baptismate esse conferendum.* Non solùm Innocentius, sed & *Gelasius* Pontifex post obitum S. Augustini, sic ad Episcopos per Picenum scripsit: *Ipse D. Iesus Christus cælesti voce pronuntiat: Qui non manducaverit carnem, &c. Ubi utique neminem videmus exceptum: nec opus est aliquem dicere parvulum sine hoc Sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci; sine autem illa vita in perpetua futurum morte non dubium est.*

Et Gelasii.

Unde ipse S. Augustinus epist. 106. ait Pelagianos asserentes infantes non baptizatos habituros vitam æternam, sentire contra sententiam Domini disertè dicentis: *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, non habebitis vitam in vobis; & contra Apostolicæ Sedis authoritatem, ubi de hac ipsa re cùm ageretur, hoc testimonium adhibitum est Evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam posse habere credantur.* Et posteà: *Si autem credimus Sedi Apostolicæ, vel potiùs ipsi Domino & Magistro Apostolorum, qui dicit, non habituros vitam in semetipsis, nisi manducaverint,* &c. Et lib. 2. ad Bonifacium cap. 4. *Quid illud, quod idem Papa de hac ipsa causa etiam Numidiæ rescripsit Episcopis; quia de utroque Concilio, & de Carthaginensi scilicet, & de Milevitano scripta susceperat, nonne apertissimè de parvulis loquitur? Hæc enim ejus verba sunt: Illud verò quod eos vestra fraternitas asserit prædicare*, &c.

Distinguo minorem: S. Augustinus censet parem esse necessitatem Eucharistiæ ac baptismi, quantùm ad utriusque effectum, nempe quantùm ad incorporationem cum Christo Ecclesiæ capite, concedo: quantùm ad utriusque realem susceptionem, maximè ex parte parvulorum, nego: sic enim suiipsius ipsius interpres est S. Augustinus *lib. 3. de Peccatorum meritis cap. 4.* ubi scribit: *Quid autem apertius tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissimè apparet, nec propter Christi societatem ad vitam salutemque æternam, posse aliquem injustè damnari, hoc est ab illa vita ac salute separari? Unde fit consequens, ut quoniam nihil tale agitur aliud, cùm parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, idest, Christi corpori membrisque socientur, manifestum fit eos ad damnationem, nisi hoc iis collatum fuerit, pertinere.* Et posteà: *Nunquid etiam illud, nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solùm in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere, nisi Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramentô Baptismatis imbuuntur?* Ex quibus apparet S. Augustinum eôdem modô velle Eucharistiam esse necessariam ad salutem, quomodo corpus Christi manducari potest in Baptismo: dicimur autem manducare corpus Christi in Baptismo, quatenus ipsius corpori, nempe Ecclesiæ incor-

IX. Quô sensu S. August. velit parem esse Eucharistiæ ac Baptismi necessitatem.

poramur; ac subinde S. Augustinus loquendo de necessitate manducandæ Eucharistiæ, non loquitur de ipsius susceptione actuali, sed de effectu, seu de re Sacramenti, quam societatem esse ait corporis, & membrorum Ecclesiæ, cui parvuli per Baptismum adscribuntur.

Idem docet tract. 26. in Joan, ubi explicans hæc verba: *Qui manducat meam carnem, &c.* sic scribit: *Qui hanc sumit*, inquit, *habet vitam, & hanc vitam æternam. Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, sicut rei Sacramentum, idest, virtutem corporis & sanguinis Christi. Alicubi quotidiè, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res verò ipsa, cujus Sacramentum est omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit.*

Quando ergo S. August. dixit, Eucharistiam esse omnibus ad vitam necessariam, non loquitur de reali & Sacramentali Eucharistiæ receptione: sed tantùm de mystica & spirituali, quæ consistit in incorporatione cum Christo: nam, ut scribit tract. mox laudatô in Joann. *Hoc est manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere.* Unde fit, quòd cùm per Baptismum incorporemur Christo; hæc realis susceptio Baptismi est mystica & spiritualis receptio Eucharistiæ, & votum implicitum, & virtuale illius; Baptismus enim est quædam inchoatio vitæ spiritualis, quæ ex se & naturâ suâ ordinatur ad suam perfectionem, suumque finem; qui utique non est alius quàm unio & incorporatio cum Christo, quæ perficitur & consummatur in receptione reali Eucharistiæ. *Nam*, inquit S. Chrysost. homil. 6. ad populum: *Propterea semetipsum nobis immiscuit Christus, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus, tanquam corpus capiti coaptatum.*

X. Non censet eam esse absolutè necessariam parvulis.

Porrò quòd reverà S. August. censeat parvulos salvari posse absque reali Eucharistiæ susceptione, apertè docet lib. 1. de peccat. merit. ubi sic scribit: *Cæterùm quis ignorat, quod baptizatus parvulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit, quod parvus accepit? Veruntamen si perceptô Baptismate de hac vita emigraverit, solutô reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum justificatos præsentiâ Creatoris illuminat.* Eôdem modô explicandi sunt duo summi Pontifices Innocentius, & Gelasius.

Dices secundò: Non minùs necessaria est spiritalis alimonia ad vitam spiritalem conservandam, quàm corporea ad corporalem: sed cibus corporeus necessarius est absolutè de via ordinaria ad conservandam vitam corporalem; ita ut absque cibo citra miraculum homo diu vitam prorogare non possit: igitur cùm Eucharistia sit spiritalis animæ cibus, pari ratione erit necessaria.

XI. Non eadem est spiritualis & corporeæ alimoniæ indigentia.

Nego majorem: Disparitas enim inter utrumque cibum in eo maximè consistit, quòd vita corporalis propagari non possit, nisi per assiduam conversionem alimenti in substantiam aliti, ut videlicet restaurentur partes illæ, quæ per calorem naturalem absumuntur & pereunt; ad quam restaurationem nulla alia media & remedia naturalia suppetunt præter nutritionem: secus est autem de vita spirituali, quæ per alia media, quàm per susceptionem Eucharistiæ, nempe per gratias actuales, conservari potest, & vegetari, ut constat de Patriarchis, & sanctissimis Viris, qui ante legem Evangelicam, & Eucharistiæ institutionem, diu sanctissimè vixerunt.

Non inficior tamen Eucharistiam esse necessariam morali saltem necessitate ad conservandam vitam spiritualem, propter uberes gratias, quas ad cavendum mortale peccatum jugiter influit.

Dices tertiò: Quò Sacramenta sunt digniora, eò sunt magis necessaria: sed Sacramentum Eucharistiæ est omnium dignissimum; imò est fons aliorum Sacramentorum, ut præclarè docet Catechismus Trident. de Eucharist. num. 48. ubi scribit: *Hæc verò aliqua ex parte assequemur* (nempe hujus Sacramenti mirabiles effectus) *si omnium Sacramentorum, atque naturâ perfectâ Eucharistiam sancti cætera rivulis comparaverint; verè enim ac necessariò fons omnium gratiarum dicenda est, cùm fontem ipsum cœlestium charismatum, & donorum, omniumque Sacramentorum authorem Christum D. admirabili modo in se contineat; à quo, tanquam à fonte, ad alia Sacramenta, quicquid boni & perfectionis habent, derivatur.* Igitur cùm aliqua ex Sacramentis sint necessaria necessitate medii; multò magis necessariam ita esse Eucharistiam censendum est.

XII. Sacramentorum necessitas ex dignitate non arguitur.

Nego majorem: Major enim Sacramenti dignitas non est indicium illius majoris necessitatis, sed tantùm quòd nobiliores in suscipiente ad debitam ejus susceptionem dispositiones requirat; necessitas enim Sacramenti maximè attenditur penes remotionem peccati, ad quam cùm Eucharistia non sit ordinata, hinc non videtur esse absolutè necessaria ad vitam spiritualem instituendam, vel prorogandam.

Conclusio Secunda.

XIII. Communio est facienda de iure divino.

Fideles tenentur ad recipiendam Eucharistiam præceptô divinô & Ecclesiasticô. Prima pars hujus conclusionis apparet ex illis verbis Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, &c.* quibus verbis Christus D. significat, eam manducationem esse necessariam aliquâ necessitate: sed non est necessaria necessitate medii: igitur saltem necessitate divini præcepti. Idem constat ex Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus verbis Christi D. Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, non solùm sacrificium offerre imperavit, sed quæ ipse fecit, facere, hoc est se, aliosque fideles hôc divinô cibô pascere præcepit; quamvis hujus exequendi tempora non præscripserit, sed Ecclesiæ suæ sponsæ, juxta dictamen Spiritûs S. prævenienda commiserit. Hoc ipsum suadet assidua Ecclesiæ diligentia, quâ semper cavit, ne fideles morituri absque viatico decederent; quod utique indicium est, eam agnovisse hoc Sacramentum esse necessarium necessitate præcepti divini. *Accedit* quoque summa hujus Sacramenti utilitas, non solùm ad præcavendam mortem spiritalem animæ, sed etiam ad vitam spiritalem fovendam, & prorogandam. Fateor tamen has rationes absolutè non convincere, & potius in hanc sententiam esse descendendum, propter communem authoritatem Theologorum, quàm propter urgentem aliquam rationem: idcirco in hac parte efficaciùs confirmanda, & probanda diutiùs non immoror.

XIV. Et Ecclesiastico.

Quantùm autem ad *secundam partem*, nempe ad præceptum Ecclesiasticum, attinet; imprimis certum est, quòd in Ecclesiæ nascentis exordiis singulis diebus fideles soliti erant hôc sacrô ac divinô cibô saginari, ut ex Actis Apostolorum colligere est; adeo enim qui tunc Christianam legem profitebantur, verâ & sincerâ charitate ardebant, inquit Catechismus Rom. *de Eucharistia num. 63.* ut, cùm sine intermissione orationibus, & aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad sacra Dominici corporis mysteria sumenda parati invenirentur. Eam posteà consuetudinem, quæ intermitti videbatur,

Anacletus sanctissimus Martyr & Pontifex, aliqua ex parte renovavit; præcepit enim, ut Ministri, qui Missæ sacrificio interessent, communicarent: quod ab Apostolis constitutum esse affirmaret. Diu etiam in Ecclesia ille mos fuit, ut Sacerdos, peractô sacrificiô, cùm Eucharistiam sumpsisset, ad populum, qui aderat, conversus, his verbis ad sacram mensam fideles invitaret: *Venite fratres ad communionem.* Tunc qui parati erant, summa cum Religione sacro-sancta mysteria sumebant. (*De quotidiana Communione vide Dionysium de Ecclesf. Hierarch. cap. 3. part. 2. Hieron. ep. 28. ad Lucin. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 23. Item vide lib. de Eccles. dogmat. cap. 53. & citatur de consecr. dist. 2. cap. 13.*) Sed cùm deinde charitas, & pietatis studium adeò refrixisset, ut rarò admodum ad Communionem fideles accederent, sancitum est à Fabiano Pontifice, ut ter quot-annis in natali Domini, & Resurrectione, & Pentecoste omnes Eucharistiam sumerent. Id quod posteà à multis Conciliis, præsertim verò ab Agathensi primo confirmatum est. (*Fabiani decretum habes de consecr. dist. 2. cap. 16. & ibidem citatur Concilium Agathense cap. 18. cap. saeculares.*) Ad extremum, cùm eò tes adducta esset, ut non modò sancta illa, & salutaris præceptio non servaretur, sed in plures etiam annos sacræ Eucharistiæ Communio differretur, decretum est in Lateran. Concilio, ut semel ad minùs singulis annis in Pascha fideles omnes sacrum Domini corpus acciperent: qui verò id facere ueglcaissent, Ecclesiæ aditu prohiberentur. *Ita Cathechismus.*

XIV. In primitiva Ecclesia quotidie fiebat sacra Communio.

Non solùm autem colligitur hæc praxis nascentis Ecclesiæ, quâ fideles quoties Missæ sacrificio adessent, toties sacram Synaxim facerent, ex Actis Apostolicis, sed etiam ex eorum Constitutionibus; nam can. 10. Apostolorum statuitur; quòd *omnes fideles, qui conveniunt in solemnibus sacris ad Ecclesiam, Scripturas Apostolorum & Evangelium audiant: qui autem non perseveraverint in oratione usque dum Missa peragitur, nec sanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ moventes, convenit communione privari.* Ex qua utique ordinatione infertur pariter statutum fuisse, ut quotidie omnes fideles Missam audirent, & sacram communionem perciperent. Quam utique Constitutionem innovavit Anacletus epist. 1. circa medium, ubi cùm præscripsisset ritum, quem servare debeant Episcopi in sacris Solemniis quotidie celebrandis; ita quòd septem, aut quinque, aut tres Diaconos & Subdiaconos, atque reliquos Ministros secum habeant, qui sacris induti vestimentis, in fronte, & à tergo, & Presbyteri è regione dextra lævaque contritô corde, & humiliato spiritu, ac pronô stent vultu, custodientes eum à malevolis hominibus, & consensum ejus sacrificio præbentes, statim subdit: *Peractâ autem consecratione, omnes communicent: qui noluerint, Ecclesiasticis careant liminibus; sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Quibus verbis licèt significet, hanc obligationem solis Ecclesiæ Ministris fuisse præscriptam, nihilominus eam etiam praxim diebus singulis communicandi fidelibus omnibus, qui sacris adessent, fuisse communem, nemini debet esse dubium.

XV. Deinde ter in anno.

Verùm refrigescente paulatim fidelium charitate, Fabianus Papa, ut refertur de consecr. dist. 2. can. 16. statuit ut *saltem in anno ter homines laici communicent (nisi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur) in Pascha videlicet & Pentecoste, & Natali Domini.* Soter autem quartum diem adjecit, nempe feriam quintam in Cœna Domini; nam Can. 17. ejusdem distinctionis sic ait: *In cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur, quæ, quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis iis, quibus pro gravioribus criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat; cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur.*

XVII. Ac tandem præceptum est ut saltem semel fiat.

Tandrni decrescente in dies fidelium pietate ac fervore, indultum est, ut tantùm semel in anno ad sacrám Synaxim faciendam Ecclesiasticô præceptô tenerentur; sic primò statutum est in Concilio Lateran. sub Innocentio III. cap. 21. ubi legimus: *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab Ecclesia ingressu arceatur, & moriens Ecclesiasticâ careat sepulturâ.* Quam utique sanctionem innovavit Concil. Trident. sess. 13. can. 9. scribens: *Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexûs, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, anathema sit.*

PETES, *quinam arcendi sint à sacra Communione?*

XVIII. Quinam à sacra communione sint arcendi. 1. Infantes.

Respondet Catechismus Romanus locô suprà laudatô, quòd quamvis hæc lex Dei, & Ecclesiæ authoritate sancita, ad omnes fideles pertineat, docendum est tamen, eos excipi, qui nondum rationis usum propter ætatis imbecillitatem habent. Hi enim neque sacram Eucharistiam à profano & communi pane sciunt discernere, neque ad eam accipiendam pietatem animi, & religionem afferre possunt. Atque id etiam à Christi D. institutione alienissimum videtur: inquit enim, *Accipite, & comedite.* Infantes autem idoneos non esse, qui accipiant, & comedant, satis constat. Vetus quidem illa fuit in quibusdam locis consuetudo, ut infantibus etiam sacram Eucharistiam præberent: sed tamen tùm ob eas causas, quæ antè dictæ sunt, tum ob alias Christianæ pietati maximè consentaneas, jamdin ejusdem Ecclesiæ authoritate id fieri desiit. *Cypr. de lapsis post medium.* Quâ verò ætate pueris sacra mysteria danda sint, nemo meliùs constituere poterit, quàm pater & Sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, & à pueris percontari, num hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, & gustum habeant.

2. Et amentes.

Amentibus prætereà, qui tunc à pietatis sensu alieni sunt, Sacramenta dare minimè oportet; quamvis, si antequam in insaniam inciderint, piam, & religiosam animi voluntatem præ se tulerunt, licebit eis in fine vitæ ex Concilii Carthaginensis decreto Eucharistiam administrare: modò vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timendum sit.

Porrò decretum Concilii Carthaginensis IV. cap. 76. ita se habet: *Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phre-*

nesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt; & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Eadem autem est ratio de iis, qui extra infirmitatem in amentiam incidunt.

Consonat Concilium Arausicanum I. cap. 13. *Amentibus*, inquit, *quæcunque pietatis sunt, conferenda sunt.* Sub quibus verbis communiter Doctores intelligunt Eucharistiam.

Eandem veritatem non obscurè indicat Concilium Toletanum II. can. 11. dicens: *Quicunque fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus Eucharistiam perceptam rejecerit, in nullo Ecclesiastica damnationi subjaceat. Similiter nec illos cujusquam punitionis censura redarguet, qui talia aut tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mentis alienatione siti, qui quod fecerint ignorare videntur.*

3. Scenicis. *Tertiò* denegari debet theatricis & histrionibus, donec à tali commercio & negotio resipuerint; Ita apertè docet S. Cyprianus epist. 60. ad Euchratium inquirentem, quid Cypriano videretur de histrione quodam, qui apud eos constitutus, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverabat, & Magister & Doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod malè didicerat, cæteris quoque insinuabat; an talis deberet communicare?

Respondet S. Cyprianus: Puto nec majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Nam, cùm in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti hujusmodi judicentur; quantò majoris est criminis, non tantùm muliebria indumenta accipere; sed & gestus quoque turpes, & molles, & muliebres, magisteriô impudicæ artis exprimere? Nec excuset se quispiam, si à theatro ipse cessaverit, cùm tamen hoc cæteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, & qui pro se uno plures succidaneos suggerit contra institutionem Dei; erudiens & docens, quemadmodum masculus frangatur in fœminam, & sexus arte mutetur, & diabolo divinum plasma maculanti per correpti, atque enervati corporis delicta placeatur. (Nota.) Quòd si penuriam talis, & necessitatem paupertatis obtendit; potest inter cæteros, qui alimentis Ecclesiæ sustentantur, hujus quoque necessitas adjuvari; si tamen contentus sit frugalioribus, sed innocentibus cibis. *Hæc S. Cyprianus.*

Ipsi præiverat Tertullianus in Apologetico, ubi *mimos capita ignominiosa & famosa* appellat; hinc lib. de Spectaculis cap. 10. ait: *Theatrum propriè sacrarium Veneris est... Itaque Pompeius Magnus solô theatrô suô minor, cùm illam arcem omnium turpitudinum extruxisset: veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edictô populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit.... Ita damnatum & damnandum opus templi titulô attexuit.* Unde, ut observat S. Augustinus lib. 2. de civit. Dei cap. 14. *Romani ab omnibus honoribus repellunt homines scenicos*, putà tanquam infames, & indignos societatis humanæ; multò minùs participationis sacrorum mysteriorum. Hinc Concilium Eliberitanum can. 62. & Trullanum can. 51. & Arelatense cap. 5. hujusmodi homines à sacra Communione removent: *De theatricis*, inquit Arelatense, *ipsos placuit quando agunt, à Communione separari*; imò jus civile illos infamiâ notat, qui artis ludicræ pronuntiandive causâ in scenam prodierint l. 1. ff. de his qui not. infam.

4. Publicis peccatoribus. *Quartò*, deneganda est sacra Communio publicis peccatoribus, putà usurariis, raptoribus, adulteris, meretricibus, qui in Ecclesiæ scandalum à gravioribus criminibus etiam moniti ut resipiscant, abstinere recusant, ut constat ex Clemente lib. 2. Constitut. cap. 52. Unde S. Chrysostomus homil. 83. in Matth. Sacerdotes alloquens, ait: *Non parva vobis imminet pœna, si quem aliquâ improbitate teneri scientes, ei hujus mensæ participationem permittatis: sanguis enim Christi de manibus vestris exquiretur.* Subdit verò: *Non de ignotis, sed de notis hoc disputo.* Eandem doctrinam sæpè ac severè inculcat S. Augustinus, maximè lib. 50. Homiliarum homil. ult. cap. 12.

Suffragatur etiam ratio: Quia non debet Sanctum dari canibus: peccatores autem illi publici, censentur canes ad vomitum suum sæpiùs revertentes: porrò peccatores illi censentur publici, quorum peccata nota sunt notorietate facti, & per sententiam Judicis, quibus excluditur simplex suspicio: *Nam*, inquit S. Augustinus locô mox laudatô, *noluit Dominus hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinariò usurpatô judiciô, sed potius ex lege Dei, secundùm ordinem Ecclesiæ, sive ultrò confessum, sive accusatum atque convictum.* Quod probat authoritate Apostoli scribentis, 1. ad Cor. 5. *Si quis frater nominatur in vobis, aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec quidem cibum simul sumere.* Unde subdit S. Augustinus: *Illud cur dixit, nisi quia eam denominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam cum sententia ordine judiciario, atque integritate profertur: nam si denominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes; quia sæpè falsò in quoquam crimina nominantur.*

Peccatori autem occulto publicè pœnitenti non est deneganda. Peccatori autem occulto Eucharistiam publicè petenti, non est deneganda coram iis, qui ejus peccatum non noverunt; quia, inquit Hiquæus in dist. 13. q. 2. n. 170. talis habet jus petendæ Communionis, utpote cùm sit baptizatus, adultus, & in possessione suæ famæ, quantùm ad publicam æstimationem; ac subinde citra scandalum & injuriam ei non potest denegari Communio.

Nec obstat, quòd ipse existens in peccato mortali, irroget injuriam Sacramento; quia injuria, quæ fit Sacramento, est injuria latè sumpta redundans in ipsum delinquentem, ex qua Sacramentum non patitur, nec quidquam aufertur contra justitiam strictè sumptam: sed potius totum damnum redundat in eum, qui infert irreverentiam; non sic in eo casu, quò peccatum alicujus, quod redundat in damnum alterius, tollit jus ejus celandi propriè dictum, secundùm justitiam, quia non habet tale cum damno alterius: fama autem peccatoris occulti cadit sub obligatione justitiæ, ne tollatur, nisi à Judice, & ejus occultatio non infert damnum alteri contra eandem justitiam strictè sumptam.

Hoc confirmat exemplô Judæ, quem ipse Dominus communicavit, ut communiter Doctores asserunt, quamvis ejus peccatum aliis occultum, ipse novisset. *Deinde*, in administratione publica debet quis sequi scientiam publicam, non privatam: talis est, quam habet Sacerdos de innocentia illius peccatoris, cujus in eo loco non est diffamatum peccatum: ergo eam sequi debet. *Ita Hiquæus.*

Dices, inde ſequi, quòd peccatori etiam occulto debeat dari etiam occultè Communio, quod falſum eſt. *Reſpondeo* negando ſequelam, quia in eo caſu datio Communionis non eſt actus publicus, ſed privatus, ideo regulatur per ſcientiam privatam: neque inde fit peccatori injuria aliqua, quia non diffamatur, cùm in privata ſcientia Sacerdotis ſit privatus ipſô ſuô factô, quod ei notum eſt famâ. Exemplô conſtat, quia ſi acceſſerit aliquis ad judicem privatim, petens ut ei ſolvi curet aliquid à debitore, quem talis Judex, aut Miniſter novit non debere, quia alias ſolutum eſt, quamvis pars id probare nequeat, rectè repelleret illam petitionem; tamen in foro publico, in quo probatur per inſtrumentum, & teſtes, talem aſſerunt eſſe debitorem, neque conſtat de ſolutione, tenetur ſolutionem admittere. Ita in propoſito, bonum publicum, qualis eſt Euchariſtia, tenebitur publicè petitum diſpenſare Sacerdos, quamvis non privatim indignè petenti.

Dices iterum, Inde ſequi ſpectatô jure naturæ Epiſcopum teneri admittere ad Ordines publicè, quem privatim novit indignum, etiam poſt fraternam correptionem, etiamſi aliquot teſtibus indignitatem ejus noſſet. *Reſpondet* Hiquæus negando conſequentiam, quia Epiſcopus tenetur ex juſtitia promovere bonum ſuæ Eccleſiæ, & ſcandala ſubmovere: unde alter qui indignus eſt, in præjudicium populi & Eccleſiæ, in quæ redundaret damnum, non habet jus petendi promotionem. Deinde Epiſcopus eſt Judex potens inſtituere proceſſum, & eô convictô per teſtes, proferre ſententiam declarativam ſuæ inhabilitatis; eam verò authoritatē non habet Sacerdos. Cauſa ergo pacis ita expedit, quia aliàs ex imprudentia, aut paſſione Miniſtrorum, ſæpe aliqui eſſent diffamati, & per leves occaſiones ſubtraheretur Sacramentum injuſtè, naſcerentur etiam plures ſcrupuli in Miniſtris. Quæ congruentiæ adduntur à quibuſdam, qui concluſionem in factum, & inſtitutionem Chriſti referunt, non in jus naturæ, quo tenemur proximo, ne peccatum ejus injuſtè propalemus. *Ita Hiquæus.*

Diſputant hîc Authores, qualiter præceptô annuæ Communionis ſatisfacere tenetur qui vel eam omiſit, vel longiorem peregrinationem auſpicaturus, prævidet ſe non poſſe huic præcepto facere ſatis. Verùm cùm ea omnia dubia facili negotiô diſſolvi poſſint ex iis, quæ diximus de præcepto annuæ Confeſſionis, idcirco ab ampliori *hac* diſcuſſione & repetitione ſuperſedimus.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrum Communio ſub utraque ſpecie potuerit Laïcis ab Eccleſia prohiberi, & juſtis de cauſis fuerit prohibita.

I. Quinam hæretici cenſuerint neceſſariò communicandum eſſe ſub utraque ſpecie.

NOtandum primò, Vualdenſes in profeſſione ſuæ fidei, quam direxerunt ad Ulaſdiſlaum, aſſeruiſſe, Communionem ſub utraque ſpecie indiſpenſabili Chriſti D. præcepto, ad ſalutem omnibus & ſingulis præſcriptam fuiſſe atque neceſſariam. Eundem errorem Bohemi, ut refert Æneas Sylvius in hiſtoria Bohemorum cap. 35. innovârunt circa annum 1412. ducibus *Petrô Dreſdenſi*, & *Iacobô Miſnienſi*, quos ſtudiô impugnandæ Romanæ Eccleſiæ ſecutus eſt *Martinus Lutherus*, qui licèt initiô affirmaverit in quodam ſermone de ſacramento Euchariſtiæ, alteram ſpeciem ſufficere, poſtmodùm lib. ſuô de captivit. Babylon. ſcribere non erubuit; omnes eſſe impios, qui utriuſque ſpecie Communionem Laïcis denegant. Quibus æquali audaciâ ſubſcribit *Calvinus* lib. 4. Inſtitut. cap. 17. ubi non minori impudentiâ, quàm ignorantiâ; aut certè, quod verius eſt, malitiâ, ſcribit, ex officina diaboli prodiiſſe conſtitutionem illam, quâ dimidiam cœnæ partem meliori populi Dei numero, vel furata eſt, vel eripuit, nempe ſymbolum ſanguinis. Adverſus itaque hos omnes Errones hac in quæſtione præliandum eſt, ac demonſtrandum primò, quòd Communio ſub utraque ſpecie non ſit jure divinô ſingulis hominibus præcepta, & neceſſaria: Secundò, quòd juſtis de cauſis eam Eccleſia Laïcis interdixerit; ita tamen, ut, quando libuerit, reſtituere poſſit.

Notandum ſecundò, certum eſſe, quòd Chriſtus D. inſtituerit Euchariſtiæ ſacramentum ſub utraque ſpecie panis & vini, ut ex verbis inſtitutionis liquidò conſtat, ac utramque ſpeciem Apoſtolis, quos Sacerdotes inſtituebat, conceſſiſſe. Certum pariter, quòd per plurima ſæcula ab ipſis Eccleſiæ primordiis fideles omnes ſub utraque ſpecie ſacram Synaxim facerent, imò per aliquod tempus Eccleſiaſticô præceptô fidelibus injunctum fuiſſe, ut ſub utraque ſpecie communicarent, quô ſcilicet dignoſci, ac diſtingui poſſent à Manichæis, qui effutientes vinum eſſe fel draconis & à diabolo invectum in hominum perniciem, aſſerebant illud ſine ſacrilegio bibi non poſſe, & propterea à Communione ſub vini ſpecie abſtinebant, ut refert S. Leo ſerm. 4. de Quadrageſima: *Cùm*, inquit, *Manichæi ad tegendam infidelitatem ſuam, noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum Communione ſe temperant, ut interdum tutiùs lateant, ore indigno Chriſti corpus accipiant; ſanguinem autem Redemptionis noſtræ omnino haurire negligant; quod ideo veſtram voluimus ſcire Sanctitatem, ut vobis ejuſmodi homines, & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati ut reprobi à Sanctorum ſocietate, Sacerdotali authoritate pellantur.* Cùm autem hic Manichæorum error & peſſimus ritus adhuc vigeret tempore Gelaſii ſummi Pontificis, idem ruſus præceptum eſt, ut refertur diſt. 2. de conſecr. ubi legimus: *Comperimus, quòd quidam ſumptâ tantummodò corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtineant, qui procul dubio, quoniam neſcio quâ ſuperſtitione docentur, aſtringi, aut Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.* Quibus verbis Gelaſius utramque ſpeciem ſumendam præcipit, quam appellat integrum Sacramentum; non quòd unaquæque ſpecies quoad rem contentam non ſit integrum Sacramentum; ſed quia integra Sacramentalis ſignificatio, non niſi in utraque ſpecie diſtinctè & perfectè eluceſcit.

II. Quare Cōmunio ſub utraque ſpecie olim fuerit non ſolùm licita; ſed etiā præcepta.

Notandum tertiò, Eccleſiam hiſce poſterioribus temporibus reverà prohibuiſſe Laïcis, & Clericis non conſecrantibus, uſum Calicis, ut conſtat ex Conciliis, Conſtantienſi, Baſileenſi, & Tridentino ſeſſ. 21. can. 2. ubi anathemate damnat eos, qui dixerint: *Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut Laïcos atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret.* Verumtamen ſtatim atque legem illam tulit Eccleſia, nonnullis permiſit, aut permitti poſſe pronuntiavit, quòd tunc juſtis de cauſis prohibebat; nam Martinus V. è

III. Reverà Eccleſia Laïcis præcepit Communionem tantùm ſub ſpecie panis.

Concilio Constautiensi Romam reversus, Communionem sub utraque specie Laïcis tribuisse fertur. Similiter Concilium Basileense post interdictam Laïcis Calicis sumptionem, pro bono pacis & utilitatis concessit Bohemis & Moravis, ut sub utraque specie Eucharistiam reciperent. Concilium etiam Florentinum morem Græcorum sub utraque specie communicantium minimè improbavit. Denique Concilium Tridentinum sess. 22. in fine, decretum super concessione calicis ita expressit: *Insuper cùm eadem sacro-sancta Synodus superiori sess.* (immediatè post canonem quartum) *duos articulos aliàs propositos* (scilicet *sess.* 13. in decreto prorogationis) *& tum nondum discussit, videlicet: An rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret Laïcos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes sub una panis specie, ita sint retinendæ, ut nullâ ratione calicis usus cuiquam sit permittendus; &, An sub honestis & Christianæ charitatis consentaneis rationibus concedendus alicui, vel nationi, vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam illæ sint, in aliud tempus, oblatâ sibi occasione, examinandos atque definiendos reservaverit: Nunc eorum, pro quibus petitur saluti optimè consultum volens, decrevit integrum negotium ad sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit.* Ex quibus apparet, Ecclesiam Catholicam in administratione & usu Eucharistiæ Christianorum paci, & utilitati consulere studuisse, nec illam à permittenda sumptione calicis ita esse alienam, ut de illo præcepto aliquid in gratiam & consolationem nationum & regnorum remittere parata non sit, si quoad dogmata, & veram fidem, & sinceram obedientiam in petentibus inveniret.

Conclusio Secunda.

IV. Cõmunio sub utraque specie non est de jure divino.

NUllô divinô præceptô tam Laïci, quàm Clerici non conficientes, tenentur ad Communionem sub utraque specie. Hæc est de fide determinata in Concilio Constantiensi, sess. 13. his verbis. *Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ sub utraque panis & vini specie suscipere, & non solùm sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum Laïcum passim communicent, etiam post cœnam, vel aliàs non jejuni, & communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc est quòd hoc præsens Concilium sacrum generale Constantiense in Spiritu sancto legitimè congregatum adversus hunc errorem saluti fidelium provideri satagens, maturâ plurium Doctorum tam divini, quàm humani juris deliberatione præhabitâ declarat, decernit, & definit, quòd licèt Christus post cœnam instituerit, & suis Discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; tamen hôc non obstante sacrorum Canonum authoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat, quòd hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso. Et similiter quòd licèt in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala, est rationabiliter introducta, quòd à conficientibus sub utraque specie, & à Laïcis tantummodò sub specie panis suscipiatur, cùm firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus, & sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri. Unde cùm hujusmodi consuetudo ab Ecclesia, & SS. Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hanc consuetudinem & legem observare, sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum; & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi per Diœcesanos locorum, seu Officiales eorum, aut Inquisitores hæreticæ pravitatis, &c.*

Consonat Synodus Tridentina suprà cap. 2. ubi cùm declarasset, in Ecclesia perpetuò fuisse potestatem, ut in Sacramentorum administratione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret, continuò attexit: *Quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum authoritatem, licèt ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, latissimè jam mutatâ illâ consuetudine, gravibus & justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ authoritate pro libito mutare non licet.*

Probatur autem conclusio: Si Communio esset necessariò sub utraque specie facienda de jure divino, id colligeretur *vel* ex præcepto Christi D. *vel* ex ejus facto & exemplo, *vel* ex assidua Ecclesiæ praxi, *vel* denique ex natura sacramenti: sed ex neutro capite id potest inferri, ut probabimus sub distinctis hisce titulis.

Christus D. non præcepit faciendam Communionem sub utraque specie.

Probatur: Si esset aliquod divinum Christi D. præceptum de Communione facienda sub utraque specie, peteretur vel ex his verbis Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* vel ex his verbis Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes.* vel denique ex his verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* sed ex nullis eorum divinum hoc præceptum potest colligi: Non quidem ex primo: *Tum quia* ex illis verbis in omni sua proprietate intellectis, nihil aliud colligitur, quàm quòd homines teneantur ad manducandum Christi corpus & bibendum ejus sanguinem, quod utique fit in sumptione unius speciei; siquidem sub qualibet sumitur corpus cum sanguine. V. Non enim Christus eam præcepit.

Nec dicas, cibum quidem & potum sumi sub singulis speciebus, non verò manducari cibum, & bibi potum, quod hîc videtur requiri. Hæc enim responsio prorsus inanis est, quia manducare & bibere, vel idem significat ac sumere quod verè est cibus & potus, vel significat sumere cibum sub externa visibili specie cibi, & potum sub externa specie potûs. Si primum, re-

verè ſub utraque ſpecie Chriſti corpus & ſanguis manducatur & bibitur, quia ſub qualibet ſpecie utrumque ſumitur. Si ſecundum dixerint hæretici, neceſſum eſt, quòd oſtendant, ubi ſcriptum fuerit, niſi manducaveritis ſub modo cibi, & biberitis ſub modo potûs: igitur præceptum hoc verſatur duntaxat circa rem, quæ ſumitur, non circa modum, quô illa ſumitur. Neque id inſolitum eſt in Scriptura, quæ plerumque verbum *manducandi & bibendi*, pro eodem indifferenter uſurpat: ſic Apoſtolus, qui dixerat 1. *ad Cor.* 3. Lac vobis potum dedi, *ibidem* cap. 9. dicit: *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Similiter de Chriſti Paſſione dicitur Pſal. 68. *Et dederunt in eſcam meam fel.* Et tamen Matth. 26. legimus: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*: igitur nulla vis facienda eſt in illis verbis: *Niſi manducaveritis, & biberitis*; quippe intelliguntur de re, quæ ſumitur, non de modo, quô ſumenda eſt.

VI. Res eadem dici poteſt manducari & bibi.

Secundò, dici poteſt quòd particula (*&*) hîc non ſumatur collectivè, ſed disjunctivè; ita quòd ſit ſenſus: *Niſi manducaveritis, aut biberitis.* Quod utique frequens eſt in Scriptura: ſic Exodi 21. *Qui percuſſerit patrem, & matrem, morte moriatur*, id eſt, alterutrum. Sic Actorum 3. *Argentum & aurum non eſt mihi*, id eſt, neque argentum, neque aurum.

VII. Verba Chriſti quibus ſuadet manducandum corpus & bibendum ſanguinem, ſuber, accipienda disjunctivè.

Porrò, quòd ea fuerit mens Salvatoris *Ioan.* 6. egregiè colligit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 21. cap. 1. *Nam*, inquit, *qui dixit: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita; is denique qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo; dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Igitur ex mente Chriſti D. vis præcepti non tam attenditur, quantùm ad ſumendi modum, quàm ad rem ipſam ſumendam.

VIII. Quô ſenſu Apoſtolis dixerit Chriſtus: *Bibite ex hoc omnes.*

Non colligitur etiam ex ſecundo textu: *Bibite ex hoc omnes*: Quippe verba illa Chriſtus non ad omnes omnino fideles, ſed ad ſolos Apoſtolos, qui tunc cum eo cœnabant, dixit; quô ſignificaret, ut unus non ſumeret totum calicem, ſed quiſque ita calicis partem hauriret, ut ſic omnes ex eo biberent: Hinc *Lucæ* 22. legimus: *Accipite, & dividite inter vos.* Atque hoc impletum fuiſſe teſtatur S. Marcus cap. 14. ſcribens: Et biberunt ex eo omnes. Unde etiam ſignanter Chriſtus D. ad diſtributionem panis hanc cautionem non adhibuit, quia videlicet ipſe fregit, & ſingulis dedit partem panis conſecrati, ut legimus Matth. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis.*

Tertiò denique, divinum hoc præceptum non poteſt colligi ex his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Nam apud *Lucam* 22. & apud S. Paulum 1. *Cor.* 11. hæc verba abſolutè referuntur poſt conſecratum panem, & ante conſecrationem calicis; unde Apoſtolus ea repetens poſt conſecratum calicem, non abſolutè, ſed hypotheticè dicta refert, his verbis: *Hoc facite quotieſcunque bibetis in meam commemorationem.* Ex quibus patet, quòd uſus calicis abſolutè non præcipiatur; ſed quòd bibens calicem, quotieſcunque id facere contigerit, in Chriſti memoriam faciat, & mortem Domini annuntiet. Apparet itaque ex verbis illis, uſum quidem calicis in Eccleſia perpetuò eſſe retinendum, ut recolatur perpetua memoria mortis, & Paſſionis Chriſti; non verò quòd id ab omnibus, & ſingulis ſit faciendum, ſed duntaxat à Sacerdotibus, quos in perſona Apoſtolorum tunc temporis Chriſtus inaugurabat in Sacerdotes novæ legis.

Et hoc facite in &c.

Non colligitur etiam divinum hoc præceptum ex facto, & exemplo Chriſti.

IX. Chriſtus D. ſuô exemplô communionem ſub utraque ſpecie non ſuaſit.

Tum, quia tunc temporis non ſolùm Chriſtus Sacramentum inſtituit, ſed etiam ſacrificium obtulit; ac ſubinde præbebat ritum ſacrificandi, quem exactè ſequitur Eccleſia, dum Sacerdotes obligat ad utriuſque ſpeciei conſecrationem, & ſumptionem. *Tum*, quia non omnia quæ ibi Chriſtus egit, ſingulis fidelibus facienda præcipit in ſuſcipienda Euchariſtia, ut etiam apertè fatetur Calvinus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 17. *num.* 43. Nec diffiteri poſſunt hæretici, quippe cùm *nec* ipſi pedes lavent, antequam ſuam cœnam Euchariſticam edant; *nec* priùs agnum comedant; *nec* ſerotinis horis, & poſt cœnam accipiant; *nec* tantùm cum duodecim viris, nullis præſentibus mulieribus: igitur ex facto, & exemplô Chriſti, non poteſt colligi præceptum ſumendæ Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie; quippe non potius hac in re videtur imitandus Salvator ab omnibus fidelibus, quàm in aliis ritibus quos ibi ſervavit, nec tamen ab Eccleſia ſervandos eſſe voluit.

Quia non omnia quæ fecit, facienda præcepit.

Quod utique præclarè S. Auguſtinus demonſtrat epiſt. 118. ubi loquens de Euchariſtia à jejunis tantùm ſumenda, quamvis illam non jejunis Apoſtolis Chriſtus primùm dederit: *Illud*, inquit, *magis movere potuit homines utrum jam refecti ore illô, vel offerrent, vel ſumerent Euchariſtiam, quod in Evangelio dicitur:* Cùm autem illi manducarent, accepit Jeſus panem, & benedixit, &c. *Et liquidò apparet, quando primùm acceperunt Diſcipuli corpus, & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt univerſa Eccleſia, quòd à jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quàm externi cibi. Nam ideò per univerſum orbem mos iſte ſervatur. Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent: aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere. Namque Salvator, quô vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ Diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Et ideo non præcepit quô deinceps ordine ſumerentur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret ſuum locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo, quòd eum morem nemo variaſſet.* Hæc ille de jejunio, indubiè idem dicturus de ſumptione unius ſpeciei, ſi occaſio ita exegiſſet.

X. Cur Euchariſtia ſit ſumenda à jejunis cùm primùm fuerit poſt cœnam inſtituta.

Non etiam hoc divinum præceptum ex aſſidua Eccleſiæ praxi colligitur.

Primò, nam ab ipſis etiam Apoſtolis frequentatam videmus Communionem ſub unica ſpecie; dicitur enim Actor. 2. *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis*

XI. *Antiquitùs etiam fiebat Communio sub unica specie.*

panis, ubi per fractionem panis intelligitur Eucharistiæ participatio, juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Nulla autem ibi fit mentio calicis; ac subinde argumentum est, Apostolos aliquando administrasse Eucharistiam sub sola specie panis. Quod utique confirmatur ex circumstantiis; quia inter fideles tunc erant plures Nazaræi, ut patet Act. 21. *Sunt nobis viri quatuor habentes votum super se*; quibus Apostoli tunc permittebant observantiam Legis; Nazaræis autem interdictum erat vinum, ut constat his verbis Num. 6. *A vino, & omni, quod inebriare potest, abstinebunt.*

Secundò, idipsum patet ex antiquissimo Ecclesiæ ritu, quò constat Eucharistiam fidelibus tradi solitam, ut eam secum deportarent, non solùm domum; sed etiam in solitudinem, ad remotiora loca properantes: cujus utique praxis plutima jam protulimus testimonia ex Tertulliano, Cypriano, & aliis; sed non est credibile duplicem speciem semper fuisse concessam vel deportandam domum, vel a Monachis in solitudinis secessus, vel à peregrinatoribus in remotissimas regiones: *Tum*, quia Eucharistia sic delata aliquando per annum integrum servabatur, ut habetur in Prato spirituali cap. 49. à Monachis in solitudine tempore sævientis persecutionis; sic autem servari non potuissent species vini, quod facilè acescit, & corrumpitur. *Tum*, quia Eucharistia sic concessa appellatur *panis*, ut colligitur ex Tertulliano, qui loquens de muliere, quæ Gentili nupta sit, dicit lib. 2. ad uxorem cap. 5. *Non sciat maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes, & si sciverit, panem non illum credet esse qui dicitur.* Ubi & unius panis speciei mentionem facit, & illam solam fuisse adhibitam apertè significat, cùm ait: *Non sciat maritus*; si enim mulier gustasset species vini, facilè negotiò ex odore, & halitu Maritus deprehendere potuisset.

Tertiò, hæc praxis colligitur etiam ex eo, quòd calix nusquam in manus Laïcorum dari erat solitus, sed quando communio fiebat sub duplici specie, Laïcis ministrabatur per manus Diaconorum: porrò species panis Laïcis tradebantur in manus etiam mulieribus, ut luculentò testimonio tradit S. Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 23. & serm. 105. de tempore, cap. 23. ubi ait: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant.* Ad quem morem allodit Canon Concilii Altissiodorensis, ubi legimus: *Non liceat mulieri nudâ manu Eucharistiam sumere, nec manum suam ad pallas Dominicas mittere.* Et can. 39. *Unaquaque mulier, quando communicat, Dominicalem suum* (id est, mundissimum linteum ad accipiendum Domini corpus) *habeat: ant si non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.* Cùm itaque aliunde constet, sacrum calicem nonnisi per manus Diaconorum fuisse dispensatum, consequens est unam tantùm speciem cùm viris, tum mulieribus domum deferendam, ut ibi sumeretur, fuisse concessam.

XII. *Qualiter viri ac mulieres olim Eucharistiã susciperent.*

Non valet reponere, speciem panis sanguine Domini fuisse respersam, & intinctam, quemadmodum facere solent Græci, dum Missas celebrant, ex jam præsanctificatis, & quando servant Eucharistiam distribuendam morientibus. Hæc, inquam, responsio non valet, cùm enim mulieres Eucharistiam nitidissimo linteolô exciperent, si

A species panis fuissent sanguine Christi madentes, sacrum illum liquorem linteolum exsuxisset, & aliquæ guttulæ in terram potuissent defluere; quod periculum quantâ diligentiâ sacri Antistites & Patres præcavere fuerint solliciti, patet ex homil. 13. Origenis in Exodum, sic scribentis: *Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam deciderit.* Quod & observat S. Augustinus, & ad mores piè reflectit lib. 50. homiliarum, homil. 26.

XIII. *Quantâ curâ cavebant SS. Patres ne aliquid Eucharistiæ in terram caderet.*

B *Quanta*, inquit, *sollicitudine observamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat: tantâ sollicitudine observemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde nostro pereat.*

Quartò, id constat ex eo, quòd infantibus olim Eucharistia sub unica specie porrigebatur; cùm autem non possent solidum cibum sumere, aliquid sanguinis Domini in os eorum per Presbyterum aut Diaconum instillabatur; cujus, utique moris meminit Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacramentis, cap. 20.* & ipsum appellat *primam Ecclesiæ institutionem*: cujus etiam exemplum illustre profert S. Cyprianus tract. de lapsis, ubi narrat, quòd cùm puella nutrici relicta insciâ matre, quæ ob persecutionem fugerat, de idolothytis gustasset, & in

XIV. *Quomodo infantibus Eucharistia dabatur.*

C Ecclesiam tempore sacrificii a matre ablata fuisset: ubi, *inquit*, solemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obdurantibus premere, calicem recusare. Perstitit autem Diaconus, & reluctanti licèt, de Sacramento sanguinis infudit: tunc sequitur singultus, & vomitus in corpore, *atque in ore violato permanere non potuit Eucharistia*, utique sub una specie vini porrecta: si enim sub specie panis Eucharistiam, absque difficultate puella suscepisset, ore violatô permansisset Eucharistia, illeque vomitus non tam miraculo, quàm vini horrori, vel alteri

D causæ naturali absque negotio adscriberetur. Si autem sub unius speciei vini Eucharistia etiam in Ecclesia priscis temporibus, usque erroris labisque puris ministrata fuit, profectò docti ab Apostolis Patres existimârunt, unius speciei usu, divinô de sumenda Eucharistia præceptô fideles satisfacere.

Quintò, sacra Eucharistia abstemiis olim sumenda porrigebatur, cujus moris meminit Hieronymus *epist. 22. ad Eustochium*, ubi quarundam Catholicarum Virginum abstemiarum meminit, quæ Romæ in sacris mysteriis præ nativo vini horrore à specie vini abstinebant; ibidemque increpat,

XV. *Abstemii quomodo communicabant.*

E & redarguit quasdam lascivas mulieres, quæ adversus usum illum obloquentes, sacras illas Virgines miseras, & Manichæas dictitabant. Et certè abstemios non solùm Catholica Ecclesia, sed nec vel ipsi etiam Lutherani, & Calviniani ad usum calicis unquam adstrinxerunt. Ergo utriusque speciei usus non est omnibus & singulis ad salutem necessarius.

Sextò, solemnis erat per universas Galliæ Ecclesias decimô sæculô ritus, quô Episcopus Presbytero recèns ordinato Eucharistiam in una specie panis per quadraginta dies, in memoriam quadraginta dierum, quibus Christus cum Apostolis conversatus est, sumendam porrigebat, quem refert

XVI. *Et Sacerdoti recèns ordinatis.*

refert Fulbertus Carnotensis *epist. ad Picandum*, ubi & *asserit suos Provinciales Episcopos in hujusmodi ritum omnes consentire; ut dum ordinati Sacerdotes quotidie cælestis panis alimoniâ reficiuntur, tempus illud in mente habeant, quò per quadraginta dies Dominus Discipulis apparens & convescens desiderata visionis societate refecit.* Ergo unius speciei usus nedum toleratus, sed commendatus etiam priscis temporibus fuit. Plura his similia ad hanc veritatem confirmandam veteris Ecclesiæ monimenta, & momenta reperies apud Authores, qui contra hæreticos ex professo pugnavere; quibus omnibus constat, Communionem sub utraque specie necessariò faciendam jure divinô nequaquam ex veteris Ecclesiæ praxi posse colligi.

Denique Communio sub utraque specie non est necessariò facienda ratione integritatis Sacramenti.

Sacramentum enim Eucharistiæ tria maximè complectitur, primò signum, secundò rem significatam, ut est sub signo contenta, tertiò denique fructum, id est, effectum illius: atqui Communio sub unica specie hæc tria complectitur: ergo, &c. Probatur minor: Unica species significat Christum, ejusque mortem ac passionem, internamque ac spiritalem refectionem animarum nostrarum, denique unionem fidelium inter se, & cum Christo. *Primò*, quidem significat Christum, quia in pane figuratus est (idem dicas de vino.) *Secundò*, significat Passionem, nam panis repræsentat carnem velut separatam à sanguine; similiter vinum repræsentat sanguinem separatum à carne, ac velut extra venas corporis. *Tertiò*, significat refectionem animarum, quia in refectione spiritali non differunt cibus & potus, sed unam eandemque nutritionem efficiunt, sicut potus corporeus & cibus, ut patet Ecclesiastici 15. ubi sapientia nunc aquæ, nunc pani, comparatur: *Cibavit illum pane vitæ, & intellectûs, & aquâ sapientiæ salutaris potavit illum.* Matth. 5. Christus justitiam appellat cibum & potum: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Joan. 6. *Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me non sitiet.* Apostolus prædicationem suam nunc cibum, nunc potum appellat. *Denique*, unica species significat unionem spiritualem fidelium, quia per panem seorsim confectum ex multis granis, & per vinum seorsim expressum ex multis racemis hæc unio repræsentatur; unde Apostolus: *Unus panis, unum corpus, multi sumus in Christo.*

XVII. Communio non debet fieri sub duplici specie necessitate sacramenti.

Probatur secundò ratione rei contentæ sub signo, quæ est corpus Christi; nam sub unaquaque specie seorsim sumpta, totus ac integer Christus continetur, ut constat ex dictis de præsentia reali, & de concomitantia.

Probatur denique ratione effectûs: *Primò* effectus proprius Eucharistiæ, est vita consummata: hanc autem consequuntur fideles sub una tantùm specie communicantes: ergo utraque non est ad id necessaria. *Probatur* minor ex ipsis Christi D. verbis: *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: Qui manducat me, ipse vivet propter me: Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* *Secundò*, ubicunque est tota res, unde oritur fructus, ibidem & totus fructus reperitur: (modò cætera sint paria) atqui totus Christus sub qualibet specie continetur: ergo sumptâ unâ specie solâ, recipitur totus fructus.

Objicies primò: Mutilum est & invalidum Testamentum, ubi non reperiuntur omnia singulis Christianis Testamentô Christi legata: atqui utramque speciem singulis Christianis Testamentô suô legavit Christus, ut probari videtur ex his verbis: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.*

Respondeo primò, Majorem esse veram si de sacrificio crucis, non autem si de Eucharistiæ sacramento intelligatur. *Secundò* negando minorem; etenim Ecclesiæ suæ Christus Testamentô suô legavit corpus & sanguinem suum, non tamen à singulis sub utraque specie, sed à Sacerdotibus sacrificantibus sumendum. *Tertiò* distinguo minorem: Christus Testamentô suô, &c. ratione rei significatæ, quæ tota est, & integra sub qualiber specie, concedo: ratione signi, subdistinguo: inadæquatè sumpti, pro una scilicet specie, concedo: adæquatè sumpti, nimirùm pro utraque specie, nego.

Objicies secundò: SS. Patres disertè affirmant, Communionem sub utraque specie fieri solitam à fidelibus nascentis Ecclesiæ, & necessariò faciendã ad Sacramenti integri participationem? Primò namque *Justinus* apolog. 2. ad Christianos, post descriptam Communionem sub utraque specie, subdit: *Apostoli in Evangeliis ita sibi præcepisse Dominum tradiderunt.* Similiter *S. Cyprianus* lib. 2. epist. 3. *Quidam*, inquit, *vel ignoranter, vel simpliciter in calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Christus fecit & docuit.* Unde lib. 1. ep. 2. scribit. *Quomodo*, inquit, *docemus & provocamus eos in confessione nominis sanguinẽ suum fundere, si eis militaturis sanguinẽ Christi denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si mancos ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Et Author serm. de cœna Domini: *Lex*, inquit, *esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur.* Et *S. Aug.* lib. quæst. in Leviticum q. 57. *Ad bibendum sanguinem omnes exhortamur, qui volunt habere vitam.* Et S. Bernardus serm. 3. in ramis palmarum: *Alimentum corporis, & sanguinis Domini*, inquit, *in prima cœna Domini exhibitum, deinceps frequentari mandatum.* Igitur communio sub utraque specie facienda est ex Christi mandato & præcepto.

Nego consequentiam, & ad *S. Justinum* dico primò, eum loqui solùm de præcepto consecrandi sub utraque specie, non verò communicandi; ibidem enim dicit, Eucharistiam deferri solitam per Diaconos ad eos, qui Missarum solemniis, quæ diebus Dominicis celebrabantur, non poterant interesse; non est enim verisimile, calicem sanguinis Christi ad absentes fuisse delatum ob periculum effusionis; ac subinde solùm deferebantur species panis: unde ly *præceptum* non cadit supra Communionem in utraque specie, sed supra Consecrationem.

Ad S. Cyprianum dico, eum illô locô non agere de calice populo ministrando, sed de aqua miscenda vino consecrando; unde statim subjungit: *Admonites autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in Commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* *Addo*, quòd S. Cyprianus loquatur juxta morem suæ Ecclesiæ, in qua vigebat consuetudo communicandi sub utraque specie.

XVIII. Explicantur SS. Patres qui cõmunionem sub duplici specie necessarium videntur asserere.

Ad Authorem sermonis de cœna & ad S. Augustinum dico, ipsos loqui non de modo sumptionis, sed de re sumenda: sumitur autem sanguis Christi simul cum corpore; quô sensu pariter venit interpretandus S. Bernardus. *Vel* dici potest, ipsum ibidem loqui de solis Sacerdotibus consecrantibus.

Objicies tertiò: Concilium Toronense relatum ab Ivone, & Reginone, & Burchardo, quod asserit

Encharistiam distribui intinctam in sanguine Christi, *ut veraciter Presbyter possit dicere: Corpus & sanguis Christi prosit tibi in vitam æternam.*

XIX. Explicatur decretum Concilii Taroncasis.

Respondeo primo, Decretum illud posse benignè explicari de sanguine Christi, non secundùm se, sed ratione clarioris significationis; sanguis enim licèt non biberetur sub specie vini, non minùs prodesset ad vitam æternam, quàm si sumeretur sub specie vini: sed non ita clarè & distinctè hunc effectum significaret. Addo, intinctionem illam, cujus hic Canon meminit, reprobari à Concilio Bracharensi III. can. I. qui sub nomine Julii Papæ refertur à Gratiano, de consecr. dist. 2. can. *Cum omne crimen.*

Conclusio Secunda.

XX. Quare Ecclesia Communionem sub utraque specie Laïcis interdixerit.

Ecclesia justis de causis interdixit Laïcis Communionem sub utraque specie. Ita Concil. Trident. sess. 21. can. 2. ubi anathemate damnat eos, qui dixerint: *Ecclesiam Catholicam non justis de causis, & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes sub panis tantum specie communicaret.* Has autem justissimas causas sic exprimit, & refert Catechismus Romanus num. 70. *Primum* enim, *inquit*, maximè cavendum erat, ne sanguis Domini in terram funderetur: quod quidem facilè vitari posse non videbatur, si in magna populi multitudine eum ministrare oportuisset. *Præterea*, cùm sacra Eucharistia ægrotis præsto esse debeat, magnoperè timendum erat, ne si diutiùs vini species asservaretur, acesceret. Permulti præterea sunt, qui vini saporem, ac ne odorem quidem perferre ullô modô possint. Quare ne, quod spiritualis salutis causâ dandum est, corporis valetudini noceret, prudentissimè sanacitum est ab Ecclesia, ut panis tantummodò speciem fideles acciperent. *Accedit* ad alias rationes, quòd in pluribus provinciis summâ vini penuriâ laboratur; neque id aliunde sine maximis impensis, ac nonnisi longissimis, & difficillimis itineribus convehi potest. *Deinde*, quod maximè omnium ad rem pertinet, convellenda erat eorum hæresis, qui negabant sub utraque specie totum Christum esse, sed corpus tantùm exangue sub panis, sanguinem autem sub vini specie contineri asserebant. Ut igitur fidei Catholicæ veritas magis ante omnium oculos poneretur, sapientissimô consiliô, alterius speciei, hoc est, panis, communio inducta est. Sunt & aliæ rationes ab iis collectæ, qui de hoc argumento disserunt: quæ si opus esse videbitur, à Parochis afferri poterunt.

Dices primò: Ecclesia priorum sæculorum hujusmodi omnia incommoda noverat, & fuerat experta, nec tamen proptereà calicis usum Laïcis interdixit: igitur citra omnem causam & rationem hunc usum prohibuit hisce postremis temporibus.

XXI. Quare potius Ecclesia præsens interdixerit usum Calicis quàm vetus.

Nego consequentiam: Experimentum enim veteris Ecclesię occasionem prębuit condendæ illius legis, quâ sancitum est, ut publico malo imposterùm occurreretur; sicut à simili, per plures annos matrimonia clandestina non improbavit Ecclesia, quamvis detestaretur, & prohiberet omnia peccata & mala, quæ exinde oriebantur: cùm autem animadverteret, se tot inde emergentibus malis nullum efficax remedium afferre posse, tandem æquum judicavit hujusmodi matrimonia omnino irrita & nulla declarare.

Dices secundò: Sacramentum Eucharistiæ est Testamentum, quô Christus morti proximus corpus & sanguinem suum legavit omnibus fidelibus suis filiis: sed citra injuriam & injustitiam filii spoliari non possunt paternâ hæreditate sibi delegata: igitur nec fideles justè privari possunt calice & sanguine Christi.

XXII. Sanguis Christi est hæreditas legata fidelibus quantùm ad realem sumptionem, non quantùm ad modum sumptionis.

Distinguo majorem: Corpus & sanguis sunt hæreditas a Christo fidelibus delegata, quantùm ad utriusque realem sumptionem, concedo: quantùm ad modum sumptionis, nego. Et concessâ minore, nego consequentiam, quamvis enim Laïci non habeant usum calicis, non minùs proptereà recipiunt integrum Christi sanguinem; quippe cùm totus ille sacer sanguis in Christi vivente corpore, & glorioso sub speciebus panis delitescente contineatur.

Dices tertiò: Gratia, quam Superior concessit, & ad eam recipiendam subditis jus fecit, non potest ab inferiori Præside & Ministro justè denegari: sed Christus concessit fidelibus jus petendi calicē: ergo Ecclesia hôc jure non potest fideles expoliare.

Distinguo minorem: Christus concessit fidelibus jus petendi usum sanguinis sui, quantùm ad realem ejus susceptionem, concedo: quantùm ad modum sumptionis, nego; siquidem nullô Scripturarum oraculô id evincere possunt hæretici. Porrò Ecclesia non solùm non denegat receptionem corporis & sanguinis Christi; imò ad eam variis pœnis, gravibusque censuris obligat: secus autē est de utriusque speciei sumptione: quia hunc usum non ita pro populo fideli Christus instituit, ut petendi illius jus habeant, sed arbitrio & prudentiæ Ecclesiæ permisit, ut ea statueret, vel immutaret, quæ suscipientium utilitati, atque ipsius tremendi Sacramenti venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Quod utique Apostolus (inquit Tridentinum sess. 21. c. 2.) non obscurè declaravit, cùm dixit: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Atque hâc potestate usum fuisse Apostolum cùm in multis aliis, tum in hoc Sacramento, inde constare videtur, quòd ipse cum Ordinatis nullis circa usum hujus Sacramenti scribat, 1. ad Cor. 11. *Cætera, cùm venero, disponam.*

XXIII. Quodnam jus fideles habeant petendi calicem.

XXIV. Sumptio utriusque speciei relicta est dispositioni Ecclesiæ.

PETES 1. *Utrum Ecclesia justas nunc habere possit causas calicem fidelibus restituendi?*

XXV. Unde potest eam de novo concedere.

Respondeo, posse quidem hanc gratiam ex privilegio nonnullis conferre; quippe cùm illam Bohemis concesserit Paulus III. modò non adhæreant hæresi Petri Dresdensis, & Jacobi Misnensis. Similiter Clemens VI. dicitur hoc privilegium concessisse Regi Angliæ annô 1341. Item, dum summus Pontifex solemniter celebrat, Cardinales Diaconus, & Subdiaconus, qui ei sacra facienti assistunt, sub utraque specie cum eo communicant: posset ergo, justâ aliquâ id exigente causâ, & citra omnem errorem ex parte suscipientis, eandem gratiam Ecclesia iterum concedere.

PETES 2. *Utrum plus gratia conferatur suscipienti utramque speciem, quàm unicam ex opere operato.*

XXVI. Plus gratiæ non confertur per sumptionem utriusque speciei.

Negat subtilis Doctor in reportatis 4. dist. 13. q. 2. nu. 4. ubi ait: *Nunc autem non dispensatur sanguis Christi propter periculum effusionis, & propter scandalum, ne simplices crederent, majorem virtutem esse in duabus speciebus, quàm in unica.* Quibus verbis declarat Doctor, unam ex rationibus, quare Ecclesia justè prohibuerit Laïcis usum calicis, fuisse ne simplices existimarent, majorem vim inesse duabus speciebus ad conferendam gratiam, quàm unicæ: igitur non existimat Doctor, plus gratiæ recipere eum, qui duas species, quàm qui unicam suscipit. Idem docet S. Thomas *qu.* 80.

art. 2. *ad* 3. Et suadet ratio: Major enim gratia conferretur, *vel* ratione signi, *vel* ratione rei significatæ: *Non posterius*; nihil enim continetur sub duplici specie, quod non contineatur sub unica. *Non etiam prius*. *Tum*, quia species Eucharisticæ conferunt gratiam non ratione sui, sed ratione rei contentæ: *Tum etiam*, quia Communio sub utrâque specie, nihil aliud habet supra Communionem cum unica, nisi quòd distinctiùs, & expressiùs significet refectionem animæ per modum potûs, & cibi; siquidem Christi corpus & sanguis sub unica duntaxat specie continetur: expressior autem, & distinctior significatio effectûs Sacramentalis, non efficit eum majorem & ampliorem; cujus utique exemplum apparet in Baptismate: non enim plus gratiæ tribuitur per ablutionem totius corporis, quàm unius tantùm partis; quamvis ablutio totius corporis distinctiùs significet ablutionem totius animæ.

Dices primò: Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 3. docet fideles sub altera tantùm specie communicantes, *nullâ fraudari gratiâ ad salutem necessariâ*: igitur indicat eos fraudari aliquâ gratiâ, quæ ad salutem non sit necessaria.

XXVII. Nec contradicit Tridentinum.

Nego consequentiam: Nam ibi Concilium docet tantùm id, quod spectat ad fidem tenendam de Communione sub unica specie, & revincendum errorem hæreticorum, qui volebant fideles non communicantes sub specie vini, privari gratiâ necessariâ ad salutem: liberum autem relinquit Theologis discutere, utrum communicantibus sub duplici specie plus gratiæ conferatur ex opere operato, nec-ne: quamvis enim communicantes sub duplici specie plus gratiæ reciperent, non propterea qui communicant sub unica fraudarentur gratiâ necessariâ ad salutem; quia hoc gratiæ augmentum non necessariò requiritur ad salutem.

Instabis: Clemens VI. in Bulla, quâ concessit Regi Angliæ, ut quoties vellet, sub utraque specie communicaret, ait id se concedere *ad gratiæ augmentum*: ergo censet plus gratiæ conferri in receptione utriusque speciei, quàm unius.

Distinguo: Censet plus gratiæ conferri, ex opere operato, nego: ex opere operantis, concedo: quia præsumebat Pontifex, Regem ampliorem habiturum devotionem in receptione utriusque speciei, quàm unius tantùm; quippe cùm hanc gratiam summô pietatis affectu postularet.

XXVIII. Reges Galliæ possunt communicare sub duplici specie in die suæ coronationis.

Adde, quòd hæc Bulla non videatur ita certa: *Tum, quia* data dicitur annô 1341. & tamen annô duntaxat sequenti ad summum Pontificatum Clemens evectus est. *Tum quia* multi, quos Silvius, aliique sequuntur, contendunt Bullam illam in favorem Regis Galliæ fuisse concessam, quod omnino incertum est; siquidem ex historia Concilii Tridentini, constat quòd post lectos quatuor canones sessionis 21. de Communione sub utraque specie annô 1592. Mense Juliô, probatis per omnia Canonibus, Legati Regis Christianissimi in hunc modum perorârunt: Si in illis nonnulla mutentur, quemadmodum nonnullis visum est, postulamus id fieri absque eo quòd præjudicium ullum fiat authoritati, & prærogativæ Regis Christianissimi. Retinuerunt enim Galliæ Reges, & post mille & amplius annos quasi per manus acceperunt, ut quô die regiis insignibus ornantur, & consecrantur, sanctissimi Eucharistiæ sacramenti communionem sub utraque specie accipiant. Ubi usum illum Clemente VI. longè antiquiorem esse testantur; & concessionem illam Clementis utique non prætermittendam, si vera foret, missam faciunt; igitur argumentum est eam concessionem non in gratiam Regum Franciæ emanasse; utpote cùm eam facultatem longè priùs sibi vendicarent.

Dices secundò: Distincta Sacramenti receptio diversam producit gratiam sanctificantem ex opere operato in subjecto ritè disposito: at Communio facta sub utraque specie, est distincta Sacramenti receptio; quælibet enim species seorsim ab alia habet completam rationem Sacramenti: *Tum quia* diversis verbis consecratur diversa materia: *Tum quia* aliàs sequeretur Sacerdotem, qui sumptis speciebus panis moreretur ante sumptionem calicis, non recipere gratiam Sacramentalem: igitur plus gratiæ confertur ex opere operato per susceptionem utriusque speciei, quàm per susceptionem unius.

XXIX. Utriusque speciei susceptio ampliorē gratiam non producit.

Distinguo minorem: Si utraque species non ordinetur ad unicam refectionem spiritalem, concedo: secùs, nego: Fateor itaque, quòd diversa susceptio distinctarum specierum distinctam gratiam operetur, quando non ordinatur ad eandem refectionem animæ; sicque habet rationem distincti Sacramenti, non autem quando ad eandem refectionem ordinatur: nam si diversa Christi D. corporis & sanguinis positio sub distinctis speciebus produceret semper distinctam gratiam, sequeretur, quòd qui varias ejusdem hostiæ consecratæ particulas sumeret, majorem haberet gratiam, quàm qui unicam duntaxat integram acciperet, quippe cùm sub qualibet particula consecrata totum Christi D. corpus & sanguis contineatur.

QUÆRES 3. *Quid sit Communio Laïca, de qua plerumque fit mentio à Patribus & Conciliis, maximè à* Syricio *Papa epist*. 1. *cap*. 11. S. Cypriano *lib*. 4. *epist*. 2. *& Concilio* Elibertitano *can*. 76. Sardicensi, *cap*. 1. *&* 2. Agatheosi *can*. 33. Toletano I. *cap*. 4. Braccharensi I. *cap*. 31.

XXX. Communio Laïca, non erat communio corporis Christi sub una specie tantùm.

Respondeo, hac in re varias esse Authorum sententias; *Primò* namque sunt qui existiment Laïcam illam Communionem esse, quæ sub una specie fiebat; in hoc distinctam à Clericali, quâ utraque species usurpabatur: ad quam utique Communionem redigebantur Clerici in pœnam delictorum. *Verùm* hæc sententia videtur minùs probanda; quippe cùm tunc temporis Laïcis utraque species concedebatur, & Clerici extra templum interdum unicam speciem usurpabant.

Secundò, existimant aliqui cum Pammelio *notâ* 37. in epist. 52. S. Cypriani, Laïcam Communionem eam esse, quæ extra cancellos & septa altaris, seu extra chorum Laïcis concedebatur; nam juxta dispositionem Concilii Toletani 4. can. 17. Sacerdotes & Levitæ ante altare communicare, in choro Clerus, extra chorum populus tenebantur. Et in Braccharensi, can. 31. sic statuitur: *Ingredi sacrarium ad communicandum non liceat Laïcis, sed tantùm Clericis*; unde cùm S. Ambrosius, post oblatum ad altare munus, jussisset interrogari Theodosium Imperatorem intra cancellos hærentem, quid vellet quòd ibi subsisteret; respondissetque se nihil aliud velle; quàm ut divina peragi videret, statim reposuit S. Ambrosius: *Istinc tibi videre non licet, habent in templo Sacerdotes, habent & Laïci locum suum*. Consistebant autem masculi ad meridiem, quorum introitum servabant Ostiarii; fœminæ autem ad Aquilonem,

quarum introitum servabunt Diaconissæ. *Verùm* hæc sententia difficultatem patitur, quoniam Felix III. statuit Clericos, qui se rebaptizari passi erant, ab omni Communione usque ad diem obitûs privari, & in ipsa morte non nisi Laïcâ Communione donari: imò Concilium Sardicense can. 2. decernit, quòd in detestationem quorundam flagitiorum, Clerici nec etiam in fine vitæ Laïcam Communionem accipiant: at Communio sic ministrata vel negata moribundis in lecto decumbentibus, non potest habere hanc distinctionem consistentiæ, vel in choro, vel extra chorum, cùm illi eo in statu extra chorum consistere supponantur.

Neque facta in loco & societate Laïcorum.

Tertiò, itaque probabiliùs dicendum arbitror, Communionem Laïcam nihil aliud esse, quàm jus communicandi cum cæteris fidelibus, more duntaxat Laïcorum, qui degunt in Christiana societate, ita quòd Clerici illi omnibus omnino functionibus Ecclesiasticis, & privilegiis Clericalibus spoliati, ac veluti exauthorati & degradati nullô Clericali honore gauderent, sed tantùm pro Laïcis haberentur. Cui utique explicationi favere videtur canon 15. inter Apostolicos, ubi sic statuitur: *Si quis Presbyter aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum relinquens propriam Parochiam pergat ad alienam, & omnino demigrans præter Episcopi sui conscientiam in aliena Parochia commoretur, hunc ulteriùs ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo redire contempserit, in sua inquietudine perseverans. Veruntamen tanquam Laïcus ibi communicet.* Id est, ut videtur, jus solummodò cum cæteris communicandi more Laïcorum, qui talis est, obtineat. Cyprianus etiam *epist.* 68. de Basilide sic scribit: *Episcopatum pro sua conscientia vulnere ultrò deponens, ad agendam Pœnitentiam conversus est, Deum deprecans, & satis gratulans, si sibi vel Laïcè communicare contingeret.* Ubi per Communionem Laïcam intelligere videtur jus, quod habent Laïci ad communicandum. Et epist. 72. ad Stephanum Papam: *Addimus planè & adjungimus consensu & authoritate communi, ut etiamsi qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica priùs ordinati fuerint, & postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos à Pseudo-Episcopis, & Antichristis contra Christi dispositionem profanâ ordinatione promoti sint, & contra altare unum atque divinum, sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hâc conditione suscipi, ut communicent Laïci; & satis habeant, quòd admittantur ad pacem, qui hostes pacis extiterint: nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint.* Et paucis interjectis: *Et idcirco satis est talibus revertentibus veniam dari; non tamen debet in domo Dei perfidia promoveri. Nam quid bonis & innocentibus, atque ab Ecclesia non recedentibus reservamus, si eos, qui à nobis recesserint, & contra Ecclesiam steterint, honoramus!* Ubi per Clericos ad Communionem Laïcam damnatos eos intelligit, qui Clericalibus muniis & honoribus ob peccata privata, ad communem Laïcorum statum dejecti sunt.

XXXI. Sed exauthoratio Clerici & ad statum Laïcorum redacti.

Quod & epist. 52. priùs significaverat his verbis: *Susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus. Sic tamen admissus est Trophimus, ut Laïcus communicet, non secundùm quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet..... Si qui enim infirmitatibus occupantur, illis in periculo subvenitur. Posteaquam tamen subventum est, & periclitantibus pax data est, suffocari à nobis non possunt, aut opprimi, aut vi & manu nostrâ in exitum mortis urgeri; ut quoniam morientibus pax datur, necesse sit mori eos, qui acceperint pacem; cùm magis in hoc judicium divinæ pietatis, & paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hi quoque ad vitam perceptâ pace teneantur.* Ubi Communionem Laïcam dare, idem videtur, ac pacem impertire; cujus pacis pignus & coronamentum divina Eucharistia est petentibus in periculo mortis concessa.

Ex his omnibus liquet, pœnam Clericorum ad Communionem Laïcam redactorum in eo maximè constitisse, quòd omni Clericali beneficiô spoliarentur, non verò à sacra mensa arcerentur; sicque pro degradatis, non verò pro excommunicatis habebantur. Ideoque Patres quàm sæpissimè crimen idem in Clericis depositione, in Laïcis excommunicatione plectunt. Idemque Basilius ad Amphylochium can. 3. sic habet: *Diaconus post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem ejicietur, in Laïcorum autem locum extrusus à Communione non arcebitur: quoniam antiquus est canon, ut, qui à gradu exciderunt, hôc solô pœnitionis modò plectantur.* In hoc ergo sita est Laïca Communio.

Nec obstat, quòd *Communionis* vocabulum pro sacra Synaxi, & susceptione corporis Christi frequentissimè usurpetur. Hoc, inquam, non obstat; quippe non rarò etiam usurpatur à SS. Patribus & Conciliis ad significandum ejusdem societatis consortium, eorundem Sacramentorum participationem, & cum eodem corpore membrorum colligationem, quæ in symbolo Apostolorum *Sanctorum Communio* appellatur.

PETES DENIQUE, *Quid fuerit* peregrina communio, *de qua plerumque fit mentio, tum à Conciliis, tum à SS. Patribus.*

Respondeo, non aliam meô judiciô fuisse, quàm egregium illud charitatis & humanitatis in cibo, potu, & hospitio subsidium, quô fideles peregrini, maximè Clerici, qui à proprio fuerant Episcopo per formatas litteras commendati Ecclesiis, ad quas peregrè ibant, excipiebantur. Hinc Clerici exauthorati, dicuntur plerumque redacti ad Communionem peregrinam, dum spoliati sportolis, & annuis, aut menstruis reditibus, immatriculatis Clericis præstari solitis; nihilominus ex commiseratione Ecclesiæ præstabatur illis alimonia simul cum peregrinis fidelibus. Quemadmodum factum à seipso erga Basinopolis Episcopum Alexandrum residere in sua Ecclesia recusantem, scribit ad Theophinolum Alexandrinum Synesius epist. 66. *In Ecclesiam quidem*, inquit, *admittere illum nolui, nec sacram cum illo mensam communem habui: domi verò peræque ac innocentes honoravi.* Cujus humanitatis exempla suppeditat Concilium Chalcedonense Act. 7. providens, ut ipsius Ecclesiæ Antiochenæ sumptibus alatur Domnus Antiocheno Patriarchatu exauthoratus. Et simili modô sustentationi providit Bassiani & Stephani, postquam illos Episcopatu submovit, *Act.* 12.

XXXII. Quid sit Communio Peregrina.

Ad exemplum & similitudinem hujus pœnalis peregrinæ in Clericis communionis, alia vocabatur minùs propriè peregrina Communio, quâ Episcopi, aliique inter Sacerdotes primarii, seu præfecturam habentes, non deponebantur pror-

Duplex erat.

sus à Clero, sed tantùm à digniori & sublimiori pristino gradu, ut tamen in gradu inferiori Clericorum consisterent, ut Episcopi redigerentur ad Sacerdotum ordinem; isti ad Diaconorum, & Diaconi ad minorum Clericorum stationem & classem. Sic enim depositis Episcopis subtrahebatur illa redituum Ecclesiæ quarta pars, quam Episcopis sacri Canones reservabant, ut deinceps minora cum Sacerdotibus stipendia acciperent; Sacerdotes verò à suo excidentes honore, stipendium inter Diaconos accipiebant; qui omnes licèt minùs propriâ locutione dicebantur sustentari communione peregrinâ, tametsi victum, & stipendia cum inferioribus Clericis ex Ecclesiæ liberalitate & commiseratione reciperent. Cujus utique veritatis præclarum habemus argumentum in Concilio Regiensi, quod habitum est in Galliæ provincia Narbonensi annô 439. occasione Armentarii, qui se per ambitionem curaverat ordinari in Episcopum Ebrodunensem à duobus tantùm Episcopis, invitô etiam Metropolitanô, qualem se eô tempore contendebat Arelatensis Præsul, cujus curâ & sollicitudine hæc Synodus congregata fuit. In tertio namque ejus Canone de ipso Armentario decernitur: *Liceat ei in unam suarum Parochiarum Ecclesiam concedere, in qua aut Chorepiscopi munere, aut peregrinâ communione foveatur, nec quidquam ipsi de Episcopalibus officiis usquam usurpare liceat, præterquam in Ecclesia, quam cujusquam misericordiâ fuerit indeptus, in qua ei solùm Neophytos confirmare, & ante Presbyteros offerre conceditur.* Ex quibus apparet, Communionem peregrinam non esse sacram Christi D. corporis participationem, quippe Synodus Armentarium exauthorando Episcopali gradu, non solùm vult ei salva esse omnia Sacerdotii jura, sed & nonnulla Pontificalia concedit, nempe collationem Confirmationis; & tamen eum ad communionem peregrinam arctat. Igitur signum est, quòd hæc peregrina communio alia sit à Communione sacra, & nihil aliud quàm ad victum & alimoniam necessaria peregrinis conferri solita significet.

Quæstio Tertia.

Quænam requirantur dispositiones ad debitam receptionem hujus Sacramenti?

I. Quàm necessaria sit præparatio ad Communionem. Notandum primò cum Concilio Trident. sess. 13. cap. 7. quòd, *si non decet ad sacras illas functiones quempiam accedere, nisi sanctè; certè quò magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus Sacramenti viri Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.* Quàm autem necessarius sit ille apparatus mentis & corporis, ipsa etiam præter Apostoli authoritatem ratio commendat; enimverò, si David, qui templum Deo ædificare animô constituerat, meritò dixit, Paralip. 29. opus illud esse grande, *neque enim inquit homini præparatur inhabitatio, sed Deo:* nullus est fidelium, qui ad sacram Synaxim accedens, jure meritô dicere non possit, se opus grande moliri, habitationem quippe Domino parat, cùm se ad sacram Communionem accingit; hospitiô verò excipit, dum hoc Sacramentum usurpat. Nullus itaque ire debet inficias, diligentem ad hoc sacrum epulum corporis & animi præparationem prærequiri. Verùm difficultas est, quænam & qualis esse debeat hæc præparatio.

II. De qua pessimè sentiunt hæretici. *Notandum secundò*, eam inter cæteras fuisse pessimam Lutheri de Eucharistia sententiam, quòd ad ipsam dignè suscipiendam non alius melior status erat exoptandus, quàm omnium pessimus; ait enim serm. de præparatione ad Eucharistiam, *Optima dispositio nonnisi ea quâ pessimè est dispositus, & ideo Pœnitentia potius post, quàm ante Sacramentum peragitur. Magnus & perniciosus error est, si quis accedat ad Sacramentum eâ nixus fiduciâ, quod confessus est, quòd non est sibi conscius mortalis peccati, quòd orationes & præparatoria sua præmiserit: omnes hi judicium sibi manducant & bibunt, quia his omnibus non fiunt digni, neque puri; imò per eam fiduciam puritatis prius polluuntur: fiunt autem puri per fidem.* Ei subscribit, non quidem ita petulanter, nihilo tamen veriùs & modestiùs Calvinus *lib. 4. Institut. cap. 57. num. 41.* dum requisitam à Catholicis dispositionem in conscientiæ indagine, peccatorum contritione, confessione & satisfactione sitam non solùm flocci facit, sed etiam conscientiarum torturam, ac diram animi divexationem appellat, subditque *num. seq.* eam optimam esse præparationem, quàm Deo afferre possumus, si nostram ei vilitatem, & indignitatem offeramus, ut suâ misericordiâ nos se dignos faciat: si animos in nobis despondeamus, ut nos in ipso consolemur: si nos humiliemus, ut ab ipso erigamur: si nos accusemus, ut ab ipso justificemur. Quasi verò Ecclesia Catholica, dum perfecta præscribit, ea quæ Calvinus memorat, prætermittat! & quasi communicantes, multiplici apparatu à se præscripto instructos, Sacerdote iteratis vocibus præmonente non adhortetur, ut cum contritione veraciter & humiliter ad tantæ, tamen divinæ majestatis aspectum, profiteantur, *Domine non sum dignus, &c.* Statuendum est ergo contra pessimam hanc hæreticorum doctrinam, alias, quàm quas ipsi assignant, nempe fidem, & animi dejectionem, dispositiones ad sacram Synaxim esse prærequisitas.

III. Qui etiam perperam & erroneè existimant corpus Christi ab indignis non suscipi. *Notandum tertiò*, cum Guitmundo Archiepiscopo Aversano lib. 1. de Eucharistia, quosdam Berengarianos in eo errore versatos fuisse, ut existimarent, Christi D. corpus à pravis hominibus nequaquam manducari posse, sed indignis ad Communionem accedentibus, carnem Domini, & sanguinem, iterum reverti in panis & vini substantiam, in quas priùs conversa esse non denegabant. Idem testatur Algerus in Prologo de Eucharistia, ubi cùm varios recensuisset Berengarianorum errores, subdit: *Alii verò mutari quidem in carnem Christi dicunt, sed malis meritis sumentium non permanere carnem Christi, sed iterum reverti in purum Sacramentum panis & vini.* Imò nonnulli eorum ita desipiebant, ut assererent partem panis & vini converti quidem in corpus & sanguinem Christi propter dignè suscepturos; partem verò immutatam permanere propter indignos, quibus hæc pars recedente corpore & sanguine Christi, erat tradenda, ut docet idem Guitmundus circa finem libri tertii. Cui utique errori subscribit Calvinus lib. 4. Institut. cap. 17. §. 33. contendens impios, & sceleratos à Christo alienos corpus Christi non edere: *Quia nimis indignè,* inquit, *laceraretur Christus, si prostitueretur incredulis.* Unde contendit eô sensu indignè accedentes reos esse corporis & sanguinis Domini, quia

Christus utrumque ipsis præstare paratus erat.

Verùm apertè hunc errorem arguit & damnat Apostolus 1. Cor. 11. scribens: *Qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini:* at homo nequit esse reus malè accepti corporis & sanguinis Domini, nisi accipiat: *Qui enim manducat, & bibit indignè*, subdit Apostolus, *judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quomodo autem jure damnaretur aliquis quòd Christi D. corpus non dijudicat, & discernit ab aliis cibis, si corpus Domini non est ipsum, quòd accipit? *Confirmatur* hæc veritas ex iis, quæ diximus, quòd Judas unà cum cæteris Apostolis corpus & sanguinem Christi biberit: concludendum ergo cum S. Augustino lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 8. *Sicut Judas*, inquit, *cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum non efficit, at quia ipse malus est, nullum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil accipiat: corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat, etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, judicium sibi manducat, & bibit.* Cùm igitur certum sit Christi D. corpus indignè sumi ab indignis, hac in quæstione determinandum est, quænam præparationes mentis & corporis requirantur ex parte sumentium, ut dignè, & cum fructu Christi D. corpus accipiant.

Conclusio Prima.

IV. Prærequiritur ad debitam communionem status gratiæ.

AD debitam & dignam susceptionem Sacramenti Eucharistiæ, requiritur status gratiæ sanctificantis. Ita Concilium Trident. sess. 13. cap. 7. ubi ait: *Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum, Probet seipsum homo, &c. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò observandum esse decernit.* Unde can. 11. sic definit: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit.*

Quàm necessaria autem sit hæc cordis mundities & innocentia, satis manifestat ipsa Christi D. omnis sanctitatis & puritatis sacrarii susceptio; impuri enim corporis obscœnitates damnat Virginea Christi caro; animam criminibus infamem reprobat ipsius anima sanctissima; & cordis sorditiem non patitur sanguis ille pretiosus pro eluendis criminibus effusus. Unde meritò Apostolus ad Hebræos 10. *Si irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, aut tribus testibus moritur; quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Qui autem indignè corpus & sanguinem usurpat, reverà Dei Filium conculcat, & pollutum ducit; quippe conscientiæ sordibus illum, quantùm in se est, conspurcat. Statuit Deus Levit. 22. quòd *omnis homo, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt à filiis Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Quantâ igitur severitate Deus in eum animadvertet, qui non vasa Deo consecrata, & sacro ejus cultui destinata, sed Deum ipsum totius sanctitatis principium & centrum indigna Communione flocci facit.

Concludendum igitur cum S. Basilio lib. 2. de Baptismo: *Mundemus nos ab omni inquinamento, atque ita ad sancta accedamus, ut judicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus; propterea quod quisquis ederit panem, & biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Hinc præclarè monet S. Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 9. *Nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit ante sanatus... ubique ergo in hoc mysterio hic ordo servatur, ut priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, posteà alimonia mensæ cœlestis exuberet.*

V. Nec non & aliæ animi præparationes.

Porrò has omnes cordis & animi præparationes luculenter explicat Catechismus Romanus de Eucharistia num. 59. Primam illam, *inquit*, præparationem fideles adhibeant, ut discernant mensam à mensa, hanc ab aliis profanis, cœlestem hunc panem à communi. Atque hoc fit, cùm certò credimus præsens esse verum corpus, & sanguinem Domini, quem in cœlo Angeli adorant, ad cujus nutum columnæ cœli contremiscunt, & pavent, cujus gloriâ plenum est cœlum & terra. Hoc nimirum est, dijudicare corpus Domini, quod Apostolus admonuit: cujus tamen mysterii magnitudinem venerari potius oportet, quàm in disputationibus ejus veritatem curiosiùs perquirere. Altera verò præparatio maximè necessaria est, ut unusquisque à seipso quærat num pacem cum aliis habeat, num proximos verè atque ex animo diligat. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.

Deinde conscientiam nostram scrutari diligenter debemus, ne fortè exitiali aliquô peccatô contaminati simus, cujus pœnitere necesse sit, ut priùs Contritionis & Confessionis medicamento illud eluatur. Definitum est enim à sancta Tridentina Synodo, nemini licere, quem mortalis peccati conscientia stimulet, si Sacerdotis facultas data sit, antequam se Sacramentali Confessione purgârit, quantumvis sibi contritus esse videatur, sacram Eucharistiam accipere. Præterea taciti cum animis nostris cogitemus, quàm indigni simus, quibus divinum hoc beneficium à Domino tribuatur: quare illud Centurionis, de quo idem ipse Salvator testatus est, se non invenisse tantam fidem in Israël, ex animo dicendum est: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.

VI. Qui conscius est peccati mortalis debet præmittere confessionem communioni.

Ex his sequitur primò, quòd qui conscius est peccati mortalis, tenetur communioni præmittere Confessionem Sacramentalem, ut docebat suprà Concilium Tridentinum ex Ecclesiastica consuetudine; quàm utique indicant SS. Patres, maximè S. Cyprianus lib. 3. Epist. 14. 15. & 16. unde epist. 10. acriter invehitur in eos, qui ante peractam Pœnitentiam ministrabant pœnitentibus Eucharistiam; quod etiam prosequitur epist. 11. ubi scribit: *Illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem ante actam Pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam compositam, offerre lapsis pacem, & Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant*, &c. Similia habet S. Chrysostomus homil. 83. in Matthæum, Sacerdotes, qui mi-

nistrandi debent Eucharistiam, ait: *Ad vos convertere sermonem necessarium est, ut multo cum studio hæc dona distribuatis: non parva vobis imminet ultio si quempiam ullius culpa conscium, hujus mensæ participem esse concedatis, sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis militia dux sit, sive præfectus; sive princeps diademate coronatus; indignè autem si accedat, prohibe: majorem illô potestatem habetis: propterea vos Deus hoc insignivit honore, ut talia discernatis.* Consentit S. Leo epist. 91. cap. 2. ubi scribit: *Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus Satisfactionem Pœnitentiæ darent, & eâdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Idest, per Sacramentum Pœnitentiæ. Hinc Eusebius lib. 6. historiarum cap. 25. scribit, Philippum Imperatorem volentem in die Paschæ communicare, non fuisse permissum ab Episcopo illius loci, nisi priùs Confessionem præmitteret. Et Nycephorus lib. 11. hist. cap. 34. narrat de Dioscoro Abbate, quòd cùm esset Presbyter & Confessarius, diligenter explorabat conscientias subditorum antequam accederent ad Eucharistiam.

Dices: Apostolus tantùm monet, ut probet seipsum homo; non verò ut confiteatur alteri: unde S. Chrysostomus homil. 28. in 1. ad Cor. *Non præcipit*, inquit, *ut alter ab altero probetur, sed ipse sine traductione faciens judicium, & sine teste redargutiones*. Et S. Augustinus serm. 252. de Tempore: *Vnusquisque consideret conscientiam, & quando se aliquô crimine vulneratum esse cognoverit; priùs orationibus, jejuniis, & eleemosynis studeat mundare conscientiam, & sic Eucharistiam præsumat accipere.* Ubi nullam fecit mentionem Confessionis; ac subinde non censet eam esse præmittendam Communioni.

Nego consequentiam: Et ad Apostolum dico, illum per hanc probationem intelligere examen, quô sibi ipsi unusquisque debet esse judex, discernens opera sua, & diligenter inquirens utrum dignus sit, qui accedat ad Eucharistiam absque ulteriori probatione; an verò conscius sit alicujus peccati mortalis, quod eluere debeat per Pœnitentiam; ad quam necessaria est Confessio. Quòd autem ea probatio non excludat Confessionem, manifestè significat S. Chrysostomus homil. 30. in Gen. ubi agens de præparatione facienda in hebdomada sancta, ut Pascha dignè celebretur, scribit: *Nunc maximè & jejunii cursus intendendus est, & magis continuanda sunt preces, faciendaque diligens, & pura Confessio peccatorum, ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem Dominicum venerimus, Domini libertate fruamur.* Hinc S. Anselmus, vel quisquis est Author Commentarii in Apostolum, qui ejus nomine profertur, exponens præfata Domini verba, scribit: *Indignè manducat, & bibit, qui vel aliquod grave peccatum, vel multa levia commisit, & non confitetur ea, priusquam ad Communionem accedat.* Hinc fortassè S. Augustinus in objectione laudatus, non meminit Pœnitentiæ & Confessionis, tanquam dispositionis necessariò prærequisitæ in peccatore ad dignam communionem; quia omnibus compertum erat, & evidens ex continua Ecclesiæ praxi.

VII. Non solùm à Sacerdotibus, sed etiam à laïcis.

Sequitur secundò, Confessionem esse necessariò præmittendam Communioni, non solùm à laïcis, sed etiam à Sacerdotibus, qui conscii sunt alicujus peccati mortalis, ut decrevit Trident. Synodus verbis suprà laudatis: *Dummodò*, subdit, *non desit illis copia Confessoris, quòd si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur*: Qualiter autem sit accipienda hæc urgens necessitas, perspicuè declarat Doctor in 4. *dist. 9. q. unicâ num. 8.*

VIII. Nisi fortè urgens necessitas excusset.

De tertio dico, *inquit*, quòd si occurrat opportunitas, tenetur priùs confiteri, quàm communicare. Cujus ratio est, quia non tantùm debet reconciliari Deo, sed Ecclesiæ, ad hoc, quòd dignè recipiat Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis. Si autem non occurrat opportunitas confitendi, si potest sine scandalo vitare, ne tunc communicet; tenetur non communicare, sed expectare Confessionem propter eandem rationem, quæ dicta est nunc. Si verò occurrit scandalum, nisi statim communicet, utpote, si est indutus, & postquam indutus, occurrit sibi conscientia de peccato mortali, de quo non fuit confessus, & non habet in promptu idoneum Confessorem: tunc cum Contritione, & voluntate confitendi tempore opportunô potest celebrare, ut scandalum evitetur. Et similiter de alio communicaturo, qui non celebrat; utpote consuetudo est in aliqua religione, vel Ecclesia, ut omnes non Sacerdotes communicent in simili casu: scilicet si tunc, cùm debet communicare, non habet idoneum Confessorem, potest tunc non confessus communicare. Nec est dicendum, quòd peccat mortaliter, vel transgreditur præceptum, ut evitet scandalum, quia nullum præceptum excludit istum ab isto in hoc casu, quia dilatio Confessionis in actu, quæ nunc habetur in affectu, non excludit, quin sit membrum etiam Ecclesiæ militantis, habile ad actus, in quibus membra communicant, & tenetur vitare scandalum proximi.

Quam exponit Doctor.

De peccato autem veniali, non oportet dubitare, quia de illo non est necessitas pœnitentiæ: Veruntamen authoritas quædam de Ecclesiasticis dogmatibus 22. quæ ponitur in littera dist. 22. videtur facere mentionem de peccato veniali, ait enim: *Licèt quis peccatô mordeatur, si peccandi de cætero non habet voluntatem, & satisfaciat lacrymis, & orationibus, accedat securus: & hoc dico de illo, quem mortalia peccata non gravant.* Ergo videtur, quòd non potest aliquis securus accedere, nisi qui sit sine voluntate peccandi venialiter, & de præteritis satisfecerit lacrymis, & orationibus. *Respondeo* potest intelligi de mortali peccato, non quòd jam inest, neque præterito sine omni pœnitentia, sed confesso, si mordeatur; quia non completè satisfecit: & tunc intelligitur de peccato mortali: & tunc quod sequitur, *quem mortalia peccata non gravant*, supple in actu, vel præterito sine pœnitentia sequente. *Ita Doctor*, quibus supponit, non esse novum peccatum veniale accedere ad Eucharistiam cum veniali, habituali aut actuali sine deliberatione commisso, quia videlicet nullum est præceptum in contrarium: neque peccata venialia habitualia impediunt augmentum gratiæ, nec ponunt obicem effectui hujus Sacramenti. Unde S. Augustinus epist. 118. *Cæterùm*, inquit, *si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quibusdam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare.* Peccata autem, propter quæ aliquis esset excommunicandus, idest à Communione removendus, non sunt venialia, sed mortalia non confessa; imò neque omnia mortalia confessa, sed ea solùm, ob quæ juxta rigorem veterum Canonum, & Antistitum judicium, aliquis ad tempus separandus esset, & removendus à Communione.

Conclosio Secunda.

IX. *Tres requiruntur dispositiones ex parte corporis ad dignam Eucharistiæ sumptionem.*

Tres potissimùm ex parte corporis ad dignam Communionem dispositiones prærequiruntur.

1. Vt suscipiens possit debitè suscipere & susceptam conservare.

Prima quidem, quod communicaturus si expers infirmitatis, ex qua tanto Sacramento irreverentia posset irrogari, puta si tanta esset pectoris ægritudo aut langnor, ut propter vomitûs, tussisque frequentiam, Sacramentum nec deglutire, nec retinere posset. Eucharistiæ namque suscipiendæ præceptum solos manducare potentes adstringit; quippe cùm per modum cibi ad spiritualem animæ refectionem sit ordinatum: porro qui nec cibum deglutire possunt, nec sorptum retinere, censentur non posse manducare; ac subinde sunt incapaces recipiendæ Eucharistiæ. Unde præceptum affirmativum de suscipiendo Viatico, cedere debet præcepto negativo, de nusquam irroganda injuria Eucharistiæ Sacramento.

X. *2. Vt sit jeiunus.*

Secunda præparatio ex parte corporis, est jejunium; quippe lege Ecclesiasticâ, quæ roboratur cootinuâ Ecclesiæ praxi, cautum est, ut nonnisi jejuni ad Eucharistiæ susceptionem accederent, citra urgentis necessitatis infirmitatem; hoc namque sancitum est in Concilio Carthaginensi tertio can. 9. ubi definitur: *Ut Sacramenta Altaris, nonnisi à jejunis hominibus celebrentur, exceptò unò die anniversariò, qui cœna Domini celebratur.* Excipitur autem dies cœnæ Domini; quia exemplô Christi eôdem die ad vesperam, sacrum celebrari mos erat, ad quod fideles etiam cœnati communicabant. Idem canon num. 29. reperitur in Concilio Carthaginensi tertio. Quæ utique sanctio iterum innovata est in Conciliis Constantiensi, Florentino & Tridentino.

Ne tamen existimes, hanc consuetudinem ortum duntaxat habuisse ab hujusmodi Conciliorum sanctionibus; illam enim apud nascentis Ecclesiæ fideles viguisse testatur Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 5. ubi loquens de Eucharistia, ait: *Non sciat maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes.* Hujus pariter consuetudinis meminit sanctus Cyprianus epist. 63. & S. Chrysostomus homil. 27. in 1. ad Cor. ubi scribit: *Tu autem priusquam quidem communices, jejunas, ut quomodocunque dignus appareas.* Sed præ cæteris hanc veritatem docet S. Augustinus epist. 118. quæ est ad Januarium, ubi cùm duplicem hanc regulam præmisisset: primam qoidem, quòd *illa quæ non scripta, sed tradita custodimus: quæ quidem totô terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri.* Alteram verò, quam sic statuit: *Si quid tota per orbem frequentet Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissima insania est.* Tandem cap. 6. subjicit: *Liquidò apparet, quòd quando primùm acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos jejunos accepisse visum est. Nunquid tamen propterea calumniandum est universa Ecclesia, quòd à jejunis semper accipitur? Et hoc verò placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti priùs in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi; nam ideo per totum orbem mos iste servatur.*

Triplex autem hujus praxis & præcepti proferri potest ratio. *Prima* quidem: Hunc ritum exigit honor huic cœlesti cibo debitus, ut nempe panis ille Angelorum excipiatur in ore ab omni cibo & potu corporen immaculato; corpus enim per cibum corruptibilem quodammodò sordidatur. *Secunda*, ut inde discant Christiani ad praxim redigere illud Christi D. monitum Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus,* &c. *Tertia*, ut caveatur periculum vomitûs, & ebrietatis, vel certè dissolutionis, aut vanæ lætitiæ ex ciborum usu sponte fluentis; quod utique damnare videtur Apostolus 1. ad Cor. 11. cùm ait: Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.

Nec obstat, quòd Christus D. Eucharistiam post cœnam institutam Discipulis non jejunis distribuerit: Nam, ut optimè respondet S. Augustinus locô suprà laudatô: *Neque quia post cibos dedit Dominus corpus suum, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent; aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat mensis suis ista miscere... Nam si ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset; cùm verò ait Apostolus de hoc Sacramento loquens: Propter quod fratres, cùm convenitis ad manducandum, invicem expectate; si quis esurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis: statim subtexit; cætera, cùm venero, ordinabo.* Ex multis autem, quæ ordinaturus erat Apostolus, hoc unum erat, ut deinceps Eucharistiam jejuni acciperent. *Intelligi datur*, ut prosequitur S. Augustinus, *quia multum erat in epistola totum illum agendi ordinem insinuare, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nullâ morum diversitate variatur.*

XI. *Ieiunio naturali.*

Porro jejunium illud debet esse naturale, hoc est, quòd nihil vel minimùm sumptum sit per modum cibi aut potûs, vel medicinæ, ut definitur in Concilio Toletano I. can. 2. his verbis: *Nullus post cibum potumque quemlibet minimum sumptum Missas facere præsumat.* Ut autem servetur hoc jejunium naturale, necessum est, quòd nihil per modum rei extrinsecæ sorbeatur, & trajiciatur in stomachum, quod habeat rationem cibi aut potûs. Dixi *per modum rei extrinsecæ*, ut excludatur saliva, cæterique humores, qui cùm sint aliquid ipsius hominis, cùm deglutiuntur, non solvunt jejunium naturale. Dixi, *trajiciatur in stomachum, & deglutiatur*; si enim tantùm atteratur dentibus, aut volvatur in ore, & statim abjiciatur, ut fit cùm os abluitur, jejunium naturæ non solvitur; hoc enim non est manducare aut bibere, ut dicitur de Christo, quod cùm in cruce gustasset de aceto, noluit bibere. Jejunium autem illud naturale maximè servari debet à media nocte ejus diei, quô Eucharistiam quis recipit, ut docent omnes Doctores, & ferunt Rubricæ Missalis Romani. An autem quis post cibum & potum sumptum dormire debeat, antequam communicet, prorsus perinde esse debet, quantùm ad rationem præcepti, sufficitque, quòd homo celebrans, aut communicaturus ita sit mentis compos, ut attendere valeat ad divinum illud beneficium, quod est excepturus.

XII. *Potest tamen certis in casibus sumi à non jejunis.*

His tamen non obstantibus potest interdum sumi Sacramentum à non jejunis, ut optimè notat Doctor dist. 8. q. 3. Dico, *inquit*, quòd aliquis potest esse casus, in quo quasi generaliter licet accedere non jejunum, ut in infirmitate gravi, quando timetur periculum mortis imminentis. Tunc enim esset periculum negare infirmo, licèt pranso, poscenti Sacramentum, cùm sit viaticum: & ideo dandum est ei, qui proficiscitur ex hoc mundo, ut per ipsum ducatur ad terminum. Alius casus spiritualis est, quia in aliqua regione celebratur commnniter in vino albo, Minister parat calicem Sacerdoti; & ex aliqua negligentia

pro

pro vino ponit aquam, Sacerdos non advertens, sed supponens Ministrum bene fecisse, procedit dicendo verba, & alia faciendo usque ad perceptionem: percipiens verò liquorem de calice, advertit esse aquam, videtur quòd ipse non possit illô die percipere sanguinem, si oportet jejunum esse suscipientem.

Quando urget necessitas.

XIII. 2. Quando Sacerdos sumptâ ablutione advertit se utramque speciem non consecrasse.

Dico, quòd in isto casu tenetur consecrare sanguinem de novo, & consecratum percipere. Quod probatur, quia quando sunt duo præcepta ordinata, præceptum superioris magis ligat: nunc autem præceptum Christi & Ecclesiæ, & ex ipsa ratione Sacramenti est, quòd quando Sacramentum conficitur, conficiatur integrum, quoniam Sacramentum est in se quoddam integrum ex duobus. De ista etiam integritate servanda est districta obligatio Ecclesiæ de consecr. dist. 2. *Comperimus. Ut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur.* Loquitur de Sacerdotibus conficientibus, & posteà non communicantibus: & subditur ratio: *Quia divisio ejusdem Sacramenti sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ergo quôcunque præceptô aliô Ecclesiæ positô, maximè quod non respicit ipsam propriam & essentialem rationem Sacramenti, necessariò tenetur semper omnis celebrans ad istam integritatem servandam: ergo qui jam percepit aquam, simpliciter tenetur ad illud complendum quod prætermisit, scilicet ad consecrandum integrè Sacramentum, & tunc ultrà si tenetur consecrare sanguinem, tenetur eundem consecratum sumere. Unde habetur de consecr. dist. 2. Relatum. *Certum est, quòd hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti.* Et sequitur, quòd *talis à communione unô annô repulsum se noverit.* Ergo omnibus modis tenendum est, aut quotiescunque Sacerdos corpus & sanguinem immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis participem se præbeat. Iste ergo necessariò tenetur ex institutione Christi, & propter integritatem Sacramenti, conficere sanguinem, & ex strictissimo præcepto Ecclesiæ sub pœna repulsæ unô annô tenetur consecratum percipere.

Et si objicitur, iste non est jejunus: ergo peccat mortaliter, vel ergo non debet conficere, ne percipiat: vel si oportet eum conficere, & percipere, oportet quòd peccet contra præceptum Ecclesiæ, & tunc est perplexus, quod non est dicendum de aliquo ex præceptis Dei & Ecclesiæ.

Respondet Doctor: Ecclesia non ita strictè præcipit suscipientem esse jejunum, prohibendo non jejunum suscipere, sicut prohibet divisionem Sacramenti (imò ipsa divisio prohibetur à Christo ex prima institutione Sacramenti) nec etiam ita strictè prohibet: non jejunum percipere, sicut præcipit consecrantem percipere: ergo ex una parte habet iste præceptum Christi ad se consecrandum, & post consecrationem strictissimum præceptum Ecclesiæ de percipiendo. Ex alia parte non habet, nisi præceptum Ecclesiæ leve comparativè jejunio.

XIV. Quâ ratione Doctor dicat quòd communicare non jejunum sit peccatum leve.

Dicit autem Doctor, præceptum illud de jejunio ad receptionem Eucharistiæ esse leve, non quidem absolutè, quasi esset duntaxat peccatum veniale, sed comparativè, hoc est, cùm præceptum illud sit tantùm Ecclesiasticum, ejus omissio licèt mortalis, minor est omissione præcepti divini & Ecclesiastici de integritate sacrificii. Infert autem hanc minorem gravitatem ex verbis legis; Non enim, inquit, ibi ponitur, quòd suscipiens non jejunus sit reus Dominici Sacramenti, neque repellitur à Communione per annum, sicut hic: quæ Doctoris verba sic sunt accipienda, non quòd censeat, illum non esse reum Dominici corporis, & non peccare mortaliter peccatô sacrilegii, qui extra omnem necessitatem non jejunus ad Eucharistiam accederet: sed quòd Ecclesia in casu à se præmisso, non intendat præceptum suum urgere.

Unde statim subdit. Simpliciter enim Ecclesia non intendebat ligare in isto casu ad jejunium: imò cùm alia duo præcepta tum virtute Christi, tum virtute Ecclesiæ fortiùs & magis obligent, potiùs intendit in tali casu obligare ad illa. Non est ergo iste perplexus; quia servando præceptum Superioris, & præceptum strictiùs Ecclesiæ, benè facit, & si non servaret, peccaret mortaliter. Omittendo autem aliud præceptum minùs strictum non peccat novô peccatô: quia in isto casu non tenetur servare: nec Ecclesia voluit ligare ad hoc præceptum in hoc casu, sed magis ad oppositum.

Et quia fortè aliquis posset cogitare, probationem illam desumptam ex verbis legis esse minùs efficacem, addit Doctor aliam *num.* 6. dicens: Patet etiam manifestè, quòd jejunium non est conditio ita necessaria in Sacerdote percipiente (sicuti integritas sacrificii in Sacerdote conficiente) quia in die Parasceves, particula posita in calice percipitur cum vino non consecrato, quia illô die calix non consecratur: & verisimile est, quòd vinum citiùs descendat in ventrem, quàm illa particula, quæ masticatur. Ergo ex consuetudine Ecclesiæ Sacerdos ibi percipit Eucharistiam non jejunus.

Porrò quantùm ad casum à Doctore propositum, nulla potest esse difficultas, nec controversia; quippe cùm id statuatur in Rubricis Missalis Romani tit. de defectibus cap. 4. ubi legimus: *Si celebrans advertat vinum non fuisse positum in calice, sed aquam: Post sumptionem corporis, vel ejusmodi aquæ, apponat aliam hostiam iterùm consecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, consecret, & sumat, quamvis non sit jejunus.*

XV. 3. Quando post sumptam ablutionem supersunt particulæ.

Tertius casus, quô Eucharistia sumi potest à non jejunis jejunio naturali, est quando post sumptam ablutionem, celebrans advertit adhuc superesse quasdam reliquias hostiarum consecratarum; tandiu enim potest ea sumere, quandiu ab altari non recesserit: Quia, ut ferunt Rubricæ, *reliquiæ illæ ad idem Sacrificium spectant*; si tamen fieri possit, ut illæ decenter conserventur, putà si in sacram pixidem possint conferri, non erunt sumendæ.

Quartus casus est, si unus Sacerdos post consecratam alteram speciem, secundam consecrare non possit, vel post consecratam utramque consummare eam infirmitate correptus non valet, potest Sacerdos non jejunus (si jejunus præsto non sit) sacrificium peragere, & perficere. Similiter si post sumptam panis speciem, solam aquam in calice (quam vinum esse inter proferenda consecrationis verba putaverat) reperit & bibit, vinum debet iterum consecrare: incipiendo ab illis verbis Canonis: *Simili modô postquam cœnatum est*, &c. quia, ut habetur in Rubrica Missalis omninò legenda, divinum de perfectione incepti sacrificii præceptum majoris est ponderis, quàm quòd à jejunis Ecclesiâ jubente sumatur.

XVI. 4. Proponuntur alii casus.

Idem dicendum est, si Sacerdos post unam, aut utramque speciem consecratam recordetur, se non esse jejunum; non enim debet à percipiendo sacrificio ob oblatam rationem desinere. Quod idem dicendum putant Doctores, si fracti jejunii ante consecrationem meminerit, & aliquod scandalum vel astantis populi perturbatio timeatur. Secus est, si sublatô scandali vel infamiæ periculô violati jejunii recordetur; tunc enim tutius est ab incepta Missa desistere, & ab altari se arcere.

Alius denique casus, quô citra peccatum suscipi posset Eucharistia a non jejunis, est dum imminet aliquod periculum inhonorandi hoc divinum Sacramentum, putà ne veniret in manus hæreticorum & infidelium, qui sacras hostias conculcarent, & ludibriô haberent; jejunium enim duntaxat exigitur in reverentiam hujus Sacramenti: igitur ubi occurrit periculum profanationis illius, ne sanctum detur canibus, & cœlestis margarita ante porcos projiciatur, in Fidelium pectus, tanquam in pissimum Sacrarium devotè recludi potest & recondi, non solùm à Sacerdotibus, sed etiam à laicis, in Sacerdotum & Clericorum absentia.

XVII. 3. Præparatio ex parte corporis, & quod sit expers omnis immunditiei.

Tertia præparatio ex parte corporis, est ipsa corporis munditіes, quâ scilicet prærequiritur, ut ad Eucharistiam accedens non fuerit nocte præcedenti aliquâ maculatus pollutione ex proprio vitio, & maximè cum reatu peccati mortalis, de qua utique præparatione ita ferunt Rubricæ Missalis tit. de defectibus cap. 9. n. 5. *Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à Communione & celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa: aut ex diabolica illusione, potest communicare & celebrare, nisi ex illa corporis commotione, tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.*

Similia habet S. Gregorius epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum, respondens ad undecimam illius interrogationem, ubi sic scribit: *Cùm pollutio nocturna ex natura superfluitate, vel infirmitate evenerit, omni modò hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quàm fecisse. Cùm vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel Missarum solemnia celebrandi, cùm fortasse aut festus dies exigit, aut exhibetur mysterium pro eo quòd Sacerdos alius in loco deesse ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii, qui implere mysterium valent, illusio per crapulam facta à perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit.*

Ut autem plenior ac planior hujusce servandæ praxis habeatur norma, placet hîc scribere, quæ distinctè & luculenter tradit Seraphicus Doctor in 4. *dist.* 12. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3. Dicendum, *inquit*, quòd immunditia corporalis quadruplex est. *Quædam* est conjuncta spirituali secundùm veritatem, ut pollutio veniens ex turpi cogitatione, vel crapula. *Quædam* est conjuncta spirituali secundùm conformitatem, ut pollutio veniens ex diabolica illusione, vel ex naturæ superfluitate, in qua sentitur pruritus, & delectatio inordinata. *Quædam* verò est, quæ non est conjuncta spirituali, tamen est generans horrorem immunditiæ in anima, ut pollutio veniens ex infirmitate. *Quædam* autem est purècorporalis nullum horrorem immunditiæ in anima generans, ut immunditia in pede.

Prima immunditia impedit, propter hoc quòd homo debet reputare se immundum. Unde non recipit Sacramentum cum reverentia, qui sic immundus est, nisi necessitas compellat, & propter irreverentiam privatur fructu, & incurrit damnum.

Secunda immunditia, quæ est in illusione diabolica, arcere debet ex congruo: quoniam quamvis non sit certum, quod sit anima ibi maculata, tamen probabiliter potest dubitari: & ideo qui se reputat immundum, bene facit. Unde Isidorus lib. de Consider. distinct. 6. *Quisquis nocturnâ illusione polluitur, quamvis extra memoriam turpium cogitationum sese præsentiat inquinatam: tamen hoc ut tentaritur..... culpæ suæ attribuat, suamque immunditiam statim fletibus tergat.*

Tertia immunditia est indifferens, quia tantùm est pœna: & ideo non arcet. Si tamen ratione horroris abstineat, devotio & reverentia est laudanda: unde nec mulier menstruata arcetur, nec etiam mulier post partum, sicut dicunt jura. De primo reperies in Decreto *dist.* 6. *De secundo extra lib.* 3. *de purificatione post partum.*

Quarta simpliciter est indifferens inter omnes has immunditias. Prima magis impedit, ultima nullô modô: omnes tamen impediunt de congruo secundùm gradus. Unde si quis quærat, utrum semper, quando polluitur corporaliter, cessare debeat? Dicendum est, quòd si sentit inquinationem illam multùm animam inquinasse, quia in actu illo fit homo caro, sive in somnis, sive in vigiliis, consulendum est ei facere reverentiam Sacramento. Si autem sentit naturam magis expeditam, & ulteriùs devotio trahat ad perceptionem: & solemnitas trahat, vel aliquid quod multùm recompenset, tunc arbitrarer ipsum sine remorsu posse accedere. Concedendum ergo, quòd solùm propter carnis immunditiam non impeditur: sed quia hæc immunditia conjuncta est immunditiæ mentis; nec solùm propter immunditiam mentis, quia cogitatio citò transit, sed eùm immunditia carnis horrorem reliquit, & diutiùs durat, & inordinat: & ideo quamvis pollutio sit peccatum veniale, magis tamen impedit, quàm aliud veniale, propter horroris diuturnitatem, & majorem deordinationem.

SECTIO TERTIA.

De variis ac mirandis divinæ Eucharistiæ effectibus.

QUAM ingentes sint, quàmque stupendi divinæ Eucharistiæ dignè ac piè susceptæ effectus ac fructus, facilè intelliget, qui attentâ mente perpenderit, Christum gratiarum omnium fontem plenissimum eô fine realiter in Eucharistia contineri, ut ex ejus plenitudine, & scaturigine perpetuò fluente, divinæ gratiæ ubertatem avidô ac plenô corde hauriamus: Enimverò si adorandus ille Salvator tot divinis muneribus, ac beneficiis eos cumulavit, & exornavit, in quorum tecta adhuc mortalis exceptus est; vel qui tantillum illius vestis fimbriam meruerunt attingere: quantò abundantiùs animas nostras, necnon & corpora divinis charismatibus implebit, in quæ jam immortali gloriâ præditus ingredi non dedignatur? Præcipuos autem inter innumeros eximios illos effectus, hos maximè refert ac profert Concilium Trident. sess. 13. cap. 2. cùm ait: *Sumi autem voluit* (Salvator noster) *Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quô alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit:* Qui manducat me, & ipse vivet propter me, *& tanquam antidotum, quô liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ fœlicitatis, ideoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.* Et can. 5. ejusdem sessionis: *Si quis dixerit, vel præcipuum effectum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.* Quoniam autem quæ ad hujusmodi effectuum explanationem spectant, scholasticis difficultatibus & controversiis non ita sunt implexa, ac illa, quæ hactenus fuerunt agitata: idcirco sex præcipuos hujus divini Sacramenti effectus; tres quidem in animam, & totidem in corpus redundantes, sub distinctis paragraphis juvat explicare.

I. Proferuntur varii effectus Eucharistiæ.

§. I.

Primus effectus Eucharistiæ erga animam.

II. 1. Est augmentum gratiæ per modum nutritionis.

EST augmentum gratiæ sanctificantis per modum alimoniæ cœlestis, & spiritualis nutritionis. Ita Concilium Trident. mox laudatum, cui consonat Florentinum in decreto Eugenii, ubi de Eucharistia sermonem faciens, cùm dixisset: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum*; statim hujus unionis rationem proferens, ait: *Quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando: Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem: in quo, inquit Vrbanus Papa, gratiam Salvatoris nostri recensentes memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bonum, & ad virtutum & gratiarum proficimus incremẽtum.*

Quòd autem hoc Sacramentum gratiam sanctificantem conferat, nemini debet esse dubium; cùm enim hunc effectum communem habeant omnia Sacramenta novæ legis, id longè nobiliori titulô Eucharistia sibi vendicat, in qua Sacramentorum Author, & fons omnium gratiarum delitescit, & ab eo tanquam à capite ad alia Sacramenta, veluti per tot rivulos & canales totius sanctitatis effluvium dimanat.

Quòd verò gratiæ & sanctitatis augmentum per debitam Eucharistiæ susceptionem conferatur, facilè liquet: *Tum, quia* hoc Sacramentum nobis confertur tanquam memoriale passionis Christi, dicente eôdem Christô D. *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam faciatis.* Et Apostolô: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*; ac subinde digna Eucharistiæ receptio operari debet aliquid erga suscipientem, quod Christi D. passio erga genus humanum præstitit: at hæc fuit gratiarum omnium fons & irriguum: igitur pari ratione Eucharistia copiosum gratiæ cœlestis imbrem in dignè eam suscipientes debet effundere. *Tum, quia* Christus D. in hoc Sacramento nobis donatur per modum cœlestis alimoniæ, ait enim: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; ac subinde eos in hoc Sacramento conferre debet effectus, quos terrestris cibus & potus corporibus præstat. Porro cibus materialis corpus nedum sustentat, sed etiam auget, reparat, vegetat, & delectat: igitur pari ratione Eucharistia debet animam jam vitâ spirituali viventem, novô gratiæ subsidiô roborare, vegetare, ac ampliores ei sanctitatis gradus conferre, quibus anima roborata vegetior fiat, & promptior ad Dei obsequium, fortior ad resistendum tentationibus, ad adversa quæque toleranda constantior, & ad virtutem sectandam zelantior.

III. Non enim ordinatur ad producendam primam gratiam, ut perperam contendunt hæretici.

Hinc apparet, quàm turpiter hallucinentur hujus temporis hæretici, dum contendunt Eucharistiæ primarium ac præcipuum effectum esse spiritalis vitæ restitutionem per remissionem peccatorum: nam, ut præclarè ait S. Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 9. *Nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit anteà sanatus. .. Vbique ergo mysterii ordo servatur, ut priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ cœlestis exhibeatur.* Hinc S. Augustinus tract. 26. in Joan. *Nonne*, inquit, *buccella Dominica venenum fuit Judæ? & tamen accepit, & cùm accepit, in eum inimicus intravit; non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo, fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad Altare apportate.* Frustrà autem SS. Patres prærequirerent innocentiam in accedentibus ad Eucharistiam, si hæc instituta esset ad conferendam primam gratiam, sed tantùm ad illius augmentum.

Quorum vana momenta proponuntur, ac solvuntur.

Objiciunt hæretici aliquas Scripturæ, & SS. Patrum authoritates, ex quibus colligi volunt, Eucharistiam primariò institutam fuisse ad conferendam primam gratiam, & remissionem peccatorum. Sic imprimis proferunt illud Matth. 26. ubi dicitur de calice: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; & de speciebus panis Joan. 6. *Panis enim Dei est, qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo.* Ex Patribus verò proferunt S. Chrysostomum homil. 83. in Matthæum, ubi comparans hoc Sacramentum cum Agno Paschali, ait: *Si hoc remissionem peccatorum facit, sicut*

certè facit illud supervacaneum omnino est. Præterea ex S. Damasceno lib. 4. de Fide cap. 4. ubi dicit: *Iis qui hoc Sacramentum per fidem dignè suscipiunt, in peccatorum remissionem, & vitam æternam, animique & corporis præsidium cedit.* Idem videri potest indicare Ecclesia in multis orationibus Missæ; in quibus tribuit Eucharistiæ, non solùm quòd sit *fortitudo fragilium*, sed etiam *absolutio scelerum.*

Respondeo, hæc & similia hæreticorum momenta facilè dissolvi posse ab eo, qui observaverit primò Patres aliquando generatim loqui de remissione peccatorum abstrahendo à mortalibus & venialibus: *Secundò*, si qui sint, qui asserant per Eucharistiam remitti graviora scelera, intelligendi sunt de remissione, non quoad reatum culpæ, sed quoad reatum pœnæ pro peccatis jam remissis luendæ; quem utique reatum removet ac solvit frequens Eucharistiæ pia ac devota susceptio: vel loquuntur de Eucharistia, noo quatenus Sacramentum est, sed prout est sacrificium, cujus tanta virtus est, ut gratiam Pœnitentiæ & conversionis sceleratioribus etiam obtinere possit.

Quâ ratione explicari potest præfatus Matthæi locus, quamquam ejus sensus litteralis intelligendus sit de sacrificio cruento crucis, à quo tanquam à fonte omnia Sacramenta novæ legis vim conferendi gratiam, & sanctificandi homines hauserunt. *Tertiò*, dum Eucharistia dicitur dare vitam æternam, sensus est, quòd gratiam sanctificantem, cui æterna vita correspondet, ipsa conferat, seu augeat; vegetando scilicet in nobis habitum dilectionis Dei, nec-non & animam promovendo ad extinctionem vitiorum, & ei auxilia actualia gratiæ conferendo, quibus faciliùs & promptiùs viam mandatorum Dei, quæ ducit ad vitam, decurrat.

§. II.

Secundus effectus Eucharistiæ respectivè ad animam.

IV.
2. Effectus est liberatio à peccatis venialibus.

Est liberatio à peccatis venialibus, & præservatio à mortalibus. Hunc utrumque effectum præclarè exprimit S. Bernardus serm. de cœna Domini: *Quis*, inquit, *poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, Sacramenti Dominici corporis, & sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum.*

Eundem duplicem effectum explicat Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. dicens, hoc Sacramentum esse *antidotum, quô liberamur à culpis quotidianis; & à peccatis præservamur.*

Quòd autem tollat peccata venialia, habet ex duplici capite: *Primò*, ex ipsa ratione gratiæ cibantis & nutrientis; proprium enim est alimenti non solùm nutrire, sed etiam restaurare quod per calorem naturalem absumitur & deperditur: sed per peccata venialia imminuitur fervor charitatis; ac subinde per frequentem Eucharistiæ receptionem debet restaurari. *Secundò*, hanc efficacitatem tollendi venialia peccata sibi vendicat ex eo, quòd accendat charitatis fervorem, quô evanescunt venialia, utpote cùm non ipsi habitui charitatis, sed ejus exercitio seu fervori opponantur.

Quam utique duplicem virtutem optimè explicat Seraphicus Doctor in 4. *dist.* 12. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 3. *ubi scribit*: Dicitur ergo hoc Sacramentum magis unire; quia dignè accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus, & iterum reddit fortiorem, ut bonus cibus. Et ex hoc quod reddit charitatem magis ignitam, adjuvat ad consumendam peccati venialis rubiginem. Ex hoc quòd magis firmat, adjuvat ad vitandum omnia scelera; & ratione utriusque valet ad augmentum virtutum, & maximè charitatis, quæ est vinculum, non quantùm ad essentiam, sed quantùm ad fervorem, vel radicationem. Fervor enim quotidie minuitur per venialia & radicatio: ideo oportet per hunc cibum restaurari deperditum.

De hac restauratione sic inquit Catechrismus Romanus parte 2. cap. 4. q. 40. *Quidquid cupiditatis ardore anima amisit, cum levi aliqua in re parùm offendit, totum Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit, quemadmodum etiam* (neque enim à proposita similitudine discedendum videtur) *quod innati caloris vi quotidie detrahitur, ac deperit, paulatim addi, & refici naturali alimento sentimus.*

Hâc similitudine anteà explicaverat effectum Eucharistiæ Eugen. IV. in Conc. Florent. dicens: *Omnem effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem... Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem. Sicuti ergo cibus & potus materialis restaurant amissa, causant humores bonos, & noxios expellunt; ita spirituales cibus & potus passiones noxias minuunt ac expellunt; bonas & salubres cogitationes, affectionesque excitant, quibus liberè assentiendo & cooperando homo liberetur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservetur.*

V.
Et præservatio à mortalibus.

Quòd pariter Eucharistia præservet à peccatis mortalibus futuris, inde constat, quòd conferat incrementum vitium interiorum per gratiam & virtutes infusas, addat insuper jus ad auxilia actualia pro necessitate habenda, & cùm sit signum rememorativum Passionis Christi, per quam victi ac superati sunt dæmones, etiam eorum adversus animam impetus cohibet; non enim tantâ vi & audaciâ ad eum hostis humani generis accedit, quem videt tantæ majestatis præsentiâ fultum; unde præclarè Psalmista 22. mente præsagâ futurorum dicebat: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus omnes qui tribulant me*; nam inquit S. Chrysostomus: *Tanquàm leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, facti diabolo terribiles.* Quapropter S. Ignatius epist. ad Ephesios sic eos hortatur: *Studete frequenter accedere ad Eucharistiam & Dei gloriam: quando enim hoc ipsum assiduè agitur, expelluntur Satanæ potestates, qui suos actus convertit in sagittas ignitas ad peccatum.* Et Ambrosius serm. 8. in Ps. 118. *Moyses agnum immolavit, ut manducantes eum non occuparentur* (idest, non circumvenirentur) *Exterminatoris insidiis, ne inermes & vacuos spiritualis alimenti, nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent. Præveni & tu insidias tentatoris: instaura priùs cœleste convivium: Adveniendum in Ecclesiam, celebranda oblatio: Tunc paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Iesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio divinæ reconciliationis, & protectionis æterna. Suscipe Dominum Iesum tua mentis hospitiô, ubi corpus ejus, ibi Christus est: Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum cœlestis fulgore præsentia, intelligens locum tentamentis suis interclusum per Christum esse, fugiet,* &c.

Cupis nosse unde Martyres à natura sua infirmi, & inermes, robusti, & adamantini facti sunt ad resistendum tyrannorum sævitiæ armatæ & regali potentiâ, & inferni furore? Quid imbecillitatem humanam à se fœmininam, tam viriliter armavit? Opinor de armentario Eucharistiæ cataphracti prodière Martyres ad triumphandas Regum minas, & carnificum immanissima tormenta. Eleganter Concilium Carthaginense stylô S. Cypriani ita scribit, ad Cornelium Papam: *Quos excitamus*, inquiunt, *& hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus, & cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarios volumus, munimentô Dominicæ saturitatis armemus.* B Scilicet Martyres gladiatoriô Eucharistiæ cibô vegeti, & spiritus, & robur mutuati, tanquam leones ignem spirantes facti sunt tyrannorum metus, & inferni terror, deludentes atroces tormentorum ictus, Eucharistiæ armis impenetrabiles.

§. III.

Tertius effectus Eucharistiæ erga animam.

VI. 5. Est quædam mentis suavitas.

EST spiritualia quædam suavitas, & victrix gratiæ delectatio; anima enim virtute hujus Sacramenti spiritualiter reficitur, & veluti dulcedine bonitatis divinæ inebriatur, juxta illud Cantic. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Cujus utique divini cibi suavitatis ac dulcedinis egregiam figuram præbuit manna, de quo ita Sapientiæ 16. *Nutrivisti populum tuum, & panem de cœlo paratum præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem: substantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebat, & deserviens uniuscujusque voluptati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Hinc Propheta Regius Christi D. personam referens, exclamat: *Calix meus inebrians, quàm præclarus est!* Quod oraculum sic perbellè exponit Author sermonis de cœna Domini, apud S. Cyprianum: *Quàm præclarus est calix iste! Quàm religiosa hujus potûs ebrietas! Per quam excedimus Deo, & quæ retrò sunt obliti ad anteriora extendimur; non habentes sensum hujus mundi, cruci hæremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interiùs exteriùsque rubricati, à sapientibus hujus sæculi judicamur amentes. Vt manna, sic & hic panis omne delectamentum in se habens virtute mirificâ omnibus, qui dignè & devotè sumunt secundùm suum desiderium sapit, implet, satiat edentium appetitus, & omnium exsuperat dulcedinum voluptates. Esus igitur carnis hujus quædam aviditas est, & quoddam desiderium manendi in Christo, per quod sic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato nostro, & visceribus sapor dilectionis infusus penetrans, imbuens omnes animæ corporisque recessus.* Et infrà: *Panis iste Angelorum omne delectamentum habens, virtute mirificâ, omnibus qui dignè & devotè sumunt, secundùm suum desiderium sapis; & ampliùs quàm manna illud eremi implet, & satiat edentium appetitus, & omnia carnalium saporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinem voluptatum. Vide, quomodo his, qui Christi commemorant passionem intra sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super*

A *omnes delicias lacrymis nectareis animus delectetur quantum suavitatem animæ inquirenti ubi sit Deus suus, & suspiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procellosæ tempestatis deponunt: ros matutinus est de cœlestibus stillans, & quasi unctio spiritûs mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctem retrò & ante se affectio intuens, inter data condonando se dividens, gratias agit tam uberis beneficii largitori; & se sanatum, & sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit, & lacrymis se baptizat.* Unde in persona hominis digne communicantis exclamat David, *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Hanc autem cœlestem suavitatem ex eo repetunt aliqui Patres, quòd in eo Sacramento divina
B Sapientia suam Divinitatem, & humanitatem ad modum lactis nobis exhibet, juxta illud Isaiæ 60. *Mamillâ Regum lactaberis.* Ita Augustinus concione 1. in Psal. 32. ubi hæc scribit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ Virtutes, manducant cælestes Spiritus, & manducant, & saginantur: quis autem homo posset ad illum cibum? Vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret.* Similia habet Hugo à S. Victore lib. 1. Miscell. tit. 25. Sapientia, *inquit*, sursum panis erat, &
C versa est deorsum in lac; in Divinitate panis, in humanitate lac, & nutritus est parvulus lacte humanitatis, ut crescens & convalescens capere possit cibum Divinitatis.

VII. Quæ est prælibamentum æternæ gloriæ.

Porrò hujus divini Sacramenti dignè suscepti tanta est deliciarum ac voluptatis exundatio, ut ipse Christus D. ad eam adhortans dixerit Discipulis Lucæ 22. *Desideriô desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Vel, ut scribit Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem, cap. 4. *Concupiscentiâ concupivi hoc Pascha edere vobiscum:* Ubi appositè exaggerat voluptatem gustandæ Eucharistiæ, nomine concupiscentiæ, quæ jucundiores carnis delicias exprimere solet. Hinc nonnulli è SS. Patribus Eucharistiam appellant *præludium beatitu-*
D *dinis*; sic S. Chrysologus: *Mensa Patris*, inquit, *nos alit virtutis cibô, salutis epulô, deliciis honestatis & gloriæ.* Cui concinit Petrus Damianus serm. 32. scribens: *Quàm deliciosâ fame affligitur, qui cœlestis promptuarii dapibus saturatur, cui cœlum fit cellarium, &c.* Sed omnium optimè Matthæus Episcopus Vvormacensis homil. de cœna Domini, dum ita præclarè sacram Eucharistiam appellat: *Redemptionis memoriale, pignus hæreditatis æternæ, futuræ jucunditatis amabile præludium, arrham Sponsæ, jocale divinum cœlitus ei donatum, Ecclesiæ militantis cum triumphante suave glutinum, & unionem fraternam, dum eam dulcedinem, quâ illa fruitur*
E *sine velamento, ista habet sub Sacramento; & si illa cœlestis Hierusalem habet Deum suum jucundiùs, ista in terra militans habet eum mirabiliùs.* Hinc appositè Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 8. loquens de divina Sapientia, inter cætera ait: *Immolat vitulum prœopimum, conviviô gaudium suum exornat*; quasi hoc opiparum convivium, in quo Christus, opimior victima, & omnium victimarum præstantissima, incruentè mactatur, sit ornatus cœlestis gloriæ.

§. IV.

De tribus Effectibus divinæ Eucharistiæ erga corpus sumentis.

VIII. 1. Eucharistiæ effectus erga corpus est passionum moderatio.

PRimus est fomitis appetitûs sensitivi mitigatio, & sævientium passionum refrænatio ac moderatio: Quod utique præclarè docet S. Cyrillus lib. 4. in Joan. cap. 17. ubi de præparatione ad dignam hujus Sacramenti receptionem sermonem faciens, ait: *Pius, quæso, cogitationes suscipias, studiosè sanctèque vivas, & benedictionem participes, quæ (mihi crede) non mortem solùm verùm etiam morbos omnes depellit: sedat enim, cùm in nobis manet Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ovibus ponit, ab omni nos erigit casu.* Ipsi concinit S. Bernardus serm. de Baptismo & Sacramento » Altaris: Duo, *inquit*, Sacramentum hoc opera- » tur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in » minimis, & in gravioribus peccatis tollat omni- » nò consensum. Siquis vestrum non tam sæpè mo- » dò, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invi- » diæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias » agat corpori & sanguini Domini: quoniam vir- » tus Sacramenti operatur in eo.

Idem affirmat Catechismus Romanus num. 55. *Carnis etiam*, inquit, *libidinem cohibet ac reprimit: dum enim charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiæ ardorem extinguat necesse est.* Quibus verbis, ut apparet, significat Eucharistiam moderari quidem corporis passiones; at non immediatè, sed duntaxat mediatè; seu ex consequenti, *inquit Bosco cont. 3. nu. 27.* quatenus Deus propter illam vel tollit, vel minuit materiam incentivam illius fomitis, putà per applicationem naturalium causarum, minuendo temperamentum corporis quod excitat appetitum ad motus iræ, luxuriæ, ac similium vitiorum. Vel tollit objecta extrinseca inflammantia appetitum, & suâ singulari protectione hominem servat ab occasionibus peccatorum. Vel quatenus bonis instinctibus ita prævenit & adjuvat voluntatem, ut facilè possit avertere appetitum à delectabilibus contra rationem; vel denique quatenus adauctâ per hoc Sacramentum charitate, quò voluntas vehementiùs delectatur bonis divinis, appetitus minùs potest occupari circa delectationem boni terreni; fit namque propter naturalem potentiarum unionem, & radicationem in eadem anima, ut quò una vehementiùs applicatur suo objecto, eò minùs altera possit applicari ad suum objectum, eò quòd virtus animi finita, quâ per singulas potentias operatur, ad unum actum amplius intenta, minor est ad alium. Ita ergo, & non aliter hoc Sacramentum minuit fomitem concupiscentiæ. *Hæc Bosco.*

IX. 2. Quòd sit velut semen immortalitatis.

Secundus effectus Eucharistiæ erga corpus dignè suscipientis, est quòd sit in eo veluti semen immortalitatis, & beatæ Resurrectionis; quem utique effectum significavit Christus D. cùm dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam & ego ressuscitabo eum in novissimo die.* Quæ verba præclarè sic expendit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. » cap. 2. Fieri prorsus nequit, ut qui secundùm na- » turam vita est, corruptionem non superet, ac » vincat mortem; proinde licèt mors, quæ per

A prævaricationem nos invasit, humanum corpus « corruptionis necessitati subjiciat; tamen quia « Christus per suam ipsius mortem in nobis est, « omninò resurgemus: incredibile enim est, imò « verò impossibile, ut vita eos, in quibus fuerit, « non vivificet; quemadmodum enim scintillam « multis paleis inferimus, ut semen ignis serve- « mus: sic etiam Dominus noster Jesus Christus « per carnem suam in nobis vitam integit, ac ve- « luti quoddam semen immortalitatis inserit, quod « totam, quæ in nobis est, incorruptionem abolet. « Quibus verbis S. Cyrillus significat, fieri non posse secundùm ordinatiam Dei potentiam, & solitum ejus sapientiæ & bonitatis agendi modum, ut qui dignè suscipit Eucharistiam, aliquan-
B do non resurgat, non qualicunque resurrectione, quâ omnes quotquot sunt homines resurrecturi sunt; sed resurrectione beatâ & gloriosâ.

Hinc præclarè S. Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 34. loquens de Valentinianis, qui corporum resurrectionem negabant, sic eos arguit: *Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur?* Quem locum sic interpreratur doctissimus ac piissimus Rofensis: Perinde est, *inquit*, ac si dixisset: Quoniam caro Christi vivificati est, & eadem resurrexit ad vitam incorruptibilem: inde fit, ut qui carnem illam dignè comederunt, si nullâ posthæc suâ culpâ virtutem illam, quam acceperunt, amit-
C tunt, eorum corpora procul dubiò resurgent ad immortalitatem. Quapropter SS. Patres cum S. Ignatio epist. ad Ephesios, Eucharistiam communiter appellant, *Pharmacum immortalitatis, Præservativum contra mortem.*

Quæ omnia tamen sic intelligenda velim, non quod Eucharistia vim aliquam physicam corporibus inserat, sed duntaxat quòd eis conferat quamdam dignitatem & consecrationem, ratione cujus digna sint, ut quæ cum Christo unionem habuerunt in statu mortalitatis, eandem habeant in regno immortalitatis. Qui plura hac de re exoptat, percurrat S. Chrysostomum lib. de Sa-
D cerdotio cap. 6. & S. Cyrillum lib. 3. in Joan. cap. 6. & lib. 4. cap. 2. nec-non & S. Petrum Chrysologum serm. 95.

X. 3. Est cordis castimonia.

Tertius denique effectus, est cordis castimonia, & corporeæ puritatis propagatio; quem utique effectum colligit S. Thomas art. 1. ad 3. ex illo Zachariæ 9. *Quid est bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum Electorum, & vinum germinans virgines.* Unde Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 21. *Fœlix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur: nam hoc nostri generis vino castitas corrumpitur, ab isto verò virgines procreantur.* Et glossa super illa verba Psalmi 67. *Selmon* mons Dei, sic ait: *De corpore Christi manat umbra gratia, quæ nobis defensaculum est con-*
E *tra incentiva vitiorum, & carnalis concupiscentiæ.* Quæ verba refert S. Thomas opusc. 58. cap. 21. & subdit: *Dum ergo fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigerium percipit, quasi de umbra gratia, quæ de ipso fluit:* Oseæ 14. *Ego quasi ros, & Israël germinabit quasi lilium.*

Sicut autem, *inquit* Seraphicus Doctor, vel quisquis est Author Compendii Theologici lib. 6. cap. 15. rectè communicantibus multa bona proveniunt, ut dictum est: sic indignè sumentibus corpus Christi multa mala occurrunt. Nullus enim opus placet Deo, nisi placeat ipse priùs. Indigna

XI. *Quanta mala accedunt indignè communicanti.*

enim Communio peccatis hominem illaqueat, damnationem ptæparat, proximum scandalizat, mentem excæcat, tentationi subjugat, Deum irritat, vitam temporalem breviat, gratuitis spoliat. De bis per ordinem dicitur. *Fiat*, inquit, *mensa eorum coram ipsis*, &c. ecce primùm. *Et in retributionem*: ecce secundum. *Et in scandalum*: ecce tertium. *Obscurentur oculi eorum ne videant*: ecce quartum. *Et dorsum eorum semper incurva*: ecce quintum: *Effunde super eos iram tuam*: ecce sextum: *Fiat habitatio eorum deserta*: ecce septimum: *In tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*, ecce octavum.

APPENDIX.

De Sacrificio Missæ.

Eucharistia sacramentum est simul ac sacrificium.

INTER cæteras divinæ Eucharistiæ præcellentias, hæc maximè singularis est, quòd diversô respectu *Sacramentum* simul sit & *Sacrificium*; quippe cùm non ordinetur solùm ad augendam in digoè suscipientibus gratiam sanctificantem, quod ei cum aliis Sacramentis commune est; sed etiam ex primaria sua institutione directè ac immediatè tendat in Dei cultum, & venerationem per oblationem Christi D. corporis & sanguinis; quæ à Sacerdotibus novæ legis in honorem Dei efficiuntur, & incruentè immolantur: In quo maximè adumbrata fuit per agnum Paschalem veteris Testamenti, qui ut omittam reliquias analogiæ & similitudinis rationes, quæ ex institutionis tempore, ex fine, cæremoniis, ac circumstantiis peti possunt, ut jam aliàs diximus; in hoc præcipuè Eucharistiam adumbrabat, quòd Sacramenti nedum, sed & Sacrificii prærogativam obtineret.

I. *Quàm variæ sint Eucharistiæ ut sacrificium est, appellationes.*

Porro plurimæ occurrunt Eucharistiæ sub ratione Sacrificii appellationes; nam à S. Epiphanio hæresi 75. dicitur *aconemia* & *latria*; à S. Chrysostomo homil. 17. in epist. ad Hebr. appellatur, *hostia mundans*: à S. Augustino lib. 2. quæstionum Evangelicarum quæst. 3. *Sanctum Sanctorum*; lib. 9. Confess. cap. 12. *Sacrificium pretii nostri*: lib. de anima, & illius origine cap. 9. *Sacrificium corporis & sanguinis Christi*; & epist. 23. *Sacramentum, in quo Christus immolatur*: à S. Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 19. dicitur *Sacrificium panis & vini*. Sic passim à SS. Patribus aliis pluribus appellationibus illustratur.

Præcipuæ sunt, Liturgia.

Duo autem inter cætera celebriora sunt, & maximè usitata nomina; nempe *Liturgia* apud Græcos, & *Missa* apud Latinos. *Liturgia* autem vox est ad plura significaoda communis; nam interdum significat aliquod opus facere, seu publicè operam præstare, aliqoando importat omne Deo exhibitum obsequium; aliàs usurpatur ad denotandum omnem Clericalis Ordinis functionem; frequentior tamen usus obtinuit, ut significaret oblationem, & celebrationem Christi D. corporis & sanguiois: quâ ratione hæc vox communis est apud omnes Græcos Patres, & Authores, qui de Eucharistia, quatenus Sacrificium est, sermonem fecerunt.

II. *Et Missa.*

Similiter *Missæ* oomen usurpatur ad significandam omnem illam actionem sacram, quâ in Ecclesia Catholica conficitor, ac Deo offertur Eucharistia: cujus utique oominis, & usurpationis antiquitatem præclarè demonstrat Baronius ad annum Christi 34. nu. 60. Eâ enim voce, *inquit*, usa videtur in suô ipsius exordiô Romana Ecclesia: nam Pius Papa, proximus Apostolorum temporibus, scribens ad Justum Episcopum Viennensem, idem Sacrificium Missam vocans, sic dicit, ut habetur tomô 1. Bibliot. veterum Patrum. *Soror nostra Euprepria, sicut bene recordaris, titulum domûs suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes*, Missas *agimus*. Item Cornelius Papa epist. ad Lupicinum Viennensem Episcopum, his otitur verbis: *Publicè, neque criptis notioribus* Missas *agere Christianis licet*. Eôdem usi sunt nomine cæteri Romani Pontifices, quos longum esset sigillatim recensere. In Concilio Romano, sub Sylvestro in fine: in Concilio Carthaginensi 2. cap. 3. in Concilio Agathensi, cap. 47. & aliis, Patres, qui interfuerunt, eôdem quoque *Missæ* pronomine ipsum incruentum Sacrificium nominârunt, sicut & Ambrosius ad Marc. epist. 13. Augustinus serm. 251. de tempore, Victor Uticensis lib. 2. de persecutione Vvandalorum, ac denique cæteri, & post ipsos Recentiores omnes; *Hæc ibi Baronius.*

Cujus vocis antiquitas demonstratur.

III. *Non est vox Hebraica.*

Controvertitur autem inter Authores, qualis sit nomen istud *Missa*, Hebræicum videlicet, an Latinum? Hebraïcum esse docet Concilium Senonense in decretis fidei cap. 11. & affirmant plurimi Theologi cum Cardinali Baronio suprà n. 59. ubi scribit: *Neque tamen prætermittendum, quod cum multa sint hujus Sacrificii nomina, illud est antiquissimum, & apud Latinos usitatius atque frequentius*, Missa, *quod quidem (sicut & Christiana fides profitetur) ex Hebraica, vel Chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra vulgata legitur Deuter. 16. spontanea oblatio, Hebraicè & Chaldaicè dicitur Missah, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, quâ & vescebantur in templo, cum recordatione præteritæ servitutis, & ab eadem liberationis. Quæ quidem omnia, cùm optimè conveniant prædicto à Christo instituto sacrificio, eò potius majores nostri usi sunt nomine, quàm cujuspiam alterius Sacrificii.* Alii verò censent, vocem illam nullô modô Hebraïcam esse, aut ab Hebraïco derivatam; alioquin eam omnes Christianæ nationes, sicut alias hujusmodi retinoissent, quales sunt, *Amen, Alleluya, Sabaoth, &c.* nam & Græci bis omnibus utuntur; voce autem *Missæ* non item, sed pro *Missa*, *Liturgiam* dicunt. Imò Syri, & Maronitæ, qui Chaldaïcâ linguâ Missam celebraot, vocem *Missa* non habent, & ex SS. Patribus Origenes, Justinus, Epiphanius & Hieronymus, Hebraïcæ linguæ periti, hâc voce nunquam usi sunt.

Sed Latina deducta vel à verbo mitto.

Unde verisimilius est vocem illam esse latinam, & deductam vel à verbo *mitto* quia in illa oblatio & preces ad Deum mittuntur: sicque dum Diacooi in fine oblationis populo denuntiant: *Ite Missa est*, sensus est, quòd oblatio sit pro eis ad Deum transmissa; sicque liberi possunt recedere. Ita explicat S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 58. ubi hæc scribit: *Dicitur Missa quasi transmissio, eò quòd populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui fungitur vice Mediatoris inter Deum & homines, preces & supplicationes, & vota transmittat Altissimo. Ipsum verò Sacrificium, id est, hostia, Missa vocatur, quasi transmissa: primùm nobis à Patre, ut esset nobiscum per Incarnationem; posteà Patri à nobis, ut intercedat pro nobis ad ipsum per Passionem; ut in Sacramento primùm nobis à Patre per sanctificationem, posteà Patri à nobis per oblationem.* Vel quod verius ap-

Vel à nomine Missio.

VIII. *Quid sit sacrificium propriè dictum.*

à Ministro competenti, per immutationem illius rei, soli Deo facta in protestationem supremi illius dominii in vitam & mortem. Quæ utique definitio ut legitima appareat, explicandæ sunt illius particulæ. *Primò* dicitur *Oblatio*; quia in omni Sacrificio propriè dicto, debet aliquid offerri; unde Hebr. 6. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, ut offerat dona,* &c. *Secundò* dicitur *externa*, quia est actus Religionis inclinantis creaturã intellectualem ad exhibendum cultum Deo debitum, ob infinitã illius excellentiam, & omnium ab eo dependentiam, tanquam à primo principio. Actus, inquam, non quidem purè internus, sed externus; quia Sacrificiũ est præcipua nota Ecclesiæ, quæ visibilis est; ac subinde debet Deum colere aliquo cultu sensibili, & omnibus fidelibus notô. *Tertiò* additur *rei permanentis*: siquidem Sacrificium offertur Deo ab hominibus ad instar illius obsequii, quod Regibus, & Dominis suis pendent subditi in protestationem suæ subjectionis, & dependentiæ; res autem illa, quæ sic offertur, est aliquid permanens, & determinata, ut experientiâ constat: Idem itaque debuit esse de obtestatione dependentiæ, & subjectionis, qua profitentur homines se habere ad Deum per oblationẽ Sacrificii. *Quartò* dicitur *legitimâ authoritate instituta*, hoc est, vel ipsius Dei, vel eorum qui cõmunicati præ sunt; Sacrificiũ enim spectat ad communitatem; à qua, & propter quam Deo offertur: unde nullus sibi arrogare debet authoritatem Sacrificandi, & hostias offerendi, nisi vel à Deo, vel ab hominibus assumptus, ut docet Apostolus ad Hebr. 5. *Quintò* additur *soli Deo*; nam Exodi 22. *Qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli.* Unde, S. Aug. lib. 10. de civitate Dei, cap. 4. *Quis sacrificandum esse censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et lib. 1. contra Adversarium legis, cap. 18. *Dæmon sibi offerri Sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret.* Hinc lib. 20. contra Faustum Manichæum, cap. 21. scribit: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memoriis Martyrum constituamus Altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorũ corporum assistens Altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Cypriane? Sed quod offertur Offertur Deo, qui Martyres coronavit.* Et infrà: *Illo cultu, qui Græcè latria dicitur, quæ Latinè uno verbo dici non potest: cùm sit quadam propriè Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendũ docemus, nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii, unde idololatria dicitur, eorum qui hoc idolis exhibent. Nullò modò tale aliquid offerimus, aut offerendũ præcipimus, vel cuiquã Martyri, vel cuiquã sanctæ animæ, vel cuiquam S. Angelo.*

Expenduntur illius definitionis partes.

Additur *sextò cum immutatione ipsius rei*; siquidem per Sacrificium protestamur, Deum habere dominium in vitam & mortem; itaut pro libito possit omnia immutare: quod utique significatur per immutationem illius rei, quæ offertur. Sic in omnibus priùs institutis Sacrificiis, res oblata semper, saltem ex parte, immutabatur, ut patet in oblationibus pecudum, quæ occidebantur; vini, quod in terram effundebatur; similæ, quæ adurebatur; panis, qui frangebatur in frusta; thuris, quod adolebatur; tritici, quod conterebatur; manipuli spicarum, qui torrebatur, &c.

Hinc difficultas est, utrum oblatio panum propositionis esset verum Sacrificium; quippe cùm in eis non fieret immutatio: nisi fortè in Clibano, dum videlicet pasta in panem coalesceret, & coqueretur; & hac ratione dici possent Sacrificia; nam id quod propter Dei honorẽ in clibano concoquitur, appellatur Sacrificium clibani, Levit. 2. v. 4. *Cùm obtuleris Sacrificium coctum in clibano.* Idem habetur cap. 7. v. 9. Quantùm autem ad alia Sacrificia, quæ fiebant ex farina, vel massa, planũ est, inquit *Bosco* sect. 1. n. 8. ex Levit. 2. semper aliquam eorum partẽ debuisse comburi, quod ibi v. 9. appellatur, *adoleri super Altare.* Vinum item offerebatur, ut condimentum alterius Sacrificii, quod comburebatur, vel destruebatur, & sic jam pertinebat ad illud totũ, quod destruebatur; vel quando seorsum offerebatur, effundebatur saltem quoad partem, & per hoc jam totum censebatur oblatũ & sacrificatum, sicut per hoc, quòd adoleretur pars farinæ, vel panis, censebatur totus panis sacrificatus.

IX. *Ex quibus apparet quomodo sacrificium distinguatur à cæteris rebus cultui divino deservientibus.*

Ex his patet distinctio Sacrificii à reliquis cultibus, tam internis, quàm externis, devotione, oratione, adoratione, oblatione primitiarum & donorum, oblatione decimarum, votô, juramentô, adjuratione, laude, & gratiarum actione. Facilè etiam excluditur à definitione Sacrificii accensio candelarum; quia videlicet illa accensio non fit ad protestandum summum Dei dominium in vitam, & mortem, sed ad decorandũ cultum divinum, ad testificandum gaudium populi Christiani de divinis mysteriis, sed significandum Adventum Christi, qui est lux vera illuminans omnẽ hominem, &c. Eadem est ratio, quare thurificationes, quæ fiunt in Ecclesia, non sunt Sacrificia: quoniam solùm adhibentur ad celebritatem officii, ut nos excitent ad fervorem charitatis & devotionis; ut sicut incensum ascendit coram Domino in odorem suavitatis, ita & preces nostræ ascendant. Appositè Concilium Trid. sess. 22. cap. 5. (cujus titulus est: *De solemnibus Missæ Sacrificii caremoniis*) sic inquit: *Caremonias adhibuit, Ecclesia, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa...... quò & Majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia Religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

X. *Quàm pessimè de Missæ sacrificio senserint.*

Notandum tertiò, quòd cùm in Religione Christiana, nihil Deo sit gloriosius, & dæmoni terribilius, quàm sacro-sancta Eucharistia, & incruenta Christi D. in Altaribus quotidiana immolatio; inde mirum videri non debet, quòd diabolus per hæreticos suos affeclas omnes adhibuerit artes, ut utriusque fidem ex Christianorum cordibus evelleret: at hoc maximè præstitit hisce postremis sæculis; nam (ut omittam *Petro-Brusianos*, qui, referente Petrô Cluniacensi epist. 2. lib. 1. Missam volebant nihil esse, nec celebrari debere, sicque nullum in Ecclesia Dei esse verum Sacrificium, Quam etiam hæreticam sententiam docuerunt *Arnoldistæ*, ut refert S. Bernardus epist. 24.) Primus qui exitiale bellum Missæ Sacrificio indixit, fuit *Lutherus* lib. de capt. Babylonica, ubi ita scribit: *Lutherus.* *Nihil hodiè receptius, quàm Missam esse opus bonum, & Sacrificium Missæ esse Testamentum Christi, quod moriens post se reliquit distribuendum fidelibus: secundùm suam substantiam propriè nihil est aliud, quàm verba Christi,* ACCIPITE ET MANDUCATE: *scandalum speciosissimum, quòd Missa passim creditur esse Sacrificium, quod offertur Deo.* Et lib. de abroganda Missa privata: *Christus*, inquit, *seipsum semel obtulit, non voluit denuò ab ullis offerri, sed memoriam sui Sacrificii voluit fieri.* Et infrà, asserit nullum esse novi Testamenti Sacrificium præter id, quod Scriptura docet, crucis & laudis. Eandem Catholicam veritatem majori audaciâ, & impudentiâ insectatus est *Calvinus* lib. 4. Instit. c. 18. §. 2. ubi asserit, blasphemiam & contumeliam *Calvinus.*

Christo irrogari, quando dicitur Missam esse Sacrificium. Et *nu.* 9. audacter pronuntiat, hanc perversitatem puriori Ecclesiæ incognitam fuisse, nullum extare mandatum de Sacrificio, nullum apicem Sacerdotio patrocinari. Et *num.* 10. *Utuntur quidem illi* (veteres) *Sacrificii vocabulô; verùm simul exponunt, se nihil aliud intelligere, quàm memoriam veri illius, ac unici Sacrificii, quod in cruce peregit Christus unicus (ut ipsi passim prædicant) noster Sacerdos.* Et *nu.* 11. *Mensam nobis dedit, in qua epulemur; non Altare, super quod offeratur victima; non Sacerdotes consecravit, qui immolent, sed Ministros, qui sacrum epulum distribuant.* At hos omnes Errores longè majori impietate supergressus est impiissimus Bernardinus Ochinus in libello adversus Missam, ubi omnes, quas ei dæmon suggesserat blasphemias spurcissimus ille nebulo infandô pectore & calamô evomuit. Contra quos stabilienda est Catholica, & constantissima assertio de veritate hujus divini Sacrificii.

Et Bernardinus Ochin.

Conclusio Unica.

XI. De fide est, Missam esse verum sacrificium novæ legis.

EUcharistia confectio & celebratio, quæ solitò Missa appellatur, est verum ac propriè dictum Sacrificium. Hæc est de fide definita in Concilio Trident. sess. 22. can. 1. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Hanc autem Catholicam veritatē apertè docet cap. 1. Ubi hæreticarum errorum dogma refellens, scribit: Quoniam sub priori Testamento (teste Apostolo Paulo) propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deô Patre misericordiarū ita ordinante, Sacerdotē alium secundùm ordinē Melchisedech surgere Dominū nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quoquot sanctificandi essent consummare, & ad perfectum adducere. Hic igitur Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic Redemptionem operaretur: quia tamen per mortē Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibilē, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quô cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. *Ita Concilium*, quibus apertè significat, constantem in Ecclesia semper fuisse Traditionem, quòd Missa verum esset novæ legis Sacrificium.

Eadem Catholica veritas constanter, & apertè traditur ac stabilitur in plurimis aliis prioribus Conciliis; nam in Niceno primo can. 14. statuitur, *Diaconos non habere potestatem offerendi Sacrificii, sed solos Sacerdotes, ideoque nec Diaconos debere porrigere Sacerdotibus corpus Christi, sed Sacerdotes Diaconis.* In Ephesino 1. tom. 1. cap 16. *Profitemur nos obire in Ecclesiis incruentum Dei cultum, & mysticas benedictiones, & sanctificari per Christi corpus, & sanguinem.* In Chalced. Act. 1. *Residentibus magnificentissimis Iudicibus, & Senatu ante cancellos sanctissimi Altaris.* Laodicænum can. 19. docet, *solis sacratis licere ad altare accedere.* Et can. 44 *Mulier non ingrediatur ad Altare, non enim Altare, ac si propter Sacrificium.* In Nicæno 2. Act. 6. *Nemo unquam Apostolorum, vel SS. Patrum incruentum nostrum Sacrificium in memoriam Passionis Christi factum vocavit imaginem corporis illius; leges quoscunque voles, nunquam invenies, nec Dominum, nec Apostolos incruentum illud quod à Sacerdote offertur, dixisse imaginem, sed potius ipsum Christi corpus.* In Lateranensi sub Innocentio III. cap. *firmiter: Christus in Eucharistia est Sacerdos simul & Sacrificium, neque hoc mysterium conficitur, nisi per Sacerdotes.* In Florentino in decreto unionis citatur decretum B. Alexandri primi in Sacramentorum oblationibus, quæ infra Missarum solemnia Domino offeruntur, non debere offerri in Sacrificium, id est, aliam consecra-

1. Quia in nova lege debet esse aliquod sacrificium.

A rionis materiam adhiberi, quàm panem, & vinum aquâ mixtum. In Toletano primo can. 5. *Clerici ad quotidianū Sacrificium accedant.* Trullana etiam Synodus can. 28. & 32. meminit incruenti Sacrificii ejusdē & quamvis Trullani Canones approbati non sint, tamē habent saltē vim historiæ, veteremque Ecclesiæ Traditionem confirmant.

Probatur autem Conclusio. Necessariò admittendum est in lege gratiæ aliquod Sacrificiū æternum propriè dictū: sed illud aliud esse non potest, præter Sacrificium Missæ: igitur Missa est verum, & propriè dictum Sacrificium. *Probatur* major ex illis Malachiæ verbis cap. 1. ubi Propheta Judæos alloquens vice Dei, ait: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ verba de Sacrificio novæ legis interpretatur S. *Justinus Martyr*
B dialog. cum Triphone, & *Irenæus* lib. 4. adversus hæreses cap. 32. & *Chrysostomus* in Psal. 95. & *Hieronymus* in commentario ad hunc locum Prophetæ, & *Augustinus* lib. 18. de civitate Dei. Et meritò quidem; Deus enim reprobatis Judæorum Sacrificiis, ibi spondet successorum novum, cùm dicit: *Offertur nomini meo*; sed illud non est aliquod sacrificiū ab aliis Judæis offerendum, tum quia universim reprobantur omnia Judæorum sacrificia: tum quia sacrificiū illud dicitur offerri in omni loco; ergo non à solis Judæis. Neque etiam est sacrificium oblatum à Gentilibus, nam apud Gentiles, non Deo, sed dæmoniis sacrificatur, omnes enim Dii Gentium dæmonia: & licèt aliqui fideles fuerint inter Gentiles, qui vero Deo litarent, nihilominus ita numerò erant pauci, ut de ipsis verè dici nequeat, quòd in omni loco ab ortu Solis usque ad occasum ab eis sacrificaretur oblatio munda.

Nec obstat, quòd dixerit Propheta, *sacrificatur & offertur* in præsenti; loquitur enim more Prophetarum,
C qui, ut designent suæ prædictionis certitudinem, futura quasi præsentia, vel præterita solent exprimere: Sic Psal. 21. de Christo patiente dicitur: *Diviserunt sibi vestimenta mea. id est, divident*, & Psal 5. *In omnem terrā exivit sonus eorum* pro *exibit.* Probatur autem minor: Si de alio, quàm de Missæ Sacrificio posset intelligi illud Prophetæ vaticinium, maximè vel de *Sacrificio crucis*, vel de Sacrificio metaphorico *bonorum operum*, quemadmodum Calvinus interpretatur: sed neutrum dici potest; *non quidem prius*: nam Sacrificium illud, de quo Propheta, dicitur offerendum *in omni loco ab ortu Solis usque ad occasum* ut apparet, non convenit. Sacrificio crucis, quippe cùm peractum fuerit in monte Calvario. *Nec etiam posterius: Primò*, quia eadem est ratio, & idem loquendi modus de successuro Sacrificio illo, ac de repudiatis: sed repudiata Iudæorum Sacrificia erant propriè dicta: ergo & hoc. *Secundò*, nihil substituitur alteri, nisi quod
D de novo alterô abrogatô instituitur: atqui spiritalia Sacrificia non fuerunt inter Iudæos abrogata, tanquā Deo displicerent, nec inter Christianos noviter instituta, cùm etiam in lege naturæ & veteri fuerint: ergo ille locus de his non potest intelligi, sed intelligendus est de aliqua oblatione, quæ fuit in nova lege instituta, quæ non est alia, quàm quæ fit in Sacrificio Missæ. *Tertiò*, quia hæc oblatio dicitur *mūda*, idque non ratione sanctitatis ipsius offerentis, sed ratione rei oblatæ, ut patet *primò* ex antithesi, Nam Propheta vocat eorū Sacrificia *polluta* ratione rei oblatæ, quia claudū, cæcum & debile offerebant. ergo hanc etiam oblationē vocat mundam ratione rei oblatæ. *Secundò*, quia Scriptura generatim & absolutè, atque in omni casu hanc oblationem dicit fore *mundā*, nullô respectu habitô ad offerentē: ergo debuit esse talis ratione rei oblatæ, sive quia est oblatio rei per se Deo gratæ, & mundæ, quod soli Eucharistiæ convenit, quæ nullis offerentiū peccatis potest inquinari: ut pulchrè docet Trid. sess. 22.
E c. 1. Hoc autē non convenit iis Sacrificiis spiritalibus, quæ pendent ab intentione, & munditia operantis, sive ea offerentis: nec omnia ab omnibus ita fiunt, ut munda sint & Deo grata, maximè secundùm sententiā hæreticorum, qui omnia opera nostra volunt ex se esse peccata, & consequenter immunda, & Deo ingrata, & solùm grata propter ipsius indulgentiam. Illa autem oblatio in se munda est, & Deo placens.

Quartò, quia Propheta ibi opponit contemptū divini nominis inter Iudæos, cum ejusdē magnificatione inter Gentes: atqui illi in Sacrificio publico Deum contemnebant: ergo Gentes debent eum publicô Sacrificiô honorare; alias nullâ ratione tanta esset glorificatio, quantus fuit contemptus: atqui illa Sacrificia spiritalia non sunt publica, sed privata: ergo locus intelligendus est de vero Sacrificio, quod publicô nomine fit, quod non est aliud, quàm Sacrificium Missæ. *Quintò*, quia unū Sacrificium opponitur multis: Sacrificia autem spiritalia sunt valde varia; Eucharisticum verò unicum: igitur, &c.

Illud autē aliud esse non potest præter sacrificium Missæ.

XII. Ut significat vaticinium Malachiæ.

Quod non potest intelligi de sacrificio metaphorico bonorum operum.

Nec officit, quòd *S. Augustinus* lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 86. & *S. Hieronymus* in præfata Malachiæ verba, dicant illud oraculum intelligi posse de Sacrificio laudis. Id, *inquam*, non officit: nam ita hunc locum de Sacrificio laudis interpretantur, ut tamen non excludant ab eo rationem propriè dicti Sacrificii; nam idem sanctus Augustinus lib. 18. de civitate, cap. 35. verba illa Malachiæ expendens, ait: *Hoc Sacrificium per Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, in omni loco à Solis ortu usque ad occasum jam videmus offerri.* Similiter licèt sanctus Hieronymus ibi scribat spirituales victimas, & thymiama orationum successura victimis carnalibus; subdit tamen: *Offerri in omni loco oblationem mundam, ut in cæremoniis Christianorum.* Quæ utique oblatio munda in cæremoniis facta proprium Sacrificium significat.

XIII. Neque de vocatione Gentium ad fidem ut perperàm interpretatur Calvinus.

Præcluditur etiam elusio & illusio Calvini, scribentis lib. 4. Instit. cap. 18. num. 4. vaticinium illud Prophetæ intelligi de vocatione Gentium, & significare spiritualem Dei cultum designatum per illum externum Sacrificii legis ritum: quò familiariùs hominibus sui sæculi indicaret, Gentes vocandas esse in veram Religionis societatem: *Qualiter etiam*, inquit, *in universum rerum veritatem, quæ per Evangelium exhibita fuit, ætatis suæ typis describere solent; sic pro conversione ad Dominum ascensum in Hierusalem, pro Dei adoratione, munerum omne genus oblationem: pro ampliore ejus notitia, quâ in regno Christi fideles donandi erant, somnia, & visiones ponunto.* Facilè, inquam, hæc elusio evanescit; siquidem, ut diximus, Propheta eôdem modô loquitur de successura oblatione mundi offerenda in omni loco, quomodo de reprobanda oblatione immunda, quæ fiebat à Judæis illius temporis: sed illa oblatio reprobanda, & rejicienda, erat verum Sacrificium: igitur pari ratione oblatio instituenda verum & propriè dictum Sacrificium præfigurabat.

XIV. 2. Quia Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.

Probatur secundò Conclusio: Christus dicitur Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ut ex Psal. 109. probat Apostolus ad Hebr. 7. & 8. igitur offerre debet Sacrificium juxta ritum Sacrificii Melchisedech: sed ritus Sacrificii Melchisedech fuit in pane, & vino, legimus enim Genes. 14. *Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Igitur Christus D. offerre debuit Sacrificium in pane & vino: at Sacrificium istud non aliter obtulit, quàm instituendo Eucharistiam: igitur hæc est verum Sacrificium.

Ut hujus argumenti vim elevent Hæretici, *reponunt primò:* Melchisedech non fuisse Sacerdotem, sed Principem; vox enim Hebraïca significat Satrapam, id est, Principem; ac subinde nullum ex eo loco nostræ assertioni patrocinium accedit.

Contrà primò: Vulgata nostra Editio utroque in loco tam Psalmi, quàm ad Hebræos, habet, *Sacerdos:* igitur ita legendum. *Secundò*, immediatè scribitur, *Dei Altissimi*; sed non ritè diceretur Satrapa Dei: igitur, &c. *Tertiò*, bis repeti non potest Principis nomen: at jam Scriptura significaverat, Melchisedech esse Principem, dicendo, eum esse Regem Salem. *Quartò*, inde sequeretur, quòd Christus non esset Sacerdos propriè dictus; ac subinde nullum foret Apostoli argumentum, quô probat excellentiam Sacerdotii Christi supra Sacerdotium Aaronicum, quia Christus est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

XV. Qui verè fuit Sacerdos.

Reponunt secundò, Melchisedech non protulisse panem & vinum in Sacrificium; sed in refectionem Abrahæ, & ejus militum ex prælio revertentium; ita enim docet S. Ambrosius in caput 7. ad Hebræos.

Verùm hæc responsio facilè evanescit: *Primò*, quia nec ejus milites egebant ad refectionem illô pane & vinô; quippe redibant victores ex prælio cum copiosissima præda & cibariis. *Secundò*, quia tres eô loci narrantur actiones Melchisedech, nempe proferre panem & vinum, benedicere Abrahæ, & ejus militibus, & ab eo decimas accipere: sed duæ postremæ actiones sunt planè Sacerdotales: ergo & prima; ac subinde non aliô fine panem & vinum obtulit, quàm in Sacrificium. *Tertiò*, absurdum est quòd in scripturis fiat tam luculenta mentio Sacerdotii Melchisedech, Genesis 14. Psal. 109. ad Hebr. 7. &c. quòd fuerit etiam Melchisedech typus Christi, & sacrificio suo Christi Sacrificium adumbrârit, nec tamen illius sacrificii forma & ritus ullo Scripturæ loco exprimatur; cùm res etiam maximi sit momenti & ponderis, affirmentque hæretici ipsi omnia fidei mysteria sufficienter inveniri in Scripturis, & perpetuò ad Scripturas provocare soleant; atqui ritus ille sacrificii Melchisedech nequit ex alio loco ostendi, quam *Genes.* 14. ubi dicitur protulisse panem & vinum, quia erat Sacerdos Dei altissimi, nec hæretici alium locum hactenus invenire potuerunt: ergo & textus ille de vero sacrificio intelligi debet. Hoc ipsum significat adjuncta ratio, cur panem obtulerit; sequitur namque: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*; nam particula *enim*, cùm sit causalis, denotat idcirco Melchisedech protulisse panem & vinum, quòd esset Sacerdos Dei, & quia res illas soleret Deo sacrificare, voluit ex eisdem rebus pro victoria Abrahæ Sacrificium Eucharisticum offerre Deo.

Et sacrificium obtulit in pane & vino.

Nec obstat, quòd in Hebr. non habeatur particula causalis, *enim*, sed *&* vel *autem*; itaut legatur; & ipse erat Sacerdos, vel erat autem Sacerdos. Hoc, inquam, non obstat; nam particula *vaü*, Latinè *&*, sæpiùs in Hebræa lingua usurpatur pro particula *enim*, vel *quia*; sic Genes. 20. ubi vulgata habet: *En morieris propter mulierem, quam tulisti: habet enim virum*, Hebraïca fert, *Et ipsa habet virum.* Et Psal. 59. Vulgata habet: *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis*, Hebraïcè, *& vana salus hominis.* Similiter Isaiæ 64. ubi legitur: *Iratus es, quia peccavimus tibi*, legimus Hebraïcè, *Et peccavimus tibi.* Meritô itaque jure Latinus Interpres hujus Hebraïcæ consuetudinis peritus, animadvertens particulam *&* illô locô Genesis idem significare, ac *enim*, vel *quia*; evidentioris sensûs gratiâ particulam causalem *enim* scripsit.

Ut colligitur ex S. Scriptura.

Unde ad S. Ambrosium *respondeo*, ipsum hæc scribere, non ex sua, sed ex Hebræorum sententia. *Adde, quòd* ultrò concedamus, Melchisedech etiam post oblatum Sacrificium fortè protulisse panem & vinum Abrahæ, & ejus militibus ad celebrationem victoriæ, quæ etiam est sententia Philonis Judæi lib. 1. de Abrahamo, ubi circa finem ita scribit de Melchisedech. *Magnus Pontifex redeuntem conspicatus, & attonitus tanti facinoris magnitudine, manus in cælum tendens, fausta illi precatus est, & oblatis pro victoria Sacrificiis, splendidum epulum sociis omnibus dedit.* Ubi vides, Melchisedech utrumque simul

Quidquid reclament Hæretici.

fecisse, & sacrificasse, & epulum dedisse.

Reponunt tertiò cum Calvino suprà *num.* 2. perperam functionem Sacerdotii Melchisedech trahi ad panem & vinum; quippe cùm Apostolus eam ad benedictionem referat Hebr. 7. scribens: *Hunc, qui habebat repromissiones benedixit; sine ulla autem contradictione, quod minus est à meliori benedicitur.*

Verùm facilè refelluntur: *Primò* quidem ex textu Hebraïco: nam post hæc verba: *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*, scribitur coma ante verba *benedixit ei*, quò datur intelligi functionem Sacerdotii non referri ad sequentem benedictionem, sed solùm ad præcedentem oblationem panis & vini; eademque est distinctio periodi in Græco & Latino textu. *Secundò*, benedictio præ- B cisè non competit solis Sacerdotibus; sed etiam aliquando id Laïcis convenit: nam 2. Reg. cap. 6. *Rex David benedixit populo.* Et 3. Reg. cap. 8. idem fecit Salomon; hi tamen non erant Sacerdotes.

Reponunt quartò cum eodem Calvino *ibidem*, quòd si Sacrificium Melchisedech fuisset figura Sacrificii Christi, Apostolus, qui minima quæque excutit, tam adeo seriam & gravem non fuisset oblitus, & haud dubiè meminisset convenientiæ utriusque Sacrificii.

XVI. Cur Apostolus hujus sacrificii non meminerit. *Verùm* duabus de causis dico Apostolum illius expressam mentionem non fecisse. *Primò*, quia alloquebatur Hebræos, inter quos plurimi adhuc C erant infideles, quibus fas esse non judicabat tantum prodere Mysterium. *Secundò*, quia non exigebat illius propositum.

Scopus enim illius erat demonstrare dignitatem legis Evangelicæ supra Mosaïcam, quod probat triplici argumento: *Primum* repetit ex parte eorum, per quos leges illæ fuerunt promulgatæ; nam lex vetus per Angelos & Prophetas fuit præscripta, Evangelica autem per proprium Dei Filium: *Secundum* repetit ex comparatione Legislatorum; nam legis veteris Legislator fuit Moyses fidelis in domo Dei famulus: legis autem Evangelicæ legislator est ipsemet Dei Filius. *Tertium* deducit ex comparatione Pontificis unius legis cum Pontifice alterius, in quo excellit Christi Sacerdo- D tium supra Sacerdotium veteris legis: *Primò*, quia cùm Christus esset Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, major erat Sacerdotibus Aaronicis; siquidem Aaron in Abraham Patre suo benedictus fuerat à Melchisedech, & eis Decimas obtulerat; ac subinde eum sibi superiorem agnoverat. *Secundò*, quia longè nobiliori modò impleverat munia Pontificis, quàm Sacerdotis Aaronici; quia ingressus est in Sancta, non per sanguinem animalium, sed per proprium sanguinem; non in Tabernaculum manufactum, sed in cœlum ipsum: non multoties, ut Aaronici Pontifices, qui singulis annis, sed semel unicâ Re- E demptione inventâ. Consultò autem tacet de Sacrificio Eucharistiæ, quia apertè satis colligebat dignitatem Pontificatûs Christi ex Sacrificio cruento; aliàs sermo de Eucharistia potuisset ingenerare scrupulos in mentibus Hebræorum, qui non ita facilè intellexissent, quomodo Sacrificium Eucharistiæ non iteratur eâdem ratione, quâ Aaronicum, quomodo non mutetur, quomodo sit validissimum.

Confirmantur hæ omnes nostræ responsiones, XVII. Illud sacrificium distinctè ex- & simul præcluduntur omnes elusiones hæreticorum authoritate SS. Patrum, qui clarè ac distinctè pronuntiant, Melchisedech fuisse verum Sacerdotem, & panem ac vinum in Sacrificium

A obtulisse, nec-non & Christum D. ideirco Sa- plicant SS. Patres. cerdotem secundùm ordinem Melchisedech censeri, quòd pariter Sacrificium in pane & vino obtulerit. Occurrit enim imprimis sanctus Cyprianus epist. 63. ubi exponens hæc verba Psalmistæ: *Tu es Sacerdos in æternum, &c.* scribit: *Qui ordo venit & descendit de Sacrificio illo, quòd Melchisedech fuit Sacerdos Dei summi, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit; quis enim magis Sacerdos, quàm Dominus noster, qui Sacrificium obtulit Deo Patri, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem?* Quibus verbis nostram assertionem apertè confirmat sanctus Cyprianus, dicens idem fuisse Sacrificium Christi ac Melchisedech, quantùm ad externa symbola panis & vini, non verò quoad rem sub symbolis latentem, scilicet corpus & sanguinem Christi.

Sancto Cypriano subscribit Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 1. ubi agit de pane & vino ad consecrandam Eucharistiam: *Cognovimus*, inquit, *horum Sacramentorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando sanctus Melchisedech obtulit Sacrificium.* Et in cap. 5. epist. ad Hebræos: *Hujus ordinem Sacrificii Melchisedech justissimus Rex per similitudinem instituit, quando panis & vini fructus Domino obtulit. Constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt in ordine Aaron, non Melchisedech, &c.* Ubi vides S. Ambrosium utrôque locô usum verbô *obtulit*, non *protulit*, & cum relatione ad Sacrificium, non ad solam refectionem corporalem. *Per ineffabilem, & arcanum Sacrificii modum* (inquit Gregorius Nyssenus homil. 1. de Resurrectione) *suâ dispositione & administratione praeoccupavit impetum violentum, ac sese in oblationem & victimam obtulit pro nobis Sacerdos simul & Agnus Dei.... cùm suum corpus ad edendum, & sanguinem suum ad bibendum familiaribus præbuit.*

Similiter sanctus Hieronymus *epist.* 26. eôdem modô rem explicat, ut Melchisedech fuerit Rex simul & Sacerdos, qui non carnis, & sanguinis victimas immolaverit, nec brutorum sanguinem dexterâ susceperit, sed pane, & vinô, simplici purôque Sacrificiô, Christi dedicaverit Sacramentum; additque hanc fuisse doctrinam Hypoliti Martyris, Irenæi, Eusebii, Emysseni, Apolinarii, Eustatii. Prætereà idem S. Hieronymus in quæstionibus Hebraïcis in Genes. ubi explicat hanc historiam Abrahæ, simul etiam profert locum Psalmi, *Tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*; atque nomine ordinis significari Mysterium nostrum: *Non immolandis per Aaron irrationalibus victimis, sed oblatô pane & vinô, id est*, inquit, *corpore & sanguine Domini*: ubi adhuc S. Hieronymus utitur verbô *offerendi*, non *ferendi*; nec ignorabat textum Græcum, aut Hebraïcum. Et in cap. 26. S. Matthæi, ait Christum accepisse panem & vinum, quomodo in præfiguratione ejus fecerat Melchisedech Sacerdos summi Dei panem & vinum offerens. Et epist. 17. *Melchisedech panem & vinum obtulit, &c.* ubi perpetuò vides verbum offerre, non proferre, & in Sacrificium, non ad solam refectionem.

At omnium perspicuissimè explicat S. Augustinus lib. 1. contra adversarium legis cap. 20. *Juravit Dominus, Tu es Sacerdos, &c. Noverunt*, ait, *qui legerunt, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & vident nunc tale sacrificium offerri Deo in toto orbe terrarum*, &c. Et lib. 17. de

A Civitate cap. 17. explicans hunc locum Psalmi: *Tu es Sacerdos: Nemo*, inquit, *ambigere potest, de quo ista dicantur, cùm hodie ausquam sit Sacerdotium secundum ordinem Aaron, sed ubique offeratur sub Sacerdote Christo, ut, quod protulit Melchisedech, quando benedixit Abraha.* Et lib. 18. cap. 35. *Hoc sacrificium Christi, secundùm ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à Solis orta usque ad occasum Deo jam videamus offerri: Sacrificium autem Iudaorum cessasse, qui adhuc expectant alium Christum.* Addi potest Theophilactus in cap. 8. ad Hebræos, obi ait: *Christus pane & vino Sacrificium consecravit, sicut & Melchisedech.* Similiter Isidorus Pelusiota epist. 43. *Melchisedech*, inquit, *pane & vinò sacrificans, divinum Mysterium figurabat.* Constat igitur ex commuoi SS. Patrum sententia Melchisedech reverà fuisse Sacerdotem, qui solitus erat panem & vinum Deo offerre in Sacrificinm, in quo Christi D. incruentum Sacrificium præfigurabat.

Probatur tertiò: Catholica assertio. In Ecclesia Catholica est verum Altare: igitur & verum Sacrificium. Consequentia patet; quia Altare, & Sacrificium sunt relata; siquidem Altare est propter Sacrificium, & Sacrificium Altare supponit; in quo fieri debeat. Antecedens probatur ex illo ad Hebr. 13. ubi Apostolus ait: *Habemus Altare, de quo edere non habent, qui Tabernaculo deserviunt.* Idest, qui adhuc in Judaismo perseverant, & oondum Christo nomen dederunt.

XVIII. 3. Probatio petitur ex Altaribus quæ perpetuò fuerunt apud Christianos.

Idipsum restantur SS. Patres, præsertim S. Irenæus lib. 4. cap. 34. ubi ait: *Christus vult, nos offerre munus ad Altare frequenter, & sine intermissione.* Et S. Cyprianus quæst. 62. *Non merentur ad Altare Dei nominari in Sacerdotam prece, qui ab Altari; & Sacrificiis Sacerdotis avocare volunt.* Et S. Ambrosius lib. de eleemosyna & jejunio: *Venit jam dies Resurrectionis, baptizantur Electi, veniunt ad Altare, accipiunt Sacramenta, &c.* Et S. Augustinus lib. 9. Confessionum cap. 13. loquens de B. Monica sua Matre pissima, ait: *Imminente dio resolutionis saa, non curavit corpus suum sumptuosè contegi, aut aromatibus condiri; non ista mandavit: sed tantammodò memoriam sui ad Altare fieri desideravit; cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, quâ doletum est chirographum, quod erat contrarium nobis.* Et cap. 12. *Preces fudimus, cùm offerretur pro ea Sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum positò cadavere, priusquam deponeretur, sicut fieri solet.* Et lib. 20. contra Faustum cap. 18. *Volo*, inquit, *mihi dicatis, cur templum, ara, Sacrificium in vera Religione prædicantur? Christiani peracti à Christo Sacrificii memoriam celebrant, sacro-sanctâ oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi.* Et cap. 21. *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificamus, quamvis in memoriis Martyrum constituamus Altaria, quis enim Antistitem in locis SS. corporam assistens Altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit; ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat ad accendendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illam, quê juvante possumus.*

XIX. Quô sensu aliqui negent esse altaria & sacrificia apud Christianos.

Objiciunt hæretici primò: Minutium Felicem, qui in Octavio inducit Cœcilium arguentem Christianos, quòd nulla templa, nulla Altaria haberent; & Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum scribentem, Nos Deo Sacrificia non offerre: & S. Augustinum oratione contra Judæos cap. 6. & 7. dicentem, nos hodie non habere, nisi Sacrificium laudis: igitur eorum tempore nullum erat Sacrificium apud Christianos, oullumque Altare.

Nego consequentiam, & ad primum dico Cœcilium loqui de Altari noto, & publico, qualia erant templa & Altaria Gentilium: *Cur*, inquit, *nulla habeant templa, nulla nota simulachra*, &c. Tunc temporis enim fideles agebant cœtus, & sacra Mysteria in locis abditis, propter sævientem in eos persecutionem.

B *Ad secundum* dico, Clementem Alexandrinum agere de Sacrificiis, quibus pagani deos suos venerabantur: hi autem Sacrificia offerebant, quasi Deus, quem colebant, illis indigeret, vel quasi sacrificii voluptate caperetur, vel denique quasi intuitu Sacrificiorum, non autem conscientiæ puræ, & immaculatæ ad benefaciendum alliceretur: quô tantùm sensu negat Clemens Sacrificia nos offerre Deo: *Primò*, qoia ait Deum nullius indigere: *Secundo*, quia ait fumum victimarum vix ad crassissimas usque nubes pervenire: *Tertiò*, neque Sacrificiis, neque donarôs, neqoe gloriâ & honore Deus invocatur, neque aliis hujusmodi allicitur; sed solis veris bonis & honestis apparet. Sanctus autem Augustinus opponit Sacri- C ficium laudis Sacrificiis vitulorum & hircorum, cùm interpretatur hæc Psalmistæ verba: *Non accipiam de domo tua vitulos: immola Deo Sacrificium laudis.* Sacrificium verò crucis appellat eô sensu Sacrificium laudis; nam cap. 1. sic habet: *Ipse igitur Sacerdos & victima immolavit Sacrificium laudis.*

XX. Apostolus etiam significat fideles sumere Eucharistiam, in Altari oblatam.

Confirmatur hæc tertia probatio authoritate Apostoli ejosdem 1. ad Cor. 10. ubi cùm mentionem fecisset participationis Eucharistiæ his verbis: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* ut fideles revocet, & deterreat ab esu eorum, quæ idolis immolabantur, statim subjungit: *Vide Israël secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Quid ergo? Quod idolis im-* D *molatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid? sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos fieri socios dæmoniorum; non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Ex qoibus argumentor: Apostolus per antithesim comparat mensam Domini, quæ est apud fideles in Ecclesia cum mensa dæmoniorum; ita quòd quemadmodum Judæi sunt participes Altaris, & Gentiles mensæ dæmoniorum, sic fideles fiunt participes mensæ Domini: sed fideles non essent eôdem modô participes mensæ Domini, quô Judæi Altaris, & Gentiles mensæ dæmoniorum, si non essent participes ali- E cujus victimæ in altari per Sacrificium immolatæ: igitur reverà censet Apostolus in Ecclesia Dei Eucharistiam esse verum Sacrificium super Altare incruentè oblatum.

Missas facio alias hujusmodi probationes, necnon plurimas SS. Patrum authoritates, quibus Bellarminus, Perronius, & alii gravissimi Authores, quotquot adversus hæreticos hujus temporis acerrimè disputaverunt, hoc Catholicum dogma efficacissimè propugnârunt; unicum laudo S. Augustinum, qui hanc veritatem manifestissimè declarat pluribi, maximè verò lib. 10. de Civitate

XXI. S. Augustinus clarissimè Missæ sacrificii virtutem declarat.

Dei cap. 10. ubi ait: *Christus & Sacerdos est & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesia Sacrificium. Hujus signa erant Sacrificia prisca Sanctorum: huic summo, veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.* Et idem lib. 22. cap. 8. *Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum. Ubi cum afflictione animalium, & servorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros (me absente) Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio; & Deò protinus miserante cessavit.*

XXII. 4. Probatur ratione Theologica.

His etiam suffragatur ratio Theologica: quia nulla fuit unquam lex aut religio vera vel falsa sine Sacrificio: igitur in lege Evangelica, quæ vera est, debuit etiam esse verum Sacrificium. Major constat ex omnibus historiis sacris aut profanis, quæ quoties mentionem faciunt conditæ legis & religionis, etiam meminerunt instituti Sacrificii; nam, ut præclarè inquit S. Augustinus lib. 19. contra Faustum: *In nullum nomen Religionis sive verum, sive falsum coadunari homines possunt, nisi aliquò Sacrificiorum, & Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Consequentia etiam patet; nulla est enim ratio, ob quam Christiana Religio careat potius Sacrificiô verô ac sibi propriô, quô publicè Deum colat; quàm Religio legis Naturæ, vel Mosayceæ.

Objiciunt hæretici, disparitatem inter novam legem & cæteras, quòd in nova lege vigeat Sacrificium crucis habens virtutem infinitam, & semper manentem; ac subinde frustraneum omnino est quodlibet aliud Sacrificium; unde Apostolus Hebr. 10. de Christo ait: Unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, quod etiam ipsemet Christus significavit, cùm dixit, jam penè animam exhalans, *Consummatum est*, ut nempe denotaret se complevisse per Sacrificium crucis omnia, quæ ad nostram salutem erant necessaria, & consequenter superfluum esse quodlibet aliud Sacrificium.

Verùm respondeo, hoc hæreticis familiare effugium facilè præcludi; Christus enim in cruce nedùm satisfacit pro peccatis hominum in nova lege existentium, sed etiam pro peccatis eorum qui vivebant tempore legis naturæ & Mosayceæ: ergo cùm nonobstante meritô Sacrificii crucis, vera fuerant Sacrificia in illa utraque lege; pari ratione potest esse verum Sacrificium in lege Evangelica: non enim minorem virtutem habuit Sacrificium crucis erga illos homines, quàm erga Christianos.

XXIII. Sacrificium Missæ non officit sacrificio crucis.

Nec obstat, quòd Sacrificium crucis habeat vim infinitam, & semper manentem ad sanctificandum: quia licèt Christus in cruce perfectè quoad sufficientiam pro nobis satisfecerit, tamen quoad efficaciam requiritur, quòd Satisfactio nobis applicetur per Sacramenta, & Missæ Sacrificium, quæ sunt media, quibus meritum Passionis in nos effluit, ut præclarè docet S. Cæsarius Arelatensis homil. 7. de Paschate, ubi ait: *Quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus oblaturus, necessarium erat, ut nobis in hoc die Sacramentum corporis & sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per Mysterium, quod semel offerebatur in pretium, ut quia quotidiana & indefessa currebat pro salute hominum Redemptio, perpetua etiam esset Redemptionis oblatio, & perennis victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia, &c.*

Imò necessum est applicandum illius meritum.

Nec pariter obstat, quòd Christus dixerit, *Consummatum est*: Hæc enim ab illo dicta sunt, tum ut significaret consummata esse de eo Prophetarum vaticinia, tum ab eo plenissimè satisfactum esse pro Redemptione hominum, nec-non mandato paterno de morte subeunda, pro resarciendo divino honore & jure per hominum prævaricationem pessundato.

Objiciunt secundò: Ubi non sunt Sacerdotes, ibi non debet esse Sacrificium: sed in nova lege non sunt Sacerdotes: ergo nec Sacrificium. Major constat ex dictis. Minor verò probatur ex Apostolo ad Hebr. 7. ubi cùm dixisset, Aaronicos Sacerdotes fuisse plures; ideircò, *quòd morte prohiberentur permanere*, statim subjunxit: *Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium; unde & servare in perpetuum potest accedentes ad ipsum, semper vivens ad interpellandum pro nobis; talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, Impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo.*

XXIV. Quomodo Christus sit unus Sacerdos, licèt habeat Sacerdotes Vicarios.

Nego minorem: Et ad Apostolum dico, Christum vocari unum Sacerdotem, sicut in Evangelio seipsum appellat unum Magistrum, Matth. 23. *Unus est Magister vester Christus*: Et unum Pastorem, Joan. 11. *Fiet unum ovile & unus Pastor*: quia videlicet ipse est qui per Vicarios, Doctores, & Pastores docet & pascit; unde non habet Sacerdotes sibi succedentes in eadem potestate & authoritate, sicut habebant Sacerdotes Aaronici, licèt habeat Sacerdotes Vicarios, per quos seipsum incruentè offerat. Hinc tantùm abest, ut illud Apostoli oraculum nobis adversetur, quin imò suffragatur plurimùm: cùm enim sit Sacerdos in æternum, idest, usque ad mundi consummationem, & sempiternum habeat Sacerdotium; quod utique otiosum esse non debet, nec tamen illud per se exerceat; necessum fuit, quòd haberet Vicarios Sacerdotes, per quos sacrificaret, sicut habet Vicarios Pastores & Magistros, per quos ovibus, & Discipulis suis, de congruis pascuis, & doctrinis providet.

Objiciunt tertiò: Quod est Sacramentum, & Testamentum, non potest esse Sacrificium propriè dictum: sed Eucharistia est Sacramentum simul & Testamentum: igitur non est Sacrificium. Minor constat. Major probatur: Rationes Testamenti, & Sacramenti pugnant cum ratione Sacrificii; siquidem per Sacramentum Deus nobis aliquid tribuit & largitur, nempe gratiam sanctificantem; per Sacrificium autem nos offerimus Deo, & ipsi victimam immolamus. Similiter Testamentum est promissio hæreditatis accipiendæ ab hærede cui delegatur, tanquam eâ indigenti: Sacrificium autem est oblatio victimæ in honorem Dei, & testificationem sui supremi dominii, suæque plenitudinis: igitur, &c.

XXV. Eucharistia simul est Sacramentum & Sacrificium, ac Testamentum.

Distinguo majorem: Quod est Sacramentum & Testamentum, non potest esse Sacrificium secundùm eandem rationem, concedo: secundùm diversam, nego: & concessâ minore, similiter distinguo consequentiam; quemadmodum enim Agnus Paschalis in lege veteri simul erat Sacramentum & Sacrificium: Sacramentum quidem, quatenus erat signum visibile invisibilis gratiæ; Sacrificium autem, in quantùm immolabatur Deo; sic Eucharistia, quatenus nobis confert gratiam sanctificantem, habet rationem Sacramenti;

quatenus verò offertur Deo in illius honorem, & obtestationem illius supremi dominii in mortem & vitam hominum, habet rationem Sacrificii. Similiter nil repugnat, quòd eadem res sit Testamentum, & Sacrificium, & impendatur simul in honorem & utilitatem testatoris & hæredis; nam testator potest eâ conditione hæreditatem legare, ut hæres illius partem impendat, vel in extruendo mausoleo, vel curando ut singulis annis sacra fiant in ipsius testatoris requiem. Adde, quòd ipsemet hæres legatæ sibi hæreditatis compos possit illam in sui testatoris honorem & utilitatem impendere. Quidnì igitur Christus D. Eucharistiæ sacramentum nobis tanquam hæreditatem delegans facultatem fecerit, ipsum usurpandi in nostram utilitatem ut est res sacra, & eam offerendi in Dei honorem, quatenus Sacrificium?

Objiciunt quartò: Non aliter nunc conficitur Eucharistia, quàm eam primò Christus confecerit: sed Christus non confecit Eucharistiam per modum Sacrificii: igitur nec sic modò confici potest. Major constat. Minor probatur: Si enim Christus Eucharistiam conficiendo seipsum obtulisset in Sacrificio, cùm hoc fuisset valoris infiniti, superfluum fuisset Sacrificium crucis.

XXVI. Eucharistiã ut Sacrificium Christus primùm obtulit.

Nego minorem: Nam (ut diximus) cùm Christus D. fuerit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui panem & vinum in Sacrificium offerebat; consequens est, quòd Eucharistiam in pane & vino conficiendo, etiam verùm Sacrificium præfiguratum à Sacrificio Melchisedech obtulerit: Sacerdotium enim correlativè se habet ad Sacrificium propriè dictum, juxta illud Apostoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex constituitur, ut offerat dona, vel Sacrificia pro peccatis.*

Insuper: Ex verbis institutionis Eucharistiæ apertè colligitur, quòd Christus eam instituendo verum Sacrificium obtulerit; nam Lucæ 22. legimus: *Et accepto pane, gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur:* ubi τὸ *datur*, ut pote verbum præsentis temporis, significat in ultima cœna Christi D. corpus jam in verum Sacrificium fuisse oblatum.

Vt constat ex verbis institutionis.

Nec obstat, quòd apud eundem Evangelistam de calice legamus: *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur;* nam in Græcis exemplaribus legitur in præsenti *funditur.* Et insuper relativum *qui*, non refertur ad sanguinem, sed ad calicem, ut constat ex textu Græco: Sanguis autem Christi in Sacrificio cruento crucis non est effusus per calicem: igitur illa effusio sanguinis pro hominum salute, de qua ibi fit mentio, non potest propriè intelligi de sola effusione cruenta in cruce, sed etiam de incruenta, quæ fiebat in institutione Eucharistiæ.

His adde, quòd hæc Eucharistiæ institutio habeat omnes conditiones ad verum Sacrificium desiderandas; ibi enim reperitur *oblatio sensibilis*, scilicet corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini in honorem Dei facta: nam, inquit S. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 14. *Quid tam gratè offerri, & suscipi posset, quàm caro Sacrificii nostri, corpus effecta Sacerdotis nostri.* Fuit etiam sufficiens *hostia immutatio*, non quidem per mortem veram & realem Christi, sed per consumptionem specierum, cujus ratione Christi corpus amisit esse Sacramentale. Fuit denique *legitimus Minister* & Sacerdos, qui Sacrificium obtulit super mensam, quæ gerebat vicem Altaris, idque in Dei honorem, & obtestationem

A illius supremi in homines dominii: quapropter hanc oblationem facturus, oculos in cœlum elevavit, & Deo gratias egit.

Objiciunt denique; Victima, quæ in vero & propriè dicto Sacrificio offertur, debet occidi: sed Christus, qui offertur in Missa, non occiditur, nec moritur: igitur Missa non est verum ac propriè dictum Sacrificium.

Respondeo, majorem esse veram de Sacrificio, quale fuit Sacrificium crucis, non verò de Sacrificio incruento, quale fuit Sacrificium Melchisedech, quale pariter est Sacrificium Missæ.

XXVII. Licèt ibi victima nõ fuerit occisa.

Secundò dico, Christum in Eucharistiæ Sacramento mysticè ac moraliter occidi: *Tum, quia* B constituitur in Eucharistia modô veluti mortuô; siquidem ibi nullam habet functionem & operationem sensuum exteriorum; hinc de Christo in Eucharistia existente dici potest, quod de eodem testatur S. Joan. Apocalyp. 5. *Vidi agnum stantem tanquam occisum;* stat equidem divinus ille Agnus in Eucharistia, quia vivit vitâ immortali & omnino beatâ; ibi tamen est, tanquam occisus; quia scilicet nullos exerit exteriores & sensibiles vitæ actus.

N. si tantùm mysticè.

Tum, quia Sacrificium Missæ est repræsentativum Sacrificii crucis; siquidem in eo recolitur memoria Passionis; &, ut inquit Catechismus Romanus de Eucharistia cap. 81. *Vnum & idem Sacrificium fatemur, & haberi debet, quod in Mis-* C *sa peragitur, & quod in cruce oblatum est; quemadmodum una est, & eadem hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui seipsum in ara crucis semel tantummodò cruentum immolavit; neque enim cruenta & incruenta hostia, duæ sunt hostiæ, sed una tantùm:* unde sanguis Christi ex vi verborum ponitur separatim à corpore, sicque in hoc incruento Missæ Sacrificio mystica effusio sanguinis *per gladium verborum*, inquit S. Cyrillus: Hinc S. Gaudentius tract. 2. in Exodum, Eucharistiam appellat *exemplar passionis Christi:* Quapropter etiam Lucæ 22. jussit Dominus Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem;* nam, inquit Apo- D stolus jam pluries à nobis laudatus: *Quotiescunque manducabitis panem, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Quale sit, & in quo formaliter consistat Missæ Sacrificium?

I. Sacrificia dividuntur ratione materiæ & finis in victimas, immolationes, & libamenta.

NOtandum primò: Multiplex esse Sacrificiorum genus, ut constat ex lib. Levitici, quæ universim dividuntur vel ratione materiæ, idest, rei oblatæ, vel ratione finis. *Ratione materiæ* Sacrificium dividitur in victimas, immolationes, & E libamenta: *Victimæ* erant ex animantibus, videlicet ovibus, capris, bobus, columbis, passeribus, & turturibus: *Immolationes* ex rebus inanimis, sed solidis, ut farinâ, pane, sale, thure: *Libamenta* verò ex rebus liquidis, ut vino & aquâ.

Ratione verò finis in Holocaustum, Pacificum, Eucharisticũ, Impetratorium, & Propitiatorium.

Ratione verò finis triplex est, nempe latreuticum, pacificum, & propitiatorium: *Primum* offerebatur Deo ad testandum ipsius Majestatis honorem, & supremum in universa imperium; idcirco victima tota in eo comburebatur, ideoque dicebatur *holocaustum*, quasi totum incensum, & consumptum, ut significaretur, quòd quemadmodum totum animal solvebatur in vaporem, &

sursum ascendebat; ita etiam totus homo Sacrificium offerens, & omnia quæ ipsius erant Dei potestati & dominio esse subjecta.

Pacificum illud erat, cujus finis præter cultum Dei, est gratiarum actio pro beneficiis divinitus acceptis, vel accipiendis; unde pacificum duplex erat, nempe *Eucharisticum*, quod offerebatur ad gratias agendas pro beneficiis divinitus acceptis, & animi gratitudinem declarandam: & *impetratorium*, quod pro accipiendo beneficio offerebatur. In hoc autem Sacrificio pacifico victima dividebatur in tres partes, quarum prima incendebatur in honorem Dei, secunda cedebat in usum & victum Sacerdotum, tertia præbebatur ei, qui victimam offerebat, ut significaretur, quòd salus hominis procedit à Deo mediantibus Ministris, & cooperantibus ipsis, qui salvari cupiunt.

Propitiatorium verò illud erat, cujus finis præter cultum Dei erat placare Deum offensum, & peccati veniam obtinere; illudque pro varietate peccatorum & personarum varium erat & multiplex; quippe aliud offerebatur pro perjurio, aliud pro aliis peccatis: & similiter aliud offerebatur pro peccato summi Sacerdotis, aliud pro peccato Regis, vel Magistratûs, aliud pro peccato totius populi, & aliud pro privatorum hominum peccato. In hoc autem Sacrificio victima dividebatur in duas partes, quarum una comburebatur, altera verò cedebat in usum Sacerdotum, ut significaretur, quòd expiatio peccati fit à Deo per ministerium Sacerdotum, nisi quando sacrificium offerebatur pro peccato Sacerdotis, vel totius populi; tunc enim tota victima incendebatur; quia conveniens non erat, ut Sacerdotes participarent illi Sacrificio, quod tam pro eorum, quàm pro totius populi peccatis ad satisfaciendum Deo offerebatur. Quæritur autem, utrum Eucharistiæ Sacrificium horum omnium Sacrificiorum rationem in se contineat, & complectatur.

II. Omnia Sacrificia veteris legis Sacrificium crucis & Eucharistiæ adumbrabant.

Notandum secundò, quòd etsi Sacrificiorum legis tam naturæ, quàm scriptæ varii fuerint fines immediati, tamen, inquit *Arcudius*, lib. 3. de Sacramentis cap. 7. unus eorum omnium finis mediatus erat repræsentatio Sacrificii Christi, qui idcirco dicitur Apocalypsis 13. *Agnus occisus ab origine mundi*; qui videlicet omnia a mundo condito oblata Sacrificia eum figurabant, ac repræsentabant: hinc, quoniam dupliciter reipsà immolatus est Christus; non sine mysterio antiqua Sacrificia partim cruentè, partim incruentè offerebantur. In lege naturæ Melchisedech incruentè panem, & vinum obtulit, & sacrificavit. At verò Abraham, cæterique Patriarchæ cruentè animalia immolârunt. In lege scripta animalia immolabantur; ac fructus terræ, aut alia ex illis confecta, nullâ sanguinis effusione interveniente, quæ nulla fieri poterat, offerebantur.

His igitur omnibus Sacrificiis, & pro omnibus cùm personis, tum peccatis in lege gratiæ unum ab illis figuratum successit in cruce cruentum, incruentum in Altari, ut hâc ratione sit Christus D. Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, panem & vinum offerens, sacratissimum, inquam, corpus suum, & sanguinem. Hæc optimè declarat S. Leo sermone 8. de Passione Domini: *Nunc*, inquit, *carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis, & sanguinis imples oblatio.* Et S. Joannes Chrysostomus in Psalm. 95. *Lex in veteri Testamento multas habebat hostias, hanc quidem pro peccatis, illam verò dictam holocaustoma, aliam vocatam laudis, aliam salutaris, permultasque alias, & varias pro his, qui innumeris piaculis recensebantur. Omnino magnus erat, & sine modo numerus Sacrificiorum in lege, quæ omnia nova superveniens gratia unò complectitur Sacrificiò, unam & veram statuens hostiam.* Sanctus quoque Augustinus quæst. 57. in Leviticum. *In multis*, inquit, *Sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum Sacrificium significatur, in quo vera sit remissio peccatorum.*

III. Eucharistiæ Sacrificium vim habet impetrandi & efficiendi ex quadruplici capite.

Notandum tertiò, Eucharistiæ sacrificium concipi posse habere vim aliquid efficiendi, & impetrandi ex quadruplici capite: *Primò* quidem, quatenus est opus bonum, & attenditur ex parte operantis, sive Sacerdotis offerentis; cùm enim sit actus virtutis Religionis, eosdem planè effectus habere potest, quos habent cæteræ virtutis actiones, & iisdem omnino modis, nempe *vel* per modum meriti de condigno, aut de congruo, *vel* per modum impetrationis: siquidem homo justus per quoslibet virtutum actus, mereri potest augmentum gratiæ & gloriæ, & satisfacere Deo pro pœnis prioribus suis peccatis debitis, nec-non & bona temporalia, & spiritualia promereri; maximè quando hunc virtutis actum in eos fines elicit, & refert. *Secundò*, hoc Sacrificium potest concipi habere vim aliquam operandi ex parte dignitatis, & excellentiæ rei oblatæ; quò enim res majoris perfectionis & pretii Deo offertur, eò movetur efficaciùs, ad largiendam suam gratiam, & conferenda beneficia homini offerenti; sicut enim preces, ita etiam munera solent habere vim impetrandi. *Tertiò*, potest Sacrificium concipi habere vim impetrandi, quia offertur nomine totius Ecclesiæ, quæ cùm sit Christi D. Sponsa, non habens maculam neque rugam, ac subinde Deo semper accepta; inde fit, quòd ejus preces & munera Deo semper grata sint, etiamsi per manus peccatoris offerantur. *Quartò* tandem concipi potest Eucharistiæ Sacrificium habere vim, & efficacitatem aliquid efficiendi & impetrandi ex parte Christi instituentis, & offerentis, quatenus videlicet Christus hoc Sacrificium instituendo, ipsi externo actui Sacrificii annexa voluit esse sua merita, ad certum effectum conferendum ei, pro quo offertur, dummodò ipse non ponat obicem, idque independenter à devotione, vel indevotione immediatè offerentis; qui utique modus agendi dicitur *ex opere operato*, quia effectus infallibiliter sequitur ex positione externi operis, in subjecto non ponente obicem: vel concipi potest eam efficacitatem habere ratione dignitatis, & excellentiæ ipsius Christi D. quatenus videlicet, cùm ipse sit primarius offerens, Sacrificium ab eo oblatum maximam habet dignitatem, ratione cujus mereatur rem petitam à Deo impetrare.

Scopus quæstionis.

Quibus ita præmissis, tria hîc supersunt determinanda: *Primum*, utrum Missæ Sacrificium in se complectatur tria sacrificiorum genera: *Secundum*, quomodo possit esse propitiatorium & satisfactorium pro peccatis tam mortalibus, quàm venialibus: *Tertium*, utrum omnes suos effectus operetur *ex opere operato*.

Conclusio Prima.

M*issa Sacrificium non solùm est latreuticum, & Eucharisticum, sed etiam impetrativum, & propitiatorium pro peccatis.* Ita Concilium Trident. sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 2. & can. 3. his verbis: *Si quis dixerit Missa Sacrificium tantùm esse laudis, vel gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

B

IV. Sacrificium Missæ est Latreuticum.

Quòd autem sit *Latreuticum*, apertè constat; utpote cùm offeratur Deo in signum & obtestationem supremi sui dominii, non solùm in vitam & necem aliorum hominum, sed etiam ipsius Christi D. unigeniti sui filii. Unde plus honoris & gloriæ Deo accedit ex celebratione unius Missæ, quàm accederet, non solùm ex omnibus operibus quantumvis perfectis & meritoriis; sed etiam ex oblatione, & Sacrificio omnium omninò creaturarum, si omnes in Dei gloriam & honorem immolarentur, & in nihilum abirent: cùm enim Christus D. longè plures, ac præcellentiores perfectiones, & dotes complectatur, utpote cùm sit Deus homo, quàm omnes puræ creaturæ; etiam longè major accedit Deo honor ex illius oblatione, quam ex immolatione omnium creaturarum.

C

V. Et Eucharisticum.

Quòd pariter sit *Eucharisticum*, & valeat ad rependendas Deo gratias pro acceptis beneficiis, sufficienter constat ex ejus nomine; vocatur enim *Sacrificium Eucharistia*: *Quia*, inquit S. Augustinus lib. de spiritu & littera, *in ipso verissimo, & singulari Sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur.* Quod etiam mente præsagâ futurorum significaverat Vates Regius Psal. 115. his verbis: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi: Calicem salutaris accipiam.*

D

VI. Et Impetratorium.

Similiter est impetratorium, non solùm beneficiorum spiritualium, sed etiam temporalium, quod utique significat Apostolus 1. ad Timoth. 2. cùm ait: *Obsecro omnino fieri orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut tranquillam, & quietam vitam agamus.* Quem utique textum S. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis & S. Augustinus epist 69. explicant de Sacrificio Missæ. Eadem veritas constat ex communi & perpetua Ecclesiæ doctrina, quam tradit Tertullianus, cùm ait lib. ad Scapulam cap. 2. *Sacrificamus*, inquit, *& pro salute Imperatoris, sed Deo nostro.* Et Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. ubi scribit: *Obsecramus Deo pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro agrotis & afflictis, & in summa pro omnibus qui egent auxiliô, hoc Sacrificium offerimus.* Idem testatur *Eusebius* lib. 4. de vita Constantini cap. 45. & *Chrysostomus* homil. 21. in Acta Apostolorum, & *Augustinus* lib. 22. de civitate cap. 8. suprà à nobis memoratus, ubi narrat quomodo per oblationem Sacrificii corporis Christi, cessaverit dæmonis vexatio in domo Tribunitii. Suffragatur pariter ratio: cùm enim, ut jam diximus in 2. Notabili; Eucharistiæ Sacrificium successerit omnibus Sacrificiis legis Naturæ; & Mosaycæ, & eorum omnium virtutem in se contineat, quod etiam protestatur Ecclesia in oratione secreta post septimam Dominicam Pentecostes his verbis, *Deus, qui legalium differentiam victimarum unius Sacrificii perfectione sanxisti, &c.* Consequens est, quòd cùm antiquitus essent Sacrificia pro impetrandis bonis temporalibus, & spiritualibus, etiam & Eucharistiæ Sacramentum hanc virtutem & efficacitatem eminenter in se contineat.

A

VII. Et Propitiatorium.

Tandem hoc Sacrificium reverà propitiatorium est ad remissionem peccatorum mortalium & venialium. Ita Trident. sess. 22. c. 2. his verbis: *Docet sancta Synodus, Sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia contriti & pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus oblatione placatus Dominus gratiam & donum Pœnitentia concedens, peccata etiam ingentia dimittit.*

Eadem veritas colligitur ex verbis institutionis; nam Christus significat, se tradere corpus & sanguinem suum *in remissionenem peccatorum*, ut diximus quæst. præcedenti. Indicat etiam Paulus ad Hebr. 5. dicens: *Omnis Pontifex constituitur, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Igitur cùm in nova lege sint veri Sacerdotes, & verum Sacrificium, debent illud offerre tanquam propitiatorium pro peccatis.

Huic veritati suffragatur etiam authoritas SS. Patrum, maximè verò S. Cypriani, vel alterius Authoris, serm. de Cœna Domini, ubi *Eucharistiam* vocat *holocaustum ad purgandas iniquitates, & infirmitates sanandas.* S. Cyrilli Hierosol. Catechesi 5. mystagogicâ: *Postquam confectum est spiritale illud Sacrificium, & cultus ille incruentus, obsecramus Deum super ipsa propitiationis hostia pro communi pace Ecclesiarum.* Et paulò post: *Offerimus Christum pro nobis mactatum, ut Deum nobis; & defunctis propitium reddamus.* S. Chrysostomi homil. 3. de incompatabili natura Dei, versus finem, ait: *Quòd sicut homines ramos olearum gerentes movere Reges consueverunt, eôque arboris genere, misericordiam commemorant, & humanitatem: sic Angeli tunc* (dum Missæ Sacrificium celebratur) *pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum prætendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeo dilexisti, ut pro eorum salute mortem obiens, animam in cruce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipse suum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus immolasti.* Tandem sic concludit: *His itaque magis magisque animadversis, fratres charissimi, omnes tempore illò in Ecclesiam properemus, ut Dominum ad misericordiam invitemus, & tempestivi adjumenti gratiam comparemus.* Subscribit S. Hieronymus in caput 1. epistolæ ad Titum, ubi ait: *Quotidie Episcopus pro suis populique peccatis illibatas Deo offert victimas.* Et S. Augustinus qu. 57. in Levitic. *Vetera Sacrificia*, inquit, *unum hoc nostrum Eucharistiæ Sacrificium figurârunt, in quo fit vera remissio peccatorum.*

E

Suffragatur etiam ratio; siquidem in lege naturæ, & Mosaica fuerunt aliqua Sacrificia pro peccatis eluendis; ac subinde multò magis debent esse in lege gratiæ, quæ eis longè excellentior est: sed in lege gratiæ nullum aliud est Sacrificium præter Eucharistiam, per quod Christi merita & Satisfactiones applicantur, & communicantur: igitur illud debet esse remissivum peccati.

Objicit Calvinus: Sacrificium Missæ non potest affirmari esse propitiatorium pro peccatis, quin fiat injuria merito Passionis Christi; nam, inquit cap. 8. n. 3. *Si Christus in cruce semetipsum in Sa-*

crificium obtulit, quò nos in perpetuum sanctificaret, & æternam redemptionem nobis acquireret, haud dubiè vis atque efficacia ejus Sacrificii nullò fine perstat ... quare aut Christi Sacrificio, quod in cruce implevit, purgationis æternæ vim defuisse fatendum erit, aut uno semel Sacrificio Christum in omnia sæcula defunctum esse.

VIII. Nec tamen inde fit aliqua injuria Passioni Christi.

Nego antecedens: Quemadmodum enim Sacrificia legis naturæ aut Mosaycæ, quæ expiatoria erant & ordinata ad placandum Deum, non evacuabant meritum crucis; imò illius gloriam & efficacitatem mirum in modum commeodabant, utporè cùm essent ipsius figuræ, omnéque vim suam ab illo mutuarentur; ita nec Eucharistia derogat efficacitati Passionis Christi, imò illam plurimùm commendat, quippe cùm nedum sit illius typus & repræsentatio, sed etiam ejus fructûs & meriti applicatio, ratione cujus solùm vim habet remittendi peccata. Non enim eâ ratione diximus, Eucharistiam esse Sacrificium propitiatorium, quasi per illud quotidie redimeremur, ita quòd mors Christi non fuisset sufficiens ad nostram redemptionem, & defuisset aliquis effectus internus, qui per Eucharistiæ Sacrificium debuisset impleri; hoc enim falsissimum est; nam, inquit Apostolus ad Hebr. 8. *Christus per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ.* Et cap. 10. *Vnâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos.* Sed solùm asserimus, Eucharistiam esse Sacrificium in ratione medii, & applicationis quoad effectum, ut nempe summa Passionis Christi virtus per illud in nos derivetur.

Vrget Calvinus: Idcirco Apostolus infert, Sacrificia veteris legis fuisse imperfecta, nec potuisse mundare conscientiam, quia sæpiùs illa iterare necessum erat. *Alioqui*, ait cap. 6. *cessassent offerri, ideo quòd nullam haberent ultrà conscientiam peccati cultores semel mundati.* Unde subdit: *Vbi autem horum remissio jam non est oblatio pro peccato.* Ex quibus inferre licet, vel quòd Christi D. Passio non fuerit sufficiens ad mundandam conscientiam, si ad hujusmodi mundationem iterum conferat Missæ Sacrificium, vel saltem quòd Missa sit Sacrificium imperfectum, quippe cùm sæpiùs iteretur sicut Sacrificia veteris legis.

IX. Quare vetera Sacrificia dicantur imperfecta ex eo quòd iterarentur.

Respondeo, sensum Apostoli esse, quòd Sacrificia veteris legis non fuissent equidem repetita, si habuissent vim mundandi à peccatis, quia semel mundati iteratô Sacrificiô opus non habuissent ad illam munditiem sibi conciliandam; unde ex præcepto legis iterabatur Sacrificium, sive homo relapsus fuisset in peccatum, sive non: Hâc autem ratione Sacrificium crucis non potest censeri imperfectum, quippe cùm supremam habeat vim sanctificandi homines, quibus illius meritum applicatur; unde, ut mox diximus, non iteratur illud Sacrificium crucis per Sacrificium Missæ, sed tantùm illius virtus & meritum applicatur; quæ utique repetita applicatio non derogat illius efficacitati; alioquin non liceret etiam repetere sumptionem Eucharistiæ, per quam ipsemet Calvinus ibidem fatetur Christi Passionis virtutem ubertim in nos exundare.

Nec tamen Missa pluries iterata fit imperfecta.

Nec officit, quòd repetatur sæpiùs Missæ Sacrificium; nam indicium non est, quòd illud sit imperfectum: Tum, quia non tantùm repetitur, ut propitiatorium est, sed etiam ut Latreuticum, Impetratorium, & Eucharisticum: Tum, quia quando repetitur ut propitiatorium, non repetitur propter peccata de novo commissa.

Vrget iterum: Apostolus ibidem ait, *Sine sanguinis effusione non fit remissio*; sed in Missa non fit sanguinis effusio: ergo nec peccati remissio.

X. Quomodo in Missa fiat remissio per sanguinis effusionem.

Respondeo, sensum Apostoli verum esse de Sacrificiis veteris legis, quæ ut plurimùm erant cruenta, quando offerebantur pro peccatis; ait enim: *Omnia penè in sanguine mundantur secundùm legem, & sine sanguine non fit remissio.* Nota *secundum legem.* Adde quòd in Eucharistiæ Sacrificio fiat etiam sanguinis effusio, eô sensu, quòd Christus in cruce fundens sanguinem suum, virtute illius effusionis nobis impetravit remissionem peccatorum; quæ remissio nobis applicatur per Sacrificium Missæ. Et insuper fit quædam sanguinis effusio mystica, quia vi verborum sanguis ponitur præcisè & seorsim à corpore sub speciebus vini; & reverà seorsim ab illo existeret, nisi Christus ratione suæ immortalitatis expers esset doloris & mortis.

Conclusio Secunda.

XI. Sacrificium Missæ non confert peccatorum remissionem immediatè, sed tantùm mediatè.

Missæ Sacrificium non producit gratiam sanctificantem, neque remittit peccata immediatè. Hæc est communior apud Theologos, & colligitur ex Concilio Trident. sess. 22. cap. 2. ubi ait: *Sacrificium Missæ verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & rectâ fide, cum metu & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Quibus significat, idcirco Missæ Sacrificium esse propitiatorium; quoniam per ipsum accipimus dona, sive actualia gratiæ auxilia, quibus disponimur ad veram pœnitentiam remissivam peccatorum per infusionem gratiæ sanctificantis. Hanc autem esse genuinam Concilii mentem, colligere licet ex verbis sequentibus, ait enim: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit;* utique per Contritionem charitate perfectam, aut per Attritionem cum Sacramento: non autem proximè, & immediatè meritô & virtute hujus Sacrificii.

XII. Ut patet ex differentia inter Sacramentum & Sacrificium.

Suffratur etiam ratio à priori ex differentia, quæ est inter Sacramentum, & Sacrificium, nempe quòd *Sacrificium* immediatè refertur ad cultum & honorem Dei; secundariò autem, ac veluti per redundantiam in nostram cedat utilitatem: *Sacramentum* verò primariò institutum est ad nostram sanctificationem; unde congruum est, quòd Sacramentum gratiam & peccati remissionem immediatè conferat: Sacrificium verò duntaxat mediatè, quatenus videlicet Deum placando, conciliat ejus misericordiam, ac eum movet ad conferenda auxilia necessaria ei homini, pro quo offertur, quibus excitetur, & juvetur ad agendam pœnitentiam, quâ mediante reconcilietur Deo, & peccatorum remissionem obtineat.

XIII. Et ex variis inconvenientiis inde oriundis.

Adde, quòd nullibi legatur virtutis promissio facta Sacrificio, certò, & infallibiliter remittendi peccata, sicut hæc virtutis promissio facta est Baptismo, & Pœnitentiæ sacramento; quin potius contrarium significat Concilium Trident. nam sess. 14. cap. 4. docet, quòd *Attritio sine Pœnitentiæ Sacramento per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*: perduceret autem, si Sacrificium immediatè peccata mortalia remitteret, adeoque primam gratiam conferret.

Probatur etiam à posteriori ex plurimis inconvenientiis, quæ ex opposita sententia emergerent: *Primò* namque sequeretur, quòd Sacerdos cele-

brans in peccatu mortali cum sola Attritione posset justificari; quia per attritionem removeret obicem suscipiendæ gratiæ sanctificantis per sacrificium producendæ: falsum autem est, ut mox diximus, quòd quis cum sola attritione extra sacramentum Pœnitentiæ possit justificari.

Secundò sequeretur, quod unicum Sacrificium posset justificare omnes attritos etiam dormientes, & gravissimos alioqui peccatores, pro quibus hoc Sacrificiū offerretur, quamvis nullam actualem dispositionem haberent: sed hoc est absurdum; alioquin majorem virtutem haberet, quàm Sacramenta: etenim Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, licèt per se ordinentur ad remissionem peccati; non possunt tamen illud remittere in homine adulto, sine prævia ejus dispositione & devotione: *qui enim creavit te, sine te, non te justificabit sine te*; ac proinde id multò magis dicendum est de Missæ Sacrificio.

Tertiò sequeretur, quòd Sacrificium Missæ haberet majorem efficacitatem, quam Sacrificium crucis; nam cruentum crucis Sacrificium non justificat per se immediatè, sed tantùm mediantibus Sacramentis; licèt enim Christus D. pro nobis sufficientissimè passus fuerit, & nos æterno Patri reconciliaverit, tamen nobis adhuc necessarius est Baptismus, & adultis peccatoribus necessarium est Pœnitentiæ Sacramentum in re, vel in voto susceptum: igitur, &c.

Tandem, sequeretur, Confessionem Sacramentalem non esse absolutè necessariam adultis peccatoribus, qui ingentia crimina admisissent, sed sufficeret, quòd pro eis Sacrificium offerretur; si enim hoc haberet vim immediatè conferendi gratiam sanctificantem homini non ponenti obicem, posset peccator adultus cum sola Attritione recipere gratiam sanctificantem.

Nec valet reponere, Attritionem illam includere saltem votum, & propositum Confessionis. Nam si exigat votum confitendi, consequens est, quòd Missæ Sacrificium per se, & immediatè non sufficiat ad efficiendam justificationem. *Deinde*, quantumvis illa Attritio includeret votum Confessionis, non esset adhuc sufficiens, ut peccator per Missæ Sacrificium justificaretur; alioqui qui esset reus peccati mortalis, & cognosceret se habere duntaxat Attritionem, procurando pro se celebrari Sacrificium, posset securè ad Eucharistiam accedere; quia videlicet existimaret, se reverà justificari, quod tamen damnat Concilium Tridentinum sess. 13. can. 11. dicens: *Statuit, atque declarat S. Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque se etiam contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem.*

XIV. Quamvis Missæ sacrificium tantùm mediatè remittat peccata, nihilominus præstantius est & efficacius Sacramentis veteris legis.

Dices: Non minoris efficacitatis est Sacrificium Eucharistiæ respectivè ad remissionem peccatorum; imò multò majoris, quàm Sacrificia expiatoria veteris legis ad eluendas noxas, & maculas, pro quibus mundandis offerebantur: sed illa immediatè purgabant ejusmodi maculas: ergo etiam immediatè Eucharistia debet habere vim auferendi peccatorum sordes.

Distinguo majorem: Non minoris est efficacitatis, quantùm ad positionem effectûs, concedo: quantùm ad modum ponendi hujusmodi effectum, nego: Eucharistia equidem æquè infallibiliter confert ad remissionem peccati; ac Sacrificia veteris legis conferebant ad eliminationem maculæ, pro qua removenda instituta fuerant; quia videlicet Eucharistiæ Sacrificium promeretur actualia gratiæ auxilia, quibus nedum homo possit pœnitere, sed etiam reverà pœniteat, & mediâ suâ Pœnitentiâ peccatorum veniam obtineat. Licèt autem peccati maculam solùm mediatè eluet, nihilominus longè præstantioris est virtutis, quàm Sacrificia veteris legis; quia ea duntaxat ordinabantur ad abstergendas quasdam legales & corporeas sordes: Sacrificium autem Missæ ordinatur ad removenda peccata, quibus anima inficitur, & reverà coram Deo sordescit. Unde, quia longè præstat emaculatio animæ, etiam mediata & infallibilis, expiatione corporis immediata, quantùm scilicet anima præstat corpori, & ejus macula pejor est maculâ corporis: hinc etiam Missæ Sacrificium, quamvis duntaxat mediatè conferat ad emaculationem animæ; nihilominus longè præstantius est Sacrificiis veteris legis, quæ tantùm ad legales, & corporeas sordes abstergendas erant instituta.

Conclusio Tertia.

XV. Sacrificii Missæ producit suum effectum ex opere operato.

M*issæ Sacrificium confert suum effectum ex opere operato, si non adsit impedimentum ex parte illius, pro quo offertur.* Hæc est pariter communior apud Theologos, eamque docet S. Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1. ubi ait, *prodesse Sacrificium Missæ ex opere operato, licèt Sacerdos fuerit malus.* Idem pariter docet subtilis Doctor, *Quodlibetô* 20. *num.* 2. ubi sic *ait*: Hîc præmittendum est unum, hoc scilicet, quod probabile videtur, quòd Missa non solùm valet virtute meriti, sive operis operantis; sed etiam virtute Sacrificii, & operati. Vel non solùm valet ratione meriti personalis Sacerdotis offerentis; sed etiam virtute meriti generalis Ecclesiæ, in cujus persona per Ministrum offertur Sacrificium. Probatur: Alioquin Missa mali Sacerdotis, qui in alio actu non meretur personaliter, sed demeretur, nulli valeret in Ecclesia, quod reputatur communiter inconveniens, juxta illud Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quodocunque enim Christus, ut summus Sacerdos offert, panis quem dat; id est, caro ejus, est mundi vita. *Hæc Doctor.*

Ut docet S. Thomas & subtilis Doctor.

Probatur autem conclusio; primò quidem ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. ubi docet, *Christum præcepisse Eucharistiæ Sacrificium, ut salutaris virtus Passionis suæ nobis applicaretur ad quotidianorum peccatorum remissionem*, etenim divina hæc institutio facilè ostendit opus operatum, quod clarissimè etiam apparet ex verbis, quibus Christus in nocte cœnæ consecravit Eucharistiam, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hic calix, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, hoc facite, &c.* verba enim apertissima sunt, nec sunt de Sacramento solùm, sed etiam de Sacrificio, manifestamque gratiæ promissionem continent.

XVI. Et ratio suadet.

Deinde si Eucharistiæ Sacrificium valeret tantùm ex opere operantis, sequeretur, non habere excellentiorem agendi modum, quàm Sacrificia legalia, quæ hôc etiam modô proderant. *Denique*, si Missæ Sacrificium non produceret effectum ex opere operato, sequeretur, quòd quando offertur à pravo Sacerdote, & in peccato mortali existente, frustraretur, ac careret omni suô effectu: at hoc est falsum; nam, inquit Concilium Tridentinum ibidem, cap. 1. *Illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate, aut malitiâ offe-*

rentium inquinari potest. Addi potest ex eodem A Concilio cap. 2. quòd ille effectus causatur ex opere operato, qui producitur ex sola dignitate Sacrificii perenda ex merito & dignitate tum victimæ, tum principalis Sacerdotis offerentis: at effectus Sacrificii Missæ causatur ex merito & dignitate utriusque; *Vna enim*, inquit Concilium, *eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministeriò, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.*

XVII. Licèt non efficiat ex Attrito Contritum, *Dices primò:* Quod producit gratiam ex opere operato, potest facere de attrito contritum, nec non & causare gratiam ultra recipientis dispositionem: sed Eucharistia neutrum haber, ut constat ex priori conclusione: igitur non producit B suum effectum, nec causat primam gratiam ex opere operato.

Distinguo majorem: Si illam gratiam causet immediatè, sicut Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, concedo: si solùm causet mediatè, impetrando videlicet auxilium, seu dispositionem ad gratiam obtinendam, nego.

Dices secundò: Quod efficitur per modum impetrationis, non producitur ex opere operato: sed auxilia gratiæ ad peccati remissionem conducentia, obtinentur virtute Sacrificii Missæ tantùm per modum impetrationis: igitur non causantur ex opere operato.

Distinguo majorem: Si illa impetratio duntaxat C fiat per modum orationis, & deprecationis, concedo: Si fiat ratione operis, quod agitur, hoc est ratione dignitatis, tum rei oblatæ, tum principalis offerentis, qualiter Missæ Sacrificium gratiam impetrat, & suum effectum producit, nego.

Et fiat per modû impetrationis. *Dices tertiò:* Causa operans ex opere operato infallibiliter suum ponit effectum: sed Missæ Sacrificium non est ejusmodi; experientiâ enim constat, illud offerri pro conversione plurium peccatorum, qui tamen non convertuntur: igitur, &c.

Respondeo primò, negati posse majorem univer- D saliter sumptam; nam licèt Sacramentum Extremæ-Unctionis confestat ex opere operato ad restituendam corporeani sanitatem; tamen illam non causat infallibiliter. Similiter licèt Eucharistiæ Sacramentum producat ex opere operato auxilium efficax ad perseverandum, tamen illud infallibiliter non producit.

XVIII. Quod agit ex opere operato, non semper producit suum effectum infallibiliter.

Respondeo secundò, distinguendo majorem: Si causa illa agat per modum Sacramenti, concedo: si per modum Sacrificii tantùm, subdistinguo: Ponit effectum suum infallibiliter per modum applicationis actualis, quasi effectus ille conferri debeat statim, ac Sacrificium oblatum est, nego: per modum impetrationis; ita quòd effectus, qui impetratur, conferatur quando, & quomodò Deo visum fuerit, juxta sapientem, & suavem illius dispositionem, concedo. Nec aliud E certè vult Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. cùm ait: *Sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut.... misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

QUÆSTIO TERTIA.

In quanam actione essentialiter consistat Missæ Sacrificium?

I. Sex præcipuæ distingui possunt actiones in Missa.

NOtandum primò, sex potissimùm distingui posse actiones in Missa, quibus hoc Sacrificium perficitur & integratur, quarum aliquæ Consecrationem præcedunt; aliquæ sunt consecrativæ, seu Consecrationem comitantur, & efficiunt; aliæ verò ipsam subsequuntur: *Prima* est oblatio panis & vini, quæ *Offertorium* appellatur: *Secunda* est consecratio corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini: *Tertia* est oblatio corporis & sanguinis consecrati, quæ fit his verbis: *Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis, ac datis hostiam puram*, &c. *Quarta* est fractio ipsius hostiæ, & illius divisio in tres partes, quarum duæ servantur in patena sumendæ in utilitatem Ecclesiæ militantis, & patientis; altera verò mittitur in calicem in honorem Ecclesiæ triumphantis, quæ inebriatur ab ubertate domûs Dei, & de torrente voluptatis ejus potatur: *Quinta* est sumptio hujus Sacramenti facta à Sacerdote: *Vltima* randem est hujus Sacramenti distributio populo fideli ad sacram synaxim accedenti. Hinc plures oriuntur diversæ sententiæ inter Theologos, in quanam earum actionum consistat ratio formalis Sacrificii Missæ.

II. Sacrificii essentia nô consistit in oblatione prævia ad consecrationem.

Notandum secundò, omnes pene Theologos invicem convenire, quòd oblatio facta ante consecrationem non habeat rationem formalem Sacrificii: *Tum, quia* Christus D. perfectum, & integrum Sacrificium Missæ obtulit, nullibi tamen legimus, nec ex Scriptura, nec ex Traditione appater, quòd hanc oblationem fecerit. *Tum, quia* Ecclesia semper habuit verum & perfectum Sacrificium, nec tamen hanc utramque oblationem usurpavit, ut constat ex antiquioribus Liturgiis: *Tum, quia* Ecclesia statim post illam oblationem, significat illam solùm esse quandam materiæ præparationem ad futurum Sacrificium; nam in Canone post peractam oblationem legimus: *Veni sanctificator omnipotens, æterne Deus, & benedic hoc Sacrificiū tuo sancto nomini præparatum. Tum denique*, quia Concilium Tridentinum definit sess. 22. cap. 2. quòd res oblata in hoc Sacrificio sit corpus & sanguis Christi: sed per illam oblationem, quæ fit ante consecrationem, non offertur corpus Christi, utpote cùm nondum positum sit sub speciebus panis & vini, sed solùm adsit materia consecranda, & convertenda in corpus & sanguinem Christi. Neque oppositum docuit Doctor in 4. dist. 13. qu. 2. nu. 5. ubi ait: *Oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessariò requiritur, quòd offeratur: offertur enim hostia non consecrata, & tunc est Sacrificium, non Sacramentum.* Nam, ut observat Hiquæus in suo Commentario *num.* 67. Doctor ibi sumit Sacrificium in latiori significatione, quatenus significat oblationem cæremonialem, quæ ad essentialem oblationem disponit.

Neque contradicit subtilis Doctor.

III. Nec etiam consistit in distributione.

Notandum tertiò, certum esse pariter, quòd sumptio, & Eucharistiæ distributio non spectet ad essentiam Sacrificii: *Tum, quia* potest verè, & perfectè celebrari Sacrificium Missæ, etiamsi nullus è populo ad sacram Communionem accedat, ut docet Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6. & definit can. 8. his verbis: *Si quis dixerit, Mis-*

ſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideòque abrogandas, anathema ſit. Tum, quia ipſa Euchariſtiæ ſumptio, & diſtributio ſupponit jam Sacrificium peractum; ſiquidem eſt ipſius Sacrificii participatio: nam, inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 10. *Nonne, qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris? Tum denique*, quia Sacrificium à ſolo Sacerdote celebrari, & offerri poteſt; illa verò diſtributio Euchariſtiæ fieri poteſt interdum à Diacono, ut diximus ſupra.

Difficultas ergo ſolùm ſupereſt de quatuor aliis actionibus, nimirum de conſecratione utriuſque ſpeciei, de oblatione, quæ fit poſt illam, de fractione & diviſione hoſtiæ, ac de ſumptione utriuſque ſpeciei: in quanam ſcilicet ex illis quatuor actionibus eſſentialis ratio Sacrificii Miſſæ conſiſtat, nec-non & utrum utriuſque ſpeciei conſecratio ita neceſſariò requiratur ad eſſentiam Sacrificii, ut ſi unica duntaxat conſecraretur, irritum ac nullum foret Sacrificium. Quæ utique duplex capitalis difficultas duabus in ſequentibus Concluſionibus reſolvetur.

Conclusio Prima.

IV. Sed in ſola conſecratione.

Sacrificium Euchariſtiæ conſiſtit eſſentialiter in ſola conſecratione; ad ejus tamen integritatem requiritur ſumptio. Hæc mihi videtur probabilior, quantùm ad utramque partem, quarum probatur *prima*, idque *primò* authoritate S. Ambroſii in Pſal. 37. dicentis: *Ipſe Chriſtus offerri manifeſtatur in nobis, cujus ſermo ſanctificat Sacrificium, quod offerimus.* Porrò ſermo ille Chriſti D. non alius eſt, quàm verba conſecrationis, quibus ſimul conficitur Sacrificium & Sacramentum Euchariſtiæ: nam, ut ipſe ait lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. *Per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo.... ubi verò venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus utitur Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti.... ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum.* Ex quibus ſic licet argumentari:

Vt docent SS. Patres.

Eiſdem verbis conficitur Sacrificium, quibus conficitur Sacramentum: ſed per verba conſecrationis fit Sacramentum ex S. Ambroſio: igitur & Sacrificium: Major conſtat, quia quantumvis ratio Sacramenti à ratione Sacrificii differat in facto eſſe, tamen in fieri, ſeu in actuali confectione, nulla inter utrumque apparet diverſitas: Hinc Author ſermonis de cœna Domini docet, ex quo prolata ſunt verba formæ panem & calicem conſecratum, ſimul Sacramentum ſeu medicamentum, & holocauſtum eſſe. *Ex quo à Domino dictum eſt*, inquit, *hæc eſt caro mea & hic eſt ſanguis meus, quotieſcumque his verbis & hâc fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacratus ad totius hominis vitam ſalutemque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum, ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates.* Cui ſubſcribunt S. Chryſoſtomus homil. de proditione Judæ: *Vox*, inquit, *illa, Hoc eſt corpus meum, uſque ad ejus adventum præſtat Sacrificio firmitatem.* Et S. Irenæus lib. 4. cap. 32. *Chriſtus novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quando panem accepit, & gratias agens, dixit; Hoc eſt corpus meum.*

Eadem veritas probatur ratione Theologicâ: *Primò* quidem: In ea actione conſiſtit ratio formalis Sacrificii, cui competit ipſius Sacrificii definitio: ſed hæc convenit conſecrationi, *Primò* namque eſt oblatio externa: nam, inquit Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. *Chriſtus D. Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum, ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Sed id non præſtitit aliter, quàm per conſecrationem; ac ſubinde in ea fit oblatio; & pariter immutatio oblatæ victimæ: *Primò*, quia in conſecratione repetitur myſtica ſeparatio corporis à ſanguine; nam vi verborum corpus & ſanguis ponuntur ſeorſim unum ab alio, ſicut in cruce reverà ſeparata fuere, atque ita Chriſtus myſticè & incruentè immolatur. Porrò hæc immutatio myſtica ſufficit in Sacrificio; ratio enim propter quam requiritur in Sacrificio immutatio victimæ, eſt ad teſtandam omnipotentiam Dei, quatenus eſt Author vitæ & necis: ſed eò ipſò, quò vi verborum ponitur ſolùm corpus abſque ſanguine, & ſanguis abſque corpore, eò ipſò ſignificatur vitæ, & mortis Author; quia ſcilicet mors Chriſti, quæ id maximè teſtata eſt, myſticè ac moraliter præſens in Sacrificio incruento, & commemorativo Sacrificii cruenti, in quo reverà mors illa obvenit: igitur cùm omnes ad Sacrificium deſiderandæ conditiones conveniant ipſi conſecrationi, fatendum eſt, quòd in ea conſiſtat ratio formalis Sacrificii.

Secundò, In ea ſola actione conſiſtit Miſſæ Sacrificium, quæ ſola fit in perſona Chriſti, ut principalis Sacerdotis offerentis: ſed talis eſt ſola conſecratio; ſiquidem in ea ſola Sacerdos loquitur nomine & vice Chriſti, & quaſi ipſemet Chriſtus eſſet, qui loquitur: igitur, &c.

Tertiò, Sacerdotium eſt eſſentialiter propter Sacrificium; ac ſubinde ratio eſſentialis Sacrificii petenda eſt à ratione eſſentiali Sacerdotii: ſed ratio eſſentialis Sacerdotii noſtri adæquatè conſiſtit in poteſtate conſecrandi corporis Chriſti, ut colligitur ex verbis formæ, quâ traditur Sacerdotium, his verbis conceptæ: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis, &c.* Id eſt, juxta communem interpretationem, conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti. Id pariter indicat character Sacerdotalis, qui per ſe primò eſt poteſtas conſecrandi. V. Et ſuadet ratio Theologica.

Denique, hæc veritas apparet ex refutatione aliarum ſententiarum: *Primò* namque ratio eſſentialis Sacrificii non conſiſtit in *oblatione*, quæ fit *poſt conſecrationem*, ut contendit Gabriel in 4. diſt. 13. qu. 1. art. 3. *Tum*, quia per talem oblationem nulla fit immutatio hoſtiæ oblatæ, quæ tamen immutatio eſt de ratione Sacrificii. *Tum*, quia Chriſtus D. inſtituendo Euchariſtiam, verum obtulit Sacrificium, nec tamen talem oblationem feciſſe legitur. *Tum*, quia hæc oblatio conſequens conſecrationem eſt duntaxat ex inſtitutione Eccleſiæ, & ſolùm fit in perſona Sacerdotis, & Eccleſiæ, ut patet ex illis verbis Canonis: *Vnde & memores, Domine, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta, offerimus præclaræ Majeſtati tuæ, de tuis donis ac datis hoſtiam puram, &c.* Actio autem formalis Sacrificii fieri debet in perſona Chriſti, utpote principalis Sacerdotis, & offerentis: igitur, &c. VI. Non enim conſiſtit in oblatione poſt conſecrationem fieri ſolita.

Nec etiam ratio eſſentialis Sacrificii conſiſtit *in fractione & diviſione hoſtiæ* conſecratæ: *Tum*, quia iſta fractio fit ſolùm circa ſpecies panis; actio autem conſecrativa ſpectare debet ad utramque ſpeciem; ſiquidem Sacrificium Miſſæ eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum offerebat: *Tum*, quia talis fractio ſolùm eſt quædam præparatio ad ſumptionem; ideo VII. Neque in diviſione Hoſtiæ.

namque frangitur hostia, non solùm ad imitationem Christi, qui acceptum panem in sanctas ac venerabiles manus suas, benedixit, ac fregit, deditque Discipulis, sed etiam ut convenieotiùs sumatur à Sacerdote sacrificante; ac subinde illa fractio præcisè nou spectat ad rationem Sacrificii: *Tum* denique, quia fractio posset omitti, adhuc perseverante integrô Saerifieiô; si enim casu hostia ante fractiooem caderet in calicem, coovenienter uon posset fraogi, sed ibi deberet relinqui usque ad sumptionem: igitur, &c.

VIII.
Nec in sola sumptione.

Denique oon consistit in sola sumptione: *Tum*, quia de fide est, Christum D. in ultima cœna prefectum Sacrificium obtulisse, ut docet Concil. Tridentinum sess. 22. eap. 1. & eonstat ex dictis in prima quæstioue: sed nou ita eertum est, quòd consecratum panem sumpserit, quamvis istud ut probabilius cum plurimis Theologis docuerimus. *Tum*, quia inde sequeretur, quòd si Sacerdos partem hostiæ ab alio jam consecratæ sumeret cum intentione offerendi cultum Deo, verè saerificaret, quod tamen nullus dixerit. *Tum*, quia Sacrificium maximè offertur in persona Christi, ut principalis offerentis & Sacerdotis: sed sumptio non est actio facta in persoua Christi, sed in persona ipsius sumentis. *Tum* denique, quia sumptio conseeratæ hostiæ convenit tam laicis, quàm Saeerdotibus: sed actio sacrificativa præeisè & essentialiter solis Sacerdotibus debet esse propria: igitur in nulla ex actiouibus Missæ eonsistit essentialiter ratio Sacrificii, quàm io consecratione.

IX.
Hæc tamen ad illius integritatem requiritur.

Secunda pars etiam faeilè eonstat; oempe quòd sumptio victimæ, lieèt uoo habeat rationem foomalem Sacrificii, nihilominus ad ejus integritatem requiratur. *Tum*, quia id colligitur ea Rubricis Missalis, quibus cautum est, quòd si fortè deficiat Sacerdos post consecratiunem, & adsit alius, quamvis uon jejunus, debeat hic supplere & sumere conseeratam hostiam, ut dicetur infrà num. 17. Ex quibus apparet, sumptionem ueeessariò requiri ad rationem Sacrificii; alia namque non potest reddi efficax ratio, cur sit tam stricta obligatio, urgensque præceptum sumendi speeies consectatas ab homine non jejuuo contra Ecclesiæ ptaxim & consuetudinem, uisi quia hæc sumptio necessaria est ad integritatem sacrificii.

Hinc Coneilium Toletanum 12. eap. 5. graviter carpit Saeerdotes, qui in eelebratione Missæ non sumebant corpus & sanguinem Christi, profertque hane suæ justæ reprehensionis rationem: *Quale*, inquit, *erit Sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?*

Objicies primò: Sacrificium Missæ consistere debet essentialiter in ea actione, quæ victimam immutat: atqui sola sumptio, & consumptio victimam immutat; per hane enim solam perit ac destruitur esse Sacramentale, quod Christus sub speciebus habuerat: igitur in ea sola consistit ratio formalis Sacrificii.

Deinde, in actione præeisè consistit ratio formalis Sacrificii, per quam præcisè repræsentatur Saerificium crueis: sed hæe repræsentatio maximè fit per sumptionem: nam, inquit Apostolus, *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Et S. Augustinus relatus à S. Prospero lib. sentent. *Cùm frangitur*, inquit, *hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?*

Denique, in die Parasceves, seu Veneris sancti A reverà celebratur Sacrifieium: nam in Offertorio illius diei nominatur Sacrificium, sicut in aliis diebus, his verbis: *Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domino Deus.* Similiter Sacerdos ad populum conversus dicit: *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium, &c.* Tunc autem Sacerdos noo consecrat, sed die præcedente eonsecratam hostiam sumit: igitur potissimùm in sumptiooe constituenda est ratio formalis Saerificii.

X.
Quomodo per consecrationem victima immutetur.

Respondeo primò negando minorem: Siquidem, ut diximus, per consecrationem sufficienter immutatur victima, & ea est causa, saltem mediata, & moralis, eur Christus sub speciebus substantialiter, ac physieè desinat; eùm enim coosecratio B Christum eonstituat dependentem à speciebus, itaut tandiu habeat esse Sacramentale, quandiù cooservabuotur species, sub quibus per eonsecrationem ponitur: ipsa pariter efficit, ut ad desitionem specierum deperdat esse Sacramentale; ae subinde est causa saltem mediata istius desitionis; quod utique sufficit, ut reverà fiat hostiæ immutatio. Non enim necessum est, quòd consecratio sit illius desitionis causa immediata, utpote cùm hæc ipsa sumptio hanc rationem sibi vindicet; non enim species sacramentales desinuut esse statim ac sumuotur, sed duntaxat dum in stomachum trajectæ ibi alterantur; unde si ratio essentialis Sacrificii constituenda esset in eo, quod est causa immediata desitionis esse Sacramentalis, potiori jure reponenda esset in digestione specierum, C quàm in quavis alia actioue.

XI.
Sumptio potius repræsentat sepulturam quàm mortem Christi.

Ad secundum dico, repræsentationem Passiunis Christi, fieri quidem per sumptionem, sed non proximè & immediatè, per eam enim potius repræsentatur Christi sepultura, quæ ad Sacrificium cruentum noo spectabat, quàm ipsius mors, & essentialis immolatio: igitur sumptio tantùm repræsentat Christi mortem immediatè, & ratione alterius, quod præsupponit, scilicet ratione consecrationis; quia hoc ipso, quòd Christi corpus sumitur, jam supponitur per consecrationem mysticè mactatus, & immutatus ex vi verborum; idque solùm voluit Apostolus, & S. Au- D gustinus.

Ad tertium nego, quòd in die Parasceves celebretur Sacrifieium, sed tantùm sumitur victima die præcedente oblata, tam pro salute ipsius Sacerdotis, quàm pro salute populi; unde meritò populum astantem rogat, ut illa Eucharistiæ sumptio cedat tam in sui, quàm io populi utilitatem. Nec obstat, quòd illam sumptiooem appellet Sacrifieium; ibi enim Sacrificii nomen sumitur noo pro actione sacrificativa, sed pro consumptiooe hostiæ priùs saerificatæ: ideo autem illô die propriè non sacrificatur mysticè, quia in eo peractum est Saerificium cruentum; nam, inquit Rupertus lib. 6. de divinis Officiis cap. 3. *Hodie non sacrificamus, dum nobis hostia de mani-* E *bus tollitur: non sacrificant amici, dum trucidant inimici.*

Instabit: Eucharistia vocatur holocaustum à SS. Patribus; sed holocaustum debet omnino consumi in honorem Dei: igitur eatenus Eucharistia habet ratiooem Sacrificii, & Sacramenti, quatenus consumitur: sed non consumitur, nisi per sumptionem: ergo in sumptiooe constituenda est formalis ipsius Sacrificii ratio.

XII.
Quô sensu Eucharistia dicatur holocaustum.

Respondeo, Eucharistiam vocari holocaustum, non per proprietatem, neque enim fas est eam igni tradere comburendam, dum integræ sunt

species ac perfectæ; sed solùm per appropriationem & similitudinem, quatenus Christua in hoc Sacrificiu turum se uffert divinæ Majestati, eademque est uumerô hostia in Missa, ac in cruce, licèt diversô modô ublata. *Denique*, Eucharistiæ Sacrificium est figura Dominicæ Passionis, in qua Christus totum se immulavit, totum fudit sanguinem usque ad ultimam guttam pru redemptione nostra, & licèt non materialibus flammis, tamen ardentissimô charitatis igne, & amure succensus fuit.

Imò possumus retorquere argumentum in adversarios; nam si Eucharistia pruprie babet rationem bulocausti: ergo nun debet manducari, neque à Laïcis, neque a Sacerdutibus; siquidem ea est lex hulocausti, ut cedat soli Deo, & nullus planè ex eu manducet: qua etiam de causa inter multas alias comburebatur olim bulocaustum, ne scilicet tandem currumperetur, & putrefieret, sicque gigneret horrorem aliquem, cùm nefas esset illud comedere, & in alios usus convertere.

XIII.
Cur species consecratæ corruptæ igni tradantur.

Porru, inquit Guitmundus lib. 2. de veritate Eucharistiæ, *Sacra mysteria igni traduntur; non ut combustione consumantur, id præcipitur, sed tanquam omnium elementorum purgatissimo, ac mundissimo dignissimoque, quod omnia reliqua elementa purgat, ipsum verò ex reliquis nec inquinari valet, nec indiget expurgari, venerabiliter committi jubentur.* Et infrà: *Quòd si fortè cuivis curioso videantur comburi, certissimè noverit, quòd Dominici Sacramenti substantia quidem nullatenus crematur, sed à nobis, ut dictum est, cœlestia petens abripitur: qualitates verò sensuales, quas ibidem post immutationem substantiæ, Deus remanere altissimâ consilio voluit, ostendunt quod suum est.*

Vrgebis: Sacrificium est essentialiter actio, victimam immutaus, & destruens: sed in Sacrificio Missæ reverà non destruitur victima, quatenus, præsens, nisi per sumptionem: igitur, &c. Minor constat: Sacrificium enim definitur, *Oblatio externa religiosa soli Deo facta* alicujus rei permanentis cum ipsius immutatione; ac subinde immutatio debet fieri circa rem oblatam. Minur etiam est evideua; nam per consecrationem v. g. non destruitur etiam moraliter corpua Christi, sed potius ponitur, & producitur sub speciebus: igitur, &c.

XIV.
In omni Sacrificio etiam repræsentativo requiritur immolatio victimæ.

Respondent aliqui cum Vasquezio, quòd licèt de ratione Sacrificii absuluti sit, quòd destruatur victima, id tamen non est necessum de ratione Sacrificii, quod non est absolutum, sed solùm commemutativum alterius, cujusmodi est Sacrificium Eucharistiæ. *Verùm* hæc solutio videtur insufficiens: *Tum*, quia quod est de natura Sacrificii ut sic, omni Sacrificio, quudcunque illud sit, convenire debet: sed immutatio rei ublatæ est de ratione Sacrificii ut sic; hinc in omnibus Sacrificiis veteris legis, res oblata destruebatur; vel per occisionem, ut in victimis, quando immulabanbantur viventia; vel per cumbustionem, ut in immolariunibus, in quibus ufferebantur inanimata sulida; vel per effusionem, ut in libaminibus. *Tum*, quia Sacrificia veteris legis repræsentabant etiam Christi mortem, & immulatiouem futuram, nec minus tamen reverà habebant adjunctam immutationem rei ublatæ; ac subinde etiam in Sacrificiis repræsentativis debet esse victimæ immutatio. *Tum* denique, quia Sacrificium distinguitur ab aliis actibua Religionis, quibus colitur Deus, maximè verò ab adoratione, quæ Deo cultum exbibet, quatenus ipsi bominem submittit, tauquam suu Superiori; Sacrificium verù hominem Deo submittit tanquam Authori vitæ & necis; ac subinde ut istud distinctè significet, debet babere annexam immutationem victimæ, eamque quodammodò destruere: igitur hâc, & aliis similibus solutionibus prætermissis.

XV.
Non semper quæ fiat realiter, sed quæ fieret nisi aliud obesset.

Respondeo, quòd ad rationem Sacrificii perfecti sufficiat, quòd eô modô, quô Sacrificium offertur, sequi deberet connaturaliter mors victimæ, quamvis ipsa prupter aliam rationem de facto non sequatur; si enim v. g. ovis pust susceptum lethale vulnus à Sacerdote sacrificante in veteri lege, miraculosè conservata fuisset à Deo, non minùs ibi fuisset verum Sacrificium: quia illa actio significasset dominium Dei in vitam & mortem, non minùs, quàm si de facto murs accidisset. Cùm ergo consecratio, quantùm est de se vi verborum constituat corpus Christi seorsim à sanguine, unde sequeretur realis separatio, nisi obviaret Christi vita in statu naturali, & immortali; ideò illa veram habet rationem Sacrificii, quippe cùm sperte ac distinctè significet dominium Dei in vitam, & murtem bominum.

Objicies secundò: Illa actio, quæ est productiva victimæ, non est destructiva illius: sed per consecrationem corpus Christi fit præsens per modum victimæ sub speciebus panis & vini: igitur consecratio non est destructiva, nec immutativa corporis Christi; ac subinde nec illius Sacrificativa.

XVI.
Quomodo consecratio victimam producat & simul perimat.

Distinguo majorem: Si per actionem productivam victima nun fiat præsens modô veluti mortuô, concedo: secus, negu: at in propositu eadem consecratio, quæ efficit corpus Christi præsens sub speciebus, illud ibi constituit modô veluti mortuû: quippe, ut jam pluries diximus, vi verborum corpus ponitur seorsim à sanguine.

Conclusio Secunda.

Consecratio unius duntaxat speciei sufficeret ad essentialem rationem Sacrificii; utriusque tamen consecratio requiritur ad illius integritatem, & evidentiorem significationem Sacrificii cruenti. Hæc sententia videtur mihi probabilior; mediat enim inter duas extremas; quarum prima affirmat utriusque speciei consecrationem esse de ratione intrinseca, & essentiali Sacrificii Missæ, quam tuentur Suarez, Vasquez, &c. Secunda verò id negat.

XVII.
Conservari posset essentialis ratio Sacrificii in unius tantùm speciei consecratione.

Porro probatur nostra assertio primò, quia in uniuscujusque speciei consecratione salvatur vera, & essentialis ratio Sacrificii: igitur utriusque consecratio non est de ratione illius essentiali. Antecedens constat; quia, ut jam pluries diximus, Sacrificium est oblatio externa rei permanentis cum ejusdem destructione, facta à legitimo Ministro, summam Dei excellentiam, nostramque erga eundem subjectionem repræsentans: sed sola consecratio speciei panis, esset ublatio externa corporis Christi, cum ejusdem immutatione; nam, sicut species panis distinctâ consecratione consecratur, ita distinctâ sumptione sumitur à specie vini: fieret item à legitimo Ministru, nempe à Sacerdote, & in bonorem summæ divinæ Majestatis: ergo quoad hanc considerationem sola unius speciei consecratio veram, & essentialem haberet Sacrificii rationem. Consequentia patet, quia enim ratio essentialis Sacramenti in qualibet specie consecrata repetitur, inde omnes concludunt, ambas

species oon esse partes essentiales Sacramenti Eucharistiæ, sed inregrales tantùm: quæ enim ut partes essentiales concurruot ad unum totum essentiale constituendum, oeutrum separatim acceprum fundare potest rationem illius, cujus est para, & ejus prædicatiooem in rectò suscipere; ut patet de corpore & anima respectu hominis, quem essentialiter constituunr.

Confirmatur, qoia coosecratio corporis non dependet à consecratioue sanguiuis, nec è contrà: igitur potest una absque alia validè fieri, & sicut potest ratio Sacramenti in unica specie consecrata salvari; ita & ratio Sacrificii in unius speciei consecratione. *Probatur* antecedens, quia per primam consecrationem aliquid sacrum fieret, & Deo dicarum, quod factum maneret, etiamsi secunda non sequeretur: ergo illa adhuc io tali casu haberet veram, & essentialem rationem Sacrificii oon minùs ac species consecrata Sacramenti.

Probatar secundò: Ratio bujus Sacrificii incruenti essentialiter consistit in ea consecratione, quâ mysticè & Sacramentaliter repræsentatur Sacrificium cruentum crucis: sed per unius duntaxat speciei consecratiooem sufficienter fit talis repræsentatio; siquidem per solam consecrationem panis, ex vi verborum ponitur corpus siue sanguine & anima; & similiter pouitur sanguis sioe anima & corpore: igitur per cujuslibet speciei consecratiooem sufficienter repræsentatur cruenta Christi mactatio: igitur, &c.

Confirmatur: Quia non minùs ex vi verborum consecrationis sanguinis repræsentatur sanguis, ut abstrahena à sanguine extra venas, quàm ex vi verborum consecrationis corporis repræsentatur corpus abstrahens à vivo & mortuo: igitur consecratio sanguinis addita consecrationi corporis non est magis idonea ad repræsentandam separationem sanguinis à corpore, quàm altera tantùm. *Consequentia* patet; in tantùm enim verba consecrationis corporis noo repræseotant corpus mortuum, sive exangue; sed abstrahens à vivo & mortuo: quia cùm reverà ibi non sit corpus exangue, sed vivum, verba illa non essent vera sed falsa; eôdem modô verba consecrationis sanguinia non repræsentant sanguinem à corpore separatum; quia reverà sanguis ille in calice positus ex vi consecrationis, existit realiter intra venas corporis Christi: igitur si sola consecratio corporis non sit sufficiens ad repræsentandum corpus exangue, ita nec ambæ consecrationes simul sumptæ, ad id sufficientes erunt; alioquin verba utriusque consecrationis simul sumptæ essent falsa. Patet hæc ultima consequentia; plures enim præcisiones, sive abstractioues præcisivæ non magis sunt idoneæ ad repræsentandam divisionem realem, quàm una tantùm; ac subinde nec ambæ consecratiooes magis repræsentabunt separationem sanguinis Christi à corpore, quàm una tantùm, quippe cùm ambæ simul sint præcisivæ, licèt reverà utriusque speciei consecratio simul juncta clariùs ac distinctiùs cruentum Christi D. Sacrificium repræsentet.

XVII. Utraque tamen requiritur ad integritatē Sacramenti.

Patet etiam secunda pars, nempe quòd licèt essentialis Sacrificii ratio salvari posset, ac subsistere independenter à consecratione alterius; attameo ad integritatem Sacrificii, & magis sensibilem ac evidentem repræsentationem Sacrificii cruenti crucis, utriusque speciei consecratio necessariò requiritur: quod maximè *probatur* ex universali & perpetua Ecclesiæ praxi, quæ exemplô ipsius Christi à principio semper obtulit corpus & sanguinem sub speciebua panis & vini, & summè sollicita fuit pro utriusque speciei sumptione; quod signum est, Ecclesiam sic intellexisse institutionem Christi; ut quamvis in consecratione uoius tantùm speciei haberetur ratio veri Sacrificii, haud equidem Sacrificii totalis, & compleri à Christo instituti, & præcepti. Atque hæc est ratio, quare Ecclesia semper adhibuerit taotam diligentiam, ut ipse celebrans, aut eô deficiente, alius Sacerdos sacra Mysteria perficeret per sumptionem: *Si Sacerdos*, inquiunt Rubr. tit. de defectibus cap. 10. o. 3. *ante consecrationem graviter infirmetur, vel in sincopem inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa: Si post consecrationem corporis tantùm, ante consecrationem sanguinis, vel utrôque consecratô id accidit; Missa per alium Sacerdotem expleatar ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum.*

Porrò hæc utriusque speciei consecratio ita oecessariò requiritur ad integritatem Sacrificii, ut etiam Ecclesia noo videatur posse dispensare, quòd celebretur Sacrificium in unica duntaxat specie; siquidem Ecclesia solùm circa Sacramentorum administrationem & usum statuere potest & variare, quæ dictante Spiritu sanctô pro temporis opportunitate æquum judicaverit, salvâ semper eorum Sacramentorum integritate & essentiâ: at si dispensaret in oblatione Sacrificii, nempe quòd fieret sub una tantùm specie, noo subsisteret illius integritas completa & perfecta: igitur, &c.

PETES: *Quanam sit præcipua ac principalis hostia, quæ in incruento Missæ Sacrificio offertur?*

XVIII. Corpus & sanguis Christi sunt principalis hostia quæ offertur.

Respondeo primò, esse corpus & sanguinem Christi: *Tum*, quia id significavit ipsemet Christus D. cùm dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Tum*, quia id docent SS. Patres jam pluries à nobis laudati, præcipuè verò S. Augustinus lib. 17. de civitate Dei cap. 20. *Nam*, inquit *& in alio libro, qui vocatur Ecclesiastes, ubi ait:* Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet; *quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipse mediator Testamenti novi exhibet secundùm ordinem Melchisedech de corpore & sanguine suo? Id enim Sacrificium successit omnibus illis Sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri..... quia pro illis omnibus Sacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus ministratur.*

Panis autem & vinum minùs principalis.

Respondeo secundò, quòd panis & vinum habeant etiam rationem hostiæ, sed minùs principalis; quod utique probatur ea modo loquendi Ecclesiæ, quippe in Offertorio Missæ appellatur panis, *Hostia immaculata*, ibi: *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam:* Et vinum, Calix salutaris ibi: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris:* ergo aliquô modô spectant ad materiam Sacrificii.

Confirmatur ex prima Antiphona in Vesperis festi Corporis Christi, quæ sic habet: *Sacerdos in æternum Christus D. secundùm ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit.* Hinc Concilium Carthaginense III. can. 24. *Ut in Sacramentis corporis & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aquâ mixtum. Nec amplius in Sacrificiis offeratur, quàm de uvis & frumentis.* Hunc modum

dum loquendi imitantur SS. Patres, Irenæus, Cyprianus, & alii; quidnî propriè intelligendi? Enimverò per actionem externam panis & vinum immutantur in protestationem summi dominii Dei. Immutantur, inquam, per destructionem physicam suæ totius substantiæ.

QUÆSTIO QUARTA.

Pro quibus possit offerri Missæ Sacrificium?

I. Tres distingui possunt hominum ordines pro quibus cogitari posset quòd offerri deberet Missæ sacrificium.

NOtandum primò, homines generatim distribui posse in tres ordines; quorum *aliqui* sunt viatores: *alii* terminum ac statum viæ jam sunt adepti; *alii* verò partim in via, partim in termino existunt. *Prioris ordinis* sunt omnes illi, qui mortalem adhuc vitam agunt, suntque in tempore velut in itinerario ad æternitatem: qui rursum tres in status possunt distribui: nam eorum aliqui Christo nomen dederunt, & computantur inter membra Ecclesiæ, quibus per Fidei, Spei, & Charitatis vinculum agglutinantur: aliqui intra hoc Christi mysticum corpus nondum sunt adjuncti, quales sunt infideles & catechumeni: alii denique ab hoc corpore per Excommunicationis gladium præcisi sunt. *Secundi ordinis* sunt vel Beati in cœlo triumphantes, vel damnati in inferno gementes; quorum status invariabilis est. *Tertii denique ordinis* sunt omnes animæ in purgatorio degentes, quæ partim vitæ terminum sunt adeptæ, cùm mortalem hanc vitam peccatis obnoxiam exuerint; partim verò hærent in via, quippe cùm fœlicitatem æternam adhuc præstolentur, nec ex illa valle lacrymarum priùs sint exituræ, quàm pro admissis delictis debitas pœnas luerint, & persolverint usque ad ultimum quadrantem. Quæritur autem utrum pro his omnibus licitè ac debitè offerri possit Missæ Sacrificium?

II. Non potest offerri pro damnatis.

Notandum secundò, certum esse, quòd Missæ Sacrificium nequaquam licitè ac fructuosè possit offerri pro damnatis: *Tum*, quia in inferno nulla est redemptio, nullaque Satisfactio, ac propitiatio; siquidem, inquit Isaïas cap. ult. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Quam utique veritatem innumera propemodum testantur Scripturarum oracula, quibus constat nusquam finiendam fore damnatorum pœnam; quam ideirco Christus D. plerumque appellat *ignem æternum*, maximè Matth. 25. *Tunc*, inquit, *dicet his, qui à sinistris erunt, discedite à me maledicti in ignem æternum.* Hinc S. Joannes Apocalypsis 20. refert, quòd *diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia, & Pseudo-Propheta cruciabuntur die & nocte in sæcula sæculorum.* Quem utrumque locum expendit S. August. lib. de hæresibus cap. 23. ubi ait: *Quod ibi* (Matth. 25.) *dictum est in sæcula sæculorum: quibus verbis nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quòd finem non habet temporis.*

III. Quo sensu Ecclesia oret ut animæ defunctorum liberentur de pœnis inferni.

Nec obstat, quòd Ecclesia in Missis Defunctorum sic oret in Offertorio: *Domine Iesu Christe Rex gloriæ libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, &c.* nomine enim inferni, & profundi lacûs non intelligitur locus inferior damnatorum; sed animarum in Purgatorio existentium; quâ ratione etiam Christus dicitur descendisse ad inferos, & ab inferis liberasse animas SS. Patrum. Porò illæ non degebant in inferno damnatorum. Unde Ecclesia orat, ut animæ fidelium Defunctorum exeant ab illo carcere, & ne post oblationem hujus Sacrificii ampliùs detineantur in locis tenebrosis. *Adde, quòd* Ecclesia consideret ejusmodi animas veluti de corpore egredientes, & quasi nondum sententiam suæ mansionis, aut loci, in quem ire debeant, exceperint; quapropter subdit: *Sed signifer S. Michael repræsentet eas in lucem sanctam, &c.* eô pene sensu & ritu, quô tempore Adventûs, quasi Christus nondum venisset, orat. *Veni Domine & noli tardare: Rorate cœli desuper, &c.*

Nec pariter obstat, quòd plures historiæ ferant, varios homines à pœnis inferni solutos fuisse precibus, & meritis SS. vivorum; nam Trajanus Imperator per preces S. Gregorii, Falconilla Ethnica fœmina intercessione S. Teclæ Virginis ab inferno dicuntur soluti. Hoc, inquam, non obstat: *Tum*, quia omnes istæ & similes historiæ dubiæ ac nutantis omnino sunt fidei: *Tum*, quia si veræ sint, dici potest eos tales resuscitandos, nondum pœnis inferni fuisse addictos, Deô eorum judicium per extraordinariam Providentiam differente; eosque solùm per imaginem quandam, non autem in rei veritate cœpisse experiri pœnas vitæ futuræ, ut earum apud homines mortales acerbitatis testes existerent. Difficultas ergo tantùm superest de Beatis, nec-non & de animabus Purgatorii, ac de triplici Viatorum sorte.

IV. Duplex esse potest applicatio sacrificii Missæ.

Notandum tertiò, Sacrificii Missæ efficacitatem & virtutem exerceri posse dupliciter, vel per modum applicationis infallibilis, seu *ex opere operato*, vel duntaxat per modum liberalis impetrationis, & suffragii. Censetur autem Sacrificium valere *per modum suffragii, & impetrationis*, quando videlicet suum effectum non consequitur ex virtute ipsius operis eliciti; ita quòd ad applicationem hujus Sacrificii Deus certâ lege non constituerit effectum infallibiliter sequendum, putà remittere pœnas peccatis debitas tam vivis, quàm defunctis: sed solùm Sacrificium ad id conferat per modum impetrationis; ut quemadmodum orationes vivorum defunctis solùm prosunt, prout Deo placuerit eas acceptare, neque certâ lege constituerit propter ejusmodi preces & orationes debitas tam vivorum, quàm mortuorum peccatis pœnas infallibiliter remittere; ita etiam Missæ Sacrificium prosit tam vivis, quàm defunctis. Quæritur ergo qualiter, & pro quibus Sacrificium Missæ debeat offerri.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Missæ sacrificium offerri potest pro Beatis.

MIssæ Sacrificium offerri non potest pro Beatis, quatenus est propriè propitiatorium, vel satisfactorium: sed quatenus est gratiarum actio pro fœlicitate ipsis concessa. Prima pars est evidens: Beati namque omninò incapaces sunt culpæ & pœnæ, ac subinde nostris precibus non egent & Sacrificiis, ut ab his eximantur & solvantur. Hinc præclarè docet Concilium Tridentinum sess. 25. de invocatione Sanctorum, Sanctos in cœlo cum Deo regnantes non egere nostris precibus, sed nos eorum orationibus adjuvari; quapropter sess. 22. cap. 3. priùs dixerat: *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri licet, sed soli Deo, qui illos coronavit, unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut pro nobis intercedere dignentur in cœlis quorũ memoriam facimus in terris.* Unde can. 5. sic definit: *Si quis*

Non ut est impetratorium. *dixerit imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

Quibus Concilium duo significat: *Primum*, quòd reverà Missæ Sacrificium offerri possit pro Beatorum victoriis celebrandis: *Secundum*, pro etiam impetranda eorum accidentali gloria; quâ ratione in Missa post lotionem manuum orat: *Ut illis* (nempe omnibus Sanctis) *Sacrificium prosit ad honorem, nobis autem ad salutem; ut illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* Quibus significatur, Missæ Sacrificium posse aliquâ ratione censeri impetratorium pro Beatis, quatenus nempe confert ad augendam eorum gloriam, & beatitudinem accidentalem.

Quod utique præclarè docuerat Innocentius III. epist. ad Archiepiscopum Lugdunensem, & refertur cap. *Cùm Martha*, de celebratione Missarum, ubi cùm inter varia quæsita etiam petiisset Episcopus, quare mutatum fuerat, quod in Secreto Missæ S. Leonis secundùm antiquiores codices legebatur, nempe: *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*; in modernis autem Sacramentariis haberetur: *Ut intercessione B. Leonis prosit oblatio*: Respondet Pontifex:

XVI. Nisi fortè ad gloriam accidentalem. *Quod cùm Sacra Scriptura dicat authoritas, quòd injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, idem est ratione consimili de aliis Sanctis sentiendum: quia orationibus nostris non indigent, pro eo quòd sint perfectè Beati, omnia eis ad vota succedunt: sed nos potius orationibus eorum indigemus, quos (cùm miseri simus) undique mala nostra perturbant. Unde quod in plerisque orationibus continetur;* PROSIT, *vel proficiat huic Sancto, vel illi talis oblatio ad honorem, & gloriam: ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quòd magis ac magis glorificetur à fidelibus in terris; licet plerique reputent, non indignè Sanctorum gloriã usque ad judicium augmentari: & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare.*

Nota. Advertendum tamen, quòd facilè non debeat apud vulgus prædicari, nostra obsequia, nec-non & Sacrificium Missæ, Sanctis prodesse ad honorem & gloriam; ne videlicet ansam inde capiant cogitandi, eos non esse perfectè Beatos, & illos nostris orationibus ac Suffragiis indigere: certò namque certius est, Sanctos suis suffragiis & orationibus nobis plurimùm prodesse; illis verò nostras orationes & vota nil conferre, nisi ad gloriam accidentalem. Quam utique plebecula rudis, & agrestis cùm vix posset distinguere ab essentiali, ideò satius est ab hujusmodi locutionibus abstinere.

CONCLUSIO SACONDA.

XVII. Religiosè offertur pro defunctis. *Missa Sacrificium religiosè offertur pro defunctis fidelibus, ut obtineant remissionẽ pœnæ temporalis, idque ex opere operato.* Hæc est de fide, quantùm ad primã partem, quam tradit Concil. Trid. sess. 22. c. 22. *Non solùm*, inquit, *pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum Traditionem offertur.* Porrò hæc Traditio Apostolica constat ex continua Ecclesiæ praxi, ut patet ex Liturgiis SS. Jacobi, Matthæi & Marci; & testatur Clemens Romanus l. 8. Constit. cap. 9. & Tertulliano lib. de corona militis cap. 3. & S. Cypriano lib. 1. epist. 9. & S. Chrysost. homil. 3. in epist. ad Philippenses circa finem, ubi scribit: *Non frustrà instituerunt Apostoli, ut cùm tremenda mysteria celebrantur, fieret eorum commemoratio, qui ex hac vita decesserunt: sciebant enim magnū inde lucrum, multamque utilitatem his provenire: cùm enim adsit populus universus, & Collegium Sacerdotale manus attollat, & corã posita sit tremenda hostia, quomodo iram Dei non placabimus, pro illis orantes?* Idem docent cæteri Patres, quorũ oracula proferri solent in controversia cum hæreticis de Purgatorio, à quibus, ne longior sim, hîc recensendis supersedeo; omittere tamẽ non possum, quæ præclarè scribit S. Aug. in Enchiridio cap. 109. *Neque negandum est*, inquit, *Defunctorũ animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viverent, ut hæc sibi posteà prodesse possent, meruerunt. Est enim quidã vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requirat, & est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cùm hac vita transierit, adjuvari. Quocirca hîc omne meritum comparatur, quò possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari.* Et cap. 110. sic inquit: *Non enim omnibus prosunt suffragia Ecclesiæ. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiã vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cùm ergo Sacrificia sive Altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis Defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis* (id est, pro Beatis) *gratiarum actiones sunt, pro non valde malis* (id est, existentibus in Purgatorio) *propitiationes sunt: pro valde malis* (id est, damnatis) *etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt.*

XVIII. Ipsis enim prodest ex opere operato. *Probatur secunda pars*, nempe quòd Missæ Sacrificium prosit Defunctis *ex opere operato*, per solutionem pœnæ, quâ adhuc illigantur; idque primùm ex Concil. Trid. sess. 25. in decreto de Purgatorio, ubi inter cætera ait: *Cùm Catholica Ecclesia Spiritu S. edocta ex sacris litteris, & antiqua Patrum Traditione, in sanctis Conciliis, & novissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fideliũ suffragiis, potissimùm verò acceptabilis Altaris Sacrificio juvari, præcipit S. Synodus, &c.*

Ex quibus sic licet argumentari: Sententia Concilii est, animas in Purgatorio degentes certiùs & efficaciùs juvari per oblatum pro eis Missæ Sacrificium, quàm per jejunia, eleemosynas, & alia vivorum suffragia: sed his non solùm per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato & infallibiliter juvantur, quatenus per hujusmodi opera Satisfactio operi correspondens animabus applicatur, sicut Satisfactiones Sanctorum, quæ sunt in Ecclesiæ Thesauro, applicantur per Indulgentias: ergo multò magis juvari poterunt Sacrificiô Missæ, per quod nobis, & aliis applicatur fructus Passionis Christi: Major constat ex verbis Concilii. Minor verò expressè traditur à Catechismo Romano parte 2. cap. 5. nu. 61. ubi scribit: *Ut enim quod ad Contritionem, & Confessionem attinet, nemo pro altero dolere, aut confiteri potest: ita qui divinâ gratiâ præditi sunt, alterius nomine possunt quod Deo debetur persolvere; quâ re fit, ut quôdam pactô alter alterius onera portare videatur: nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum Communionem confiteatur.*

Licèt autem ibi solùm loquatur de fidelibus vivis, tamen eadem ratio pariter viget pro defunctis; ipsi namque ad Sanctorum Communionem spectant. *Secundò*, si quæ ratio contrarium suadere posset, maximè, quia præcipua conditio ad percipiendum fructum hujus Sacrificii ex opere operato, est status viatoris: animæ autem in Purgatorio existentes non sunt amplius in via, sed extra dominiũ Ecclesiæ militantis, ac subinde non

possunt ex certa lege bona ipsius participare; sed tantùm per modum liberalis impetrationis, nempe prout Deo placuerit, orationes vivorum, & Ecclesiæ Sacrificia pro Defunctis acceptare: sed hæc ratio nulla est; nam, cùm animæ in Purgatorio existentes sint membra viva Christi, quæ non sunt omninò extra viam, cùm sint adhuc in via ad cœlum; idcirco tam Sacrificium potest eis prodesse, quàm prodest vivis.

Dices: Illæ Animæ non sunt membra Ecclesiæ visibilis, nec in eas Ecclesia potestatem, & jurisdictionem habet: igitur nec sunt in statu, in quo possit eis ex opere operato prodesse visibile Sacrificium.

IX. Sunt enim membra invisibilia Ecclesiæ.

Nego antecedens: Quamvis enim animæ illæ non pertineant ad Ecclesiam, quatenus illius visibilia membra, pertinent tamen ut membra invisibilia, quæ nondum viæ terminum attigerunt, sed adhuc cum Ecclesia militante peregrinantur à Domino, suntque in via ad solvenda debita, quæ ex peccatis in hac vita commissis, & non omnino expiatis contraxerunt. Itaque illæ animæ, quæ viatrices sunt, pertinent ad Ecclesiam militantem, cùm nondum Triumphanti incorporentur.

Dices secundò: Ecclesia non potest illis animabus applicare fructum Sacramentorum: ergo nec Sacrificii. *Consequentia* patet, quippe cùm Ecclesia non habeat majorem efficacitatem applicandi fructûs Sacrificii, quàm Sacramenti.

Nego consequentiam: Et ratio disparitatis est, quòd Sacramenta tantùm sint instituta pro vivis; quippe cùm suos effectus in anima non producant, nisi dependenter à signo sensibili corpori applicato: Sacrificium autem independenter ab omni signo sensibili, & ex sola voluntate offerentis, ordinantis illud ad bonum alterius, producit suum effectum. *Insuper*, Sacramenta ordinantur ad gratiam conferendam; Animæ autem in Purgatorio non sunt capaces suscipiendæ novæ gratiæ; quippe cùm non sint amplius in statu crescendi in præmio essentiali, quod cuilibet gratiæ augmento correspondet. Sacrificium autem ordinatur ad solvendas pœnas; quippe cùm sit applicatio meritorum Christi patientis pro solvendis nostris criminibus.

Dices denique: Animæ existentes in Purgatorio non sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi: ergo nulla Satisfactio jam eis prodesse potest, saltem ex opere operato.

X. Quæ sunt in statu satisfaciendi per alios.

Distinguo antecedens: Non sunt in statu satisfaciendi activè, & per seipsas, concedo: passivè & per alios, nego: Consentaneum enim est, ac justæ Dei ordinationi congruum, ut oblata pro eis animabus Sacrificia Deus acceptet in satisfactionem pro commissis ab eis peccatis luendam; nam quâ ratione sunt in statu solvendi pœnas; eâdem ratione aliorum satisfactionibus juvari possunt; præsertim Christi D. cùm debitum ex justitia solvi possit, non solùm solutione propriâ, sed etiam alienâ.

Conclusio Tertia.

XI. Etiam potest offerri pro omnibus vivis.

Missæ Sacrificium offerri potest pro omnibus fidelibus viatoribus, qui à fidelium Communione per excommunicationem non sunt separati. Hæc est communis, & prima pars, colligitur ex Apostolo ad Hebr. 5. ubi ait: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis..... & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro seipso offerre pro peccatis.* Quibus verbis Apostolus significat, Sacerdotem non tantùm debere Sacrificium offerre in propriam suam utilitatem, sed etiam in utilitatem populi, maximè baptizati & fidelis; quippe fideles propter suam intimam cum Christo unionem, quatenus sunt membra corporis Ecclesiæ, cujus ipse caput est, longè capaciores sunt suscipiendi effectûs Sacrificii, quam infideles, & non baptizati. Hinc etiam Ecclesiæ mens est, ut Sacrificium potissimùm offeratur pro fidelibus, ut colligitur ex Offertorio Missæ, his verbis: *Sed & pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis.* Et initiò Canonis orat Sacerdos sic: *Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica... & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus.* Et certè rationi consentaneum est, quòd cùm Missæ Sacrificium sit bonum Ecclesiæ relictum per legitimos Ministros dispensandum, ut pro omnibus fidelibus baptizatis generatim Deo offeratur; & nullus ab ejus fructu & utilitate arceatur, nisi præcisus sit à participatione bonorum ipsius Ecclesiæ.

Nam, ut fert *secunda pars* conclusionis, non licet orare pro excommunicatis, maximè qui *nominatim denuntiati sunt à Iudice*; quod utique constat ex jure Canonico extra de sententia Excommunicationis cap. *A nobis* ubi Innocentius III. interrogatus, utrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerunt Pœnitentiæ manifestæ, nec per eum steterit, quò minùs reconciliaretur Ecclesiasticæ unitati, non susceptô beneficiô Absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus: & utrum pro tali recipienda sit eleemosyna, & à fidelibus sit orandum. Respondet: *Quantumcumque se quis juramentô præstitô, quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantumcumque Pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præventus Absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Igitur pro tali non est recipienda eleemosyna, neque à fidelibus orandum. *Probatur* consequentia ex cap. *Sacris* 38. eôdem titulô, ubi præfatus Pontifex Archiepiscopo Strigoniensi scribit in hæc verba: *Licèt is, qui voluntarius excommunicatis illis communicaverat, qui cùm omnibus fautoribus, & participibus suis excommunicationis sententiâ sunt adstricti, ad cor rediens, de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos priùs foverat, expugnaverit, non tamen priusquam Absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus: nec si occumbat in hujusmodi bello, sunt Absolutiones, vel Oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ, nisi cùm de ipsius viventis Pœnitentia, per evidentia signa constiterit, & juxta cujusdam Constitutionis nostræ tenorem defuncto etiam Absolutionis beneficium impendatur.* Ex quibus constitutionibus Doctores communiter inferunt, excommunicatum excommunicatione majori, de quo maximè nobis est sermo, omnibus communibus Ecclesiæ suffragiis esse privatum, putà Indulgentiis, Sacrificiis, & orationibus, quæ fiunt nomine Ecclesiæ. XII. Dummodò non sint excommunicati.

Dixi in probatione secundæ partis; *qui nominatim denuntiati sunt à Iudice*; probabile enim est, quòd liceat offerre Sacrificium nomine Ecclesiæ pro excommunicatis toleratis, putà hæreticis, XIII. Nominatim denuntiati.

occultis, & etiam fontè pro degentibus in regnis, in quibus habent libera suæ religionis exercitia; ita docet Lugo disp. 19. n. 87. cum aliquibus aliis, quos ipse laudat. Cujus utique ratio sumitur ex constitutione Concilii Basileensis sess. 20. quâ statuitur, quòd *nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine, vel à jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam à Iudice publicata vel denuntiata specialiter, & expressè, &c.*

Quibus verbis Concilium permittit communicationem cum excommunicatis nominatim à Judice non declaratis, in Sacramentis, & aliis quibuscunque Divinis, ac subinde permittit, ut pro iis Sacrificium offeratur.

Nec valet reponere, Concilium loqui solùm de communicatione externa, quæ fit in auditione Missæ, nec-non in assistentia, divini officij, non autem de communicatione interna, qualis est ea, quæ fit per Missæ Sacrificium, aut preces Ecclesiæ. Id, inquam, non obstat: Si enim liceat cum hujusmodi excommunicatis inire societatem in audienda Missa, & horis Canonicis recitandis, pari ratione licebit publicè pro ipsis orare; nam in Missa nomine Ecclesiæ oratur pro omnibus circunstantibus, & dum quis recitat cum alio divinum Officium Primæ, vel Completorii v. g. dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus, &c.* & consequenter quando Ecclesia permittit communionem in orationibus, etiam permittit, ut pro communicantibus oretur: quidnî ergo pariter licentiam pro ipsis sacrificandi, & applicandi eis fructum ex Sacrificio provenientem?

Conclusio Quarta.

XIV.
Etiam offerri potest pro infidelibus.

Missa Sacrificium offerri potest pro Catechumenis, & Infidelibus nondum baptizatis, illisque prodest per modum impetrationis. Probatur hæc assertio ex continua, & antiqua Ecclesiæ praxi, quam tradit S. Apostolus 1. ad Timoth. 2. cùm ait: *Obsecro primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt:* qui utique tunc temporibus erant Infideles. Hunc autem Apostoli textum S. Augustinus explicat de publicis orationibus, inter Missarum solemnia fieri solitis: *Multa hinc,* inquit, *dici possunt, quæ improbanda non sint, sed lege his verbis* (Apostoli suprà) *hoc intelligere, quòd omnis, vel penè omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: orationes cùm benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit.* Et paulò inferiùs. *Interpellationes autem, sive.... postulationes fiunt cùm populus benedicitur; tunc enim Antistites velut Advocati, susceptos suos per manûs impositionem, misericordissimæ offerunt pietati: quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit; quam in his etiam verbis ultimam commendat Apostolus. Hac autem causa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis, atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur: Pro omnibus hominibus, pro Regibus, & iis qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & charitate: ne quisquam, sicut se habet humana cogitationis infirmitas, existimaret, non esse ista facienda pro his, à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cùm membra Christi ex omni essent omnium genere colligenda.*

Ei præiverat S. Clemens Romanus lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 5. ubi signanter præscribit modum orandi pro Catechumenis; & Tertullianus lib. ad Scapolam cap. 2. scribens: *Itaque sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro.* Et S. Chrysostomus homil. de Adam & Eva, ubi scribit: *Cùm enim sanctæ plebis Sacerdotes per mandata sibimet data, legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis causam, totamque secum Ecclesiam aggregantes, atque congemiscentes postulant ac precantur, ut Infidelibus donetur fides, ut ab Idololatria, & impiis erroribus liberentur, ut Iudæis ablatô cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei receptione resipiscant, ut Schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis Pœnitentiæ remedia conferantur, Catechumenis ad regenerationis Sacramenta productis, cœlestis misericordiæ aula reseretur: hæc non inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus.* Subscribit pariter S. Cœlestinus primus epist. ad Episcopos Galliæ cap. 11. *Sanctarum plebium Præsules,* inquit, *publicâ legatione funguntur, & apud divinam clementiam humani generis causam agunt, & totâ ingemiscente Ecclesiâ postulant, ut Idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Iudæis ablatô cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, &c.*

XV.
Et Catechumenis vivis.

Dices: Concilium Braccharense primum cap. 35. statuit: *Vt Catechumenis, sine redemptione Baptismi defunctis, simili modô neque oblationis sancta commemoratio, neque psallendi impendatur officium, nam & hoc per ignorantiam usurpatum est.*

Respondeo, Canonem illum intelligendum esse solùm de Catechumenis defunctis, qui in suscipiendo Baptismate nimium negligentes, absque ejus perceptione, & sine sufficientibus Pœnitentiæ signis decesserant, qualiter etiam intelligendus est Chrysostomus serm. 3. in epist. ad Philippens. ubi ait: *Non frustrà ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum Mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverint illis multùm hinc emolumenti fieri, multùm utilitatis: Stante siquidem universô populô, manus in cœlos extendente, cœtu item Sacerdotali, verendôque positô* (idest, inceptô) *Sacrificiô, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verùm istud quidem de illis dicimus qui in fide abscesserunt. Catechumenos verò neque istô solatiô dignamur; sed omni hujusmodi destituti sunt auxiliô, unô quôdam demptô. Quônam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, unde illis nonnihil refrigerii accedit.*

XVI.
Non autem vitâ functis.

His enim & similibus verbis, quæ subjicit S. Chrysostomus, significat tunc temporis ab Ecclesia prohibitum fuisse, orationes & Sacrificia fieri pro defunctis Catechumenis, ad incutiendum terrorem Catechumenis viventibus, & ad coercendam eorum in suscipiendo Baptismate negligentiam. Unde non dicit, Catechumenos esse

incapaces omnis fructûs Sacrificii, aliarumque orationum; sed, inquit, *neque istô solatiô dignamur*, propter scilicet prohibitionem Ecclesiæ pro isto tempore; sicut etiam de facto non dignamur istô solatiô excommunicatos, non quia incapaces sunt, sed quia Ecclesia prohibuit publicè pro illis offerre, vel orare, de quibus conclusione præcedenti. Quod ut clariùs ostenderet, addidit: *Pauperibus illorum nomine dare licet*: quasi diceret, tametsi non liceat propter prohibitionem Ecclesiæ publicè offerre, vel orare pro Catechumenis; tamen minimè prohibitum est pro ipsis dare eleemosynam.

Quæstio Quinta.

Qualis sit valor & effectus Sacrificii, & quomodo possit applicari?

I. NOtandum primò: Nomine *valoris*, hîc intelligi moralem dignitatem quam habet Sacrificium; nomine verò *effectus*, id quod intuitu talis valoris confertur. Porro valor sacrificii Missæ, attendi potest, 1. Ex parte Christi offerentis & hostiæ: 2. Ex parte meritorum totius Ecclesiæ cujus nomine sacrificium offertur: 3. Ex parte dispositionis & devotionis Sacerdotis offerentis. *Insuper* valor sacrificii ex parte Christi D. attendi potest, vel quantùm ad sufficientiam, vel quantùm ad actualem influxum seu fructum qui de facto confertur ei, pro quo Missæ sacrificium offertur; qui utique fructus maximè consistit; vel in impetratione beneficiorum; vel in solutione pœnæ peccatis remissis debitæ. Quæritur autem quantus & qualis sit valor & effectus hujus sacrificii.

II. *Notandum secundò*: Quantitatem valoris Missæ attendi posse duplicem, unam *intensivam*, alteram verò *extensivam*: Prior attenditur secundùm meritum & pretium illius Sacrificii in se considerati: Posterior verò æstimatur, & colligitur ex numero subjectorum, quibus applicari potest; ita quòd eò major æstimetur illius valor, quò pluribus absque divisione posset applicari; ac subinde valor ille sit infinitus, si infinitis subjectis simul prodesse possit. Prior quantitas dicitur *categorica*, quia attenditur, & æstimatur secundùm certos gradus perfectionis & valoris, quos Sacrificium istud in se complectitur; ita quòd censeatur infiniti valoris intensivè, si infinitos perfectionis gradus in se complectatur. Posterior verò dicitur *syncategorematica*: quia tantùm attenditur penes subjecta, quibus prodesse potest & applicari: ita quòd hoc Sacrificium censeatur infiniti valoris, si infinitis hominibus possit prodesse. Porrò circa hanc controversiam resolvendam triplex est capitalis Authorum sententia: quarum *prima* affirmat, hoc Sacrificium esse infiniti valoris quantùm ad vim impetrandi, & satisfaciendi, syncategorematicè; ita Cajetanus, Vasquez, & plures alii recentiores: *Secunda* verò id negat, ita subtilis Doctor, Richardus, Durandus, & plures alii tam veteres, quàm recentiores, cum Suare Tolero, &c. *Tertia* incedens mediâ viâ docet, virtutem impetratricem hujus Sacrificii esse infinitam extensivè; itaut possit pro pluribus, & pluribus offerri, absque singulorum præjudicio; secus autem de virtute satisfactoria, quam fatentur esse limitatam, & determinatam; itaut pluribus non possit prodesse sine sui diminutione & divisione: ita Aversa quæst. 11. sect. 7. cum pluribus aliis, quos ipse laudat.

III. *Triplex est portio in sacrificio Missæ.* *Notandum tertiò*, fructum Missæ attendi posse triplicem, nempe generalem, specialem, & specialissimum. *Generalis* est ille, quem Ecclesia intendit applicari omnibus omnino fidelibus, tum vivis, tum defunctis: vivis quidem, seu præsentibus, seu absentibus, quorum quisque majorem aut minorem fructûs portionem recipit, juxta Christi determinationem, intentionem Ecclesiæ, & propriam uniuscujusque cooperationem ad Sacrificium. Quanta autem portio unicuique contingat, Deus scit: certum tamen est, unumquemque plus gratiæ recipere, quò plures habet titulos ad majorem portionem habendam, ut si v. g. non tantùm intersit, sed & inserviat Sacro, &c. *Specialis* verò fructus est ille, qui obvenit iis, pro quibus Sacerdos specialiter offert Sacrificium, juxta praxim Ecclesiæ, modò pro una, modò pro alia persona offerentis Sacrificium Missæ. *Specialissimus* denique valor & effectus est ille, qui obvenit Sacerdoti; & ita illi proprius est, ut juxta multorum sententiam, aliis ab offerente Sacerdote applicari non possit.

Generalis. — *Specialissima.* — *Et Specialis.*

Porrò hanc Missæ valoris & fructûs partitionem primus omnium invenit & docuit Subtilis Doctor *quæst*. 20. *quodlib. num*. 3. ubi ait: Potest meritum, vel specialiter oratio, in triplici gradu intelligi valere alicui, sive pro aliquo. Unô modô *specialissimè*, & sic semper valet oranti, quando est in gratia; ipse enim habet motum animi bonum, & elicit opus bonum. Iste malus, & illud opus; nam sic sunt alterius, pro quo orat, sicut orantis: nec potest iste, ordinatâ voluntate, sic illud alteri dare, quòd non sit suum meritum; quia magis tenetur ex charitate diligere seipsum, quàm alium: imo fortè non posset dare alteri sic, quin istud esset peccatum. Aliô modô *generalissimè*, & sic valet toti Ecclesiæ: nec enim debet orans aliquem de Ecclesia excludere; sed ex intentione habituali omnes includere. Tertiô modô, scilicet modô mediô, valet illi, cui per orantem *specialiter* applicatur. *Probatur*: Non valet ei specialissimè; patet ex primo membro. Sed nec præcisè valet sibi generalissimè, sicut cuicunque: tunc enim frustra in Ecclesia essent speciales orationes assignatæ, aliæ pro vivis, aliæ autem pro mortuis: & iterum pro vivis aliis, & aliis, putà, benefactoribus, amicis, & aliis: ut patet in orationibus Missalis Romani pro diversis assignatis personis, & statibus, & congregationibus. Frustrà, inquam, essent istæ specialiter assignatæ: quia non plus valerent illis, quàm generaliter cuicumque in Ecclesia.

His ita præmissis, duo maximè sunt hac in quæstione determinanda: *Primum*, quòd Sacerdos possit applicare virtutem Sacrificii pro libito: *Secundum*, quòd ejus valor eò minor sit in singulis, quò pro pluribus offertur.

Conclusio Prima.

IV. *Sacerdos potest applicare fructum & valorem Sacrificii Missæ.* REverà valor Sacrificii Missæ applicari potest à Sacerdote illis, quibus libuerit; ita Subtilis Doctor quæst. 20. quodliberica num. 13. ubi ait: *Dico* quòd in potestate Sacerdotis celebrantis est aliquô modô, scilicet speciali applicare virtutem Sacrificii. Idque probat duplici authoritate S. Augustini in Enchiridio cap. 89. ubi ait: *Neque negandum est, defunctorum ani-*

mas, pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur: Ergo, *inquit* Doctor, offerens potest applicare illis Sacrificium, & illæ per hoc poterunt relevari. Idem in sermone de Cathedra S. Petri: *Ostendam*, inquit, *quâ ratione animæ defunctorum juvari possunt: adhibeant pro eis Sanctorum preces, & Sacerdotali eos prosecutione Domino commendent.* Juvantur ergo animæ per hoc, quòd Sacerdos pro eis applicat virtutem Sacrificii.

Addit Doctor rationem congruentiæ *num.* 14. » Quia, *inquit*, ubi in domo aliqua aliquod bonum est distribuendum diversis secundùm eorum exigentiam, vel indigentiam, rationabile est, quòd Dominus domûs non immediatè singulis distribuat, sed talis distributio alicui, vel aliquibus certis Ministris in domo committatur. Ita videtur regulariter in familiis ordinatis: æquè ergo, vel magis debet esse in domo Dei, quæ est Ecclesia, quòd bonum ibi virtute Sacrificii communicandum, non solùm Deus distribuat, sed aliquis Minister in Ecclesia: nulli autem magis convenire potest in Ecclesia, quàm Sacerdoti Sacrificium offerenti, cui sicut convenit determinare intentionem suam, pro quo specialiter offerat, sic convenit sibi dispensatoriè, vel dispositivè determinare, cui virtute Sacrificii bonum, quod impetratur, reddatur.

Dices primò: Non spectat ad instrumentum, quòd virtutem habeat applicandi actionem, vel effectum actionis: hoc enim proprium est agenti principali: sed Sacerdos, quantùm ad virtutem Sacrificii est merè instrumentum, & organum inanimatum; licèt enim sit organum vivum, quantùm ad meritum personale in celebrando; quia sic meritum celebrationis Sacrificii provenit ex ejus parte, quatenus ipse vivit vitâ gratiæ; tamen quantùm ad illud bonum, quod ex opere operato provenit ex Sacrificio, Sacerdos est tantùm organum veluti mortuum, ratione sui characteris; quia effectus ille ex posito Sacrificio infallibiliter sequitur, etiamsi Sacerdos non vivat vitâ gratiæ.

V. Licèt sic instrumentum quô Christus D. utitur in offerendo Sacrificio.

Negat minorem Doctor ibidem: Quia licèt, *inquit*, bonum, quod impetratur virtute Sacrificii, non impetretur virtute meriti personalis Sacerdotis, sed virtute meriti Ecclesiæ, in cujus persona fit oblatio, & ob cujus gratiam oblatio acceptatur: & ideo quoad hoc, scilicet tale bonum sic impetrandum, Sacerdos, licèt sit merè organum; tamen ratione Ordinis habet gradum notabilem in Ecclesia, propter quem sibi convenit offerre, vel oblationis virtutem determinare, & in hoc non est præcisè organum, sed Minister & Dispensator.

Dices secundò: Bonum quod non debetur isti, non habet iste jus alii assignandi vel applicandi: sed bonum, quod debetur virtute Sacrificii, non habet Sacerdos in quantùm celebrans, sed tantùm ut est ipse nuntius offerens petitionem Ecclesiæ; & bonum, quod virtute Sacrificii debetur, non sibi debetur; quia eadem esset virtus Sacrificii, si ipse esset in mortali peccato: ergo, &c.

» *Respondet Doctor:* Quòd si bonum reddendum virtute Sacrificii non debeatur Sacerdoti pro se; debetur tamen Ecclesiæ secundùm ejus distributionem: quia ipse ex ordine suo est nuntius Sponsæ ad Sponsum, offerens petitiones specialiter pro determinatis personis, & ita dispositivè vel dispositivè determinans eis illud, quod pro talibus petitionibus reddetur.

VI. Sacerdotis devotio non minuitur propter multitudinem eorum pro quibus offertur.

Observat insuper Doctor *ibidem num.* 7. quòd etsi Sacerdos Sacrificium pluribus applicet, & pro pluribus celebret, quòd ejus devotio non minuatur magis, quàm si pro uno duntaxat celebraret: Distractio, *inquit*, non necessariò concurrit ex hoc, quòd pro pluribus celebratur; quia non oportet celebrantem pro multis, tunc de eis actu cogitare; sed sufficit, quòd antè recollegerit istos, pro quibus intendit specialiter orare; & intentionem suam talem Deo obtulerit; ex tunc enim, si tantùm in communi memoriam eorum habeat, hoc sufficit; quia Deus orationem, & devotionem suam pro illis acceptat, pro quibus ordinavit priùs se velle offerre: & in isto casu verum est, quòd propter multitudinem attentio actualis ad singulos minuitur; quia non est ad eos, nisi in communi; sed devotionem, quæ est mentis motus in Deum, non oportet minui. Quam veritatem hôc exemplô illustrat: Non minùs, *inquit*, devotè celebrat quis de omnibus Sanctis quàm de uno Sancto: quia etsi minùs distinctè attendat ad quemlibet; tamen attentio ad totam communitatem sufficit ad devotionem, non tantùm æqualem, sed majorem, quàm sufficeret attentio ad unum eorum, nisi fortè ad illum, in quo eminenter est illud, quod est materia devotionis ad omnes, qui est solus Deus trinus. Sic quando oratur pro multitudine, sive communitate indigente, ut impetretur sibi bonum quô indiget, major compassio potest haberi, & ita majus desiderium impetrandi illud quô indiget; quàm si pro uno indigente oraretur, & ita non minuitur devotio, licèt minuatur intentio actualis, & distincta.

Conclusio Secunda.

Missa Sacrificii valor & effectus non est infinitus syncategorematicè, sed finitus: subindeque oblatum pro pluribus minus prodest, quàm si pro uno duntaxat offerretur. Ita Subtilis Doctor supra n. 20. ubi *ait:* Dici potest, quòd Missa non tantùm valet virtute Sacrificii applicata pluribus in eodem gradu, sicut si uni soli applicaretur. *Probat:* Quia bonum, quod debetur virtute Sacrificii, correspondet, secundùm plenam justitiam alicui merito in Ecclesia: sed illud meritum est finitum, & certi gradûs: ergo sibi secundùm justitiam plenam adæquatè correspondet bonum certi gradûs reddendum; ita quòd nihil reddatur virtute Sacrificii; nisi illud vel inclusum in illo: ergo si totum illud reddatur isti, nihil virtute Sacrificii reddetur illi; quia quod daretur illi, nec est istud bonum, quod datur isti; nec includitur in illo, ut aliquid ejus, & per consequens ex opposito consequentis, si virtute Sacrificii aliquod bonum detur illi, non totum datur isti, quod debetur virtute Sacrificii; daretur autem ei totum in medio gradu, si sibi soli specialiter applicaretur. *Ita Doctor*, quibus verbis apertè demonstrat, Missæ Sacrificium esse finiti valoris; ac subinde minùs prodesse singulis, dum pro pluribus offertur.

VII. Valor & effectus Sacrificii Missæ nô est infinitus.

Ut optimè declarat Doctor.

Porrò hujus conclusionis probatio à priori alia non est, quàm Christi D. voluntas, quæ utique ordinavit, ut sua merita, & satisfactiones, quas pro nobis æterno Patri obtulit in cruento crucis Sacrificio, non-nisi finitô modô, ac determinatô applicarentur per Sacrificium incruentum: quæ utique Christi D. voluntas colligitur ex sensu, & praxi Ecclesiæ: nam, inquit Doctor ibidem *num.* 3. Si idem numerô Sacrificium ob suam infinitatem,

ex æquo pluribus, imò & infinitis prodesse posset, ac si uni tantùm illorum applicaretur, frustrà in Ecclesia essent speciales orationes assignatæ, aliæ pro vivis, & aliæ pro defunctis; & iterum pro vivis aliis, & aliis, ut patet in orationibus, & collectis, quæ in Missali Romano assignantur pro diversis personis, statibus, cœtibus: frustrà, inquam, id ita fuisset præscriptum; quippe non plus valeret illis, pro quibus specialiter offerretur, & oraretur, quàm prodesset generaliter cuicunque fidelium in Ecclesia consistentium.

VIII. Et probat ex inconvenientiis oriundis ex opposita sententia.

Sequeretur insuper, inquit *ibidem* Doctor, quòd Sacerdotes, qui non ex stipendio, nec ex aliqua obligatione, sed ex mera devotione celebrant; deberent Sacrificium offerre pro omnibus simul fidelibus vivis, & defunctis; & peccarent contra charitatem, quoties secus fecerent: nam charitas postulat, ut Missæ Sacrificium offeratur pro omnibus, quibus prodesse potest absque aliorum præjudicio; atque ita Sacerdos per unicam Missam solvere posset debitum omnium animarum in purgatorio existentium.

Sequeretur tertiò, quemlibet Sacerdotem unicô Sacrificiô satisfacere posse pro quibusvis fundationibus, & obligationibus pia Testatorum voluntate præscriptis, & sic frustrà tot Sacrificia pro eisdem personis reperi; quippe cùm semel oblatum etiam pro omnibus defunctis, remitteret eis omnes pœnas eorum remissis peccatis debitas. Hoc autem omnino alienum est ab assidua Ecclesiæ praxi, quæ semper censuit, Missæ Sacrificium debere, ac posse pluries offerri, etiam pro specialibus ac privatis personis.

Sequeretur tandem, quòd Sacerdos, pluribus ex justitia obligatus ad Missam, ratione diversi stipendii celebrandam pro pluribus, posse per unicam Missam illis debitis facere satis: at hoc est absurdum; sic enim frustraretur fidelium pietas, damnarentur justa & æqua pro celebrandis Sacris ab Ecclesiæ præpositis taxata stipendia, & laxaretur Sacerdotibus infesta avaritiæ lues.

Reponit Vasquez, disp. 231. cap. 3. negando hanc sequelam: *Primò*, quia, inquit, qui stipendium tribuit Sacerdoti, non solùm petit ab eo applicationem Sacrificii, sed etiam orationes Ecclesiæ, & impetrationem earum, quæ sunt finiti valoris; ac proinde tantùm singulis prosunt, si inter plures, quàm si inter pauciores dividantur.

IX. Quæ Vasquez frustrà conatur eludere.

Verùm contra primò, Sacerdos ille pro singulis posset orare, & sic omnes æqualem effectum impetrationis acciperent, ac si pro singulis seorsim offerret. *Denique*, impetratio Ecclesiæ se habet per accidens ad solutionem debiti ex parte Sacerdotis; nam excommunicatus, qui Missam celebraret ex debito, satisfaceret suæ obligationi, etiam si nomine Ecclesiæ nihil impetraret, quippe cùm ab ea sit præcisus.

Reponit secundò, Sacerdotem in eo casu ideo agere contra justitiam; quia cùm stipendium detur ratione sustentationis, ut qui altari servit, vivat de altari; ipsa justitia non patitur, ut qui semel ab uno in sustentationem stipendium accepit, iterum ad idem opus aliud stipendium accipiat.

Verùm contrà, inde sequeretur *primò*, quòd qui stipendium accepit pro celebrando uno Sacro in die Natalis Domini, non possit iterum stipendium accipere pro secunda, & tertia Missa; quippe cùm jam habeat ratione accepti stipendii pro prima Missa, unde sustentetur illâ die, & vivat de

A Altari. *Secundò*, sequeretur, quòd Sacerdos, qui liberaliter promisit, se celebraturum Sacrum pro uno, posse iterum acceptare stipendium ab alio pro eodem Sacro faciendo; quippe cùm Missa æquè duobus prodesset, ac si pro uno duntaxat offerretur.

Dices primò: Sacrificium crucis fuit valoris infiniti: ergo & Missæ Sacrificium pariter est valoris infiniti. Antecedens communiter admittitur a Theologis. Consequentia verò probatur: *Tum*, quia Sacrificium Missæ est idem numerô cum Sacrificio crucis ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis; est enim in utroque Sacrificio eadem victima, & idem Sacerdos: *Tum*, quia B eadem est vis satisfactoria ex opere operato in utroque Sacrificio; nam, ut diximus, Christus nunc de novo non satisfacit, sed per Sacrificium crucis semel satisfecit, & hæc satisfactio applicatur nobis per incruentum Missæ Sacrificium.

X. Valor Sacrificii Missæ non æquivalet Sacrificio crucis.

Nego consequentiam: Quamvis enim Sacrificium crucis fuisset infiniti valoris, inde non sequitur, quòd Sacrificium incruentum Missæ sit pariter infinitum; quippe id quod applicat perfectionem causæ principalis, in eodem gradu hujusmodi perfectionem non participat.

Porrò Missæ Sacrificium applicat satisfactiones Sacrificii crucis; ac subinde non habet eandem virtutem satisfaciendi, quam habuit crucis Sacrificium: unde Sacrificium crucis debuit ha- C bere quandam vim infinitam, quia unâ oblatione Christus consummare debuit in æternum sanctificatos; cùm enim hoc Sacrificium non esset iterabile, debuit extendi ad omnes, & esse satisfactorium pro omnibus; secus est autem de Sacrificio Missæ, quod Christus voluit pluries offerri, & frequentari; ideirco non debuit habere valorem infinitum, alioquin frustrà fuisset repetendum.

Ad probationes autem *dico*: ad *primam* quidem, quòd valor oblationis non semper repetatur ex parte principalis offerentis, & dignitate rei oblatæ; sed etiam ex parte applicationis. Porrò applicatio meritorum Christi, quæ fit per Sacrifi- D cium Missæ, finita est, & determinata, ut constat ex praxi Ecclesiæ: igitur, &c. Idem dicendum *ad secundam probationem*: licèt enim effectus Missæ Sacrificii fiat ex opere operato, tamen cùm pendeat ab applicatione Sacerdotis offerentis; ideirco determinatur juxta determinantis intentionem. Non igitur rectè infertur infinitas Sacrificii ex infinitate rei oblatæ, & principalis offerentis; alioquin sequeretur, quòd oblatio, quâ B. Virgo Filium suum obtulit in templo, habuisset valorem infinitum: & similiter oblatio illa, quâ Filium suum morientem Patri obtulit, fuisset infiniti valoris ex parte B. Virginis; siquidem Christus in eo Sacrificio erat victima, & principalis offerens. Quamvis ergo hoc Sacrificium sit idem cum Sacri- E ficio, quoad principalem offerentem, & victimam oblatam; inde non sequitur, quòd sit ejusdem valoris quoad oblationem; nam oblatio in hoc Sacrificio est actio Sacerdotis, quæ est finiti valoris; oblatio verò quæ facta fuit in Sacrificio crucis, erat infiniti valoris & dignitatis ex ea parte, quâ procedebat ex persona infinita, & increata Verbi.

Objicies secundò: S. Hieronymus, ut refertur de consecr. dist. 5. cap. *Non mediocriter*, ait: *Dum pro centum animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro una qualibet earum diceretur, accipitur*: sed id dici non posset, si Sacrificium non esset infiniti valoris.

XI. Quô sensu S. Hieron. censeatur dixisse unam Missam pluribus prodesse ex æquo.

Respondeo primò, certò non constare, quòd ea sententia sit S. Hieron. *Secundo*, respondet Doctor, illius legitimum sensum esse, quòd uni Sacerdoti non minùs prosit unica Missæ celebratio, & recitatio attenta, & cum fervore spiritûs paucorum psalmorum, quàm multiplex remissa, & frigida cum tristitia spiritûs, & cordis anxietate; unde immediatè hæc verba præcedunt: Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quàm totius Psalterii modulatio cum anxietate cordis, & tristitia. Quæ verba, *inquit Doctor*, dixit S. Hieronymus, si tamen reverà dixerit, ad consolationem Monachorum, qui si pro multis orare teneantur, non est necessum, quòd propterea plures fundant orationes, quæ eis tædium inferrent; sed satius est, quòd pauciores Missas, & Psalmos celebrent cum devotione, & fervore spiritûs.

Objicies tertiò: Bonum spirituale proportionatur spiritui, & spiritus; v. g. Angelus est ubique totus, & non per partes communicator: sed est totus in toto, & totus in singulis partibus: ergo bonum spirituale, & per consequens fructus Sacrificii communicatur sine divisione, & ita non diminuitur, licèt pluribus communicetur.

XII. Bonum spirituale communicari potest cum sui divisione.

Respondet Doctor n. 8. Spiritus etsi extensivè non dividatur, tamen numeraliter spiritus à spiritu distinguitur: sunt enim singulorum corporum animatorum singulæ animæ: & illæ habent bonitatem naturalem magis extensivè, quàm una ex eis: imò æquivalentem bonitati magis intensæ, secundùm illud S. Augustini 7. de Trinit. cap. 6. *Plus sunt aliquid homines duo, quàm unus homo.* Et per hoc distinguitur pluralitas in Divinis, à pluralitate in creaturis; quia plus aliquid hîc sunt duo, quàm unum, non sic ibi. Unde subdit: *Non enim major essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul, quàm solus Pater, aut solus Filius.* Bonitatis etiam plures spirituum sunt majoris valoris, & ideo requirunt plura bona, vel unum majus bonum, propter quod retribuantur. Non enim qui orando meretur vivificare unum mortuum, eâdem ratione, æquè meretur vivificationem quorumcunque mortuorum. Ita dico, quòd bonum spirituale communicatur sine divisione quantitativa: secundùm extensionem tamen communicatur cum distinctione, scilicet aliud alteri, & ita requirit distinctum meritum, propter quod reddatur, & hoc dico æquale intensivè.

Instabis: Saltem bonum spirituale non communicatur per partes: ergo si virtute hujus Missæ debetur bonum utrique tanquam unum totale præmium; illud non reddetur per partes, sic scilicet quòd pars dabitur uni, & pars alteri.

Respondet Doctor n. 9. ex S. Augustino 6. de Trinit. cap. 8. In his, quæ non mole magna sunt, hoc est, majus esse, quod est melius esse. *Subsumit:* Duo verò bona æqualia sunt meliora alterô: ergo in eis est major bonitas; majus autem licèt non possit actu dividi, tamen toti æquantur plura parva, quàm medietati, & in illis parvis est distinctio, & pro illo uno magno, licèt in se indivisibili, tamen divisibili, vel magis distinguibili in æquivalentia possent illa multa reddi. *Applicat ad propositum:* Sic hîc tanto merito debetur adæquatè tantum: illud in se dividi non potest, sed tamen illi æquivalere possunt multa bona minora, & ita ipsum potest dividi valore, dum pro ipso diversa bona minora distinctè redduntur. Non ergo illud bonum spirituale realiter per partes datur, sed datur in multis bonis minoribus, quæ respectu illius boni habent partialem valorem.

Urgebis: Qui spiritum recipit, totum spiritum recipit: ergo similiter, qui aliquod bonum spirituale recipit, recipit ipsum totum.

Respondet Doctor: Si possibile esset, eundem spiritum distribui multis in valore, sicut hîc est possibile de bono reddendo virtute orationis, unicuique minus bonum daretur: & fortè etiam spiritus minùs communicaretur, si transcenderet suum susceptivum proportionatum; sicut fortè anima non æquè vivificaret corpus quantumcumque cresceret; sed passo proportionato æquè communicatur: in proposito receptivum proportionatum bono illi, quod est reddendum pro merito, est una persona, & quod datur illi, datur non per partes.

Instabis denique: Aliqua etiam corporalia non minùs communicantur pluribus, quam paucioribus, ut patet de lumine candelæ æquè plura illuminabilia illuminantis, ac si unicum eorum tantùm illuminaret: Patet etiam in voce, quæ æqualiter simul immutat auditum plurium audientium, ac si unum illorum solùm immutaret: igitur à pari bonum spirituale valoris Sacrificii pluribus applicatum non minùs proderit singulis, quàm si uni tantùm applicaretur.

Respondet Subtilis Doctor n. 11. Cùm dicitur, quòd æquè illuminantur plura illuminabilia, sicut unum, verum est, quando illa plura sunt partes ejusdem illuminabilis adæquati; putà, quando sunt contenta in eadem sphæra, sive intra eandem sphæram respectu illuminantis, ut centum. In proposito autem, duo illi pro quibus oratur, non sunt per se partes unius, quod sit susceptivum adæquatum boni reddendi virtute orationis: sed uterque per se est susceptivum adæquatum. *Ita Doctor.* Fateor equidem, quòd Deus potuit efficere & ordinare, ut Missæ Sacrificium æqualiter prodesset pro pluribus, ac plures æqualiter ab eadem candela illuminantur: non tamen ita statuit, sed potius voluit ut fructus, & valor Missæ se haberet ad modum pecuniæ, quæ divisa inter multos minùs prodest. Quòd ita ordinaverit, constat ex dictis in confirmatione nostræ sententiæ.

Objicies denique: Idem Sacerdos unicâ actione plures baptizare potest; ita ut omnibus æqualis conferatur gratia ex opere operato: ergo pariter offerens Missæ Sacrificium pro pluribus, æqualiter proderit, & valebit omnibus illis ex opere operato. Consequentia patet, quia tam Sacramentum, quàm Sacrificium hoc valorem suum habent, præsertim ex opere operato. *Confirmatur*, quia per Sacrificium Missæ virtus meritorum Christi nobis applicatur, quæ certè non minuitur ex eo, quòd pluribus applicetur: ergo Sacrificium, per quod applicatur, cùm pro multis offertur, eôdem modô singulis proderit, ac si pro paucioribus offerretur. Tandem certum est, Sacerdotem in Missa commemorationem facere non solùm ejus, qui stipendium dedit pro sacro, sed etiam aliorum, ut propinquorum, & amicorum, quod utique non liceret, si ob id in ejus fructu, qui dedit eleemosynam detrimentum aliquod pateretur.

XIII. Quare Sacerdos plures simul possit ex æquo baptizare, non verò ita pro multis offerre.

Nego consequentiam: Quia, inquit Doctor in 4. dist. 6. qu. 2. cùm Sacramentum Baptismi sit ablutio passiva, sequitur quòd tot erunt Sacramenta Baptismatis, quot homines abluti; atque adeo multiplicatô Sacramentô, multiplicabitur etiam

etiam illius effectua: Missæ verò Sacrificium pluribus applicatum solùm est unicum; unde ex opere operato uoieum habet effectum.

Ad primam confirmationem nego pariter consequentiam, licèt enim per Sacrificium Missæ virtus meritorum Christi nobis applicetur; non tamen applicator ad æqualitatem, & eum omni plenitudine, inquit Doctor, sed tantùm inadæquatè, & quoad determinatos effectus.

Ad secundam confirmationem respoodet Doctor, quòd quaodo Sacerdos obligatus ex stipendio accepto ad celebrandam Missam pro aliquo; nihilominous insuper orat in *Memento* pro amicis, propinquis, &c. noo sic orat, quasi specialiter intendat illis qooque applicare valorem Sacrificii, qui ei ex opere operato correspondet, hoc enim totum qooad substantiam, & fructum tenetur applicare illi, qui stipendium dedit: sed tantùm applicat fructum, qui ea Sacrificio provenit per modum impetrationis, ex opere operantis, sive ex merito personali. Quod utique legitimè præstare potest, quia per hujosmodi fructûs particularis applicationem, nihil detrahitur fructui correspondenti oblationi, quæ fit in persona Christi, in utilitatem ejus qoi stipendium dedit.

PETAS 1. *An Sacerdos possit licitè & legitimè accipere simpliciter stipendium pro celebratione Missa?*

XIV. Legitimè potest recipi stipendium pro Missa.

Affirmo cum omnibus Theologis, idque probator ex illo Lucæ 10. *Dignus est operurius mercede suâ:* Justum enim est, ut qui in bonum aliorom applicantor mioistrando spiritualia, mutuò ab illis ad vitam temporalem fovendam & sustentandam necessaria aceipiant, ut egregiè probat Apostolus, 1. ad Cor. 9. *Quis*, inquit, *militat suis stipendiis unquam, quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundùm hominem hac dico? An & lex hac non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructûs percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestra participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hâc potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis, quoniam qui in sacrario operuntur, qua de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Quibus verbis significat Apostolus, non solùm eos, qoi Evangelium annuntiant, sed etiam qui in offereodo Sacrificio altari deserviunt, posse legitimè pro beneficiis spiritoalibus impensis temporalia ab eis, quibos spiritualia largiuntur, accipere; uode oihil mirum si Ecclesia approbat praxim accipiendi stipendii pro impenso labore, & opere in celebratione Missæ.

XV. Absque labe simoniæ.

Nec obstat, quòd in hoc interveniat pactum aliquod, in quantùm datur stipendium, ut fiat sacrum, & vicissim fiat sacrum, ot accipiatur, vel propter acceptum stipendium: Nolla enim in hoc ioterveniat Simoniæ labes, qoia stipendium noo datur pro ipsa Missa, quasi esset illius pretium: *Sed*, inquit Doctor quæst. 20. quodlibeticâ ad 3. art. principalem, *eleemosyna liberaliter offertur* A *cum petitione orationis: & recipiens eleemosynam, tenetur secundum justitiam exaudire mendicantem orationem suam: & tunc ex justitia liberaliter tamen, scilicet sine conventione, & computatione obligat se ad orandum pro benefactore; vel si est communitas aliqua, Prelatus ejus se pro tota obligat: vel ipsam totam obligat, vel ipsa tota se totam obligat, & qualibet istarum obligationum potest esse stricta, licèt non sit secundùm commutationem hujus pro illo.*

Ex quo sit mensurandum.

Itaque stipendium oon datur pro ipsa Missa: sed vel pro sustentatione Ministri, vel pro ipso externo ministerio, quæ sunt aliquid temporale. Unde justum Missæ stipendium non debet mensurari penes valorem Sacrificii; qui etiamsi sic oon B sit infinitus formaliter, tamen adeo summua est, ut nullum bonom temporale possit ipsi ea æquo compatari. Neque etiam mensurari debet penes effectom, quem consequitur ille, cui Sacrificium applicatur; quia effectus illi per se primò sunt quid spirituale; licèt interdum tendant io consecutionem rei temporalis: sed stipeodium mensurari debet vel ex lege Ecclesiastica illud taxante; vel ex justa & rationabili consuetudine; vel, si hæc deficiunt, ea honesta, & frugali Sacerdotis io ooum diem sustentatione. Quapropter stipendium majus legitimè exigi noo potest, quàm quod à Superiore potestatem habente, putà Episcopo, vel ejus Officiali taxatum est: vel si taxatum non fuerit, exigi oon potest majus, quàm quod com- C muni consuetudine receptum & approbatum est à viris prudentibus, & timentibus Deum; quod tamen oon impedit, quin Sacrificium offerri postulans, longè uberius stipendium, qoàm illod, quod taxatum est, ex liberalitate possit largiri.

PETES 2. *Verum quando quis petit ut secundùm suam intentionem plura celebrentur Sacra, nec dat justum stipendium pro singulis, possit Sacerdos propriâ authoritate numerum Missarum ita determinare, & redigere, ut conveniens stipendium pro singulis habeat.*

XVI. Sacerdos non potest plura modica stipendia accepta pro diversis Missis, ad unam restringere.

D *Affirmant* multi Casuistæ: Qoia, inqoiunt, tuoc fit injuria Sacerdoti, à qua potest seipsum redimere; quamvis promiserit pro quolibet modico ono stipendio se Missam celebraturum: non secus ac famulus & operarius, cui condigna merces non tribuitur potest damnom suum, ut poterit resarcire.

Verùm prætet quàm quòd hæc sententia periculosô fundamentô nititur, mihi omnino videtur improbanda: *Tum*, qoia directè militat io fidelitatem servandam in omnibus pactis, vergitque in fraudem, & deceptionem illios, qui Sacrificia postulat, quique tot Sacrificia alibi certò potuisset obtinere, in illis nempe locis, in quibus minora sunt taxata stipendia; qoia non ita carè E vivitur: *Tum*, quia hanc seotentiam tanquam minùs tutam proscripsit sacra Cardinalium Congregatio, ordinata secundùm determinationem Concilii; nam die 21. Julii annô 1625. inter cætera hæc decrevit: « Pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferantur in futurum Sacerdotibus: sacra Congregatio sob obtestatione divini judicii mandat ac præcipit, ot absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad ratiooem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: alioqui graviter peccant, & ad restitutionem tenentur. »

PETES DENIQUE: *Utrum quis acceptô justô & taxatô in sua Diœcesi stipendio pro Missis celebrandis, possit curare totidem Missas in alia Diœcesi celebrari pro minori stipendio, retentâ sibi aliquâ accepti stipendii parte; putà si quis 24. aut 30. asses Parisiis exceperit pro duabus Missis celebrandis, possit curare totidem Missas celebrari in ea Diœcesi, in qua tantùm quinque aut sex asses taxantur pro stipendio.*

XVII. Nec illius partem sibi arrogare dum Missam ipse non celebrat.

Affirmant Suarez disp. 86. sect. 3. Emanuel Sa, & nonnulli alii ex recentioribus Casuistis; quia, inquiunt, hoc in casu non fit injuria nec danti stipendium; quippe cùm tot sacra pro eo celebrentur, quot ipse postulavit: nec Sacerdoti Missas dicenti; quia datur ei justum stipendium secundùm ordinationem suæ Diœcesis. Verùm hæc sententia mihi videtur omnino improbanda. *Tum*, quia Sacerdos ille, qui 24. vel 30. asses recepit, & tantùm 10. aut 20. largitur, nullum habet jus retinendi partem residuam hujus pecuniæ, neque *titulô gratuitô*, quoniam hæc residua pars ipsi non donatur, neque à vero Domino illius pecuniæ, neque à Sacerdote dicente illas Missas; unde facit utrique injuriam, retinendo partem pecuniæ, quæ destinata fuerat pro legitimo stipendio. *Nec* habet etiam jus in eam partem pecuniæ *titulô onerariô*: quippe cùm ipse non subeat onus dicendi Missam, neque tantùm laboret in quærendo Sacerdotem, qui has Missas celebret, ut propter eum laborem justè sibi retinere possit illam pecuniæ partem: *Tum*, quia hæc sententia omnino proscripta fuit ab eadem sacra Congregatione Concilii, quæ suprà; eôdem enim decretô definivit, non posse Sacerdotem majori acceptô stipendiô pro celebratione Missæ partem ipsius retinere; *Sacra Congregatio*, inquit, *omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdotem, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat.*

Nec obstat, quòd Julius II. dicatur concessisse Generali Ordinis nostri, qui tunc erat, ut in sua visitatione posset sic in multitudine Missarum dispensare, ut in qualibet Missa possent recitari novem orationes, seu Collectæ, & quælibet Collecta valeret pro una Missa: quam concessionem extendit Leo X. annô 1615. ut quilibet Generalis futurus idem facere posset. Et super valore istarum concessionum consultus Navarrus, respondit lib. 5. Consiliorum tit. de Privilegiis, valere eam concessionem, licèt eâ utendum esset cum magna consideratione; nec posse sine magna necessitate recipi talem numerum Missarum, cum proposito decipiendi illos, qui pro tali numero Missarum eleemosynas offerunt.

Insuper, idem Leo X. dicitur concessisse Patribus nostri Ordinis quòd si eleemosyna non æquivaleret uni regali, possent unicâ Missâ satisfacere, etiamsi duas, vel tres, aut quatuor celebraturi essent, occasione plurium eleemosynarum, ut refertur in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, verbô *Missa*, ubi idem ab iisdem Pontificibus concessum Patribus Minimis, refert Laurentius Perinus.

Hæc, inquam, *non obstant*: *Tum*, quia omnia ista privilegia censentur revocata per suprà dicta Decreta Congregationis approbata & confirmata authoritate summi Pontificis. *Tum*, quia, ut observat præfatus Author Privilegiorum nostri Ordinis; hæ omnes concessiones Pontificiæ sunt surreptitiæ: *Tum* etiam, quia essent concessæ in præjudicium animarum & æqui ac justi regiminis Ecclesiæ; ac sunt repudiandæ.

Inde tamen inferre non, licet quòd qui habet beneficium, ratione cujus debet singulis diebus Missam celebrare, teneatur omnem illius beneficii fructum eo die obvenientem ei largiri cui Missam celebrandam commendat; nam beneficii cujuscumque fructus non solùm obvenit propter celebrationem Missæ, sed etiam propter recitationem Officii, & dignitatem ac necessitatem statûs Ecclesiastici: quapropter ex æquo satisfaciet largiendo celebranti Missam, taxatum stipendium in ea Diœcesi in qua commorantur.

Plures sunt aliæ similes hac de re formari solitæ quæstiunculæ; de quibus consulere poteris Theologos Morales, seu Casuistas; sed cave à laxioribus, *quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam; & pauci sunt qui inveniunt eam.* Faxit Deus ut eam & invenire, & per eam ad æternæ fœlicitatis sacrarium pervenire valeamus.

Finis Tractatûs de Eucharistia.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Sacramento Confirmationis.

CONSOLTÒ quidem Sacramenti Confirmationis delineationi (quæ apud alios Theologos inter Sacramentorum seriem secundom locum obtinet) nos quintom duotaxat assignamus. Enimverò homo vitiatâ propagine, & propriis suorum peccatorum sordibus deturpatus priùs per ea Sacramenta, quæ ad eluendas animi sordes & restaurandam vitam spiritualem instituta suot, repurgari deboit, ac etiam Christi D. corporis & sanguinis edulió saginatus adolescere, quàm per sacram Confirmationem inter strenuissimos Christi milites consignaretur, & ejos unctione accingeretur ad pugnam, & ad victoriam armaretur. Nam, ut præclarè ad Episcopos Hispaniæ scribit B S. Melchiades summus Pontifex: *In Baptismo regeneramur ad vitam; post Baptismum ad pugnam confirmamur: in baptismo abluimur; post baptismum roboramur: regeneratio per se salvat in pace baptismum recipientes; Confirmatio armat atque instruit ad agones.*

Quare inusitatâ methodô quintò tantùm locò agamus de Confirmatione.

Etenim si Christum nostræ militiæ ducem *unxit Deus oleô lætitiæ præ participibus ejus*, quia noo venerat *mittere pacem, sed bellum* adversus principes & potestates tenebrarum, de quibus gloriosam victoriam reportavit, C *& traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*; ita planè convenientissimum erat, ut Christiaous totô vitæ suæ mortalis curriculô contra eosdem bostes, attritos quidem ooo tamen exarmatos, præliaturus, cœlesti Coofirmationis onguentô perunctus medios inter adversarios aodacter erumperet, & nullô pœnarum suppliciorumque terriculamentô à Christianæ fidei professione deterreretur.

Satis oon fuit Israëlitis ad consequendam tot votis expetitam terram promissionis, borrendos maris rubri gurgites transcendere, ut refluentibus in eorum hostes jugulatricibus aquis, securo pede procederent; fuit insuper necessum, D ut post contritos ac conculcatos varios serpentes, post gustatum cœleste manna, oova etiam virtute, novoque animi imbuerentur ardore, ut adversus tot obviantes bostium exercitus animoaè prælíareotur, & eis devictis, optatam ac sibi repromissam terram lacte ac melle manantem obtinerent. His figurarum lineameotis apertè satis adumbratam coojicio fidelium novæ legis sortem; ut quod Israëlitæ præ se ferunt in umbris, Christiani media in veritatis luce implere teneantur. Non enim nobis satis est ad æternam fœlicitatem anhelantibus, contrivisse capita draconũ in aqois, E & in salutiferis baptismatis undis nobis congenitum primordiale crimen deposuisse; nec sufficit omoia deinceps contracta peccata, veluti tot serpeotes, in deserto pœnitentiæ in amaritudine animæ contrivisse: oportuit oltrà, ut post Christi Domioi corpore veluti cœlesti manna recreatus animos, adhuc novâ virtute roboraretur; quatenus incursantes ac assiduè infestantes muodi, carnis, ac dæmonis imperus oon solùm constanter sustinere, sed etiam generosè repellere valeret.

Ea autem est cœlestis virtos & divina propemodum animi fortitudo & constantia, qoam ex Confirmationis Sacramenti participatione mutuamur; quamque Christus D. Apostolis spondens S. Spiritûs in eos mirabilem illapsum promiserat, dicens Actor. 1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos*: nam, ut egregiè ait suprà laudatus Melchiades Pontifex, *quod nunc in confirmandis Neophytis manûs impositio tribuit singulis; hoc tunc Spiritûs S. descensio in credentium populos donavit universis.* Non erit igitur ingratum, nec injucundum tam eximii tamque utilis ac necessarii Sacramenti naturam, effectus, ac legitimum dispensatorem & susceptorem investigare. Quod utique pro modulo nostro præstare cooabimur tribus in seqoentibus Articulis: quorum *Primus* Confirmatioois essentiam: *Secundus*, ejusdem mirandos effectus: *Tertius*, Ministrum ac susceptores explicet.

ARTICULUS PRIMUS.

De essentia Sacramenti Confirmationis.

QUONIAM rei cujuslibet oomen, ejusdem essentiæ & naturæ non obscurum ootamen est & iodicium, ideo qoò facilior ad investigandam & detegendam Confirmationis Sacramenti naturam nobis pateat aditus, placet in limine varia, quibus delebratur & illustratur, nomina recensere. Primò itaque ab excellentiori effectu dicitur *Confirmatio*: quia nisi aliquis obex interveniat, Christiani, qui per Baptismom nascuntur in Christo; sootque, ait S. Petrus epist. 1. cap. 2. *quasi modò geniti infantes*, per hujus Sacramenti virtutem, & divini unguenti perfusionem tantô robore firmantur, taotâque dooantur animi fortitudine, & constantiâ, ot Christi fidem, ac Religionem generosissimè coram sævientibus etiam tyrannis profiteantur: oulloque pœnarum ac suppliciorum terriculameotô à recta fide & pietate deterreri possint. *A cæremonia*, quâ hoc Sacramentum suscipientes consignantur in fronte, appellatur à S. Clemente epist. 4. *Consignatio*, à S. Cypriano epist. 73. *Signaculum Dominicum*; quibus prælusit Apostolus ad Ephes. 4. scribens: *Nolite contristare Spiritum S. in quo signati estis.* Ratione *materiæ*, ex qua conficitor, appellatur à S. Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia cap. 4. *Perfectrix unctio & consummatio*, quòd Christianum consummatum efficiat, perficiat, & absolvat; cùm enim Christianus dicatur à Chrismate, noo censetur eô nomine dignus, qui non est unctus. Ab eodem etiam ibidem appellatur, *Vnguentum divinum ac deificum*: eô quippe Christianus delibutus unguen-

Quare hoc Sacramentum appellatur, 1. Confirmatio.

2. Consignatio.

3. Vnctio.

tô nedum ipſimet Chriſto, id eſt, Uncto aſſimilatur; ſed & tantâ S. Spiritûs plenitudine perfunditur, ut per hæc magna & pretioſa dona efficiatur conſors divinæ naturæ. *A ritu*, quô Sacramentum illud conferre ſolebant Apoſtoli, vocari ſolet à Patribus, maximè Græcis, *Manûs impoſitio*, juxta illud Actor. 8. *Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Aliis etiam plurimis his ſimilibus gloriæ titulis illuſtrari ſolet à SS. Patribus, ut conſtabit in hujus Diſputationis decurſu, maximè verò in præſenti articulo; quem tribus quæſtionibus abſolvemus, quarum, *Prima*, hujus Sacramenti eſſentiam generatim: *Secunda*, illius materiam: *Tertia*, ejuſdem formam ſpeciatim explicabit.

4. Manûs impoſitio.

Quæstio Prima.

Utrum Confirmatio ſit verum, ac propriè dictum novæ legis Sacramentum, & quandonam à Christo fuerit inſtitutum.

I. Varii hæretici hoc Sacramentum impugnârunt; maximè verò

NOtandum primò, mirum non eſſe, quòd hæretici poſt ejuratam Chriſti fidem, etiam Confirmationem, Chriſtianitatis Sacramentum, abjiciant; cùm enim Chriſtianus dicatur à Chriſmate, ſicut Chriſtus ab unctione, non potuerunt illi conſervare ſacræ & Chriſtianæ Unctionis Sacramentum, qui Chriſti legem & religionem evertere ac peſſundare moliti ſunt. Præ cæteris autem hujus Sacramenti impugnatoribus inſenſiſſimi extiterunt *Novatiani* ex Theodoreto lib. 3. hæreticarum fabularum, ubi ait eos non obſignare Chriſmate quos baptizant, quòd Novatus in lecto decumbens baptizatus fuerit ſine conſuetis Baptiſmi cæremoniis, nec poſteà ab Epiſcopis fuerit confirmatus. Quod etiam teſtatur S. Cornelius ſummus Pontifex epiſt. ad Fabium Antiochenum, quam refert Euſebius lib. 6. cap. 35. ubi loquens de Novato, ait: *Neque Domini ſigillò ab Epiſcopo conſignatus fuit, quô quidem neutiquam potitus, quomodo, quæſo, Spiritum ſanctum adeptus eſt?* Ariani ſimiliter hoc Sacramentum contempſerunt, ut colligitur ex Concilio Nicæno can. 31. Arabicô, & Arelatenſi 2. can. 17. & Trullenſi can. 95. *Donatiſtæ* pariter in hoc Sacramentum contumelioſi fuerunt, ut ſcribit Optatus lib. 2. contra Parmenianum, ubi refert, ampullam vitream ſacri Chriſmatis à Donatiſtis projectam per feneſtram, divinitùs ſervatam fuiſſe illæſam.

Novatiani. — Ariani. — Donatiſtæ.

Eundem errorem innovavit *Vuicleffus* lib. 4. Trialogi cap. 14. ubi negat probari poſſe hoc Sacramentum ex Scriptura: adjicit inſuper nonnullos dicere illud à diabolo introductum, quos ipſe non reprehendit. Ita refert Thomas Vualdenſis tom. 2. cap. 111. Verùm ſicut poſt hominum memoriam ſacrorum rituum inſenſiſſimi fuerunt Lutherus, & Calvinus, etiam præ cæteris in hoc Sacramentum deſævierunt; *Lutherus* enim lib. de captivitate Babylonica, illud appellat inventum purè humanum: *Mirum, inquit, quid illis in mentem venerit, quòd Sacramentum Confirmationis fecerunt ex manuum impoſitione.*

Lutherani. — Et Calviniſtæ.

Calvinus autem lib. 7. Inſtit. c. 19. n. 5. cùm retuliſſet ritum adminiſtrandi hujus Sacramenti, & illud fictitiam Confirmationem appellaſſet, ſubdit: *Pulchrè & venuſtè, ſed ubi Dei Verbum, quod Spiritûs S. præſentiam hîc promittat: ne vota quidem oſtendere poſſunt: unde ergo nos certiores facient, Chriſma ſuum eſſe vas Spiritûs ſancti? Videmus oleum, craſſum ſcilicet & pinguem liquorem, præterea nihil.* Quoniam autem hæc ad ejus impietatem non ſufficiebant, addit numero octavo, *Veriùs definire hanc confirmationem poſſum, quàm ipſi hactenus definierint: nempe inſignem eſſe baptiſmi contumeliam, quæ uſum ipſius obſcurat, imò abolet: falſam eſſe diaboli pollicitationem, quæ nos à veritate Dei abſtrahit: aut ſi mavis, oleum diaboli mendaciò pollutum, quod velut offuſis tenebris, ſimplicium mentes illit:* Deinde ore petulco oblatrans in ſanctum Melchiadem, quòd in celebri ſua epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſcripſiſſet, *Confirmationem præſtantius eſſe Sacramentum quàm Baptiſmus*, ſic eum verbis maledicis & contumelioſis interpellat. *Os ſacrilegum, tu-ne pinguedinem fœtore duntaxat anhelitûs tui inquinatam, & verborum murmure incantatam, audes Chriſti Sacramento opponere, & conferre cum aqua verbo Dei ſanctificata? At parum hoc ipſum erat tuæ improbitati, niſi etiam præferres. Hæc ſunt ſanctæ Sedis reſponſa, hæc Apoſtolici tripodis oracula.* Ut autem obſtruatur os loquentium iniqua;

II. Quadruplex olim erat manuum impoſitio.

Notandum ſecundò, ex Hincmaro Rhemenſi Epiſcopo lib. de variis capitulis Eccleſiaſticis cap. 16. multiplicem antiquitùs frequentatam fuiſſe, ſed maximè quadruplicem manuum impoſitionem; nempe curativam, ordinativam, reconciliativam, & confirmativam: *Prima* erat ad fugandos corporis morbos, & exerendam ſaluti feram illam virtutem, quam Chriſtus D. Apoſtolis, ac in eum credentibus repromiſit, his verbis Marci ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Secunda*, nempe ordinativa ea eſt, quâ Sacrorum Miniſtri conſtituuntur, de qua S. Paulus 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterii.* Et iterum cap. 5. *Nemini citò manus impoſueris. Tertia*, cujus frequens eſt mentio apud veteres, erat *reconciliativa*, quâ Pœnitentes ad gratiam Abſolutionis admittebantur; illius enim meminit Concilium Carthaginenſe quartum can. 8. Agathenſe can. 11. Arauſicanum primum cap. 3. ubi loquens de Pœnitentibus infirmis abſolvendis, ait: *Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine Pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria manûs impoſitione recipiant.* De ea pariter, inquit Hincmarus, loquitur S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo, cap. 16. cùm ait: *Manûs impoſitio, non ſicut ac Baptiſmus, repeti non poteſt, quid enim eſt aliud quàm oratio ſuper hominem? Quarta* denique erat *confirmativa*, quâ Spiritûs S. plenitudinem longè, quàm in Baptiſmo, majorem Apoſtoli largiebantur, juxta illud Actor. 8. *Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Porrò de hac poſtrema manûs impoſitione, nobis futurus eſt ſermo in ſequentibus.

1. Curativa. — 2. Ordinativa. — 3. Reconciliativa. — 4. Confirmativa.

III. Cur interdum Confirmatio cũ Baptiſmo confundatur.

Notandum tertiò, ex Concilio Florentino in decreto de Armenis, *quòd locô illius manûs impoſitionis* confirmativæ, *datur in Eccleſia Confirmatio, & cùm cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur (quorum vices tenent Epiſcopi) quòd per manûs impoſitionem Spiritum ſanctum dabant.* Quoniam autem hæc Confirmatio ſimul cum Baptiſmo ſolebat antiquitùs concedi: idcirco interdum cum ipſo Baptiſmo à nonnullis è SS. Patribus confundi videtur; quod etiam feciſſe colligitur S. Petrus, dum Actorum 2. ait Judæis converſis: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis do-*

num Spiritûs sancti; etenim per ly *donum Spiritûs sancti*, non obscurè Confirmationem significat, quippe per solum Baptismum in Scriptora nullibi legitur datus Spiritus sanctus, id est, ejus donorum plenitudo, qualiter conferri solet in Confirmatione; quibus ita præmissis, sit

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Confirmatio est verum Sacramentum.

Confirmatio est verum, ac propriè dictam novæ legis Sacramentum. Hæc assertio est de fide expressè definita in Concilio Florentino in decreto de Armenis, & Tridentino sess. 7. de hoc Sacramento, can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Confirmationem otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & propriè dictum Sacramentum: aut olim nihil aliud fuisse, quàm Catechesim quamdam, quâ adolescentia proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Ejusdem etiam meminerunt Laodicenum, can. 48. *Oportet*, inquit, *baptizatos sacratissimum Chrisma percipere, & cœlestis regni participes fieri.* Et Elibertitanum can. 38. ubi statuit: Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum; itaut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat.

1. Definiunt Concilia.

Hæc autem veritas apertè colligitur è Scripturis sacris, maximè vero ex illo ad Ephes. 1. *In quo* (scilicet Christo) *& credentes signati estis Spiritu promissionis sanctô, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Et cap. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die Redemptionis.* Dicuntur autem per Confirmationem signati *Spiritu promissionis*, quia Dominus pollicitus est se missurum Spiritum sanctum, ut patet Joan. 14. 15. & 16. Dicuntur verò fideles, quos alloquitur Apostolus, signati *in die Redemptionis*, id est, in die Baptismi, in quo baptizati à peccati servitute redempti, & liberati simul ab Apostolis confirmabantur. Hæc autem signatio sine unctione non fiebat, ut idem Apostolus innuit 2. Cor. 1. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus in cordibus nostris*, per manus scilicet Antistitum: nam de Sacramento Confirmationis verba illa S. Ambrosius *lib. de iis qui initiantur, cap. 7.* interpretatur: *Repete*, inquit, *quia accepisti signaculum spirituale, spiritum sapientiæ, & intellectûs, spiritum consilii, atque virtutis, spiritum cognitionis, atque pietatis, spiritum sancti timoris, & serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus D. & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolicâ Lectione didicisti.* Ita etiam ex S. Chrysostomo locum illum intellexit Oecumenius: *Qui in veteri Testamento*, inquit, *ungebantur, aut Sacerdotes erant, aut Prophetæ, aut Reges. Et nunc*, inquit Apostolus, *ungimur, ut Reges quidem efficiamur, principatum super affectiones habentes.*

V. S. Scriptura non obscurè indicat.

Eandem veritatem indicat S. Joannes epist. 1. cap. 2. *Sed vos*, inquit, *unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.* Verba enim illa interpretatur S. Athanasius de Confirmatione, epist. ad Serapionem, his verbis: Chrisma dicitur spiritus, & sigillum est, cùm Joannis scribat: Unctio, quam accepistis ab eo, manet in vobis. Et in Isaia idem scriptum est: Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me.

VI. Ratio suadet.

Colligitur pariter hæc veritas ex gestis Apostolorum, qui passim leguntur per manûs impositionem contulisse Spiritum sanctum. Sic Actor. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu, tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Quibus significatur, quòd etiamsi jam Samaritani fideles baptizati excepissent Spiritum sanctum, unà cum gratia sanctificante, per Baptismum collatâ; nihilominus dicuntur illum non excepisse, quia videlicet illam S. Spiritûs plenitudinem per Confirmationem conferri solitam, ac uberrimam illius donorum plenitudinem nondum exceperant. Idem refertur *cap.* 19. ubi legimus, quòd cùm S. Paulus eos, qui baptizati erant Baptismô Joannis, jussisset iterum baptizari, manus eis imposuit, & venit Spiritus sanctus super eos.

Ex quibus omnibus sic formari potest argumentum: Omne signum sensibile gratiæ sanctificantis divinitùs institutum, est verum ac perfectum novæ legis Sacramentum: sed talis est Confirmatio: igitur, &c. Majorem ultrò admittunt hæretici. Minor verò probatur: Illa manuum impositio, quam usurpabant Apostoli, erat verum Sacramentum; siquidem erat *primò* signum sensibile: *Secundò* per illam conferebatur infallibiliter gratia; quippe cùm daretur Spiritus sanctus: *Tertiò* divinitùs erat institutum; nam Apostoli propriâ authoritate non potuissent aliquod signum instituere, ut ad ejus collationem certò & infallibiliter daretur Spiritus sanctus: sed illa manûs impositio, aliud non erat Sacramentum, quàm Confirmatio; non enim erat Baptismus, quandoquidem fiebat post Baptismum, & jam baptizatis conferebatur, ut ex statim dictis liquet: igitur distinctum à Baptismo erat Sacramentum.

Reponunt primò hæretici, illam manuum impositionem fuisse tantùm cæremoniam quandam Baptismi, quâ Apostoli baptizatos Deo commendabant, & offerebant, atque pro ipsis orabant.

VII. Manûs impositio ab Apostolis usurpata non erat nuda baptismi cæremonia.

Verùm contrà primò, id *gratis* dicitur, & sine ullo Scripturæ, & SS. Patrum testimonio: *Secundò*, mendaciter & falsò; quippe cùm per illam manuum impositionem daretur Spiritus sanctus majori plenitudine donorum, quàm in Baptismo fuisset collatus; ac subinde illa cæremonia nobiliorem dignitatem ac virtutem habebat, quàm Baptismus: *Tertiò*, imperitè; si enim illa manuum impositio fuisset duntaxat levis quædam Baptismi cæremonia, & nuda Baptizatorum oblatio, potuisset adhiberi à quocumque, qui posset Baptismum conferre: hoc autem repugnat Scripturæ; quos enim Philippus Diaconus baptizaverat Samariæ, eosdem ita Deo non obtulit, nec manum eis imposuit, ut S. Spiritûs plenitudinem acciperent; sed ad hoc beneficium conferendum missi sunt SS. Petrus & Joannes Apostoli.

Reponunt secundò, per Spiritum sanctum collatum per manûs impositionem, non intelligi gratiam sanctificantem, & gratum facientem, sed gratias gratis datas, putà donum linguarum, & Prophetiæ.

VIII. Neque solùm gratias gratis datas conferebat.

Verùm quàm futilis & inanis sit hæc elusio, probatur *primò*: quia Spiritus sanctus non dicitur dari per collationem gratiarum gratis datarum; sed per infusionem gratiæ sanctificantis, & charitatis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum: *Secundò* gratiæ gratis datæ non conferebantur omnibus, sed aliquibus tan-

tùm, prout Ecclesiæ expediebat. Unde Apostolus 1. ad Cor. 12. *Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes loquuntur linguis? &c.* Sed donum Spiritûs sancti, tribui solitum per manûs impositionem, conferebatur omnibus, quibus ab Apostolis manus imponebantur. Unde S. Petrus *Act.* 2. probat ipsum eundem Spiritum, quem acceperunt Apostoli in die Pentecostes, omnibus dandum esse fidelibus, & effundendum super omnem carnem. Porrò Apostoli in die Pentecostes nedum acceperunt gratias gratis datas; sed etiam gratiæ sanctificantis augmentum, & divinum robur, cælestemque virtutem ad Christi fidem, & Religionem animosè propalandam, ut ipsemet Christus D. promiserat Lucæ ult. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Et Actor. 1. *Accipietis virtutem Spiritûs sancti, & eritis mihi testes in Iudæa, &c.*

Reponunt tertiò, illam manuum impositionem fuisse duntaxat quandam cæremoniam à Christo institutam, quâ conferebantur egregia Spiritûs S. dona ad illustranda, & faciliùs stabilienda Ecclesiæ nascentis exurdia; qualis etiam erat virtus patrandi miracula: at hoc beneficium eum ipsis Apostolis desiisse, utpote cùm jam non conferantur ea dona cum signis sensibilibus linguæ igneæ.

IX. Neque facet situs ad illustrandam nascentem Ecclesiam qui nunc desierit.

Verùm hæc responsio directè militat in SS. Patres; nam S. Cyprianus epist. 73. loquens de Samaritanis baptizatis à Philippo Diacono, cùm dixisset: *Quia legitimum, & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultrà non oportebat: sed tantummodò, quod deerat, id à Petro & Ioanne factum est, ut oratione pro eis habitâ, & manu impositâ invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus sanctus.* Statim subdit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manûs impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominicô confirmentur.* Et S. Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. *Orabant*, inquit, *Apostoli, ut Spiritus sanctus in eos veniret, quibus manus imponebant; quem morem in suis Episcopis, seu Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.*

Ut autem omnino perfidia hæreticorum effutientium cum Calvino, Sacramentum Confirmationis primùm à Melchiade esse memoratũ, pateat, placet hìc attexere authoritates SS. Patrum, qui ab ipsis Apostolis acceptã de hoc Sacramento doctrinam continuã Traditione ad nos usque propagârunt. Prodit imprimis S. Dionysius, qui cap. 2. Ecclesiæ Hierarchiæ expressam hujus Sacramenti mentionem facit. Scribit enim: *Baptizatum indutum albâ veste ad Pontificem ducunt, ille divinô, ac deificô prorsus unguentô virum signat.* Et cap 4. loquens de Sacramento Eucharistiæ, ait: *Ei finitimum est aliud Sacramentum, quod Præceptores nostri unguenti Mysterium nominant.* Idem habet S. Clemens Romanus epist. 4. ad Julium, & Julianum, ubi circa medium scribit: *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & consignari ab Episcopo. Id est septiformem gratiam Spiritûs sancti percipere..... quia aliter perfectus esse Christianus nunquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, ut à B. Petro accepimus, & cæteri Apostoli, præcipiente Dominô docuerunt.* Idem docet lib. 3. Constitut. cap. 16.

X. Contrariũ enim apertè docent SS. Patres & Pontifices.

Similiter Urbanus primus in sua Decretali epist. scribit cap. 7. *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut veri Christiani inveniantur.* Pariter Cornelius epist. ad Fabianum Antiochiæ Episcopum, scribit minimè esse putandum Novati Clinici Baptisma perfectum, aut consummatum fuisse, aut Spiritum sanctum intervenisse, *eò quòd jacens in lecto pro necessitate perfusus sit: nec reliqua in eo, quæ Baptismum subsequi solent, adimpleta sint, nec signaculò Chrismatis confirmatus sit, unde nec Spiritum sanctum unquam potuit promereri.*

Idem factò suô comprobavit S. Sylvester, qui hoc Sacramentum Constantino administravit, ut ipsemet Constantinus testatur in edicto pro Christianis, ubi legimus: *Septiformis gratia Spiritûs sancti linivit beati Chrismatis unctionem, & vexillum sanctæ crucis circuivit in mea fronte, dicens: Signet te Deus sigillò fidei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Hujus pariter Sacramenti meminerunt SS. Pontifices, *Eusebius* epist. 3. *Innocentius I.* epist. 1. *Damasus* epist. 4. *Leo* epist. 86. &c.

Sed eis præivit Tertullianus lib. de Resurrectione carnis cap. 8. ubi declarans veterem Ecclesiæ consuetudinem administrandi eôdem die tria Sacramenta adultis optimè dispositis, nempe Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam; de Baptismo ait: *Caro abluitur, ut anima emaculetur;* de Confirmatione: *Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut anima muniatur, caro manûs impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur.* Quibus verbis tria designat, quæ in Sacramento Confirmationis ministrando observari solent: nam primò ungimur chrismate; deinde signamur signô crucis, demum manuum Episcopalium impositione adumbramur. De Eucharistia autem ait: *Caro corpore & sanguine Domini vescitur, ut anima de Deo saginetur.*

Ei subscribit *Origenes* homil. 9. in Leviticum.

Subscribunt pariter omnes SS. Patres Græci simul & Latini, maximè verò S. Ambrosius lib. 7. de Spiritu sancto cap. 6. *Signati*, inquit, *à Spiritu sumus: sicut enim in Christum morimur, ut renascamur; ita etiam Spiritu signamur, ut splendorem, atque imaginem ejus, & gratiam tenere possimus; quod est utique spiritale signaculum. Nam & si Spiritu signemur in corpore; veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem.*

Similiter S. Hieronymus dialogo contra Luciferianus sic Orthodoxum loquentem inducit. *Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritûs sancti manum impositurus excurrat.... Quòd si hàc locô quæris; quare baptizatus in Ecclesia nisi per manûs Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui? Disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.*

Idem approbat S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui ex quinque Catechesibus, quas pro informandis Catechumenis, qui eôdem die Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam debebant suscipere: primam, & secundam scripsit de Baptismo; quartam & quintam de Eucharistia; Tertiam composuit de Confirmatione, in qua inter cætera scribit: *Quemadmodum panis Eucharistiæ post S. Spiritûs invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi; sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, sed est Chrisma Christi; quod adventu Spiritûs sancti*

per ipsius Divinitatem energiam habet, quâ frons, & alii sensus sui symbolicè inunguntur, & corpus quidem istô visibili unguentô perungitur, anima verò sanctô ac vivificô Spiritu sanctificatur.

Consentit etiam Theodoretus in 1. Caput Canticorum, ubi scribit: *Qui initiantur Baptismô, post abnegationem Satanæ, & Confessionem fidei, veluti signô ac notâ regiâ spiritalis unguenti Chrismate inuncti sub ea visibili unguenti specie invisibilem S. Spiritûs gratiam percipiunt.* Similia habet S. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 10. ubi ait: *Apostolis datum Spiritum sanctum in forma ignis; nobis per oleum.* Idem pariter affatim cæteri Patres; sed unus pro omnibus sit S. Augustinus, qui pluribi Sacramentum Confirmationis commendat, maximè verò libro contra litteras Petiliani cap. 104. ubi referens illud Psalmi: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, ait: *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari; quod quidem in genere visibilium Sacramentorum sacro sanctum est, sicut ipse Baptismus.*

Ex quibus omnibus apertè liquet, quàm stolidè, quamque mendaciter Lutherus & Calvinus effutiant hujus Sacramenti nullum apparere vestigium, nec in Scriptura, nec in Traditione. Quibus utique reponi potest, quod Luciferianis reponebat S. Hieronymus: Exigis ubi *scriptum sit? In Actibus Apostolorum: sed etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtineret.*

Reponunt hæretici illam unctionem, cujus meminerunt SS. Patres, fuisse tantùm unam ex baptismi cæremoniis. *Tum, quia* priùs manuum impositio unà cum aliis baptismi cæremoniis exercebatur, ut patet ex SS. Dionysio, Clemente, & Cyrillo Catechesi 62. *Tum, quia* Tertullianus ubi mentionem fecit unctionis ex Chrismate libro de baptismo, concludit: *Diximus quantùm mediocritati nostræ licuit, de universis quæ baptismi religionem struunt:* Ergo censet eam spectare ad baptismi cæremoniam. Similiter S. Cyprianus, *epist.* 70. agens de tali unctione; ita eam nectit cum baptismo, ut ab ejus invaliditate vel validitate inferat baptismum iterandum esse vel non. *Tum denique, quia* ipsemet *epist.* 73. affirmat Samaritanis jam baptizatis per impositionem manuum Apostolicarum fuisse factum, quod eorum baptismo deerat. Similiter ex supra laudato Eliberitano Canone, unctio dicitur baptismi perfectio: Ergo à baptismate non distinguitur.

Nego antecedens & consequentiā & ad 1. *Confirmationem* dico, duplicem a prædictis Patribus distingui unctionem; unam quæ baptismum præcedit, quæque fieri debebat à Præsbyteris ex oleo puro circa totum baptizandi corpus, aut saltem in vertice capitis; quæ quidem unctio erat veluti præparatio ad baptismi internam unctionem seu gratiam recipiendam: & ejus meminit tum S. Clemens lib. 7. constit. cap. 43. *Tum*, S. Cyrillus laudatus: *Alia* erat unctio quæ non ex puro oleo sed ex Chrismate, neque ante, sed post baptismum, nec à Presbyteris, sed ab Episcopis, nec denique circa totum corpus, sed in baptizati fronte fieri debebat. Unde S. Cyrillus Catechesi 3. *Postquam* inquit, *ex aquis sacri lavacri ascendisti, datum est Chrisma quod gerit imaginem illius quô unctus est Christus, hoc autem est Spiritus sanctus.*

Eandem sententiam confirmat S. Dionysius lib. de Hierarch. Eccles. cap. 2. Nam ibi duplicem in baptismate unctionem fieri solitam advertit; unam quâ totum baptizandi corpus perfunditur à Sacerdotibus ante sacramentalem Baptismi ablutionem & formæ prolationem; seu, ut loquitur ipsemet S. Dionys. *Antequam Hierarcha eum qui initiatur ter demergat, & in tribus demersionibus immersionibusque trium divinæ beatitudinis personarum nomina appellet & invocet.* Alteram quæ completam baptismi collationem subsequitur; & ei confertur, quando indutus candidâ veste restitutus suo sponsori per Sacerdotes ad Hierarcham deducitur ungendus, & hanc unctionem in sua theoria à priori in *hoc distinguit, quòd habeat vim perficiendi & eum qui baptizatus est suavitate odoris fragrantem faciat*, quæ proculdubium Confirmationi conveniunt.

Ad S. Cyprianum dico, eum quidem jungere Chrismationem cum ablutione; non tanquam cæremoniam cæremoniæ, sed tanquam Sacramentum roborans sacramento gignenti & spiritualem vitam conferenti; tria siquidem sacramenta uno eodemque die ministrabantur: Baptismus quô spiritualiter nasci, Confirmatio quâ roborari, & Eucharistia quâ nutriri possent homines, ut constat tum ex S. Dionysio, tum ex Tertull. tum ex S. Ambrosio lib. 1. de initiandis cap. 2. tum denique ex ipsomet S. Cypriano, qui locô citatô ita loquitur: *Ungi quoque necesse eum qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate id est, unctione, esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit; porrò autem Eucharistia, & unde baptizati unguntur oleum in altari sanctificantur:* id est, oleum ad altare sanctificatur & Eucharistia conficitur. Sic enim subdit: *Unde nec unctio spiritualis apud hæreticos potest esse, quando constat oleum sanctificari & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse: scire autem & meminisse debemus scriptum esse: Oleum peccatoris non ungat caput meum.* Ex quibus legitimè infert, licèt erroneè, quòd si Confirmatio ab hæretico fieri nequeat, nec Eucharistia; quia altare & Ecclesiam non habent, ideo nec baptismus fieri potest.

Eodem modo *Resp.* Tertullianum intelligendum, sic ut velit se egisse de baptismo; non tanquam de unica actione secundum entitatem, sed secundùm continuitatem, quia Confirmatio nullâ morâ post baptismum conferri solebat. Quòd autem eam unctionem non puram esse baptismi cæremoniam teneat, satis indicat, dum eam ejusdem cum baptismo significationis ac virtutis esse doceat his verbis, *sic in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quo in aqua mergimur, spiritualis effectus quò à delictis liberamur.*

1 *Ad Concilium Eliberitanum dico*, illud non dicere baptizatum à Laïco ad Episcopum ducendum, ut perficiatur baptismus; sed ut baptizatus perfici possit; quod utique verum esse non abnuo, siquidem per Confirmationem perficitur & roboratur vita spiritualis per baptismum accepta.

Objicies primò: Frustrà fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora: sed omnis effectus, qui per Confirmationem præstari potest, sufficienter obtinetur per Baptismum, & Eucharistiam; nam in Baptismo infunditur gratia, virtutes communicantur, ipseque Spiritus sanctus tribuitur: pariter in Eucharistia vires spirituales crescunt, non secus ac corporis vigor cibô & potu roboratur; unde de Eucharistia explicari solet illud Psalmistæ oraculum: *Panis cor hominis con-*

firmat: igitur vanum prorsus ac inutile est Confirmationis Sacramentum.

Respondet Seraphicus Doctor in 4. dist. 7. dub. 2. ubi profert varias hujus argumenti solutiones: *Primò* modò, inquit, respondetur, quòd istud Sacramentum ordinatur ad robur per se, sed Eucharistia per accidens. Sed hoc non solvit, quia sive per se, sive per accidens, dum tamen habeat effectum eundem, videtur alterum superfluere. *Secundus modus* dicendi est, quòd Confirmatio confirmat contra malum, sed Eucharistia in bono. Sed nec illud sufficit, quia omne Sacramentum, cùm sit remedium, est contra malum, & ita Eucharistia. *Alii dicunt*, quòd duo sunt nobis necessaria, scilicet fides, & mores, & unum confirmat in fide, scilicet. Confirmatio: sed Eucharistia quantùm ad bonos mores; quia, ut dicit Bernardus, Eucharistia non solùm delet venialia, sed etiam consensum fortificat, ne inclinetur ad mortalia. *Alii dicunt* quòd utrumque fortificat fidem: sed duo necessaria sunt ad fidem firmam, scilicet corde credere, & ore confiteri: & Eucharistia confirmat quantùm ad fidem in corde, sed Confirmatio quantùm ad Confessionem, sive prolationem in ore. *Alii dicunt*, quòd utrumque fortificat charitatem, quia ab ejus fortitudine pendet fortitudo omnium. Sed charitas potest deficere dupliciter, scilicet per defectum alimenti, vel per actionem contrarii, sicut patet in igne materiali: & contra primum est Eucharistia, quæ cibat: contra secundum Confirmatio, ut impugnantibus resistat. *Alii dicunt* aliter, & probabiliùs, quòd Confirmatio est ad corroborationem fidei, sed Eucharistia charitatis: & hoc patet, quia hîc est signum Confessionis fidelis, ibi signum unionis. Et si quæratur, quare magis confirmantur hæ duæ virtutes, quàm aliæ, dicendum, quòd quia in his duabus pendet fortitudo spiritualis ædificii, quantùm ad intellectum, & affectum. Et quia in fide est prima elevatio, in charitate elevatio summa, & utrobique difficultas, & quia pronitas est ad contrarium; ideo magis confirmantur.

XI. *Cur præter baptismum & Eucharistiam adhuc necessaria sit Confirmatio.*

Verùm breviùs & clariùs, *respondeo* negando minorem; quanquam enim gratia sanctificans, & idem Spiritus sanctus in omnibus Sacramentis novæ legis conferatur; nihilominùs diversos in fines, & varios effectus collimat hæc communicatio; quod maximè verum est in tribus præfatis Sacramentis; in Baptismo enim infunditur gratia & virtutes Spiritûs sancti ad innocentiam, in Confirmatione ad pugnam, in Eucharistia ad animæ delicias & saginam. In Baptismo confertur plenitudo justitiæ, in Confirmatione plenitudo fortitudinis, in Eucharistia plenitudo devotionis. In Baptismo regeneramur in novam creaturam, in Confirmatione roboramur ad vitam spiritalem tuendam, in Eucharistia hujus vitæ spiritalis deliciis impinguamur: Sicut ergo non est superflua Eucharistia, tametsi gratia, & Spiritus sanctus in Baptismo conferantur; ita nec supervacanea est Confirmatio, quæ distinctum à duobus aliis Sacramentis effectum tribuit.

XII. *Quare olim sensibiliter daretur Spiritus S. nunc autè insensibiliter.*

Objicies secundò: Sacramenta novæ legis conferre debent gratiam ex opere operato, ut jam pluries diximus: at it non est de Confirmatione; nam, ut observat S. Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 16. Apostoli per manum impositionem non conferebant Spiritum sanctum, sed duntaxat quasdam sensibiles gratias gratis datas; imò neque has gratias virtute manuum impositionis

A conferebant, sed duntaxat meritô suæ orationis: *Orabant enim* (inquit lib. 15. de Trinitate cap. 26.) *ut Spiritus sanctus veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant.* Idem S. Cyrillus lib. 2. in S. Joanem cap. 2. negat Apostolicam manum dedisse Spiritum sanctum, sed eum ab Apostolis exoratum advenisse: igitur Confirmatio non habet veram rationem Sacramenti.

Nego minorem: & ad priorem S. Augustini authoritatem dico, eum duntaxat velle, quòd tunc quidem daretur Spiritus modò sensibili; nunc autem modò insensibili: *Neque enim*, inquit, *temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manûs impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei* B *& Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant loqui linguis? sed invisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis, eorum cordibus divina charitas inspirari.*

Ad alias, tum S. Augustini, tum S. Cyrilli sententias dico eos, *vel* non ibi intelligendos esse de Confirmatione, sed de alia manuum impositione, aliàs sibi ipsis contradicerent, cùm, ut jam diximus uterque asserat Apostolos Spiritum sanctum dedisse: *vel* eos velle quidem Apostolos non dedisse Spiritum sanctum ut causas principales, sed ut instrumentales: *Vel denique* loquuntur de manûs impositione non ordinatoria aut Confirmatoria, sed reconciliatoria, quâ scilicet recipie- C bantur pœnitentes ad pacem & Ecclesiasticam communionem.

Triplex siquidem erat manuum impositio; per quam dabatur Spiritus sanctus; nam per Ordinatoriam dabatur ad potestatem debitè exercendam in Sacramentis conficiendis aut ministrandis; per Confirmatoriam dabatur ad roborandam animam in fidei confessione. Per Reconciliatoriam dabatur ad remissionem peccatorum. De hac autem triplici manûs impositione ibidem agit Augustinus. Nam illius propositum erat solvere argumenta S. Cypriani, qui ex eo, quòd in sola Ecclesia dari potest & accipi Spiritus sanctus, D colligebat sacramenta Hæreticorum esse nulla & invalida, quod argumentum ut dilueret, initiò capitis explicat quid significetur per *Spiritum sanctum qui in sola Ecclesia Catholica dari potest*, dicitque: *Spiritus sanctus qui in sola Catholica Ecclesia per manûs impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt quod Apostolus ait, quoniam charitas Dei diffusa est in, &c.* ubi impositionem manuum sumit genericè, quatenus prædictis convenit, dicitque Spiritum sanctum, id est, charitatem non posse habere nisi bonos; ac proinde cùm extra Ecclesiam nullus sit bonus, concludit: *Non autem habent Dei charitatem qui Ecclesiæ non diligunt unitatem: ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi nisi in Catholica Spiritus* E *sanctus; non enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manûs impositionem modo datur Spiritus sanctus, &c.* Quibus accipit manuum impositionem non genericè, sed magis strictè, id est, pro confirmatoria, qua dicit dari Spiritum S. non attestantibus signis externis, sed latenter ut suprà dixi: ibi tamen nulla est æquivocatio, quia quod convenit toti generi, rectè declaratur exemplo unius speciei.

Triplex erat manuum impositio.

Deinde redit ad argumentum S. Cypriani, & distinguit tria Sacramenta, donum Spiritûs sancti, gratis datum, & gratum facientem, nempe charitatem;

Charitatem; dicitque extra Ecclesiam & in pravis hominibus posse esse duo priora. *Cùm ergo sit aliud Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritûs, qua in malis hominibus etiam fieri solet; sicut Saül habuit Prophetiam, aliud operatio ejusdem Spiritûs. quam nisi boni habere non possunt. sicut est finis pracepti charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta: quodlibet Haretici & Schismatici accipiant; charitas qua cooperit multitudinem peccatorum proprium donum est Catholica unitatis & pacis.*

Ac proinde contendit baptizatos ab Hæreticis debere in Ecclesiæ unitatem & gremium adunari, ut charitatem habere possint per impositionem manuum reconciliatoriam. Et quia poterat aliquis suspicari hanc manuum impositionem repeti non posse, sicut Baptismus, Confirmatio & Ordinatio, subjungit. *Manûs autem impositio non sicut baptismus repeti non potest: quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* Quibus apertè satis indicat se non loqui de impositione manuum confirmatoria: siquidem posset ei responderi, est Chrismatio, unctio, &c. Ut tu ipse dixisti locis citatis.

Instabis: Manûs impositio reconciliatoria non erat diversa à confirmatoria: Ergo si una iterari possit, potest &. alia.

Probatur antecedens, tum ex Concilio 1. Arelat. can. 8. *Si ad Ecclesiam aliqui de haresi venerint, interrogent eos nostra fidei Sacerdotes symbolum, & si perviderint in Patre, Filio, & Spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantùm imponatur, ut accipiant Spiritum sanctum: quod si interrogati non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.* Tum ex Laodiceno, can. 7. ubi statuitur, ut *Novatiani & Thessaradecatita ad Ecclesiam revertentes, nostra fidei symbolum doceantur, & uncti sancto Chrismate sic mysteriis communicent sacrosanctis, &c.*

Distinguo antecedens: In Ecclesia Orientali concedo: in Occidentali, nego: Nam, ut notant summi Pontifices, *Vigilius* epist. 1. capite 3. & *Gregorius* libro 9. epist. epistolâ 61. hæretici idcirco ad Ecclesiam redeuntes ungebantur in Oriente; quia Ariani & Novatiani non chrismabant in Oriente: unde etiam illi jubentur ungi: at in Occidente chrismabant, idcirco per solam manuum impositionem recipiebantur. Vel si Chrismationis Sacramentum eis ministrabatur, non tamen statim ac recipiebantur, sed opportunô tempore; ut etiam modò fit cum Calvinistis & Lutheranis ad Ecclesiæ gremium sese recipientibus.

Conclusio Secunda.

XIII. Confirmatio fuit à Christo D. instituta.

SACRAMENTUM *Confirmationis fuit à Christo D. institutum, idque in die Cœna.* Prima pars jam sufficienter constat ex dictis de Sacramentis in communi, eamque apertè definit Concilium Tridentinum sess. 6. de Sacramentis in genere, can. 1. *Si quis dixerit*, inquit sancta Synodus, *Sacramenta nova legis non fuisse omnia à Iesu Christo instituta; aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.*

Eandem veritatem docet subtilis Doctor in 4. distinct. 7. quæst. 1. num. 3. ubi scribit: De Sacramento Confirmationis supponitur institutum esse à Deo, licèt tempus & modus hujus institutionis in Scriptura non legatur: fortè quia Historiographi Scripturam usque ad tempus illud non produxerunt: non enim produxerunt ultra tempus Apostolorum; nec etiam usque ad plures annos ante mortem eorum: totô autem tempore Apostolorum, fortè mansit donum linguarum in Sacramento Confirmationis. Nec est improbabile, multa esse tradita authoritativè à Christo Ecclesiæ per Apostolos, quæ tamen in Scriptura non legimus, ut dicit Damascenus libro 4. capite 4. ubi loquens de adoratione imaginum, ait: Est autem nobis tradita ista Traditio, quemadmodum oportet ad Orientem adorare crucem, & alia plurima his similia. Quibus verbis Doctor tria significat: *Primum*, quòd Confirmatio sit divinitùs instituta: *Secundum*, quòd illius institutionis tempus & modus non præscribatur in Scriptura: *Tertium*. quòd illius institutionis modus & tempus maximè appareat & innotescat per Traditionem. Ubi Doctor non negat, Sacramenti Confirmationis veritatem colligi posse ex Scriptura sacra, ut perperam ei affingit Basilius Pontius parte 1. sui Tractatûs de Confirmatione, capite 3. numero 11. sed tantùm, quòd tempus illius institutionis expressè in Scriptura sacra non designetur.

Idque in die Cœna.

Secunda pars colligitur ex S. Fabiano summo Pontifice epist. 2. cap. 1. is enim cùm accepisset quosdam Episcopos Orientales, non per singulos annos in Cœna Domini Chrisma conficere, sed duos, vel tres annos confectionem S. Chrismatis semel actam conservare; quoniam vel balsamum per singulos annos non poterant reperire, vel putabant non esse necesse singulis annis chrisma conficere, dum confecti copia Chrismatis abundabat; Cùm, inquam, hæc accepisset S. Fabianus, morem illum verbis his correxit: Errant, qui talia excogitant, & mente vesanâ potiùs, quàm rectâ sentientes hæc dicunt. In illa enim die Dominus Jesus, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit. Ipsa enim lavatio pedum, nostrum significat Baptismum, quoniam sancti Chrismatis unctione perficitur, & confirmatur. Sicut igitur ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda; ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renovanda, & vetus Chrisma in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista à sanctis Apostolis, & à Successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena à tempore Apostolorum custodit. Hæc Hierosolymorum, & Ephesianorum tenet; in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt, & vetus Chrisma incendi, & non amplius quàm unô annô uti permiserunt.

Ex quibus sic formatur argumentum: Ea, quæ ex instituentis Christi voluntate pendent, aliter nobis innotescere non possunt, quàm ex Scriptura vel Traditione; conjecturis enim, vel convenientiis hac in parte indulgere, Theologi non est: atqui tempus institutionis Confirmationis ex Scripturis apertè non elicitur: ex Tra-

ditione autem, testante Fabianô, constat Christum in die Cœnæ Apostolos Chrisma conficere docuisse, quæ est idonea & necessaria Confirmationis materia: ergo sicut tunc Christus Baptisma instituit, non quando Apostolos baptizare populos docuit, vel Baptisma promisit; sed quando materiam Baptismatis designavit, & tactu suæ mundissimæ carnis in Jordane consecravit: ita tunc Confirmationem instituit, quando Chrisma conficere docuit. Unde Ecclesia Catholica eam sententiam approbans, sacrum Chrisma eô die conficere consuevit, in perpetuum institutionis Salvatoris monimentum.

Idem habet Catechismus Romanus cap. de B hoc Sacramento, num. 8. ubi ait: *Consecratur autem Chrisma solemnibus caremoniis ab Episcopo. Ita enim Salvatorem nostrum docuisse in extrema Cœna, cùm Chrismatis conficienda rationem Apostolis commendaret; Fabianus Pontifex, sanctitate, & Martyrii gloriâ clarissimus, tradidit.*

Confirmatur: Si aliô tempore, quàm die cœnæ instituta fuisset Confirmatio, maximè vel cùm Christus *Matth.* 19. pueris manus imposuit, ut nonnulli volunt: vel quando, *Ioan.* 20. dixit Discipulis: *Accipite Spiritum sanctum:* sed neutrum rectè potest asseri. *Non quidem primum: Tum,* quia parvuli nondum erant bapti- C zati, ac subinde non erant capaces suscipiendi Sacramentum Confirmationis: *Tum,* quia illa manuum impositio non erat confirmativa, sed

XV. Non autem quando parvulis manus imposuit.

sed tantùm curativa: nam, ut observant sanctus Hieronymus, & Anselmus, parvuli illi Christo fuerant oblati, ut benedicerentur, & curarentur ab infirmitatibus suis: *Tum denique,* quia *Ioan.* 7. legimus: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Nondum, inquam, datus; nempe ad intrepidè & constanter profitendam Religionem & fidem Christi, qualiter divinus ille Spiritus confertur in Confirmatione.

Non etiam secundum: Tum, quia *Ioan.* 20. D datus est Spiritus sanctus Apostolis ad remittenda peccata; nam statim Christus subjungit, *quorum remiseritis peccata, &c.* Sed Sacramentum Confirmationis per se non ordinatur ad remissionem peccati: *Tum,* quia eò loci Christus

XVI. Neque Joan. 20.

D. Apostolos quidem instituit Episcopos, & eis dat facultatem non solùm regendi Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suô, & administrandi Sacramenta Ordinis, & Confirmationis; túnc autem non censetur Sacramentum propriè institui, quando Minister ejus designatur; sed solùm cùm ejus forma, & materia præscribitur: non enim Christus censetur instituisse Sacramentum Baptismi, quando misit Apostolos in univer- E sum mundum prædicare, & baptizare: neque censetur instituisse Sacramentum Ordinis, quando Apostolos constituit Episcopos; nam, ut docet Concilium Tridentinum, sess. 22. capite 1. Apostolos constituit Sacerdotes in die cœnæ: igitur, &c.

Dices primò: Statim ac Sacramentum institutum est, potest administrari: sed Sacramentum Confirmationis non potuit administrari ante Christi Resurrectionem: *Tum,* quia, ut mox diximus, Apostoli nondum erant ordinati Episcopi, nec consequenter poterant hoc Sacramentum administrare: *Tum,* quia Spiritus sanctus conferri non poterat ante Christi glorificationem,

A juxta illud Joan. 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

XVII. Quare non potuerit conferri statim ac fuit institutum.

Distinguo majorem: Si ita expediat concedo: secus, nego: potest enim Sacramentum institui pro alio tempore congruenti applicandum; ac subinde potuit Christus Sacramentum Confirmationis instituere in die cœnæ, etiamsi duntaxat in die Pentecostes illius effectum & fructum extraordinariô modô Apostoli essent consecuturi. Quòd autem ita fuerit, non obscurè colligitur ex præclaro illo, & prorsus mirando sermone, quem habuit Christus D. ad Discipulos in die cœnæ, in quo pluries meminit concedendi Spiritûs sancti non solùm Apostolis, sed etiam om- B nibus in eum credentibus: concedendi, inquam, sensibili aliquâ cæremoniâ nondum usitatâ in ipsius S. Spiritûs receptione, quem jam invisibili & insensibili modô pluries receperunt, tum in susceptione Baptismatis, tum quando in Sacerdotes fuerunt inaugurati, tum denique, quando Christi D. corpore & sanguine fuerunt saginati.

Dices secundò: Doctor subtilis in 4. dist. 2. q. 1. num. 4. colligens Sacramentorum institutionem ex Scriptura, ait: *De Confirmatione patet institutio,* Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum. Vel in die Pentecostes,* *Act.* 2. & dist. 7. n. 3. *Et si objicitur,* inquit, *primò contra materiam, & formam si-* C *mul: quia Christus non sic instituit, ut patet* Joan. 20. *quando insufflavit, & dedit Discipulis Spiritum sanctum. Et similiter,* Actor. 2. *quando missô Spiritu sanctô in linguis igneis confirmabantur, &c.* igitur ex mente Doctoris Sacramentum Confirmationis tantùm fuit institutum, vel *Ioan.* 20. vel in die Pentecostes.

XVIII. Quid censeat Doctor de tempore institutionis Confirmationis.

Nego consequentiam, & ad primum dico, Doctorem ibi significare, quòd ex *Ioan.* 20. & *Act.* 2. optimè possit colligi, quòd Confirmatio fuerit instituta à Christo: *Tum,* quia *Ioan.* 20. confirmata fuit institutio, quando videlicet Christus constituit Apostolos Episcopos, & consequenter Ministros ordinarios hujus Sacramenti: *Tum,* D quia in die Pentecostes acceperunt Apostoli per extraordinariam Dei potentiam, & modô sensibili & extraordinariô effectum Confirmationis, nempe S. Spiritûs plenitudinem ad Christi fidem & Religionem animosè propalandam.

Quòd autem nihil aliud voluerit Doctor, patet ex præfata dist. 7. dum respondens ad prædictam objectionem scribit. *Quòd Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis, & ideo ipse sive in terris, sive post Ascensionem in cœlo existens, potuit confirmare Apostolos sine tali materia, & tali forma;* nempe sine Chrismate, & verbis proferri solitis in administratione hujus Sacramenti. Quòd autem ibi non loquatur Doctor de tempore insti- E tutionis, patet; quia paulò post subjungit: *Supponitur hoc Sacramentum institutum à Deo, licèt tempus & modus hujus institutionis in Scriptura non legatur.*

Nota.

Itaque dicendum arbitror, hoc Sacramentum fuisse quidem institutum in die cœnæ, & inchoatum; completum autem *Ioan.* 20. quando Christus Apostolos instituit Episcopos; collatum autem, & ministratum, sed extraordinariô modô in die Pentecostes, ut refertur, *Actor.* 2. quia nempe eôdem die Apostoli receperunt plenitudinem Spiritûs sancti, quæ est hujus Sacramenti effectus.

A

Quæstio Sacunda.

Quanam sit legitima materia Sacramenti Confirmationis?

I. Duplex est Sacramentorum materia.

NOtandum primò, seu potiùs revocandum ex jam pluries dictis, duplicem esse Sacramentorum novæ legis materiam, remotam scilicet, & proximam. Remota est, res illa sensibilis, circa quam cæremonia versatur, seu illa, cujus fit usus & applicatio, cujusmodi est aqua in Baptismo: *Proxima* verò est ipsemet usus, seu ejusdem rei sensibilis applicatio, in quam proximè ac immediatè tendit Sacramenti forma, cujus- B modi est infusio aquæ in Baptismo. Porrò de hac utraque materia agitur in præsenti, quænam videlicet certò & necessariò requiratur ad validam hujus Sacramenti collationem.

II. Tres sunt sententiæ circa materiam remotam Confirmationis.

Notandum secundò, circa hujus quæstionis resolutionem, Theologos invicem non consentire; tres enim in capitales eunt sententias, quarum *prima* contendit, solam manuum impositionem esse necessariam, & etiam nunc sufficere ad essentiam hujus Sacramenti, quæ quidem videtur sententia quorundam Canonistarum; imò Sirmundus in *Antirrhetico, num.* 10. docet eam duntaxat C materiam fuisse in usu tempore Leonis primi, motus ad id asserendum verbis Canonis Arausicani Concilii primi à se correcti & explicati: Ubi, *inquit*, præcipitur, ut si quis in Baptismo chrismatus fuerit, non chrismetur iterum in Confirmatione, sed manus tantùm ipsi ab Episcopo imponatur; ex quo infert unctionem chrismaticam non esse de essentia hujus Sacramenti, sed duntaxat accidentalem quandam cæremoniam institutam ab Ecclesia, & ipsi manuum impositioni supperadditam ad majorem ornatum; subindeque ipsam posse ex dispensatione summi Pontificis præteriri: & hoc Sacramentum per solam manuum impositionem validè & licitè conferri. *Secunda sententia* ait, saltem oleum olivarum esse de necessitate, & essentia hujus Sacramenti, bal- D samum verò solùm requiri ex præcepto Ecclesiæ, sicut mixtio aquæ in calice; ita Cajetanus q. 72. Sotus in 4. dist. 4. qu. 1. Navarrus in Manuali cap. 22. quibus cum plurimis aliis subscribit Estius in 4. dist. 7. §. 8. *Tertia* denique sententia asserit, etiam balsamum esse de necessitate Sacramenti, ita communiter veteres Theologi: quæ autem earum sententiarum probabilior sit, & tutior, hîc determinandum est.

Status quæstionis.

Notandum tertiò, difficultatem pariter moveri, utrum ex hypothesi, quòd chrisma compositum ex oleo olivæ, & balsamo, sit essentialis materia remota hujus Sacramenti, debeat hæc mixtio ne- E cessariò esse benedicta, idque ab Episcopo; ita quòd ad id non sufficiat prævia solius Sacerdotis benedictio, saltem ex concessione & dispensatione summi Pontificis. Quocirca, tria hîc occurrunt determinanda: *Primum*, utrum materia essentialiter requisita ad hoc Sacramentum debeat esse chrisma ex oleo olivæ, & balsamo compositum: *Secundum*, utrum ab Episcopo necessariò benedictum: *Tertium*, qualiter, & in qua parte corporis per materiam proximam applicandum.

Conclusio Prima.

III. Oleum Olivarum & balsamum sunt materia confectâ in Confirmationis.

M*Ateria remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma confectum ex oleo olivarum & balsamo.* Ita traditur in decreto Eugenii de unione Armenorum his verbis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto.* Ubi summus Pontifex sacro approbante Concilio, ad materiam Confirmationis peræquè balsamum atque oleum desiderat. Idem longè antè docuerat S. Fabianus Pontifex epistolâ 2. ad Episcopos Orientis, ubi Apostolos chrismatis confectionem à Domino accepisse, nobisque reliquisse testatur: Dionysius etiam cap. 4. Eccles. Hier. sic habet: *Dicimus igitur unguenti confectionem esse collectionem quandam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim & copiam fragrantium qualitatum contineat.* Quod idem S. Basilius in Psal. 132. expressè ait, *Chrisma ex variis condimentis constare; verum nullum illorum separatim tantam emittebat fragantiam, sed illorum mixtura, & inunctio maximam reddebat odoris redolentiam.* Quod & docuit sanctus Clemens lib. 8 Constit. Apostol. cap. 44. nec-non. 2. & 3. Concilium Carthaginense; & apertè S. Cyprianus, vel quisquis est Author Tract. de Unct. chrismatis, ait C enim: *Hodie sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum Regia & Sacerdotalis gloria exprimit dignitatem. Oleò enim, quod lumini alimentum subministrat, & vires corpori si perunctum illo fuerit, auget cœlestis gratia largitates, nitor conscientiæ & ardor charitatis indicantur.* Et S. Gregorius magnus in illud, Cant. 1. *Botrus Cypri in vineis Engaddi*, ait: *In Engaddi Balsamum gignitur, cum oleo Pontificali benedictione chrisma efficitur:* Ex quibus liquet oleum & balsamum æquè pertinere ad materiam sacramenti Confirmationis: quamvis enim apud profanos authores, nomen *chrismatis*, quodlibet unguenti genus significet; attamen apud sanctos Patres & Scriptores Ecclesiasticos hoc nomen non so- D lum oleum, sed etiam balsamum cum oleo permixtum designat, ut constat non solùm ex laudatis SS. Patribus, sed etiam ex Amalario Fortunato, qui floruit sub Ludovico Pio annô 835. cui nuncupavit opus de Officiis Ecclesiasticis l. 1. c. 12. agens de consecratione Chrismatis: *Hic*, inquit, *non oleum, sed & balsamum consecratur*, &c. *Odor balsami in oleo opinionem bonarum virtutum latè dispersam, operante gratiâ Spiritûs sancti demonstrat: Oleo additur balsamum, quia nitet in vultu Christi cœlestis splendor*, &c. Ex Hugone de S. Victore de Sacramentis libro 2. parte 17. cap. 1. *Chrisma*, inquit, *est oleum cum balsamo mixtum, quò unguntur capita Pontificum & Regum, quò* E *etiam baptizatos Sacerdos ungit in vertice, sicut eòdem Pontifex per impositionem manûs confirmandos ungit in fronte.* Idem docet Innocentius III. epistolâ ad Patriarcham Constantinopolitanum, & refertur de sacra unctione, ubi ait: *Conficitur Chrisma*, inquit, *quod ex oleo fit & balsamo, mysticâ ratione; per oleum enim nitor conscientiæ designatur, juxta quod legitur: Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: per balsamum odor bonæ famæ exprimitur, propter quod dicitur; sicut balsamum aromatizans odorem dedi.*

Ut docent SS. Patres

IV. Et ratio id congruum esse suadet.

Etiam huic non absimilem hujus congruæ materiæ ex balsamo & oleo confectæ profert Cate-

chismus Romanus, *num.* 7. Cùm enim dixisset, chrisma ex oleo & balsamo esse confectum onguentum, quod Confirmationis materiam esse, Ecclesia & Concilia perpetuò docoerunt; sobdit: *Neque verò ulla alia materia, quàm chrismatis, aptior videri poterat ad illud declarandum, quod hòc Sacramentô efficitur. Oleum enim quod pingue fit, & naturâ suâ manet, ac diffluit, gratia plenitudinem exprimit: qua per Spiritum sanctum à Christo capite in alios redundas, atque effunditur, sicut unguentum, quod descendit in barbam Aaron, usque in oram vestimenti ejus. Vnxit enim eum Deus oleô latitia pra consortibus suis: ac de plenitudine ejus nos omnes accepimus: balsamum verò, cujus odoratus jucundissimus est, quid aliud significat, quàm fideles, cùm sacramentô Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli queant dicere: Christi bonus odor sumus Deo? Habet praterea balsamum eam vim, ut, quidquid eô circumlitum fuerit, putrescere non sinat: quod quidem ad hujus Sacramenti virtutem significandam valdè accommodatum videtur: cùm planè constet, fidelium animos cœlesti gratiâ, qua in Confirmatione tribuitur, praparatos, facilè à scelerum contagione defendi posse.*

V. Probabile est quòd Apostoli ex dispensatione confirmaverint per solam manûs impositionē.

Dices primò: Illud non potest censeri materia essentialis Sacramenti, sine quo Sacramentum validè cooferri potest: sed fine chrismate ex balsamo & oleo confecto licitè ac validè collatum fuit Confirmationis Sacramentum ab Apostolis; siqoidem nullibi legitur Apostolos confirmandos Chrismate unxisse, & coosignasse, sed tantùm eis manus imposuisse: igitur tale chrisma non est essentialis materia hujos Sacramenti.

Respondet Doctor, dist. 7. quæst. 1. num. 3. *cum Apostolis in primitiva Ecclesia potuisse dispensari & maximè quia in Confirmatione ab eis collata erant, aliqua signa sensibilia, putà communiter descensus Spiritûs sancti super confirmatos, & donum linguarum: sed tamen cessantibus talibus miraculis, Ministri debuerunt hanc materiam, & hanc formam servare.* Quibus verbis Doctor probabiliter sustinet cum Apostolis fuisse dispensatum, ut Confirmationis effectom conferrent sine debita materia, & cum sola manuum impositiooe, & oratione.

Quod autem probabiliter duntaxat, & dubitativè profert Doctor, distinctè affirmant Alensis & S. Bonaventura, idque tanquam certum suppooere videtur Eugenius quartus io decreto pro unione Armenorum, dicens; *locô illius manûs impositionis Apostolica, dari nunc in Ecclesia Confirmationis Sacramentum.* Nec abs re quidem; cùm enim Confirmatio ordinetur ad conferendam gratiæ plenitodioem, dum insolitô & extraordinario modo gratia iofunderetur, tunc Sacramentum Confirmationis eôdem vita eis conferre minimè opus erat; sic Christus eximiâ suâ potestate excellentiæ, nulli Sacramento alligatæ, inquit Doctor suprà, *sive in terris, sive post Ascensionem in cælo existens, potuit confirmare Apostolos sine materia & forma Sacramenti.* Similiter Apostoli, cùm ad suam orationem, & manûs impositionem, viderent sensibiliter, & per aspectabiles effectus communicari Spiritum sanctum, ideò tunc opus non erat adhiberi sensibilem Sacramenti Confirmationis materiam & formam; quippe cùm patentibus miraculis apertè constaret concessam fuisse Spiritûs sancti plenitudinem.

VI. *Verùm respondeo*, quòd etsi ita fortè actum fuetit, nihilominus non improbabile est, Apostolos manus imponendo, pariter adhibuisse legitimam Sacramenti Confirmationis materiam. Dicitur quidem io Actis Apostolicis eos maouum impositione Spiritum S. dedisse, sed solâ dedisse noo dicitur; sicut in Scripturis dicimur fide justificari, sed solâ fide nos justificari nullibi legitur. Dictum est ergo impositione manuum ab Apostolis datum fuisse Spiritum sanctum; at non solâ: sicut dum dicitur aquâ deleri peccata, non excluduntur verba formæ, qoibus accedentibus ad elementum fit Sacrameotum.

Probabile pariter quòd chrisma adhibuerint.

Quòd autem Apostoli manus imponendo ad Confirmationem, pariter chrismate confirmatos linierint, testis est S. Dionysius cap. 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, obi sermonem faciens de Sacramento Confirmationis, dicit: *Est quadam perfectiva operatio, quam Duces nostri chrismatis hostiam nominant.* Ubi per *Duces* intelligit Apostolos, quorum ipse Discipulus fuerat. Idem pariter testatur sanctus Cyprianus epist. 37. ubi cùm dixisset, *quod deerat* (supple Samaritanis baptizatis per Philippum) *id*, inqoit, *à Petro & Ioanne factum est, ut oratione pro iis factâ, & manu impositâ invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus*, statim subdit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Prapositis Ecclesia offerantur, & per nostram orationem, & manûs impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculò Dominicò confirmentur.* Quibus verbis S. Cyprianus apertè significat, eaodem esse Episcopalem manûs impositiooem in ministranda Confirmatiooe cum ea, qoam osurpârunt Apostoli in confirmandis Samaritanis: Porrò Episcopalis manûs impositio confirmativa, reverà Sacramentum est: igitur talis etiam erat Apostolica. Hoc etiam apertè docet Eusebius Papa in sua epist. Decretali, ubi ait: *Manûs impositione Sacramentum magnâ veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ipsis Apostolis legitur, aut scitur esse peractum: neque ab aliis, quàm ab illis, qui Apostolorum tenent locum unquam perfici potest, aut fieri debet.* Quibus verbis Eusebius significat in Scripturis legi ministratum ab Apostolis Confirmationis Sacramentum: sed non legitur alibi, quàm eis in locis, ubi fit mentio collati Spiritûs sancti per Apostolicarum manuum impositiooem; ac subinde censet, illam manûs impositionem Apostolorum fuisse confirmatoriam. Idem pariter docet Fabianus Papa locô in prima qoæstione laudatô, ubi dicit Apostolos & docuisse & observasse consuetudinem Chrisma renovandi singulis annis.

VII. Ut docent SS. Patres.

Unde ad decretum Eugenii respondet Bellarminus lib. 2. de Sacrameoto Confirmationis cap. 9. per illum modum loquendi Poorificem non distinguere ritum à ritu, sed persooas à personis. Dici etiam potest, quòd hôc loquendi modô signoificare voluerit ordinem successionis inter Apostolos, & Episcopos eorum Successores, necnon & diversitatem effectûs, quatenus manûs impositio facta per Apostolos, conferebat oon solùm effectum invisibilem, nempe plenitudinem Spiritûs sancti, sed etiam visibilem per donum linguarum; quod otique tunc temporis ad fidem stabiliendam, & propagandam congruebat: Episcopi verò Apostolorum Successores Spiritum S. conferuot tantùm modô invisibili, scilicet quoad plenitudinem gratiæ, quæ est effectus per se hojus Sacramenti; nam donum linguarum non per se,

sed per accidens, & ex speciali Dei ordinatione tempori, locis & personis accommodata, ad Confirmationis Sacramentum spectat.

His omnibus adde, quòd licèt solâ manuum impositione tanquam Confirmationis materiâ Apostoli ex speciali dispensatione semper usi essent; non rectè tamen inde colligeretur Chrismatis unctionem ad Sacramenti Confirmationis materiam à Christo non fuisse designatam, nec ab Ecclesia cessante dispensationis ratione esse usurpandam: quamvis enim fortè cum Apostolis dispensatum fuisset, ut baptizarent in solo nomine Jesu, inde non est consequens, quòd etiam nunc taliter sit baptizandum.

Instabis: Verisimile non est, Christum D. pro Sacramenti materia assignasse id quod rarissimum erat, & non-nisi summô pretiô poterat comparari: sed balsamum tunc temporis adeo rarum erat, ut teste Pliniô lib. 12. & 25. solùm oriretur in Judæa, idque duntaxat in duobus hortis regiis: unde etiam Titus captâ Hierosolymâ, & Judæis omnibus devictis, arbusculam balsami, veluti quid pretiosissimum Romam reportavit: igitur verisimile non est, Christum ordinasse, ut Apostoli, & nascentis Ecclesiæ Rectores, qui summâ bonorum mundialium inopiâ laborabant, balsamum in Sacramento Confirmationis administrando adhiberent.

VIII. Tempore nascentis Ecclesiæ balsamum adeo rarum non erat.

Nego minorem: Primò, quia falsum est, quòd tunc temporis magna esset balsami penuria: nam ipsemet Plinius ibidem subjungit suô tempore balsamum montes & colles vitium instar implevisse; unde id, quod scribit de balsami penuria, ad priora sæcula referendum est. Hoc ipsum confirmat Josephus lib. 8. de bello Judaïco cap. 2. ubi dicit Reginam Saba Salomoni plantam attulisse balsami; *cujus*, inquit, *ferax est nostra regio.* Quapropter Fabianus summus Pontifex admittere noluit Orientalium Episcoporum excusationem, qui tenuebant quot-annis renovare Chrisma vetere combustô, causantes balsamum ægrè reperiri.

Insuper, etiamsi reverà rarum fuerit balsamum tunc temporis, nihilominus cùm non requiratur tanta quantitas ejus ad conficiendum Chrisma, facilè comparari poterat ab Apostolis & Episcopis primitivæ Ecclesiæ, ex fidelium eleemosynis. Jam verò facili negotiô, & modicô pretiô balsamum haberi potest; siquidem asportatur ex India & America in varias regiones, quod licèt colore & fortè specie differat à Syriaco; nihilominus quia in fragrantia odoris, & in aliis effectibus & proprietatibus cum eo convenit, idcirco Paulus III. & Pius IV. declaraverunt, illud sufficere ad validam Confirmationis materiam.

IX. Illius omissio Sacramentum redderet invalidum

Urgebis: Si balsami admixtio essentialis esset materia hujus Sacramenti, ejus omissio hoc Sacramentum redderet invalidum; sublatâ enim parte essentiali, res perit & essentia: sed omissio balsami non reddit invalidum Confirmationis Sacramentum, ut constat ex cap. *Pastoralis*, de Sacramentis non iterandis, ubi Innocentius III. rescribens ad Episcopum Heliensem, hæc inter cætera habet: *Præterea nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatûs assumptus: & si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleô delinitus. Ad quod breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè prætermissum fuerat.*

Nec contradicit Innocentius III.

Nego minorem: Et ad Innocentium dico eum verbis citatis solùm voluisse, vel quòd prior unctio, quia publicè facta fuerat, publicè propter vitandum scandalum non debeat iterari: sed defectum substantialem esse supplendum privatim & occultè, utendo videlicet omnibus, quæ sunt de necessitate Sacramenti, nempe unctione olei & balsami, circa eum, qui per errorem non Chrismate, sed simplici oleô fuerat delinitus. Vel dico Innocentium ibi non respondere ad casus propositos in particulari, sed solùm hanc tradere regulam generalem, ex qua judicent ii, ad quos rescribit, quid sibi faciendum sit, quando Sacramenta ministrabunt, nempe ut privatim suppleatur id, quod in Sacramentorum administratione fuit omissum, si id tantùm erat quid accidentale: si autem quid essentiale, tunc totum Sacramentum esse repetendum, idque secretò, & prudenter ad evitandum scandalum; ita quòd Sacramentum, utpote nullum, & invalidè collatum, cautè suppleatur: qui utique supplendi modus iterationem non importat; quia, ut habetur de Consecratione dist. 1. cap. *Solemnitates*, non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum.

X. Nec officit Græcorum ritus.

Instabis iterum: Non magis balsamum spectat ad essentialem materiam Confirmationis, nec minùs prætermitti potest, quàm duodecim genera aromatum, ex quibus Græci Chrisma conficiunt, ut habetur in eorum Euchologio, & significare videtur S. Dionysius cap. 4. de Eccles. Hierarchia, his verbis: *Dicimus igitur*, inquit, *unguenti confectionem esse collectionem quandam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum contineat. Cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se efflant, proportione fragrantis Communionis, quæ in eis inest.* Nec-non & S. Basilius Magnus exponens illud Psalmi 132. *Sicut unguentum in capite*, ubi ait: *Oleum illud Sacerdotale ex variis condimentis constabat. Verùm nullum illorum, & inunctio maximam reddebat odoris redolentiam. Rectè igitur huic unguento concordiam comparavit, multarum enim virtutum coadunatio perfecta virtutis fragrantiam operatur.* Ita vertit Arcudius. Licèt enim Basilius declaret, atque describat unguentum antiquæ legis, illud tamen erat figura nostri, & potest nostrum etiam quoad materiam esse perfectum; atque fuerit illud, cùm in effectu longè sit præstantius: Sed ista omnia aromatum genera non spectant ad essentialem materiam Confirmationis: ergo nec balsamum.

Nego majorem: Certum enim est quòd illa aromatum genera, quæ oleô & balsamô ex usu Ecclesiæ Græcæ in conficiendo Chrismate solent adhiberi, non sint de necessitate Sacramenti, sed ad ritum quemdam accidentalem hujus Ecclesiæ pertineant. Unde cùm in sacra Rituum Congregatione dubitaretur utrum talis Græcorum usus esset tolerandus, decretum fuit esse tolerandum, si post exactam inquisitionem constaret, illum esse antiquissimum; sed monendos esse Græcos Orthodoxos, ut hujusmodi aromata in tam parva quantitate admisceantur, quòd semper balsami odor prævaleat, & oleum in sua natura subsistat.

CONCLUSIO SECUNDA.

XI. Chrisma debet esse benedictum ab Episcopo.

UT Chrisma sit legitima & sufficiens materia Confirmationis, debet esse benedictum ab Episcopo: non est tamen improbabile, quòd ex dispensatione summi Pontificis, ad id sufficeret simplicis Sacerdotis benedictio. Prima pats apertè docetur ab Eugenio, in decreto pro unione Armenorum; ubi, sacrô approbante Conciliô Flotentinô, ait: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientia, &, balsamo, quod odorem significat bona fama, per Episcopum benedicto.* Et paulò post addit: *Legitur tamen aliquando per Apostolica Sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente: admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

Vt statuitur in variis Conciliis.

Idem docent varia alia Concilia: Primò quidem Romanum secundum sub Sylvestro can. 5. *Constituit etiam clarâ voce idem Sylvester Episcopus urbis Roma, ut nemo Presbyterorum Chrisma conficeret, dicens: Quoniam Christus à Chrismate vocatur.* Similiter Catthagioense tertium can. 36. ubi decernitur; *Vt Presbyter inconsultò Episcopò Virgines non consecret; Chrisma verò nusquam conficiat.* In sexto verò can. 36. statuitur: *Vt Parochi singulis annis ante festum Pascha petant Chrisma ab Episcopo proprio.*

Item in Toletano VIII. celebrato annô 653. tempore Martini, cap. 7. ubi cùm damoasset quorundam Sacerdotum præsumptionem, qui eò temeritatis progressi fuerant, ut, quæ Episcopalis erant muneris usurparent, statim subdit: *Qua de re nosse vos convenit, quòd Episcopalis eminentia culminis authoritas, non immeritò sacris omnibus esse summa percensuit, qua cateris Sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet templorum sacrationem, chrismatis benedictionem, sacrorum ordinum institutionem, qua tam divinaliter ordinata persistunt, quàm excellentissimè consecrantur: quia & tantò ab eis singulariter impenduntur, quantò eidem summo culmini peragenda servantur.* Idem denique ttadunt Concilia primum Braccharense cap. 4. ubi balsamum appellat *benedictum, quod pro salute animarum per Spiritûs sancti invocationem consecratur.* Et Vuormatiense can. 2. his verbis: *Chrisma conficere nullus prater Episcopum prasumat; nam illi soli hac dignitas concessa est.* Io eandem sententiam unanimi

Docetur à SS. Patribus.

calculô conspitant SS. Pattes, qoorum authoritates fusissimè referunt Bellarminus lib. 2. de hoc Sacramento cap. 8. & Basilius Pontius parte 2. cap. 3.

Suffragatur etiam ratio Theologica, qoæ à priori nulla alia assignari potest, quam Christi D. voluntas ita statuentis & ordinantis; quæ otique nobis inuorescit per continuam Ecclesiæ praxim & doctrinam. Cur autem Christo D. hujos Sacramenti materiam potius quàm Baptismi, voluerit esse consecratam, hanc rationem profert Doctor

XII. Et ratione Theologicà suadetur.

dist. 7. q. 1. n. 3. *Quòd Christus,* inquit, *contactu sua carnis mundissima omnem aquam consecraverit in usum Baptismi, non sic autem materiam illam Confirmationis; & ideò requiritur hic specialis sanctificatio. Quod etiam est rationabile magis hic, quàm ibi, quia Baptismus est Sacramentum necessitatis; & ideo potest à quocunque Ministro conferri; & rationabile est, quòd in aqua non consecrata, alioquin materia conveniente, non posset esse communis, & sic impediretur salus multorum.* Quam utique rationem

A apptobat Catechismus Romanus *num.* 8. dicens: *Quòd in plerisque aliis Sacramentis Christus ita eorum materiam instituit, ut sanctitatem quoque illi tribuerit: non solùm enim aquam elementum Baptismi esse voluit, cùm inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei: sed cùm ipse baptizatus est, effecit, ut ea deinceps vi sanctificandi pradita esset; quare dictum à S. Chrysostomo: Aqua Baptismi purgare peccata credentium non posset, nisi tactu Dominici corporis sanctificata fuisset. Quoniam igitur Dominus hanc Confirmationis materiam usu ipsò, & tractatione non sacravit, necessarium est, ut Sanctis, & religiosis precationibus consecretur: neque ad alium ea confectio, nisi ad Episcopum pertinere potest: qui ejusdem Sacramenti ordinarius Minister institutus est.*

B

Dices: Qui potest majus, potest & minus in eodem genere operationis: sed simplex Sacerdos potest majorem efficere consecrationem, quàm sit consecratio Chrismatis, putà consecrationem Eucharistiæ: igitur multò magis poterit consecrare Chrisma.

XIII. Quare potius simplex Sacerdos consecrare possit corpus Christi quàm Chrisma.

Distinguo majorem: Si ad utramque potestatem habeat, concedo: secus, nego: at Sacerdos non habet potestatem circa quamlibet consecrationem inferiorem consecratione corporis Christi; alioquin propriâ authoritate confirmare posset,

C

& ordines conferre, templa & Altaria consecrare, & facere similes hujusmodi consecrationes; quæ licèt inferiores sint consecratione corporis Christi; fieri tamen non possunt à simplici Sacerdote, quia ad illas efficiendas non habet authoritatem. Unde ad vulgare illud axioma, *qui potest majus, potest minus*; dico istud equidem verum esse in eodem omnino genere & ordine operationis; sic qui potest ferre pondus centum librarum, faciliori negotiô deferre poterit pondus viginti librarum: at istud axioma falsum est in disparato ordine operationis; non enim sequitur; homo potest ratiocinari, & producere hominem: ergo pariter volare potest, & generare

D

muscam.

Hinc satis mirari non possum, quô pactô Cajetanus ad quæstionem 72. art. 3. tam debili ratione ac fundamentô nixus ausus fuerit à communi Theologorum sententia declinare, ut assereret simplicem Sacerdotem, deficiente Episcopô, posse Chrisma benedicere & consecrare.

XIV Probatur tamen quòd id posset ex dispensatione summi Pontificis.

Quòd autem *ex dispensatione, & concessione summi Pontificis probabile sit, simplicem Sacerdotem posse Chrisma benedicere, & consecrare,* non obscurè significat Doctor locô mox laudatô num. 2. ubi ait: *Materia remota Confirmationis est Chrisma compositum ex oleo oliva & balsamo, sanctificatum*

E

specialiter ab Episcopo, vel ab alio, cui talis sanctificatio potest committi. Clatiùs verò ac distinctiùs in reportatis ibidem num. 11. ubi ait: *Debet Chrisma compositum ex oleo oliva, & balsama sanctificatum sanctificatione Episcopali communiter.* Hanc autem sententiam apertè tuentur Cajetanus, Victoria, Valentia, &c. & ex nostris Hiquæus, Brancatus, Pitigianis, & communiter Scotistæ, paucis demptis cum Fabro & Poncio. Suffragatur hæc ratio: Non minùs summus Pontifex concedere potest simplici Sacerdoti facultatem benedicendi & consecrandi Chrisma, absente Episcopô, & urgente necessitate, quàm hoc Confirmationis Sacramentum administrandi: sed reverà potest summus Pontifex conferre; imò de facto contulit facultatem conferendi

hujus Sacramenti: igitur, &c. Minor constabit A ex dicendis de Ministro extraordinario hujus Sacramenti. Major verò patet: Non enim plus videtur requiri facultatis in conficiendo Chrismate, quàm in conferendo Sacramento Confirmationis.

Reponet forsan, disparitatem esse in eo, quòd faciliùs concedi possit potestas ministrandi hoc Sacramentum, quàm conficiendi Chrisma; quia materia Sacramenti debet esse invariabilis; benedictio autem Episcopi est de essentia hujus materiæ, & ideò variari non potest: secus autem est de Ministro; qui potest esse duplex, sicut in Baptismate, nempe ordinarius, scilicet Episcopus, & extraordinarius nempe Sacerdos ex delegatione.

XV. Sicut posset hoc Sacramentum ministrare

Verùm hæc responsio petit principium, & B supponit tanquam verum, quod vocatur in quæstionem & dubium, nimirum benedictionem Episcopi ita esse essentialem materiæ hujus Sacramenti, ut eâ deficiente, nulla & invalida foret materia. Fateor equidem, Chrisma necessariò deberi ab Episcopo consecrari, tanquam ab ordinario consecrante: at non tanquam à consecrante essentiali.

Adde quòd qui concedit potestatem in ordine ad finem aliquem, etiam necessariò illam concedere debet in ordine ad media necessariò prærequisita ad hujusmodi finis consecutionem: at consecratio Chrismatis est medium necessariò prære- C quisitum ad legitimam hujus Sacramenti administrationem: ergo si facultas administrandi hujus Sacramenti concedi possit simplici Sacerdoti, pari ratione concedi poterit facultas consecrandi Chrismatis.

Reponet secundò, disparitatem inter utrumque reperi ex eo, quòd legatur equidem facultas concessa simplicibus Sacerdotibus ad ministrandum hoc Sacramentum; nullibi autem appareat facultas aliquando concessa ad benedicendum Chrisma.

Verùm contrà primò; ex negatione facti rectè colligi non potest negatio potestatis, & defectus authoritatis: sicut ergo antequam dispensatum fuisset cum simplicibus Sacerdotibus, ut extraor- D dinariè conferre possent Confirmationis Sacramentum, non poterat legitimè negari potestas in summo Pontifice ad concedendam eis hanc facultatem; ita neque ex negatione facti in dispensatione de facienda consecratione, inferre licet defectum potestatis in summo Pontifice ad hujusmodi facultatem concedendam.

XVI. Videtur certè nim hæc facultas aliquando concessa.

Adde, quòd non leve appareat hujus dispensationis argumentum in Concilio Toletano primo cap. 20. ubi hæc habet: *Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis, Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit, ex E hoc die, nullum alium, nisi Episcopum Chrisma conficere, & per Diœcesim destinare.* Et paulò post: *Episcopo sanè, certum est, quòd omni tempore licet Chrisma conficere. Sine conscientia autem Episcopi, nihil penitus Presbyteri agere præsumant. Statutum verò est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente verò non, nisi ab ipso fuerit præceptum.*

Nec valet quorundam responsio: Concilium hoc factum non approbasse, sed potius redarguisse, utpote cùm prohibuerit. Id, inquam, non sufficit ad elevandam vim hujus authoritatis: nam eò ipsò quòd Concilium factum istud irritum non declarat, nec jubet repetendam esse Confirmationem, jam supponit cum legitima primùm authoritate, consuetudinem illam ex concessione summi Pontificis invaluisse in illis provinciis, quam deinceps cessante necessitate propter Episcoporum copiam legitima de causa abrogavit: enimverò si existimasset, Episcopalem consecrationem ad validitatem hujus Sacramenti essentialiter esse prærequisitam, haud dubiè providisset, ut confirmati Chrismate per simplicem Sacerdotem benedicto, iterum confirmarentur, ne perpetuò hujus Sacramenti fructu, & effectu destituerentur.

Confirmari etiam potest ex Concilio Hispalensi secundo celebrato annô 657. nam cap. 7. arguens & damnans factum Agapii Cordubensis Episcopi, qui ex ignorantia licentiam fecerat Presbyteris consecrandi Altaria, ita statuit: *Quamvis cum Episcopis plurima Presbyteris mysteriorum communis sit dispensatio, quadam tamen authoritate veteris legis, quadam novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum & Diaconorum; ac Virginum consecratio, constitutio Altaris, benedictio, vel unctio; siquidem nec liceat eis benedicere Ecclesiam, vel Altaria consecrare, nec impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi Spiritum sanctum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare; sed nec publicè quidem in Missa quemquam pœnitentem reconciliare. Quæ omnia eis à Sede Apostolica prohibita esse noscuntur.* Audis, quia prohibita à Sede Apostolica, non autem ex eò quod Episcopalis benedictio requiratur ex essentia sacramenti? si autem id non liceat, quia prohibet Sedes Apostolica; hauddubiè licitum erit, dum illa concedet.

Dices: Concilia & SS. Patres absolutè significant consecrationem Chrismatis spectare duntaxat ad Episcopos: igitur simplici Sacerdoti concedi non potest.

Distinguo antecedens: Tanquam ad Ministros ordinarios, qui propriâ authoritate hanc consecrationem faciant, concedo: itaut nulli alteri ab Episcopo hæc potestas concedi possit, nego: licèt enim Concilia, & Patres, ut dicemus infrà, apertè significent solos Episcopos esse Ministros hujus Sacramenti; nihilominus, ut constabit ex dicendis, ea facultas concedi potest, & de facto fuit concessa simplicibus Sacerdotibus, qui ex delegata sibi potestate hoc Sacramentum administrârunt.

Instabis: Quoties concessa fuit simplici Sacerdoti facultas administrandi Confirmationis Sacramentum, toties cautum est, ut illud administraret ex Chrismate ab Episcopo benedicto; ita namque habet Concilium Florentinum suprà, dicens: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confectô, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*: Igitur aliter fieri non potest.

XVII. Imò & justâ causâ id exigente iterum concedi posset.

Nego consequentiam: Nam, ut dixi, ex Conciliis Toletano & Hispalensi, apertè satis colligitur, quòd aliquando etiam delegata fuerit simplici Sacerdoti facultas consecrandi Chrismatis: idcirco autem in expressis concessionibus summi Pontificis, quibus facta est facultas simplicibus Sacerdotibus hoc Sacramentum administrandi; cautum est, quòd Chrisma esset ab Episcopo benedictum; quia sic benedictum Chrisma facilè haberi poterat; & in varias orbis regiones deferri. Nihilominus, si justa adesset causa, nempe si

contingeret casus, quòd in longinqoa aliqua regione, quæ primùm ad fidem converteretur, nec Episcopus posset esse præsens, nec Chrisma ad eam deferri ab Episcopo benedictum; non video quare Pontifex secundùm probabilem sententiam, præsertim tempore persecutionis, quando hoc Sacramentum est maximè necessarium ad fortiter fidem profitendam; quare, inquam, non posset Sacerdori ibidem commotanti delegare potestatem consecrandi Chrisma, & eôdem Chrismate confirmandi.

Conclusio Tertia.

XVIII. *Materia proxima Confirmationis est unctio.*

Materia proxima Confirmationis est unctio in fronte facta cum Chrismate benedicto in modum crucis. Ita Subtilis Doctor suprà laudatus num. 2. ubi scribit: *Materia proxima, idest, illud visibile, quod concurrit in sacramento, est unctio facta in fronte in figura crucis eum Chrismate sanctificato.* Quod utique apertè confirmat Concilium Florentinum: *Ideò*, inquit, *in fronte, ubi verecundia sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus, qua Iudæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, propter quod signo crucis signatur.* In quibus verbis exprimitor, ut patet, onctio in fronte per modum crucis. Idem pariter dicuot omoes SS. Patres, Dionysius de cœlesti Hierarchia cap. 2, *Assumentes autem illum* (baptizarum) *Sacerdotes, susceptori suique accesŝûs duci consignant, & una cum ipso illum vestem baptizati munditiæ congruam induunt. sicque indutum rursum ad Pontificem ducunt. Ille divinô ac deificô prorsus unguentô virum signans* (utique signaculô Christianorum, quod est crux) *sacratissimæ communionis participem facit.* Manifestiùs S. Ambrosius lib. 6. de Sacramentis cap. 2. *Vnxit*, inquit, *te Deus; signavit te Christus. Quomodò? Quia crucis ipsius signatus formâ ad illius passionem, accepisti signaculum ad illius similitudinem.*

XIX. *Facta in forma crucis.*

Idem pariter suadet ratio Theologica: Illud enim necessariò requiritur ad Sacramentum, quod per verba essentialia formæ exprimitur fieri à Ministro: sed unctio per modum crucis exprimitur per hæc verba formæ, *Signo te signô crucis*, &c. Igitur hæc consignatio per modum crucis est necessaria.

Deinde, consignatio, quæ fit in Confirmatione, significatur fieri more Christianô: at omnis Christianorum consignatio fit per modum crucis, ut docet Stephanus quintus, & refertur de consecratione dist. 5. cap. 10. his verbis: *Nunquid non omnia Chrismata Sacerdotalis ministerii, crucis figurâ perficiuntur? Nunquid Baptismatis undâ, nisi cruce sanctificatâ, peccata relevantur? Et, ut cætera prætereamus, sine crucis signaculo, quis Sacerdotii gradus ascendit?* Idem docet S. Chrysostomus tract. 118. in Joan. *Postremò, quid est, quòd omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aqua, ex qua regenerantur, sive oleo, quô Chrismate unguntur, sive Sacrificio, quô aluntur, nihil eorum ritè peficitur.*

XX. *Idque in fronte.*

Ipsa pariter consignatio fieri debet *in fronte*, ex continua Ecclesiæ praxi, ut docet Innocentius primus epist. 1. cap. 3. ubi loquens de unctionibus, quæ fieri possunt à simplici Sacerdote, subdit: Non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum. Idem pariter docet Damasus epist. 4. inbibens Chorepiscopis hujus Sacramenti ministerium bis verbis: *Nec Chrismate baptizatorum frontes signare.* Hinc S. Augustinus serm. 2. in Psal. 36. *Crux*, inquit, *jam de pœna generis humani sublata est; cùm enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur, honorata est, & finita est; finita est pœna, manet in gloria: à locis suppliciorum, fecit transitum ad frontem Imperatorum.* Et in Psalmum 44. *Attende gloriam crucis Christi, jam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt.* Et in Psalmum 95. *Dominus regnavit à ligno, quia pugnavit cruce suâ Christus, vicit Reges, & subjugatis eis, ipsam crucem in fronte fixit, & gloriantur de illa, quia ibi est laus illorum.*

Dices: S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. docet non solùm frontem, sed & alias corporis partes Chrismate inungendas esse, maximè verò quinque sensuum organa, ait enim: *Primùm frons illinitur, ut eum à nobis abstergat pudorem, quem primus homo transgressu perpetuò circunferebat, simulque efficiat, ut possimus vultu non velatô gloriam Dei intueri: deinde verò aures inunguntur... posteà nares*, &c. Quem etiam ritum plurimæ servant Græcorum Ecclesiæ, ut patet ex diversis Græcorum Euchologiis. Insuper S. Ambrosius lib. de ioitiandis cap. 6. dicit caput inungi; deinde verò unguentum in barbam effluere: igitur unctio non solùm in fronte debet fieri.

XXI. *Licet aliæ etiam corporis partes ungantur apud Græcos.*

Respondeo, quòd etsi aliæ corporis partes inungantur Chrismate; nihilominus solam vnctionem in fronte esse de necessitate, & essentia hujus Sacramenti: cùm enim frons sit sedes pudoris, & erubescentiæ, priùs est ungenda, quàm cæteræ partes, ut confirmatus Christi fidem, & Evangelium profiteri non erubescat. Ad S. Ambrosium dico, eum ibi non loqui de unctione confirmatoria, sed de cæremoniali, quæ fit in vertice, dum quis baptizatur: de confirmatoria enim tantùm agit cap. sequenti.

XXII. *Qualiter differat unctio in fronte ab ea quæ fit in vertice.*

Differt autem hæc unctio, quæ fit *in fronte* per Episcopum (ut observat Durandus lib. 6. de ritibus Ecclesiasticis) ab illa, quæ fit *in cerebro*, sive *in vertice* per Sacerdotem. *Primò*, quia secundùm Rabanum de *Conse. dist.* 5. cap. *novissime.* In illa signatur supra baptizatum Spiritûs sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam; in hac verò signatur ut ejusdem Spiritûs sancti septiformis graria cum plenitudine sanctitatis, scientiæ, & virtutis venire in homine declaretur. *Secundò*, differunt quia per illam, quæ fit in vertice, anima Christo desponsatur: per istam verò, ditatur & dotatur. Item per illam ostenduntur vulnera esse sanata: per hanc plenitudo gratiarum confertur: quod ex verbis utriusque unctionis potest perpendi. In collatione enim illius unctionis dicit Sacerdos: *Deus omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu sancto, quique tibi dedit remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis in vitam æternam.* His verbis, quæ est salutatio in vitam æternam, per hanc unctionem obtineri ostenditur, sed hæc verba transcendit Episcopus in unctione Confirmationis, dicens: *Emitte in eum septiformem Spiritum sanctum tuum Paracletum, de cœlis: Spiritum sapientiæ & intellectûs, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis: & imple eum spiritu timoris Domini, & consigna eum signô sanctæ crucis, propitiatus in vitam æternam: consigna, inquam, ut Spiritum sanctum non amittat.* In Concilio Tolet. de conse. de v. cap.

XXIII. cap. *dictum*, & cap. sequenti dicitur, quòd nullus debet bis confirmari, sicut nec baptizari.

Fieri debet cum pollice. " Post orationem, quam communiter dicit Episcopus super omnes confirmandos, si plures sint, singulariter cuilibet frontem linit in modum crucis, Chrismate cum pollice, dicens cuilibet. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: Pax tecum.* Quæ salutatio fit ad novum hominem, qui dignus est salutari propter vitæ novitatem: & qui

XXIV. *Cur salutetur confirmatus.* " secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate, & veritate: interim enim, cùm erat vetus, non erat salutandus, sed tantùm erat pro eo orandum. Iden autem fit in modum crucis, & cum Chrismate, sicut & omnia Chrismata cum crucis figura perficiuntur: de consecr. dist. 5. nunquid ut appareat, quòd est illius, per cujus crucem B redemptus est, sine quo signaculo non oportet nos ante Deum repræsentari. Quod fit cum pollice, quia ille in consecratione Pontificis est ad hoc specialiter consecratus. Hæc Durandus, quibus addit.

XXV. *Et percutiatur ab Episcopo.* " Subsequenter Episcopus confirmatum percutit in faciem. *Primò*, ut tenaciùs memoriæ teneat, se hoc Sacramentum recepisse: *Secundò*, quia hoc Sacramentum datur baptizato ad robur fidei: ut præmissum est: ut videlicet fiat ita fortis in fide in baptismo suscepta, quòd ulteriùs coram quocunque confiteri nomen Christi non erubescat. *Tertiò*, hæc percussio repræsentat manuum impositionem, quoniam Apostoli per manùs impositionem confirmabant. *Quartò*, ad terrendum C malignum spiritum, ut fugiat; neque redire audeat, sicut fecit beatus Benedictus, liberans per alapam monachum, qui à maligno spiritu vexabatur: ut legitur in Dialog. Greg. lib. 2. cap. 32.

" Duo ergo facit Episcopus: *Primum*, quia eum ungit in fronte: *Secundum*, quia ipsum percutit in facie: *Unctio* significat unguentum gratiæ quantùm ad actus audaces aggrediendi ea, quæ pertinent ad fidem: *Percussio* verò fit, ne ulteriùs confundatur, aut timeat confiteri nomen Christi, quasi dicat Episcopus confirmato: Ita sis fortis, ut quicunque sic te percusserit, vel quocunque alio modo tibi confusionem fecerit pro eo, quia Christi fidem confiteris, tu in his omnibus non D erubescas: percussi enim in facie erubescere solent: Similiter etiam fit alicubi, propter eandem causam militibus novis. *Ita Durandus.*

Quæstio Tertia.

Quænam sit forma legitima, & valida Confirmationis.

I. *Forma consistit in verbis.* Notandum primò, citra controversiam esse, quòd hujusmodi Sacramenti forma, sicut & aliorum Sacramentorum, qui consistunt in usu, E sint aliqua verba, quæ materiam proximam significant, & exprimunt: commune etenim est omnibus Sacramentis novæ legis, ut materiâ & formâ constent, idest elemento visibili, & verbis quibusdam formæ rationem gerentibus, si matrimonium excipias, quod, ut dicemus, per nutus & signa consensum declarantia validè potest contrahi. Quod maximè verum est de Confirmatione: siquidem Apostoli Actor. 8. leguntur oravisse, ut qui baptizati jam fuerant, Spiritum sanctum per manuum impositionem acciperent: quæ utique oratio fuit instar formæ: vel erat ipsamet forma, quæ idcirco dicitur oratio, quòd ad ejus prolationem, & impositionem manuum Spiritus san-

A ctus super confirmatos velut exoratus, & precibus interpellatus illaberetur. Verùm controvertitur inter Theologos, quænam verba ad Confirmationis formam necessariò sint adhibenda.

Notandum secundò, eam esse quorumdam Græcorum sententiam, ut refert Arcudius *lib. 2. c 6.* quòd verba, quæ dicuntur à Pontifice super unguentum consecrandum, sint hujus Sacramenti forma. Ita *Gabriel Philadelphia* in tract. de Sacramentis, ubi agens de consecrationis forma: ait: *Forma unguenti sunt verba Pontificis, qua dicuntur super unguentum, & qua vim habent illud informandi.* Eòdem errore laborat *Nicolaus Cabazilas* in lib. de expositione Liturgiæ cap. 29. qui cùm vellet probare formam consecrationis esse deprecatoriam, recenset à simili cæterorum Sacramentorum formas esse deprecatorias, præcipuè verò sacri unguenti. Idem pariter censet *Marcus Ephesius* in opusculo, cujus inscriptio est, quòd non solùm à voce Dominicorum verborum sanctificantur divina dona, verùm etiam à consequente oratione, & benedictione Sacerdotis. Verùm, ut optimè notat Arcudius, hi omnes turpiter hallucinantur: *Tum*, quia Sacerdos Græcus ex dispensatione Sacramentum Confirmationis tribuit: non potest autem Chrisma consecrare: igitur hujus Sacramenti forma & essentia non consistit in precibus, quibus Chrisma consecratur. *Tum*, quia unguentum consecratum à Pontifice, habet tantùm rationem materiæ: igitur hujus Sacramenti forma non consistit in illius Chrismatis consecratione. *Tum denique*, quia plurima verba in benedictione & consecratione Chrismatis profert Pontifex, quæ illi Græci ultrò fatebuntur, non omnia spectare ad hujus Sacramenti formam. Nec in illis aliqua certè designari possunt, in quibus præcisè hujus Sacramenti formæ ratio consistat: igitur inanis est & absurda eorum sententia; ac subinde solùm restat libranda difficultas de legitima forma, usurpari solita ab Ecclesia Orientali simul, & Occidentali, Græca videlicet & Latina.

Notandum tertiò, duplicem solitò circumferri formam conferendæ Confirmationis; quarum prima in Ecclesia Latina frequentata concipitur his verbis: *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris*, &c. Quæ utique forma pridem in usu fuit apud Latinos, ut colligitur ex Ritualibus antiquissimis, quos laudant Alcuinus, & Amalarius Fortunatus, qui floruerunt pœnè abhinc 900. annis. Nec officit, quòd his verbis expressa non inveniatur apud SS. Patres; nam, ut docet Innocentius primus epist. 1. ad Decentium cap. 3. agens de Confirmatione: *Verba*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Forma verò usitata apud Græcos hæc est: *Signaculum donationis Spiritûs sancti*, supple, *donatur tibi.* Quam utique formam antiquitus frequentatam fuisse apud Græcos, pluribus probat Arcudius lib. 2. cap. 2. maximè verò ex B. Asterio Episcopo Amasi. Tradit etiam Cardinalis Bessarion in tract. de Sacramento Eucharistiæ; ubi asserit hanc formam expressam fuisse in secunda Synodo Oecumenica. *Quæ*, inquit, *verba, quæ sacrum Chrisma perficiunt, tradens in 7. can. ita ait: Obsignantes, hoc est, sanctissimô Chrismate eos Chrismantes, dicimus signum doni Spiritûs sancti, & hac verba secundùm eos, hoc Chrismatis Sacramentum perficiunt.* Idem pariter docet Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in sua censura hæresis Calvinianæ, quam

II. *Græci recentiores errant circa formam Confirmationis.* (margin note to Notandum secundò)

III. *Alia est forma à Latinis, & alia usurpata à Græcis.* (margin note to Notandum tertiò)

MMmm

Stanislaus Socoloreus è Græco in Latinum vertit, & orationibus illustravit; explanans autem caput tertium ejusdem censoræ, obi habetur hæc Græcorum forma, addit: Formam haoc verborum Sacramenti Confirmationis olim fuisse, testatur canon. 7. Concilii primi Constantinopolitani: Signatos, inquit, sive unctos, primùm sanctô Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus, Signaculum doni Spiritûs sancti. Non dissimilis est item ea formula, quâ nunc in Ecclesia utimur: *Consigno te signô sanctæ crucis, & chrismo te oleô salutis.* Quam item vetustissimam esse, patet ex D. Ambrosio de iis, qui mysteriis instituuntur cap. 7. *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus D. & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolicâ lectione didicistis.*

Quibus præmissis, duo hîc occurrunt statuenda: *Primum*, quænam sit legitima forma hujus Sacramenti à Latinis usurpata: *Secundum*, utrum probanda sit forma usitata apud Græcos.

Conclusio Prima.

IV. *Quænam sit forma legitima Confirmationis.* FOrma ordinaria, & legitima Confirmationis apud Latinos est hæc, aut ei æquivalens; Signo te signô crucis, & confirmo te Chrismate salutis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Ita docet Concilium Florentinum in Decreto unionis Armenorum, & habet Pontificale Romanum a Clemente octavo, atque ab universa Ecclesia Latina probatum. Quòd etiam ratione suaderi potest, quam tradit Catech. Rom. *nu.* 6. Illa enim est forma conveniens, quæ quidquid ad Sacramenti essentiam pertinet, aptissimè declarat: atqui præfata forma aptissima est ad declarandum Sacramenti Confirmationis essentiam, causam, & effectus; etenim maximè hæc tria in Confirmatione observanda sunt, divina potestas, quæ ut principalis causa in Sacramento operatur: tum robur animi, & spiritûs, quod per sacram unionem fidelibus ad salutem tribuitur: deinde signum, quô notatur is, qui in certamen Christianæ militiæ descensurus est.

Ac primùm quidem verba illa: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, quæ extremò locô posita sunt: alterum ea, *Confirmo te chrismate salutis*: quæ in medio sunt: tertium, quæ in principio formæ locantur, *Signo te signo crucis*, satis apertè declarant. Quamquam si etiam ratione aliquâ probari non possit, hanc esse hujus Sacramenti veram, & absolutam formam, Ecclesiæ Catholicæ authoritas, cujus magisteriô ita semper edocti fuimus, non patitur nos ea de re quidquam dubitare.

Porrò ad hanc formam respexisse videtur Apostolus 2. Cor. 1. his verbis: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum, & unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Imprimis hôc Sacramentô confirmamur à Deo Patre in Christum, idest, in fide erga Christum, quam intrepidè tutamur; & ad quam mores fideliter exigimus. In hoc etiam Sacramento

V. *Perinde est quod sit indicativa, vel imperativa.* imprimit militibus suis insignia sua Princeps noster, Christus, cujus cruce pugnamus, vincimus, triumphamus, coronamur. Infunditur etiam Spiritus sanctus, pignus & donum notionale, infirma cordis & corporis virtute firmans perpeti. Pater milites spiritales eligit, Filius acceptat, Spiritus sanctus instruit & firmat. *Signavit te Deus Pater*, inquit S. Ambrosius lib. de iis qui initiantur, cap. 7. *Confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* A Patre ergo milites vocamur, à Christo militiæ adscribimur, sed à Spiritu sancto armamur, juxta illud Cyrilli Hierosolymitani Catech. 3. *Ut Salvator post Baptismum, & Spiritûs sancti adventum egressus in prælium devicit adversarium; sic & vos post sacrum Baptisma, & Chrisma mysticum induti armis sancti Spiritûs adversus oppositam potestatem consistitis, & præliamini dicentes: Omnia possum in eo qui me confortat Christo.*

Verba ergo illa *Confirmo te*, *Signo te*, Spiritûs sancti effusam plenitudinem significant; ideo namque in *Confirmatione* fortes efficimur, quia Spiritu sanctô roboramur. Nam Christus in cœlum ascensurus, cùm Spiritum sanctum Apostolis polliceretur, hôc eôdem virtutis nomine Spiritum sanctum expressit, Lucæ 24. *Sedete*, inquit, *in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto:* Nihil ergo mirum, si quô orationis genere Spiritum sanctum Christus promisit, eôdem Ecclesia promissum dari significet. Dixi autem in conclusione, *aut aliis verbis æquivalentibus*; siquidem

VI. *Fortè et posset deprecativa.* valeret forma, si locô *confirmo* quis diceret, *Confirmetur*, vel, *Confirmet te Deus*, supple *per me:* Perinde enim est ad formam hujus Sacramenti quòd fiat modô imperativô, vel indicativô. Hâc enim formâ imperativâ usus est S. Sylvester in Confirmatione Constantini Magni, quam ipse Imperator in edicto suo (quod habetur tom. 1. Conciliorum post Concil. Rom. II. sub Sylvestro) his verbis: *Levatoque me de venerabili fonte, indutô vestibus candidis septiformis gratiæ sancti Spiritûs consignationem adhibuit beatè Chrismatis unctione, & vexillum sanctæ crucis in mea fronte linivit, dicens: Signet te Deus sigillô fidei suæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti in consignationem fidei.*

Imò nonnulli probabiliter docent, eam fieri posse verbis deprecativis, ut existimat Hiquæus *num.* 71. idque colligit non solùm ex rito, quô Apostoli conferebant Confirmationem; nam Actor. 8. legitur: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*: sed etiam ex illis verbis S. Augustini lib. 15. de Trinit. cap. 20. *Neque enim*, inquit, *aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum; orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia*, &c.

Ex quibus, inquit Hiquæus; non incongruè interpretari licet modum deprecativum esse sufficientem. Eum autem fuisse in usu, colligitur ex forma, quâ usus est Sylvester: & videtur S. Augustinus similem modum in suo tempore, tanquam consuetum indicare. Neque incongruè intelligitur ille locus sancti Ambrosii lib. 2. de Sacramentis cap. 7. ad hunc modum confirmandi alludere: *Venisti ad Sacerdotem, quid tibi dixit? Deus Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse ungat in vitam æternam*, &c. Et quamvis hæc esse verba Sacerdotis ungentis in vertice, dicat Amalarius lib. 1. de Offic. cap. 27. tamen verba Episcopi, quæ subjungit, etiam deprecatoria sunt, & non indicativa potestatis; unde ipse dicit: *Emitte in eum* (verba sunt Episcopi) *septiformem Spiritum sanctum suum Paracletum de cœlis, Spiritum sapientiæ, & intellectûs; Spiritum consilii, & fortitudinis; Spiritum scientiæ, & pietatis; adimple eum Spiritu timoris Domini, & consigna eum signô crucis in vitam propitiatus æternam*, &c. Ad hæc autem verba sancti Ambrosii rectè

possunt alludere, qui in clausula sequenti declarat effectum Confirmationis: *Vide*, inquit, *ubi unctus es? In vitam*, inquit *aeternam*: *Noli hanc vitam illi vitae anteferre*: verbi gratiâ, si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi vitam tuam auferre, si minatur mortem, ut praevaricetur quisquam, vide quid eligas. Noli eligere illud, in quo non es unctus; sed elige in quo unctus es, & vitam aeternam vitae praeferas temporali, &c. Et lib. 3. sequenti, postquam cap. 1. explicavit effectum Baptismi, cap. 2. *Sequitur*, inquit, *spiritale signaculum, quod audistis hodie legi: quia post fontem superest, ut perfectio fiat quando invocatione Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur: Spiritum sapientiae, & intellectûs; Spiritum consilii, & virtutis, &c.* ubi agit de Confirmatione, quae Baptismo accedit; tanquam perfectio. Huc ergo verba etiam ultimi capitis lib. 2. quasi ejusdem materiae continuatio non intermissa, referenda sunt. Haec Hiquaeus. Verùm, quamquam ista non sint omninò improbabilia, nihilominus certum est, quòd servanda sit usitata forma verbis indicativis expressa; peccaret enim graviter apud Latinos, qui alienam ab ea formam usurparet; secùs autem est apud Graecos, ut significabit

Conclusio Secunda.

VII. Quaenam sit forma à Graecis usurpata.

Validè ac legitimè Graeci utuntur hâc formâ in conferenda Confirmatione. Signaculum doni Spiritûs sancti.

Probatur primò ex praefato canone 7. Concilii Constantinopolitani, in quo, ut diximus, non alia servabatur forma in recipiendis haereticis, & confirmandis, quàm forma mox assignata: sic enim hunc Canonem refert & vertit Arcudius: *Eos qui rectae fidei adjiciuntur, & parti eorum, qui ex haereticis salvantur, recipimus secundùm subjectum hic tenorem & consuetudinem: Arianos videlicet & Macedonianos, & Sabatianos, & Novatianos, qui se puros & sinistros vocant, & Quartodecimanos, scilicet Tetraditas, & Apollinaristas dantes quidem libellos, & omnem haeresim anathematizantes, quae non sentit, ut sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, recipimus obsignandos, sive ungendos, primùm sanctò Chrismate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus: Signaculum donationis Spiritûs sancti.* Ubi haud dubiè sermo est de Sacramento Confirmationis. Idem anteà statutum & ordinatum erat in Concilio Laodiceno cap. 7. *Haereticos*, inquit, *Novatianos, Photinianos, Quartodecimanos, seu quos ipsi vocant fideles conversos, non prius esse recipiendos, decernimus, quàm omnem haeresim, potissimùm eam, quâ erant infecti, anathematizaverint; tum demum ab ipsis dictos fideles mysteria fidei edoctos, sanctòque Chrismate inunctos, ad sacratissima Communionis mysterium participandum admittendos.*

Repones, Canones Concilii Constantinopolitani non esse approbatos ab Ecclesia, ut testatur S. Gregorius lib. 6. epist. 31. *Canones*, inquit, *Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, neque nos accipimus.*

Eam approbat Concilium Constant.

Verùm contrarium apparet ex sexta Synodo, ut refertur cap. 7. dist. 16. ubi praefata Synodus decernit: *Confirmamus & caeteros sanctorum canones & Synodos*, idest, Nicaenam, Constantinopolitanam, &c. Et cap. 17. ejusdem distinctionis. Transcribitur haec professio Romani Pontificis ex libro divino: *Sancta octo universalia Concilia: idest, primum Nicaenum, secundum Constantinopolitanum, &c. usque ad unum apicem inviolata servare, & pari honore & veneratione digna habere, & quae praedicaverunt, & statuerunt, modis omnibus sequi, & praedicare, quaeque condemnaverunt, ore & corde condemnare profiteor.* Accedit etiam Leo quartus in epistola ad Episcopos Britanniae, & refertur dist. 20. cap. 1. ubi inter caetera haec habet: *Quibus*, inquit, *in omnibus Ecclesiasticis utimur judiciis, sunt canones Apostolorum, Nicaenorum... Constantinopolitanorum, & isti omnino sunt, per quos judicant Episcopi, simul judicantur & Clerici.* Unde ad S. Gregorium dico eum intelligendum esse solùm de Canone 5. illius Concilii, in quo statuitur, Sedem Constantinopolitanam esse secundam post Romanam, & caeteris praeferendam. Quem utique Canonem non recipit Ecclesia Romana, ut constat ex epistola Leonis primi ad Anatholium, & ex epistola Leonis octavi vel noni adversus Michaelem; unde etiam Baronius ad annum 593. existimat, & non sine fundamento, hunc canonem adscititium esse, & à Praesulibus Constantinopolitanis Canonibus aliis insertum.

VIII. Nec improbant summi Pontifices.

Verùm, quidquid sit de isto canone Constantinopolitano, certum est, praefatam Graecorum formam pridem ab eis fuisse usurpatam, nec usquam à Latinis reprobatam: *Tum*, quia hujusmodi forma habetur in veteri Euchologio Graecorum, jussu Urbani octavi recusso & approbato: *Tum*, quia in omnibus Conciliis, maximè Lugdunensi, & Concilio, in quibus actum est de Graecorum erroribus, nusquam hic fuit eis objectum, quòd invalidâ Confirmationis formâ uterentur: *Tum*, quia Clemens octavus in Bulla, quâ perstringit abusus Graecorum, quae habetur tomò 3. Bullarii foliò 47. cùm prohibuisset Presbyteris Graecis, ne Confirmationis Sacramentum conferrent, prohibuit quoque, ne ista verba, *Signaculum doni Spiritûs sancti*, nullatenus proferrent: si autem illa verba nō essent verba Confirmationis usitata apud Graecos, sed tantùm quaedam Baptismi caeremonia, non prohibuisset Presbyteris, ne hujusmodi verba proferrent: *Tum denique*, quia in hac forma continetur quidquid necessum est ad veram formam Confirmationis; nam tria ad veram Confirmationis formam requiruntur, nempe actus Ministri, secundò robur spirituale, quod significatur homini conferri per Sacramentum; tertiò, ipsius materiae, seu signi sensibilis applicatio designata: at tria haec in praefata Graecorum forma reperiuntur: *Primò* namque significatur principalis causa conferens plenitudinem roboris, nempe sancta Trinitas, cùm dicitur *in nomine Patris, &c.* significatur pariter, & exprimitur actus, qui per Ministrum exercetur, nec-non & ipsum suscipiens: nam hujus sensus formae est hic, *Hoc, quod tibi do, est signaculum doni Spiritûs sancti*; haec enim important duo illa vocacula, *signaculum doni*, non secus ac apud Latinos synonima sunt haec, *hic est liber tuus*, & *do tibi hunc librum*.

IX. Nec obstat quòd in ea simpliciter non sit verbum est.

Nec obstat, quòd non scribatur verbum substantivum, sufficienter enim subintelligitur, quemadmodum plerumque fit apud Latinos, ut patet ex locutionibus; *Lumen Christi*; *Gloria in excelsis Deo*; *Gloria Patri, & Filio, &c.* Unde ubi in Exodo c. 14. legimus: *Hic est sanguis foederis, quod pepigit vobiscum Dominus*: Apostolus ad Hebr. 9. idipsum exprimit sine verbo substantivo, scribens: *Hic*

sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus. In ea pariter designatur effectus duplex Sacramenti: primus videlicet character, qui exprimitur nomine signaculi, & gratia sanctificans, quæ designatur nomine doni. Unde Cardinalis Bessarion & Areudius locis laudatis, docent hanc Græcorum formam æquivalere formæ à Latinis usurpatæ.

Nec obstat, quòd Catumsyritus in concordia utriusque Ecclesiæ tract. 1. accusatione 7. dicat hujusmodi verba, *Signaculum doni Spiritûs sancti*, non esse formam Confirmationis, sed cujusdam Chrismationis reconciliatoriæ, quæ olim in Ecclesia Græca solebat in Baptismo adhiberi. Contrarium enim hujus assertionis sufficienter constat ex omnibus mox dictis. Nec pariter obstat, quòd Severus Patriarcha Alexandrinus lib. de Ritibus Baptismi, qui habetur tomô 6. Bibliothecæ sacræ, proferat formam consecrationis similem Romanæ. Hoc, inquam, non obstat; quippe, sicut in Ecclesia Latina in diversis Ritualibus antiquis diversæ referuntur formæ consecrationis; ita mirum videri non debet, quòd etiam in diversis Euchologiis Græcis, diversæ hujus Sacramenti formæ repetiantur,

ARTICULUS SECUNDUS.

De præcipuis ac propriis Sacramenti Confirmationis effectibus.

I. Quatuor præcipui Confirmationis effectus declarantur.

QUATUOR potissimùm hujus Sacramenti mirandos effectus recenset ac declarat Catechismus Romanus *num.* 16. & sequentibus, ubi *scribit*: Pastores docebunt, Confirmationem hoc cum cæteris Sacramentis commune habere, ut, nisi impedimentum aliquod ex parte ejus, qui illud recipit, inferatur, novam gratiam tribuat: etenim hæc sacra & mystica signa ejusmodi esse, demonstratum est, quæ gratiam declarant, atque efficiunt. Sed præter hæc, quæ cum aliis communia censenda sunt: *Primum*, quidem illud propriè Confirmationi tribuitur, quod Baptismi gratiam perficit: qui enim per Baptismum Christiani effecti sunt, quasi infantes modò geniti teneritatem adhuc & mollitiem quamdam habent, ac deinde Chrismatis Sacramentô adversus omnes carnis mundi, & diaboli impetus robustiores fiunt: & eorum animus in fide omnino confirmatur ad confitendum, & glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi: ex quo etiam nomen ipsum inventum esse nemo dubitârit.

Nec verò confirmat solùm, sed auget etiam: de quo Melchiades ita testatur: *Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit, ad innocentiam: in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.*

Deinde non auget modò, sed admirabili quâdam ratione auget. Hoc autem pulcherrimè indumenti translatione Scriptura significavit, atque expressit; inquit enim Dominus Salvator, cùm de hoc Sacramento loqueretur: *Sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.*

Habet prætereà Confirmatio eam vim, ut characterem imprimat; quò fit, ut nullâ unquam ratione iterari possit: quod etiam in Baptismo suprà observatum est: ac de Sacramento Ordinis quoque suô locô planiùs exponetur. Hæc igitur si à Pastoribus sæpè, & accuratè explicata erunt, vix fieri poterit, quin fideles cognitâ hujus Sacramenti dignitate, atque utilitate illud summa cum diligentia sanctè, & religiosè suscipere studeant. Quoniam autem quatuor illi, & similes effectus maximè collimant in infusionem gratiæ, & characteris impressionem; idcirco duæ occurrunt hoc in articulo libandæ controversiæ: *Prima*, quænam specialis gratia per Sacramentum Confirmationis conferatur: *Secunda*, utrum characterem imprimat, ratione cujus non possit ullatenus iterari.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum, & quanam specialis gratia per Sacramentum Confirmationis conferatur?

NOtandum primò, citra controversiam esse, quòd per Confirmationem conferatur gratia sanctificans; quippe cùm veram ac perfectam Sacramenti novæ legis rationem & dignitatem obtineat: porrò ea est novæ legis Sacramentorum efficacitas, ut ex opere operato ad hominis salutem & sanctificationem conferant; ac subinde largiantur gratiam, quâ hujusmodi sanctitas formatur, & firmatur: sed difficultas movetur de speciali gratia, quæ per hoc Sacramentum ita conferatur, ut per aliorum Sacramentorum receptionem de via ordinaria non possit obtineri. II Certu… quòd… sancti… per C… matic… confe…

Notandum secundò, pariter certum esse, quòd Sacramentum Confirmationis per se, & ex primaria intentione Christi instituentis non habeat vim conferendi primam gratiam; sed tantùm secundam, nempe augmentum gratiæ sanctificantis jam in homine existentis. Quamvis enim per accidens fortè posset interdum conferre primam gratiam, ubi aliquis bonâ fide existimat se, vel debitè Sacramentum Pœnitentiæ suscepisse, vel non perdidisse gratiam in baptismate acceptam, vel saltem se esse contritum, dum ad Sacramentum Confirmationis accedit; nihilominùs apertè constat ex dictis de Sacramentis in communi, quòd Confirmatio ex ratione sua formali, & per se non habeat vim conferendi primam gratiam: *Tum*, quia definitum est in decreto unionis Concilii Florentini, nec-non in Tridentino sess. 5. can. 3. & sess. 14. cap. 1. duo solùm esse Sacramenta per se instituta ad eluendum peccatum mortale, nempe Baptismum, quô originale, & Pœnitentiam, quâ actuale tollitur. Itaque solùm movetur quæstio de gratia secunda, hoc est de augmento gratiæ sanctificantis; per Confirmationem conferendo, qualis videlicet sit illa gratia. I… Nos… dem… nisi p… ciden…

Notandum tertiò, certum pariter esse, quòd gratia per Confirmationem collata, necessariò præsupponere debeat gratiam baptismalem; siquidem priùs est fieri Christianum, quàm corroborari, & perfici, priúsque est nasci, quàm adolescere, & in virum perfectum evadere. Sed controvertitur apud Theologos, utrum gratia Confirmationis sit præstantior ac copiosior gratiâ baptismali. Porrò utriusque hujus gratiæ comparatio potest fieri dupliciter, ut bellè observat Seraphicus Doctor dist. 7. art. 3. q. 3. *Unô modô* ratione præsuppositionis, & hâc ratione constat, quòd gratia Confirmationis præstantior sit baptismali; nam bene & perfectè vivere melius est, quàm tantùm vivere: *aliô modô* ratione efficaciæ, seu effectûs formalis, quem utraque gratia confert. Quæritur autem, utrum gratia per Confirmationem collata hôc utrôque modô sit præstantior baptismali. Duo I… Quo… dis… confi… tiva… bapti… possi… ferri.

itaque hic sunt statuenda: *Primum*, quænam sit specialis gratia per Confirmationem conferenda: *Secundum*, utrum, & qualiter sit præstantior gratiâ Baptismali.

Conclusio Prima.

V. Confirmatio confert robur ad fidem tuendam.

C*Onfirmatio per se ordinatur ad conferenda specialia gratiæ auxilia, quibus homo roboretur, & animetur ad confitendam Religionem Christianam & Catholicam, & fideliter consummandum fidei certamen.* Ita subtilis Doctor dist. 7. quæst. 1. num. 1. ubi ait: *Confirmationis Sacramentum est unctio.... significans efficaciter ex institutione divina unctionem animæ, per gratiam roborantem, ad confitendum cum constantia fidem Christi.* Idipsum docet Concilium Florentinum in Decreto Unionis, ubi agens de Confirmatione, ait: *Effectus autem hujus Sacramenti, est quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut audacter Christi confiteatur nomen.*

Quemadmodum enim Apostoli Confirmationis effectum in die Pentecostes, per internum & externum sancti Spiritûs in eos illapsum, ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, & summâ animi fiduciâ Christum ubique prædicabant, juxta solemne illud ipsius Christi promissum, Act. 1. *Accipietis virtutem Spiritûs sancti, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ:* Sic homo confirmatus speciale animi robur obtinet, non tantùm ad expugnandas assiduas interiores & exteriores diaboli infestationes; sed maximè ad protestandam fidem coram tyrannis & Ecclesiæ impugnatoribus; sicut ergo baptizatus potestatem spiritualem accipit protestandi fidem in Ecclesia, & coram aliis fidelibus, per susceptionem aliorum Sacramentorum; ita confirmatus accipit specialia gratiæ auxilia ad suam fidem profitendam coram infidelibus, & Ecclesiæ adversariis.

VI. Ut optimè explicant SS. Patres.

Hinc S. Clemens lib. 3. Constitutionum Apostolicarum, cap. 17. ait: *Unguentum est Confirmatio professionis.* Et epist. 4. Confirmationem appellat, perfectionem Christianismi: *Cùm autem*, inquit, *regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformis Spiritûs gratia ab Episcopo confirmatus; quia aliter perfectus Christianus esse nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos.* Hoc ipsum docet sanctus Dionysius lib. 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: *Adventum Spiritûs sancti*, inquit, *consummans unguenti inunctio largitur.*

Quæ sit autem Spiritûs sancti adventûs consummatio, & quem in finem deserviat, disertè explicat S. Melchisdes Papa epist. ad Episcopos Hispaniæ, dum scribit: *Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutiferò descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo totâ ætate victuris inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. At si continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat, mox in pace beati sæculi recipiendos. Confirmatio autem armat, & instruit ad agones hujus mundi, & prælia reservandos. Qui autem post Baptismum, cum acquisita innocentia, immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia non potest peccare post mortem.*

Conclusio Secunda.

VII. Gratia Confirmativa non est simpliciter perfectior baptismali.

B*Aptismus ratione efficaciæ, & universalitate effectuum est simpliciter perfectior Confirmatione; ratione verò præsuppositionis & Ministri, Confirmatio dici potest Baptismô perfectior secundùm quid.* Utraque pars est Doctoris, disp. 7. qu. 4. nu. 2. *Dico*, inquit, *quòd Baptismus est simpliciter nobilius Sacramentum, loquendo de nobilitate Sacramenti penes finem principalem Sacramenti, qui est collatio gratiæ: nam ad majorem gratiam, & ad plures effectus simpliciter nobiles confertur Baptismus, quàm Confirmatio.* Siquidem Baptismus est janua aliorum Sacramentorum; insuper confert primam vitam spiritualem, omnium peccati turpitudinem, & pœnam eliminat, hominemque Dei amicum constituit, ei cœlum reserat, claudit infernum, &c. qui utrique effectus longè plures sunt, & præstantiores, quam qui per Confirmationem solent haberi: Majus enim est, inquit Seraphicus Doctor, beneficium, mortui vivificatio, quàm ipsius viventis & infirmi perfecta sanatio; majus pariter donum est de inimico fieri amicum, quàm de amico magis amicum.

VIII. Sed tantùm secundùm quid.

Secundam autem partem sic declarat Doctor ibidem: *Confirmatio dici potest nobilior, quia multùm addit, Baptismo: & insuper ratione Ministri, quia à nobiliori Ministro confertur: sed non est hoc propter ejus nobilitatem, sed propter Baptismi majorem necessitatem: iste pluribus Ministris conceditur, ista non.* Quibus verbis Doctor Confirmationis dignitatem supra Baptismum repetit, tum ex parte gratiæ perficientis & consummantis Baptismum, nec-non & ex parte dignioris Ministri, siquidem Baptismus à quolibet conferri potest in necessitate, & à simplici Sacerdote extra necessitatem: Confirmatio verò non, nisi ab Episcopis: quod etiam discrimen notat Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum cap. 30. dicens: *Novissimè à summo Sacerdote, per impositionem manûs, paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in Baptismate consecutus est per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in capitis summitate: per Pontificem verò in fronte, ut in priori unctione significetur Spiritûs sancti super ipsum descensio, ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque ut ejusdem Spiritûs sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis venire in hominem declaretur.* Quibus verbis Rabanus significat per Confirmationem conferri plenitudinem sanctitatis, quatenus videlicet gratia per hoc Sacramentum collata complet & perficit gratiam Baptismi; non quòd hæc sit illâ perfectior simpliciter & absolutè; sed quia est illius augmentum, & complementum, eâ videlicet ratione, quâ tertius gradus caloris additus duobus prioribus censetur eorum complementum, quamvis tertius gradus in se, & partialiter sumptus sit imperfectior priore calore, ut duo.

Nec repugnat S. Melchisdes.

Nec obstat, quòd Melchiades summus Pontifex in epistola ad Episcopos Hispaniæ, à quibus interrogatus fuerat, utrum Confirmatio nobilior esset Baptismô; *Respondet* Sacramentum Confirmationis majori veneratione venerandum esse & tenendum. Hæc enim non ideo dicit, quòd censeat ampliorem & perfectiorem gratiam per

Confirmationem, quàm per Baptiſmum tribui; Sed quia, inquit, *à majoribus fit, id eſt à ſummis Pontificibus, quod à minoribus perfici non poteſt*. Porrò hæc dignitas, quæ accedit Sacramento ex parte Miniſtri nobilioris, eſt tantùm extrinſeca, nec per ſe Sacramentum alterô præſtantius efficit; alioqui Confirmatio eſſet etiam nobilior Euchariſtiâ, quæ per ſimplices Sacerdotes efficitur. Itaque Sacramenti dignitas & præſtantia maximè petenda eſt ex dignitate effectûs, & rei cujus Sacramentum eſt ſignum; Sacramentum enim eſt ſignum practicum; ſigni verò practici dignitas deſumitur ex ſignato, ſeu ſignificato.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrum Confirmatio imprimat characterem, nec poſſit iterari.

I. Qui nullum cenſebant baptiſmum hæreticorum, etiam Confirmationem ab eis factam, iterandam eſſe docebant.

NOtandum primò, ex Arcudio, cap. 17. non defuiſſe ex antiquis Patribus, qui hoc Sacramentum iterarent, ut etiam Baptiſmum, ſi ab hæreticis collatum fuiſſet. Cujus utique erroris in Africa author extitit Agripinus Epiſcopus Carthaginenſis, S. Cypriani Prædeceſſor: nam quod S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Procatecheſi dixerat: *Soli hæretici rebaptizantur, ſiquidem prius illud non erat Baptiſma*, facili modô exponi poteſt de hæreticis, qui inter baptizandum legitimam formam non uſurpabant. Eô modô intelligendus eſt S. Baſilius Magnus, dum epiſt. ad Amphilochium propendere videtur in ſententiam S. Cypriani & Agripini, de Baptiſmate ab hæreticis collato, dicens: *Neque poterant Spiritûs ſancti gratiam aliis impertire, à qua ipſi exciderant*. Quæ ratio æquè militat adverſus Confirmationem ab hæreticis collatam. Et certè ſi S. Baſilius hæreticorum Baptiſma libenter iteraſſet, citra ullam dubitationem, idem vir ſanctus ab eis collatam Confirmationem geminaſſet: exiſtimo tamen ea de re nihil dixiſſe, ac ſtatuiſſe S. Baſilium, eò quòd hæretici Orientis, præſertim illi, de quibus eum Amphilochius interrogaverat, Confirmationem aſpernarentur: quocirca ſimpliciter mandat, eorum Baptiſmate non rejectô, ſi ita viſum aliis fuerit, prorſus tamen eſſe confirmandos: *Omni autem*, inquit, *ratione ſtatuatur, ut, qui cum Baptiſmate illorum ad Eccleſiam ſe adjungunt, à fidelibus ſcilicet inungantur.*

II. Quô ſenſu ii qui baptiſmum hæreticorum approbabāt, Confirmationē improbarent.

Notandum ſecundò, illam etiam apud Catholicos Eccleſiæ Præſules tempore S. Cypriani viguiſſe conſuetudinem iterum confirmandi eos, qui ab hæreticis Confirmationis Sacramentum videbantur excepiſſe. Quamobrem S. Cyprianus epiſt. 74. eos Præſules carpit, quòd ab hæreticis baptizatos non rebaptizarent, ſed confirmatos ab eis denuò inungerent: cùm tamen aut utrumque Sacramentum ab hæreticis collatum ſpernere ac repudiare, aut utrumque ratum habere, & acceptare deberent? *Si Majeſtati nominis*, inquit S. Cyprianus, *tribuunt, ut, qui in nomine Ieſu Chriſti ubicunque & quomodocunque baptizantur, innovati, & ſanctificati judicentur: cur non ejuſdem Chriſti nomine illic & manus baptizato imponitur, ad accipiendum Spiritum: cur eadem ejuſdem majeſtas nominis non prævalet in manûs impoſitione, quam valuiſſe contendunt in Baptiſmi ſanctificatione*. Hanc eandem ſententiam de iteranda Confirmatione ab hæreticis collata, tueri videntur nonnulla Concilia: ſed quô ſenſu eorum ſententia A ſit accipienda, dicendum erit in præſenti quæſtione.

III. Erronea recentiorum Græcorum ſententia de Confirmatione iteranda.

Notandum tertiò, ex eodem Arcudio, *cap.* 18. eam eſſe Græcorum nunc à veritate Catholica, & Eccleſiæ ſinu aberrantium, erroneam de Confirmatione ſententiam, quòd Baptiſmus etiam ab hæreticis collatus, ſit quidem validus, nec ſubinde ullâ ratione iterandus: ſecus autem de Confirmatione ſentiunt; eorum enim mos eſt, hæreticos quoſcunque, ſive in hæreſi natos, & educatos, ſive in eam lapſos, ſi ſe convertant, Chriſmate conſignare, quocirca Armenopolus in ſuo Compendio Canonum, dum recenſet 47. Canonem Apoſtolorum, hoc addit ſcholium: *Baptizatum rebaptizare, prohibitum id quidem eſt, ſed unguentô inungere, nequaquam: licèt hoc quoque* B *ſacri Baptiſmatis pars eſſe videatur.* Hunc autem morem Græcorum Confirmationem iterantium referunt, & approbant Job Monachus in tractatu de Sacramentis, Simeon Theſſalonicenſis, & Nicolaus Cabaſilas in a. orat. de vita in Chriſto, nec-non & Gabriel Philadelphenſis in ſuo Tractatu de Sacramentis, ubi inter cætera ſcribit; duo eſſe Sacramenta, quæ characterem indelebilem imprimunt, nempe Baptiſmum, & ſacrum Ordinem; quantùm verò ad divinum unguentum, ſeu Confirmationem, addit nonnullos piè etiam bis duobus adjungere, quaſi id pro certo & rato ipſe non habeat. Ut autem eorum er- C ror, quem jam ex parte exploſimus, tum in Diſputatione de Sacramentis in communi, cùm in quæſtione de non iterando Baptiſmate, funditus convellatur, ſit

CONCLUSIO UNICA.

IV. Confirmatio imprimit characterem.

COnfirmationis Sacramentum characterem imprimit omninò indelebilem; ac ſubinde iterari non poteſt. Hæc eſt de fide determinata in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile; unde ea iterari non poſſunt, ana-* D *thema ſit*. Idem decrevit Concilium Tarraconenſe cap. 6. his verbis: *Dictum eſt nobis, quòd quidam de plebe bis vel ter, vel eò amplius, Epiſcopis ignorantibus tamen, ab eiſdem Epiſcopis confirmentur; unde viſum eſt nobis, Confirmationem, ſicut nec Baptiſma iterari minimè debere.* Idem pariter probat conſtans, ac perpetua Eccleſiæ praxis, quæ Sacramentum hoc ritè collatum nuſquam iteravit, non eſt autem veriſimile, Eccleſiam, quæ tantâ ſollicitudine filiorum ſuorum ſaluti ac ſanctificationi invigilat, voluiſſe ſemel confirmatos novô hujus Sacramenti fructu fraudare, ſi illius percipiendi capaces eſſent. Unde meritò E ſubtilis Doctor diſt. 7. quæſt. 4. inquirens, utrum Sacramentum Confirmationis poſſit iterari: *Reſpondeo*, inquit, *iterari non debet, ita quòd ſcienter, quia iterans peccat mortaliter: ſed nec poteſt iterari ſic, quòd iteratum habeat propriam efficaciam. Ratio principalis eſt inſtitutio divina, & congruentia: quia per iſtud Sacramentum inſtituitur aliquis in determinato gradu Eccleſiæ, ſcilicet in gradu bellatoris: & Sacramentum inſtituens in gradu determinato non iteratur, & juxta hoc adduntur congruentia, quia imprimit effectum indelebilem, ſcilicet characterem.*

Colligitur autem & probatur hæc veritas ex illo Apoſtoli ad Hebræos 6. ubi ſic ſcribit: *Quapro-*

pter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, &c. Subjungit autem: *Impossibile est enim eos, qui semel illuminati* (per Sacramentum Baptismi) *gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti* (per Confirmationem) *gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam:* Id est, recipere fructum Pœnitentiæ, nempe gratiam sanctificantem, & illius augmentum, iterum videlicet suscipiendo Baptismum, aut Confirmationem; nam per illam manuum impositionem sanctus Paulus Confirmationem intellexit, ut tradunt SS. Patres, Anselmus, Theophilactus, sed præcipuè Chrysostomus.

Unde idem homil. 3. in 2. ad Cor. disertè & apertè docet, Confirmationem imprimere signaculum indelebile; cùm enim dixisset: Per unctionem internam Spiritûs sancti simul antiquitùs constitutos fuisse Prophetas, Sacerdotes & Reges: *Ad eundem*, inquit, *modum tu quoque in Baptismo Rex, & Sacerdos, & Propheta efficeris. Rex, cùm omnes pravas actiones in terram abjecisti, ac peccata interemisti. Sacerdos, cùm teipsum Deo obtulisti, & corpus sacrificasti, atque adeo ipse quoque mactatus es. Si enim ei commortui sumus,* inquit, *& convivemus ei. Propheta denique, cùm futura prædicis, ac divinô numine afflaris, atque obsignaris. Quemadmodum enim notâ quadam quidam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quò fit, ut, si ordinem deserueris* (nota) *omnibus perspicuus fias. Judæi enim signaculi locò Circuncisionem habebant, nos autem pignus Spiritus.* Hactenus Chrysostomus, qui clarissimè docet signaculum Spiritûs sancti (quod nimirum imprimitur fidelibus per Baptismum, & multò magis per Confirmationem) instar Circuncisionis esse indelebile, quò fit, ut agnoscantur eâ notâ regiâ, qui militiam Christi deserunt. Missas facio omnes illas cæterorum Patrum authoritates, hanc eandem veritatem insinuantes, quas fusissimè refert Basilius Pontius parte 3.

Ratio autem congruentiæ, cur non iteranda sit Confirmatio, petitur ex eo, quòd hoc Sacramentum datur per modum consecrationis, scilicet cum chrismate consecrato; sicut olim Sacerdotes & Reges ungebantur in lege: natura autem consecrationis reiterationem non admittit. Hâc ratione utitur Mag. 4. sent. dist. 7. ad probandam initerabilitatem Baptismi, & Ordinationis, quam desumpsit ex S. Augustino lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13. ibi: *Vtrumque enim Sacramentum est, & quâdam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: adeoque in Catholica (Ecclesia) utrumque non licet iterari.* Subjungit Mag. Quòd indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est. Concinit Toletanum VIII. cap. 7. *Nequaquam,* inquit, *aliquando poterit profanari, quod divinâ professione, simulque Apostolicæ Traditionis authoritate sacrum noscitur extitisse.* (Agit contra eos, qui metu sacris initiati, pœnitentiâ suscepti status ducti, pristina pertentabant conjugia.) *Verùm sicut sanctum Chrisma collatum, & altaris honor propter consecrationem (quæ per Episcopos tantùm exercenda & conferenda sunt) evelli non queunt; ita quoque sacrum decus honorum, quod his compar habetur, & socium; quâlibet fuerit occasione perceptum, manebit omnimodè inconvulsum.*

V. Quô sensu SS. Patres & Concilia decernant esse ungendos hæreticos accedentes ad Ecclesiam.

Objicies 1. Plurimis Conciliorum, & SS. Patrum decretis sancitum est, ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes, Chrismate inungantur: sed verisimile non est, nullos ex hæreticis illorum temporum reverà Confirmationem excepisse: igitur eorum sententia non est, quòd Confirmatio characterem indelebilem imprimat, ratione cujus non possit iterari. Major patet ex canone 7. Concilii Constantinopolitani primi, nec-non & ex cap. 7. Concilii Laodiceni à nobis jam laudati *art. præced. quæst. 3. num. 7.* Similiter ex Concilio *Arelatensi primo* can. 8. nec-non *secundo*, cap. 17. in quibus Ariani; & Bonosiaci ad Ecclesiam revertentes jubentur Confirmationem suscipere.

Denique Concilium Arausicanum primum, can. 2. ubi sic statuit: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus à Presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari placet.* Idem docent summi Pontifices, Gregorius Magnus lib. 9. epist. 61. *Arianos*, inquit, *per impositionem manûs Occidens, per unctionem verò sancti Chrismatis, ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Oriens reformat.* Idem habet Eusebius epistolâ 3. *Hæreticos omnes*, inquit, *quicunque Dei gratiâ convertuntur, & in sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romana Ecclesia regulam tenentes, per manûs impositionem reconciliari præcipimus:* igitur, &c.

Respondeo, Concilia illa intelligenda esse primò vel de hæreticis, qui nullô modô fuerunt confirmati, tum quòd respuerent Confirmationis Sacramentum, ut Novatiani, qui, ut refert Theodoretus lib. 3. de hæreticis fabulis, Confirmationem minimè præbebant: *Iis*, inquit, *qui ab ipsis Novatianis baptizantur, unguentum sacrum non exhibent; quocirca eos, qui ex hac hæresi cum Ecclesiæ corpore se consociant, omni laude digni Patres ungi jusserunt.* Quâ ratione etiam S. Leo epist. 35. ait hæreticos baptizatos, dum ad Ecclesiam revertuntur, non esse rebaptizandos; sed hoc eis esse conferendum, quod ibi defuit, ut per Episcopalem manûs impositionem virtutem Spiritûs sancti consequantur. *Vel* certè quia ipsi à Ministro non idoneo fuerant confirmati, simplici videlicet Sacerdote, qui sine ulla summi Pontificis dispensatione, imò etiam contra illius prohibitionem, Sacramentum Confirmationis conferebat; quales præsertim fuerunt Presbyteri Photiani, seu Photii schismatici sectatores; quibus Adrianus II. (ut ipsemet testatur in epistola, quam scripsit ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, & habetur in Synodo 8.) non solùm in Bulgarorum terris; sed ubique Gentium sacris omnibus interdixerat. *Scripsisti*, inquit Adrianus, *ut nostri Presbyteri ex ditione Bulgarorum cum ignominia & dedecore pellerentur.... Quòd si dicas, prius à nobis Presbyteros Constantinopolitanæ Diœcesis ab regione expulsos, haud inficias imus, erant Photiani: illiusque symmistæ, quibus non solùm in Bulgarorum terris; sed ubique Gentium sacris omnibus diximus interdicimusque.* Photius etiam intrusus in sedem, quam Profanus occupavit, in sua epist. encyclica ad Patriarchas, dissimulans suorum Presbyterorum suspensionem à sacris, hoc ipsum vitio vertit Latinis, quòd Confirmationem iterarent; quæ licèt falsò ac mendaciter dixerit; tamen consuetudinem Ecclesiæ universalis de non iterando Chrismate attexit contra Latinos: *Quin etiam illos*, inquit, *qui à Presbyteris Chrismate uncti fuerunt, iterum Chris-*

mare non horruerunt, Episcopos seipsos jactantes, & Presbyterorum Chrisma inutile esse, & frustrà ab illis administrari, portenose docentes, &c. Non reperitur aliquis, qui talem unquam auribus acceperit insipientiam, quam isti mente capi audere non dubitârunt: illos videlicet, qui semel tincti sunt Chrismate, iterum chrismantes, & Christianorum excelsa, & divina mysteria in magnas nugas, & derisum ingentem convertentes. Et infrà: *Iterata chrismatio illorum, qui baptizati sunt, & Chrismate tincti, neque Canonum authoritate indiget, credo, ut damnetur: cùm vel ipsa sola rei narratio superet omnem impietatis excessum, &c.* Hæc notat Arcudius contra modernum errorem Græcorum, qui chrismationem renovant; quod vel ipse Author totius schismatis Photius damnat, à Latinis contra Canones, & veritatem factum. Cæterùm malignè, quia nullum fuit hujus rei exemplum præter illud, quod factum est inter Bulgaros, quia & ab iis, qui nullam authoritatem habuerunt in aliena Diœcesi, & qui sacris erant interdicti, erantque Sacerdotes simplices, ex more Græcorum, ministri, non verò Episcopi, qui apud Græcos solam ordinationem faciunt illa confirmatio fuerat facta.

Respondeo secundò, Concilia & SS. Patres, non loqui de chrismatione confirmativa Neophytis in Ecclesia tribui solita, sed de chrismatione, benedictione, & manuum impositione reconciliatoria, quæ scilicet ministrari solebat hæreticis ad Ecclesiam revertentibus: cujus utique argumentum est, quòd hæc omnibus promiscuè hæreticis concedi jubeatur, nullô factô discrimine inter eos qui Confirmationem ab Episcopis accepissent, & illos, qui ipsâ non fuissent signati. Porrò hæc chrismatio erat pura cæremonia nihil conducens ad Sacramentum Confirmationis; nihilominus à solo Episcopo fieri solebat, nec poterat eos simplex Sacerdos, nisi urgente mortis discrimine hæreticos reconciliare, ut statuit S. Leo epist. 79. cap. 6. *His verò*, inquit, *qui ad iterandum Baptisma, vel metu coacti sunt, vel errore traducti, & modò se contra Catholicæ fidei Sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, quâ in societatem nostram non, nisi per Pœnitentiæ remedium, & per benedictionem Episcopalis manûs communionis recipiant unitatem.*

Objicies secundò: Euchologium seu Ritnale Græcum per totam Græciam receptum & probatum, in quo leguntur nonnullæ precationes expiatrices, seu reconciliatrices cujusdam Methodii Patriarchæ Constantinopolitani; item & modus recipiendi à Christianismo transfugas, si quando eos resipiscere, & ad fidem Catholicam redire contingat: modus autem iste est, quòd *ungatur conversus unguente baptizati instar*. Precationibus autem peractis & absolutis, in calce illius Rubricæ præscribitur ratio unctionis, & in quibusnam partibus ungi debeat conversus: denique recitatur forma hujus Sacramenti: igitur reverà iterari potest, & de facto à Græcis iteratur Confirmationis Sacramentum.

Distingue consequentiam: Iteratur illegitimè, & invalidè, concedo: licitè, & validè, nego. Ad antecedens autem dico, non esse magnifaciendas illas precationes, & Rubricas; quippe cùm Methodius earum concinnator, non sit magnæ authoritatis, imò nullius: non enim is est Methodius sanctus Confessor, qui circa annum 840. multa passus est pro tuendo cultu sacrarum imaginum; neque enim verisimile sit, virum sanctum & doctum, inquit Arcudius cap. 18. non observasse locum Pauli ad Hebræos 6. simulque illius loci Græcos expositores, Chrysostomum, Theodoretum, Theophilactum, Oecumenium ex eo Apostoli oraculo affirmantes, Baptismum, & Confirmationem imprimere signaculum indelebile, & utrumque Sacramentum non esse iterabile. Sed Methodius ille hujusmodi Rubricæ artifex, sine dubio, inquit idem Arcudius, fuit schismaticus infectus errore Photii, qui vixit circa annum 1240.

VI. Solvit argume tum pet tum ab cholog ritualis G corum.

Dico secundò cum eodem Arcudio, verisimile esse, illas Rubricas de ungendo & abluendo ad Ecclesiam revertente, & post precationes proferendo super eum formam Confirmationis, additas fuisse per modum appendicis à posterioribus Græcis; cujus utique argumentum est, quòd illam appendicem nonnulla exemplaria manuscripta non habeant, ut videre est, maximè in Euchologio manuscripto Monasterii Cryptæ Ferratæ, quod ipse Arcudius præ manibus habuit.

Petes: *Quas pœnas incurrat, qui scienter Confirmationis Sacramentum iteratè ministrat.*

VII

Respondet Doctor, quæst. 5. illam esse pœnam à jure præscriptam contra Sacramentum Confirmationis iteratò ministrantem, & suscipientem. Dico, *inquit*, quòd universaliter nulla pœna Canonica, quæ non est inflicta à Papa condente jus, incurritur ipsô jure. Nec propter argumenta exponentium Canones, sive à simili, sive à contrario sensu, est aliquis ulli pœnæ adstrictus: quia possunt exponere jus conditum, non autem condere novum per suas expositiones. Unde Innocentius, qui tamen fuit Papa, cùm fecisset magnum opus, exponendo jus Canonicum, cùm fuisset requisitus ab aliis, quale robur vellet illum tractatum habere; dixit, quòd nollet ipsum esse authenticum, sed tantummodò magistrale. Cùm ergo non inveniatur in jure Canonico expressè pœna irregularis inflicta, pro iteratione Confirmationis: sequitur, quòd non incurratur. Et hoc maximè patet, quia Constitutiones pœnales sunt restringendæ, non ampliandæ: & si voluisset Legislator pœnam talem inflixisse pro iteratione Confirmationis, sicut Baptismi, potuisset expressisse hîc, sicut ibi. Et confirmatur per caput illud de consecr. dist. 5. *dictum*, ubi nulla pœna infligitur Episcopo iterum confirmanti: sed nec suscipienti, nisi quòd soli Deo sub habitu regulari, vel Clericali ipsum religiosissimè famulari, decretum est. Hîc autem innuit non pœnam irregularitatis, sed magis oppositum, puta exercitium officii Clericalis. Nam in executione Ordinum, & præcipuè in consecratione Eucharistiæ Clericus Deo suo religiosissimè famulatur. *Hac Doctor.*

"Quas ... tenac ... curr ... confi ... mans

Quibus verbis, *inquit Hiquæus*, Doctor censet, bis confirmantem non incurrere pœnam irregularitatis, sicut incurrunt rebaptizantes; quia talis pœna in jure Canonico non reperitur: pœnæ autem restringendæ sunt; unde argumentum à simili in materia odiosa, & pœnali non valet. Doctorem sequuntur Paludanus *dist. 7. quæst.* 2. Gabriel *art. 3. dub. 5.* Covarruvias in Clement. *Si furiosus*: citans Turrecrematam, & alios: solùm enim reperitur in Concilio Tarraconensi apud Gratianum capite *Qui bis, de consecrat. dist.* 4. quòd debeat in Monasterio sub habitu Clericali, aut regulari, famulatum præstare Deo: sed hæc

neque

neque omnes obligat, cùm sit Concilii Provincialis, nec fuit receptum: neque in ipso Concilio habetur. Et eô admissô tanquam jure incursô, ut notat Doctor, magis supponit contrarium, nempe in famulatu Dei ipsum non constitui irregularem, sed posse uti Ordine. Accedit, quòd irregularitas non incurratur, nisi in casibus jure expressis, *cap. Is qui. de sententia excommunicationis, in 6.* Hanc sententiam etiam sequuntur Moderni, ut Soto, & Suarez: *Ita Hiquæus.*

ARTICULUS TERTIUS.

De Ministro, & subjecto Sacramenti Confirmationis.

EA fuit erronea inter alias *Vvicless* sententia, quòd omnis & quilibet Sacerdos censeretur conferendæ Confirmationis legitimus Minister, ut constat ex Concilio Constantiensi sess. 8. Idem pariter docuit Armachanus libro 1. de quæstionibus Armenorum, cap. 4. & eam dubiam ac probabilem censet *Durandus* distinct. 7. quæst. 3. imò Suarez disp. 36. sect. 2. in eandem sententiam Doctorem subtilem, sed perperam adducit: *Ferè idem*, inquit, *sentit Scotus.*

Verum, hoc erroneum dogma obstinatissimè præ cæteris propugnavit Photius Patriarcha Constantinopolitanus, & schismatis Græcorum antesignanus, ut constat ex ejus encyclica epistola ad Patriarchales sedes Orientis, in qua stomachatur, & bilem effundit adversus Ecclesiam Romanam, ut refert Arcudius cap. 11. quòd cùm mos & consuetudo esset Constantinopolitanis Patriarchis Chrisma à se confectum in varias deinde Ecclesias Episcopis & Presbyteris eô baptizatos consignaturis mittere; consuetudini illi morem gerens Photius, ad Bulgarorum Gentem recenter ad Christi fidem conversam, unguentum à se consecratum misit, quô Presbyteri Græci baptizatos confirmarent. Hanc Confirmationem Legati Nicolai primi in Bulgariam authoritate Apostolicâ missi reprobârunt, & populos iterum confirmârunt; tum quòd unguentum esset à Photio suspensô à divinis consecratum; tum quòd foret à Photianis Presbyteris peræquè suspensis, ut testatur Adrianus epistolâ ad Patriarcham Ignatium, in cujus Sedem obtrusus erat Photius, administratum. Indignari, & furere cœpit Photius, atque ad damnandum Ecclesiæ Hierarcham Concilium congregare. Hanc suspensionis suæ, & Presbyterorum suorum rationem Photius prætermisit, utque ostenderet, confirmatos à suis Presbyteris non debuisse iterum confirmari, conatus est ostendere Presbyterum, legitimum esse Confirmationis Ministrum, nullâque proinde suspensione eorum Confirmationem irritam invalidamque fuisse. Duo itaque maximè hoc in articulo sunt statuenda: *Primum*, quis sit legitimus Minister, tum ordinarius, tum extraordinarius Confirmationis: *Secundum*, quinam sint capaces illius suscipiendæ, & quas dispositiones prærequirant.

I. Quare Photius tam dirè & impiè oblatraverit in Ecclesiam Romanam, & Græcam ab ejus unitate sejunxerit.

QUÆSTIO PRIMA.

Quisnam sit legitimus Minister Sacramenti Confirmationis?

NOtandum primò, duplicem solitò distingui hujus Sacramenti Ministrum, ordinarium, scilicet & extraordinarium: *Ordinarius est*, qui ratione sui characteris & ordinis, nec-non & institutionis Christi completam habet authoritatem hoc Sacramentum ministrandi, qualis censetur omnis, & solus Episcopus: *Extraordinarius* verò ille est, qui ex delegata sibi facultate, & virtute hoc Sacramentũ confert. Quæritur autem, utrum Episcopus ita sit ordinarius, ac necessarius hujus Sacramenti Minister, non solùm necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti, ut si simplex Sacerdos propriâ, vel delegatâ sibi authoritate illud conferre tentaret, nil nisi invalidum & irritum ageret.

II. Duplex est Confirmationis minister.

Notandum secundò, circa Ministrum extraordinarium hujus Sacramenti, tres esse capitales Theologorum sententias: quarum duæ sunt extremæ, tertia verò media: *Prima* docet, solum Episcopum ita de jure divino esse Sacramenti Confirmationis Ministrum, ut nec Episcopus, nec summus Pontifex possit illam administrationem simplici Sacerdoti delegare; ita sentit Durandus, Major, Adrianus, & nonnulli Recentiores cum Estio: *Secunda*, contendit, simplicem Sacerdotem posse esse Ministrum extraordinarium hujus Sacramenti, non solùm ex commissione summi Pontificis, sed etiã ex delegatione Episcopi, quando summus Pontifex id non prohibet. *Tertia* verò media, quæ est communior & probabilior, concedit per dispensationem, & delegationem solius summi Pontificis simplicem Sacerdotem validè ac licitè posse hoc Sacramentum administrare. Ita Alensis, & Seraphicus Doctor, nec-non & Subtilis dist. 7. q. 1. ubi, ut optimè notat Hiquæus, in hac sententia non fuit dubius, ut ait Aversa; neque obscurus, ut dicit Suarez, neque sibi contrarius, ut vult Soto; perspicua enim, & clara sunt illius verba; nam, cùm dixisset, hoc Sacramentum conferri debere à Ministro idoneo, quis sit ille idoneus Minister, explicat cùm ait: *Minister est Episcopus, vel alius, cui committi potest.* Quibus verbis significat, Ministrum ordinarium hujus Sacramenti esse Episcopum; extraordinarium verò Sacerdotem, cui committi potest facultas hoc Sacramentum administrandi.

III. Tres sunt sententiæ de Ministro extraordinario.

Nota.

Notandum tertiò, facultatem ordinariam, vel extraordinariam fundari non in sola jurisdictione, propria, vel delegata; neque in solo ordine, aut charactere Episcopali, aut Sacerdotali, sed in utroque: non quidẽ in sola jurisdictione; alioqui Episcopus degradatus hoc Sacramentum validè conferre non posset, quippe cùm per degradationem spolietur omni prorsus potestate jurisdictionis. Neque pariter in solo ordine; quippe cùm character Ordinis Episcopalis, vel Sacerdotalis, per se & immediatè non tendat, nec exerceatur in corpus mysticum, nisi interveniat aliqua jurisdictionis potestas; alioqui Episcopus quoslibet obvios, etiam alterius Diœcesis, & sibi non subditos, non solùm validè, sed etiam licitè confirmare posset, & ordinare: igitur facultas proxima, & immediata ad conferendam Confirmationem, utramque connotat facultatem Ordinis & jurisdictionis. Hinc Sacerdos quilibet potentiam habet remotam fundatam in ordine, & charactere Sacerdotali, quæ

IV. In quibus fundetur facultas ministrandi Confirmationis.

per dispensationem, sive delegationem jorisdictionis: cô ferè modô, quô potestas remota ad absolvendum (quam quilibet Sacerdos accipit in sua ordinatione) fit proxima per potestatem jurisdictionis ab Episcopo aut à summo Pontifice delegatam. Sicut ergo character Sacerdotalis non significat absolutè, & simpliciter potestatem absolvendi à peccatis, sed sub conditione; nempe si accesserit jurisdictio; sic quoque oon significat simpliciter & absolutè potestatem confirmandi, sed conditionatè; si nempè accesserit summi Pontificis delegatio.

CONCLUSIO PRIMA.

XV. Solus Episcopus est ordinarius Minister Confirmationis.

Ordinarius Minister Confirmationis, est omnis, & solus Episcopus: Ita determinatur in Concilio Tridentino sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit, sancta Confirmationis ordinarium Ministrum, non esse solum Episcopum; sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Idem antea statuerat Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, nec-non & Constantiense, damnando errores Vviclefi.

Ut definiit Concilia.

Colligitur etiam ex Scriptura sacra, *Act.* 8. ubi legimus missos fuisse Petsum & Joannem in Samariam, ut eis, qoos Philippus baptizaverat, per manuum impositionem cooferrent Spiritum S. at nulla alia proferri potest ratio hujus laboriosæ peregrinationis, & longioris itineris, nisi quia munus cooferendi Spiritum S. solis Apostolis, & Episcopis eorum successoribus ex Christi institutione conveniebat, ut egregiè docet S. Chrysost. homil. 18. in Acta Apostolorum, ubi quærit, quare baptizati à Philippo noo accepissent Spiritum S. & duo respondet: *Vel quia*, inquit, *Philippus non dederat, hâc re forsan honorans Apostolos*; sed cùm responsum ei non arrisisset, statim subdit. *Vel quia hujusmodi donum Philippus non habebat; erat enim ex septem illis: id quod magis videtur dicendum; Vnde meâ sententiâ hic Philippus unus ex septem erat, secundus à Stephano; ideo & baptizans, Spiritum S. non dabat; neque enim facultatem habebat; hoc namque donum solis duodecim Apostolis datum erat: virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum.* Idipsum præclarè docet Isidorus Pelusiota epist. 45. libri 1. *Si Philippus*, inquit, *à quo Baptismum acceperat, ex Apostolorum numero fuisset, Spiritum donandi potestatem profectò habuisset: at verò baptizabat tantùm ut Discipulus, Apostoli autem gratiam explebant, atque perficiebant, ut qui hujusmodi muneris tribuendi potestatem atque authoritatem divinò beneficiò accepissent.* Eâdem pariter ratione utitur Eusebius Papa epist. 4. ad Episcopos Tusciæ: *Manûs impositionis Sacramentum*, inquit, *magnâ veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus: nam tempore Apostolorũ ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis non legitur, aut scitur peractum esse.* Consentit Innocentius III. jam a nobis supra laudatus, nec-non & quartus epist. ad Episcopum Tusculanum in regno Cypri Legatum Apostolicum: *Soli*, inquit, *Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos: quia hujusmodi unctio non debet, nisi per Episcopũ fieri: quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manûs impositionem, quam Confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur.*

VII. Scriptura indicat.

VIII. SS. Patres prædicant.

IX. Ratio etiã suadet.

Varias hujusce res congruentias profert Seraphicus Doctor dist. 7. art. 1. quæst. 3. *Primò*, quia Episcopi sunt Prælati principales in Ecclesia; Prælati autem duplex est officium, scilicet inferiores in gradu suo statuere, & collocare in ordine, & murum opponere se, sive gregem suum defendere; ideo ipsi soli Ordines faciunt, & corroborant. *Secundò*, quia in his doobus Sacramentis, nempe Ordine, & Confirmatione, datur gratiæ plenitudo: ideo ab his debent dari, qui habent plenitudinem authoritatis, ab aliis non. *Tertiò*, quia per hoc Sacramentum fideles adscribuntur militiæ Christi; porrò Episcopi duces sunt, ad quos spectat militum conscriptio. Aliæ similes proferri possunt congruentiæ, sed nulla potior assignari potest ratio, quam Christi D. voluntas, quæ nobis per Ecclesiam inootescit.

Objicies primò: Si soli Episcopi Sacramentum Confirmationis validè ac legitimè conferre possent; maximè quia sunt Apostolorum Successores; sed tales suot etiam simplices Presbyteri: igitur pari ratione possunt confirmare. Major constat ex dictis. Minor pariter: enimverò si Sacerdotes non essent Apostolorum Successores, sicut Episcopi, noo possent consecrare Christi D. corpus & sanguinem, nec offerre Missæ Sacrificium; hoc enim solis Apostolis mandavit Christus, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem:* igitur, &c.

X. Soli Episcopi propriè dici possunt Apostolorũ successores.

Distinguo minorem: Sacerdotes sunt Apostolorum Successores in omnimoda participatiooe eorum authoritatis, & ministerii, nego: in potestate consecrandi, baptizandi, & absolvendi, concedo. Soli enim Episcopi in omnimoda Apostolis à Christo delegata authoritate, & ministerio succedunt. Observandum enim est, penes Apostolos omnem prorsus fuisse primitùs nascentis Ecclesiæ statum & authoritatem: *Primò* namque primi fuerunt fideles, & Ecclesiæ membra: *Secundò*, in ultima cœna Sacerdotes fuerunt inaugurati: *Tertiò* post Resurrectionem *Ioan.* 20. Episcopi fuut instituti. Juxta primum statum, omnes fideles dici possunt eorum Successores: Secundum repræsentant Sacerdotes: Tertium verò soli referunt Episcopi: Unde licèt omnes Christiani, & Sacerdotes aliqua ex parte dici possint Apostolorum Successores; nihilominus soli Episcopi hanc dignitatem, & appellationem propriè sibi vendicant: quippe cùm succedant in authoritate & omni ministerio, quod Christus ipsis delegavit *Ioan.* 20. cùm dixit: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Hanc veritatem apertè prodit S. Anacletus Pontifex epist. 2. ad Episcopos Italiæ in qua inter cætera scribit, *In novo Testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo... cæteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt... qui etiam jubente Domino in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt; ipsis quoque decedentibus in locum eorum successerunt Episcopi.... Inde ab eis* (Apostolis) *electi sunt 72. Discipuli: quorum typum gerunt Presbyteri: atque in eorum locum sunt constituti in Ecclesia.* Porrò quòd Apostoli confirmaverint, non ut Presbyteri, sed ut Episcopi, etsi sacra Scriptura apertè & distinctè non significet; tamen Traditio clamat, Concilia decerouot, & docent SS. Patres, ac summi Pontifices jam sæpius laudati.

Instabis: Simplices Sacerdotes conferre possunt Sacramenta Coofirmatione perfectiora: ergo multò magis Confirmationem. *Probatur* antecedens: Baptismus perfectior est Confirmatione; qoippe per Baptismum plena fit remissio peccatorum; omnisque expungitur reatus pœnæ, & ut diximus, gratia præstantior per Baptismum, quàm per Confirmationem tribuitur. Similiter Eucharistia præstantius est Sacrameotum, quàm Con-

firmatio: ergo cùm simplices Sacerdotes baptizare possint, & Eucharistiam conficere; multò magis poterunt propriâ authoritate confirmare.

XI. Licèt Sacerdos possit conferre Sacramenta perfectiora Confirmatione, non tamen potest confirmare.

Nego consequentiam: Si enim vera esset hæc consecutio, sequeretur pariter, quòd simplex Sacerdos posset Ordinem conferre; etenim Sacramentum Ordinis non est tantæ efficacitatis, & dignitatis, quàm Baptismus, & Eucharistia; imò inde pariter inferre liceret, quòd cùm in casu necessitatis non solùm Clericus quivis, sed Laicus etiam validè ac licitè possit baptizare, poterit itidem confirmare: quod utique absurdum est.

Vrgebis: Neutiquam absurdum, & illicitum videtur, quòd simplex Clericus, imò etiam & Laicus urgente necessitate, possit Sacramentum Confirmationis conferre, absente Episcopô: igitur nulla solutio. *Probatur* antecedens ex *Actor.* 9. ubi Ananias, qui non erat Episcopus, imò fortè neque Sacerdos, manus imposuit Paulo, eumque confirmavit; nam ipsi manus imponens, ait: *Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas, ut videat, & implearis Spiritu sanctô.* Porrò hæc Spiritûs sancti plenitudo est effectus Confirmationis: igitur, &c.

XII. Incertum est utrum Ananias non fuerit Episcopus.

Respondeo primò, hactenus non esse satis probatum, quòd Ananias non fuerit Episcopus; nec fortè probari potest. *Deinde*: etiamsi non fuerit Episcopus, ut docet S. Augustinus lib. 2. quæstionum Evangelicarum *quæst.* 40. ubi loquens de S. Paulo: *Ad Ananiam*, inquit, *missus est, ut illô Sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ fidei perciperet*: unde si ex dispensatione summi Pontificis, ut dicemus sequenti conclusione, simplex Sacerdos legitimè confirmare potest, multò magis Ananias ex dispensatione Christi, à quo mittebatur, potuit hoc Sacramentum conferre. *Denique* dico, illam manuum impositionem non fuisse confirmatoriam, sed curatoriam; unde & facta est ante Baptismum, non ut ex tunc, sive per eam impleretur Spiritu sanctô, sed ut visum reciperet, & posteà per Baptismum gratiam Spiritûs sancti. Sequitur quippe vers. 18. *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squammæ: & visum recepit: & surgens baptizatus est.* Confirmatur ex vers. 12. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Et verò si visibiliter descendit Spiritus in Cornelium, aliosque fideles primitivæ Ecclesiæ, quidnî etiam descendisset in Paulum, si reverà per impositionem manûs Ananiæ, Confirmationis Sacramentum excepisset?

Et Confirmationem Paulo tribuerit.

Objicies secundò: Sanctus Paulus monet Timotheum epist. 1. cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyteri*; videlicet in Confirmatione: igitur reverà simplex Sacerdos & Presbyter confirmare potest.

XIII. Nomen Presbyteri & Sacerdotis conveniebat olim Episcopis.

Respondeo primò: In vulgata jussu Clementis octavi emendata, non legi *Presbyteri*, sed *Presbyterii*, ut significetur Sacramentum *Ordinis Presbyteratûs*, in quo concessa fuerat gratia. *Vel* si placeat altera lectio, dico nomine *Presbyteri* Paulum ibi intelligere Episcopum: *Tum*, quia Presbyter idem est quod senior: quod utique nomen etiam Episcopis conveniebat propter dignitatem: *Tum*, quia nomen Sacerdotis, & Presbyteri olim specialiter accommodatum erat Episcopis, ut videre est in multis Conciliis Toletanis, nec-non & apud Sidonium Apollinarem lib. 9. epist. 3. ubi alloquens Faustum, qui in Episcopum assumptus fuerat ex Abbate Lyrinensi, ait: *Nihil ab Abbate mutatus per Sacerdotem*, id est, Episcopum. Quam utique interpretationē approbat S. Hieronymus: nam scribens ad Rusticum Narbonensem, ait: *Quoniam & ipsi Presbyteri, ut legimus, Episcopi nuncupantur, secundùm quod scriptum est ad Episcopum: Noli negligere gratiam, quæ in te est, &c.* Concinit pariter S. Ambrosius in cap. 4. ad Ephesios, ubi cùm scripsisset: *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus*: quòd nomine Presbyteri Episcopum seu fortè Chorepiscopum, vel Sacramentum intelligat, apparet, quia statim subdit: *Nam & Timotheum Presbyterum à se creatum, Episcopum vocat: quia primum Presbyteri, Episcopi appellabantur, ut recedente unô alius succederet:* Concinit pariter S. Augustinus, sive quis alius fuerit Author quæstionum veteris & novi Testamenti, *qu.* 101. ubi similiter cùm scripsisset; *In Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter*, subdit: *Presbyterum autem intelligi Episcopum probat Paulus Apostolus, quando Timotheum, quem ordinavit Presbyterum, instruit qualem debeat creare Episcopum. Quid est enim Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos? &c.* Et infrà: *Multùm distare inter Diaconum & Sacerdotem liber approbat, quem dicimus Actus Apostolorum. Cum enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti Diacono ab Apostolis ordinato, miserunt, inquit, ad Petrum, & Ioannem, ut venirent, & his, qui crederent, darent Spiritum sanctum per manûs impositionem.*

Ex his apparet, quòd quando S. Ignatius epist. 13. & S. Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 3. dicunt *spiritualo signaculum, & septiformem Spiritum sanctum, dari ad invocationem Sacerdotis*, nomine *Sacerdotis*, intelligunt Episcopum.

Objicies tertiò. Ille censendus est ordinarius minister Confirmationis, qui absente Episcopo vel ab eo præsente jussus, potest confirmare: sed id potest simplex Presbyter: igitur, &c. Probatur minor ex variis Canonibus, quibus statuitur, quòd Presbyter absente Episcopô, imò & ipsô præsente, si ab eo jussus fuerit, possit ungere Chrismate; *Primò* quidem ex Concilio Toletano primo can. 10. *Statutum verò est, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopô: præsente verò non, nisi ab eo fuerit præceptum.* Item ex Concilio Arausicano primo can. 2. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placet.* Similiter ex Concilio Romano sub Martino Papa, can. 11. *Presbyter præsente Episcopo non signet infantes, nisi ab Episcopo fuerit illi præceptum.*

Nego minorem, & ut planior fiat illius probationis solutio, observandum est tres hodie in Ecclesia Catholica diversas esse unctiones; quarum *prima* fit ante Baptismum in pectore, & humeris cum oleo Catechumenorum: *Secunda* post Baptismum in vertice baptizati cum Chrismate, & *Tertia* in fronte, quæ est Confirmatio. Secunda olim non erat in usu quando Sacramentum Confirmationis unà semper cum Baptismo ministrabatur; eam autem instituit Sylvester Papa; cùm enim multi suô tempore statim post Baptismum immaturâ morte decederent, quibus absente Episcopô, Confirmatio dari non poterat, ut illi in ultimo certamine aliquod præsidium acciperent contra tentationes dæmonis ex orationibus Ecclesiæ, hanc unctionem unà cum precibus post

baptismum placoit adhiberi. Ita testatur Damasus in vita Sylvestri, bis verbis: *Hic & hoc instituit, ut baptizatum liniat Presbyter Chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitûs mortis.* Purrò hujus etiam unctionis fit mentio in Ordine Romano in Officio io Sabbato sancto ubi legimus: *Ipse verò Presbyter facit de Chrismate crucem cum pollice in vertice eorum ita dicendo: Deus omnipotens,* &c. Ejusdem consuetudinis expressis verbis meminit S. Gregorius lib. de Sacramentis obi ait: *Vt autem surrexerit à fonte, ille qui eam suscipit, offerat eum uni Presbytero, qui faciat signum crucis de Chrismate cum pollice in vertico ejus.*

XIV. Triplex est unctio in Ecclesia respectu Baptismi suscipientis.

De hac ergo unctione, quæ Presbyteris erat prohibita in præsentia Episcopi sine expresso ejus consensu, iotelligendi soot Canones in objectione allegati; in nullo quippe eorum exprimitur consignatio frontis, quæ tamen propria est Confirmationi; præsertim cùm alii Canones, quos suprà citavimus, in pericolo mortis solum Baptismum permittant Sacerdotibus.

Objicies S. Hieronymum dialog. adversus Luciferianos, ubi scribit: *Quòd si hôc locô quaris: quare in Ecclesia baptizatus non nisi per manus Episcopi accipiat Spiritum sanctum, quem omnes asserimus in vero Baptismate tribui? Disce hanc observantiam ex ea authoritate descendere, quâ post Ascensum Domini, Spiritussanctus ad Apostolos descendit: & multis in locis idem factitatum reperitur ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem.* Similiter epist. ad Evagrium ait: *Quid facit exceptâ ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* igitur ex ejus mente simplex Sacerdos, saltem in absentia Episcopi, validè posset hoc Sacramentum conferre.

XV. Quô sensu S. Hieronymus dixerit idem posse Presbyterum quod Episcopus.

Nego consequentiam. Et ad primom dico, S. Hieronymum ibi oon negare solis Episcopis concessam esse facultatem conferendi Spiritom S. per manûs impositionem; imò id expresè probat exemplô Apostolorum, qui ut recenter baptizatis Sacramentum Confirmationis administrarent, Samariam descenderunt. Sed causam assignans, cur Christus D. ordinaverit, quód soli Episcopi essent Ministri ordinarii Sacrameoti Coofirmationis, ait quia id requirebat honor summi Sacerdotii, seu Episcopalis dignitatis, potiusquam legis necessitas, qoia videlicet aliter ordinare potuisset, si voluisset. Itaqoe sensos sancti Hieronymi est, quòd Sacrameotum Confirmatioois, cùm noo sit simpliciter necessarium ad salutem, non debeat passim, sicut Baptismus, ab omnibus conferri, sed illius collatio spectet duntaxat ad Episcopos, ita ordinante Christô D. ad majorem honorem eorum dignitatis; Episcopus enim, qui in Ordine Sacerdotali principem locum obtinet, non modò honoratur, cùm illud Sacramentum, tanquam dux Christianæ militiæ baptizatis coofert. Qui utiqoe sensus patet ex antecedentibus, & consequentibus: ait enim Spiritum sanctum, id est, gratiam sanctificantem tribui in vero Baptismate, ex quo liquet Confirmationem non esse absolutè necessariam. Et ad idem intentum subjungit verbis citatis: *Alioquin si ad Episcopi tantùm precationem Spiritus sanctus* (id est, gratia sanctificans) *defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati, antè dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur.*

Ad secundum dico. S. Hieronymum vel nomine Presbyteri intelligere Episcopum; cùm ibidem, indiscriminatim de utroque loquatur; vel assignasse tantùm ordinationem, ex pluribus ministeriis, quæ Episcopis ex officio coovenient: non autem quòd voluerit, simplicem Sacerdotem posse quodlibet munus Episcopale, solâ demptâ Ordinatione, præstare.

Conclusio Secunda.

XVI Simplex Sacerdos potest esse minister extraordinarius Confirmationis.

SImplex Sacerdos ex ordinatione & dispensatione summi Pontificis potest esse extraordinarius Minister hujus Sacramenti. Hæc est communior, & probabilior; imò Sotos in 4. dist. 7. quæst. unicâ art. 12. censet eam sententiam esse certam Ecclesiæ sanctionem: *Est*, inqoit, *jam non solùm opinio, sed & Ecclesia sanctio.* Idem etiam sentire videtur Basilius Pontius part. 4. cap. 3. oum. 12. idque colligunt ex Concilio Florentino io decreto Eugenii, obi cùm dixisset Pootifex, loquens de Sacramento Confirmationis: *Ordinarius Minister est Episcopus*; satis apertè significans per illum loquendi modum, extraordinarium esse simplicem Sacerdotem; & ut nulla prorsus remaneret occasio dubitandi de ejus mente, statim subdit: *Legitur tamen aliquando per Apostolica Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confectô hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Ubi summus Pontifex non solùm eam dispensationem factam recenset, sed eam etiam unà cum Concilio approbat, & ex rationabili causa processisse testatur.

Ut colligitur è ex Concilio Florentino.

Neqoe id leviter quidem dictum fuit; nam ibidem apertè testatur, quidquid in ipso decreto sancitum est, non nisi matura cum deliberatione, & exactâ rerum discussione fuisse determinatum: *Multis itaque*, inquit, *adhibitis disputationibus, collocutionibus, & tractatibus, postquam non mediocrem testimoniorum inspectionem, qua ex sanctis Ecclesia Patribus, & Doctoribus deducta sunt, & earum, de quibus agebatur, rerum discussionem, tandem expedire judicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolica, unieque ipsa stabilis, & perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio orthodoxa fidei veritatem, quam super pramissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum, sacrô hoc approbante Florentinô Conciliô, ipsis Oratoribus ad hoc etiam consentientibus, traderemus.* Hæc Eugenios, ex quibus Pontius tria colligit: *Primum*, instructionem illam datam esse Armenis post longam disputationem Patrum: *Secundum*, dari hujusmodi compeodium orthodoxæ fidei, quam in his rebus Romana tenet Ecclesia. *Tertium*, est, hujusmodi compendium factum fuisse, sacrô approbante Conciliô Florentinô, & ipsô Romanô Pontifice præsente. Verùm etsi nolim sobscribere huic sententiæ, oempe qoòd certum sit certitudine fidei simplicem Sacerdotem esse ministrum extraordinarium Confirmationis; attamen ex his Concilii verbis saltem inferre licet, non improbari, imò approbari concessionem factam simplicibus Sacerdotibus administrandi Confirmationis Sacramentum.

Eandem concessionem Leo X. & Adrianus VI. fecerunt Patribus nostri Ordinis ad cooversionem Indorum destinatis, ut patet apud Rodriguez *quæstionum regularium quæst.* 29. *art.* 3. Quin etiam hoc privilegium à posterioribus summis Pontificibus concessum fuisse Patribus Societatis Jesu, idem Rodriguez testatur quæstione 31.

Senonensi.

Unde Concilium Senonense hoc privilegium veluti certum ac concedi solitum videtur supponere; nam de Abbatibus loquens cap. 38. ait: *Si qui sint, qui contendant sibi competere facultatem confirmandi ex privilegio, volumus, quod cùm primum fuerint requisiti de privilegio, fidem facere teneantur.* Idem colligitur ex Concil. Trident. sess. 7.

Et Tridentino.

can. 3. ubi cùm ait, solum Episcopum esse *Ministrum ordinarium* hujus Sacramenti, satis apertè insinuare videtur, alium esse posse extraordinarium, scilicet Sacerdotem, ex dispensatione, & concessione summi Pontificis; cùm enim agit de cæteris Sacramentis, per solos Episcopos, aut Sacerdotes ministrandis, nunquam adhibet particulam determinantem, *ordinarius*; sed aliam restringentem, & excludentem omnes alios, qui non sunt, nec Sacerdotes, nec Episcopi: sic sess. 14. cap. 6. loquens de Sacramento Pœnitentiæ, ait: *Ad quosvis alios homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, ministerium clavium extendi non posse.*

2. Ex facto S. Gregorii.

Probatur secundò, ex facto S. Greg. primi, qui cùm (lib. 3. epistolarum epist. 26. quæ est ad Januarium Caralitanum Episcopum) prohibuisset, ne Presbyteri ac simplices Sacerdotes Sardiniæ chrismarent in fronte: *Presbyteri*, inquit, *baptizatos infantes, signare in frontibus Chrismate non præsumant, sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte*; audiens ex hac sua prohibitione grande scandalum in ea insula fuisse subortum, secundam ad eundem scripsit epistolam, quæ est *num.* 26. in qua præfatam probibitionem revocat; & simplicibus Sacerdotibus confirmandi licentiam facit: *Pervenit quoque ad nos*, inquit, *quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus: & nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostra fecimus: sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus*, &c. Hæc autem inhibitio facta, & scandalum ex ea ortum, supponit consuetudinem contrariam viguisse in Sardinia; neque factum ut irritum annulat S. Gregorius, seu declarat nullum; aliàs ordinaret, ut iterum ab Episcopis signarentur in fronte baptizati. Præsumptio fortè de nullitate Confirmationis sic factæ à Presbyteris, occasionem scandali dedit, aut certè consuetudo renovata, quæ fuit ab initio legitimè introducta, & continuata, & in aliis partibus in usu fortè, ut in Hispania; sicut patet ex Canonibus Toletano & Hispalensi suprà citatis, ubi actum est de Chrismatis benedictione.

Accessit & necessitas illius insulæ, in qua rurales pene incolæ erant idololatræ, ut patet ex epist. 23. 25. & hâc ipsâ 26. quibus paucitas Episcoporum non sufficiebat consignandis in Baptismate per chrismationem, quæ tum simul cum Baptismo fiebeat ex consuetudine primitivæ Ecclesiæ, quæ ex *Actor.* 8. & 19. significatur. In ea autem insula non videntur plures fuisse Episcopi, quàm tres, Cyriacus, Felix, & Januarius: vel ergo intermittenda erat hæc consuetudo baptizandi, & simul chrismandi infantes; vel certè differenda chrismatio contra consuetudinem: utrumque autem sine scandalo fieri nequivit in eo rerum statu, & necessitate conversionis: scandalū ergo causam dedit intermissa consuetudo, & fortè dubium in populo ortum de Confirmatione aliàs facta à Presbyteris. Et fortè hanc causam præoccupât illa Gregorii verba, *Nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ facimus*, &c. scilicet particularis Romanæ: neque objicit decreta antiqua, tanquam factum esse nullum declarantia: ergo ejus verba explicari debent ita, ut licèt Episcopo, tanquam ex jure divino Ministro ordinario, conveniat chrismare; non tamen ita indispensabiliter, quin ex commissione idoneus ad hoc Minister sit Sacerdos; quam interpretationem, & facilitas dispensandi ad vitandum scandalum, & ipsa dispensatio facta confirmant; quin etiam probant priorem usum fuisse ratum à S. Gregorio, quantùm ad valorem Sacramenti: quippe cùm confirmatos à Sacerdotibus non jusserit iterum confirmari. *Ita Hiquæus.*

Reponunt aliqui, in originali epistolarum S. Gregorii non haberi, *qui baptizati*, sed, *qui baptizandi*, ut habetur apud Gratianum dist. 90. cap. 1.

Præcluditur prima elusio.

Verùm, hæc responsio nullius est momenti, quippe Ecclesia nusquam in praxi habuit, ungere baptizandum in fronte chrismate; sed oleô Catechumenorum in pectore & humeris: neque ad hanc unctionem faciendam opus erat dispensatione summi Pontificis, cùm id munus à tempore S. Sylvestri perpetuô Ecclesiæ usu fuerit commissum. *Adde quòd* posterior epistola S. Gregorii sit revocatoria prioris, in qua prohibuerat Presbyteris confirmare, dicens: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacrô in frontibus Chrismate non præsumant. Sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.*

XVIII.

" Proponuntur " quatuor " alii modi " à Doctore, quibus " hæc authoritas " explicari " potest.

Reponunt alii, quatuor dicendi modos, quibus hanc S. Gregorii authoritatem eludere ac elevare tentant, quorum duos primos rejicit Doctor *dist.* 7. *q.* 1. *n.* 4. duos autem priores relinquit judicio prudentis Lectoris: Est autem primus, *inquit*, quòd Papa consensit, quòd possent ungere in fronte oleô, sed non chrismate: Sed hoc est contra textum litteræ, sicut patet ibidem. Item hoc concessit eò quòd pro ejus subtractione erant quidam scandalizati, & si concessisset illud fieri oleô solô, ostendens quasi fieret chrismate, esset simulatio contra veritatem doctrinæ, sicut si concederetur panem benedictum pro Eucharistia dari.

" Primus, " quòd loquatur de " unctione " ex oleo, " non unè " ex Chrismate.

Secundus modus dicendi est, quòd propter scandalum vitandum concessit illud ad tempus, vel magis permisit. Sed istud nihil est: quia *utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Extra de Reg. juris cap. 3. *Item* in hac concessione peccasset Gregorius mortaliter, si concessisset de facto, quod non potuisset de jure: & præbuisset Sacerdotibus occasionem peccandi mortaliter, scilicet faciendi quod non licebat eis facere.

" Secundus " quod antiquitus " non erat " distinctio " inter Episcopum " & Presbyterum.

His duobus modis rejectis, ut nihilominus Pontifici sua maneat integra authoritas, ac rectitudo facti, *inquit Doctor*: Alii possunt esse " duo modi dicendi probabiles. Unus quòd in primitiva Ecclesia non erat differentia inter Sacerdotes & Episcopos. Quam probat duplici authoritate S. Hieronymi: Prima ponitur dist. 95. cap. 5. & intitulatur: Hieronymus ad caput 1. Epistolæ ad Titum: *Olim*, inquit, *idem erat Presbyter, qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, & dicerentur in populis, ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, communi Presbyterorum consiliô Ecclesiæ gubernabantur*, &c. Secunda refertur dist. 93. cap. 24. ex epist. ad Evagrium Presbyterum ubi scribit: *Cùm*

Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos. Et infrà: *Quid enim facit exceptâ Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non facit?* Quæ ultima verba, Doctori dederunt occasionem recedendi, seu improbandi hunc modum.

Respondeo, *inquit, n. 6.* si à principio fuit aliquis actus proprius Episcopo, sicut dicit Hieronymus, præter consecrationem, quid potest Episcopus, quod non potest Presbyter? ... sequitur, quòd à principio erat differentia Episcopi, & Presbyteri: tamen illæ authoritates non concludunt oppositum, sed sunt exponendæ sicut Glossa exponit, scilicet, quòd fortè nomina erant synonima, & administratio, idest, gubernatio Ecclesiæ communis fuit, sed tamen non dispensatio quæcunque Sacramenti. Quod probatur dist. 21. *In novo*: In loco Apostolorum surrexerunt Episcopi, sed septuaginta duorum Discipolorum vicem gerunt Presbyteri: ergo à Christo fuit distinctio Episcopi, & simplicis Presbyteri. *Ita Doctor.* Sed

Contrà, *inquit*, nonne Philippos fuit de septuaginta duobus, & Stephanos, & cæteri Diaconi, non Presbyteri? Item ad Titum cap. 1. *Propter hoc te reliqui Cretæ, ut constitueres Presbyteros*: ergo non Episcopus hoc non potuit. Hoc etiam probatur per cap. seq. 95. dist. quod super illod Pauli fundatur: *Noli negligere gratiam, quæ in te est*, &c. Quoniam (ait) Presbyteri Episcopi nuncupantur, secundùm quod scriptum est ad Episcopum: *Noli negligere gratiam, quæ in te est*, &c. Et alibi ad majores nato, *Qui vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hæc Hieron. *ex quibus infert Doctor.* Non distinguit ergo Episcopum a Presbytero, qui non dicit, quòd Confirmatio fuerit data per Episcopum tantùm, sed loquitur de Presbytero. Nec etiam legitur in Actibos distinctio Sacerdotum ab Apostolis, qui erant Episcopi. *Hucusque Doctor*, immediatè subjungens: Et si illud est verum (*non asserit esse verum*) tunc Sacerdoti ex officio potuit competere confirmare, sicut & Episcopo, quia ex prima institutione non erat alius gradus in Ecclesia: tamen propter necessitatem posteà multiplicati sunt Sacerdotes, & restricta est potestas ab eis quantùm ad aliqua, quæ reservata sunt solis Sacerdotibus majoribus, qui dicti sunt Episcopi. Et talis actus esset confirmare. Quòd si verùm est, Gregorius bene potuit Sacerdotes illos subjectos Januario Episcopo licentiare ad confirmandum: quia in hoc non concessit potestatem eis non convenientem, sed revocavit prohibitionem priùs eis factam.

Tertius modus quòd in primitiva Ecclesia nulli erant Sacerdotes quin pariter essent Episcopi.

Prosequitur: Sed si contra hoc objicias; quia secundùm ista cùm in primitiva Ecclesia non leguntur alii confirmasse, quàm Apostoli, si tunc quicunque Sacerdotes erant Episcopi, vel æquales, quantùm ad istum actum: ergo solis Episcopis debetur ex officio.

Respondeo, inquit, quòd vel nulli alii ab Apostolis erant Sacerdotes, quia illi soli tunc potuerunt sufficere; vel si alii erant, detulerunt Apostolis in isto actu propter manifestationem Spiritûs sancti evidentem, quæ fiebat in collatione istius Sacramenti, ut cum majori reverentia & devotione susciperetur propter excellentiam Ministrorum. *Hac Doctor pro tertio modo.*

Quartus modus quòd Gre-

Cæterùm cùm & ille modus minùs placeret Doctori Subtili, utpote non plenè satisfaciens argumentis in contrarium: apposuit *quartum*, dicens: Quartus modus dicendi est, quòd si à principio non licuit Sacerdoti Simplici, Papa tamen potuit quemlibet Sacerdotem illius regionis facere Episcopum, quantùm ad istum actum, non conferendo tamen sibi simpliciter gradum Episcopalem, nec quantùm ad alios actus: & tunc quilibet eorum verè confirmavit tanquam Episcopus, quantùm ad istum actum: & ratio conferendi istum gradum cuilibet Sacerdoti, quantùm ad istum actum, poterat esse scandalum vitandum. Hîc tandem quiescit Doctor non dubitans (ut perperam illum intelligit Pontius cap. 3. n. 1.) de concessione Pontificis, aut ejus sufficientia (quam palam ubique supponit) sed post diligentem inquisitionem modi explicandi hujusmodi dispensationem, tacitè innuens hunc quartum, cui nihil omnino opponit, fore amplectendum.

gorius eos Sacerdotes, constituerit Episcopos quoad actû confirmationis.

XIX.

3. Idem probatur ex veteri consuetudine Ecclesiæ Ægypti & Græcæ.

Probatur tertiò conclusio variis Authorum testimoniis, qui asserunt facultatem confirmandi sæpè simplici Sacerdoti fuisse commissam. Imprimis enim hanc consuetudinem, ut Presbyteri confirmarent, viguisse in Ægypto, tradit Author coævus Ambrosio, & qui citatur nomine Ambrosii in cap. 4. epistolæ ad Ephesios: & Author librorum veteris & novi Testamenti, qui sub nomine S. Augustini communiter citatur; nam quæst. 101. sic ait: *In Alexandria, & per totum Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter.*

Item in Ecclesia Græca, jampridem, & diu ante schisma inductum, morem fuisse, ut Presbyteri Græci darent communiter Confirmationem, ex concessione videlicet summi Pontificis tacita, vel expressa, eaque de re non fuisse reprehensos in Concilio Florentino, scribit Arcudius lib. 2. de Sacramentis cap. 10. imò consuetudinem illam Ecclesiæ Græcæ tacitè approbasse videntur Eugenius, & Concilium: nam *sess.* 25. cùm Eugenius undecim quæstiones Græcis proposuisset, inter quas sexta erat: *Cur non Episcopi, sed Sacerdotes inungant sacrô Chrismate, cum hoc Pontificibus sit datum?* addit in fine Concilium: *Hæc à Latinis objecta, Mitylenensis Præsul, legitimè, & secundùm Canones, omnia dissolvit, præter quàm duo, videlicet separationem Matrimonii quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim*: Igitur tacitè Eugenius cum Patribus Concilii Florentini, qui ejus Decreto subscripserunt, approbavit ritum Græcorum confirmandi per simplices Sacerdotes.

Quam non improbavit Concilium Florentinũ.

Dices: Innocentius tertius hanc dispensationem revocavit, & eam consuetudinem irritam fecit; prohibuit enim Parochis Constantinopolitanis, ne amplius cuiquam conferrent Sacramentum Confirmationis, & collatum statuit nullum esse. Similiter Innocentius quartus epist. ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum in regno Cypri, de Ritibus Græcorum consultus, quod attinet ad Confirmationem ita rescribit: *Soli autem Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet, nisi per Episcopos exhiberi: quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manûs impositionem, quam Confirmatio, vel frontis Chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur.*

Nec Innocentius tertius.

Respondet Arcudius cap. 15. Innocentium tertium prohibuisse solùm Latinis Presbyteris, qui eô tempore Constantinopoli degebant, dum videlicet Galli Imperatores ibi dominarentur, ne hanc facultatem confirmandi infantes sibi arrogarent: quod utique constat ex Epistola ejusdem Pontificis ad Lucium suum Vicarium, in qua ita

scribit: *Mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris districtè prohibeas, ne talia de cætero suâ temeritate præsumant.*

Et quartus.

Ad Innocentium quartum respondet, quòd cùm non solùm in regno Cypri, sed in toto fermè Oriente ille mos confirmandi per simplices Presbyteros invaluisset, fortè legatus Pontificis agnitâ difficultate Decretum istud hac de re publicare prætermisit, nec executioni mandavit, quod commodè fieri haud posset. Sed quidquid sit, veriùs dicendum arbitror, quòd etsi aliqui Pontifices hanc praxim Græcorum revocaverint, tamen cùm Eugenius quartus in Concilio Florentino approbaverit Decretum Græcorum, etiam tacitè quoad hoc revocavit Constitutiones Innocentii tertii, & quarti, qui per ducentos fere annos ipsum Eugenium quartum præcesserant. Ex his itaque sufficienter & apertè constat, reverà aliquando concessam fuisse facultatem administrandæ Confirmationis per simplices Sacerdotes, & Ecclesiam Latinam sic concessam Confirmationem tanquam verum, ac validum Sacramentum approbasse. Quod insuper constabit apertiùs in objectionum solutione.

XX. Proferuntur variæ SS. Pontificum & Conciliorum decreta adversus nostram assertionem.

Objicies itaque primò varias summorum Pontificum, & Conciliorum authoritates, quibus significari videtur confirmandi potestatem ita proprium esse Episcoporum munus, ut nullo casu nullâque accedente dispensatione simplicibus Sacerdotibus committi possit. Prodit imprimis Eusebius Papa epist. 3. ad Episcopos Tusciæ & Campaniæ, declarans Confirmationis Sacramentum *ab aliis perfici non posse, nisi à summis Sacerdotibus: nam si aliter præsumptum fuit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur Sacramenta.* Damasus etiam epist. ad Episcopos Numidiæ: *Quod eis* (scilicet Chorepiscopis, inter simplices Sacerdotes præcipuis) *non licet Sacerdotes consecrare, nec Diaconos, aut Subdiaconos, nec Virgines, nec Altare erigere, nec ungere, aut sacrare, nec Ecclesias dedicare, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare. Quod solis Apostolis, eorumque Successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet, præsertim cùm nullus ex septuaginta Discipulis, quorum isti* (Chorepiscopi) *in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum sancti Spiritûs per manûs impositionem tradidisse. Hac ergo, quia omni carent ratione, nullus deinceps usurpet, aut consentiat Sacerdotum, qui noluerit à nostro Sacerdotali collegio separari.* Et Innocentius I. epist. 1. ad Decentium cap. 3. loquens de Chrismatione frontis, ait: *Pontificibus solis debent, ut vel consignent, vel Spiritum Paracletum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & lectio Actuum Apostolorum. Nam Presbyteris Chrismate baptizatos ungere licet, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Et Magnus Leo epist. 88. *Nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare Presbyteris, & Chorepiscopis liceat. Quæ omnia solis deberi summis Pontificibus authoritate Canonum præcipitur.* Et Gelasius epist. ad Episcopos Lucaniæ: *Presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigiò debita sibimet audacter assumere: non conficiendi Chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.* Idem luculentiùs docet Joannes III. epist. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, cap. 1. ubi cùm probasset authoritate Actuum Apostolorum 8. & SS. Damasi, ac Leonis Magni, nec non Concilii Neocæsariensis can. 13. solos Episcopos esse Ministros Confirmationis, quam ibi appellat manuum impositionem, & inde collegisset, quòd Chorepiscopi, qui erant simplices Presbyteri, & referebant 70. Discipulos, quorum nullus per manûs impositionem legitur tradidisse Spiritum sanctum, Confirmationis Sacramentum administrare non possent, nec deberent; sic eos urget: *Si meliores sanctioresque cæteris Apostolis esse putatis, facite quæ illi non fecerunt, & superextollite vos illis. Si verò ejusdem Ordinis estis, & æquiparare vos vultis illis, nolite ea agere, quæ illi non egerunt: sed imitamini, prout melius potestis, exempla & vestigia eorum. Illi autem, præcipiente Dominô, illisque denuntiante, ut illi & Successores eorum tantummodo per manûs im-*
B *positionem traderent Spiritum sanctum, nulli unquam ex septuaginta tradere Spiritum sanctum per manûs impositionem, permiserunt eis* (*quorum typum, ut prædictum est, Chorepiscopi, antequam prohibiti essent, gerebant in Ecclesia*) *scientes illicitum fore, dantes exemplum, ne unquam talia præsumerent. Unde in Actibus Apostolorum scriptum est:* CÙM AUDIISSENT APOSTOLI, &c. *Non ergo, ut jam dictum est, aliquem ex septuaginta, licèt pauci essent Apostoli, ad hoc corpus perficiendum direxerunt: sed Petrum, & Ioannem Apostolos per manûs impositionem tradere Spiritum sanctum miserunt, quorum vicem Episcopi in Ecclesia gerunt, & non Chorepis-*
C *copi, qui septuaginta Discipulorum formam, ante prohibitionem eorum, gerebant. Quod illi non fecerunt, vos facere nolite, ne dissimiles eis, & indigni eorum successione, & ministerio esse videamini.*

Idem pariter decernunt Concilia, *Hispalense secundum* cap. 7. *Toletanum octavum* cap. 7. *Meldense* cap. 44. *Vormatiense* cap. 8. *Metense* cap. 5. Unde Ratramnus Corbeiensis diluens Græcorum objecta, quæ Nicolaus Pontifex refellenda in Gallias miserat, ait: *Nunc ad illud veniamus, quod objicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes Presbyteri non liniunt. Ut hoc fiat & apud Romanos, & apud omnes Occidentales, tam ex Evangelio, quàm ex Apostolorum Actis, constat esse*
D *assumptum: constat namque Spiritûs sancti gratiam per unctionem frontis ex Chrismate ab Episcopis donari, quod nulli præter Episcopos esse concessum, Evangelica testatur authoritas.* Igitur Ecclesia Romana non approbat facultatem concessam simplici Presbytero ad confirmandum.

XVI. Sed loquuntur de Ministro ordinario.

Nego consequentiam: Et ad præfatas authoritates dico, eas esse intelligendas de Ministro ordinario, quem constat solum esse Episcopum, qui propriâ authoritate Sacramentum Confirmationis possit dispensare; non autem de Ministro extraordinario, & delegato, qualis potest esse simplex Sacerdos, qui ex commissione, & dispensatione summi Pontificis rationabili de causa dele-
E gari potest in Ministrum hujus Sacramenti.

Nec obstat, quòd Joannes tertius dixerit, solos Apostolos, & Episcopos eorum *Successores tantummodò præcipiente Dominô, illisque denuntiante*, tradere posse Spiritum S. per manûs impositionem. Hoc, inquam, non obstat: *Tum, quia* dubia est prorsus hujus epistolæ authoritas, utpote quam Binius, nec-non & Baronius supposititiam esse subodorantur: *Tum, quia* ibi Joannes agit de Chorepiscopis, & simplicibus Presbyteris, qui propriâ authoritate hoc munus sibi arrogabant.

Instabis: Eôdem modô præfati Pontifices, & laudata Concilia loquuntur de administratione Confirmationis, atque de confectione & confe-

cratione Chrismatis, ut constat præcipuè ex Damaso, & Leone Magno, nec-non & Conciliis Hispalensi, & Toletano: sed Ecclesia nusquam concessit simplicibus Sacerdotibus facultatem consecrandi Chrismatis: imò ex continua ejus praxi, cui nec Græci schismatici obluctantur, solus Episcopus Chrisma conficere validè potest, nec idonea unquam habita est Confirmationis materia, nisi solùm Chrisma ab Episcopo benedictum: igitur confirmandi facultas ita ordini Episcopali est propria, ut nulli alteri possit delegari.

XXII. Cur potius concedatur facultas Confirmandi quàm benedicendi Chrismatis.

Respondeo primò, verum quidem esse, quòd consecrandi Chrismatis, & ministrandæ Confirmationis ordinarius Minister sit solus Episcopus. Quod utique non obest, quin utriusque Minister possit esse simplex Sacerdos ex delegatione & commissione summi Pontificis, ut diximus agendo de benedictione & consecratione Chrismatis.

Secundò dico, non eandem esse concedendæ facultatis ad consecrandum Chrisma, ac ad ministrandam Confirmationem, necessitatem & rationem; quippe Chrisma semel ab Episcopo benedictum, potest in varias orbis plagas, ubi nulli adessent Episcopi, deportari; & sic à simplici Sacerdote, in casu necessitatis, ministrari posset Confirmationis Sacramentum: quod utique fieri non posset, nisi concederetur hæc dispensatio.

Vrgebis: Si quæ esset rationabilis causa dispensandi, ut Confirmatio ministrari possit à simplici Sacerdote, maximè quando imminet mortis periculum, nec conveniri potest Episcopus: sed Innocentius tertius cap. 4. *de Consuetudine*, decernit, ut potius fideles careant Sacramentô Confirmationis, etiam in mortis discrimine, quàm illud à simplici Sacerdote accipiant: igitur existimavit Innocentius, Confirmandi potestatem ita propriam esse Episcopis, ut simplici Sacerdoti nullâ ratione posset delegari.

XXIII. Quare Innocentius tertius noluerit concedere hanc facultatem

Respondeo, Pontificem hôc factô coercere voluisse temeritatem ac præsumptionem quorumdam Presbyterorum, qui sine ulla speciali delegatione à summo Pontifice; sed ausu temerariô confirmandi potestatem sibi arrogabant. Quam utique temeritatem ut compesceret summus Pontifex, maluit, ut hôc Sacramentô non absolutè ad salutem necessariô carerent fideles, quàm ut illud ab hujusmodi Sacerdotibus peterent.

Objicies secundò: Nec Ecclesia, nec summus Pontifex immutare potest ea, quæ sunt de jure divino, & quæ spectant ad essentiam Sacramentorum: sed Episcopus de jure divino & ex institutione Christi est designatus Minister Confirmationis; Minister autem non minùs spectat ad essentiam, & integritatem Sacramenti, quàm materia & forma: igitur nec Ecclesia, nec summus Pontifex possunt hujusmodi potestatem simplici Sacerdoti delegare.

XXIV. Licèt Episcopus sit Minister ordinarius Confirmationis ex institutione Christi, potest tamen, ad id delegari simplex Sacerdos.

Distinguo majorem: Episcopus est institutus à Christo Minister Confirmationis, ordinarius, concedo: solus & cum exclusione cujusque alterius, etiam per delegationem, nego: Quamvis enim ex Christi institutione Episcopus sit designatus ordinarius Minister hujus Sacramenti: hoc tamen non officit, quominus ex eadem Christi voluntate gravi de causa summus Pontifex possit ad id simplicem Sacerdotem delegare. Sicut ex Christi institutione Episcopus potestate ordinariâ à peccatis absolvere potest; Sacerdos verò peccata duntaxat remittere potest, si ab Episcopo jurisdictionem obtineat. Neque in his alia ratio quærenda est, quàm Christi instituentis beneplacitum nobis ex Traditione, & Ecclesiæ Catholicæ à Spiritu sancto gubernatæ usu notatum. Quamobrem in hujusmodi indulgentia Papa jus divinum non mutat; sed tantùm declarat simplicem Sacerdotem in tali urgentis necessitatis casu, ex sua tamen commissione confirmare, idque esse voluntati, & Christi Sacramentorum Authoris institutioni consentaneum.

Vrgebis: Potestas confirmandi fundatur in charactere Ordinis Episcopalis: igitur qui non habet eum characterem, nullâ ratione potest confirmare. Probatur antecedens: Si hæc potestas præcisè non fundetur in charactere Episcopali, & potestate Ordinis, Episcopus eam sibi vendicare deberet ratione jurisdictionis, quàm in suam Diœcesim obtinet: sed ita non est: igitur in solo charactere Episcopali fundatur. Major constat, duplex enim solùm in Episcopo distinguitur authoritas, nempe Ordinis, & characteri annexa; vel jurisdictionis, quâ universæ Diœcesi principatur: Minor etiam constat: *Tum*, quia Episcopus exauthoratus, & censuris Ecclesiasticis irretitus, imò & in hæresim lapsus, tametsi illicitè, tamen validè confirmat; licèt omni jurisdictione suâ sit orbatus: *Tum*, quia jurisdictionem suam potest Episcopus in alios derivare, & de facto eam Vicariis Generalibus impertit, subindeque posset aliis Sacerdotibus confirmandi, sicut à casibus reservatis absolvendi facultatem concedere, quod in Ecclesia inusitatum, & inauditum est: Ergo non confirmat Episcopus, nisi ratione potestatis Ordinis, seu characteri suo divinitus alligatæ: ergo quicunque eô charactere Episcopali carebit, in vanum confirmabit. Quod usque adeo verum est, ut ipse Papa electus, & in Episcopum nondum consecratus, tametsi primam & maximam habeat in totam Christi Ecclesiam authoritatem, & jurisdictionem; ipse tamen confirmare alios non potest, defectu characteris Episcopalis. Ergo confirmandi facultas est essentialiter characteri Episcopali annexa.

XXV. Potestas confirmandi proximè fundatur in potestate ordinis Episcopalis, non in potestate Iurisdictionis.

Respondeo, hanc authoritatem conferendæ Confirmationis, fundari proximè in potestate Ordinis Episcopalis, tanquam Ministri ordinarii; remotè verò in charactere Sacerdotali, & quæ nonnisi per delegationem summi Pontificis perfici possit; ita quòd Episcopus ratione sui Ordinis, & characteris ex divina institutione jure ordinariô independenter à quocunque vel permittente, vel prohibente, possit validè hoc Sacramentum administrare: simplex autem Sacerdos, cùm habeat tantùm inchoatam hanc authoritatem, eò quòd ratione sui characteris sit capax excipiendi illam tanquam delegatam; idcirco remotè duntaxat hanc authoritem sibi vendicat, quæ non-nisi per delegationem reduci potest ad potentiam proximam; eô ferè modô, quô potestas remota ad absolvendum, quam quilibet Sacerdos accipit in sua ordinatione, fit proxima per potestatem jurisdictionis ordinariam, vel delegatam, postmodum ab Ecclesia concessam. Itaque potestas confirmandi competit tam Episcopo, quàm Presbytero, ratione ordinis ac consecrationis; Episcopo quidem completè, proximè, & absolutè; Presbytero verò tantùm incompletè, remotè, ac conditionatè, si videlicet accedat dispensatio, & commissio summi Pontificis, per quam illa remota potestas fit proxima.

Instabis: Illa Sedis Apostolicæ concessio & commissio nihil reale tribuit simplici Sacerdoti: ergo

per

per eam illius character Ordinis compleri non po- test, neque perfici.

Distinguo antecedens : Nihil confert reale physicum, concedo : morale, nego : Cùm autem character non sit qoid physicè concurrens ad Sacramenti ministerium & effectum, sed tantùm qoid morale, & per modum signi operans ; hinc non mirum videri debet, si per simplicem concessionem id obtineat, quod suâpte naturâ non habebat.

Vel aliter distinguo : Nihil confert, quô Sacerdos fiat ordinatius Minister, concedo : qoô fiat extraordinarius, nego. Plura namque ad ordinarium, quàm ad extraordinarium ministrum desiderantur : quia primum concernit statum ; & per modum permanentis ; aliud verò solam deputationem, quæ potest auferri.

Conclusio Tertia.

Solus summus Pontifex, non autem Episcopus, delegare potest simplici Sacerdoti authoritatem conferendæ Confirmationis. Hæc est communior & verior, colligiturque ex Concilio Florentino ; nam in decreto Eugenii, ut specialis prærogativa Sedis Apostolicæ profertur, quòd per ejus dispensationem simplices Sacerdotes aliquando confirmaverint ; quibus insinuat, id nec concessum ab aliis Episcopis, nec valere, si aliquando concederetur. *Insuper,* Si Patres ejusdem Concilii non supposuissent tanquam certum, quòd Presbyteri ex sola delegatione Episcopi confirmare non possent, haud dubiè non proposuissent sess. 25. hanc quæstionem Græcis ; *Cur non Episcopi, sed Sacerdotes inungant sacrô Chrismate.* Suffragantur etiam rationes in prima conclusione expressæ, nec-non & continua Ecclesiæ praxis, quâ constat à nullo unquam Episcopo, hoc privilegium simplici Sacerdoti fuisse concessum ; cùm enim nullum extet decretum summi Pontificis, prohibens Episcopis, ne privilegium hoc simplici Sacerdoti conferant, non esset cur illâ potestate aliquando non fuissent usi.

XXVI. Solus summus Pontifex delegare potest authoritatem confirmandi.

Cùm itaque nusquam legatur, Presbyteros ex Episcopi jussione confirmasse, sed tantùm ex Sedis Apostolicæ delegatione, signum est, quòd ex institutione Christi D. solus summus Pontifex, ob plenitudinem suæ potestatis, constituere possit simplicem Sacerdotem in Ministrum extraordinarium hujus Sacramenti.

Dices primò : Quidquid summus Pontifex potest in universa Ecclesia, idipsum potest Episcopus in sua Diœcesi, igitur sicut summus Pontifex delegare potest simplici Sacerdoti facultatem confirmandi per universam Ecclesiam, idem potest Episcopus in sua Diœcesi.

Distinguo antecedens : Quidquid potest ratione Ordinis, seu consecrationis Episcopalis, concedo : ratione jurisdictionis, nego. Porrò delegare simplici Sacerdoti facultatem confirmandi, spectat ad authoritatem jurisdictionis, quam summus Pontifex supremam in Ecclesia obtinet.

Dices secundò : Sacerdotes Græci validè Confirmationis Sacramentum administrant : at id non præstant ex concessione Romani Pontificis ; quippe cùm hujus concessio, seu privilegium nullibi appareat : igitur solùm obtinuerunt ex delegatione suorum Episcoporum.

XXVII. A quo etiam Sacerdotes Græci videntur hanc authoritatem mutuati.

Nego minorem : Nam, ut notat Arcudius c. 15. circa medium ; *Tutissimum est dicere, Græcorum Presbyteros, per suos Patriarchas & Antistites ejusmodi facultatem à summo Pontifice obtinuisse, à quo omnis jurisdictio, quasi à capite in alios, veluti membra, mediatè, vel immediatè derivatur, & diffunditur.* Addit id etiam fortè ab initio fuisse concessum ab universali Ecclesia Orientali, non corrigente à principio, sed diu tolerante Romanô Pontifice ; cùm enim summus Pontifex, antequam Ecclesia Græca à Romana infensô schismate divulsa fuisset, annuatim Chrisma Constantinopolim mitteret, ut idem testatur Arcudius cap. 9. haud dubium est, quòd resciverit Presbyteros Græcos solitos esse confirmare infantes : quare vel expressè consensit, vel tacitè ; si enim Constantinopolitani tantùm deferrent Ecclesiæ Romanæ, ut ab ipsa peterent sacrum Chrisma, quod ipsimet ex Ordinis potestate poterant consecrare, quantò magis eorum Presbyteri abstinuissent à conferendo Confirmationis Sacramento, si illud Romanus Pontifex improbasset.

Quæstio Secunda.

Quæ sit necessitas suscipiendi hujus Sacramenti, & quinam sint capaces illius susceptionis ?

Notandum primò, seu potius revocandum ex jam pluries dictis, necessitatem recipiendi alicujus Sacramenti solitò distingui duplicem, *medii* videlicet & *præcepti*. Sacramentum illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo salus hominis ad illius susceptionem adstricti obtineri nequit ; sic necessarius est Baptismus in re, vel in voto suscipiendus in nova lege ; necessarium pariter Pœnitentiæ Sacramentum ad eluendum peccatum mortale post Baptismum commissum. Necessitas verò præcepti ea est, quâ Sacramenti susceptio necessaria est ex mandato, vel divino, vel Ecclesiastico ; itaut illi, ad quos præceptum istud dirigitur, salutem non possint obtinere absque susceptione hujusmodi Sacramenti, nisi fortè infirmitas aut aliqua alia necessitas ab illo præcepto servando illos eximat. Quæritur autem, an aliquô ex his modis Confirmationis Sacramentum sit ad salutem necessarium.

I. Duplex est necessitas ; nempe Medii & Præcepti.

Notandum secundò, necessitatem medii adhuc posse distingui duplicem : unam quidem *absolutam*, per quam aliquid ad salutem ita necessarium est, ut sine eo salus æterna non possit obtineri ; alteram autem tantùm *ad melius & perfectius esse*, per quam aliquid non est ita ad salutem necessarium, quin sine eo salus æterna possit obtineri : sed comparari non posset cum tanta perfectione & facilitate. Similiter necessitas præcepti dupliciter potest attendi, nempe vel respectu totius communitatis, putà totius Ecclesiæ, & cœtûs omnium fidelium, vel tantùm respectu cujuslibet fidelis in particulari : plura namque necessaria sunt respectu communitatis, quæ itidem non sunt necessaria respectu particularium.

II. Medii iterû duplex, nempe absoluta & ad melius esse.

Notandum tertiò, duplex distingui posse subjectum capax recipiendæ Confirmationis, nempe vel infantem, sed rationis capacem, vel adultum, qui sit sui juris. Unde movetur controversia inter Theologos, quænam ex parte utriusque dispositiones prærequirantur ad validè & fructuosè suscipiendum Confirmationis Sacramentum ; quæ utique controversia cùm non sit gravis ponderis & momenti, etiam facili negotio discutietur in tribus conclusionibus sequentibus.

III. Duplex est subjectum confirmationis excipiendæ.

Conclusio Prima.

Confirmationis Sacramenti susceptio non est præcisè & per se necessaria ad salutem necessitate medii absolutâ. Hæc conclusio communis est apud

IV. Confirmatio non est

necessaria necessitate medii ab. solutâ.

Theologos, eamque tradit Alensis 4. p. q. 25. memb. 2. S. Bonaventura dist. 7. art. 3. q. 2. S. Thomas q. 3. art. 2. nec-non & subtilis Doctor dist. 7. quæst. 2. ubi de Sacramento Confirmationis scribit: *Respondeo, quòd non est simpliciter necessarium ad salutem, juxta illud Marci ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Nec non & de consecr. dist. 5. ubi habetur, quod baptizatus per solum Baptismum salvatur.* Porrò verba distinctionis illius desumpta sunt ex cap. 2. epistolæ Melchiadis ad Episcopos Hispaniæ; ubi ait: *Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutiferò descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam... Et quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.*

Suffragatur etiam ratio: Tum, quia ad salutem instituendam sufficit innocentiæ status, nec-non & quilibet gradus gratiæ sanctificantis: cùm ergo hoc Sacramentum non sit institutum ad conferendam primam gratiam, sed duntaxat ad ejus augmentum; inde consequens est, quòd eô prætermissô salus possit obtineri: *Tum*, quia effectus hujus Sacramenti, videlicet animi robur & constantia, ad tuendam & protestandam fidem coram tyrannis, aliis mediis ab adultis sperari, & obtineri potest, putà per Sacrificia, orationes, aliaque bona opera vitæ æternæ meritoria; multò magis obtineri possunt auxilia actualia ad fidem & religionem animô constanti profitendam. *Adde*, quòd maximæ parti adultorum nunquam se offerat aliqua occasio defensionis fidei: *Tum denique*, quia si Sacramentum hoc esset absolutè ad salutem necessarium, haud dubiè Ecclesia summô studiô curaret illud administrari statim post Baptismum, ne videlicet plures infantes ante rationis usum post susceptum Baptisma ex hac vita migrantes, propter defectum hujus Sacramenti de salute æterna periclitarentur: nihilominùs ex assidua ejus praxi constat, hoc Sacramentum non ministrari solere parvulis ante septennium, ut dicemus infrà: igitur, &c.

V.
Quô sensu requiratur ut quis perfectus Christianus censeatur.

Dices: Nemo salvari potest, quin sit perfectus Christianus, & habeat in se Christi gratiam: sed sine hoc Sacramento nullus potest esse perfectus Christianus, nec habere in se Christi gratiam. Probatur authoritate S. Cypriani epist. 70. *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut acceptô Chrismate, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Dei possit.* Et S. Clemens Romanus epist. 4. *Omnibus*, inquit, *festinandum est sine mora renasci Deo, & demum ab Episcopo consignari, idest, septiformem gratiam Spiritûs sancti percipere: cùm alioqui perfectus Christianus nequaquam esse possit, is qui hoc Sacramentum prætermiserit, ut à B. Petro accepimus, & cæteri Apostoli præcipiente Dominô docuerunt.* Et Urbanus Papa in epist. sua cap. 7. *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Quibus concinit Concilium Aurelianense cap. 8. ubi ait: *Quia nunquam erit Christianus, nisi Confirmatione Episcopali fuerit chrismatus.* Hinc Concilium Laodicenum can. 48. ait: *Oportet baptizatos post Baptismum sacratissimum Chrisma percipere, & cœlestis regni participes fieri.* Igitur ex his omnibus liquet, Sacramentum Confirmationis esse necessarium ad salutem; unde Hugo Victorinus lib. 2. p. 7. cap. 5. apertè pronuntiat, omnino periculosum esse sine manûs impositione ex hac vita migrare: *Quia*, inquit, A *sicut in Baptismo remissio peccatorum accipitur, ita per manûs impositionem Spiritus Paracletus datur: illic gratia tribuitur ad remissionem peccatorum, hic datur ad Confirmationem: Quid autem prodest, si à lapsu erigeris, nisi etiam ad standum confirmeris?*

Distinguo minorem: Sine Confirmatione haberi non potest gratia Christi, nec quis esse plenus Christianus, quantùm ad ipsius gratiæ augmenti plenitudinem, & completam nominis Christiani significationem, concedo: quantùm ad consecutionem gratiæ sanctificantis ad salutem absolutè sufficientis, nec-non & quantùm ad susceptionem characteris Christiani, quô quis verè inter Christi membra computetur, & ipsius corpori mystico, nempe Ecclesiæ inseratur, nego. Per Baptismum enim imprimitur ille character, quô baptizatus B reverà censetur membrum Christi, & ipsius corpori mystico inseritur. Similiter per eum consequitur gratiam sanctificantem ad salutem æternam sufficientem; nam qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: Verùm Confirmatio non confert modicum ad ipsius gratiæ plenitudinem & perfectionem, siquidem per hoc Sacramentum tribuitur sancti Spiritûs plenitudo, quantùm ad augmentum gratiæ habitualis, ac virilem & cœlestem animi constantiam, quâ Christianus vegetatus & roboratus, fidem & religionem Christianam, etiam cum evidenti bonorum omnium jactura, ac vitæ dispendiô tueatur. Confert pariter ad C plenam & omnimodam Christiani nominis significationem, siquidem Christiani nomen, sicut & Christi derivatum esse ab unctione Chrismatis, docet S. Augustinus lib. 17. de Civit. Dei c. 16. *Quis enim*, inquit, *tam rudis est in hac Religione, vel tam surdus adversus ejus famam longè latéque diffusam, ut Christum à Chrismate, hoc est, ab unctione appellatum esse non noverit?* Et lib. 20. c. 10. explicans illa verba Apocal. *Erunt Sacerdotes Dei & Christi*, scribit: *Non utique de solis Episcopis, & Presbyteris dictũ est, qui propriè jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus, propter mysticũ Chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis.* Ubi signanter dicit, nos dici Christia- D nos, propter mysticum Chrisma, nempe Sacramentũ Confirmationis, cujus materia est unctio Chrismatis, ad quam haud dubiè nominis etymologiam alludere voluerunt Pontifices & Patres, & Concilia, dum negãt eos esse Christianos, vel plenè Christianos, qui hanc Chrismatis unctionem non acceperunt.

VI.
Christus & Christianus dicuntur ab unctione Chrismatis.

Vel aliter distinguo: Sine Confirmatione fideles nõ possunt esse pleni Christiani, plenitudine quoad abundantiam, concedo: quoad sufficientiam, nego: Duplex enim distingui potest gratiæ plenitudo respectu hominis baptizati: una quoad sufficientiam, quæ datur in Baptismate, & hominem complet, ac perficit in iis, quæ sufficiunt ad sa- E lutem: alia verò quoad abundantiam, quæ in ipsa Confirmatione tribuitur, ut Christianus perfectus Christi miles evadat. Porrò prior plenitudo sufficit ad salutem; posterior verò desideratur tantùm ad melius esse.

Dum verò Patres & Concilia dicunt, hujus Chrismatis susceptionem necessariam esse ad salutem, intelligendi sunt de his, qui ex negligentia & contemptu hoc Sacramentum non susceperunt. Qualiter seipsum explicat Hugo Victorinus; nam post verba in objectione laudata statim subdit: *Propterea timendum est iis, qui per negligentiam amittunt Episcopi præsentiam, & non suscipiunt manûs impositionem;*

VII. *ne fortè propterea damnentur, quia festinare debuerunt, dum potuerunt. Propter eos enim qui articulò temporis præveniuntur instituta est illa, quâ Sacerdos baptizatum statim in vertice linit sacri Chrismatis unctio: ut in hoc ipso ostendatur, quantum Sacramentum istud necessarium sit ad salutem, cùm tam sollicitè universis cavetur, ne fortè sine ipso ab hac vita subtrahantur.* Quibus verbis significat, eatenus hoc Sacramentum necessarium esse ad salutem, quatenus ejus contemptus perniciosus esset; quippe cùm ipsum contemptorem fraudat amplissimô gratiæ augmentô, quod facilè sibi poterat comparare. Quæ utique solutio & explicatio est Doctoris locò laudatô; nam respondens ad authoritatem peritam ex Gratiano de consecratione dist. 5. his verbis: *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum post baptismum Spiritum suscipere debent, ut pleni Christiani inveniantur*, ait: *Dico, quòd loquitur de adulto, qui debet suscipere, idest, non contemnere, & pro tempore congruo suscipere in effectu: judicaretur enim contemptus, si omnimodâ opportunitate oblatâ, non susciperetur.*

Quâ ratione Patres & Concilia dixerint hoc Sacramentum esse necessarium ad salutem.

Ex his apertè constat, qualiter intelligenda sint verba Melchiadis initiô conclusionis jam laudata: *Si continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Non enim ait: *Necessaria est Confirmatio*, sed, *necessaria sunt Confirmationis auxilia*: quæ utique, ut diximus, aliunde haberi possunt, quàm per Confirmationem: quamvis valde congruum sit, imò necessarium necessitate ad meliùs esse, ea consequi infallibiliter, ratione operis operati, sicut obtinentur per Confirmationem, quàm ex opere operantis, sicut comparari possunt per preces & orationes, & alia opera meritoria; idcircò idem Pontifex in eadem epist. præmittit de Baptismo, & Confirmatione: *Ita conjuncta sunt hæc duo Sacramenta, ut ab invicem, nisi morte praeveniente, nullatenus possint segregari*; potentiâ videlicet condecentiæ & convenientiæ: quia nimirùm Confirmationis gratia & character est veluti complementum, & perfectio characteris gratiæ Baptismalis.

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. *Sacramentum Confirmationis est necessarium necessitate præcepti respectivè ad universam Ecclesiam, non autem ad singulos fideles in propria & privata persona spectatos.*

Præceptum est de Confirmatione suscipienda respectivè ad universam Ecclesiam.

Prima pars communis est, in Ecclesia namque necessariò debent esse aliqui confirmati; siquidem Ecclesia est Respublica legitimè ac ritè à Deo & Christo instituta: igitur in ea debent aliqui destinari ex muoere, qui Rempublicam illam tueantur, & sub Ducibus suis militent, ad ipsius defensionem: destinantur autem ad hoc militiæ genus Christiani per Confirmationis Sacramentum, & Duces eis constituuntur Sacerdotes & Clerici, per Ordinum susceptionem: igitur quâ ratione necessariò debent esse in Ecclesia Duces aliqui, qui cæteris præsint, pari ratione necessum est, quòd aliqui destinentur in milites, sub ipsis Ducibus strenuè pugnaturi; hoc autem fit per Confirmationem: igitur, &c.

Deinde, in Concilio Mediolanensi quarto præcipitur Episcopis, & Parochis, ut omni vigilantiâ curent, hoc Sacramentum sibi subditis fidelibus administrari; nam loquens de Sacramento Confirmationis, ait: *Videant* (Parochi) *ne quis eorum, qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat. Quare præmoneant, quod etiam Concilii Vuormaciensis canone sancitum est, ut quicunque*

A *intra Parochia sua fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui eâ ætate sunt, quâ Episcopus eos duxerit esse debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant.* Ne autem aliquis existimaret, verba illa solam admonitionem, non autem præceptum continere, statim addit: *Si quis verò neglexerit, canonicis subjaceat disciplinis.* Nemo em autem pœnis Canonicis addicit Ecclesia, propter omissionem solius consilii, sed propter præcepti transgressionem. Ex hoc Concilio liquet præceptum esse animarum Rectoribus, ut sibi subditis Sacramentum Confirmationis ministrent, ac subinde necessum est, quòd in Ecclesia aliqui sint, qui hoc Sacramentum suscipiant.

B *Secunda pars* non est contra Doctorem, ut ei perperam affingit Gonetus disp. 6. art. 3. Doctor enim in 4. dist. 17. q. 1. num. 11. ait: *Extrema-Unctio est instituta à Christo, & Confirmationis Sacramentum, ut dictum est suprà; & tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de isto, vel illo recipiendo.* Porrò, quòd nullum sit præceptum, quô fidelis quisque teneatur sub peccato ad suscipiendam Confirmationem per se & directè probatur: Præceptum enim, si quod esset, maximè vel naturale, vel divinum positivum, vel Ecclesiasticum: sed neutrum ex illis apparet: *Non quidem naturale*: quodnam enim illud esset,

IX. *Non autem respectivè ad singulos fideles, quia ad id non obligantur ex aliquo præcepto naturali, aut divino positivo, aut Ecclesiastico.*

C nisi fortè præceptum charitatis servandæ erga seipsum, quô unusquisque obligatur ad procuranda sibi media necessaria ad salutem; at ita non est, quippe, ut dictum est in conclusione prima, Confirmatio non est per se medium necessarium ad salutem.

Non est etiam aliquod præceptum divinum positivum, quippe cùm nullibi in Scriptura sacra præscribatur obligatio suscipiendæ Confirmationis, sicut præscribitur de Baptismo, Eucharistia, & Pœnitentia suscipiendis: neque etiam id colligi potest ex Traditione; quippe cùm nulla sufficiens Traditio habeatur in Conciliis, aut Patribus, quæ præceptum hoc divinum persuadeat: Neque etiam id inferri potest ex effectu hujus Sacramenti, quippe cùm sine eo salus possit obtineri; &

D insuper effectus ille, nempe gratia roborans, & sanctificans possit per alia media, quàm per Confirmationem haberi.

Denique nullum apparet *præceptum Ecclesiasticum*: *Tum*, quia Ecclesia non assolet imponere præceptum de aliquo Sacramento suscipiendo, nisi jam præsupponatur divinum aliquod præceptum; onde illa solùm determinat tempus & modum, quô divinum illud præceptum debeat impleri, ut constat de Eucharistia, & Pœnitentia: unde cùm nullum sit præceptum divinum de Confirmatione suscipienda, nullum pariter Ecclesiasticum apparet.

E *Adde*, quòd nullis in Conciliis hujusmodi præceptum appareat, nam quod protulimus ex Concilio Mediolanensi, obligat quidem Pastores ad hoc Sacramentum ministrandum, nec non ad invigilandum sedulò, ut à sibi commissis ovibus post septennium suscipiatur; non autem ipsis subditis distinctam obligationem præscribit hoc Sacramentum suscipiendi. *Adde*, quòd Concilium istud sit provinciale, nec subinde potuit obligare Ecclesiam universalem, nisi constet illud esse ubique receptum, & probatum; hæc autem receptio & probatio nullibi legitur. Itaque licèt Ecclesia præscribere potuerit, quòd unusquisque fidelium post septennium teneretur suscipere Confirmationis Sacramentum, sicut præscripsit & præcepit,

ut singulis annis, fideles adulti sua peccata confiterentur, & Eucharistiam sumerent; attamen id non præcepit, nec præscripsit.

Dices primò: Homo ex præcepto charitatis erga seipsum, magis obligatur ad procurandum sibi bonum & complementum vitæ spiritalis, quàm corporeæ: sed tenetur ad applicandum sibi media necessaria ad augmentum & fomentum vitæ corporeæ per nutritionem: igitur etiam in vita spiritali ex præcepto charitatis obligatur ad procurandum sibi medium, quô vita spiritalis foveri possit, & augeri, quale est Sacramentum Confirmationis.

Respondeo negando paritatem, & ratio discriminis est, quòd medium ordinatum ad augmentum vitæ corporeæ, unicum sit, nempe nutritio; secus autem est de vita spirituali, quæ, ut jam pluries diximus, aliis mediis, quam Sacramentô Confirmationis augeri potest.

Dices secundò: Eôdem præceptô imperatur Confirmatio, quô imperatur fidei professio, & religionis ac sanctitatis propugnatio, non solùm contra sensibiles, sed etiam contra spirituales adversarios; ubi enim præcipitur finis aliquis, etiam præcipiuntur media, quibus ille finis potest obtineri: sed præceptô divinô tenemur ita fidem ac religionem propugnare: igitur pariter tenemur Confirmationis Sacramentum suscipere.

Distinguo majorem: Si finis præceptus non possit obtineri nisi quam per certa & determinata media, cujusmodi media cum ipso fine censentur præcipi, concedo: secus, nego. Porrò quamvis Deus specialiter Confirmationem ordinaverit, tanquam particulare ac proprium medium obtinendæ gratiæ, quâ tentationibus & persecutionibus occurramus; attamen sunt alia media generalia, quibus spiritualis ille vigor, & animi robur potest obtineri; nempe frequens Eucharistiæ perceptio, fervens oratio, & alia hujusmodi pia opera, quibus homo divinum sibi in necessitatibus auxilium conciliare potest.

X. Confirmatio tantùm necessaria est necessitate ad meliùs esse.

Ex his itaque sequitur, quòd Confirmatio necessaria sit duntaxat *ad melius esse*; quam utique necessitatem egregiè explicat Gerson tomô 2. in compendio de Sacramentis coll. 78. *Dici potest*, inquit, *quòd unô modò loquendi Confirmatio necessaria est, aliô modô non. Necessitas enim duplex invenitur; quædam absoluta, & quædam conditionata. Dicitur necessitas conditionata, idest, secundum quid, ut si homo non debeat debilitari, necesse est bene comedere: & istô modô dici potest, quod Confirmatio ad salutem est necessaria. Nam ad hoc, quòd debeat vita spiritualis, & salus in Baptismo adepta robustè contra hostes spirituales custodiri, necesse habet hoc Sacramentô confirmari & custodiri. Vnde dicit Hugo de S. Victore, quid prodest, si per Baptismum à lapsu erigeris, nisi etiam per Confirmationem ad standum confirmeris? Non quia sine Confirmatione non valet Baptismus ad salutem, quia hoc falsum est; sed quia frequenter in pugna spirituali ex debilitate virtutis spiritualis accideret etiam facilitas cadendi, & proinde damnatio, nisi esset Confirmatio.*

XI. Quamquã per accidens ejus omissio voluntaria, sit periculosa.

Non quidem *per se*, quasi carentia Confirmationis esset causa damnationis, sed per accidens, nempe vel quia homo propter contemptum suscipiendi hujus medii à Deo ordinati ad obtinenda media necessaria quibus propugnare possit fidem, & adversus impugnantes quoslibet hostes Religionem tueri; indignus censeretur, qui hujusmodi auxilia aliis mediis posset consequi: vel quia graviori urgente tentatione uberiori eget auxiliô ad resistendum & vincendum, quod utique efficaciùs per Confirmationem, quam per quodlibet aliud medium obtineret; unde fit, ut Confirmatione neglectâ, hujusmodi medio uberiori orbatus minores habeat vires ad resistendum. Quô fit ut plerumque succumbat, sicque damnationis periculum incurrat.

Igitur omnibus modis incumbere debent Animarum Rectores, ut ad hujus Sacramenti susceptionem creditas sibi divinitus oves provocent, & adhortentur; *Tum*, ut abundantem gratiæ plenitudinem per hoc Sacramentum conferendam obtineant; *Tum*, ut induantur virtute ex alto, quâ validiùs & animosiùs adversus quoslibet infestantes & impugnantes salutis adversarios repugnare, & eis expugnatis, æternam gloriæ coronam promereri possint. Quod utique præclarè docet Catech. Roman. *n.* 14. Docendum est, *inquit*, hoc sacramentum hujusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit; quamquam vero necessarium non est, à nemine tamen prætermitti debet: sed potius maximè cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam longè impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod enim omnibus communiter ad sanctitatem Deus proposuit, ab omnibus etiam summô studiô expetendum est. Ac sanctus quidem Lucas, cùm admirabilem illius Spiritûs sancti effusionem describeret, ita inquit: *Et factus est repente de cælo sonus, tanquam advenientis Spiritûs vehementis, & replevit totam domum.* Deinde, paucis interjectis: *Et repleti sunt omnes Spiritu sanctô:* Ex quibus verbis licet intelligere; quoniam domus illa sanctæ Ecclesiæ figuram, & imaginem gerebat, ad omnes fideles Confirmationis Sacramentum, cujus initium ab eo die dictum est, pertinere: Atque id etiam ex ipsius Sacramenti ratione facilè colligitur; illi enim sacrô Chrismate confirmari debent, quibus spirituali incrementô opus est, & qui ad perfectæ Christianæ Religionis habitum perducendi sunt: at nulli id non maximè convenit; ut enim hoc spectat natura, ut, qui in lucem eduntur, adolescant, atque ad perfectam ætatem perveniant, etiamsi interdum quod vult minùs assequatur: ita communis omnium mater Catholica Ecclesia vehementer optat, ut in eis, quos per Baptismum regeneravit, Christiani hominis forma perfectè absolvatur: id autem quoniam mysticæ unctionis Sacramentô efficitur, perspicuum est, eam ad universos fideles æquè pertinere. *Ita Catechismus.*

CONCLUSIO TERTIA.

XII. Solus baptizatus est subjectum capax recipiendæ Confirmationis.

Omnis & solus baptizatus est subjectum capax validè recipiendæ Confirmationis. Hæc est communis apud Theologos; quòd enim solus baptizatus sit capax recipiendæ Confirmationis, apertè constat: *Tum*, quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum; per quam proinde in Ecclesiam intrare priùs necesse est quàm aliorum Sacramentorum quis possit esse particeps: *Tum*, quia priùs est hominem spiritualiter nasci, quàm roborari, & augeri; nascitur autem fidelis per Baptismum, roboratur verò per Confirmationem: igitur, &c. *Tum denique*, quia character Confirmationis supponit characterem Baptismi; etenim character baptismalis respicit fidem nascentem, & inchoantem; character verò Confirmationis respicit statum fidei, inquit Seraphicus Doctor dist. 7. art. 3. q. 3. igitur meritò

Urbanus Papa decrevit, sicut refertur dist. 5. de consecrat. *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere, ut plene Christiani inveniantur: Quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur.* Quibus verbis summus Pontifex duo significat: *Primum*, quòd solus baptizatus sit capax, suscipiendi hoc Sacramentum: *Secundum*, quòd quilibet baptizatus, cujusvis sexûs, statûs, conditionis, & ætatis, sit idoneum illius subjectum; siquidem generatim profert, *omnes fideles, &c.*

XIII. Et omnes etiam pueri.

Dices: Actorum 10. Spiritus sanctus datus fuit Cornelio, & socus ejus, antequam baptizarentur; sic enim dicitur versu 44. *Adhuc loquente Petrò verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Et versu 47. *Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi.* Utique postquam accepissent Spiritum sanctum: igitur Confirmatio non necessariò supponit Baptismum.

Distinguo consequentiam: Non necessariò supponit Baptismum in re vel in voto, nego: semper reipsa susceptum, concedo: Quamvis enim fortè Cornelius & socii excepissent Confirmationis effectum, nempe plenitudinem Spiritûs sancti, ante realem Baptismi susceptionem; tamen jam baptizati fuerant in voto, aut per Contritionem, aut per dilectionem Dei super omnia. Vel aliter dico cum subtili Doctore in 4. dist. 7. q. 1. num. 3. quòd *Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis; & ideo sicut ipse sive in terris, sive post Ascensionem in cœlos potuit confirmare Apostolos sine materia & forma* quæ nunc in Ecclesia essentialiter requiruntur ad Sacramentum Confirmationis; ita per extraordinariam virtutem, potuit quos voluit, sive in cœlis, sive in terris existens confirmare ante realem Baptismi susceptionem. An autem ita confirmaverit Cornelium, & Socios ejus quis determinabit?

Cæterùm nullus baptizatus arcendus est à Confirmatione; si enim aliqui baptizati arcendi essent à susceptione hujus Sacramenti, maximè parvuli, & infantes ante rationis usum, & adultam ætatem: sed ita non est; siquidem *Actor.* 8. & 19. legitur: Apostolos omnibus baptizatis, nemine exceptô, manus imposuisse, ut reciperent Spiritum sanctum, idque haud dubiè exemplô ipsius Spiritûs sancti, qui *Actor.* 2. visibiliter descendit in die Pentecostes, non tantùm supra Apostolos, sed etiam supra singulos eorum, qui in eodem loco erant congregati. Porrò ibi non solùm erant viri adulti, sed etiam mulieres, & parvuli, juxta illud Vaticinium Joëlis 2. *In novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt.*

His accedit antiqua Ecclesiæ praxis, quâ constat parvulis fuisse ministratum Confirmationis Sacramentum; cujus utique testis est Innocentius primus epist. ad Decentium. cap. 3. *De consignandis infantibus*, inquit, *manifestum est, non ab alio, quàm ab Episcopo fieri licere.* Nec-non & S. Augustinus tract. 6. in primam canonicam S. Joannis, ubi scribit: *Quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur.* Sed præcipuè praxis ista confirmatur ex Ordine Romano, tit. de Sabbato sancto, ubi refertur mos & ritus baptizandi, & confirmandi infantes; ibi namque legimus, quòd *Pontifex veniens ad infantes* (recens baptizatos) *tenente Archidiaconô Chrisma, involutis scapulis & brachiis, ex panno lineo, elevatâ & impositâ manu super capita eorum, dat orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritûs sancti: oratione expletâ interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tinctô pollice in Chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, &c.*

Nec obstat, quòd infantes non sint capaces actualis auxilii per Confirmationem conferendi ad fidem constanter & animosè tuendam, maximè cùm moriuntur ante adultam ætatem. Hoc, inquam, non obstat; sunt enim capaces augmenti gratiæ suscipiendi per hoc Sacramentum, ratione cujus majorem sunt consecuturi gloriam; si ante adultam ætatem ex hac vita migraverint.

XIV. Convenientius tamen est ut nonnisi post septennium suscipiatur.

Verùm, quamquam validè, imò & fructuosè pueris nondum ratione utentibus conferri possit hoc Sacramentum; nihilominus sapienter cautum est in Concilio Aurelianensi, cap. 3. *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis*: Hoc est, inquit Glossa, non ante septennium, quod etiam decernit Catechismus Romanus *num.* 14. scribens: *Illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint: quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certè hoc Sacramentum differre, maximè convenit: neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est; sed ut ejus virtute optimè instructi, & parati inveniremur, cùm nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sanè pugnæ genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse judicârit.*

Adstipulantur etiam aliæ rationes: *Primò*, quia major exhibetur reverentia Sacramento, dum aliquis sciens & volens debita cum veneratione ad illud accedit: *Secundò*, major etiam utilitas & fructus advenit suscipienti, dum cum propria dispositione, & animi fervore, hujus Sacramenti effectum & fructum colligit. *Tertiò*, quia inde magis vitatur periculum iterationis hujus Sacramenti. Quod utique contingere posset, si quis certò nesciret, se illud accepisse.

XV. Nisi ad id quædam urgeat necessitas.

His tamen non obstantibus, sine ullo scrupulo posset Episcopus Sacramentum Confirmationis infantibus nondum adultæ ætatis conferre eis in locis, ubi raro adsunt Episcopi, nec facilis ad eos patet recursus; præstat enim rationis usum prævenire, quàm postea defectu occasionis hujus Sacramenti fructu perpetuò carere. Quod utique statuisse videtur Concilium Mediolanense quintum parte 2. tit. de Confirmat. cùm ait: *Si Episcopus ob aliquam causam justam, atque adeò necessariam parvulo & infanti, qui non modò eam ætatem* (septennii) *expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum.* Porrò justa illa causa apparet, vel cùm in puero præmaturus est rationis usus, & malitia supplet ætatem: vel cùm imminet mors; ita quòd si diu differatur hujus Sacramenti collatio, infans sit frustrandus augmentô gratiæ, quod per illud Sacramentum excepisset: vel cùm, ut statim dictum est, occurrit occasio præsentiæ Episcopi, fortè eum in locum non reversuri.

XVI. Conferri posset perpetuò amentibus.

Ex his sequitur, non esse improbabile, quòd Sacramentum Confirmationis conferri possit perpetuò amentibus jam baptizatis; siquidem illi non minùs sunt capaces augmenti gratiæ sancti-

ficantis, nec-non & auxiliorum actualium ad fidem pro tempore opportuno tuendam, & profitendam, si videlicet naturaliter, aut certè per miraculum, rationis fiant compotes, quàm parvuli, qui nondum adultam ætatem, & plenum rationis usum sunt adepti; eadem enim utrobique apparet ratio.

PETES: *Quinam sint ritus, quævε cæremonia in ministrando Confirmationis Sacramento?*

XVII.

Debent adhiberi Patrini.

Respondeo imprimis desiderari Patrinum, qui confirmandum Episcopo præsentet, & se pro eo fidejussorem constituat. Ita imprimis decrevit Higinus Papa, ut refertur de consecrat. dist. 4. cap. 100. *In Catechismo, & in Baptismo*, inquit, B *& in Confirmatione, unus Patrinus fieri potest si necessitas cogit; non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli recipiunt.* Ibidem etiam cap. 101. legimus hoc decretum Leonis Papæ: *Non plures*, inquit, *ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quàm unus sive vir, sive mulier: in Confirmatione quoque idipsum fiat.* Et cap. ult. de cognatione spirituali in 6. statuitur: *Quamvis non plures, quàm unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo infantem.... de Confirmatione insuper idem judicium est habendum.*

Licèt autem hæc Decreta ex parte revocata sint per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 2. quantùm ad Baptismum, concedens quòd unus & una baptizatum de fonte suscipiant; attamen C nihil innovat circa Confirmationem; unde unicus ad eam patrinus, aut una duntaxat matrina sufficere potest respectu confirmandi sui sexûs, ut decernitur in Pontificali Romano, ubi cùm decretum esset: *Adulti, seu alii majores, ponant pedem suum super pedem dextrum Patrini.* Quò ritu significatur recèns confirmatum sui Patrini sectari debere vestigia; & ad ejus exemplum in virtutis, & salutis via procedere; statim subditur: *Ideo neque masculi fœminis Patrini, neque fœmina masculis matrina esse debent; utpote quia illa superpositio pedis magis convenit adultis ejusdem sexûs, quàm diversi.*

Qui jam sint confirmati.

Porro nullus assumi potest in confirmandi Patrinum aut matrinam, qui non sit confirmatus, A ut decretum est in Concilio Moguntino de consecratione dist. 4. his verbis. *In Baptismate vel in Chrismate, non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus, vel confirmatus.* Quod pariter decernit Pontificale Romanum his verbis: *Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione patrinus.*

XVIII. Cur unctio fiat in fronte.

Alias in hoc suscipiendo Sacramento cæremonias servari solitas sic explicat Catechismus Romanus *num.* 20. Qui confirmantur sacrô Chrismate, *inquit*, in fronte unguntur: nam hôc Sacramentô Spiritus sanctus in animos fidelium sese infundit, in eisque robur & fortitudinem auget, ut in spirituali certamine viriliter pugnare, & nequissimis hostibus resistere queant. Quocirca declaratur, eos nullô metu, aut verecundiâ, quarum affectionum signa maximè in fronte solent apparere, à libera Christiani nominis confessione absterrendos esse.

Præterea nota illa, quâ Christianus à cæteris veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in fronte ut illustriori corporis parte imprimenda erat.

XIX. Et maximè die Pentecostes.

Sed illud quoque solemni religione in Ecclesia Dei servatum est, ut in Pentecoste præcipuè hoc Sacramentum administraretur: quòd hôc maximè die Apostoli, Spiritûs sancti virtute roborati, & confirmati sint: cujus divini facti recordatione fideles admonerentur, quæ, quantaque mysteria in sacra Unctione cogitanda essent.

XX. Cur confirmatus percutiatur alapâ.

Deinde verò qui unctus, & confirmatus est, ut meminerit se tanquam fortem Athletam paratum esse ad omnia adversa invictô animô pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Episcopo cæditur.

XXI. Quare pax ei detur.

Postremo autem pax ei datur, ut intelligat se gratiæ cælestis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem sensum, consecutum esse. Atque hæc summa eorum sit, quæ de Chrismatis Sacramento à Pastoribus non tam quidem nudis verbis, & oratione, quàm inflammatô quôdam pietatis studiô explicanda sunt, ut ea in animis, intimisque fidelium cogitationibus inserere videantur. *Ita Catechismus.* His adde quæ de hujusmodi ritibus diximus articulo 1. quæst. 2. nu. 13. ex Durando. Interim dignetur Deus confirmare quod operatus est in nobis. Amen.

TRACTATUS TERTIUS.

DE DVOBVS POSTREMIS SACRAMENTIS, ORDINE *videlicet &* MATRIMONIO, *quibus hominum sanctitas propagatur.*

PRÆFATIO.

T*ANTA est divinæ benignitatis & misericordiæ in humanum genus liberalitas & effusio, tantusque in hominem, cælestibus licèt mandatis obluctantem, divinus amor, ut nedum peculiaribus cujusque morbis, & spiritualibus indigentiis Sacramentorum medicamine, ac beneficio opitulari voluerit, quibus homo privatus cælestem vitam, & integram animæ sanitatem sibi restauraret; sed insuper* Ordinem *&* Matrimonium *ad Sacramenti dignitatem & efficacitatem voluit promovere, ut homines illam divinam ac cælestem vitam in aliis Sacramentis acceptam ad suos posteros propagare possent, & derivare. Nemo enim fidelium est, qui nesciat hisce maximè duobus Sacramentis Christianam Religionem & pietatem vegetari & sobolescere; per* Matrimonium *enim formamur ad imaginem Dei, ut in Baptismate recidivâ quasi Nativitate in Dei filios consignemur; per* Ordines *autem ad ipsius sanctitatis similitudinem non solùm consecramur, sed & cælestis vitæ pignora per aliorum Sacramentorum administrationem in alios ubertim derivamus.*

Porrò, quanta sit hujus utriusque Sacramenti dignitas & eminentia, facilè deprehendet quisquis ad utriusque præcellentias mentis oculos tantillum admoverit: nemo namque nescit, plurima esse, & commendatione dignissima, quæ conjugium habet: maximum enim est naturæ bonum, & individua duorum societas, sine qua privata cujusque fœlicitas torpesceret, ut meritò dixerit Deus in ipso mundi exordio: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi: *Sed quod præcipuum est, ab eo pendet velut à fonte, totius humani generis propagatio, unde Iustinianus Imperator* Novellâ 2. *sapienter dixit,* Matrimonium sic esse honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam conciliare, & ex filiorum procreatione renovare genus humanum. *Cui non minùs eleganter concinit Iustinus* Novellâ 2. *dicens:* Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est atque Matrimonium, quippe ex quo liberi, omnisque deinceps sobolis series existat, quod Regiones, atque civitates frequentes reddat: inde denique optima Reipublicæ coagmentatio fiat. *Hinc S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 2. expendens motiva cur Christus Canæ nuptiis voluerit adesse, & ibi primum suæ divinæ potentiæ signare miraculum, præclarè ait istud nemini mirum videri debere.* Exigebat enim, *inquit,* ipsa carnis propagatione accepta infirmitas, eum, qui totam naturam hominis in meliorem &

fœliciorem statum reparabat, non solùm natis jam hominibus benedicere, verùm etiam nascituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc mortalem vitam, & authoritate miraculi, & suæ præsentiâ Majestatis consecrare.

Hæc procul dubiò præstantissima est conjugii commendatio, etiamsi duntaxat spectes præclaras ipsius dotes intra naturæ cancellos, quatenus videlicet mortalitatis est subsidium, rerum publicarum salus, civitatum frequentia, & totius humanitatis ad posteros derivatio. Verùm aliud est in ipso majori commendatione dignum, & ingens laudum illius materies, quod videlicet symbolum sit fœderis, ac mystici conjugii, quô Chrystus D. Ecclesiam propriô sui sanguinis lavacrô repurgatam, & mundatam gloriosam sibi sponsam conjunxit; unde Apostolus Matrimonium dixit esse magnum Sacramentum in Christo, & in Ecclesia. Habet equidem id sibi cum aliis novæ legis Sacramentis commune commercium, ut signum sit practicum & efficax gratiæ sanctificantis; sed in eo cætera Sacramenta superat, & antecedit, quòd mysticâ suâ significatione præclarum sit symbolum connubii Christi cum Ecclesia, virtute cuius in Dei filios adoptamur, & ad cœlestem ac divinam hæreditatem destinamur.

Nec minora certè sunt Sacramenti Ordinis *encomia; enimverò si apud barbaras quasque gentes Sacerdotium in summo semper honore habitum fuerit, & eam dignitatem supra cæteros mortales ita extollerent, ut iisdem vestibus Sacerdotem induerent, quibus sua Numina repræsentabant, quatenus Sacerdotes diis quàm simillimi, omnium sibi amorem & reverentiam conciliarent; quantò magis faciendum est Sacerdotium Christianæ Religionis, quô non inanibus diis, ac ementitis Numinibus litatur; sed ipsemet Dei filius incruentô Sacrificiô, æterno Patri diebus singulis tanquam Agnus innocens immolatur? Unde meritò Iustinus Martyr epist. ad Smyrnenses,* Sacerdotium omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apicem *dixit: quamquam enim regia dignitas & Maiestas plurimi fiat ab hominibus, ipsam longè antecedit Sacerdotalis dignitas & reverentia, ut præclarè docet S. Chrysostomus homil. 5. in caput 6. Isaiæ:* Sacerdotium, *inquit*, principalius est, ipsô etiam regnô venerabilius ac majus. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas: si vis videre discrimen, expende modum potestatis utrique traditæ, videbis Sacerdotem multò sublimiùs Rege sedentem; quamquam enim nobis admirandus videatur regius thronus, ob gemmas; tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est: verùm Sacerdotis thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus rebus judicandi habet potestatem. *Quam utique veritatem luculenter explicat Antonius Abbas in Melissa serm. 3. de bonis Episcopis:* Tantò, *inquit*, est superius regnô Sacerdotium, quantum est inter spiritum & carnem intervallum. *Nec Sacerdotis dignitas regiam tantùm excellit, sed etiam Dei omnipotentiam æmulatur; nam, ut egregiè ait Theophilactus lib. de Sacerdotio:* Non erraverit quis, si Sacerdotium esse dixerit opificialem Dei potentiam. *Enimverò Sacerdotium substituit vicarias Dei vices dum perficit Sacramentum corporis & sanguinis Christi Dei, dum remittit peccata quod solius Dei elogium est. Unde præclarè scribit Petrus Damianus serm. 26. de dignitate Sacerdotii:* Consummatus honor hominem in terris positum cœlis imperitare. Præcedit Petri sententia sententiam Redemptoris; quia non quod Christus, hoc ligat Petrus; sed quod Petrus, hoc ligat Christus: judicat Petrus, & Petri judicia confirmat omnipotens, & est in manu Petri manus Altissimi.

Quamquam

Quamquam autem Apostolus dixerit; Non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale *: quibus admoneri videmur priùs de Matrimonii, quàm de Ordinis Sacramento sermonem esse faciendum; nihilominus quoniam, ut rectè notat Catechismus Romanus num. 10.* alia Sacramenta ab Ordinis Sacramento ita pendent, ut sine illo partim confici, & administrari nullomodò queant; partim solemni cæremoniâ, & religiosô quôdam ritu ac cultu carere videantur; *idcircò priùs de Ordine, quàm de Matrimonio hoc in Tractatu sumus acturi.*

DISPVTATIO PRIMA.

De Sacramento Ordinis.

Præclara Ordinis commendatio. QUANTA sit Ordinis utilitas & excellentia, inter cæteros, præclarissimè explicat S. Gregorius Nazianzenus orat. 26. eùm ait: *Ordo omnia constituit, & colligavit: ordo cœlestia & terrestria continet: ordo in his, quæ ratione & animô intelliguntur, locum habet: ordo in anni partibus & temporibus aptè & distinctè, tum progredientibus, tum recedentibus: ordo in diei & noctis mensuris atque intervallis: ordo in elementis ex quibus corpora constant: ordo cœlum in orbem duxit, aërem exporrexit, terram supposuit: ex ordine florente ac dominante hoc universum, κόσμος sive mundus & ornatus, & invicta quadam stabilisque pulchritudo.*

Variè usurpatur. 1. Pro habitudine unius rei ad aliam. Quoniam autem multiplex est, & prorsus ambigua vocabuli Ordinis significatio & usurpatio; æquivoca autem priùs distingui debeant, quàm definiri; idcirco, ut plenior, ac planior hujus vocabuli habeatur intelligentia. Observandum est, illud interdum significare respectum omnem, & habitudinem unius ad alterum, quô sensu Philosophi dicere solent, in relativis esse respectum, & essentialem ordinem subjecti ad terminum, potentiæ ad objectum, & causæ ad effectum.

2. Pro methodo tradendæ scientiæ. Plerumque etiam usurpatur *Ordo* pro methodo tradendæ doctrinæ, procedendo videlicet, vel analyticè, seu à toto ad partes; seu syntheticè, putà à partibus ad totum: onde S. Augustinus lib. 2. de Ordine cap. 5. præclarè ait: *Si quis temerè, ac sine ordine in disciplinarum & rerum cognitionem audet irruere, pro studioso illum curiosum, pro docto credulum, pro cauto incredulum fieri.*

3. Pro more & consuetudine. Nonnunquam etiam Ordo sumitur pro more, & consuetudine; quâ ratione Jurisperiti *extra ordinem* dicunt, quidquid fit sine verbis & formulis solemnibus, præter morem & consuetudinem.

4. Pro justa rerum ordinatione. Verùm omnes illæ, & similes Ordinis acceptiones, alienissimæ sunt à nostro instituto; idcirco ut propiùs in scopum collimemus, observandum est cum subtili Doctore in 4. dist. 24. nu. 3. Ordinis vocabulum trifariam accipi; primò quidem latissimè, pro rei cujuslibet congrua dispositione & ordinatione: quô sensu S. Augustinus lib. 19. de civitate Dei cap. 13. ostendens omnia pace conservari, pacem verò ordine, ait: *Ordo est parium, dispariumque rerum, sua cuique loca distribuens dispositio.* Hinc lib. 6. contra Faustum cap. 8. *Omnia, inquit, quæ naturaliter sunt in ordine suo, bona sunt, & nemo in eis peccat, nisi qui ordinem suum in Dei obedientia non custodiens, eorum quoque ordinem malè utendo perturbat.*

5. Pro gradu eminenti quô unus alteri præest. Secundò strictiùs sumitur ordo, pro eminenti grado, quem quisque inter cæteros occupat. Quô sensu olim apud Romanos Senatus appellari consueverat antiquissimos Ordo; quippe Senatores cæteris populis regendis, & moderandis præficiebantur: Porrò, inquit Doctor, *in Ecclesia, quæ est politia ordinata, congruè est ordo secundùm istam duplicem acceptionem; nam secundùm primam, tota Ecclesia est ordinata illâ congruâ dispositione parium & imparium uniuscujusque in suo loco. Secundò modò persona habens gradum eminentem in Ecclesia, dicitur habere ordinem: & licèt hæc duo signata ponant se mutuò; quia ubi est ordo primô modô in politia, ibi est gradus eminens, & ita ordo secundô modô: tamen hoc signum, & illud non idem, ut satis patet: sicut ergo loquimur de Ordine, hic accipitur pro secundo significato, non pro primo.* Tertiò denique ordo strictissimè, quantùm ad propositum, usurpatur pro electione & consecratione Ministrorum Ecclesiæ ad actum aliquem exercendum, circa corpus Christi verum, aut mysticum, idque proximè vel remotè.

6. Pro consecratione & destinatione ministrorum Ecclesiæ. In qua utique acceptione Ordo tria complectitur: *Primò* quidem statum ipsum gradumque Clericorum supra cæteros in Ecclesia eminentem: *Secundò*, potestatem, per quam illi constituuntur in statu expedito ad exercendos aliquos actus Ecclesiasticos, maximè circa administrationem Sacramentorum: *Tertiò* denique, ipsam ordinationem, sive actionem sacram, per quam accipiant hujusmodi potestatem; unde, inquit Doctor, Ordo de quo hîc loquimur, dici potest *gradus præeminens in Ecclesia, disponens ad aliquem actum Ecclesiasticum eminentem.* Et quia, ut subdit, specialiter actus eminentes in Ecclesia, sunt actus respicientes Sacramenta; ideo potest specialiùs dici, quod est *gradus disponens ad aliquem actum Sacramentalem.*

Disputationis distributio. De Ordine itaque sic usurpato, sermo erit tribus in sequentibus articulis: quorum *Primus* erit de ipso Ordinis Sacramento secundùm se: *Secundus*, de singulis Ordinibus in particulari: *Tertius*, de Ministro & Subjecto capaci ad conferendos & suscipiendos sacros Ordines.

ARTICULUS PRIMUS.

De Sacramento Ordinis in communi.

Quis sit hujus Articuli scopus.

CUM recta & solita tradendæ doctrinæ methodus, ac ratio postulet, ut ab universalioribus ad particularia procedatur, convenientissimum est, ut priusquam de singulis Ordinibus in particulari moveatur quæstio, nonnulla de Sacramento Ordinis in communi præmittamus, quibus videlicet hujus Sacramenti existentia, essentia ac distributio & partitio innotescat. Unde tria potissimùm hoc in articulo occurrunt determinanda: *Primum*, utrum in Ecclesia sit aliquis status & ordo, per quem Clerici à Laïcis secernantur: *Secundum*, utrum Sacramenti novæ legis dignitatem, & efficacitatem obtineat: *Tertium* denique, quot & quæ sint Ordinum species.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum in Ecclesia sit aliquis Ordo, virtute & ratione cujus Clerici à Laïcis distinguantur?

I. Reverà est ordo in Ecclesia quatenus justam rerum dispositioné significat.

NOtandum primò, ex Seraphico Doctore in 4. dist. 24. art. 2. quæst. 1. constantissimum esse, quòd in Ecclesia sit Ordo, seu ipsius membrorum inter se subordinatio. Idque necessarium est, *inquit*, duplici ratione, scilicet *propter plenitudinem*, & *propter rectitudinem*. Cùm enim sit magna multitudo in Ecclesia, nisi esset Ordo, manifesta appareret confusio, & hæc est multitudinis fœdatio. Unde omnis Sapiens, qui eò ipsò quòd sapiens est, pulchritudinis est amator, non producit multa sine ordine: & inter hæc maximè apparet sapientia Dei, quæ inter omnia opera sua manifestatur in constitutione Ecclesiæ. Necessarius est etiam ordo propter rectitudinem. Nam multitudo, cùm in statu est in quo deviare potest, errat si non habet ducem, nec rectorem, sicut dicitur: *Vidi cunctum Israël dispersum in montibus, sicut oves non habentes Pastorem.* Quoniam ergo multitudo Ecclesiæ est in statu, in quo potest deviare, indiget capite, & regimine: & cùm unus non possit omnibus sufficere, nec ad omnia: ideo oporter secundùm plus & minùs Ecclesiastica officia, & potestates distribuere, ut Ecclesia regatur, & dirigatur sine errore. *Ita Seraphicus Doctor.* Porrò hîc non est sermo de hujusmodi Ecclesiæ membrorum ordinatione inter se invicem; sed de Ordine Clericorum, eorumque à Laïcis distinctione, utrum videlicet in Ecclesia sit aliquis Ordo graduum & ministeriorum, secundùm quem Clerici Laïcis sint superiores, habeantque jus & potestatem eis administrandi res divinas, præsertim Sacramenta, maximè verò Eucharistiam, quæ est Sacramentorum omnium præstantissimum & maximum.

II. Quinam sint dicendi Clerici & unde.

Notandum secundò, ex Gratiano dist. 21. can. 1. generaliter Clericos nuncupari omnes, qui in Ecclesia Christi ex officio deserviunt, & divino cultui mancipantur: Clerici autem appellantur, quasi Domini sors & hæreditas, Κλῆρος enim Græcè, *sors* Latinè, vel *hæreditas* dicitur; *Propterea ergo*, inquit Rabanus de institutione Clericorum lib. 1. cap. 2. *Ecclesiæ Ministri dicti sunt*

A *Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent.* Cui præluserat sanctus Hieronymus epistolâ ad Nepotianum, ubi scribit: *Igitur Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolatâ, nitatur esse quod dicitur: si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere potest: quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratiâ: si au*B*rum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus, Dominus pars eius fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus: nec accepto partem inter cæteras Tribus, sed, quasi Levita, & Sacerdos, vivo de decimis, & alteri serviens, altaris oblatione sustentor: habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.* Huic non absimile argumentum ab eadem quoque nominis Ethymologia repetit S. Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 2. his verbis: *Cui Deus portio est, nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere: quod enim* C *ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur: hæc enim vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio charissimorum, ut suis etiam abneget, qui servire Deo gestit.* In idem conspirat B. Ivo Carnotensis serm. *de excellentia sacrorum Ordinum*, ubi *ait*: Nemo enim ad hoc debet fieri Clericus, ut serviat voluptati, studeat curiositati, militet ambitioni: nec aliud quærat, nisi ut Deum hæreditate possideat, quem elegit, & à quo electus est, quando in Clericum assumptus est. Hoc enim in Græco nomen Clerici sonat, quòd de sorte sit Domini, quia & Deus sortitus sit eum. Bene dicitur in Psalmo, in persona ipsius Clerici, cùm D stigmate Clericatûs insignitur. Dicitur enim Deo: *Dominus pars hæreditatis meæ*, & in alio Psalmo: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* Quòd verò Dominus sortitus sit ipsum Clericum, in ipsius Clerici tonsione, dicitur ex superiori Psalmo in persona Domini: *Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Unde qui per Clericatûs officium aliud quærit, quàm Deum, nec à Deo electus est, nec Deum elegit: qui in sorte sua creaturam Creatori aut præposuit, aut æquiparavit.

Cur autem hæreditas, sive portio hæreditaria, sortis nomine appelletur, ratio inde peti E potest, quòd hæreditas in plures sortes dividi consueverit, juxta illud Psalmi 71. *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.*

Quamvis autem Isidoro, Hispalensi non displiceat præfata nominis Clerici ethimologia, aliam tamen subministrat lib. 7. Originum, sive Ethymologiarum, cap. 12. ubi Ecclesiæ Ministros idcirco *Clericos* appellatos existimat, quòd S. Matthias, qui primus ab Apostolis in Ecclesiasticum Ordinem adscitus est, sorte fuerit electus, ut refertur Actuum cap. 1. Quam etiam interpretationem probat S. Augustinus in Psalmum 62. ubi ait: *Clerus sors dicitur Græcè: & sortes ex promissione Dei; partes hæreditatis vocantur, quæ populo*

sunt distributa: Unde Tribus Levi praecepta est non habere sortem inter Fratres suos, quod ex eorum decimis sustentaretur: Nam & Cleros & Clericos hic appellatos puto, qui sicut in Ecclesiastici ministerii gradibus ordinati: quia Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum.

III. Statum ac gradum Ecclesiae ministrorum apertè non insectantur haeretici.

Notandum tertiò, quòd etsi hujus saeculi Novatores, *Lutherani* videlicet & *Calvinistae* distinctè affirmare non audeant, annuntiationem Evangelii, & Sacramentorum administrationem ad omnes promiscuè fideles ex aequo pertinere, quemadmodum disertè profitetur Kemnitius in esamine Concilii Tridentini ad cap. 2. & can. 2. sess. 23. ubi ait. *Neque se, neque suos, nempe Lutheranos damnare distributionem illorum graduum Ecclesiasticorum, qualis fuit in Apostolica lege; suosque hujusmodi distributione uti pro ratione necessitatis & aedificationis admittere.* Quod pariter apertè docet Calvinus lib. 4. institut c. 3. n. 2. ubi ostendit hominum ministerium, quô Deus in gubernanda Ecclesia utitur, praecipuum esse nervum, quô fideles in uno corpore cohaereant: Tum verò etiam indicat, non aliter incolumem servari Ecclesiam posse, quàm si his praesidiis fulciatur, in quibus salutem ejus reponere Domino placuit. Tandem colligit: *Ecclesiae ergo diu passionem, vel ruinam potius, & exitium molitur quisquis ordinem hunc, de quo disputamus, & hoc genus regiminis, vel abolere studet, vel quasi minùs necessarium elevat: neque enim vel Solis lumen ac calor, vel cibus ac potus tam sunt praesenti vitae fovendae, ac sustinendae necessaria, quàm est conservandae in terris Ecclesiae Apostolicum ac Pastorale munus.*

IV. Nihilominus eos à Laïcis absolutè non distinguunt.

Tametsi, inquam, illi haeretici affirmare non audeant quibuslibet fidelibus licitum esse Sacramenta ministrare, & Dei verbum annuntiare; attamen quia eorum haereses maximè ab odio Clericalis Ordinis, & nimia in Laïcos, quorum favorem ambiebant, assentatione, exortae sunt: hinc est, quòd ita sibi temperare non potuerint, quin multa effutierint contra ejusmodi praerogativam & distinctionem Ecclesiae Ministrorum a Laicis, quasi inter eos nihil esset discriminis; aut siquid sit, totum pendeat ab hominum nutu & arbitrio. Contendunt enim omnes Christianos, aequaliter Sacerdotes esse; vel certè potestatem Ordinis non aliter conferri, quàm per legitimam ad tale ministerium & officium Ecclesiasticum deputationem, quae per amotionem ab ejusmodi officio amittatur; unde Lutherus de abroganda Missa privata, expendens illud 1. Petri 5. *Non dominantes in Cleris*, significat, id non debere intelligi, sicut vertit vulgatus Scripturae Interpres, de eis, *quos*, inquit, *nunc à Laicis discrevit impia hominum Traditio.* Et paulò pòst addit Ecclesiasticam Hierarchiam (in qua constituuntur summus Sacerdos, deinde Episcopi, postmodum Sacerdotes, tandem inferiores Clerici) esse similem Gentilitiae constitutioni de Sacerdoribus Jovis, Veneris & Saturni. Demum addit: *Hoc dixisse consensi sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla Secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus unctus, nullus rasus, nullus Monachus esse debeat, sed tantùm praedicantes.* Similiter Calvinus cap. 4. n. 9. cùm dixisset; omnes eos, qui ad debitè obeundum munus Ecclesiasticum formabantur, generali nomine appellatos fuisse Clericos, statim subdit: *Vellem equidem aliud nomen magis proprium inditum illis fuisse, hac enim appellatio ex errore, vel certè prava affectione nata est: cùm tota*

Et Clerici nomen insectantur

Ecclesia Clerus, id est, haereditas Domini à Petro dicatur. Itaque adversus hos omnes Errores statuenda est, & probanda sequens

Conclusio Unica.

V. Clerici à Laïcis statu & gradu distinguuntur.

Necessariò admittendus est, & reverà existit in Ecclesia Ordo, sive ordinatio graduum & Ministeriorum Ecclesiasticorum, secundum quos Clerici Laicis sunt superiores, eisque administrare possunt, ac debent res divinas, putà Dei verbum, & Sacramenta. Haec est de fide determinata in Concilio Trident. sess. 23. cap. 4. his verbis: *Sancta Synodus damnat eorum sententiam qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes, temporariam tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinatos iterum Laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.* Hinc can. 1. anathema dixit in eum, qui dixerit: *Non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum corpus & sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, sed officium tantùm & nudum ministerium praedicandi Evangelium; vel eos, qui non praedicant, non esse Sacerdotes.* Et can. 2. *Siquis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

VI. Et colligitur ex Scriptura sacra.

Probatur autem haec Catholica veritas: Primò quidem ex Scriptura sacra, quae pluries meminit Ecclesiae Ministrorum, quos Christus fidelibus regendis praefecit, & solemni ritu ordinavit ac consecravit. Sic *Ioan.* 20. refertur, qualiter Christus insufflans in Apostolos contulerit eis Spiritum sanctum cum potestate remittendi, & retinendi peccata. Similiter *Act.* 13. & 1. ad Timoth. 4. fit mentio impositionis manuum, quâ tum Paulus & Barnabas ab Apostolis, tum etiam Timotheus ipse à Paulo, ordinati sunt in Evangelii Praecones, & in Ecclesiae Pastores & Praefectos. Idipsum luculenter significat Apostolus *Actor.* 20. ubi majores natu Ecclesiae apud Ephesum sic alloquitur: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*; id est, Sacramentorum, ut explicat Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. & 2. ad Corinth. 3. *Idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti.* Quae omnia luculenter significant ordinationem, & divinam institutionem, quâ quidam Christianae Religionis Antistites, & Ministri populo Dei praeficiuntur, ut ejus saluti procurandae sedulò invigilent.

1. Quia indicat aliquos esse constitutos divini cultûs ministros.

Id etiam confirmat, quod ipsemet Apostolus de seipso refert Rom. 1. cùm ait, se Apostolum *segregatum in Evangelium Christi*: his enim verbis alludit ad ea, quae *Actor.* 13. referuntur, nempè quòd Spiritus sanctus Ecclesiae Ministris, qui erant Antiochiae, dixit: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos: tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Quibus utique verbis significatur, eos, qui solemni ritu per impositionem manuum ordinati sunt, non esse amplius inter Laïcos computandos, sed ab eis segregatos, ut à civilibus, & saecularibus negotiis & officiis sepositi, divino cultui ac ministerio duntaxat mancipentur, ut ipsemet Apostolus luculenter & disertè explicat, cùm ait ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, constitui-*

2. Illos fuisse solemni ritu consecratos.

tur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Quid enim aliud est, Pontificem ab hominibus esse assumptum, nisi sejunctum à populi classe, ut videlicet cæteris de Christi grege fidelibus dignitate & officio præsit, eisque ad salutem necessaria conciliet?

Eandem veritatem rursus indicat, & confirmat Apostolus iis omnibus in locis, in quibus Ecclesiam assimilat corpori variis membris constanti, in quibus optima apparet distinctio, & subordinatio. Sic ad Rom. 12. *Sicut in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Unde colligit: *Habentes autem donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes; sive Prophetiam secundùm rationem fidei. sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine.* Quibus significat, varia esse Ecclesiæ membrorum, sicut & corporis naturalis munia; ita quòd alia tanquam capita præsint, alia veluti linguæ doceant, alia tanquam manus ministrent. Quod egregiè confirmat 1. ad Corinth. 12. ubi cùm dixisset: *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi:* statim subdit: *Nam & corpus non est unum membrum, sed multa: si dixerit pes; quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus; ubi est auditus? si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra unum quodque eorum in corpore, sicut voluit. Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus?* Ex quibus infert: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli, &c.*

3. In Ecclesiæ corpore esse membrorum distinctionē & subordinationem significat Apostolus.

Quibus consonat id, quod habet ad Ephes. 4. ubi de Christo D. sic loquitur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, quosdam autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, &c.* Ubi nomine Pastoris, Sacerdotes intelligit, qui Sacramentorum administratione, & Evangelii prædicatione, tanquam cœlesti pabulô, cætera Ecclesiæ membra, quibus veluti capita præficiuntur, pascant & enutriant. Quamobrem signanter non dicit Apostolus: *Alios Pastores, alios Doctores, sed, alios Pastores & Doctores*; quippe iidem debent esse Pastores & Doctores: Nam, ut ait sanctus Hieronymus: *Nemo, quantumvis sanctus sit, Pastoris nomen sibi assumere præsumat, nisi docere possit. quos pascit.* Ex quibus Concilium Tridentinum sess. 23 cap. 4. legitimè infert: *Quod si quis omnes Christianos promiscuè novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere; perinde ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes sint Doctores.*

VII.
Idem constat ex receptissima apud omnes nationes constitutione.

Probatur secundò eadem veritas, ex receptissima apud qualcunque nationes alicujus numinis cultrices, constitutione, ac consuetudine, apud quas vel ipsô naturæ instinctu semper fuerunt aliqui à populo segreges, qui Sacerdotii munere fungerentur. Sic ante legem Moysi consignatam in monte Sinaï, ut communis fert Hebræorum sententia, quam approbat sanctus Hieronymus in quæstionibus Hebraïcis, familiarum patres & capita, Sacerdotum munere fungebantur; quamquam enim, ut notat Abulensis in cap. 13. Genes. quæst. 10. & in cap. 26. qu. 6. quicunque ante legem Mosaycam sacrificare posset, & Sacerdotium exercere; unde Abel, licèt minor natu, sacrificasse legitur, sicut & Cain; nihilominus non omnes indiscriminatim hôc munere fungebantur; sed huic obeundo ministerio, vel majores natu destinabantur: vel si eô propter scelera erant indigni, alii ex eadem familia ad id munus destinabantur: quemadmodum reprobatô Caïnô, acceptum est & probatum Abelis Sacrificium. Unde etiam apud Ethnicos semper aliqui fuerunt à reliqua plebe secreti, qui Sacerdotii functionibus intenderent; quemadmodum observat Aristoteles *lib. 7. Politicorum cap. 7.* ubi Sacerdotes tanquam Reipublicæ membra à reliquis distincta, & necessaria recenset.

Verùm illa procurandæ & excolendæ Religionis avita sedulitas excrevit quam maximè per legem Mosaycam, in qua Levitica Tribus ex omni Israëlitico populo destinata fuit à Deo, quæ sacris peragendis inserviret, itaut nemo tunc temporis, nisi ex illa Tribu oriundus, idque per lineam paternam, inservire posset divinis ministeriis; imò nec incensum offerre Deo. Hinc, ut legimus 2. Paralipomenon cap. 26. Rex Ozias repentinâ leprâ percussus fuit, quòd incensum adolere fuisset ausus, cùm ex Tribu Levitica non esset oriundus. Quâ ratione etiam Dathan & Abiron disruptâ terrâ vivi sunt absorpti, ut refertur *Nu.* 26. quòd, cùm non essent de Tribu Levitica; nihilominus ausu temerariô incensum coram Domino adolere attentassent. Quæ cùm ita sint, nemo est qui non videat potiori jure in Evangelica lege, quæ omnium est præstantissima, admittendos esse sacros Ministros, à cæteris Ecclesiæ membris distinctos, qui divino cultui mancipentur. Nam, inquit Apostolus 2. ad Cor. 3. *Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus. fuit in gloria; quomodo non magis ministratio Spiritûs erit in gloria?* hoc est, si inferioris legis Sacerdotes ac Ministri tantam in suo gradu ac dignitate stabilitatem sunt adepti, quantò magis qui melius ministerium sortiti sunt, potiori honoris privilegiô sunt illustrandi, & à populi grege separandi, ut soli Deo famulentur?

VIII.
Ab Ecclesiæ nascentis exordio sacra ministeria Laïcis fuerunt interdicta.

Hinc est, quòd Ecclesia semper statuerit Clericos à Laïcis tum gradu, tum ordinatione, & honore esse sejungendos, ut videre est tum in Canonibus Apostolorum, tum in Constitutionibus Apostolicis apud sanctum Clementem Romanum Pontificem, maximè libro 2. nec-non apud vetustissimos Ecclesiæ Patres, putà S. Dionysium libro de Ecclesiastica Hierarchia; nec-non & in epistola ad Demophilum: sed præcipuè apud Tertullianum lib. de præscriptionibus, c. 41. ubi hæreticorum sui temporis mores referens, eos maximè culpat, quòd sacra ministeria indiscriminatim Laïcis, imò & mulieribus concedant: *Ipsæ mulieres hæreticæ*, inquit, *quàm procaces, quæ audeant*

docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc Neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, ut gloriâ eos obligent, quia veritate non possunt: Nusquam faciliùs proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est: itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus: nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt. Eòdem pertinent illa, quæ habet lib. de exhortatione ad castitatem cap. 7. ubi scribit: *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ authoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus à Deo:* ubi significat Ordinem esse divinæ institutionis, & Cleri à plebe differentiam à Deo sancitam & Ecclesiasticâ lege fitmatam.

IX. Idque ex institutione Christi D. Ei præiverat S. Dionysius Areopagita lib. de cœlesti Hierarchia cap. 5. dicens: *Quin imò divinus ille ac primus Ordinis nostri collator (hoc enim munus sibi Iesus benignissimus in nostri gratiam assumpsit) non semetipsum clarificavit, ut eloquia testantur, sed qui locutus est ad eum; Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Quapropter ipse dum ad Ordinem sacerdotii discipulos promovebat, tametsi ut Deus consecrationis auctor existeret, simul tamen ad sanctissimum suum Patrem & spiritum Dei principalem præcipuum sacrosanctæ consecrationis munus referebat, præcipiens discipulis, ut eloquia sacra testantur,* AB HIEROSOLYMIS NE DISCEDERENT, SED EXPECTARENT PROMISSIONEM PATRIS, QUAM AUDISTIS, INQUIT, PER OS MEUM, QUIA VOS BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTÔ. *Quin & Princeps Apostolorum, unà cum coæquali sibi ac Pontificali decade ad sacrum illum duodenarium Discipulorum numerum implendum congregatus, summa divinitati electionis munus reverenter cessit, cùm ait:* OSTENDE QUEM ELEGERIS; *eumque quem divina sors designaverat sacrô illi duodenario Hierarchico annumeravit, cùm ait de divina illa sorte, quæ divinitus super Matthiam cecidit, alii ab aliis, meô quidem judiciô, non rectè diversa senserint, meam ipse sententiam exponam. Mihi enim videtur Scriptura sortem appellare divinum illud munus, quô declarabatur choro Hierarchico, quisnam divinô suffragiô electus erat: siquidem divinus Pontifex nequaquam motu propriô sacros Ordines conferre debet, sed, ut decet Pontificem, eosdem instinctu Dei divinitus celebrare.*

Constat tandem hæc veritas, ac firmatur *ipsâ ratione Theologicâ*; convenientissimum enim fuit, imò aliquâ ratione necessarium, Ordinem in Ecclesia stabiliri, quô quidam Ministri constituerentur, & præficerentur, cultui Deo debito ritè exhibendo; si enim Principes quique summi aliquos sibi adsciscunt Mioifttos, qui variis modis ipsis inserviant, quantò magis conveniens fuit aliquos esse in Ecclesia Dei institutos Ministros, quibus ex officio uni Deo servire incumbat? Cùm enim Deo debeantur omnia; nectamen unusquisque propter varia hujus vitæ negotia & impedimenta, debitam ei gratitudinem & venerationem possit rependere, convenientissimum fuit; imò summè necessarium, aliquos è populo seligi, ac destinari, qui ad impendendum debitum Deo cultum, ex sui statûs obligatione & institutione intenderent.

X. Idque convenientissimum esse ratio demonstrat. *Deinde*, ea est divinæ providentiæ institutio, ut infima per suprema gubernentur, & administrentur, quamobrem in omni Republica, seu Politia necesse est, ut sit caput aliquod, sint etiam membra quædam digniora, quorum sapientiâ & prudentiâ populus regatur: nam, ut dicitur Proverb. 11. *Vbi non est gubernator, populus corruet*; itaque conveniens erat, ut in Ecclesia quidam propter statûs dignitatem & sanctitatem Deo propinquiores & similiores, cæteris expurgandis & sanctificandis, ac ad Deum dirigendis invigilarent.

Quam utique rationem præclarè expendit S. Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. ubi cùm dixisset, Hierarchiam tripliciter posse dividi: *Primò*, in mysteria; *Secundò*, in divinorum mysteriorum administros ac Sacerdotes; *Tertiò*, in eos qui ab his ad sacra promoventur: Et insuper tres distinxisset Hierarchiæ Ecclesiasticæ functiones, quarum *Prima* est expiatio; *Secunda*, capiatorum illuminatio; *Tertia*, utrorumque completa perfectio, quarum prima fit à Diaconis, per Catechesim & Baptismum: secunda à Sacerdotibus, per Eucharistiæ participationem: tertia ab Episcopis per Sacramenti Confirmationis collationem. Hæc, inquam, cùm dixisset, ostendit necessariò admittendam esse subordinationem in Hierarchia; ita quòd inferiores à superioribus ad Deum dirigantur: Lex, *inquit* §. 4. hæc est sacro-sancta summæ Deitatis, ut per prima, quæ sequuntur ad divinissimam ejus lucem adducantur. An non sensibiles quoque substantias elementorum cernimus primùm ad ea, quæ ipsis magis cognata sunt, accedere, ac per illa deinde efficacitatem suam ad alia derivare? Meritò igitur omnis cùm invisibilis, tum visibilis distinctionis initium, ac sedes ad eos, qui Deiformiores sunt, deificos suos radios permittit pervenire, atque per illos, utpote limpidiores spiritus, & ad participandum traducendumque lumen magis idoneos, inferioribus pro illorum capacitate illucescit & apparet. Istorum igitur est, qui primi Deum cernunt, sequentibus sine inedia, pro modulo cujusque, sibi sacro-sanctè perspecta divina spectacula insinuare: docere etiam ea, quæ Hierarchiæ propria sunt, eorum est, qui cum perficiente scientia divina, quæque sacri sui Ordinis mysteria probè sunt edocti, consummatamque docendi alios virtutem acceperunt: Sacramenta verò pro dignitate tradere illorum est, qui scitè atque integrè Sacerdotalis imitationis participes existunt. *Hæc S. Dionysius.*

Objicies primò: Si aliqui censendi essent specialiter ad res sacras & divinas administrandas destinati, è fidelium gregè sejuncti, maximè qui ab antiquis Patribus Clerici nominantur: sed hæc appellatio, & omnium dignitas, non aliquibus privatis, sed toti fidelium communitati convenit. Probatur. Illis omnibus Clerici appellatio tribuitur, quibus præsunt Episcopi, ut constat ex illo 1. Petri 5. ubi S. Apostolus Episcopos alloquens, ait: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coactè, sed spontaneè, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo: & cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam:* Igitur nomine *Cleri* S. Apostolus intelligit ipsam Dominici gregis portionem, quæ pascenda & regenda Episcopis committitur, quemadmodum etiam interpretatur S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Esaiam orat. 3. nec-non & venerabilis Beda, ac plurimi ex recentioribus cum Cajetano, Vatablo, Gagnæo; unde etiam Syrus Interpres pro *Cleris*, hôc loco *gregem* scripsit,

Quòd pariter satis ostendit adversativa particula, dum ait: *Sed forma facti gregis*; Episcopus enim probitate morum & sanctitate non solùm Clericis, sed etiam toti fidelium gregi sibi commisso prælucere debet ad formam & exemplum.

XI. Clerici nomine non significatur tota Ecclesia.

Respondeo cum S. Hieronymo epist. ad Nepotianum eô locô, *Cleri* nomine ooiversam Ecclesiam noo significari, sed eos duntaxat, qui *Clerici* propriè dicuntur; licèt enim non solùm Clericis, sed etiam Laïcis Episcopi exemplô virtutis prælucere debeant; attamen quia erat periculum tantò majus, ne Clericis dominari velint Episcopi potius, quàm Laïcis, qoantò Clerici ex sua professione, & Ecclesiæ constitutiooe ac ordinatione Episcopis subjici debent, & obsequi magis, quàm Laici; ideo S. Petrus Episcopos monet, ut sibi commissum gregem tantâ vigilantiâ & pietate pascant verbô & exemplô, ut Laicis non sint in offendiculum per turpis lucri cupidinem, Clericis verò per dominationis appetitum. Quæ utique expositio genuina videtur, & omnino cooveniens menti & intentioni Apostoli.

Nisi duntaxat analogicè & impropriè.

Respondeo secundò, quòd etiamsi (ut volunt Hæretici) Cleri nomine eô locô S. Petrus universam Ecclesiam intellexerit, & fidelium cœtum, qui cùm sit populus acquisitionis, quem Christus sanguine suô acquisivit, & mundavit, etiam Clerus seu sors & hæreditas Domini potest appellari; attamen negari non potest, quin ex omoibus Christianis Sacerdotes, & Clerici ratione magis convenienti & propriâ, hæreditas & sors Domini dicenda sit, utpote qui speciali ordinatione mancipentur ad res sacras, & divinum cultum exercendum; eô modô quô gens Judaica, licèt comparatè ad alias Nationes passim dicatur hæreditas Domini in libris Prophetarum, eò quòd ipsam Jesus D. selegisset in peculiarem populum, & ab Ægypti captivitate liberasset; attamen sola Tribus Levitica, quæ rebus sacris administrandis erat destinata, specialiter Domini hæreditas, & sors appellatur: quemadmodum & ipse Dominus eorum hæreditas & portio, juxta illud Num. 8. ubi Dominus loquens ad Aaron, & filios ejus: *In terra filiorum Israël nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israël.*

Objicies secundò: Ubicumque est Ordo, ibi est distinctio: sed in Ecclesia non est distinctio, nec discretio uoius fidelis ab alio, juxta illud ad Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis; non est Iudæus, neque Græcus; non est servus, neque liber: non est masculus, neque fœmina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu*: igitur, &c.

XII. Qualis inter fideles sit distinctio.

Distinguo minorem: Inter fideles non est distinctio coram Deo, quantùm ad justificationem, & morum probitatem, quippe cùm omnes in Christo per Baptismum renati, vitæ sanctitate Christum induere, & illum, referre debeant, concedo: non est distinctio, quantùm ad potestatem conficiendi, & administrandi res sacras; ita quòd hæc facultas ex æquo omoibus fidelibus convenire possit, nego. Nec aliud certè intendit Apostolus; oon enim eô locô excludit distinctionem sexuum, nationum, & conditionum: sed tantùm quòd ista non cooferant ad sanctitatem, & adoptionem filiorum Dei, quæ maximè fit per fidem vivam, & charitate formatam. Quod utique perspicuum fit ex serie contextûs Apostoli; ibi namque demonstrat in negotio justificationis, A seu justitiæ per Christum comparandæ, nullam haberi rationem, utrum aliquis sit Judæus, aut Græcus, servus, aut liber; masculus, aut fœmina: ita quòd ad adoptionem filiorum Dei non obsit servitus, nec prosit libertas; oec ulla conditio, nullusve sexus ad id quidquam conducit, sed solùm fides, quæ per dilectionem operatur.

Objicies tertiò: Ubi est Ordo, debet esse subordinatio inferioris ad superiorem: sed in Ecclesia nulla est talis subordinatio, nec dominatio unius in alium: omnis enim prælatio & superioritas Apostolis, & fidelibus prohibetur à Christo, his verbis Matth. 20. *Principes Gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem* B *exercent in eos: non ita erit inter vos; sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit Minister vester.* Et Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Igitur in Ecclesia non debet esse dominatio, nec subjectio; ac subinde nec Ordo, quô aliqui cæteris præficiantur.

XIII. Christus prohibet dominationis abusum, non autem usum.

Nego minorem, & ejus probationem distinguo: illis Christi verbis interdicitur omnis prælatio & subjectio apud fideles, quantùm ad exercitium, & usum imperii in alios, nego: quantùm ad abusum, & animi elationem, ac dominandi cupidinem, concedo: Nec aliud certè voluit Christus D. quemadmodum facilè colligitur ex ipso textu, & C motivo cur hæc verba protulerit; siquidem hæc dixit ad restænandam Apostolorum elationem & contentionem: nam cùm inter Apostolos facta esset *contentio, quis eorum videretur esse major*; ut eam animi superbiam radicitùs evelleret, statim reposuit Christus Dominus: *Reges Gentium*, &c. Quibus utique verbis non prohibet prælationem & superioritatem; imò etiam eam supponit; ait enim: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*: Igitur reverà supponit inter discipulos & fideles aliquos esse præpositos, alios verò subditos. Itaque vult quòd qui reverà major est, atque aliis præficitur, de- D bet non fictâ animi demissione minor fieri; imò & aliis se Ministrum exhibere omni charitatis & pietatis officiô. Non damnat itaque in suis prælationem; quippe cùm Ecclesiæ suæ præfecerit quosdam quidem Apostolos, alios Pastores & Doctores in opus ministerii, sed prælationis ostentationem, & omnem dominandi affectum; qui enim in Ecclesia præsunt, nen debent cæteris dominari, tanquam Domini servis, & principes subditis, ad propriam utilitatem, & ad imperii ostentationem, sed tanquam ovibus Pastores, ac Ministri subditis; neque enim potestatem habent in bonum proprium, sed in bonum totius Reipublicæ Christianæ.

XIV. Differentia Clericorum à Laïcis est divinitus sancita.

Objicies quartò: Si aliqua esset in Ecclesia sub- E ordinatio inferioris ad superiorem, authoritate divinâ esset constituta; omnis enim potestas à Deo est; sed illa quæcunque sit inter fideles ad res sacras obeundas destinatio, non est divinitùs constituta: nam, ut suprà dicebat Tertullianus cap. 7. lib. ad exhortatione de castitatem: *Differentiam inter Ordinem & plebem constituit Ecclesiæ authoritas*, &c. igitur. &c.

Respondeo negando minorem, & ad Tertullianum dico, quòd etsi eô locô videatur significare, lege duntaxat humanâ, & jure tantùm Ecclesiasticô constitutam fuisse Ordinis à plebe, & Clericorum à Laicis distinctionem atque differentiam: attamen ea, quæ ibidem immediatè subjun-

git, nempe *& honor per Ordinis concessum sanctificatus à Deo*. Clericalis Ordinis à Laicis differentiam à Deo factam fuisse: quæ differentia insuper lege humanâ & Ecclesiasticâ, variis Ecclesiæ canonibus & sanctionibus stabilita est & distinctiùs explicata.

Instabis: Tertullianus ibidem non obscurè significat, nullam lege divinâ esse differentiam inter Clerum & plebem; quippe cùm in casu necessitatis omnia Laïcus præstare potest, quæ Sacerdos; nam post laudata verba statim subjungit: *Vbi Ecclesiastici Ordinis est consessus; & offers, & tinguis Sacerdos, qui est ibi solus. Sed & ubi tres, Ecclesia est; licèt laici: unusquisque enim de sua fide vivit. Nec est personarum acceptio apud Deum*, B *quoniam non auditores legis justificabuntur à Deo, sed factores, secundùm quod & Apostolus dicit: Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est habeas, oportet etiam disciplinam Sacerdotis necesse sit habere jus Sacerdotis. Digamus tinguis, digamus offers: quantò magis laïco dicat, quod ad salutem erit agere pro Sacerdote. Quàm ipsi Sacerdoti dicitur, qui eò factò communicatur actione Sacerdotis. Sed necessitati, inquis, indulseris. Nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse necessitas.* Igitur ex mente Tertulliani nulla est inter Clerum & plebem differentia ex institutione divina.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico *primo*, ea quæ habet in libris de Exhortatione, non esse magnæ authoritatis; cùm enim hæc scriberet, jam defecerat ab Ecclesia & infectus erat errore Montani, qui docebat Christi Sacerdotium ad

XV. Quæ fuerit Tertulliani sententia de distinctione Clericorum à Laïcis.

omnes fideles ex æquo pertinere, ut observat S. Epiphanius hæresi 59. agens de Sectatoribus Montani, qui se *catharos*, idest, *puros* nominabant. Nil igitur mirum, si Tertullianus postquam eorum hæreticorum erroribus adhæsit, quædam effutierit, quæ contra veritatem Catholicam non modò pugnant, sed etiam contra ea, quæ tam disertè scripserat lib. *de Præscriptionibus cap.* 41. adversus eos, qui Hierarchiam, & differentiam Cleri à Laicis insectabantur.

Dico secundò: quòd cùm Tertullianus eô locô, nec-non & alibi, Laïcos etiam esse Sacerdotes ait, non loquatur ex propria mente & sententia, sed ex sententia eorum, contra quos agebat; argumentô videlicet ad hominem; datô nimirum, sed non concessô, quod ab aliis vulgò jactabatur, ut inde probaret laicos omnes teneri ad eandem cum veris & propriè dictis Sacerdotibus Monogamiæ legem atque disciplinam. Quod utique evidenter colligitur ex cap. 12. lib. *de Monogamia*, ubi idem tractans argumentum, ait: *Audi & subtilissimam è contrario argumentationem. Adeo, inquiunt, permisit Apostolus iterare connubium, ut solos qui sunt Clero. Monogamiæ jugô adstrinxerit. Quod enim* E *quibusdam præscribit, id non omnibus præscribit.* Cui objectioni sic respondet: *Nunquid ergo, & quod omnibus præcipit, solis Episcopis non præscribit: si quod Episcopis præscribit non & omnibus præcipit? An ideo omnibus, quia & Episcopis? Et ideo Episcopis, quia & omnibus? Vnde enim Episcopi, & Clerus, nonne de omnibus? Si non omnes Monogamiæ tenentur, unde Monogami in Clerum? At Ordo aliquis seorsum debebit institui Monogamorum, de quo allectio fiat in Clerum? Sed cùm extollimur & inflamur adversus Clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes; quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit*, &c.

Quibus verbis, ut apparet, Tertullianus non existimat omnes omninò fideles esse verè ac pro- A priè dictos Sacerdotes, sed tantùm analogicè, quatenus videlicet omnes destinantur ad offerenda Deo sacrificia spiritualia in sincera precum oblatione, corporis mortificatione, & humiliati cordis gemitu: & insuper Sacerdotes & Clerici fiunt ex Laicis.

Vide quæ jam diximus *pag.* 562. explicando eundem Tertulliani locum.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrum Ordo sit unum ex septem Sacramentis novæ legis?

NOtandum *primò*, ex subtili Doctore Ordinem considerari posse duobus modis: *Primò*, pro ipso gradu seu potestate, quâ quis constituitur in officio & dignitate Ecclesiæ Ministri; & non solùm à Laicis, sed etiam à cæteris Clericis, ac Ecclesiasticis Ministris distinguitur: *Secundò*, pro ordinatione, seu collatione hujus gradûs, seu pro actione, quâ quis dignitatem ac authoritatem obtinet sibi commissum sacrum ministerium exequendi. Priori modô, inquit Doctor dist. 24. n. 8. *Ordo non est Sacramentum, quia omne Sacramentum est signum sensibile: Ordo autem quidam gradus est spiritualis; tamen accipiendo Sacramentum pro signo invisibili, sicut aliquid dicitur res & Sacra-* C *mentum: hoc modò potest dici Sacramentum; quia est signum convenientis gradûs executioni actûs debiti illi gradui: & etiam signum illius actûs convenientis tali gradui.* Quibus verbis Doctor significat Ordinem sumptum pro gradu seu charactere, non esse Sacramentum propriè dictum; sed potius rem, seu effectum Sacramenti; unde hîc potissimùm sermo erit de Sacramento, juxta posteriorem acceptionem, videlicet pro actione sacra, quâ quis à Superiore constituitur in gradu Ecclesiastico ad sacra ministeria obeunda.

I. Ordo considerari potest duobus modis, nempe vel pro Ordine, vel pro Ordinatione.

Nec obstat quòd Sotus *dist.* 24. *art.* 1. asserat distinctionem illam inter *Ordinem & Ordinationem* esse gratis inventam. Licèt enim (*inquit Hiquæus in Commentario ad dist.* 24. *num.* 83.) Ordo D juxta consuetudinem præsentem, sumatur pro ipsa Ordinatione, appellatione causæ per effectum: tamen in propria locutione, Ordo designat potestatem traditam per Sacramentum, & gradum, quô constituitur quis in gradu eminenti in Ecclesia, ad ministerium Sacramentale. Ordinatio verò significat collationem illius dignitatis per Sacramentum sensibile, seu ipsum Sacramentum in usu: & sic vocant antiqui Patres collationem gradûs, Ordinationem, non Ordinem; ita Zephirinus Papa epist. 1. Author Comment. in epist. ad Timoth. cap. 4. inter opera Ambrosii, Hieronymi, & Augustini Innocentius, Leo Magnus, Gelasius, Braccharense II. citati. Primasius in 1. ad Timoth. cap. 5 Et insuper appellatio, quæ Græcis etiam est in usu, *manuum impositionis*, quæ ex Scriptura est, eandem proportionem servat, appellando mysterium ab actione per quam potestas datur: non gratis ergo distinctio præmissa adducitur, quam vel ratio ipsius Soti comprobat: nam si in materia & forma sensibili consistit significatio, & efficacia Sacramentalis, effectus verò, seu res collata in potestate, & gratia debent propriis appellationibus discerni. *Ita Hiquæus.*

Notandum secundò, nobis in hac quæstione sermonem esse, ac litem & controversiam institui adversus hæreticos, utrum videlicet Ordo seu Ordinatio in universum, sit unum ex septem novæ legis Sacramentis: cùm enim in Ecclesia Dei sint

II. Quis sit sensus & scopus præsentis controversiæ.

multæ Ordinationes & plurimi Ordines, ut constabit ex dicendis articulô sequenti, de omoibus istis sigillatim cum hæreticis non contendimus: siquidem de plurimis illorum, utrum dignitatem & rationem Sacramenti obtineant, adhuc controvertitur apud Theologos, nec quidquam hactenus circa bujus difficultatis eliquationem ab Ecclesia distinctè statutum ac definitum est. Est igitur de Ordinatione generatim cum hæreticis instituenda disceptatio, utrum sit novæ legis Sacramentum à Christo institutum, itaut aliqua ordinatio, seu ordo Sacramenti dignitatem & rationem obtineat.

III. Quinam hæretici Sacramentum Ordinis directè impugnaverint.

Notandum tertiò, quòd etsi ex antiquioribus hæreticis pauci videantur, qoi Sacramentum Ordinis fuerint insectati; nihilominus Messaliani, ut refert S. Damascenus lib. de hæresibus, asserebant in ordinatione Clericorum non dari Spiritum S. Hæreticè etiam Vuicleffus de Ordinis Sacramento sensit; nam, ut refert Villelmus Vvidefordus in libro contra ipsum, recensens errores ejus damnatos in Coneilio Constantiensi, sub titulo, *Contra Sacramentum Ordinis*, octavus illius error erat: *Christus ordinat quamcunque, & quemcunque, & quandocunque voluerit; itaut sequens Christum in moribus, securè possit de seipso confidere, quod deficiente Prælatò Cæsareô, sit à Christo legitimè ordinatus.* Nonus autem error ab eodem Authore sic refertur: *Conjectura probabilis est, quòd talis, qui rectè vivit, est Diaconus, vel Sacerdos; sicut enim conjicio, quòd iste est Ioannes, sic probabili conjectura cognosco, quòd iste sanctè vivendo constitutus est in tali officio.* Ex quo videtur, omnem ordinationem Ecclesiæ, non ad cæremoniam à Christo institutam; sed ad gratiam invisibilem rectè vivendi reducere, ac proinde verum Sacramentum Ordinis negare.

Verùm recentiores hæretici apertè Ordinem è numero Sacramentorum respuunt; nam *Lutherus* lib. de captivit. Babylonica cap. de Ordine: *Sacramentum*, inquit, *Ordinis Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papæ*, &c. Et adversus Articulos Lovanienses: *Ordo non est Sacramentum, sed officium, aut vocatio Ministrorum, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocantur.* Sic *Melancton* in Locis. Et *Calvinus* lib. 4. Instit. cap. 19. n. 22. ubi ridet Catholicos, quòd Ordinem pro Sacramento admittant: *Quartum*, inquit, *locum in eorum Catalogo, tenet Sacramentum Ordinis, sed adeo fœcundum, ut septem ex se Sacramentalia pariat.* Et posteà fusè in Ordines Minores invehitur. Idem tamen Calvinus, hôc cap. n. 28. vocat *Ordinem Presbyterii fidele spiritualis gratiæ symbolum.* Et cap. 14. num. 20. loquens de impositione manuum, hæc habet: *Nam impositio manuum, &c. ut non invitus patior vocari Sacramentum; ita inter ordinaria Sacramenta non numero.* Quod ideo se dixisse asserit cap. 19. n. 28. cit. quia hoc Sacramentum non est commune omnibus fidelibus. Hinc Novatores, Ordines Catholicæ Ecclesiæ nullos planè, & mera ludibria pronuntiant. Sic Calvinus lib. 4. Institut. cap. 5. num. 3. Beza apud Saravium in defensione tract. p. 56. *Papisticam ordinationem nihil aliud reputat, quàm fœdissimas* (sic turpis ille nebulo loquitur) *Romani prostibuli nundinationes.* Fulcus Minister Anglus in Retentia pag. 67. *Ex toto*, inquit, *corde detestamur, & conspuimus Antichristianos vestros, olidos, & squalidos ordines.* Porro veritatem Catholicam contra hos omnes errores propugnabit ac declarabit

Conclusio Unica.

IV. Ordinem esse Sacramentum definitur in Conciliis.

Ordinatio, quâ Ministri Ecclesiæ initiantur, est verum, ac propriè dictum novæ legis Sacramentum. Hæc est de fide, definita in Concilio Calcedonensi act. 15. can. 2. *Si quis Episcoporum, acceptâ pecuniâ, ordinationem fecerit, & sub pretium deduxerit impretiabilem gratiam*, &c. Quibus verbis Concilium supponit gratiam conferri in ordinatione, ac proinde Sacrameotum esse; siquidem in ea est signum, seu ritus exterior, tum etiam divina institutio, sine qua gratia conferri non posset. Idem statuit *Braccharense secundum*, can. 2. his verbis: *Placuit, ut de ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiant, sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deô accipiunt, gratis dent: non aliquô pretiô gratia Dei, & impositio manuum venundetur: quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis Ordinationibus statuit, dicens: Anathema sit danti, & accipienti*, &c.

Sed omissis aliis plurimis Conciliis eandem veritatem attestantibus, illam apertè tradunt & definiunt Florentinum in Decreto Eugenii: *Sextum*, inquit, *Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo*, &c. Nec-non & Concilium Tridentinum sess. 7. can. 1. ubi agens de septem Sacramentis, inter quæ Ordinem numerat, ait: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta... aut etiam aliquod horum septem, non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.* Et sess. 23. hanc doctrinam expressè tradit, maximè cap. 3. ubi ait: *Cùm Scripturæ testimoniô, Apostolicâ Traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis.*

V. Et Probatur ratione Theologica depròpta ex sacra Scriptura.

Probatur autem hæc Catholica veritas hâc evidenti ratione: Ad rationem Sacramenti novæ legis tria tantùm desiderantur, nempe quòd sit cæremonia sensibilis divinitus ac permanenter instituta, in cujus usu & exercitio gratia infallibiliter conferatur: sed ordinatio quâ Ecclesiæ Ministri initiantur, hæc tria sibi vendicat: igitur est verum ac propriè dictum Sacramentum. Major constat ex jam pluries dictis. Minor etiam est evidens quantùm ad *primam, & secundam partem*, siquidem, ut apparebit in sequenti quæstione, Ordo semper in Ecclesia collatus fuit per signum aliquod sensibile, & externum, putà vel per impositionem manuum, vel per porrectionem, & traditionem alicujus rei deservientis ad sacrum ministerium. Similiter ritus ille initiandi Ecclesiæ Ministros, divinitus ac permanenter institutus apparet ex perpetua & constanti Ecclesiæ Traditione ac praxi. Solùm itaque superest demonstrandum, huic cæremoniæ, ac sacro ritui infallibilem gratiæ promissionem & collationem esse annexam.

Primò quidem, id colligitur ex 1. ad Timoth. 4. ubi Apostolus Timotheum admonet: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Ubi Apostolus significat per impositionem manuum tam suarum, quàm Presbyterii, seu cœtûs Presbyterorum, qui cum Episcopo manus imponunt supra caput illius, qui in Presbyterum ordinatur,

Timotheum

Timotheum unà cum Ordine Presbyterali, nec- A non & Episcopali gratiam excepisse non tantùm gratis datam, ut fingit Kemnitius, sed gratum facientem & sanctifirantem, quæ unà cum charitate infunditur: quod utique non obscurè declarat Apostolus, quippe statim subdit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis & dilectionis.*

Nec obstat, quòd in priori testimonio mentionem faciat Apostolus de Prophetia, quæ est gratia gratis data, etenim per Prophetiam non intelligit donum illud gratis datum, quô quis vel futura prænuntiat, vel detegit abscoodita: sed intelligit vel tevelationem sibi factam, quâ Timotheum in Episcopum delegit, & consecravit per impositionem manuum suarum, nec-non & sibi B assistentium Episcoporum; vel potius divinam & snpernaturalem operationem, qua in ordinatione fuit sanctificatos: Simili modô loqnendi, quô Scriptura miracolosam operationem vocat Prophetiam Eccl. 48. ubi mortuum corpus Elizei dicitur prophetasse, idest suscitasse hominem mortuum, prout refertur 4. Reg. 13. Vel Propbetiæ nomine significate voluit formam Sacramenti, seu mysticum sermonem, qui cum impositione manuum adhibetur. Solet enim S. Paulus omnem divinitùs traditum sermonem, aut divinorum mysteriorum explicationem, appellare Prophetiam, ut patet ex 1. Cor. 14. v. 3. 24. & 29.

VI. Idipsum docent SS. Patres. Dionysius.

Probatur secundò authoritate SS. Patrum, qui C constanter affirmant, per ordinationem & manûs impositionem conferri gratiam sanctificantem, & eam verum esse Sacramentum. Prodit imprimis S. Dionysius Areopagita lib. de Eccles. Hierarchia cap. 5. ubi sermonem faciens de ordinatione, & de ritn ordinandorum, sic illius efficacitatem explicat, nt per eam conferri gratiam non deneget; ait enim, *Antistitum, seu Episcoporum Ordinem esse per se sufficientem; Sacerdotum verò illuminantem; inferiorum verò Ministrorum purgantem & discernentem:* Qui utique effectus gratiam sanctificantem & internam conootant.

Ignatius.

Similiter S. Ignatius epist. ad Smirnenses, ait: *Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem, & Presbyterorum collegium, ut Apostolos, Diaconos re-* D *vereamini, ut ex Dei præcepto ministrantes.*

Cyprianus

Similiter S. Cyprianus, vel quisquis est Author sermonis de ablutione pedom: *Docetur ergo*, inquit, *quæ sit Baptismi, & aliorum Sacramentorum stabilitas, & quantùm ad expiationem proficiat humilis pietas, & pia humilitas, & quomodo omni tempore prosequenda, & repetenda sit ablutio pedum, per quam ritè cognitam, & intellectam adhærentes, animæ sordes quotidianâ satisfactione lavantur. Nam Baptisma repeti Ecclesiastica prohibent regula, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere, nemo sacros Ordines datos iterum renovat.* Numerat igitut inter Sacra- E menta, quæ iterari non possunt, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, eaque distioguit ab ablutione pedum, qnæ repeti rectè potest.

Ambrosius.

Idem habet S. Ambrosius de dignitate Sacerdotii cap. 4. *Quis dat, frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus, homo imponit simplicem dexteram, & Deus benedixit potenti dexterâ. Episcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem.* Et in 1. ad Timoth. cap. 4. *Gratiam tamen dari ordinatoris, significat per Prophetiam, & manuum impositionem. Prophetia est, quâ eligitur quasi Doctor futurus idoneus, manûs verò impositio-* A *nes, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens authoritatem teste conscientiâ, ut audeat vice Dei Domini Sacrificium Deo offerre.*

Hieronymus.

Hieronymus in cap. 4. Isaiæ: *Plerique nostrum* Χειροτονίαν, *idest, ordinationem Clericorum, &c.* Author libri quæstionum novi & veteris Testamenti (sive sit Augustinus, sive, quod verius est, alius Author, antiquus saltem est, & ut colligi videtur ex quæst. 44. antiquior Augostinô & Hieronymô) qu. 93. explicans illa verba: *Accipite Spiritum sanctum, quod insufflasse*, inquit, *in Discipulos Dominus legitur post dies paucos Resurrectionis suæ, & dixisse, Accipite Spiritum sanctum, Ecclesiastica ea potestas collata intelligitur esse.* Et addit, hanc potestatem esse potestatem B illam, de qua Joan. 20. *Quorum retinueritis peccata retenta erunt, &c. & inspirationem* ait; *gratiam quandam esse, quæ infunditur ordinatis.*

Augustinus

Ipsis concinit S. Augustinns lib. 2. contra Parmeniannm cap. 13. ubi sic ait: *Nulla ostenditur causa, cur qui Baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit: utrumque enim Sacramentum est, & quâdam consecratione utrumque homini datur; illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur.* Et paulò post: *Sacramentum Ordinationis* appellat, vel in plnrali *Sacramenta.* Et inferiùs: *Ipsi explicent*, inquit, *quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit* C *amitti: si enim utrumque Sacramentum est (quod nemo dubitat) cur illud non amittitur, & illud amittitur?* Idem lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 1 *Sacramentum Baptismi est quod habet qui baptizatur, & Sacramentum dandi Baptismi, est quod habet qui ordinatur.* Et lib. de bono conjugali cap. 24. ordinationem, *Sacramentum Ordinationis, & Sacramentum Domini* vocat.

S. Leo.

Et S. Leo epist. 81. quam Dioscoro scribit cap. 1. de Ordinatione loquens: *Intelligamus*, inquit, *quantâ devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Et epist. 87. ad Episcopos Africanos cap. 1. contra illegitimè ordinatos sic invehitur: *Quis audeat dissimulare, quòd in tanti* D *Sacramenti perpetratur injuriam?*

Et S. Gregorius.

Demum Gregorius Magnns lib. 4. in libros Regum cap. 4. explicans illud ex libro primo Regum: *Tulit Samuel lenticulam olei*, hæc habet: *In hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur; quia in culmine ponitur, qui Sacramenta suscipit unctionis: quia verò ipsa unctio Sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* His addere placet qnæ habet S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio: *Sacerdotium*, inquit, *in terra peragitur; sed in rerum cælestium classem & ordinem referendum est, atque id* E *per quàm meritò: quippè non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata persona, sed ipse Paracletus ejusmodi Ordinem disposuit; atque adhuc manentes in carne ministeriô præstitit Angelorum fungi, propter quod oportet Pontificem, quasi qui in ipso constat cælo, illisque virtutibus misceatur, ita vita splendore irradiatum esse*, &c.

Suaderi etiam potest hæc Catholica veritas ratione congruenti: *Primò* qoidem, non minoris dignitatis & sanctitatis debet esse Sacerdotinm in noua & Evangelica lege, quàm in Mosaïca: sed in hac Sacerdotium erat verum Sacramentum: ergo & in illa. Major constat; nam, ut

ait S. Paulus ad Hebr. 10. Lex Mosaïca, ejusque sacrificia & sacramenta erant figuræ eorum, quæ sunt in novo Testamento: *Umbram enim*, inquit, *habens lex futurorum bonorum*, &c. Minor verò probatur: Ordinatio Sacerdotum legis veteris, erat cæremonia externa divinitus, & permanenter instituta, conferens homini sanctitatem quandam legalem, nec-non & inaugurationem ad sacrum ministerium peragendum: sed ista sufficiunt ad veram & propriè dictam rationem Sacramenti: igitur, &c.

VII. Suadet etiam ratio congrua.

Deinde, per Ordinationem homines fiunt sacrorum mysteriorum tractatores, & administratores: igitur convenientissimum fuit, ut unà cum potestate ad illa sacra mysteria peragenda gratiam reciperent, quâ fierent idonei executores & Ministri: Nam, inquit Ennodius Ticinensis, *Deus aut illustres ad fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat*; ita quòd, dum creaturam destinat ad aliquod opus, non solùm id exequitur per extrinsecam duntaxat ordinationem, sed etiam intrinsecam ei virtutem largitur: ut constat in ordine naturali, in quo Deus per intrinsecas virtutes & inclinationes res naturales deducit ad fines, ad quos illas destinaverat. Quod utique non solùm verum est in naturalibus, sed etiam in iis, quæ ad finem supernaturalem spectant: non enim minoris curæ Deo esse debet providere de mediis necessariis ad finem supernaturalem consequendum, quàm ad naturalem.

Denique, quia in Baptismo conceditur facultas suscipiendi Eucharistiam, & alia Sacramenta, etiam confertur gratia ad illa debitè recipienda; nec-non ad Christianam Religionem & vitam ritè sectandam: igitur à simili, cùm in Ordinatione conferatur potestas ad conferenda Sacramenta, debet pariter in ea concedi gratia ad illa ritè administranda, nec-non ad sectandam illam vitæ sanctimoniam, quæ decet Dei Ministrum, & dispensatorem mysteriorum ejus. Quod utique confirmatur à simili; nam Christus D. Joan. 20. concedens Apostolis potestatem remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, simul eis infudit Spiritûs sancti gratiam, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Igitur pari ratione dum Christus D. suos Apostolos in Sacerdotes, & Episcopos inauguravit, tum ut sacrum suum corpus conficerent in Missæ sacrificio, tum ut corpus mysticum, nempe Ecclesiam regerent, & sanctificarent, concedere debuit gratiam unà cum illa potestate, ut eam, quâ par erat pietate, administrarent.

Objicies primò; Idem est judicium ferendum de cæteris inaugurationibus, & institutionibus Ministrorum Ecclesiæ, ac de institutione Apostolorum in Sacerdotes, & Episcopos: sed Christus Dominus sine ullo ritu externo, ac subinde sine ullo Sacramento suos Apostolos in Sacerdotes, & Episcopos instituit: igitur, &c.

VIII. Forte etiam Christus instituit Sacerdotes per ritum externum.

Respondeo primò, negari posse majorem; cùm enim Christi D. potestas & authoritas non esset Sacramentis alligata, nec ministerialis, sed principalis: idcirco poterat suos Apostolos sine Sacramento ordinare; quemadmodum non improbabile est eos sine ullo Sacramento confirmasse: sicut etiam Magdalenæ remisit peccata sine ulla forma absolutionis Sacramentalis.

Respondeo secundò: fortè Christum D. nsum esse impositione manuum, vel aliâ externa cæremoniâ, dum in ultima cœna Apostolos in Sacerdotes instituit. Saltem certum est, quòd eis non sine verbis dederit potestatem consecrandi; dixit enim Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter pro signo externo eis porrexit panem & calicem consecratum.

His addo, quòd ille ritus initiandi Ecclesiæ Ministros, non adeo constanter & permanenter constitutus esset, ut apparet ex continua Ecclesiæ praxi, nisi fuisset à Christo præscriptus, & ordinatus.

IX. Ordo saltem secundariò tendit in sanctificationem suscipientium.

Objicies secundò: Omne Sacramentum per se ordinatur ad sanctificationem suscipientium: sed ordinatio per se non ordinatur ad sanctificationem ordinatorum, sed potius ad sanctificationem aliorum: igitur, &c.

Distinguo majorem: Ordinatur per se ad sanctificationem suscipientium, vel per se primò, vel per se secundò, concedo: per se primò tantùm, nego. Et similiter distinctâ minore, nego consequentiam; licèt enim ordinatio per se primò tendat in aliorum sanctificationem per Sacramenta conferendam; attamen cùm secundariò saltem tendat in dignam administrationem Sacramentorum, quæ fieri non potest absque gratia sanctificante ipsum Ministrum; hinc est, quòd per se saltem secundariò ordinetur ad sanctificationem ipsius suscipientis.

Objicies tertiò: Ordinatio apud Græcos vocatur Χειροτονία, vel Χειροθεσία; idest, *manuum impositio*, vel *manuum extensio*: sed vocabulum istud solùm electionem per suffraginm, & elevationem manûs significat, non autem consecrationem per signum aliquod sensibile: igitur ordinatio non est Sacramentum. Major constat tum ex Canone 4. Concilii Niceni, tum ex Canone 19. Concilii Antiocheni sub Julio Papa. Minor verò probatur, non solùm authoritate Scriptorum Ecclesiasticorum, sed etiam Concilii Laodiceni can. 6. ubi statuitur Χειροτονίαν, idest, *electionem Ministrorum Ecclesiæ, non oportere fieri in præsentia eorum qui audiunt*, idest, Catechumenorum: nam in electionibus crimina eorum, de quibus agitur, denudari solebant ab Electoribus; id verò publicè fieri, minimè erat consentaneum. Idem habetur can. 13. Concilii Carthaginensis, ut refertur in codice 13. canonum Ecclesiæ Africanæ; sed etiam idipsum constat ex Authoribus profanis; quemadmodum intelligi potest, tum ex Demostene contra Timocratem; tum etiam ex Tnllio passim, ut epist. 6. lib. 7. & lib. 4. quæstionum Academicarum; sed præsertim in oratione pro Flacco. Porrò hôc nomine ad designandam electionem ideo usi sunt Veteres, quòd electiones antiquitus, & suffragia de eligendis ferebantur per manuum elevationem, seu in altum extensionem, & porrectionem, ut significat Cicero mox laudatâ oratione pro Flacco, ubi Græcum hunc morem graphicè describit: *Data*, inquit, *concio Lælio processit ille, & Græcus apud Græcos, non de culpa sua dixit, sed de pœna sua questus est: porrexerunt manus*, *&c.* Hinc etiam est, quòd apud eosdem Authores Χειροτονία pro Magistratûs & Rectorum electione, creatione, & institutione usurpetur.

X. Antiquitùs electiones Magistratûs & Ecclesiæ Ministrorum fiebant per manuum porrectionem & extensionem.

Respondeo, vocem illam equidem ex primaria sua institutione solùm electionem per suffragium, & elevationem, & porrectionem mannum signi-

ficasse; verùm ex usu & praxi Ecclesiæ factum est, A ut etiam ad significandam sacram Ecclesiæ Ministrorum inaugurationem & consecrationem usurparetur. Ita vocabulum istud interpretatur Zonaras scribens in primum Canonem Apostolorum, ubi sic habet: *Cùm turba liceret in urbibus eligere sacrorum præfectos, conveniebat ipsa turba, & alii quidem hunc, alii verò deligebant illum; quatenus autem plurium suffragium vinceret, eligentes ferunt solitos extendere manus, & per manus ita porrectas numerabantur; qui vel hunc, vel illum delegissent.* Hinc est, quòd apud Græcos, nec-non & in Ecclesiæ Græcæ Euchologiis, & Ritualibus vocabulum Χειροτονία pro sacra auguratione Ecclesiæ Ministrorum usurpatur.

XI. Traditur & expenditur Ordinis definitio.

Ex his collige, Ordinem, sive potius Ordinationem, B rectè definiri à Doctore subtili dist. 24. n. 8. his verbis: *Ordinatio est institutio alicujus in gradu Ecclesiæ præeminente, cui convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta à Ministro idoneo, certa verba proferente, & simul cum intentione debita ministerium gradûs illius aliquô signô visibili repræsentans; ex institutione divina, efficaciter significans gratiam præeminentem, quâ ordinatus dignè aliquod ministerium exequatur.* Vel breviùs, & fortè accuratiùs Ordo definiri potest, *Sacramentum novæ legis, quô spiritualis potestas ordinato tribuitur, ad ritè peragendum aliquod ministerium circa divinam Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam.* Dicitur primò, *Sacramentum novæ legis*, in quo cum aliis sex Sacramentis univocè convenit. Additur, *in quo tribuitur potestas*, hoc est, facultas rem sacram exequendi. Nam in Ordine non traditur potentia passiva circa res sacras recipiendas, sicut in Baptismo, sed activa, & effectiva; unde convenientiùs activitas illa explicatur nomine potestatis, quàm potentiæ. Dicitur *spiritualis*, quô significatur potestatem illam, quam ordinatus accipit in ordinatione sua, plurimùm distare à potestate sæculari, & civili, quâ aliquis v. g. præficitur vel Reipub. vel exercitui. Additur tandem, *circa Eucharistiam*; quippe omnes quotquot sunt Ordines immediatè, vel mediatè ad celebrandum Eucharistiæ Sacrificium, conficiendumve Sacramentum spectant; nam *Sacerdote* celebrante, & Eucharistiam conficiente, *Diaconus*, & *Subdiaconus* inserviunt, *Acolytus* pariter cereos accendendo, & deferendo; *Exorcista* verò dæmones ab obsessis abigendo, ut obsessi apti fiant, & idonei, qui sacrificio intersint: *Lector* autem sacrâ lectione astantium animos erigit, quatenus debitè Sacrificio intersint: *Ostiarius* denique dignos admittit, ut ipsius celebrationi adsint, & indignos arcet ac excludit.

Ut autem planiùs & plenius habeatur notitia mox assignatæ definitionis, nec-non & eorum, quæ hactenus diximus, & dicturi sumus,

XII. Duplex est in Ecclesia potestas.

Observandum est, duplicem in Ecclesiæ Ministris distingui potestatem, Ordinis videlicet, & jurisdictionis: *Potestas Ordinis* tendit in corpus Christi verum in sacro-sancta Eucharistia conficiendum aut ministrandum: Potestas verò *jurisdictionis* exercetur circa corpus Christi mysticum, nimirum Ecclesiam, & cœtum fidelium regendum & gubernandum, quatenus æternam salutem possit assequi. Potestas Ordinis etiam tendit in corpus Christi mysticum, fideles nempe per Sacramenta sanctificandos: at jurisdictionis potestas duntaxat circa corpus Christi mysticum occupatur; includit enim aliquam jurisdictionem in corpus Christi mysticum moderandum, & regendum. Utrique

potestati suus in Ecclesia respondet Ordo, seu Ordinatio; quemadmodum enim est subordinatio inter Ministros Ecclesiæ, qui occupantur circa corpus Christi verum conficiendum & ministrandum; itaut Lectores Ostiariis & Ostiarii Acolytis, Acolyti Subdiaconis, Subdiaconi Diaconis, & illi omnes Sacerdoti subjiciantur: Ita est subordinatio inter ipsos Ecclesiæ Ministros; nam simplices Ecclesiæ Sacerdotes Curatis, Curati Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Primatibus, Primates Patriarchis, Patriarchæ verò summo Ecclesiæ Pontifici subjiciuntur. Unde in Ecclesia duplex generatim distingui potest Ordo, sicut duplex authoritas ac potestas, nempe jurisdictionis, seu regiminis, & consecrationis seu ministerii ad Altare. De priori hîc non est sermo, sed tantùm de posteriori.

Quæstio Tertia.

Utrum & quænam sit Sacramenti Ordinis materia & forma?

I. Sacramenta considerari possunt vel secundùm suum esse totale; vel secundùm esse partiale.

Notandum primò, quòd in omnibus Sacramentis, distingui possit materia & forma, C ut jam pluries diximus. *Insuper*, Sacramenta considerari debent duobus modis. *Primò*, totaliter & adæquatè, secundùm suam rationem metaphysicam, quæ explicatur in eorum definitione, & ipsis convenit in ratione signi Sacramentalis, quatenus videlicet Sacramentum complectitur tum rem ipsam sensibilem, cui attribuitur ipsa Sacramentalis significatio, & effectiva seu practica gratiæ; tum formalem ejusmodi gratiæ significationem, quæ ipsi rei sensibili divinitus indita est. *Secundò*, partialiter & inadæquatè, nimirum secundùm naturam & rationem physicam ipsius rei exterioris & sensibilis, cui advenit significatio Sacramentalis; quô sensu Sacramentum nihil aliud est, quàm illa res exterior & sensibilis, quæ significationi Sacramentali subjacet. Quemadmodum in artefactis, D statua v. g. duobus modis cōsiderari potest, vel adæquatè, secundùm rationem completam statuæ, quô sensu constat ex re physica, putà auro, vel marmore, in quod per artem forma statuæ inducitur; vel inadæquatè & physicè, videlicet secundùm rationem & naturam physicam illius rei, in quam ipsa forma artificialis inducitur; quô sensu nihil aliud est, quàm aurum, vel marmor, quod suâ materiâ & formâ physicè constat: idem dicendum est de Sacramentis, illa namque sunt res quædam artificiales, quæ ex Dei arbitrio & voluntate veluti divinô artificiô sic efformatæ sunt, ut sanctitatis & gratiæ efficiendæ vim habeant. E

Unde duplex in eis distingui potest materia & forma.

Secundùm autem duplicem illam considerationem, duplex in Sacramentis novæ legis distingui potest materia & forma; una quidem *totalis* & adæquata, quæ convenit Sacramento totaliter & adæquatè spectato, quod habet in ratione signi Sacramentalis: altera verò *partialis*; & inadæquata, quæ convenit Sacramento secundùm esse physicum illius rei sensibilis, cui attribuitur ipsa ratio Sacramentalis. Sic in Baptismo totaliter & adæquatè considerato, per modum alicujus artefacti divini, materia totalis & adæquata, est aggregatum illud physicum, quod constat ablutione exteriori, nec-non & præscriptâ verborum formulâ, quibus Baptismus integratur, & perficitur: forma

verò totalis & adæquata, est significatio practica gratiæ sanctificantis, per quam istud compositum ex re sensibili & verbis constituitur in esse Sacramenti, seu signi Sacramentalis. Si verò spectetur Baptismus inadæquatè, ipsius materia est aqua elementaris, forma verò sunt verba, quæ ipsam materiam determinant, ad significandam ablutionem animæ à peccatis, juxta illud S. August. tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

II. Hanc Theologorum doctrinam perperam convellere nititur Morinus.

Notandum secundò, quòd etsi hæc constantissima sit Theologorum doctrina de Sacramentorum materia & forma, utpote apud omnes usu recepta, & Conciliorum generalium authoritate comprobata, maximè verò Concilii Florentini in Decreto Eugenii, ubi apertè traditur, Sacramenta novæ legis constare rebus & verbis tanquam materiâ & formâ. Nec-non & Tridentini sess. 14. c. 3. ubi ait, actus pœnitentis esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ; nihilominus ipsam doctrinam impugnare ac vellicare nititur Morinus exercitatione 1. cap. 3. de sacris Ordinationibus, ubi ait num. 2. istam Sacramenta explicandi rationem per materiam & formam è Philosophia peripathetica natam esse, quæ rerum naturas sub his nominibus requirere, & examinare solet: *Additque*, Scholas Theologicas jam annis centum Philosophiam Peripatheticam occupasse, antequam istam tradendi Sacramenta methodum usurparent Theologi; nihil enim de ea Lanfrancus, Guitmundus, Anselmus, Yvo, Abailardus, qui eô tempore, & aliquantò post maxima cum omnium admiratione multa scripserunt; nec etiam qui hos Auctores immediatè secuti sunt, horum nominum in doctrina Sacramentorum, quam diligenter explicant, mentionem faciunt. Quamvis posteà *num.* 9. lubens fateatur, quòd cùm hanc docendi methodum universus Occidens ab aliquot sæculis amplexus fuerit, atque Oriens non improbaverit, fieri non posse, ut id utile non sit, & commodum, quod tantô consensu usurpatur.

Verùm quantùm hallucinetur, & à solida Theologiæ doctrina alienus sit Morinus, apertè constat ex his, quæ diximus de materia & forma Sacramentorum in communi, ubi declaratum est, quòd etsi veteres Ecclesiæ Patres ac Doctores in explicanda Sacramentorum natura & constitutione usi non fuerint vocabulis materiæ & formæ; attamen res istis vocabulis significata, semper constans fuit in eorum doctrina; quippe ubi agunt de Sacramentis à Christo institutis, nil apud eos magis solemne est, quàm Sacramenta nostra constare rebus & verbis, juxta illud S. Augustini celebre effatum tract. 80. in Joan. verbô Baptismus consecratur, *Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Itaque omissâ fusiori ac longiori ipsius Neotherici impugnatione, hîc inquirendum est, ac declarandum, utrum Ordines Ecclesiastici, quemadmodum & alia novæ legis Sacramenta habeant determinatam materiam & formam, non solùm quatenus considerantur secundùm suum esse totale & adæquatum, & prout Ordo est signaculum, sive signum aliquod sacrum collativum potestatis ad Eucharistiam sive conficiendam, sive dispensandam: nec-non & secundùm eorum esse partiale, & inadæquatum, hoc est, secundùm esse physicum & sensibile quod habent; quô sensu Ordo nihil est aliud, quàm ritus ille sensibilis, quô hujusmodi potestas tribuitur. De qua utique acceptione movetur præsens quæstio, utrum videlicet collatio & confectio Sacramenti Ordinis posita sit duntaxat in aliqua re sive actu exteriori absque verbis; aut è contra solis constet duntaxat verbis sine ulla re sensibili: vel an ex utroque integretur, nimirum re sensibili & verbis, tanquam materiâ & formâ partiali, ac sensibili.

Notandum tertiò, materiam & formam Sacramentorum considerari posse, duobus modis fuisse determinatam, nimirum vel in specie infima, qualiter aqua elementaris à Christo D. determinata est ad materiam Baptismi; vel duntaxat in genere, constituendo, videlicet aliquod certum signum sensibile, non determinando ipsius speciem & modum, quô sensu Christus D. statuit ut materia Matrimonii constitueretur in legitimo & mutuo contrahentium consensu, non determinando an hujusmodi consensus legitimus deberet esse publicus, & coram Pastore ac testibus Ecclesiasticis; an verò sufficeret privatus & clandestinus: neque enim voluit determinare conditiones ad legitimum consensum requisitas, & necessarias; sed id totum Ecclesiæ judicio determinandum commisit. Quæritur itaque, an suppositô quòd in conferendis & conficiendis sacris Ordinibus, aliquid sit admittendum per modum materiæ, & aliud per modum formæ; quônam modô utrumque sit determinatum, an videlicet in specie, an duntaxat in genere.

Conclusio Prima.

III. Materia Sacramentorum fuit determinata à Christo in specie, vel in genere.

Revera quilibet Ordo constat essentialiter aliquâ re sensibili, seu actu exteriori tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ. Hæc est communis apud Theologos, & expressè traditur in Concilio Florentino, ubi de Ordinis Sacramento legimus: Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: Forma Sacerdotii talis, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis, in nomine Patris*, &c. Favet etiam Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 3. his verbis: *Patrum unanimi consensu perspicuum est, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus conficitur, gratiam conferri.*

IV. Omnes Ordines constant materia & forma.

Probatur conclusio ex continua & instanti praxi utriusque Ecclesiæ, Orientalis, & Occidentalis, in qua omnium & singulorum Ordinum collatio & administratio ita semper facta est, ut per aliquem ritum exteriorem, certamque verborum formulam fuerit perfecta; quemadmodum facilè conspici potest, *tum* in Pontificali Romano, *tum* in Euchologiis, & Ritualibus Græcis, ut apparebit ex infrà dicendis, ubi singulorum Ordinum collationem, materiam, & formam expendemus.

Deinde, in hoc discrepant Sacramenta novæ legis à Sacramentis legis veteris, quòd hæc solis rebus exterioribus constarent, putà vel Sacrificiorum oblatione, vel aquæ benedictæ lustratione, vel oblatæ victimæ sanguinis aspersione: Sacramenta verò novæ non solùm rebus, sed etiam certâ quâdam verborum formulâ perfici debent ac conferri: unde vulgate est, & receptum apud Theologos, & Catholicos Scriptores illud Concilii Florentini, quòd novæ legis Sacramenta omnia perficiuntur rebus ut materiâ, verbis autem ut formâ.

Denique, Sacramenta novæ sunt signa certa & determinata gratiæ per illa conferendæ: sed non essent signa certa, nisi constarent re aliquâ sensibili, quæ quandam convenientiam, & analogiam

habeat cum gratia, per hoc signum, expressa: neque essent determinata, nisi aliqua adjiceretur verborum formula, quæ res sensibiles ad hunc effectum significandum potius quàm alterum determinaret; sic quia aqua naturalis ex se est indifferens ad refrigerandum, humectandum, abluendum, & alios hujusmodi effectus: idcirco necessum fuit, quòd, ut illius infusio supra caput baptizandi distinctè ac determinatè significaret ablutionem animæ a peccato, divinâ virtute factam, adjicerentur hæc verba; *Ego te baptizo*, &c. Itaque cùm omnes Ordines eâ ratione sint instituti, ut si non omnes, saltem eorum aliqui, habeant veram, ac perfectam rationem Sacramenti; cæteri verò ad horum similitudinem sint constituti & compositi; ita pariter rebus ac verbis constare debent ac perfici. Quod utique evidenter parebit ex dicendis infrà de singulorum Ordinum essentia & administratione.

Conclusio Secunda.

V. Christus D. non determinavit materiam Ordinum in specie infima.

EOrum Ordinum, qui sunt divinæ institutionis, v. g. Sacerdotium & Diaconatus, materia, & forma non sunt determinata à Christo D. in particulari, & in specie, sed tantùm in communi, & in genere. Hæc mihi videtur probabilior, eamque expressè docent Arcudius lib. 6. de Sacramento Ordinis cap. 4. & Bellarminus cap. 9. libro de Ordinibus, atque omnes ferè Theologi recentiores, quorquot accuratiùs attigerunt ea, quæ ad materias & formas Sacramentorum spectant.

Probari potest hæc assertio ex diversitate rituûs, ac cæremoniæ usurpari solitæ ab Ecclesia Latina & Græca; Latini namque Ordines conferre solent instrumentorum porrectione, & verbis expressè significantibus ministerium, ac opus cujuscunque Ordinis, qui confertur; Græci verò absque ulla prorsus instrumentorum traditione nihil adjungunt verbis ab Episcopo prolatis præter solam manuum impositionem. Similiter utuntur verbis differentibus ab iis, quæ Latini usurpare solent; nam apud Latinos in ordinatione Sacerdotis v. g. Episcopus utitur hâc formâ: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, &c.* Apud Græcos autem Episcopus ordinans Sacerdotem, dicere solet: *Divina gratia, quæ infirma semper curat, & deficientia supplet, promovet hunc Religiosum sacrum Diaconum in Presbyterum.* Qui utique ritus servatur non solùm apud Græcos schismaticos, sed etiam apud eos, qui Communionem habent cum Ecclesia Romana, imò & apud ipsos, qui Romæ degunt, & vidente, ac annuente summo Pontifice, cujus beneficiis aluntur, Ordines conferre solent, ac suscipere eo ritu, qui in eorum Euchologiis & Ritualibus continetur. Qui utique diversus ritus Græcorum à Latinis nusquam fuit improbatus, nec vicissim Latinorum Ordinationes improbatæ sunt; sed summô consensu utraque Ecclesia Orientalis, & Occidentalis alterutrius Ordinationes mutuò probavit, & semper ratas ac validas habuit.

VI. Siquidem Ecclesia Orientalis & Occidentalis diversâ materiâ & formâ utuntur.

Ex quibus sic argumentari licet: Hujus Sacramenti materia non est in particulari, & in specie à Christo determinata, quæ diversa à diversis Ecclesiis potest usurpari: sed reverà materia conficiendi ac conferendi Sacramenti Ordinis diversa à diversis Ecclesiis validè usurpatur: igitur illa materia non est in specie determinata. Major constat: In his enim, quæ sunt institutionis ac determinationis divinæ Ecclesia nil variare nec mutare potest; ac subinde necessum esset, quòd vel alterutra Ecclesia, vel fortè utraque, legitimè ac validè Ordines non conferret; quippe cùm non servaret ritum, nec materiam adhiberet à Christo præscriptam; sicque non esset vera Ordinum collatio & celebratio, nec proinde verum Christi Sacerdotium, ullumve Ordinis Sacramentum in Ecclesia seu Latina, seu Græca; quod utique cogitare & asserere impium est, & hæreticum damnatum à Concilio Tridentino can. 1. de Ordine: *Siquis dixerit non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, & externum, &c. anathema sit.* Quod etiam ipsa ratio apertè suadet; certum enim est Ecclesiam universam errare non posse in assignandis mediis ad salutem necessariis; ad hoc siquidem datæ sunt ei claves cum infallibili Christi promissione, quòd portæ inferi adversus eam non sint prævaliruræ: sed verum Ordinis Sacramentum, verumque Sacerdotium maximè necessarium est ad salutem; quippe ab eo pendent duo Sacramenta maximè ad salutem conducentia, nimirum Pœnitentia, & Eucharistia, quæ non nisi à legitimo Ministro per debitam formam ac materiam ordinato confici possunt & ministrari. Concludendum est igitur, quòd Ordinum, qui sunt institutionis divinæ, materia & forma non fuerit determinata in specie, sed solùm in genere; quatenus videlicet Christus non determinavit speciatim & in particulari materiam & formam hujusmodi Ordinum, sed tantùm instituerit, quòd ejusmodi Ordines conferrentur sub aliquo signo sensibili expressivo potestatis illius, quæ per quemlibet Ordinem confertur, verbisque ad id proportionatis & convenientibus adjunctis. Specialem verò istius signi sensibilis, verborumque determinationem reliquerit penes auctoritatem Ecclesiæ, quæ prout & quando judicaret conveniens, in particulari pro singulis ejusmodi Ordinibus, determinaret specialia signa, & verba, quibus distinctè significaretur, & exprimeretur potestas per hujusmodi Ordines collata.

VII. Cujus diversitatis optimam explicationem subministrat Arcudius.

Quam utique veritatem luculenter explicat Arcudius lib. 6. cap. 4. ubi cùm declarasset diversum ritum ab Ecclesia Græca & Latina usurpatum in conferendis Ordinibus, duplicem subjicit modum conciliandi utramque Ecclesiam: Alter est, *inquit*, si dixerimus (quod viris doctissimis placuit) ita institutum esse à Christo D. Sacramentum Ordinis, ut consecratio Ministrorum fieret aliquibus verbis, & symbolis externis, quibus satis significaretur ministerium, ad quod ordinabantur. Ut autem hæc potius, quàm illa symbola adhiberentur, reliquisse in arbitrio Ecclesiæ. Unde Concilium Trident. sess. 23. cap. 3. sacram ait ordinationem, verbis, & signis exterioribus perfici. Non autem assignat Concilium, quænam sint verba, & signa, quod nimirum possint esse hæc, vel illa. Neque id mirum alicui videri debet. Nam quorundam Sacramentorum materias Christus D. determinatè instituit (quod idem dicendum est de formis) v. g. Sacramenti Baptismi materia est determinatè sola aqua elementaris, Eucharistiæ panis, & vinum cum admixtione aquæ, Extremæ-Unctionis oleum, quorundam verò indeterminatè. Exemplô esse potest Sacramentum Matrimonii eorum sententiâ, qui volunt verba unius conjugis esse materiam respectu alterius. Non est enim necesse verba, seu signa esse determinatè hæc, sed vel hæc, vel illa, dummodò exprimant

„ voluntatem contrahendi, & consensum. Simili „ fortasse ratione dici potest in Sacramento Ordinis materiam esse traditionem potestatis, sed vel hôc, vel illô modô expressam: hoc est, vel per porrectionem clavium, v. g. vel per contactum, vel per impositionem manuum, vel per aliquid simile, dummodò exprimat voluntatem tradendi potestatem illam spiritalem. Aliud prætereà non dissimile nobis suppetit exemplum. Videmus enim, cùm fit aliqua investitura, adhiberi ab hominibus signa quædam externa, quibus ea investitura significetur. Et tamen signa illa quoad materiale apud diversas gentes, esse diversa, quamvis in formali, quod est significatio talis potestatis, conveniant. Itaque credibile est Dominum instituisse materias Ordinum, non quidem in particulari, sed generatim monendo Apostolos, ut Ordines conferrent per aliquod symbolum sensibile, quò significaretur eorum potestas, sive illud esset impositio manûs, sive porrectio instrumentorum, sive utraque simul. Unde apparet aliqua varietas Ecclesiarum, cùm alioquin in re nullatenus discrepent. Semper enim Sacramentum Ordinis idem fuit. *Hæc Arcudius.*

Quibus significat, Ordinum materias & formas non fuisse à Christo D. determinatas in specie, sed solùm in genere, sub aliquo nimirum sensibili signo expressivo potestatis illius, quæ per quemlibet ejusmodi Ordinum confertur, verbisque ad id convenientibus & proportionatis, committendo Ecclesiæ authoritatem determinandi ulteriùs in particulari, quænam debeat esse materia & forma cujusque Ordinis conferendi.

VIII. Nec id duntaxat peculiare est ac proprium Sacramento Ordinis, sed etiam idem ferendum est judicium de nonnullis aliis Sacramentis: *Primò* namque id constat de Sacramento Matrimonii in quo Christus D. pro materia nihil aliud determinavit, quàm legitimum utriusque contrahentis consensum, quisquis tandem ille sit, clandestinus aut publicus, unde penes Ecclesiæ judicium, fuit determinare nonnullas conditiones ad hujusmodi legitimum consensum requisitas & necessarias. *Secundò*, idem apparet ex Sacramento Pœnitentiæ, in quo Christus D. pro materia generatim quidem determinavit tres actus pœnitentis, nempe Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ sunt veluti materia circa quam versatur & occupatur Pœnitentiæ Sacramentum: at in particulari non designavit, qualis debeat esse ejusmodi Contritio, utrum nempe necessariò debeat esse perfecta, an verò solùm imperfecta. Similiter non determinavit, an Confessio facienda sit verbis, vel scriptò, aut aliis signis, utrum denique Satisfactio fieri debeat ante vel post datam Absolutionem: sed ista omnia penes Ecclesiæ judicium, ac determinationem reliquit. *Tertiò*, id ipsum constat ex Sacramento Eucharistiæ, cujus quidem materiam voluit esse panem triticeum, & vinum de vite; sed in specie infima non designavit, utrum panis iste debeat esse azymus vel fermentatus, & an vinum debeat esse rubrum vel album. *Denique* id apparet ex Sacramento Confirmationis, & Extremæ-Unctionis: etenim nonnulli Theologi censent, Christum D. pro ejusmodi Sacramentorum materia instituisse Chrisma & oleum ab Episcopo benedictum; itaut illa Episcopalis benedictio ad eorum Sacramentorum substantiam pertineat; quamvis non determinaverit in particulari verba, quibus utriusque benedictio fieri debeat: sed id Ecclesiæ arbitrio, & determinationi reliquerit.

Non solùm Ordinum, sed etiam aliquorum aliorū materiæ sunt tantùm determinatæ in specie.

Simili itaque ratione dici potest, Christum D. in Sacramento Ordinis materiam non aliter determinasse, quàm universim & in genere, nimirum sub aliquo signo sufficienter expressivo potestatis illius, quæ per Ordinem tribuitur: qualiter autem exprimi, seu fieri debeat ejusmodi signum sensibile, an per porrectionem instrumentorum, vel per contactum, vel per impositionem manuum, expressè non determinavit: sed id Ecclesiæ arbitrio ac determinationi reliquit.

Probatur secunda pars, nempe quòd *Ordinum, qui sunt institutionis divinæ, materia & forma fuerint à Christo determinata, saltem universim & in genere: Tum*, quia hujusmodi Ordines non ritè censentur esse institutionis divinæ, nisi quia eorum materiæ & formæ sunt à Christo determinatæ saltem in genere: etenim instituere aliquem ritum exteriorem & sensibilem, rebus ac verbis sensibilibus essentialiter & intrinsecè constantem, nihil est aliud, quàm aliquô modô determinare, ut per hujusmodi res & verba celebretur & conficiatur: *Tum*, quia prædicti Ordines veram & propriè dictam Sacramenti rationem obtinent, ut constabit ex dicendis: sed Sacramentorum materiæ & formæ debent esse à Christo determinatæ, saltem in genere; siquidem ejus solùm est instituere Sacramentum, cujus est conferre signis sensibilibus vim producendi gratiam infallibiliter, & ex opere operato: quod utique non Ecclesiæ, sed Christo competit, Author enim Sacramentorum non alius est, quàm Deus, ut probatum est, ubi egimus de Sacramentorum causis: ergo cùm Christus D. non determinaverit materiam & formam Sacramenti Ordinis in specie, necessum fuit, quòd eas saltem determinaret in genere, relinquendo penes Ecclesiæ judicium & arbitrium, ut eas in particulari designaret.

IX. Omnium tamen Ordinum divinæ institutionis materia est saltem determinata in genere à Christo.

PETES: *Utrum Ecclesia per hanc sibi commissam à Christo potestatem designandi materias & formas Ordinum in specie & in particulari, possit efficere, ut aliqua res, nec-non & verba, quæ alicubi necessaria non essent ad ordinationem, v. g. porrectio instrumentorum, quæ non sunt in usu apud Græcos, evadant alibi, nimirum apud Latinos, materia essentialis, & necessaria, non solùm ad licitè, sed etiam ad validè conferendos Ordines, itaut absque hujusmodi materia Ordinatio sit omnino irrita?*

Respondeo, affirmativam sententiam mihi videri probabiliorem, idque colligitur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii pro instructione Armenorum, ubi de Sacramento Ordinis sic legitur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus Traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus verò per libri Evangeliorum donationem: forma autem Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis. In nomine Patris, &c.* Ex quibus sic argumentari licet: Id, quod in Sacramentis habet rationem materiæ & formæ simpliciter & absolutè, illud censeri debet essentiale, & necessarium ad substantiam Sacramenti, ita quòd absque eo Sacramentum nec confici, nec ministrari possit: sed

X. Ecclesia per potestatem sibi à Christo concessam possit efficere quòd aliquid sit alicubi materia essentialis alicujus Sacramenti, quia alibi ita non esset.

instrumentorum porrectio, nec-non & præfata verborum formula, *Accipe potestatem, &c.* rationem materiæ & formæ simpliciter apud Latinos; sic enim Concilium utrumque appellat: igitur illa instrumentorum porrectio, & verborum formulæ, censeri debent essentialia, & tantæ necessitatis ad Sacramentum Ordinis apud Latinos, ut absque illis validè apud eos conferri non possit Ordinis Sacramentum.

Confirmatur ex eo, quòd Ordinatio sit quædam actio moralis, quâ confertur homini potestas ad exercendum ministerium aliquod sacrum, & per quam homo constituitur in tali vel tali statu, ac Ecclesiastico gradu & Ordine: sed ejusmodi actio moralis & institutio potest ex Ecclesiæ legibus ita pendere, ut necesse sit eam sub certis conditionibus & solemnitatibus fieri, sine quibus, & aliter facta non valeret, sicut contingit in omnibus ferè Contractibus. Quod maximè etiam constat ex Sacramento Matrimonii, qualiter fuit à Christo institutum, ut ad ejus materiam ex parte contrahentium nihil aliud requisierit, quàm legitimum eorum consensum, non determinando in particulari, quænam ad ejusmodi consensum conditiones essent necessariæ, sed relinqoendo penes Ecclesiæ judicium, ut præscriberet quascunque vellet conditiones, & solemnitates ad validitatem talis contractûs, & Sacramenti: unde factum est, ut Concilium Tridentinum ad Matrimonii valorem requisierit tanquam quid necessarium & essentiale, ut fieret publicè, & coram testibus, ut decernit cap. 3. de reformatione Matrimonii, his verbis: *Qui aliter, quàm præsente Parochò, vel aliò Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsente Decretò irritos facit, & annullat.*

Sicut ergo Ecclesia potuit has conditiones tanquam essentiales & necessarias ad validitatem Sacramenti præscribere; ita quòd sine eis Matrimonium omnino sit irritum: similiter efficere potuit, ut aliqui ritus essent essentiales sacris Ordinibus conferendis. Non qoòd Ecclesia possit propriâ authoritate materiam & formam Sacramentorum instituere, ac præscribere: sed quia Christus D. qui tantùm hujusmodi materiam & formam Sacramenti Ordinis universim, & in genere instituit, non determinando ullum ritum in particulari, statuerit ut quicunque ritus ab Ecclesia determinarentur, ad hunc finem essent convenientes & proportionati; iidem sufficientes & essentiales essent, & omnino necessarii ad Ordinationem validè conficiendam, & conferendum Ordinis Sacramentum. Ex his omnibus colligere licet Ecclesiam reverà pro authoritate sibi divinitùs à Christo concessa, varios ac diversos potuisse ritus instituere, nec-non & varias verborum formulas pro materiis & formis specificis Ordinationum sacrarum, quemadmodum factum est apud Græcos & Latinos, imò etiam potuisse successu temporum ejusmodi ritus & verborum formulas variare, & immutare, sicuti variare potuit, & reverà mutavit conditiones ad validum Matrimonium necessarios.

XI. Unde probabilius est quòd Episcopus Latinus validè non ordinaret ritu Græcorum: secus de Græcis ordinantibus more Latino.

Ex his itaque colligere licet, qoòd nullus Episcopus apud Latinos validè conferret sacros Ordines, absque instrumentorum porrectione, & expressione verborum formulæ; quippe cùm hæc necessaria sunt, & essentialia juxta ritum Ecclesiæ Latinæ. An autem Episcopus Græcus ritu Latinô Clericum suæ Ecclesiæ validè consecraret, controvertitur apud Theologos: nihilominus affirmativa sententia videtur probabilior: *Tum, quia* talis apparet esse doctrina, & intentio Ecclesiæ universalis; quemadmodum colligi potest ex Decreto Eugenii in Concilio Florentino, ubi absolutè hujusmodi ritus præscribitur, tanquam ab universali Ecclesia servandus. *Tum, quia* ritus ille Latinus complectitur quantùm ad essentialia quidquid in ritu Græco continetur, nempe manuum impositionem, & traditæ potestatis ac Ordinationis per verba designationem. Et insuper iis addit instrumentorum porrectionem, ac evidentiorem verborum expressionem. Unde quemadmodum non valeret Matrimonium clandestinô more contractum in illis regionibus, ubi promulgatum est, & receptum Concilium Tridentinum licèt validum sit in iis locis, ubi nondum illud Decretum promulgatum est, & acceptatum: Idem à simili videtur esse dicendum de ritu Latino, comparativè ad Græcum; ita quòd valeat ordinatio Latinô ritu facta etiam à Græcis Episcopis, licèt non valeret Græca Græcô ritu celebrata à Latinis Episcopis.

Dices. Capite *Cùm secundùm*, &c. *extrav. de temporibus Ordinationum*, prohibetur Ordinum reciproca receptio Latinorum à Græcis Episcopis, & Græcorum à Latinis: quæ utique sanctio desumitur ex epistola Cœlestini tertii, rescribentis ad Archiepiscopum Hydruntinum, ubi hæc habet. *Quia verò, sicut dicitur in partibus Calabriæ, Latini à Græcis, & Græci à Latinis, secundùm alterutrius institutionis observantiam ordinantur; volumus de cætero commutationes & consuetudines Rituum in Ordinibus observari.* Cui utique sanctioni concordat id, quod legitur in duabus bullis, seu constitutionibus Leonis X. & Clementis VII. quas ex Leone Allatio exscribit & refert Morinus 1. parte sui libri de sacris Ordinationibus cap. 4. in quibus inter cætera hæc ordinantur: *Quod nullus Archiepiscopus, & Episcopus Græcus, Clericos Latinos, nec Latinus Archiepiscopus & Episcopus, etiam ordinarius Clericos Græcos ad Sacerdotium promovere valeant.*

Respondeo has sanctiones non obstare; enimverò facilè responderi potest, prædictas Ordinum receptiones, & commixtiones ex utraque parte ex æquo prohiberi, quantùm ad licitam duntaxat, non autem quantùm ad validam Ordinum collationem, seu susceptionem: quamvis enim nec Latini à Græcis, nec Græci à Latinis licitè possint ordinari; attamen quantùm ad validitatem inter utrosque longè dispar est ratio; nam, ut mox dictum est, Græcorum ritus in conferendis Ordinibus, involvitur in ritu Latinorum, quantùm ad id, qood essentiale est: unde validè Clericus Græcus ordinari potest ab Episcopo Latino, secus autem videtur de ordinatione Clerici Latini ab Episcopo Græco; quia ritus Ecclesiæ Latinæ servandus in Ordinationibus, non involvitur in ritu celebrari solito ab Ecclesia Græca. Nec aliud certè in suis diplomatibus & sanctionibus intendunt summi Pontifices laudati; siqoidem quæstio & controversia non movebatur de valido, sed duntaxat de licito usu Rituum & Ordinum ad stabiliendam ac fovendam pacem, & concordiam inter utriusque Ecclesiæ, Græcæ nimirum, & Latinæ, fideles.

Instat Morinus *ibidem cap.* 3. dicens Cœlestinum

aliquid amplius statuere; interrogatus quippe ab A Episcopo Hydruntino, quid agendum esset de nonnullis Presbyteris Latinis, qui contra consuetudinem Ecclesiasticam fuerant ab Episcopis Græcis aliò tempore, quàm quatuor temporum ad Ordines promoti; ita respondet, ut decreto suo supponat Ordinationum Græcarum validitatem. Idem etiam facit Episcopos Hydruntinus: nam in dubium non vocat Ordinis accepti validitatem; sed tantùm an sic ordinatus, ab Ordine suscepto secundùm Latinorum Canones suspendi debeat. Pontifex autem, quia ignota sibi erat consuetudo illius regionis, nihil de suspensione decernit, sed vices suas eidem Episcopo hac in B parte committit, ut in eum, de quo lis agebatur, juxta consuetudinem statueret; interim prohibet, ne in posterùm Rituum commixtiones fierent, hoc est, ne Clericus Latinus à Græco Episcopo consecretur, neve Græcus à Latino. Ita Morinus, quibus significat, idem ferendum esse judicium de Latinorum Ordinationibus ab Episcopis Græcis, quod de Græcorum Ordinationibus ab Episcopis Latinis: ac subinde, si Græcorum Ordinationes à Latinis validæ fiunt, validæ etiam censeri debent Latinorum ordinationes ab Episcopis Græcis.

Respondeo, reverà quidem Archiepiscopum Hydruntinum supposuisse, validas esse Latinorum Ordinationes factas à Græcis, & idcirco Pontificem consuluit tantùm quoad circumstantiam temporis, quô facta fuerat ordinatio, de qua C tunc agebatur, videlicet extra tempus à jure præscriptum apud Latinos. At verò summus Pontifex Cœlestinus istud tanquam certum & ratum non supposuit; idcirco non respondit solùm ad quæstionem sibi propositam ab Archiepiscopo Hydruntino, quantùm ad solam circumstantiam temporis, quô facta fuerat illa ordinatio, videlicet extra tempus ab Ecclesia præscriptum; sed occasione casûs sibi à præfato Archiepiscopo propositi, plus aliquid fecit; cùm enim ex eo deprehenderet, Latinos passim in Calabriæ partibus ordinari ab Episcopis Græcis, ejusmodi commixtionem ritûs, & ordinationem, quamvis de D isto capite tunc non consuluerit, sicut & consuetudinem ordinandi extra tempora à jure præscripta improbavit, & prohibuit; ne de cætero imposterùm id fieret.

Cùm autem Græci in favorem ejusmodi Ordinationum obtenderent consuetudinem bonâ fide fundatam, ut cuique jus suum servaret Pontifex, cùm illam consuetudinem explorataam non haberet, in re tanti momenti id solùm edixit quod æquitas & prudentia postulabant, videlicet, ut inquireretur de ejusmodi consuetudine, antequam quidquam de illis ordinationibus certô judiciô pronuntiaret; quippe fieri poterat, quòd talis consuetudo fundata esset in consensu E Ecclesiæ Latinæ, & concessione ac approbatione summorum Pontificum: unde priùs de hac consuetudine informati voluit Pontifex, quàm judicium ferret: igitur ex illo Cœlestini decreto nihil haberi, aut erui potest, quod valeat ad astruendam legitimam & validam esse Latinorum Ordinationem à Græcis.

Dices: Latinus validè posset baptizare ritu Græcorum, similiter valida est à Latino Sacerdote consecratio facta in fermentato pane; quemadmodum Græci consecrare solent.

Respondeo: quòd non eadem sit paritas de Ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, ac de Baptismate, & Eucharistia; siquidem Christus Dominus determinavit materiam Baptismatis & Eucharistiæ in specie, designando videlicet aquam naturalem pro materia Baptismatis, & quemlibet panem triticeum pro materia Eucharistiæ conficiendæ; unde perinde est ad validum Baptismum, quòd aqua sit frigida & calida, pura, aut turbida; similiter quòd panis sit vel azimus, vel fermentatus, magnus aut parvus, rotundus aut quadratus, dummodò sit ex triticea farina confectus. Secus autem est de materia sacrorum Ordinum; cùm enim ipsam Christus D. in specie non designaverit, sed tantùm in genere; inde Ecclesia Romana potuit certas præscribere conditiones, certosque ritus administrandis Ordinationibus, quibus omissis irrita prorsus & cassa foret Latinorum Ordinatio: quemadmodum irritum fit Matrimonium clandestinè contractum, post promulgationem acceptatam Concilii Tridentini; quia videlicet Christus D. tantùm eas res pro legitima materia Sacramentorum Ordinis & Matrimonii in particulari, & in specie ratas habuit, quas Ecclesia (cui commiserat authoritatem eas res in specie designandi) instituisset & approbasset.

QUÆSTIO QUARTA.

Quot & qui sint Ordines Ecclesiastici propriè dicti?

NOtandum primò, seu potius revocandum ex dictis, Ordinis nomen maximè tribus modis usurpari posse: *Primò* quidem latissimè, & in amplissima significatione, prout videlicet significat quemlibet statum personarum, quæ speciali quôdam titulô Deo consecrantur, & addictæ sunt divinis Officiis, absque tamen aliqua jurisdictione spirituali, & etiam sine potestate conficiendi Sacramenta, vel saltem obligatione illa specialiter ex officio administrandi: quô sensu status tam Religiosorum, quàm Monialium in Ecclesia dicuntur Ordines, in quantùm peculiarem & distinctum habent in Ecclesia vivendi modum, per subordinationem inferiorum ad superiores, secundùm quam omnes Deo famulantur. *Secundò*, Ordinis nomen sumitur strictiùs, prout includit aliquam jurisdictionem, & authoritatem, & importat subordinationem inter ipsos Ecclesiæ Ministros; quô sensu Decanatus, Archidiaconatus, Episcopatus, Patriarchatus, Papatus, dicuntur Ordines Ecclesiastici. *Tertiò* strictissimè usurpatur pro illa potestate conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, aut ejus confectioni & celebrationi, ac dispensationi specialiter inserviendi ex officio, & ministerio suæ Ordinationis; quô duntaxat sensu hîc erit sermo de Ordine, quatenus videlicet significat actionem & ritum solemnem, quô ejusmodi potestas confertur Ecclesiæ Ministris. Quæritur ergo primò, utrum reverà plures in Ecclesia admitti debeant ejusmodi Ordines: Secundò, quot & quinam illi sint.

I. Ordinis nomen sumitur tribus modis.

Nec inter Catholicos.

III. Triplex est Ordinum usus.

Notandum secundò, hæreticos hujus temporis invicem non consentire circa Ecclesiasticorum Ordinum distinctionem & pluralitatem; nam, ut observat Bellarminus lib. de Clericis cap. 11. *Aliqui* tantùm admittunt tres Ordines, scilicet Episcoporum (quos ferè Pastores, aut Superintendentes vocant) & Presbyterorum (quos Seniores, aut verbi Ministros vocant) & Diaconorum: reliqua verò Ordinum Officia, exceptô Exorcistæ,

II. Non convenit inter hæreticos de numero Ordinum.

1. In Hierarchicos & non Hierarchicos.

Exorcistæ, admittunt quidem; negant tamen habere rationem Ordinis Ecclesiastici, aut certô numerô posse definiri; aiuntque ea initiô in Ecclesia fuisse, vel plura vel pauciora, prout singulæ Ecclesiæ pluribus, vel paucioribus Ministris indigebant, quos Pastores singuli pro suo judicio modo assumebant, modò dimittebant. Ita maximè Calvinus lib. 3. instit. cap. 4. & Kemnitius in examine Concilii Tridentini ad sess. 23. Alii verò Ordinum distinctionem & pluralitatem rejiciunt, & explodunt, tanquam novitium aliquod humanæ præsumptionis inventum, ut Anabaptistæ, & alii ejusmodi Religionis pestes, contra quos omnes Catholici Doctores contendunt, varios esse in Ecclesia admittendos Ordines propriè dictos, qui nempe certô ritu sacrô, & solemni celebritate conferuntur ab Episcopo, ad certum ministerium circa Eucharistiam ministrandam, & conficiendam.

II. Non convenit inter hæreticos de numero Ordinum.

Verùm inter eos controvertitur, quisnam, quantusque sit ejusmodi Ordinum numerus: quadruplex enim circa id statuendum apparet capitalis sententia: *Prima*, quæ communis est, & receptissima apud Theologos, est septem duntaxat esse Ordines propriè dictos; nec plures, nec pauciores, nempe Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, seu Sacerdotis. Ita maximè principes Theologiæ Doctores, Alensis, Albertus Magnus, S. Thomas. *Secunda sententia* eorum est, quibus placet octonarius Ordinum numerus; qui videlicet præter numeratos septem, adjiciunt Episcopatum tanquam à Sacerdotio adæquatè distinctum, in quam utique sententiâ propendere videtur Doctor subtilis dist. 24. n. 6. eamque expressè docent Durandus dist. 24. q. 6. Cajetanus tom. 1. Opusc. tract. 11. Navarrus in Manuali, cap. 22. nu. 18. Petrus Soto in sua institutione Sacerdotali lectione 1. de Sacramento Ordinis, & plures alii Recentiores. *Tertia sententia* est Canonistarum, qui novem Ordines numerandos affirmant, addentes non solùm septem vulgò receptis Episcopatum, sed etiam primam Tonsuram. *Quarta denique sententia* ipsorum est, qui decem Ordines statuunt, adjicientes novem mox numeratis Ordinem Psalmistarum, seu Cantorum. Quid verò hac in controversia certius tenendum & affirmandum sit, hîc est determinandum.

Nec inter Catholicos.

III. Triplex est Ordinum divisio.

Notandum tertiò, Ordines Ecclesiasticos universim dividi posse tribus modis: scilicet *primò* ratione prælationis, seu principatûs sacri, & potestatis ac authoritatis, quam eorum aliqui exercent in alios: *Secundò* ratione materiæ, circa quam versantur: *Tertiò* ratione gradûs, in quo ministrant per ordinem & respectum ad Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam: secundùm quam triplicem considerationem triplex apud Theologos celebris est Ordinum Ecclesiasticorum divisio: *Primò* namque ratione prælationis & principatûs dividuntur in Hierarchicos, & non Hierarchicos. *Hierarchici* dicuntur, qui aliquam in populum Christianum præcellentiam, & prælationem important, ratione videlicet actionum hierarchicarum, quæ ttes vulgò numerantur à S. Dionysio in libris de cœlesti & Ecclesiastica Hierarchia, nimirum purgare, illuminare & perficere, juxta quam triplicem actionem tres in Ecclesia ab eodem S. Dionysio numerantur Ordines Hierarchici, nempe Episcoporum, quibus convenit actio perfectiva, quatenus per Sacramenta Confirmationis & Ordinis conferunt plenitudinem gratiæ & Spiritûs sancti. *Secundus* est Sacerdotum, quibus tribuitur vis illuminativa, eò quòd per Baptismum illuminent; nam effectus gratiæ Baptismatis est, mentem lumine fidei illustrare; unde apud Græcos appellatur Sacramentum illuminationis. *Tertius* denique est Diaconorum, quibus convenit officium purgandi, quatenus eorum est fideles per Evangelii prædicationem ad Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum susceptionem disponere; quod utique quoddam genus purgandi est. Quæ tamen actionum Hierarchicarum distributio non sic accipienda est, quasi unica duntaxat singulis conveniat: Diaconi quidem duntaxat actum purgandi habent; Presbyteri autem, cùm sint eis superiores, non solùm illuminandi, sed & purgandi virtutem obtinent: Episcopi verò triplicem hunc actum, ratione suæ in cæteros præeminentiæ exercere possunt. *Non Hierarchici* dicuntur Ordines illi, quibus nulla competit in populum Christianum prælatio, sivè præfectura, qualis omnino requiritur in Hierarchis, seu Principibus sacris; tales censeri debent quotquot sunt Ordinum Ecclesiasticorum gradus Diaconô inferiores.

1. In Hierarchicos & non Hierarchicos.

2. In sacros & non sacros.

Ratione autem materiæ, circa quam Ordines versantur, dividuntur in sacros; & non sacros: Licèt enim quilibet Ordo secundùm se sit sacer, cùm nullus sit, qui non sit signaculum quoddam sacrum; attamen ratione materiæ, circa quam quilibet Ordo habet aliquem actum, *Ordo sacer* & major ille dicitur, qui proximiùs ad Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam accedit: & hôc sensu tres sunt Ordines sacri, nempe Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus; etenim Presbyteratus occupatur circa corpus & sanguinem Christi conficiendum & offerendum; Diaconatus circa sanguinem populo dispensandum, & Subdiaconatus circa sacra vasa tenenda; unde etiam his tribus Ordinibus continentia injuncta est, ut videlicet illi Ministri sancti & puri Deo famulari, & sancta sanctè tractare valeant. Cæteri autem Ordines, quibus hoc Continentiæ votum non est annexum, nec conferunt facultatem contingendi, dicuntur *non sacri*.

3. In Majores & Minores.

Tertiò ratione gradûs, Ordines Ecclesiastici distribuuntur in Majores & Minores. *Majores* sunt Sacerdotium, Diaconatus, & Snbdiaconatus; Sacerdotium quidem, quia per illud destinatur ordinatus ad officium, quô nullum majus esse potest, atque divinius, videlicet ad corpus Christi conficiendum in Eucharistia, & illud offerendum Deo in sacrificium: Diaconatus verò, & Subdiaconatus, quia Diaconi, & Subdiaconi Sacerdoti consecranti & offerenti proximè assistunt, & ministrant ad Altare: cæteri autem inferiores Ordines dicuntur *Minores*, eò quòd in minori gradu consistant, nec cum Sacerdote altari assistant.

His ita prælibatis, duo hac in quæstione sunt determinanda: *Primum*, utrum in Ecclesia plures admittendi sint Ordines sacri: *Secundum*, quot, & quinam illi sint.

Conclusio Prima.

IV. In Ecclesia sunt plures Ordines. Ut definiunt Concilia.

R*Everà in Ecclesia sunt plures Ordines Ecclesiastici.* Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino, & constat ex decreto Eugenii; nec-non ex Tridentino sess. 23. can. 2. his

verbis : *Si quis dixeris , præter Sacerdotium , non esse in Ecclesia Catholicâ alios Ordines ; & majores & minores , per quos , velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur , anathema sit.* Suadetur autem hæc conclusio eò , quòd Ecclesia sit corpus Christi mysticum , cujus utique membrorum diversa sunt officia , quemadmodum diversa sunt munera membrorum corporis naturalis , ut egregiè colligit Apostolus ad Romanus cap. 12. *Sicut* , inquit, *in uno corpore multa membra habemus ; omnia autem membra non eundem actum habent ; ita multi unum corpus sumus in Christo : habentes autem donationes secundum gratiam , quæ data est nobis differentes , sive Prophetiam ratione fidei , sive ministerium in ministrando , sive qui docet in doctrina , sive qui exhortatur in exhortando.* Quibus verbis Apostolus significat , varia esse in Ecclesia ipsius Ministrorum officia , quod pariter docet 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4. Igitur pariter plures sunt ejusmodi Ministrorum Ordines.

Deinde , cùm Ministerium sacrum novi Testamenti longè dignius sit ac præstantius , quàm Testamenti veteris , etiam majori ac nobiliori Ministrorum apparatu hoc ministerium debet impleri: sed in veteri Testamento non solùm Sacerdotes, verùm etiam eorum Ministri , nempe Levitæ per ordinationem consecrabantur : igitur & in novo Testamento non solùm Sacerdotes , sed etiam eorum Ministri , per Ordinationem initiari debent & consecrari. *Denique,* ut ait Concilium Trident. sess. 23. cap. 2. *Non solùm de Sacerdotibus , sed & de Diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt , nempe Actor. 18. & 1. ad Timoth. 3. & quæ maximè in illorum Ordinatione , attendenda sunt, gravissimis verbis docet : & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina , atque uniuscujusque propria eorum ministeria , Subdiaconi scilicet , Acolythi . Exorcistæ , Lectoris & Ostiarii in usu fuisse cognoscunt , quamvis non pari gradu : nam Subdiaconatus ad majores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur , in quibus & de aliis inferioribus frequentissimè legimus.*

V. Et suadet triplex ratio congruentiæ.

Probatur insuper conclusio : triplici ratione congruitatis : *Primò* quidem, convenientissimum erat, ut plures in Ecclesia essent sacri Ministri ad majorem Sacerdotii dignitatem, & Sacrificii commendationem ac reverentiam : *Cùm enim* , inquit ibidem Concilium Tridentinum mox laudatum, *divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium , consentaneum fuit , quò dignius , & majori cum veneratione exerceri posset , ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures , & diversi essent Ministrorum Ordines , qui Sacerdotio ex officio deservirent , ita distributi , ut , qui jam Clericali tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* *Secundò* , id maximè conducebat ad divinæ sapientiæ commendationem : hæc enim in ordinata rerum distinctione , & dispositione præsertim elucet tam in naturalibus , quàm in spiritualibus ; enimverò si Regina Saba videns ordinem ministrantium in domo Salomonis non habebat ultra spiritum, deficiens in admiratione sapientiæ illius ; quantò magis divinam sapientiam commendasset , si compertum habuisset admirandum illum ordinem Sacerdotum , & Levitarum , qui in templo Deo famulabantur , & rebus sacris atque Sacrificiis intererant? *Tertiò* denique , id exigebat opportunè conferendum humanæ infirmitati subsidium: dum enim plures ad divini cultûs ministeria & officia mancipantur , ut omnes sint Dei cooperatores ad omnium salutem ; inde plurima hominibus suppetunt divina subsidia , quibus faciliùs saluti invigilare queant.

VI. Inde tamen non minuitur Sacramenti Ordinis virtus.

Dices primò : Quantò virtus aliqua est major, tantò minùs videtur multiplicanda. Sed Sacramentum Ordinis eâ ratione, quâ constituit homines in altiori gradu , quàm sunt reliqui fideles, dignius est aliis Sacramentis , ac subinde cùm alia Sacramenta non multiplicentur secundùm speciem ; non enim plura sunt specie distincta Baptismi Sacramenta : igitur multò minùs Sacramentum Ordinis distribui potest in alios Ordines specie diversos.

Distinguo majorem : Si cætera sint paria , concedo : secus , nego. Porrò omnia non sunt paria in illa comparatione , quæ instituitur inter Ordinem , & alia Sacramenta ; licèt enim Ordo sit dignior Baptismate , secundùm considerationem præfatam ; attamen inde non est consequens, quòd Ordo non debeat magis in plures Ordines distingui , quàm Baptismus in plures specie Baptismos. Ratio autem disparitatis est , quòd Baptismus , & alia ejusmodi Sacramenta ordinentur ad aliquos effectus percipiendos : at Ordo conceditur potissimùm ad actus exercendos ; unde juxta diversitatem actuum distingui debent diversi Ordines , per quos conceditur potestas ad agendum ; nam juxta diversitatem actuum distingui debent potentiæ.

Dices secundò : Si plures sint Ordines : igitur plura etiam erunt Sacramenta , quàm septem: sed consequens est absurdum , & contra communem Ecclesiæ sententiam : igitur , &c.

Respondet Doctor dist. 24. nu 11. *Quòd in divisione illa primaria Sacramenti in septem , Ordo, vel magis Ordinatio, est ibi tantùm unum membrum, licèt possit ulteriùs dividi in quadam specialia contenta sub ipso : quia illa prima divisio non est in species specialissimas , sed in quadam propinquius contenta sub ipso.* Quibus verbis significat , quòd etsi plures sint Ordines , id tamen non solvit primariam divisionem Sacramentorum in septenarium numerum : quamvis enim omnes Ordines essent Sacramenta propriè dicta ; inde tamen non solveretur ille septenarius Sacramentorum numerus ; quippe cùm omnes illi Ordines ad unum communem conceptum Ordinis , tanquam ad suum genus revocentur.

Instabis : Si omnes Ordines ad unicum conceptum revocari possent , tanquam ad genus, sequeretur quòd ille conceptus genericè prædicari posset de singulis Ordinibus , ac subinde cùm Ordo secundùm se sit Sacramentum , consequens esset , quòd singuli Ordines , non solùm majores, sed etiam minores , haberent veram & perfectam rationem Sacramenti : sicque plura essent Ordinis Sacramenta.

VII. Nec sequitur plura esse Sacramenta Ordinis.

Respondeo ad majorem , quòd etsi omnes Ordines conveniant in conceptu Ordinis tanquam in conceptu generico ; attamen conceptus ille non habet perfectam & completam rationem generis metaphysici , seu Logici , sed tantùm analogicam : cùm enim Ordo sit duntaxat aliquid morale , etiam habet duntaxat similitudinariam , & analogicam convenientiam cum rebus naturalibus ; non autem univocam & omnimodam. Unde licèt Ordo secundùm se propriè dici possit Sacramentum ; attamen ea ratio non tribuitur eôdem modô singulis Ordinibus : nam plenitudo Sacramenti Ordinis est in Sacerdotio ; in cæteris autem Ordinibus est aliqua duntaxat participatio, qua-

tenus videlicet omnes Ordines ad Sacerdotium tanquam subsidiaria ministeria ad capitale revocantur: omnes siquidem Ordines immediatè vel mediatè ordinantur ad Eucharistiam; cujus conficiendæ Minister est Sacerdos.

Insuper dico inde non sequi, quòd plura sint Ordinis Sacramenta: sicut enim in Eucharistia tam calix, quàm panis consecratus, licèt seorsim ab invicem veram, & essentialem rationem Sacramenti obtineant; non tamen propterea multiplex dicitur Eucharistiæ Sacramentum, eò quòd utraque species ad unionem ac perfectam spiritualem animæ refectionem ordinetur; ita licèt omnes, & singuli Ordines in esse physico videantur prorsus diversa esse Sacramenta, utpote quæ diversis constent materiis & formis; non tamen distincta efficiunt Sacramenta Ordinis; quia omnes ordinantur ad unum finem, videlicet ad solemnem Eucharistiæ confectionem, quæ ut fiat debitô & congruenti apparatu, hanc Ordinum diversitatem exigit.

Concevsio Secunda.

VIII.
Sunt tantùm septem Ordines propriè dicti.

SEptem dumtaxat in Ecclesia sunt admittendi Ecclesiastici Ordines propriè dicti. Videlicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcista, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Ita Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 5. verbis suprà laudatis: cui præiverat Concilium *Romanum* sub S. Sylvestro, ubi omnes illi gradus Ecclesiastici eôdem ordine recensentur ac à Patribus Concilii Tridentini: nam cap. 7. 8. & 9. ita legimus: *Sylvester voce clarâ dicebat ad Coepiscopos, ut à Subdiacono usque ad Lectorem omnes subditi essent Diacono Cardinali urbis Romæ, in Ecclesia honorem repræsentantes eidem: Pontifici verò Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius in omni loco repræsentent obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ. Nullus autem Subdiaconorum ad nuptias transire, ne aliquâ prævaricatione præsumpserit, præcipimus. Nullus Lector, vel Ostiarius, vasa sacrata audeat contingere, nullus Acolythorum rem sacratam à Presbytero jam alii porrigere: quia aliud est Minister, aliud assistens est, nisi tantùm supportet, quod ei Sacerdos imposuerit, suô ore benedictum.*

Ut definitum est in variis Conciliis.

Idem habent Concilia *Carthaginense quartum*, can. 3. & sequentibus, *Aquisgranense* celebratum tempore Stephani IV. summi Pontificis, ubi à capite 5. usque ad octavum, non solùm præfati septem Ordines referuntur, sed & traduntur ea, quæ spectant ad eorum institutionem.

IX.
Et assertum à summis Pontificibus.

Suffragantur pariter summi Pontifices; nam apud Eusebium lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 43. refertur fragmentum epistolæ S. Cornelii summi Pontificis ad Fabium Episcopum Antiochenum, in qua inter cætera testatur suô tempore in Ecclesia Romana; *Presbyteros quidem esse quatuor & quadraginta: Exorcistas, & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos: viduas denique cum infirmis & egenibus plusquam mille & quingentas. Quibus universis gratia & benignitas Dei alimenta suppeditat.* Similiter S. Caïus Papa & Martyr, ut refert S. Damasus in suo Pontificali, *constituit, ut omnes Ordines in Ecclesia sic ascenderent, si quis Episcopus fieri mereretur, ut esset Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur.* Idem statuit Gelasius Pontifex epist. ad Episcopos Lucaniæ, & idipsum expressè habetur in Pontificali Romano jussu Clementis octavi, & Urbani octavi recognito, & edito. Idem firmatur authoritate SS. Patrum, maximè *S. Cypriani*, qui pluribi meminit Presbyterorum & Diaconorum, maximè in epistolis scriptis ad Clerum Romanum, quas inscribere solet, *Presbyteris, & Diaconibus Romæ consistentibus.* Similiter epist. 24. meminit Subdiaconatûs, & Diaconatûs, scribens enim ad Clerum Romanum, ait: *Fecisse me autem sciatis Lectorem Saturum, & Hyppodiaconum Optatum Confessorem, quos jam pridem communi consiliò Clero proximos feceramus.* Et epist. 55. meminit Feliciani *Acolythi* à Cornelio ad ipsum missi, per quem ad eundem rescripserat.

Et SS. Patribus.

S. Cypriano.

Licèt autem apud ipsum S. Cyprianum non occurrat mentio Ostiariorum, tamen tunc temporis officium istud viguisse, apertè constat ex iis, quæ scribit S. Gregorius orat. 18. quæ est de laudibus S. Cypriani (quem ex errore apud Græcos satis vulgari; confundit cum alio Cypriano, qui ex Mago factus est Martyr suasione S. Justinæ Martyris, quem dæmonum ope ad turpia sollicitare nisus fuerat.) De eo, inquam, narrat S. Gregorius, ipsum antequam fieret Episcopus, factum fuisse *Æditum*; hoc est, ut explicat Jacobus Bilius in suis ad præfatam orationem Nazianzeni notis, Ministrum, cui templum expurgare, & mundare, ac claudere incumberet; quod utique munus est Ostiariorum. Quod insuper confirmatur authoritate Aldhelmi Saxonum Orientalium in Anglia Episcopi; capite enim 25. libri de Laudibus Virginitatis disertè scribit S. Cyprianum per cæteros Ecclesiæ gradus paulatim proficientem ad summum Pontificatûs apicem fœliciter pervenisse.

S. Hieronymo.

Idem quoque testatur S. Hieronymus: nam in Commentario capitis 3. epist. ad Titum meminit omnium Ordinum, præter quàm Subdiaconorum, & Acolythorum: sed *Subdiaconorum* mentionem facit epist. 91. quæ est ad S. Augustinum, & *Acolythorum* epistolâ 2. quæ est ad Nepotianum.

Et aliis plurimis Scriptoribus Ecclesiasticis.

Favent pariter omnes rerum Ecclesiasticarum Scriptores, maximè *S. Isidorus Hispalensis Episcopus* lib. 7. ethymologiarum cap. 12. & *Venerabilis Beda* in Collectaneis cap. 10. de septem Ordinibus, *Alcuinus* lib. de Ecclesiasticis officiis cap. 9. & sequentibus, *Ivo Carnotensis* parte 2. sui decreti cap. 5. & sequentibus, *Hugo à S. Victore* lib. 1. de Sacramentis parte 3. cap. 5. qui omnes septem Ordines Ecclesiasticos numerant. Idem constanter propugnant omnes Theologiæ Principes, quibus præivit Magister sentent. dist. 24. ubi distinctè singulorum Ordinum munus, & dignitatem explicat.

Hunc autem septenarium Ordinum numerum sic colligit & probat Seraphicus Doctor, *dist.* 24. *parte* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. ex parte finis, in quem Ordines collimant, & propter quem fuerunt instituti, nempe ad Christi corpus solemniter consecrandum & dispensandum, nec-non ad instituendam & fovendam sanctitatem corporis mystici: Nam in Sacerdotio, *inquit*, est status, in „ quo est consummatio potestatis, & utraque po- „ testas in ipso concurrit, scilicet conficiendi cor- „ pus Christi verum, & absolvendi mysticum. Hic „ autem ordo nobilissimus debet habere Ordines „ sibi subministrantes secundùm exigentiam hujus „ duplicis potentiæ. Unde quidam ministrant quan- „ tùm ad corpus Christi verum: & hi sunt Ordi- „

nes ipsi Sacerdotio propinquiores.

X.

Hunc septenarium numerum claré colligit S. Bonaventura.

Nam dupliciter est ministrare, aut accipiendo hostias à plebe, & hoc est Subdiaconi: aut offerendo Sacerdoti, & hoc est, Diaconi, & illud est principale eorum officium, sicut expressè innuit S. Isidorus: & hoc est quod sic denominatur, scilicet *Diaconus*, quasi Minister, aut *Subdiaconus*, quasi subminister: alii verò inferiores subministrant, sive subserviunt præparando corpus Christi mysticum ad hoc, quod possit perduci ad verum dignè percipiendum: & ad hoc sunt quatuor Ordines, secundùm quod quadrupliciter potest ad hoc præparari. *Primô modô*, admittendo ad locum sacrum: & hoc est Ostiariorum. *Secundò*, præbendo documentum, & hoc est Lectorum. *Tertiò*, præstando auxilium: & hoc est Exorcistarum. *Quartò*, monstrando bonum exemplum, & hoc est, Ceroferariorum, sive Acolythorum, ad quos pertinet, ut luceat lux eorum coram hominibus, ut videant: & sic patet, quòd mirô modô procedit Ordo à multitudine in unitatem. Nam principalis gradus est unus, cui & subservientes debent esse duo: quia enim à primo deficiunt, vadunt in dualitatem, & rursus subservientes duobus sunt quatuor: quia deficiunt etiam ab illis, & sic patet perfectio, & consummatio Ordinum: & distinctio in numero septenario secundùm gradus potestatum, quæ sunt essentiales Ordini, quarum numerus, & sufficientia sumitur penes id, ad quod directæ sunt.

Et S. Thomas.

Simili penè ratiocinandi modô S. Thomas t. in supplemento *quæst.* 37. *art.* 2. hunc septenarium Ordinum numerum colligit ex ordine & respectu ad sacro-sanctam Eucharistiam, quam constat esse Sacramentorum maximum, sicut ait S. Dionysius cap. 3. de Hierarchia Ecclesiastica; quemadmodum enim templum & Altare, vasa & vestes, ita & Ministri, qui ad Eucharistiam ordinant, consecratione indigent, propter dignitatem ac reverentiam tanti Sacramenti; & ejusmodi consecratio in Ministris, est id quod Ordinis nomine significatur: sicut Ordinum distinctio colligenda est secundùm habitudinem & respectum ad Eucharistiam; quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium pertinens ad Eucharistiæ Sacramentum: quò igitur quisque prædictorum Ordinum propiùs ad Eucharistiam accedit, eò præstantior est, atque sublimior; quamobrem Sacerdotum Ordo, quorum munus est Eucharistiam istam conficere, est omnium dignissimus; reliqui verò Ordines ejusmodi potestatem ac vim non habent: sed omnes sunt in subsidium & ministerium Sacerdotis, cui cooperantur & famolantur. Portò eorum cooperatio seu ministerium duobus modis spectari potest, vel in ordine ad Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes; sive in ordine ad Sacramenti Eucharistiæ confectionem, vel ad ejus dispensationem. Iuxta priorem considerationem & habitudinem triplex distinguendus est Ordo ministrantium Sacerdoti in ipsa Sacramenti confectione: *Primus* est Diaconorum, qui Sacerdoti Eucharistiam conficienti proximè ministrant; in ipsius enim manibus deponunt materiam sacrandam, videlicet panem & vinum; unde per antonomasiam dicuntur Diaconi, id est, Ministri; id enim sonat ipsum Diaconi vocabulum, quod origine Græcum est: *Secundus* est Subdiaconorum, qui etiam Hyppodiaconi dicuntur, id est, Subministri, eò quòd ipsi Diaconis ministrent materiam consecrandam, nec-non deponant in vasis sacris, in quibus conficitur Sacramentum; unde Diaconi assimilantur Levitis, qui in lege veteri proximè ministrabant victimas, & famulabantur Sacerdotibus offerentibus: Subdiaconi verò, inquit Hugo Victorinus, sunt similes Nathinæis, qui sicut legitur lib. 1. Esdræ cap. 20. erant Levitarum Ministri; *Tertius est* Acolythorum, ad quos pertinet materiam in calice consecrandam, videlicet vinum & aquam in urceolis præparare; proinde & in ordinatione sua urceolum vacuum accipit Acolythus, & postmodom subministrat Diacono, cui debet urceolos, sive ampullas com vino & aqua offerre. Juxta posteriorem considerationem; videlicet per respectum ad suscipientes, & legitimam Eucharistiæ dispensationem, quæ fieri non potest, nisi præparatis, & ad eam suscipiendam rectè dispositis, tres etiam distingui debent Ministrorum Ecclesiasticorum Ordines; quia ministerium ad legitimam præparationem eorum, qui Eucharistiam suscepturi sont, non potest esse, nisi super immundos; qui enim mundi sunt, jam sunt ad legitimam Sacramentorum susceptionem idonei.

Triplex autem hôc locô distingui debet genus mundationis, juxta doctrinam à S. Dionysio traditam cap. 3. lib. de Hierarchia Eccles. parte 3. *Primum* est infidelium, qui omnino credere nolunt, qui proinde à cœtu fidelium arcendi sunt, utpote indigni qui sacris intersint mysteriis, & hoc pertinet ad Ostiarios, quorum officium est aperire Ecclesiam, ejusque ingressum prohibere notoriè indignis, & infidelibus. *Secundum* est eorum, qui fidem suscipere volunt, sed in fide nondum satis sunt instructi, quales sunt Catechumeni, ad quorum instructionem ordinantur Lectores, quorum proinde est, prima fidei rudimenta tradere, præsertim ex veteri Testamento, Scripturisque Propheticis, quæ scilicet veluti est quædam introductio ad legem novam, quarum idcirco lectio iis committitur. *Tertium denique* genus mundationis est eorum, qui tametsi fideles, & instructi sint in fide, impedimentum tamen habent ex dæmonii potestate, tales sunt energumeni, sive arreptitii, ad quorum emundationem instituti sunt Exorcistæ. Sic ergo patet, quòd ii debeant esse Ordines Ecclesiastici, non plures, neque pauciores, neque etiam alii, quàm qui à nobis sunt enumerati.

Objicies primò: Tres tantùm sunt Ordines: igitur non est septenarius eorum numerus. Probatur antecedens: *Primò* quidem quia Scriptura trium duntaxat Ordinum meminit, nempe Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum; aliorum autem Ordinum ne levis quidem apud ipsam est mentio: *Secundò*, ex S. Dionysio lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. ubi trium etiam eorundem Ordinum muneta & nomina exprimit; ac subinde non censet septem esse Ordines. *Tertiò* ex S. Hieronymo in caput 19. Isaïæ, ubi recenset duntaxat quinque diversos status, videlicet Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Fidelium, & Catechumenorum: igitur existimat alios Ecclesiæ Ministros Diaconô inferiores, non distingui à fidelium vulgo; ac subinde illos non esse aliquô ordine consecratos, & initiatos; sicque tantùm tres Ordines admittit. *Quartò* denique idipsum suadet ratio Theologica: Ordines namque Ecclesiæ referuntur ad actus Hierarchicos: sed tres solùm sunt Ordines Hierarchici, nempe purgare, illuminare, & perficere, quorum

primus Diaconis, secundus Presbyteris, tertius solis Episcopis congruit, ut jam semel & iterum diximus: igitur revera non est septenarius Ordinum numerus.

Cur sacra Scriptura trium tantùm Ordinum meminerit.

Ad primum respondet Doctor *dist.* 24. *nn.* 12. quòd in primitiva Ecclesia erant pauci credentes, & ideo pauci Ministri sufficiebant ad dispensandum eis Eucharistiam: & ideo non oportuit tunc Ministros in singulis gradibus institui; post autem multiplicata est fides, & etiam concomitabatur devotio ad communicandum quotidie, & tunc fuit necessitas habendi multot Ministros ad singula ministeria ad Eucharistiam pertinentia: & ideo tunc Ecclesia multos Ministros in singulis gradibus instituit. Nec tamen tunc de novo instituti sunt illi Ordines; imò Magister in littera dicit, quòd Christus actus singulorum Ordinum in seipso exercuit; & etiam quòd antiquitus præfigurabantur in quibusdam gradibus correspondentibus eis in lege Mosayca. Sed Ordines ab antiquo instituti, tunc quando multiplicatus est numerus fidelium, collati sunt Ministris, quos priùs non oportuit conferri alicui: quia non fuit priùs necessarium ejus Ministerium. Hæc est etiam ratio, quare modò in Ecclesia non sunt in singulis Ordinibus determinati Ministri; quia etsi modò sit multiplicata multitudo fidelium; tamen est immutata lætitia devotione. Unde multi vix semel in anno volunt communicare; & ideo circa Eucharistiam dispensandam non oportet modò tot Ministros assistere. Et propter hoc quatuor Ordioes noo sacri simul conferuntur; ita quòd nullus est deputatus ad ministrandum in gradu inferiori, quasi ille sibi proprius, & alius alii. *Hæc Doctor.*

Optimè explicat Subtilis Doctor.

Quibus verbis significat, quòd idcirco Scriptura sacra trium illorum Ordinum duntaxat expressè meminerit; quia propter paucitatem fidelium, omnia inferiorum Ordinum ministeria Diaconis committebantur: successu verò temporis cùm in dies multiplicaretur fidelium numerus, nec jam commissa sibi inferiorum Ordinum Ministeria Diaconi per seipsos debitè possent implere, ea ministeria, quæ ab invicem erant separabilia, sunt separata, & in diversos Ministros distributa. Unde in Ecclesiæ officiorum apparatu, & multiplicatione idem fermè contigit, quod contingere solet iis, qui ex pauperibus divites fiunt; quemadmodum enim qui in tenui fortuna victitant, sibiipsis famulantur, ac necessaria sibi parant, & ministrant; fortunâ autem pinguiore factâ servulum sibi comparant, atque eo solô contenti per ipsum viliora & humiliora administrant: fœcundiorem verò posteà, ac opulentiorem nacti fortunam, familiam amplificant, eóque magis, quò fœliciùs ac prosperiùs res illis succedunt, adeout si spectabiles & illustres evaserint, multitudine servorum comparatâ singula singulis suæ domûs ministeria cum subordinatione distribuunt. Idem pene in Ecclesia contigit; initiò namque solos habuit Apostolos, qui omnium Ordinum ministeria implerent; crescente verò fidelium multitudine judicârunt Apostoli, bonum & æquum non esse relinquere verbum Dei, & ministrare mensis: quapropter, ut legitur Actor. 6. selegerunt septem Diaconos, qui sibi famulabantur in Ecclesiæ administratione; unde mos inolevit, ut Sacerdotes in Officiis publicis vix quidquam sine Diaconis agerent. Evadente verò postmodum Ecclesiâ in numerosam plebem, & auctis ex fidelium oblationibus ejus divitiis, unde sacri Ministri sustentari valerent, Diaconis allecti sunt Subdiaconi. Verùm postquam in universum penè orbem propagata est, his sacrorum Officiorum Ministris non contenta, inferiorum Ordinum ministeria, quæ per Subdiaconos implebantur, cœperunt singulis, ac distinctis personis distribui, quo majori cum apparatu & pompa divinum Officium persolveretur, & celebraretur augustissimum Ecclesiæ Sacrificium; quemadmodum nunc fit in majoribus Ecclesiis, quamquam in Ecclesiis inferioribus, & pauperibus, quales sunt ut plurimùm rurales, omnia ejusmodi ministeria sacra per solum Curatum & Pastorem impleantur.

Nota.

XI.

Quare tres tantùm Ordines aliquando assignaverit S. Dionysius.

Ad secnndum dico, idcircò S. Dionysium eô locô trium duntaxat Ordinum illorum meminisse, quòd ibi ipsius propositum non erat, quoscunque Ordines Ecclesiasticos recensere, sed eos duntaxat, qui propriè sunt Hierarchici, per quos nimirum Ecclesiæ Ministri, aliquô modô præsunt populo Christiano; tales verò sunt Episcopi, Sacerdotes, & Diaconi; licèt enim Diaconi dicantur Ministri respectivè ad Sacerdotes, quibus in sacris faciendis & dispensandis famulantur; attamen dici possunt etiam Præsules comparativè ad plebem, quippe præsunt ministeriis verbi & doctrinæ. Unde S. Ignatius epist. ad Trallianos scribit: *Subjecti estote Episcopo, similiter & Presbyteris atque Diaconis.* Et S. Hieronymus in cap. 2. epist ad Titum: *Non solum*, inquit, *Episcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnoperè pravidere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, & scientiâ præcedant: verùm & inferiores gradus Exorcista, Lectoris, & omnes omnino qui domui Dei serviunt.* Porrò, quod S. Dionysius etiam inferiorum Ordinum meminerit, patet ex cap. 3. ejusdem libri, dum ait, Ecclesiæ Ministros alios in Ecclesia Scripturas legere, alios Ecclesiæ fores custodire, & energumenos, Catechumenos, ac pœnitentes ab ea ejicere tempore divini Sacrificii; scribit enim juxta Corderii versionem: *Pontifex precem sacram ad altare Dei celebraturus, ab ejusdem suffitione initium faciens, universum circuit Chori ambitum, donec rursum ad altare divinum rediens sacrum incipit Psalmorum melos, omni Ordine Ecclesiasticô sacram ipsi Psalmodiam succinente. Per Ministros exinde consequenter sacrarum Scripturarum lectio recitatur: quâ finitâ, sacrô ambitu arcentur Catechumeni, & cum iis energumeni ac pœnitentes, illis qui divinorum aspectu, & Communione digni sunt remanentibus. Porrò Ministrorum quidem alii clausis templi foribus assistunt, alii verò aliud quidpiam quod sit Ordinis sui agunt. Qui autem in Ministrorum Ordine primas tenent, unà cum Sacerdotibus divino more panem sacrum calicemque benedictionis imponunt, ab universa plenitudine Ecclesiæ communi hymnologiâ præmissâ.*

Cùm plures alibi nominaverit.

Nec obstat, quòd S. Maximus Martyr, & Pachimeres S. Dionysii Interpretes nomine *Ministrorum*, quos hîc à *selectis* distinguunt, intelligant Hyppodiaconos, sive Subdiaconos: hoc, inquam non obstat, quippe latiùs usurpatô *Hyppodiaconi* vocabulô, eos omnes Diacono inferiores Ministros comprehendunt; quippe cùm omnes Diacono subsint: quâ ratione dici possunt Subdiaconi, idest, subjacentes Diacono.

XI.

Quô sensu S. Hieronymus as-

Ad tertium dico S. Hieronymum eô locô non tam loqui de Ordinibus Clericorum, quàm Christianorum generatim, ut videlicet ex quinario illo fidelium numero, Ecclesiæ adaptaret illud vati-

ſeruerit tres tantū eſſe Ordines.

„ einium Iſaiæ 19. his verbis expreſſum. In die illa „ erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquen- „ tes terra Chanean, & jurantes per Dominum „ exercituum: *Civitas Solis vocabitur una*, &c. Quod utique oraculum ut faciliùs de Eeclefia interpretaretur, fideles omnes ad quinque Ordines reducit, nempe Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos, qui inter Clericos primas obtinent, quibns adjicit duos fidelium Ordines, nempe Baptizatorum, & Catechumenorum, ut videlicet nniverſam Eccleſiam quinariô illô civitatum numerô expreſſam fuiſſe demonſtraret.

XIII. Omnes Ordines per ſe & directè, non referuntur ad actus Hierarchicos.

Ad quartum distinguo antecedens: Eccleſiæ Ordines referuntur ad actus Hierarchicos, conſequenter & ſecundariò, concedo: Directè & primariò, nego: Omnes enim Ordines directè & primariò teferuntur ad Euchariſtiam, & corpus Chriſti verum conficiendum, aut miniſtrandum. Quamobrem eorum diſtinctio & multiplicatio repeti debet ex habitudine diverſa, & multiplicitate miniſterii, circa ipſius Euchariſtiæ confectionem & diſpenſationem; ex qua utique poteſtate in corpus Chriſti verum, ſequitur poteſtas in corpus Chriſti myſticum, nempe Eccleſiam; circa quam ordinatè exercent actus Hierarchicos, fideles perficiendo, illuminando, & purgando. Porrò S. Dionyſius, cùm diſtinguit Ordines ſecundùm actus Hierarchicos, non attendit ad eorum primam habitudinem, ſed tantùm ad ſecundariam; unde eô locô tantùm meminit Eccleſiæ Miniſtrorum, qui aliqnam in Eccleſiam circa corpus Chriſti myſticum authoritatem exercent, quales tantùm ſunt Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi.

Objicies ſecundò: Tot ſunt, & non plures diſtincti Ordines, quot ab utraque Eccleſia Orientali; & Occidentali admittuntur; ſed quatuor duntaxat ab utraque Eccleſia admittuntur: igitur: &c. Major conſtat. Minor probatur; ſiquidem, ut notant Arcudius *lib. 6. cap. 9.* Eccleſia Græca ex cunctis Ordinibus minoribus, ſolum *Lectoris* Ordinem retinuit: nam Exorciſtæ Ordo penitus ſublatus eſt, illiuſque munere Sacerdos ſolus fungitur; ut etiam fit apud Latinos: Janitoris autem officium exercetur à Subdiacono, qui pariter implet munus Acolythi: vel hoc officium exercetur à Lectore, ut teſtatur Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus lib. de ſacris Ordinationibus cap. s. & 2.

XIV. Græci recentiores quatuor tantùm Ordines agnoſcunt.

Cujus utique obſervantiæ, & praxis non levia extant argumenta, & monumenta; ſiquidem in Eeclefia Orientali uſitatum fuit, ut per ſolos Lectoris & Subdiaconi gradua ad Diaconatum, & Preſbyteratum, & Epiſcopatum aſcenderetur; ita enim teſtatur Nicetas in vita S. Ignatii Conſtantinopolitani Patriarchæ, dum ait ipſum primò Lectorem, ſacrarumque litterarum præconem; deinde Hyppodiaconum, tum Diaconum, ac deinceps Sacerdotem ordine ac lege Eccleſiaſticorum graduum fuiſſe conſecratum. Similiter S. Joannes Damaſcenus in Dialog. contra Manichæos, loquens de Lectoris gradu, ut demonſtraret *principii* vocabulum eſſe æquivocum, variis ad id prolatis exemplis, ait: *Principium inſuper quoque de Ordine dicitur, ut prima dignitas Lector eſt, deinde Subdiaconus, poſt Diaconus, poſt Presbyter; atque demum Epiſcopus:* Similiter habet *Elias Cretenſis* in commentario ad orationem 93. S. Gregorii Nazianzeni.

Idem pariter apparet ex Ritibus Græcis à Clemente octavo Romano Pontifice probatis, ubi traditur cæremonia, & praxis quâ conſecrandi ſint Epiſcopi, Preſbyteri, Hyppodiaconi & Lectores, ubi nulla fit mentio aliorum minorum Ordinum; quamobrem Joannes Octavus, pace cum Photio initâ, reſcribens ad Græcorum Imperatores, non aſtringit Græcos ad alios Ordines ſuſcipiendos, quàm Lectoratûs, Subdiaconatûs, & alios uſque ad Epiſcopatum conſequentes: teſtaturque ſe id ſecundùm Canones præcipere; ſic enim in præfata epiſtola, quæ apud illum eſt num. 99. *Volumus autem*, inquit, *ut talis promoveatur per ſingulos gradus Eccleſiaſticos probatus, ut ſit primum Lector, deinde Acolythus, poſteà Diaconus, tum Presbyter... Hôc modô decet veſtros Patriarchas promoveri, non repentè percipere ſingulos gradus, ut in domo Dei nihil inveniatur incompoſitum, aut inordinatum*, &c. ubi nomine *Acolythi* Subdiaconum intelligit, quippe Græci tribnunt ea omnia officia Subdiaconis, quæ Latini ſuis Acolythis committere ſolent. Idipſum pariter conſtat ex libro de jure, qui eſt Imperatorum Baſilii, Conſtantini, & Leonis cap. 1. ubi ſic habetur: *Epiſcopus eſt obſervator & curator omnium ad Eccleſiam pertinentium animarum, qui in ejus provincia ſunt, habens poteſtatem initiandi Presbyterum, Hyppodiaconum, Lectorem, Cantorem, & Monachum;* quod utique refertur in fiue Libri quinti Juris Orientalis.

XV. Sed per ram.

Nego minorem, & ad omnes illius probationes dico, antiquitus omnes eos Ordines in uſu fuiſſe apud Græcos, ac proinde recentiorem & nuperam eſſe prædictam Græcorum conſuetudinem, quâ ex quatuor Minoribus ſolùm retinent Lectoris Ordinem, tribus aliis omiſſis & neglectis; quæ utique recentior conſuetudo emendari debet per veterem illam ab utraque Eccleſia receptam Ordinum diſtinctionem, etiam ab ipſis SS. Patribus Græcis commendatam, ut conſtat ex *S. Dionyſio* locis citatis, nec-non & ex *S. Ignatio Martyre*, vel quôvis aliô antiquiſſimô Scriptore Græco epiſt. ad Antiochenos, ubi cùm ad Martyrium raperetur, inter cætera ſcribit: *Saluto ſanctum Presbyterium, ſaluto ſacros Diaconos, ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores.*

Damntur enim Eccleſiæ Patribus Græcis

Similiter *S. Epiphanius* in compendiaria vera doctrina, quæ eſt poſt hæreſim 80. aliquantulum ante finem, varios recenſet Ordines, Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & addit: *Poſt Sacerdotium reliquus eſt Ordo Lectorum, qui poſſunt eſſe Virgines, ſolitarii, continentes, vidui, uxorati, & ſcopus fuerit, mortuâ primâ uxore, bigami: Deinceps, inquit, poſt hos, Exorciſta, & Interpres linguarum, &c. Conſequenter Laboratores, qui corpora dormientium componunt, & Ianitores, totaque boni ordinis diſciplina. Concilium Laodicenum can. 24. Non oportet ſacris officiis deditos à Presbyteris uſque ad Diaconos, ac deinceps Eccleſiaſtici Ordinis uſque ad Miniſtros, ſeu Lectores, ſeu Cantores, aut Oſtiarios, ſeu etiam eos, qui ſunt ordinis aſcetarum hoc eſt, Monachorum in rerum divinarum meditatione ſe exercentium, cauponam ingredi.*

His addi poteſt *Euſebius cap.* 21. ſupplementi ſecundi ad librum octavum hiſtoriæ ſuæ, quod eſt de Martyribus Paleſtinis, ubi legimus, Romanum Martyrem dici Diaconum & Exorciſtam Eccleſiæ Cæſarienſis. Et lib. 3. de vita Conſtantini cap. 8. ſcribit vix recenſeri poſſe numerum Preſbyterorum, qui Nicenæ Synodo interfuerunt, Epiſcopos comitati. Similiter & Diaconorum, Aco-

lythorum, aliorumque complurium. Idem habet *Socrates* lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. ubi iisdem pene quibus Eusebius verbis testatur, tantam fuisse Presbyterorum, Diaconorum, & Acolythorum multitudinem, qui Episcopos comitati sunt in Concilio Niceno, ut illi vix numerari potuerint. Acolythos quoque disertè nominant *Nycephorus* lib. 8. Ecclesiasticæ Hist. cap. 14. ubi idem quod præfati recenset: & Justinianus Imperator novellâ 3. cap. 1. & 2. Ostiarios inter alios Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clericos & Ministros numerat. Ostiariorum quoque meminit Heraclius Imperator, & quidem tanquam Ordinis ab Ordine Subdiaconorum, aliisque Clericorum Ordinibus distincti, in novella constitutionis suæ, quâ statuit, quòd determinatus esse debeat numerus Clericorum, sanctissimæ matricis Ecclesiæ, quæ est Constantinopoli, nec-non & S. Mariæ, quæ in Blachernis colitur.

Tandem Concilium Quinisextum, seu *Trullanum* celebratum anno Christi 692. Ostiarios cæteris Ecclesiæ Ordinibus adjungit can. 6. ubi sic fatur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Cantor, vel Lector, vel Ostiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Sponsæ Christi vitium attulerit: sin autem Laicus, segregetur.* Quibus verbis disertè ostendit Ostiarios a Laicis distingui; ac proinde eos ad Clerum pertinere; id quod etiam demonstrat pœna depositionis, quâ plecti debent; cùm enim Laici non sint in Ordine Ecclesiastico, ab eo etiam non possunt excidere, aut deponi, sed à fidelium cœtu per Excommunicationem duntaxat segregari, & removeri. Falsum est ergo, quod affirmat Morinus part. 3. de sacris Ordinationibus exercitatione 14. cap. 1. ab annis mille supra centum nullam fuisse apud Orientales trium minorum Ordinum memoriam, nempe Ostiariorum, Exorcistarum, & Acolythorum; quippe cùm contrarium revincant omnia momenta, quæ mox protulimus, maximè verò ex Concilio Trullano.

XVI.
Hinc proscribitur Morini sententia.

Reponit Morinus ibidem num. 14. Patres Trullanos meminisse tantùm *Ostiariorum*, ut Officialium Ecclesiæ, non verò ut Clericorum aliquô Ordine initiatorum, alioquin contradicerent Justiniano Imperatori, qui annis 150. eos præcessit, quique Ostiarios Clericis Ecclesiæ Ministris duntaxat adjunxit, ut Officiales, non ut initiatos aliquô Ordine. Quod utique confirmat ex can. 6. ejusdem Concilii, ubi sic legimus: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est eorum, qui non ductâ uxore in Clerum promoventur, solos Lectores & Cantores uxorem posse ducere: & nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hyppodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui ordinationem, conjugium contrahere liceat.* Ex mente igitur Concilii, inquit, Ostiarii non sunt Clero adhibendi. Nam Ostiarii possunt uxores ducere: sed soli Lectores, & Cantores ex Clericis possunt uxores ducere. Ostiarii igitur qui idem possunt, ex mente Patrum ad Clerum non pertinent. Ita Morinus.

Verùm, si quæ sit in sexto isto Canone obscuritas, elevare non debet authoritatem canonis quarti ejusdem Concilii, in quo disertis verbis, ut constat, Ostiarii à Laïcis secernuntur, quippe cùm eidem pœnæ, quâ Clerici subjacere debeant; absurdum enim est evidentia exponere per obscura, cùm obscura potius & ambigua debeant explicari per ea, quæ certa sunt, & evidentia.

Et illius responsio dissolvitur.

Facilè autem duo illi Canones conciliari possunt, dicendo id quod prædictô *Canone 6.* dicitur de Lectoribus & Cantoribus, debere a fortiore intelligi de Ostiariis, & pari jure de aliis Ordinibus, qui sunt infra Subdiaconatum. Unde quando dicit eorum qui non ductâ uxore in Clerum promoventur, solos Lectores & Cantores uxorem posse ducere, nomine *Lectorum* non sunt intelligendi soli Lectores, quatenus distinguuntur ab Ostiariis, & aliis minorum Ordinum Clericis, sed prout opponuntur Subdiaconis; quemadmodum colligi potest ex postremis ejusdem canonis verbis a Morino prætermissis, quæ hæc sunt: *Si quis autem eorum velit lege Matrimonii mulieri conjungi, antequam Hyppodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.* Ubi signanter notanda sunt verba: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt*, quæ generalia sunt, & Clericos omnes comprehendunt, quæ tamen hòc locô significant eos, qui Lectorum nomine designantur in priori parte præfati canonis: Porrò, quòd etiam Græci recentiores præter Lectorum ordinem, agnoscant etiam inferiorum Ordinum gradus, pluribus testimoniis suadebimus art. sequ. ubi sermo erit de singulis Ordinibus in specie, & solvemus pariter omnia momenta, quibus ipse Morinus suam sententiam tueri nititur, ut videlicet ostendat, tres præfatos inferiores Ordines in Orientali Ecclesia ab ipsis pene Apostolorum temporibus non fuisse memoratos, & in praxi.

XVII.
Aliqui Patres videntur plures Ordines numerare quàm septem; eis adjungendo Ordines. *Laborantium. Fossariorũ.*

Objicies tertiò: SS. Patres multò plures Ordines numerant, quàm septem à nobis suprà numeratos: ergo reverà non est septenarius Ordinum numerus. Probatur antecedens, *Primò* quidem authoritate eorum, qui præter septem recensitos Ordines adhuc Ordinem *Laborantium* assignant: sic *S. Ignatius Martyr*, vel quisquis ast author epistolæ ad Antiochenos, & S. Epiphanius in fine panarii, sive operis contra hæreses: *Secundò*, ex sententia eorum, qui cæteris Clericorum Ordinibus annumerant Ordinem *Fossariorum*; eorum videlicet qui sepeliendis fidelium corporibus suam operam impendunt; quemadmodum habetur ex S. Epiphanio locô mox laudatô, ubi Laborantes una cum Fossoribus computat: *Sequuntur*, inquit, *Laborantes, qui mortuorum corpora curant.* Eos pariter S. Basilius, & S. Chrysostomos in suis Liturgiis à reliqua plebe non tantùm distinguunt, sed etiam ante Cantores constituunt. *Tertiò* probatur ex iis, qui Clericorum Ordinibus accensent *Confessores*. Ita S. Ignatius locô mox laudatô, & S. Clemens Romanus lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 23. ubi pariter asserit, magnô honore dignum esse Confessorem, ut qui coram Gentibus & Regibus confessus sit nomen Dei, & Christi ejus; additque, *Quòd si opus eô fuerit, in Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum ordinetur. Quartò*, S. Sylvester summus Pontifex Clericorum Ordinibus assignat *Martyrum Custodes*, ut videre est in epilogo Synodi Romanæ, nec-non in Pontificali Damasi, ubi *circa eos, qui in Ecclesia militare ac proficere desiderant, statuisse dicitur, ut non solùm in singulis gradibus aliquô temporum intervallo morarentur, sed etiam ut per quinque annos Martyrum Custodes existant, antequam ad sacros Diaconatûs & Presbyteratûs Ordines ascendant.* Per Custodes Martyrum autem illi videntur intelligi, quibus demandata erat custodia Martyrii, seu Ecclesiæ Sanctuarii, in quo subtus altare, veluti sacellum erat, ubi Martyrum corpora erant recondita, in quem

Confessorũ.

Martyrum Custodum.

locum descedebatur per aliquot gradus; qui pariter locus apud Latinos dicebatur Confessio: sic etiam nunc Romæ *Confessio S. Petri*, dicitur Sanctuarium sub Altare, ubi corpus S. Petri priùs fuit sepultum. Custos igitur illius Sanctuarii, dicebatur custus Martyrii. *Quintò*, præfatis Ordinibus annumerari videntur *Notarii*, seu Scriptores rerum Ecclesiasticarum, præsertim verò passionum SS. Martyrum: nam Gelasius summus Pontifex in epist. ad Episcopos Lucaniæ, vult Monachum ex ejusmodi Ordine, aut alio simili institui. Quod utique etiam firmat Ennodius Episcopus Ticinensis in vita S. Antonii Monachi Lyrinensis, quem refert à Constantino Episcopo inter Ecclesiasticos Exceptores, seu Notarios; cœlestem militiam jussum ordiri. Favet etiam Pontificale, seu liber in quo describuntur vitæ Pontificum Romanorum in Adriano primo, ubi recenset prædictum Adrianum initiò Notarium regionalium, deinde Subdiaconum, posteà Diaconum, tandem ad summi Pontificatûs apicem pervenisse. Eorum pariter munus erat Psalmos, & alios Scripturæ sacræ libros, vel in Ecclesia, vel coram Episcopo legere, ut insinuat Simeon Metaphrastes in actis SS. Martyrum Martialis & Martini, quæ referuntur apud Surium die 25. Octobris. Spectabat etiam ad Officium hujusmodi Notariorum, ut pedum pastorale coram Episcopo deferrent; sicut legitur lib. 2. de vita & miraculis S. Cæsarii Arelatensis Episcopi, ubi inter cætera hæc habentur: *Cùm vir Dei Cæsarius per eadem loca ad sandem pergeret Ecclesiam, Clericus cui cura erat baculum illius portare, quod Notariorum officium erat, oblitus est*, &c. *Denique* his omnibus Gelasius Pontifex laudata epist. ad Episcopos Lucaniæ cap. 2. annumerat *Defensores*, qui ex officio tenebantur patrocinari viduis, pauperibus, aliisque afflictis qui Ecclesiæ protectionem implorabant: igitur plures sunt Ordines, quàm septem.

Et Notariorum.

Et Defensorum.

XVIII. Verùm hi omnes Ordines sunt impropriè dicti.

Nego antecedens: Et ad omnes ejus probationes generatim respondeo: *Primò*, illa omnia munia, sive officia non spectare ad aliquem ex Ordinibus Ecclesiasticis propriè dictis, quibus Clerici à Laïcis distinguuntur: illi enim omnes dictis Officiis fungendis addicti, erant duntaxat Ecclesiæ Officiales, non autem Clerici; siquidem omnes Clericorum Ordines propriè dicti, per se referri debent ad Eucharistiam, sive conficiendam, sive dispensandam: prædicta autem Laborantium, Fossariorum, Custodum Martyrum, Notariorum, & Defensorum officia per se non referuntur ad Eucharistiam sive conficiendam, sive dispensandam: sed ad aliqua charitatis, vel disciplinæ Ecclesiasticæ, vel Religionis officia. Charitatis quidem, ut Laborantium, & Defensorum, ac Fossariorum; disciplinæ verò, ut Notariorum: religionis denique, ut Custodum Martyrum. Quòd autem illi omnes specialem Clericorum Ordinem non constituerent, patet, quia absque ullo novæ ordinationis ritu solebant seligi ab Episcopis è numero Clericorum, vel certè eorum, qui constituti erant in aliquo ex septem Ordinibus, ut videlicet præfata Officia exercerent. Etenim de simplicibus Clericis ut plurimùm seligebantur Laborantes, ex Ordine Lectorum Notarii: unde commune utrorumque erat officium legendi Scripturam sacram; ex Ostiariis & Subdiaconis, Custodes Martyrum; ex omnibus autem Ordinibus afflictorum Defensores.

Nec obstat, quòd SS. Patres interdum eos, qui hujusmodi officia exercent, Clericorum Ordinibus annumerent, & eos in ejusmodi gradibus ordinatos esse dicant. Hoc, inquam, non obstat; siquidem non loquuntur de Ordinibus strictè, & propriè dictis; sed in laxiori significatione, prout Ordinis & Ordinationis nomen extendi potest ad quæcunque Officia Ecclesiastica Clericis ordinatis ut plurimum assignari solita. *Adde* quòd ita fortè loquantur SS. Patres, non quòd ejusmodi Officia secundùm se spectata censeant esse veros Clericorum Ordines; sed quia ut plurimùm committebantur Clericis jam ordinatis; sic officium Notarii consignari solebat Lectoribus, quapropter ubi quis ordinabatur Lector, etiam Notarii munus & officium accipiebat.

Quod spectat autem ad *Confessores*, certum est nomen illud non esse nomen Ordinis, & officii; sed dignitatis, & honoris, ac cujusdam prærogativæ tribui solitæ viris sanctissimis, propter eximiam fidei professionem coram Christianæ Religionis, & fidei persecutoribus & adversariis. Quod utique evidenter significat S. Clemens locô in objectione laudatô; dum ait: *Confessor non fit Ordinatione; res enim voluntatis est, ac tolerantiæ: magno autem honore dignus est, ut, qui coram Gentibus, & Regibus confessus sit nomen Dei, & Christi ejus.* Dum verò subjicit S. Clemens, quòd si opus eô Confessore fuerit in Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum possit ordinari; id non debet aliter intelligi, quàm servatis servandis, idest, susceptis inferioribus Ordinibus, quibus tanquam per gradus ad majores Ordines, & ad omnium eorum apicem ac fastigium, videlicet Episcopatum ascenditur.

Quoniam autem gravis apud Theologos difficultas est de Psalmistarum, seu Cantorum Officio, nec-non & de prima Tonsura, ac de Episcopatu; idcirco, ut verior ac certior de his ferenda sententia luculentiùs & evidentiùs appareat, placet singula capita sub distinctis paragraphis discutere.

§. I.

Vtrum Cantorum & Psalmistarum Institutio sit verus Ordo Ecclesiasticus.

XIX. Cantorum non est Ordo propriè dictus.

Respondeo, non esse: *Primò*, quia à Concilio Tridentino non numeratur inter septem Ordines sess. 23. cap. 2. ac subinde inter Ordines Ecclesiasticos non debet reputari: *Secundò*, quia ejusmodi officium non convenit quibusdam solùm Clericis, sed toti fidelium cœtui; unde Cantores seligi poterant, & institui, non solùm ex Christianis, sed etiam ex Catechumenis. Refert enim Socrates lib. 9. tripartitæ historiæ cap. 48. circa finem, Alexandriæ eô tempore in more positum fuisse, ut Lectores & Psalmi pronuntiatores indiscriminatim ex Christianis, & Catechumenis fierent: Catechumeni autem cùm nondum essent Baptismô initiati, nullâ ratione deputari poterant inter Clericos, qui gradu cæteros fideles præcellunt. *Tertiò*, omnis Ordo Ecclesiasticus propriè dictus specialem habere debet respectum & habitudinem ad Eucharistiam sive conficiendam, sive dispensandam, ut jam pluries diximus: sed psallendi sive cantandi officium secundùm se, non habet ullam specialem habitudinem ad Eucharistiam sive conficiendam, sive dispensandam: igitur, &c.

Nec obstat quòd ipsi Cantores suum officium impleant, etiam tempore solemnioris Missæ; ad hoc

hoc enim non sunt specialiter Cantores instituti, sed duntaxat ad laudes Deo persolvendas, eique cultum religionis debitum exhibendum; ac subinde per accidens est, quòd divinæ laudes à Cantoribus tempore Sacrificii Missæ persolvantur.

Quarto, inter Ordines propriè dictos est aliqua subordinatio: omnes enim Ordines sunt veluti gradus quidam, per quos in Sacerdotium tenditur: sed Cantoratus non habet istam cum Lectoratu subordinationem, ut fatetur etiam Morinus; *exercit. 14. part. 3. cap. 6. num. 6.* ubi scribit: Discrimen notandum est inter Cantoratum & cæteros Ordines, quòd cæteri Ordines subordinati sint, & ideo inferior suscipiendus, ut Superior legitimè suscipiatur. Verùm Lectoratus & Cantoratus sese disparatà habent & sunt collaterales, non inferiores, ac unus alterius susceptionem non postulat. Ita Morinus; ac subinde hâc ratione concludere debuisset, Cantoratum non esse Ordinem propriè dictum; cujus tamen contrarium ibidem asserit.

Denique, omnes Ordines conferri debent ab Episcopis, ut patet ex dicendis infrà: sed Cantores institui possunt etiam à simplici Presbytero, ut definit Concilium Carthaginense quartum can. 10. his verbis: Psalmista, idest, Cantor, potest absque scientia Episcopi solâ jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbyterô: *Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes.*

Nec obstat, quòd ex collectione Canonum Græcorum per Martinum Braccharensem Episcopum cap. 45. habeatur: *Non liceat in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo Lectores sunt ordinati.* Quod etiam docet S. Clemens Romanus lib. 3. constitutionum Apostolicarum c. 11. ubi de Cantoribus velut in Ordine speciali, & à cæteris distincto constitutis, ait: *Non permittimus Presbyteris ordinare Diaconos, vel Diaconissas, vel Lectores, vel Ministros, vel Cantores, vel Janitores, sed Episcopis solis; hic est enim Ecclesiasticus Ordo, & concentus.* Favere etiam videtur Concilium Carthaginense tertium can. 21. ubi statuitur: *Ut Clericum alienum, nisi concedente eis Episcopô, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita: Clericorum nomen etiam Lectores, & Psalmistæ, & Ostiarii retineant.* Hæc, inquam, non obstant; his enim omnibus, & similibus momentis sufficit opponere præfatum Canonem Concilii Carthaginensis, quô disertè Presbytero fit potestas constituendi Psalmistam; eôdem enim locô Episcopus declaratur solus Ordinum Ecclesiasticorum Minister, ut constat à Canone tertio usque ad decimum, ubi expressè traditur ritus, quô singuli Ordines debeant ab Episcopo conferri. Unde ad præfata momenta responderi potest, Constitutiones illas de Cantorum institutione à solo Episcopo facienda, non esse intelligendas de Cantoratu secundùm se præcisè, sed ratione sibi adjuncti Ordinis, videlicet Lectoratûs; ita quòd soli Episcopo concessum sit, aliquem Lectorem efficere Psalmistam; quia videlicet officium psallendi in Ecclesiæ suggestu annexum sit Clericatui, in quem solus Episcopus, utpote supremus Hierarcha, potest, quos judicaverit idoneos, seligere & coaptare: unde præfatus Martinus Braccharensis ibidem observat, solitum fuisse psallendi officium solis Lectoribus attribui, id enim significant ipsius Martini verba: ait enim: Non licet in pulpito psallere aut legere, nisi qui ab Episcopo Lectores sunt ordinati. Quibus verbis non Psalmistæ ordinationem ab Episcopo fieri, sed solis Sacerdotibus ordinatis officium istud tribui debere, significatur. Unde meritò Concilium Carthaginense tertium vetat, ne Cantores & alii Clerici in aliena Diœcesi ad superiores Ordines promoveantur absque licentia proprii Episcopi; quippe jam illi Cantores & Psalmistæ initiati erant Clerici, & Lectores ordinati.

Dices: S. Clemens lib. 3. Constitut. Apostolicarum disertè pronuntiat, Cantores in numerum Clericorum esse computandos: *Tum*, quia eos cæteris Clericis, nempe Diaconis, & Presbyteris adjungit: *Tum*, quia postquam declaravit omnes à solis Episcopis ordinandos, subdit: Hic est enim Ecclesiasticus Ordo, & concentus. *Deinde*, in Canone 26. Apostolorum. Hominibus, qui ad Clerum accesserunt, negatur facultas post ordinationem ducendi uxorem; conceditur tamen nominatim Lectoribus atque Cantoribus; sed si Cantores non pertinebant ad Clerum, non erat opus eos inter Ordines Ecclesiasticos numerare, neque concedere facultatem, quam Laïci sine ulla dispensatione & venia passim habent. *Insuper*, Concilium Laodicenum Cantores unà cum aliis Clericis recenset, eosque Ecclesiasticæ disciplinæ, ac canonibus pro Clericorum institutione subjicit, ut constat ex can. 15. & 23. maximè verò 24. ubi decernitur: *Quod non oporteat sacrô ministeriô deditos à Presbyteris usque ad Diaconos, & reliquum Ecclesiasticum Ordinem, idest, usque ad Subdiaconos, Lectores, & Cantores, Exorcistas, & Ostiarios, & ex numero Continentium, & Monachorum, ingredi tabernas.* Idem pariter docent S. Ambrosius lib. 1. de Officiis cap. 44. & S. Isidorus lib. 7. ethymologiarum cap. 12. & Justinianus Imperator novellâ 3. cap. 2. aliique plurimi passim Græci Scriptores: igitur reverà Cantoratus tunc temporis erat Ordo Ecclesiasticus.

XX. Quô sensu ab aliquibus inter Ordines recenseantur.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico; quòd cùm sive Concilia, sive SS. Patres Psalmistarum, seu Cantorum officium Ordinibus Clericorum accenseant; ibi Ordinum nomen strictè non usurpant, & in propria significatione, sed latiùs, & prout vocabulum istud extenditur ad officia, & ministeria quædam Ecclesiastica, quibus Clerici inter se, & ab invicem distinguuntur: vel certè Ordinis appellationem Cantoratui attribuunt, non ratione sui præcisè, sed ratione adjuncti Ordinis Lectoratûs, cui ex antiqua Ecclesiæ disciplina solebat adjungi, quemadmodum ex Martino Braccharensi suprà observavimus.

Nec obstat; quòd in Græcis Euchologiis describatur ritus, quô conferri debeat Cantoratus, quemadmodum & cæteri Ordines, sicut & in Concilio quarto Carthaginensi can. suprà laudatô. Enimverò non solùm ibi describuntur ritus, quibus conferri debeant Ecclesiastici Ordines, sed etiam quibus traditur potestas ad exercenda quædam officia, seu ministeria Ecclesiastica, ut constat ex ipsis Græcorum Euchologiis, ubi referuntur ritus instituendi Abbates, Archidiaconos, Protopresbyteros, Oeconomos, & alia ejusmodi Ecclesiastica munia, quæ veram Ecclesiastici Ordinis propriè dicti rationem & dignitatem non habent. Idem dicendum ad canon. 10. Concil. Carthagin. quarti; nam can. 11. immediatè sequenti, tradit etiam ritum instituendi Sanctimoniales Virgines: *Sanctimonialis Virgo*, inquit, *cùm ad consecrationem sui Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni & sanctimoniæ aptis.*

Ex his itaque apparet Cantoratum non esse Ordinem Ecclesiasticum propriè dictum, nisi fortè quatenus usurpatur pro Lectoris officio, quippe Cantoris & Lectoris officia summè affinia sunt: nam Lector etiam legit Psalmos, & solùm ministeriô differt à Cantore, quoad modum pronuntiandi, quòd videlicet Lector Psalmos recitet legendo, Psalmista verò cantando & modulando. Quod insuper confirmatur ex eo, quòd status Ordinis Ecclesiastici sit quid permanens: at Cantoratûs officium non est permanens ac stabile, tandiu namque solùm durare debet, quandiu quis pollet voce canorâ, ut asserit S. Isidorus lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 12. Cui concinit Guillelmus Parisiensis lib. de Sacramento Ordinis cap. 3. ubi addit, quòd Ecclesia primitiva cantus non habuit, neque Psalmodiam, sed simplicem solam prosaicæ pronuntiationis lectionem: Psalmodia autem & Cantus postmodum causâ solemnitatis, & excitandæ devotionis, ampliatô decore divini cultûs superaddita sunt. Et quia eadem erant, quæ in primitiva Ecclesia legebantur, & ejusdem penitus sanctitatis cum his, quæ modò psalmantur, & cantantur, idem Ordo, eademque sanctitas necessariò permansit in Ministris, cùm psallentium cantus, nec rerum sanctitatem mutaverint, nec Ordinem mutare ullatenus debuerint.

§. II.

Vtrum Tonsura Clericalis sit Ordinibus Ecclesiasticis accensenda?

XXI. Quid sit Tonsura Clericalis.

Clericalis Tonsura nihil est, quàm ritus quidam peculiaris, quô quis Ecclesiasticæ velut militiæ adscribitur, & à Laicorum ordine ad Clericorum statum & dignitatem promovetur; qui utique ritus idcirco Tonsura dicitur, quia fit à tonsione capillorum qui ab Episcopo resecantur, in signum veluti sacri statûs, quô Deo homines consecrati à profanis secernuntur. Hic autem ritus ab Apostolis videtur institutus, ut asseritur in Concilio Aquisgranensi cap. 1. Unde Apostolus 1. Cor. 11. asserit ignominiam esse viro, *si comam nutrias*, gloriam verò mulieri, *si nutriat:* quod ideo dixit (ut notat Baronius tomô primô Annalium an. 14. Petri) quia Gentiles comam crispabant, idcirco Christianos ab eo abusu dissuadere voluit, & consequenter multo magis Ecclesiæ Ministros. Hinc Anicetus Papa epist. ad Episcopos Galliæ, & Concilium Carthaginense quartum can. 44. prohibent Clericis comam nutrire. Gregorius nonus cap. *Si quis*, de vita & honestate Clericorum: *Si quis ex Clericis comam nutriat, anathema sit.* Et Alexander tertius Cantuarensi Episcopo scribens, ut refertur cap. *Clericis* eôdem titulô: *Clerici qui comam nutriunt, & barbam, etiam inviti à suis Archidiaconis tondeantur.* Et sanctus Isidorus lib. de divinis Officiis cap. 1. fusè explicat significationem hujus coronæ Clericalis, & originem illius ducit ab Apostolis. Venerabilis Beda lib. 5. histor. Angl. cap. 22. refert epistolam quam Geolfridus Abbas scripsit ad Regem Naitanum, ubi refert originem Tonsuræ Clericalis ad S. Petrum, ut & Amalarius lib. de divinis Officiis cap. 5. refert ad eundem, aut aliquem ex ejus Successoribus. Germanus Episcopus Constantinopolitanus in Theor. rerum Ecclesiast. asserit hanc coronam Clericalem, *referre imaginem venerandi capitis Apostoli Petri, qui cùm missus esset ad prædicationem Domini, & Magistri, ei tonsa est cæsaries ab his, qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique Christus Magister benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit*, &c. Gregorius Turonensis in vita SS. Patrum cap. 17. refert, S. Nicetum Episcopum natum cum corona Clericali, in signum quòd Deus illum in Clericum, & Episcopum designasset.

XXII. Et quid significet.

Tonsura autem hæc, ut patet ex Beda, Amalario, & aliis, significat Clericos debere habere animos elatos ad Deum; non debere cor apponere ad superflua hujus mundi bona; debere lugere sua, & populi peccata; debere agnoscere se designatos ad servitium divinum; se esse specialiter gentem sanctam, regale Sacerdotium: debere sæpius in memoriam revocare passionem Christi, ejusque spineam coronam, & paratos esse debere ad ludibrium, & quævis alia mala pro Christi amore patienda.

De hoc autem ritu sacro quæritur, utrum sit Ordo propriè dictus, & à septem suprà recensitis distinctus. Affirmant penè omnes Canonistæ, ut refert Vasquez disp. 236. quemadmodum deprehendi potest ex eorum scholiis, & annotationibus ad caput, *Cùm contingat*, de ætate & qualitate ordinandorum; imò ex Theologis Scholasticis eandem sententiam tuentur Joannes Major in 4. dist. 24. q. 1. Joannes Exius in homilia de Ordinibus, nec non & Angelus in sua summa, verbo *Ordo* num. 1. ubi docet primam Tonsuram esse Ordinem, & ita illis septem, quos enumeravimus, octavum esse addendum. Quam utique sententiam confirmat ex præfato capite, ubi sic legitur: *Cùm contingat interdum, quod laici ad Monasteria convolantes à suis Abbatibus tonsurentur; requisisti an Clericatus Ordo in Tonsura hujusmodi conferatur?* Nam cùm ibi & iterum in fine capitis primam Tonsuram Pontifex appellet Ordinem Clericatûs, in numerum Ordinum Ecclesiæ videtur redigenda.

XXIII. Non est Ordo.

Verùm reclamant omnes alii Theologi unà cum Seraphico Doctore in 4. part. 1. dist. 24. q. 2. & Angelico q. 3. art. 1. eaque sententia probatur primò ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 2. ubi postquam dixit plures esse in ordinatissima Ecclesiæ dispositione Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio deserviunt, statim ita subjungit: *Ut qui jam Clericali Tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Qui utique dicendi modus apertè significat, Tonsuram non esse cum Ordinibus minoribus, aut majoribus computandam; sed tantùm esse dispositionem & præparationem aliquam ad Ordines ritè & debitè suscipiendos, ut explicat Catech. Rom. de Sacramento Ordinis num. 27. *Incipiendum est*, inquit, *à prima Tonsura, quam quidem docere oportet, quandam præparationem esse ad Ordines accipiendos, ut enim homines ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonia sponsalibus præparari solent; ita cùm tonsô capillô Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur, declaratur enim, qualis esse debeat; qui sacris imbui cupit.*

XXIV. Sed dispositio ad Ordines.

Deinde, ad rationem Ordinis Ecclesiastici propriè dicti, requiritur, ut per eum conferatur aliqua potestas activa, per quam quis fiat idoneus ad exercendum aliquod ministerium circa Eucharistiam conficiendam vel dispensandam: sed per Clericalem Tonsuram non confertur ejusmodi potestas ad ullam functionem sacram specialem, & determinatâ, quam etiam laicus non possit exercere, quippe illa nihil aliud est quàm simplex Clericorum designatio, ad probationem doctrinæ, & morum, ut si postmodum judicati fuerint idonei, functionum Ecclesiasticarum potestas eis tradatur. Unde meritò Guillelmus Parisiensis tract. de Ordine

cap. 3. ait: *Clericatum non esse Ordinem, sed tantum velati militiâ simplicem titulum*; ita quòd quemadmodum, cùm aliquis miles efficitur præcisè & simpliciter, nullum ei singulare, vel speciale officium committitur; sed tantùm deputatur ad militandum; sic per primam Tonsuram militiæ Clericali ascriptus, non ex hoc alicujus Clericalis officii specialem dignitatem adipiscitur.

Dicendum ergo, *inquit Seraphicus Doctor*, quòd sicut in transeuntibus de uno statu ad alium, præmittitur aliquod præparatorium, quod non ponit in statu, sed disponit: sic in proposito intelligendum est. Nam suscipientes Ordinis Sacramentum, in quodam speciali statu inter fideles B collocantur: Unde quemadmodum inter statum sæcularem, & Religiosum, medius est *Novitiatus*, in quo nec sæcularis, nec religiosus est propriè, cùm non noverit ea, quæ sunt Religionis, servare; & sicut inter fideles, & infideles medii sunt

Nota.

Catechumeni, qui tamen non sunt inter fideles computandi; imò hora Communionis de Ecclesia consueverunt emitti, sicut novit jus de capitulo: sic *Clerici* medii sunt, in quantùm habent Tonsuram inter Laïcos, & Ordinatos: Quia tamen signum istud omnibus est commune; ideo omnes Clerici nuncupantur, & confunditur nomen. Sicut ergo novitiatus non est religio, sed ad Religionem disponit: & catechumenatio, sive catechisatio non est Baptismus, sed dispositio, & præparatio: sic commune signaculum non est Sacramentum, nec Ordo, sed tantùm dispo- C sitio.

Objicies primò: Ordo Ecclesiasticus ille est, quô Clerici secernuntur à Laïcis, & ad ministeria sacra deputantur: sed talis est Tonsura Clericalis. *Primò* namque per eam Clerici initiantur, & à Laicis distinguuntur. Et insuper per Tonsuram eis confertur potestas officium psallendi, seu decantandi laudes divinas. *Secundò*, Innocentius tertius cap. *Cùm contingat*, distinctè primam Tonsuram, Ordinem appellat; quod pariter præstat Alcuinus lib. de divinis Officiis cap. 85. *Tertiò*, Tonsurâ initiati gaudent Clericorum privilegiis: sunt enim capaces beneficiorum possidendorum, quorum incapaces sunt Laici: igi- D tur illa reverà accensenda est cum Ordinibus Ecclesiasticis.

XXV. Quâ ratione Tonsurati à Laicis distinguantur.

Respondeo primò, negari posse majorem; siquidem ratio Ordinis Ecclesiastici propriè dicti, non refertur solùm ad quodlibet officium Ecclesiasticum exercendum; alioqui omnia prorsus Ecclesiæ munia & officia, quibus officiales Ecclesiastici à fidelium plebe distinguuntur, censerentur veri Ordines Ecclesiastici; cujus utique contrarium apparet ex jam pluries dictis. Hinc, ut diximus, Ordo Ecclesiasticus propriè dictus, significat aliquem gradum potestatis in Ecclesia respectivè ad Sacramentum Eucharistiæ. Quod uti- E que Clericis solùm tonsuratis non competit.

Respondeo secundò, distinguendo minorem: Tonsurati distinguuntur à Laicis, ratione statûs Clerici, quô initiantur, concedo: ratione alicujus Ordinis propriè dicti, nego. Unde ad primam probationem dico, officium psallendi, seu decantandi laudes divinas, non esse aliquod munus speciale solis Tonsuratis proprium: vel enim illa decantatio fit communiter, & absque solemni ritu, vel cum aliquo speciali ritu, & solemnitate in choro: Si primum, hoc officium psallendi convenit omnibus omnino fidelibus: Si secundum, omnibus quibuscunque Clericis competit; omnes

A enim in Ecclesia laudes Deo psallendi & cantandi facultatem habent. Et si hoc officium alicui specialiter attribuendum esset, potius Lectorum Ordini, quàm simplicibus Tonsuratis esset committendum.

XXVI. Et Tonsura appelletur Ordo.

Ad secundum dico, Innocentium & Alcuinum Tonsuram appellare Ordinem, laxiùs sumptô Ordinis nomine, videlicet pro quocunque gradu Ecclesiastico, quô Clerici distinguuntur à Laicis; non autem propriè pro gradu, quô quis constituitur in aliqua potestate activa, circa Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam. Porrò Ordo Ecclesiasticus propriè dictus, non significat tantùm aliquem gradum eminentem in Ecclesia, respectivè ad omnes fideles; nam hâc ratione insigniti primâ Tonsurâ dicerentur esse in gradu eminente supra cæteros fideles Laïcos, à quibus per suum statum distinguuntur: sed ista dicitur comparativè ad congregationem ministrantium in templo in ordine ad Eucharistiam, quô sensu prima Tonsura non est Ordo; quia primus gradus, per quem ascenditur in templo ad Sacerdotium, inquit Vasquez *num.* 11. & per quem ii, qui ministrant in templo, ascendere incipiunt, est Ostiaratus, sicut primus gradus in scala non est pavimentum, sed ille per quem, & ad quem ex pavimento ascenditur.

Nec obstat, quòd Sixtus V. in *motu proprio* edito annô 1588. Nonis Januarii contra malè promotos ad Ordines, primam Tonsuram appellet, *Clericalem characterem*; nam ibi *Characteris* nomine non significat aliquam qualitatem indelebilem animæ impressam, qualis censetur character per majores Ordines impressus: sed characterem accipit pro destinatione perpetua ad statum Clericalem.

Ad tertium dico, quòd etsi Tonsurati gaudeant privilegiis Clericorum, inde non est consequens Tonsuram esse Ordinem; siquidem mulieres, & laici, qui solemnem professionem emiserunt, in aliquâ religione approbata, gaudent quoque immunitatibus, & privilegiis Clericorum: nec tamen illa professio solemnis, dici potest Ordo Ecclesiasticus propriè dictus.

Objicies secundò: Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. decreti *de reformatione* decernit eum fore suspensum, qui absque proprii Episcopi licentia, & expresso consensu ab alieno Episcopo Tonsurâ Clericali fuerit initiatus. Et *sess.* 23. *cap.* 4. *&* 6. *de reformatione*, eâdem prohibitione ligat Tonsuratos, quâ & minoribus Ordinibus initiatos: igitur cùm Concilium Tonsuratos pares faciat aliis Ordinatis; pariter significat primam Tonsuram esse Ordinem.

XXVII. Quare Tonsurati eidem legi subjaceant quâ Clerici.

Nego consequentiam; imò contrarium ex ipsismet locis evincitur; siquidem Concilium ibi apertè distinguit primam Tonsuram à minoribus Ordinibus; ac subinde censet illam Ecclesiasticis Ordinibus propriè dictis non esse accensendam: si enim locum aliquem haberet inter Ordines Ecclesiasticos, maximè inter minores, à quibus cùm ex Concilio distinguatur, consequens est, quòd à numero Ordinum sit arcenda.

Nec obstat, quòd Concilium Tonsuratos eâdem prohibitione coarctet, quâ Ordinibus initiatos. Id enim præstat, non ut significet Tonsuram esse Ordinem, sed tantùm aliquem statum, ex quo quis ad Sacerdotium, per Minores Ordines gradum facere non possit, si hujusmodi statutis & legibus contraïerit.

§. III.

Vtrum Episcopatus sit Ordo, isque distinctus à Sacerdotio?

XXVIII. *Episcopatus conferri potest cum Sacerdotio duobus modis.*

UT evidentior, & facilior sit hujusce propropositæ quæstiunculæ responsio, *observandum est* imprimis cum Doctore in 4. *dist.* 24. *n.* 5. Episcopatum posse comparari cum Sacerdotio duobus modis: vel ratione potestatis jurisdictionis, vel ratione potestatis Ordinis: seu respectivè ad corpus Christi mysticum regendum, nec non ad actiones sacras, & Hierarchicas exercendas; vel ad corpus Christi verum in Eucharistia conficiendum & dispensandum. Priori modò certum est, quòd Episcopatui conveniat quædam potestas specialis, quæ non competit Sacerdoti: Unde, *inquit Doctor,* Episcopatus, potest dici eminens gradus, vel propter universalitatem actuum, quos respicit; vel propter nobilitatem actûs, quem respicit: quæ utique distinctio patet in aliis politiis, ubi alicui competunt plures actus, & alicui pauciores; tamen nobilior potest sibi competere, ut Judex potest sententiare, qui est actus nobilior, quàm multi alii. Sed cui competit universalitas ad actus, ei competit etiam actus nobilior: & ex hoc videtur, quòd gradus ille, qui respicit universalitatem actuum, sit simpliciter superior, quàm ille qui respicit præcisè actum nobilissimum: & sic diceretur Episcopatus simpliciciter superior Ordo; quia habet Ordinem ad omnes actus Ecclesiasticos. Sacerdos autem non habet ad omnes; licèt habeat ad nobilissimum. *Ita Doctor*, quibus verbis in Episcopo distinguit duplicem potestatem, unam quidem jurisdictionis, in ordine ad corpus Christi mysticum; circa quod plures actiones Hierarchicas exercet, quas exercere non potest simplex Sacerdos: aliam verò Ordinis circa corpus Christi verum in Eucharistia. Potestas jurisdictionis impropriè tantùm dicitur *Ordo*: potestas verò Ordinis seu consecrationis, Sacramentum Ordinis propriè constituit. De priori non est controversia, siquidem apud omnes constat Episcopatum hôc sensu esse Ordinem ab aliis distinctum, sed quæstio est de posteriori potestate, utrum reverà Episcopatus respectivè ad corpus Christi verum, sit Ordo distinctus à Sacerdotio.

XXIX. *Observandum secundò* ex eodem Doctore ibidem *num.* 7. quòd actus nobilissimus in Ecclesia simpliciter est consecratio Eucharistiæ: & ita supremus gradus, sive nobilissimus propter nobilitatem actûs, ad quem disponit, est Sacerdotium: & per consequens istô modô accipiendo descriptionem Ordinis, juxta primam descriptionem positam in primo articulo, & distinctionem Ordinis in Ecclesia, tantùm sunt septem Ordines: quorum primus est gradus disponens ad consecrationem Eucharistiæ, & est *Sacerdotium*. Secundus gradus est disponens ad dispensationem Eucharistiæ, saltem sanguinis, & est *Diaconatus*. Tertius est disponens ad oblationem materiæ Eucharistiæ consecrandæ, & est *Subdiaconatus*. Et patet ratio, quare tres isti gradus Sacramenti dicuntur Ordines, quia immediatè disponunt ad actum aliquem vel ministerium circa Eucharistiam, vel ejus materiam. Ulteriùs, aliqui alii gradus disponunt ad actus remotè se habentes ad Eucharistiam: vel ergo ad convenientem dispositionem in populo ad orandum, & suscipiendum: vel removendum impedimentum, seu dispositionem inconvenientem. Primô modô dispositio conveniens pertinens ad effectum, est devotio, & ad hanc devotionem attendit *Acolythus* illuminando cereos. Alia dispositio est pertinens ad intellectum, scilicet cognitio, & ad hanc agit *Lector*. Removere prohibens, est arcere indignos, ne approximent: vel ergo indignos homines, & hoc pertinet ad officium *Ostiarii*: vel dæmones, & hoc pertinet ad officium *Exorcistæ*. Ex dictis apparet, quòd non est proprius actus Diaconi legere Evangelium, & Subdiaconi epistolam: sed isti sunt remoti, & minùs perfecti actus eorum: perfectissimi autem, & proprii illorum Ordinum sunt, quos habet unus immediatè circa Eucharistiam dispensandam; alius circa materiam ejus offerendam. *Ita Doctor*. Quibus, ut apparet, singulos Ordines recenset, & eorum distinctos gradus colligit ex diverso ordine & ministerio quod habent respectivè ad Eucharistiam.

Quot sint Ordinum gradus, & unde colligantur.

XXX *Utrum Episcopatus sit Ordo variant Authores.*

Quantùm autem ad Episcopatum, utrum sit Ordo propriè dictus, multiplex est Authorum sententia: *quidam* enim apertè negant, Episcopatum esse Ordinem Sacramentalem; ita *Magister sententiarum dist.* 24. & eam insinuare videntur *Alensis* 4. part. qu. 20. memb. 8. art. 1. & qu. 21. memb. 2. ad. 4. ubi negat Episcopatum esse Ordinem novum, sed per eum ampliari potestatem clavis, quæ sequitur ad Ordinem Sacerdotii, per consecrationem Episcopalem. In eam pariter sententiam descendit *S. Thomas* dist. 24. q. 3. art. 2. quæstiunc. 2. & *S. Bonaventura* in 2. part. ejusdem distinctionis art. 2. q. q. 3. ubi ait: Episcopatus præcisè loquendo, non est Ordo, sed Ordinis eminentia vel dignitas. Et Albertus Magnus eâdem dist. art. 39. nec-non & plures alii tam veteres, quàm recentiores.

Secunda sententia præcedenti è diametro opposita, est Episcopatum ut sic, prout præscindit à Sacerdotio esse ordinem propriè dictum, & distinctum à septem assignatis. Ita docet Altissiodorensis lib. 4. summæ tract. 8. q. 2. & omnes Canonistæ in caput, *Cleros*, distinct. 21. Cui pariter subscribit Durandus dist. 24. q. 5. Paludanus quæst. 6. Bassolis quæst unicâ, & ex recentioribus Bellarminus lib. de Ordine cap. 5. & Vasquez 3. part. disp. 214. cap. 4.

Tertia denique sententia veluti medians inter duas priores extremè oppositas, eorum est, qui contendunt Episcopatum quidem esse verum & propriè dictum Ordinem, non tamen adæquatè distinctum à Sacerdotio, sicut alii Ordines inter se distinguuntur. Quam utique sententiam indicat Guillelmus Parisiensis tract. de Ordine, eamque tuetur Gabriel in supplemento. Quibus ita præmissis.

Respondeo primò, reverà Episcopatum esse Ordinem propriè dictum, id enim docet Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. ubi ait: *Docet insuper sacro sancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum: nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis & magistratûs consensum, sive vocationem, sive authoritatem requiri, ut sine ea irrita sit Ordinatio.* Quibus verbis Concilium appellat Episcopum Ordinationem, non minùs, quàm Sacerdotum, & cæterorum Ordinum propriè dictorum.

XXX *Affirm sententia videtur probabilior.*

Probatur autem hæc assertio: *Primò* quidem ex Scriptura sacra, nam 1. ad Timoth. 4. monet eum Apostolus: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbiterii.*

Quibus verbis Apostolus significat Ordinationem Timothei in Episcopum, qui est gradus Ordinis Sacerdotalis, per quem confertur gratia.

Idem docent Concilia, quæ eôdem modô loquuntur de Episcopatu, quô de Sacerdotio & eum expresè Ordinem appellant, & Episcopi institutionem nominant ordinationem, quemadmodum & initiationem aliorum Ordinatorum, ut videre est apud Concilium quartum Carthaginense can. 2. ubi de Episcopi consecratione, sicut & de Presbyteri, aliorumque ordinatorum, dicitur: *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum codicem super caput, & cervicem ejus, & unò super eum fundente benedictionem. reliqui omnes Episcopi, qui ad sunt, manibus suis super caput ejus tangant.* Pari autem vocabulô *Ordinationis* non utitur, dum agit can. 10. de institutione Psalmistæ, eò quòd Cantoris officium non sit Ordo propriè dictus.

Ut indicat S. Scriptura.

Idem pariter docent SS. Patres, qui quoties mentionem de Episcopatu faciunt, toties expressò Ordinem appellant; quod utique non facerent, nisi apud eos Episcopatus esset Ordo propriè dictus. Sic imprimis S. Dionysius c. 5. lib. de Hierarchia Ecclesiastica, ubi tres distinctè numerat Ordines Ecclesiasticos, nempe Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum. Et S. Epiphanius hæresi 75. ubi Episcopatum appellat Ordinem; scribit enim: *Dicere Episcopum, & Presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile; Episcoporum enim Ordo Patrum generator est; Patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum verò Ordo non potens generare Patres, per lavacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen Patres.* Idem habet Justinianus Imperator novellâ 123. cap. 26. ubi Episcopatus dicitur *Episcopalis Ordo.*

SS. Patres docent.

Similiter Anacletus summus Pontifex epist. 3. cap. 2. dicit: Sacerdotum Ordinem bipartitum esse, in Episcopos nempe, qui succedunt Apostolis, & Presbyteros, qui septuaginta duorum Domini Discipulorum locum tenent; unde concludit: *Amplius, quàm illi duo Ordines, nec nobis à Deo collati sunt, nec Discipuli docuerunt.*

Ac summi Pontifices.

Idem habet *Eusebius* epist. 4. *Innocentius* 1. epist. ad Decentium Eugubinum cap. 3. *Ioannes tertius* in epist. ad Episcopos per Germaniam, & Galliam constitutos. Cæteri quoque summi Pontifices, qui de Episcopatu expressè meminerunt, non solùm illum appellârunt dignitatem, sed etiam Ordinem Ecclesiasticum, & Episcopos Presbyteris non solùm officiô, aut dignitate, sed etiam Ordine; nec solâ jurisdictionis potestate, sed etiam Ordinis superiores esse atque eminentiores affirmant. Hinc est, quòd apud eos Presbyteri dicuntur constituti in secundo Ordine Ecclesiastico, Diaconi in tertio, Subdiaconi in quarto: Sic S. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua, dum suam ad Presbyteratum promotionem refert, ait se a proprio parente, qui erat Episcopus Ecclesiæ Nazianzenæ, *constitutum esse in secundo Ordine, & secunda dignitate*, id est factum Presbyterum; quemadmodum interpretatur S. Gregorius Presbyter in ejus vita.

Similiter Optatus Milevitanus lib. 5. contra Parmenianum dicit, Diaconos in tertio, Presbyteros verò in secundo Sacerdotio constitutos esse; Episcopos verò *omnium Principes, & apices* appellat. Quibus subscribit S. Leo epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum cap. 4. ubi Subdiaconatûs Ordinem quartum ab Episcopo nuncupat: Episcopatum verò primum, Presbyteratum autem secundum, Diaconatum denique tertium Ordinem esse dicit. Idem habet Sydonius Appollinaris lib. 4. epist. 11. & 25. nec-non & Synodus Romana sub Symmacho Pontifice can. 6. ubi Presbyter homo secundi in Ecclesia Ordinis esse dicitur, & Episcopatus ac Presbyteratus Ordines appellantur.

XXXII. *Et suadet ratio.*

Idipsum etiam suadet ratio: Ordo enim propriè dictus, est ritus, seu cæremonia sacra, quâ confertur potestas, seu gradus, secundùm quem aliquis est aliô superior, vel inferior, in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, aut dispensandum: sed Episcopatus talis est; licèt enim secundùm se, & quatenus præscindit, ac condistinguitur à Presbyteratu, non ordinetur primò, & per se ad conficiendum corpus Christi in Eucharistia: sed illius conficiendi potestatem præsupponat; ad id tamen ordinatur, in quantùm per Episcopalem gradum Episcopus possit aliis dare potestatem conficiendi corpus & sanguinem Christi in Eucharistia; siquidem Episcoporum est Sacerdotes consecrare, nec-non & templa, altaria, & sacras vestes, quæ ad Eucharistiæ consecrationem spectant, & ordinantur: igitur reverà Episcopatus habet rationem Ordinis propriè dicti.

Suaderi etiam potest ratione Doctoris, *num.* 7. vel potestas spiritualis Episcopi, quatenus præscindit à Sacerdotio, est potestas Ordinis, vel jurisdictionis: at non est potestas simplex jurisdictionis; alioqui hæc auferri posset per Superiorem, quod videtur inconveniens; igitur est potestas Ordinis, ac subinde Episcopatus secundùm se est reverà Ordo Ecclesiasticus.

Porrò quòd potestas Episcopalis secundùm se non sit simplex potestas jurisdictionis, apertè tradunt antiqui Canones, quibus præcipitur, hæreticos in suo gradu admitti ad Ecclesiam abjectâ hæresi, & id potissimùm de Episcopis sancivit VII. Synodus *actione* 1. At hujus decreti, nulla esset ratio, si dignitas Episcopalis fundaretur in sola jurisdictione amissibili, & separabili à persona, quia certum est extra Ecclesiam, nullam dari jurisdictionem in aliqua hæresi; ac proinde Ordinatio Episcoporum ab hæreticis esset nulla, si consisteret in jurisdictione mera, quæ non esset potestas; quamobrem receptio Episcoporum in suo gradu supponit priorem ordinationem validam fuisse, neque posse innovari; ac proinde potestatem Ordinis: nunquam enim solita est Ecclesia recipere aliquem in eo gradu, quem invalidè recepit. Unde S. Augustinus perinde asserit contra Donatistas, Ordinem acceptum in hæresi valere, sicut & Baptismum, lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13. & cap. 11. lib. 1. de Baptismo, cap. 1. epist. 50. & de bono conjugili, cap. 18. & 24. & aliàs sæpe. Hinc etiam Tridentinum sess. 7. docet Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem, ex quo habent esse initerabile: recipiendo ergo Episcopos ordinatos ab hæreticis, & non per novam Ordinationem, supponitur fuisse priorem validam, & non iterabilem, ac proinde impressisse characterem hujus Ordinis. Unde idem Tridentinum sess. 23. cap. 4. *Quoniam verò in Sacramento Ordinis, sicut in Baptismo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, meritò sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere, & semel ritè ordina-*

tos, Laïcos effici posse, &c. Posteà subdit, id esse Ecclesiasticam Hierarchiam confundere: *Proinde sacro-sancta Synodus declarat præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere.* Hæc verba ex causali referunt doctrinam in initio capitis datam; de impressione chatacteris, & ejus indelebilitate. Ergo supponit in Ordmatione Episcopi imprimi characterem, & potestatem, quam habet ordinandi cæteros, & confirmandi, in qua eminet Sacerdoti, esse potestatem Ordinis, & non jurisdictionis.

Dices primò: Ordo propriè dictus referri debet ad S. Eucharistiam conficiendam, vel dispensandam, & per respectum & habitudinem ad eam à cæteris distingui: sed Episcopatus secundùm se præcisè, & prout præscindit à Presbyteratu; nullam importat habitudinem ad Eucharistiæ Sacramentum; neque enim Sacerdoti Eucharistiam conficienti, sive dispensanti ministrat; quippe simplici Sacerdote Episcopus altior est, atque sublimior: neque etiam præstantiorem, quàm simplex Sacerdos habet consecrandi potestatem; quia unusquisque Sacerdotum æqualem potestatem habet, & quantùm ad confectionem Sacramenti Eucharistiæ, independentem ab Episcopo, ubi semel ab eo fuit collata: simplex enim Sacerdos, etiam reluctante Episcopô, validè posset consecrare: igitur Episcopatus, quatenus à Sacerdotio distinguitur, non est specialis Ordo.

XXXIII. Qualiter Episcopatus specialem respectũ habeat ad Eucharistiam.

Distinguo minorem: Non habet specialem respectum & habitudinem proximam & immediatam, ad Eucharistiæ Sacramentum conficiendum & ministrandum, concedo: remotam & mediatam, nego: Episcopi namque ut sic præcisè est ordinare Sacerdotes, consecrare templa, altaria, vasa, & vestimenta sacra, quæ omnia per se, & immediatè referuntur ad Eucharistiæ confectionem & Missæ Sacrificium, sicque Episcopatus, in quantùm præscindit à Presbyteratu, habet aliquam habitudinem, tametsi remotam & immediatam, ad Eucharistiæ Sacramentum. Porrò hæc diversa habitudo mediata sufficit ad rationem Ordinis propriè dicti; etenim Diaconatus, & Subdiaconatus, multò minùs inferiores Ordines non habent proximam & immediatam habitudinem ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum; sed mediatam duntaxat, & remotam, in quantùm videlicet assistunt & ministrant conficienti.

Dices secundò: Si Episcopatus esset Ordo, haberet tempus præfixum, quô conferri deberet; siquidem conferendorum Ordinum tempus aliquod certum ab Ecclesia præfigitur; in pluribus enim Canonibus sancitum est, quòd majores Ordines non conferantur, nisi in Sabbatis quatuor temporum, & duobus aliis Sabbatis, videlicet ante Dominicam Passionis, & Pascha: sed Episcopatus non habet tempus præfixum, & determinatum, in quo conferri debeat; siquidem conferri potest quôvis die Dominicô, & festivô: igitur, &c.

XXXIV. Quare conferatur tantùm die solemni.

Respondeo, negando minorem: siquidem Episcopatus conferri tantùm debet die Dominicô & festivô, ut inde appareat, quòd sit eminentior simplici Sacerdotiô, quod duntaxat die *feriali* conferri solet. *Adde*, quòd si quid concluderet hoc argumentum, sequeretur, quòd quatuor Minores non essent Ordines propriè dicti; siquidem ex jure licitum est Episcopis eos conferre Dominicis, & aliis diebus, ut habetur expressè capite, *de* extra de temporibus Ordinationum.

Dices tertiò: Episcopatus, quatenus a Sacerdotio præscindit, solùm importat quandam dignitatem Episcopi, tanquam superioris Sacerdotis in alios Ecclesiæ Ministros: igitur non est specialis Ordo Ecclesiasticus. *Probatur* antecedens authoritate S. Hieronymi tomô 6. in Commentariis epistolæ ad Titum cap. 1. ubi exponens illa verba: *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros; sicut & ego disposui tibi*, hæc habet: *Idem est ergo Presbyter, qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consiliô Ecclesiæ gubernabantur; postquam autem unusquisque eos, quos baptizabat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus Presbyter electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur, &c.* Item epist. ad Euagrium quæst. 85 & 1. ad eundem ait: *Quòd autem posteà unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dionysium Episcopum, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent:* Igitur ex mente S. Hieronymi Episcopatus jure divinô à Sacerdotio non distinguitur; ac subinde non potest esse Ordo à Sacerdotio distinctus.

Respondent aliqui cum nostro à Castro verbo *Episcopus*, & Vasquezio disp. 240. cap. 1. reverà S. Hieronymum existimasse jure divinô Episcopum non esse superiorem Presbyterô, at jure Ecclesiasticô rectè collocatum esse supra illum ad vitanda schismata; & in hoc S. Hieronymum ab Aërio discrepasse, quòd Aërius dixit, jure etiam Ecclesiasticô malè fuisse Episcopos collocatos supra Presbyteros.

XXXV. Aperitur quæ fuerit sententia S. Hieronymi de distinctione Episcoporum à Sacerdotibus.

Verùm respondeo, eam non fuisse S. Hieronymi sententiam, quòd Episcopi duntaxat jure Ecclesiasticô simplicibus Sacerdotibus superiores sint: contrarium enim apertè docet etiam in ipsa epistola ad Evagrium, ubi scribit: *Quid facit Episcopus, exceptâ ordinatione, quod non facit Presbyter?* Et in dialogo contra Luciferanos respondens quæstioni, quâ quærebatur, *quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in Baptismate tribui? Disce* (inquit) *hanc observationem ex ea authoritate descendere, quòd post Ascensionem Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit:* Quibus verbis insinuat, Episcopos dare Spiritum sanctum, quia Apostolis succedunt. Insuper epist. 9. ad Heliodorum, *Diaconatum* tertium gradum constituit inter Ordines Ecclesiasticos: in Isaïæ cap. 19. super illud: *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, &c.* intelligit quinque Ordines Ecclesiæ, tres Ministrorum, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, duos alios plebis, nempe fidelium baptizatorum. & Catechumenorum: in Jeremiæ cap. 13. vocat Episcopos primum Ordinem, Reges Ecclesiæ & filios de stirpe David: Sacerdotes verò secundum gradum in honore Ecclesiastico. Item in Matth. 25. asserit, Apostolos constituisse, Presbyteros, & Episcopos per singulas civitates. Contra Jovinianum cap. 19. docet Episcopos potiori jure teneri ad

ad cœlibatum, sicut & Presbyteros, & Diaconos.

Quod confirmari potest: quia hanc differentiam constituit S. Hieronymus inductam esse ex occasione schismatis; de quo agit S. Paulus in 1. ad Corinth. cap. 3. Sed eôdem annô, nempe *Christi* 57. scripsit etiam S. Paulus primam ad Timoth. in qua de ordinatione Episcopali agitur, ut suprà visum est: ergo distinctio utriusque Ordinis præcessit illud schisma. Accedit ex Simeone Metaphraste in Itinerario S. Petri, antequam Romam veniret (de qua te Baronius annô 44.) plures ab eo constitutas Ecclesias fuisse, & ordinatos Episcopos; quod contigit ante schisma. Præcessit etiam ordinationem tam S. Jacobi, quàm S. Pauli, & Barnabæ: ergo a sancto Hieronymo Scripturarum & historiarum peritissimo, (qui etiam de Scriptoribus Ecclesiasticis illam ordinationem S. Jacobi in Episcopum Hierosolymorum docet) nequit, inquam differentiam Episcopatûs ex causa schismatis inventam esse, aut etiam prælationem. Quoniam in epistola ad Evagrium, & Nepotianum docet; sicut ab Aaron summo Sacerdote cæteri differebant Sacerdotes, ita etiam ab Episcopo differre Presbyteros.

XXXVI. Quare nimium Presbyteros extollere videatur.

Ex his itaque constat S. Hieronymum idcirco extollere Presbyteros, ut reprimeret Diaconos, qui, ut colligitur ex epist. 85. cit. se-se insolenter efferebant super Presbyteros, eò quòd penes illos erat administratio rerum Ecclesiasticarum, & distributio eleemosynarum; & ut etiam Episcopos nonnullos humiliaret, qui videbantur minùs facere Presbyteros: quod ut faceret, asserit tempore Apostolorum Episcopos, & Presbyteros eôdem nomine Presbyteri vocatos fuisse, & in Ordine Sacerdotali non discrepare; & tunc temporis communi Presbyterorum, & Episcoporum consiliô & consensu, Ecclesiastica negotia gesta fuisse; non semper tamen communi potestate, & authoritate: nam ex 1. Tim. 5. constat Timotheum habuisse potestatem judicis in Presbyterum. Asserit etiam inter Episcopum, & Presbyterum differentiam tunc non fuisse, vel quoad praxim; quia communi consilio tunc omnia gerebantur: Vel quia vi ordinationis nihil potest Episcopus quoad jurisdictionem plus, quàm Presbyter; quia, ut dixi, vel totam habet jurisdictionem ab Ecclesia, vel complementum illius, sine quo non potest validè exercere ullum actum jurisdictionis: ac subinde vi solius ordinationis non habet jurisdictionem: postea tamen crescente numerô Presbyterorum, decretum est, ut is, qui ordinatione erat Episcopus, esset superior Presbyteris, non solùm in praxi potestatis Ordinis, verùm etiam jurisdictionis.

Dices denique: Si Episcopatus esset Ordo propriè dictus, sequeretur plures esse Ordines, quàm septem: sed hoc est falsum, ut constat ex dictis suprà: igitur, &c.

Distinguo minorem: Essent plures Ordines, quàm septem adæquatè sumpti, nego: inadæquatè, concedo. Quamvis enim Episcopatus sit distinctus à Sacerdotio; attamen ab eo adæquatè non distinguitur, quemadmodum cæteri Ordines sunt inter se distincti & mutuò separabiles; licèt enim Sacerdotium possit existere separatim ab Episcopatu, cùm plures sint Sacerdotes, qui non sunt Episcopi; attamen Episcopatus consistere nequit absque Sacerdotio; cùm nulli quoad potestatem Ordinis possint esse Episcopi, qui non sint Sacerdotes. Unde ex institutione Christi Episcopatus Presbyteratum essentialiter includit; ita quòd sine eo perfectè concipi non possit, & irrita sit Episcopalis Ordinatio, quam Presbyteralis non præcesserit.

XXXVII Licèt Episcopatus sit Ordo, non tamen sunt plures ordines quàm septem.

Secus autem est de cæteris Ordinibus; quamvis enim inter eos aliqua sit subordinatio & connexio, ratione cujus unus non nisi post alium suscipi debeat, nec Presbyteratus debeat conferri nisi post Diaconatum, & Diaconatus post Subdiaconatum: attamen quantùm ad substantiam, unus alium Ordinem essentialiter non involvit; nec ita necessariò præsupponit, ut irrita foret Presbyteri Ordinatio, v. g. qui priùs non fuisset in Diaconum ordinatus. Non eadem est itaque Episcopatûs cum Sacerdotio comparatio, qualis est ipsius Sacerdotii cum aliis Ordinibus.

Quia ille Sacerdotiũ essentialiter involvit.

Cujus utique discriminis ratio non aliunde repetenda est, quàm ex voluntate Christi instituentis, quæ nobis apertè constat ex Traditione Ecclesiæ: in his enim, quæ sunt juris positivi, & institutionis divinæ, tota ratio facti est voluntas facientis. Nihilominus nonnullæ proferri possunt rationes, quibus appareat, conveniens fuisse Episcopatum ita à Christo institui, ut Presbyteratum essentialiter includeret, nec posset absque eo consistere: Primò, quia Episcopatus est summum & completum Sacerdotium: *Quid enim est Episcopus* (inquit S. Augustinus, vel alius quivis Auctor quæstionum in vetus & novum Testamentum) *nisi priùs Presbyter, hoc est summus Sacerdos? Quid Episcopatus, nisi populum fidelem pascendi, & Sacramenta conficiendi, atque ministrandi suprema quadam potestas?*

Conveniens fuit ergo, quòd Episcopatus in sua ratione formali, & adæquato conceptu, Sacerdotium essentialiter includeret. *Deinde* Episcopatus ex se, & ex institutione Christi, est potestas Sacerdotiô superior: sed reverà talis non esset, si Sacerdotium ipsum essentialiter non includeret; etenim actus consecrandi corpus Christi, quod proprium est Sacerdotis ministerium, & officium, longè nobilior est Ordinatione Ministrorum altaris, quæ spectat ad officium Episcopi. *Tertiò* denique Episcopatus convenit cum Ordine Sacerdotali in plurium Sacramentorum confectione & administratione; siquidem uterque confert potestatem conficiendi validè quædam Sacramenta, quæ aliter non possent validè confici: etenim Sacerdotium tribuit potestatem conficiendi Eucharistiam, absolvendi a peccatis, & ungendi infirmos in articulo mortis; Episcopatus verò secundùm id, quod addit simplici Sacerdotio, dat per se potestatem conficiendi sacramenta Confirmationis, & Ordinis: igitur Presbyteratus, & Episcopatus in aliquo conveniunt, in quo non conveniunt cæteri Ordines, utpote qui non præbent potestatem ad conficiendum aliquod Sacramentum, nec ad efficiendum aliquod opus sacrum, quod sine ipsis impleri non posset.

XXXVIII Unde Sacerdotes Episcopi vocantur & vice versâ.

Hinc est, quòd ipsum *Sacerdotii* vocabulum in Scriptura sacra ita usurpatur, ut non solùm simplicem Sacerdotem, sed etiam Episcopum significet: nam, ut notat sanctus Hieronymus epist. ad Titum cap. 1. cùm ait Apostolus: *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros;* per *Presbyteros*, intelligit *Episcopos*, ut colligitur ex illis verbis: *Ut constituas per civitates Presbyteros;* nam ad civitates ordinabantur Episcopi, & unus tantùm in una civitate, at Presbyteri (inquit Anacletus epist. 3.) *per castella, aut modicas civitates, atque*

villas, debent ab Episcopis constitui, & poni ne vilescat nomen Episcopi. Et hoc etiam ex eo colligi potest, quòd Apostolus statim subjungit: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Et quando Paulus & Barnabas Actor. 14. constituebant *per singulas Ecclesias Presbyteros, constituebant Episcopos.* Sic 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, &c. Per impositionem manuum Presbyterii;* per Presbyterium, ex Chryso. Oecum. & Theophil. in illum locum, intelligitur cœtus Episcoporum. Sic 1. Petri 5. quando Petrus ait: Seniores, qui in vobis sunt (πρεσβύτερους) intelligit Episcopos. Unde & subjungit: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes, &c.* Græcè enim pro *providentes*, habetur ἐπισκοποῦντες, id est, *Episcoporum* munus & ministerium implentes:

Nec obstat, quòd Episcopatûs materia & forma distinguatur à materiis & formis aliorum Ordinum: Hoc, inquam, non obstat, quia ad distinctionem formæ & materiæ non sequitur adæquata distinctio unius Ordinis ab alio, quando aliunde unus consistere non potest absque alio. Portò Episcopatus consistere non potest absque Sacerdotio, ut mox dictum est; ac subinde non est consequens, quòd invicem adæquatè non distinguantur.

XXXIX. Qualiter Episcopatus à Sacerdotio præcisè distinguatur.

Ex his itaque sequitur, *Episcopatum* non aliter à *Sacerdotio* distingui, quàm veluti Ordinem perfectissimum à minùs perfecto; itaut Episcopatus secundùm se formaliter nihil sit aliud, quàm consummata perfectio, & ultimum Sacerdotii complementum, ratione cujus is, qui consecratur in Episcopum, fit Sacerdos perfectus: quippe Sacerdotium ab Episcopatu habet, quòd alios Sacerdotes creare possit & gignere. Hinc etiam Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 2. recensens septem Ordines, incipit à Sacerdotio, tanquam supremo, nullâ Episcopatûs factâ mentione: at si Episcopatus esset Ordo adæquatè, & omnino distinctus à Sacerdotio, haud dubiè Concilium recensendo Ordines, ipsum non prætermisisset; ac subinde censet, Episcopatum à Presbyteratu omnimodè, & adæquatè non distingui, sed tantùm veluti gradum perfectissimum à minùs perfecto.

Licèt autem subtilis Doctor à nonnullis suis Sectatoribus, maximè verò à Cavello Scholiaste, proferatur in oppositam sententiam, quasi reverà existimaverit, Episcopatum nullatenus esse Ordinem propriè dictum: nihilominus, ut optimè notat Hiquæus *in Commentario dist. 14. nu. 6.* certum est, quòd si penitiùs mens ipsius Doctoris discutiatur, ipsum reverà in affirmativam sententiam ivisse facilè quis deprehendet: quamvis enim *(inquit Hiquæus)* non exprimat conclusionem propter reverentiam antiquorum Theologorum, & communẽ sententiam, ut dicit S. Bonaventura; primus tamen ex Theologis posterioribus eam vocavit in dubium, quam in neutram partem resolvit; sed abstinet ab ipsa controversia, eam relinquens in propriis fundamentis, & transit ad illud, quod erat certum in scholis de numero Ordinum. *Alii contradicunt*, inquit, *conclusioni, quam tenent istæ duæ viæ: quia negant Episcopatum esse Ordinem propriè dictum: sed an sit delebilis propter consecrationem, cum qua confertur, altercantur inter se: sed vana videtur altercatio negando Episcopatum esse Ordinem: quæcumque enim jurisdictio in Ecclesia, vel per Superiorem suspendi potest, ita quòd si tempore suspensionis attentet aliquid facere, nihil faciat, vel potest omnino pro anni tempore tolli.*

XXXIX. Quæ sit hac de re Doctoris sententia aperit Hiquæus.

Quibus verbis insinuat, se manere in ratione adducta pro opinione affirmativa, & quam hîc non putat solvi, & posteà subdit excusando se à controversia: *saltem quidquid de ista controversia de Episcopatu, &c.* & in responsione ad quartum, quod est ex authoritate S. Dionysii, Isidori, &c. *Patet*, inquit, *ex secundo articulo; qui enim negant Episcopatum esse Ordinem, exponunt eos accipere Ordinem pro Sacramentali, &c.* ubi tantùm adducit responsionem Theologorum antiquorum, non propriam.

Deinde, si ex consequentia doctrinæ argumentari libet, infrà ait: *Sed in Sacerdotio videtur probabile*, inquit, *quòd ibi sunt duæ formæ partiales, in quarum altera confertur potestas conficiendi Eucharistiam: in reliqua potestas absolvendi in pœnitentia, &c.* Quod & suprà fusiùs docuit, dist. 19. quæst. 1. art. 3. admittens etiam duos characteres partiales, qui integrant unum totalem: in hac autem littera, ideo docet in Sacerdotio duas Ordinationes partiales, quia etiam correspondet singulis sua propria materia, & sua propria forma: sed in Episcopatu idem etiam patet habere materiam & formam diversam à materia & forma Sacerdotii: ergo sequendo hæc principia idem diceret, si propriam sententiam exponeret; quia in hac conclusione de particulari charactere Sacerdotii recedit à fundamento Theologorum, quò negat Episcopatum esse Ordinem; quia est officii & dignitatis tantùm in quo confertur potestas & non character, quæ est ratio Magistri, & ordinariè fundatur in quibusdam authoritatibus S. Hieronymi, quas ita explicant Theologi antiqui, ut potestas hæc, sive absolvendi in Sacerdote, sive Episcopalis collata in consecratione, non sit character, sed illa consequatur ad characterem Sacerdotalem immediatè, ut dicit Alensis, hæc autem mediatè; vel certè ut sit actus characteris, ut alii dicunt, prima potestas, secunda verò, quæ est Episcopalis supponat characterem Sacerdotii tantùm, & sit potestas officii, & dignitatis seu jurisdictionis faciendi actus Hierarchicos.

Prætereà, suprà assignans definitionem Ordinis in articulo primo hujus quæstionis; in secunda definitione comprehendit Episcopatum. Et doctrina ejus, quâ explicat varias acceptiones Ordinis in ultima particulari acceptione ejus, omnia quæ ibidem exprimit, conveniunt Episcopatui, quia *est gradus eminens in Ecclesia disponens ad actum aliquem Ecclesiasticum eminentem, & quia specialiter*, inquit, *actus eminentes in Ecclesia, sunt actus respicientes Sacramenta, ideo potest specialiùs dici, quòd est gradus disponens ad aliquem actum Sacramentalem, &c.* quæ omnia conveniunt Episcopatui. Quòd si ob objiciatur definitionem, quam ipse propriam assignat in 3. art. excludere Episcopatum per illam particulam: *cui convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendam, &c.* Respondetur in art. 2. jam se excusasse à resolutione ipsius controversiæ, & tantùm definire Ordinem in 3. art. ut comprehendit quatuor Minores, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum, & prout consequenter præcisè ad Eucharistiam ordinatur. Cæterum præmissam assertivè tenet in Reportatis. *Ita Hiquæus*, quibus apertè demonstrat, Doctorem reverà magis propendere in sententiam affirmantem, quòd Episcopatus sit Ordo à cæteris distinctus, etiam à Sacerdotio; non quidem adæquatè, sed inadæquatè.

Nec

XL. Quare Patres dicant Episcopatū esse primū gradum inter Ordines Ecclesiasticos.

Nec obstat, quod suprà diximus, nempe SS. Patres asserere, maximè S. Leonem epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum c. 4. Subdiaconatum esse Ordinē quartum à capite, hoc est, Episcopatu. *Hoc inquam, non obstat*, nec ex eo inferre licet Episcopatū non esse solùm verum Sacerdotii complementum, sed Ordinem adæquatè & omnino distinctum à Sacerdotio; siquidem SS. Patres, maximè S. Leo, dum asserunt Subdiaconatum esse quartum Ordinem ab Episcopatu, tantùm ounerant personas, quæ ratione Ordinis Ecclesiastici, concurrunt ad instituendam Hierarchiam; cùm autem ejusmodi personæ distribui possint in quatuor classes diversas, videlicet Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorū, & Episcoporum; hinc fit, ut à Subdiaconatu ad Episcopatum, quatuor numerentur Ecclesiastici Ordines. Ad prædictam autem personarum, sive Ministrorom Ecclesiasticorum distinctionem, parùm refert, quòd inter Ordines, quibus insigniuntur ejusmodi personæ distinctio sit adæquata, vel inadæquata; essentialis & specifica, aut minimè essentialis: nam Presbyterorum ab Episcopis personæ, noo sunt minùs realiter distinctæ, quàm Subdiacouorum à Diacouis, quamvis Ordinis Episcopalis à Sacerdotali distinctio sit solùm inæadqoata; Ordinis verò Subdiaconatus à Diaconatu sit adæquata. Idcirco autem S. Leo recenset Episcopatum, tanquam primum Ordinem, & caput aliorum; quia vult ostendere, quòd si inferioribus Ordinibus insigniti teneantur ad servandum cœlibatum, multò magis ad id tenentur Episcopi; scribit enim præfatô cap. 4. *Cùm extra Clericorum Ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfecta continentia puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur: ut & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habens, permaneant singulares: Quòd si in Ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri: quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Leviticô Ministeriô, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentiâ quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate uxoria nedum franasse detegitur?* Ita S. Leo, quibus (ut apparet) hos Ordinum gradus magis distinguit ratione personarum, quæ ipsis Ordinibus insigniuntur, quàm ratione ipsorum Ordinum adæquatè sumptorum.

PETAS: *Quid sentiendum sit de Chorepiscopis, de quibus Canones, & antiqua Ecclesia monumenta tam sæpè loquuntur?*

XLI. Quid significet nomē Chorepiscopi.

Respondeo, Chorepiscopi nomen idem significare, ac oppidi, seu pagi Episcopum, vel Vicanum, aut oppidanum Episcopum, qui videlicet extra urbem in pagis, vicis, & oppidulis Episcopi vices agit; unde antiqui Canonum Interpretes, Chorepiscopos nonnumquam Latinè *Episcoporum vicarios* ioterpretantur; ita Ferrandus Diaconus in Breviario, cap. 79. *Chorepiscopi*, inquit, *id est, Vicarii Episcoporum*. Et S. Isidorus lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 6. ubi scribit: *Chorepiscopi, id est, Vicarii Episcoporum, juxta quod canones ipsi testantur, instituti sunt ad exemplum 70. Seniorum, tanquam Sacerdotes propter sollicitudinem pauperum. Hi in vicis, & villis instituti, gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas. Presbyteros autem, & Diaconos ordinare non audeant prater conscientiam Episcopi, in cujus regione pra-*

esse noscentur. Hi autem à solo Episcopo civitatis, cui adjacent, ordinantur. Hanc amplissimam potestatem Chorepiscopis attribuit S. Isidorus secundùm canones Græcos, nempe canonem 13. Concilii Ancyrani, 14. Neocæsariensis, & 10. Antiocheni. Verùm hoc fortè eis Chorepiscopis concedebant præfati canones, quòd essent veri Episcopi; sed absque Diœcesi, & subditi Diœcesanis Episcopis, à quibus eorum authoritas limitari poterat.

XLII. Duplex erat genus Chorepiscoporum.

Duplex namque genus erat Chorepiscoporum; *aliqui* enim reverà erant Episcopi consecrati, sed absque plebe, ut constat ex Concilio Regiensi annô 439. celebrati, in quo Armentarius, in Episcopum à duobus Episcopis sine conscientia Metropolitani ordinatus, Chorepiscopatûs officiô fungi permittitur. Similiter constat ex can. 8. Concilii Niceni, quô statuitur quòd cùm duo erant in urbe Episcopi, unus Catholicus, alter hæreticus, si Hæreticus ad Catholicam fidem converteretur, tum Catholicus pacis causâ poterat illi permittere, ut in aliqua parte Diœcesis Chorepiscopum ageret. *Alii* verò Chorepiscopi erant simplices Sacerdotes instituti ad formam 70. Discipulorum, non autem duodecim Apostolorum, ut præclarè docet S. Damasus epist. 4. vel 5. ubi inter cætera scribit de Chorepiscopis: *Quòd enim Episcopi non sint, qui minùs quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi, si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Quidquid enim inter Episcopos, aut de rebus ad eos solùm modò pertinentibus egerint, necesse est, ut superiùs jam prælibatum est, ut irritum fiat. Quia quod non habent, dare non possunt.* Et in eadem epistola post aliquot periodos: *Quis hominum, licèt more humanô loquamur, dare potest quod non habet? Præsertim cùm Pontifices non erant, ea quæ solis Pontificibus debentur, dare non poterant. Et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manûs impositionem tangebant, cùm ea quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent. Et ideo quidquid ex supradictis ministeriis Pontificalibus præsumebant, irritum erat, & nihil factis proficiebat: Sed magis juxta Prophetam, maledictionem pro benedictione, si ratum est dicere, conferebant. Quapropter per illam illicitam manûs impositionem, ut paulò superiùs prælibavimus, vulneratum caput illi, qui videbantur aliquid accepisse, habebant. Et ubi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, quâ infixa sanetur macula, id est, reiterari necessum est quod legitimè actum non est, aut collatum minimè approbatur, si perfectum esse debebit. Nam quomodo honorem possit retinere, qui ab illo acceperit, qui potestatem dare legitimè non habuit, invenire non possum, &c.*

XLIV. Plurimi erant simplices Sacerdotes.

Similia decernit S. Leo epistolâ 86. & Joannes III. epistolâ unicâ his verbis: *Omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non esse Episcopum, qui minùs quàm à tribus Episcopis, authoritate etiam Metropolitani fuerit factus Episcopus. Ideoque illos, quos Chorepiscopos vocatis, quia ab uno, ut audivimus, fiunt Episcopo, Episcopos non esse, nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere perspicuum est. Quoniam si nomen non habent, quomodo officium possunt habere? Si ergo Episcopi non sunt, & Presbyteri, quorum vicem gerunt, quia ad exemplum septuaginta olim fiebant, esse despiciunt, quid erunt?* Sæpiùs (ut observat Morinus, *Exercit. 14. cap. 2. num. 8.*) eâ epistolâ repetit argumentum à septuaginta Discipulis, quibus

TTtt

successeruot Chorepiscopi, deductum; hocqoe & alia quæ profert, authoritate Pontificum Damasi, & Leonis confirmat. Similiter Coocilium Hispalense secundum, cap. 7. severè increpat Agapium quemdam Cordubensem Episcopum, qui Chorepiscopos delegare solebat ad Episcopalia munera administranda, Confirmationis Sacramentum conferendum, Altaria erigenda, Ecclesias consecrandas, virgines benedicendas, &c. Hocque imposterùm fieri prohibet, nec plus licere vult Chorepiscopis, quàm Presbyteris; quia, inquit, *Juxta canones unum sunt, Pontificatus apicem non habent.*

Unde eis erant interdicta munia Episcopalia.

Sed nihil evidentius desiderari potest, imò fingi, quàm Leoois III. ad Episcopos Galliæ responsum. Cùm enim tempore Caroli Magni gravissimæ querelæ adversus Chorepiscopos a Galliæ & Germaniæ plurimis Episcopis excitatæ essent, quarum potissima causa erat, quòd plurimi negarent, *eos esse Presbyteros, vel Diaconos aut Subdiaconos, qui à Chorepiscopis videbantur quasi sacrati: nec Sacerdotale eos debere peragere officium nisi forent à canonicè Ordinatis Episcopis consummati: Affirmabant quoque à Chorepiscopis Ordinatos vulneratum potius, quàm Episcopaliter sanctificatum, per illam manûs impositionem habere caput.* Ideo, inquit Morinus, plurimi Laici eorum Missas fugiebant, eorumque liberos ab iis confirmari nolebant, *ne magis vulnus, quàm benedictionem acciperent.* Cùm hæc, inquam, quæstio in Gallia & Germania variè, & nutantibus sententiis agitaretor, statuerunt Episcopi Archiepiscopum è suis Romam ad Leonem III. mittere, qui ab eo ancipitis istius quæstionis decisionem referat. Quid verò respondit Pontifex Archiepiscopo ad eum misso? Quæstionem à Prædecessoribus suis jam definitam esse, nec aliâ definitiooe opus esse: *Dixit enim nullum fore Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum ab iis ordinatum; nec Ecclesiam ab eis dedicatam, nec Virginem consecratam, nec quemquam confirmatum; neque quicquam, quod de Episcopali ministerio præsumpsère, esse peractum. Sed quidquid ex his ab iis illicitè erat præsumptum, omnia à canonicè Ordinatis Episcopis debere ritè peragere; & in meliorem statum reformare; quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.* Hoc Arno Archiepiscopus à Collegis suis Romam missus responsum à Sede Apostolica tulit. Quô acceptô Galliæ & Germaniæ Episcopi Synodum Ratisbonæ habuerunt, in qua Apostolicæ Sedis decretum promulgârunt, & observare statuerunt, videlicet: *Quidquid à Chorepiscopis Episcopaliter præsumptum est, à Canonicè Ordinatis Episcopis peragi debere; nec ullum usquam de Episcopali ministerio à Chorepiscopis aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod aliquis horum accipere potuisset; quoniam quod non habuit quis eorum, dare non potuit.* Quibus verò potissimùm rationibus freti ita decernunt? Nam Episcopi non erant, quia oec canonicè à tribus Episcopis ordinati. Ideo de Episcopali ministerio nihil agere potoerunt. Et idcircò non ostenditur gestum, quod præfixi agere putaverant; quia qnod non habuerunt, nullatenos dare potuerunt. Ideo namque nulla causa permitit, ut videator iteratum, quod de causis memoratis à canonicè ordinatis Episcopis cognoscitur regulariter peractum. Hæc leguntur tomô 1. Conciliorum Galliæ ad anoum 800. selectorum capitulorum lib. 4. cap. 1. Multa quoque in eandem sententiam sequentibus capitibus, quæ brevitatis causâ prætermitto. Deprehenduntur etiam capitulari lib. 7. cap. 187. & cap. 329. & lib. 6. cap. 319. consentit Isaacus Lingonensis tit. 11. cap. 30. *Si quis non ab Episcopo, sed à Chorepiscopo, qui non est Episcopus, sed Vicarius Episcopi, &c.* Refertur quoque Capitular. lib. 7. cap. 313. Concilium Meteose, quod est postremum eorum, quæ de ipsis mentionem faciunt, can. 7. adversus eos, eorumque statum decernit, *Ut Basilica à Chorepiscopis consecrata ab Episcopis consecrentur, roboratum est. Quia juxta decreta Damasi Papæ, Innocentii, & Leonis, vacuum est & inane, quidquid in summi Sacerdotii Chorepiscopi egerunt ministerio. Et quòd & ipsi iidem sint, qui & Presbyteri sufficienter inveni untur.* Est igitur non modò certissimum, sed etiam manifestissimom, Chorepiscopos illos, de qoibus antiqua Ecclesiæ monumenta mentionem faciunt tam freqoentem, Episcopos noo fuisse, sed tantùm Presbyteros dignitate cæteris Presbyteris præeuntes, Diœcesis partem aliquam sub Episcopi proprii authoritate regentes; quibus ideo nonnulla munera Episcopalia in oppidis & pagis exercenda committebantur pro Episcopi arbitrio, io quibusdam Provinciis plura, in aliis pauciora.

Uode Ebbo Archiepiscopus Rhemensis in statuto de Ministris Ecclesiæ Rhemensis de Chorepiscoporum officio sancivit. *Chorepiscopi Ministerium est omnem Sacerdotem totius regionis sibi commissa conversationem corrigere atque dirigere, id est, in conficiendis divinis Sacramentis, & baptisterio omnium intellectum aperiens excitare, populum regionis prædicare, confessiones exigere, Pœnitentiam cum discretione cautè imponere, hospitalitatem sectari, infirmos visitando obsequia benignitatis & benedictionis, & sanctæ unctionis inferre. Communioni sanctæ dignos fieri, populos assiduâ Communione exercere, mortuos cum commendationibus, animæ, & orationibus dignis obsequiis sepulturæ venerabiliter tradere; pro vivis etiam, ac defunctis totius Ecclesiæ filiis rationabili assiduitate exorare. Insuper verò omnia quæcumque intra Ecclesiam, & extra Ecclesiam, in claustro, & in omnibus habitationibus à maximo usque ad minimum quemcumque videris negligere, secundùm Ecclesiasticum correptionis modum semper corripiat, & omnem veram Religionem prior ipse faciendo, omnes facere doceat.* Hæc in appendice ad Flodoardum in Historia Ecclesiæ Rhemensis. *Ita Morinus.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De singulis Ordinibus sigillatim & in specie.

JAM satis superque constat ex dictis, Ecclesiasticos Ordines esse numerô septem, & eorum quoslibet materiâ, & formâ constare. Restat autem de singulis inquirendum & determinaodum, quæ sit eorum natura, materia & forma, ac distinctum munerum exercitium; quod ut fiat planiùs & brevius, singulos Ordines sub distioctis titulis in hoc Articulo expendemus, procedendo ab inferioribus ad superiores, juxta ritum quô conferri solent.

§. I.

De Ostiariis.

I. *Vnde & quare Ostiarii ita sint appellati.*

INTER quatuor minores Ordines primus, & omnium infimus est *Ostiariorum*, qui & *Ianitores*, & *Æditui* dicti sunt, de quibus ita scribit sententiarum Magister: *Ostiarii*, inquit, *idem & Ianitores sunt, qui in veteri Testamento electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus. Dicti autem Ostiarii, eò quòd præsint foribus templi. Ipsi enim tenentes clavem omnia intus, & extra custodiunt: atque inter bonos & malos habentes judicium, dignos recipiunt, indignos respuunt. Vnde & eis, cùm ordinantur, claves Ecclesiæ dantur ab Episcopo, & dicitur eis: Sic agite, tanquam rationem Deo reddituri de rebus, quæ clavibus istis recluduntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagellò de funiculis factò, vendentes & ementes ejecit de templo. Ipse enim se Ostiarium significans, dicit: Ego sum ostium, per me siquis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.*

Ita sententiarum Magister, quibus complectitur omnia, quæ spectant ad Ordinem Ostiaratûs, nimirum illius antiquitatem, munia, seu officia, nec-non & materiam & formam. Porrò hujus Ordinis dignitas adumbrata fuit in veteri Testamento; nam 1. Paralipp. c. 9. numerantur 4000. ejusmodi Janitorum, qui secundùm vices suas custodiebant ostia domûs Domini, seu templi Salomonis. Ad eorum autem similitudinem instituti sunt in novo Testamento Janitores, seu Ostiarii, qui januis Ecclesiæ præsunt, & earum curam habent, & omnia ejus interiora, atque exteriora custodiunt, sicut observat S. Isidorus Hispalensis Episcopus lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 14. & constat ex Concilio Aquisgranensi sub Stephano quarto cap. 4.

II. *Adumbrati fuerunt in veteri Testamento.*

III. *Eorum antiquitatem declarant SS. Patres, & Concilia.*

Porrò Ostiariorum in Ecclesia antiquitatem, & existentiam apertè demonstrant SS. Patres utriusque Ecclesiæ, Orientalis videlicet & Occidentalis; illius enim meminerunt *sanctus Dionysius* cap. 3. lib. de Ecclesiast. Hierarchia, & epist. ad Demophilum, quæ est octava, *Ignatius Martyr*, seu quisquis est Author epistolæ ad Antiochenos, *Clemens Romanus* lib. 2. constitutionum, cap. 55. *Concilium Laodicenum*, can. 24. *S. Epiphanius* hæresi 80. & *Eusebius Cæsariensis* lib. 6. cap. 43. Similiter è Latinis Patribus plurimi idem testantur, maximè Cornelius Papa in fragmento epistolæ, quod refert Eusebius mox laudatus; *Concilium Romanum* sub Sylvestro, cap. 2. *Concilium Carthaginense* quartum, cui præsens aderat, & subscribsit S. Augustinus; *Concilium Toletanum* primum sub Innocentio primo celebratum; *S. Paulinus* Episcopus Nolanus epist. 6. ubi ab hoc Æditui, sive Ostiarii gradu, ait se militiam Ecclesiasticam voluisse exordiri: Imperatores, Valentinianus, Valens, & Gratianus, lege *Presbyteros* cod. *de Episcopis & Clericis*; Gelasius Papa in epist. ad Episcopos Lucaniæ; *S. Gregorius* lib. 1. Dialog. cap. 3. & lib. 3. cap. 14. ac 15. ubi refert Constantinum quemdam, Theodorum, & Evandium Sacerdotiô auctos, Mansuenariosque dictos Ecclesiarum S. Stephani & Petri Romæ, Ostiariorum functiones obivisse, & alii passim, maximè omnes Theologiæ principes cum Concilio Florentino & Tridentino.

Quantùm autem ad materiam & formam, seu ritum conferendi illius Ordinis, conveniunt omnes Theologi; *materiam remotam* Ostiariatûs esse claves Ecclesiæ; *proximam* verò traditionem earundem clavium, quas Episcopus ordinans porrigit ordinando: *Formam verò* consistere in his verbis: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Quæ utique forma etiam traditur in Concilio Carthaginensi quarto.

IV. *Quæ sit illius ordinis materia & forma.*

Sunt tamen qui existimant, etiam pulsationem campanæ, aut traditionem funis campanalis, spectare ad materiam hujus Ordinis: antiquitus enim, inquit Morinus exercitatione 13. num. 2. sola traditio clavium erat in usu, ut constat ex can. 9. Concilii Carthaginensis quarti, ex Ordine Romano, & ex antiquissimo Gelasiano. Sed funis traditio, & campanarum pulsatio ab antiquis exemplaribus non commemorantur. Sicut tamen Ecclesia priorem materiam instituit, sic potuit & secundam. Secundam autem primùm non instituit, eò quòd primis illis sæculis consuetum non erat fideles ad Ecclesiam per campanarum pulsationem convocare; sed invalescente illâ consuetudine, adjunctum est antiquæ materiæ istud pulsationis genus. Insuper admonitio quæ Ostiariis ordinandis nunc fit ab Episcopo, antiquitus ab Archidiacono fieri solebat, ut in can. 9. Concilii Carthaginensis quarti, & in antiquis plerisque Ritualibus edicitur.

Verùm reclamant cæteri Theologi: *primò*, quia eam solam materiam disertè exprimunt verba formæ. *Sic agite*, &c. *Secundò* quia ejusmodi verba eô tempore pronuntiantur ab Episcopo, quô ab eodem traduntur claves Ecclesiæ; non autem eô tempore, quô traditur campana, aut funis ad eam pulsandam: at materiæ in Sacramentis & Ordinibus applicatio fieri debet eô tempore, quô pronuntiantur verba formæ. *Tertiò*, quia materiam Ordinis tradere & applicare, solius est Episcopi ordinantis; cùm ad solum Episcopum de jure pertineat Ordinum collatio: at campana, aut funis campanæ non traditur ab Episcopo, sive ab Ordinante, sed ab Archidiacono. *Quartò* denique, quia ejusmodi materiæ recentioris, & superadditæ ad primævam, nulla planè fit mentio in sacris Canonibus, & antiquis Ritualibus, aut apud SS. Patres; imò nec Stephanus Eduensis, nec Ivo Carnotensis, nec Hugo à S. Victore hujus Ritûs meminerunt.

V. *Primum Ostiariorũ munus est claudere & aperire januas templi.*

Munia autem, & *Officia Ostiariorum* sunt, *primùm* claudere & aperire januas Ecclesiæ certis quidem horis, nec-non eas obserare Infidelibus, & reserare fidelibus, sicut monet Episcopus in exhortatione, quam ad eos habere debet in ipso Ordinationis ingressu, quæ legitur in Pontificali Romano, ubi etiam eosdem hortatur, ut, quemadmodum clavibus materialibus Ecclesiam visibilem aperiunt, & claudunt; ita etiam visibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis & exemplis claudant diabolo, & aperiant Deo. Nec solùm claudere Ecclesiæ januas infidelibus; sed etiam iis, qui inter fideles indigni sunt, quales maximè censentur excommunicati, Energumeni, peccatores publici, & scandalosi denuntiati, Christianæ Religionis, & veritatis derisores, & impugnatores, ac notorii Clericorum percussores, ut docet S. Ambrosius epist. 23. S. Chrysostomus homil. 41. & aliqua ex parte Martinus V. in sua Constitutione edita in Concilio Constantiensi.

Secundum Ostiariorum munus est, curare ne quis Laicorum propiùs ad Altare accedat, dum sacra

Secundum est Laïcos ab altari arcere.

mysteria celebrantur, ut observat Catechismus Romanus *num.* 33. *Tertium* munus est pulsare campanas, & populum fidelem ad templum convocare, ot divinis mysteriis, & Officiis intersit.

Tertium pulsare cāpanas.

Hinc est, quòd in Pontificali Romano Episcopus ordinans Deum orans pro iis, quos in Officium Ostiariorum eligere dignatus est, postulat, ut sit fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus, ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini, fideles convocare; unde hæc pulsatio tantam apud veteres Christianos venerationem obtinuerat, ut campanas pulsaturi superpelliceis induerentur, ut insinuat Concilium Coloniense sub Adolpho Archiepiscopo in suis Decretis can. 13.

Quartum est servare Ecclesiæ thesauros.

Quartum & ultimum ex præcipuis Ostiarii muneribus, est esse Ecclesiæ Thesaurarium, ut indicat Catechismus Tridentinus *num.* 33. unde colligit magnam in antiqua Ecclesiæ hujus Ordinis dignitatem fuisse. Nam Thesaurarii officium, qui erat idem Sacrarii custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiæ functiones etiam oune habetur.

Has omnes Ostiariorum functiones luculenter explicat Pontificale Romanum io exhortatione, quam ad hôc Ordine initiandos habere debet Episcopus bis verbis: *Suscepturi filii charissimi Officium Ostiariorum, videte quid in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum, & campanam, aperire Ecclesiam & sacrarium, & librum ei qui prædicat: Providete igitur, ne per negligentiam vestram illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, & semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis, & clauditis: sic & invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis & exemplis vestris claudatis diabolo, aperiatis Deo, ut divina verba, quæ audierint, corde retineant, & opere compleant, quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.*

§. II.

De Lectoribus.

SEcundus Ordinum Ecclesiasticorum gradus, est Lectorum: *Lectores* autem, *inquit sententiarum Magister*, à legendo, sicut Psalmistæ à Psalmis canendis, vocati suot: Illi enim prædicant populis, quid sequantur: isti cantant, & excitant ad compunctionem audientes: licèt quidam Lectores ita miserabiliter pronuntient, ut quosdam ad luctum & lamentationem compellant. Iidem etiam Pronuntiatorès vocantur, qoi populo ante nuntiant: quia tam erit clara eorum vox, ut etiam longè positorum aures adimpleat.

VI. Quænam sint Lectorum munia ex Magistro sentent.

Ad Lectorem autem pertinet Lectiones pronuntiare, & ea, quæ Prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare, ut jam ex officio Ecclesia legat Prophetias & Lectiones. Unde & ei, vidente populò, traditur ab Episcopo codex divinarum Lectioonum, & dicitur: Accipe, & esto verbi Dei relator: habiturus, si fideliter impleveris officium, partem cum his, qui bene verbum Dei ministraverunt. Qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientiâ debet esse instructus, ut sensua verborum intelligar, vim accentuum sciat, distinctè legat: ne confusione prolationis intellectum Aoditoribus auferat. Attendat quid indicativè, quid interrogativè sit legendum, ubi sit in oratione facienda distinctio. Hæc enim malè servata intellectum turbaot, & alios ad risum provocant. Auribus & cordi consulere debet vox Lectoris. Hoc officium implevit Christus, cùm io medio seniorum librum Isaiæ aperiens, distinctè ad intelligendum legit: *Spiritus Domini super me*, &c. Ex quo Lectoribus datur intelligi, qua gratiâ spirituali clarere debent, qui aliis verbum Dei annuntiant. Hic Ordo formam, & initium à Prophetis accepisse videtur, quibus dicitur; *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Hæc sententiarum Magister.

VII. Eorum officia fuerũ adumbrata in veteri Testamento.

Quibus omnia paucis explicat, quæ spectant ad Ordinem Lectorum: *Primò* quidem hujus Ordinis dignitatem, & antiquitatem in veteri Testamento adumbratam, & ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio celebrem; hujus namque Ordinis & officii meminit Tertullianus lib. de præscriptionibus cap. 41. ubi reprehendens hæreticos, quòd Ordinationes eorum temerariæ sint, leves & inconstantes, ut id probet, statim addit: *Alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector*, &c. Idem quoque S. Cyprianus significat epist. 24. ubi ait se fecisse Saturum, qui antea Confessor fuerat, Lectorem. Meminit pariter S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. quæ est prima in Julianum Apostatam, ubi observat eum ante suam apostasiam, fuisse Lectorem in Ecclesia, & post Apostasiam instituisse, ut in templis Gentilium essent Lectores, ad instar eorum, qui sunt in Ecclesia Catholica.

Et in nascente Ecclesia commendata.

VIII. Primum eorum munus est legere libros sacros in publico fidelium coetu.

Secundò, designantur munia Lectorum, quorum *primum* est, legere, oon solùm Scripturam sacram veteris Testamenti, sed & omnes oovi Testamenti libros; nec-oon & eos omnes, qui possunt conferre ad fidelium eruditionem & pietatem. Non enim Lectoribus permissum est solùm legere Propheticas, & Apostolicas Scripturas, ut contendit Hugo Victorinos lib. 2. de Sacramentis parte 3. cap. 7. sed etiam omnes otriusque Testamenti libros; ut apertè tradit Concilium Laodicenum can. 59. obi expressè habetur, *quòd non oportet privatos, & vulgares aliquos Psalmos dici in Ecclesia, nec libros non canonicos, sed solos Canonicos veteris, & novi Testamenti*, & Concilium Carthaginense tertium, can. 45. ubi statuitur, ot præter Scripturas Canonicas in Ecclesia nihil legatur sub nomine divinarum Scripturarum.

Quòd autem præter Scripturam sacram, etiam legi possint in Ecclesia omnes piæ, & probatæ instructiones, colligitur ex eodem Concilio, can. 23. ubi disertè præscribitur, *ut quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit*; qood explicatiùs sanxit Concilium Milevitanum secundum, can. 12. his verbis: *Placuit, ut preces, vel orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive recommendationes, sive manûs impositiones ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ à prudentioribus tractatæ, & comprobatæ in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.* Et citatô mox canone 47. Concilii Carthaginensis tertii, legi etiam permittuntur Martyrum Passiones, dum anniversarii dies illorum celebrantur. Ex Concilio autem Toletaoo quarto, licitum est Doctorum Orthodoxorum scripta in Ecclesia publicè legi.

IX. Secundum docere Catechismum.

Secundum munus Lectorum est, ut observat Catechismus Romanus *num.* 34. Prima Religionis Christianæ rudimenta, sive Catechumenis, & baptizandis, sive etiam fidelibus baptizatis adhuc

rudioribus tradere: itaut Lectoris proprium munus sit, non solùm legere sacras utriusque Sacramenti Scripturas, sed etiam id quod legit, rudioribus, & Neophytis exponere per modum instructionis familiaris: Quod utique significare videntur verba, quæ proferuntur ab Episcopo ordinante: nam in Pontificali Romano habetur: *Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat*; nam *prædicandi* verbum plus aliquid significat, quàm *legere*, quippe prædicator exponere debet, quæ pronuntiat.

X. Tertium est legere coram Episcopo.

Tertium munus Lectorum erat legere coram Episcopo eam divinarum Scripturarum partem, quam deinde Episcopus populo exponebat; quod utique munus & officium notissimum est ex sermonibus, & homiliis veterum Doctorum, seu Patrum, præsertim verò S. Augustini, qui passim ubi ex Psalmis, vel altera quacunque Scripturæ parte ad populum verba fecit, hujus officii Lectoris meminit; unde S. Cyprianus epist. 33. & 34. docet officium Lectorum esse legere Evangelium, non quidem in Missa, sed extra Missam; quippe Lectori licitum erat olim in publicis fidelium, & Ecclesiæ Conventibus Evangelium legere; non quidem è pulpito, seu majori suggestu, & tempore divini Officii, id enim solùm Presbyteris & Diaconis licitum est: sed tantùm extra divinum officium, & ad jussionem Episcopi mox concionem ad populum habituri.

XI. Quartum munus est cantare.

Quartum ipsius munus est, non solùm sacros, & pios libros in Ecclesia coram fidelibus legere, sed etiam Cantoris, & Psalmistæ officium implere: jam enim diximus, Cantorum, & Psalmistarum officium esse veluti Lectoratûs appendicem, & Lectoribus Cantores & Psalmistas veluti coadjutores fuisse adjunctos, ut vel eô præcinente, cæteri succinerent, vel ad ejus imperium Cantores Psalmos & Hymnos intonarent.

Lectorum officium & munus egregiè explicat Ivo Carnotensis serm. de excellentia sacrorum Ordinum, his verbis: *Hic quidem, qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientiâ debet esse instructus, ut & sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distinctè legat, ne confusione pronuntiationis, intellectum auditoribus auferat. Attendat quid sit indicativè legendum, quid sit interrogativè: ubi sit in oratione subdistinctio, media distinctio: quia & hac malè servata intellectum perturbant, & Grammaticorum typum ad risum provocant. Auribus enim, & cordi consulere debet Lector.* Cui subscribit Concilium Aquisgranense can. 3. ubi ait: *Vox Lectoris simplex erit, & clara, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena succô virili, agrestem & subrusticum effugiens sonum, non humilis, nec adeo sublimis, non fracta, non tenera, nihilque fœmineum sonans, neque commotu corporis, sed tantum cum gravitatis specie, auribus enim & cordi consulere debet Lector, non autem oculis*, &c.

§. III.

De Exorcistis.

XII. Quid sit Ordo Exorcistarum.

EXorcistarum Ordo tertius est inter Minores, qui idcirco dicti sunt Exorcistæ, quòd Exorcismis, idest, adjurationibus sacris, quasi totidem verborum tormentis, & spiritalibus flagris dæmones ab obsessis corporibus egredi compellant, *voce quidem humanâ, sed potestate divinâ*, ut loquitur S. Cyprianus epist. 66.

In primitiva autem Ecclesia Exorcistæ erant in

A duplici differentia; quidam enim vim habebant dæmones ejiciendi ex gratia gratis data, & absque ulla ordinatione, de quibus intelligendus est S. Clemens lib. 8. Constitutionum cap. 26. dum ait, *Exorcistam non ordinari.* Alii verò erant Exorcistæ per Ordinationem, qui videlicet suæ Ordinationis virtute potestatem habebant dæmones ab Energumenorum corporibus ejiciendi, quales sunt de quibus agimus. Hujus autem Ordinis apertè meminerunt utriusque Ecclesiæ tum Orientalis, & Græcæ, tum Ecclesiæ Latinæ Patres, atque Scriptores antiquissimi, ut videre est apud *Baronium* tomô 1. Annalium ad annum Christi 56.

XIII. Quodnam sit eorum munus?

Præcipuum Exorcistarum munus est, invocare nomen Domini, atque etiam manus imponere super eos, qui ab immundis spiritibus vexantur; B unde Episcopus in admonitione, quam præmittere debet eorum ordinationi, eos sic alloquitur: *Accipitis itaque potestatem imponendi manum super Energumenos, & per impositionem manuum, gratiam Spiritûs sancti, ut verbis Exorcismi pellantur spiritus immundi à corporibus obsessis.* Et in oratione, quæ finem imponit huic ordinationi, Deum precatur Episcopus, ut per impositionem manuum, & oris officium, potestatem, & imperium habeant qui sic ordinantur, spiritus immundos coercendi.

Quod utique officium, & alia ad hunc Ordinem spectantia præclarè explicat sententiarum C Magister, *his verbis:* Ad Exorcistam pertinet Exorcismos memoriter retinere, manusque super Energumenos, & Catechumenos in exorcisando imponere. Debet autem habere spiritum mundum, qui spiritibus immundis imperet, & malignum expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno, ne medicina, quam alii facit, sibi non prosit, & dicatur ei: Medice, cura teipsum. Hi cùm ordinantur, accipiunt de manu Episcopi librum Exorcismorum, & dicitur eis: Accipite, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, & Catechumenos. Hôc officiô usus est Dominus, quando salivâ suâ tetigit aures, & linguam surdi, & muti, dicens: Epheta, quod est; Adaperire: per hoc docens, nos spiritualiter ha- D bere, & aperire aures præcordiorum hominum ad intelligendum, & ora ad confitendum: ut pulsô dæmone Spiritus S. vas suum recipiat. Hoc officio usus est Christus, cùm dæmoniacos multos sanavit. Hic Ordo à Salomone videtur descendisse, qui quemdam modum exorcizandi invenit, quô dæmones adjurati ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati, Exorcistæ vocati sunt, de quibus Christus in Evangelio: *Si ergo in Beelsebuth ejicio dæmonia, filii vestri*, scilicet Exorcistæ, *in quo ejiciunt?*

Idcirco autem Christus D. hanc dæmones expellendi potestatem inferioris Ordinis Ministris E committere voluit, ut faciliùs & efficaciùs proterereretur ipsorum dæmonum superbia: nimirum ut eos, quibus nihil elatius est, magisque superbum, tantò magis deprimeret, subjiciendo eos non solùm præstantioribus, sed etiam inferioribus Ecclesiæ Ministris. Ne quis tamen dedignaretur hoc subire munus exorcizandi, Christus ipse, & Apostoli exemplô nobis præiverunt, exorcizando Energumenos, & dæmones ejiciendo.

XIV. Quare in Ecclesiæ primordiis omnes fideles exorcizabant.

Tanta porrò in ipsis Ecclesiæ primordiis erat Energumenorum multitudo, ut undique etiam è Gentilibus, & Paganis ad Ecclesiam adducerentur, suis Exorcismis & precibus, invocatô Christi nomine liberandi; quemadmodû intelligi potest ex Justino Martyre, & Tertulliano, qui passim testan-

tut exorcizandi munus fuisse commune omnibus Christi fidelibus etiam non ordinatis, eò quòd omnes tunc ex gratia gratis data pollerent donô abigendi dæmones è corporibus Arreptitiorum, per invocationem nominis Christi; tunc enim ad ædificationem Ecclesiæ, debitamque fidei propagationem longè frequentior erat, & omnino conveniens miraculorum, & ejusmodi curationum usus. Jam verò munus exorcizandi dæmones, maximè juxta formam ab Ecclesia præscriptam, non convenit omnibus Christi fidelibus, sed solùm Ministris ad id specialiter ordinatis; ita enim statuitur in Concilio Laodiceno can. 26. ubi legimus, quòd *hi, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesiis, quàm in domibus exorcizare non possint.* Vel ut Gratianus dist. 69. cap. 5. ait: *Non oportet exorcizare eos, qui necdum ab Episcopis sunt promoti, neque in Ecclesiis, neque in domibus.*

Nec obstat, quòd Christus D. dixerit universim de omnibus fidelibus in eum credituris: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Hoc, inquam, non obstat; nam eôdem modô à Christo dictum est: *In nomine meo dæmonia ejicient*, quô ibidem additur; *Linguis loquentur novis, serpentes tollent*: at non omnes Christi fideles linguis loquuntur novis, aut serpentes tollunt: sic ergo necesse non est, ut omnes dæmonia ejiciant.

Prædicta igitur Christi D. promissio, ita debet intelligi, ut fidelibus promissa sit potestas expellendi dæmones è corporibus Energumenorum; non quidem pro omnibus & singulis, sed pro aliquibus tantùm; idque non semper, sed positis duntaxat certis quibusdam conditionibus, videlicet urgente necessitate, ubi nimirum ipsa res ita

XV. Quænam dispositio nes in exorcizante præ requirantur.

postulaverit ad majorem Dei gloriam, juxta divinæ voluntatis & providentiæ leges, posito nempe quòd ejusmodi potestatem quis acceperit, vel immediatè à Deo, per aliquod gratiæ gratis datæ donum: vel per ministerium hominum, & ab Ecclesia per ordinationem, de quâ hîc agitur: supposito etiam quòd in iis, quæ pertinent ad executionem hujus Ordinis exorcizans non recedat à regulis, quæ ab eo servari debent, ut muneri suo non desit, & eô rectè defungatur. Quarum *prima* est, ut exorcizans non utatur ullis ritibus novis, aut diversis ab iis, quos Ecclesia præscribit, ac servare solet; nec adhibeat ignota quædam vocabula, ut Hebraïca vel Syriaca, neque etiam ad aures Energumeni tacitè loquatur: quia hæc omnia superstitionem redolent, & pactum aliquod sancitum cum dæmone. *Secunda* est, ut nihil fiat, nisi invocatô Christi nomine; verissimum quippe est id, quod de dæmonibus observat Lactantius lib. 2. institutionum divinarum cap. 16. *Iustos*, inquit, idest, cultores Dei, *metuunt, cujus nomine adjurati de corporibus abscedunt, quorum verbis tanquam flagris verberati, non modò dæmones se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt; quia nec Deo, per quem adjurantur; nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis sæpe ululatibus editis, verberari se, & ardere jamjamque exire proclamant.*

Tertia regula est, ut cum dæmone, nonnisi verbis imperativis, comminatoriis, & coactivis utatur exorcizans; namque, ut ait S. Augustinus lib. 10. de civitate Dei, cap. 22. *Verâ pietate homines omnem potestatem inimicorum, contrariamque pietati, exorcizando ejiciunt, non placando*; hinc est, quòd, sicuti observat Joannes Michrologus lib. de observationibus Ecclesiasticis cap. 7. Exorcismi non concludantur hâc vulgari formulâ; *Per Christum D. nostrum*, sicut aliæ preces & orationes Ecclesiasticæ, sed his verbis: *Per eum, qui venturus est judicare sæculum per ignem*, quia ejusmodi clausula comminationem importat ultimi judicii, cujus adventum dæmones maximè pertimescunt.

Quamvis autem Exorcistarum potestas, & Exorcismorum Ecclesiæ virtus, sit maxima; nihilominus fatendum est, adjuratos per eam dæmones non semper abigi, aut saltem non statim; Deô interdum ita permittente occultis de causis, sive ad aliorum terrorem, & instructionem, ut miraculi veritas postmodum clariùs appareat, sive ad punitionem, majoremque Energumenorum probationem, sive propter infirmam fidem Ministri, & indignitatem patientis, aut circunstantium.

§ IV.

De Acolythis.

QUartus Ecclesiasticorum Ordinum gradus, isque inter Ordines, qui Minores dicuntur, ultimus, & supremus, est *Acolythorum*; vel, ut XVI. Quid sit Acolythatus, & und dictus.
volunt Acoluthorum: putat enim Dominicus Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. esse duplex nomen hujus Ordinis, nempe *Acolythus*, & *Acoluthus*, & utrumque Græcum esse, priùs autem significare idem, quod non prohibitum, eò quòd non prohibeatur ignem accendere, & alia hujusmodi ministrare; posterius autem idem denotare, quod famulum & ministrantem, qualis est pedissequus. Nam licèt Acoluthus cum cereo accenso non subsequatur, sed antecedat Presbyterum; posteà tamen subministrat Subdiacono urceolos cum vino & aqua, & tunc videtur ipsum, quasi pedissequus sequi.

Verùm, (inquit Vasquez disp. 236. n. 27.) manifestè fallitur Sotus: neque enim est duplex illud nomen Græcum pro hoc Ordine sub duplici illa significatione, sed unum tantùm, nempe *Acoluthos*, corruptô autem υ, & mutatô in υ, passim dicitur Acolythus, à verbo Græco ἀκολουθέω *Acolutheo*, quod significat, *sequor, sector, obsequor, famulor, sum proximus*; ut notant periti linguæ Græcæ: quamvis autem sit nomen Græcum ἀκώλυτος Acolytus, Latinè, *solutus, liber, nullius imperio parens*; tamen in hunc Ordinem non rectè convenit: & ita *Lindanus lib. 4. Panoplia Evangelica cap.* 78. sub finem, rectè notavit, quosdam minùs peritè existimasse, Ecclesiæ Acolythos dictos fuisse, quasi non prohibitos. Parùm autem refert, quòd ille, qui dicitur Acolythus, subsequatur, aut præcedat; nam hôc ipsô, quòd comitatur, ut famulus, à prædicto verbo Græco rectè deducitur *Acoluthus*, cùm ex famulis quidam Dominum præcedant, quidam autem subsequantur.

XVII. Cur etiam appellatur Ceroferarius.

Dicitur autem Acoluthus, aliô nomine *Ceroferarius*; quod nomen, tanquam magicum, pro sua solita dicendi licentia, irridet *Calvinus lib. 4. instit. cap.* 19. §. 23. cùm tamen eô utatur Concilium quartum Carthaginense cap. 6. ubi tanquam Ordinem Ecclesiasticum numerat; ac proinde non est credendum *Acoluthos*, nullos alios fuisse, nisi cubicularios Episcoporum, ut falsò contendit Calvinus. *Hæc Vasquez.*

XVIII. Quæ sit Acolythorum muni

Tria autem sunt distincta Acolythorum officia, ut observatur in Pontificali Romano, ubi Ponti-

fex io admonitione ad Acolyrhos ordinandos, air: *Acolythum oportes ceroferarinm ferre, luminaria Ecclesia accendere, vinnm, & aquam ad Eucharistiam administrare.* Primum itaqne Acolythi munus est, ceroferarium ferre, idest, candelabrum, qnô defertur cereus, & idcirco à quibusdam Acolythi appellantur, *luminis & cerei gestatores.* Porrò de hac luminis gestatione in Ecclesia, præsertim quando legendum est Evangelium, meminit S. Hieronymus lib. adversus Vigilantium, ubi sic habet: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur lumina jam Sole rutilante, non utiqne ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.*

Addit Concilium Aquisgranense, & ad significandam spiritualem fidei lucem, quæ per Evangelium nobis affulget, adversus erroris tenebras. Deferuntur autem à duobus Acolythis duo luminaria, propter geminam dilectionem Dei, & proximi, vel propter duo Testamenta, quibus genus humanum illuminatnr: vel, sicut habet Amalarius Fortunatus lib. 3. de Officiis Ecclesiasticis cap. 18. *Duo cerei, qui ante Evangelium deferuntur, designant legem, & Prophetas præcessisse Evangelicam doctrinam. Revocare debet in memoriam hac luminum gestatio, id quod à Christo D. dictum est: luceat Lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrnm, qni in cælis est, unde Pontifex in admonitione, ordinandos sic alloqnitnr: Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus præferentibus, operibus tenebrarum inserviatis, & per hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis.*

Secundum Acolythi munus est, luminaria Ecclesiæ accendere; ideirco enim, cùm ordinatur, accipit candelabrum cum cereo non accenso, *ut sciat se* (inqnit Concilium Carthaginense quartum can. 6.) *ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari.* Tertium officium est, vinum & aquam in urceolis, sive ampullis ministrare, ad conficiendum Christi sanguinem; unde idem Concilium statim subdit: *Accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinnm in Eucharistiam sanguinis Christi.* Aliud antiquitus etiam erat Acolythorum munus & officium, nempe transmittendi, ac deportandi Episcoporum, & Ecclesiarum epistolas, & eleemosynas ad eos, ad quos dirigebantur, ut videre est apud S. Cyprianum. Aliud etiam nunc observatur in Ecclesia officium, nempe gestare thuribulum cum igne, accenso seu thure. Cujus etiam officiô meminit Honorius Augustodunensis in libro, qui inscribitur *Gemma animæ cap. 4.* ubi etiam observat, quòd dum Acolythus thuribulum versat in omnem partem, eô ipsô designat S. Joseph, qni Christnm D. hinc & inde deportavit; aut etiam S. Paulum, qui prædicando, Christi odorem portavit per totnm mundum.

XIX. Et quænam eorum Ordinis dignitas.

Dignitas hujus Ordinis supra cæteros Minores, & non sacros intelligi potest ex eo, quòd omnibus ejusmodi Ordinnm inferiorum Ministris, ad altare propiùs accedat, & quòd iis etiam immediatiùs, ac directè magis inserviat Eucharistiæ conficiendæ, præparando nempe materiam consecrando calici necessariam in vasis non sacris. Hunc Ordinem vulgò comparant rerum Ecclesiasticarum Tractatores cum iis, qui in templo Salomonis, & in tabernaculo lucernas quotidio accendebant.

Idem docet sententiarum Magister dist. 24. scribens: *Hoc officium Dominus se habere testatur, dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Hnjus officii formam illi gerebant in veteri Testamento, qui lucernas candelasve componebant igne cælesti, ad illuminandas tenebras Ajulenares.*

XX. Controvertitur apud Theologos de materia hujus Ordinis.

Movetur autem controversia apud Theologos circa materiam hujus Ordinis, nam S. Bonaventura in explicatione *dist. 24. part. 2. dub. 2.* & alii cum ipso, contendunt materiam essentialem hujns Ordinis consistere in sola traditione ceroferarii cum cereo: *Tum*, quia illud videtur esse præcipuum hujus Ordinis officium cereos in Ecclesia accendere & deferre, ex quo videtur desumptum Acolythi & Ceroferarii nomen; ac subinde essentialis hujus Ordinis materia potiùs videtur constituenda in traditione candelabri, qnàm urceoli. Imò neutrius traditio videtnr spectare ad essentiam hujus Sacramenti; quippe solus Episcopus conferre potest Ordinis Sacramentum; ac subinde ipsius solius est porrigere materiam, & proferre verba cujusque Ordinis: at Episcopus non tradit ordinando ceroferarium, seu candelabrum, & urceolum; siquidem in Concilio Carthaginensi quarto can. 6. statuitur: *Acolythns non ordinatus, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopô: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super Energumenum, sive baptizatum, sive Catechumenum.*

XXI. Probabilior sententia declaratur.

Verùm cæteri Theologi cum nostro Aureolo existimant, hujus Ordinis materiam essentialem, & necessariam per se, & adæquatè consistere simul in utraque traditione, ceroferarii & urceoli; inde tamen non sequitur, qnòd hujus Ordinis sit duplex materia, nisi duntaxat partialis, quod alienum non est à ratione, & natura Ordinis & Sacramenti, quemadmodnm constat ex Sacramento Eucharistiæ, qnod per se & adæquatè constituitnr ex consecratione panis, & calicis, quæ sunt omninò distinctæ; quippe cùm diversam habeant materiam, & formam. Idem quoque patet in ordinatione Sacerdotis, cujus duæ partes sunt essentiales omninò diversæ, qnoad materiam & formam; una nimirum, quâ potestatem accipit in corpus Christi verum ad conficiendam Eucharistiam: altera verò, quâ potestatem accipit ad absolvendos fideles à suis peccatis.

Nec obstat, quòd utramque materiam Acolythus olim acciperet ab Archidiacono; nam post accepta hæc instrumenta sui Ordinis, se conferebant ad Episcopum, qui iterum utramqne materiam ipsi porrigebat, proferendo ad cujusque porrectionem verba formæ convenientis, quæ habetur in Pontificali Romano, his verbis concepta: *Accipite Ceroferarium cnm cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos esse.* Similiter & hanc: *Accipite urceolnm ad suggerendnm vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.*

§. V.

De Subdiaconis.

XXII. Unde oriatur, & quid significet Subdiaconi nomen.

SUBDIACONUS Græcè dicitur ὑποδιάκονος, quasi Subminister; quia nimirum debet inservire Diacono, & ei obedire. Apud sanctum autem Dionysium lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. dicitur λειτουργὸς, quô nomine S. Maximus Martyr, & Pachimeres in Commentario ad hunc locum, Subdiaconum volunt intelligi; sumptô tamen

latiùs Hypodiaconi, seu Subdiaconi vocabulô, pro his omnibus Ecclesiasticorum Ordinum gradibus Diaconatu inferioribus, quô sensu Ostiarii, Exorcistæ, Lectores, & Acoluthi, dici possunt Subdiaconi, quia Diaconis subjiciuntur. Verùm hæc nominis Subdiaconi generica acceptio non officit, quin etiam specificè usurpetur, ad significandum peculiarem Ordinem ab aliis distinctum; Diaconatu quidem inferiorem, sed quatuor minoribus Ordinibus superiorem.

Hic ordo fuit in usu ab Ecclesiæ primordiis.

Subdiaconi autem gradum, & Ordinem ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio cognitum fuisse constat, non solùm ex Authoribus jam pluries laudatis; sed etiam ex can. 42. Apostolorum, & pluribus aliis veterum monumentis. In cujus utique veritatis confirmationem laudare possemus SS. Januarium, Magnum, Innocentium, & Stephanum, qui cùm essent S. Sixti Papæ Subdiaconi, cum ipso ejusque Diaconis, Felicissimo, & Agapito, passi sunt in persecutione Valeriani, & S. Romulum Ecclesiæ Diospolitanæ Subdiaconum, qui annô secundô persecutionis à Diocletiano excitatæ cùm Præsidi in Christianos sævienti, se Christianum esse professus esset, securi percussus est. Subdiaconi institutionem declarat Concilium Carthaginense quartum tit. 5. his verbis, *Subdiaconus cùm ordinatur, quia manûs impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.*

Idem docet S. Isidorus lib. 2. de Officiis Ec-
» clesiasticis cap. 10. ubi scribit: Subdiaconi, qui
» apud Græcos Hypodiaconi vocantur, in Esdra in-
» veniuntur, & appellantur ibi Nathinæi, idest, in
» humilitate Deo servientes. Ex eorum ordine fuit
» ille Nathanael, qui in Evangelio Joannis divinâ
» admonitione cõmonitus, Salvatorem meruit con-
» fiteri, quique etiam ad primum Divinitatis indi-
» cium fidelis extitit, protestante Dominô, ac di-
» cente: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.*
» Denique isti oblationes in templo Domini susci-
» piunt à populis, isti obediunt officiis Levitarum,
» isti quoque vasa corporis, & sanguinis Christi
» Diaconibus ad altarium offerunt. De quibus qui-
» dem placuit Patribus, ut, quia sacra mysteria con-
» trectant, casti sint, & continentes ab uxoribus,
» & ab omni carnali immunditia sint liberi, juxta
» quod illis Prophetâ dicente jubetur: *Mundamini,*
» *qui fertis vasa Domini.* Hi igitur, cùm ordinantur,
» sicut Sacerdotes & Levitæ, manûs impositionem
» non suscipiunt, sed patenam tantùm & calicem
» de manu Episcopi, & ab Archidiacono scyphum
» aquæ cum aquamanili, & manutergium acci-
» piunt.

XXIII. Varia eorum munia referuntur.

Idem docent, *Rabanus Maurus* lib. 1. de institutione Clericorum cap. 8. *Ivo Carnotensis* serm. de excellentia sacrorum Ordinum, & *Author epistola ad Rusticum Narbonensem*: ex quibus apparent varia Subdiaconorum officia, quorum

Primum est, aquam ad ministerium Altaris præparare; quod utique non debet intelligi solùm de aqua, quæ vino miscenda est in calice consecrando; sed de ea, quæ necessaria est ad abluendos extremos Sacerdotis digitos: unde etiam manutergium unà cum urceolo in sua ordinatione accipit.

Secundum officium est ministrare Diacono: hâc enim ratione Subdiaconi dicuntur, idest, Diacono subjecti, & famulantes; maximè in iis, quæ ad Eucharistiæ confectionem & celebrationem necessaria sunt: quapropter à præfatis Authoribus assimilantur Nathinæis; qui, ut notavit Lyranus in caput primum lib. 1. Esdræ, serviebant ad deferendam aquam, ligna, & alia necessaria pro ministerio Levitarum in ordine ad sacrificia celebranda.

Tertium officium est, pallas altaris, & corporalia abluere; nomine autem pallarum significatur quodlibet genus linteaminis, quô altare operitur: & quod præparatur ad celebrationem Sacrificii, qualia sunt mappa, purificatoria, & corporalia: ex quibus mappa præcipuè dicitur palla, eò quòd, inquit Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus lib. 4. de rationali divinorum officiorum cap. 29. Altare operiens illud palliet, sive abscondat. Vel ut volunt alii, eò quòd ipsa palam & foris apparere debeat. Horum ergo linteaminum mundatio spectat ad officium Subdiaconi.

Quartum officium Subdiaconi est, calicem, & patenam Diacono subministrare, ut illa subinde unà cum pane, & vino Diaconus Sacerdoti porrigat: quô utique munere propiùs accedit Subdiaconus ad Sacerdotis officium. Hinc est, quòd in ejus ordinatione ipsi tradatur ab Episcopo calix vacuus cum patena similiter vacua; ex quibus colligitur, Subdiacono semper concessam fuisse facultatem sacra vasa tangendi; quemadmodum disertè significat S. Clemens Romanus lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 21. ubi refertur constitutio S. Thomæ Apostoli de Ordinatione Subdiaconi, in qua peragenda Episcopus sic Deum precatur. *Domine Deus, qui in tabernaculo testimonii Æditnos fecisti SS. vasorum custodes, & ipse nunc respice in hunc famulum tuum, qui ad ministerium Subdiaconi electus est; & tribue ei Spiritum sanctum, ut vasa administrando tibi facta dignè attrectet, &c.* Quod etiam constat ex præfato canone Concilii Cartaginensis, nec-non & Scriptoribus sacris suprà laudatis.

XXIV. Licebat eis etiam antiquitus sacra vasa tangere.

Nec obstat, quòd scribit Bellarminus lib. de Sacramento Ordinis cap. 1. videlicet antiquitus non fuisse permissum Subdiaconis sacra vasa tangere. Hoc, inquam, non obstat, quippe cùm illius sententia nullô legitimô fundamento nitatur: nam quod profert ex Concilio Landiceno can. 21. his verbis expresso: *Non oportet Subdiaconos habere locum in Diaconio* (idest secretario) *& Dominica vasa contingere*, ipsius sententiæ non multùm patrocinatur: N[illegible] (ut observat Morinus *Exercit. 12. cap. 3. num. 7.*) Respondet Balsamon hôc canone Subdiaconis prohiberi vasa sacra contingere, cùm corpus & sanguinem Christi continent: hoc enim est Diaconorum proprium; non autem cùm sunt Christi corpore, & sanguine vacua. Aliter occurrit Zonaras, itaut Græci moris imperitus Balsamoni videri possit contrarius. Respondet igitur Zonaras; *Quòd ita intelligendum est, ut Diaconorum munera obire, ac panem & vinum, quæ in Sacrificium offeruntur, contingere non liceat. Non enim permittitur ipsis ea deferre.* Quibus alludit ad Græcorum morem, qui magna cum pompa deferre solent sacra symbola à sancta propositionis mensa ad divinum Altare, ut sacrificentur. Diaconus enim præcedentibus lampadibus, & subsequentibus Clericis super humeros sanctum panem defert, Sacerdos verò calicem manibus; & hôc apparatu gyrô per Ecclesiam factô, omnibusque interim ante sancta symbola procumbentibus, ad Altare accedunt Sacerdos & Diaconus, eaque super Altare reponunt. Hanc

pompam

pompam vocare solent Græci, *magnum introitum*, ut à parvo distinguant, qui fit cùm sancta Evangelia legenda deferuntur. Hic ritus apud eos antiquissimus est, fitque quoties Missa celebratur.

Prohibent igitur Laodiceni Patres secundùm Zonaræ sententiam, Subdiaconum ingredi Diaconium, in quo est mensa propositionis, & sancta antitypa ad Sacrificium præparantur, & in illo magno introitu ea cum Sacerdote deferre: quem ritum in hunc usque diem diligentissimè observant. Hanc interpretationem confirmat Aristænus in brevissima sua canonum interpretatione: *Non tangant*, inquit, *vasa dominica Ecclesiæ Ministri*, ἀλλὰ παρ' ἱερέων, ἢ διακόνων τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ πάντα προσάγονται, *sed à Sacerdotibus & Diaconis ad sacram mensam deferuntur*. Non igitur contradicit Zonaras Balsamoni, sed aliquid insuper addit. Nec etiam contradicit perpetuæ Subdiaconorum in vasa sacra prærogativæ. Quamvis enim patenam antitypis onustam illis non liceat in ista solemnitate deferre, non inde consequitur eos sacra vasa tangendi licentiam non habere. Græcos videmus in hunc usque diem utrumque præstare: Solus Diaconus sacra vasa in ea solemnitate defert, & Subdiaconi sacra vasa tangunt, & contrectant.

XXV. Quare hic Ordo olim inter sacros non habebatur.

Nec etiam magis urget id, quod Bellarminus addit, Ordinem Subdiaconatûs olim non fuisse inter Ordines sacros: namque si quando Subdiaconorum Ordo non fuit habitus inter Ordines sacros, id repetendum non est ex defectu facultatis ad tangendi vasa sacra, sed ex defectu obligationis ad cœlibatum, seu ad continentiam perpetuò servandam: Namque Subdiaconis nunquam prohibitum fuit sacra vasa tangere; sed his aliquando licitum fuit uxorem ducere, aut saltem ductâ uti. Licèt ergo tunc Subdiaconis licitus non esset sacrorum vasorum contactus; quia tamen eorum Ordini nondum erat annexum continentiæ votum; idcirco neque tunc habebatur eorum Ordo inter Ordines sacros, sicut aliàs à nobis explicatum est. Quod autem addit Bellarminus, Subdiaconis posteà fuisse concessum tangere vasa sacra, ut patet, inquit, ex canone *non liceat*, dist. 23. falsum est, quia ejusmodi canon desumptus est ex Concilio Braccharensi; ante istud autem tempus Subdiaconi gaudebant facultate tangendi vasa sacra, sicuti constat ex Clemente Romano citato suprà, cap. 2. Concilii Carthaginensis quarti: prædictus ergo canon, *non liceat*, nihil arguit, quàm possessionem prædictæ facultatis in Subdiaconis ad tangenda vasa sacra; non autem primam ejus possessionem, sicuti supponit Bellarminus. Secundò, si quid probaret ejusmodi canon, eò etiam probaretur istam facultatem pertinere ad Acolythos; id quod nequidem ipse Bellarminus admiserit.

XXVI. Facultas tangendi vasa sacra concedi potest etiam aliis Ministris à summo Pontifice.

Conveniunt tamen Theologi, idque confirmat Ecclesiæ consuetudo, per summi Pontificis concessionem, facultatem tangendi sacra vasa posse concedi, initiatis inferioribus Ordinibus; ubi id necessitas postulat & exigit; nam, ut observat Morinus *exercitatione* 12. *n*. 9. antiquitus non modò licebat Subdiaconis sacra vasa tangere, sed etiam Acolythis. Id licebat in Ecclesia Braccharensi, ut ex collectione Martini Braccharensis deducitur can. 41. *Non liceat quemlibet ministeria tangere, nisi Subdiacono, aut Acolytho in secretario tangere vasa sacra*. Eadem erat Romanæ Ecclesiæ, & aliarum consuetudo, antiquis Ritualibus hoc testantibus. Id potissimùm de patena demonstratur. In antiquo Ordine Romano de officio Missæ coll. 6. editionis Parisiensis annô 1624. *Calicem autem Subdiaconus accipit sequens, & dat Acolytho, & ille revocat in paratorium*. Idem reperitur coll. 14. & 21. *Calix autem ille est vinô plenus mixtô cum sanguine Christi*. Col. 75. in fine Ordinis Officii Parasceves: *Subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, & alter Subdiaconus patenam cum corpore Domini*. De patena verò sæpiùs ab Acolytho contrectata, col. 10. *Cùmque Episcopus Pater noster finierit, accipiens Archisubdiaconus patenam ab Acolytho, offerat eam Archidiacono*. Et col. 35. *Venit Acolythus sub humero habens syndonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suum in parte dextera usque ad medium canonem*, &c. Item coll. 20. & alibi non semel. Itaque ea, quæ de vasis sacris, atque etiam de aliis instrumentis edicuntur, non sunt ita strictè intelligenda, ut ex usu celebrium Ecclesiarum aliis etiam Ordinibus convenire non possint; sed ut principaliter, & ex officio huic Ordini conveniant; nonnunquam tamen, & ex causa per alium Ordinem exerceantur. *Ita Morinus*.

Exinde tamen inferre non licet, quòd aliquando vel Acolythis, vel aliis minoribus Ordinibus initiatis licitum fuerit ex officio sacra vasa tangere. Neque enim id evincunt quæ à Morino proferuntur authoritates: non quidem ea, quæ petitur ex collectione Martini Braccharensis: Primò, quia universim loquitur de vasis Ministerii, quæ ibidem appellantur vasa dominica, quorum alia sunt sacra, alia non sacra; quemadmodum constat ex veteri Ordine Romano, citatô suprà capite, qualiter celebrandum sit Officium Missæ, ubi sacri ministerii vasa dicũtur & recensentur, aquamanile, idest, vas manuale, patenæ, calices, & scyphi, atque pugillares sive aurei, sive argentei, annulæ argenteæ, ad vina fundenda paratæ, collatorium aureum, sive argenteum, & conlatorium; nam ex illis vasis ministerii sacra non sunt, aquamanile, scyphi, annulæ, & conlatorium; eorum verò omnium contrectationem, & dispositionem omnimodam in secretario vult esse penes Subdiaconum, aut Acolythum, id quod intelligi debet proportione servatâ, & convenienter ad utriusque ordinem, seu potestatem, videlicet de Acolytho, quantùm ad non sacra, de Subdiacono autem, quantùm ad omnia etiam sacra. Id enim statuitur exclusivè ad Lectores, & inferiores gradûs Ministros; quemadmodum patet ex canone 18. Concilii Braccharensis primi, sive secundi, ubi dicitur quòd non liceat quemlibet ex Lectoribus sacra Altaris vasa portare. Et can. 66. Concilii Agathensis, ubi sic legitur: Non oportet insacratos Ministros licentiam habere Sacrarium ingredi, & contingere vasa dominica. Uterque canon refertur apud Gratianum prædictâ dist. 25. Deinde calix iste, quem ibi tenere dicitur Acolythus, appellatur scyphus, & calix major, atque distinguitur à calice sancto, quô utitur Pontifex ad Altare, & calix ille, seu scyphus, nihil aliud esse videtur, quàm vas non sacrum, in quo ponebatur vinum commune, & non consecratum, cui admiscebatur aliqua pars sanguinis transfusa ex sacro vase, seu calice sancto, quô usus fuerat Pontifex ad consecrationem, in illum scyphum, seu calicem majorem, & non consecratum, quem tenebat Acolythus.

XXVII. Oblationes à populo

Quartum Subdiaconi munus est, oblationes populi suscipere, & super Altare ponere, ut colligitur

Subdiaconi excipiunt & in Altari deponunt.

ex admonitione Episcopi ad ordinandos, in qua eos sic alloquitur: *Oblationes, quæ veniunt ad Altare, panes propositionis vocantur: de ipsis oblationibus tantum debet in Altari poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in Sacrario remaneat.* Porrò inter multa, quæ antiquitus offerebantur ad Altare, solebant fideles offerre panem & vinum in usum sacrificii, & sacræ Communionis: quapropter Subdiaconi munus erat de ipsis panibus tantùm ad Altare deferre, quantùm populo sufficere posset ad Communionem, ne si plures panis partes consecratæ remaneant, putrefactioni subjaceant, ut constat ex mox dictis.

XXVIII. *Eorum etiam munus est Epistolam in Missa solemniter legere.*

Quintum munus est, Epistolam in Missa solemniter recitare & decantare, quod utique officium Subdiacono committitur in ejus ordinatione, dum ei traditur ab Episcopo liber Epistolarum. Cujus utique officii tanquam ad Subdiaconum pertinentis meminit Martinus Braccharensis in sua collectione canonum his verbis: *Si Subdiaconus secundam duxerit uxorem, inter Lectores, vel Officiarios habeatur; ita ut Apostolum non legat*, quô locô, legere Apostolum, perinde est, ac legere epistolam; quia lectio ut plurimùm in Officio Missæ peti solet ex epist. S. Pauli, qui per antonomasiam appellatur Apostolus; & solus plures scripsit epistolas canonicas, quàm ullus Apostolorum. Quæ sanctio desumpta videtur ex can. 4. Concilii Toletani primi, cujus sunt hæc verba: *Subdiaconus autem defunctâ uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Ostiarios, vel Lectores; ita ut Evangelium, vel Apostolum, seu Epistolam non legat.* Ubi signanter Concilium dicit lectionem epistolæ spectare ad Officium Subdiaconi, & esse unum ex muneribus, quæ Subdiacono conveniunt vi suæ ordinationis.

Nec obstat, quòd in Mychrologo cap. 8. legatur: *Solis Subdiaconis inter inferiores gradus Romana authoritas concedit, ut sacris vestibus induti Epistolam legant ad Missam; quod tamen non ex eorum consecratione, sed potius ex Ecclesiastica concessione meruerunt obtinere.* Hoc, inquam, non officit; siquidem Michrologus nihil aliud intendit, quàm quòd Ecclesia Romana Subdiaconis concesserit, ut sacris vestibus induti Epistolam legant ad Missam; non autem simpliciter quòd Epistolam legant: hanc enim facultatem Subdiaconos habere vi suæ Ordinationis, ibidem satis apertè significat, nam statim subdit: *Unde & rationabile esse videtur, ut ipse Sacerdos sibi epistolam legat, quàm ut aliquem nondum ordinatum sibi adsciscat ad legendum: nam B. Hormisda à S. Petro quinquagesimus tertius Papa capitulô 3. illum deponit, quicunque non ordinatus, officium ordinati usurpavit.* Censet ergo lectionem epistolæ spectare ad officium Subdiaconi vi suæ ordinationis, nec ab alio posse legitimè usurpari.

Nec pariter officit quod scribit Amalarius Fortunatus lib. 3. de Ecclesiasticis Officiis cap. 11. *Miror quâ de re sumptus usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissimè legat Lectionem ad Missam, cùm hoc non reperiatur ex Ministerio sibi in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo. Subdiaconus, ut monstratum est, dicitur, quia sub Diacono est positus. In quibus rebus illi subditus sit, consecratio ejus, & canonica institutio monstrant; id est, ut in his ministret Diacono, quæ aguntur circa Altaris officia. Nam primi ævi tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod non erat scriptum. Sed postquam statutum est à Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt, ut Subdiaconus legeret Epistolam, sive Lectionem.*

Hoc, inquam, non obstat, nec inde concludere licet, publicam Epistolæ lectionem in Ecclesia non spectare ad Subdiaconi officium. *Tum*, quia Amalarius non negat id suô tempore fuisse in praxi; sed tantùm miratur, unde praxis illa originem duxerit. *Tum*, quia, dum ait, Subdiaconum non fuisse commissum legere epistolam, dum fuit consecratus, non videtur loqui de consecratione, quæ fiebat suô tempore; sed de ea, quæ fiebat tempore Apostolorum; quemadmodum intelligi potest ex ratione, quâ ibi utitur ad confirmandam suam propositionem: Nam, inquit, primævô tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod nondum erat scriptum; hoc est, eô tempore, quô Diaconi primùm fuerunt instituti ab Apostolis; hæc enim ratio, quâ à Diaconis concludit ad Subdiaconos, satis apertè demonstrat, eum loqui de institutione ipsorum Subdiaconorum facta ab ipsis Apostolis, antequam scriptæ essent Apostolicæ epistolæ. Nec certè negari potest, quin ante Amalarii tempora spectaverit ad Subdiaconi officium epistolas in Missa legere, ut perspicuè colligitur ex præfato canone 4. Concilii Toletani, quod ante Amalarium annis 400. & amplius celebratum est.

XXV. *Eorum etiam munus est obserare fores Sanctuarii.*

Sextum Subdiaconi officium est, custodire portas, & obserare fores Ecclesiæ, non quidem priores, quibus fideles omnes in templum debent ingredi; hoc enim Ostiariorum munus erat; sed fores vel portas Sanctuarii, seu Sacrarii, in quo divina celebrantur mysteria. Quod utique munus colligitur ex S. Maximo, qui in Commentario ad cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ sancti Dionysii, ait: *Non quid Diaconi fores tum custodierint, nunc verò Subdiaconi.* Similiter Pachimeres in eundem locum ait: *Discernit, & separat sacros à profanis, observat portas. Diaconi enim tunc portas obtinebant, nunc verò Hypodiaconi.* Hanc autem Sacrarii portarum custodiam unum ex præcipuis Subdiaconorum muneribus fuisse, apparet ex Euchologio Græcorum, in quo Episcopus Subdiaconum ordinans, ita precatur: *Inde illi amorem honestatis, vel decoris domûs tuæ, ut adstet portis sanctis templi tui.* Quod pariter indicat Concilium Laodicenum can. 22. his verbis: *Quod non oportet Ministros, vel brevi tempore, fores relinquere, & orationi vacare.* Ministri autem nomine Subdiaconos interpretantur Balsamon, Harmenopulus, & Zonaras, qui pariter notat, hunc morem desuevisse: *Quòd si, inquit, hôc tempore nequaquam ad fores Ecclesiæ assident Subdiaconi, non est cur miremur:* multi enim alii Ecclesiæ mores, nunc quidem omninò immutati sunt.

XXVI. *Qualis erat antiquitùs quorundam Ecclesiæ templorum distributio.*

Ut autem faciliùs innotescat, quale fuerit antiquitus hoc Subdiaconorum officium, observandum est ex Morino *exercitatione 12. cap. 4. num. 4.* quòd antiquissima Ecclesiarum Christianarum divisio bipertita fuit. *Sanctuarium* erat, deinde *navis Ecclesiæ*, seu atrium. In Sanctuarii medio erat Altare, & in eo considebant Episcopi & Presbyteri, stabant Diaconi. Alii Clerici illud non ingrediebantur, dum Officia Ecclesiastica celebrabantur, nisi in transitu, propter aliquod ministerium præstandum. A duobus Sanctuarii lateribus duo erant Conclavia, S. Clemens ea vocat Pastophoria, S. Paulinus Conchas, nos eavocaremus Capellas. Utrumque Conclave erat quasi pars Sanctuarii; & in utraque

porta erat, quâ de navi Ecclesiæ ingressus erat in Conclave, & de Conclavi regressus in navim. Ideo una porta dicebatur situ Borealis, altera Australis. Ita conspiciuntur adhuc Romæ in omnibus antiquis Ecclesiis, quæ non sunt ab annis ducentis à fundamentis refectæ. Græcarum Ecclesiarum Sanctuaria hanc figuram non obscurè exprimunt; omniaque saltem habent, & necessariò aliquid Conclavis Borealis vicarium. Pars illa Sanctuarii primaria, in qua erectum erat Altare, cancellis erat ab attio laïcorum divisa, & insuper magnô velô, quô quæcunque in Sanctuario peragebantur, ab occulis Laïcorum occultabantur, donec contractô velo & expulsis profanis, oculis fidelium paterent. In istis cancellis Sanctuarii erat porta lateralibus longè major, quæ velô prædictô extensô occludebatur, & contractô aperiebatur. Hæc *major porta* vocabatur, atque etiam nunc vocatur *Porta sancta*.

Ut Sanctuarii erant portæ, sic & Ecclesiæ, quibus universi, laïci, sive Clerici in Ecclesiam orandi gratiâ intrabant. Per illas ab area & porticu erat ingressus in Ecclesiam. Deinde perambulatio ab Ecclesia & Atrio in Sanctuarium. Postquam ab atrio Ecclesiæ demptus est Chorus, & Cantorum locus, additæ sunt Choro portæ.

Cùm igitur jubentur Subdiaconi portas Ecclesiæ diligenter custodire, portæ Sanctuarii intelligendæ sunt, non priores, & exteriores Ecclesiæ portæ: Illarum enim cura Ostiariis demandata erat, ut docet S. Clemens lib. 2. Constitut. cap. 57. *Janitores sint ad introitus virorum custodiendi causâ; Diaconissæ verò ad mulierum.* Cùm de Ostiariis actum est, pluribus hoc demonstravimus. Itaque Subdiaconi invigilabant sanctis portis, caventes sedulò, ne quis profanus Sanctuarium ingrederetur. Id disertè docet Simeon Thessalonicensis in Theoria Subdiaconi. *Custodit portas sacras*, inquit, *ne quis profanorum intra Sanctuarium ingrediatur.* Hoc restringendum est, ubi Ostiarii fuerant... Nam munus illud humile in Ecclesiis Græcorum tantum fuit; atque ubi fuit, Χειροτονιῶν numero non accensebatur. Cùm igitur nulli erant Ostiarii, quod ubique & semper ferè contingebat, ad Subdiaconos utrumque Officium spectabat. *Ita Morinus.*

XXVII. *Quæ sit materia Ordinis Subdiaconalis.* Materia autem hujus Ordinis, ut definit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, est calicis vacui, & patenæ vacuæ superpositæ, traditio. Sic etiam Concil. Carthaginense quartum can. 5. ubi hæc habet: *Subdiaconus, cùm ordinatur, quia manûs impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.* Ex quibus patet, materiam hujus Ordinis esse calicem, & patenam superpositam vacuos; quia hæc materia traditur ab Episcopo; urceolos verò & manutergium non pertinere ad materiam essentialem, quia traduntur ab Archidiacono. Sic etiam traditio libri Epistolarum (quidquid dicant alii) non videtur pertinere ad materiam essentialem, quia traditur post vestes, quibus Episcopus Subdiaconum induit, ut patet ex Pontificali; vestes autem illæ non pertinent ad materiam. Hinc Concilium Florentinum; & Carthaginense non meminerunt libri Epistolarum. Unde Magister sententiarum, & S. Thomas in 4. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2. Durandus ibidem quæst. 3. & alii ibidem, dicunt, characterem Subdiaconi imprimi in traditione dictâ calicis & patenæ. Et ratio illorum, quia per illam materiam confertur character, quæ indicat præstantiorem actionem ordinandi. Cùm igitur traditio calicis, & patenæ indicet præstantiorem actionem, quæ est ministrare Sacerdoti vasa corporis Christi, in illius materiæ traditione imponitur character, non in traditione urceoli aquæ, & libri Epistolarum, quæ non indicat tam præstantem actionem, neque tam propinquam corpori Christi.

XXVIII. *Quænam sint præcipuæ Subdiaconorum obligationes.* Hîc autem observandum est, Subdiaconos ratione sui Ordinis duobus obligationibus constringi. Primò namque tenentur ad Cœlibatum, sive continentiam perpetuò servandam, ut definitum est in Concilio Elibertitano can. 33. his verbis: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris Diaconibus, & Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios.* Idem legitur in Concilio Turonensi secundo c. 20. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni officio Clericali, inter Laïcos se observare cognoscat, eo tamen permisso ut inter Lectores in Psallentium choro colligatur.* Concilium Aurelianense idem prohibet ferè sub eadem pœna: Præcessit autem Turonense secundum annis 20. & ultra, & refert id se decernere juxta priorum canonum statuta. Itaque ante Concilia ista jam cœlibatus in Gallia Subdiaconis imperabatur, & à Conciliis nationalibus consuetudo illa confirmabatur. *Primò tenentur ad servandam continentiam.* Eadem decernit Concilium Antisiodorense cap. 21. *Non licet Presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum Presbytera sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec Diacono, nec Subdiacono.*

Unde S. Leo hoc decrevit, vel potius consuetudinem illam jam in Ecclesia Romana, & plurimis aliis inolitam confirmavit epist. 82. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem: *Cum extra Clericorum Ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum; ad exhibendum tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem carnale connubium conceditur, &c. Quid si in hoc Ordine, qui quartus à capite est, dignum sit custodiri, quanto magis in secundo, aut tertio servandum est? Ne aut leviticô ministeriô, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentiâ, quispiam idoneus existimetur, qui se à voluptate uxoria necdum frænasse detegitur.* Unde Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. anathematizat damnat eos, qui dixerint, sacris Ordinibus initiatos non teneri ad perpetuò servandam continentiam.

Fateor tamen, hanc legem non ubique terrarum Subdiaconos semper constrinxisse; siquidem (ut observat Morinus *exercit.* 12. *cap.* 5. *n.* 1.) obligationem servandæ continentiæ nonnulli summi Pontifices, & aliqua Concilia ultra Diaconos non extendunt: nam Siricius Pontifex epist. ad Himerium Tarraconensem Metropolitam ultra Diaconos regulam illam non profert, quem sequitur ipsius Successor Innocentius primus epist. 2. cap. 9. & epist. 3. cap. 1. Concilium Toletanum I. eôdem tempore celebratum cap. 1. ita decernit: *Diaconi, vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur: ita tamen ut si qui etiam ante interdictum, quod per priores antenos Episcopos constitutum est, incontinenter cum uxoribus vixerint, Presbyterii honore non cumulentur.* Nihil de Subdiaconis. Pœna autem Diaconis cum uxoribus incontinen- *Cui tamen legi non semper nec ubique subjacuerunt.*

ter viventibus inflicta demonstrare videtur, prohibitionem illam ad Subdiaconos nihil pertinuisse. Concilium Carthaginense V. cap. 3. *Placait Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundum priora statuta etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint, ab Ecclesiasticorum arceantur officio: Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Refertur dist. 84. cap. 4. Nec in Gallia Narbonensi, nec in plerisque Hispaniæ partibus, centum post Innocentium annis hæc consuetudo in Subdiaconis vigebat. Tantùm enim cap. 9. Concilii Agathensis Decretum Siricii Papæ renovatur, quod in Diacono subsistit. Ita quoque decernitur, cap. 22. & 23. Concilii Arausicani. Uniuscujusque Ecclesiæ, ut vult Concilium Carthaginense V. consuetudo servabatur.

Imò etiam tempore S. Gregorii Papæ Subdiaconatus nondum per universam Ecclesiam Romanam videbatur annexum habere continentiæ votum: Sic enim scribit ad Petrum Siciliæ Subdiaconum lib. 1. epist. 42. *Ante triennium Sabdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur: ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur à sua uxore separari; atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Unde videtur mihi, ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit, &c. Eos autem, qui post prohibitionem factam, se à suis uxoribus continere noluerint, nolumus promoveri ad sacrum Ordinem. Quia nullus debet ad ministerium Altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.* Post illud sæculum vix deprehendetur fieri mentio Subdiaconorum conjugum: aut si conjuges commemorati fuerint, conjugiô utentium. Quòd si hoc reperiatur, non amplius toleratur; sed ut canonibus contrarium severè vindicatur, novoque canone eadem cœlibatûs lex hâc occasione innovatur. Itaque post sexcentos à Nativitate Christi annos, cœlibatus per universum Occidentem Subdiaconatui erat lege perpetuâ conjunctus: *Ita Morinus.*

XXIX. Secundò ad recitandas Horas Canonicas.

Secundò Subdiaconi virtute suæ ordinationis obligantur ad recitandas Horas Canonicas, seu Officium divinum, ut expressè habetur in Concilio Basileensi sess. 21. cap. 9. ubi Concilium supponit hanc obligationem constringere omnes Clericos in sacris Ordinibus constitutos, quales sunt Subdiaconi; unde licèt expressè non constet, quando, & ubi id præceptum primò fuerit; constat tamen de antiquitate hujus consuetudinis, quæ vim habet legis & præcepti. Hanc autem obligationem recitandi Horas Canonicas, Theologi & Canonistæ repetunt ex alterutro ex triplici titulo; nempe ex beneficio Ecclesiastico, professione solemni in Religione approbata, & Ordine sacro, cujus initium fit in Subdiaconatu.

§. VI.

De Diaconatu.

XXX. Quid significet Diaconi vocabulum.

Diaconi vocabulum Græcum est, idem planè significans, quod Minister sive famulus apud Latinos. Unde generatim tribui potest cuicunque famulo & obsequenti; nihilominus cùm usus Ecclesiasticus hanc vocem Latini juris fecerit, strictiùs usurpatur ad significandum hominem initiatum eô sacrô Ordine, qui proximè Sacerdoti famulatur in mysteriis sacris celebrandis, & ultimum gradum obtinet, quô ad Sacerdotium ascenditur. Appellantur etiam interdum à SS. Patribus *Levitæ*, nimirum ex similitudine Levitici ministerii, quô veteris Testamenti Sacerdotio Ministri subserviebant; unde S. Ivo Carnotensis sermone de excellentia sacrorum Ordinum præclarè ait: Diaconorum Ordo in veteri Testamento à Tribu Levi habet exordium: præcepit enim Dominus Moysi, ut post ordinationem Aaron, & filiorum ejus, tursus Tribus Levi ad divini cultûs ministeria ordinaretur, & consecraretur Domino, & serviret pro Israel coram Aaron & filiis in tabernaculo Dei, ipsique gestarent arcam, & tabernaculum, & omnia vasa ejus & in circuitu tabernaculi ipsi castra construerent, & transportando tabernaculum ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A viginti autem annis & supra, jussi sunt servire tabernaculo, quam regulam SS. Patres, & in novo Testamento constituerunt: quoniam hæc ætas ad portanda onera robusta est, quod illi Ordini à Moyse institutum est, quod etiam in novo Testamento repræsentatur, cùm Diaconis super sinistrum humerum stola ponitur, & casula in diebus jejunii super eundem humerum complicatur. Quia quidquid laboris, & sustinentiæ in hac vita toleramus, tanquam in sinistra portamus, donec in dextra, id est, in æternitate requiem habeamus.

XXXI. A quo hic ordo fuerit initiatus.

Hic Ordo in novo Testamento ab Apostolis initium sumpsit, quando, sicut legitur in Actibus Apostolorum; septem viros boni testimonii plenos Spiritu sanctô ad hoc Officium elegerunt, & oratione præmissâ, manus eis imposuerunt. Exinde Apostoli, & eorum Successores decreverunt, ut in omni matrice Ecclesia septem Diaconi circa aram Christi sublimiori gradu tanquam columnæ Altaris assisterent, non sine aliquo septenarii mysterio; in quo significatur, ut septiformis gratiæ spiritu præfulgentes, sancti sint corpore & spiritu. Hic enim numerus cùm constet quaternario & ternario, quaternarius refertur ad corpus, propter quatuor elementorum in corpore consonam complexionem: Ternarius verò ad animam, propter triplicem animæ virtutem, propter quam jubemur Deum tripliciter diligere, id est, totô corde, quod refertur ad intellectum: totâ animâ, quod refertur ad voluntatem: totâ mente, quod refertur ad memoriam.

XXXII. Quare primò 7. Diaconi fuerint Ordinati.

Hi sunt septem Angeli, quos legimus in Apocalypsi tubâ canentes: Angeli, quia nuntii: tubâ canentes, id est, alta mysteria de interna aspiratione foris resonantes. Hi sunt septem candelabra aurea, id est, lucem Evangelii in manibus, id est, in operibus præferentia, & ad omnem ignis, id est, tribulationis examinationem probata: Hi quoque sunt tonitrua septem, bestiales mentes terribili comminatione, vel quôdam terribili tonitru commoventia. Tale tonitru emittebat Joannes Baptista, quando dicebat: *Gonimina viperarum, quis dabit vobis fugere à ventnra ira?* Et Dominus in Evangelio: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et in hunc modum plurima. Isti in modum præconis, manifestè admonent cunctos ad orandum, & ad genuflectendum; Isti evangelizant,

„ isti Sacramenta dispensant. Sacerdotibus non licet calicem Domini in Missa tollere, nisi traditus eis fuerit à Diacono. Levitæ hostias super Altare ponunt: ipsi mensam Domini componunt: ipsi Altare mysteriorum aperiunt: ipsi albis vestibus induti, Altari assistunt. *Ita Ivo Carnotensis*, cui per omnia concordat *S. Isidorus* lib. 2. de officiis Ecclesiasticis, cap. 8. & *Rabanus Maurus* lib. 1. de institutione Clericorum cap. 7. nec-non & *Sententiarum Magister* dist. 24. tit. de Diaconis, quibus complectuntur omnia Diaconorum officia, tam in ordine ad corpus Christi verum in Eucharistia conficiendum & ministrandum, quàm in ordine ad corpus mysticum, nempe fideles docendos, & sanctificandos.

XXXIII. Primum Diaconi munus est adesse Sacerdoti celebranti.

Primum itaque Diaconi officium est, Sacerdoti adesse in templo Dei in iis, quæ spectant ad mysterium, & Sacrificium Missæ celebrandum; ipse enim Sacerdoti offerenti quôdam modô cooperatur; ipse est qui materiam consecrandam à Subdiacono acceptam Sacerdoti porrigit; ipse Sacerdotis brachia sustentat, cùm vini calicem consecrandum offert Deo, simulque cum eo dicere solet: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris.* Refert etiam S. Clemens Romanus lib. 2. constitutionum cap. 57. olim id quoque muneris Diacono incubuisse, ut inter Missarum solemnia post discessum Catechumenorum, altâ voce moneret fideles Sacrificio adstantes, *ne quis contra aliquem*, item *nequis in hypocrisi*, id est, simulatione; quasi diceret, Mysteriis nemo intersit, neque huic Sacrificio & Sacramento, quod est vinculum pacis, unionis & charitatis, qui aliquem odiô, simulrate, aut inimicitiâ prosequitur: nemo adsit fictus in fide, vel moribus simulans id, quod verum non est, & tamen esse debet.

XXXIV. Secundum est Evangelium in Missa publicè legere.

Secundum Diaconi officium est, Evangelium in Missa solemniori altâ voce recitare, seu cantare, ut constat ex S. Gregorio lib. 4. Epistolarum epist. 44. ubi dicit Lectionis Evangelicæ officium adstante universô Clerô à Diaconis esse persolvendum, Psalmos verò, & reliquas Lectiones per Subdiaconos, vel, si necessitas id postulaverit, per minores Ordines exhiberi oportere. Hujus etiam ritûs, seu officii, tanquam Diaconorum proprii, & antiquissimi, meminerunt S. Clemens lib. 2. constitutionum Apostolicarum cap. 57. ubi postquam Lectori lectionem ex veteri Testamento, & Apostolorum scriptis attribuit, Evangelii lectionem Diacono expressè assignat. Et S. Hieronymus epist. 48. ad Sabinianum Diaconum, ubi eum objurgans, inter cætera ait: *Tu exanguis, & pallidus, ut suspicioni omni careres, Evangelium Christi, quasi Diaconus lectitabas.* Et S. Augustinus serm. 4. de S. Stephano cap. 3. de eo sic loquitur: *Diaconus erat, Evangelia legebat, quæ legis, & audis & tu.* Et Concilium Vasense secundum, sive tertium celebratum annô 529. ita decernit can. 2. *Si Presbyter aliquâ infirmitate prohibente, per seipsum non potuerit prædicare, SS. Patrum Homiliæ à Diaconibus recitentur, si enim digni sunt Diaconi, quæ Christus in Evangelio locutus est, legere, quare indigni judicentur SS. Patrum expositiones publicè recitare?* Quibus apertè constat, proprium Diaconorum officium esse Evangelium in cœtu fidelium publicè legere.

Opponit *Morinus* exercitatione 9. cap. 1. nu. 5. ex Amalario lib. 2. cap. 8. de officiis Ecclesiasticis, Diaconos primitùs fuisse ordinatos sine facultate legendi Evangelia. *Secundò* ab eo tempore, quô constitutum est, quòd Diaconus legeret Evangelium, hæc lectio ad Sacrificium non pertinebat; quippe cùm hanc Evangelii lectionem audire poterant plurimi, quibus fas non erat adesse Sacrificio. *Tertiò*, diu praxis apud plures Ecclesias inolevit, ut non Diaconi, sed initiati inferioribus Ordinibus Evangelium publicè legerent: nam in Ecclesia Africana hôc officiô fungebantur Lectores, ut constat ex S. Cypriano epist. 33. & 34. in quibus agitur de Aurelio, & Celerino ordinatis in Lectores: in Hispania autem eô munere fungebantur Subdiaconi, sicut habetur ex can. 2. & 4. Concilii Toletani primi: igitur non est peculiare Diaconi Officium, Evangelium legere.

Nec contraria evincunt quæ Morinus opponit.

Nego consequentiam, & ad *primum* & *secundum* dico; verum quidem esse ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio Diaconos fuisse ordinatos absque libro Evangeliorum, & facultate ea legendi; cùm nondum essent scripta. Nec aliud certè voluit Amalarius; ait enim: *Primævô tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod nondum erat scriptum: Sed postquam statutum est à Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt ut & Subdiaconus legeret epistolam.* Licèt ergo aliquandiu ordinati fuerint Diaconi absque libro Evangelii, eô videlicet tempore, quô nondum scriptum erat; inde non est consequens, quòd non nisi multorum annorum decursu Diaconi hanc facultatem legendi Evangelium habuerint. Licèt etiam divina mysteria aliquando celebraverint Apostoli absque ulla Evangelii lectione, id tamen non duravit per plures annos; sed tantùm usque ad id tempus, quô scripta fuerant Evangelia: cùm enim viventibus Apostolis Evangelium extiterit, quid prohibere potuit, quominus ab iis legeretur in Missa, & mysteriorum celebratione; maximè cùm ipsemet Morinus *num. 15. ibidem* fateatur, Evangelii solemnem in Missa lectionem ab Apostolis ortum habuisse? quomodo autem ab Apostolis ortum habuisset, nisi hæc lectio ab ipsis fuisset usurpata? Nec obstat, quòd qui Sacrificio Missæ adesse non poterant, audire consueverint Evangelii lectionem; Missa enim, quæ dicebatur Catechumenorum, non erat omnino distincta ab ea, quæ dicebatur fidelium, nec duæ erant Missæ omninò diversæ; sed tantùm unius & ejusdem Missæ duæ partes totales, quarum una referebatur ad aliam, ut principium ad finem, & ea quæ ad Sacrificium præparat, ad eam quæ Sacrificium consummat, & absolvit: quapropter quidquid pertinuit ad eam Missæ partem, quæ dicitur Missa Catechumenorum, etiam ad Sacrificium Missæ pertinuisse dicendum est.

Ad tertium autem dico, nusquam licitum fuisse Lectoribus & Subdiaconis Evangelium solemniter legere in publico fidelium cœtu, sed tantùm privatim, & sine ulla solemnitate, ut jam diximus agendo de Lectoribus, & Subdiaconis. Nec aliud certè voluit Concilium Toletanum; ait namque: *Subdiaconus defunctâ uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur; & habeatur inter Ostiarios, & Lectores; itaut Evangelium, & Apostolum non legat.* Videlicet inter Missarum solemnia, id est, nequidem eô modô, quô in Ecclesia legi possunt à Lectoribus extra solemnia Missarum: nam quod addit Morinus, nempe Subdiaconum hôc canone, & prohibitione legendi Evangelium & Apostolum relegati ad Ostiarios,

vel Lectores, omnino vanum est; namque, ut Evangelium, aut Apostolum non legeret Subdiaconus ex officio, si reverà utriusque lectio ad ejus officium pertinuisset, non erat necesse eum relegare ad Lectores & Ostiarios; sed satis erat eum ab officio Subdiaconatûs removere. Si autem contendas, per hunc canonem prohiberi lectionem Evangelii & Apostoli intra Missarum solemnia, respondebo nihil aliud prohiberi, quàm ne Subdiaconus, de quo ibi agitur, utrumque legat in Missa eô modô, quô legere potest, videlicet epistolam ex proprio officio, Evangelium autem ex defectu præsentiæ Diaconi ad supplendam scilicet ejus vicem, illud tamen exequendo sine stola.

XXXV. Tertium erat calicem fideli bus sub utraque specie communicantibus porrigere.

Tertium Diaconi munus erat olim, Christi fidelibus sub utraque specie communicaturis calicem, sive sanguinem Christi dispensare; cujus utique consuetudinis meminit S. Cyprianus serm. de lapsis circa finem, ubi scribit: *Solemnibus adimpletis, Diaconus calicem præsentibus offerre cœpit.* Unde in vita S. Laurentii legitur eum dixisse S. Xisto: *Experire, utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Imò etiam poterant interdum Christi corpus ministrare, ubi necessitas postulabat, ut decernit Concilium Carthaginense quartum cap. 38. his verbis: *Ut Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, eroget.* Quod etiam aliis momentis probavimus, agendo de Ministro dispensandæ Eucharistiæ.

XXXVI. Quartum est baptizare.

Quartum Diaconi officium est baptizare; ita Pontificale Romanum, & antiquus Ordo Romanos, quô sensu autem hoc officium ei competat, repete ex his, quæ diximus de Ministro Baptismi.

XXXVII Quintum, verbum Dei prædicare.

Quintum Diaconi officium est, prædicare verbum Dei, & Evangelium populis annuntiare, & explicare; cujus utique officii meminit Pontificale Romanum, nec-non & Catechismus Romanus: unde in Concilio Vasensi secundo can. 4. præcipitur, quòd *si Presbyter aliquâ infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, SS. Patrum Homilia à Diaconis non recitentur.*

Hoc tamen officium, inquit Estius dist. 24. § 26. non ipsis competit ex vi suæ ordinationis; quippecùm non ad id munus propriè ordinati sint; sed ut summatiâ quâdam Evangelii expositione plebem præparent ad solidiorem, & exactiorem verbi Dei explicationem, quæ fit per Sacerdotem. Nec verò hoc ipsum iis permittitur, nisi in absentia Sacerdotis, vel Episcopi, vel certè iis jubentibus, & id quidem è loco humiliore; quemadmodum Catechismus Parochorum admonet, nimirum ut intelligant munus illud sibi non jure Ordinis, sed solâ Superioris delegatione competere. Sic legimus Actor. 8. Philippum Diaconum suâ prædicatione Samaritanorum animos præparasse, ut apti fierent capiendis majoribus fidei mysteriis, quæ audituri erant ex prædicatione Apostolorum Petri & Joannis. Similis exemplo Effrem Diaconus ad plebem in Ecclesia Edissena conciones habuit, & S. Vincentius, ut testatur Breviarium Romanum, supplebat in prædicatione verbi Dei vices Episcopi sui. Hinc B. Gregorius lib. 4. Epistolarum cap. 88. quod est epist. 44. valde reprehensibile esse dicit, ut in
» Diaconatûs Ordine constituti; modulationi vocis
» inserviant, quos ad prædicationis officium, elee-
» mosynarumque studium vacare congruebat. *Et*
» *paulò post*, inter Missarum solemnia à cantu ab-
» stinere, & solùm Lectionis Evangelicæ officium eos exolvere præcipit. Idemque officium Diaconis tribuit S. Augustinus serm. 4. de B. Stephano. Quod sanèusque in hodiernum diem ita eis proprium esse intelligitur, ut Diaconorum ordinatio per libri Evangeliorum dationem perficiatur; ut expressum habemus in Decreto Florentino. Unde & verbis Episcopi potestas eis confertur Evangelii legendi pro vivis, & defunctis.

XXXVIII Sextum Ecclesiæ eleemosynas pauperibus erogare.

Sextum Diaconi officium erat, Ecclesiæ thesauro, sive oblatis à fidelibus eleemosynis præesse, & eas pauperibus erogare, juxta Episcoporum, vel Presbyterorum sententiam & decretum; quemadmodum colligi potest ex Apostolo 2. ad Cor. cap. 8. *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus in Evangelio per omnes Ecclesias*, nempe Silam qui ordinatus fuerat comes peregrinationis S. Pauli, ut cum eo gratuitas fidelium oblationes colligeret, ut explicat Baronius ad annum Christi 51. n. 64. Tum etiam ex S. Leone serm. de S. Laurentio, ubi de illo ait: *Non solùm ministerio Sacramentorum, sed etiam ex dispensatione Ecclesiastica substantia præeminebat*, Similia legere est apud S. Ambrosium lib. 2. de Officiis cap. 28. nec-non & S. Augustinum serm. de S. Laurentio.

Confessoribus Christi nominis necessaria subministrare.

Potissimùm verò Diaconis cura incumbebat eorum omnium, qui propter confessionem Domini nostri Jesu Christi in carcere erant detrusi; unde Cæciliano a Donatistis crimini imputatum est, quòd cùm Archidiaconus esset, Martyribus necessaria non modò non suppeditasset, sed etiam suppeditari prohibuisset, ut testatur Optatus Milevitanus lib. 1. Eorum pariter curæ & sollicitudini committebantur egenarum, viduarum, pupillorum, ægrotantium, atque peregrinorum educatio & protectio, ut nempe ex fidelium eleemosynis omnia iis ad victum & vestitum necessaria suppeditarent, ut decernitur in Conciliis Carthaginensi quarto can. 43. & Aurelianensi primo can. 20. nec-non & à S. Clemente epist. 1. ubi varia perstringens Diaconorum officia, inter cætera scribit: *Diaconi Ecclesiæ tanquam oculi sunt Episcopi, oberrantes, & circumspectantes cum verecundia actûs totius Ecclesiæ, & perscrutantes diligentiùs, si quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum esse peccato, ut referant hæc ad Episcopum, &c. Negligentiores quoque & eos, qui rariùs ad audiendum verbum Dei accedunt, nec sollicitè ad Episcopi tractatum conveniunt, ipsi commoneant, & hortentur, &c. Sed & eos, qui secundùm carnem ægrotant, sollicitè perquirant, & plebi si forte plebs ignorat, indicent de his, ut ipsi visitent eos, & quæ necessaria sunt, præbeant eis cum conscientia ejus, qui præest. Quod tamen etiamsi clam fecerint, non peccabunt. Sed & de peregrinis similiter Episcopo suggerant referendis, & cætera his similia, quæ ad cultum Ecclesiæ, & disciplinam ejus pertinent, Diaconis cura sint.*

Alia pariter antiquitus erant plura Diaconorum officia, nempe Episcopis, & Presbyteris adesse in regendis parœciis, ut colligitur ex Concilio Eliberitano can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Idem colligitur ex can. 7. Concilii Tarraconensis annô 517. celebrati: *De Diœcesanis Ecclesiis, vel Clero id placuit definiri, ut Presbyteri, vel Diaconi, qui inibi constituti sunt, cum Clericis septimanas observent, id est, ut Presbyter unam faciat hebdomadam, quâ expletâ succedat ei Diaconus similiter.* Dictum est illis à Concilio 6. Græcorum cap. 7. privilegium, ut ante Presbyteros, &

Et in fidelibus regendis adesse Episcopis & Presbyteris.

etiamnum Epiſcopos, Diaconus in certo caſu ſedeat, extra quem licèt Officiis Eccleſiaſticis honorificis fulgeant, prohibentur cum Preſbyteris ſedere, nedum præſidere. *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diacones Officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantiâ & licentiâ fretos ante Presbyteros ſedere: Statuimus, ut Diaconus etiamſi in dignitate, id eſt, in quovis ſit Officio Eccleſiaſtico, ante Presbyterum ne ſedeat, præterquam ſi proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens, adſit in alia civitate ſuper aliquo capite.*

Quod munus Diaconis fuit ambitionis cauſa.

Tantus porrò honor Diaconis delatus, ſed præſertim negotiorum Eccleſiaſticorum cura, & factio iis ab Epiſcopo demandata, continuiſque cum his de iis rebus tractatus, & inde facilis ad eos acceſſus, occaſionem ambitionis illis dederunt, eorumque animom ita inſolenter extulerunt, & inflârunt, ut ſæpiùs auderent Preſbyteris ſe-ſe æquare, & etiamnum præſidere. De hac Diaconorum inſolentia plurimum conqueritur Author quæſtionum utriuſque Teſtamenti, S. Auguſtinô antiquior, cujus opus illius operibus inſeritur, multiſque argumentis quæſt. 101. eorum inſolentiam retundit. Præcipuam autem eorum inſolentiæ occaſionem eam refert, quam adnotavimus: *Immemores enim elatione mentis, eò quòd videant Romanæ Eccleſiæ ſe eſſe Miniſtros, non conſiderant quid illis à Deo decretum ſit, & quid debeant cuſtodire; ſed tollunt hæc de memoria aſſiduæ ſtationes Dominicæ, & officialitas, quæ per ſuggeſtiones malas, ſeu bonas nunc plurimùm poteſt. Aut timentur enim, ne malè ſuggerant, aut emuntur ut præſtent.*

Eôdem tempore S. Hieronymus acerrimè reſtitit huic Diaconorum inſolentiæ, ut videre eſt epiſt. 85. ad Evagrium: *Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id eſt, Epiſcopis anteferret. Nam cùm Apoſtolus perſpicuè doceat, eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos, quis patiatur ut menſarum & viduarum Miniſter ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur?* Tandem poſtquam hanc inſolentiam multis exagitavit, aliam illius occaſionem aperit, paucitatem ſcilicet Diaconorum, & Sacerdotum turbam: *Quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium in leges Eccleſiæ vindicas? Omne quod rarum eſt, plus appetitur. Plegium apud Indos pipere pretioſius eſt. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit. Cæterùm in Eccleſia Romæ Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi, licèt paulatim increbreſcentibus vitiis, inter Presbyteros, abſente Epiſcopô ſedere Diaconum viderim, & in domeſticis conviviis benedictiones coram Presbyteris dare.* Cauſa iſtius ambitionis à S. Hieronymo reddita, admodum eſt probabilis; Diaconorum illa paucitas diutiſſimè Romæ obſervata, æſtimationis primùm, deinde faſtûs plurimum contulit. Ab antiquo enim Romæ ſeptem tantùm creati ſolebant Diaconi, ut teſtantur Sozomenus lib. 7. cap. 19. & S. Sylveſter in Synodo Romana 294. Epiſcoporũ, cap. 6. Anacletus epiſt. 1. Cornelius Papa apud Euſebium lib. 6. hiſtoriæ, cap. 35. S. Ambroſius in 1. ad Timoth. cap. 3. hoc generaliter de Epiſcopalibus Eccleſiis docet: *Nunc ſeptem Diaconos eſſe oportet, & aliquantos Presbyteros, ut bini ſint per Eccleſias, & unus in civitate Epiſcopus:* Addit Stephanus Æduenſis, cap. 7. de Sacramento Altaris: *Statuta Apoſtolicâ præceptione ut Vicario Chriſti in Sancta Sanctorum introeunte, ſeptem in ſublimiori gradu menſa Altaris aſſiſtentes ſerviant.* Et Ivo Carnotenſis ſerm. de excellentia Ordinum, Succeſſores Apoſtolorum decreviſſe, *ut in omni matrice Eccleſia ſeptem Diaconi circa aram Chriſti ſublimiori gradu tanquam columnæ Altaris aſſiſterent.* Idem etiam voluit Concilium Neocæſarienſe antiquiſſimum can. ult. quem repetit & innovat Concilium Aquiſgranenſe, cap. 64. Burchard. lib. 2. cap. 219.

XXXIX.

Quænam ſit materia & forma Diaconalis ordinis cõtrovertitur apud Theologos.

Quantùm autem *ad materiam & formam* Diaconatûs, varia eſt Theologorum ſententia; *quidam* enim cum Durando diſt. 24. contendunt materiam eſſentialem ſolam eſſe manuum impoſitionem Epiſcopi; *alii* autem cum S. Thoma ibidem quæſt. 2. art. 3. volunt, materiam Diaconatûs eſſe ſolam Traditionem libri Evangeliorum. *Tertia* verò ſententia, quæ mihi videtur probabilior, cenſet materiam integram Diaconatûs eſſentialiter includere manuum impoſitionem, & traditionem libri Evangeliorum; ſicque conſtare duabus materiis & formis partialibus: quippe Epiſcopus imponendo manus ſupra caput ordinandi, dicit: *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus. In nomine Domini.* Cùm verò ei tradit librum Evangeliorum, ait: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* Primam materiam & formam tradit Concilium Carthaginenſe quartum can. 4. ubi ait; *Diaconus cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput ejus ponat.* Secundam verò tradit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, & conſtat ex Concilio Tridentino & Catechiſmo, ac Pontificali Romano.

§. VII.

De Sacerdotio ſeu Presbyteratu.

XL.

Unde Preſbyterorum ordo.

PReſbyterorum Ordo, (*inquit Ivo Carnotenſis ſerm. de excellentia Ordinis*) à filiis Aaron ſumpſit exordium, qui cum Epiſcopis in pluribus commune habent Officium: & qui nunc Preſbyteri vocantur, tunc Sacerdotes vocabantur: & qui nunc ſuot Pontifices, tunc dicebantur Sacerdotum Principes. Diſtat autem hoc tantùm inter Pontifices, & hujus temporis Sacerdotes, quia ſcilicet ſolis Pontificibus addicta eſt Clericorum Ordinatio, Baſilicarum dedicatio, Chriſmatis conſecratio, & manûs impoſitio, & communis ſuper populum benedictio: cùm in aliis Sacramentis, catechizandi, Miſſam celebrandi, in Eccleſia verbum faciendi ad populum, communis utriuſque ſit diſpenſatio. Sed ſummis Sacerdotibus ea, quæ prætaxavimus, idcirco reſervata ſunt, ne eadem poteſtatis authoritas ab omnibus vindicata, inſolentes redderet, & ſolutô obedientiæ vinculô, ſcandalum generaret.

Et appellatio.

Qui autem Græcè dicuntur *Presbyteri*, Latinè dicuntur *Seniores*, nam tam ætate, quàm prudentiâ, & morum maturitate. Unde dicitur in libro ſapientiæ: Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata. Preſbyteri quippe ſucceſſores & vicarii ſunt ſeptuaginta Diſcipulorum: qui præcedsbant Dominum Jeſum in omnem civitatem, & locum, quò ipſe erat venturus. Ita Preſbyteri, qui adjutores ſunt Epiſcoporum, rudes populos initiant, baptizando unitati Eccleſiæ incorporant: & omnibus Sacramentis uſque ad manûs impoſitionem populo Dei miniſtrant. Epiſcopi verò ſucceſſores ſunt

» Apoſtolorum, qui ex neceſſitate adjutorium, & ſupplementum ſui officii, quò faciliùs plebes innumeras regere poſſint, miniſterium ſibi expetunt Sacerdotnm. Sicut Moyſes in Eremo 70. viros prudentes elegit, quorum conſiliô & auxiliô immenſam multitudinem populi Iſraël facilè gubernaret.

» Sive autem ſint minoris Ordinis, ſive ſummi Ordinis Sacerdotes, vicem Chriſti ſummi Pontificis gerunt, dum populos delinquentes ad Pœnitentiam vocant, & orationum ſuarum medicamento ſanant. Unde Apoſtolus 2. Cor. 5. dicit: *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, & poſuit in vobis verbum reconciliationis. Obſecro ergo pro Chriſto reconciliamini Deo.* Funguntur itaque, ut dictum eſt, officiô mediatoris, dum pro populo Deum interpellant, dum pœnitentes abſolvendo reconcilians. Unde oportet, ut ſicut Mediator Dei & hominum, per hoc, quòd fuit particeps noſtræ mortalitatis, mundum reconciliavit: per hoc, quòd fuit particeps Divinitatis, abſolvit; ita utriuſque Ordinis Sacerdotes, tanquam boni Mediatores, & peccatoribus compatiantur per conſcientiam ſuæ infirmitatis, & Dei pacem habeant per eminentiam ſanctitatis. Mediator enim, ut ait Apoſtolus, unius non eſt; quia utique parti, quam pacificare vult, amicus eſt. Quales debeant eſſe Preſbyteri, idem Apoſtolus ſcribens ad Titum ita commemorat: *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Preſbyteros, quemadmodum ego tibi diſpoſui. Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris virum, filios habentem fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Quâ ſententia oſtendit etiam Preſbyteros ſub Epiſcoporum nomine taxari. *Hæc Ivo Carnotenſis*, quibus ſimilia habent S. Iſidorus lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis cap. 7. & Rabanus Maurus lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 6. ubi inter cætera ait: *Ideo Preſbyteri Sacerdotes vocantur: quia ſacrum dant, ſicut Epiſcopi, id eſt, in confectione Divini corporis & ſanguinis, & in Baptiſmate, & in officio prædicandi.* Quibus utique verbis tria capitalia deſignat Sacerdotum munia, & officia; nempe conficere Euchariſtiam, baptizare, & prædicare.

Funguntur munere Chriſti.

In Pontificali autem Romano quinque officia Sacerdotis præſcribuntur, nempe offerre, ſeu ſacrificare, benedicere, quia convenit Sacerdotibus benedictio panum, aquæ, cereorum, & aliorum terræ fructuum; baptizare, & præeſſe: non quòd quilibet Sacerdos hôc ipsô, quòd ordinatur, juriſdictionem Paſtoris in aliquos habeat; ſed quòd recipiat juriſdictionem, quam vocant activam, cui ſi ab Epiſcopo ſubditi aſſignentur, juriſdictionem completam Paſtoris in eos habebit: hæ autem quinque functiones conferuntur Sacerdoti per primam ſuam ordinationem, quibus additur alia, nempe authoritas ligandi, & abſolvendi à peccatis, per poſteriorem ordinationem acceptam.

Quænam ſint præcipua Sacerdotum miniſteria.

XLI. Duplex eſt partialis eorū inauguratio.

Duplex enim eſt partialis Sacerdotis inauguratio: *Prima* eſt, quâ accipit authoritatem in corpus Chriſti verum conficiendum, & miniſtrandum. Quæ utique confertur per traditionem calicis cum vino, & aqua, & patenæ cum hoſtia non conſecrata, ut docet Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi hæc verba habentur. *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Preſbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Et pauló pòſt: *Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia, pro vivis, & mortuis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Secunda verò ipſius Ordinatio, & inauguratio fit per impoſitionem manuum Epiſcopi dicentis: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Sicut enim Chriſtus D. has in ſuum corpus verum, & myſticum contulit Apoſtolis diverſis temporibus: Primam quidem in ultima cœna, ſecundam autem poſt Reſurrectionem; ſic Eccleſia Chriſtum imitata confert per Epiſcopum primam poteſtatem, antequam Epiſcopus ordinans, & Miſſam celebrans pervenerit ad conſecrationem, ut videlicet recenter inaugurati Sacerdotes cum ipſo conſecrent: Secundam verò poteſtatem confert, poſtquam ſeipſum, & Sacerdotes recenter ordinatos communicavit.

XLII. Manûs impoſitio eſt materia partialis Preſbyteratûs.

Porro quòd hæc manûs impoſitio ſit materia partialis ordinationis Sacerdotum, conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. ubi agens de inſtitutione Extremæ-Unctionis, definit Miniſtros Sacramenti Extremæ-Unctionis, *eſſe Preſbyteros, quò nomine non ætate ſeniores, aut primates populi intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes, ab ipſis ritè ordinati per impoſitionem manuum Preſbyterii.* Ergo Preſbyteri ordinantur partialiter per impoſitionem manuum. Idem Concilium ſeſſ. 23. can. 4. *Si quis*, inquit, *dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopum dicere: Accipe Spiritum ſanctum, aut per eum non imprimi characterem, &c.* Ubi inſinuat dari Spiritum ſanctum, cùm dicitur Sacerdoti ordinando: *Accipe Spiritum ſanctum:* at tunc fit manûs impoſitio, ut patet ex Pontificali: ergo & per illam datur Spiritus ſanctus. Idem definitur in Concilio Carthaginenſi quarto can. 3. ubi ſtatuitur: *Preſbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput illius tenente, etiam omnes Preſbyteri, qui præſentes ſunt manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.*

XLIV. Ut docent ſummi Pôtifices.

Idem decernunt ſummi Pontifices, docentes manuum impoſitionem neceſſariam eſſe in ordinatione Diaconi, & Preſbyteri. Hoc præ cæteris ſignificat S. Clemens Romanus lib. 8. conſtitutionum Apoſtolorum; ubi refert S. Thomam Apoſtolum dixiſſe: *Cùm Preſbyterum ordinas, Epiſcope, impone ipſi manum capiti Preſbyteri.* Similiter S. Damaſus epiſt. 40. ubi de Chorepiſcopis, ordinandi jus illicitè uſurpantibus, ait eos magis vulneraſſe capita, quæ per manûs impoſitionem tangebant, quàm ea, quæ ipſis collata non erant, per aliquam benedictionem dediſſe. Cui omnino affine eſt id, quod in eundem ſenſum habet Innocentius primus in epiſt. ad Epiſcopos Macedoniæ cap. 3. *Cùm nos*, inquit, *dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manûs impoſitionem habere caput, ubi vulnus infixum eſt, medicina eſt adhibenda.* Sanctus Leo Magnus epiſt. 83. ad Epiſcopos Africæ, ubi expendens hæc Apoſtoli verba: *Manus nemini citò impoſueris*, inter alia ſic habet: *Quid eſt*, inquit, *citò manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Sanctus Gregorius Magnus in fine Regiſtri decreto 5. *Quia ordinando*, inquit, *Epiſcopo Pontifex manum imponit. Evangelii verò lectionem Miniſter legit: Confirmationis verò hujus*

epiſtolam,

epistolam Notarius excipit, sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere; Minister, vel Notarius non debet in ordinatione ejus, vocem suam, vel calamum venundare. Alexander secundus sicuti refertur apud Gratianum can. *Ex multis* 2. parte decreti causâ 1. quæst. 3. ubi sic habetur: *Chalcedonense Concilium unum ex principalibus, simili pœnâ condemnat eos, qui Ecclesiæ beneficium interventu pecunia acquirunt, & eos, qui sacram manûs impositionem, per quam Spiritus sanctus confertur, mercari dignoscuntur; utrosque enim authoritate inexpugnabili, illos à beneficio, istos à sacro Ordine jubet expelli.*

Et SS. Patres Græci. Idem docent SS. Patres, maximè S. Dionysius, cap. 5. de Hierarchia Ecclesiastica, ubi declarat omnem consecrationem fieri per manûs impositionem Pontificis. *Pontifex*, inquit, *qui ad Pontificiam consecrationem est evectus, utroque genu flexô ante Altare, supra caput habet Scripturas à Deo traditas, manumque Pontificis, atque hôc modô à Pontifice, qui ipsum consecrat, sanctissimis apprecationibus consecratur. Sacerdos verò utrôque poplite ante Altare flexô, in capite habet dextram Pontificis, & hoc modo ab illo Pontifice, qui illum consecrat, sanctis invocationibus consecratur. Porrò Diaconus unum genu flectens ante divinum Altare, supra caput habet dextram Pontificis ipsum consecrantis, & ab eo consecratur invocationibus ad Ministrorum consecrationem accommodatis. Unicuique autem eorum signum Crucis à consecrante Pontifice imprimitur, & singulis sancta prædicatio, perficiensque salutatio adhibetur, cunctis præsentibus Ecclesiasticis, unà cum Pontifice consecrante, consalutantibus illum, qui in aliquem dictorum Ordinum sacrorum est cooptatus.*

Idem docent cæteri Patres Græci, præsertim S. Basilius in epist. ad Amphilochium cap. 2. ubi loquens de quibusdam hæreticis, clarissimè significat Sacerdotium per impositionem manuum conferri: *Defecerat*, inquit, *collatio successionis serie interruptâ; qui enim primum excesserunt, sacris Ordinibus erant initiati, & per impositionem manuum Patrum spirituale donum habebant; qui autem abrupti sunt, Laïci effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habebant potestatem.* Et in epist. ad Nicopolitas, ubi de quibusdam loquitur, quos significat non debere recipi ad Communionem: *Ne*, inquit, *posteà facta pace seipsos in sacro cœtu numerandos esse contendant, quòd impositionem manûs ipsorum susceperint.* S. Ephrem in homil. seu tractatu de Sacerdotio, qui primus omnium occurrit inter ejus opera: *Non potestas*, inquit, *ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacrorum Sacerdotum.* Et in vita S. Abrahami cap. 5. narrat, eum per impositionem manuum ordinatum fuisse Presbyterum. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 20. in laudem S. Basilii de Patre suo redeunte ab ordinatione Basilii in Episcopum Cæsariensem, sic habet: *Redit firmus, & valens à manuum impositione & unctione.* Sanctus Gregorius Nyssenus Nazianzeni frater in vita S. Gregorii Thaumaturgi; ubi de eodem Thaumaturgo narrat, quòd cùm vir sanctus intelligeret se quæri, ut in Episcopum consecraretur, in varias solitudines, & latibula, honoris declinandi studiô se receperit, ubi fugiens & latitans comprehendi non posset, Phœdimus Amasæ Episcopus, qui in eo inquirendo nihil reliquerat intentatum, divinô tandem impulso actus, nil curans interjectum spatium, quô à Gregorio divellebatur; locô manûs impositionis, inquit Nyssenus, adhibuit ei sermonem, quô eum absentem Deo consecrabat; ex quibus verbis patet, veteres per manûs impositionem solitos fuisse consecrare præcipuos Ecclesiæ Ministros. Et quia Phœdimus reverà non potuerat ei tunc absenti manum imponere, & eum ordinare, idcirco statim subjicit idem S. Nyssenus, omnia deinde in eo peracta esse instituta, quæ in omni ordinatione jure fieri solent. Sanctus Chrysostomus ad hæc Apostoli verba 1. Timoth. 4. *Cum impositione manuum Presbyterii*, expressè docet per impositionem manuum, ipsam intelligi debere ordinationem: qua de re in prædictum Apostoli locum consuli possunt adhuc omnes ejus Interpretes, Theodoretus, Oecumenius, Theophilactus, Primasius, Sedulius, & alii. *Et homil.* 14. in Acta Apostolorum, ubi ait, ad præsentiam impositionis manuum Deum gratiam operari. De eodem S. Chrysostomo rem valde miram narrat Simeon Metaphrastes in ejus vita; videlicet cùm Chrysostomus Presbyter ordinaretur à Flaviano Episcopo Antiocheno, & Flavianus ei manum imponeret, cœlitus delapsam esse columbam in caput ejus, quô significaretur in ea cæremonia dati Spiritum sanctum, qui in forma columbæ tum visibiliter apparebat.

In idem conspirant Latini Patres: maximè S. Cyprianus epist. 68. ad Clerum & plebem in Hispania consistentes, ubi Sabino manum impositam fuisse narrat, ut in locum Basilidis ordinaretur Episcopus. Et Latini. S. Ambrosius libro de dignitate Sacerdotali. *Homo*, inquit, *manum imponit, & Deus largitur gratiam.* Idem ait ipse, sive quisquis est Author Commentariorum, qui sub nomine sancti Ambrosii circumferuntur in omnes sancti Pauli Epistolas, ad cap. 4. prioris ad Timoth. ubi observat gratiam ordinatoris dari per Prophetiam, & manuum impositionem. Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum: *In Donatum*, inquit, *sunt hæ sententiæ latæ, quòd confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manus imposuisse, id est, eos iterum ordinasse, quod ab Ecclesia alienum est.* Sanctus Hieronymus in cap. 58. Isaiæ, ubi explicans vocem illam Χειροτονίαν: *Ordinatio*, inquit, *non solum ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem impletur manuum.* Et S. Augustinus lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 20. *Si ergo*, inquit, *ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidas.* Et lib. 5. de gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo: *Invocatio*, inquit, *nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati: non enim suscipio Episcopum, si quando est ordinatus, super caput ejus Donatus est invocatus.* Unde paulò post ibidem sic infert: *In errante, & deserente milite, crimen est desertoris, character non est desertoris, sed Imperatoris.* Vult ergo S. Augustinus in ordinatione characterem imprimi per impositionem manuum, invocato Christi nomine super caput ordinandi. Et serm. 2. de iisdem gestis cum Emerito: *Cætri autem*, inquit, *non aderant ordinationi ejus, quando ei manus imposita est.*

XLVIII. Nec contrarium doc... *Dices:* Concilium Florentinum in decreto Eugenii pro instructione Armenorum, assignans materiam sacramenti Ordinis, ait *illud esse, per*

cet Concilium Florentinum.

cujus traditionem confertur Ordo : sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patena cum pane porrectionem : igitur censet, non aliam desiderari materiam ad sacramentum Ordinis, præter instrumentorum porrectionem. *Deinde*, Gregorius IX. cap. *Presbyter* extra de Sacramentis non iterandis, juxta doctrinam ab Innocentio III. traditam ibidem cap. *Pastoralis*, ait, quòd si in Ordinatione Presbyteri aut Diaconi prætermissa fuerit manûs impositio, illa Ordinatio non est iteranda; sed cautè supplendum est, quod incautè omissum fuerat : sed si impositio manûs esset materia essentialis, deberet Ordinatio non tantùm suppleri; sed etiam iterari: igitur, &c. *Denique*, Pontificale Romanum eos, quibus manûs impositio facta est, sive ad Diaconatum, sive ad Presbyteratum, appellat adhuc Ordinandos; nam præscribit: Moneat Episcopus ordinandos, ut instrumenta, quibus character imprimitur, tangant : igitur non censet, manuum impositionem quidpiam conferre ad ordinationem, sed eam tantùm fieri per instrumentorum porrectionem & contactum.

Nego consequentiam, & ad primum respondeo, Pontificem in eo decreto, non attigisse omnem Ordinationis ritum, & materiam, sed eam proposuisse materiæ partem, de qua instruendi & admonendi erant Armeni, qui fortasse, inquit Bellarminus, in hoc ritu, non autem in traditione instrumentorum, ab Ecclesia Romana dissentiebant. *Deinde* Concilii propositum fuit assignare rem aliquam subsistentem pro materia hujus Sacramenti, sicuti fecerat in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Extrema-Unctione; in quibus Sacramentis assignavit pro materia aquam, Chrisma, panem triticeum, & vinum de vite, & oleum olivæ. *Denique*, Concilium voluit assignare certam materiam, per quam sufficienter etiam in ratione signi materialis unus Ordo distinguitur ab alio, cujusmodi non est manuum impositio, ut pote quæ fiat in Sacerdotio, & Diaconatu : sed aliorum, & diversorum instrumentorum porrectio; licèt enim eadem manuũ impositio per diversam formam applicata, habeat vicẽ materiæ, & distincti signi formalis, sicut constat ex diversis Græcorum Ordinationibus, in quibus eadem manûs impositio per diversas verborum formas applicata, habet diversam significationem; tamen Concilium assignare voluit diversitatem Ordinum per ipsamet signa materialia, quibus in Ordinatione utitur Ecclesia Romana, ut pote cùm hæc signa sint magis distincta, & Ordinum distinctiva. *Adde*, quòd idem Concilium tacitè etiam complexum sit ipsam manuum impositionem; quippe remittit ad Pontificale Romanum, quantùm ad materias & formas adhibendas in ordinationibus.

Nec Gregorius IX.

Ad secundum respondet Arcudius, Gregorium loqui de impositione manûs præparatoria, quæ est quædam dispositio ad Ordines, quæ si omittatur, non propterea Sacramentum iterari debet : sed ista manûs impositio, veluti res accidentalis est supplenda.

Nec Innocentius III.

Ad Innocentium autem respondet, ipsum authoritate Pontificiâ hæc non dixisse, sed hæc Commentaria scripsisse, antequam esset Pontifex, & quatenus erat privatus Doctor. *Addi potest*, hos Pontifices ita statuisse generatim; ita quòd cùm in Sacramentis conferendis duo sint Rituum genera, quorum aliqua sunt tantùm accidentalia, quales sunt cæremoniæ jure Ecclesiasticô præscriptæ, ad majorem videlicet Sacramentorum authoritatem, & reverentiam; alia verò sunt essentialia, ut materia & forma, ex quibus totum, quod essentiale est, in Sacramento constituitur; censent illi Pontifices, quòd ubi aliquid accidentale prætermissum est, non sit Sacramentum iterandum, sed cautè supplendum jure Ecclesiasticô, quod incautè fuerat omissum; ubi verò aliquid essentiale prætermissum, servatis aliunde omnibus accidentalibus, nihil de ipsis accidentalibus iterandum est, sed supplenda solùm ea pars essentialis, quæ fuerat prætermissa. Sic in celebratione Missæ, siquis consecratô pane, calicem non consecraverit, sed tantùm benedixerit, non debet iterari consecratio panis, neque calicis benedictio, sed tantùm ipsius consecratio. Volunt itaque Pontifices, quòd in Sacramentis, in quibus duplex est materia partialis, quando una adhibita est, aliâ omissâ, non debet repeti, quæ fuerat adhibita; sed tantùm ea, quæ fuerat prætermissa.

Ad tertium dico cum Arcudio ibidem, quòd illa manûs impositio non fit ab Episcopo, Presbyteris ei assistentibus, ante porrectionẽ instrumentorum, & Ordinationẽ tantùm inchoat, non autẽ perficit, nequidem quantùm ad potestatem offerendi Sacrificium, & consecrandi panem & vinum in Christi corpus & sanguinem. Unde non mirum, quòd Pontificale moneat Episcopum, ut jubeat Ordinandos tangere instrumenta; si enim non tangerent, cùm illa sint conjuncta manui Episcopi, non tangerent Episcopũ; nec consequenter assequerentur potestatem. Unde meritò dixit, quòd in ea porrectione instrumentorum imprimitur character: quia tangendo illa, ordinati conjungunt se Pontifici, seu extensioni manûs Pontificis, ratione cujus imprimitur character, & assequuntur Ordinem sacrum.

XLIX. Quanta sit Sacerdotii dignitas.

Porrò quanta sit, quámque sublimis & veneranda Sacerdotum dignitas, & excellentia, facilè colligi potest ex multiplici capite: *Primò* quidem ex ipso nomine Sacerdotis & Presbyteri; Sacerdos enim dicitur, quasi *sacrum dans*, ex mente Petri Blesensis serm. 2. de vita, & officiis Præsulum; & Clericorum. Dat enim sacrum de Deo, idest, orationem: sacrum Dei, hoc est, carnem & sanguinem Christi : sacrum pro Deo, id est, vivendi exemplum. *Presbyteri* autem vocabulum senectutem sonat, non tam numerô annorum, quàm morum gravitate, & sanctitate attendendam, juxta illud Sap. 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numerô computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Secundò* ex duplici, quâ pollent, authoritate; absolvendi homines, & consecrandi corpus Christi : per unam enim Sacerdos homines in cœlum promovet ab inferorum & peccatorum vinculis, quibus alligabantur, solvendo : per alteram verò facit hominem Deum ad terram descendere, consecrando. Quanta autem sit hæc potestas, ex his S. Bernardi verbis colligitur serm. ad Pastores in Synodo congregatos : *Quantam dignitatem vobis contulit Deus, quanta est prærogativa Ordinis vestri? Deus prætulit vos Regibus, & Imperatoribus, prætulit Ordinem vestrum omnibus Ordinibus; imò, & ut altiùs loquar, prætulit vos Angelis, Archangelis, Thronis, & Dominationibus. Sicut enim non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem, sic non Angelis, sed hominibus, solisque Sacerdotibus Dominici corporis & sanguinis commisit consecrationem.* Similia habet sanctus Ambrosius libro de dignitate Sacerdotali, cap. 2. *Ecce aurum non pretiosius est plumbô, quàm regiâ potestate altior est*

dignitas Sacerdotalis. Sanctus Chrysostomus homil. 4. in illud Isaiæ, *In anno quò mortaus est Rex Ozias*, & lib. 1. de Sacerdotio, cap. 4. *Alii sunt*, ait, *termini Regni, alii Sacerdotii. Hoc regnum illò majus est, Sacerdotii jus è supernis descendit, &c.* Item ibidem. *Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti anima. Rex maoulas corporis remittit; Sacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit, hic exhortatur: ille accessitate, hic coasiliò: ille habet arma sensibilia, hic arma spiritalia: ille bellam gerit cum barbaris, hic adversus damonaes: major hic priacipatus, propterea Rex caput manui Sacerdotis submittit, & ubiquo in Scriptura Sacerdotes ungebant Reges.*

Tertiò, eadem excellentia colligitur ex variis nominibus, & gloriæ titulis, qui Sacerdotibus solent attribui tum in sactis codicibus, tom in sanctorum Patrum scriptis. Numerorum 1. Sacerdos appellatur *Mediator*, per hæc verba: *Tuli Levitas, ut orent pro eis, ne sit ia populo plaga.* **B** Secundò, appellatur *Christus*, 1. Paralipp. 16. *Nolito tangere Christos meos.* Terriò, nuncupatur *Angelus*, Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirens ab ore ejus, Angelus enim Domini est.* Quartò, vocatur & *tuba & castos*, Isaïæ 58. *Quasi tuba exalta vocem, &c.* Isaïæ 62. *Super muros tuos posui custodes.* Quintò, appellatur *Deus*, Exodi 22. *Diis noa detrahes.* Sextò, *sal & lux*, Matth. 5. *Vos estis sal terra, vos estis lux mundi.* **C** Septimò, *Dei coadjutor*, 1. Corinth. 3. *Dei adjatores sumus.* Octavò appellatur *homo Dei*, sicut minister Regis, homo Regis appellatur, ex eo quòd res regias debeat curare. Nonò, legatus Christi, 2. Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur.*

PETES 1. *Vtrum instrumenta, quæ sunt Ordinam materia, debeant ab ordinando tangi, & ab Episcopo porrigi.*

L.

Qui ordinatur debet sibi porrecta instrumenta tangere.

Respondeo primò, necessum esse, quòd qui ordinatur, physicè tangat instrumenta, quæ pertinent ad materiam Ordinis, quem suscipit: cujus **D** utique veritatis non leve argumentum præbet Pontificale Romanum; nam agens de Ritibus singularum Ordinationum, ubi loquitur de porrectione instrumentorum, quibus qoilibet Ordo confertur, iis utitur verbis, qoæ disertè significant res illas seu instrumenta, quæ porriguntur ab Episcopo, ab ordinato debere tangi. Favet etiam Concilium Carthagineose quartum; nam *can.* 5. agens de Subdiaconato, dicit: *Accipiat, &c.* ubi de traditione instrumentorum agit: Porrò non potest hæc accipere, nisi tangendo; neque enim propriè quis dicitur accipere aliquid corporeum, nisi saltem manu illod attingat. Id etiam ostendit usus, & continua **E** Ecclesiæ praxis, quæ tam sollicitè curat, ut instrumenta illa omnia, in quorum porrectione Ordinatio consistit, saltem simul ab ordinato tangantur: signum enim est, quòd ejusmodi contactus ex parte ordinati sit necessarius ad legitimam Ordinationem; neqoe enim in re gravi, & magni momenti, qualis est Ordinatio sacra, licet à communi Ecclesiæ titu, & praxi recedere.

Et qui ordinat ea per se porrigere.

Respondeo ad secundum, omnino necessum esse, quòd Episcopus ordinans per seipsum instrumeota porrigat ei quem ordinat: hoc enim indicat Concilium Carthaginense quartum, can. 5. & seqoentibus, ubi dum agit de porrectione instrumentorum, quæ tradi solent ordinandis, **A** ait: *Accipiat Ordinandus de mana Episcopi, vel tradat ei Episcopus, &c.* His enim loquendi formulis Concilium significat, omnino requiri ad Ordinationem, quòd prædicta iostrumentorum porrectio, seu traditio fiat ab ordinante.

Nec obstat, quòd dum idem Concilium agit de Ordioatione Acolythi, ait, illum ab Episcopo doceri quidem debere; qualiter in officio suo agere debeat; sed ab Archidiacono debere accipere candelabrom cum candela; ot sciat se ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari. Hoc, inquam, non obstat: siquidem hic ritus videtur immutatus, & emendatus per Pontificale Romanum, ubi habetor, *quòd Episcopus Acolytho tra-* **B** *dat candelabram cum candela.* Suadet etiam ratio: quippe ab eo tradi & applicari debet materia Sacramenti, à quo pronuntiatur forma, & Sacramentum confertur: sed solus Episcopus formam profert; ac subinde ab eo etiam materia Ordinationis porrigi debet. Hinc Clemens octavus iterum ordinare jussit sub conditione aliquos, qoi à Sagiensi Episcopo fuerant ordinati, ostensâ solùm, non autem traditâ ipsia Ordinum materiâ, ut refert Izambertus disp. 3. de Sacramento Ordinis, cap. 8. & Gamachæus tract. de Sacramento Ordinis, cap. 11. at si porrectio instrumentorum ab Episcopo facienda & eorundem contactus ab ordinando non essent omnino **C** necessariæ, summus Pontifex noo jussisset sic ordinatos iterum ordinari sub conditione: igitur, &c.

Dices: Si contactus esset necessarius ex parta ordinandi, maximè vel qoia ille necessarius est ad acceptionem & traditionem; *vel* quia requiritur ad verificationem verborum formæ: sed neutrum dici potest: non quidem primum; multa enim quotidie possunt alteri validè tradi absqoe ullo hujusmodi contactu physico: nam, ut Petrus, Paulo domum, equum, &c. donet; non est necesse, quòd Paulus hujusmodi sibi donata contingat. Non etiam secundum: siquidem verborum formæ prolatio non simul completur cum ipso contactu instrumentorum; dum enim Epis- **D** copus ait: *Accipe*, ordinandus, vel fortè oon tangit eôdem instanti instrumenta, & sic vel falsa esset forma; vel tandiu non tangit, quandiu proferuntur verba formæ: igitur contactus ille non est necessarius.

Nego consequentiam, & *primam* partem antecedentis distinguo: Contactus ille oon est oecessarius ad traditionem & donationem genericè spectatam, concedo: in particulari autem specie, qualis requiritur ad Ordinationis validitatem, nego. Fateor equidem contactum corporalem, & physicum noo esse necessarium ad omnem traditionem, & donationem in genere: sed inde oon sequitur, quòd interdum oon requiratur in spe- **E** ciali aliqua donatione, qualiter requiritur io Ordinationibus: qood otique noo provenit ex immediata institutione Christi, sed ex ordinatione Ecclesiæ, cui Christus authoritatē fecit, materiam & formam, & ritum aliquorum Sacramentorum designandi, & determinandi io particulari. Porrò hujusmodi contactum Ecclesia requirit, ot constat ex continua ejus praxi. *Ad secundum* dico, quòd ad validitatem formæ non requiratur, ut ordinandus tandiu tangat instrumenta, quandiu proferuntur verba; sed sufficit, qoòd in aliquo instanti ea tangat; siquidem contactus ille moraliter censetur perseverare, dooec perficiatur integra Ordinatio.

LI.

Quamquam donatio alicujus rei fieri possit absque ejusmodi contactu.

Dices secundò: Ut quis alteri rem donet, oon est necesse quòd propriis manibus eam ipsi porrigat: verè enim censeretur quis alteri librum donare, designando ipsum librum, &c. dicendo: Accipe hunc librum: igitur oon opus est, qoòd Episcopus instrumenta ordinando propriis manibus tradat.

Respondeo ad antecedent, hæc quidem esse vera secundùm communem usum, & modum loquendi; non autem secundùm Ecclesiæ praxim, quæ dum instrumentorum porrectionem, seu traditionem determinavit pro materia ordinationis, voluit eam ita fieri, ut instrumenta physicè tangerentur, non solùm ab ordinando, sed etiam ab ordinante, ut scilicet Sacramentum completè conferretur ab ipso Episcopo.

PETES 2. *Utrum omnes septem Ordines veram Sacramenti rationem habeant?*

LII. Probabilius est quòd septē Ordines sint Sacramenta.

Affirmo, tanquam probabilius, idque veluti certum supponere videtur Doctor dist. 24. nu. 9. ubi ait: *In hoc patet, quomodo sunt septem Ordines, qui sunt institutiones in Ordinibus, & illi septem dicuntur contineri sub sacramento Ordinis, vel magis propriè sub sacramento Ordinationis; in quantum est unum Sacramentum.* Quod evidentiùs significat *num. sequenti*, ubi inquirens qualiter sacramentum Ordinis sit unum: „Respondeo, *inquit*, unitate generis propinqui, sicut virtutes morales dicuntur esse tres secundùm genus, justitia, fortitudo, temperantia, & in prima divisione virtutis moralis hæ primò occurrunt: tamen in speciali quælibet istarum ulteriùs dividitur, ut dictum est libro 3. Est etiam alia unitas inter Ordines. Congruum est enim priùs recipere Ordinem inferiorem, quàm superiorem, nec tamen ille Ordo est simpliciter necessarius; ita quòd si prætermittatur, nihil fit, ut apparet *Extra de Clerico per saltum promoto*; ubi habetur, qnòd non est iterandum quod est factum, sed quod fuit prætermissum, cautè est supplendum: & per consequens nonnihil fit in collatione Ordinis superioris, etsi non fuerit Ordo inferior priùs collatos: ista tamen unitas Ordinis non est illa, propter quam Ordo, vel Ordinario est unum Sacramentum; sed magis onitas prior, scilicet generis. *Ita Doctor.*

Ut docet Theologiæ Principes.

quibus apertè significat, omnes Ordines invicem convenire in unitate, & ratione Sacramenti. Idem paritèr docet S. Bonaventura eâdem dist. part. 1. art. 2. qoæst. 4. Nec non & S. Thomas ibidem quæst. 2. art. 1. & plures alii veteres Theologi.

Ut colligitur ex Concilüs Florentino & Tridentino.

Idque probari potest primò ex Concilio Florentino jam sæpiùs laudato, ubi postqusm dixit Ordinem esse Sacramentum, & ejus materiam esse rem, quæ traditur ab Episcopo in Ordinatione; & formam esse verba, qnibus res illa traditur, & speciatim id declarasset in Ordine Sacerdorali, Diaconali, & Subdiaconali, subjungit; *sic etiam debere intelligi in reliquis Ordinibus:* igitur censet etiam in inferioribus Ordinibus reperiri materiam & formam Sacramenti; ac proinde existimat, omoes Ordines veram Sacramenti rationem obtinere. Idem pariter indicat Concilium Tridentinum: quamqusm enim hanc veritatem disertè non explicet; attamen cùm *sess.* 22. *cap* 2. dixisset Ordinem distribui in septem species, *cap. sequenti* absolutè pronuntiat, Ordinem verè esse Sacramentum novæ legis, ubi nullam distinctionem facit inter Ordines, qui sint Sacramenta, & qui non sint; quibus significat se nullum Ordinem à ratione Sacramenti excludere. Quòd evidentiùs declarat *can.* 3. nam cùm præmisisset in Ecclesia Catholica aliquos Ordines esse majores, & alios minores, statim subdit: *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse verè & propriè Sacramentum; anathema sit.* Ubi cùm nullum discrimeo proferat inter Ordines, qui habeant rationem Sacramenti, & qui oon habeant, haud dubium est, quòd existimet omnes prorsus Ordines sacramenti rationem obtinere. Hoc ipsum luculenter declarat S. Augustinus lib. de bono coojugali, cap. 24. ubi testatur in omnibus ordinatis permanere sacramentum Ordinationis, etiamsi plebi congregandæ non serviant, vel propter culpam ab officio removeantur. Censet itaqoe omnes Ordines habere vim Sacramenti, propterea quòd semel accepta amitti non possint, propter characterem perpetuum, qui in singulis Ordinibus confertur.

Et ex SS. Patribus.

S. Augustino.

Subscribit etiam S. Hieronymus in lib. adversus Vigilantium, ubi dicit, *Episcopum Diaconos, aliosque Clericos ordinantem Christi Sacramenta tribuere.* Quibus verbis significat, omoes generatim Ordines habere rationem, & dignitatem Sacramenti.

Et Hieronymo.

Favet etiam ratio: *Primò* quidem, omnes esse Sacramenta, non obscurè colligitur ex eo, quòd perantiqua sit in Ecclesia horum septem Ordinum mentio: ooo enim aliunde, quàm ex divina traditione, & institutione ad oos usque pervenisse credendum est.

Deinde, id quod est signum sensibile divinitus institutum, & gratiæ causativum, habet veram rationem Sacramenti: at tales sunt omnes Ordines; quilibet enim eorum est signum sensibile, ratione suæ materiæ & formæ. Similiter est divinitus institutum; qoamvis enim Christus D. materiam, & formam Sacramentorum non designaverit in specie, sufficit quòd utramque designaverit in genere, committendo Ecclesiæ authoritatem hujusmodi signa designandi in specie; sicque saltem in genere est horum signorum institutor.

Postremò per hæc signa datur gratia; quippe cùm in hujusmodi Ordinum receptione homines Deo consecrentur, ut significat Caius Papa in epist. 1. quæ est ad Felicem, cap. 6. ubi recenset minores Ordines, quibus ad Sacerdotium, & Episcopatum ascenditur, his verbis: *Ut ad Ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari merentur, id est, si primò Ostiarius, deinde lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolythus.* Ubi notandum est verbum, *sacretur*, qood non nisi Ordini à Christo in Sacramentum instituto convenire videtur.

LIII. Quô sensu S. Anacletus dixerit duos tantùm Ordines ab Apostolis & Christo D. esse traditos.

Dices: Omne Sacramentum est à Christo institutum: at Diaconatus non fuit à Christo institutus, neque etiam reliqui Ordines inferiores, ot docet Anacletus Papa epist. 3. cap. 2. Sic enim ait de Episcopatu, & Sacerdotio loquens: *Amplius quàm isti duo Ordines Sacerdotum, nobis nec à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Idem asserit Damasus epist. 5. his verbis: *Non amplius, quàm duos Ordines inter Discipulos Domini esse cognovimus, id est, duodecim Apostolorum, & septuaginta Discipulorum.* Similiter S. Cyprianus lib. 2. epist. 9. docet, *Diaconos non à Christo, sed ab Apostolis, institutos esse; ergo Diaconatus non est Sacramentum à Christo institutum.*

Respondeo, Anaclétum eô locô non loqui de singulis Ordinibus; sed solùm de duplici Ordine Sacerdotii, nempe Presbyteratûs, & Episcopatûs; ita ut ejus verborum sensus sit, duos solùm Ordines Sacerdotii, nempe Presbyteratum, & Episcopatum nobis reliquit Deus, & Apostoli docuerunt: agit enim contra eos, qui Primates, seu Patriarchas, veluti alterô Ordine initiatos, & ab Episcopis distinctos esse volebant; unde ait: *Ordo Sacerdotum, fratres, bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.*

Quod utique confirmat ex eo, quòd Christus solùm elegit duodecim Apostolos, quibus Episcopi successerunt; & sexaginta Discipulos; quorum successores sunt Sacerdotes. Ex quibus sic concludit: *Amplius quàm isti Ordines Sacerdotum, nec à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* In eundem sensum conspirant S. Damasus locô citatô, ubi duos tantùm Ordines Sacerdotum agnoscit; siquidem ibi reprimit quorundam Episcoporum supercilium, qui se veluti medios inter Episcopos, & Presbyteros, subindeque tertium Ordinem Sacerdotum sibi fingebant; unde ibidem ait: *Si nec Episcopi sunt, & plusquam Presbyteros esse ambiunt, per quod ostium intrabunt, cùm hi tantum duo Ordines* (Sacerdotum) *in Ecclesia legantur?*

Et S. Cyprianus. Christûm D. nullum Diaconum instituisse.

Ad S. Cyprianum *dico*, Christum equidem nullum per seipsum ordinasse in Diaconum, sicut ordinavit Episcopos, & Sacerdotes; sed tantùm facultatem fecisse Episcopis, ut Diaconos instituerent: ex quibus tamen inferre non licet, ipsum non instituisse Diaconatum in Sacramentum; neminem enim Matrimoniô junxit, nec confirmavit, nec oleô infirmorum unxit: nihilominus tamen inde non sequitur, quòd non instituerit Sacramentum Matrimonii, Confirmationis, & Extremæ Unctionis.

Dices secundò: Subdiaconatus olim non erat Ordo sacer: igitur nec Sacramentum. Patet antecedens ex can. *Nullus*, dist. 60. cap. 4. ubi sic legimus: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiosè vivens fuerit inventus: sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia; Subdiaconos verò, quia & ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente, concedimus; si tamen spectata sint Religionis, & scientia.*

XLIV. Quare aliqui Ordines dicantur sacri.

Respondeo primò, negando consequentiam: Non enim idem est Ordo sacer & Sacramentum; siquidem minores Ordines sunt Sacramenta, nec tamen sunt sacri.

Respondeo secundò ad antecedens, Ordines vocari sacros duplici titulô; nimirum vel quia habent solemne castitatis & continentiæ votum; vel quia proximiùs inserviunt ad Eucharistiam conficiendam: quamvis autem Subdiaconatus ab initio non fuerit Ordo sacer in universa Ecclesia priori titulô; tamen posteriori semper fuit Ordo sacer, quippe proximiùs accedit ad Eucharistiam, quàm alii Ordines minores.

Instabis: Si Subdiaconatus fuisset Ordo à Christo institutus, & sacer, non potuisset omitti in superiorum Ordinum susceptione; siquidem juxta Christi D. institutionem, gradus est faciendus à minoribus Ordinibus ad superiores: sed superiores Ordines suscipi possunt sine Subdiaconatu; nam in Concilio Sardicensi can. 13. sic habetur: *Si quis voluerit fieri Episcopus, non prius constituatur, quàm Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit; ita & per singulos gradus, si æstimatus fuerit dignus, ascendat ad culmen Episcopatûs.* Cujus rei exempla non pauca de SS. Chrysostomo, Eutychio Patriarcha Constantinopolitano, Cæsario Episcopo Arelatensi, & aliis multis sic ordinatis, non præmissô Subdiaconatu, referunt Arcudius cap. 9. & Morinus exercitatione 11. cap. 2.

Adde quòd, Subdiaconi poterant ordinari à Chorepiscopis, ut patet ex Concilio Antiocheno cap. 10. sed Chorepiscopi erant simplices Sacerdotes, qui Sacramentum Ordinis conferre non poterant, ut docet S. Damasus epist. 5. igitur Subdiaconatus non habet rationem Sacramenti Ordinis.

XLV. Si aliqui licitè susceperint superiores Ordines omissis inferioribus, id existimandum est divinitùs esse factam.

Respondeo ad primum: *Primò* quidem argumentum illud nimis probare; inde namque pari ratione inferre liceret, Diaconatum non habere rationem Sacramenti Ordinis; cujus tamen contrarium docent omnes pene Theologi contra Durandum; siquidem ipse *Morinus*, ibidem profert varia Sanctorum exempla eorum, qui ad Presbyteratum, & Episcopatum, omissô Diaconatu, promoti sunt. Id præsertim refert de S. Austregesilo Bituricensi Episcopo, in cujus ordinatione Diaconatus omissus est, ut refert Author antiquus apud Surium 20. Maii, his verbis: *Abiit Austregesilus Antisiodorum, & à beato Aunario Episcopo, decisâ cæsarie, Clericus effectus est, & ordinatus. Deinde ad memoratum Aetherium profectus est, qui jam Lugduni factus Episcopus, cum ingenti gaudio humanissimè eum excepit. Presbyterumque, & Abbatem B. Nicetii Episcopi, & Confessoris ordinavit.*

Dico secundò, per dispensationem quidem divinitus inspiratam, aliquos potuisse promoveri ad superiores Ordines absque susceptione inferiorum; quod tamen traduci non potest ad praxim & exemplum.

Dico tertiò, quòd dum aliqui leguntur promotos fuisse ad superiores Ordines, omissis inferioribus, id non debet semper intelligi de omissione Ordinum inferiorum, quantùm ad receptionem characteris, sed solùm quoad exercitium, & ministerium; ita quò eôdem die, & eâdem horâ omnes prorsus Ordines susceperint, maximè cùm exigeret Ecclesiarum quarundam necessitas; unde præfatus canon Concilii Sardicensis vetat, ne quis imposterum fiat Episcopus antequam inferiorum Ordinum ministerium peregerit; quippe tunc temporis non eadem vigebat, nec urgebat necessitas, quæ plerumque in primitiva Ecclesia occurrebat, ut quis simul omnes Ordines eôdem die susciperet.

XLVI. Chorepiscopi erant duplicis generis.

Ad secundum dico, Chorepiscopos fuisse duplicis generis; aliqui enim veri erant Episcopi, sed absque sede & Ecclesia, ac plebe propria, quales etiam nunc sunt suffraganei, & de his loquitur Concilium Antiochenum, dum ait: Subdiaconos à Chorepiscopis posse ordinari: alii verò erant tantùm Presbyteri, qui delegatam sibi ab Episcopis authoritatem habentes, res Ecclesiasticas administrabant, quales nunc sunt Episcoporum Vicarii generales, de quibus loquitur S. Damasus, cùm ait, ab ipsis non posse Subdiaconos ordinari, ut diximus supra.

Dices tertiò: Quando plures actiones ordinantur ad aliquem effectum spiritualem, illa sola Sacramenti rationem obtinet, quæ hujusmodi effectum immediatum attingit; sic v. g. in Baptismate, licèt ad id conferant exorcismus, Catechismus, & alii solemnes ritus servari soliti; atta-

men sola ablutio cum forma debita babet rationem Sacramenti; quia sola attingit spiritualem regenerationem: sed inter omnes Ordines, qui referuntur ad confectionem corporis Christi, solum Sacerdorium id immediatè præstat: ergo nullus Ordo præter Sacerdotium babet rationem Sacramenti Ordinis.

XLVII. Quandonã inter varias actiones ad eundem actum sacramentalem tendentes, una habeat rationem Sacramenti.

Distinguo majorem: Si variæ illæ actiones ad eundem effectum spiritalem tendentes, sint duntaxat dispositiones, nec per se gratiam sanctificantem in anima producant, quales sunt Catechismus, & Exorcismus, concedo: si præter illam dispositionem quælibet earum actionum habeat vim producendi effectum spiritalem, nempe gratiam sanctificantem, nego. Ad minorem dico, quòd quamvis Ordines Sacerdotiô inferiores per se, & immediatè non attingant confectionem Eucharistiæ, sed sint tantùm veluti ministeria subsidiaria ad eam confectionem efficiendam; duplicem tamen effectum producunt in anima, nempe characterem & gratiam sanctificantem; ac proinde censeri debent propriè dicta Sacramenta.

ARTICULUS TERTIUS.

De Ministro & Subjecto Sacramenti Ordinis.

HIc non immoramur in declarandis, & aperiendis Sacramenti Ordinis effectibus, putà charactere, & gratia sanctificante, nec-non & specialibus auxiliis ad Ordinum ministeria debitè obeunda necessariis, utpote cùm in Tractatu de Sacramentis in communi: nec-non ex toto hujus voluminis decursu bæc satis superque appareant. Solus itaque in hoc Articulo nobis sermo erit de Ministro, & Subjecto Sacramenti Ordinis: quæ duo cùm etiam ex pluries dictis de Ministro & Subjecto aliorum Sacramentorum facilè colligi possint; ideo omnes, quæ de utroque à cæteris Theologis fusiùs agitari solent controversias, paucioribus complectemor sub sequentibus Paragraphis.

§. I.

Quis sit Minister Sacramenti Ordinis?

I. Solus Episcopus est Minister Ordinarius sacramenti Ordinis.

R*Espondeo*, solum Episcopum esse Ministrum ordinarium hujus Sacramenti; ita namque definitur in Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi agens de Sacramento Ordinis, ait: *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus*. Et ex Tridentino sess. 21. cap. 4. ubi docet *Episcopos Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatem reliqui inferiores nullam habent.*

Idipsum colligitur ex Scriptura sacra; siquidem Christus summus Ecclesiæ Pontifex ordinavit Sacerdotes in ultima cœna, & Apostoli, & Episcopi, nempe Paulus, & Barnabas *constituerunt per singulas Ecclesias Presbyteros*. Et 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, &c. cum impositione manuum Presbyterii*, hoc est cœtus Episcoporum, ut exponunt Græci Interpretes, inter quos Episcopos erat Paulus, quia ipse 2. Timoth. 1. monet Timotheum, *ut resuscites gratiam, quæ*, inquit, *est in te per impositionem manuum mearum*. Et ad Tit. 1. Apostolus ait se illum reliquisse Cretæ, *ut ea*, inquit, *quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros.*

Idem docent SS. Patres, maximè S. Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. ubi refert ritum consecrandi Episcopum, Sacerdotem, Diaconum, & alios inferioribus Ordinibus initiatos à Pontifice, seu Episcopo. Sanctus Hieronymus epist. ad Evagrium, nec-non & in Dialogo contra Luciferianos, ubi licèt Presbyteros Episcopis pares faciat, tamen expressè excipit Ordinationem & Confirmationem, quam non vult fieri posse à simplici Presbytero; sed à solo Episcopo. Neque quantùm ad id gravis aliqua movetor difficultas apud Theologos, quæ facilè dissolvi non possit ex his, quæ dicta sunt in præcedentibus.

Sed non levis agitatur controversia circa Ministrum extraordinarium, an videlicet simplex Sacerdos ex commissione summi Pontificis possit esse Minister extraordinarius hujus Sacramenti, & Ordines, sive majores, sive minores validè conferre; aliqui enim id affirmant de omnibus Ordinibus, ut Vasquez disp. 243. nonnulli existimant non posse simplicem Sacerdotem conferre majores Ordines ex ulla sibi delegata commissione, bene verò minores; ita S. Thomas dist. 25. q. 1. art. 1. ubi ait: *Papa, qui habet plenitudinem potestatis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodò illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi: & ideo ex ejus commissione, aliquis Sacerdos simpliciter potest conferre minores Ordines, & confirmare; non autem aliquis non Sacerdos.* Negat tamen verbis immediatè sequentibus, Sacerdotem simplicem posse ex commissione summi Pontificis conferre majores Ordines; sic enim subjungit: *Nec iterum Sacerdos majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem, quàm simplex Sacerdos.*

II. Non est improbabile simplicem Sacerdotem posse fieri Ministrum extraordinarium Sacramenti Ordinis dempto Sacerdotio.

Sunt etiam, qui id negant quidem de Presbyteratu; concedunt tamen de Diaconatu, ac Subdiaconatu; ita Amicus, Martinonus, & nonnulli alii Recentiores. Quorum utique sententiam uti probabiliorem amplector; quam etiam sequitur Hiquæus in Commentario n. 91. ubi ait; Presbyterum ita necessariò debere ab Episcopo ordinari, ut nequidem ex commissione ordinari possit à simplici Sacerdote; quod utique probat primò: quia ubi nulla praxis extat in contrarium, ritus servari solitus censeri debet esse ex ordinatione divina: sed nusquam legitur concessio facta simplici Sacerdoti ad alium Sacerdotem ordinandum: igitur signum est, quòd Sacerdotis ordinatio fieri debeat ab Episcopo ex institutione divina.

Deinde: Ordines inferiores conferri debent à superiori: sed unus Sacerdos non est superior respectu alterius: igitur non potest eum ordinare.

Fateor tamen hanc posteriorem rationem esse infirmam; exinde enim sequeretur, quòd unus Episcopus non posset alium ordinare; unus enim Episcopus non subditur alteri Episcopo, à quo ordinatur; sed parem cum ipso habet characterem, & authoritatem. Unde potius standum esse censeo in priori ratione; cùm enim Ecclesia sollicitè provideat in his, quæ spectant ad confectionem & ministrationem sacramentorum, nec concesserit unquam facultatem simplici Sacerdoti alium ordinandi, signum est, quòd hæc dispensa-

tio concedi non possit, maximè cùm aliunde simplicibus Sacerdotibus concesserit authoritatem non solùm minores Ordines, sed etiam Diaconatum, & Subdiaconatum ministrandi.

Quas utique concessiones à summis Pontificibus factas referunt Victoria in summa num. 235. ubi ait concessam fuisse Abbatibus Cisterciensis Ordinis facultatem conferendi suis Monachis utrumque Ordinem, Diaconatûs & Subdiaconatûs; cujus concessionis meminit etiam Navarrus lib. 5. in consiliis tit. 13. & illam concessionem habet Emanuel Rodriguez in Bullario bullâ 5. & Vasquez locô suprà laudatô num. 39. ait, illud privilegium haberi in nova compilatione privilegiorum privilegiô 118. & in quodam vetusto codice, qui inscribitur Collecta Bullarum Ordinis Cisterciensis, atque, inquit, in Bibliotheca hujus nostri Collegii Complutensis servatur, cujus verba subjicere placuit: *Ne Monachi dicti Ordinis, pro suscipiendis Subdiaconatûs, & Diaconatûs Ordinibus, extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, Tibi, & Successoribus tuis, ut quibuscunque dicti Ordinis Monachis; aliis verò quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum Successoribus, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatûs, & Diaconatûs Ordines hujusmodi aliàs ritè conferre, &c. liberè ac licitè possitis, & possint authoritate Apostolicâ, & ex certa scientia, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus.* Quæ Bulla data est Romæ ab Innocentio VIII. annô Domini 1489. & 4. Pontificatûs.

Id enim concessum fuit ex parte Abbatibus Cisterciensibus.

Nihilominus Navarrus censet hoc privilegium revocatum esse à Tridentino Concilio sess. 23. cap. 8. ubi agens de promotione ad sacros Ordines, ait: *Vnusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur: quòd si quis ab alio promoveri velit, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu etiam statutis temporibus permittatur,* &c. Et cap. 10. conceditur quidem aliquibus Abbatibus Tonsuram, & minores Ordines conferre Regularibus sibi subditis; sic enim habetur: *Abbatibus, ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus; etiam si nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre; non meminit autem Ordinum Subdiaconatûs, aut Diaconatûs.* Unde etiam Vasquez *num.* 44. apertè fatetur, quodcumque privilegium concessum Abbatibus, ut ordinare possint suos subditos in Subdiaconos, & Diaconos, jam revocatum esse, & solùm eis relictum, ut Tonsuram, & minores Ordines conferant.

§. II.

Quinam sint capaces suscipiendi Sacramenti Ordinis?

RESpondet Doctor in 4. dist. 25. q. 1. & 2. incapacitatem ad suscipiendos Ordines esse repetendam ex quadruplici capite: *Primò*, ex parte sexûs: *Secundò*, ætatis: *Tertiò*, infirmitatis: *Quartò*, pœnæ Ecclesiasticæ.

Primò, inquam, ex parte sexûs, mulieres sunt incapaces suscipiendi Ordinis, idque jure divinô: „ Non enim, inquit Doctor quæst. 2. n. 4. Ecclesia præsumpsisset totum sexum muliebrem privasse sine culpa sua, actu, qui posset sibi licitè competere, qui esset ordinatus ad salutem mulieris, & aliorum in Ecclesia per eam: quia hoc esse videretur maximæ injustitiæ, non solùm in toto sexu, sed etiam in paucis personis: nunc autem si de lege divina licitè posset competere mulieri Ordo Ecclesiasticus, posset esse ad salutem, & earum, & aliorum per eas. Et quod dicit Apostolus 1. ad Timoth. 2. *Docere mulierem non permitto*, intelligens de doctrina publica in Ecclesia; non est dictum Apostoli tamquam Apostoli statuentis: sed, *non permitto*, quia nec Christus permisit. Cujus argumentum evidens accipitur, quia nec Matrem suam posuit in aliquo gradu Ordinis in Ecclesia, cui nulla alia potuit, vel non poterit in sanctitate æquiparari. Ratio autem naturalis huic dicto consonat, quam Apostolus innuit 1. ad Cor. 14. Nam natura non permittit mulierem, saltem post lapsum, tenere gradum eminentem in specie humana; siquidem est dictum in pœnam peccati sui: *Sub viri potestate eris.* „

III. Mulieres arcendæ sunt ab Ordinibus.

Quam utique rationem non obscurè indicat Apostolus 1. ad Timoth. 2. cùm enim dixisset, *Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio*; statim subdit hujus dicti rationem; quia videlicet mulier in suæ prævaricationis pœnam viro subjecta est; *Adam enim*, inquit, *primus formatus est, deinde Eva: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Quibus verbis Apostolus rationem profert, quare mulier silere debeat in Ecclesia, quia subjecta viro est primùm ex creatione; nam ei in adjutorium facta est: deinde in pœnam peccati, siquidem ei dictum est, Gen. 3. *Sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui:* igitur ex divina institutione mulier subjecta est viro; ac proinde nequit esse capax gradûs eminentis in Ecclesia, in quo præesset viro, aut publicè doceret ex officio.

Hâc pariter ratione utitur S. Epiphanius contra Pepusianos hæresi 49. qui mulieres in Diaconissas, Sacerdotissas, & Episcopissas ordinabant. Aliam etiam rationem assignat petitam ex ipsa imperfectione sexûs muliebris: *Mulier enim*, inquit, *genus lubricum est, erroneumque, ac intellectu humili præditum, & per illud diabolus suum venenum universo humano generi propinavit.* Addit & alteram rationem, nempe quòd nulla mulier ab exordio mundi legatur unquam Sacrificium Deo obtulisse, sive inter fideles, sive inter infideles; & Deus in lege scripta ex solis viris Sacerdotes elegerit, & Levitas ad ministerium Altaris: igitur potiori jure lex Evangelica postulabat, ut mulieres arcerentur ab omni Ecclesiastico Ordine, & Altaris ministerio. Addit S. Bonaventura in 4. dist. 25. art. 2. quæst. 1. quòd in Sacramento Ordinis persona, quæ initiatur, significat Christum Mediatorem, cujus officiô fungitur, juxta illud Apostoli 2. ad Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur*; sed Mediator fuit tantùm vir: igitur solus vir est Sacramenti hujus capax; cui hæc mystica significatio ex Christi institutione annexa est.

Objiciunt primò hæretici Pepusiani illud ad Galat. 3. *In Christo Iesu non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina*: igitur nulla differentia est inter masculum & fœminam in lege Christiana, sicut nec circa servum & liberum; ac subinde idem Sacramentum, quod vir potest recipere, etiam recipere poterit mulier.

Respondeo Apostolum eô locô loqui tantùm de discrimine inter virum & mulierem, quoad meritum, non verò quoad officium; seu, inquit Doctor num. 3. quantùm ad gloriam consequendam, & ad gratiam habendam, non est distinctio in lege

Christi, inter fœminam & masculum: quia tantam gratiam habere, & tantam gloriam attingere illa potest, sicut iste; sed quantùm ad gradum excellentem habendum in Ecclesia, bene decet esse distinctionem inter virum, & mulierem in lege Christi, quia hoc consonat legi naturæ.

Objiciunt secundò: Tam in veteri, quàm in nova lege fœminæ quædam erant prophetissæ: sed Prophetia non minorem dignitatem importat, quàm Ordo Ecclesiasticus: igitur pari ratione mulieres promoveri possunt ad Ordines. Patet major; nam Maria soror Moysis Num. 12. & Anna filia Phanuel Lucæ 2. & quatuor filiæ Philippi Diaconi, ut patet ex Historia Ecclesiastica illustrabantur donô Prophetiæ. Insuper mulieri competere potest potestas judiciaria, ut constat Judicum 4. de Debora, quæ judicavit Israël, & ei præfuit: igitur etiam competere potest præfectura Ecclesiastica.

Respondeo ad primum negando paritatem, hoc enim discrimen est inter donum Prophetiæ & Ordinem, quòd per donum Prophetiæ non confertur mulieri potestas ulla super virum; per Ordinem autem constituitur ordinatus in gradu superiori super alios: Unde si mulier ordinaretur, præeminentiam quandam haberet in Ecclesia supra laïcos; quare licèt donum Prophetiæ conveniat sexui mulieri, Sacramentum tamen Ordinis mulieri videtur incongruum; quippe præeminentia & potestas in viros ipsi non convenit.

Ad secundum respondet Seraphicus Doctor, quòd potestas judiciaria sit temporalis, non spiritualis; mulieribus autem licet temporaliter dominari, sed non spirituali dominiô; cujus ratio est, quòd ille qui dominatur, gerit typum capitis: quoniam ergo mulier non potest esse caput viri; ideo ordinari non potest.

IV. Mulieres aliquæ olim dicebantur Diaconissæ; non quòd aliquo ordine essent initiatæ.

Objiciebant tertiò: In primitiva Ecclesiâ erant Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteræ, & Episcopissæ, ut videre est in pluribus Conciliis, & SS. Patribus; de quibus locutus videtur S. Paulus 1. ad Timoth. 3. cùm ait: *Mulieres similiter pudicas*: nam postquam Timotheo documenta pro Diaconis præbuit, statim subdit: *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.* Et cap. 5. agens de electione viduarum, ait: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens,* &c. Sicut de Diaconis præcipit cap. 3. cùm ait: *Ut unius uxoris vir eligeretur.* Ac subinde censet Apostolus mulieres esse capaces Ordinis Diaconatûs sicut & viros.

Respondeo, quòd equidem antiquitus mulieres nonnullæ his nominibus fuerint appellatæ, non quia aliquô ordine Ecclesiastico ordinatæ essent, sed variis aliis de causis.

Sed vel quia Diaconis fuerant matrimonio junctæ.

Primò quia, inquit *Doctor num. 6.* in Græco uxor Presbyteri potest dici Presbyterissa, ubi Sacerdotes utuntur licitè Matrimoniô priùs contractô: sed apud nos Latinos, ubi castitas, non conjugalis, sed simpliciter est Ordini annexa,
» Presbyterissa potest dici aliqua bona matrona vi-
» dua, vel perfecta inter alias mulieres: vel fortè
» in Collegio illa, quæ præest omnibus aliis, ut
» Abbatissa inter Moniales: sed ista non habet per
» hoc gradum altiorem Ordinis; imò nec præemi-
» nentiam respectu alicujus viri. Consimiliter potest
» dici ad illud de Diaconissa, quòd illa, cui compe-
» tit ex ordinatione Abbatissæ vel collegii, legere
» Homiliam in Matutino, potest dici Diaconissa;
» sed ille non est actus alicujus Ordinis. Ita Doctor,

A cujus explicationi favent Concilia Turonense can. 13. & 20. & Altissiodorense can. 21. ubi statuitur: *Non licet Presbytero in uno lecto, post acceptam benedictionem, cum Presbytera sua dormire; neque in peccato carnali commisceri, neque Diacono, neque Subdiacono,* cum sua videlicet Subdiaconissa, & Diaconissa, idest, conjuge, ante Ordinationem ductâ.

V. Vel quia ministerio aliquo simili Diaconali deputabantur.

Vel aliter his nominibus antiquitus mulieres aliquæ tam in Ecclesia Latina, quàm in Græca donabantur; quia videlicet ad Ecclesiasticum aliquem statum, & aliquod ministerium promovebantur: nam, ut observant Michaël Medina lib. 6. de continentia, controversiâ 6. cap. 7. & Pame-
B lius in Commentario ad librum Tertulliani de exhortatione castitatis num. 72. & Vasquez disp. 245. cap. 3. num. 19. duo genera statum mulierum peculiaribus illis nominibus nuncupata inveniuntur: quædam enim generali nomine *vidua* dicebantur, quæ nullâ benedictione, aut ordinatione ad ministerium aliquod consecrabantur; sed tantùm ad hoc eligebantur, ut in congregatione viduarum vitam cælibem ducerent, ut constat ex S. Clemente lib. 8. Constitutionum cap. 25. ubi refert S. Judam Thadæum dixisse: *Hac de viduis constituo, vidua non ordinetur: sed si jam diu virum amisit, & castè, & laudatè vixit, cooptetur in gradum vidualem.* Porro hæ viduæ in
C eum statum viduarum non cooptabantur, nisi votum castitatis emisissent, ut colligitur ex S. Paulo 1. ad Timoth. 5. ubi ipsum hortatur, ut viduas adolescentiores devitet, hoc est in statum vidualem non admittat, cujus hanc rationem profert: *Cum enim, inquit, luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ubi per primam fidem, Concilium Carthaginense quartum can. ult. intelligit pactum & promissionem Christo præstitam, videlicet servandæ continentiæ, & desponsationis cum ipso.

Idipsum docet S. Clemens lib. 3. Constitutio-
D num cap. 1. ubi præcipit: *ut adolescentior vidua non cooptetur, quia si posteà nupserit statum vidualem dedecorabit, quia promissionem non servaverit.* Et infrà de his viduis loquens, ait; *oportet non temerè, neque inconsideratè promissionem facere.* Id etiam constat ex can. 18. S. Basilii in epistola ad Amphilochium, ubi loquitur de delicto Virginum contra sua pacta commisso, & de delicto viduarum similiter, quod inquit est secundum à peccato virginum: & addit, viduam non servantem continentiam gravissimô judiciô subjectam esse, ut quæ fidem in Christum irritam fecerit: per fidem autem in Christum, nihil aliud nisi votum continentiæ intellexit: atque ita interpretatur S. Basilium
E *Theodorus Balsamon* in illum canonem, concedens viduas in laïco habitu permanentes, continentiam in Ecclesiam vovere, & ea de causa ab Episcopis omni corporali studiô, & providentiâ dignas haberi consuevisse.

VII. Qualiter instituebantur.

VI. Unde alebantur ex bonis Ecclesiæ.

Alebantur enim ex redditibus, & eleemosynis Ecclesiæ, ut notat etiam idem *Balsamon in canonem 24. ejusdem S. Basilii*, & fusiùs docet *S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio. colum.* 17. ostendens, quantas in earum sustentatione Episcopi eô tempore difficultates paterentur: ut ita ex hoc etiam capite, sicut ex aliis, difficultatem statûs Episcoporum demonstraret. In quem sensum puto dixisse S. Paulum 1. ad Timoth. 5. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt,* sicut explicat Theophilactus, ut honorare idem sit, quod misereri, & necessaria suppeditare.

ſuppeditare. Et multò clariùs cùm inferiùs ait: *Si quis fideles habet viduas, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia, ut iis, quæ verè viduæ ſunt, ſufficiat.* Ubi planè, inquit Vaſquez, denotat, verè viduas ali conſueviſſe redditibus, & eleemoſynis Eccleſiæ: vocat autem *verè viduas*, non ſolùm maritô, ſed etiam parentibus, filiis, & conſanguineis orbatas: Nam quæ ſolùm caret maritô, non videtur omnino vidua, ſi parentes habeat, aut filios, aut conſanguineos: vidua enim Græcè dicitur Χήρα à verbo Χηρόω, quod eſt *deſolor*, *deſtituo*, ſive *orbo*, quòd orbata ſit, & inde verbum Χηρεύω, quod eſt *viduam reddo*, *ſeparo*, & *ſeparor*; & viduus maneo: & ideo cùm dixiſſet, *Quæ autem verè vidua eſt*, addidit, *& deſolata*, Græcè, μεμονωμένη hoc eſt, *ſola relicta*, à verbo μονόω, quod eſt, *ſolum eſſe facio*, ſeu *deſolor*, & aliquid amplius, quàm præcedens denotare videtur. *Ita Vaſquez.*

Quibus addit, quòd S. Paulus è contra exhortetur, quòd ſi quis fidelis, videlicet parens, vel filius, vel nepos habeat viduam, vel filiam, vel matrem, vel aviam, alat eam ex propria ſubſtantia, ut videlicet omnino orbatæ parentum ſubſidiô ex redditibus, & eleemoſynis Eccleſiæ ſuſtentari poſſint; qua etiam de cauſa, quia ſunt viduæ non omnino orbatæ, ſed habent aliquod ex parentibus ſubſidium, quibuſcum morantur; idem Apoſtolus dixit ibidem: *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, diſcat primùm domum ſuam regere, & vicem reddere parentibus*, à quibus videlicet quæ neceſſaria ſunt ad victum & veſtitum liberaliter accipit; ſubdit verò de iis, quæ omnino viduæ, & probatæ ſunt: *Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus*, id eſt, quia ipſi non incumbit cura domûs & familiæ regendæ, nec urget obligatio mutuum obſequium reddere parentibus, ideo magis obſecrationibus inſtet apud Deum, à quo ſperare debet ſolatium & conſolationem ſuæ viduitatis.

Aliud genus mulierum erat, quas Pepuſiani, ſeu Cataphrygæ, vel Montaniſtæ contendebant fuiſſe ordinatas in Sacerdotiſſas & Diaconiſſas, de quibus S. Clemens Romanus lib. 8. inſtitutionum cap. 19. & 20. ita ſcribit: *De Diaconiſſa verò ego Bartholomæus conſtituo, ut manus ei Epiſcope imponas, præſentibus Presbyteris, & Diaconis & Diaconiſſis.* Ex quo loco etiam conſtat Diaconiſſas

VII. Qualiter instituebantur.

benedictione aliquâ & cæremoniâ ordinari conſueviſſe: quod etiam obſervant Tertullianus lib. de exhortatione ad caſtitatem cap. ult. cùm ait: *Quanta igitur* (ſcilicet mulieres) *& quæ in Eccleſiis ordinari ſolent, quæ Deo nubere maluerunt.* Et lib. de velandis Virginibus cap. 9. ubi pro eo quod dixerat in libro ad uxorem cap. 7. *Viduam adlegi in ordinationem*, ait: *Ad quam ſedem præter annos ſexaginta non tantùm univira, id eſt, nupta aliquando eliguntur; ſed matres, & quidem educatrices filiorum.* Conſtat etiam ex Conciliis, in quibus hæc viduarum ordinatio fuit abrogata; prohibetur enim in Concilio Laodiceno can. 11. ubi dicitur, *quòd non oporteat eas, quæ dicuntur Presbyteræ, vel Præſidentes in Eccleſiis ordinari.* Verùm nonobſtante hôc decretô ejuſmodi ordinatio diu viguit apud Græcos; nam in Concilio Chalcedonenſi act. 15. can. 15. prohibentur Diaconiſſæ ordinari ante annum quadrageſimum; & ſi poſt ſuſceptam manuum impoſitionem nuptiis ſe tradant, anathematizantur unà cum eis qui eiſdem copulantur. Idem ſtatuitur in Synodo Trullana can. 14. ex quo ſequi videtur hanc ordinationem cum benedictione apud Græcos eò uſque perſeveraſſe, A non obſtante præfatô canone Laodiceno.

VIII. Quando deficiat.

In Eccleſia verò Latina abrogari cœpit hæc ordinatio in Concilio Arauſicano; legimus enim can. 26. *Diaconiſſæ omnimodò non ordinandæ, ſi quæ jam ſunt, benedictioni quæ populo impenditur, capita ſubmittant.* Idem ſancitum fuit poſtea in Concilio Epaunenſi can. 21. his verbis: *Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus.* Ubi quod Concilium Arauſicanum vocavit ordinationem, hoc appellavit conſecrationem. Et titulus eſt, *De Benedictione viduarum*; quia, ut ſuprà diximus, hæc ordinatio cæremoniâ quâdam conſecrationis, & benedictionis fieri ſolebat. Eadem lex revocationis B renovata iterum fuit in Concilio Aurelianenſi 2. can. 19. ubi ordinatio Diaconiſſatum, benedictio Diaconalis nuncupatur. Verùm his nonobſtantibus Decretis, etiam apud Latinos multô adhuc tempore perſeveraſſe videtur illa Diaconiſſarum ordinatio; ſiquidem in Concilio Vuormacienſi can. 15. legem latam in Concilio Chalcedonenſi de ætate ordinandarum Diaconiſſarum tranſcriptam legimus & approbatam.

IX. Qualia erant earum munia & officia.

Quale autem fuerit Diaconiſſarum munus & miniſterium aliqua ex parte explicat S. Clemens lib. 2. Conſtitut. cap. 26. ubi cùm dixiſſet, Diaconiſſam ita venerandam eſſe, ut repræſentet nobis Spiritum S. aut ſicut alia tranſlatio habet, in figura Spiritûs S. honorandam eſſe; reddit rationem C his verbis: *Nihilque ea agat, aut loquatur, abſque Diacono; ſicut neque Spiritus S. quidquam privatim agit, aut loquitur.* Et paulò inferiùs: *Et ut non contingit credere in Chriſtum ſine doctrina Spiritûs S. ſic ad Diaconum, aut Epiſcopum nulla mulier, ſive Diaconiſſa accedat.* Certè nulla alia de cauſa, niſi quia Diaconiſſis ex officio incumbebat cæteras inſtruere mulieres de rebus, de quibus cum Diaconis, aut Epiſcopis agere debebant.

Verùm præter hoc generale miniſterium, erant alia peculiaria in Eccleſia, ad quæ hæ mulieres conſecrabantur, ut conſtat ex S. Clemente Romano variis in locis: nam lib. 2. Conſtitutionum, in- D quit cap. 57. aliàs 61. Oſtiarios manere conſueviſſe ad introitum, & portam virorum; Diaconiſſas verò ad portam mulierum cuſtodiæ gratiâ, quod ſanè miniſterium extra Eccleſiam erat. Cap. autem 15. ait, munus Diaconi fuiſſe ungere oleô ſanctô frontem mulierum, quæ baptizabantur; Diaconiſſarum verò abſtergere, ne à viris aſpicerentur. Alterius etiam muneris meminit Concilium Carthaginenſe quartum can. 12. *Viduæ, vel Sanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apertô & ſalvô ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres tempore, quò baptizandæ ſunt; qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant; & qualiter acceptô Baptiſmate vivant.*

E Aliud etiam munus earum erat, nempe fœminas baptizatas è baptiſterio ſuſcipere & levare, ne ſcilicet viris nudæ apparerent, ut obſervat S. Clemens lib. 3. inſtit. cap. 14. & S. Epiphanius hæreſ. 79. ubi ſcribit: *Et miniſterium quidem Diaconiſſarum appellatarum Ordo eſt in Eccleſia, ſed non ad ſacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur, verùm reverentiæ gratiâ muliebris generis, aut propter horam balnei, aut viſitationis, affectionis, aut laboris, & quando nudatum fuerit corpus mulieris, ut ne à viris ſacrificantibus conſpiciatur, ſed à miniſtrante muliere, cui præcipitur à Sacerdote, ut curam gerat ad tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis ipſius; itaut ordo bona diſciplina, &c. munitus ſit in menſura regula.* Ex quo loco aliquantulum

obscuro *Pamelius scholiô illô 72. in librum Tertulliani de exhortatione castitatis*, putavit, hoc ministerium Diaconissarum ex sententia Epiphanii fuisse lavare corpus mulierum in balneo, & abstergere ante Baptismum. Nam Catechumenos prius lavari consuevisse, ne sordidô corpore ad Baptismum accederent, tritum erat apud veteres.

Michael autem Medina lib. 4. de continentia, controversiâ 6. cap. 7. existimavit, hoc ministerium ex sententia ejusdem Epiphanii, fuisse ut balnei specie mulierum corpora inspicerent & viderent an essent castæ; sicut etiam aliquando fit in virginibus, de quarum integritate dubitatur: Itaut ad hanc inspectionem Diaconissæ essent etiam constitutæ, quod tamen ipse religiosis fœminis indignum meritò putat: hoc autem colligit ex verbis ejusdem Epiphanii in compendiaria vera doctrina, non parùm ante finem, quæ est post hæresim 80. ubi ita scribit: *Sed & Diaconissæ constituuntur in ministerium mulierum solùm propter reverentiam, si opus fuerit balnei gratiâ, ac visitationis, & inspectionis corporis.* Quæ sanè verba nihil aliud significant, quàm alia, quæ citavimus ex hæresi illa 79.

Ex his omnibus, inquit Vasquez n. 52. constat, nullas mulieres ullô tempore in Latina aut etiam Græca Ecclesia in Sacerdotissas ita fuisse ordinatas, ut offerre possent Sacrificium, sicut Cataphrygæ contendebant; neque fuisse ordinatas in Episcopissas, ut alias etiam ordinare possent, aut munus aliquod proprium Episcoporum exercere; neque in Diaconissas, aut Subdiaconissas, sed ad ea munera, tam intra Ecclesiam, quàm extra quæ diximus. Ex quo inferri non licet, posse etiam fœminas ordinari in Episcopissas, & Subdiaconissas ad sacrificandum, neque in ullo Ordine Ecclesiæ constitui, per quem ad Sacerdotium ascenditur, vel quô quis aliquô modô præparatur.

§. III.

Quanam ætas requiratur ad debitam Ordinum susceptionem?

X. Triplex est modus suscipiendi Ordines.

PRiusquam huic quæstioni faciat satis Doctor, *dist. 25. q. 2. num. 3.* distinguit triplicem modum suscipiendi Ordines; *primò*. debita cum reverentia, & omni dispositione convenienti; *secundò* licitè, & juxta legum & constitutionum Ecclesiasticarum præscripta; *tertiò* validè quidem, licèt non licitè, nec debitè. Quibus ita præmissis respondet *primò*, puerum ante usum rationis non posse suscipere Ordinem debita cum reverentia; quippe cùm non sit rationis compos, nec subinde possit cum animi præparatione, ac devotione convenienti ad suscipiendam in collatione Ordinum gratiam accedere: Non etiam potest licitè, cùm enim continentiæ votum sit annexum Ordinibus sacris, infans usu rationis nondum compos non potest ad Ordines promoveri licitè; quia votum continentiæ, quod est adjunctum Ordini sacro, neque tacitè, neque expressè emitti potest ante usum rationis & libertatis; siquidem votum debet esse promissio voluntaria Deo facta: quam utique promissionem emittere non potest infans rationis, & libertatis usu orbatus. Adde, quòd Ecclesiæ sanctionibus & legibus constitutũ sit, ut non-nisi certâ ac determinatâ ætate discretionis promoveri quis possit ad Ordines.

XI. Puer ante adultam ætatem validè ordinari potest.

Quantùm autem ad validam duntaxat Ordinum susceptionem, conveniunt Doctores communiter unà cum S. Thoma dist. 25. q. 1. art. 1. Bonaventura art. 2. q. 2. & Subtili Doctore suprà laudato, posse reverà puerum ante usum rationis promoveri ad quemcumque Ordinem, paucis reclamantibus cum Durando q. 2. Quæ utique assertio

Probatur primò ex cap. unico *de Clerico per saltum promoto*, ubi consultus Innocentius tertius ab Episcopo Bononiensi, quid agendum esset circa eum, qui Sacerdotium Diaconatu prætermissô acceperat, minoribus Ordinibus infra annos discretionis susceptis: respondet Pontifex conferendum esse Diaconatum, nullâ factâ mentione de Subdiaconatu, & minoribus Ordinibus infra annos discretionis susceptis; quibus significari voluit, eos Ordines fuisse validè collatos; alioquin jussisset cum Diaconato ipsos esse repetendos. *Deinde*, inquit Seraphicus Doctor, alia Sacramenta, in quibus character imprimitur, putà Baptismus, & Confirmatio, possunt validè, imò & licitè suscipi à pueria ante usum rationis: quidnî itaque similiter Ordo? *Denique*, inquit subtilis Doctor, ad recipiendam potestatem Ordinis, non requiritur, ut quis possit illius potestatis actum statim exercere: Ordo enim est gradus disponens ad ministrandum in determinato gradu Ecclesiastico: igitur potest inesse, & communicari talis potestas, antequam quis aptus sit exercere actum ejusdem potestatis.

Quod utique confirmatur à simili ex cap. *Majores* de Baptismo, ubi Innocentius III. docet cum cõmuni Theologorum sententia, quæ per Concil. Trident, probatur, infundi virtutes in Baptismo infantibus, quantùm ad habitum; licèt ipsi capaces non sint exercendi actus ejusmodi virtutum: igitur pari jure ipsis conferri poterit gradus & potestas disponens ad sacrum ministerium, quamvis non sint capaces illius actûs exercendi.

Probat denique Hiquæus in Comment. ad præfatam Doctoris quæst. n. 4. Quia, si quid obesset, quominus infans validè posset ordinari, etiam in Episcopum, maximè quia ejus consensus requireretur, vel tanquam materia, vel tanquam forma, vel tanquam conditio necessaria ad effectum Ordinationis, sed neutrum eorum dici potest; siquidem certum est, quòd materia, & forma ordinationis non includat, nec exigat hujusmodi consensum: Neque etiam requiritur ut conditio, quippe talis consensus non magis prærequiritur ad susceptionem Ordinis, quàm ad receptionem Baptismi, Eucharistiæ, & Confirmationis, quæ independenter à consensu infantium, nec-non & eorum parentum, ipsis infantibus conferri posset. Quod etiam verum est de Episcopatu, ut conferri potest per consecrationem ei, cui non confertur aliqua Ecclesia in titulo; & quamvis non recipiat proximam potestatem in corpus Christi mysticum.

Censet nihilominus Seraphicus Doctor ad Episcopatum validè suscipiendum requiri usum rationis, & libertatis: Quoniam, *inquit*, ibi contrahitur matrimonium spirituale, quod utique necessariò requirit consensum: Verùm hæc ratio videtur minus efficax, utpote cùm per alios etiam Ordines fiat quædam conjunctio ordinati cum Christo, ac etiam cum Ecclesia, ad cujus ministerium, & famulatum ordinatus deputatur. Adde, quòd validè consecrari possit Episcopus, etiamsi particularem non habeat Ecclesiam sibi in sponsam delegatam; ac subinde hæc ratio non impedit quominus puer æquè validè possit promoveri ad Episcopatum, quàm ad alios Ordines.

XII. Etiam in Episcopum

Dices primò: Ille solus est capax suscipiendi Ordinis, qui capax est illius acceptationis; nam in forma ipsius Ordinationis dicitur: Accipe potestatem, &c. sed infans non est capax illius acceptationis; hæc enim requirit consensum, cujus puer est incapax: igitur, &c.

XIII.
Non enim ad id requiritur acceptatio voluntatis.

Nego minorem: Tum, quia simili modô infanti, quando baptizatur solemniter dicitur: *Accipe sal sapientiæ*, & *Accipe signum crucis Domini nostri Iesu Christi:* igitur si infans in Baptismo sit capax illius acceptationis; quidnî pariter capax erit accipiendæ potestatis Ordinis? Tum etiam, quia potestas illa, quæ per Sacramentum Ordinis confertur, non traditur per modum contractûs donationis, aut pacti, in quo requiritur voluntaria acceptatio; sed confertur per modum efficacis operationis, respectu cujus recipiens merè passive se habet, sicut & in Baptismo, in quo non solùm recipit characterem, & gratiam sanctificantem; sed etiam potestatem participandi bonis communibus Ecclesiæ, & recipiendi alia Sacramenta.

Dices secundò: Absurdum est infantem fieri & nominari Sacerdotem & Episcopum, quippe Sacerdos, & Episcopus mediator est inter Deum & homines, & destinatur ad regendam, & sanctificandam Ecclesiam, quæ utique infanti competere non possunt: igitur, &c.

Distinguo antecedens: Absurdum est, & illicitum, puerum creari Episcopum, & Presbyterum, quantùm ad actum, concedo: quantùm ad potestatem, nego. Siquidem utraque potestas conferri potest sine actu, & ab ea infans denominari potest Presbyter, & Episcopus: licèt nullum ejusmodi potestatis actum exercere possit; sicut dicitur rationalis, etiamsi rationis actualem usum non habeat; & appellatur fidelis ab habitu fidei sibi infuso.

Dices tertiò; Infans per susceptionem Ordinis transfertur ad alterum statum vitæ, putà à statu Laico ad Clericalem: sed id fieri non potest sine ejus consensu; siquidem non potest obligari præter consensum ad servandas omnes leges Ecclesiasticas Clericis præscriptas, maximè verò ad servandam continentiam sacris Ordinibus annexam: igitur, &c.

Respondeo, negando minorem; quia infans suscipiens Baptismum, multò magis transfertur in alium vitæ statum, cùm fiat Christianus; ac subinde teneatur ad servandas omnes leges Christianis præfixas; quàm infans suscipiens Ordines, qui ad nullam novam legem, sive continentiæ, sive aliam quamcumque obligatur, quia omnis obligatio susceptioni Ordinum annexa solùm ligat illos, qui voluntariè Ordines suscipiunt. Unde communis est Theologorum sententia cum Subtili Doctore in 4. dist. 37. num. 3. quòd puer ante usum rationis ordinatus non teneatur ad votum continentiæ, quia, inquit Doctor, *nullus tenetur ex voto ad votum factum ab alio, maximè si habet votum contrarium.* Unde Vasquez suprà laudatus *num.* 30. cum Almaino, Soto, & aliis Theologis expressè docet, puerum sic ordinatum non solùm non teneri votô continentiæ, aut aliâ obligatione ejus, sed etiam posse renuntiare functioni Ordinum, & uxorem ducere.

XIV.
Quænam sit legitima ætas ad ordines.

Quæritur autem ad prærequisitam ætatem, ut quis licitè ad Ordines possit promoveri:

Respondeo, varias fuisse Ecclesiæ constitutiones: nam, ut patet ex Gratiano dist. 77. cap. 1. & sequentibus, & dist. 88. cap. 1. & 3. vigesimus quintus annus præscribitur pro Diaconatu, & trigesimus pro Presbyteratu. Verùm (inquit Vasquez num. 41.) Clemens quintus in Concilio Viennensi, ut refertur in Clementina, *Generalem, de ætate, & qualitate ordinandorum*, pro tribus Ordinibus majoribus tempus aliô modô definivit, & ad minorem ætatem Ordinationes reduxit, concessit enim, ut in decimo octavo anno ad Subdiaconatum, in vigesimo ad Diaconatum, & in vigesimo quinto ad Presbyteratū quisque promoveri posset.

De minoribus autem Ordinibus nihil statuit, neque certum tempus unquam in Ecclesia definitum fuisse video, sed illud solùm in more fuisse, ut nullus, nisi post annos discretionis ordinaretur. In cap. autem, *Nullus Episcopus, de temporibus Ordinationum in 6.* conceditur, ut infans intraturus Religionem, primâ Tonsurâ initiari possit: per *infantem* autem intelligit Glossa, minorem septem annorum; non autem infantem nescientem loqui; hic enim non diceretur intrare Religionem, sed à parentibus offerri, ut antiquitus fieri consueverat, ex quo textu à contrario sensu colligitur, ante septimum annum non licere primâ Tonsurâ ullum alium insigniri, ut dicitur in Rubrica Pontificalis, *de Ordinibus conferendis.*

De minoribus nihil apparet expressè sancitum.

Adde, quòd in Concilio Tridentino, talis qualitas assignatur, pro initiando primâ Tonsurâ, ut nunquam quis ordinari possit ante decennium, quia non continget ante decennium tali qualitate ullum præditum esse. Quin imò in Conc. Trident. in quo novissimè tempus ætatis ordinandorum assignatum fuit, nulla de ætate ad minores Ordines mentio fit: sed sess. 23. cap. 4. & 6. *De reformatione*, ubi de prima Tonsura Patres loquuntur, & cap. eôdem 6. & 11. ubi de minoribus Ordinibus sermo est, nihil de ætate ordinandi dicitur; solùm autem cap. 6. definitur tempus ei, qui jam primâ Tonsurâ fuerit initiatus, ut ante quartum decimum annum Beneficium habere nequeat.

XV.
Secus de sacris.

Porro idem Concilium *ibidem cap.* 12. definiens ætatem competentem ac necessariam ad sacros Ordines suscipiendos, ita decernit: *Nullus in posterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum tertium, ad Presbyteratûs ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singulos, in ea ætate constitutos, debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc, penitus exclusis.*

XVI.
Quare servi non sint ordinandi.

Præter defectum ætatis, sunt plures etiam alii defectus, propter quos homines arcentur ab Ordinibus suscipiendis. Primò namque excipiuntur *Servi*, ut patet distinct. 54. totô titulô de servis non ordinandis. *Ratio autem est*, inquit Doctor dist. 25. n. 9. *quia servus est possessio domini; & ideo non debet ab eo auferri ipsô invitô. Quando autem ordinatur, fit inhabilis ad quosdam actus serviles: quia si de facto fuit ordinatus dominô insciô, nec de novo consentiente, debet sibi reddi: tamen dominus non debet eum actibus dedecentibus Ordinem suum applicare: sed debet servire Domino suo in actibus decentibus statum suum.* Unde servus contra domini voluntatem ordinatus, restitui debet domino suo, nisi sit Sacerdos, ut constat ex cap. *Ex antiquis.*

XVII.
Et filii illegitimi.

Secundò, excipiuntur *Spurii*, & hi omnes, qui ex legitimis nuptiis non sunt procreati, ut patet *extra de filiis Presbyterorum non ordinandis*, cap. 1. & 2. *Decet enim*, inquit Catechismus Romanus, *ut qui sacris addicantur nihil in se habeant, quô ab aliis meritò contemni, ac despici posse videantur.* Aliam rationem subministrat Doctor ibidem: *Quia*, inquit, *illi præsumuntur imitatores paternæ incontinentiæ: tales præsumuntur etiam malè morigerati, quia malè educati: tamen cum eis satis faciliter dispensatur; unde Benedictus II. cum quodam tali sine dispensatione ordinato, & in Ordinibus ministrante, postea faci-*

liter dispensavit, sicut ipse vidi bullam dispensationis.

Et corpore deformes.

Tertio, arcentur corpore deformes, qui videlicet insigni aliquô corporis vitiô, & defectu laborant, ut manci, claudi, unô oculô orbati, &c. ut habetur *extra de corpore vitiatis non ordinandis*, cap. *Exposuisti*, & dist. 55. cap. *Si Evangelica*, & *extra de Clerico debilitato*. Quòd si, inquit Doctor, non sit mutilatio deformis, nec ipse fuerit in culpa illius mutilationis, non excluditur, ut habetur dist. 55. *Si quis à Medicis, & duobus capitibus sequentibus*. Si autem fuerit in culpa, ut si seipsum mutilaverit, ut *ibidem* habetur, *Si quis absciderit*, cum tali vix dispensatur. Unde Nicolaus IV. cum difficultate magna dispensavit cum quodam tali, quamvis Religioso. Consimiliter est dicendum de infirmitate enormi, vel non enormi.

Et homicidæ.

Quartò, removentur homicidæ, & viri sanguinum, nec-non & suipsius, aut alterius hominis mutilatores, ut patet *extra de homicidio voluntario, & involuntario*, & dist. 55. cap. ultimô: *Et hoc*, inquit Doctor num. 10. *propter horrorem sanguinis effusi; unde etiam David non permisit Deus ædificare domum nomini suo multô sanguine effusô.*

XVIII. Tria sunt genera homicidii.

Ibidem autem Doctor tria distinguit genera homicidii, nempe voluntarii simpliciter, voluntarii secundùm quid, & voluntarii casualis. Voluntarium homicidium simpliciter, fit quando occasio intenditur in se, vel in sua causa proxima, & inevitabili mortis, putà cùm quis alium intendit occidere directè: vel etiamsi non concipiat occisionem inferendam directè, intendit tamen actionem, quæ per se est illativa mortis inevitabiliter, ut aliquem transfigere gladio, ex turri præcipitare, aut ei propinare venenum lethiferum; qui enim vult causam proximam, vult etiam effectum, quantùm est ex se. Hoc autem homicidium absolutè removet à suscipiendis Ordinibus, nisi, inquit Doctor, tollatur per Baptismum: quia non amplius habetur horrori jam novus homo factus per Baptismum. Vix etiam in eo dispensari debet à summo Pontifice, & non, nisi ex gravissimis, & urgentissimis causis; nam de hujusmodi homicidiis ita decernit Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. *Cùm qui per industriam occidere proximum suum, & per insidias, ab Altari avelli debeat; qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciariô probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullô tempore ad sacros Ordines promoveri possit.*

Si autem homicidium est voluntarium secundùm quid, seu, ut loquuntur Canonistæ, *ex necessitate*, censet Doctor authorem ipsius fore irregularem, ut probat ex dist. 50. cap. *De his*. Verùm hæc irregularitas sublata est per Clementinam *unicam de homicidiis*. Si autem homicidium est casuale, & qui illud commisit dedit operam rei licitæ, & habuit debitam diligentiam in præcavendo homicidio, nullam pœnam irregularitatis incurrit, inquit Doctor. Aut si aliquam incurrat, hæc facilè removeri potest per Ordinarium, ut decernit Concilium Trident. locô suprà laudatô; ubi addit: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur: quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & Altaris ministerium, & beneficia quæcunque, ac dignitates, jure quodammodò dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causâ cognitâ, & probatis testibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit.*

XIX. Bigami cur ab Ordinibus arceantur.

Quintò, ab Ordinibus removentur bigami: Bigamus enim, inquit Doctor dist. 33. quæst. 1. n. 2. sive ante Baptismum, sive post, est irregularis; sicut habetur expressè dist. 26. cap. 2. & cap. *Vna tantùm*. Porro duplicem hujus irregularitatis Doctor affert rationem: unam quidem congruitatis, aliam autem necessitatis. Congruum enim est, ut qui non potest repræsentare Christum unicum sponsum unius sponsæ Ecclesiæ, arceatur ab Ordinibus, maximè à Sacerdotio: *Sacerdos enim*, inquit Doctor num. 4. *tanquam Christi Vicarius in Ecclesia repræsentans personam Christi, non debet habere aliquid repugnans Christo, in comparatione Christi ad Ecclesiam, & è converso: nunc autem Christus est unicus sponsus unius Ecclesiæ, & Ecclesia est unica sponsa unici sponsi Christi: ergo habens oppositum hujus non rectè signat, vel repræsentat Christum in Ecclesia: sed bigamus, qui habuit duas, vel unam, quæ fuit duorum, habet aliquid repugnans isti conjunctioni, & Ecclesiæ: ergo, &c.*

Causam autem necessitatis, seu cur necessariò potius bigamus arceatur à suscipiendis Ordinibus, nec ejus irregularitas per Baptismum auferatur, sicut homicidæ, est, inquit Doctor *num.* 7. statutum Ecclesiæ volentis istam pœnam remitti, & non illam. Illa autem Ordinatio Ecclesiæ rationabilis est ex hoc, quòd iste homicida non est inhabilis ad Ordines, nisi propter horrorem sanguinis effusi, propter quem horrorem David fuit prohibitus ædificare templum Domino 2. Reg. cap. 7. iste autem horror tollitur in Baptismo, quia præsupponitur, quòd de lupo factus sit agnus: sicut & Paulus ante Baptismum persecutor, post Baptismum factus est ovis, & pastor. Cùm igitur in Baptismo cesset causa illius inhabilitatis, debet cessare etiam effectus: sed causa inhabilitatis in bigamo ad Ordines non cessat in Baptismo, quia semper permanet defectus Sacramenti, idest, significationis, quæ requiritur in Sacerdote repræsentante personam Christi, in comparatione ad Ecclesiam: ideo nec ibi tollitur effectus, nisi postea per specialem dispensationem.

Quantùm autem ad alias dispositiones prærequisitas in ordinandis, imprimis necessaria est bona fama, & intentio serviendi Ecclesiæ. Unde Trident. sess. 23. cap. 4. de reform. requirit, ut initiandus primâ Tonsurâ sciat rudimenta fidei, legere & scribere: & ut sit *probabilis conjectura eum non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstet, hoc vitæ genus elegisse.* Cap. verò 11. requirit, ut suscepturi minores Ordines saltem Latinam linguam intelligant, & ut scientiæ spes eos majoribus Ordinibus dignos futuros ostendat. Cap. verò 13. requirit, ut suscepturi Subdiaconatum, & Diaconatum habeant bonum testimonium, & sint in minoribus Ordinibus probati, & sint litteris, ac iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, & qui sperent se servaturos continentiam. Sed hi si sufficienter linguam Latinam intelligunt, alia quæ ad eorum officium prout jam illud exercent, spectant, vel ex ipsis Rubricis Missalis ac Breviarii possunt sufficienter discere. Cap. verò 14. pro initiandis Sacerdotiô requirit: *Primò*, ut habeant bonum testimonium. *Secundò*, ut possint populum docere, quæ necessaria sunt ad salutem, & sciant necessaria ad Sacramenta ritè ministranda.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Sacramento Matrimonij.

Quare Matrimonium ultimum locum inter Sacramenta obtineat.

SEPTIMUM ac postremum inter Sacramenta locum obtinet *Matrimonium*; non quòd cæteris efficacitate ac dignitate sit inferius: quippe cùm ubertimum gratiarum irriguum in conjuges ad illud debitè accedentes exundet: sed fortè quia ad ipsam hominum propagationem, nec-non & sanctificationem animorum simul ac corporum institutum, ac ordinatum esse videatur; cætera verò legis Evangelicæ Sacramenta in animorum duntaxat consecrationem directè collimant, ac collineant.

Unum tamen est aut alterum, in quibus hoc Sacramentum cæteris antecellit: est enim B præcipuorum Religionis, ac fidei Christianæ mysteriorum symbolum & repræsentatio: imprimis verò signum est castissimi fœderis, & unionis Dei cum anima, quam sibi per fidem desponsare Ozeas Propheta dixit, cui dotis nomine cœlestia charismata, atque ipsum donorum ac bonorum authorem Spiritum sanctum largitur. Est præterea magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia, & symbolum mystici illius conjugii, quô Christus D. sanguine suô mundatam Ecclesiam, ac divinis dotibus gloriosam sibi sponsam conjunxit. Significat insuper per intimam illam viri cum muliere conjunctionem, quâ utriusque fit una caro, eximiam & singularem unionem, quâ Verbum naturam humanam indissolubili vinculô sibi copulavit: quâ fit ut bonorum ac malorum sit hinc inde communio, quemadmodum inter conjuges omnia prorsus bona & mala in consortium veniunt.

Qualis & quanta sit illius dignitas.

Addit aliquid amplius Tertullianus libro de Monogamia cap. 2. cùm Matrimonium divinæ Trinitatis & unitatis adumbrationem esse dixit: *Unum*, inquit, *Matrimonium novimus sicut unum Deum*; nempe sicut in Deo unitas est in multiplicitate personarum, sic quodammodo in Matrimonio *erunt duo in carne una*, Genes. 2. Deus noster unus est & trinus; nec personarum trinitas unitati derogat, nec unitas essentiæ trinitatem impedit; sic in Matrimonio, *quos Deus conjunxit* (inquit eleganter Sanctus Chrysologus serm. 99.) *natura sociat, & facit Deus ut sit homo unus & duo, ac duo unus, & alter ipse homo; ne sit aut singularitas destituta, aut confusa conjunctio*. Vides duos in uno, singularitatem in ambobus, & dualitatem in unitate, quemadmodum in Deo Trinitas est personarum in unitate essentiæ.

Et quàm arcta esse debeat inter conjuges animorum & corporũ unio.

Nec certè miranda solùm est conjugum unitas in conjunctione corporum: sed longè præstantior apparet in individua animorum societate. Sapienter addubitat S. Augustinus lib. 5. de Genesi ad litteram, cap. 10. cur anima viri, afflatu Dei sit creata, & anima fœminæ architectata A dicatur; verùm dubium istud subtiliter solvit S. Basilius orat. 2. dum mulieris ex latere viri formationem sic delineat, *patitur corpus ut mentem coaptet, & natura una dissipatur arte formantis, ut una mens construatur ad imitationem naturæ*; itaque mulier portio viri est, nec carnem solam, sed etiam mentem cum eo videtur habere communem, ne anima aut mens dissipet quos eadẽ caro conjunxit. Cùm ergo tam individuæ sint caro & anima conjugum, nil mirum quòd nomen etiam commune videatur; ait namque Moyses Genes. 5. *Masculum & fœminam creavit eos, & vocavit nomen eorum Adam*: audis virum & mulierem appellari *Adam*: uterque dicitur homo, non homines ambo, quasi ambo non sint plures homines, sed unus homo.

Addere licet parùm fore eandem esse utriusque carnem, animam & appellationem nisi etiam ferè una esset sanctitas & justitia. *Sanctificari debet vir infidelis per mulierem fidelem. & mulier infidelis per virum fidelem*, ait Apostolus 1. Corinth. 7. cujus mentem explanans S. Anselmus ibidem ait, *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem quasi sanctitatis aspergine*: Hinc ubi S. Lucas de Zacharia & Elizabetha dixit, *erant ambo justi ante Deum*, sic commentatur S. Petrus Chrysologus serm. 91. *Ambo justi, quia ambobus erat una justitia*.

Quanquam autem tractatus de Matrimonio à C plurimis Theologis prætermitti soleat, quòd ad Jurisperitos, & Canonistas magis, quàm ad Theologos pertinere videatur; nihilominus ne quid desit subtilis Doctoris explicandæ & elucidandæ doctrinæ, eâ, quâ cæteras ejus Theologicas lucubrationes methodo delineavimus, præsentem de Matrimonio Disputationem explicandam auspicamur tribus in sequentibus Articulis, quorum primus erit de Matrimonio secundùm se: *Secundus* de sponsalibus seu dispositionibus prævijs ad ejus celebrationem. *Tertius* de ejusdem impedimentis. — Disputationis distributio.

D

ARTICULUS PRIMUS.

De Matrimonio secundùm se.

MATRIMONIUM generatim spectatum duplicem rationem obtinet, alteram quatenus est naturæ officium. Alteram quatenus est Ecclesiæ sacramentum. Priori modo consideratur ut est contractus civilis in officium, & debitam propagationem humanæ naturæ institutus; posteriori verò prout est Sacramentum à Christo D. institutum ad mutuam conjugum sanctificationem, quatenus filios sanctè, ac piè procreare & educare valeant: juxta quam utramque considerationem distinctæ occurrunt difficultates in hoc

Articulo proponendæ, & solvendæ, quarum *prima* aperiet quid sit Matrimonium secundùm se: *Secunda*, utrum sit verum novæ legis Sacramentum: *Tertia*, quæ sit ejus materia, forma, & Minister. *Quarta*, quomodo sit indissolubile.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Matrimonium generatim spectatum, & in quo præcisè ac formaliter consistat?

I. *Unde petatur Matrimonii nomen.*

NOtandum primò, contractum & conjunctionem viri cum muliere ad debitam & licitam filiorum procreationem & educationem, variis nominibus appellari: *Primò* namque dicitur *Matrimonium* à matre; quia, inquit S. Augustinus lib. 19. contra Faustum; *non ob aliud debet fœmina nubere, quàm ut mater fiat*: potius autem à Matre, quàm à Patre nuncupatur; quia, ut dicitur *cap.* 2. *de Conversione infidelium*, mater in prole suscipienda, & educanda plus operis, & oneris impendit; unde Canonistæ Matrimonium quasi *matris munium* interpretantur, eò quòd fœmina munus habeat educandi prolem, quam nonnisi per maximos dolores genuit, & parturivit. *Vel*, ut alii explicant, Matrimonium dicitur, quasi *Matrem muniens*; quia per contractum matrimonialem uxor virum obtinet in sui munimentum, tutelam, ac defensionem.

Appellatur etiam *Conjugium* à conjunctione, eò quòd diversi sexûs personæ sub eodem veluti jugo perpetuæ societatis, & confœderationis in omnibus conjunguntur. Vocatur etiam *Connubium*, vel *Nuptiæ*; quia mulier per illud sub viri potestate constituitur, & quasi velô obnubitur: unde in solemnitate desponsationis conjuges velamine teguntur, dum benedictionem nuptialem accipiunt; quam utique cæremoniam nonnulli colligunt ex cap. 20. Genesis ubi legimus, quòd cùm Abimelech Saram, quam existimabat Abrahæ sororem, sibi in uxorem duxisset, propter quod à Deo correptus, eam Abrahæ uxorem agnoscens, marito suo reddidit: *Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes, qui tecum sunt, & quocumque perrexeris, memento te deprehensam.* Ex quibus colligere licet, Saram antea solutis crinibus, & apertâ facie more Virginum incedere solitam: quare, ut non amplius Virgo, sed uxor appareret, pecuniam ejus viro dedit Abimelech ad emendum velamen quô ipsa more mulierum cooperiretur, ne aliquis alius ipsam ut Abrahæ sororem existimans, in uxorem sibi vellet assumere.

II. *Tria sunt in Matrimonio distinguenda ex subtili Doctore.*

Notandum secundò ex subtili Doctore *dist.* 26. *num.* 16. Matrimonium tripliciter accipi posse: *Primò* quidem pro vinculo, quô invicem conjuges constringuntur, quodque nihil aliud est, quàm relatio mutuæ obligationis, seu dominii, & servitutis, quâ hinc inde corpora traduntur, & uterque conjugum potestatem habet in corpus alterius in ordine ad finem contractûs Matrimonialis. *Secundò*, sumitur Matrimonium pro ipso contractu in fieri, ex quo vinculum illud exurgit tanquam ejus effectus. *Tertiò* tandem, sumitur pro Sacramento, seu signo sensibili causante gratiam; seu, ut loquitur Doctor *ibidem*, aliud est Matrimonium, & aliud contractus Matrimonii, & aliud Sacramentum Matrimonii. Matrimonium est illa obligatio mutua, vel vinculum illud, de quo dictum est in prima conclusione principali. Contractus autem est ille actus mutuus voluntatum, de quo dictum est in secunda conclusione principali. Sacramentum est signum efficax gratiæ concomitans actum illum; de quo Sacramento dictum est in tertia conclusione principali. Et patet distinctio istorum per se. *Primum* enim est permanens in animabus conjugum, & est relatio tantùm realis extrinsecùs adveniens: vel quod verius videtur, relatio rationis, quia nihil est ibi, nisi dominium novum, & nova servitus per novam commutationem: sed dominium tale, vel servitus nihil reale ponit in domino, vel servo. *Secundum* etiam tantùm est in *fieri*, & est actio, vel passio interior, vel exterior: vel magis constans ex actibus interioribus, & exterioribus duarum personarum: & habet se istud ad Matrimonium primô modô dictum, sicut causa in *fieri*, quemadmodum generatio ad paternitatem; vel magis, sicut baptizari, vel ordinari ad characterem, sicut patet suprà. *Tertium* autem simpliciter est in *fieri*, & simul est, & non est cum primo, & ideo non semper manet cum secundo. *Ita Doctor.*

Vel septem ut volunt alii.

Alii verò Theologi in Matrimonio septem distincta considerant; *Primò* quidem contrahentium consensum: *Secundo* externum contractum, sive signa, quibus internus contractus exprimitur: *Tertiò* mutuam corporum traditionem per eum contractum internum, & externum expressam: *Quartò* vinculum quoddam ex illo utroque contractu ortum ducens, quô invicem conjuges constringuntur; ita ut neuter alteri vivente suâ comparte possit nubere: *Quintò* jus cujusque conjugum in alterum: *Sextò* obligationem mutuam ad reddendum debitum: *Postremò* usum, & consummationem Matrimonii. Quæritur autem in quonam ex his præcisè ac formaliter ratio Matrimonii consistat.

III. *Triplex distingui potest Matrimonium.*

Notandum tertiò, Matrimonium tripliciter considerari posse, seu triplex distingui, nempe legitimum, ratum, & consummatum: *Legitimum* dicitur, quod legitimô tantùm consensu contrahitur, quale fuit in lege naturæ, & Mosayca, quale pariter illud, quod initur inter infideles, quod cùm non sit Sacramentum, & per conversionem alterius conjugis ad fidem possit dissolvi, dicitur non esse ratum, quia non habet illam tantam insolubilitatem, quam habet illud, quod est verum Sacramentum: *Ratum* igitur dicitur, quando præter rationem contractûs, ad mutuam corporum traditionem ordinati, habet etiam Sacramenti dignitatem, & efficacitatem; nondum tamen est copulâ carnali consummatum. *Tertiò* tandem *Matrimonium consummatum* dicitur, quod jam mutuâ conjugum carnali copulâ perfectum est. Porrò hac in quæstione duntaxat sermo est de Matrimonio priori modô accepto, de quo præcipuè duo sunt statuenda: *Primum*, utrum Matrimonium sit res bona, & licita: *Secundum*, in quo consistat ejus ratio formalis.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. *Matrimonium est res bona & honesta.*

MATRIMONIUM *est res bona & licita*: Hæc est de fide contra varios antiquiores hæreticos, qui Matrimonium tanquam rem turpem, & à dæmone suggestam respuebant. Probatur primò ex Joan. 2. ubi Dominus factô suô & exemplô manifestè probavit bonum esse, & licitum usum, & institutum nuptiarum: quippe cùm cas

suâ, ac Deiparæ Matris, & Discipulorum præsentiâ, nec-non & primò miraculorum suorum cohonestare voluerit. Idipsum clarissimè testatur Apostolus 1. Cor. 7. *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem: & si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupseris virgo, non peccavit.* Et iterum: *Quod vult faciat, non peccat, si nubat.* Ac demum illud apertam nuptiarum commendationem continens: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit.* Et illud Hebr. 13 *Honorabile conjugium in omnibus, & torus immaculatus.* Idem Apostolus *Ephes.* 5. in tantùm extollit nuptias, ut in iis agnoscat *magnum Sacramentum*, quòd est in Christo, & Ecclesia. De quo infrà agetur. Et 1. *Timoth.* 2. de muliere dicit, quòd salvabitur per filiorum generationem, videlicet in statu conjugali.

Ut significat Scriptura sacra.

Eandem veritatem probat Doctor *dist.* 16. quadruplici ratione: *Primò* quidem, quòd marem & fœminam indissolubiliter jungi ad procreandam prolem, religiosèque educandam, sit actus honestus ex circumstantia finis, nec-non & boni prolis, familiæ, ac civitatis: Nam, inquit *num.* 5. vaga conjunctio est contra bonum prolis, quod est finis hîc intentus, nec-non & contra bonum familiæ, & contra bonum civitatis. *Primum* probatur, quia proles non religiosè educaretur, tum ex parte parentum; quia non haberent determinatam notitiam suæ prolis, saltem pater; & ita non esset sollicitus suæ proli debitam impendere disciplinam: nec è converso proles patri debitam reverentiam, & timorem filialem, propter quem timorem filius magis obedit Patri, & magis ab eo disciplinam recipit, quàm ab alio.

Et quadruplici ratione probat Doctor.

Secundum probatur, quia bonum familiæ consistit in aliqua firma adhæsione principalium personarum familiæ, aliàs esset bonum vagum: & propter hoc dicit Philosophus 8. *Ethic* quòd homo naturaliter est animal conjugale, & domesticum. Nec etiam aliquæ personæ diligentiam adhiberent circa necessaria sibi mutuò, & proli: ergo, &c.

1. Quia conducit ad bonũ prolis, familiæ,

Tertium probatur; quia amicitia civium ut plurimùm est ex determinata propinquitate in certo gradu: sed ibi nulla esset propinquitas nova certa, quæ esset causa amicitiæ: ideo propter ista rectè reprehendit Aristoteles politiam Socratis 3. Polit. quia pro statu naturæ lapsæ, multò melior est illa, quam ipse ordinat, & pro omni statu fuisset contra rectam rationem vaga conjunctio maris cum fœmina. Ista etiam circunstantia satis patet ex creditis per Scripturam sacram: nam Genes. 2. dicitur: *Erunt duo in carne una.* Et Christus idem dicit Matth. 19. & Apostolus 1. Corinth. 7. *Unusquisque suam uxorem habeat, propter vitandam fornicationem.* Et esto quòd ista determinatio non probaretur per rationem naturalem esse simpliciter necessariam, ita quòd ejus oppositum repugnat manifestè rationi naturali, saltem hæc affirmativa satis patet secundùm rationem naturalem, scilicet, *quòd honestum est personas sibi invicem esse determinatas ad actum istum.* Sequitur alia circunstantia, scilicet, quòd *personas istas sibi invicem ad istum finem vinculo indissolubili obligari, honestum est.* Hæc probatur ex præcedenti, quia determinatio ad commorandum, & mutuò serviendum, valet ad debitam prolis educationem, & ad bonum familiæ, & civitatis, multò magis, ad hoc valet perpetua adhæsio determinatarum personarum ad invicem: non autem perpetuò adhærerent sibi, propter multas occasiones, & displicentias occurrentes, nisi ad talem adhæsionem essent sibi invicem vinculô indissolubili obligatæ.

Et civitatis seu Reipublicæ.

Probat secundò Doctor ex eo, quòd honestum sit, marem & fœminam sibi mutuò voluntariè tradere potestatem suorum corporum pro usu perpetuo, ad debitè procreandam prolem, & religiosè educandam; quod utique duobus momentis demonstrat: *Primò*, quòd hæc traditio debeat esse voluntaria, & per mutuum consensum: Quia, *inquit*, cùm hic contractus debet esse indissolubilis, convenientius est, ut fiat ex mutua contrahentium voluntate, quàm ex impositione, & mandato alicujus legislatoris; quia ex quo obligatio debet esse indissolubilis, expedit quòd modus, quô fit, sit conveniens indissolubilitati ejus: sed si cogerentur à Legislatore sibi invicem conjungi, minùs placerent sibi mutuò, & ita esset major occasio dissensionis futuræ: quia sic dicitur 20. quæst. 3. *Præsens, quod quis non eligit, profectò non diligit: quod autem non diligit, facilè contemnit.*

2. Quia honestum est marem cum fœmina voluntariè contrahere.

Quòd autem hæc donatio fieri debeat per contractum mutuæ donationis, sic probat: Contractus, *inquit*, est quasi simul tractus duarum voluntatum: & per consequens necessariò requirit actus voluntatum concordes in translatione mutua corporum, sicut in permutationibus, & conditionibus communiter accidit. Nec hoc sufficit, sed oportet istos actus per aliqua certa signa mutuò exprimi: alioqin neutri constaret de actu voluntatis alterius: & neuter vult transferre, nisi pro quanto concipit alium velle in ipsum transferre. Si ergo ex præcedenti conclusione expedit illos obligari per proprias voluntates, & non sine signis expressis: ergo expedit ibi esse contractum, ex quo nascitur illa obligatio: sed contractus ille non potest esse, nisi mutuæ donationis, vel permutationis (quod idem est) potestatis corporum pro usu perpetuo ad istum finem: nam potestatem sui corporis, quæ sua est, nullus transfert in alium, nisi per actum voluntatis suæ; quia per illum fit dominus, & desinit esse dominus, & sic facit alium dominum; & per consequens illud, quod alius acquirit in corpore alterius, transfertur in ipsum per actum voluntatis liberè transferentis, & hoc cum signo extrinseco evidenti, in quo habetur ratio contractûs prædicti. Forma istius contractûs est: *Do, si des, vel, do, ut des.*

Probat tertiò Doctor num 9. ex eo quòd Deus mutuam illam traditionem corporum approbaverit; imò etiam præceperit. Quòd approbare debuerit, probat *num.* 10. hâc ratione: Nullus, *inquit*, potest rem alterius dominii alteri obligare, nisi de consensu, vel approbatione illius, cujus est; sed corpus cujuscunque est Dei, jure creationis: ergo nullus potest transferre illud in dominium alterius, nisi inquantùm Deus approbat: ergo si translatio est honesta ad istum finem, ut patet ex prima, & secunda conclusione principali, sequitur, quòd congruum est Deum istam translationem corporum approbare.

3. Quia Deus hunc contractum approbavit.

Quòd autem etiam præcipere debuerit, ibidem demonstrat: Quia, *inquit num.* 9. nulli obligarent se communi obligatione, saltem difficili, nisi ad hoc esset aliquid adstringens, vel sicut lex naturæ, vel sicut lex positiva divina, vel humana. Lex enim naturæ, etsi obliget ad indissolubilitatem vinculi prædicti, præmissô tali contractu; tamen non lex naturæ evidentissima, sed secundò modò dicta: illud autem, quod non erit de lege

„ naturæ, nisi secundò modò, non est omnibus „ manifestum: ergo expedit necessitatem illius præ„ cepti à lege positiva divina determinari. *Ita Do„ ctor.*

Et præcepit.

Quibus verbis duo significat: *Primum*, quòd, ut dixerat *num.* 7. lex naturæ sumitur duobus modis: Nam, *inquit*, propriissimè de lege naturæ est „ principium practicum, per se notum, & conclu„ sio demonstrativè descendens ex tali principio: „ secundariò autem de lege naturæ est, verum evi„ denter consonum talibus principiis, & conclu„ sionibus, licèt non necessariò sequens. *Secundum*, quòd lex naturæ hôc solô posteriori modô acce„ pta obliget ad indissolubilitatem vinculi Matri„ monii: Addit *num.* 9. Esto etiam, quòd ad hoc „ obligaret præceptum legis naturæ primô modô „ dictæ, putà principium practicum manifestum, „ vel conclusio, adhuc expediret ponere ad hoc „ præceptum divinum; quia minùs obediunt homi„ nes soli legi naturæ, quàm Deo præcipienti: quia „ minùs timent, & reverentur conscientias pro„ prias, quàm authoritatem divinam. Nec expedit „ determinationem istam primò modò fieri à lege „ positiva humana; quia leges positivæ humanæ va„ riæ sunt apud diversos: ista autem indissolubili„ tas debet esse uniformis apud omnes.

4. Quia illud instituit.

Tandem concludit Doctor *num* 18. Matrimonium fuisse à Deo præceptum, & institutum Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis*; &, *Crescite, & multiplicamini*. Et post lapsum Genes. 3. *Multiplicabo conceptus tuos, & ærumnas*, dixit Dominus Evæ. Et Genes. 9. *Crescite, & multiplicamini*. Et est institutio per modum præcepti affirmativi, ita quòd obligat semper: sed non ad semper, sed tempore necessitatis: non tantùm in principio, sed adhuc videtur eôdem modô obligare, si paucitas in filiis ex aliqua causa accideret, putà ex bello, peste, vel elade, & hujusmodi. Ex hoc probat quomodò iste contractus est à Deo per legem positivam divinam institutus: & etiam aliter est ab ipso, scilicet ut imprimente legem naturæ cordibus hominum: de qua lege naturæ est iste contractus, licèt non primò, nec ut necessarium notum, tamen ut secundariò consonum. *Ita Doctor.*

Dices: Matrimonium hominem revocat à cœtu cœlesti, & gloria æterna consequenda, juxta illud Lucæ 14. *Vxorem duxi, ideo non possum venire.* Deinde Apostolus ad Rom. 8. ait: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Quem utique textum S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum intelligit de iis, qui carnali vinculô Matrimonii constricti sunt. *Denique* Matrimonium saltem post lapsum videtur res inhonesta; tum ex turpitudine, quæ necessariò actui ejus conjungitur; tum ex Apostolo, qui 1. Corinth. 7. exhortans ad continentiam, dicit, se hortari ad id, quod honestum est. Ex quo apparet Matrimonium Apostolo non esse honestum; ac subinde nulla est præfata assertio.

Nego consequentiam, & ad primum antecedens dico, his parabolæ verbis significari quidem impedimenta, quibus conjugati sæpè abstrahuntur à rerum divinarum cogitatione. Nam, ut ait Apostolus 1. Corinth. 7. *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Quod tamen non fit vitiô conjugii, quod per se sanctum est, sed culpâ hominum, qui carnaliter se mutuò amant, quem carnalem amorem introduxit transgressio primorum parentum.

A *Ad secundum dico*, Apostolum illis verbis significare eos, qui vivunt secundùm carnem, non autem secundùm spiritum: sanctus Hieronymus autem suo instituto sententiam Apostoli accommodans, non aliud vult, quàm conjuges, dum carnali operi vacant, non posse simul vacare orationi, & rebus divinis. Id, quod etiam Apostolus significat 1. Corinth. 7. monens conjuges, ne fraudent invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacent orationi.

Ad tertium denique dico, Matrimonium secundùm se, & ex sua institutione, ac proprio fine semper honestum & sanctum esse, etiam post lapsum: Accidit autem ex peccato, ut actui ejus conjuncta semper sit turpitudo libidinis, quæ tamen in ipsum Matrimonium non redundat, nisi B fortè ex mala contrahentis intentione. Sensus autem Apostoli est, eum hortari ad id, quod honestius est & melius, quodque facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, id est, ad statum continentiæ. Nam, ut paulò post subjicit: *Qui non jungit virginem suam Matrimonio, melius facit.* Quam utique solutionem approbat S. Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 8. ubi ait: *Nuptiarum bonum semper quidem bonum: sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam verò humanitatis solatium. Filiorum quippe procreationi operam dare non caninô more per usum promiscuum* C *fœminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus, & ipsum tamen laudabiliùs transcendit, & vincit cœlestia cogitans animus Christianus.*

Nota;

IV. Ejus ratio formalis consistit in vinculo.

Ex his apparet virum & mulierem in vicem honestè Matrimoniô posse copulari variis de causis, quas luculenter explicat Catechismus Romanus de Matrimonio, *num.* 15. his verbis.

Matrimonium fieri potest variis de causis,

Prima est, hæc ipsa diversi sexûs naturæ instinctu expetita societas, mutui auxilii spe conciliata: ut alter alterius ope adjutus, vitæ incommoda faciliùs ferre, & senectutis imbecillitatem sustentare queat. *Altera* est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum, & divitiarum hæredes relinquantur, quàm ut D veræ fidei, & Religionis cultores educentur: quod quidem maximè sanctis illis Patriarchis, cùm uxores ducerent, propositum fuisse ex sacris litteris satis apparet. Quare Angelus cùm Tobiam admoneret, quô pactô mali dæmonis vim posset repellere: Ostendam, *inquit*, tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium; ii namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. Deinde subjecit: Accipies Virginem cum E timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus: ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequatis. Atque una etiam hæc causa fuit, cur Deus ab initio Matrimonium instituerit; quare fit, ut illorum sit scelus gravissimum, qui Matrimoniô juncti, medicamentis vel conceptum impediunt, vel partum abigunt; hæc enim homicidarum impia conspiratio existimanda est. *Tertia est*, quæ post primi parentis lapsum ad alias causas accessit: cùm propter justitiæ, in qua homo conditus erat, amissionem, appetitus rectæ rationi repugnare cœpit: ut scilicet, qui sibi imbecillitatis suæ conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, Matrimonii remediô ad vitanda libidinis peccata utatur; de quo

1. Quia hoc perseverat.

2. Quia significat unionem Christi cum Ecclesia.

ita

ita Apostolus scribit : *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum habeat.* Ac paulò pòst, cùm docuisset, interdum orationis causâ à Matrimonii debito abstinendum esse, subjecit : *Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Hæ igitur sunt causæ, quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui piè & religiosè, ut Sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Quòd si ad eas causas aliæ etiam accedant, quibus homines inducti Matrimonia ineant, atque in habendo uxoris delectu, hanc illi præponant, ut hæredis relinquendi desiderium, divitiæ, forma, gentis splendor, morum similitudo; hujusmodi sanè rationes damnandæ non sunt, cùm Matrimonii sanctitati non repugnent : neque enim in sacris litteris Jacob Patriarcha reprehenditur, quòd Rachelem, ejus pulchritudine illectus, Liæ prætulerit. *Ita Catechismus.*

Conclusio Secunda.

IV. Ejus ratio formalis consistit in vinculo.

Matrimonium formaliter & præcisè consistit in mutuo conjugum vinculo.* Hæc est conformior menti Doctoris, imò etiam & doctrinæ Concilii Tridentini; nam sess. 24. cap. 1. de reformatione, & sequentibus, Matrimonium sumit pro ipso vinculo, quô invicem conjuges constringuntur. Eam pariter sententiam tuetur S Thomas in 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 2.. Et probatur primò : In eo formaliter consistit Matrimonium, quô positô, illud ipsum ponitur, & quô ablatô, tollitur : sed positô vinculô illô, quô utriusque conjugis animi conjunguntur, ponitur Matrimonium, & eô sublatô aufertur; ergo Matrimonii essentia in ejusmodi vinculo consistit. Major patet ex communi axiomate, quô utuntur Philosophi ad inquirendas rerum essentias. Minor verò probatur; *Tum, quia* Matrimonium est constans, ac perpetua juris ac dominii utriusque conjugis in alterutrum possessio : nam, ut dicit Apostolus 1.Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quantô tempore vir ejus vivit.... & mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir : neque vir habet sui corporis potestatem, sed mulier :* sed nihil est in Matrimonio permanens præter ipsum vinculum, ut constat ex discussione singulorum, quæ in Matrimonio reperiuntur; cætera namque consistunt in actionibus transeuntibus, & quibus ablatis non minùs verum Matrimonium perseverat, ut singula discutienti facilè parebit. *Tum, quia* id habet veram & formalem rationem Matrimonii, quod repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut docet Apostolus ad Ephesios 5. ubi eùm dixisset : *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, &c.* statim subdit. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Sed solum vinculum insolubile conjugatorum exprimit & significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut docet S. Augustinus lib. de bono conjugali, cap. 7. 18. &c. ubi ideo ait, tam esse insolubile vinculum Matrimonii inter fideles, cùm priùs non esset tam arctum; quia est Sacramentum insolubile conjunctionis Christi cum Ecclesia : igitur, &c.

1. Quia hoc perseverat.

2. Quia significat unionem Christi cũ Ecclesia.

Tum denique, quia vinculum Matrimonii quædam præcedunt, quædam autem subsequuntur: sed neque præcedentia, neque consequentia sunt ipsa ratio formalis Matrimonii; quia illis positis per impossibile vel possibile, sine vinculo non esset verum Matrimonium : Nam consequentia vinculum, sunt jus exigendi, & obligatio reddendi debitum, & ipse usus Matrimonii. At non modò usus Matrimonii, sed etiam jus petendi, & obligatio reddendi debitũ, possunt tolli per solemnem professionem alterius consentiente alterâ parte; vel utriusque, vel per votum simplex; aut utriusque, aut alterius de consensu conjugis; aut per divortium, & separationem tori legitimam, ad servandam castitatem ambobus conspirantibus; aut per morbum perpetuum, vel fornicationem alterius : ergo in his non consistit essentia Matrimonii. Præcedentia verò vinculum, sunt mutuus consensus, contractus exterior, & traditio corporum: Sed consensus, & contractus possunt esse aliquando sine vinculo, & Matrimonio, cùm vel alter, vel uterque contrahentium est inhabilis ad contrahendum ex impedimento dirimente. Traditio verò corporum, etsi non potest esse vera, & realis sine vero vinculo, eam partim antecedente, partim immediatè sequente; tamen traditio desinit, transactô actu reddendi, Matrimonium autem non desinit usque ad mortem alterius conjugis.

3. Quia cætera possunt abesse remanente vero Matrimonio.

Confirmatur, & magis explicatur præcedens ratio. Si Matrimonium essentialiter in alio quàm in vinculo consisteret, maximè vel in consensu & contractu, vel in aliis jam dictis : at in neutro horum consistit. Non quidem in utriusque conjugis consensu, sive actu contrahendi : *Tum, quia* Concilium Florentinum in decreto unionis Armenorum, apertè significat, consensum illum esse causam efficientem Matrimonii : *Causa efficiens*, inquit, *Matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus* ; subindeque talis consensus non importat rationem formalem Matrimonii; causa enim formalis intrinseca est, efficiens verò prorsus extrinseca, & præsupponitur ad suum effectum : igitur Matrimonium est quidpiam distinctum, & posterius mutuô consensu internô, & externô contractu; quippe cùm nihil sit causa efficiens sui ipsius, Tum etiam, quia hujusmodi actus, nempe mutuus consensus utriusque conjugis, & actualis traditio suorum corporum, deficiunt, & prætereunt, Matrimoniô perseverante, ut effectu à causa realiter distinctô.

Nec valet reponere, quòd licèt actualis consensus transierit; tamen virtualiter, ac moraliter perseverat consensus habitualis, in quo Matrimonium consistit. Hoc, inquam, non obstat, tametsi enim conjuges primum suum consensum retractent; nihilominus in eos Matrimonium perseverat, cùm tamen in eis non permaneat habitualis consensus, utpote qui per subsequentem dissensum revocatus sit.

Neque etiam ratio formalis Matrimonii consistit in mutuo jure unius utriusque conjugis in alterum, nec in mutua obligatione ad reddendum debitum, multò minùs in ipsa Matrimonii consummatione: *Tum, quia* tale jus & obligatio cessant, vel per alterius conjugis adulterium, vel per ingressum in Religionem ex mutuo consensu, manente tamen Matrimonii consummati vinculô: *Tum, quia* multi ex communi consensu abstinuerunt à carnali copula, qui nihilominus fuerunt veri conjuges, ut S. Elzearius cum sancta Delphina, & S. Henricus Imperator, qui in conjugio perpetuam virginitatem servavit : *Tum denique*, quia beatissima Virgo verum contraxit Matrimonium cum S. Josepho, ipsius virginitatis gloriâ permanente: igitur à sufficienti enumeratione partium,

exclusis cæteris, superest, ut Matrimonium ipsum consistat in illo vinculo, quô formaliter conjuges summâ necessitudine invicem astringuntur. Cùm autem duplex sit illud vinculum, alterum spirituale, quod ex solo consensu oritur: alterum carnale, quod provenit ex copula, quod ad prius confertur, illudque corroborat, atque confirmat, & unum cum eo efficitur; consequens est quòd in hoc perfecto, & consummato vinculo posita sit omnis Sacramenti vis, & ratio formalis.

Duplex est illud vinculum.

Dices primò: Nullum ex Sacramentis novæ legis, præter Eucharistiam, consistit in esse permanenti, sed duntaxat in actione transeunte: igitur Matrimonium non consistit in vinculo maritali, resultante ex mutuo conjugum consensu, & ad alterutrius mortem perseverante.

V. *Unde Sacramentũ & res Sacramenti Matrimonii consistunt in esse permanente?*

Distingue antecedens: Quoad fieri concedo: quoad factum esse, nego. Fateor equidem, quòd Matrimonium, quantùm ad causam efficientem, seu in fieri, sit in aliquo transeunte, nimirum in mutuo consensu conjugum; attamen si spectetur ejus quidditas, & ratio formalis, quantùm ad id, quod est res, & Sacramentum simul, illud consistit in aliquo perseverante, & permanente, scilicet in vinculo ex mutuo conjugum consensu oriundo. Unde etiam hâc ratione negari potest antecedens.

Dices secundò: Sacramentum est formaliter aliquod signum sensibile: sed vinculum illud inter conjuges perseverans non est quid sensibile: igitur ratio formalis Matrimonii in ipso vinculo non consistit.

VI. *Qualiter Sacramentum necessariò debeat esse quid sensibile.*

Distinguo majorem: Quatenus est Sacramentum duntaxat, concedo: quatenus est Sacramentum, & res Sacramenti simul, nego: non enim necessum est, quòd id quod est res Sacramenti simul, & Sacramentum, sit aliquid sensibile per se; alioqui adorandum Christi D. corpus in Eucharistia, non haberet veram & perfectam rationem Sacramenti, sed sufficit, quòd fuerit sensibile in sua causa; quâ ratione Matrimonium dici potest signum sensibile, quia verba, seu nutus, exprimentia consensum internum, sunt sensibilia, & causæ prædictæ unionis, seu vinculi conjugalis.

Dices tertiò: In eo præcisè consistit Matrimonii ratio formalis & essentialis, quod assumitur à Deo tanquam instrumentum ad causandam gratiam sanctificantem conjuges: sed vinculum illud conjugale non assumitur ad talem gratiam causandam; cùm enim semper perseveret, sequeretur quòd ad ejus præsentiam Deus continuò gratiam in animas conjugum produceret: igitur, &c.

Respondeo ad majorem, id quidem verum esse de signo sensibili, quod habet duntaxat rationem Sacramenti; non autem de eo, quod est res, & Sacramentum simul: nec enim necessum est, quòd Sacramenta concurrant ad productionem gratiæ per suam quidditatem, seu per id, quod est res, & Sacramentum simul, seu in facto esse: sed sufficit, quòd illam conferant per suam causam efficientem, super id quod habet tantùm rationem Sacramenti; ac subinde sufficit, quòd in Matrimonio mutuus conjugum consensus, qui est causa efficiens illius Matrimonii, & habet tantùm rationem Sacramenti, assumatur ad causandam gratiam in animis conjugum; maximè cùm, ut diximus, Sacramenta novæ legis non concurrant ad productionem gratiæ physicè, sed tantùm moraliter.

VII. *Traditur*

Ex his collige, Matrimonium generatim sumptum rectè definiri à Jurisconsultis, & Canonistis post Alexandrum tertium, cap. *Illud de præsumptionibus: Matrimonium est maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens;* vel, ut ait Magister in 4. dist. 27. cap. 1. *Matrimonium est viri, mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Dicitur autem, *viri, mulierisque conjunctio,* ad differentiam conjunctionis militum sub uno Duce, & subditorum sub uno Principe. Additur, *Maritalis,* quia cùm Matrimonium ordinetur ad prolem gignendam, necessum est, quòd illa conjunctio fiat inter marem & fœminam. Sequitur, *inter legitimas personas,* hoc est, non habentes impedimentum dirimens; non enim omnis vir cum qualibet fœmina potest Matrimonium contrahere; maximè si alteruter sit impotens ad generandum. Cætera adduntur, ad exprimendum finem Matrimonii cujus proprium est, ut referatur ad genus propagandum, atque ad hoc præstandum, ut ejus vinculum minimè cæterorum contractuum more dissolvatur.

& expenditur triplex definitio Matrimonii.

I. *Quinam hæretici Matrimonii sacramentũ impugnaverint.*

Aliam non multùm absimilem, nec minùs perspicuam Matrimonii *in facto esse* definitionem tradit Doctor *dist. 26. n. 17.* his verbis: Matrimonium *est vinculum indissolubile inter marem, & fœminam, ex mutua translatione potestatis corporum suorum sibi invicem facta ad procreandam prolem debitè educandam.* Quæ definitio optima est, quia datur per causam formalem, dum dicitur, *vinculum indissolubile;* per materialem, dum dicitur, *inter marem & fœminam;* per efficientem, dum dicitur, *ex mutua translatione,* & tandem per finalem, dum additur, *ad procreandam prolem:* ideoque exacta, & completa est definitio, velut data per omnia quatuor causarum genera. Itaque essentia Matrimonii, ut est quid permanens, consistit in vinculo illo perpetuæ obligationis, seu juris dominii mutui inter marem & fœminam, quod ex contractu translationis ortum est, & mutua corporum traditione; unde quando dicimus essentiam Matrimonii hôc modô sumpti consistere in ratione vinculi, idem est ac dicere, quòd consistit in ratione perpetui juris utriusque conjugis in alterutrum, quod vice versâ in utroque perpetuam importat subjectionem, & ligamen.

Si verò consideretur Matrimonium *in fieri,* seu quatenus est contractus, rectè pariter à Doctore definitur, his verbis: *Contractus Matrimonii, est maris & fœminæ mutua translatio corporum suorum, pro usu perpetuo, ad procreandam prolem debitè educandam.* Quæ pariter definitio optima est, quatenus Matrimonium consideratur in fieri; quippe per eam contractus matrimonialis à quovis alio distinguitur. Dicitur namque *translatio,* in quo tanquam in genere convenit cum quocunque alio contractu, & distinguitur à quocunque quod non est contractus; quilibet enim contractus fundatur in *do ut des:* mutua autem translatio explicat hanc mutuam dationem omni contractui communem. *Corporum suorum* designat materiam hujus contractûs, ut à cæteris secernitur; *maris & fœminæ* personas contrahentes significat, quia alii non sunt capaces hujusmodi contractûs; reliquæ tandem particulæ usum & finem hujus contractûs explicant: ergo hæc definitio est bona, quia translatio tenet locum generis, ea autem quæ transferuntur dictô modô, scilicet pro usu perpetuo, & ad prædictum finem, scilicet, ad procreandam prolem, sunt differentiæ translationis eam contrahentes

ad hanc speciem contractûs. *Tertiò* definit quatenus est Sacramentum, *Sacramentum matrimonii, est expressio certorum verborum maris & fœminæ ad se invicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debitè procreandam, ex institutione divinâ efficaciter significans gratiam conferendam, mutuò contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam.* Quæ definitio patebit ex dicendis.

Quæstio Secunda.

Utrum & quando Matrimonium habuerit dignitatem, & efficacitatem Sacramenti.

I. Quinam hæretici Matrimonii sacramentū impugnaverint.

NOtandum primò, omnes Catholicos ultrò consentire, quòd Christus D. Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerit, relictâ prorsus intactâ ejus naturâ; unde eædem causæ, quæ constituunt Matrimonium, quatenus est homini quid naturale, hoc est, ex naturali inclinatione proveniens, illæ ipsæ constituunt Sacramentum. *Verùm* reclamant omnes illi, qui nuptias à dæmone & minimè licitas esse dixerunt, quibus facem præbuit *Saturninus* Simonis Magi discipulus; qui, ut docet S. Irenæus lib. 1. contra hæreses cap. 21. & 22. & Augustinus, lib. de hæresibus, cap. 1. suadebat hominibus vagum concubitum, dicens Matrimonium non à Deo, sed à diabolo esse invectum. Cujus errorem innovavit *Tatianus*, ut scribit idem S. Irenæus cap. 39. nec-non & *Adamiani*, qui teste S. Justinô hæresi 31. aversabantur nuptias, asserentes non futurum usum nuptiarum in statu innocentiæ, eò quòd Adamus antequam peccasset, & ejectus esset de Paradiso, non cognovisset uxorem suam. Eundem errorem tribuit S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum *Marcionistis*, & *Manichæis*; licèt enim Manichæi nuptiis uterentur, docebant tamen vitandam esse generationem, ne, inquiebant, divina substantia, hoc est, anima corpori alligaretur; ac proinde damnabant verum usum nuptiarum, quæ ordinantur ad debitam filiorum procreationem, & educationem. Hi, *inquam*, antiquiores hæretici, ex falso suo principio, & erronea de Matrimonio doctrina, etiam negare debuerunt, esse Sacramentum gratiæ à Christo institutum.

At hanc eandem Catholicam veritatem hisce posterioribus sæculis apertè impugnaverunt *Lutherus* lib. de captivit. Babylonica cap. de Matrimonio; & *Calvinus* lib. 4. Institutionum cap. 19. num. 34. & sequentibus, ubi postquam pluribus verbis impugnavit Catholicam de Sacramento Matrimonii doctrinam, concludit num. 37. *Igitur ne simpliciter Ecclesiam luderet, quàm longam errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum seriem uni errori attexuerunt? ut dicat nihil aliud, quàm abominationum latebram quæsisse, dum è Matrimonio sacramentum fecerunt.* His aliqua ex parte consentire videtur Durandus in 4. dist. 26. quæst. 3. ubi quamvis dicat hæresim manifestam esse, negare Matrimonium esse Sacramentum, quia id definitum est in capite *Ad abolendam* de hæreticis: affirmat tamen esse æquivocè Sacramentum cum aliis sex, eò quòd non conferat gratiam suscipientibus, & ita non sit signum gratiæ sanctificantis, sed habeat duntaxat rationem Sacramenti, quatenus est signum rei sacræ, videlicet conjunctionis Christi cum Ecclesia. Itaque nobis incumbit hac in quæstione probare, Matrimonium habere veram & perfectam rationem Sacramenti.

II. Matrimonium considerari potest in triplici statu.

Notandum secundò, quòd cùm Matrimonium institutum fuerit in statu innocentiæ, idque *vel* quando Adamus conspiciens Evam ex suo latere procreatam, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, ut docet *S. Bonaventura* dist. 26. art. 1. quæst. 2. *vel* quando dixit Deus Adamo, & Evæ: *Crescite & multiplicamini, &c.* ut existimat *Subtilis Doctor* ibidem quæst. 1. *vel*, ut volunt alii cum Majore, prædictum fuit illis verbis, *Non est bonum hominem esse solum*: benedictum autem illis, *Crescite & multiplicamini*, initum verò illis, *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Cùm, inquam, Matrimonium fuerit institutum in statu innocentiæ, & viguerit in lege naturæ & Mosayca, controvertitur apud Theologos utrum & in quibus eorum statuum dignitatem & efficacitatem Sacramenti obtinuerit. Nonnulli enim Catholici hæreticis ita adversantur; ut existiment Matrimonium esse quidem Sacramentum, non tamen à Christo in nova lege, sed à Deo initiô mundi institutum, quando nimirum primos nostros parentes in Paradiso conjunxit. Ita docuit *Henricus Angliæ Rex* adhuc Catholicus in assertione septem Sacramentorum contra Lutherum, & *Roffensis* in defensione illius, & *Albertus Pighius* controversiâ 10. *Alphonsus de Castro* verbô *Nuptiæ*, *Petrus Soto* lib. de institutione Sacerdotum, & *Catharinus* in opusculo de Matrimonio, qu. 3. 4. & 5. affirmans in statu innocentiæ, etiamsi Adamus non peccasset, Matrimonium futurum Sacramentum, conferens gratiam. Cæteri verò Doctores in contrariam sententiam abeunt, affirmantes Matrimonium esse Sacramentum à Christo D. tantùm in lege Evangelica institutum.

III. Idque vel in fieri, vel in facto esse.

Notandum tertiò, Sacramentum Matrimonii dupliciter considerari posse, nempe vel in fieri, vel in facto esse. Si consideretur *in fieri*, tota ejus essentia, *inquit Arcudius lib. 7. cap. 2.* sita est in ratione contractûs. Natura verò contractûs ejusmodi est, ut unus exhibeat aliquid, alter acceptet. Si quid horum desit, nihil valet contractus. Unde si quis largiatur aliquid alicui, illô non acceptante, nihil valet donatio. Si itaque mulier tradiderit viro suum corpus per verba de præsenti, & vicissim vir mulieri suum, & invicem acceptaverint, statim oritur Matrimonium. Igitur Christus D. hujusmodi actus dandi, & acceptandi ad excellentiam Sacramenti extulit; itant producant gratiam Sacramentalem, sintque causa, & signum illius. Quippe Sacramentum est rei sacræ signum. Si autem Sacramentum Matrimonii consideretur jam celebratum, & *in facto esse*, tota ejus ratio formalis & essentialis sita est in ipso vinculo Matrimoniali, quod sanè vinculum Christus D. ad eminentiam Sacramenti sublevavit; unde à Theologis communiter dicitur res & Sacramentum. Res quidem, quia est effectus Sacramenti in fieri; Sacramentum verò, quia vinculum illud immediatè respicit & producit gratiam; Sacramentum autem in fieri mediatè tantùm, hoc est, mediante vinculô; positô enim vinculô, statim producitur gratia, quemadmodum in Sacramentis relinquentibus characterem, character est res, & Sacramentum; res tanquam effectus Sacramenti, Sacramentum tanquam, qui immediatè efficit gratiam: neque tamen hîc duo Sacramenta intelligimus, alterum in fieri, alterum in facto esse; sed unum, & idem sub diversa consideratione. *Ita Arcudius.*

esse Sacramentum cum cæteris Sacramentis novæ legis computandum. Sic S. Ambrosius lib. 1. de Abrahamo cap. 7. *Cognoscamus*, inquit, *velut præsulem, custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui, quod qui fecerit, quia peccat in Deum, cujus gratiam solvit, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* Similiter S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 22. assignans rationem, cur Christus nuptiis Canæ Galilææ interesse voluerit, ait: *Ut nativitatis nostra principium, quantùm ad carnem attinet, sanctificaret, oportebat certè qui totam naturam hominis ad meliùs restaurabat, non solùm natis jam hominibus benedicere, verùm etiam nascituris gratiam præparare, ut aditum illorum ad hanc vitam, & authoritate miraculi, & præsentiâ suâ sanctum faceret.* Quid autem aliud est nascituris gratiam præparare, nisi conjugibus ad procreandam prolem, & piè ac religiosè educandam gratiam conferre? Unde Innocentius primus epist. 9. statuit Matrimonium vivente priori uxore contractum esse nullum, & primum Matrimonium approbans: ait: *Statuimus fide Catholicâ suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat gratiâ fundatum.* Non autem aliâ ratione conjugium gratiâ fundatum asserere potuit, nisi quia cùm Sacramentum esset, gratiam contulisset.

VIII. Nec non ex rationibus cōgruitatis.

Non desunt etiam congruentiæ, quæ hanc veritatem suadeant; nam, inquit Doctor dist. 26. u. 11. Contractui Matrimoniali congruum est annecti collationem gratiæ, quia contractus prædictus est difficilis, cùm ex eo nascatur obligatio valdedifficilis, cujus difficultas conjuncta est honestati, ut probatum est priùs: ad honestum autem, & difficile, congruum est gratiam conferri. Ita Doctor, quibus verbis significat, congruum fuisse gratiam adjungi Matrimonio, propter infirmitatem naturæ, ut videlicet hôc divinô auxiliô fulta & roborata, omnes ex Matrimonio difficultates oriundas sustinere posset, & convenientem illi statui virtutem sectari. *Addi potest*, quòd si ad gignendos filios spirituales, peculiarem gratiam Christus contulerit Sacerdotibus novæ legis, quam antiquæ legis Sacerdotibus non contulerat: quidnî simili ratione contulisset gratiam conjugiis ad filios carnales debitè gignendos, & piè educandos. *Denique*: cùm Deus in necessariis non deficiat, cúmque Christus D. Matth. 19. abrogatô libellô repudii Matrimonium voluerit esse prorsus indissolubile, & poligamiam in lege Evangelica proscriptam esse voluerit, conveniens fuit, ut Matrimonio gratiam adjungeret, ad superandas difficultates, quæ ex omnimoda dissolubilitate, & perpetua monogamia orirentur; alioquin si Christianorum Matrimoniis talis deesset gratia, matrimoniale jugum in lege Evangelica longè gravius ac durius esset, quàm in lege Mosayca; in hoc enim viris licitum erat per libellum repudii uxorem indomitam, & corruptis moribus effrænem dimittere, vel alteram cum ipsa ducere: neutrum verò licet in Evangelica lege; quippe cùm repudii libellum simul ac poligamiam Christus abrogaverit.

Triplicem aliam congruentiæ rationem profert Seraphicus Doctor dist. 26. art. 2. q. 2. ubi demonstrat Matrimonium in nova lege non solùm esse in remedium concupiscentiæ, sed etiam triplicem conferre gratiam correspondentem triplici bono ex Matrimonio oriundo. Nunc tempore legis novæ, *inquit*, Matrimonium non tantùm præstat remedium, sed etiam aliquod gratiæ donum dignè suscipientibus, utpote his; qui ex charitatis consensu uniuntur ad procreandam prolem ad divinum cultum. Ratione enim expressionis consensûs in individuam consuetudinem vitæ, & ratione benedictionis Ecclesiæ, cujus est Sacramenta Ecclesiæ debitè tractare, sublevatur anima a corruptione concupiscentiæ inordinata: & datur gratia ad copulam singularem, & ad copulam utilem, & ad copulam inseparabilem. Et ex hac gratia fit remedium contra triplicem inordinationem concupiscentiæ, & nascitur triplex bonum Matrimonii. Concupiscentia enim inclinat ad multas: quia luxuriosus non est unâ contentus: & in Matrimonio datur gratia homini, ut soli uxori velit conjungi: & ita pronitas ad multas excluditur per copulam singularem. Concupiscentia etiam inclinat ad delectationem, non ad utilitatem: quia luxuriosus non quærit nisi satisfactionem appetitivæ, seu appetitûs sensitivi. Datur ergo gratia in Matrimonio, ut non recognoscat uxorem, nisi propter prolem: & ita excluditur delectatio appetitivæ per copulam utilem. Item, concupiscentia fastidium generat post impletionem. Unde luxuriosus postquam cognovit unam, illam respuit, & vadit ad aliam. In Matrimonio verò datur gratia, ut semper velit esse cum una: & ita excluditur variarum concupiscentia per copulam inseparabilem. Ex copula singulari oritur bonum fidei, ut ad aliam non accedat. Ex copula utili bonum prolis. Ex copula inseparabili bonum Sacramenti. *Hæc Doctor Seraphicus.*

Objiciunt primò hæretici: Unum Sacramentum non pugnat cum alio: sed Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis; siqoidem qui sacris Ordinibus initiati sunt, lege Ecclesiasticâ à Matrimonio arcentur: igitur non est Sacramentum.

IX. Quomodo Matrimonium pugnat cum Ordine.

Distinguo minorem: Pugnat cum Sacramento Ordinis, absolutè & ratione sui, nego; nam in Ecclesia Græca etiam Sacerdotes uxores servant, & conjugati in Presbyteros ordinantur: pugnat ratione statûs quem inducit, quique minùs rectè cum Matrimonio convenit, concedo. Cùm enim Sacerdotes novæ legis debeant toti Deo vacare; idcirco conveniens fuit, ut arcerentur à Matrimonio, cujus munia magnum functionibus Sacerdotalibus forent impedimentum: nam, inquit Apostolus 1. ad Cor. 7. *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* At, ut idem Apostolus ait 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.*

Adde, quòd cùm Sacerdotes novæ legis non solùm sacris ministeriis tractandis assiduè deputentur, sed etiam ad contrectandum Christi D. sacratissimum corpus; hinc est, inquit Syricius Pontifex epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum, quòd *omnes Sacerdotes atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut à die Ordinationis nostræ sobrietati, ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus & corpora, dummodò per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, Sacrificiis placeamus; qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Non quòd velit S. Pontifex, eos, qui legitimis conjugiis utuntur, Deo displicere, & reverà peccatores effici, ut perperam fingit Calvinus, & Kemnitius; sed tantùm significat, illos qui ad uxores legitimè etiam accedunt, non posse eâ pollere conscientiæ integritate, quæ Sacerdotes novæ legis Virginis filium, & ipsum Virginem,

quam Matrimonium repræsentat. Nam (ut ait Seraphicus Doctor dist. 26. artic. 2. quæst. 3.) In Matrimonio considerantur hæc tria, scilicet signum, officium, remedium. Quantùm ad significationem, dicendum quòd duplex est ejus significatio: significat enim conjunctionem Christi & Ecclesiæ per charitatem: & conjunctionem eorundem per naturæ conformitatem. Similiter duplex est officium: Unum enim est mutuæ educationis, & fomenti: & aliud procreandæ prolis. Similiter duplex est remedium: Unum est quantùm ad concupiscentiæ defluxionem, ut scilicet non ad omnem mulierem intendat: Aliud quantùm ad inordinationem, ut scilicet non libidine, sed amore prolis, nec sine Matrimoniali affectu mulierem cognoscat. Primum igitur signatum, & primum officium, & primum remedium sunt in Sacramento Matrimonii, quantùm ad conjunctionem animorum; secundum est solùm quantùm ad conjunctionem corporum. Et primum est de substantia Matrimonii quantùm ad esse necessarium; secundum, quantùm ad esse plenum.

XIII. Matrimonium potest esse perfectū quamvis absit copula.

Nec officit, quòd Gratianus 27. q. 2. can. *Non est dubium*, & can. *Cùm societas*, affirmet copulam carnalem esse partem Sacramenti, neque sine ea Matrimonium Sacramentum esse. Nam Gratianus hac in re rejicitur ab omnibus Theologis Scholasticis; quippe cùm falsò Canones illos attexuerit; unde Magister sententiarum, quem etiam pro hac sententia laudat Calvinus *num.* 26. cùm retulisset illos duos præfatos Canones, quorum primus fingitur depromi ex verbis S. Augustini, alius verò ex verbis S. Leonis Papæ, ad insinuandum quòd non sit perfectum conjugium sine commixtione sexuum, *statim subdit:* Hoc si secundùm superficiem verborum quis acceperit, inducitur in errorem tantùm, ut dicat sine carnali copula non esse contractū Matrimonium: & inter Mariam & Joseph non fuisse conjugium, vel non fuisse perfectum: quod nefas est sentire. Tantò enim sanctius fuit atque perfectius, quantò a carnali opere immunius. Sed superiùs posita, eâ ratione dicta intelligenda, non quin pertineat mulier illa ad Matrimonium, cum qua non est permixtio sexuum: sed non pertinet ad Matrimonium, quod expressam & plenam tenet figuram conjunctionis Christi, & Ecclesiæ. Figurat enim illam unionem Christi, & Ecclesiæ, quæ est in charitate: sed non illam, quæ est in naturæ conformitate. Est ergo & in illo Matrimonio typus conjunctionis Christi, & Ecclesiæ; sed illius tantùm, quâ Ecclesia Christi charitate unitur: non illius, quâ per susceptionem carnis capiti membra uniuntur. Nec ideo tamen minùs sanctum est conjugium; quia, ut ait S. Augustinus (in nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas ventris.) Est etiam conjugium signum spiritualis conjunctionis, & dilectionis animorum, quâ inter se conjuges uniri debent. Unde Apostolus ait: *Viri diligite uxores vestras, ut corpora vestra.*

XIV. Canonistæ aliqui interdum hallucinantur in doctrina Matrimonii.

Nec denique officit Glossa in caput *honorantur* 32. q. 2. cui consonat altera Glossa in caput *quidquid* 1. q. 1. dicens: Ideo in Sacramento Matrimonii potius quàm in aliis Sacramentis intervenire posse pecuniam, quia in hoc Sacramento non confertur gratia Spiritûs sancti, sicut in aliis. Hæc, inquam, Glossa non obstat; quippe ut erronea rejicitur ab omnibus Theologis, nec-non & à peritioribus jurisperitis, utpote quæ conficta ab aliquo Canonista rerum Theologicarum, & fidei prorsus ignaro.

Objiciunt quartò: Si Matrimonium esset Sacramentum, sequeretur, quòd esset pariter quid melius & excellentius Virginitate, utpote cùm illud gratiam produceret ex opere operato, hæc verò non: sed hoc apertè repugnat Apostolo dicenti 1. ad Cor. 7. *Qui Matrimonio jungit Virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.* Igitur Matrimonium non est Sacramentum.

Respondeo primò, negari posse majorem; siquidem nihil quidquam conducit ad rationem Sacramenti, quòd una res sit alterâ præstantior: nam ratio Sacramenti non petitur ex rei nobilitate, sed ex divina institutione; unde licèt Martyrium v. g. sit nobilius & excellentius Pœnitentiâ, non tamen habet rationem Sacramenti propriè dicti.

XV. Licèt Matrimonium sit Sacramētum, tamen status matrimonialis non est perfectior virginali.

Respondeo secundò distinguendo majorem: Matrimonium erit quid melius, & præstantius Virginitate, quatenus est præcisè Sacramentum, concedo: quatenus est duntaxat status conjugalis, & comparatur cum statu Virginali, nego. Status enim Virginalis longè præstantior est conjugali, ut disertè probat S. Augustinus totô librô de Virginitate, maximè cap. 39. circa finem his verbis: *Et certâ ratione, & sanctarum Scripturarum authoritate, nec peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono, vel virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus.* Idem egregiè præstat S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, ubi docet unum ex ejus erroribus esse, quòd asserat virginitatem non esse Matrimonio præferendam. Unde in cap. 13. Matthæi exponens parabolam Christi de fructu seminis, cujus quidem aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud verò trigesimum protulit, hæc habet verba: *Centesimum fructum Virginibus, sexagesimum viduis & continentibus, trigesimum casto Matrimonio deputamus.*

CONCLUSIO SECUNDA.

XVI. Matrimonium tantùm fuit Sacramentum in lege Evangelica.

Matrimonium habuit tantùm rationem Sacramenti, ex institutione Christi D. & in lege Evangelica. Ita Doctor *dist.* 26. *num.* 13. ubi cùm dixisset Sacramentum Matrimonii esse septimum inter Ecclesiastica Sacramenta, & de Sacramentis Ecclesiæ non esse aliter sentiendum, quàm sentit Ecclesia Romana, statim subdit: *Ideo dici potest, quòd contractui Matrimoniali annexuit Deus Sacramentum propriè dictum, saltem pro lege Evangelica: aliàquin non esset Sacramentum novæ legis: & tunc oportet dicere, quòd institutum fuit à Christo, sicut universaliter dictum est suprà de Sacramentis Ecclesiasticis.*

Idem pariter definitum est in Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo D. nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.* Et sess. 24. can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo D. institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Idem etiam definitum fuit in Concilio Florentino in decreto Eugenii pro unione Armenorum, ubi pariter definitur, septem esse novæ legis Sacramenta à Christo D.

instituta, inter quæ Matrimonium commemorat, & de omnibus ait, per hoc differre a Sacramentis veteris legis, quòd nostra Sacramenta gratiam continent & conferunt.

Deinde, Baptismus est janua omnium Sacramentorum propriè dictorum; ac proinde nullus nisi suscepto Baptismô, capax est suscipiendi Matrimonii, quatenus Sacramenti. *Denique* non fuit institutum in statu innocentiæ; quia, inquit Doctor n. 12. *omnia Sacramenta habent efficaciam à Passione Christi exhibita, vel prævisa: si autem status innocentiæ perseverasset, passio Christi nec fuisset exhibita, nec prævisa:*

Nec etiam apparet, quòd in *statu naturæ lapsæ fuerit institutum, seu legis naturæ*: nam ad summum tunc extabat remedium aliquod pro salute parvulorum, quô ab originali peccato mundari possent, ne penitus extra salutis statum remanerent, quod Sacramentum postea apud Abraham, ejusque posteros in circuncisione determinatum fuit; neque pro eo statu, & tempore alia Sacramenta pro adultis instituta fuêre, quibus gratia ex opere operato conferretur.

Nec tandem in statu legis veteris scriptæ, & per Moysem traditæ, ulla habetur talis institutio de Matrimonio sub ratione Sacramenti; sed solùm habebatur tanquam civilis contractus, sicut inter alias nationes: unde nec ullô modô computatur inter Sacramenta, quæ in veteri lege agnoscebantur, nec vim conferendi gratiam habebant ex opere operato, sed solùm externam quandam, & legalem sanctitatem: quare Matrimonium in veteri lege scripta non solùm non erat Sacramentum propriè dictum, & gratiam conferens ex opere operato, ut erat Circuncisio; sed nec etiam erat Sacramentum ad instar aliorum Sacramentorum illius legis, conferendo nimirum aliquam externam, & legalem sanctitatem.

Quando autem Christus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerit, controvertitur inter Authores. Verùm subtilis Doctor dist. 26. n. 13. ait: Hoc Sacramentum fuisse institutum Matth. 19. quando Christus dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Et licèt, *inquit Doctor*, ibi tantùm approbaverit contractum institutum *Genes.* 2. & per consequens illud non instituit: instituit tamen Sacramentum. Quod potest accipi ex illo verbo, quod addidit, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; ut non intelligatur ibi conjunxisse pro instituisse præcisè contractum Matrimonii: sed conjunxisse ex tunc gratiosè per institutionem Sacramenti concomitantis illum contractum conjungentem. Forma autem est aliquod signum sensibile institutum à Deo, ad significandum efficaciter gratiam tunc collatam.

QUÆRES 1. *Vtrum Matrimonium legitimè contractum vel ex dispensatione, vel aliâ ratione inter fidelem & infidelem esset saltem Sacramentum ex parte fidelis.*

XVII. Matrimonium legitimè initum inter fidelem & infidelem, posset esse Sacramentum ex parte fidelis.

Negant plerique Recentiores, maximè Vasquez, & Sanchez disput. 18. Affirmant verò Sotus dist. 26. q. 2. art. 2. & videtur conformior menti Doctoris, ut observat Hiquæus in Commentario ad dist. 26. n. 56. Et insuper duplici ratione probatur: *Primò*, quia, inquit Hiquæus, fundamentum oppositæ sententiæ stat in opposito, quatenus putat Sacramentum Matrimonii esse unicum unitate indivisibilitatis, quod non esse verum ibi probavimus. *Secundò*, consensus, ut procedit personaliter à quolibet conjuge, inducit obligationem contractûs passivam, & activam ex parte ejus: ergo sic præcisè perficit Sacramentum in ipso: sed nihil deest ex parte baptizati, quin fiat contractus ejus signum sensibile causans gratiam in ipso; quia est contractus legitimus, & matrimonialis, quô transfert potestatem sui corporis in alium, & vicissim acquirit potestatem alterius per mutuum consensum: ergo perficit ex parte sua Sacramentum, quia ipse sibi ministrat Sacramentum & non alter, licèt non posset ministrare sine consensu concurrente ex parte alterius: quia nequit poni contractus legitimus sine concursu utriusque. Sufficit ergo ut sit baptizatus, & ponat contractum legitimum ex parte sua per verba expressum, & contra hoc nullum sequitur inconveniens, supponendo contractum esse, aut fieri legitimum. *Ita Hiquæus.*

QUÆRES 2. *An Matrimonium infidelium, quando baptizantur, fiat Sacramentum?*

XVIII. Matrimonium infidelium non fit Sacramentum dum baptizantur.

Affirmativam partem tuentur S. Thomas in 4. dist. 39. q. 1. art. 2. Capreolus art. 3. ad 5. Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 5. &c. Verùm negativa sententia verior & conformior videtur doctrinæ subtilis Doctoris; nam dist. 39. docet Matrimonium infidelium fieri ratum post Baptismum, eò quòd impedimentum fidei per Baptismum tollatur: quod esset fortius ligans in ordine ad Deum, si alter conjux manens infidelis nollet habitare cum fideli baptizato; susceptô autem utrimque Baptismô tollitur hoc impedimentum. Eandem sententiam tuentur *Vasquez*, disp. 2. de Matrimonio cap. 10. *Conink* disput. 24. dubiô 2. concl. 7. Et ratio est, quia Matrimonii Sacramentum est essentialiter contractus inter baptizatos initus: sed ita non contingit in præsenti: nam neque contractus illorum infidelium fuit initus inter baptizatos, neque etiam tales infideles, dum baptizantur, possunt de novo Matrimonium inire; quia non possunt sibi mutuò corpora tradere. Nemo enim potest alteri tradere quod suum non est: at neuter conjugum habet potestatem proprii corporis, ut docet Apostolus, 1. ad Cor. 7. igitur non possunt ea sibi mutuò tradere.

XIX. Quamvis contrac... fiat sac...

Dices: Fieri potest novus contractus; nam qui antea erat naturalis, profanus & solubilis, fieri potest sacer, insolubilis, & repræsentans unionem Christi cum Ecclesia: igitur infideles, dum baptizantur, possunt de novo Matrimonium inire.

Nego consequentiam, & ad antecedens respondet Conink num. 26. quòd si hoc sufficeret, sequeretur fideles consummantes Matrimonium conficere novum Matrimonium, & Sacramentum: quia quod priùs poterat per dispensationem Pontificis, & ingressum Religionis solvi, & tantùm repræsentabat unionem Christi cum Ecclesia, per gratiam, efficiunt insolubile, & repræsentans unionem Christi per Incarnationem: ut habetur cap. *Debitum* 5. de bigamis. Illud tamen est absurdissimum. Secundò, petitur apertè principium, quia supponitur fieri contractum sacrum, cùm tamen quæratur, an fiat contractus? Quod nos negamus. Nec est verum, eum contractum immediatè repræsentare unionem Christi cum Ecclesia: quia hoc per se non competit contractui, qui statim transit, sed vinculo Matrimonii permanenti: quæ aliqui confundentes in absurda incidunt. Conantur tamen aliqui probare conjuges posse dici inire novum contractum hoc ipsô,

ipsô, quò reddunt priorem magis insolubilem: quia Trident. sess. 14. cap. 1. dicit Christum in lege nova instituisse Matrimonium, quod tamen antè fuit. Sed hoc nec verum est (quia tantùm ibi dicitur Christum instituisse hoc Sacramentum, sive elevasse contractum Matrimonii ad esse Sacramenti) nec facit ad rem, quia Christus ibi innovavit aliquid circa ipsum contractum; conjuges autem per Baptismum non innovant contractum, sed statum Matrimonii. *Ita Conink.*

Et ratas. *Dices secundò:* Matrimonium infidelium, quod non fuit ratum ante Baptismum, fit ratum per Baptismum: igitur fieri potest Sacramentum.

Respondeo, idcirco infidelium Matrimonium fieri ratum per Baptismum; quia scilicet omnes baptizati tenentur ad servandam legem Christianam, quæ prohibet Matrimonii dissolutionem ante mortem alterius conjugum; unde ex se non est simpliciter ratum, sed solùm in ordine ad legem Christianam, ad cujus observantiam Baptismus astringit.

Quæstio Tertia.

Quisnam sit Minister, quave materia & forma hujus Sacramenti?

Cum ex Concilio Florentino Sacramenta novæ legis tribus maximè perfici debeant, nempe materiâ, formâ, & Ministro, operæ pretium est declarare, quis sit Minister Sacramenti Matrimonii, quæve illius materia, & forma, circa cujus resolutionem,

I. Variæ sunt sententiæ circa materiam & formam Matrimonii.

Notandum primò, tot esse hac de re Canonistarum ac Theologorum sententias, ut Aversa decem, Pontius septem, Sanchez sex, cæteri verò quinque numerent. *Primò* namque Catharinus in opusc. de Matrimonio q. 1. ait, materiam Matrimonii esse verba & actus conjugum, quibus contrahunt: formam verò esse illa verba Genes. 2. & Matth. 19. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ:* unde infert Ministrum hujus Sacramenti esse Deum, quia ille verba illa protulit, & quamvis illa verba non repetantur in singulis Matrimoniis à Deo; tamen satis esse putat Catharinus, quòd semel prolata à Deo maneant in Scriptura, quæ semper loquitur. Verùm hæc sententia subsistere non potest: *Tum*, quia Deus est institutor Sacramenti, non autem Minister; & insuper cùm Sacramentum sit signum sensibile, necessum est, quòd Minister, & ejus Ministerium sit quid sensibile: Deus autem non est sensibilis; ac subinde nec Minister. *Tum*, quia forma & materia Sacramenti, debent simul adhiberi. Porrò verba Genes. 2. Matth. 19. non simul adhibentur, nec iterum proferuntur; dum invicem conjuges contrahunt.

Secunda sententia est Cani lib. 8. de locis cap. 5. ubi ait, materiam esse actus contrahentium, formam verò esse verba illa Sacerdotis, vel similia: *Ego vos conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*; onde infert Matrimonia clandestina, quibus Sacerdos non assistebat, etiam ante Concilium Tridentinum non fuisse Sacramenta, sed solùm contractus validos, licèt ordinariè illicitos. Hanc sententiam sequuntur Sylvius in suis Commentariis in 3. part. quæst. 42. & quæst. 2. concl. 1. & 3. & alii: & ante illos eam sustinuerat *Guillelmus Parisiensis* tract. de Sacramentis cap. 9. de Sacramento Matrimonii q. 1. & Theologi Concilii Coloniensis, cap. 12. & 22. de Matrimonio.

Tertia sententia est Navarri cap. 22. n. 20. ubi ait, consensum interiorem esse materiam: verba autem illum exprimentia, esse formam. Probat Navarrus, quia in lege stipulationis, materia est consensus, verba sunt forma, ut patet ex l. 1. in principio, & §. 1. ff. de verborum obligationibus; ergo etiam in Matrimonio. Sed neutra sententia subsistere potest: *Tum*, quia tota materia Sacramenti non debet esse insensibilis: igitur ille consensus interior non potest esse materia. *Tum*, quia forma debet determinare materiam, ac proinde magis debet esse determinata: at consensus interior non minùs est determinatus, quàm exterior; igitur, &c.

Quarta sententia docet verba ab uno priùs prolata esse materiam, alterius verò verba esse formam. Ita Vega lib. 6. summæ casu 117. Victoria num. 245. Candel. aureum 1. parte de Matrimonio num. 17. & alii. Sed hoc gratis dicitur, & sequeretur, quando simul omnino utriusque consensus aliquô signô exprimitur, nullam esse certam formam, vel materiam.

Quinta verò sententia asserit materiam hujus Sacramenti esse corpora contrahentium; formam autem esse mutuum consensum verbis, vel nutibus expressum. Quam sententiam apertè docet *Paludanus* in 4. dist. 26. q. 4. ad 2. & conformior videtur doctrinæ subtilis Doctoris; nam in *eadem dist.* circa finem quæstionis significat materiam Matrimonii esse ipsos contrahentes; *num.* autem 14. ait verba contrahentium, aut signa expressiva consensûs habere rationem formæ unius, unitate quidem integritatis; non autem indivisibilitatis; unde ibidem ait: Ministrum hujus Sacramenti ut plurimùm esse contrahentes, imò & patres, quando contrahunt pro filiis & filiabus eis præsentibus, sed non exprimentibus signa propria. Unde concludit: *Si ergo ibi est Sacramentum*, inquit, *oportet dicere, quòd Minister hujus Sacramenti potest esse indifferenter quicumque potest esse Minister in contractu Matrimonii.*

Notandum secundò, omnem contractum essentialiter constare alicujus rei obligatione ex una parte, & acceptione ex altera; quia non possum alteri obligari, nisi ipse acquirat jus in me; ille autem jus acquirere non potest, nisi volens; quod utique fit per acceptationem ab ipso, vel alio ejus nomine factam. *Insuper*, omnis contractus onerosus habere debet duplicem obligationem, & acceptationem; nam in emptione v.g. ab una parte offertur res emenda; ab altera verò pretium, & utrumque ab utraque parte acceptatur. Porrò idem contingit in Matrimonio: nam in eo vir tradit corpus suum, in potestatem mulieris; mulier verò suum in dominium viri; & utraque alterius oblationem acceptat. Itaque debet in utroque, saltem virtualiter consensus reperiri; unus, qui habeat rationem traditionis; & alter qui habeat rationem acceptationis. Et signa externa, quibus contractus ille Matrimonialis initur; debent eum duplicem consensum exprimere. II. Omnis contractus necessariò constat ex oblatione rei & illius acceptatione.

Notandum tertiò cum Conink disp. 24. dub. 4. n. 40. conjuges per contractum Matrimonialem necessariò consentire in quinque: *Primò*, in mutuam traditionem dominii proprii corporis ad usum conjugalem: quia in ea consistit ratio contractûs Matrimonii: *Secundò*, in Matrimonii vinculum ex natura sua perpetuum, donec

alter moriatur. *Tertiò*, in obligationem reddendi debitum non quôcunque modô, sed cùm debitè exigitur. *Item* in obligationem, quandiu Matrimonium durabit, nunquam aliam à conjuge cognoscendi, & non impediendi generationem: *Quintò* prolem, si nascatur, christianè educandi; quia ejusmodi obligatio necessariò cum essentia Matrimonii conjuncta est. Non est tamen necessarium, ut absolutè consentiant in perpetuitatem vinculi (quia talis perpetuitas non est de essentia Matrimonii, nec ei necessariò annexa) sed solùm sub conditione, nisi alteruter ante consummationem in Religione profiteatur: quia hâc ratione in utriusque potestate est, & vinculi perpetuitatem, & consequentem omnem obligationem elidere. His ita præmissis, determinandum restat, quæ sint materia & forma, quisve Minister Sacramenti Matrimonii.

III. Conjuges contrahentes ad quinque se obligant.

Conclusio Prima.

IV. Materia remota Matrimonii sunt corpora contrahentium.

PRobabilius est, materiam remotam Sacramenti Matrimonii esse corpora contrahentium, formam autem esse verba eorundem, vel nutus & signa æquivalentia, ac sufficienter consensum exprimentia. Ita subtilis Doctor locis supra laudatis, nec-non & Seraphicus dist. 26. part. 2. q. 1. nec-non & Angelicus dist. 41. q. 3. art. 2.

Probatur autem primò: Quia nihil assignari potest convenientius, saltem pro materia, quam corpora contrahentium, ut patet ex refutatione aliarum sententiarum. *Secundò*, quia in omnibus contractibus, id habet rationem materiæ, quod donatur, seu cujus dominium transfertur in alterum; formæ verò quod significat acceptionem rei traditæ per contractum: sed Matrimonium est contractus propriè dictus, & res quæ donatur in illo, sunt corpora contrahentium, quæ contrahentes per talem contractum sibi invicem tradunt: igitur materia remota sunt corpora contrahentium; acceptatio verò ab utroque contrahente facta verbis, aut nutibus, consensum internum exprimentibus, censenda est forma hujus Sacramenti. *Denique*, illud habet rationem materiæ, quod est magis sensibile, & physicum, magisque determinabile: sed corpora conjugum sunt magis sensibilia, eorumque traditio in usum, & finem matrimonialem, magis est determinabilis per verba & signa hanc mutuam traditionem & acceptationem significantia: igitur illa habent rationem materiæ & formæ.

V. Proxima verò est illa actualis traditio.

Licèt autem aliqui Theologi censeant, hoc esse peculiare in Matrimonio, quòd ejus materia remota & proxima non sit diversa; nihilominus veriùs dicendum arbitror corpora contrahentium se habere tanquam materiam remotam hujus Sacramenti; traditionem verò mutuam hujusmodi corporum, seu potestatis & dominii in illa, esse materiam proximam; nam in contractibus materia proxima est traditio rei, circa quam contractus versatur: at Matrimonium est essentialiter contractus, & res, quæ per ipsum traditur, sunt corpora: igitur hujusmodi corporum traditio est materia proxima Matrimonii.

Quantùm autem ad formam dicit Doctor dist. 26. *num.* 14. quòd forma est aliquod signum sensibile institutum à Deo, ad significandum efficaciter gratiam tunc collatam. Sed hîc est dubium. Vel enim Deus instituit indeterminatum signum, ut sit signum efficax gratiæ, sicut indeterminatum signum requisitum ad contractum: vel magis determinavit illud, quod debet esse efficax gratiæ, quàm ex impositione humana determinetur signum sufficiens ad contractum; & si sic, vel determinavit aliqua verba præcisè, putà, *accipio te in meam*, vel *in meum*: vel determinavit indifferenter quæcunque verba exprimentia talem consensum. Et inter illa multùm interest, quia si determinavit strictissimè illud, scilicet quòd forma hujus Sacramenti consistit in his verbis præcisis, sequitur quòd multoties est contractus Matrimonii sine Sacramento, etiam in lege Evangelica: quia multoties contrahitur per alia verba, quàm per ista. Si etiam determinavit verba, sed indifferenter consensum istum exprimentia, quæcunque sint ista, adhuc tamen, cùm contrahatur quandoque inter mutos sine verbis; sequitur quòd alicubi est contractus iste sine Sacramento. Nec istud est absurdum, quia possibile est, quòd usque ad legem Evangelicam frequenter contrahebatur, ubi tamen nunquam fuit Sacramentum, ut hîc loquimur, scilicet propriè. Si autem non determinavit, quòd sit Sacramentum gratiæ magis, quàm ex impositione humana determinetur signum sufficiens ad contractum, tunc potest dici, quòd in quocunque contracto in lege Evangelica comitatur Sacramentum; quia illud signum, quod requiritur ad contractum, est ex institutione divina Sacramentum. *Ita Doctor.*

VI. Circa formam Matrimonii nihil resolvit Doctor.

Quibus verbis inquirit, utrum Christus determinaverit aliquam formam, seu verba quædam necessaria ad confectionem Matrimonii sub ratione Sacramenti, quamvis non essent necessaria ad legitimum contractum humanum, & tria respondet. *Primò*, quòd si Christus determinasset quædam verba præcisè requisita ad confectionem Matrimonii, plerumque contingeret inter fideles celebrari Matrimonium, absque eo quòd esset Sacramentum, quia sæpè contractus Matrimonialis fit sub differente forma verborum. *Secundò*, si Christus determinaverit verba, sed indifferenter exprimentia contractum, sequitur, quòd inter mutos fiat contractus sine Sacramento; quod utique, inquit, absurdum videri non debet: contractus enim Matrimonialis separari potest à ratione Sacramenti, quia usque ad legem Evangelicam ita fuit separatum, & etiam nunc apud infideles est contractus sine Sacramento, imò etiam probabile est, quòd inter fideles contractus aliquando separetur à ratione Sacramenti; putà quando conjuges absentes contrahunt per procuratores; talis enim contractus est legitimus; attamen eum non habere vim, & rationem Sacramenti, docent Durandus dist. 26. q. 3. Cajetanus tomô 1. opusculorum tract. 12. q. 1. Victoria in summa de Matrimonio, & plures alii. Meritò itaque Doctor negat Matrimonium contractum inter mutos habere rationem Sacramenti; si verba propriè dicta, ut distinguuntur à signis, & nutibus, requirantur ad Matrimonium, ut sit Sacramentum; circa quod nihil resolvit Doctor.

Unde respondet *tertiò*, quòd si Christus non determinavit aliud pro forma Sacramenti Matrimonii, quàm id omne, quod habet rationem formæ respectu cujuscunque contractûs Matrimonialis ex institutione humana, non solùm verba, sed etiam nutus & signa quæcunque declarantia voluntariam traditionem, & acceptationem corporum: sufficient ad rationem formæ Sacramenti Matrimonii. Quæ utique responsio conformior est menti Doctoris; nam immediatè præmiserat, quòd Deus

nihil immutaverit circa contractum Matrimonii, sed tantùm quòd ei adjunxerit dignitatem, & efficacitatem Sacramenti.

Sunt tamen aliqui Theologi, qui cum Melchiore Cano contendant, post Concilium Tridentinum, formam Sacramenti Matrimonii, esse hæc verba, quæ Sacerdos profert: *Ego vos conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: quippe illi Authores existimant, Ministrum Sacramenti Matrimonii esse ipsum Sacerdotem. Sed hanc difficultatem declarabit

Conclusio Secunda.

VII. Conjuges sunt Ministri Matrimonii.

Probabilius est, Ministrum Sacramenti Matrimonii non esse ipsum Sacerdotem conjuges benedicentem: sed ipsosmet contrahentes. Ita subtilis Doctor locis superiùs expressis, & S. Thomas dist. 26. q. 2. art. 1. ad 1. ubi ait: *Verba, quibus consensus Matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale.* Quos sequuntur celebriores Theologi moderni, non solùm utriusque Scholæ discipuli, sed etiam Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 6. Suarez disp. 16. sect. 1. & plures alii, quos sequitur, & citat Sanchez lib. 2. disp. 6. Colligitur autem hujus conclusionis veritas ex decreto Eugenii, ubi ait: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Sed hoc esset falsum, si ad ipsius Sacramenti validitatem necessarius esset alius Minister distinctus à contrahentibus; maximè cùm ex doctrina ejusdem Concilii in eodem Decreto tria duntaxat requirantur ad confectionem Sacramenti.

Idem etiam colligitur ex Concilio Trident. nam *sess. 24. cap. 1. de reformatione*, affirmat *Matrimonia clandestina, quæ olim fiebant absente Sacerdote, sine ullis ejus verbis fuisse valida, quandiu Ecclesia ipsa non irritavit*: sed talia Matrimonia non potuissent esse valida, si reverà Sacerdos fuisset Minister hujus Sacramenti, & ejus verba habuissent rationem formæ; unde etiam can. 11. Sacerdotalem benedictionem recenset inter cæremonias ab Ecclesia in celebratione Sacramenti Matrimonii adhiberi solitas.

Nec obstat, quòd idem Concilium ibidem dixerit: *Ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur: ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuò consensu intellectò, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, &c. Vel aliis verbis utatur, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Quibus significari videtur, quòd Sacerdos verè conjungat conjuges: at non eos conjungit in ratione contractûs: igitur in ratione Sacramenti.

Hoc, inquam, non obstat: *Tum*, quia Concilium non dicit verbis illis, *Ego vos conjungo*, esse absolutè à Sacerdote proferenda; imò suadet, ut aliis utatur verba, si alius fuerit usus ejus Provinciæ: *Tum*, quia verba illa, *Ego vos in Matrimonium conjungo*, non alium sensum præ se ferunt, quàm istum, *Ego approbo, & benedico conjunctionem vestram maritalem in facie Ecclesiæ.*

Nec pariter obstat, quòd Sacramenti Minister debeat esse persona sacra. *Primò* namque universim loquendo, hoc falsum est; siquidem Baptismus à laicis; imò etiam ab infidelibus validè ministrari potest.

Deinde, in Matrimonio est specialis quædam ratio, cur ab aliis non debeat ministrari, quàm ab ipsis contrahentibus; quia nimirum Sacramentum Matrimonii est essentialiter quidam contractus à Christo [illegible] elevatus ad dignitatem Sacramenti: Ministri autem alii non sunt, quam ipsi contrahentes.

VIII. Non est tamen improbabile Sacerdotem esse ejusdem Sacramenti Ministrum.

Verum etsi hæc probabilia sint; nihilominus non est improbanda contraria sententia, quam tuetur *Canus* lib. 8. de locis Theologicis. In quam partem inclinat etiam *Estius* §. 19. & *Sylvius* quæst. 42. de supplemento S. Thomæ, qui suam sententiam variis momentis confirmant.

Primò, quia omnium aliorum Sacramentorum Minister; saltem extra casum necessitatis, necessariò est Ecclesiasticus: ergo etiam Matrimonii.

Insuper, quia Florent. docet omnia Sacramenta perfici rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conferentis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Unde sequitur ad Sacramentum necessariò requiri primò, ut Ecclesia per Ministrum conferat Sacramentum, & consequenter ut ipse id faciat tanquam Minister Ecclesiæ. Secundò, Ministrum hujus Sacramenti non posse esse laicum, quia hic non est Minister Ecclesiæ: Tertiò, ut utatur verbis propriè dictis pro forma, & consequenter contrahentes Matrimonium non esse hujus Ministros, quia non necessariò utuntur verbis propriè dictis.

Tertiò, quia in aliis Sacramentis nequit esse idem conferens & suscipiens: ergo nec in hoc.

Quartò, alia Sacramenta pro forma necessariò habent verba propriè dicta: ergo & hoc.

Quintò, contrahentes præsertim clam, ut fiebat ante Tridentinum, nesciunt se esse Ministros Ecclesiæ, aut debere habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, aut suscipiendi Sacramentum. Ergo hæc non intendunt, & consequenter nec conficiunt Sacramentum.

Sextò, 1. ad Cor. 14. non permittitur mulieri in Ecclesia loqui: ergo minùs permittitur conferre Sacramentum.

Septimò, olim clam contrahentes non putabant se esse sacrilegos, si in peccato mortali contraherent: ergo non suscipiebant Sacramentum.

Octavò, Concilium Mechliniense, & quædam alia juxta decretum Tridentini sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonii, jubent Parochum, postquam sponsi mutuum consensum coram eo expresserunt dicere, *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, &c.* Ergo Parochus conjungit eos in Matrimonio, quatenus est Sacramentum, aliàs ea verba essent falsa.

Nonò, quia Synodi Cameracensis, & Coloniensis cap. 40. & in suo enchiridio, vocant Sacerdotes benedicentes nuptias, Ministros hujus Sacramenti.

Decimò, Rituale Romanum jussu Pauli V. editum in præfatione ait: *Cæterùm illorum tantùm Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus in hoc opere præscribuntur: Cujusmodi sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema-Unctio, Matrimonium.* Ergo censet Parochum esse Ministrum Sacramenti Matrimonii.

Undecimò, quia ante Tridentinum, sponsi quandoque consensum suum exprimebant per copulam, & per eam contrahebant, & consequenter hæc tunc fuisset pars Sacramenti: atqui hoc est absurdum, cùm illa tunc sicut alia clandestina Matrimonia fuerint prohibita, & grave peccatum, &c.

Duodecimò, quia in fine Concilii Constantiensis Martinus V. jubet suspectos de hæresi inter-

rogari, an credant, quòd Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ-Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter. Item Alexander III. cap. Cùm Ecclesia de simonia, ait horribile esse, quòd pro sepulturis & exequiis mortuorum & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis, aliquid requiratur. Ergo censent benedictionem nuptiarum esse Sacramentum.

Decimo-tertiò, quia ea videtur sententia antiquorum Patrum: nam Evaristus Papa epist. 1. docet conjugia inita sine benedictione Sacerdotis, non esse conjugia, sed adulteria: ergo sentit illam esse de essentia Matrimonii.

Item Tertullianus lib. 2. ad uxorem in fine, docet illud Matrimonium esse Ecclesiæ Sacramentum, quod Ecclesia conciliat, scilicet per suum Ministrum. Sanctus Ambrosius epist. 70. docet conjugium debere sanctificari benedictione Sacerdotis. Innocentius epist. 9. ad Probum, dicit Matrimonium fundari in divina gratia, quando celebratur. Celebrari autem non dicitur, nisi quando solemniter more Ecclesiæ contrahitur.

Item *Concilium Carthaginense quartum* docet, sponsos à Sacerdote benedicendos, & pro benedictionis reverentia debere primâ nocte in Virginitate permanere. Quod nequit intelligi de benedictione accidentali, quia illa benedictio jubetur omnibus nuptiis conferri, hæc autem solùm primis confertur, & cùm sit tantùm Sacramentale, non exigit tantam reverentiam.

IX. Nihilominus ejus sententiæ fundamenta facilè convelli possunt.

Fateor tamen plurima ex his momentis facili negotiò posse dissolvi ex jam dictis. Quantùm autem ad Concilium *Coloniense*, constat illud potius oppositæ sententiæ favere; prædictô enim cap. 40. ait: *Quòd Sacramentum, scilicet Matrimonio, si quis sicut decet acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confertur donum Spiritûs, &c.* Quibus significat per Sacerdotalem precationem non conferri susceptionem Sacramenti, sed illam huic accedere: quod utique falsum esset, si illa precatio esset forma sacramenti Matrimonii; ideo autem dicunt per eam conferri donum Spiritûs sancti, quòd scilicet Deus soleat Sacerdotum preces exaudire. Unde hæc precatio non nisi illicitè posset omitti. Similiter enchiridion Concilii nomine vulgatum in tractatu de Matrimonio: *Verbum* (idest, forma) *itaque hujus Sacramenti, quò accedente ad elementum* (idest, ad materiam) *fit Sacramentum, id nimirum est, quò ambo mas & fœmina (cum pietatis respectu, qua in Deum est, sibi mutuò fidem conjugalem dant, accipiuntque) non quòvis modò* (idest, non solùm contractu civili, sicut Gentiles) *sed in Dei nomine* (sive Sacramento à Deo instituto) *conjunguntur, & copulantur.* Deinde addit, referre quâ linguâ conjuges ea verba proferant. Ubi claré, & expressè dicitur, verba, quibus conjuges sibi mutuò dant, & accipiunt fidem conjugalem, esse verbum, quô accedente ad elementum fit Sacramentum, sive esse formam, ex qua simul cum materia componitur Sacramentum.

Nec obstat, quòd idem Author enchiridii § *penult.* dicat Sacerdotem Matrimonio assistentem esse hujus Sacramenti Ministrum; ibi enim non intelligit Sacramenti Ministrum propriè dictum; siquidem ibi dicit, Sacerdotem eôdem modô esse nunc Ministrum Matrimonii, sicut Raguel olim erat Minister Matrimonii Tobiæ & Saræ, eosque conjungebat; quod utique propriè non potest intelligi: cùm enim inter Tobiam & Saram solus fuerit contractus civilis, alii non fuerunt illius Ministri, quàm contrahentes.

Ad Concilium Carthaginense respondeo, illud apertè loqui de benedictione solemni, & Matrimonio necessaria; loquitur enim de benedictione, ad quam sponsi à paranymphis deducuntur: quod utique solemnitati Matrimonii convenit.

Ad Evaristum Papam dico, ipsum loqui de valore Matrimonii in foro externo; nam *ibidem* præter Sacerdotalem benedictionem, multa alia ad ejus valorem desiderat, purà quòd mulier ducatur à paranymphis, quòd dotetur; additque, quòd Matrimonia aliter contracta sint potius fornicationes, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima quam volueris sententiam elige.

PETES 1. *Utrum Matrimonium inter absentes per procuratorem vel per litteras contractum, sit legitimum, & validum?*

X. Matrimonium per Procuratores est validum in ratione contractûs.

Respondeo primò, validum & legitimum esse sub ratione contractûs civilis, ut communiter docent Theologi: cùm enim procuratores locum teneant personarum principalium, habeantque plenam potestatem contrahendi; idcirco quidquid ipsi faciunt, idipsum facere censentur ipsæ principales personæ contrahentes, quarum procuratores illi sunt humanum, & morale instrumentum; unde sicut ex mutuo utriusque conjugis consensu resultat perfectus Matrimonii contractus; ita pariter resultat ex mutuo consensu utriusque procuratoris. Quare in cap. *finali de procuratoribus in 6.* & lege *sufficit*, ac lege *finali*, ff. de sponsalibus, definitur inter absentes æquè ac inter præsentes, Matrimonium contrahi posse. Neque hoc jus est correctum per decretum Tridentini, clandestina Matrimonia irritantis; tale enim decretum irritat solùm Matrimonia, quæ sine testibus, & Parocho contrahuntur: Matrimonium verò inter absentes per procuratorem initum, contrahitur coram Parocho & testibus, ut supponimus: igitur vi talis Decreti non irritatur, sed valet in ratione contractûs naturalis, & civilis, sicut alii humani contractus, qui fieri possunt inter absentes, per procuratores, qui idipsum facere censentur, quod principales contrahentes per se facerent.

XI. Quot quæ conditiones ac requirantur.

Ut autem Matrimonium per Procuratores initum, legitimum sit ac validum in ratione contractûs, quinque servari debent conditiones, quarum defectu irritum foret & nullum: *Primò* namque requiritur, quòd procurator habeat à suo principali mandatum speciale ad contrahendum Matrimonium cum certa persona, & non excedat suum mandatum. *Secundò*, quòd mandatum illud exequatur per se, & non per substitutum, nisi specialis ad substituendum ei facultas concessa fuerit à principali. *Tertiò*, quòd eô tempore, quô procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata, nequidem tacitè; aliàs enim nullum foret Matrimonium, licèt procurator ipse nihil de revocatione audivisset; quia quâcunque revocatione cessat consensus, & sine consensu nullum est Matrimonium. *Quartò*, ut determinetur specificè in mandato & commissione, cum qua persona sit contrahendum; quia non sufficit clausula contrahendi cum quacunque, ut lege *generali* ff. de titu Nuptiarum patet. *Quintò*, post publicationem Concilii Tridentini requiritur, quòd procuratores personarum principalium, contractum ineant coram Parocho, & duobus testibus.

Observandum autem est, ad debitè exequendum illud munus procuratoris: *Primò*, nihil referre, qualis conditionis sit procurator, vir an mulier, juvenis an senex. *Secundò*, absolutè non requiri, ut mandatum scriptò detur, modò sufficienter aliâ viâ probari possit, v. g. per testes fide dignissimos; sic enim Matrimonium dici non poterit clandestinum. Quod quamvis absolutè loquendo verum sit: consultius tamen est, ut mandatum scriptò detur. *Tertiò*, necesse non esse, ut mandatum fiat propriô Parochô præsente; quia ut Concilio Tridentino satisfiat in locis, in quibus promulgatum est, sufficit quòd Matrimonii contractus fiat coram Parocho, & duobus testibus.

XII. Etiam validum est in ratione Sacramenti.

Respondeo secundò, etiam validum ac legitimum esse in ratione Sacramenti, ut communiter docent Theologi: *Tum*, quia in Matrimonio sic celebrato concurrunt omnia ad substantiam Sacramenti servandam necessaria, scilicet, materia, forma, & intentio contrahentium; datur enim materia, nempe contrahentium corpora; datur legitima forma, utriusque nempe consensus sufficienter expressus per verba, vel signa mandantis, quatenus per Procuratorem innotescunt, vel per epistolam, aut internuntium; intentionem etiam contrahentium adesse supponimus: ergo nihil deest ad substantiam Sacramenti necessarium. *Tum*, *quia* quotiescunque in Matrimonio salvatur ratio veri & legitimi contractûs, salvatur etiam ratio Sacramenti; quia, ut sæpè dictum est, Christus in nullo prorsus naturam Matrimonii immutavit, sed illam ad rationem Sacramenti evexit: atqui in Matrimonio contracto inter absentes fideles, se baptizatos, salvatur ratio contractûs naturalis, & civilis: nam ad hoc exigitur, quòd contrahentes per verba, vel signa æquivalentia consensum interiorem mutuum exprimant, quod sufficienter fieri potest per litteras, aut nuntium, vel procuratorem in absentia; & prætereà servari etiam possunt omnes conditiones postea à Tridentino statutæ, & præscriptæ, exprimendo nimirum prædictum consensum coram Parocho, & duobus testibus, interveniente etiam ipsô procuratore, vel nuntio: ergo nihil omnino deest, quin sit verum Sacramentum. *Tum*, *quia* ante Concilium Tridentinum Matrimonium per procuratores celebratum erat verum Sacramentum; nam Florentinum absolutè, & absque ulla restrictione omne Matrimonium inter fideles, & baptizatos contractum in lege gratiæ, esse unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis definivit: ergo nunc etiam sic contractum veram habet rationem Sacramenti. Consequentia patet, quia Tridentinum nihil immutavit in Matrimonio, nisi ut celebraretur coram Parocho, & duobus testibus, ad removendos abusus; ac proinde si servetur prædicta conditio, quæ etiam in absentia contrahentium servari potest modô jam explicatô, veram rationem Sacramenti habebit.

Et certè si Matrimonium inter absentes celebratum non esset verè Sacramentum, otique vetitum fuisset à Tridentino inter fideles, cùm deceat fideles vinculô Matrimonii conjungi sine Sacramento; vel saltem præcepisset iis, qui eô modô contraherent, ut posteà præsentes iterum contraherent, ut eorum contractus fieret Sacramentum; quod tamen præceptum nullibi extat, & praxis Ecclesiæ est in contrarium. Ecclesia autem non permitteret Matrimonium per procuratores interdum iniri; si non censeret illud esse Sacramentum; hoc enim vergeret in præjudicium ipsorum conjugum, qui sic fraudarentur gratiâ, quam in Matrimonio per seipsos immediatè celebrato susciperent.

Dices primò: Cætera Sacramenta non possunt conferri absenti: igitur nec Matrimonium. Probatur consequentia; par enim debet esse conditio & ratio ipsius, ac aliorum; ideo enim non potest Baptismus conferri absenti, quia verba, *Baptizo te*, diriguntur ad personam præsentem: atqui verba conjugum, quibus consensum suum exprimunt, puta, *Accipio te in meum*, vel *meam*, etiam diriguntur ad personam præsentem: igitur est utrobique paritas.

XIII. Quare Matrimonium potius conferri possit absenti quàm cætera Sacramenta.

Nego consequentiam: & ratio disparitatis est, quòd Matrimonium sit essentialiter contractus, qui sicut iniri potest inter præsentes, & absentes, inde fit, quòd etiam inter absentes habere possit rationem Sacramenti. *Adde*, *quòd* cætera Sacramenta requirant verba propriè dicta, & ore prolata, ex parte formæ: secus autem est de Matrimonio, quod licèt ordinariè verbis perficiatur, potest tamen aliis signis consensum exprimentibus celebrari. Unde cætera requirunt subjectum præsens, ad quod verba ore prolata dirigantur; Matrimonium verò non ita; quippe cùm consensus ad contractum necessarius aliis modis, quàm verbis, nempe vel litteris, vel nutibus, vel per procuratorem possit innotescere.

Dices secundò: Si Matrimonium per procuratorem initum esset Sacramentum propriè dictum, sequeretur quòd si vir & fœmina, pro quibus contrahitur eô tempore dormiant, quô contrahitur, dormiendo reciperent gratiam, si sint in statu gratiæ habitualis; vel peccabunt mortaliter peccatô sacrilegii, si sint in statu peccati mortalis; quia indignè Sacramentum recipiunt: sed hoc est absurdum: igitur, &c.

Nego minorem: Non enim absurdum est, quòd quis dormiens recipiens Sacramentũ, recipiat etiã gratiam; ut patet de Baptismo & Pœnitentia in iis, qui antea petierunt, & post obmutuerunt; nam eis danda sunt hæc Sacramenta ex 26. *quæst.* 6. *cap. qui recedunt & capite his, qui*, & cap. *Agnovimus*: obligantur tamen conjuges sub mortali, procurare ut sint in statu gratiæ eô tempore quô prudenter judicant celebrandum esse contractum, & peccant mortaliter, si non sint in gratia. *Nec est* pariter inconveniens dormientem peccare mortaliter, ratione consensûs liberi in vigilia habiti; nam ebrius peccat hominem occidendo in ebrietate ratione libertæ voluntatis, quâ se voluit inebriare, non obstante periculô homicidii prævisô, juxta communem doctrinam Theologorum.

PETES 2. *Quis*, *& qualis consensus requiratur ad legitimum Matrimonium?*

XIV. Consensus Matrimonialis debet esse liber.

Respondet Doctor, requiri omnino consensum liberum, ita quòd si coactus sit, omninò reddat Matrimonium invalidum; quod pariter docent omnes Theologi & Canonistæ, ut patet ex capite *cùm locum*, & ex capite *Veniens*, *&c.* extra de sponsalibus, idque probat Doctor dist. 29. triplici ratione petitâ ex parte causæ formalis; quia ille contractus est donatio, ac proinde debet esse libera: *Secundò* ex parte causæ efficientis, nempe Dei, qui voluit talem consensum esse liberum. *Tertiò*, ex parte finis; quia hoc est necessarium ad debitam educationem prolis: *Primum* patet, in-

quit Doctor, quia iste contractus est datio, & licèt non liberalis, quia dat ut detur sibi æquale; est tamen libera datio, quia contra rationis dationem est, quòd non sit libera. *Secundò*, à causa efficiente; quia Deus talem instituit istam translationem summè liberam: unde non est istud ab Ecclesia determinatum, sed tantùm expressum: Patet enim, quòd etiam in lege naturæ erat istud requisitum in contractu Matrimonii, Genes. 3. *Adhærebit uxori suæ*: sed non adhæret quis illi, quod invitè tenet. Et Genes. 24. dicitur de Abraham, qui dixit servo suo: *Si nolueris mulier tecum venire, tunc liber eris à juramento*, & cùm peteret ille Rebeccam, dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus voluntatem ejus*, & statim quæsierunt parentes: *Vis ire cum homine isto?* Respondit, *ibo*. Tertiò, ex parte finis, quæ est proles procreanda, ex quo nascitur indissolubilitas vinculi. Ad istum competit istam dationem esse simpliciter liberam; quia (ut dictum est, & habetur ao. *quæst. 3 præsens*, quod quis non diligit, facilè contemnit. *Ita Doctor*, quibus non repugnat id, quod ait dist. 26. num. 15. cùm ait: *Aliquando Patres contrahunt pro filiis vel filiabus, præsentibus eis, non exprimentibus signa propria.* His enim verbis non intendit significare, quòd aliquando Parentes possint contrahere pro filiis absque eorum consensu; sed quòd parentes ex filiorum consensu; quasi procuratores pro eis possint contrahere. Porrò, quòd consensus Matrimonialis debeat esse liber, ut validum sit Sacramentum, significat S. Paulus, 1. ad Cor. 7. his verbis. *Qui vult, nubat*; unde Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. ait: *Cùm maximè nefarium sit, Matrimonii libertatem violare... præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscunque gradûs, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipsô factô incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quominus liberè Matrimonia contrahant.*

XV. Unde consensus ex gravi metu Matrimonium reddit invalidum.

Ex his sequitur, quòd consensus matrimonialis ex gravi metu injustè incusso ab extrinseco datus, reddat Matrimonium invalidum, & nullum. *Dixi primò, ex gravi metu*, ad insinuandum, quòd ille consensus, qui ex metu levi datur, non reddat invalidum Matrimonii contractum; cùm jura parvi æstimet levem metum, ut colligitur ex l. *nec timorem*. ff. de eo quod metûs causâ, &c. & ex cap. *cùm dilectus*, de his quæ vi, &c. Dixi secundò, *incusso ab extrinseco*, ut innuam, quòd metus gravis non reddat Matrimonium invalidum, quando venit ab intrinseco, & ut sic est causa, cur Matrimonium ineatur. Sic non est invalidum Matrimonium illud, quod quis post factam sibi propositionem illius, assumit tanquam medium vitandi supplicii, quod timet ob homicidium, aut aliud crimen ab ipso commissum. Ratio est, quia metus iste non infertur in finem Matrimonii: sed Matrimonium liberè supponitur eligi ad vitandam mortem; de sponsalibus idem dici potest. Dixi tertiò, *injustè incusso*, ut detur intelligi, quòd metus quanquam gravis, & incussus ab extrinseco, etiam in finem Matrimonii, non reddat invalidum Matrimonium, si justè incussus est. Id exemplô illustratur. Pater aliquis supponatur aliquem reperire cum filia fornicantem, & minari se illum ad Judicem delaturum, nisi filiam, cum qua fornicatus est, in uxorem accipiat. In hoc casu Matrimonium validum est, si fornicator ipse consentiat, & adsint aliæ conditiones ad Matrimonium essentialiter requisitæ.

XVI. Sicut & consensus factus verbis de futuro.

Collige secundò, nullum pariter fore Matrimonium, nisi consensus exprimatur verbis, vel signis de præsenti; nam, inquit Doctor, *dist.* 28. *num.* 2. Contractus Matrimonii qui inducit obligationem, vel vinculum, est datio pro alio recipiendo, quæ est permutatio, & traditio saltem mutua potestatis corporum: sed nullus promittendo tradit illud, quod promittit; quia promissio est de tradendo in futurum, seu de traditione facienda; non autem ipsa est actualis traditio, nec consequenter est contractus actualis Matrimonii; ac subinde non est Matrimonium, non solùm in ratione contractûs, sed nec in ratione Sacramenti: quia, ut ibidem inquit Doctor, Sacramentum non est signum prognosticum: nec consequenter intentio Ministri debet esse de futuro, sed oportet, quòd intendat pro præsenti, sicut signum significat effectum præsentem. In Sacramentis enim veritatis Minister non ministrat idoneè, si mentitur: ergo non est Sacramentum, si est consensus de futuro tantùm, propter defectum intentionis Ministri.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrum, & qualiter Matrimonium sit indissolubile?

DIXIMUS in præcedentibus, Matrimonii essentiam, & rationem formalem præcipuè consistere in vinculo Matrimoniali; quærimus autem impræsentiarum, quale sit istud vinculum, utrum videlicet perpetuum, & indissolubile esse debeat, quandiu uterque conjugum vixerit. Quæ controversia ut evidentiùs dissolvatur;

I. Matrimonii indissolubilitas oriri potest ex triplici lege.

Notandum primò, Matrimonii indissolubilitatem reperiri posse vel ex lege naturæ, quatenus videlicet illa suadet Matrimonii perpetuitatem, ratione videlicet finis, ad quem Matrimonium ordinatur, nempe legitimam filiorum procreationem, & educationem. *Vel* ratione legis divinæ positivæ, si nimirum Deus aliquô præceptô expressè prohibuerit Matrimonium dissolvi ante mortem alterius conjugum. *Vel* denique ex præcepto Ecclesiastico, utrum videlicet Ecclesia prohibuerit Matrimonii dissolutionem. Quæritur itaque, utrum Matrimonium hâc triplici lege sit indissolubile.

II. Quæritur utrum ei adversetur libellus repudii & fornicatio.

Notandum secundò, quæstionem maximè moveri de lege Mosayca & Evangelica, ratione videlicet *libelli repudii*, quem Judæis uxoribus infensis dare consueverant, ut eas ablegarent, & à domo, & à societate sua eliminarent, juxta illud Deut. 24. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos suos, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.* Quam utique legem videtur Christus D. denuò approbare Matth. 5. cùm dixit: *Dictum est, quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.* Verùm ibidem adorandus Salvator alterius difficultatis ansam subministrat, cùm statim subdit: *Ego autem dico vobis: quia omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adul-

terat. Similia repetit, cap. 19. v. 9. dicens: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Idem habetur Marci 10. & Lucæ 16. Movetur itaque difficultas, utrum in lege veteri Matrimonium per libellum repudii esset dissolubile, & in nova lege per fornicationem.

III. Triplex distingui potest conjugum separatio.

Notandum tertiò, conjugum ab invicem separationem posse triplicem distingui: *Primò*, quantùm ad bonorum fortunæ consortium, & mutuam possessionem. *Secundò*, quantùm ad torum, & mutuam cohabitationem: *Tertiò*, quantùm ad vinculum Matrimoniale, & contractûs Sacramentalis dissolutionem. Certum est autem Matrimonium esse dissolubile, & conjuges ab invicem separari posse, quoad bonorum fortunæ societatem; id enim in more positum est, ut dum alter conjugum omnium ære alienô gravatur, vel domesticam substantiam, & facultates rectè non administrat, ad postulationem alterius conjugum soleant Judices hujusmodi separationem statuere. Fit etiam interdum separatio quoad torum eâdem authoritate judiciali, propter molestam, & periculosam cohabitationem conjugum, maximè dum alter alteri grave damnum, putà mortem aut duram ac diram persecutionem intentat. Unde potissimùm restat examinanda, difficultas de dissolubilitate Matrimonii, quoad vinculum. Tria itaque hac in quæstione veniunt determinanda: *Primum* quidem, utrum Matrimonium generatim, & secundùm se spectatum sit indissolubile: *Secundum*, utrum dissolubile fuerit in lege Mosayca per divinam dispensationem, ratione repudii. *Tertium*, utrum dissolvi possit in lege Evangelica, ratione fornicationis.

Quis sit quæstionis scopus.

Conclusio Prima.

IV. Matrimonii indissolubilitas est de lege naturæ.

Matrimonium lege Naturæ, Divinâ, & Ecclesiasticâ, est omnino indissolubile.

Probatur prima pars: Tale est Matrimonium secundùm legem naturæ, quale fuit à Deo ut Authore naturæ institutum: sed institutum fuit à Deo prorsus indissolubile: igitur tale est ex lege naturæ. Major constat: lex enim naturalis alia non est, quàm ipsa Dei, ut Authoris naturæ hominibus insita ordinatio, quâ ad aliquid faciendum juxta rationis ductum stimulantur. Minor autem probatur: Deus Matrimonium in Paradiso terrestri, & in statu innocentiæ instituit prorsus indissolubile: sed illud tunc non instituit ut indissolubile per aliquod præceptum positivum: ergo lex tunc ab eo præscripta de Matrimonii indissolubilitate non fuit præceptum positivum, sed naturale. Minor constat; conveniunt enim Theologi, Deum in Paradiso terrestri nullum præceptum positivum imposuisse Adamo, præter unum, de non edendo fructu arboris vetitæ: igitur quodcunque aliud præceptum ab eo præscriptum non fuit positivum, sed naturale.

Major probatur: Deus enim instituendo Matrimonium in statu innocentiæ, voluit illud esse insolubile, ut Christus D. Matth. 19. declarat; ait enim: *Qui fecit hominem, ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ex quibus subinfert Christus: *Quod ergo Deus conjunxit,* nempe suô præceptô, *homo non separet.* Unde Bonifacius VIII. cap. unicô *de voto & voti redemptione* in 6. dixit, Matrimonii vinculum ab ipso rerum omnium Conditore, ipsum in Paradiso, & in statu innocentiæ instituente, unionem & indissolubilitatem accepisse. Unde Tridentinum sess. 24. initiô: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum, primus humani generis parens, divini spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo, &c.* Et paucis interpositis: *Ejusdem nexûs firmitatem ab Adamo tantò ante pronuntiatam, Christus his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et igitur in statu innocentiæ Matrimonii vinculum erat insolubile lege divinâ: Non positivâ: ergo naturali.

Divinitus declarata in Paradiso Terrestri.

Deinde natura duplicem appetitum animantibus ingenerat: alterum ad cibum, alterum ad generationem; inde duplex oritur intentio naturæ: *Primò* quidem conservandi individuum per alimenta necessaria, quod cùm in ipso perpetuò fieri nequeat: *Secundò* saltem intendit illud conservare per generationem alterius similis individui; cùm autem natura sit perfecta, non tantùm intendit ad generationem, sed etiam ad perducendum prolem ipsam ad perfectionem: perfecta autem educatio & procreatio prolis tria exigit: *Primâ* certitudinem ex parte Patris, cui potior incumbit cura prolis: *Secunda* educationem & instructionem quoad vitam & mores; cùm enim homo corpore & animâ constet, ad perfectam sui educationem, non solùm requirit alimenta corporis, sed etiam animæ, per diligentem morum instructionem. *Tertiò* tandem requiritur, ut filii succedant parentibus, quoad bona fortunæ: sed ad hæc tria necessaria est conjugum inseparabilitas; nam eorum separatio redderet prolem incertam, & impediret perfectam illius instructionem, & educationem; proles enim destituta à suo parente, alium non haberet, à quo posset instrui, nec in ejus naturæ bona posset succedere. Unde maximum detrimentum proli exinde inferretur, nec consequenter natura suum finem assequeretur.

V. Nec non ex lege divina positiva.

Constat eadem indissolubilitas Matrimonii, ac confirmatur per legem Dei positivam in Paradiso terrestri prolatam, his verbis: *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ubi locô verbi *adhærebit*, septuaginta Interpretes scripserunt, *agglutinabitur*; ut significetur conjunctio indissolubilis; quæ enim glutinô conjuncta fuerint, ea faciliùs franguntur, quàm solvantur. Hanc autem legem divinam non solùm renovavit, sed explicavit Christus, Matth. 19. nam repetitis iisdem verbis, *Relinquet homo, &c.* statim infert: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quòd inferiùs confirmat, quando addit *eum, qui dimissâ uxore aliam ducit, mœchari, & qui dimissam duxerit, similiter mœchari.* Ad quam utique divinam legem respexit Apostolus 1. ad Corinth. 7. dicens: *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.*

Idipsum patet etiam ex lege Ecclesiastica; nam, ut apparebit ex conclusione tertia, Matrimonii indissolubilitas etiam in causa fornicationis asserta fuit plurimis Ecclesiæ sanctionibus, & constitutionibus.

Dices primò: Quod sufficit ad rem constituendam, sufficit ad dissolvendam: sed mutuus conjugum consensus sufficit ad ineundum vinculum Matrimonii: ergo pariter sufficiet ad illud dissolvendum.

Respondeo ad majorem, illam esse veram in iis rebus, quæ ex natura sua sunt solubiles, de quarum numero non est contractus Matrimonialis, quem Deus voluit esse insolubilem; unde licèt dependeat à mutuo contrahentium consensu; quemadmodum & alii omnes contractus, qui possunt dissolvi per mutuum ipsorum contrahentium dissensum; tamen Matrimonium id habet speciale, quòd ordinetur ad finem, qui requirit insolubilitatem ex natura sua, nimirum ad prolis procreationem & educationem, adquam conjugum inseparabilitas necessaria est; unde quemadmodum anima rationalis licèt non producatur, nisi cum aliqua dependentia à corpore ritè organizato, & consequenter respectum dicat ad operationem agentis naturalis; attamen semel producta ab eo corrumpi non potest, quia naturâ suâ est incorruptibilis & immortalis: ita licèt Matrimonium aliquô modô pendeat à consensu contrahentium; attamen ubi initum est, non potest per eorum consensum solvi; quia naturâ suâ insolubilis est.

VI. Consensus conjugum qui sufficit ad ineundū Matrimonium non sufficit ad illud dissolvendum.

Dices secundò: Summus Pontifex dispensare non potest in his quæ sunt de jure naturali, divino, & positivo: sed plerumque dispensavit in Matrimoniis ratis, & non consummatis, ut constat ex facto plurium Pontificum, maximè Martini V. Eugenii IV. Pauli III. Pii IV. Julii III. Pauli IV. & Gregorii XIII. ut referunt Covarruvias IV. decret. part. 2. cap. 7. §. 4. Henriquez lib. 11. cap. 8. Navarrus in Summa cap. 22. quibus addi potest Spondanus in annalibus Ecclesiasticis ad annum 1599. num. 4. ubi asserit, ita judicatum fuisse ab octo Cardinalibus delegatis à Clemente VIII. circa dissolutionem Matrimonii inter Sigismundum Battorium, Transilvaniæ Principem, & Mariam Austriæ, quorum Matrimonium authoritate Apostolicâ dissolutum fuit.

Respondeo primò ad minorem, nonnullos etiam summos Pontifices illam sententiam ut minùs probabilem judicasse; unde in Matrimonio rato dispensare renuerunt, ut refertur de Innocentio VIII. unde Ledesma asserit, neminem ante Martinum V. hanc dispensationem concessisse; licèt per quatuordecim integra sæcula variæ hujus faciendæ dispensationis occasiones occurrerint.

VII. Quâ ratione summus Pontifex dispensare possit in Matrimonio rato.

Respondeo secundò, ipsos laudatos summos Pontifices ideirco in Matrimonio rato dispensasse, quòd fortè usurpaverint, & secuti fuerint opinionem, quam existimârunt probabiliorem, utpotu cùm apud Canonistas esset communis; quod utique in re utrinque probabili ipsis licuit: exinde tamen inferendum non est, reprobatam esse eorum Theologorum sententiam, qui judicant Matrimonialis vinculi indissolubilitatem firmatam esse lege naturali & divinâ positivâ.

Conclusio Secunda.

VIII. Per libellū repudii non solvebatur vinculum Matrimonii.

Probabilius est, quòd per libellum repudii non solvebatur Matrimonii vinculum: sed tantùm dispensabatur in pœna, quâ plecti debuisset, qui propriâ authoritate uxorem repudiasset. Ita Subtilis Doctor, *dist.* 33. *quæst.* 3. *num.* 9. quamvis enim oppositam sententiam ibidem probabiliter defendat, nihilominus addit: *Qui vult tenere primam opinionem, ad argumenta in oppositum potest faciliter respondere*; unde ipsemet *ibidem* solvit omnia argumenta adversæ sententiæ, sicut solverat fundamenta præcipua, quibus hæc nostra sententia nititur: unde hac in re saltem videtur problematicus.

Hanc verò sententiam apertè tuetur Seraphicus Doctor, *ibidem art. 3. quæst. 1. ubi ait:* "Dicendum, quòd secundùm quod dicit Dominus, repudium uxoris nunquam licitum fuit, ut sine culpa fieret, fuit tamen licitum, ut fieret sine pœna. Unde aliquid licere alicui potest duplici de causa; aut quia non obviat juris rectitudo, & sic repudium non fuit licitum; aut quia non obviat juris punitio, & hoc modô licuit uxorem repudiare; quia tunc non obviavit juris punitio."

Quòd autem reverà solùm impunè olim permissum fuerit Judæis, repudiare uxores, non autem licitè; itaut eas repudiando peccarent; quia perseverabat semper Matrimonium, quantùm ad vinculum; Probatur *primò* authoritate Christi D. Matth. 19. Cùm enim quærentibus Pharisæis, *liceret ne homini uxorem dimittere quacunque ex causa*, & respondisset non licere, eamque responsionem comprobasset ex prima Matrimonii institutione Genes. 2. proposuerunt illi objectionem ex lege Deut. 24. *Quid ergo*, inquiunt, *Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Tum Christus mandandi verbô in permissionem commutatô, veram legis intelligentiam aperuit, dicens: *Quoniam Moyses in duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic.* Quasi diceret *(inquit Estius dist. 33. §. 9.)* Vera & legitima institutio Matrimonii id non patitur. Unde nec Moyses mandavit tanquam bonum, sed permisit tanquam minùs malum, eatenus obsequens duritiæ cordis vestri, ut hoc malum non puniret, ne pejora consequerentur. Quô etiam consiliô usuræ in populo Judaico toleratæ sunt exercendæ in extraneos. De qua re idem Moyses in Deuteron. cap. proximè præcedenti, ait: *Non fænerabis fratri tuo ad usuram, sed alieno;* quod similiter permissivè, non præceptivè dictum esse in confesso est. Adde quòd videri potest ipsos etiam Pharisæos in sua interrogatione *mandati* vocabulum intellexisse generaliter, quia S. Marcus, cap. 10. refert eos Domino interroganti: *Quid vobis præcepit Moyses?* respondisse: *Moyses permisit libellum repudii scribere, & dimittere.* Quibus respondens Dominus ait: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.* Quô locô *præceptum* vel ad scriptionem libelli referendum est, vel generalem habet significationem, ut etiam permissionem comprehendat. Illius ergo præcepti seu mandati, id est, ordinationis divinæ sensum quærebant Pharisæi, quem & Christus eis exposuit, docens significatam esse nudam permissionem; quâ nimirum permittuntur minora mala ad præcavenda deteriora. Certè satis constat Pharisæos non sensisse, quòd esset præceptum dimittere uxores, quia tantummodò quærunt an liceat.

Ut colligitur 1. ex authoritate Christi D.

Eòdem pertinet doctrina Christi; Matth. 5. *Dictum est*, inquit, *quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii: Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, &c.* Quem locum tractans S. Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 14. sic ait: *Qui præcepit dari libellum repudii, non hoc præcepit, ut uxor dimittatur: sed ut dimittere volens det libellum repudii, ut iracundiam temerariè projicientis uxorem, libelli cogitatio temperaret.*

Quòd autem hæc sit genuina legis Deuteronomii 24. interpretatio, & explicatio, apparet, ex

ipsius

IX.
1. Ex ipsius legis verbis.

ipsius legis verbis; nam ipsa lex prohibens, ne repudiata, quæ alteri nupserat, mortuô secundô virô, reciperetur à priori, rationem hujus prohibitionis reddit, *quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino.* Atqui si dissolutum fuisset prius Matrimonium, & consequenter secundum legitimum extitisset, nullâ ratione dici potuisset polluta; polluta enim non est, quæ mortuô maritô iterum nubit: ergo dicitur polluta ratione adulterii cum secundo viro. *Confirmatur* ex illo Hieremiæ 3. *Vulgò dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego te suscipiam.* Quibus postremis verbis apertè significatur, mulierem repudiatam non solùm fuisse pollutam, nubendo alteri, sed etiam fornicariam; id enim postulat comparatio sibi à Deo facta.

X.
2. Ex SS. Patribus, maximè S. Ambrosio.

Idem docent SS. Patres, maximè S. Ambrosius lib. 16. *in Lucam*, ubi cùm probasset ex verbis Christi non esse dimittendam uxorem, objicit: *Quomodo*, inquit, *Moyses mandavit dari libellum repudii: Respondeat ei*, (supple sibi objicienti) *Dominus. Ad duritiam*, inquit, *cordis vestri, permisit vobis Moyses dare libellum repudii, & dimittere uxores; ab initio autem non fuit sic. Moyses permisit*, inquit, *non Dominus, &c.* ergo non fuit dispensatum ex mente S. Ambrosii. Et infrà: *Ostendit autem hic locus, quæ propter fragilitatem humanam scripta sunt, non à Deo scripta.*

Chrysostomo.

Similiter *S. Chrysostomus* homiliâ 17. in Matth. dicit esse minoris mali permissionem, non legem principalem. Item in illa; *Qui enim dimiserit*, &c. *Ille enim etsi alteram non duxerit, se constituit criminis ream, quòd adulteram fecit ex conjuge, hic verò accipiens alienam, adulter effectus est; nequaquam enim mihi referes; quia illam alter ejecit; nam expulsa etiam uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat*, &c. Et loquitur respectivè ad legem, & eos, qui in lege erant, ad quos referuntur verba Christi respondentis Pharisæis secundùm obligationem legis, ut apertè constat *ex loco sequenti, homiliâ 63. in Matthæum*, ubi explicans verba Christi huc spectantia, illud supponit per totum discursum, *in secundo membro*, asserens hanc tolerantiam fuisse, ne Judæi sanguinarii in uxores machinarentur homicidium. Speciatim autem in illa verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, &c. *Ita*, inquit, *ostendit, & præter naturam quidem, quia una caro inciditur; contra legem autem, quia cùm Deus conjunxerit, & jusserit non separare, ipsi contra præcepta Dei dimittendo uxores ausi sunt*, &c. ac proinde non fuit ex mente Chrysostomi cum iis ullô modô dispensatum.

Idem Author imperfecti inter eadem opera S. Chrysostomi *tom. 2.* qui malè adducitur in oppositum, nam homil. 32. in Matthæum, hanc partem apertè docere videtur: *Vide*, inquit in fine, *quia qui secundùm legem repudium dat, quatuor committit iniquitates*, &c. (*Secundùm legem, &c.* ergo loquitur de iis, qui sub lege erant, & utebantur repudiô ejus.) Primam, *quia quantùm ad Deum, existit homicida.* Secundam, *quia dimisit non fornicantem*, &c. Tertiam, *quia fecit eam adulterari.* Quartam, *quia accipiens eam, fecit adulterium*, &c.

Beda.

Idem docuit Beda in Matth. 19. transcribens dictum S. Ambrosii, ex utroque autem glossa interlinearis, quam citat Doctor *suprà*: sed ut cæteros posteriores omittam, eadem est sententia S. Augustini lib. 19. contra Faustum, cap. 26. & sequentibus ubi scribit: *Nam & illud de uxore non dimittenda*, inquit, *quod Dominus præcepit, cùm antiquis dictum sit: Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii, si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium: exposuit enim Dominus, quid lex voluerit, cùm passim dimittenti uxorem jusserit libellum repudii dare: neque enim ait*, (supple lex) *Qui voluerit, dimittat uxorem suam: cui esset contrarium non dimittere: sed utique nolebat dimitti uxorem à viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione [illegible]ractus absisteret, & quid mali esset dimittere, cogitaret*, &c.

Augustino.

Quod fusiùs prosequitur, explicando ipsam moram, & recursum ad Scribas, quibus tantùm libellum scribere licuit, qui ut erant in lege docti, ac prudentes dissuaderent factum. Scopus autem S. Augustini hîc est, ostendere, Christum non solvisse legem, sed adimplevisse, & declarasse; ac proinde legem de scriptione libelli non fuisse dispensationem, sed impedimentum transgressionis legis, ne aliud pejus consequeretur per uxoricidium. Quod amplius declarat in præcedenti capite, quoad reliqua præcepta. Hîc ergo Christus declarat veram legis sententiam, ex qua Judæi malè interpretabantur permissionem libelli repudii. *Ita Hiquæus* in comm. ad *dist. 33. num. 14.*

XI.
Mulier à viro repudiata, non poterat alteri nubere absque peccato.

Dices primò: Lex Mosayca non permittebat fœminis nubere duobus viris: sed per præfata verba *Deut. 24.* licitum erat mulieri repudiatæ nubere alteri viro: igitur per libellum repudii dissolvebatur prius Matrimonium.

Confirmatur; nam lex Moysis prohibebat *ibidem Deuter. 24.* ne repudiata, mortuô secundô maritô, unquam reciperetur à priori viro: at si libellus repudii non solvisset prius Matrimonium, non erat cur mulier mortuô secundô maritô, ad priorem convolare non posset, si illam recipere voluisset: igitur reverà per libellum repudii solvebatur vinculum Matrimonii.

Nego minorem: Nam, ut ait Christus D. Marci 10. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Igitur reverà non erat licitum, sed duntaxat toleratum ad duritiam cordis uxori dimissæ, alteri viro nubere.

XII.
Quare non poterat ultra priori viro sociari.

Ad confirmationem dico, idcirco dimissæ uxori non fuisse permissum ad alterum virum convolare, ne fortè iterum ipsi fieret ingrata, maximè quòd cum altero viro rem habuisset, & sic priori periculo occisionis subjaceret.

Adde, quòd summa exinde irrogaretur injuria & infamia priori viro, nec-non & legi, ut pote qui dimissam uxorem recipiendo, manifestè significaret, se perperam ei dedisse libellum; sicque inde colligeretur, legem de libello repudii præbere ansam ejusce repudiationis uxorum, & nimiùm favere virorum libidini ad novas nuptias convolantium. Quod utique significat Moyses, cùm prohibendo reversionem mulieris repudiatæ ad priorem virum, hanc causam profert: *Ne peccare facias terram, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam*: Id est, ne illa reversio occasionem præbeat querimoniæ adversus legem, quæ ita facilè uxoris repudiationem permitteret.

Instabis: Nulla lex permittere debet mala, propter bona exinde oriunda; nec minora mala, ut majora caveantur: sed ita esset de lege permitten-

te repudium; si reverà mulieres repudiatæ alteri A viro nubentes, commisissent adulteria; adulterium enim permissum fuisset propter cavendam ipsius uxoris trucidationem à priori viro: igitur fatendum est, ipsam uxorem cum altero non fuisse mœchatam.

Respondet Seraphicus Doctor locô suprà laudatô ad minorem: quòd Moyses tradendo legem „ de libello repudii, non permisit, nisi coactus, minus malum, propter majus vitandum; unde fuit

XIII. Quadruplex est permissionis genus.

„ ibi potius pati, quàm agere: Quadruplex enim „ distingui potest permissio. *Vnò modò* per privationem præceptionis, & sic Apostolus permittit „ minus bonum, quia non præcepit majus bonum, sicut virginibus nubere permittit. *Secundò modò* per privationem prohibitionis, & sic venialia dicuntur permissa, quia non sunt prohibita. *Tertiò modò* per privationem punitionis; & sic repudiatio uxoris est permissa, quia non punitur in lege. *Quartò modò* per privationem cohibitionis; & sic omnia mala dicuntur à Deo permissa; quia non cohibet. *Prima* permissio est propter boni qualitatem. *Secunda* propter nostram infirmitatem. *Tertia* propter vitanda majora mala. *Quarta* propter elicienda majora bona. Permisit ergo Moyses, quia non poterat prohibere hoc malum, quin triplex malum inde sequeretur. Primum quidem defectus Sacramenti, quia non vellent uxorem ducere. *Secundum*, multiplicatio fornicationis. *Tertium*, homicidium. C *Ita S. Doctor.*

Dices secundò: Apostolus 1. ad Corinth. 7. æqualiter dicit: *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem, solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Atqui posterius hoc non est præcepti, sed tantùm consilii, nempe *non quærere uxorem:* ergo & prius illud, *non quærere solutionem*, similiter consilii erat, non præcepti; & per consequens licebit ei, qui alligatus est uxori, quærere solutionem, quod fit per repudium, seu dimissionem uxoris.

Respondet Estius, si hoc argumentum urgeret, consequens fore, ut quacunque etiam ex causa, imò nulla ex causa liceat uxorem dimittere; quia juxta hanc ratiocinationem, semper consilii tantùm erit, non quærere solutionem. Proinde dicendum non esse illa duo similiter intelligenda, sed alterum quidem ut præceptum; alterum verò ut consilium; idqood satis indicat Apostolus, cùm de posteriori mox addit: *Si autem acceperis uxorem, non peccasti.* Nihil autem tale addit de priori, sed planè contrarium affirmat, tum eôdem capite, tum alibi.

Conclusio Tertia.

XIV. Matrimonii vinculum non solvitur per adulterium unius aut utriusque conjugis.

In lege Evangelica Matrimonium, quoad vinculum non solvitur per adulterium alterius conjugis. Hæc est maximè contra Græcos, qui unà cum hæreticis hujus temporis contendunt, in causa adulterii dirimi posse Matrimonia, & nova contrahere licere.

Probatur autem hæc conclusio, Primò quidem ex Scriptura sacra Marci 10. ubi cùm Christus D. dixisset Pharisæis, Moysem duntaxat Judæis permisisse libellum repudii ad duritiam cordis; ab initio autem non sic fuisse; quia Deus Matrimonium voluit esse prorsus indissolubile; &c. ac legem divinam innovans addidisset: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*: hac de re Discipulis iterum quæstionem moventibus, absolutè dixit: *Quicunque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium commisit super eam.* Item Lucæ 16. universaliter ait: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Ubi propositio universalis, *Quicunque*, & *Omnis*, nullam excludit causam dimissionis; igitur Christus verbis illis significat, ob nullam omnino causam, etiam ob fornicationem, posse alterum conjugum ad alias nuptias transire. Unde S. Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis capite 9. *Si quicunque hoc fecerit, ut uxore suâ dimissâ, alteram ducat, mœchatur: sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter, & qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim, Quicunque dimiserit, id est, omnis qui dimiserit.*

Ut indicat Christus D.

XV. Et Apostolus declarat.

Probari etiam potest hæc veritas ex illo Apostoli ad Rom. 7. ubi pariter absolutè pronuntiat: *Quæ sub viro est mulier, vivente virò alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri: igitur vivente virô, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*, &c. Quod testimonium egregiè urget sanctus Augustinus contra Pollentium lib. 2. de adulterinis conjugiis, cap. 2. ubi sic discurrit: *Quomodo igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; quandoquidem vir ejus ille jam non est, conjugali vinculò per mulieris adulterium jam solutò? Quò enim vivente virô, nisi suô, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro? sed nullum habens virum, nubendo erit cum suo viro. Quamobrem secundum doctrinam sanam, mulier alligata est, quandiu vir ejus vivit, id est, nondum è corpore abscessit. Hæc verba Apostoli, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur, licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob fornicationem.*

Idem apertè docet ipsemet Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 7. his verbis: *Iis, qui Matrimoniò juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* Ubi, ut rectè advertit S. Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis, cap. 1. & 2. loquitur Apostolus de justo ipsius discessu, nempe vel ob molestam cohabitationem viri, vel propter ipsius fornicationem; alioquin determinatè illi præciperet, ut viro suo reconciliaretur, non autem disjunctivè, ut vel id faceret, vel saltem maneret innupta: quare cùm Apostolus verbis illis innuat non licere mulieri; quæ propter mariti adulterium ab illo discessit, transire ad secundas nuptias, sufficienter indicat per mariti adulterium non solvi vinculum Matrimonii.

Quod utique sic confirmat Arcudius cap. 10. argumentô ex antecedentibus ipsius Apostoli verbis deductô: Quippe, *inquit*, in eodem septimo capite prioris ad Corinthios, cùm à principio virginitatem laudasset, atque dixisset: *Bonum est homini mulierem non tangere;* statim ista veluti quædam axiomata præmittit. *Propter fornicationem unusquique uxorem suam habeat, & unaquaque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem*

& vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite defraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas. His positis, atque iterum laudatâ castimoniâ & virginitate ab exemplo sui: *Volo*, inquiens, *omnes homines esse sicut meipsum, sed unusquisque proprium donum habet à Deo*, mox commemoratam subjicit sententiam. *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* At si hoc demus, nempe S. Paulum extra causam fornicationis permittère uxori virum dimittere, modò non nubat, & viro uxorem dimittere, modò alteram non ducat, omnia illa profectò antecedentia ejus enuntiata funditus evertimus. Non enim amplius ad evitandam fornicationem unusquisque uxorem suam habebit, neque unaquæque suum virum. Similiter uxori vir debitum non reddet, neque viro uxor. Item mulieri potestas sui corporis utique dabitur; non dissimili ratione viro. Ad hæc, fraudabunt se invicem, idque non ex consensu, neque ut vacent orationi. Postremò non iterùm revertentur in idem, & consequens illud erit, ut eos tentet satanas. Vides igitur, quam multa sequantur absurda unô illô concessô: Hic ergo est clarus, germanus, & verissimus sensus Apostoli dicentis, *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*, nimirum sine justa causa fornicationis; hoc enim præcepit Dominus, quòd si discesserit, causâ nimirum justâ inventâ, id enim permisit Dominus, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Refert enim Paulus esse præceptum Domini, & universè loquitur sine ulla exceptione: ergo ita est intelligendos; alioquin insufficienter explicavisset præceptum Domini. *Ita Arcudius.*

XVI.
Idem definiunt Concilia.

Eadem veritas definita est in plurimis Conciliis, maximè in Concilio Elibertitano *can.* 9. ubi Communionem interdicit mulieri, quæ ob viri adulterium, alteri nupserit. Similiter ex Concilio Milevitano, *can.* 17. in quo declarat, secundùm Evangelicam & Apostolicam doctrinam, nulli licere vivente conjuge ad alias nuptias transire. Idem statuitur in quadam Synodo Anglicana celebrata annô 663. quam refert Beda lib. 4. historiæ Anglorum, cap. 5. in qua statuitur, can. 10. *Si quisquam propriam expulerit conjugem legitimo sibi Matrimonio conjunctam, si Christianus esse rectè voluerit, nulli alteri copuletur: sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.*

Verum, omissis aliis similibus Conciliorum decretis, hanc veritatem expressè definierunt duo Concilia generalia, Florentinum videlicet in Decreto unionis Armenorum, ubi sic legitur: *Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cùm Matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum sit.* Et novissimè Tridentinum sess. 24. can. 7. his apertissimis verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse alterò conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissâ adulterâ aliam duxerit, & eam, quæ dimissô adulterô, alii nupserit, anathema sit.*

XVII.
Et docent SS. Patres Græci Clemens Alexandrinus.

Eandem veritatem constanter docent, ac tuentur SS. Patres & sacri Scriptores tam Græci, quàm Latini; imprimis verò Athenagoras in apologia pro Christianis, ubi ait, siquis priore dimissâ aliam ducat, non esse conjugium, sed adulterium. *S. Clemens Alexandrinus* in fine lib. 2. Stromatum affirmat, secundùm Scripturam adulterium esse, post separationem Matrimonio conjungi, vivô alterô ex separatis, cùm tamen paulò antè dixisset separationem fieri non posse, nisi ob fornicationem.

Sanctus Basilius in lib. de Virginitate circa medium ita scribit: *Talis uxor, vivente virò mœchatur, cùm per omne vitæ tempus adulteretur; imò verò quia fruitur voluptate, intemperanter scortatur: quia verò vivit vir ejus, illicitè mœchatur.* Ubi loquitur de muliere, quæ dimissa fuerat propter fornicationem, & censet, quòd si alium posteà virum agnosceret, quamvis non maritum, scortaretur, simul & adulteraretur, propterea quòd vir ejus vivat: existimat ergo S. Basilius, vinculum Matrimonii non solvi per fornicationem. Quod utique clariùs infrà demonstrat, cùm scribit: *Non audis verò, quòd etiam qui dimissam ducis, adulterium committis? Etsi enim*, inquit, *dimissa est propter causam, attamen vivit vir ipsius. Quid igitur vexas dimissam? neque concedis tempus & illi corrigendi seipsam in iis, propter quæ dimissa est, & ei, qui dimisit, ut ob correctionem ejus misertus, membrum suum rursus ad seipsum recipiat. Sed præcipis emendandi tempus, vivente viro dimissam in Matrimonium ducens. Sine*, inquit, *aut ad viventem reverti, simulque factam meliorem uxorem redire, aut neque viduam, neque uxorem existentem, culpæ, ob quam eam maritus dimisit, pœnam dare. Tu verò priusquam intelligat proprium, propter quod dimissa est, peccatum, illam ad conjugium rapiens, audaciorem ad peccata absurdè efficis, vivente quidem virò, semper alienam adulterans, facilem verò illam, ut dixi, ad peccata, quæ in convictu accidere solent, absurdè exercens. Quòd si is, qui eam ducit, quæ à mortali viro dimissa est, adulterium committens impiè facit, multò magis impiè per omne vitæ tempus adulterium committit is qui immortalis viri sponsam nunquam dimissam corrumpere audes.*

S. Basilius.

Ipsi concinit S. Gregorius Nazianzenus in secundo carmine, ubi recenset laudes virginitatis, & incommoda Matrimonii, cujus agnoscit indissolubilitatem, dum vocat malam uxorem pestem, quam nemo repudiare potest; scribit enim.

Nazianzenus.

Perspice quanta premant servos incommoda carnis,
Fœmina non parvâ mercatur dote maritum.
Quodque etiam gravius vitiosum sæpe & inertem.
Rursus emenda viro conjux, nec moribus illa
Prædita sæpè bonis, quæsita attractaque pestis,
Pestis, quam nullâ liceat ratione fugare.

Eandem doctrinam tuetur S. Chrysostomus pluribi; maximè verò *homiliâ* 17. *in Matthæi* cap. 5. ubi clarissimè demonstrat ex verbis Christi, hominem nullâ ratione posse vivente propriâ uxore quantumvis dimissâ, & rejectâ alteram docere. *Et homiliâ* 62. expendens illa: *Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*, ait. *Onerosum valdè videtur omni nequitiâ plenam dimittere, ac atrocem belluam unà secum intus inclusam perpetuò retinere.* Quæ certè non ob aliud dicit, quàm ob vinculum insolubile Matrimonii.

Chrysostomus.

Quod & clariùs ac evidentiùs declarat lib. de

virginitate circa medium, ubi expendens præfata verba Apostoli s. ad Corinth. 7. *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, &c. ait:* Quid autem, si vir moderatus est, uxor verò nequam, maledica, loquax, & quod commune est mulieribus vitium, sumptuosa, multisque aliis imbuta vitiis fuerit? Quomodo miser ille quotidianam hanc molestiam, superbiam, & impudentiam perferet? Quid si contra acciderit, probam illam & mitem esse, virum autem ferocem, insolentem, iracundum, pecuniâ etiam potentiâque admodum elatum, & inflatum, qui liberam habeat pro ancilla, nihiloque meliùs in eam, quàm in famulas sit animatus; quonam pactô ejusmodi necessitatem, vimque tolerabit? Quid denique si vir ab uxore continenter aversus perpetuò abhorreat? (Quod nimirum ut plurimum accidere solet, quando alterius ardet amore.) Perferas, *inquit*, omnem istam servitutem. Tantùm enim tui juris futura es, cùm is à vita migrârit *(en terminus solvendi Matrimonium, & nota voculam μόνον.)* Nam quandiu vixerit, alterutrum necesse est, vel ut eum magnô studiô regas, ac moderetis, melioremque facias, vel bellum minimè denuntiatum, perpetuumque prælium fortiter sustineas. At suprà quidem dixerat, *Nolite fraudare vos invicem, nisi fortè ex consensu;* hîc verò disjunctam ipsam à viro, vel invitam se continere jubet: *Maneat*, inquit, *innupta, aut viro suo reconcilietur.* Videsne ipsam mediam inter duo prælia, ut vel libidinis vim ferre, vel si id noluerit, &, à quo afficitur injuriis, assentari, & omnino ejus arbitrio seipsam præbere necesse habeat; sivè is verberibus, sive conviciis vexare, sive ludibrio, & despectu servorum subjicere, sive hujusmodi quippiam (quale nimirum est adulterium) committere voluerit; multas enim viri vias reperiunt, cùm volunt, inferendæ uxoribus injuriæ. Certè nullam quæ magis exasperet castam matronam, atque mariti adulterium quòd si ista injuriosa non tulerit, *(& si videlicet à marito disjunxerit)* continentiam colat oportet inutilem: inutilem, inquam, quòd eô non utitur fundamentô, quô deberet; non enim id sanctitatis studiô facit, sed irâ in conjugem incitatâ. *Maneat*, inquit, *innupta, aut viro reconcilietur.* Sed quid, *inquit*, si nunquam cum viro in gratiam redire voluerit? Habes illud alterum, quô te inde expedire possis. Quidnam id est? Expecta dum is tibi decedat. *(Ecce ad mortem indissolubilitas Matrimonii.)* Nam quemadmodum Virgini *(quæ videlicet virginitatem Deo voverit, de hac enim tractat. in hoc argumento Chrysostomus)* vivô ejus virô (immortalis autem is est) nunquam licet nubere, sic nuptæ, tantùm conjuge mortuô. (Nota similitudinem nihil valere, si fiat quoad vinculum separatio. Nam talis virgo etiamsi adulteretur, nunquam fit libera à Christi conjugio; itaut possit carnaliter alii nubere: Ita vertit & observat Arcudius.

Ambrosius. In idem conspirant Latini Patres, maximè S. Ambrosius; is enim libro 8. in 16. caput Lucæ, cur conjugia minimè dissolvi debeant, hanc videtur afferre rationem, ne videlicet filii pro patre vitricum, pro matre autem novercam habere cogantur; quin etiam propter filios debere Patrem matris culpæ veniam dare censet; quippe si daretur locus alteri conjugio filiis jam natis, malè à parentibus prospiceretur, & ipsius matris derelictæ probrum & injuria in filiorum dedecus redundaret.

Similiter sanctus Hieronymus in Commentariis super hæc verba Matthæi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, hæc habet: *Sola fornicatio*, inquit, *est causa, quæ uxoris vincat affectum; imò cùm illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scripturâ; qui adulteram tenet, stultus & impius est. Vbicunque est igitur fornicatio, & fornicationis suspicio, liberè uxor dimittitur, & quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret; sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam primâ vivente non habeat. Quod enim dicit, tale est, si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis uxorem, quare expertus infœlices priores nuptias, novarum te immittis periculo? &c.* Idem S. Doctor, quærens utrum mulier relictô virô adulterô, & aliô per vim acceptô, possit absque Pœnitentia communicare Ecclesiæ, vivente adhuc eô, quem priùs reliquerat; sic in epist. ad Amandum inter cætera scribit: *Omnes cautiones Apostolus computans apertissimè definit, vivente virò adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris authoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias, atque contemptum parentum, damna rei familiaris; quamdiu vivit vir, licèt adulter, licèt Sodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, ubi alterum virum accipere non licet.... Ergo ista soror, quæ, ut dicit, vim passa est, ut alteri jungeretur, si vult corpus Christi accipere, & non adultera reputari, agat Pœnitentiam; ita dumtaxat ut cum secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, à tempore Pœnitentiæ non copuletur.* (Hieronymus.) (Nota.)

Augustinus. At unus pro cæteris nobis sufficiat S. Augustinus, qui ubertimè hoc argumentum tractat duobus libris de adulterinis conjugiis, nec-non & lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 16. & 25. & lib. de bono conjugali, cap. 7. 18. & 24. maximè autem lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 10. ubi inter alia sic scribit: *Vsque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quàm cum his, cum quibus aliàs adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent.* Denique *mortuô virô, cum quo priùs verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo priùs adulterium fuit. Ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio, possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, sicut apostata anima, de conjugio Christi recedens, etiam fide perditâ, Sacramentum fidei non amittit; quòd lavacrum regenerationis accepit, redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui decesserit, ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii, &c.*

XIX. Favet etiã ratio, quia per fornicationem non licèt transire ad alias nuptias.

Suffragatur etiam ratio: Primò namque si per fornicationem maritale vinculum solveretur, per illam fieret liber transitus ad secundas nuptias: sed hoc est absurdum; alioquin melioris conditionis foret uxor, quæ causâ fornicationis, & peccati, quàm quæ innocens à viro injuriam & injustitiam ipsi faciente dimitteretur: quoniam illa alteri nubere posset; hæc verò non.

Insuper conjux adultera per repetitum adulterium viam sibi pararet ad alia, & alia Matrimonia,

sicque crimen suum in ipsius utilitatem, & voluptatem redundaret. *Secundò*, hæc solutio ansam præberet utrique conjugi adulteria patrandi; quando enim conjuges moribus & animis invicem dissiderent, aut alienô & adulterinô amore flagrarent, cuperentque se vinculis Matrimonii eximere; cùm scirent id fieri posse adulteriô, facili negotiô ad illud facinus patrandum prorumperent, aut certè verô crimine deficiente, alter alteri de adulterio calumniam, & accusationem intentaret, ut hâc viâ prioribus nuptiis expeditus ad optatas nuptias convolare posset; ac subinde illa vinculi Matrimonialis ob fornicationem discessio fomitem præberet, & occasionem plurium committendorum criminum; idcirco tanquam malorum fons, & incentivum respuenda est. *Tertiò* denique, uterque conjux per initum Matrimonium potestatem obtinet in corpus alterius, quod utique jus nullus ipsi unquam adimere potest: igitur quantumvis alter conjugum fornicetur, semper conjux innocens habet potestatem in ipsius corpus. Nec dicas ipsum renuntiare juri suo: hæc enim juris renuntiatio vim non habet solvendi vinculi Matrimonialis; quippe cùm fieri possit extra casum adulterii, quando vinculum istud non solvitur.

Objiciunt adversarii primò: Dominus Matthæi 19. disertè ait: *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur:* igitur à contrario sensu, qui dimittit ob fornicationem, & aliam ducit, non mœchatur. Hæc enim Christi sententia duarum orationum vim habere videtur, quarum altera affirmativa est, continens hujusmodi regulam: Si quis uxorem suam absque causa fornicationis dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur. Altera verò negativa est, quæ continet exceptionem ab hujusmodi regula, quam exprimit particula, *nisi*; hunc enim facit sensum: Non potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem.

Quòd autem hic sit genuinus sensus Christi, *confirmatur primò*; quia ibidem Christus D. interrogatus à Pharisæis de libello repudii, qui omnimodam uxoris dimissionem continebat, illum repudii libellum tollit his verbis: *Ego autem dico vobis, quòd omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quibus verbis abrogat quidem libellum repudii, excipit tamen casum fornicationis, in quo eum concedit; alioquin ad interrogata à Pharisæis de libello repudii directè non respondisset; si enim nullâ ratione in aliquo casu concessisset libellum repudii, non subjunxisset illa verba: Nisi ob fornicationem; sed absolutè & simpliciter dixisset: *Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur:* quippe stante nostrâ sententiâ, qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, sive ex causa fornicationis, sive non, semper mœchatur.

Secundò, Christus D. de illa dimissa uxore sine causa fornicationis, duo pronuntiat, *alterum*, quòd qui eam dimiserit, facit eam mœchari, *alterum*, quòd qui eam duxerit, mœchatur. Ex quo sequitur, quòd si dimittat ex causa fornicationis, non faciet eam mœchari. Alioquin vir semper culpandus esset, etiamsi in causa fornicationis dimitteret. Igitur si dimittens in causa adulterii, non facit eam mœchari, si cum alio copuletur; nec ille erit mœchus, qui cum ea conjungitur. Nam extra causam fornicationis, hæc duo dicuntur, quâ positâ, & existente utrumque tollitur.

Respondeo cum Arcudio ad primum: Primò verba illa Christi D. *nisi ob fornicationem*, solùm referri ad id, quod præcedit, id est, ad dimissionem & separationem quoad torum, & habitationem; non verò ad id, quod sequitur, scilicet ad contractionem Matrimonii cum priori uxore; itaut sensus illius exceptionis Christi sit: Quicunque dimiserit uxorem suam, hoc est, ab ea se separaverit quoad torum, & habitationem; quod utique facere non potest, nisi propter fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.

Respondeo secundò: Non rectè ex his verbis Christi inferri: ergo quicunque dimiserit ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur; nam hic quoque mœchatur, non ex eo quòd dimiserit, sed ex eo quòd duxerit aliam: illud enim, *nisi ob fornicationem*, non respicit, nisi permissionem, & primam partem sententiæ: quô sensu duo Christus D. ibidem asserit; Alterum, non licere dimittere uxorem quoad torum, nisi ob fornicationem: Alterum, non esse licitum quacunque ex causa dimittere quoad vinculum, quod quidem contingeret, si alteram duceret; tunc enim mœcharetur. Ex quibus inferri potest à contrario sensu: ergo qui ob fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit, non peccat dimittendo, sed mœchatur aliam ducendo, juxta illud Lucæ 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur.* Quare sive justè, sive injustè dimiserit, si tamen aliam non duxerit, neque cum illa rem habeat, non mœchatur. XX. *Explicantur verba Christi nisi ob fornicationem.*

Quam utique explicationem S. Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 9. illustrat exemplô petitô ex epistola S. Jacobi cap. 4. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. Quemadmodum*, inquit, *non rectè dici potest, si ergo nescit homo, non peccat (sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quàm scientium;) ita non rectè dici potest, ergo si causâ fornicationis dimiserit vir uxorem, & aliam duxerit, non mœchatur. est enim mœchatio etiam eorum, qui aliàs ducunt, relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor, quàm eorum qui non propter fornicationem dimittunt, & alias ducunt.*

Ad primam confirmationem respondeo, Christum D. interrogatum a Pharisæis directè respondisse, quòd liceat ob fornicationem uxorem dimittere, non tamen liceat aliam ducere: itaque unum à Judæis fieri solitum concedit, nempe dimissionem uxorum ob causam fornicationis: alterum verò removet, nempe nuptias cum alia nova uxore. *Vel* dicendum est, duplicem fuisse Judæorum in dimittendo uxores consuetudinem, & utramque perversam; alteram quidem ob quascunque causas dimittendi uxores; alteram verò dimissis prioribus alias ducendi. Utramque autem Christus damnavit, & corrigere voluit; at contra priorem quidem ait: Dico vobis, quòd quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur; quia videlicet fidem conjugalem violat, sibique & uxori periculum affert mœchandi. Contra posteriorem verò Judæorum consuetudinem, illud adjunxit, *& qui dimissam duxerit, mœchatur:* non aliam certè ob causam, nisi quia quæ dimissa fuerat ob fornicationem, non erat prioris Matrimonii vinculô soluta. *Ita Arcudius.*

Ad secundam confirmationem respondet, illud *nisi ob fornicationem*, non debere referri ad utrumque membrum orationis, sed tantùm ad primum;

perfecta enim dimissio duo continet, nempe dimissionem unius, & potestatem ducendi aliam: Primum Dominus approbavit, idque in causa fornicationis; posterius autem improbavit, & propterea illam exceptionem, *nisi ob fornicationem*, non adjecit in fine sententiæ, sed in medio post primum membrum; non enim dixit: Quicunque dimiserit, & aliam duxerit, nisi ob fornicationem, mœchatur. Unde illa exceptio cadit in id quod præcedit, non autem in id quod sequitur.

Objiciunt secundò, varias SS. Patrum authoritates; primò quidem S. Gregorii Nazianzeni, qui orat. 31. disserens de Matrimonio, ita loquitur: *Lex quidem omnes ob causas libellum dat repudii: at Christus non ob omnes, sed separari tantùm ab adultera uxore permittit. Idque propterea quia impudica genus corrumpit, & adulterat. Reliquis autem omnibus in rebus animi æquitate, ac patientiâ uti jubet. Igitur cætera omnia patienter, moderatè, ac sapienter feramus, vel ut rectiùs loquar, sapienter, & moderatè ferte quicunque Matrimonii jugum subiistis.* Sic ille, sed per libellum repudii antiquæ legis licebat alteram ducere. Igitur Christus in causa fornicationis idem permittit. *Et confirmatur* argumentô Ambrosii Catharini, quia si de dimissione quoad torum sermo esset, profectò non sola causa fornicationis fuisset excepta, cùm ex aliis etiam licita sit tori separatio, ut optimè sciunt, qui jura Ecclesiastica nôrunt.

Similiter S. Chrysostomus homil. 19. in cap. 7. ad Corinth. proponens quæstionem, cur liceat manere cum infideli; non autem cum fornicatore, cùm fornicatio sit minus malum infidelitate: respondet huic difficultati, quòd per fornicationem *connubium dissolutum est, universa munditia nuptiarum avolavit, atque discessit, maritus post fornicationem non est amplius maritus.*

XXI. Græcorum & hæreticorum erroneæ sententiæ non patrocinatur S. Gregorius Nazianzenus.

Respondeo, S. Gregorium Nazianzenum non adversari nostræ sententiæ; imò potius patrocinari; cùm enim libellus repudii duo contineret, nempe adulteram posse dimitti, & alteram posse duci, S. Gregorius hæc dividens, ait, Christum permisisse libellum repudii in eo tantùm, ut vir separet se ab adultera, non autem ut aliam ducat: si autem alteram ducere licitum esse fuisset opinatus, illud profectò non tacuisset.

Nec S. Chrysostomus.

Ad S. Chrysostomum dico cum Arcudio *cap.* 24. Matrimonium tripliciter posse considerari, nempe quatenus inchoatum, quod est desponsatio per verba de futuro: quatenus perfectum, quando contractum est per verba de præsenti, & quatenus consummatum per actum conjugalem. Porro quoad hunc tertium modum, negat S. Chrysostomus debere amplius esse Matrimonium inter conjuges adulteros; fieret enim innocens per commixtionem nocens; qui enim adhæret meretrici, fit unum corpus cum ea: atque ita fit ut vir non sit amplius vir, quantùm ad Matrimonium tertiô modô sumptum; quia videlicet non debet amplius rem habere cum uxore adultera, ne fiat particeps ejus criminis: unde eôdem sensu ipsemet dicit ibidem, uxorem adulteram, nullius esse uxorem, videlicet nec adulteri, nec prioris viri; pacta enim cum viro inita conculcavit, & ad adulterum cum debitis legibus non accessit.

Objiciunt tertiò: S. Ambrosium qui in Comment. ad illa verba 1. ad Cor. 7. *Quòd si discesserit, manere innupta*, ex sententia Apostoli viro tribuit jus ducendi aliam post divortium, licèt mulieri neget. Verba ejus hæc sunt: *Non enim permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causâ fornicationis dimiserit, quia inferior non omnino hâc lege utitur, quâ potior.* Deinde exponens illud: *Et vir uxorem non dimittat*, ait: *Subauditur autem exceptâ fornicationis causâ, & ideo non subjecit, dicens, sicut de muliere: Quòd si discesserit, manere sic; quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita constringitur vir sicut mulier, caput enim mulieris vir est.*

Respondet Magister sententiarum in 4. dist. 35. & S. Thomas super illa Apostoli verba, nec-non & Gratianus 32. q. 7. præfata verba non esse Ambrosii, sed fuisse à falsariis depravata, & Ambrosii Commentariis inserta. Verùm id difficile esset probare, reclamantibus omnibus exemplaribus.

XXII. Nec S. Ambrosius.

Respondet Arcudius cap. 26. cum aliis recentioribus Theologis, illos Commentarios in epistolas Pauli non esse Ambrosii, quod plurimis momentis probare nititur. *Verùm* quoniam ipsa momenta non mihi sat videntur efficacia ad elevandam horum Commentariorum authoritatem; idcirco rectiùs dicendum arbitror cum Pontio lib. 7. cap. 52. authorem horum Commentariorum ibi loqui de lege sæculi, non de lege Christi, seu de lege Julia suô tempore receptissima, quâ impunè tolerabatur, ut vir dimittens uxorem propter adulterium, alteri nuberet. Quam facultatem non habebat uxor innocens adulterante virô, eò quòd mulieris adulterium cùm prolem reddat incertam, aliquô modô gravius est. Porro hanc legem non approbat S. Ambrosius, imò disertè improbat lib. 1 de Abraham cap. 4. ubi de eadem lege dicit: *Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum, adulterium est; nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur castimonia: Quidquid in eam, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii damnatur crimine.* Similia habet Lactantius lib. 6. institut. cap. 23. *Non enim*, inquit, *sicut publici juris ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium; maritus autem, etsi plures habeat, à crimine adulterii solutus est: Sed divina lex ita duos in Matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit.*

XXIII. Nec Concilium Arelatense.

Objiciunt quartò canonem 10. Concilii Arelatensis primi, ubi sic statuitur: *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere; placuit ut in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licèt adulteris, alias accipiant.* Igitur Concilium supponit, quòd validè possint alias accipere; alioquin dixisset, hoc esse eis præcipiendum, non autem consulendum. Insuper proferunt decretum Zachariæ primi Pontificis, quod refertur cap. *Concubuisti* 32. q. 7. his verbis: *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ, neutram habeas; & si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit:* igitur censet Pontifex, quòd quando unus conjugum adulterium perpetravit, alter conjux innocens potest transire ad secundas nuptias, ac subinde solvitur vinculum Matrimonii per fornicationem.

Nego consequentiam: & ad Concilium Arelatense dico, illud consilium, quod suadet dandum, non esse intelligendum de aliis uxoribus accipiendis, sed de concubinis ad congressum illicitum non admittendis; ita quòd mens illius Concilii sit, hortandos esse adolescentes illos, quorum uxores fornicatæ sunt, ut servent continen-

tiam, & abstineant ab illicito concubitu cum alijs, qui licèt lege divinâ & humanâ sit prohibitus, nihilominus censent Concilii Patres, convenientiùs agendum cum illo viro per monitionem, & exhortationem, quàm per præceptum, ut tali admonitione provocatus, faciliùs obediat legi divinæ, & Ecclesiasticæ.

XXIV. Nec Zacharias summus Pontifex.

Ad decretum *Zachariæ* respondeo, illud sic debere intelligi, ut mulier illa alteri nubat post mortem viri sui adulteri; vel si ipsi duntaxat fuerit desponsata, non autem Matrimoniô copulata, alteri iterum possit desponsari, ut cum ipso legitimum, & validum Matrimonium contrahat, ita explicat Glossa in illud caput, *Concubuisti*.

Objiciunt denique: Causa propter quam vir, stante Matrimoniô, non potest ducere aliam, est quia non habet potestatem sui corporis; ex eo quòd corpus suum jam non est suum, sed uxoris ad Matrimonii usum est. Similiter corpus uxoris mariti est: at per adulterium liberatur par innocens hâc obligatione, idque permittente Domino, itaut corpus viri vel fœminæ, non sit amplius alterius, sed in propria sit potestate. Cur igitur non esset solutio vinculi?

Deinde, si Matrimonium sit inter Infideles, & alter eorum efficiatur fidelis, potest solvi etiam quoad vinculum: Cur igitur non in causa fornicationis? *Denique*, spiritualis fornicatio separat sponsum à sponsa, itaut sponsus valeat aliam sibi deligere; cur hoc non admittatur in carnali conjugio, cùm in carnali sit spiritualis significatio, ut dicit S. Paulus?

XXV. Quare stante Matrimonio vir non possit aliam uxorem ducere.

Respondeo ad primum cum Arcudio cap. 19. causam cur aliquis non possit ducere aliam uxorem vivente priore, non esse, quia non habet potestatem sui corporis, sed præcisè quia reperitur inter conjuges vinculum, idque indissolubile: ex quo tanquam effectus sequitur, ut qui vinculô conjugali constrictus est, non habeat amplius potestatem sui corporis. Porrò hic effectus in casu fornicationis cessit cum quadam limitatione: non enim vir ob uxoris adulterium, adeo liber evadit, ut suum corpus possit alteri tradere, sed tantùm in pœnam adulterii potest usum sui corporis ipsi denegare. Cessat itaque hôc modô ejusmodi effectus, durante causâ, nimirum vinculô, quod est de essentia Matrimonii.

Quomodo differunt Matrimonium ratum & legitimum.

Ad secundum dico cum eodem, hoc interesse discrimen inter Matrimonium legitimum, & ratum, seu quatenus est in officium naturæ, & prout est Sacramentum, quòd Matrimonium verum & legitimum, habet quidem indissolubilitatem quandam naturalem; ea tamen non est tanta, quæ in aliquo casu non possit dissolvi; Matrimonium autem ratum & perfectum seu consummatum nullam admittit dispensationem, nec subinde solutionem, propterea quòd significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ utique indissolubilis est, quâ conditione caret Matrimonium legitimum, & quod est tantùm in officium naturæ.

Ad tertium dico, spiritualem fornicationem separare quidem sponsum à sponsa, sive animam justi à Deo. Verùm inde inferre non licet, Matrimonium esse dissolubile: non enim Matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Deo, sed Christi cum Ecclesia; unde à dissolutione unius unionis, non licet inferre dissolutionem alterius. *Adde*, quòd per mortale peccatum non ita dissolvatur conjunctio animæ cum Deo, nec peccatum animam ita Deus abjiciat, quin cum ea possit reconciliari, imò eam ad reconciliationem inspirationibus provocat, & gratiis ac oblatis auxiliis adjuvat.

XXVI. Separatio quoad torum fieri potest multis de causis.

Ex his itaque sequitur, ob fornicationem dissolvi tantum posse Matrimonium quoad torum, & mutuam cohabitionem; si nempe conjux innocens nolit cum adultera cohabitare, & eam in societatem, & gratiam admittere. Hæc autem separatio quoad torum multis de causis fieri potest, quas egregiè & luculenter explicat Arcudius *cap.* 22. Primò quidem ex mutuo conjugum consensu ratione altioris statûs; quod fieri contingit, ut si conjuges perpetuam voveant castitatem, & propter Evangelicam perfectionem ad Religionem transeant. Unde est illud Salvatoris Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel agrum, vel uxorem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et iste casus non erat commemorandus a Christo D. dum interrogaretur de libello repudii. Nam Pharisæi intelligebant dimissionem uxoris ob aliquod crimen, seu aliquem defectum. Crimen autem propter quod dimittitur uxor, vel est adulterii, de quo Christus: *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, &c. Vel est crimen hæreseos, de quo intelligitur illud Apostolicum ad Titum cap. 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam correctionem devita.* Et illud Christi D. Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem*, &c. Vel absolutè est crimen aliquod lethale, ut si alter conjugum impellat alterum ad peccatum; quô sensu accipitur illud Matth. 19. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Hoc est, exponente S. Hieronymô. Si ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est utilis, atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam, melius est, ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas, quàm, dum vis lucrifacere cognatos, & necessarios, causas habeas ruinarum.

1. Propter perfectionis statum.

2. Propter hæresim cavendam.

3. Propter vitandam periculum peccati.

Cur itaque Dominus, & eum imitati nonnulli SS. Patres solam causam fornicationis expresserint, aliis criminibus prætermissis. Hujus rei duplicem rationem assignat Bellarminus lib. 1. de Matrimonii Sacramento cap. 14. §. *Dicendum*. *Alteram*, quòd hujusmodi crimina sint communia Matrimonio cum aliis confœderationibus; siquidem propter hæresim, & inductionem ad peccatum, non solùm conjux à conjuge, sed etiam filius à Patre, & frater à fratre, & servus à domino separari debet. Dominus autem peculiarem, ac propriam causam, quæ directè & per se opponatur Matrimonio, eô locô indicare voluit; cætera enim crimina per accidens se habent ad Matrimonium. Sola fornicatio opponitur per se fidei conjugali, ob quam cæteræ confœderationes non solvuntur, sed solum Matrimonium.

4. Maximè propter fornicationem.

Alteram, quia Dominus loquebatur de dimissione perpetua, de qua etiam interrogaverant Pharisæi. Hanc autem efficit sola fornicatio, quippe in aliis criminibus resipiscente conjuge, ac seriò se convertente, tenetur eum alter conjux recipere: At si semel fornicationem commiserit, & hôc modô fidem conjugi datam fregerit, non stando promissis, statim cadit suô jure, & alterum conjugem à debito reddendo per omnem vitam liberat. Neque cogitur alter eum recipere, etiamsi resipiscat, & seriò convertatur.

QUÆRIS 1. *Vtrum, & quò jure Matrimonium ratum possit dissolvi per solemnem professionem Religionis approbata?*

XXVII. Matrimonii rati vinculum solvitur per professionem religionis.

Respondeo primò, reverà posse dissolvi, ut apertè docet Concilium Tridentinum sess. 24. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit.* Eadem veritas colligitur ex decretis summorum Pontificum; constat enim cap. *Ex parte secunda*, de convers. conjugat. ubi Innocentius III. declarat: *Antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquò inconsultò, ad Religionem transire; ita quòd reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari.* Id etiam antè definierat, seu declaraverat Eusebius Papa & Martyr, ut refertur can. *Desponsatam* 24. q. 2. unde hæc veritas traditio Apostolica creditur, juxta regulam S. Augustini lib. 4. contra Donatistas cap. 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonne Apostolicâ authoritate traditum censeri debet?

Idipsum confirmatur variis exemplis Sanctorum, qui Matrimoniô initô, sed non consummatô, sponsas deseruerunt, ut perpetuam continentiam servarent, & religiosam vitam profiterentur. Sic S. Epiphanius hæresi 78. & S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus, referunt de *sancta Tecla*, Metaphrastes de *sancta Cæcilia*, S. Gregorius Magnus lib. 3. Dialogorum cap. 14. de quadam *Gregoria sanctimoniali*, & plurimi alii de *sancto Alexio*, quibus nonnulli censent præluxisse *S. Ioannem Evangelistam*; creditur enim ab ipsis Canæ Galileæ nuptiis, quibus ut sponsus intererat, à Christo D. fuisse vocatum ad statum Apostolicum, qui Religiosorum est exemplar.

Hujus veritatis alia non subest ratio à priori, quàm voluntas Dei dispensantis in vinculo Matrimonii, ut conjugatus totum sese divinis obsequiis, & officiis mancipet ac devoveat. Quæ utique divina voluntas nobis innotescit, non solùm per exempla Sanctorum ab Ecclesia probata, & etiam per eorundem vitam pietate illustrem ac miraculis confirmatam, sed etiam per ipsiusmet Ecclesiæ decreta suprà memorata. Nihilominus à posteriori proferri potest hæc ratio congruentiæ, nempe quòd ante carnalem copulam, inter conjugatos sit tantùm quoddam spirituale vinculum: sicut autem post carnalem copulam, vinculum illud carnale Matrimonii solvitur per mortem corporis; ita per professionem Religionis ante actum Matrimonialem solvitur spirituale vinculum, quod erat inter conjuges; quia Religio est mors quædam spiritualis, quâ aliquis sæculo moriens, vivit Deo.

XXVIII. Non quidē authoritate Ecclesiastica, sed ex dispensatione divina.

Respondeo secundò, Matrimonii rati vinculum non dissolvi authoritate Ecclesiasticâ, sed dispensatione divinâ, nempe Christi D. dispensantis in lege Naturæ & Evangelica circa Matrimonii indissolubilitatem. *Tum*, quia Ecclesia non potest solvere istud vinculum, nisi dispensaret in lege naturæ & Evangelica circa Matrimonii indissolubilitatem: sed hoc dici non potest: nam, ut ait Christus D. Matth 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: *Tum*, quia Ecclesia dispensare non potest in his, quæ sunt de jure divino naturali, & supernaturali, ut communiter docent Theologi contra quosdam Recentiores asserentes sum-

A mum Pontificem posse dispensare in aliquibus, quæ sunt de jure divino & naturali, non quidem per potestatem, quam habeat ex se, sed specialiter sibi à Christo communicatam, ob publicum Ecclesiæ bonum: ac subinde non potest dispensare circa dissolutionem Matrimonii, ratione professionis religiosæ.

XXIX Quare potius Matrimonium ratū quàm consummatum sic solvatur.

Nec obstat, quòd Matrimonium ratum & consummatum sit ejusdem generis & speciei; quodque utrumque sit Sacramentum: inde namque inferre non licet, Matrimonium ratum potiori jure non posse solvi per solemnem Religionis professionem, quàm consummatum. Siquidem votum solemne Religionis non solvit vinculum Ma- B trimonii tantùm rati ex natura sua, & per efficaciam propriam: sed ex privilegio Christi dispensantis in favorem Religionis circa indissolubilitatem Matrimonii rati potiusquam consummati; quæ dispensatio per Ecclesiæ decreta innotescit. *Tum*, quia licèt per Matrimonium ratum uterque conjugum jus accipiat in corpus alterius, unius tamen corpus nondum censetur perfectè translatum in ipsius usum; quippe cùm actualem ipsius possessionem non habuerit.

QUÆRIS 2. *Vtrum poligamia, seu uxorum pluralitas, sub uno viro sit illicita?*

XXX. Poligam adversatu legi divinæ

C *Respondeo primò*, ipsam legi divinæ adversari, ut constat ex ipsa primaria Matrimonii institutione, in quo Deus non pluribus, sed uni mulieri virum copulavit; unde de utroque in primis hominibus ad conjugium destinato sic loquitur, Gen. 1. *Masculum, & fæminam creavit eos*; quod etiam repetit *cap.* 5. per hoc significans non unum pluribus, sed unum uni in Matrimonio esse copulandum. Colligitur etiam ex *cap.* 2. ubi eadem Scriptura ait, quòd *vir adhærebit uxori suæ*, non uxoribus, *& quòd erunt duo in carne una*, non tres, vel plures. Quam etiam probationem Dominus innuit Matth. 19. cùm verbis illis ex Genesi repetitis, D hæc addit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*, quibus significat, Matrimonium ab initio institutum fuisse in eum effectum, ut duo, qui conjunguntur, fiant una caro. Quod certè fieri non posset, si unus pluribus jungeretur.

Unde S. Hieronymus exponens illa verba Christi Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fæminam fecit eos*, subjicit: *Dicendo, masculum & fæminam, ostendit secunda vitanda conjugia; non enim ait, masculum & fæminas, sed masculum & fæminam, ut unius conjugii consortia necterentur.*

Eâdem probatione utuntur SS. Chrysostomus, Anselmus, & Theophilactus in Commentariis ad E eundem locum S. Matthæi; quibus pariter subscribit Nicolaus I. ad consulta Bulgarorotorum cap. 5. ubi scribit: *Duas tempore unò habere uxores, nec ipsa origo humana conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus qui fecit hominem ab initio, masculum unum fecit, & unam fæminam tantùm, cui potuit utique si vellet duas uxores tribuere, sed noluit. Scriptum quippe est: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: non dixit uxoribus. Et iterum: Erunt duo in carne unâ, masculus scilicet, & fæmina in carne una, & non tres aut plures.* Idem ante eos duos Pontifices, censuerunt Siricius epist. 2. & Innocentius I. epist. 3. cap. 6. & plures alii, ut videre est apud Gratianum 32. quæst. 7. & in decretalibus titulô *de sponsa duorum*. Unde meritò

ritò Concilium Tridentinum sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit.*

Vnde eâ nô fuerunt uſi SS. Patriarchæ ante diluvium.

Confirmatur assertio ex eo, quòd si poligamia à Deo fuisset permissa, maximè eô tempore, quô propter hominum paucitatem, & necessitatem humanæ propagationis, nempe ab initio mundi usque ad diluvium, videbatur usurpanda: sed tunc temporis nullus SS. Patriarcharum legitur habuisse plures uxores, & solus Lamech ex stirpe reprobi Cain duas duxit, in quo mortaliter peccavit, ut docet Doctor *dist. 25. num. 8.* igitur signum est, quòd poligamia fuerit divinitus prohibita.

Deinde, si poligamia non esset divinitus prohibita, veteres Patres sub lege naturæ, vel scripta potuissent licitè, & absque ulla dispensatione plures uxores ducere: sed ita non est; nam, ut observat Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divortiis: *Nulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum.* Hinc S. Chrysostomus homil. 56. in cap. 30. Genes. docet consuetudinem habendi plures uxores in plurimis iniquam fuisse, & contra divinam dispensationem, & legem.

Eandem assertionem variis rationibus probare solent Authores, ut evincant poligamiam esse contra jus naturale. Verùm quoniam mihi videntur minùs efficaces, ideo solùm subjicio eam quam tradit subtilis Doctor *num. 3.* ubi cùm observasset in Matrimonio duplicem esse finem, unum primarium, nempe procreationem prolis, alterum secundarium, videlicet ut sit in remedium concupiscentiæ in natura lapsa; inde colligit *primò*, quòd in Matrimonio debeat intercedere commutatio corporum, quâ vir suum corpus tradit uni uxori, & uxor suum corpus transfert in potestatem unius viri; inde sequitur quòd ubi vir semel suum corpus transtulit in potestatem unius uxoris, & pro commutatione accepit ejusdem uxoris corpus, neuter eorum habet potestatem sui corporis, ac subinde ubi semel cessit jus in suum corpus, non potest amplius idipsum alteri tradere; quippe traderet alienum, & quod jam suum non est, & sic peccaret contra justitiam.

Colligit secundò, quòd licèt quantùm ad primum finem Matrimonii corpus viri sit majoris valoris, quàm corpus mulieris, quia pro eodem tempore idem vir potest plures mulieres fœcundare, mulier autem eadem non possit à pluribus viris eôdem tempore fœcundari, ut diversam prolem concipiat, & pariat; videretur bigamiam ex parte viri non esse contra legem naturæ, nec contra justitiam, si duntaxat primarium Matrimonii finem spectes; quia quantùm ad prolis procreationem, vir justè posset suum corpus cum tot mulierum corporibus commutare, quot posset fœcundare.

XXXI. Poligamia ex parte viri non est contra primariū finem matrimonii, sed contra secundarium.

Nihilominus quantùm ad finem secundarium, nempe pro fornicatione vitanda, æqualis valoris sunt corpus viri, & mulieris: Ideo, *inquit Doctor*, de stricta justitia pro statu naturæ lapsæ, considerando contractum istum, ut est ad utrumque finem, requiritur commutatio unius corporis pro unico. Et addo, quòd completio justitiæ in ista commutatione, non est, nisi ex authoritate superioris instituentis, vel approbantis talem commutationem: quia etsi res aliquæ sunt inferiorum Dominorum, tamen commutatio earum licita & justa, talis vel talis, determinatur à Legislatore; & multò magis in proposito, & de corporibus in comparatione ad Deum: ipse autem instituit, & pro statu innocentiæ, & pro statu naturæ lapsæ regulariter istam commutationem debere fieri unius cum uno: in hoc ergo est completa justitia. *Ita Doctor*, quibus significat ad strictam justitiam spectare, quòd vir, ubi semel suum corpus commutavit cum corpore mulieris, non potest illud alteri mulieri tradere, nec vicissim mulier suum corpus transferre ad alium virum; quia peccarent non solùm contra justitiam commutativam, sed etiam contra legem Dei, qui instituit tam pro statu naturæ innocentis, quàm lapsæ, ut ista corporum commutatio fieret unius pro uno.

XXXII. Deus tamen dispensavit circa poligamiam cum nonnullis.

Respondeo secundò, Deum dispensasse cum aliquibus antiquis Patriarchis post diluvium, ut plures uxores ducerent, putà cum Abrahamo, Jacobo, Davide, qui fuerunt viri sanctissimi, & tamen plures uxores habuerunt; imò 2. Regum cap. 12. Deus per Nathan Prophetam computat pro magno beneficio, quòd Davidi in sinu dedisset uxores Domini sui; ac subinde signum est, quòd cum ipso dispensaverat circa pluralitatem uxorum. Potuit autem Deus legitimè cum eis dispensare, *inquit Doctor num. 4.* quia majus bonum conveniebat ex revocatione prohibitionis de non ducendis plurimis uxoribus, quàm ex ipsius prohibitionis obligatione, & observantia: quia erat, *inquit Doctor*, tunc necessitas multiplicandi genus humanum ad cultum divinum, putà, quia pauci erant cultores Dei, quantùm possent, quia in sola successione eorum mansit fides, & cultus divinus: ergo pro tunc rationabile fuit dispensare, ut unus commutaret corpus suum pro pluribus corporibus mulierum ad majorem multiplicationem cultorum Dei, quæ sine hoc non fieret. Sic autem fuit dispensatum, ut præsumitur de Abraham, & quibusdam aliis Patribus.

Porrò hæc dispensatio non fuit contra justitiam, considerando contractum ex parte contrahentium; quia, inquit Doctor *num. 6.* Quando aliquid ordinatur ad duos fines, principalem scilicet, & *minùs principalem*, rationabile est uti illo, eô modô, quô magis valet ad finem principalem, licèt per hoc aliquid detrahatur fini minùs principali. Exemplum, cibus valet ad duo, scilicet ad delectationem, quæ est minùs principalis, & nutritionem, quæ est magis principalis: & conveniens est, ut aliquis utatur cibô eô modô, quo magis expedit nutritioni, licèt in hoc detrahatur delectationi. Ita contractus iste Matrimonii, & est ab bonum prolis, ut ad finem principalem, & ad vitandam fornicationem, ut ad finem minùs principalem: ergo secundùm rectam rationem debent contrahentes sic commutare, ut commutatio plus valeat ad procreationem prolis, licèt minùs valeat ad illam redditionem. Sed hoc fit in commutatione unius corporis viri pro pluribus corporibus mulierum, & sic hoc absolutè faciendum est in casu necessitatis; quia quando est validè necessarius finis principalis, negligendus est finis minùs principalis. Et ex hoc patet, quomodo ex parte partium est justitia: quia secundùm rectã rationem, utraque pars debet velle aliquid de jure dimittere in commutando, & recipiendo permutationem in comparatione ad minùs principalem, ut accipiat æquivalens in comparatione ad finem magis principalem, quem plus debet eligere, licèt debeat commutari aliquid de aliquo, quod esset sibi detrimentum remittere. Et quandoque est

XXXIII. Bigamia nunc absolutè est illicita.

necesse in aliquo casu, quando scilicet ad talem remissionem tenetur, & complere licet, & debet, quando à superiori est hoc ordinatum. Hoc patet *Genes.* 16. quia coëgit Sara Abraham, ut intraret ad Agar ancillam suam, ut vel sic haberet filium de ancilla, quem de ipsa habere non poterat.

Si objicitur, quòd pro tempore moderno esset bigamia illicita. *Respondet Doctor num.* 7. etsi illicita sit, eò quòd pro nunc non est a Legislatore dispensatum, imò reductum est ad illud legis naturæ: *Erunt duo in carne una*, per Christum, Matth. 19. tamen loquendo de justitia ex parte contrahentium, & contractûs, etiam modò non est illicita: sed pro tanto est illicita, quia nunc non est necessarius ille finis principalis, eò quòd multi vacant generationi fidelium, quia fides multiplicata est. Cessante igitur necessitate detrahendi secundo fini, propter necessitatem primi finis, servandus est contractus, itaut servetur ibi justitia respectu utriusque finis, scilicet quòd unus habeat tantùm unam, & è converso.

Posset tamen iterum fieri licita.

Si tamen contingeret casus per bellum, vel cladem, vel pestem, quòd multitudo virorum caderet, & multitudo mulierum remaneret, posset tunc bigamia esse licita, considerando præcisè justitiam ex parte commutantium: & deberent ex parte sua velle sic commutare mulieres cum viris plus pro minori, quantùm ad secundùm finem, licèt pro æqoali, quantùm ad primum finem: nec deficeret ibi, nisi completio justitiæ, quæ est ex approbatione divina, quæ fortè tunc fieret, & Ecclesiæ specialiter revelaretur.

Dices: Deus non dispensat circa obligationem juris naturalis: sed poligamia est contra jus naturæ: igitur Deus in eo cum Patriarchis non dispensavit.

XXXIV.
Quomodo poligamia sit contra jus naturæ.

Distinguit majorem Doctor: Deus non dispensat in jure naturæ primô modô sumpto, quatenus videlicet est principium practicum simpliciter notum ex terminis lumine rationis naturalis; qualia sunt ista principia practica, *Deus est colendus, parentes sunt honorandi, nemini faciendum quod quisque sibi fieri non vult, &c.* concedo: non dispensat in jure naturæ secundô modô sumpto, quatenus videlicet est quid sequens, & illatum per modum conclusionis ex primis principiis practicis, nego: Porro monogamia est de lege naturæ tantùm secundô modô; unde bigamia ipsi opposita, inquit Doctor *num.* 7. *&* 8. pugnat in jus naturæ tantùm secundô modô sumptum. Itaque inferre non licet, quòd poligamia secundùm se, & quavis datâ occasione semper sit illicita: Nam, inquit ibidem Doctor, aliquando potest esse necessaria, & justa, considerando justitiam ex parte commutationis, & commutantium, quando propter necessitatem ratio dictat illô modô debere commutationem fieri, & quando præceptum divinum adest. Veruntamen de Lamech absolutè concedi potest, quòd peccavit mortaliter, quia contra legem naturæ, licèt secundô modô, & non in casu, in quo recta ratio dictaret illam legem revocandam: nec superior dispensavit, imò fuit oppositum utriusque.

Dices secundò: Nusquam dispensatum est in biviria, nec licitum fuit uxori duos viros ducere: ergo nec è converso potest esse licitum plures habere uxores. Consequentia patet à paritate rationis; sicut enim per Matrimonium vir potestatem accipit in corpus mulieris; itaut mulier sui corporis potestatem amplius non habeat, sed vir; ita è converso vir conjugatus non habet amplius potestatem sui corporis, sed mulier.

XXXV.
Cur potius dispensetur in poligamia quam in biviria.

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quòd poligamia non opponatur fini primario Matrimonii, sed tantùm secundario; biviria autem opponitur primario, quia eadem mulier non potest a pluribus viris eôdem tempore fœcundari, sicut plures mulieres fœcundari possunt ab eodem viro.

QUÆRES 3. *Utrum, & quænam sint Matrimonii bona?*

XXXVI
Tria sunt bona Matrimonii.

Respondet S. Augustinus lib. 9. de Genesi ad literam cap. 7. *Bonum, quod habent nuptiæ, tripartitum est, fides, proles, Sacramentum: In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento, ut conjugium non separetur, ut dimissus aut dimissa, nec causâ prolis alteri conjungatur.* Idem habet pluribi, maximè lib. 16. de civitate cap. 34. nec-non & lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 11. ubi scribit: *Omne nuptiarum bonum impletum est in parentibus Christi, proles, fides, & Sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.*

Quæ egregiè exponit S. Bonaventura.

Hanc autem triplicem Matrimonialis boni distributionem ex multiplici capite egregiè colligit S. Bonaventura dist. 31. art. 1. q. 2. ubi scribit: Sufficientia bonorum Matrimonii potest accipi à *parte causæ instituentis*, sive efficientis: & sic à triplici principio. *A dictamine* scilicet *naturæ*, ut vir cubet cum muliere ad conservationem ipsius naturæ: & sic est bonum prolis. *A dictamine rationis rectæ*, ut vir cum sua, & non cum alia cubet muliere, & sic est bonum fidei. *A dictamine gratiæ*, ut significetur unio divinæ naturæ, & humanæ: & sic est bonum Sacramenti.

Potest etiam accipi à parte *principalis constituentis*, & hoc tripliciter: quia ad hoc, quòd Matrimonium habeat esse completum, tria sunt necessaria, scilicet institutio, usus, & fructus. *Ratione institutionis*, est bonum Sacramenti: *ratione debiti usûs*, est bonum fidei: *ratione fructus conferentis usum*, est bonum prolis: & sic patet, quòd est triplex bonum.

Potest denique excipi à parte finis moventis, sive terminantis, & hoc vel quia ad bonum, vel quia contra malum. Quia *ad bonum*, cum triplex sit eligendum, scilicet honestum, conferens, & delectabile. Ratione boni honesti est fides; ratione conferentis, proles; ratione delectabilis est Sacramentum, secundùm quod superiùs est monstratum. Vel aliter, quia *contra malum* concupiscentiæ, quæ habet in se triplex malum, scilicet fluxum, inordinationem & fastidium. Contra fluxum est in Matrimonio unio singularis; contra inordinationem, unio utilis; contra fastidium unio inseparabilis. Ratione singularitatis in unione est fides; ratione utilitatis proles; ratione inseparabilitatis Sacramentum. Et hæc tria signant triplicem proprietatem unionis Christi cum Ecclesia, quia scilicet nititur uni, & quia ex ea filios generat, & quia nunquam separatur. *Ita Seraph. Doctor.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De dispositionibus prærequisitis ad legitimum Matrimonium.

DUPLICIS generis dispositiones ad legitimum & Christianum Matrimonium agnoscunt Theologi, quarũ aliquæ sunt absolutè necessariæ, aliæ verò utiles, & quæ conducunt ad ampliorem ipsius fructum & effectum spiritualem, nec-non & fœliciorem conjugum statum ineundum; hîc autem non est sermo de posterioribus dispositionibus, utpote quæ nullam controversiam Theologicam præ se ferant, aut saltem quæ facili negotiô ex jam dictis, & infrà dicendis non possint dissolvi. Hæ namque dispositiones præcipuæ sunt, *primò*, quòd neuter contrahentium impedimentum habeat, quia cum impedimento, vel invalidè, vel saltem illicitè contrahetur, prout impedimentum erit dirimens, vel saltem impediens, de quibus agemus art. sequenti. *Secundò*, ut contrahentes ad Matrimonii statum Deô stimulante, ac suadente vocentur; cùm enim gravia & difficilia sint Matrimonii onera, opus est gratiâ & auxiliô speciali ad ea debita cum animi pietate & constantia perferenda. Opus est igitur ad hoc divinum auxilium obtinendum, quod conjuges divinitus ad Matrimonium evocentur; unde Proverb. 19, *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens*. Vel, ut legunt Septuaginta Interpretes, *A Domino uxor aptatur viro*. Quod utique perspicuum fit ex primo hominum connubio; Deus enim videns, quòd non esset bonum hominem esse solum, non tantùm fecit ei adjutorium simile sibi, producendo mulierem, quæ foret ipsius uxor; sed insuper *adduxit eam ad Adam* Gen. 2. quô significaret, neminem sibi; ut faustum fiat Matrimonium, debere aliam uxorem seligere, quàm eam, quæ à Deo destinata est. Quapropter quicunque Matrimonium inire contendit, necessum est, quòd id intendat, non ex motivo explendæ ambitionis, avaritiæ, aut libidinis; sed glorificandi Deum, salutem operandi, gignendi filios, qui Sanctorum ac Beatorum sortem ac numerum augeant: *Illæ enim*, inquit S. Isidorus lib. de Ecclesiasticis officiis, *sunt certæ nuptiæ, quæ in conjugio non libidinem, sed prolem requirunt: neque enim sic institutæ sunt, ut carnis voluptatibus serviant, sed tantùm ut fructum propaginis quærant*. De his, inquam, præparationibus amplior nobis non erit sermo, utpotè quarum declaratio Christianum Oratorem, ac concionatorem potiùs, quàm Theologum exigat. De his itaque solùm agemus in præsenti, quæ ad Matrimonium validè contrahendum necessariò prærequiruntur, qualia sunt *Sponsalia*, quæ sunt veluti futuri Matrimonii inchoationes. Ut autem omnia, quæ de Sponsalibus agitari solent à Theologis, non minori brevitate, quàm faciluate innotescant, singulas difficultates agitari solitas sub specialibus paragraphis expendemus.

I. Duplicis generis sunt præviæ dispositiones ad Matrim.

§. I.

Quid sint Sponsalia?

II. Unde dicta sint Sponsalia.

RESPONDEO *primò*, Sponsalia dicta esse à *spondendo*, & quidem ob istam duplicem causam: *Primò*, quia spondere idem est, ac spontè promittere: at in contractu Matrimonii spontanea promissio requiritur: ergo, &c. *Secundò*, quia mos erat olim, ut puella nuptura promitteretur viro à patre, vel tutore, aut amicis. Unde qui promittebantur, vocari solebant *sponsus*, & *sponsa*, quasi alteri promissus aut promissa, qui autem promittebant, *sponsores* dicebantur: ipse verò contractus, quô fiebat promissio, *sponsalia*.

Respondeo secundò, Sponsalia, quantùm ad nominis acceptionem, sumi tripliciter. *Primò*, pro futuri Matrimonii promissione. *Secundò*, pro Matrimonio contracto de præsenti non consummato, & hoc sensu conjuges *sponsi* appellantur: sic Maria Virgo Deipara, de qua dicitur Matth. 1. *Cùm esset desponsata Maria mater ejus* (Jesu) *Ioseph*. Lucæ 2. appellatur uxor ipsius Joseph, cujus ratio est, quia qui contrahit Matrimonium in præsenti, spondet in futuro officium conjugale. *Tertiò*, pro muneribus, quæ dabantur olim sponsæ à sponso; ut ex 1. Reg. 13. colligitur his verbis: *Non habet rex sponsalia necesse*; idest necesse non est ut David det munera Michol filiæ Saülis Regis.

Hîc autem de Sponsalibus, juxta primam acceptionem sumus acturi.

Definiuntur autem sponsalia à Nicolao I. cap. Nostrates 30. q. 5. *Futurarum nuptiarum promissio*. Dicuntur autem *promissio*, ut distinguantur à simplici proposito Matrimonii, quod vinculum & obligationem sponsalium minimè inducit. Additur, *nuptiarum futurarum*, ut secernantur ab ipso Matrimonio, importante consensum de præsenti. Porrò hæc promissio debet esse libera, seu voluntaria; nam sponsalia gravi metu contracta nulla sunt, & quemadmodum sine voluntario ac mutuo consensu contrahentium non fit validum Matrimonium; ita nec sponsalia rata sunt, nisi sponsus & sponsa in promissionem consentiant. Unde Sponsalia, quæ parentes interdum pro filiis ineunt ante legitimam eorum ætatem, rata fieri non possunt, nisi per filiorum consensum, cùm ad illam ætatem pervenerint: sicut nec illa rata esse possunt, quæ pro filiis legitimam ætatem habentibus parentes contrahunt, nisi filii tacitè vel expresè consenserint. Ille autem rationis usus ad ea sponsalia contrahenda sufficit, qui satis est ad peccatum mortale. Septennium enim requisitum à jure *l. de sponsalibus 2. ff. de sponsal. & cap. litteris, c. accessit. c. ad dissolvendum. de spons. impub.* pertinet solùm ad forum externum; nam in conscientia sufficit usus rationis, qui sufficere potest de committendum aliquod peccatum mortale; etenim sponsalia obligationem inducunt sub mortali, saltem extra casus exceptos; ac subinde advertentiam & deliberationem tantam requirunt, quanta requiritur & sufficit ad peccatum mortale committendum.

III. Sponsalia tripliciter usurpantur.

Unde convenientiùs Sponsalia mihi videntur definiri posse, his verbis: *Sponsalia sunt promissio mutua ac libera viri & fœminæ futuri Matrimonii inter legitimas personas.*

IV. Traditur sponsaliorum definitio.

Ex qua utique definitione tres sequuntur conditiones necessariæ ad sponsalia, ex parte promissionis, & totidem ex parte promittentium: Nam *primò* promissio debet esse *mutua*; quia, ut mox diximus, Sponsalia nihil aliud sunt, quàm futuri Matrimonii promissio; unde non sufficit quòd unus promittat & alter acceptet; sed necessum est quòd uterque reverà promittat; nam, ut docet Pontius lib. 12. cap. 4. si unus promittat, alter verò non repromittat, neuter remanet obligatus: Sponsalia enim sunt contractus cujusdam commutationis; itaut alter nec velit, nec possit velle se tradere, nisi sub conditione, quòd alter in compensationem se retribuat. Censet tamen Pontius, quod eô ipsô, quô alter alterius pru-

Conditiones ad sponsalia sunt tres ex parte promissionis.

1. Quòd sit mutua.

missionem acceptat, uterque manet obligatus, quia A nemo potest promissionem acceptare, nisi sub conditione repromissionis. Sanchez verò lib. 3. disp. 5. docet aliquem posse acceptare promissionẽ absque repromissione, in quo casu solus promittens manet obligatus, donec alter ex nimia dilatione repromissionis & Matrimonii, obligationem partis tacitè contemnere censeretur.

2. Manifestata.

Secunda conditio ex parte promissionis est, quòd sit manifestata; alioqui non posset ab homine, cui fit, acceptari; solus enim Deus, & hominis interiores affectus & motus inspicit, juxta illud 1. Regum 16. *Homo videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor.*

3. Per signa certa sensibilia.

Tertia conditio est, quòd illa promissionis manifestatio fiat certis signis sensibilibus, putà vel vocibus, vel nutibus, vel scripturis, quemadmodum diximus de Matrimonio.

Etiam tres sunt ex parte contrahentium.

Ex parte verò contrahentium prima conditio est, ut sint habiles ad ineundum Matrimonium: tales verò sunt, qui nullum habent impedimentum, saltem perpetuum Matrimonii contrahendi; nam qui habent impedimentum dirimens; imò & impedimentum perpetuum simpliciter impediens, ad Sponsalia contrahenda inhabiles sunt. De habentibus impedimentum dirimens, nulla difficultas; de habentibus verò impedimentum simpliciter impediens saltem perpetuum, res quoque clara; quia omnis promissio rei illicitæ est invalida, & consequenter non obligat, cùm nemo ad rem illicitam præstandam obligari possit: at quando est impedimentum impediens, saltem perpetuum, tunc Matrimonium redditur illicitum propter illud: ergo Matrimonii promissio, in qua Sponsalia ipsa consistunt, irrita & invalida est. Dixi, *saltem, quando perpetuum est impedimentum impediens*: quia Sponsalia contrahi possunt, quando impedimentum simpliciter impediens est duntaxat temporale, quia in hoc casu non promittitur res illicita, cùm res promittatur implenda solùm tempore quô licita evaserit; sic qui vovit castitatem ad tempus, validè Sponsalia contrahere potest eô tempore, quô viget votum, quamvis eô tempore Matrimonium licitè iniri D non possit: possunt quoque impuberes Sponsalia contrahere ante adeptam pubertatem, quamvis ante illam Matrimonium contrahere non possint.

1. Quòd nõ habeant impedimẽtum.

Secunda conditio ex parte contrahentium est, quòd habeant legitimam ætatem, quæ tam ex jure civili, quàm ex canonico, debet esse ad minùs septennium: De civili quidem constat ex *leg. in sponsalibus* ff. de sponsal. in qua dicitur, *posse sponsalia à primordio ætatis effici, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur. idest* (explicatio est legis) *si non sint minores. quàm septem annis.* De jure verò Canonico etiam liquet ex variis summorum Pontificum rescriptis, ut ex cap. 4. & 5. de *despons.* E *impub.* ubi Alexander III. interrogatus de sponsalibus juvenis cujusdam cum puella, respondet fuisse valida, si hæc ante desponsationem septimum annum ætatis compleverat, secus autem fuisse irrita. Et *cap.* 13. *eòdem titulò* Innocentius III. declarat, inter juvenem; & puellam, de quibus fuerat interrogatus, nec Matrimonium, nec sponsalia fuisse contracta, cùm constet puellam nondum ad septennium pervenisse. Et *cap. unicò eòdem tit. in* 6. Bonifacius VIII. affirmat, Sponsalia ab impuberibus contracta ante septennium, nulla esse, nisi posteà consenserint, & signô aliquô externô consensum suum expresserint.

2. Quòd habeant legitimam ætatem.

Hæc tamen, ut diximus, ita sunt intelligenda, ut si præcesserit usus rationis, etiam valeant sponsalia ante septennium inita, ut constat ex cap. 9. de desponsat. impuberum, ubi Alexander III. de illis sic ait: *Si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copulâ carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consentire, cùm in eis ætatem supplevisse malitia videatur.* Et cap. ultimô eôdem titulô, Innocentius III. consultus de puella, quæ contraxerat circa annum duodecimum, eratque dubium, an sufficientem ætatem attigisset, respondet in hunc modum: *Si puella nubilis non erat ætatis, & ætatem in ea prudentia non supplebat, procaldubio inter eos, non conjugium, sed Sponsalia contracta fuerunt.*

B *Tertia tandem & ultima conditio*, ex parte contrahentium Sponsalia, est ut liberè consentiant, saltem tacitè; quando nimirum parentes ipsis præsentibus, & tacentibus contrahunt, cap. unicô *de despons. impub. in* 6. Si verò alii hôc modô contrahant, censeo cum Sanchez *tom.* 1. *lib.* 1. *disp.* 21. *num.* 7. ipsorum silentium non esse sufficiens signum consensûs, quia *c. citatô* hoc de parentibus tanquam quid speciale statuitur, & illa regula, *qui tacet, consentire videtur*, vera est in favorem, non in præjudicium tacentis. Nihilominus non est omnino improbanda sententia Pontii *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 7. quòd præsumatur consensus etiam in eo casu: & multò magis, si ipsis C sponsis præsentibus contrahant eorum tutores, ut docuit Coninx, aut parentes contrahant coram filiis mancipatis, vel spuriis.

3. Vt liberè cõsentiant.

§. II.

Vtrum, & quomodo Sponsus, & Sponsa teneantur ad contrahendum Matrimonium?

V.

Sponsalia obligant 1. ad celebrandum Matrimonium.

Respondeo primò, Sponsalia legitimè inita inducere obligationem etiam sub mortali ad Matrimonium contrahendum: quod utique constat; nam ex contractu in gravi materia oritur obligatio justitiæ id implendi, quod promissum est, sub pœna peccati mortalis: sed promissio, in D qua Sponsalia essentialiter consistunt, est in re gravi: igitur obligant sub peccato mortali. Unde Innocentius III. cap. 2. de Sponsalibus ait: *Hi qui de contrahendo Matrimonio purè & sine omni conditione fidem dederant, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent.* Hinc si monitionem Pastorum respuant, cogi poterunt per Judices Ecclesiasticos ad implendum Matrimonium, ut constat ex cap. *ex litteris* 1. *de sponsat.* Cujus utique ratio est aperta, qui enim debitor est ex debito justitiæ, cogi potest per Judicem ad solvendum, & reddendum quod debet: at ille, qui debitè contraxit Sponsa- E lia, hôc modô debitor est: igitur per Judicem cogi potest ad solvendum quod debet, maximè quando nulla intervenit rationabilis causa, quæ ipsi libertatem faciat à contractu resiliendi.

Nec obstat id, quod habetur *leg.* 1. *cap. de Sponsalibus*, ubi dicitur: *Alii desponsata renuntiare conditioni, & nubere alii non prohibetur.* Hoc, inquam, non obstat; nam, ut observat Sanchez lib. 1. disp. 17. Lex illa Cæsarea tanquam injusta revocata fuit, & abrogata à Jure Canonico. Vel, quod verius existimo cum glossa, hæc lex præfatæ sententiæ non adversatur; siquidem loquitur de sponsalibus ex mutuo sponsorum consensu rescissis: possunt enim contrahentes ex communi consensu, inita Sponsalia irritare, iisque relaxatis,

2. Ad illud celebrandū tempore debito.

ac solutis validè ac licitè cum aliis contrahere. Qood quandiu factum non est, nisi aliud adsit impedimentum, tenentur Sponsus & Sponsa mutuò promissum Matrimonium celebrare; ita qoòd siquis eorum sine justa causa resilire velit, censeatur esse in statu peccati mortalis, ac subinde ipsi deneganda est Sacramentalis Absolutio, quandiu in injusta ipsa voloutate remanserit.

Contingere tamen potest per accidens, quòd interdum ad id non sint cogendi per censuras & pœnas Ecclesiasticas, quando videlicet evidens est periculum, ne ex hujusmodi Matrimonii contractione gravia scandala, vel incommoda oriantur. *Tum*, quia tunc solùm cogendi sunt ad ineundum Matrimonium, quando id Matrimonii fini expedit, nimirum debitæ filiorum procreationi, & educationi, ac mutuo obsequio inter virum & fœminam: sed in hoc casu Matrimonium ineundum non expediret huic fini, imò ipsi apertè adversaretur, si nempe perpetua forent inter conjuges dissidia: igitur, &c. *Tùm*, quia eo in casu nemini fit injuria; neque etiam parti innocenti, & postulanti Matrimonium, quia ipsius grave nocumentum cavetur, ac prudenter ejus quieti & tranquillitati providetur; ac subinde nullum ipsi fit detrimentum, & præjudicium. *Tum denique*, quia licitum est aliquando permittere minus malum, ut gravius caveatur: sed longè gravius malum est, quòd perpetua sint scandala, & continuæ inimicitiæ inter sponsum & sponsam, quàm quòd Sponsaliorum fides frangatur; igitur, &c.

Respondeo secundò, pari ratione eos teneri ad contrahendum Matrimonium, vel certô tempore, si quod præfinitum fuit; vel si nullum est præfinitum, primô tempore congruô secundùm judicium prudentium; vel saltem tempore utriusque consensu præfiniendo, itaut neutri parti contra voluntatem alterius in mora esse debeat. Excipitur tamen casus, quô pars videtur spontè dilationem celebrandi Matrimonii concedere; quod utique præsumitur, qooties non urget promissionis impletionem, cùm facilè posset.

3. Ad abstinendum ab illicitis.

Tertiò dico, Sponsalia obligare saltem mediatè ad abstinendum ab eis omnibus (exceptô ingressu Religionis, ac similibus de jure concessis) quæ si fierent à conjuge, forent contra finem Matrimonii: sicut enim in Matrimonio traduntur mutua corpora, ita per Sponsalia promittitur & traditur quoddam jus, saltem remotum in ipsa corpora: contra quod jus peccarent sponsi, si post celebrata sponsalia, fornicationem cum alio committerent.

Quale autem foret illud peccatum fornicationis, an verum adulterium, an verò præter malitiam fornicationis contineret etiam malitiam alterius peccati in ratione injuriæ; ita quòd non solùm esset contra castitatem & temperantiam, sed etiam contra justitiam in re gravi, controvertitur apud Theologos; *aliqui* enim censent cum Paludano in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. esse reverà adulterium; *nonnulli* verò cum Covarruvia 4. decretalium parte 2. cap. 1. existimant non esse peccatum mortale distinctum à peccato fornicationis: *cæteri* verò communiter docent, illud peccatum esse distinctum peccatum mortale in ratione injuriæ à peccato fornicationis, subindeque transferre peccatum fornicationis ad alteram luxuriæ speciem. *Tum*, quia qui fornicationem illam committit, præbet sufficientem causam solvendi Sponsalia, quod utique in levem injuriam non videtur convenire: nam culpa, quæ viro cordato non sufficeret ad repudiandam alterius amicitiam, non potest sufficere ad solvenda Sponsalia: *Tum*, quia licèt per Sponsalia Sponsus non habeat *jus in re* ad corpus sponsæ, nec vicissim sponsa ad corpus sponsi, quia hoc jus tantùm traditur per Matrimonium; attamen uterque habet *jus ad rem*; siquidem promissio facta in contractu Sponsaliorum obligans ex justitia, est promissio donandi corpus utriusque partis alteri ex contrahentibus; unde sicut qui promittit equum alteri, dat ipsi quoddam jus remotum in ipsum equum, & ipsi facit injuriam, si reddat eum deteriorem; ita & sponsus tradens corpus promissum sponsæ alteri ab ea, facit ipsi injuriam, & peccat peccatô speciali injustitiæ. *Tum*, denique, quia talis fornicatio cum aliena periculum præbet, ne nascatur proles, quam post celebratum Matrimonium teneantur conjuges communibus sumptibus alere; quod utique est contra justitiam, cùm enim bona sint communia inter conjuges, non potest maritus, reluctante uxore filium alienum & spurium in familiam suam inducere: igitur hoc peccatum non videtur simplex fornicatio, sed prætereà, habet quandam malitiam injustitiæ sibi annexam, & transfertur ad aliam à fornicatione speciem luxuriæ.

VI. Fornicatio cum aliena post sponsalia haberet annexā circunstantiā mutantem peccati speciem.

Non tamen est adulterium, quippe adulterium est alieni tori violatio; talis autem non potest esse fornicatio sponsorum; quippe cùm neuter eorum torô alterius fruatur: unde ex L. si uxor §. 3. ff. ad legem Juliam, quâ utitur Paludanus, contrarium ipsius sententiæ colligitur: nam talis lex utrumque peccatum distinguit, nempe violationem Matrimonii, quæ est adulterium, à violationem Sponsalium; tametsi utraque violatio dicatur ibi punienda his verbis: *Etiam in sponsa hoc idem* (scilicet crimen) *vindicandum; quia nec Matrimonium qualecunque, nec spem Matrimonii violari permittitur.* Unde sequitur tale peccatum reductivè solùm spectare ad speciem adulterii, sicut ipsa Sponsalia reducuntur ad Matrimonium, cujus sunt quædam inchoatio.

Nec obstat, quòd qui vovit ingressum Religionis, si labatur in peccatum carnis, non censeatur propter illud votum peccare peccato distinctô à fornicatione. Hoc, inquam, non obstat; licèt enim votum simplex Religionis se habeat ad votum solemne, sicut Sponsalia ad Matrimonium in hoc, quòd sicut votum simplex Religionis est tantùm nuda promissio: votum autem solemne adjunctam habet traditionem rei promissæ; sic Sponsalia rationem habeant promissionis corporum; nihilominus in hoc differunt, quòd per votum simplex Religionis, utpote soli Deo factum, Religio nullum acquirit jus in ipsum, qui vovit: at verò per Sponsalia sponsi acquirunt jus justitiæ in se invicem ratione mutuæ promissionis datæ, & acceptatæ: igitur non est utrobique paritas.

§. III.

Quibus de causis Sponsalia licitè dissolvi possint?

VII. Sponsalia dissolvi possunt.

RESpondeo, varias à Theologis, & Canonistis proferri causas, ab quas Sponsalia legitimè inita dissolvi possunt citra culpam dissolventium, quarum præcipuæ hîc assignandæ sunt.

1. Ex mutuo contrahentiū consensu.

Primò itaque Sponsalia dissolvi possunt ex mutuo contrahentium consensu, ut patet ex cap. 1.

de regulis Juris, ubi dicitur: *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*: ex hypothesi, quod naturâ suâ sit solubilis, qualia sunt Sponsalia. Quod etiam verum est, quamvis Sponsalia jura sint; siquidem juramentum non obligat, nisi in commodum partis, quâ remittente obligationem, tollitur materia juramenti. Ut autem hæc remissio fiat legitimè, necessum est, quòd utrinque sit libera; si enim una pars alteram metu, vel dolò ad remittendum induceret, inducens maneret obligatus in conscientia ad celebrandum Matrimonium. Secus autem est, si rationibus vel precibus non ita importunis partem alteram ad remissionem sollicitaret.

2. Ex defectu ætatis.

Secundò, Sponsalia inter impuberes contracta, adveniente pubertate, dissolvi possunt alterò illorum resiliente; quia videntur celebrari sub hac tacita conditione, *nisi ad pubertatem deveniendo resiliant*; quod utique verum est, quamvis nulla interveniat causa, præter solam voluntatem revocantis, ut habetur *extra de desponsat. impub.* cap. *de illis*, & cap. *à nobis*. Non est etiam necesse, quòd unus pubertatem adeptus alterius pubertatem expectet; nam frustra expectatur eventus, cujus nullus debet esse effectus, ut habetur cap. *cum contingit de officio. deleg.*

3. Per ingressum in Religionē.

Tertiò, dissolvuntur per ingressum Religionis, ex parte ejus, qui in sæculo remanet, non verò ex parte ejus, qui Religionem ingreditur. Prima pars constat. *Tum*, quia eò ipsò, quòd sponsus, vel sponsa Religionem ingreditur, videtur Sponsalibus, & Matrimonio renuntiare; ac subinde eò ipsò alter solvitur ab obligatione: *Tum*, quia notabilis mutatio in persona sponsi vel sponsæ, quæ redundare possit in alterutrius, vel utriusque contumeliam, sufficit ad dissolvenda Sponsalia, ut statim dicemus: sed per ingressum in Religionem fit notabilis mutatio in persona ingredientis, quæ cederet in contumeliam utriusque, si relictâ Religione invicem contraherent: vertitur enim in opprobrium, & dedecus Matrimonium inire cum eo, qui fuit Monachus, vel cum ea, quæ fuit Monacha: igitur eò ipsò, quò quis Religionem ingreditur, alter qui remanet in sæculo, liber censeri debet ad contrahendum cum altero.

Secunda pars communiter etiam docetur; quamvis nonnulli Theologi, & Canonistæ reclament; cùm enim contrahentes Sponsalia ex justitia obligentur ad celebrandum Matrimonium, nisi aliquô jure, vel ratione manifestâ ab hujusmodi obligatione eximantur, censendi sunt tandiu obligati, quandiu hujusmodi jus, vel ratio non adest: sed nullum jus, aut ratio manifesta potest assignari ex parte ingredientis Religionem; sed solùm ex parte remanentis in sæculo, nimirum notabilis mutatio status in altero facta: igitur per ingressum Religionis censeri non debent Sponsalia solvi ex parte ejus, qui Religionem ingreditur, quamvis solvantur ex parte illius, qui in sæculo remanet.

Nihilominus non est omninò improbanda opposita sententia, quam tuetur *Toletus lib. 7. cap.* 21. nempe quòd dum unus ingreditur Religionem, Sponsalia debent censeri dissoluta ex parte utriusque: quia sicut se habent Sponsalia ad Matrimonium; ita ingressus in Religionem, seu novitiatus se habet ad professionem: igitur sicut per professionem dissolvitur Matrimonium ratum: ita per ingressum Religionis, & novitiatum debent dissolvi. Censet autem Navarrus cap. 22. num. 26. utrumque tandiu obligari, donec secuta fuerit Religionis professio; quia nullus canon decernit Sponsalia dissolvi per solum Religionis ingressum, & alioqui dum sponsos adhuc novitius est, potest ad sæculum reverti, & contrahere. Quæ utique sententia licèt minùs probanda, non tamen est omninò improbanda.

4. Per simplex votum castitatis.

Quartò dissolvuntur per simplex votum castitatis, & susceptionem Ordinis sacri, idque ex parte utriusque contrahentis; quia quando duo vincula simul incompatibilia occurrunt, quod fortius est, & præstantius, debet prævalere: sed vinculum voti, aut suscepti Ordinis sacri incompatibile est cum vinculo Matrimonii, & ipso est præstantius, ac fortius vinculô Sponsaliorum; quippe cùm illud hominem Deo devoveat; hoc verò tantùm homini, & creaturæ: igitur debet prævalere; ac subinde unum per aliud dissolvitur. *Deinde*, Sponsalia censeri debent contracta tantùm sub hac conditione, *nisi alteruter perfectiorem statum elegerit*: sed status castitatis, sive continentiæ præstantior est statu conjugali: igitur per votum simplex castitatis, aut per susceptionem Ordinis sacri irritum fieri debet vinculum Sponsalium.

5. Per subsequēs matrimonium cum altero.

Quintò dissolvuntur per subsequens Matrimonium ratum cum altero; cujus utique ratio est aperta, quia Matrimonium est insolubile; ideoque per ipsum sponsio præcedens fit observatu impossibilis; ac subinde nulla ipsius remanet obligatio: nihilominus graviter peccat, qui contra fidem datam Matrimonium cum altera contrahit. Sunt tamen, qui existiment cum Pootio cap. 15. num. 4. quòd si alter sponsus velit expectare dissolutionem illius Matrimonii per subsequentem mortem, Sponsalia non solvuntur ex parte ejus, qui nupserat: nam juxta cap. 1. de sponsa duorum, cap. *sicut*, cap. *si inter*, &c. quæ decernunt Sponsalia dirimi per Matrimonium subsequens, solùm statuunt, quòd sponsus debeat manere cum qua nupsit, ex quo non sequitur, quòd obligatio Sponsaliorum ex parte ipsius dissolvantur.

6. Per fornicationē.

Sextò dissolvuntur Sponsalia per subsequentem alterutrius sponsorum fornicationem, non quidem ex parte peccantis, sed ex parte innocentis. *Tum*, quia in sponsaliaria promissione subintelligitur hæc conditio, nisi sponsus, aut sponsa in legem Matrimonii peccaverit: *Tum* etiam, quia si vir propter fornicationem uxoris justè potest illam à se dimittere, multò magis sponsus propter fornicationem sponsæ, poterit illam ad se non admittere, ut docet Innocentius tertius, cap. *Quemadmodum de jurejurando*. Quod etiam locum habet in puella rapta, aut vi oppressa; quemadmodum habet Glossa in idem caput. Porrò, quod diximus de fornicatione corporea, dicendum est etiam de fornicatione spirituali per hæresim vel apostasiam; hæc enim sufficiunt ad Sponsalia dissolvenda; tum propter periculum perversionis sponsi Catholici, tum propter periculum, ne futura proles hæresi inficiatur.

7. Per supervenientem notabilē mutationem in alterutro.

Septimò, dissolvi possunt Sponsalia propter notabilem mutilationem, vel deformitatem supervenientem sponso, aut sponsæ, aut gravem, diuturnum, vel perpetuum morbum, veluti lepram aut paralisim priùs incognitam; ex quibus contingere potest, quòd sponsus, vel sponsa sit inhabilis ad officium Matrimonii, vel alteri compatti odiosa, & ingrata: quo in casu is, qui sanus, & integer permanet, solvitur ab obligatio-

ne; ita enim docet Urbanus III. cap. *litteras*, extra de conjugio leprosorum, & Innocentius III. cap. *Quemadmodum*, extra de jurejurando. Ex quo patet hunc casum etiam ad jurata Sponsalia extendi.

Octavò, per longinquam peregrinationem, seu absentiam alterius, alter, seu altera sponsione liberatur. Quô casu quamvis jus civile biennium :orum præcipiat expectari; jure tamen Pontifi- :iô, post cognitam sponsi in remotas terras proectionem, nullum tempus ad expectandum præ- :ribitur: quia ille per talem discessum censetur iri suo renuntiare. Ita declarat Pontifex cap. *De illis*, extra de Sponsalibus.

Nonò, solvi possunt si gravis inimicitia inter ponsos, vel eorum parentes intervenerit: item sævitia, seu morum asperitas sponsi priùs ingnita, posteà comperta fuerit: justa enim in :oque est ratio recedendi ab eo quod pactum erat.

Decimò, solvuntur per hoc quòd non implentur aditiones promissæ, sive id voluntariè fiat, sive involuntariè, velut cùm dos promissa non statur. Ratio est, quia promissio pendebat à ditione. Idem dicendum de paupertate superveniente alterutri sponso post contracta Sponsalia; paupertas enim est mutatio statûs notabilissima; quæ utique sufficit ad dissolutionem Sponsaliorum. Si autem contingat alterutrum sponsorum novâ hæreditatis accessione ditiorem effici, non propterea potest Sponsalibus renuntiare; quia per hoc non potest dici deceptus in sponsæ conditione, aut per errorem in Sponsalia consensisse: quia non erravit circa objectum sui consensûs: nec aliud in ipso notabiliter mutatum est, sed tantùm circa propriam conditionem, quæ præter spem proximi eventûs melior facta est.

Plures sunt aliæ hujusmodi Sponsaliorum dissolvendorum causæ, quas videre est apud Sanchez, Canonistas, & Summistas seu Theologos Morales, quos communiter Casuistas appellant, in quibus referendis & discutiendis diutiùs immorari superfluum duxi, utpote cùm facili negotiô ex assignatis colligi possint, & innotescere.

Observandum nihilominus, quòd toties universim Sponsalia dissolvi possunt per quodcunque accidens superveniens, quoties si reverà extitisset, aut fuisset prævisum, verisimiliter, & rationabiliter Sponsalia non fuissent contracta: Hæc tamen non sunt pensanda secundùm præsentem sponsorum animi affectum, & motum, sed libranda sunt juxta ipsorum conscientiæ dictamen, quô quisque judicare debet coram Deo scrutatore cordis, utrum reverà Sponsalia non contraxisset, si id, quod accidit extitisset, aut prævidisset.

Advertendum pariter circa Sponsaliorum dissolutionem, quòd si illa publicè contracta fuerint, & causa dissolvendi non sit manifesta, ac publicè nota, necessum est ad ea dirimenda, quòd interveniat Ecclesiæ authoritas, ut scilicet vitetur scandalum; cujus si nulla adsit occasio, poterunt sine ipsa publica Ecclesiæ sententia, & per solos contrahentes dissolvi.

ARTICULUS TERTIUS.

De impedimentis Matrimonii.

CUM Matrimonium sit essentialiter contractus pendens ex libera & voluntaria contrahentium voluntate, qui cùm si sint fideles, subjiciuntur legibus, non solùm politicis & civilibus Principum, & Reipublicæ; sed etiam Ecclesiasticis, & Canonicis: inde fit, quòd sponsi invicem non possint valide aut licitè contrahere, nisi juxta canonum præscripta; quòd si secus fiat, illiciti aut invalidi censentur eorum contractus.

Hinc varia à Theologis & Canonistis præscribuntur Matrimonii impedimenta, quæ ut distinctiùs, & clariùs à nobis declarentur, singula sequentibus in Paragraphis expendemus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Matrimonii impedimentum?

MAtrimonii impedimentum in genere dicitur, *quod præexistens contractui Matrimoniali incundo positivè aut negativè, invalidum, vel illicitum Matrimonium efficit jure naturali, aut divinò, aut humanò.* Primò dicitur, *quod præexistens*; ut enim reverà impedimentum efficiat Matrimonium invalidum, aut illicitum, necessariò debet præexistere; enimverò si tantùm ut superveniens attendatur, vel solùm Matrimonii usum, & actum prohibet, sicut copula cum sorore uxoris superveniens post Matrimonium; vel omninò vinculum dissolvit, ut votum solemne castitatis in Religione approbata, ante ipsius initi Matrimonii consummationem. Additur, *seu positivè, seu negativè*: non enim necesse est, ut quid habeat rationem impedimenti Matrimonii, quòd semper sit aliquid positivum, quale est impedimentum criminis, voti castitatis, raptûs, &c. sed sufficit, quòd sit quid negativum, quale est impedimentum impotentiæ, absentiæ Parochi, &c. Sequitur, quod ab initio *Matrimonium invalidum, aut illicitum reddit*: impedimentum enim, ut mox dicemus, est vel *dirimens*, & sic Matrimonium reddit invalidum, & nullum; vel *solùm impediens*, & sic illicitum efficit: quod utique fieri potest dupliciter; *Primò* quidem mediatè, quando, scilicet personæ, ratione legis Ecclesiasticæ aut civilis redduntur inhabiles ad contrahendum; *Secundò* immediatè, quando contractus ipse fit vel invalidus, aut illicitus ratione prohibentis legis canonicæ aut civilis. Additur tandem, *jure naturali, &c.* sunt enim quædam impedimenta, quæ naturali jure Matrimonium ipsum invalidum efficiunt, qualia sunt impedimenta erroris circa personam, consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ, amentiæ perpetuæ, & impotentiæ ad actum Matrimonialem; alia verò, quæ jure duntaxat positivô Matrimonium contrahendum impediunt, & dirimunt contractum, qualia olim erant impedimenta consanguinitatis in secundo gradu, & in gradibus inferioribus lineæ collateralis, tempore legis Mosaycæ, ut præscribitur *Levitici* 18. Alia denique solô humanô jure sunt dirimentia, cujusmodi sunt impedimenta criminis, raptûs, &c.

I. Quid sit impedimentum.

QUÆRES 1. *Vtrum, & quò jure Matrimonium ratum possit dissolvi per solemnem professionem Religionis approbata?*

XXVII. Matrimonii rati vinculum solvitur per professionem religionis.

Respondeo primò, reverà posse dissolvi, ut apertè docet Concilium Tridentinum sess. 24. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit.* Eadem veritas colligitur ex decretis summorum Pontificum; constat enim cap. *Ex parte secunda*, de convers. conjugat. ubi Innocentius III. declarat: *Antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquò inconsultò, ad Religionem transire; ita quòd reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari.* Id etiam antè definierat, seu declaraverat Eusebius Papa & Martyr, ut refertur can. *Desponsatam* 24. q. 2. unde hæc veritas traditio Apostolica creditur, juxta regulam S. Augustini lib. 4. contra Donatistas cap. 24. » Quod universa tenet Ecclesia, nec » Conciliis institutum, sed semper retentum est, » nonne Apostolicâ authoritate traditum censeri » debet?

Idipsum confirmatur variis exemplis Sanctorum, qui Matrimoniô initô, sed non consummatô, sponsas deseruerunt, ut perpetuam continentiam servarent, & religiosam vitam profiterentur. Sic S. Epiphanius hæresi 78. & S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus, referunt de *sanctâ Teclâ*. Metaphrastes de *sanctâ Cæciliâ*, S. Gregorius Magnus lib. 3. Dialogorum cap. 14. de quadam *Gregoria sanctimoniali*, & plurimi alii de *sancto Alexio*, quibus nonnulli censent præluxisse *S. Ioannem Evangelistam*; creditur enim ab ipsis Canæ Galileæ nuptiis, quibus ut sponsus intererat, à Christo D. fuisse vocatum ad statum Apostolicum, qui Religiosorum est exemplar.

Hujus veritatis alia non subest ratio à priori, quàm voluntas Dei dispensantis in vinculo Matrimonii, ut conjugatus totum sese divinis obsequiis, & officiis mancipet ac devoveat. Quæ otique divina voluntas nobis innotescit, non solùm per exempla Sanctorum ab Ecclesia probata, & etiam per eorundem vitam pietate illustrem ac miracolis confirmatam, sed etiam per ipsiusmet Ecclesiæ decreta suprà memorata. Nihilominus à posteriori proferri potest hæc ratio congruentiæ, nempe quòd ante carnalem copulam, inter conjugatos sit tantùm quoddam spirituale vinculum: sicut autem post carnalem copulam, vinculum illud carnale Matrimonii solvitur per mortem corporis; ita per professionem Religionis ante actum Matrimonialem solvitur spirituale vinculum, quod erat inter conjuges; quia Religio est mors quædam spiritualis, quâ aliquis sæculo moriens, vivit Deo.

XXVIII. Non quidè authoritate Ecclesiastica, sed ex dispensatione divina.

Respondeo secundò, Matrimonii rati vinculum non dissolvi authoritate Ecclesiasticâ, sed dispensatione divinâ, nempe Christi D. dispensantis in lege Naturæ & Evangelica circa Matrimonii indissolubilitatem. *Tum*, quia Ecclesia non potest solvere istud vinculum, nisi dispensaret in lege naturæ & Evangelica circa Matrimonii indissolubilitatem: sed hoc dici non potest: nam, ut ait Christus D. Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: *Tum*, quia Ecclesia dispensare non potest in his, quæ sunt de jure divino naturali, & supernaturali, ut communiter docent Theologi contra quosdam Recentiores asserentes summum Pontificem posse dispensare in aliquibus, quæ sunt de jure divino & naturali, non quidem per potestatem, quam habeat ex se, sed specialiter sibi à Christo communicatam, ob publicum Ecclesiæ bonum: ac subinde non potest dispensare circa dissolutionem Matrimonii, ratione professionis religiosæ.

XXIX. Quare potius Matrimonium ratū quàm consummatum sic solvatur.

Nec obstat, quòd Matrimonium ratum & consummatum sit ejusdem generis & speciei; quodque utrumque sit Sacramentum: inde namque inferre non licet, Matrimonium ratum potiori jure non posse solvi per solemnem Religionis professionem, quàm consummatum. Siquidem votum solemne Religionis non solvit vinculum Matrimonii tantùm rati ex natura sua, & per efficaciam propriam: sed ex privilegio Christi dispensantis in favorem Religionis circa indissolubilitatem Matrimonii rati potiusquam consummati; quæ dispensatio per Ecclesiæ decreta innotescit. *Tum*, quia licèt per Matrimonium ratum uterque conjugum jus accipiat in corpus alterius, unius tamen corpus nondum censetur perfectè translatum in ipsius usum; quippe cùm actualem ipsius possessionem non habuerit.

QUÆRES 2. *Vtrum poligamia, seu uxorum pluralitas, sub uno viro sit illicita?*

XXX. Poligamia adversatur legi divinæ.

Respondo primò, ipsam legi divinæ adversari, ut constat ex ipsa primaria Matrimonii institutione, in quo Deus non pluribus, sed uni mulieri virum copulavit; unde de utroque in primis hominibus ad conjugium destinato sic loquitur, Gen. 1. *Masculum, & fœminam creavit eos*; quod etiam repetit *cap.* 5. per hoc significans non unum pluribus, sed unum uni in Matrimonio esse copulandum. Colligitur etiam ex *cap.* 2. ubi eadem Scriptura ait, quòd *vir adhærebit uxori suæ*, non uxoribus, *& quòd erunt duo in carne una*, non tres, vel plures. Quam etiam probationem Dominus innuit Matth. 19. cùm verbis illis ex Genesi repetitis, hæc addit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*, quibus significat, Matrimonium ab initio institutum fuisse in eum effectum, ut duo, qui conjunguntur, fiant una caro. Quod certè fieri non posset, si unus pluribus jungeretur.

Unde S. Hieronymus exponens illa verba Christi Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos*, subjicit: *Dicendo, masculum & fœminam, ostendit secunda vitanda conjugia; non enim ait, masculum & fœminas, sed masculum & fœminam, ut unius conjugii consortia necterentur.*

Eâdem probatione utuntur SS. Chrysostomus, Anselmus, & Theophilactus in Commentariis ad eundem locum S. Matthæi; quibus pariter subscribit Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 5. ubi scribit: *Duas tempore unô habere uxores, nec ipsa origo humana conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus qui fecit hominem ab initio, masculum unum fecit, & unam fœminam tantùm, cui potuit utique si vellet duas uxores tribuere, sed noluit. Scriptum quippe est: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: non dixit uxoribus. Et iterum: Erunt duo in carne unâ, masculus scilicet, & fœmina in carne una, & non tres aut plures.* Idem ante eos duos Pontifices, censuerunt Siricius epist. 2. & Innocentius I. epist. 3. cap. 6. & plures alii, ut videre est apud Gratianum 35. quæst. 7. & in decretalibus titulô *de sponsa duorum*. Unde meritò

ritò Concilium Tridentinum sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit.*

Vnde tā nō fuerunt usi SS. Patriarchæ ante diluvium.

Confirmatur assertio ex eo, quòd si poligamia à Deo fuisset permissa, maximè eô tempore, quô propter hominum paucitatem, & necessitatem humanæ propagationis, nempe ab initio mundi usque ad diluvium, videbatur usurpanda: sed tunc temporis nullus SS. Patriarcharum legitur habuisse plures uxores, & solus Lamech ex stirpe reprobi Cain duas duxit, in quo mortaliter peccavit, ut docet Doctor *dist. 23. num. 8.* igitur signum est, quòd poligamia fuerit divinitus prohibita.

Deinde, si poligamia non esset divinitus prohibita, veteres Patres sub lege naturæ, vel scripta potuissent licitè, & absque ulla dispensatione plures uxores ducere: sed ita non est; nam, ut observat Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divortiis: *Nulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum.* Hinc S. Chrysostomus homil. 56. in cap. 30. Genes. docet consuetudinem habendi plures uxores in plurimis iniquam fuisse, & contra divinam dispensationem, & legem.

Eandem assertionem variis rationibus probare solent Authores, ut evincant poligamiam esse contra jus naturale. Verùm quoniam mihi videntur minùs efficaces, ideo solùm subjicio eam quam tradit subtilis Doctor *num. 3.* ubi cùm observasset in Matrimonio duplicem esse finem, unum primarium, nempe procreationem prolis, alterum secundarium, videlicet ut sit in remedium concupiscentiæ in natura lapsa; inde colligit *primò*, quòd in Matrimonio debeat intercedere commutatio corporum, quâ vir suum corpus traditum uxori, & uxor suum corpus transfert in potestatem unius viri; inde sequitur quòd ubi vir semel suum corpus transtulit in potestatem unius uxoris, & pro commutatione accepit ejusdem uxoris corpus, uterque eorum habet potestatem sui corporis, ac subinde ubi semel cessit jus in suum corpus, non potest amplius idipsum alteri tradere; quippe traderet alienum, & quod jam suum non est, & sic peccaret contra justitiam.

Colligit secundò, quòd licèt quantùm ad primum finem Matrimonii corpus viri sit majoris valoris, quàm corpus mulieris, quia pro eodem tempore idem vir potest plures mulieres fœcundare, mulier autem eadem non possit à pluribus viris eôdem tempore fœcundari, ut diversam prolem concipiat, & pariat; unde videtur bigamiam ex parte viri non esse contra legem naturæ, nec contra justitiam, si duntaxat primarium Matrimonii finem spectes; quia quantùm ad prolis procreationem, vir justè posset suum corpus cum tot mulierum corporibus commutare, quot posset fœcundare.

XXXI. Poligamia ex parte viri non est contra primariū finem matrimonii, sed contra secundarium.

Nihilominus quantùm ad finem secundarium, nempe pro fornicatione vitanda, æqualis valoris sunt corpus viri, & mulieris: Ideo, *inquit Doctor*, de stricta justitia pro statu naturæ lapsæ, considerando contractum istum, ut est ad utrumque finem, requiritur commutatio unius corporis pro unico. Et addo, quòd completio justitiæ in ista commutatione, non est, nisi ex authoritate superioris instituentis, vel approbantis talem commutationem: quia etsi res aliquæ sunt inferiorum Dominorum, tamen commutatio earum licita & justa, talis vel talis, determinatur à Legislatore; & multò magis in proposito, & de corporibus in comparatione ad Deum: ipse autem instituit, & pro statu innocentiæ, & pro statu naturæ lapsæ regulariter istam commutationem debere fieri unius cum uno: in hoc ergo est completa justitia. *Ita Doctor*, quibus significat ad strictam justitiam spectare, quòd vir, ubi semel suum corpus commutavit cum corpore mulieris, non potest illud alteri mulieri tradere, nec vicissim mulier suum corpus transferre ad alium virum; quia peccarent non solùm contra justitiam commutativam, sed etiam contra legem Dei, qui instituit tam pro statu naturæ innocentis, quàm lapsæ, ut ista corporum commutatio fieret unius pro uno.

XXXII. Deus tamen dispensavit circa poligamiam cum nonnullis.

Respondeo secundò, Deum dispensasse cum aliquibus antiquis Patriarchis post diluvium, ut plures uxores ducerent, puta cum Abrahamo, Jacobo, Davide, qui fuerunt viri sanctissimi, & tamen plures uxores habuerunt; imò 2. Regum cap. 12. Deus per Nathan Prophetam computat pro magno beneficio, quòd Davidi in sinu dedisset uxores Domini sui; ac subinde signum est, quòd cum ipso dispensaverat circa pluralitatem uxorum. Potuit autem Deus legitimè cum eis dispensare, inquit Doctor *num. 4.* quia majus bonum conveniebat ex revocatione prohibitionis de non ducendis plurimis uxoribus, quàm ex ipsius prohibitionis obligatione, & observantia: quia erat, *inquit Doctor*, tunc necessitas multiplicandi genus humanum ad cultum divinum, putà, quia pauci erant cultores Dei, quantùm possent, quia in sola successione eorum mansit fides, & cultus divinus: ergo pro tunc rationabile fuit dispensare, ut unus commutaret corpus suum pro pluribus corporibus mulierum ad majorem multiplicationem cultorum Dei, quæ sine hoc non fieret. Sic autem fuit dispensatum, ut præsumitur de Abraham, & quibusdam aliis Patribus.

Porrò hæc dispensatio non fuit contra justitiam, considerando contractum ex parte contrahentium; quia, inquit Doctor *num. 6.* Quando aliquid ordinatur ad duos fines, principalem scilicet, & minùs principalem, rationabile est uti illo, eô modô, quô magis valet ad finem principalem, licèt per hoc aliquid detrahatur fini minùs principali. Exemplum, cibus valet ad duo, scilicet ad delectationem, quæ est minùs principalis, & nutritionem, quæ est magis principalis: & conveniens est, ut aliquis utatur cibô eô modô, quo magis expedit nutritioni, licèt in hoc detrahatur delectationi. Ita contractus iste Matrimonii, ut est ab bonum prolis, ut ad finem principalem, & ad vitandam fornicationem, ut ad finem minùs principalem: ergo secundùm rectam rationem debent contrahentes sic commutare, ut commutatio plus valeat ad procreationem prolis, licèt minùs valeat ad illam redditionem. Sed hoc fit in commutatione unius corporis viri pro pluribus corporibus mulierum, & sic hoc absolutè faciendum est in casu necessitatis; quia quando est validè necessarius finis principalis, negligendus est finis minùs principalis. Et ex hoc patet, quomodo ex parte partium est justitia: quia secundùm rectā rationem, utraque pars debet velle aliquid de jure dimittere in commutando, & recipiendo permutationem in comparatione ad minùs principalem, ut accipiat æquivalens in comparatione ad finem magis principalem, quem plus debet diligere, licèt debeat commutari aliquid de aliquo, quod esset sibi detrimentum remittere. Et quandoque est

XXXIII. Bigamia nunc absolutè est illicita.

necesse in aliquo casu, quando scilicet ad talem remissionem renetur, & complere licet, & debet, quando à superiori est hoc ordinatum. Hoc patet *Genes.* 16. quia coegit Sara Abraham, ut intraret ad Agar ancillam suam, ut vel sic haberet filium de ancilla, quem de ipsa habere non poterat.

Si objicitur, quòd pro tempore moderno esset bigamia illicita. *Respondet Doctor num.* 7. etsi illicita sit, eò quòd pro nunc non est a Legislatore dispensatum, imò reductum est ad illud legis naturæ: *Erunt duo in carne una*, per Christum, Matth. 19. tamen loquendo de justitia ex parte contrahentium, & contractûs, etiam modò non est illicita: sed pro tanto est illicita, quia nunc non est necessarius ille finis principalis, eò quòd multi vacant generationi fidelium, quia fides multiplicata est. Cessante igitur necessitate detrahendi secundo fini, propter necessitatem primi finis, servandus est contractus, itaut servetur ibi justitia respectu utriusque finis, scilicet quòd unus habeat tantùm unam, & è converso.

Posset tamen iterū fieri licita.

Si tamen contingeret casus pèr bellum, vel cladem, vel pestem, quòd multitudo virorum caderet, & multitudo mulierum remaneret, posset tunc bigamia esse licita, considerando præcisè justitiam ex parte commutantium: & deberent ex parte sua velle sic commutare mulieres cum viris plus pro minori, quantùm ad secundùm finem, licèt pro æquali, quantùm ad primum finem: nec deficeret ibi, nisi completio justitiæ, quæ est ex approbatione divina, quæ fortè tunc fieret, & Ecclesiæ specialiter revelaretur.

Dices: Deus non dispensat circa obligationem juris naturalis: sed poligamia est contra jus naturæ: igitur Deus in eo cum Patriarchis non dispensavit.

XXXIV. Quomodo poligamia sit contra jus naturæ.

Distinguit majorem Doctor: Deus non dispensat in jure naturæ primò modô sumpto, quatenus videlicet est principium practicum simpliciter notum ex terminis lumine rationis naturalis; qualia sunt ista principia practica, *Deus est colendus, parentes sunt honorandi, nemini faciendum quod quisque sibi fieri non vult, &c.* concedo: non dispensat in jure naturæ secundô modô sumpto, quatenus videlicet est quid sequens, & illatum per modum conclusionis ex primis principiis practicis, nego: Porro monogamia est de lege naturæ tantùm secundô modô; unde bigamia ipsi opposita, inquit Doctor *num.* 7. *&* 8. pugnat in jus naturæ tantùm secundô modô sumptum. Itaque inferre non licet, quòd poligamia secundùm se, & quavis datâ occasione semper sit illicita: Nam, inquit ibidem Doctor, aliquando potest esse necessaria, & justa, considerando justitiam ex parte commutationis, & commutantium, quando propter necessitatem ratio dictat illô modô debere commutationem fieri, & quando præceptum divinum adest. Veruntamen de Lamech absolutè concedi potest, quòd peccavit mortaliter, quia contra legem naturæ, licèt secundô modô, & non in casu, in quo recta ratio dictaret illam legem revocandam: nec superior dispensavit, imo fuit oppositum utriusque.

Dices secundo: Nusquam dispensatum est in biviria, nec licitum fuit uxori duos viros ducere: ergo nec è converso potest esse licitum plures habere uxores. Consequentia patet à paritate rationis; sicut enim per Matrimonium vir potestatem accipit in corpus mulieris; itaut mulier sui corporis potestatem amplius non habeat, sed vir; ita è converso vir conjugatus non habet amplius potestatem sui corporis, sed mulier.

XXXV. Cur potius dispensetur in poligamia quàm in biviria.

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quòd poligamia non opponatur fini primario Matrimonii, sed tantùm secundario; biviria autem opponitur primario, quia eadem mulier non potest à pluribus viris eôdem tempore fœcundari, sicut plures mulieres fœcundari possunt ab eodem viro.

QUÆRES 3. *Vtrum, & quænam sint Matrimonii bona?*

XXXVI. Tria sunt bona Matrimonii.

Respondet S. Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 7. *Bonum, quod habent nuptiæ, tripartitum est, fides, proles, Sacramentum: In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento, ut conjugium non separetur, ut dimissus aut dimissa, nec causâ prolis alteri conjungatur.* Idem habet pluribi, maximè lib. 16. de civitate cap. 34. nec-non & lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 11. ubi scribit: *Omne nuptiarum bonum impletum est in parentibus Christi, proles, fides, & Sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.*

Quæ egregiè expendit S. Bonaventura.

Hanc autem triplicem Matrimonialis boni distributionem ex multiplici capite egregiè colligit S. Bonaventura dist. 31. art. 1. q. 2. ubi scribit: Sufficientia bonorum Matrimonii potest accipi à *parte causæ instituentis*, sive efficientis: & sic à triplici principio. *A dictamine* scilicet *naturæ*, ut vir cubet cum muliere ad conservationem ipsius naturæ: & sic est bonum prolis. *A dictamine rationis rectæ*, ut vir cum sua, & non cum alia cubet muliere, & sic est bonum fidei. *A dictamine gratiæ*, ut significetur unio divinæ naturæ, & humanæ: & sic est bonum Sacramenti.

Potest etiam accipi à parte *principalis constituentis*, & hoc tripliciter: quia ad hoc, quòd Matrimonium habeat esse completum, tria sunt necessaria, scilicet institutio, usus, & fructus. *Ratione institutionis*, est bonum Sacramenti: *ratione debiti usûs*, est bonum fidei: *ratione fructus conferentis usum*, est bonum prolis: & sic patet, quòd est triplex bonum.

Potest denique excipi à parte finis moventis, sive terminantis, & hoc vel quia ad bonum, vel quia contra malum. Quia *ad bonum*, cum triplex sit eligendum, scilicet honestum, conferens, & delectabile. Ratione boni honesti est fides; ratione conferentis, proles; ratione delectabilis est Sacramentum, secundùm quod superiùs est monstratum. Vel aliter, quia *contra malum* concupiscentiæ, quæ habet in se triplex malum, scilicet fluxum, inordinationem & fastidium. Contra fluxum est in Matrimonio unio singularis; contra inordinationem, unio utilis; contra fastidium unio inseparabilis. Ratione singularitatis in unione est fides; ratione utilitatis proles; ratione inseparabilitatis Sacramentum. Et hæc tria signant triplicem proprietatem unionis Christi cum Ecclesia, quia scilicet unitur uni, & quia ex ea filios generat, & quia nunquam separatur. *Ita Seraph. Doctor.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De diſpoſitionibus prærequiſitis ad legitimum Matrimonium.

I. Duplicis generis ſunt præviæ diſpoſitiones ad Matrim.

DUPLICIS generis diſpoſitiones ad legitimum & Chriſtianum Matrimonium agnoſcunt Theologi, quarũ aliquæ ſunt abſolutè neceſſariæ, aliæ verò utiles, & quæ conducunt ad ampliorem ipſius fructum & effectum ſpiritualem, nec-non & fœliciorem conjugum ſtatum ineundum; hîc autem non eſt ſermo de poſterioribus diſpoſitionibus, utpote quæ nullam controverſiam Theolo- B gicam præ ſe ferant, aut ſaltem quæ facili negotiô ex jam dictis, & infrà dicendis non poſſint diſſolvi. Hæ namque diſpoſitiones præcipuæ ſunt, *primò*, quòd neuter contrahentium impedimentum habeat, quia cum impedimento, vel invalidè, vel ſaltem illicitè contrahetur, prout impedimentum erit dirimens, vel ſaltem impediens, de quibus agemus art. ſequenti. *Secundò*, ut contrahentes ad Matrimonii ſtatum Deô ſtimulante, ac ſuadente vocentur; cùm enim gravia & difficilia ſint Matrimoniii onera, opus eſt gratiâ & auxiliô ſpeciali ad ea debita cum animi pietate & conſtantia perferenda. Opus eſt igitur ad hoc divinum auxilium obtinendum, quod conjuges C divinitus ad Matrimonium evocentur; unde Proverb. 19, *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* Vel, ut legunt Septuaginta Interpretes, *A Domino uxor aptatur viro.* Quod utique perſpicuum fit ex primo hominum connubio; Deus enim videns, quòd non eſſet bonum hominem eſſe ſolum, non tantùm fecit ei adjutorium ſimile ſibi, producendo mulierem, quæ foret ipſius uxor; ſed inſuper *adduxit eam ad Adam* Gen. 2. quô ſignificaret, neminem ſibi; ut fauſtum fiat Matrimonium, debere aliam uxorem ſeligere, quàm eam, quæ à Deo deſtinata eſt. Quapropter quicunque Matrimonium inire contendit, neceſſum eſt, quòd id intendat, non ex motivo explendæ ambitionis, avaritiæ, aut libidinis; ſed glorificandi Deum, ſalutem operandi, gignendi filios, qui Sanctorum D ac Beatorum ſortem ac numerum augeant: *Illæ enim*, inquit S. Iſidorus lib. de Eccleſiaſticis officiis, *ſunt certæ nuptiæ, quæ in conjugio non libidinem, ſed prolem requirunt: neque enim ſic inſtitutæ ſunt, ut carnis voluptatibus ſerviant, ſed tantùm ut fructum propaginis quærant.* De bis, inquam, præparationibus amplior nobis non erit ſermo, utpotè quarum declaratio Chriſtianum Oratorem, ac concionatorem potiùs, quàm Theologum exigat. De his itaque ſolùm agemus in præſenti, quæ ad Matrimonium validè contrahendum neceſſariò prærequiruntur, qualia ſunt *Sponſalia*, quæ ſunt veluti futuri Matrimonii inchoationes. Ut autem omnia, quæ de Sponſalibus agitari ſolent à Theologis, non minori brevitate, quàm facilitate inno- E teſcant, ſingulas difficultates agitari ſolitas ſub ſpecialibus paragraphis expendemus.

§. I.

Quid ſint Sponſalia?

II. Unde dicta ſint Sponſalia.

RESPONDEO *primò*, Sponſalia dicta eſſe à *ſpondendo*, & quidem ob iſtam duplicem cauſam: *Primò*, quia ſpondere idem eſt, ac ſpontè promittere: at in contractu Matrimonii ſpontanea promiſſio requiritur: ergo, &c. *Secundò*, quia mos erat olim, ut puella nuptura promitteretur viro à patre, vel tutore, aut amicis. Unde qui promit- A tebantur, vocari ſolebant *ſponſus*, & *ſponſa*, quaſi alteri promiſſus aut promiſſa, qui autem promittebant, *ſponſores* dicebantur: ipſe verò contractus, quô fiebat promiſſio, *ſponſalia*.

Reſpondeo ſecundò, Sponſalia, quantùm ad nominis acceptionem, ſumi tripliciter. *Primò*, pro futuri Matrimonii promiſſione. *Secundò*, pro Matrimonio contracto de præſenti non conſummato, & hoc ſenſu conjuges *ſponſi* appellantur: ſic Maria Virgo Deipara, de qua dicitur Matth. 1. *Cum eſſet deſponſata Maria mater ejus* (Jeſu) *Ioſeph.* Lucæ 2. appellatur uxor ipſius Joſeph, cujus ratio eſt, quia qui contrahit Matrimonium in præ- B ſenti, ſpondet in futuro officium conjugale. *Tertiò*, pro muneribus, quæ dabantur olim ſponſæ à ſponſo; ut ex 1. Reg. 13. colligitur bis verbis: *Non habet rex ſponſalia neceſſe*: id eſt neceſſe non eſt ut David det munera Michol filiæ Saülis Regis.

Hîc autem de Sponſalibus, juxta primam acceptionem ſumus acturi.

III. Sponſalia tripliciter uſurpantur.

Definiuntur autem ſponſalia à Nicolau I. cap. Noſtrates 30. q. 5. *Futurarum nuptiarum promiſſio.* Dicuntur autem *promiſſio*, ut diſtinguantur à ſimplici propoſito Matrimonii, quod vinculum & obligationem ſponſalium minimè inducit. Additur, *nuptiarum futurarum*, ut ſecernantur ab ipſo Matrimonio, importante conſenſum de præſenti. C Porrò hæc promiſſio debet eſſe libera, ſeu voluntaria; nam ſponſalia gravi metu contracta nulla ſunt, & quemadmodum ſine voluntario ac mutuo conſenſu contrahentium non fit validum Matrimonium; ita nec ſponſalia rata ſunt, niſi ſponſus & ſponſa in promiſſionem conſentiant. Unde Sponſalia, quæ parentes interdum pro filiis ineunt ante legitimam eorum ætatem, rata fieri non poſſunt, niſi per filiorum conſenſum, cùm ad illam ætatem pervenerint: ſicut nec illa rata eſſe poſſunt, quæ pro filiis legitimam ætatem habentibus parentes contrahunt, niſi filii tacitè vel expreſsè conſenſerint. Ille autem rationis uſus ad ea ſponſalia contrahenda ſufficit, qui ſatis eſt ad peccatum mortale. Septennium enim requiſitum à jure *l. de ſponſalibus 2. ff. de ſponſal. & cap. litteris, c. acceſſit, c. ad diſſolvendum, de ſponſ.* D *impub.* pertinet ſolùm ad forum externum; nam in conſcientia ſufficit uſus rationis, qui ſufficere poteſt de committendum aliquod peccatum mortale; etenim ſponſalia obligationem inducunt ſub mortali, ſaltem extra caſus exceptos; ac ſubinde advertentiam & deliberationem tantam requirunt, quanta requiritur & ſufficit ad peccatum mortale committendum.

IV. Traditur ſponſaliorum definitio.

Unde convenientiùs Sponſalia mihi videntur definiri poſſe, bis verbis: *Sponſalia ſunt promiſſio mutua ac libera viri & fœminæ futuri Matrimonii inter legitimas perſonas.*

Conditiones ad ſponſalia ſunt tres ex parte promiſſionis.

Ex qua utique definitione tres ſequuntur conditiones neceſſariæ ad ſponſalia, ex parte promiſſionis, & totidem ex parte promittentium: Nam E *primò* promiſſio debet eſſe *mutua*; quia, ut mox diximus, Sponſalia nihil aliud ſunt, quàm futuri Matrimonii promiſſio; unde non ſufficit quòd unus promittat & alter acceptet; ſed neceſſum eſt quòd uterque reverà promittat; nam, ut docet Pontius lib. 12. cap. 4. ſi unus promittat, alter verò non repromittat, neuter remanet obligatus: Sponſalia enim ſunt contractus cujuſdam commutationis; itaut alter nec velit, nec poſſit velle ſe tradere, niſi ſub conditione, quòd alter in compenſationem ſe retribuat. Cenſet tamen Pontius, quod eô ipſô, quô alter alterius pro-

1. Quòd ſit mutua.

missionem acceptat, uterque manet obligatus, quia nemo potest promissionem acceptare, nisi sub conditione repromissionis. Sanchez verò lib. 3. disp. 5. docet aliquem posse acceptare promissionẽ absque repromissione, in quo casu solus promittens manet obligatus, donec alter ex nimia dilatione repromissionis & Matrimonii, obligationem partis tacitè contemnere censeretur.

2. Manifestata.

Secunda conditio ex parte promissionis est, quòd sit manifestata; alioqui non posset ab homine, cui fit, acceptari; solus enim Deus, & hominis interiores affectus & motus inspicit, juxta illud 1. Regum 16. *Homo videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor.*

3. Per signa certa sensibilia.

Tertia conditio est, quòd illa promissionis manifestatio fiat certis signis sensibilibus, putà vel vocibus, vel nutibus, vel scripturis, quemadmodum diximus de Matrimonio.

Etiam tres sunt ex parte contrahentium.

Ex parte verò contrahentium prima conditio est, ut sint habiles ad ineundum Matrimonium: tales verò sunt, qui nullum habent impedimentum, saltem perpetuum Matrimonii contrahendi; nam qui habent impedimentum dirimens; imò & impedimentum perpetuum simpliciter impediens, ad Sponsalia contrahenda inhabiles sunt. De habentibus impedimentum dirimens, nulla difficultas; de habentibus verò impedimentum simpliciter impediens saltem perpetuum, res quoque clara; quia omnis promissio rei illicitæ est invalida, & consequenter non obligat, cùm nemo ad rem illicitam præstandam obligari possit: at quando est impedimentum impediens, saltem perpetuum, tunc Matrimonium redditur illicitum propter illud: ergo Matrimonii promissio, in qua Sponsalia ipsa consistunt, irrita & invalida est.

1. Quòd nõ habeant impedimẽtum.

Dixi, *saltem, quando perpetuum est impedimentum impediens*: quia Sponsalia contrahi possunt, quando impedimentum simpliciter impediens est duntaxat temporale, quia in hoc casu non promittitur res illicita, cùm res promittatur implenda solùm tempore quô licita evaserit; sic qui vovit castitatem ad tempus, validè Sponsalia contrahere potest eô tempore, quô viget votum, quamvis eô tempore Matrimonium licitè iniri non possit: possunt quoque impuberes Sponsalia contrahere ante adeptam pubertatem, quamvis ante illam Matrimonium contrahere non possint.

2. Quòd habeant legitimam ætatem.

Secunda conditio ex parte contrahentium est, quòd habeant legitimam ætatem, quæ tam ex jure civili, quàm ex canonico, debet esse ad minùs septennium: De civili quidem constat ex *leg. in sponsalibus* ff. de sponsal. in qua dicitur, *posse sponsalia à primordio ætatis effici, si modò id fieri ab utraque persona intelligatur, idest* (explicatio est legis) *si non sint minores, quàm septem annis.* De jure verò Canonico etiam liquet ex variis summorum Pontificum rescriptis, ut ex cap. 4. & 5. de *despons. impub.* ubi Alexander III. interrogatus de sponsalibus juvenis cujusdam cum puella, respondet fuisse valida, si hæc ante desponsationem septimum annum ætatis compleverat, secus autem fuisse irrita. Et *cap.* 13. *eôdem titulô* Innocentius III. declarat, inter juvenem, & puellam, de quibus fuerat interrogatus, nec Matrimonium, nec sponsalia fuisse contracta, cùm constet puellam nondum ad septennium pervenisse. Et *cap. unicô eôdem tit. in 6.* Bonifacius VIII. affirmat, Sponsalia ab impuberibus contracta ante septennium, nulla esse, nisi posteà consenserint, & signô aliquô externô consensum suum expresserint.

Hæc tamen, ut diximus, ita sunt intelligenda, ut si præcesserit usus rationis, etiam valeant sponsalia ante septennium inita, ut constat ex cap. 9. de desponsat. impuberum, ubi Alexander III. de illis sicait: *Si ita fuerint ætati proximi, quòd potuerint copulâ carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in aliam visus fuerit consentire, cùm in eis ætatem supplevisse malitia videatur.* Et cap. ultimô eôdem titulô, Innocentius III. consultus de puella, quæ contraxerat circa annum duodecimum, eratque dubium, an sufficientem ætatem attigisset, respondet in hunc modum: *Si puella nubilis non erat ætatis, & ætatem in ea prudentia non supplebat, procaldubio inter eos, non conjugium, sed Sponsalia contracta fuerunt.*

3. Ut liberè cõsentiant.

Tertia tandem & ultima conditio, ex parte contrahentium Sponsalia, est ut liberè consentiant, saltem tacitè; quando nimirum parentes ipsis præsentibus, & tacentibus contrahunt, cap. unicô *de despons. impub. in 6.* Si verò alii hôc modô contrahant, censeo cum Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 21. num. 7.* ipsorum silentium non esse sufficiens signum consensûs, quia *c. citatô* hoc de parentibus tanquam quid speciale statuitur, & illa regula, *qui tacet, consentire videtur*, vera est in favorem, non in præjudicium tacentis. Nihilominus non est omnino improbanda sententia Pontii *lib. 2. cap. 14. num. 7.* quòd præsumatur consensus etiam in eo casu: & multò magis, si ipsis sponsis præsentibus contrahant eorum tutores, ut docuit Conink, aut parentes contrahant coram filiis mancipatis, vel spuriis.

§. II.

Utrum, & quomodo Sponsus, & Sponsa teneantur ad contrahendum Matrimonium?

V. Sponsalia obligant s. ad celebrandum Matrimonium.

RESpondeo primò, Sponsalia legitimè inita inducere obligationem etiam sub mortali ad Matrimonium contrahendum: quod utique constat; nam ex contractu in gravi materia oritur obligatio justitiæ id implendi, quod promissum est, sub pœna peccati mortalis: sed promissio, in qua Sponsalia essentialiter consistunt, est in re gravi: igitur obligant sub peccato mortali. Unde Innocentius III. cap. 2. de Sponsalibus ait: *Hi qui de contrahendo Matrimonio purè & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent.* Hinc si monitionem Pastorum respuant, cogi poterunt per Judices Ecclesiasticos ad implendum Matrimonium, ut constat ex cap. *ex litteris* 1. *de sponsat.* Cujus utique ratio est aperta, qui enim debitor est ex debito justitiæ, cogi potest per Judicem ad solvendum, & reddendum quod debet: at ille, qui debitè contraxit Sponsalia, hôc modô debitor est: igitur per Judicem cogi potest ad solvendum quod debet, maximè quando nulla intervenit rationabilis causa, quæ ipsi libertatem faciat à contractu resiliendi.

Nec obstat id, quod habetur *leg. 1. cap. de Sponsalibus*, ubi dicitur: *Alii desponsata renuntiare conditioni, & nubere alii non prohibetur.* Hoc, inquam, non obstat; nam, ut observat Sanchez lib. 1. disp. 17. Lex illa Cæsarea tanquam injusta revocata fuit, & abrogata à Jure Canonico. Vel, quod verius existimo cum glossa, hæc lex præfatæ sententiæ non adversatur; siquidem loquitur de sponsalibus ex mutuo sponsorum consensu rescissis: possunt enim contrahentes ex communi consensu, inita Sponsalia irritare, iisque relaxatis,

2. Ad illud celebrandū tempore debito.

ac solutis validè ac licitè cum aliis contrahere. Quod quandiu factum non est, nisi aliud adsit impedimentum, tenentur Sponsus & Sponsa mutuò promissum Matrimonium celebrare; ita quòd siquis eorum sine justa causa resilire velit, censeatur esse in statu peccati mortalis, ac subinde ipsi deneganda est Sacramentalis Absolutio, quandiu in injusta ipsa voluntate remanserit.

Contingere tamen potest per accidens, quòd interdum ad id non sint cogendi per censuras & pœnas Ecclesiasticas, quando videlicet evidens est periculum, ne ex hujusmodi Matrimonii contractione gravia scandala, vel incommoda orian-tur. *Tum*, quia tunc solùm cogendi sunt ad ineundum Matrimonium, quando id Matrimonii fini expedit, nimirum debitæ filiorum procreationi, & educationi, ac mutuo obsequio inter virum & fœminam: sed in hoc casu Matrimonium ineundum non expediret huic fini, imò ipsi apertè adversaretur, si nempe perpetua forent inter conjuges dissidia: igitur, &c. *Tum*, quia eo in casu nemini fit injuria; neque etiam parti innocenti, & postulanti Matrimonium, quia ipsius grave nocumentum cavetur, ac prudenter ejus quieti & tranquillitati providetur; ac subinde nullum ipsi fit detrimentum, & præjudicium. *Tum denique*, quia licitum est aliquando permittere minus malum, ut gravius caveatur: sed longè gravius malum est, quòd perpetua sint scandala, & continuæ inimicitiæ inter sponsum & sponsam, quàm quòd Sponsaliorum fides frangatur; igitur, &c.

Respondeo secundò, pari ratione eos teneri ad contrahendum Matrimonium, vel certò tempore, si quod præfinitum fuit; vel si nullum est præfinitum, primò tempore congruò secundùm judicium prudentium; vel saltem tempore utriusque consensu præfiniendo, itaut neutri parti contra voluntatem alterius in mora esse debeat. Excipitur tamen casus, quo pars videtur spontè dilationem celebrandi Matrimonii concedere; quod utique præsumitur, quoties non urget promissionis impletionem, cùm facilè posset.

3. Ad abstinendum ab illicitis.

Tertiò dico, Sponsalia obligare saltem mediatè ad abstinendum ab eis omnibus (exceptô ingressu Religionis, ac similibus de jure concessis) quæ si fierent à conjuge, forent contra finem Matrimonii: sicut enim in Matrimonio traduntur mutua corpora, ita per Sponsalia promittitur & traditur quoddam jus, saltem remotum in ipsa corpora: contra quod jus peccarent sponsi, si post celebrata sponsalia, fornicationem cum alio committerent.

Quale autem foret illud peccatum fornicationis, an verum adulterium, an verò præter malitiam fornicationis contineret etiam malitiam alterius peccati in ratione injuriæ; ita quòd non solùm esset contra castitatem & temperantiam, sed etiam contra justitiam in re gravi, controvertitur apud Theologos; *aliqui* enim censent cum Paludano in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. esse reverà adulterium; *nonnulli* verò cum Covarruvia 4. decretalium parte 2. cap. 1. existimant non esse peccatum mortale distinctum à peccato fornicationis: *cæteri* verò communiter docent, illud peccatum esse distinctum peccatum mortale in ratione injuriæ à peccato fornicationis, subindeque transferre peccatum fornicationis ad alteram luxuriæ speciem. *Tum*, quia qui fornicationem illam committit, præbet sufficientem causam solvendi Sponsalia, quod utique in levem injuriam

VI. Fornicatio cum aliena post sponsalia habet annexā circumstantiā mutanter peccati speciem.

non videtur convenire: nam culpa, quæ viro cordato non sufficeret ad repudiandam alterius amicitiam, non potest sufficere ad solvenda Sponsalia: *Tum*, quia licèt per Sponsalia Sponsus non habeat *jus in re* ad corpus sponsæ, nec vicissim sponsa ad corpus sponsi, quia hoc jus tantùm traditur per Matrimonium; attamen uterque habet *jus ad rem*; siquidem promissio facta in contractu Sponsaliorum obligans ex justitia, est promissio donandi corpus utriusque partis alteri ex contrahentibus; unde sicut qui promittit equum alteri, dat ipsi quoddam jus remotum in ipsum equum, & ipsi facit injuriam, si reddat eum deteriorem, ita & sponsus tradens corpus promissum sponsæ alteri ab ea, facit ipsi injuriam, & peccat peccatô speciali injustitiæ. *Tum*, denique, quia talis fornicatio cum aliena periculum præbet, ne nascatur proles, quam post celebratum Matrimonium teneantur conjuges communibus sumptibus alere; quod utique est contra justitiam, cùm enim bona sint communia inter conjuges, non potest maritus, reluctante uxore filium alienum & spurium in familiam suam inducere: igitur hoc peccatum non videtur simplex fornicatio, sed prætereà, habet quandam malitiam injustitiæ sibi annexam; & transfertur ad aliam à fornicatione speciem luxuriæ.

Non tamen est adulterium, quippe adulterium est alieni tori violatio; talis autem non potest esse fornicatio sponsorum; quippe cùm neuter eorum totô alterius fruatur: unde ex L. si uxor §. 3. ff. ad legem Juliam, quâ utitur Paludanus, contrarium ipsius sententiæ colligitur: nam talis lex utrumque peccatum distinguit, nempe violationem Matrimonii, quæ est adulterium, à violationem Sponsalium; tametsi utraque violatio dicatur ibi punienda his verbis: *Etiam in sponsa hoc idem* (scilicet crimen) *vindicandum; quia nec Matrimonium qualecunque, nec spem Matrimonii violari permittitur.* Unde sequitur tale peccatum reductivè solùm spectare ad speciem adulterii, sicut ipsa Sponsalia reducuntur ad Matrimonium, cujus sunt quædam inchoatio.

Nec obstat, quòd qui vovit ingressum Religionis, si labatur in peccatum carnis, non censetur propter illud votum peccare peccato distinctô à fornicatione. Hoc, inquam, non obstat; licèt enim votum simplex Religionis se habeat ad votum solemne, sicut Sponsalia ad Matrimonium in hoc, quòd sicut votum simplex Religionis est tantùm nuda promissio: votum autem solemne adjunctam habet traditionem rei promissæ; sic Sponsalia rationem habeant promissionis corporum; nihilominus in hoc differunt, quòd per votum simplex Religionis, utpote soli Deo factum, Religio nullum acquirit jus in ipsum, qui vovit: at verò per Sponsalia sponsi acquirunt jus justitiæ in se invicem ratione mutuæ promissionis datæ, & acceptatæ: igitur non est utrobique paritas.

§. III.

Quibus de causis Sponsalia licitè dissolvi possint?

VII. Sponsalia dissolvi possunt.

RESpondeo, varias à Theologis, & Canonistis proferri causas, ab quas Sponsalia legitimè inita dissolvi possunt citra culpam dissolventium, quarum præcipuæ hîc assignandæ sunt.

1. Ex mutuo contrahentiū consensu.

Primò itaque Sponsalia dissolvi possunt ex mutuo contrahentium consensu, ut patet ex cap. 2.

de regulis Juris, ubi dicitur: *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*; ex hypothesi, quòd naturâ suâ sit solubilis, qualia sunt Sponsalia. Quod etiam verum est, quamvis Sponsalia jurata sint; siquidem juramentum non obligat, nisi in commodum partis, quâ remittente obligationem, tollitur materia juramenti. Ut autem hæc remissio fiat legitimè, necessum est, quòd utrinque sit libera; si enim una pars alteram metu, vel dolô ad remittendum induceret, inducens maneret obligatus in conscientia ad celebrandum Matrimonium. Secus autem est, si rationibus vel precibus non ita importunis partem alteram ad remissionem sollicitaret.

2. Ex defectu ætatis.

Secundò, Sponsalia inter impuberes contractæ, adveniente pubertate, dissolvi possunt alterô illorum resiliente; quia videntur celebrari sub hac tacita conditione, *nisi ad pubertatem deveniendo resiliant*: quod utique verum est, quamvis nulla interveniat causa, præter solam voluntatem revocantis, ut habetur *extra de desponsat. impub.* cap. *de illis*, & cap. *à nobis*. Non est etiam necesse, quòd unus pubertatem adeptus alterius pubertatem expectet; nam frustra expectatur eventus, cujus nullus debet esse effectus, ut habetur cap. *cùm contingit de officio. deleg.*

3. Per ingressum in Religionē.

Tertiò, dissolvuntur per ingressum Religionis, ex parte ejus, qui in sæculo remanet, non verò ex parte ejus, qui Religionem ingreditur. Prima pars constat. *Tum*, quia eô ipsô, quòd sponsus, vel sponsa Religionem ingreditur, videtur Sponsalibus, & Matrimonio renuntiare; ac subinde eô ipsô alter solvitur ab obligatione: *Tum*, quia notabilis mutatio in persona sponsi vel sponsæ, quæ redundare possit in alterutrius, vel utriusque contumeliam, sufficit ad disolvenda Sponsalia, ut statim dicemus: sed per ingressum in Religionem fit notabilis mutatio in persona ingredientis, quæ cederet in contumeliam utriusque, si relictâ Religione invicem contraherent: vertitur enim in opprobrium, & dedecus Matrimonium inire cum eo, qui fuit Monachus, vel cum ea, quæ fuit Monacha: igitur eô ipsô, quô quis Religionem ingreditur, alter qui remanet in sæculo, liber censeri debet ad contrahendum cum altero.

Secunda pars communiter etiam docetur; quamvis nonnulli Theologi, & Canonistæ reclament; cùm enim contrahentes Sponsalia ex justitia obligentur ad celebrandum Matrimonium, nisi aliquô jure, vel ratione manifestâ ab hujusmodi obligatione eximantur, censendi sunt tandiu obligati, quandiu hujusmodi jus, vel ratio non adest: sed nullum jus, aut ratio manifesta potest assignari ex parte ingredientis Religionem; sed solùm ex parte remanentis in sæculo, nimirum notabilis mutatio statûs in altero facta: igitur per ingressum Religionis censeri non debent Sponsalia solvi ex parte ejus, qui Religionem ingreditur, quamvis solvantur ex parte illius, qui in sæculo remanet.

Nihilominus non est omninò improbanda opposita sententia, quam tuetur *Toletus lib. 7. cap. 21.* nempe quòd dum unus ingreditur Religionem, Sponsalia debent censeri dissoluta ex parte utriusque: quia sicut se habent Sponsalia ad Matrimonium; ita ingressus in Religionem, seu novitiatus se habet ad professionem: igitur sicut per professionem dissolvitur Matrimonium ratum: ita per ingressum Religionis, & novitiatum debent dissolvi. Censet autem Navarrus cap. 22. num. 26. utrumque tandiu obligari, donec secuta fuerit Religionis professio; quia nullus canon decernit Sponsalia dissolvi per solum Religionis ingressum, & alioqui dum sponsus adhuc novitius est, potest ad sæculum reverti, & contrahere. Quæ utique sententia licèt minùs probanda, non tamen est omninò improbanda.

4. Per simplex votum castitatis.

Quartò dissolvuntur per simplex votum castitatis, & susceptionem Ordinis sacri, idque ex parte utriusque contrahentis; quia quando duo vincula simul incompatibilia occurrunt, quod fortius est, & præstantius, debet prævalere: sed vinculum voti, aut suscepti Ordinis sacri incompatibile est cum vinculo Matrimonii, & ipso est præstantius, ac fortius vinculô Sponsaliorum; quippe cùm illud hominem Deo devoveat; hoc verò tantùm homini, & creaturæ: igitur debet prævalere; ac subinde unum per aliud dissolvitur. *Deinde*, Sponsalia censeri debent contracta tantùm sub hac conditione, *nisi alteruter perfectiorem statum elegerit*: sed status castitatis, sive continentiæ præstantior est statu conjugali: igitur per votum simplex castitatis, aut per susceptionem Ordinis irritum fieri debet vinculum Sponsalium.

5. Per subsequēs matrimonium cum altero.

Quintò dissolvuntur per subsequens Matrimonium ratum cum altero; cujus utique ratio est aperta, quia Matrimonium est insolubile; ideoque per ipsum sponsio præcedens fit observatu impossibilis; ac subinde nulla ipsius remanet obligatio: nihilominus graviter peccat, qui contra fidem datam Matrimonium cum altera contrahit. Sunt tamen, qui existiment cum Pontio cap. 23. num. 4. quòd si alter sponsus velit expectare dissolutionem illius Matrimonii per subsequentem mortem, Sponsalia non solvuntur ex parte ejus, qui nupserat: nam jura cap. 1. de sponsa duorum, cap. *sicut*, cap. *si inter*, &c. quæ decernunt Sponsalia dirimi per Matrimonium subsequens, solùm statuunt, quòd sponsus debeat manere cum qua nupsit, ex quo non sequitur, quòd obligatio Sponsaliorum ex parte ipsius dissolvantur.

6. Per fornicationē.

Sextò dissolvuntur Sponsalia per subsequentem alterutrius sponsorum fornicationem, non quidem ex parte peccantis, sed ex parte innocentis. *Tum*, quia in sponsalitia promissione subintelligitur hæc conditio, nisi sponsus, aut sponsa in legem Matrimonii peccaverit: *Tum* etiam, quia si vir propter fornicationem uxoris justè potest illam à se dimittere, multò magis sponsus propter fornicationem sponsæ, poterit illam ad se non admittere, ut docet Innocentius tertius, cap. *Quemadmodum de jurejurando*. Quod etiam locum habet in puella rapta, aut vi oppressa; quemadmodum habet Glossa in idem caput. Porrò, quod diximus de fornicatione corporea, dicendum est etiam de fornicatione spirituali per hæresim vel apostasiam; hæc enim sufficiunt ad Sponsalia dissolvenda; tum propter periculum perversionis sponsi Catholici, tum propter periculum, ne futura proles hæresi inficiatur.

7. Per supervenientem notabilē mutationem in alterutro.

Septimò, dissolvi possunt Sponsalia propter notabilem mutilationem, vel deformitatem supervenientem sponso, aut sponsæ, aut gravem, diuturnum, vel perpetuum morbum, veluti lepram aut paralisim priùs incognitam; ex quibus contingere potest, quòd sponsus, vel sponsa sit inhabilis ad officium Matrimonii, vel alteri comparti odiosa, & ingrata: quo in casu is, qui sanus, & integer permanet, solvitur ab obligatio-

ne; ita enim docet Urbanus III. cap. *litteras*, extra de conjugio leprosorum, & Innocentius III. cap. *Quemadmodum*, extra de jurejurando. Ex quo patet hunc casum etiam ad jurata Sponsalia extendi.

8. Per diuturnam absentiam. *Octavò*, per longinquam peregrinationem, seu absentiam alterius, alter, seu altera sponsione liberatur. Quô casu quamvis jus civile biennium totum præcipiat expectari; jure tamen Pontificiô, post cognitam sponsi in remotas terras profectionem, nullum tempus ad expectandum præscribitur: quia ille per talem discessum censetur juri suo renuntiare. Ita declarat Pontifex cap. *De illis*, extra de Sponsalibus.

9. Per subortas inimicitias. *Nonò*, solvi possunt si gravis inimicitia inter sponsos, vel eorum parentes intervenerit: item si sævitia, seu morum asperitas sponsi priùs incognita, posteà comperta fuerit: justa enim in utroque est ratio recedendi ab eo quod pactum fuerat.

10. Per defectū conditionum. *Decimò*, solvuntur per hoc quòd non implentur conditiones promissæ, sive id voluntariè fiat, sive involuntariè, velut cùm dos promissa non præstatur. Ratio est, quia promissio pendebat à conditione. Idem dicendum de paupertate superveniente alterutri sponso post contracta Sponsalia; paupertas enim est mutatio status notabilissima; quæ utrique sufficit ad dissolutionem Sponsaliorum. Si autem contingat alterutrum sponsorum novâ hæreditatis accessione ditiorem effici, non propterea potest Sponsalibus renuntiare; quia per hoc non potest dici deceptus in sponsæ conditione, aut per errorem in Sponsalia consensisse: quia non erravit circa objectum sui consensûs: nec aliud in ipso notabiliter mutatum est, sed tantùm circa propriam conditionem, quæ præter spem proximi eventûs melior facta est.

Plures sunt aliæ hujusmodi Sponsaliorum dissolvendorum causæ, quas videre est apud Sanchez, Canonistas, & Summistas seu Theologos Morales, quos communiter Casuistas appellant, in quibus referendis & discutiendis diutiùs immorari superfluum duxi, utpote cùm facilè negotiô ex assignatis colligi possint, & innotescere.

Observandum nihilominus, quòd toties universim Sponsalia dissolvi possunt per quodcunque accidens superveniens, quoties si reverà extitisset, aut fuisset prævisum, verisimiliter, & rationabiliter Sponsalia non fuissent contracta: Hæc tamen non sunt pensanda secundùm præsentem sponsorum animi affectum, & motum, sed libranda sunt juxta ipsorum conscientiæ dictamen, quô quisque judicare debet coram Deo scrutatore cordis, utrum reverà Sponsalia non contraxisset, si id, quod accidit extitisset, aut prævidisset.

Advertendum pariter circa Sponsaliorum dissolutionem, quòd si illa publicè contracta fuerint, & causa dissolvendi non sit manifesta, ac publicè nota, necessum est ad ex dirimenda, quòd interveniat Ecclesiæ authoritas, ut scilicet vitetur scandalum; cujus si nulla adsit occasio, poterunt sine ipsa publica Ecclesiæ sententia, & per solos contrahentes dissolvi.

ARTICULUS TERTIUS.

De impedimentis Matrimonii.

CUM Matrimonium sit essentialiter contractus pendens ex libera & voluntaria contrahentium voluntate, qui cùm si sint fideles, subjiciuntur legibus, non solùm politicis & civilibus Principum, & Reipublicæ; sed etiam Ecclesiasticis, & Canonicis: inde fit, quòd sponsi invicem non possint validè aut licitè contrahere, nisi juxta canonum præscripta; quòd si secus fiat, illiciti aut invalidi censentur eorum contractos.

Hinc varia à Theologis & Canonistis præscribuntur Matrimonii impedimenta, quæ ut distinctiùs, & clariùs à nobis declarentur, singula sequentibus in Paragraphis expendemus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Matrimonii impedimentum?

I. Quid sit impedimentum. MAtrimonii impedimentum in genere dicitur, *quod præexistens contractui Matrimoniali ineundo positivè aut negativè, invalidum, vel illicitum Matrimonium efficit jure naturali, aut divino, aut humanò.* Primò dicitur, *quod præexistens*; ut enim reverà impedimentum efficiat Matrimonium invalidum, aut illicitum, necessariò debet præexistere; enimverò si tantùm ut superveniens attendatur, vel solùm Matrimonii usum, & actum prohibet, sicut copula cum sorore uxoris superveniens post Matrimonium; vel omninò vinculum dissolvit, ut votum solemne castitatis in Religione approbata, ante ipsius initi Matrimonii consummationem. Additur, *seu positivè, seu negativè*; non enim necesse est, ut quid habeat rationem impedimenti Matrimonii, quòd semper sit aliquid positivum, quale est impedimentum criminis, voti castitatis, raptûs, &c. sed sufficit, quòd sit quid negativum, quale est impedimentum impotentiæ, absentiæ Parochi, &c. Sequitur, quod ab initio *Matrimonium invalidum, aut illicitum reddit*, impedimentum enim, ut mox dicemus, est vel *dirimens*, & sic Matrimonium reddit invalidum, & nullum; vel *solùm impediens*, & sic illicitum efficit: quod utique fieri potest dupliciter; *Primò* quidem mediatè, quando scilicet personæ, ratione legis Ecclesiasticæ aut civilis redduntur inhabiles ad contrahendum: *Secundò* immediatè, quando contractus ipse fit vel invalidos, aut illicitus ratione prohibentis legis canonicæ aut civilis. Additur tandem, *jure naturali, &c.* sunt enim quædam impedimenta, quæ naturali jure Matrimonium ipsum invalidum efficiunt, qualia sunt impedimenta erroris circa personam, consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ, amentiæ perpetuæ, & impotentiæ ad actum Matrimonialem; alia verò, quæ jure duntaxat positivô Matrimonium contrahendum impediunt, & dirimunt contractum, qualia olim erant impedimenta consanguinitatis in secundo gradu, & in gradibus inferioribus lineæ collateralis, tempore legis Mosaycæ, ut præscribitur *Levitici* 18. Alia denique solô humanô jure sunt dirimentia, cujusmodi sunt impedimenta criminis, raptûs, &c.

§. II.

Quotuplex sit impedimentum.

II. Duo sunt impedimentorum genera.

IMpedimenta sunt duplicis generis: *Alia* enim sunt, quæ dicuntur *impedientia* tantùm; quia scilicet impediunt, ne Matrimonium licitè contrahatur, contractum tamen non irritant, nec invalidum efficiunt. *Alia* verò sunt, quæ appellantur *dirimentia*, non quòd Matrimonium jam validè contractum dirimant; sed quia efficiunt ut nedum illicitè, sed etiam invalidè contrahi nequeat; itaut cum aliquo ex his impedimentis contrahentes, ab invicem separari debeant, & dirimi, nisi iterum validè contrahant. Impedimenta primi generis communiter numerantur duodecim, quorum aliqua ex jure naturali, alia ex jure positivo, quædam ex crimine, cætera verò ex aliis causis proveniunt. Quinque priora, quæ scilicet crimen non supponunt, his versibus comprehenduntur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus. Sponsalia, jungito votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Alia verò septem quæ crimen supponunt, his versibus comprehenduntur.

Incestus, raptus sponsata, mors mulieris,
Susceptus propria sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.

III. Tria tantùm sunt impedimenta quæ nunc vim habeant.

Porrò ex his omnibus tria duntaxat vulgò recensentur, quæ nunc vigeant, & exactè observanda sint, puta *Ecclesiæ vetitum*, id est, prohibitio facta à superiore Ecclesiastico, ne Matrimonium contrahatur: Secundò, *votum simplex castitatis*: Tertiò, *Sponsalia* validè cum alio contracta, & legitimè non dissoluta. Alia verò, nempe, *Primò*, susceptio alicujus in Catechismo, seu cognatio spiritalis nata ex catechizatione. *Secundò*, incestus cum consanguinea conjugis in primo, & secundo gradu: *Tertiò*, raptus alienæ sponsæ, ad explendam libidinem, etiamsi ipsa consentiat: *Quartò*, uxoricidium, seu propriæ uxoris occisio, non quidem animô transeundi ad alias nuptias; hoc enim esset impedimentum dirimens, sed ex ira, odio, aut vindicta: *Quintò*, injusta Presbyteri occisio; qui enim ita interficit Presbyterum, cujus est Matrimoniu interesse, olim prohibebatur Matrimonium inire, ut legitur canone *Presbyterum de Pœnit. & Remiss.* *Sextò*, susceptio propriæ prolis, animô non reddendi debitum conjugale: *Septimò*, Pœnitentia publica, quâ durante olim interdictum erat Matrimonium: *Octavò*, Matrimonium sacrilegè attentatum cum Sanctimoniali, ut habetur *cap.* 27. *quæst.* 1. Hi, *inquam*, octo casus, qui totidem olim erant impedimenta Matrimonium ineundum impedientia, non videntur amplius vigere, sed per consuetudinem esse abrogata. Unde etiam Prælati non curant admonere fideles sibi subditos accedentes ad Matrimonium ineundum, ut si habeant quædam ex his impedimentis, vel à Matrimonio contrahendo resiliant, vel eorum impedimentorum dispensationem procurent; quia videlicet non existimant, hæc impedimenta amplius vigere. Unde de tribus duntaxat prioribus impedimentis Matrimonium licitè contrahendum impedientibus, sigillatim agendum est in præsenti Paragrapho.

IV. 1. Ecclesiæ vetitum.

Primum itaque impedimentum, prohibens Matrimonium ineundum, est *Ecclesiæ vetitum*, seu prohibitio facta à Superiore Ecclesiastico, de A Matrimonio contrahendo; quæ utique potest esse vel generalis, & communis omnibus fidelibus, qualis est prohibitio facta in Concilio Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformatione*, de non ineundo Matrimonio, nisi priùs tres fuerint factæ denuntiationes publicæ tribus continuis diebus festivis, aut earum dispensatio habeatur: vel specialis, ut cum aliquibus in particulari justa de causa prohibetur Matrimonium, putà vel quia fit in præjudicium tertii; vel quia timetur impedimentum, cujus veritas priùs est investiganda, vel ad vitandum scandalum, aut aliud grave incommodum. *Per tempus feriatum*, intelligitur certum anni tempus, quô Ecclesia prohibet Matrimonia esse B celebranda. Porrò tempus istud notatur à Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 10. his verbis: *Ab adventu Domini nostri Iesu Christi, usque in diem Epiphaniæ: & à Feria quarta Cinerum, usque in Octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus præcipit. in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, ut eâ quâ decet modestiâ & honestate fiant, curabunt: sancta enim res est Matrimonium, & sanctè tractandum.* His porro diebus, saltem post Tridentinum non prohibetur Matrimonium non celebrari absolutè, sed tantùm cum solemnitate; & constat tum ex prædictis verbis Concilii Tri- C dentini, tum pariter ex declaratione Cardinalium, ejusdem Concilii Interpretum, qui in hæc verba præfata ejusdem Concilii declarârunt, quòd quocunque tempore potest Matrimonium contrahi coram Parocho: sed nuptiarum solemnitates, convivia, traductio sponsæ ad domum sponsi, & carnalis copula certis temporibus prohibentur; unde hoc impedimentum non censetur absolutè impediens celebrationem Matrimonii, sed tantùm prohibens quasdam ipsius celebrationis circumstantias.

Quid intelligitur per tempus feriatum.

2. Votum.

Secundum impedimentum nunc vigens, est votum aut castitatis perpetuum, aut simplex Religionis, aut suscipiendi Ordinem sacrum, aut D non ineundi Matrimonium; cùm enim votum propter fidem Deo datam obliget ad fidem ipsi servandam, consequenter prohibet contrahendum Matrimonium ipsi voto oppositum; ac subinde redditur illicitum, non tamen invalidum; quia votum simplex castitatis, seu promissio Deo facta proprii corporis, ad servandam continentiam, non impedit quin vovens possit validè, sed non licitè illud tradere uxori per Matrimonium.

3. Sponsalia.

Tertium impedimentum licitam Matrimonii celebrationem prohibens, sunt *Sponsalia*, seu promissio futurarum nuptiarum alicui facta; qui enim futurum Matrimonium cum aliqua ineundum legitimè & publicè spopondit, sine mortali E peccato non potest cum altera Matrimonium inire, nisi aliqua ex assignatis causis in articulo præcedenti interveniens sufficiat ad dissolutionem Sponsaliorum.

§. III.

De impedimentis dirimentibus.

IMpedimenta dirimentia Matrimonium jam contractum, ante Concilium Tridentinum erant numerô duodecim, quibus cùm alia duo adjuncta sint ab ipso Concilio Tridentino, jam quatuordecim numerantur, his versibus comprehensa.

Error,

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas.
Si sit affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc sociare vetant connubia, facta retractant.

V.

Sunt 12. impedimenta dirimentia.

Rationem autem duodenarii impedimentorum illorum numeri præclarè colligit Seraphicus Doctor in *Breviloquio parte 6. cap. 13. his verbis:* Conjunctio Matrimonialis, *inquit*, debet esse ex libero consensu, procedens ad copulationem personarum distantium in unam Matrimonii legem, & hoc potest duodecim modis impediri: hinc est, B quòd duodecim sunt impedimenta Matrimonii: quod patet sic. Ad Matrimonialem namque consensum requiritur libertas in consensu, & libertas in consentiente, & idoneitas ad conjunctionem. Sed libertas in consensu tollitur per duo, secundùm duas partes involuntarii, scilicet per ignorantiam, & per violentiam. Et sic sunt duo impedimenta, scilicet *error, & violentia*. Libertas autem in consentiente tollitur per hoc, quòd quis est alligatus alteri, & hoc, vel Deo, vel homini. Si Deo, hoc est, vel per, *votum* expressum, vel per aliquid quod habet votum annexum. Primum est in voto, secundum in *Ordine*. Si autem homini, hoc est dupliciter, aut per ligamen existens, aut per ligamen præcedens. Primum est in *ligamine*, quò quis ligatus est uxori: secundum est in *crimine*, quando mœchus, vel mœcha machinatus est C in mortem conjugis, vel ipsô vivente fidem de contrahendo dedit. Et sic sunt quatuor impedimenta, scilicet votum, Ordo, ligamen, & crimen.

Quæ egregiè explicat & colligit Seraphicus Doctor.

Idoneitas autem ad unionem est distantia personarum conveniens, quæ tollitur per nimiam proximitatem vel per nimiam elongationem. Nimia autem proximitas venit sive per generationem, sive per aliquid simile generationi, ut est cognatio legalis, aut spiritualis: aut venit per commixtionem sexuum, aut per contractionem Sponsaliorum. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet *cognatio, affinitas, & publica justitia honestas.* Nimia autem distantia aut atten- D ditur quantùm ad ea, quæ sunt naturæ, ut cùm non possunt commisceri carnaliter: aut quantùm ad ea, quæ sunt fortunæ, quæ non sunt in nostra potestate, ut patet, cùm est unus servus, & alter liber: aut quantùm ad ea, quæ sunt Religionis Christianæ, ut cùm unus est baptizatus, alter verò minimè. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet *impotentia coëundi, error conditionis, & disparitas Religionis*. Ac per hoc sunt in universo duodecim impedimenta, quæ Spiritu sanctô dictante, introducta sunt in Ecclesia Dei.

Paulò aliter congruam horum impedimentorum distributionis rationem assignat in *Centiloquio 3. parte, cap. 55.* ubi enumeratis duodecim E illis impedimentis, scribit: Tria sunt ex parte causæ efficientis, quæ est consensus, ad quem concurrit ratio, & voluntas. Contra actum rationis est error: contra actum voluntatis est vis, sive violentia: contra actum utriusque est conditio servitutis, quæ impedit partim propter defectum libertatis, partim propter errorem. Tria ex parte causæ materialis. Nam Matrimonium, est conjunctio voluntariè introducta, inter personas antea non conjunctas: unde conjuncti in proximitate, ad Matrimonium sunt inepti. Conjunguntur autem quidam consanguinitate, qui- A dam affinitate, quidam publicæ justitiæ honestate, quæ contrahitur ex Sponsalibus per verba de præsenti. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet cognatio, affinitas, & honestas. Tria sunt ex parte causæ formalis, quia Matrimonium est vinculum, in quo est mutua potestas viri & uxoris. Hæc autem potestas impeditur, quando alter tradit potestatem sui corporis alii, adhuc vivente propriô, & sic est ligamen: aut quia dedicavit se Deo, & sic est Ordo: aut quia mancipavit se Deo, & Prælato, & sic est votum. Tria autem ultima sunt ex parte causæ finalis. Nam Matrimonium est ad procreandam prolem, ad cultum Dei, vel saltem in remedium voluptatis. Contra rationem generandi, vel remedii est impotentia coëundi: contra cultum Dei, qui est in fide, est cultûs disparitas: contra cultum Dei, qui est in moribus, est criminis enormitas. *Ita Seraph. Doctor.*

Ut autem plenior, ac planior horum omnium impedimentorum habeatur notitia, de singulis sigillatim agendum erit in sequentibus Paragraphis.

§. IV.

De Impedimento Erroris, & Conditionis.

VI.

Quomodo & quis Error Matrimonium dirimat.

CUm consensus Matrimonialis debeat esse liber, cùmque ex Aristotele 3. Ethic. ignorantia, quatenus involvit errorem, officiat libertati, & efficiat involontarium, seu non voluntarium C secundùm S. Augustinum lib. 8. de Trinitate cap. 4. *Nihil est amatum, vel volitum, nisi prius cognitum:* inde meritò Theologi, & Canonistæ inter impedimenta dirimentia Matrimonium, errorem computant.

Erroris autem nomine intelligitur actus intellectûs existimantis rem esse veram, quæ à parte rei falsa est; aut è contrà putantis rem esse falsam, quæ à parte rei vera est. Hic autem error, ut observat Doctor in 2. dist. 22. triplex distinguitur, nempe antecedens; concomitans, & subsequens: Primus facit actum prorsus involontarium; quia voluntatem ita afficit, ut reverà nullô modô hoc vellet, si ipsius veritas ipsi esset D perspecta. Concomitans facit non voluntarium; quia nihil volitum, quin præcognitum; non tamen facit simpliciter involuntarium; quia voluntatem sic affectam relinquit, ut nihilominus istud vellet, tametsi veritas ipsius esset ipsi comperta. Subsequens verò ille dicitur, qui scilicet infligitur in pœnam peccati; quod utique fit, cùm quis obcæcatur, Sole Justitiæ super ipsum veritatis ac luminis cælestis radios, ut priùs, non instillante. Hîc autem non est sermo de errore posteriori, sed tantùm de duobus præcedentibus.

Advertendum insuper errorem in contractu Matrimoniali quadruplicem posse contingere. *Primò*, E circa personam, cùm videlicet una persona pro alia sumitur; sic Jacob existimans se ducere Rachelem in uxorem, accepit Liam. *Secundò*, circa personæ conditionem, putà, cùm quis existimans se contrahere cum libera, contrahit cum ancilla. *Tertiò*, circa personæ qualitatem, ut si putet uxorem quam ducit esse virginem, nobilem, pulchram, ac divitem, nihilominus eam invenit corruptam, turpem, & ignobilem. *Quartò*, circa affectum contrahentis; putà, inquit Doctor dist. 30. quæst. 1. num. 3. Dominus contrahit animô sincerô ac simplici, existimans alterum idem facere, qui tamen in dolosè fingit se contrahere Matrimonium, ut alterum decipiat, &

ad explendam suam libidinem pelliciat. *Quæritur* ergo, quisnam eorum errorum Matrimonium dirimat & irritum faciat.

Respondeo primo, errorem antecedentem, & concomitantem circa personam, jure naturæ, necnon & humano Matrimonium irritare, & invalidum efficere. Hæc est communis apud Theologos, eamque docent S. Bonaventura in 4. *dist.* 30. & S. Thomas *ibidem*, nec-non & subtilis Doctor; quam utique conclusionem probat; quia videlicet error circa personam contractui Matrimoniali adversatur; sicut & cuilibet alteri contractui: *Impedit enim*, inquit, *omnem venditionem & traditionem rerum, pmà si ematur aurum, & vendideris aurichalcum; ita hic intelligitur, quòd Bonaventura dedit potestatem sui corporis, si Bertha det.*

VII. Error circa personam Matrimonium irritat.

Insuper hic error destruit consensum, qui ad Matrimonium requiritur; siquidem qui contrahit, non consentit Matrimonium inire, nisi cum ea, quam habet in animo: at revera cum illa non contrahit, quam habet in animo, dum contrahit cum errore circa personam: igitur nec consentit in illum contractum.

Idem dicendum de errore concomitante, licèt enim hic error non faciat involuntarium positivè, seu contrariè, facit tamen involuntarium negativè, id est, non voluntarium: sed est de ratione, & essentia contractûs matrimonialis, ut positivè sit voluntarius, id est, ut actu, & reipsâ contrahens consentiat in personam, quæ ipsi traditur: igitur ex natura rei talis error Matrimonium irritum efficit.

Nec obstat, quòd habens talem errorem concomitantem ita sit affectus in voluntate, ut si sciret, illam cum qua contrahit, esse reverà Margaretam, quam tamen putat esse Bertham, nihilominus cum ipsa contraheret. Hoc, inquam, non obstat, quia consensus, qui ad Matrimonium requiritur, debet esse positivus, actualis, & absolutus: consensus autem, qui habet errorem concomitantem, non est ejusmodi, cùm nihil sit volitum, quin priùs cognitum: igitur, &c.

Dices: Contractus venditionis, & emptionis non attendit, nisi qualitatem secundùm justitiam commutativam. Unde vendens aurum non obligatur ad hoc, aut illud aurum in individuo, sed ad aurum in specie: ergo similiter in proposito perinde est sive Francisca, sive alia sit in individuo, modò servetur æqualitas: & sic ratio proinde non concludit.

Respondet Hiquæus, quòd sicut consensus ementis respicit rem in specie, nec non usum, & commoditatem secundùm naturam suam, per quam cadit in contractum; ita ille fit nullus, si alia res supponatur diversæ speciei, licèt enim ejusdem possit esse valoris, non est ejusdem tamen usûs, aut commoditatis: quia error est circa substantialem conditionem, & materiam, circa quam fit contractus. Ita in proposito, materia circa quam fit contractus, est individua persona, pro cujus corpore transfert consentiẽs suum corpus, dirigendo consensum ad personam individualem, ad ineundũ individuam cum ipsa & personalem societatem indivisibilem; ideo fit dolus in substantia contractûs quoad materiam, quam respicit consensus per se, & sic annollat, sicut emens aurum non intendit aurichalcum.

Dices secundò: Validum fuit conjugium Jacob cum Lia, Rachelis locô substituta: ergo error antecedens circa substantiam personæ, non facit Matrimonium irritum.

Respondet Doctor, num. 7. quòd sive Jacob possit excusari à peccato, si cognovit Liam primâ nocte, sive non, non est magna vis, quia non fuit confirmatus, sed postquam deprehendit illam esse Liam, consensit novô consensu propter illa verba Laban: *Non est consuetudinis in loco isto, ut minores prius tradantur ad nuptias*: & ex tunc fuit uxor ejus. Aliàs bene concedo, quòd potuisset repudiasse eam, sicut non suam. In idem collimat sententia Magistri sententiarum, & S. Thomæ, dicentium, quòd *Matrimonium, quod fuit inter Liam & Iacob, non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex errore contigit; sed ex consensu, qui postmodum accessit, tamen uterque à peccato excusatur*; quia nimirum Jacob maritali affecto accessit ad Liam, putans esse Rachelem; & Lia uxoriô affectu debitum solvit, existimans juxta patriæ consuetudinem, lege primogenitarum, jure se illi a parente fuisse copulatam.

VIII. Quomodo Jacob Matrimonium cum Lia fuerit validum.

Dices tertiò, Baptizans unam personam quam putat esse aliam, verè baptizat: ergo etiam contrahens cum alia quàm putat, verè contrahit.

Respondet Doctor, *nu.* 8. quòd non est simile de Baptismo ignoranter collato; quia ibi non est contractus. Si tamen aliquis ad solutionem hujus quæstionis acciperet rationem ex ratione Sacramenti, quòd non posset conferri ab errante; videtur probabile, quòd errans in baptizando circa personam, non baptizaret, sicut nec in Matrimonio. Sed ista ratio non est posita ad solutionem quæstionis: nec talis error, quòd sit A, vel B, dum tamen intendat conferre Sacramentum illi personæ, quæ præsens est, videtur impedire collationem aliorum Sacramentorum, sicut hic impedit; non quòd impediat Sacramentum primò, sed quia impedit contractum donationis faciendum illi, cui non vult donare illud, quod hîc datur. *Ita Doctor.*

Quibus verbis duo significat: *Primùm*, quòd non sit idem ferendum judicium de Matrimonio, ac de cæteris Sacramentis; cujus utique discriminis ratio est, quia in reliquis Sacramentis, persona quæ illa accepit, se habet duntaxat per modum subjecti, cui illa applicantur; in Matrimonio autem contrahentes, eorumque corpora, sunt materia ex qua ipsum Sacramentum constat. Similiter in contractu Matrimonii, persona ipsa est id, quod traditur per contractum; secus in venditione mercium, aut prædiorum vel similium rerum; in venditione verò servi, quia persona cadit in materia contractûs, error circa personam contractum vitiat; unde id, quod est accidentale respectu unius contractûs, potest esse substantiale respectu alterius.

IX. Quare error potius Matrimonium irritet, quàm alia sacramenta.

Dico secundò, quòd error circa conditionem personæ, putà cùm aliquis liber intendit contrahere cum altera, quam putat etiam esse liberam, quæ tamen est serva: Hic, *inquam*, error dirimit Matrimonium; quia, *inquit* Doctor num. 3. in Matrimonio est permutatio potestatis corporis pro potestate corporis: servus autem non potest dare potestatem sui corporis liberæ, sicut illa è converso: & illa nesciens servitutem ejus, per consequens non consentit scienter in servum, nec vult commutare potestatem sui corporis pro potestate corporis, quam servus non potest facere, quia non habet illam. *Hæc Doctor*, quibus probat, conditionem servitutis annullare Matrimonium, quando liber contrahit ex errore conditionis: intendit autem non servitutẽ adscriptitiam, qualem habent illi, qui ad certa opera tenentur dominis, ut qui colunt terras nunquam inde re-

cessuti, & quibus tantùm sumptus & victus cedit; neque etiam originariam servitutem, quibus obnoxii sunt filii illorum; sed servitutem propriè dictam, quâ quis est obnoxius voluntati Domini, ut eum vendat, & omnia acquirat domino, non sibi, aut filiis, aut uxori.

X.

Error conditionis irritat Matrimonium.

Porrò quòd error talis conditionis Matrimonium irritum faciat, constat ex utroque jure; nam authentic. de nuptiis §. *Si verò decretum*, sic dicitur: *Si ab initio putaverit aliquis libera jungi persona: illa verò in familia posteà declaretur existens, non dicimus solvi Matrimonium, sed ab ipso initio neque Matrimonium fieri propter inæqualitatem personarum.* Item cap. *Si quis ingenuus* 29. quæst. 2. sic habetur: *Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit, & existimat, quòd ingenua sit, ipsa fœmina fuerit postea in servitute detecta, si eam à servitute redimere potest, faciat, si non potest, si voluerit, aliam accipiat.* Et cap. 2. de conjugio servorum, Alexander III. mandat, Matrimonium errore servilis conditionis à libero cum ancilla contractum, separari, si post notam servitutem, carnaliter eam non cognoverit.

Quòd autem hic error Matrimonium irritet, non solùm jure civili, & canonicô, sed etiam jure naturali, & divinô, colligi potest ex suprà dicta ratione Doctoris, nempe ex defectu consensûs per se requisiti ad validum, & legitimum contractum; quem utique consensum non habet liber contrahens cum ancilla, ex eo quòd liber intendat commutationem sui corporis liberam facere, pro potestate libera corporis alterius; sed servus non potest hanc commutationẽ liberam facere, quia est obnoxius domino per servitutem, qui eum vendere potest, etiam extra patriam: ergo liber non censetur consentire scienter in servum; & sic ex defectu consensûs liberi, contractus est nullus. Patet ultima consequentia: quia est maxima inæqualitas quoad materiam transmutationis in ordine ad finem intrinsecum Matrimonii, nempe educandæ prolis ejusque alendæ, cùm omnia acquirat servus domino, sicut & uxoris, & individuæ societatis, quæ removerent à consensu, si scirentur; consensus enim Matrimonialis contrasia his intendit ex natura ipsius consensûs, ut respicit finem contractûs: ergo eorum error reddit consensum nullum, ac subinde irritum Matrimonium.

Etiam jure naturali.

Eandem veritatem & rationem confirmat Hiquæus in *commentario ad eandem quæst. num.* 10. his verbis: In justitia commutativa, quæ versatur in medio in re ipsa, quantitas spectat ad substantiam contractûs, absolutè loquendo, quando aliud non excipitur per formam, & ad materiam commutationis, ut si quis vinum, aut granum in specie mutuavit, acquirit jus recipiendi tantùm in specie, quantùm mutuavit: sed in proposito persona libera ex errore antecedente transferens potestatem liberam sui corporis in aliam, quam putavit liberam, contrahit secundùm justitiam commutativam, ut versatur in medio ipsius rei: ergo consensus ejus non est trahendus ad inæqualitatem in re ipsa ex vi contractûs neque ex lege, neque secundùm rectam rationem. *Probatur* consequentia, quia contractus bonæ fidei, cui dolus causam dedit, est ipsô jure nullus, secundùm communem Doctorum sententiam. Si autem est stricti juris, est irritandus; quando autem in cæteris contractus est irritabilis, in Matrimonio est nullus; quia aliter subveniri nequit huic contractui, quia validè transactus fit insolubilis, ac proinde ad eum requiritur consensus legitimus, & per legem regulatus, ut valeat, qui in præsenti casu non invenitur in persona libera, cujus consensus dirigitur ad personam quæ libera putatur, & secundùm æqualitatem rei.

Patet eadem consequentia, quoad legem non esse consensum legitimum: quia lex divina & naturalis excludit dolum & inæquabilitatem notabilem in commutatione, prout per dolum causatur, & non per consensum ejus, qui patitur; & magis respiciat hunc contractum secundùm naturam contractûs legitimi, & juxta ordinarium modum contrahendi secundùm æqualitatem regulariter, quam ex accidenti annexæ. Ordinarius modus, quem respicit prima institutio, est libera, & æqualis translatio, quia contractus institutus est ante conditionem servitutis. Idque concedere debent adversarii, qui docent Ecclesiam instituisse hoc impedimentum propter injustitiam, quæ per dolum fit personæ liberæ, & propter necessaria detrimenta, quæ fini Matrimonii in alenda & educanda prole eveniunt.

Quandò error qualitatis Matrimonium efficit nullum.

Respondeo tertiò, quòd error circa qualitatem, si redundet in errorem ipsius personæ, non autem solùm circa ipsius qualitatem, & statum, severà Matrimonium irritat. Cujus utique ratio est aperta ex dictis; siquidem error ille tollit consensum; quia contrahens non intendit Matrimonium inire, nisi cum determinata persona, quam habet in mente; unde si fœmina v. g. contrahat cum aliquo, quem putat esse Principis primogenitum; ita quòd cum ipso non contraheret, nisi primogenitus esset, & regni hæres; si substituatur alius Regis filius minor natu, reverà nullum est Matrimonium, propter defectum intentionis, & consensûs. Tunc autem cognoscitur, quòd error qualitatis & fortunæ, personæ errorem involvit, cùm directè contrahentis consensus fertur in personam illam determinatam, quæ certam & determinatam habet qualitatem, quam non habet illa persona cum qua contrahitur. Secus autem accidit, si persona intendatur, status autem & conditio secundariò & indirectè; putà si Margareta contrahat cum Petro, quem existimat esse nobilem ac divitem; reverà validum est Matrimonium, tametsi ille non sit nobilis, nec dives, sed talem se finxerit.

Respondeo quartò, quòd si quis contrahat cum aliquo fictè contrahente, nullum est Matrimonium, ut docet Doctor num. 3. dicens: Si unus contrahit animô simplici, & alter dolosè utens signis contractûs sine animo contrahendi, non est contractus: quia deficit ibi principalior causa, scilicet actus mutuus voluntatis, sine quo causa minùs principalis scilicet signum exterius, non sufficit. Neque hunc consensum potest supplere Ecclesia, licèt illum præsumat, donec contrarium probetur, & ad cohabitationem cogat; in aliis autem contractibus, quæ sunt secundùm legem humanam, & ejus institutionem, aliquando lex ipsa supplet defectum consensûs in pœnam doli, & tunc valet contractus virtute legis, ut quando contractus est stricti juris, neque adest impedimentum præter defectum consensûs ex dolo. In contractibus tamen bonæ fidei requiritur consensus, & ejus defectus non suppletur.

Consensus fictus irritū efficit Matrimoniū.

§. V.

An, & quale votum Matrimonii contractum dirimat?

XIII. Quid & quotuplex sit votum.

OBservandum est imptimis *voti* nomine intelligi promissionem deliberatam Deo factam de melioti bono. Votum autem generatim duplex est, nempe publicum & privatum, deinde simplex & solemne; nam, *inquit* Doctor dist. 38. num. 2. *Istæ distinctiones non sunt eadem, quia tam publicum, quàm privatum potest esse simplex & solemne.* Publicum est, quod fit non solùm publicè, sed etiam quod præsentibus testibus, aut per Scripturam probari potest; *privatum* verò quod non fit ejusmodi. Votum castitatis *Solemne* dicitur, quod fit solemniter, idque vel espresè, vel tacitè, seu implicitè, vel explicitè; explicitè quidem, ut cùm v. g. fit in professione Religionis approbatæ, juxta ritum in ipsius regula expressum, & coram Prælato publicè votum acceptante: implicitè autem ac tacitè, ut cùm v. g. fit in Ordinis sacri susceptione. Unde, „ *inquit* Doctor *num.* 3. Votum dicitur *solemne*, „ non quia publicum, sed quia in se habet aliquid annexum, ut in publicum debeat venire, & per

Quid sit votū solemne.

quod vovens ponitur sub alterius nomine: & sic „ est præcisè in susceptione sacri Ordinis, per „ quem suscipiens constituitur Minister, & aliter „ quàm priùs sub Episcopi potestate: quia Epis„ copus potest eum cogere ad statum Clericalem „ servandum, & ad vitandum ea, quæ repugnant „ statui Clericali. Unde si prædictum Ordinem „ susciperet in secreto, adhuc esset solemne pro„ pter rationem jam dictam: sicut etiam professio „ Religionis facta in manu ejus, qui potest reci„ pere, habet in se aliquid annexum, unde debeat „ in publicum venire: quia propter talem, vitam „ sæcularem dimittere, & cum aliis in claustro sui „ Ordinis conversari, & ideo est solemne, etiamsi fieret in occulto.

Et simplex.

Votum verò non solemne seu *simplex*, est id, quod fit à persona vovente, & absque ejusmodi solemnitate. Jam diximus, votum simplex impedire quidem celebrandum Matrimonium; non autem celebratum dirimere, unde hìc solùm sermo est de voto solemni castitatis. Itaque

Respondeo, votum solemne castitatis factum in Religione approbata, dirimere quodcumque Matrimonium subsequens; ita enim expresè definivit Alexander III. cap. *Meminimus*, & Innocentius III. cap. finali, *Qui Clerici vel voventes*, & Bonifacius VIII. cap. unicô de voto in sexto, maximè autem Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel votô; & oppositum nihil aliud esse, quàm damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum: Anathema sit.*

Id etiam ratione suadetur: quid enim æquius, & rationi convenientius est, quàm ut qui per deliberatam & solemnem professionem in Religione approbata moriuntur mundo, non amplius possint validè contrahere Matrimonium, per quod reducantur ad multò minùs perfectum statum, quàm sit status Religionis? *Secundò*, quis A non videat, quòd magnum inde scandalum orietur in Ecclesia, & multa inde incommoda gravissima sequerentur, si qui solemniter professi sunt Religionem, validè Matrimonium inire possent?

Quare autem potius votum solemne quàm simplex Matrimonium dirimat, variæ rationes proferuntur à Doctoribus. Verùm eas omnes impugnat Subtilis Doctor *num.* 4. & 5. Earum primam profert Richardus dist. 36. art. 7. quæst. 2. Quia, *inquit*, solemne probari potest, non autem simplex. Verùm, *inquit* Doctor, hæc ratio est insufficiens, quia votum simplex, etsi sit publicum, & probetur, non tamen Matrimonium B dirimit. Profert Richardus alteram rationem; quia videlicet per votum solemne dat aliquis illi, cui vovet, jus sui in actum sequentem illud votum. Et per consequens vovens solemniter continentiam, dat illi, in cujus manu vovet, jus sui ad faciendum illud observari: igitur qui vovit continentiam solemniter, cùm dederit Deo jus in suum corpus, & Episcopus aut Prælatus, sub quibus vovit, habeat facultatem compellendi eum ad votum implendum, non potest amplius dare potestatem alteri in suum corpus ad actum oppositum castitati, qualiter tradi debet in Matrimonio. Verùm, *inquit* Doctor, licèt hæc ratio sit probabilis, nihilominos non videtur cer- C ta; quia, *inquit*, vovens votô privatô, dat etiam corpus suum conjugi ad actum contrarium: non enim minùs transfert aliquis à se quod immediatè dat Deo, quàm quod dat sibi mediante homine vicariô. Si dicatur, quòd Deus noluit potestatem corporis immediatè sibi dati, sic quòd datio sequens ad conjugium simpliciter nulla est: sed sic voluit de datione facta sibi mediante homine. Sed unde hoc? Scriptura non videtur continere istam voluntatem Dei.

XIII. Quare votum solemne potius Matrimonium irritet quàm simplex.

Tertiam rationem profert *ibidem* Richardus qu. 1. nempe quòd vovens solemniter mittit in possessionem illum, cui vovet; vovens autem pri- D vatè non dat actu possessionem sui corporis, sed tantùm permittit. Verùm, *inquit Doctor ibidem*, hæc ratio minùs valet, quàm præcedentes; quia omnia intrinseca voto, ut respicit actum voluntatis, per quem obligat se vovendo, & transfert dominium suum in alterum (quia per solam voluntatem est dominus, & transfert dominium) omnia, inquam, ista sunt æqualia hinc inde: igitur non magis datio hìc, quàm ibi; sed de hoc non quæritur: non enim semper peccatum gravius tollit potestatem ad contrahendum.

Variæ proferuntur rationes quas Doctor rejicit.

Quartam rationem profert Magister sententiarum dist. 38. cap. 2. quòd transgressio voti solemnis est scandalosa; & ideo ad ejus observantiam E tenetur, non tantùm Deo, & sibi, sed etiam toti Ecclesiæ; transgressio autem voti privati, non habet sic scandalum annexum. Verùm, inquit Doctor, hæc ratio nihil aliud evincit, nisi quòd transgressio voti solemnis, sit gravius peccatum, quàm voti simplicis: sed id non spectat ad scopum difficultatis; non enim semper peccatum gravius tollit potestatem ad contrahendum. *Adde* quòd, inquit ibidem Doctor, si peccatum gravius impediret contractum matrimonialem, videretur illicitum contrahere post votum privatum, quia simpliciter peccat mortaliter in contrahendo cum intentione consentiendi, & consummandi actum carnalem: & ideò non potest licitè contrahere, nisi cum intentione non consentiendi, & per consequens intrandi Religionem.

Quando etiam consummat, videtur peccare mortaliter, quia contra votum suum, licèt secundùm aliquos post primum actum non peccet mortaliter in reddendo, quia ad illud jam non est obligatus vinculô fortiori: peccat tamen mortaliter petendo, quia nihil habet juris in hoc, cum renuntiaverit tali juri in voto. Hæc etiam ratio de scandalo non cogit, quia votum publicum, etsi non solemne, inducit scandalum, si vovens transgrediatur finaliter.

XIV. Genuina ratio hujus differentiæ.

His itaque rationibus explosis, & confutatis, concludit Doctor, rationem discriminis inter votum solemne, & simplex, cur videlicet hoc tantùm impediat Matrimonium, illud verò dirimat, non esse aliunde repetendam, quàm ex determinatione Ecclesiæ, quæ irritavit Matrimoninm contractum post solemne votum castitatis: Et hoc, *inquit*, fuit rationabile, qnia ipse posuit se in potestate Ecclesiæ, quantùm ad oppositum ejus, ad qnod est contractus Matrimonii. Voventem autem privatè, non illegitimavit, quia non sic se posuit in ejus potestate: sed quia se posuit in manu Dei ad oppositum servandum, & consuluit animæ suæ apud Deum, ne transgrediatur: nam Ecclesia reliquit eum judicio divino.

Et si quæras, quare non illegitimavit eum, cùm peccet mortaliter contrahendo, nisi cum proposito non consummandi? *Respondet Doctor*, non omnia mala punit Ecclesia, nec sic ea prohibet, ut propterea pœnas Ecceclesiasticas injungat: & fortè majus malum sequeretur ex illegitimatione voventium votô simplici, quàm ex non illegitimatione: quia ibi sequeretur frequentior culpa in actu carnali si nollent continere, sicut valde probabile est de multis, nec haberent suas, qnibus contenti essent, etsi non petendo, tamen reddendo licitè uterentur.

Nempe Ecclesiæ constitutio.

Porro quòd votum solemne solô jure Ecclesiasticô, non autem naturali, aut divinô positivô, vim habeat dirimendi Matrimonium, cum subtili Doctore docent *Henricus* quodlibetô 1. q. 25. *Gerson* 1. parte de regulis Moralibus, *Bellarminus* lib. 2. de Monachis c. 34. & plures alii Recentiores, quibus aperta suffragatur ratio; *Primò* quidem, quia votum solemne Religionis non dirimit Matrimonium, nisi quatenus est solemne; votum enim simplex castitatis, vel Religionis Matrimonium non dirimit, sed tantùm impedit: sed voti solemnitas est tantùm de jure Ecclesiastico: tum, quia Bonifacius VIII. interrogatus ab Episcopo Biterrensi, quod votum dici debeat solemne, & efficax ad dirimendum Matrimonium; respondet cap. unicô de voto, & voti redemptione in 6. quòd, *cùm voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa, Matrimonii verò vinculum sit ab ipso Deo, illud votum debet dici solemne, quod per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem in Religione approbata solemnisatur.* Ubi Pontifex expresse asserit, solemnitatem voti ex sola Ecclesiæ constitutione pendere, & in hoc differre à vinculo Matrimonii; quod est de jure divino.

Deinde, quòd votum religiosum efficiat capacem, aut incapacem ad contrahendum Matrimonium, id habet ex constitutione Ecclesiæ: igitur, &c. Probatur antecedens ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit, *Ascendente Dominô in naviculam*, edita annô 1584. ubi summus Pontifex declarat, vota simplicia, quæ fiunt à Patribus societatis Jesu, post biennium Novitiatûs, reddere eos verè Religiosos, & prorsus inhabiles ad ineundum Matrimonium: igitur quòd votum habeat vim dirimendi Matrimonium, id habet tantùm ex constitutione Ecclesiæ.

Denique, quidquid convenit voto solemni essentialiter, convenit etiam voto simplici, nempe quòd non sit simplex promissio, sed etiam traditio rei promissæ sub potestatem & dominium illius, cui vovetur, ut constat ex dictis suprà: sed votum simplex non habet ex propria natura, neque ex ulla ordinatione divina vim dirimendi Matrimonium: ergo nec votum solemne; sed tantùm id obtinet à determinatione Ecclesiæ.

Nec obstat quod Concilium Tridentinum sess. 24. can. 4. ait: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, non obstante lege Ecclesiasticâ, & votô, anathema sit.* Ubi videtur distinguere irritationem Matrimonii causatam lege Ecclesiasticâ in iis, qui sacris Ordinibus initiati sunt, ab ea quæ in Religiosis causatur per votum, quasi censeret duplicem ac diversam esse illam inhabilitationem ad Matrimonium; unam ex parte constitutionis Ecclesiæ, alteram ex parte voti. Hoc, inquam, non obstat; nam intentum Concilii ibidem est decernere contra hæreticos, maximè Calvinistas, & Lutheranos; quòd continentia sit annexa sacris Ordinibus, quòdque illis initiati, sicut & illi, qui Religionem approbatam voverunt, sunt incapaces contrahendi Matrimonii; non autem mens Concilii est decernere, utrum votum solemne reddat Religiosum perpetuò inhabilem ad Matrimonium ex natura ipsius voti, aut ex constitutione Ecclesiæ: hanc enim quæstionem utrimque librandam reliquit Theologis.

§. VI.

Quanam cognatio Matrimonium dirimat?

XV. Quid sit cognatio?

NOMINE *cognationis* intelligitur aliqua propinquitas, ratione cujus duæ personæ invicem conjunctæ sunt: hæc autem cognatio triplex solitò distinguitur, nempe carnalis, seu naturalis, quæ per carnalem generationem derivatur: spiritualis, quæ per regenerationem in sacro fonte Baptismatis, & in Sacramento Confirmationis comparatur: & legalis, quæ fit per adoptionem, juxta legum præscripta.

Est triplex.

Prima est Naturalis.

Cognatio naturalis, seu consanguinitas, dicitur quasi sanguinis unitas; definitur autem; *Vinculum intercedens inter illas personas, quarum una descendit ab alia per carnalem generationem. Vel inter illas, quæ ab eodem communi, & propinquo stipite per carnalem generationem descendunt* Primò dicitur, *Vinculum*, seu relatio quædam, & animorum conjunctio mutua in communicatione ejusdem sanguinis fundata, quæ amicitiæ radix est, & incentivum: nam, ut inquit S. Augustinus lib. 12. de Civitate cap. 21. *Deus ab uno homine omnes propagari voluit, ut non tantùm inter se naturæ similitudine, verùm etiam cognationis affectu homines necterentur*; quod servari non voluit in quibus non est consanguinitas, quia ad amicitiam invicem non ordinantur. Additur, *intercedens inter illas personas, quarum una procedit ab alia per generationem carnalem*; tum ut linea recta consanguinitatis denotetur, tum ut excludatur Evæ formatio, quæ non processit per generationem; sed ex costa Adami à Deo facta est. Sequitur, *vel inter illas personas ab eodem cõmuni stipite, &c.* idest, ab eodem homine originem ducunt, & pullulant sicut rami à stipite. Additur, *propinquo stipite*;

qui enim descendunt à stipite nimis remoto, non **A** solent amplius consanguinei nominari, alioqui omnes Adæ posteri, ac subinde omnes homines consanguinei censerentur.

XVI. Quomodo per gradus & lineas deducatur.

Porro ex hoc stipite deducuntur diversi gradus, & lineæ propinquitatis. *Gradus* autem est habitudo, seu mensura distantium personarum, quâ cognoscitur quotâ consanguinitatis distantiâ aliqui conjunguntur: metaphorâ ductâ à scala, quâ ascenditur, & descenditur. *Linea* autem est ordinata collectio personarum ab eodem stipite descendentium, metaphorâ ductâ à linea, quæ ducta à centro, & eodem puncto, ad circunferentiam protrahitur. Hæc autem linea solitò duplex distinguitur, nempe recta & collateralis, seu transversalis. *Linea recta* est illa consanguineorum series, in qua inferiores à superioribus per carnalem generationem descendunt: talis est series, in qua descendit à patre filius, à filio patris nepos, &c. *Linea transversalis* seu *collateralis*, est series ordinata consanguineorum ab eodem communi, & propinquo stipite descendentium, sed non descendentium à se invicem: talis est series fratrum cum sororibus, & patruorum cum nepotibus, &c. Rursom hæc transversalis est duplex; alia est *æqualis*, quando ambo, qui comparantur æque distant à communi stipite, ut duo fratres, & eorum filii, &c. alia *inæqualis*, quando nimirum non æqualiter distant à communi stipite, ut si frater comparetur cum filio sui fratris.

XVII. Tres sunt in hos servandæ regulæ.

Triplex à Doctore dist. 40. n. 3. assignatur regula, quas probant cæteri Theologi, & Canonistæ, ut dignoscantur quænam personæ possint cum aliis Matrimonium inire. Prima regola, *inquit*, est hæc; In linea recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, una minùs. Hoc probatur, quia tot sunt gradus, quot propagationes, cùm gradus sit habitudo, vel propinquitas inter personã & personam: sunt autem personæ una plures, quàm propagationes: quia præsupponitur toti collectioni aliqua ibi non propagata. Secunda regula: In transversali computantur gradus secundùm magis remotum à stipite, extra de consang. *Vir qui à stipite. secundùm regulam approbatam quotò gradu remotior distat à stipite. & à quolibet per aliam lineam descendentem.* **D** Et ratio hujus est, quia personæ, quæ sunt in linea transversali, non habent inter se propinquitatem, nisi ratione stipitis: & ideo non possunt inter se propinquiùs conjungi, quàm remotior eorum conjungatur stipiti. Ad propositum etiam est una regula, quòd efficacior gradus est in linea descendente, quàm in transversali: & ratio naturalis est, quia plus conjungitur proles parenti, quàm proles proli: & ideo magis est contra legem naturæ conjungi in primo gradu in linea recta, quàm in transversali: semper enim fuit contra Matrimonium illa conjunctio: & magis filii ad matrem, quàm patres ad filiam: quia ma- **E** jor irreverentia est. Unde 8. *de animalibus* dicit

XVIII. Natura abhorret à commixtione parentis cum sua prole.

Aristoteles de equo, qui velatus cognoverat matrem suam, quòd posteà discoopertis oculis videns hoc, se præcipitavit. Et *alibi* (apud Plinium in naturali historia cap. 42.) loquitur de elephante, qui ingeniatus, ut matrem suam cognosceret, post hoc ingeniatorem occidit. Ex quo patet, quòd est contra legem naturæ, etiam ut competit brutis per propagationem: & ideo primus gradus descendens, & potissimè matris ad filium maximè impedit Matrimonium.

Nihilominus apud Persas permissæ dicuntur nuptiæ in rectilineis fuisse, ut etiam apud Chal- **A** dæos, atque plerasque alias nationes, imò sub Imperatoribus Rumanis, Nero, Otho primus, & Vitellius à propria matre non abstinuerunt. Quin imò ex tali nefario concubitu, Magos gigni & procedere voluerint, ut Catullus his versibus declarat.

Nascetur Magus ex Gelli matrisque nefando
Conjugio, ut discat Persicum Haruspicium,
Nam Magus ex patre, & gnato, gignatur oportet;
Si vera est Persarum impia Religio.

Idem refert Harmens. lib. 1. tit. 1. §. 15. inde Mirrha apud Ovidium queritur, sibi non licere thalamum ingredi parentis his verbis 10. Meta- **B** morph.

Gentes esse feruntur
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur, & pietas geminatô crescit amore.

Verùm hos omnes quasi naturæ ludubria execrantur cæteræ Nationes, & hujusmodi nuptias, ac incestuosa commercia, quasi humanitatis portenta abhorrent.

XIX. Qualiter præfatas regulas explicet Seraphicus Doctor.

Paulò aliter has regulas declarat Seraphicus Doctor in explicatione textûs *dist.* 40. *art.* 1. ubi ait: *Prima regula est*, quòd nulli licet contrahere cum aliqua usque ad quartum gradum inclusivè: **C** & talis est hujusmodi prohibitio: quòd si quis contra eam præsumpserit copulari, nullâ longinquitate defendatur annorum, cùm diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat, & tantò graviora sint crimina, quantò diutiùs infœlicem animam detinent alligatam: & hoc probatur extra de consanguinitate. *Non oportet*, &c.

Secunda regula est, quòd totô gradu personæ descendentes à stipite distant à se invicem, quotô distant à stipite: & ideo si aliquis vult scire quotô gradu aliqui sibi attineant, cùm talis attinentia originem ducat à stipite, oportet quòd ad illam personam recurrat, cui immediatiùs conjungitur. Exempla manifesta sunt, ut si ab A, procedant B & G, & B generat C, D; & D, E & F. Similiter G generet H, & H generet I, & I generet K, & K, L: Si vis scire quotô gradu distant F, & L, oportet utriusque generationem reducere ad A, quia totô gradu differunt ab invicem quotô à stipite.

Tertia regula est, quòd quando personæ inæqualiter distant à stipite, ut putà quando una in secundo gradu, & altera in quinto, quia linea consanguinitatis & gradus debet computari secundùm distantiam magis remoti, & ista regula confirmatur, per illud, quod dicitur extra de consanguinitate, in ultima decretali, quæ est Gregoriana.

Ratio autem hujus est, quòd tota ratio proximitatis ortum habet à stipite: ergo nullus proximior est alicui collaterali, quàm stipiti. Si ergo distat à stipite per quinque gradus, pari ratione distat à collaterali, sive distet per unum gradum, sive per duos distet gradus in quinque. Quòd si ampliùs distet, secundùm magis distantem oportet computari; & ideo ille, qui distat in quinto gradu, potest contrahere cum illo, qui distat in secundo.

Cæterùm non eadem est, in omni lege, nempe Naturali, Mosaïca, & Evangelica, interdictio, & prohibitio celebrandi Matrimonii intra eosdem

gradus: Nam, inquit Doctor *num.* 4. In omni lege prohibitum fuit Matrimonium inter pattem & filiam, mattem & filium: quod, *inquit*, non intelligitut tantùm de patte proximo, sed de quocuoque in linea recta; ita quòd si Adam hodie viveret, non posset ducere aliquam uxorem. Fortè etiam post multiplicationem humani generis, si stetissent in innocentia, fuisset prohibirio in quibusdam gradibns ultra primum; sed in principio non potuit fieri; quia non erant aliæ fœminæ, quàm sorores. *In lege Mosaica* erat prohibitio quantùm ad quosdam gradus ulteriores, ut paret Levit. 8. In lege autem Evangelica fuit aliquando prohibitio usque ad septimum gradum. Patet per Magistrum in littera: sed sub Innocentio III. restricta est usque ad quartum gradum inclusivè, Extra de consang. cap. *Non det: Prohibitio copulæ conjugalis, quartum consanguinitatis gradum de cætero non excedat*: & assignat rationem, quoniam in ulterioribus gradibus, jam non potest absque gravi dispendio observari. Et post approbat, & ratificat pro futuro: *Cùm ergo, inquiens jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit requisita*: scilicet per nos hîc in Concilio, & infrà: *Ita eam volumus esse perpetuam, nonobstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis*. Et in *eodem cap.* revocat omnes prohibitiones de conjugio contrahendo in secundo & tertio genere affinitatis, & de sobole suscepta ea secundis nuptiis cognationi viri prioris non copulanda; quæ prohibitiones multas difficultates inducebant, & (ut dicit) *aliquando periculum animarum*.

XX. Merito Ecclesia permisit Matrimonia post quartum gradum.

Inquirit Doctor: Sed unde est, quòd propinquitas talis, vel talis simpliciter impedit? *Respondet*, quòd in lege Evangelica non invenitur à Christo alia prohibitio ultra prohibitionem legis naturæ: nec etiam explicitè confirmavit prohibitionem super hoc factam in lege Mosaica, sed Ecclesia illegitimavit personas aliquando in gradu remotiori, posteà in quarto gradu: & ratio illegitimationis fuit propter pacem, & amicitiam servandam in Ecclesia: usque enim ad quartum gradum manet amicitia ratione consanguinitatis: & ex tunc incipiunt esse quasi extranei, & amore contepescere: & ideo congruum est tunc per vinculum conjugale tepescentem amicitiam revocare.

Quòd autem Ecclesia rectè definierit, Matrimonium posse legitimè contrahi inter fideles intra pauciores gradus, quàm qui in Levitico præscribuntur, apertè definit Concilium Trident. sess. 24. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant, anathema sit.*

Ut præclarè explicat Seraphicus Doctor.

Quòd pariter jure meritò Ecclesia in Concilio Lateranensi revocaverit prohibitionem contrahendi infra septimum gradum consanguinitatis, & revocaverit ad quartum, variis & congruis rationibus suadet Seraphicus Doctor *dist.* 40. *q.* 3. quarum præcipua fuit propter vitandum periculum illiciti Matrimonii: Quoniam, *inquit*, propter multitudinem consanguineorum, & brevitatem dierum vix potest aliquis computare consanguineos usque ad septimum gradum, & ibi ita erat maximum periculum, & frequentissimè contingebat homines jungi infra gradus prohibitos; imò vix poterat aliquis evadere; & ideo oportuit prius statutum retractare. Tale periculum, vel talis necessitas non fuit tempore Ecclesiæ primitivæ, tum quia homines erant longioris vitæ, tum quia minoris generationis, nunc autem crevit in hominibus potentia virtutis generativæ propter fervorem libidinis, qui viget nunc in hominibus, adeo quòd secundùm communem cursum possent homines ita multiplicari, quòd usque ad quartum gradum, nedum usque ad octavum via inveniret aliquis, cum qua contraheret. Et illud patet ad oculum; possibile enim est, quòd aliquis generet xa. & iterum quòd aliqui generet tres; nunc ponamus secundùm communem cursum quòd generet x. & illi x. alios a. in secundo gradu erunt. C in tertio, M in quarto, X millia; & ita infrà quatuor gradus haberet aliquis consanguineos in una linea xi. millia centum, & ii. totidem in linea ascendente, & totidem in transversali: ergo secundùm naturam haberet xxatii. m. & trecentos xxatii. consanguineos. Et sic in una Patria magna via inveniret cum qua contraheret usque ad quartum gradum, quantò magis usque ad octavum? Et ita propter periculum oportuit revocari illud statutum, & hoc scilicet usque ad quartum gradum statuere. Et ista fuit potissima ratio, quare mutatum est, sicut expressè dicitur in Decretali edita in Concilio generali, ubi dicitur non reprehensibile judicari, si secundùm veritatem temporum statuta quoque varientur humana, præsertim cùm urgens necessitas, vel evidens utilitas hoc exposcit: hoc autem non solùm necessitas exposcebat, sed & utilitas requirebat, & aderat congruitas, & potestas: ideo justè usque ad quartum gradum impedire Matrimonium rectissimè, & irreprehensibiliter statuit, & ordinavit Ecclesia.

XXI. Quid sit cognatio spiritualis.

Cognatio spiritualis est propinquitas, quæ oritur ex administratione, vel susceptione Baptismi, Confirmationis, velut Baldus, *codice de nuptiis*, ait, *Est quædam animarum conjunctio mediante Deo*. Ex spirituali autem cognatione orta ex Baptismo & Confirmatione, olim jure Pontificio & Canonico triplex erat propinquitas, nempe paternitas, compaternitas & fraternitas, ut colligitur ex cap. 2. *de cognatione spirituali*. Paternitas reperitur inter baptizantem vel patrinum, vel confirmantem ex una parte, & inter baptizatum, vel confirmatum ex altera. *Compaternitas* est inter baptizantem, vel suscipientem, aut confirmantem ex una parte, & inter baptizati, vel confirmati parentes ex altera, quæ cognatio etiam in compatris uxorem olim transfundebatur ex cap. *Martinus* de cognat. spirit. Denique *fraternitas* olim erat inter filios carnales baptizantis, vel suscipientis, aut confirmantis ex una parte, & inter ipsum baptizatum, vel confirmatum ex altera. Sed ista tertia cognatio jure novô Concilii Tridentini sublata est, remanentque solùm duæ priores; quarum neutra nunc in uxorem transfunditur.

Ut autem clariùs innotescat Concilii Tridentini hac de re sanctio, placet illam ex cap. 2. hîc exscribere, ubi cùm præmisisset, quòd varia incommoda & scandala, ea ignorantia spiritualis cognationis oriebantur, statim addit: *Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantùm, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec-non inter baptizantem & baptizatum, baptiza-*

Et ad quos gradus extendatur.

tique patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum, vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat, & in libro nomina eorum describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullò pactò contrahant; constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus. Si Parochi culpâ, vel negligentiâ secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

Igitur ex Concilio Tridentino affinitas spiritualis Matrimonium dirimens, ex Baptismo & Confirmatione tantùm est duplex: Prima per modum *paternitatis* inter baptizantem, seu confirmantem, qui se habet ut pater; & patrinum & matrinam ex una parte, qui se habent ut mater, quia gerunt vicem Ecclesiæ, & baptizatum, seu confirmatum ex altera. Secunda verò per modum *compaternitatis* inter baptizantem, sive confirmantem, patrinosque ex una parte, & parentes baptizati, seu confirmati ex altera. Nulla verò spiritualis cognatio, ac subinde nullum Matrimonii impedimentum contrahitur inter virum & fœminam, qui eundem de sacro fonte suscipiunt, aut in Sacramento Confirmationis tenent; quia videlicet Concilium Tridentinum locô citatô expressè dicit inter alias personas tolli omne impedimentum cognationis spiritualis.

Et inter quos intercedat.

Nihilominus, si vir teneret proprium filium, aut citra necessitatem baptizaret, contraheret cognationem spiritualem cum uxore, ex qua illum suscepit; ratione cujus prohiberetur à debito conjugali. Idem dicendum de fœmina.

Tres ad eam sunt attendendæ regulæ.

Ut autem cognatio spiritualis inter præfatas personas intercedat, necessarium est, quod hæ conditiones adsint: *Primò* quòd Baptismus, & Confirmatio verè ac validè conferantur, si enim Baptismus domi fuerit collatus, & duntaxat postmodum in Ecclesia fiant cæremoniæ, non oritur talis cognatio inter præfatas personas. *Secundò*, quòd personæ sint capaces hujus cognationis; unde si infidelis baptizaret proprium filium, non contraheret illam cognationem; neque etiam si fidelis baptizaret filium infidelis, contraheret cognationem spiritualem cum patre infideli; quia talis cognatio debet esse inter duos terminos ipsius capaces; infidelis autem est incapax cognationis spiritualis. *Tertiò* requiritur, ut quis suô, non autem alterius nomine, baptizatum vel confirmatum suscipiat; si quis enim tantùm suscipiat nomine alterius, ut ejus procurator, non contrahit prædictam cognationem; quia non tam est patrinus, quàm patrini supplens locum & officium; ideoque solus ille, cujus vices obit, cognationem contrahit. Nec obstat, quòd qui deputat, non teneat ipsum baptizatum, vel confirmatum, sicut requiri videtur causâ 30. q. 1. quia qui facit per alium, perinde est ac si per seipsum faciat, ex regula 72. juris in 6.

XXII. Quid sit cognatio legalis.

Cognatio legalis est propinquitas ex adoptione alicujus in filium. Ut autem adoptio hæc fiat legitimè, quatuor requiruntur conditiones ex parte adoptantis. *Primò*, quòd sit masculus; *secundò* quòd sit sui juris; *tertiò* quòd sit major viginti quinque annis; *quartò* quòd nullos habeat filios, nec habere possit. Ex parte verò adoptati tres conditiones desiderantur: *Primò*, ut in adoptionem consentiat; *secundò*, ut saltem octodecim annis adoptante sit minor, & ita eum habere possit pro patre; *tertiò*, ut sit persona extranea, ut alias diximus agendo de adoptione Christi D.

Et quomodo ineatur.

Porrò cognatio legalis proveniens ex adoptione, contrahitur *primò* inter adoptatum, & adoptantem; *secundò* inter adoptatum, & conjugem adoptantis; *tertiò* inter adoptantem, & conjugem adoptati; *quartò* inter adoptantem, & filios adoptati usque ad quartam generationem; *quintò* inter adoptatum, & legitimos filios adoptantis, etiam usque ad quartum gradum, si videlicet adoptans post adoptionem, per miraculum aut aliâ virtute redditâ facultate generandi, legitimos habeat filios.

XXIII. Qualiter hæ tres cognationis species Matrimonium dirimant.

Quòd autem hæ species cognationis legalis Matrimonium dirimant, constat ex jure Canonico, & civili; nam cap. unicô de cognatione legali, sic dicitur: *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quandiu durat adoptio inter me, & ipsam, nuptiæ consistere non possunt.* Et in cap. *Ita diligere*, Nicolaus summus Pontifex determinans, quòd non potest esse conjugium inter quos est cognatio spiritualis, id probat hâc ratione: *Si inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit, quantò potius à carnali oportet inter se contubernio cessare illos quos per cœleste Sacramentum regeneratio sancti Spiritûs jungit.*

§. VII.

An, & quale crimen vim habeat dirimendi Matrimonium?

R*Espondet Doctor* dist. 36. n. 2. quòd tria sunt crimina, quæ conjuncta, vel separata, videntur facere difficultatem circa Matrimonium contrahendum. Sunt autem crimina illa, adulterium machinatio in mortem conjugis legitimi, fidei datio ipsi adulteræ, vel contractus de facto cum ea, vel promissio cum juramento; quia hæc tria ultima ad propositum pro eodem reputantur. De duobus prioris patet *Extra. de eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium. cap. ult.* De tertio, scilicet promissione cum juramento, an valeat, habetur *Extra. de his, quæ metu, vel vi fiunt. Ad aures.* De his tribus dico, quòd ultimum per se non impedit Matrimonium contrahendum post mortem viri, sicut habetur *Extra. de eo qui duxit in Matrim. cap. ult. Si quis uxore vivente, fide data promiserit se aliam ducturum, vel cum ipsa de facto contraxerit, si nihil aliud fuerit, non est Matrimonium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum, dirimendum.* Tertium cum primo simpliciter impedit, & dirimit; *ibidem in eodem cap.* sequitur enim ibi: *Tolerari non debet, si prius, vel postea dum vixit uxor illius, illam adulterio polluisset*, & refertur prius, & post ad fidei dationem. Hoc autem intelligendum est, quando ambo sunt conscii, quòd actus ille est adulterium: si enim vir tantùm sit conscius, & mulier inscia, putà quia nescit eum habere aliam; tunc si vir posteà contrahat cum illa ad petitionem viri non est divortium celebrandum, sicut habetur *tit. eôdem cap.* 1.

XLIV. Duo sunt crimina Matrimonium dirimentia.

Itaque ex mente Doctoris, nec-non & omnium Theologorum, duo sunt crimina Matrimonium dirimentia,

dirimentia, nempe *homicidium*, & *adulterium*, non quidem qualiacunque, sed cum his quatuor conditionibus perpetrata: *Primò* quidem, quando vir & fœmina communi consensu machinantur mortem alterius conjugum, ut Matrimonium posteà simul ineant: *Secundò*, cùm adulter ideo procurat mortem uxoris suæ, vel mortem mariti adulteræ suæ, ut eum ista adultera Matrimonium ineat: similiter cùm adultera procurat viri sui mortem, vel mortem uxoris illius eum quo adulterata est, ut cum tali Matrimonium possit inire: *Tertiò*, cùm adulteri de facto contrahunt inter se, viventibus adhuc suis conjugibus; vel saltem dum unus è contrahentibus istis, adhuc habet suam compartem: *Quartò* denique, dum adulteri sibi mutuò fidem dederunt de Matrimonio inter se contrahendo post mortem suæ compartis; quos utique quatuor casus subtiliter non minùs quàm distinctè explicat Doctor locô suprà laudatô.

Qualia esse debeant.

§. VIII.

An, & qua disparitas cultûs Matrimonium dirimat?

PEr disparitatem cultûs, hîc intelligitur Religionum diversitas, quæ reperitur inter fideles & infideles, sive illi sint baptizati ut hæretici; sive non, ut Gentiles. Quæritur ergo, an ea Religionis diversitas sufficiat ad dissolvendum Matrimonium?

XXV. *Respondeo primò*, disparitatem cultûs, quæ est inter baptizatum, & non baptizatum, habere vim impedimenti dirimentis Matrimonium. Hæc constat ex usu & universali Ecclesiæ consuetudine ab Apostolis ad nos usque derivata; cujus utique fundamentum præbuit Apostolus 2. ad Cor. 6. dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus, qua enim participatio lucis ad tenebras, aut qua pars fidelis cum infideli?*

Quid sit disparitas cultus.

Hinc Tertullianus lib. 2. ad uxorem hujus consuetudinis meminit, ubi pariter hoc Matrimonium cum infidelibus initum damnat. Videtur etiam fuisse definitum in Concilio Nicæno I. cap. 67. ex Arabicis, ubi sic habetur: *Quæcunque mulier fidelis viro infideli nupserit, à communione fidelium separetur. Quæ si Pœnitentiam egerit maleficii, & eum virum, quem habere non poterat, idest, infidelem, dimiserit, non est recipienda, nisi eô modò, quô recipitur, qui postquam fidem negavit, ad fidem revertitur, debetque ipsa infidelem relinquere.* Idem definitur à Concilio Toletano III. cap. 14. nec-non & constat ex causa 28. q. 1. cap. *Sic enim*, & cap. *Cave*.

Qualiter Matrimonium dirimat.

XXVI. Hæc tamen Matrimonii irritatio non fit jure divinô; quia, ut optimè probat Doctor dist. 39. num. 2. potest esse verum Matrimonium inter infideles, nec-non & inter fidelem, & infidelem subsistere; quando videlicet initum fuit, dum ambo essent infideles. Quod utique probat Doctor num. 5. per illud Apostoli, *Vir fidelis non dimittat uxorem infidelem, quæ consentit habitare cum eo:* Si enim non esset Matrimonium, suaderet fornicationem; si autem non esset hoc licitum, & honestum, Apostolus non consuleret. Sic igitur patet, qualiter potest esse Matrimonium inter fidelem, & infidelem.

Non irritat Jure divino.

Quæris Doctor: Nunquid igitur potest contrahi? *Respondet*, quòd sic, quantùm est ex jure divino; quia ex illo non magis habetur, quòd contractus sit nullus, quàm quòd obligatio ex contractu priori sit nulla: quia non positô novô impedimentô, qui potest esse alterius, potest se dare alteri.

Sed de jure positivo Ecclesiæ simpliciter non potest: quia Ecclesia illegitimavit fidelem, non simpliciter, sed respectu infidelis, sicut patet in authoritate adducta ad oppositum, 28. *quæst.* 1. Hoc autem Ecclesia rationabiliter ordinavit, quia hoc non potest congruè, & honestè fieri; & ad hoc valent aliquæ rationes adductæ ad primum articulum: non enim est honestum fidelem contrahere, cui contractui non sit annexum Sacramentum fidei Christianæ, & etiam ubi non sit bonum Sacramenti, idest, indissolubilitas: quia conjugium Christianorum natum est habere hæc bona.

Sed Ecclesiastico.

Instat Doctor, quare ergo Apostolus suadet Matrimonium inter infideles contractum, esse servandum post conversionem alterius? si enim propter aliquem bonum finem honestè servatur, igitur propter eundem posset honestè contrahi.

XXVII. *Respondet*, causa Apostoli patet ibi: *Salvabitur*, inquit, *vir infidelis per mulierem fidelem:* igitur servare Matrimonium priùs contractum, est occasio convertendi conjugem infidelem; cessante autem evidenter causâ illâ, non debent insimul commanere: ut putà, si non consentit habitare cum converso; vel non sine injuria Creatoris, blasphemando scilicet, vel sollicitando conversum ad infidelitatem: vitanda est enim tam singularis familiaritas cum quocunque contrariæ sectæ, nisi propter majus bonum.

Cur potius servari possit Matrimonium priùs initum quàm de novo contrahi.

Ad propositum autem, contrahere de novo cum infideli, non est occasio probabilis ad expectandum tantum bonum, scilicet conversionem ejus: quia multùm amans conjugium, multa & magna faceret, ut illud attingeret, quæ non esset facturus ipsô adeptô: & ideo si iste non vult converti in primo, ut possit habere conjugium cum Christiana, non est probabile, quòd ista posterà lucretur eum, sed magis è converso: quia ille videtur abducere istam: & ideo cessat ratio tantæ familiaritatis ad infidelem, & manet ratio fugiendi illam familiaritatem: & ideo idem Apostolus, qui consuluit manere conversum cum non conversa, dissuasit contrahere fidelem cum infideli, sicut argutum est ad oppositum.

XXVIII. Quibus verbis Doctor duo resolvit: *Primum* quidem, quòd Matrimonium licitum sit & validum inter fidelem & infidelem jure divinô: *Tum, quia* id significat Apostolus, *tum quia*, ut dixit, *num.* 2. Matrimonium potest esse validum inter infideles, & perseverare alterô conjugum conversô ad fidem: hoc enim non obstat fidei servandæ in Matrimonio: Quia, inquit, fidelitas servari potest sine fide, quâ creditur in Deum, hanc enim servant infideles fidelibus in contractibus; non enim sequitur, non vult servare fidem istam ad Deum, à qua Christiani dicuntur fideles: ergo non vult servare fidem, idest, fidelitatem proximo: *Tum, quia* non sequitur, non vult servare perfectius, igitur nec minùs perfectum: *Tum, quia* infidelis non potest attingere per rationem naturalem ad observantiam fidei divinæ: sicut percipere potest servandam esse fidelitatem humanam. Nec etiam Matrimonii validitati inter infideles obstat bonum prolis educandæ; quia in hoc Matrimonio bonum prolis sequitur dictamen rationis naturalis; quod utique sufficit ad validitatem contractus Matrimonialis: nam

Matrimonium inter fidelem & infidelem non officit bonis Matrimonii.

quòd proles educetur in ordine ad cultum supernaturalem Dei, hoc est extrinsecum ipsi contractui, qui tantùm obligat ad id quod servandum proponitur secundùm dictamen vel solius rationis rectæ, si tantùm affulgeat illius lumen; vel fidei divinæ, dum quis eâ illustratur.

Non denique obstat bonum Sacramenti; quia, (*inquit Doctor num. 3.*) omnibus contractibus Matrimonii præcedentibus legem Evangelicam, non fuit annexa virtus & dignitas Sacramenti propriè dicti; nec etiam annexa fuisset in statu innocentiæ, si ille perseverasset: attamen tunc Matrimonium non caruisset debitâ perfectione ad rationem contractûs pertinente; ac subinde Matrimonium inter infideles habere potest omnia bona Matrimonii, quatenus est contractus civilis, & consequenter potest esse validum; unde meritò monet Apostolus, ut vir fidelis non dimittat uxorem infidelem, quæ consentit cum ipso habitare.

Secundò Doctor concludit, jure positivò Ecclesiæ ista Matrimonia censeri irrita: quod utique constat non solùm ex consuetudine & praxi, sed etiam ex variis decretis Conciliorum; nam, ut diximus, id prohibet Concilium Nicænum, nec-non & Carthaginense tertium, quod vetat cap. 12. ne Clerici filias suas nuptui dent infidelibus. Idem sanxit Aurelianense II. cap. 19. ubi prohibet Matrimonium cum Judæis non conversis. Idem Aurelianense cap. 6. & Meldense can. 73.

XXIX.
Quare Matrimonium istud Ecclesia irritavit.

Nec abs re quidem Ecclesia talia Matrimonia irritavit, nam, inquit Doctor *num. 5. Primò*, non fuit conveniens, ut contraheretur Matrimonium cum aliquo, ex quo futurum esset periculum perversæ educationis prolis. *Secundò*, non fuit conveniens, quòd fideles contraherent, ubi non occurrit bonum Sacramenti; nam fidelium Matrimonia debent habere hoc bonum. *Tertiò*, periculum esset, ne fidelis suadente infideli conjuge, à fide deficeret; *Quis enim dubitat*, inquit Tertullianus lib. 2. ad uxorem, *obliterari quotidie fidem commerciò infideli, bonos corrumpunt mores confabulationes pravæ, quantò magis conjunctus, & individuus usus?* Denique Religionis disparitas esset occasio discordiarum, ut docet S. Ambrosius lib. 1. de Abraham. cap. 9. ubi pariter præfata incommoda ex Matrimoniorum infideli initio oriunda recenset, *dicens*: Quomodo potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo cave, Christiane! Gentili, aut Judæo filiam tuam tradere. Cave, inquam, Gentilem, aut Judæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua uxorem accersas tibi. Prima conjugii fides, castitatis gratia est. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria, si Christum neget, qui præceptor & remunerator est pudicitiæ, quomodo potest diligere pudicitiam? Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis Sacramento Baptismatis. Simul ad orationem nocte vobis surgendum est, & conjunctis precibus obsecrandus Deus. Accedit aliud insigne castimoniæ, si credas à Deo tibi quod sortitus es conjugium datum. Unde & Salomon ait: *A Deo preparatur viro uxor.* Non possunt hoc dispares fide credere, ut ab eo quem non colunt, putent sibi connubii impartitam gratiam. Ratio docet; sed amplius exempla movent. Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à Religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem cave. Ratio docet. Primum ergo in conjugio Religio quæritur.

XXX.
Valde tamen posse constat ex variis exemplis.

Licèt autem hæc vera sint, quando adest periculum subversionis alterius conjugis, aut aliquod imminet ex malis mox recensitis; nihilominus ubi tale periculum non imminet, revera licitum est Matrimonium ducere cum infidelibus, saltem ex decreto, & consensu Ecclesiæ: quod utique probari potest variis exemplis veteris Testamenti: nam *Iacob* duxit uxores filias Laban hominis gentilis, Genes. 29. *Ioseph* duxit filiam Putiphatis Sacerdotis Heliopoleos Genes. 41. *Moyses* Sephoram filiam Jethro Sacerdotis Madian, Exodi 1. *Esther* nupsit Assuero Regi Persarum, & *Salomon* varias duxit uxores alienigenas: Verùm ipse, *inquit Doctor num.* 8. sicut pessimus, & ingratissimus homo, Deo suo, non solùm in hoc peccavit, quia alienigenas duxit contra legem, etiam de gentilibus specialiter prohibitis: sed etiam in multitudine mulierum; siquidem habuit secundùm unam litteram 706. uxores quasi Reginas, & 300. concubinas, cùm tamen diceret lex specialiter de Rege; Deuteron. cap. 17. *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus*: quod fortè specialiter dixit Moyses propter malitiam istius prævisam, ut si non compesceretur, saltem confunderetur, ne alii etiam eum imitarentur: & quod pejus est, copulatus est eis amore ardentissimo, in tantùm, ut faceret eis idola, & templa ad colendum Deos suos; unde non sine causa subjunxit Moses: ut suprà, *quæ alliciant animum ejus*; & hæc omnia aggravat singularis ingratitudo sapientiæ eminentis sibi subitò a Deo concessæ; ita quòd ista authoritas non requirit responsionẽ, sed solam detestationem.

Idipsum constat variis exemplis Sanctorum legis Evangelicæ; nam *S. Cæcilia* nupsit Valeriano adhuc Gentili, ut habetur ea actis ejus vitæ, & martyrii; *S. Monica* mater S. Augustini, nupsit Patricio Ethnico, ut ipse S. Augustinus testatur lib. 9. Confess. cap. 9. *S. Clotildis* nupsit Clodovæo Regi Francorum adhuc idololatræ, ut testantur omnes Historiæ Francorum illius ævi, & Gregorius Turonensis lib. 2. Historiæ cap. 28. & 31.

XXXI.
Ecclesia meritò interdum permittit ineunda Matrimonia cùm hæreticis.

Ex his collige, potiori jure Matrimonia cum hæreticis nõ semper esse illicita; quamvis enim aliquibus in locis, ex Ecclesiæ decreto irrita haberentur hujusmodi Matrimonia, ut insinuat canon Trullanus 72. qui includitur in can. 67. Laodiceni, & indicat Theodorus Balsamon in priorem canonem, & *in novo canone tit.* 12. *cap.* 13. hanc praxim docet viguisse in Græcia non ex alio capite, quàm ex canonibus antiquis inhabilitantibus personas ad contractum, fidelis quidem respectivè ad infideles, & Judæos, sed præterea baptizatos hæreticos, & fideles utrimque comprehendentes, damnat præfatus Author Iberos, qui connubium inibant cum Saracenis.

His, inquam, non obstantibus, constat ab Ecclesia permitti posse, ut fideles Matrimonia ineant cum hæreticis, quando id rationabilis causa exigit, putà *primò* cùm affulget spes conversionis conjugis infidelis ad fidem: 2. si Matrimonium istud sit motivum & occasio conciliandæ pacis inter Principes & Regna: 3. si nullum adsit ex præfatis periculis: 4. si conjux fidelis proficere possit ad fidem in aliquo regno propagandam, aut fovendam. Attamen cavendum est, ne hujusmodi Matrimonia sub hac conventione ineantur, ut filiorum educatio pertineat ad patrem fidelem, v. g. filiarum verò ad matrem hæreticam: hæc enim pactio vergeret in præjudicium salutis ipsarũ filiarum, quæ fortè ab hæretica matre in erroribus, quibus inficitur, educarentur.

XXXII. *Vis Matrimonium irritat.*

Septimum impedimentum est *vis*, seu *coactio*; Cùm enim contractus Matrimonii debeat esse liber, ut diximus, sufficienter apparet, quòd dum contractus ille initur ex gravi metu, qui virum constantem dejicere posset, prorsus irritus habendus est; quia bona, quæ ad aliquem dominum proprium pertinent, transire non possunt in alterius dominium & potestatem, sine proprii domini consensu: vel sine dispositione alicujus legis ad id cogentis: sed bona contrahentium Matrimonium, sunt ipsis personalia, qui sibi Matrimonium ineundo tradunt: igitur non potest illa traditio fieri sine libero eorum consensu, maximè cùm tantùm absit, ut aliqua lex Ecclesiastica, vel civilis conjuges ad hujusmodi traditionem corporum adstringat, quin potius utraque lex consensum istum requirit, ut constat non solùm ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 9. sed etiam colligitur ex cap. *Sufficiat*, causâ 27. q. 2. & cap. *Cum apud* de Sponsalibus. Item ex L. *Nuptias* ff. de legibus juris, quæ cùm alibi expenderimus agendo de libertate ad consensum Matrimonialem necessaria, non est necessum, ut in hoc declarando impedimento diutiùs immoremur.

§. IX.

Utrum, & qualis Ordo Matrimonium dirimat?

XXXIII. *Quare sacri Ordines Matrimonium dirimant.*

CErtum est, minores Ordines, nec dirimendi, nec impediendi Matrimonii vim habere; quippe cùm nullum continentiæ votum annexum habeant, neque id ullô jure sancitum alicubi reperiatur. Quantùm autem ad Ordines sacros, nempe Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, & Episcopatum, conveniunt omnes Theologi & Canonistæ, eos Matrimonium subsequens irritare, ut constat cap. 1. *Qui Clerici, vel voventes*, & ex cap. *Ut lex* 27. quæst. 1. ubi postquam statuit Pontifex, & præcepit, ut qui post sacros Ordines uxores duxerint, ab illis separentur, subjungit causam his verbis: *Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus.* Idipsum expressè definit Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel votô: & oppositum nihil aliud esse, quàm damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.*

Hæc autem vis dirimendi Matrimonium sacris Ordinibus insita, non provenit, (*inquit Doctor dist.* 37. *num.* 3.) præcisè ex eo quòd habeant annexum votum castitatis: quia, inquit, votum illud haberet hunc effectum, *vel* ex eo quòd emittatur à suscipiente, *vel* quia ex præcepto Ecclesiæ votum illud conjunctum est Ordini sacro: sed neutrum dici potest, & non quidem *primum*; quia posset aliquis Ordines suscipere, absque voluntate continendi, & cum intentione nubendi: quo in caso non teneretur ex voto ad continentiam, quia nullus vovens vovet nolitum; ac subinde iste suscipiens sacrum Ordinem cum hac voluntate, non teneretur ex voto servare continentiam.

Id non habent ratione voti præcisè.

Nec obstat, quòd iste suscipiens Ordinem sacrum, suscipiat signum, cui ex praxi Ecclesiæ Latinæ annexum est votum continentiæ. Hoc, inquam, non obstat; quia, inquit Doctor, nullus tenetur ex voto ad votum factum ab alio, maximè si habeat votum contrarium. *Deinde*, Græci suscipiunt idem signum absque ulla voluntate castitatis; unde ad ipsam non tenentur.

Secundum etiam dici non potest, quia licèt Ecclesia simpliciter prohiberet Matrimonium existenti in Ordine sacro, non inde Matrimonium irritatur; quia non omnis prohibitio irritat factum, ut constat ex cap. ex litteris, ubi legimus: *Licèt contra interdictum Ecclesiæ transire ad secunda vota non debuerint, non est tamen conveniens, ut ob hoc, Sacramentum conjugii dissolvatur: aliqua tamen pænitentia debet eis imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.* Igitur si votum continentiæ est annexum Ordini sacro solùm, ex præcepto Ecclesiæ: sequitur quòd non simpliciter illegitimat ad contrahendum: universaliter enim in jure statum prohibens hoc fieri, non illegitimat: sed oportet, quòd contineat talem sententiam, quòd si contractum fuerit, dirimatur, vel si copulati fuerint, non sint aliqualiter tolerandi.

Sed ratione constitutionis Ecclesiæ.

Itaque concludendum est cum Doctore ibidem *num.* 4. quòd nec propter votum continentiæ propriè dictum annexum Ordini sacro, nec annexum ex præcepto Ecclesiæ præcipientis tali non contrahere, est, quòd iste non potest contrahere: sed ex hoc quòd Ecclesia facit talem personam simpliciter illegitimam. Quod statutum fuit rationabile, sive habitum fuerit à Christo, sive non, quia talis deputatur ministerio sacro, quod requirit munditiam mentis & carnis, perspicacitatem intellectûs, fervorem affectûs, ad quæ omnia disponit continentia, & ad eorum opposita frequentia carnalia actus. Nec in hoc debet aliquis dicere Ecclesiam sibi præjudicare in suo jure: quia Ecclesia communiter non cogit aliquem ad susceptionem Ordinis sacri: & satis publicavit, quia post talem Ordinem susceptum, suscipiens est inhabilis ad contrahendum: igitur voluntariè incurrit talem inhabilitatem.

Corollarium.

XXXIV. *Cœlibatus annexus fuit Ordinibus sacris ab initio Ecclesiæ.*

EX hac doctrina *sequitur* constantissimum esse, quòd sacris Ordinibus etiam ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio cœlibatus fuerit annexus, ut colligi potest ex variis Conciliis: *Primò* quidem ex Concilio Apostolorum *can.* 27. qui potestatem facit ducendi uxorem, sed Lectoribus tantùm atque Cantoribus; si autem voluissent promoveri ad majores ordines, jam evecti omninò debebant abstinere à commercio uxorum: igitur signum est Apostolos interdixisse usum nuptiarum in majoribus Ordinibus constitutis. Similiter *Concilium Ancyranum* can. 10. jubet ut Presbyteri, qui Matrimonium contraxerunt, à Ministerio deponantur, & redigantur ad Communionem laicam. Item in Neocæsariensi can. 1. sic habetur: *Presbyter, si uxorem duxerit, ab Ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, extra Ecclesiam abjiciatur, & pænitentiam inter laicos redactus agat.* Similiter Eliberitanum can. 32. *Placuit in totum prohibere*

Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus positis in ministerio abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios. Idem decernunt cætera Concilia, Romanum *cap.* 3. Arelatense II. *cap.* 2. & 3. Carthaginense II. *cap.* 2. III. *cap.* 17. & 19. IV. *cap.* 3. Toletanum I. *cap.* 1. & 4. Africanum I. *cap.* 21. Andegavense apud Baronium annô 453. Turonense I. *cap.* 1. 2. & 6. Aurelianense II. *cap.* 8. Avernense *cap.* 12. Aurelianense III. *cap.* 2. & 7. IV. *cap.* 17. V. *cap.* 4. Turonense II. *cap.* 10. Matisconense *cap.* 11. Lugdunense II. *cap.* 1. Toletanum 3. *cap.* 1. Hispalense I. *cap.* 3. Toletanum IV. *cap.* 20. & 26. Toletanum VIII. *cap.* 4. Cabilonense I. *cap.* 3. Moguntinum *cap.* 10. Rhemense *cap.* 22. Aquisgranense *cap.* 6. & 9. Vuormatiense *cap.* 9. & 11. Lateranense sess. 9. Omnia hæc Concilia statuunt continentiam virorum sacrorum, vel declarant, vel puniunt, & reprobant contrarium.

Idem docent plurimi SS. Patres, quos laudat, & refert Hiquæus *ad dist.* 37. *num.* 2. *& sequentibus.* Unde cœlibatus semper in Ecclesia Latina sacris Ordinibus ita fuit annexus, ut ab ea praxi nusquam licitum fuerit deviare, saltem ex consensu communi: nam ubi mos contrarius cœpit serpere, statim per Conciliorum & summorum Pontificum vigilantiam extirpatus est.

Secus autem in Græca, in qua licèt ab initio idem ritus viguerit; nihilominus postmodum hæc lex fuit abrogata, & permissum est Ministris Altaris cum propriis uxoribus ante sacros Ordines Matrimoniô copulatis consuetudinem habere eô tempore, quô sacris Ministeriis non vacant; idque non improbat Ecclesia Romana; nam, ut observat Arcudius lib. 7. cap. 33. Stephanus Romanus Pontifex, ut refertur cap. *Aliter dist.* 31. ait: *Aliter*, inquit, *se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sancta Romana Ecclesia. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi Matrimoniô copulantur*; (glossa, hoc est carnaliter commiscentur, seu, quod idem est, Matrimoniô antea contractô utuntur: is enim est mos Orientalium) *istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum à Subdiacono, usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.* Nec tamen eum morem reprehendit Pontifex, & in cap. *quæsitum* de Pœnitentia, & remiss. ait Clemens III. *Quæsitum est, utrum Sacerdotibus Græcis quibus legitimô Matrimoniô uti licet.* Et in cap. *Vt Clericorum mores* de vita, & honestate Clericorum ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. dicitur in fine: *Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicârunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, graviùs puniantur, cùm legitimô Matrimoniô uti possint.* Ubi glossa notat, hoc dici propter Orientales, qui post sacros Ordines susceptos, utuntur conjugiô antè contractô. Et cap. *cùm olim de Clericis conjugatis* Innocentius III. mandat Acherontino Episcopo, ut filium cujusdam Presbyteri Græci in Ecclesia Latinâ Cantoratûs dignitate insignitum, quippe legitimè prognatum, & electum à populo, in Episcopatum promoveat, modò aliud non obstet: *Nos*, inquit, *attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit: quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus utantur Matrimoniô jam contractô.* Unde certum est, Ecclesiam Romanam Presbyteris Græcorum usum Matrimonii post susceptos sacros Ordines impunè permisisse, seu potius tolerasse.

XXXV. Græci tamen Sacerdotes non improbante Ecclesia Latina suis uxoribus utuntur.

Quamvis enim Nicolaus I. ut habetur dist. 28. cap. consulendum; respondens ad quæstiones Bulgarorum, dicat Græcos ea in re esse valde reprehensibiles.

Hoc tamen dicit Bulgaris recenter ad fidem Christi per Romanam Ecclesiam conversis, ut ostendat usum Matrimonii Græcorum Presbyteris, non quidem ut bonum, sed ut minùs malum toleratum fuisse. Et ob eam causam minimè eos rejiciendos esse ait. Fortè etiam quia Græci ex Concilio Quinisexto reprehendebant Ecclesiam Romanam cœlibatum servantem.

Unde meritò Pontifex dixit, Græcos esse longè majori reprehensione dignos, utpote qui Antiquorum canones minùs servant. Quòd si alia est mens, & sententia Nicolai, tanquam quæ non ex cathedra sit prolata, minùs probanda est, idque authoritate plurimorum Pontificum contrarium sentientium. Nam & Gregorius Magnus prædecessoris sui sententiam minimè probat; ne Subdiaconi uxoribus antea ductis miscerentur, lib. 1. epist. 42.

Cæterùm *(inquit Arcudius)* Græci suos ritus mordicùs nimis retinentes, & suarum consuetudinum nimium amantes, quod illis impunè, & sine peccato ob fragilitatem, & penuriam Sacerdotum à principio concessum, seu potius toleratum fuerat, idem laude, atque imitatione dignum ducentes, neque incommoda Matrimonii ab Apostolo in priore *ad Cor. cap.* 7. enumerata, considerantes, optarent reliquos omnes Presbyteros suô more uxores ducere; neque laude castitatis alios sibi anteferri æquô animô patiuntur. Siquidem Latinos reprehendere audent quòd Matrimoniô conjunctos, & operam liberis dantes, ad sacros Ordines meritò nullâ ratione admittant: præsertim cùm nulla causa justa sit, cur Sacerdotes procreationi liberorum studeant.

XXXVI. Sed perperàm Latinorum morem improbant.

Unde Patres Synodi *Quinisexta*, seu *Trullana*, in contemptum Romanæ Ecclesiæ tanquam dogma, & præscriptum Apostolicum *can.* 13. statuunt; quòd qui ad Ordines sacros promovendi sunt, uxores suas retineant: "Quoniam, *inquiunt*, in Romana Ecclesia pro canone traditum esse cognovimus, ut Diaconi, vel Presbyteri, qui digni existimari sunt qui ordinentur, profiteantur se non amplius cum suis uxoribus conjungendos; nos antiquum canonum exquisitissimæ disciplinæ Apostolicæ ordinisque securi, hominum, qui sunt in sacris, conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma & stabilia esse volumus: Nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutuâ tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi minimè prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet; sed neque Ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se à legitima conversatione uxoris paratum abstinere. Nec ex eo à Deo constitutas, & suâ præsentiâ benedictas nuptias, injuriâ afficere cogemur. Evangelicâ voce exclamante; Quæ Deus conjunxit, homo non separet. Et Apostolo docente, honorabiles esse nuptias, & torum immaculatum. Et, Alligatus es uxori? ne quæras solutionem. Scimus autem, sicut, & qui Carthaginem convenerunt Ministros gravitatis, honestatisque curam gerentes, dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri secundùm proprias definitiones à con-

XXXVII. Ut constat ex pseudo-Synodo Trullana.

„ sortibus abstineant, ut & quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa usque antiquitate servatum, nos quoque similiter observemus, tempus in omni re scientes, & maximè in jejunio, & oratione. Oportet enim eos, qui divino Altari assident, in sanctorum tractandorum tempore esse omninò continentes, ut possint id, quod à Deo simpliciter postulant, obtinere. Siquis igitur præter Apostolicos canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in sacris, Presbyterorum, inquam, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum, conjunctione, cum legitima uxore, & consuetudine ausus fuerit privare, deponatur. Similiter & si quis Presbyter, vel Diaconus suam uxorem prætextu pietatis ejecerit, excommunicatione feriatur; si autem perseveraverit, deponatur. Sic Patres illius Concilii. Qui etiam depositionem non obtemperantibus huic canoni minantur.

Cujus errorum fundamenta solvuntur.

In ipso autem canone Græci suam adversus Latinos sententiam tueri nituntur quatuor momentis. *Primò* quidem ex illis verbis Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* *Secundò* ex verbis Apostoli dicentis ad Hebræos 13. *Honorabile connubium*, Hoc est, nuptias esse honorabiles, ac subinde perperam à Sacerdotibus Latinis rejici. *Tertiò* ex canonibus Conciliorum secundi & quinti Carthaginensium. *Postremò*, ex sexto Canone Apostolorum, quô prohibentur Episcopos, Presbyter, & Diaconus sub specie & prætextu pietatis suam uxorem rejicere.

Verùm facili negotiô diluuntur omnia ista fundamenta: Primò namque quòd attinet ad verba *Matth.* 19. respondetur, illa esse intelligenda non de neglectu Matrimonii; quod utique certissimè fieri potest ab iis, qui virginitatem sectantes, meliorem utique sortem, ac perfectiorem statum elegerunt.

Ad Apostolum respondeo, ipsum, eô locô, tradere præcepta ad mores pertinentia, quibus admonet quid fieri debeat; unde eorum verborum sensus est, conjugium in omnibus legitimè conjunctis esse honorabile & immaculatum; ac subinde graviter peccant, dum illud stupris, & adulteriis dehonestant. Unde statim subjicit: *Fornicatores enim, & Adulteros judicabit Deus.*

Ad tertium dico, quòd tantùm abest, ut canon secundus Concilii secundi Carthaginensis faveat

XXXVIII. Ipsis adversantur ab eis producta Concilia Carthaginensia.

Græcis, quin imò ipsis directè adversatur; sic enim habet: *Aurelius Episcopus dixit, Cum in præterito Concilio de continentia & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quâdam castitatis, per consecrationes annexi sunt: Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, ut condecet sacro-sanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec-non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quò possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstinere. Ab omnibus dictum: Placet, ut in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altari deserviunt.* Ubi notanda sunt ea verba, *quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas*; ut inde pateat, hallucinati Præsules Concilii Trullani, dum contrarium prætendunt.

Idem habet *canon tertius Concilii quinti Carthaginensis*; sic enim legimus: *Cum de quorundam Clericorum, quamvis erga proprias uxores, incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundum propria* (aliter priora, vel priorum) *statuta etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio; cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observare debere.* Quæ posteriora verba indicant, alicubi fuisse consuetudinem, ut etiam Lectores essent continentes, vel si essent uxorati, non haberent consuetudinem cum propriis uxoribus; unde can. 19. Concilii tertii Carthaginensis habetur: *Placuit, ut Lectores, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.*

XXXIX. Nec-non & canon Apostolorum.

Ad canonem sextum Apostolorum his verbis conceptum: *Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abjiciat, si verò dejecerit, excommunicetur, & si perseveraverit, dejiciatur.* Dico non habere eum sensum, quem falsò Trullani arbitrantur, nempe ut Sacerdotes uxores ante Presbyteratum ductas possint retinere, & eis uti: sed significant Apostoli; uxores ante Ordinationem ductas non debere abjici à cura, tenentur enim eas alere, ac eis de rebus necessariis providere; juxta illud Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Siquis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Unde Concilium *Turonense II.* can. 8. dicit Episcopum conjugatum debere uxorem habere ut sororem; verùm absque ulla suspicione carnalis commercii. *Adde*, quòd ipsimet Græci non observant præfatum canonem, ut ipsum interpretantur; nisi enim uxorati suas uxores abjiciant, non eos creant Episcopos: si autem Græcis licuit excipere Episcopos, ab hac canonis præscriptione, cur non Latinis Presbyteros, cùm æquè canon Episcopos atque Presbyteros comprehendat.

Objiciunt insuper Græci canonem 10. Concilii Ancyrani, ubi habetur: *Diaconi si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes velle se habere uxores, nec posse continere; hi postcà si uxores duxerint, maneant in ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit.* Igitur saltem Diaconi possunt esse uxorati. Et Concilium Gangrense can 4. damnat eos, qui recusant sumere Eucharistiam, vel fortè panem Eulogicum ex manibus Sacerdotis, qui uxorem habuerit: *Siquis*, inquit, *discreverit ab aliquo Presbytero, qui uxorem duxerit, quòd non oporteat eô ministrante de oblatione percipere, anathema sit.* Igitur approbat Presbyterorum conjugia.

XL. Sicut & Ancyranus.

Ad canonem Ancyranum respondet Arcudius *cap.* 37. Patres illius Concilii Provincialis eô tempore cum nonnullis Diaconis in Matrimonio dispensasse, eò quòd cælibatus non sit de jure divinô: idque vel propter penuriam Ministrorum, vel *propter hominum mentem torpentem, atque languentem*, inquit S. Epiphanius. Cæterùm tantùm abest, ut hic canon Græcis faveat; quin imò ipsis adversatur; si enim licitum erat post susceptos Ordines eô tempore uti uxoribus, cur opus erat Diaconis protestari se non posse continere? poterant enim prout modò faciunt Græci, priùs copulari Matrimoniô, deinde initiari sacris Ordinibus; neque ulla indulgentia petenda erat: quod etiam indicant sequentia verba præfati canonis: *Siqui verò cum manuum impositione essent ordinandi, tacuerunt, utpote qui suô silentiô cælibem vitam professi sunt, si deinde*

duxerint, cessent à ministerio. Ubi Synodus clarissimè significat esse tacitè continentiam profiteri.

Et Gangrense.

Ad canonem *Concilii Gangrensis* respondet, eum sic posse intelligi, quòd aliquis habeat uxorem, & ab ea se contineat; vel quia sit mortua ejus uxor, vel quia ex illius consensu ab ea se abstinet: qui utique canonis sensus colligitur ex fine, propter quem editus est canon ille, nempe adversus Eustachium Episcopum Sebastiæ, qui nuptias abrogandas esse censebat; quapropter ejus sectatores renuebant accipere oblationem à Presbyteris, qui aliquando uxores duxissent: quod utique non fecissent, si passim omnes Presbyteros Matrimoniô junctos esse vidissent. Respondet secundò, quòd si hic canon intelligatur de Sacerdotibus uxoratis, & procreantibus liberos, id factum fuisse per dispensationem, videlicet ob ministrorum penuriam. Quoniam verò illi Sacerdotes uxorati despectui habebantur, idcirco hujusmodi Canonem Concilium dedit, ut signaret virtutem Eucharistiæ, seu benedictionis, non pendere à sanctitate Ministri.

Objiciunt tertiò: Licitum erat Sacerdotibus veteris legis uxoribus uti: igitur cùm longè major sit libertas legis Evangelicæ, quàm legis Mosaïcæ; idipsum multò magis licere debet.

XLI. Quare non æquè nuptiæ sint licitæ Sacerdotibus novæ legis, ac antiquæ.

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quòd in veteri lege ideo concessum Sacerdotibus fuit Matrimonium: quia soli Tribui Levi, & domui Aaron Sacerdotiũ inerat, nec aliis licebat hôc officiô fungi: ne igitur Levitarum genus in paucis conclusum deficeret, propagandum erat per eorum connubia; sed nunc non quæritur carnis successio, sed spiritûs, & Sacerdotes ex quacunque stirpe possunt eligi, dummodò qui Christo in Sacerdotio succedunt, casti sint, sicut & ipse castus fuit: si enim Legis Mosaïcæ Sacerdotibus dictum est: Mundamini, qui fertis vasa Domini, quantò magis Sacerdotibus novæ legis convenit munditIes, quibus non solùm ferre vasa Domini, sed etiam ipsum Dominum quotidie & contrectare manibus, & ore sumere licitum est? Non solùm igitur mente, sed etiam corpore mundus esse debet, qui ad tam sacrum ministerium assumitur.

Objiciunt ultimò, historiam Paphnutii, quem Socrates *lib.* 1. *historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 8. refert adfuisse Concilio Nicæno, & obstitisse Patribus, quominus legem ferrent, quâ Presbyteri, cæterique Ordinibus sacris initiati uxoribus ante Ordinem acceptis posteà uti posse prohiberentur: » Videbatur, *inquit*, Episcopis Nicæni Concilii legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati, videlicet Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, cum uxoribus, quas, cùm erant Laïci, in Matrimonium duxissent, minimè cubarent. Et quoniam hac de re conferendum esse proponebatur, surgens in medio Episcoporum consessu Paphnutius vehementer vociferabatur, non grave jugum eorum cervicibus imponendum esse, qui erant sacris initiati, honorabile conjugium, & torum immaculatum asserens: caverent ne dum nimio plus accurati & exquisiti esse volunt, Ecclesiam graviore incommodô afficiant. Non enim omnes disciplinam ferre posse ab omni animi perturbatione vacuam. Neque à singulorum uxoribus fortassè castimoniam posse servari. Castimoniam cum uxore legitima concubitum appellabat. Illud satis esse, ut qui Clerum antea scripti erant, quàm duxissent uxores, hi secundùm veterem Ecclesiæ traditionem deinceps à nuptiis se abstinerent. Non tamen quemquam ab illa, quam jampridem, cum Laïcus erat, uxorem duxisset, sejungi debere. Atque hæc dicebat Paphnutius, cùm ipse modò non nuptias, sed ne mulierem quidem, ut ita dicam, expertus esset. Nam à puero in Monasterio, severo vitæ disciplinæque genere enutritus fuerat, magnamque famæ celebritatem ob singularem castimoniam, siquis alius, ipse quoque adeptus erat. Assentitur totus sacrorum virorum conventus verbis Paphnutii. Quocirca controversiam de hac re penitus silentiô præterierunt, liberum relinquentes cuique pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi. « Eandem historiam accepit à Socrate *Sozomenus*, & eam refert in primo libro historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. Item Gelasius Cyzicenus recensens acta Synodica Concilii Nicæni, cujus meminit *Photius* in Bibliotheca.

XLII. Paphnutii historia rejicitur.

Respondet Arcudius, cap. 38. historiam illam omnino confictam esse, quod convincitur imprimis ex eo quòd rem adeo celebrem, ac memorabilem, qui Concilio interfuere, ejusque acta scripsere, profectò litteris mandare non neglexissent; at *Eusebius* Cæsariensis unus ex Episcopis Concilii, cujus etiam historiam narrat, nihil omnino tale tradit, imò contrarium scribit. Sed neque Theodoretus, vel alius quispiam fide dignior. Quin potius S. Epiphanius, & Theodoretus Paphnutii cùm meminerint, de eo tamen nihil ejusmodi referunt.

Et quamvis esset vera Græcorum erroribus non patrocinaretur.

Deinde Socrates ipse sibi manifestè contradicit. In ea siquidem historia, quam narrat de Paphnutio, dicit Patres voluisse novam legem in Ecclesiam introducere, qua sacris initiati, dormire cum suis uxoribus vetarentur. In libro verò quinto Ecclesiasticæ historiæ, *cap.* 22. ubi recenset varios mores, ac diversos ritus antiquos Ecclesiarum, testatur in Thessalia, Macedonia, & ipsa Græcia morem fuisse ab Ecclesiasticis observatum, ut quam lege duxerat aliquis uxorem, priusquam Clericis factus esset, si posteà Clericus factus cum ea dormivisset, alienus fieret, & abdicaretur à munere Clericatûs.

Respondet secundò, quòd etsi Paphnutius Patribus obstiterit, ne legem ferrent, quâ prohiberentur Presbyteri concumbere cum suis uxoribus, an propterea Synodus illius rationibus ducta in arbitrio Episcoporum atque aliorum Ecclesiasticorum reliquit, ut uxoribus pro libito uterentur, ac non potiùs eam legem tulit, cujus tertius canon sic habet: *Interdixit universè magna Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque omnino alicui eorum, qui in Clero sunt constituti, conductam habere licere. Nisi fortè matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas tantùm personas, quæ omni suspicione carent. Qui contra hæc facit, de sua dignitate periclitabitur.*

Similem canonem ediderunt Patres Africani in Concilio III. Carthaginensi can. 17. & hunc Nicænum videntur explicare: ut cum omnibus omnino Clericis extraneæ fœminæ non habitent, sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores, & filiæ fratrum, aut sororum; & quæcumque ex familia, domesticâ necessitate etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant. Vel si filii eorum, jam ordinatis parentibus uxores acceperint, aut servis manentibus in domo, quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit. Mandat itaque canon Nicænus ne ulla mulier cohabitet cum Episcopo, Presbytero, Diacono, aliis-

que Clericis, eusque tantùm excipit personas, de quibus malè suspicari non potest; sed legitimè Sacerdotum uxores & filii nullam suspicionem de se præberent; & tamen harum canon nullam facit exceptionem, sed tantùm matris, sororis, & amitæ: igitur signum est, quòd ad Paphnutii sententiam Patres Nicænæ Synodi non approbârint Sacerdotum conjugia. Quamobrem Siricius Pontifex, qui in *epist.* 1. prohibet Sacerdotes habitare cum propriis uxoribus, multò magis cum aliis fœminis, in suæ sanctionis assertionem præsentem canonem induxit: *Fœminas*, inquit, *non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantùm, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permittit.*

Confirmatur hæc responsio, & tota simul assertio roboratur authoritate SS. Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum, qui post Concilium Nicænum scripserunt, non licere Sacerdotibus novæ legis uxores ducere, & filios generare. Prodit imprimis *S. Athanasius*, qui in Apologia de sua fuga, ubi mores Arianorum Episcoporum, qui eum persequebantur, describit, circa finem, de quodam Leontio, quem passim cognomine novo ἀπόκοπον, hoc est exectum, & castratum appellabant, Ariano Pseudoëpiscopo ita refert. *Leontius enim cùm argueretur commercium habere cum quadam muliere juvencula, cui nomen Eustolium, jussusque proinde fuisset, ut ab ejus contubernio abstineret, ejus causâ seipsum castravit; quò liberè ejus consuetudine uti posset. Neque tamen vel ita suspicionem abluere potuit, quin potius ob idipsum cùm Presbyter esset, depositus fuit, quamvis Constantius hæreticus vi effecerit, ut eum Episcopum appellarent.* At si Presbyteri tempore S. Athanasii poterant cum uxoribus legitimè ante sacros Ordines ductis, lege Matrimoniali posteà commisceri; quis credat Leontium hominem salacissimum maluisse se castrare, ut cum Eustolio securius degeret, quam ante ordinationem eam in uxorem ducere, quâ Presbyter factus jure conjugali posset uti.

XLIII. Ipsi etiam adversantur SS. Patres.

S. Athanasius.

Sancto Athanasio subscribit *Basilius Magnus* pluribi, maximè in epistola ad Gregorium Presbyterum, qui contra constitutiones Nicænæ Synodi mulieres secum domi habebat, quem arguens S. Basilius inter cætera scribit: *Neque primi, neque soli, ô Gregori! constituimus viros cum mulieribus in iisdem ædibus degere non oportere; sed lege canonem in Nicæna Synodo à SS. Patribus nostris editum, apertè vetantem, ne qui coinductas mulieres secum haberent: cœlibatus verò in eo suum habet decus, quòd à mulierum familiaritate viri longiùs absint.* Et post pauca concludit: *Domô itaque eductam mulierem, in Monasterio colloca, & tu virorum servitiò domi utere, ne propter nos nomen Dei blasphemetur.... Si verò non te corrigens audeas Sacerdotii munera exercendo retinere, omni populo eris anathema, & qui te domô accipient, per omnes Ecclesias excommunicati erunt.*

S. Basilius.

Ipsis etiam suffragatur Eusebius Cæsariensis, qui cœlibatum Sacerdotum jam ante Concilium Nicænum in usu fuisse demonstrat; is enim lib. 1. Evangelicæ demonstrationis, ubi quærens quam ob causam non eadem ratione; ut prisci fideles nos quoque numerosæ sobolis operam non damus, varias hujus discriminis causas profert, quarum ultima est: *Causa igitur*, inquit, *ob quam viri sancti priscis temporibus magno cum studio liberos susciperent, sublata est, quæ non ampliùs in nobis locum habere dicenda est, quando Deô favente, per Evangelicam Salvatoris nostri doctrinam innumerabiles gentes, & populos in urbibus, & regionibus, & agris licet nobis oculis intueri simul festinantes: & ad sancta Evangelica doctrinæ præcepta concurrentes. Quibus quidem satis superque sit, S. Doctores, ac Prædicatores divini verbi omnibus & vitæ vinculis, & animi curis liberati, possint sufficere. Maximè verò nunc necessario his ipsis, eò quòd potioribus rebus vacent, magnum est studium abstinendi à re uxoria, veluti iis, qui divinâ & incorporeâ sobole propagandâ, occupati tenentur, & non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliqua instituendæ vitæ curam susceperint. Postremum omnium, si quis majorum illorum vitas, de quibus nunc loquimur, diligenter exploret, inveniet eos initiò quidem ututis sobolis procreandæ vacantes, maturè autem abstinentes, atque cessantes.* Et circa finem capitis: *Subdit.* Quod etiam novi Testamenti legibus non " omnino interdicta est liberorum procreatio, sed " in hoc quoque similis, quæ & antiquis Deo cha- " ris ordinata sunt; oportere enim ait sacra Scri- " ptura, *Episcopum unius uxoris fuisse virum*; verun- " tamen consecratos, atque in Dei ministerio cul- " tuque occupatos, ab uxoria consuetudine seipsos " continere deinceps par est. Qui verò hôc sacrô " ministeriô nondum digni effecti sunt, his eadem " Scriptura permittit, atque indulget, tantùm non " clarè omnibus prædicans, honorabiles esse nu- " ptias, & torum immaculatum. *Hactenus Eusebius*, cujus proposita quæstio nullum habuisset locum, si idem mos, qui modò in Ecclesia Græcorum viget, tunc viguisset.

Eusebius Cæsariensis.

Verùm aliis Græcis Patribus omissis, nobis pro cæteris erit S. Epiphanius, qui apertè Græcorum illorum morem & canonem Concilii Trullani insectatur hæresi 59. ubi sic ait: *Ecclesia adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum qui se ab unica continuit, aut in viduitate vixit. Diaconum, Episcopum, & Presbyterum, & Hypodiaconum suscipit, maximè ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici.* Et mox subjungit: *At dices mihi, in aliquibus locis liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos. At non est*, inquit, *juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Idem hæresi 48. *Gaudet*, inquit, *Deus verbum his, qui approbatum Religionis cultum præstare possunt, & virginitatem, & castitatem, & continentiam exercere diligunt; monogamiam quoque honorat, etiamsi maximè Sacerdotii dona per eos, qui post monogamiam sunt continentes, & qui in virginitate permanent, se ornasse expresserit: quemadmodum & ejus Apostoli Ecclesiasticum Sacerdotii canonem rectè & sanctè ordinârunt.*

S. Epiphanius.

Patribus Græcis consentiunt Latini Patres, maximè S. Ambrosius lib. 1. de Officiis cap. ultimô, ubi redarguens quorundam Sacerdotum sacrilegas nuptias, ait: *Inoffensum exhibendum, & immaculatum mysterium, nec ullô conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorruptô pudore, alium etiam ab ipso consortio conjugali sacri ministerii gratiam recepistis. Quod ideo non præterivi, quia in plerisque abditioribus locis, cùm ministerium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios susceperunt.* Idem habet lib. 10. epist. 82.

S. Ambrosius.

Similiter S. Hieronymus lib. 1. contra Vigilantium, carpens Episcopos, qui Vigilantii errores approbabant, scribit: *Pro nefas*, inquit, *Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes. Si*

S. Hieronymus.

tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diacones, nisi prius uxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam, imo ostendentes quàm sanctè vivant, qui male de omnibus suspicantur, & nisi pregnantes uxores viderint Clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes Christi Sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desierunt? Hoc docuit Dormitantius, libidini fræna permittens. Et in epist. 46. ad Pammachium in fine Apologiæ pro libris contra Jovinianum: *Apostoli*, inquit, *vel virgines, vel post nuptias continentes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici.* Sic ille.

S. Augustinus.

S. Augustinus verò (qui vir, & quantus testis, in lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 20. *Solemus*, inquit, *eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem Dominò adjuvante perducunt.* Sic loquitur Augustinus. Non quòd reverà coacti sacris initiarentur, sed quia nonnolli libentiùs retentâ, vel ductâ uxore, munere Sacerdotis functi fuissent: idquod nullâ ratione ipsis permittebatur, propterea dicit invitos eos capi.

Viderint ergo Patres Trullani, (inquit Arcudius) quàm consona canonibus Apostolicis decreverint; quàm optimè explanârint canones Conciliorum Carthaginensium: & quô jure in hac re Romanam Ecclesiam reprehenderint. Non enim puto meliùs intellexisse Trullanos Patres illa Concilia, quàm Patres citatos. Atque adeo eundem ipsum Augustinum, qui Concilio quinto Carthaginensi interfuit. Siquidem illi longè proximiores Apostolis, quàm fuerint Trullani, meliùs etiam Apostolorum, & Conciliorum decreta intellexerunt. Nam ut Marcus Tullius quodam in loco ait: *Veteres quò propiùs ab origine absunt, eò meliùs verum vident.*

§. X.

Vtrum, & qualis impotentia vim habeat dirimendi Matrimonium?

XLV.

Quid sit impotentiæ impedimentū.

Observandum est cum Doctore dist. 14. nomine *impotentiæ*, hîc intelligi aliquam inhabilitatem consummandi Matrimonii per copulam carnalem, quæ, ut ait, *num.* 4. est duplex, nimirum perpetua, & temporalis. *Prima est*, quæ sine vitæ periculo, vel sine peccato, aut absque miraculo removeri non potest; *temporalis* verò ea, quæ tolli potest successu temporis per artem humanam, & per media convenientia. Rursum alia est naturalis, alia verò casualis, & accidentalis: *Naturalis* in viro, est frigiditas, vel mutilatio partis necessariæ; in muliere arctatio. Casualis est per maleficium. Impossibilitas prima satis patet. *Secunda* fit per malignos spiritus, qui habentes pactiones cum hominibus, servant promissa: non quia veraces, sed ut alii eis adhæreant (quia si nulla pacta servarent, nulli eis servirent) & ut illi, quibus servant promissa, eos colant. Nam ex superbia sua præcipuè appetunt honores divinos. Deus etiam permittit eos exercere potestatem suam ad impediendum aliquos ab aliquibus actibus, in quos possent, si non essent impediti: & hoc vel propter peccata eorum, vel propter aliam causam occultam: & hôc modô maga habens pactum cum dæmone, procurat ab eo, ut istum impediat à tali actu, cum tali muliere, quandiu tale maleficium perseverat, putà acus curvata, vel aliqua hujusmodi.

Et quotuplex.

Quantùm ad impotentiam naturalem, & perpetuam; cui, inquit Doctor, *num.* 2. subveniri non potest per naturam, vel artem, si præcedat Matrimonium, simpliciter impedit contrahendum, & dirimit jam contractum: & ad hoc est triplex ratio ex natura istius contractûs. *Prima*, quia iste contractus est datio potestatis corporum ad talem actum, si petatur; sed iste non habet potestatem ad talem actum: ergo nihil tale potest dare, & ita nec contrahere. *Præterea*, in contractu isto obligat se ad actum istum, si petatur: sed hujusmodi actus est sibi impossibilis, etiamsi petatur: ergo obligat se ad impossibile: obligatio autem ad impossibile est nulla ex lege divina: ergo lex divina non approbat talem obligationem: ergo nulla est. *Præterea*, alia persona intendit commutare potestatem sui corporis pro potestate corporis alterius: ergo credit alium è converso posse commutare: sed non potest: ergo hic est error pertinens ad aliquid, quod est per se requisitum ad contractum: talis autem error facit contractum nullum, sicut dictum est *suprà*, *dist.* 30. *quæst.* 1. Si autem talis impotentia sequitur Matrimonium consummatum, non dirimit: quia jam potestas est tradita verè, & ille cui fuit tradita, missus fuit in possessionem: ergo non potest revocari per aliquod impedimentum superveniens. Si autem tale impedimentum veniat inter Matrimonium ratum, & consummatum: dubium est, an dirimat. 33. *quæst.* 1. *cap.* videtur dicere partem affirmativam, *conjugium confirmatur officiò*, & sequitur pòst, antequam confirmetur, *impossibilitas officii solvit vinculum.* Contrarium videtur, quia jam data est potestas, & si impedimentum usûs accidat, non propter hoc rescindi potest datio prior, licèt difficile esset judicare, si non præcederet ratum, an præcederet consummatum, nisi fortè esset ablatio alicujus partis necessariæ ad actum illum tempore illô superveniens.

Naturalis perpetua Matrimonium, antecedens illud irritat.

Non verò si illud consummatum sequatur.

His verbis Doctor distinctè & præclarè explicat discrimen inter impotentiam naturalem & casualem, perpetuam, & solùm ad tempus, præcedentem Matrimonium, & illud subsequentem; probatque luculentissimè, qualiter impotentia perpetua tam naturalis, quàm accidentalis Matrimonium antecedens, reverà illud dirimat. Cujus utique ratio petitur ex natura ipsa contractûs; nam contractus Matrimonialis ordinatur ad filiorum procreationem, ac subinde ad carnalem copulam, si ipsa exigatur, & conjuges invicem contrahentes commutant mutuò corpora sua cum tali intentione; si autem impotentia illa sit perpetua, perit finis hujusmodi contractûs; ac subinde iste nullus est: error enim in commutatione substantiali, contractum irritat: igitur, &c.

Dices: Si talis finis absolutè intenderetur in contractu Matrimoniali, sequeretur, quòd senes essent inhabiles ad contrahendum Matrimonium: sed contrarium apparet ex praxi Ecclesiæ, quæ patitur, & approbat talia conjugia. *Deinde*, aliquis contrahere potest cum voluntate, & intentione statim post initum Matrimonium intrandi in Religionem approbatam: igitur Matrimonium iniri potest absque intentione, & obligatione copulæ carnalis.

Negat

Negat consequentiam Doctor. Et *ad primum* respondet *nu.* 7. Quòd si senex, *inquit*, esset omnino impotens, dicerem, quòd non contraheret Matrimonium; licèt aliqua mulier posset consentire in eum contractum ad cohabitandum sicut frater & soror: & ita fortè multæ magis desponsant divitias, quàm personas. *Ita Doctor*, cujus sententiæ etiam adstipulantur Magister sententiarum dist. 34. & plures alii, quos refert *Sanchez* lib. 7. de Matrimonio disp. 97.

VI. *Utrum senes possint validè nubere.*

Hæc tamen sententia sic est intelligenda, ut conjuges senes invicem contrahentes, reverà intendant copulam; Matrimonium enim duobus modis contrahi potest, nimirum vel cum animo continendi, & abstinendi à copula carnali, quale fuit Matrimonium beatæ Virginis: vel cum intentione ad copulam directè vel indirectè intentam, quatenus videlicet ordinariè ex vi contractûs intendi solet. Priori modô probabilius est, quòd senes impotentes sic invicem contrahentes reverà validum Matrimonium efficiant: si verò posteriori modô, probabilius est quòd irritum sit Matrimonium, quippe non possunt esse duo in carne una, nec potest fieri mutua corporum traditio in ordine ad finem, qui ipsis naturaliter est impossibilis. *Prætereà*, in materia justitiæ commutativæ requiritur, quòd res subjecta sit capax permutationis, & personæ sint capaces obligationis, & juris acquirendi; alioquin contractus celebratus est inanis: sed in proposito res quæ permutatur, nempe corpora contrahentium in ordine ad copulam, est incapax talis permutationis, & personæ contrahentes sunt etiam incapaces talis juris acquirendi; ac subinde contractus ille esset nullus.

Ad secundum respondet Doctor *ibidem*, quòd qui sic contrahit Matrimonium, licèt non permutet corpus suum cum obligatione ad reddendum de-
VII. bitum si petatur pro tempore determinato, quod ipsi conceditur ad deliberandum; tamen tenetur pro aliquo tempore indeterminato, nempe ex hypothesi quòd non emittat vota Religionis: secus autem est de impotente perpetuo, qui pro nullo tempore seipsum obligare potest ad copulam, quæ ipsi omnino est impossibilis; unde, *inquit* Doctor num. 5. *Ipse debet manere sine spe conjugii, & tutum sibi intrare Religionem: quia si post contrahat de facto, & carnaliter copuletur, cogetur redire ad priorem quia apparet sententiam divortii processisse ex errore; & ita nullum fuisse coram Deo, & Matrimonium primum verum fuisse: quia impedimentum, quod putabatur perpetuum, non erat.* Sed quomodo, *inquit* Doctor, num. 6. poterit innotescere perpetuitas istius impotentiæ, sive naturalis, sive casualis? Respondet, ad id cognoscendum opus esse, quòd conjuges per triennium invicem commorentur, & dent operam copulæ, quòd si inde appareat illam impotentiam subsistere, debent jurare invicem conjuges cum septem vicinis proximis attestantibus eorum fidelitatem, & bonam famam, ut habetur extra de frigidis, cap. 1.

VIII. *Quomodo cognosci possit utrum impotentia sit naturalis vel casualis.*

Rursus inquirit Doctor, qualiter cognosci poterit discrimen inter impotentiam perpetuam naturalem, & casualem? *Respondet* id esse judicatu difficile, nisi per inspectionem corporis, si deficiat aliqua dispositio necessaria requisita in parte illa ad istum actum: vel per judicium Medicorum quantùm ad frigiditatem, si aliqua signa manifestè ostendant ipsum esse talis complexionis. Si verò nec sic, nec sic, & tamen simpliciter impeditur, præsumendum est, quòd sit maleficium. Inquirit tandem utrum, cùm cognoscitur impedimentum

[A] esse ex maleficio, liceat illud maleficium solvere? *Respondet*, num. 4. hanc quæstionem esse trufaticam, id est, ridiculam. Non enim, *inquit*, solùm licet, sed est meritorium destruere opera diaboli. Nec in hoc est aliqua infidelitas, quia destruens non acquiescit operibus malignis: sed credit dæmonem posse & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis signi imponet finem tali vexationi.

§. XI.

Utrum, & quomodo ligamen Matrimonii contractum dissolvatur?

[B] NOmine *ligaminis* intelligitur vinculum indissolubile Matrimonii, quô unus conjux manet obligatus alteri conjugi, durante vitâ ipsius, itaut non possit cum alio contrahere. Porro hîc agitur de illo ligamine, quod oritur ex Matrimonio baptizatorum, & quidem consummato; cùm suprà dictum sit Matrimonium infidelium dissolvi posse, quando alter illorum ad fidem convertitur; dictum quoque sit Matrimonium illud, quod est simpliciter ratum, dissolvi posse per ingressum Religionis approbatæ. Itaque difficultas est, utrum vivente utrôque conjuge Matrimonii ligamen, seu vinculum ita sit indissolubile, ut neuter conjugum cum altero possit Matrimonium inire.

IX. *Quodnam sit impedimentum ligaminis.*

Affirmativam partem tuentur omnes Theolo-
[C] gi, & sufficienter constat ex dictis, tum de indissolubilitate Matrimonii, tum de repudiata Poligamia, & abrogato libello repudii in lege Evangelica. Unde præclarè sanctus Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupiscentia ait: *Hujus proculdubio Sacramenti res est, ut mas & fœmina connubio copulati, quandiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, exceptâ causâ fornicationis à conjuge conjugem dirimi. Cujus Sacramenti tanta observatio est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut cùm filiorum procreandorum causâ, vel nubant fœminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fœcunda ducatur.*

[D]

COROLLARIUM PRIMUM.

EX his itaque sequitur, ob nullam viri absentiam posse mulierem ad alias nuptias convolare, nisi certò constet de morte viri, ut definit Clemens III. cap. *In præsentia*, de sponsalibus, ubi ait, non posse mulieres *ad aliorum consortium canonicè convolare, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Quibus verbis significat, ne validè quidem illas posse Matrimonium contrahere, donec eis certò constet de morte virorum. Unde hôc capite correctum fuit jus civile, permittens, ut mulier possit alteri nubere, postquam quinquenniô integrô expectasset virum ab-
[E] sentem, de cujus vita dubitatur: L. *Uxores*, de divortiis; vel totô quadriennô, ut permittebat lex *Uxor*, Codice de repudiis. Nam Clemens III. nullum terminum præfigit, declaratque nullam absentiam sufficere absque certo nuntio.

X. *Quid requiratur ut mulier certò nubere possit diu absente marito quẽ mortuum putat.*

Ut autem nuntium istud certum videatur, debet constare vel ex certis, & probatis testimoniis, putà vel authenticô scriptô Pastoris, qui defunctum maritum sepulturæ tradidit, vel eorum, qui ipsius morti, & sepulturæ interfuerunt, vel si hæ probationes desint, nec æquivalentes haberi possint propter loci distantiam, sufficiet fama de ipsius morte, cui ut fides haberi possit, non ex solo unius nuntii testimonio sumi debet, sed ex aliis etiam adminiculis, quæ arbi-

tılo judicii plenam faciant de morte conjugis probationem. Adminicula verò, quibus fama, vel unius nuntii testimonium juvari potest, hæc numerantur a Sanchez lib. 2. disp. 46. num. 15. & sequentibus. Longitudo absentiæ, & fama generalis de ipsius morte, in loco ubi contigisse dicitur; præsertim si locus est adeo remotus, ut aliæ probationes difficilè possint inde haberi. Si mors narratur jampridem contigisse, & ab eo tempore nihil de illius vita auditum est. Si erat valde senex, vel infirmæ valetudinis. Vel si fuit in prælio, & diu expectatus, non est reversus. Si fuit captus ab hostibus, à quibus dicatur interemptus jam à longo tempore, sine ullo nuntio contrario, saltem à persona fide digna accepto, & similia.

XI. Quomodo debeat sese gerere dum priorē maritum viventem rescit.

Si talis autem uxor non certò sciat, sed dubitet solùm, an prior vir è vita excesserit; Dico illam in hoc casu non posse debitum petere sine adulterii periculo cap. *inquisitioni*, de sentent. excommunic. sed posse ac teneri reddere debitum viro petenti. Præsertim, si dubium Matrimonio jam contractò supervenerit. Nam iste vir non tenetur credere dubitanti uxori, cùm ipse sit in possessione juris ad petendum debitum, & possessio ista titulô dubii longè prævaleat, juxta hanc regulam juris in 6. *In dubio melior est conditio possidentis*, à qua possessione deturbari non debet, nisi contra ipsam habeatur titulus validior; qualis utique non censetur titulus dubii; ita definit Lucius III. cap. *Dominus*, de secundis nuptiis, ubi sic ait: *Si aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti; quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.*

Corollarium Secundum.

XII. Ulteriores nuptiæ sunt licitæ.

Colligitur secundò, ulteriores nuptias prioribus dissolutis, licitas esse, ac verum Sacramentum. Quòd licitæ sint, constat ex capite 7. ad Roman. *Quæ sub viro est mulier, alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Et 1. Corinth. 7. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Quem locum expendens S. Augustinus lib. de bono viduali cap. 12. animadvertit, non dixisse S. Paulum, si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius; sed indefinitè. Et 1. ad Timoth. 5. loquens sanctus Paulus de viduis votô castitatis minimè adstrictis, ait: *Volo juniores nubere.* Et Concilium Nicænum cap. 8. petit à Novatianis redeuntibus ad Ecclesiam, ut fateantur se communicaturos cum his, qui ad secundas nuptias transiêre. Et Concilium Florentinum in Armenorum instructione, secundas, & quasvis alias ulteriores nuptias approbat. Et *cap. 1. &c. Vir, de secund. nupt.* eas licitas esse supponitur, & tantùm illis denegatur benedictio, quando saltem alteri conjugi in priori Matrimonio impertita est, ne repetita in vilipendium eat.

Idipsum confirmant SS. Patres, Chrysostomus homil. 20. super epist. ad Ephesios, Hieronymus in Apologia pro suis scriptis contra Jovinianum, & in epist. ad Ageruchiam de monogamia. S. Ambrosius *lib. 1. de judicis*, Epiphanius in *hæresi Cataphrygum, & Catharorum*, id est, Montanistarum, & Novatianorum, qui secundas nuptias repudiabant, quorum errore infectus etiam fuit Tertullianus, ut constat ex libro de monogamia.

Et habent Sacramenti dignitatem.

Quod etiam illæ posteriores nuptiæ habeant dignitatem & efficacitatem Sacramenti, constat ex eo, quòd inveniantur in eis omnia ad Sacramentum requisita, sicut in primis, nimirum personæ legitimæ, quæ sunt debita materia remota, expressiones consensuum, quæ sunt materia propinqua, & forma. Item, quia Matrimonium legitimum in nova lege est Sacramentum, ut definit Tridentinum *sess. 24. de Matrim. can. 1.* At secundæ, & ulteriores nuptiæ, primis dissolutis initæ, sunt legitimum Matrimonium novæ legis: ergo erunt Sacramentum.

Objiciuntur variæ Patrum & Conciliorum authoritates: *Primò* namque Concilium Neocæsariense, *can.* 3. Pœnitentiam constituit iis, qui sæpiùs nubunt: & can. 7. vetat Presbyterum interesse convivio secundarum nuptiarum. Similiter sanctus Basilius epistola ad Amphilochium can. 4. Pœnitentiam præscribit digamis, eamque auget trigamis. *Insuper* Bigami sunt irregulares ut constat *cap. 1. de digamis*; nec eis ab Ecclesia benedictio nuptialis conceditur.

Denique: S. Gregorius Nazianzenus orat. 37. explicans verba Apostoli ad Ephesios 5. ita scribit: *Hâc enim oratione secundas nuptias deprecari mihi videtur: si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sint, & duæ uxores: si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput, una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod si secundum prohibeat, de tertia quid dicendum? Primum lex est, secundum venia & indulgentia, tertium iniquitas: qui autem hunc numerum excedit, porcinus planè est.* Idem etiam docet S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, cap. 8. ubi inter cætera scribit: *Quando virginibus ob fornicationis periculum Apostolus concedit nuptias, & excusabile facit quod per se non appetitur: ita ob eandem fornicationem vitandam concedit viduis secunda matrimonia. Melius est enim, licet alterum & tertium virum nosse, quàm plurimos: id est, tolerabilius est uni homini prostitutam esse quàm multis; siquidem & illa in Evangelio Ioannis Samaritana sextum se maritum habere dicens, arguitur à Domino quòd non sit vir ejus. ubi enim numerus Maritorum, ibi vir qui propriè unus est, esse desiit.* Similia habet epist. 11. quæ est ad Ageruchiam.

Verùm respondeo, omnibus illis testimoniis non damnari secundas nuptias, quòd illicitæ sint; nec eas per se reprobari, sed per accidens, ob nimiam concupiscentiam & intemperantiam, ex quibus illarum repetitio proficiscitur: atque ob illam intemperantiam imponitur Pœnitentia. *Ad secundum dico*, eam irregularitatem induci, non eò quòd secundæ nuptiæ improbentur, aut à vera Sacramenti ratione deficiant: sed quia non ita perfectè conjunctionem Christi cum Ecclesia repræsentant: denegatur etiam benedictio quando alteri conjugum jam fuit concessa, ne ut diximus repetita in vilipendium eat.

XIII Solvuntur SS Patrum & Conciliorum authoritates, quibus contrarium videtur suaderi.

Ad S. Gregorium dico, eum reverà paulò acriùs & vehementiùs incontinentiam, quæ apparet in secundis & subsequentibus nuptiis insectari; nihilominus aliud non vult significare, quàm quòd Apostolus dissuadeat secundas, & ulteriores nuptias, tanquam intemperantis cujusdam libidinis argumentum, & eò magis, quòd iis non satis expressa retineatur significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia, scilicet unius cum una, & hanc dissuasionem impropriè vocat prohibitionem. Est autem in secundo Matrimonio venia, & in tertio iniquitas, non ratione ipsius Matrimonii secundò & tertiò repetiti, sed ratione personarum, quas ferè non desiderium sobolis, sed explendæ libidinis affectus ad iterandas nuptias impellit. Porrò S. Gregorius absolutè non improbavit secundas

nuptias, quippe ratione 39. Novatum insectatur, quòd contra S. Pauli sententiam prohibeat adolescentiores viduas iterum nubere. Ait enim: *Anne juvenibus quidem viduis, propter ætatis lubricum ineundi Matrimonii potestatem facis? at Paulus hoc facere minime dubitavit... At hæc minime post baptismum*, inquis: *quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba: aut si id nequis, ne condemnes.* Quòd si res dubia est, vincat humanitas.

Quantùm autem ad S. Hieronymum, dico ipsum in objectione laudata verba, revocare in apologia ad Pammachium, ubi retractans seu explicans quæ scripserat contra Jovinianum, ait; *Aperiant quæso aures obtrectatores mei, & videant me secundas & tertias nuptias concessisse in Domino, &c.* Et cap. 7. *Non damnavi in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere: sed quomodo non damnantur illæ nuptiæ, ita nec prædicantur; solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ.* Et paulo infrà, *Non damno digamos, imò nec trigamos, & si dici potest octogamos: habeat, cui lubet, octavum maritum, & esse desinat prostituta.* Et in epist. ad Ageruchiam præfata in objectione duriora verba sic emollit. *Quid igitur damnamus secunda matrimonia?* minime, sed prima laudamus. *Abjicimus de Ecclesia digamos? absit, sed monogamos ad continentiam provocamus, &c.* Quibus patet, nec-non ex locis suprà laudatis, ipsum iteratis nuptiis non adversari.

§. XII.

De Impedimento Affinitatis.

XIV. Quid sit Affinitas. **A**ffinitas, (inquit Doctor dist. 41. num. 2.) *est vinculum quoddam personæ ad personam aliquam, ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum.* Quæ utique definitio eadem est cum ea, quam tradunt communiter Doctores, nempe: *Affinitas est conjunctio, seu propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentelâ.* Dicitur primò *vinculum seu propinquitas*, in quo convenit cum consanguinitate. Additur, *persona ad personam*; quia enim, inquit Doctor, persona carnaliter copulata, est consanguinea alicui; ideo illa cui copulatur, fit affinis illius, & è converso, & est quasi expositio nominis *affinis*, id est, accessio ad affines: conjunctus enim carnaliter cum aliqua de consanguinitate, accedit per hoc ad affines illius consanguinitatis; & ideo habet vinculum talis accessus ad omnes de illa consanguinitate. Sequitur, *ex carnali copula cum persona alteri consanguinea*: nam inquit Doctor ibidem num. 3. non sufficit ad affinitatem propriè dictam, quòd sit uxor, sed requiritur carnalis conjunctio, ut habetur 35. quæst. ult. *Fraternitatis*, dicitur de conjugibus, *quòd si una caro fuerint, non potest esse, quòd aliquis sit propinquus uni eorum, quin pertineat alteri.* In quo datur intelligi affinitatem non contrahi, nisi mediante commixtione carnali; extendendo tamen affinitatem, dicitur contrahi non solùm cum uxore carnaliter cognita, sed etiam cum non cognita: & quod plus est, cum illa, cum qua præcisè contrahuntur Sponsalia. Ubi est advertendum, quòd istud vinculum contractum ad aliquam propter conjunctionem ejus cum aliquo consanguineo, & hoc, sive conjunctionem Matrimonialem, sive concubinariam, dicitur communiter publicæ honestatis justitia.

XV. Porrò gradus affinitatis eodem modô numerantur, quô gradus consanguinitatis, hanc servando regulam, quam tradit *ibidem* Doctor his verbis: Quotô gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, totô gradu affinitatis distat ab eodem, illa quæ est ab isto carnaliter cognita, non dico, uxor; quia hoc non requiritur; non solùm enim cum uxore, sed cum concubina, vel meretrice contrahitur affinitas consanguineorum ipsius viri: imò in incestu. *Ita Doctor.* Unde quô gradu quis est consanguineus mariti, in eodem gradu fit affinis uxori, & è converso. Inter ipsos autem consanguineos mariti, & consanguineos uxoris, nulla mutuò oritur affinitas, ut constat ex cap. *Quod super his*, de consang. ubi Innocentius III. sic ait: *Licèt omnes consanguinei viri, sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris, viri affines; inter consanguineos tamen uxoris & viri, ex eorundem scilicet viri, & uxoris conjugio, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos debeat Matrimonium impediri.* Quomodo ejus gradus sint computandi.

XVI. Quare Matrimonium dirimat. Quòd autem affinitas Matrimonium dirimat, docet Doctor, *num.* 4. ubi ait: *Dico*, quòd affinitas simpliciter impedit Matrimonium. Et ratio non est, nisi statutum Ecclesiæ illegitimantis affines, & in eodem gradu impedit Matrimonium, in quo consanguinitas; & hoc quidem de affinitate propriè dicta, patet *in tit. illo de consanguinitate, & affinitate, cap. Non debet.* Consimiliter de affinitate communiter, & extensivè dicta, quæ vocatur publicæ honestatis justitia, habetur Extra de consang. & affinit. cap. 1. atque ut Canones dicunt, abstinendum est à consanguineis uxoris, & propriis. De ista etiam publicæ honestatis justitia, multa habentur *Extra de consang. & affinit. & in 6. lib. quod ex Sponsalibus*, quæ ipso jure sunt nulla, vel qualitercunque, dum tamen non sunt nulla ex defectu consensûs, oritur istud impedimentum Matrimonii impediens contrahendum, & dirimens jam contractum.

Quibus verbis Doctor duo significat: *Primum*, quod affinitas simpliciter impediat Matrimonium, ut decernitur in variis Conciliis, *Elliberitano*, cap. 61. *Neocæsariensi*, cap. 2. *Toletano II.* capite 5. *Aurelianensi* [illegible] cap. 10. *Lugdunensi II.* cap. 4. *&c.* quibus varia accedunt decreta Romanorum Pontificum, ut Vigilii epist. 3. Gregorii I. lib. 12. epist. 31. & 32. Zachariæ epist. 1.

Et quod jure *Secundò*, docet Doctor hoc impedimentum esse tantùm juris Ecclesiastici; maximè quoatùm ad affinitatem in linea transversa; quòd enim hæc affinitas Matrimonium non dirimat jure naturæ, constat ex Scriptura sacra; nam Genesis 29. Jacob duxit duas sorores Rachelem & Liam. Genes. 38. ex voluntate Judæ Thamar nupsit successivè duobus fratribus. Et in lege Mosaica poterat frater fratris relictam sine prole uxorem ducere, quod non fuisset licitum, si juri naturæ hoc adversaretur. Demum Levit. 18. non solùm non prohibetur conjugium cum sorore uxoris defunctæ, sed etiam ista verba: *Nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illâ vivente*, significant mortuâ uxore esse licitum.

Hinc est, quòd summus Pontifex, qui dispensare non potest in lege naturali & divina, sæpè dispensavit in primo gradu affinitatis; nam Martinus V. dispensavit cum viro nobili, qui cum affine collaterali in primo gradu contraxerat, ut ex Archidiacono refert Sylvester, verbô *Papa*. Alexander VI. dispensavit cum Henrico VIII. Rege Angliæ, ut duceret Catharinam uxorem fratris sui Arturi demortui. Quam dispensationem Cle-

mens VII. conſultis Theologis, & Canoniſtis ex totius ferè Europæ Academiis, licitam ac validam declaravit, teſte Alphonſô de Caſtro de poteſt. Legis pœnal. lib. 1. cap. 11. Tandem Innocentius X. diſpenſavit cum Caſimiro Poloniæ Rege, ut Mariam Gonzagam, Mantuæ Principem, uxorem fratris ſui demortui, Matrimoniô ſibi copularet.

Hæc autem licèt probabilia ſint de linea collaterali; nihilominus exiſtimo, affinitatem in linea recta, efficere Matrimonium omnino irritum lege divinâ, ſeu naturali: *Primò*, quia, *inquit Hiquæus in Commentario ad quæſtionem* 40. *nu.* periode dicitur non revelandam turpitudinem matris, & uxoris Patris; & dat eandem rationem, quia turpitudo patris tui eſt: ergo ſimili lege comprehenditur utrumque, & eadem regulatur. *Secundò*, quia nullum omnino talis Matrimonii exemplum ſuppetit in divinis aut Eccleſiaſticis Scripturis. *Tertiò*, qui *Geneſ.* 49. Jacob maledicit Ruben ex eo, quòd torum Patris maculaſſet. *Quartò*, Paulus *locô citatô* 1. *ad Corinth.* 5. tanquam abominabile perſequitur tale factum Corinthii, qui uxorem patris ſui polluit; & dicit, neque inter Gentes talem fornicationem fuiſſe; tum quartò, quia reverentiæ paternæ id plurimùm repugnat, cui lex Matrimonii non debuit præjudicare, quæ minùs obligat, quia reverentia paterna eſt ſtricti juris naturalis; non ita lex Matrimonii, aut libertas, & habilitas data ad Matrimonium. *Quintò*, quia noverca ſit caro patris, & magis gradus hic affinitatis contingit ſtipitem, quàm Matrimonium cum uxore fratris; hoc autem non licuit niſi in caſu, quô neceſſarium erat ſuſcitare ſemen defuncto, qui ſine prole diſcederet, aliàs non fuit conceſſum; & ideo S. Joannes Baptiſta rectè reprehendit Herodem propter Herodiadem, quam tulit fratri ſuo Philippo uxorem: ergo à fortiori in propoſito, Matrimonium illud erat irritum, quia ceſſat finis etiam ſucceſſionis, cùm filius ducens novercam ſit Patri ſuperſtes. *Sextò*, quia Salomon Rex ſapientiſſimus ſeverè vindicavit io Adoniam fratrem; quòd ſollicitâſſit nuptias cum Sunamitide, quæ erat uxor ſui patris, quamvis eam non cognoverit. Accedit prætereà ſeptimò exemplum David, qui nunquam ingreſſus eſt ad eas quas Abſalon filius polluit. *Octavò*, quia *cap. Gaudemus*, &c. *de divortiis*, *&c.* ubi permittitur infidelibus converſis permanere in Matrimonio ante converſionem inito cum uxoribus conjunctis aliàs, non fit mentio, niſi de conjunctis in ſecundo, aut tertio gradu, non autem in primo gradu, de quo nunquam aliàs videtur fuiſſe dubitatio.

Quòd ſi dicas ſermonem eſſe de conſanguinitate, & non de affinitate, textus id non exprimit: & patet in lege illa Levitici affinitatem in aliquo gradu fuiſſe vetitam ex lege Matrimonii, non ſolùm Judæis; ſed etiam anterioribus Chananæis, & pro lege naturæ conſequenter, quando majus bonum non præferebatur. Tenendo itaque hanc ſententiam, quæ probabilis eſt; Reſpondeo Doctorem agere de affinitate, juxta præſcriptum Canonum, quos citat, ut eſt propinquitas ex copula carnali duorum ad invicem, quia, ut dictum eſt, affinitas ſequitur regulam conſanguinitatis, in qua non numeratur ſtipes, ſed qui uniuntur ad ſtipitem propinquitate ſanguinis. Unde & affinitas etiam non comprehendit in ſupputatione truncum, ſed perſonas deſcendentes, & collaterales, ut ad ſe invicem appropinquant in ſtipite. Ideoque concluſio ejus de his intelligenda eſt, de quibus agunt Canones, non verò de Matrimonio cum ipſo ſtipite: nam filius deſcendens, ſicut eſt ipſa caro patris, ita non conſtituit gradum reſpectivè ad patrem, ſed ad alios deſcendentes, juxta ſupputationem Canonicam, quæ requirit duas generationes ad unum gradum. *Ita Hiquæus.*

§. XIII.

Quodnam ſit impedimentum publicæ honeſtatis?

XVII. Quid ſit honeſtas publica.

Nomine publicæ honeſtatis, hîc intelligitur propinquitas aliqua proveniens ex Sponſalibus validè & licitè contractis, vel ex Matrimonio rato quidem, ſed non conſummato, quæ efficit, ut alter ſponſus cum alterius conſanguineis Matrimonium contrahere non poſſit; æquum enim, & honeſtati congruum eſt, ut, quia in Sponſalibus Matrimonium inchoatur, is qui cum aliqua Sponſalia contraxit, non poſſit cum illius conſanguineis Matrimoniô copulari. Talis autem propinquitas inducitur tantùm jure Eccleſiaſticô; cenſuit enim Eccleſia eſſe contra publicam honeſtatem, quòd Matrimonium inter conſanguineos ipſius, cum qua Sponſalia fuerant inita, contraheretur, ut patet ex cap. *Siquis uxorem*, nec-non ex cap. *Siquis deſponſaverit*.

Quòd autem hæc propinquitas ex publica honeſtate Matrimonium impediat, conſtat in 6. cap. *litteras*, de deſponſatione impuberum, nec-non & cap. *Iuvenis*, maximè autem in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 3. ubi impedimentum hoc valdè reſtringitur, jure enim antiquô hoc impedimentum oriebatur ex quibuſcunque Sponſalibus, ſive invalidis, ut patet ex cap. unico de Sponſalibus, ubi Bonifacius VIII. decernit Sponſalia omnia, quæ non fiunt ſub conditione ſuſpendente, ſed ineuntur per verba de præſenti, impedire & dirimere ſequentia Sponſalia, & Matrimonia. Concilium verò Tridentinum præfatô can. 3. duo ſtatuit: *Primum*, quòd præfatum impedimentum non oriatur ex Sponſalibus quomodocunque initis, ſed tantùm ex licitis & validis. *Secundum*, quòd cùm jure antiquo hoc impedimentum protenderetur uſque ad quartum gradum conſanguinitatis, Concilium illud reſtringit ad primum gradum; ait enim: *Iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi Sponſalia quacumque ratione valida non erunt ſancta Synodus prorſus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.*

Ex his ſequitur impedimentum publicæ honeſtatis non oriri ex illis Sponſalibus, quæ contrahentium mutuô conſenſu diſſolvuntur, ex eo quòd iſta Sponſalia invalida ſint, ut determinavit Congregatio Cardinalium ad citatum tertium caput Concilii Tridentini. Sequitur ſecundò, impedimentum publicæ honeſtatis non oriri ex ſecundis Sponſalibus, quæ contracta ſunt poſt priora Sponſalia contracta validè: hujus rei ratio eſt, quia iſta ſecunda Sponſalia invalida ſunt, & ſubſiſtunt priora, ut ex cap. unic. de Sponſalibus in 6. colligitur. Quomodo Matrimonium impediat.

Ultimum impedimentum jure antiquo eſt amentia, ſeu carentia uſûs rationis, proveniens ex defectu naturali. Hæc autem conſiderari poteſt duplici reſpectu, nempe vel ut illud præcedens, vel ſubſequens: inſuper vel ut perpetua, vel duntaxat ad tempus. Conveniunt autem Theologi, Et quando;

quòd amentia antecedens, sive ot perpetua, sive ut duntaxat temporalis attendatur, Matrimonium eâ durante, contractum dirimit, & quidem jure naturali. Probatur, quia tollit consensum liberum in contractu Matrimonii necessariò requisitum; inde nihil mirum si contractus, qui fit ab amente, aut ebrio, vel dormiente, pro oullo habeatur.

XVIII. Quænam amentia dirimat Matrimonium.

Quantùm autem ad amentiam, quæ Matrimonio jam contracto supervenit; certom est, quòd illa noo habeat vim dissolvendi Matrimonium: quippe cùm, ot diximus, vinculum illius omnino sit indissolubile, quamdiu coojuges vivunt, nisi ex alterios consensu unus conjugum in Religione approbata profiteatur.

§. XLV.

De impedimentis Raptûs, & Clandestinitatis.

XIX. Raptus Matrimonium dirimit.

PRæter assignata antiquô jure impedimenta Matrimonium irritantia, duo alia addita fuerunt à Concilio Tridentino, nempe *Raptus*, & *clandestinitas*. Nomine autem *raptûs* intelligitur violenta abductio uxoris ducendæ de loco in locum; itaut raptor eam habeat in sua potestate: in hoc enim rapina à furto distinguitur, quòd per illam vis inferatur rei dominis, vel iis, quorum curæ erat commissa, ut nempe eam traducat in sui dominium & potestatem; furtum autem sit tantùm ablatio rei à proprio domino absque ulla vi, sive interim illa cedat in utilitatem furantis, sive noo. Quòd autem talis raptus dirimat contractum inter raptorem & raptam, nisi illa constituatur in loco tuto; itaut compos suæ libertatis & personæ voluntariè ac liberè consentiat in Matrimonium, definit Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. his verbis: *Decernit S. Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitriô Iudicis dotare.*

XX. Matrimonia clandestina semper fuerunt prohibita.

Quantùm autem ad *Clandestinitatem* certum est, quòd etsi Matrimonia clandestina fuerint semper ab Ecclesia prohibita, adeoque illicita inter Christianos, nihilominus ante Concilium Tridentinum noo erant invalida. Quòd fuerint prohibita, constat ex decreto Hormisdæ Papæ, relato causâ 30. quæst. 5. his verbis: *Nullus fidelis, cujuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione acceptâ à Sacerdote, publicè nubat in Domino.* Et Innocentius III. cap. 3. de clandest. desponsat. *Prædecessorum*, inquit, *nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat.*

Quòd autem rata fuerunt, & valida, declarat Tridentina Synodus sess. 24. cap. 1. his verbis: *Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia liberô contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant, quique falsò affirmant, Matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit: verùm, cùm sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent: præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relictâ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur*, &c.

Nihilominus ante Tridentinum erant valida.

Paulò infrà statuit: *Qui aliter, quàm præsente Parochô, vel aliô Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decretô irritos facit, & annullat.* Ex quibus liquet, Tridentinum Matrimonia clandestina irritare, & nomine *clandestini Matrimonii*, illud intelligere, cui non interest proprius Parochus, aut alius Sacerdos de ejus licentia, cum duobus saltem testibus; unde licèt publicè coram aliis multis Matrimonium contrahatur: si tamen fiat sine præsentia Parochi & testium, clandestinum censetur ab Ecclesia.

Dices: Ecclesia non habet potestatem in materias, & formas Sacramentorum: sed materia & forma Sacramenti Matrimonii sunt consensus conjugum verbis aut signis expressus; sive interim ille sit publicus, sive clandestinus: igitur Ecclesia efficere non potest, quòd consensus clandestinus, qui ante Concilium Tridentinum erat sufficiens ad validum Matrimonium, post Concilium sit insufficiens.

Distinguo majorem: Ecclesia nihil mutare potest circa materiam & formam Sacramentorum, quatenus præcisè sunt ipsorum materia & forma à Christo physicè & in specie determinatæ, concedo: quando duntaxat moraliter, & in genere determinatæ sunt, nego. Porrò, ut diximus, materia & forma Sacramenti Matrimonii non sunt à Christo determinatæ in specie: sed Christus omnem legitimum contractum Matrimonialem sublimavit, ac promovit ad dignitatem, & efficacitatem Sacramenti; ac subinde Matrimonium eatenus tantùm habet rationem Sacramenti, quatenus est legitimus contractus omnibus debitis circumstantiis, ac partibus constans. Cùm autem Matrimonium ordinetur noo solùm ad conjugum sanctificationem, sed etiam sit in officium naturæ, & in bonum commune totius Reipublicæ, atque adeo triplici contractu constare debet, nempe naturali, civili, & Sacramentali; in quantùm est contractus naturalis, præscribitur jure naturæ; in quantùm civilis, subjacet legibus civilibus; in quantùm autem Sacramentum statuitur jure divino, inde fit quòd ex quolibet dictatum legum præscripto una persona fieri potest inhabilis ad Matrimonium; si enim habeat impotentiam ad copulam carnalem, inhabilis est ad illud lege naturæ; si sit consanguinea vel affinis alicui, non potest cum ipso contrahere ex lege civili & Ecclesiastica; si verò non sit baptizata, jure divinô incapax est Matrimonii, quatenus Sacramentum est, quamvis ejus sit capax, prout est contractus naturalis, vel civilis.

XXI. Duobus modis Ecclesia potuit ea irritare.

Itaque Ecclesia duobus modis potuit irritare Matrimonia clandestina: *Primò* quidem indirectè, reddendo personas fideles sibi subditas inhabiles ad contrahendum: *Secundò* directè & immediatè,

Irritando contractum Matrimonialem consensu clandestinò initum. Quem utrumque modum observat Tridentina Synodus, cùm ait: *Eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit.* Io hoc autem edicto Ecclesia non mutavit materiam & formam Sacramenti Matrimonii, formaliter acceptas; siqoidem contractus legitimus, qui erat sufficiens ante Tridentinum, est etiam nunc sufficiens: sed mutavit tantùm materialiter, efficiendo nempe, quòd contractus clandestinus, qui antè erat legitimus, & validus, talis amplius non sit, nec subinde possit habere rationem Sacramenti; qoippe cùm Christus D. ut jam pluries observavimus, solum contractum legitimum ad Sacramenti dignitatem, & efficacitatem elevavit.

XXII. Quæ ratione præcedere debeant proclamationes.

Ad hoc autem, ut consensus ille mutuus licitè detur coram Parocho, & duobus testibus in celebratione Sacramenti Matrimonii, debet nunc regulariter loquendo populo prænuntiari per trinam proclamationem bannorum eô modò, quô statuit Concilium Trident. præfatô cap. ubi ait: *Cùm sancta Synodus animadvertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clàm contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut imposterum antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.*

Illarum tamen proclamationum omissio non redderet Matrimonium invalidum, etiam post decretum Concilii Tridentini, ut expressè declaravit Congregatio Cardinalium ad caput primum decreti de ff. reformatione num. 2. his verbis: *Congregatio censuit, Matrimonium contractum non præmissis denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse.* Unde ad antiquum jus sancitum in Concilio Lateran. quô Matrimonium sine prævis denuntiationibus celebratum, subjiciebatur pœnis Matrimonii clandestini, emendatum fuit, & irritatum per Concilium Tridentinum, quod irritat solùm Matrimonia clandestina, quæ fiunt in absentia proprii Parochi, & testium; non autem irritat ea, quæ fiunt ex defectu proclamationum. Nihilominus peccarent graviter, qui non præmissis præfatis denuntiationibus Matrimonium inirent; quippe cùm adversarentur constitutioni Concilii Tridentini, hujusmodi proclamationes districtè præcipientis.

Hîc agere solent nonnulli Theologi de dispensatione impedimentorum Matrimonii, à quibus videlicet, & quas ob causas concedi possit. Verùm quoniam hujus quæstionis solutio facili negotiô colligi potest ex his quæ diximus de dispensatione in tractatu de Legibus; idcirco, ne hoc volumen justam, & æquam magnitudinem excedat, à jam dictorum repetitione censemus abstinendum.

XXIII. Solent etiam plurimi hîc agere de *debito conjugali*, nec-non & de variis peccandi modis, quibus in hoc debito reddendo inquinari solent conjuges. Verùm ab ejusmodi sordium ventilatione censui rationabilius esse abstinendum, quàm pios ac religiosos animos hisce spurcitiis labefactare. Quapropter solùm juvat hîc ad præsentis Tractatûs coronidem attexere, quæ de conjugum debitis, & officiis monuis præclarè scripsit Catechismus Romanus cap. de Matrimonio, num. 31. ubi scribit: Primum viri munus est, uxorem liberaliter, & honorificè tractare; qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo sociam appellatam esse, cùm, *inquit*,: Mulier, quam dedisti mihi sociam: cujus rei causâ aliqui Patres factum esse docuerunt, ut ea non ex pedibus, sed ex latere viri formaretur: quemadmodum etiam ex capite condita non est, ut se viri dominam non esse intelligeret, sed viro potius subjectam. Decet præterea virum in alicujus honestæ rei studio semper occupatum esse: tum ut ea suppeditet, quæ ad familiam sustentandam necessaria sunt: tum ne inerti otiô languescat, à quo vitia fere omnia fluxerunt. Deinde verò familiam rectè constituere, omnium mores corrigere, singulos in officio continere.

Quare cæteris quæstionibus abstineamus.

Rursus autem uxoris partes sunt, quas Apostolorum princeps enumerat, cùm, *inquit*, Mulieres subditæ sint viris suis: ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant: considerantes in timore sanctam conversationem vestram, quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis, homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples: sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se subjectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. Earum quoque præcipuum studium sit, filios in Religionis cultu educare, domesticas res diligenter curare. Domi verò libenter se contineant, nisi necessitas exire cogat: idque sine viri permissu facere nunquam audeant. *Deinde*, in quo maximè maritalis conjunctio sita est, meminerint semper secundùm Deum magis quàm virum, neminem diligendum, eôve pluris faciendum esse neminem, cui etiam omnibus rebus, quæ Christianæ pietati non adversantur, morem gerere, & obtemperare summa cum alacritate animi oporteat. *Ita Catechismus.*

Concludo itaque præsentem Tractatum imò & universum nostrum Theologicum opus his verbis quibus Doctor subtilis coronidem imponit suis de Matrimonio dissertationibus, nempe, *Non esse admirandum, si sollicitudinem tantam ponit Ecclesia in ordinando Matrimonio, quia communitas Christianorum utitur Matrimoniô, per cujus usum multiplicatur populus Christianus: & ideo sic ordinari debet, ut in ejus contractu & usu vitentur ea, quæ obviant, sive in Deum, sive in proximum: & servanda sunt, quæ congruunt honestati, ut sic honestum Matrimonium Christianum congruè significet illam benedictam conjunctionem Christi, & Ecclesiæ; de qua dicit Apostolus:* SACRAMENTUM HOC MAGNUM EST, EGO AUTEM DICO IN CHRISTO, ET IN ECCLESIA: *quæ conjunctio nunc est per fidem, & aliqualem dilectionem; sed in patria erit per visionem, & perfectam fruitionem sponsæ non habentis maculam, neque rugam, ad sponsum speciosum præ filiis hominum; cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

Finis totius Operis.

INDEX
RERVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A.

Ablutio.

nemo

De Cæremoniis Baptismi.

Cæremoniæ concomitantes Baptismum.

Cæremoniæ consequentes.

C.

Confessio.

Communio.

Confirmatio

INDEX.

INDEX.

nec

Pascha.

Peccatum.

INDEX.

FINIS.

Errata	*Correctiones.*	*Pag.*	*Col.*	*Lin.*
Authoris ex sermonis,	Author sermonis,	57	2.	47.
primi,	secundi,	70	2.	41.
Alterutro,	aliquo,	142	1.	36.
tantum est,	tantùm non est,	191	2.	24.
est,	esse,	194	1.	57.
gratis,	grati &	194	2.	10.
præcipuum;	proximum...ad marg.	197	2.	
Objectam,	objecto,	199	2.	13.
Pœnitentia;	Pœnitentiæ,	221	1.	18.
induenda,	induendæ,	228	1.	12.
detinet pœnam;	detinet ad pœnam,	228	1.	17.
& genus,	& extra genus,	230		
perseverationem;	præservationem,	242	1.	55.
quantùm,	quantùm,	247	1.	5.
surius,	superius,	247	2.	11.
invadat;	evadat,	258	2.	47.
discrum,	discretum;	269	1.	5.
distinctam;	indistinctam;	270	1.	11.
per,	præ,	270	2.	31.
Martyrium,	Martyrum,	272	2.	1.
sibi,	sibi,	274	2.	50.
injuriam,	incuriam,	275	2.	9.
Pontificiales;	Pontificales;	ibid.		46.
ex illi,	ex illis,	276	1.	45.
lundæ,	luendæ,	279	2.	19.
lundæ,	luendæ,	ibid.		23.
323	323.	314	2.	2.
reversibus;	recursibus;	318	2.	33.
instituta,	insinuata,	344	1.	19.
quinta,	sexta,	353	2.	17.
qualis,	qualia,	369	2.	27.
Can. 13.	annos tres;	383	2.	44.
Sacramentis;	Sacramenti,	416	2.	3.
du,	de,	488	2.	32.
Episcopi,	Archiepiscopi,	491	2.	9.
Gurgulensis;	Burgolensis,	495	2.	52.
tertia,	secunda,	526	2.	7.
inextenso,	extenso,	555	2.	2.
principalis,	*adde* & præparatoriæ,	608	2.	57.
&,	*adde* (ut volunt aliqui)	616	1.	8.
vita,	ritu,	628	2.	18.
Presbyteratus,	Sacerdotium,	675	2.	25.

Nonnulli sunt alii similes nævi quos eruditus Lector pro sua humanitate emendabit.